Migne, Jacques Paul

PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SEU BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, ŒCONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM,

SIVE LATINORUM, SIVE GRÆCORUM,

QUI AB ÆVO APOSTOLICO AD TEMPORA INNOCENTII III (*ANNO* 1216) *PRO LATINIS ET CONCILII FLORENTINI* (*ANN.* 1439) *PRO GRÆCIS FLORUERUNT :*

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER QUINDECIM PRIMA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA; DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS, VARIISQUE LECTIONIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA; OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA; INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA; CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA; OPERIBUS CUM DUBIIS, TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUCENTIS ET AMPLIUS LOCUPLETATA INDICIBUS AUCTORUM SICUT ET OPERUM, ALPHABETICIS, CHRONOLOGICIS, STATISTICIS, SYNTHETICIS, ANALYTICIS, ANALOGICIS, IN QUODQUE RELIGIONIS PUNCTUM, DOGMATICUM, MORALE, LITURGICUM, CANONICUM, DISCIPLINARE, HISTORICUM, ET CUNCTA ALIA SINE ULLA EXCEPTIONE; SED PRÆSERTIM DUOBUS INDICIBUS IMMENSIS ET GENERALIBUS, ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID NON SOLUM TALIS TALISVE PATER, VERUM ETIAM UNUSQUISQUE PATRUM, NE UNO QUIDEM OMISSO, IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT, UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM S. SCRIPTURÆ VERSUS, A PRIMO GENESEOS USQUE AD NOVISSIMUM APOCALYPSIS, COMMENTATI SINT:

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS, TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO PATROLOGIÆ DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS ET MSS. AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES LATINA PRIOR,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A TERTULLIANO AD INNOCENTIUM III.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

Bibliothecæ Cleri universæ,

SIVE CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIÆ TOMUS CXCI.

PETUS LOMBARDUS MAGISTER SENTENTIARUM, PARISIENSIS EPISCOPUS.

PARISIIS

APUD GARNIER FRATRES, EDITORES ET J.-P. MIGNE, SUCCESSORES

IN VIA DICTA: *AVENUE-DU-MAINE*, 189, OLIM *CHAUSSÉE-DU-MAINE*, 127.

1880

CLICHY. — EX TYPIS PAULI DUPONT, 12, VIA DICTA BAC-D'ASNIÈRES. 1331.11.79.

SÆCULUM XII

P. LOMBARDI

MAGISTRI SENTENTIARUM, PARISIENSIS EPISCOPI

OPERA OMNIA

PRODEUNT MAGISTRI OPERA EXEGETICA EX EDITIONIBUS PARISIIS ANNO 1536 ET 1541 PRELO COMMISSIS, PRÆVIA DILIGENTISSIMA EMENDATIONE, EXPRESSA; SENTENTIARUM VERO LIBROS PRISTINO SUO NITORI VERE RESTITUTOS SUPPEDITAVIT EDITIO ANTUERPIENSIS, ANNO 1757 CURANTE J. ALEAUME PARISIENSI THEOLOGO DATA

ACCEDUNT

MAGISTRI BANDINI

THEOLOGI DOCTISSIMI

SENTENTIARUM LIBRI QUATUOR

ACCURANTE J.-P. MIGNE

Bibliothecæ Cleri universæ

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE

TOMUS PRIMUS

PARISIIS

APUD GARNIER FRATRES, EDITORES ET J.-P. MIGNE, SUCCESSORES

IN VIA DICTA *AVENUE DU MAINE* 189, OLIM *CHAUSSÉE DU MAINE* 127.

1879

ELENCHUS

AUCTORUM ET OPERUM QUI IN HOC TOMO CXCI CONTINENTUR

PETRUS LOMBARDUS MAGISTER SENTENTIARUM, PARISIENSIS EPISCOPUS.

PROLEGOMENA

NOTITIA HISTORICA

(*Gallia Christiana* vetus, t. VII, col. 68, in episcopis Parisiensibus.)

Theobaldi defuncti in locum communibus canonicorum votis suffectus est Philippus, Ludovici Crassi filius, frater autem Ludovici VII. Uxorem primum duxerat, at disrupto postea matrimonio, cum militiæ sacræ nomen dedisset, Henrici fratris, qui Cisterciensem ordinem inierat, in sacerdotia successit, archidiaconique, non decani, ut habet Robertus de Monte, in Ecclesia Parisiensi munus tunc obibat, cum electus est episcopus. At quæ Philippi virtus erat et modestia, in gratiam Petri quondam præceptoris dignitati lubens renuntiavit, archidiaconusque obiit anno 1161, memoratus in Necrologio pridie Nonas Septemb. et sepultus est retro majus altare sub capsa sancti Marcelli cum hoc epitaphio : *Hic jacet Philippus filius Ludovici Crassi regis Francorum, archidiaconus Ecclesiæ Parisiensis, qui obiit anno* 1161.

Petrus itaque, Lombardus dictus quia Novariæ natus est apud Insubres, quam provinciam postea Longobardi incoluere, primis Bonaniæ studiis operam dedit, tum amore discendi incensus, in Gallias venit, episcopi Lucensis litteris sancto Bernardo commendatus, ut illi in Galliis necessaria procuraret. Remis aliquantulum temporis commoratus, eundi Parisios impetum concepit. Bernardus itaque ad Gilduinum Sancti Victoris abbatem scripsit epistolam 410, ut ei ad Nativitatem beatæ Mariæ victum subministraret. At tantum Parisiis profecit Petrus, ut non solum ibi permanserit, sed et docendi magisterium sibi sumpserit, qua quidem in exercitatione multum temporis insumpsit, magnamque scientiæ laudem consecutus est. Unde a clero Parisiensi Philippus electus præceptori suo jam Carnotensi canonico locum et dignitatem gratanter cessit, quam ab anno 1159 ad 1160 tenuit Petrus, ut constat ex chronico Nicolai Trivetti (1), ex charta in annalibus Victorinis, qua Petrus canonicis hujusce domus asserit decimam apud Rezias anno 1159, episcopatus primo, et ex instrumento quo sanctimoniales de Edera investivit de tertia parte decimæ apud Athias, dato apud S. Victorem anno 1159, episcopatus primo. Id etiam confirmatur ex annis Mauritii, qui episcopatum auspicatus est anno 1160. Joannes Parisiensis ad eumdem ejusdem Petri annotat obitum. Pauca nobis supersunt monumenta de ejus episcopatu, quippe cujus tempus brevius fuit : sed hoc unum, idque magnificum pro pluribus erit; desumitur ex Chronico Ricobaldi Ferrariensis apud Claudium Etiennot temo VII Fragm. hist.pag. 186 : *Per hæc tempora Petrus Lombardus de territorio Navariæ agnoscitur clarus ingenio, qui librum Sententiarum composuit, vir peritus et humilis. Hic dum esset episcopus Parisinus, quidam optimates illius pagi quo fuerat genitus, causa salutandi cum matre illius, quam cum eis ducebant, Parisios sunt profecti, et quia mater paupercula erat, eam ut decere opinabantur vestibus ornaverunt. Quibus illa ait : « Ego novi filium meum, qui non gaudebit hoc cultu. » Profecti igitur ad episcopum Petrum matrem offerunt, quam ille intuitus, ait : « Hæc mater mea non est, nam ego fui pauperculæ filius, » et avertit oculos ab ea. Mater tandem comitibus : « Heu! dixit, vobis dixi, novi filium meum et mores ejus, date mihi ut vestiam vestes solitas, tunc me noscet. » Resumpto ergo solito cultu ad filium reducitur. At Petrus ubi illam sic aspexit, ait : « Hæc mater mea est, hæc est paupercula mater, quæ me genuit, lactavit, fovit, educavit; » et surgens eam sinu suo suscepit, et se juxta fecit sedere. Hic etiam Pauli apostoli Epistolas utiliter explicuit.* Defunctus sepelitur Petrus in ecclesia collegiata suburbii S. Marcelli, cujus tumulo legitur etiamnum hæc inscriptio : *Hic jacet Magister Petrus Lombardus Parisiensis episcopus, qui composuit librum Sententiarum, glossas Psalmorum, et Epistolarum, cujus obitus dies est* XIII *Kal. Augusti* (2) ; cui quidem inscriptioni perperam adjectus est posteris sæculis annus 1164.

Porro nemo est in theologicis vel minimum versatus, qui de Lombardo non audierit. Summis hunc laudibus prosecuti sunt Matthæus Paris, Tritemius, sanctus Antoninus, Sixtus Senensis, auctuarium Affligemense et Aquicinctinum, Henricus Gandavensis, Opmeerus, Baronius et Bellarminus cardinales, Genebrardus, Possevinus, Massonus in Annalibus, Francicis, sexcentique alii. Albericus in Chronico recitat egregias tanti viri lucubrationes, librum Sententiarum, Glossaturam super B. Pauli Epistolas, opus satis grande super Psalterium, et hæc est in scholis quæ dicitur Major Glossatura. Addit Aubertus Miræus ex Chronico Belgico eum compilasse ex dictis sanctorum Patrum, hoc est Ambrosii, Hilarii, Augustini et Cassiodori, commendabile opus Sententiarum, in divinis etiam Scripturis studiosissimum et notabiliter doctum fuisse, ingenio subtilem

(1) Spicil. tom. VIII, pag. 445.

(2) Sauval, tom. I, p. 432.

qui nomen suum cum tanta gloria transmisit ad posteros, ut suis opusculis theologorum schola ubique exercitata singulari veneratione Magistrum eum nominet. Sententiarum ejus libros commentariis illustrarunt doctissimi scholasticorum Guillelmus Antissiodorensis, Albertus Magnus, S. Thomas, S. Bonaventura, Guillelmus Durandus, Ægidius de Roma, Gabriel major, Scotus, Okamus, et Guillelmus Estius. Plures a Lombardo sermones scriptos asserit Eisingrenius. Libros ejus Sententiarum, partim scriptorum vitio corruptos et mutatos, partim Lombardi ipsius bona fide, sed non satis cauta, multis falsis citationibus et aliis mendis laborantes, ut qui plura ab Hugone de Sancto Victore et Glossa ordinaria mutatus est, ad veri regulas revocarunt tum Joannes Alealmus, tum Lovanienses; commentaria vero in Psalmos, quæ vocant Hymnos, et Soliloquia illustravit, et in lucem edidit Richardus Cenomanus. Cum autem primus theologiæ vastissimum pelagus totum aggressus esset, non mirum si vir alioquin doctissimus in aliquot scopulos erroris incurrat aliquando : loca videsis apud Sixtum Senensem in libris v et vi Bibliothecæ sanctæ adnotat. 62 et 71. Apud Alexandrum vero III hæresis nomine cum fuisset insimulatus, quod docuisset Christum ut hominem non esse aliquid, summus pontifex Willelmo Senonensi archiep. mandavit ut in conventu episcoporum apud Parisios hanc Petri quondam Parisiensis episcopi doctrinam penitus abrogare studeret, theologisque docere juberet Christum ut perfectum Deum sic perfectum hominem esse ex anima rationali et humana carne subsistentem. Scripsit quoque libellum contra Lombardum Joachimus abbas Florensis cœnobii; at vero in concilio generali Romano ipse accusator Joachimus damnatur anno 1215. Eamdem Petri Lombardi doctrinam fortiter impugnavit Gualterus sextus prior Sancti Victoris Parisiensis quatuor libris nondum editis, qui in bibliotheca Victorina asservantur, in quibus eum annumerat Petro Abælardo, Petro Pictaviensi et Gilberto Porretano, quos appellat quatuor Franciæ Labyrinthos, vehementerque insectatur quod ad Aristotelicam dialecticam fidei altissima mysteria metiantur. Alii Petrum Lombardum plagii insimulant, dicuntque ex libris Sententiarum Petri Abælardi eum non parum profecisse, et Bandinum quemdam obscuri nominis theologum in quatuor Sententiarum libris, qui Viennæ prodierunt anno 1519, pene integrum exscripsisse. Vide Jacobum Thomasium De plagio litterario, a sect. 493 ad 502. In cap. *Fraternitatem* extra De donationibus in vetusto cod.. ms. S. Germani a Pratis Alexander III scribens ad episcopum Parisiensem ait P. (Petrum Lombardum) decessorem ejus graves donationes fecisse in detrimentum ecclesiæ canonicis suis inconsultis. Quod spectat ad eos qui volunt Lombardi fratres fuisse Petrum Comestorem, et Gratianum ex adulterio natos, fabulam reprobat S. Antoninus, ex eo quod Lombardus patria fuerit Novariensis, Gratianus decreti compilator Etruscus, et Petrus Comestor Trecensis.

NOTITIA HISTORICO-LITTERARIA

Histoire littéraire de la France, par des religieux Bénédictins, t. XII, p. 585.

§ I. — *Histoire de la vie de Pierre Lombard.*

Pierre Lombard prit son surnom de la Lombardie où il naquit, dans le territoire de la ville de Novare (3). Sa famille était pauvre et obscure (4), mais il eut le bonheur de trouver un protecteur qui lui fit faire ses premières études à Bologne. De là (5) il se rendit en France pour les perfectionner, apportant avec lui des lettres de recommandation de l'Evêque de Lucques à S. Bernard. Celui-ci l'envoya dans l'école de Reims, où pour lors enseignait vraisemblablement Lotulfe, qui étant Novarais lui-même, dut prendre un soin particulier de son compatriote. La renommée des professeurs de Paris l'attira depuis en cette ville. Son dessein n'était pas d'y faire une longue résidence. Ainsi le mandait S. Bernard (ep. 410) à Gilduin, abbé de Saint-Victor, par une lettre où il le priait de pourvoir pendant quelques mois à son entretien. Mais les charmes d'un séjour dès lors si commode et si avantageux pour les gens de lettres, le captivèrent bientôt et ne lui permirent plus d'en sortir. Ardent au travail, ses progrès conformes à ses efforts lui méritèrent une chaire de théologie, qu'il remplit durant plusieurs années avec la plus grande réputation. On prétend que pendant le cours de ses leçons il fut pourvu d'un canonicat dans l'Eglise de Chartres. Mais cette faveur, comme le prouve du Cange (6), tomba sur une autre personne du même nom, qui exerçait les fonctions de médecin auprès du roi Louis le Jeune (7). Une

(3) Paul Jove *(Hist.* l. III) dit que Pierre Lombard était né dans un bourg qu'on nommait communément *Lumen omnium* ; ce qui lui fit donner, ajoute-t-il, à lui-même le titre de *Lumen omnium.* Nous pensons que le bourg dont il s'agit ici, est *Lumello* dans le Milanais, que les géographes prennent pour l'ancienne ville de *Laumellum.* Ce bourg est situé sur la rivière de Grogna, entre Valence et Vigevano.

(4) On ne s'arrêtera pas ici à réfuter la fable qui donne Pierre Lombard, Gratien et Pierre le Mangeur pour trois frères utérins, nés d'une femme adultère. La distance des lieux suffit pour détruire cette fiction. Pierre Lombard était Novarais, Gratien Toscan, et Pierre le Mangeur était de Troyes en Champagne.

(5) Dubois, *Hist. eccl. Paris*, t. II, p. 121.

(6) Gloss. Lat. verbo *Archiater*.

(7) Baronius s'est également mépris en le confondant avec Pierre Lombard, ami de saint Thomas de

récompense bien plus considérable l'attendait, malgré l'obstacle que l'obscurité de sa naissance, jointe à sa qualité d'étranger, semblait y former. C'était l'évêché de Paris, qui ayant vaqué l'an 1159 par la mort de Thibaut, fut d'abord offert à Philippe, frère du roi Louis le Jeune (8). Mais ce Prince qui n'avait pas jugé au-dessous de lui la place d'archidiacre de Paris qu'il occupait alors, trouva celle de premier pasteur de cette Eglise au-dessus de ses forces et la refusa. Sur ses avis et à sa demande, on lui substitua Pierre Lombard, dont la vertu, les talents et les services lui avaient paru plus assortis à cette dignité. C'est ainsi qu'un auteur contemporain raconte l'élection de ce dernier. Gautier, prieur de Saint-Victor dans le même siècle, l'accuse au contraire d'être parvenu à l'évêché par des voies simoniaques (9). Mais cet écrivain, comme on le verra ci-après, montre tant de passion contre la mémoire de ce prélat, qu'il ne mérite nullement d'être cru sans garant sur un pareil fait. Pierre ne jouit pas longtemps de l'épiscopat, et dès l'année suivante, 1160, on le voit remplacé par Maurice de Sulli (10). On ne connaît presqu'aucun trait de son gouvernement, attendu sa brièveté. Mais celui que rapportent les auteurs du nouveau *Gallia Christiana* montre que la sagesse qui l'avait porté sur son siége, ne l'y avait pas abandonné (11).

Nous n'ignorons pas que le même trait est attribué à d'autres prélats ; mais il n'y a nul inconvénient qu'il ait été répété et d'ailleurs nous le donnons pour tel que nous l'avons trouvé.

Le corps de notre prélat fut inhumé dans le chœur de l'église de Saint-Marcel près de Paris, où l'on voit encore cette épitaphe sur sa tombe (12) : ***Hic jacet Magister Petrus Lombardus Parisiensis epicopus, qui composuit librum Sententiarum, Glossas Psalmorum et Epistolarum, cujus obitus dies*** XIII ***Kalend. Aug.***

L'école théologique de Paris n'a point cessé d'honorer la mémoire de ce grand homme. Depuis un temps immémorial elle est dans l'usage d'obliger ses bacheliers en licence d'assister au service qu'elle fait célébrer tous les ans pour lui le 29 Juillet (13.)

§ II. — *Ses écrits imprimés.*

1° Deux méthodes régnaient dans les écoles de théologie, lorsque Pierre Lombard se mit sur les rangs pour enseigner. La première, qui était celle de l'antiquité, consistait à expliquer par ordre la doctrine renfermée dans l'Ecriture, d'après l'Ecriture elle-même et la tradition. Méthode simple, mais sûre, pacifique, lumineuse, qui maintenait dans sa pureté le dépôt de la révélation, édifiait en instruisant, et fixait à l'esprit humain le terme où il devait s'arrêter dans la recherche des vérités du salut. La seconde, que notre auteur avait presque vue naître, était de traiter les matières de la religion comme celles de la philosophie, d'une manière contentieuse et par la voie du raisonnement. Embarrassée, pointilleuse, plus propre à satisfaire la curiosité, qu'à nourrir la piété, elle rompait les barrières qui séparent la raison de la foi, ouvrait la porte à des questions sans fin ; et moins occupée du principal que de l'accessoire, elle jetait des nuages sur le premier de ces objets par les efforts que ses partisans faisaient pour répandre des lumières sur le second.

A Tout était matière de problème dans cette nouvelle théologie, qu'on a depuis nommée Scolastique, parceque tout s'y traitait contradictoirement, depuis l'existence de Dieu jusqu'au plus sublime de nos mystères. La carrière élargie de la sorte, ouvrait un vaste champ où chaque école élevait ses opinions particulières, souvent absurdes, quelquefois dangereuses et presque toujours inutiles, s'occupait à les étayer par des sophismes captieux, et travaillait en même temps à détruire par de semblables moyens celles qui leur étaient opposées. Pierre Lombard, témoin de cette licence, eut le bon esprit d'en apercevoir les inconvénients et le zèle de travailler à y remédier. Pour l'exécution de ce dessein, il ramassa dans les Pères et les anciens docteurs les passages les plus précis sur les questions qui s'agitaient alors dans les écoles, et les distribua par ordre des matières, afin de former par là un corps de décisions nettes, respectables, authentiques, et capables, en B un mot, de lever tous les doutes, et de ramener tous les esprits à l'uniformité de doctrine. L'Ouvrage qui résulta de ce travail, est intitulé *les Sentences ;* titre, comme on l'a vu ci-devant, qui n'était pas nouveau. Il est partagé en quatre livres, composés chacun d'un grand nombre de distinctions. La marche de l'auteur est d'établir d'abord sur chaque matière l'état de la question, ensuite d'exposer les opinions de part et d'autre, avec les autorités dont on les appuie, et enfin de porter le jugement qui lui paraît le plus conforme à l'esprit de l'antiquité.

Toute science, dit-il dans sa Préface, a pour objet les choses ou les signes. Les choses se divisent en celles dont on doit jouir, et celles dont il n'est permis que d'user ; c'est-à-dire, Dieu et les créatures. Les signes sont aussi de deux sortes ; les uns se terminent à signifier sans conférer ce qu'ils signifient, tels sont les sacrements de l'ancienne loi ; les autres le donnent, ce sont les sacrements de la C nouvelle loi. Voilà les quatre points qui entrent dans le dessein de l'auteur.

Le premier livre, compris en quarante-huit distinctions, roule sur les attributs de la Divinité. Mais avant que d'entamer ce sujet, Pierre fait une question ; savoir, s'il n'est pas licite de jouir de la vertu pour elle-même. Il se décide pour la négative, sur les principes de saint Augustin qu'il cite, et prouve que la vertu doit être rapportée à Dieu comme fin dernière. De là il passe au mystère de la Trinité, qui fait la matière de la seconde distinction. Après l'avoir établi par l'autorité de l'Ancien et du Nouveau Testament, il cherche dans la troisième quelles images l'on peut trouver de la Trinité dans les créatures. La génération du Verbe occupe les six distinctions suivantes. Entre les questions que l'on y propose, la plus subtile, à notre avis, est celle-ci (dist. 7) : Le Père a-t-il eu le pouvoir et la volonté d'engendrer son Fils ? Si vous répondez affirmativement, il s'ensuit qu'il y a dans le Père un pouvoir et une D volonté que le Fils n'a pas. On résout cette difficulté en disant que quoique le Père ait engendré volontairement, néanmoins la génération n'est point un effet de la volonté, mais de la nature. Car il est Père de la même manière qu'il est Dieu (dist. 6). Or sa divinité n'émane point de sa volonté. Il faut donc en dire autant de sa paternité (dist. 7).

La procession du Saint-Esprit et sa mission four-

Cantorbéri et de Jean de Sarisberi, qui lui écrivit, en 1167, une lettre, qui est la trente-deuxième du second livre de celles du saint prélat. Ce Pierre Lombard était sous-diacre de l'Eglise Romaine, et devint cardinal, évêque de Bénévent. (PAG., ad an. 1167, n. 22.)

(8) Rob. de Monte, ad an. 1159.

(9) Egas. Bul., t. II, p. 858.

(10) Dubois, *Hist. Eccl. Paris.*, t. II, p. 122.

(11) Voyez ci-dessus la notice extraite du *Gallia Christiana*. EDIT.

(12) Corrozet, *Ant. de Par.*, c. 744.

(13) « Dans le chœur de l'église collégiale de Saint-Marcel à Paris, est une représentation du tombeau du célèbre Pierre Lombard, évêque de Paris. Cette figure et l'inscription, quoiqu'anciennes, ne sont pas du temps de sa mort, mais de plus de cent ans après, comme on le juge par la hauteur de sa mitre. » LE BEUF. *Hist. de Paris*, t. I, p. 196.

nissent la matière de dix distinctions, depuis et compris la dixième jusqu'à la dix-neuvième inclusivement ; après quoi l'on traite des propriétés, tant absolues que relatives, des trois personnes divines, ce qui se termine à la trente-quatrième distinction. On commence à la suivante, et l'on continue jusqu'à la fin du livre à parler de certains attributs de la Divinité qui demandent une considération particulière ; savoir, sa science, sa providence, sa prédestination, sa toute-puissance. Sur ce que toutes choses sont présentes à la connaissance de Dieu, l'on demande (dist. 36) s'il faut accorder qu'elles soient dans l'essence divine. La réponse est négative, par la raison que bien que la connaissance de Dieu soit de son essence, cependant tout ce qui est dans cette connaissance n'appartient pas à l'essence de Dieu ; autrement tout lui serait coessentiel et de même nature que lui ; ce qui est absurde. Cette essence divine est présente en tout lieu, et n'est renfermée dans aucun. Elle n'est ni locale, ni circonscriptible. Il n'en est pas de même des esprits. Quoiqu'ils ne soient pas susceptibles de dimension (dist. 37), ils sont néanmoins terminés et circonscrits dans un lieu, mais de manière que quand plusieurs esprits, et même tous seraient rassemblés dans un même lieu, ils ne se presseraient pas, et n'empêcheraient point qu'il n'y existât autant de matière que s'il était entièrement vide.

La prescience de Dieu peut se prendre en deux manières (dist. 38), ou pour la simple connaissance des choses à venir, ou pour la détermination de ces mêmes choses. Dans le premier sens elle n'est point cause des événements futurs, et toutefois elle les embrasse tous, bons et mauvais ; au lieu que, prise dans le second sens, elle ne s'étend qu'à ceux du premier genre, et les connaît en les déterminant. La différence de la prédestination et de la réprobation, dist. 40), consiste en ce que par celle-là Dieu prévoit ce qu'il doit faire dans les élus, et par l'autre il connaît les maux que feront les réprouvés et dont il n'est pas l'auteur. La prédestination avait alors des adversaires qui prétendaient qu'elle nécessitait les hommes ; et voici comme ils raisonnaient : Ce qui est impossible maintenant, l'a été de toute éternité. Or il est maintenant impossible qu'un prédestiné ne soit pas sauvé : donc il n'a jamais été possible qu'il ne le fût pas : donc il est de nécessité absolue qu'il soit prédestiné. « Pour la solution de cette difficulté, dit modestement notre auteur, j'aimerais mieux entendre les autres que de parler moi-même. » Ensuite, après avoir fait voir que la même objection peut se faire contre la prescience, il répond directement en distinguant : Celui qui est prédestiné, dit-il, ne peut être en même temps non prédestiné ; c'est-à-dire, que la prédestination et la réprobation ne peuvent jamais tomber sur le même sujet : on l'accorde ; mais on nie que Dieu de tout temps n'ait pu s'abstenir de prédestiner celui qu'il a réellement prédestiné ; et comme sa puissance est toujours la même, il est encore vrai présentement qu'il peut n'avoir pas formé cette prédestination. On voit ici la distinction du sens composé et du sens divisé, que l'auteur rend par les termes de *conjunctim* et *divisim*.

La toute-puissance (dist. 43) fournit matière à plusieurs questions dont voici les plus remarquables. Quelques théologiens modernes, dont Abailard était le chef, soutenaient que Dieu ne peut faire que ce qu'il fait. Outre les raisons qu'on a vues ci-devant, ils s'étayaient encore de quelques endroits de saint Augustin (14), où il dit que Dieu n'est appelé Tout-Puissant, que parce qu'il peut tout ce qu'il veut, et que sa volonté n'est pas plus grande que sa puissance. Notre auteur répond (dist. 44)

A que ces propositions ne signifient autre chose, sinon que tout ce que Dieu veut est en son pouvoir ; mais non pas réciproquement que tout ce qu'il a le pouvoir de faire, il le veuille ou le fasse réellement. Dieu peut-il faire les choses meilleures qu'elles ne sont ? C'est une suite de la question précédente. Pierre se déclare pour l'affirmative, et fait à ceux qui tiennent pour la négative le raisonnement suivant : Pourquoi dites-vous qu'une créature particulière, ou même la totalité des créatures, ne peut être meilleure qu'elle n'est ? Est-ce parce qu'elle est si souverainement bonne, qu'il ne lui manque aucune perfection ? Mais alors vous égalez la créature au Créateur. Est-ce parce qu'elle ne peut admettre le plus grand bien qui lui manque ? En ce cas c'est un défaut dans elle, et non une perfection ; et certainement elle pourrait être meilleure, si on la rendait susceptible d'un plus grand bien. Dieu peut donc faire une chose meilleure qu'elle n'est. Il peut
B aussi la faire d'une autre et meilleure manière, bien entendu toutefois que cette manière se rapporte à la chose même ; car si on la rapporte à la sagesse de l'ouvrier, il faut convenir qu'il n'y a point d'autre ou de meilleure manière que celle qu'il emploie.

Les quatre dernières distinctions roulent sur la volonté de Dieu. L'auteur n'en connaît que de deux sortes : la volonté du bon plaisir, qui est la volonté proprement dite ; et la volonté de signe, qui n'est que métaphorique. La première, qu'on doit regarder comme la cause universelle de toutes choses, est une (dist 45), et n'admet point de multiplicité ni de mutabilité, parce que jamais elle ne peut manquer d'avoir son accomplissement (15). La volonté de signe est de cinq sortes : précepte, défense, conseil, opération et permission ; et c'est pour cela que l'Écriture nomme quelquefois les volontés du Seigneur au pluriel. L'auteur se propose ensuite quelques
C difficultés sur l'efficacité souveraine de la volonté de bon plaisir (dist. 46). 1° Jésus-Christ dit à Jérusalem qu'il a souvent voulu rassembler ses enfants, comme une poule rassemble ses poussins sous ses ailes, et qu'elle ne l'a point voulu ; 2° l'Apôtre déclare que Dieu veut le salut de tous les hommes, et cependant tous ne sont pas sauvés. Pierre emploie pour réponse les explications que saint Augustin donne à ces deux passages dans son ***Manuel de la foi*** (c. 67, 98, 109). Mais Dieu veut-il aussi que le mal arrive ? Après avoir rapporté les diverses opinions sur cette question, l'auteur conclut en cette manière : « Disons donc que Dieu ne veut pas qu'on « fasse le mal, sans toutefois ajouter qu'il veut que « le mal n'arrive pas. Car tout ce qu'il veut qui se « fasse, se fait réellement ; et tout ce qu'il ne « veut pas qui se fasse, ne se fait point. »

L'homme veut quelquefois par une bonne volonté autre chose que ce que Dieu veut, et quelquefois il
D veut par une mauvaise volonté ce que Dieu veut par une bonne (dist. 48). Par exemple : un fils bien né souhaite que son père vive, et souvent Dieu ne le veut pas. Un fils dénaturé désire, au contraire, la mort de son père, et Dieu la veut aussi. Il y a donc bien de la différence entre ce qu'il convient à l'homme et ce qu'il convient à Dieu de vouloir ; et la fin à laquelle l'homme rapporte sa volonté, doit être la règle pour approuver cette volonté ou la condamner.

Quelquefois la bonne volonté de Dieu s'accomplit par la mauvaise volonté des hommes, comme dans le crucifiement de son Fils. Mais, dit-on (*ibid.*), si Dieu a voulu la passion de son Fils, sa volonté a été, ou non, qu'il la souffrît de la part des Juifs. Dans le premier cas, il a donc voulu que les Juifs le missent à mort ? Pierre répond d'abord en conve-

(14) ***Enchirid.*** c. 96 ; ***Confes.*** l. VII, c. 4.

(15) Hæc una est, nec multiplicitatem recipit nec mutabilitatem, quia inexpleta esse non potest.

nant simplement que Dieu a voulu que le Christ souffrît et mourût, parce que sa passion était un bien pour nous et la source de notre salut. Mais sur ce qu'on ajoute que Dieu voulait donc qu'il fût mis à mort par les Juifs, il distingue : Dieu a voulu que son Fils souffrît la passion et le crucifiement qui lui étaient causés par les Juifs, il l'accorde : Dieu voulait que les Juifs donnassent la mort à son Fils, il le nie. Car Dieu ne voulait pas, dit-il, l'action de ces Juifs qui était mauvaise ; mais il voulait la passion de Jésus-Christ qui était bonne, et cette volonté s'est accomplie par celle des Juifs qui était mauvaise. Ainsi finit le premier livre.

Le second, partagé en quarante-quatre distinctions, concerne les créatures. Dans la première on traite de la fin pour laquelle l'homme et l'ange ont été créés. Les dix suivantes roulent sur les anges. On entame à la douzième l'Ouvrage des six jours, que l'on parcourt jusqu'à la seizième. L'homme occupe les restes du livre. Pour abréger, nous ne nous arrêterons qu'à ce dernier objet. Après avoir détaillé les prérogatives de l'homme innocent, on demande (dist. 24) quelle grâce lui était nécessaire pour persévérer dans cet état. La réponse est que l'homme, ainsi que l'ange, avait reçu dans sa création une grâce par laquelle il pouvait se maintenir, c'est-à-dire ne point déchoir de ce qu'il avait reçu ; mais non pas mériter, sans une nouvelle grâce, le salut éternel. « La grâce de sa création, dit l'auteur, lui « donnait le pouvoir de résister au mal ; mais elle « ne lui donnait pas celui d'accomplir le bien. Il « pouvait cependant, au moyen de ce secours, bien « vivre en quelque sorte, parce qu'il pouvait vivre « sans péché. Mais il ne pouvait pas, sans l'aide « d'une autre grâce, vivre d'une manière spirituelle « qui lui méritât le bonheur éternel. »

Le libre arbitre est défini (*ibid.* et dist. 25, *initio*) une faculté de la raison et de la volonté, par laquelle, avec le secours de la grâce, on choisit le bien et sans cette grâce on se porte au mal. Mais cette définition, ajoute l'auteur, ne convient ni à Dieu, ni aux saints glorifiés, lesquels, pour être incapables de pécher, n'en ont que le libre arbitre plus parfait. « C'est pourquoi (16) si l'on examine « la chose de plus près il paraît que le libre arbitre « n'est appelé tel, que parce qu'il peut sans con« trainte ni nécessité rechercher ou choisir ce que la « raison lui aura dicté. »

La grâce se divise on opérante et coopérante (dist. 26). La première prévient la bonne volonté ; car c'est par elle que la volonté de l'homme est délivrée et préparée pour être bonne, et pour vouloir efficacement le bien. La seconde suit la volonté déjà rendue bonne, et l'aide à exécuter. Mais comment la grâce prévient-elle la volonté ? (17) En lui inspirant une foi accompagnée d'amour. On dispute si la grâce opérante et la grâce coopérante sont deux grâces réellement différentes. L'auteur incline pour ceux qui pensent que ce n'est qu'une même grâce, et que toute la distinction ne consiste que dans les effets. La grâce, dit-il, est appelée opérante, en tant qu'elle délivre la volonté et la dispose à voloir le bien ; et coopérante, en tant qu'elle l'aide pour ne pas vouloir en vain, c'est-à-dire, pour accomplir la bonne œuvre.

La question du péché originel est une de celles que l'auteur traite avec le plus d'étendue et de soin (dist. 30-33). Dans les quatre distinctions consacrées à ce point de doctrine, après avoir prouvé la transmission du péché originel, il examine quelle est sa nature, et montre par saint Augustin, que c'est la concupiscence même que l'Apôtre nomme la loi du péché. On demande qu'est-ce que cette concupiscence dans les enfants ? Ce n'est pas un acte, dit-il, mais un vice qui rend l'enfant disposé à convoiter, et qui fait réellement convoiter l'adulte. Mais, objecte-t-on (dist. 32, *initio*), le baptême efface le péché originel, et néanmoins la concupiscence demeure après ce sacrement. L'auteur répond que bien que le baptême ne détruise pas la concupiscence, néanmoins il la diminue et l'empêche de dominer et de régner : en sorte que ce qui en reste n'est plus imputé à péché, mais est seulement la peine du péché, au lieu qu'il était auparavant et peine et péché. La concupiscence a-t-elle Dieu pour auteur ? Oui, comme peine, dit-il (*ibid.*) ; mais comme péché, c'est l'ouvrage du diable.

A l'examen du péché originel succède celui du péché actuel. L'auteur (dist. 41, *initio*) discutant la question, savoir si toutes les actions faites sans la foi sont mauvaises, dit que l'affirmative (18) est soutenue par quelques-uns avec probabilité ; et il en allègue les raisons tirées de saint Augustin ; ensuite il rapporte le sentiment de ceux qui tenaient pour la négative, et ne décide rien.

L'Incarnation, les trois vertus Théologales, les quatre Cardinales, les dix Commandements de la loi, la différence des deux Alliances, sont les objets qui remplissent le troisième livre composé de quarante distinctions.

Une des questions qui agitaient fort les écoles du temps de Pierre Lombard, était de savoir si la nature divine, ou seulement la personne du Fils, s'était incarnée. On alléguait pour et contre des raisons tirées des Pères. L'auteur, après les avoir balancées, conclut qu'il faut dire que la personne du Fils a pris la nature humaine, et qu'à celle-ci la nature divine a été unie dans le Fils ; et c'est pour cela, ajoute-t-il, que l'on dit véritablement que la nature divine a pris chair. Quant à ce qu'on dit, poursuit-il, que le Fils seul a pris la forme d'esclave, par là on ne prétend point exclure la nature divine, mais seulement les personnes du Père et du Saint-Esprit. Enfin, sur ce qu'on objectait que ce qui est propre au Fils et non ce qui est commun à la Divinité, s'est revêtu de l'humanité, il répond que la nature divine s'est unie à la nature humaine dans la propre hypostase du Fils, et non dans celle des trois personnes en commun.

On disputait encore vivement sur l'adoration de l'humanité de Jésus-Christ (dist. 9). Les uns prétendaient qu'on ne lui devait pas un culte de latrie, mais seulement un culte de dulie, dont ils distinguaient deux sortes ; l'un qu'on peut rendre à toute créature sainte, l'autre qui ne convient qu'à la créature par excellence, c'est-à-dire, le corps et l'âme de Jésus-Christ. C'était l'opinion de Gilbert de la Porrée. D'autres voulaient qu'on ne rendît qu'une seule et même adoration aux deux natures, et c'est le sentiment que notre auteur adopte (dist. 10), après l'avoir appuyé de passages très-précis de l'antiquité.

Autre question qui faisait grand bruit dans les écoles : Jésus-Christ en tant qu'homme est-il une personne ou quelque chose ? Les arguments pour et contre se balancent, dit notre auteur. Car on prouve qu'il est une personne par les raisons suivantes : Si en tant qu'homme il est quelque chose, c'est ou une personne, ou une substance raisonnable : mais s'il

(16) Unde, si diligenter inspiciatur, liberum videtur dici arbitrium, quia sine coactione et necessitate valet appetere vel eligere quod ex ratione decreverit.

(17) Si diligenter attendas, nihilominus tibi monstratur quæ sit ipsa gratia voluntatem prævenicns et præparans, scilicet fides cum dilec ione.

(18) Quod a quibusdam non irrationabiliter adstruitur, qui dicunt omnes actiones et voluntates hominis sine fide malas esse, quæ fide habita bonæ existunt.

est une substance raisonnable, il est en même temps une personne. En effet la définition de la personne n'est autre chose que la substance raisonnable d'une nature individuelle. Donc, en accordant qu'il est quelque chose en tant qu'homme, on est forcé de convenir qu'il est une personne. Mais cet aveu jette dans un inconvénient. Car si en tant qu'homme il est une personne, donc il est une quatrième personne de la Trinité ; donc il est Dieu par son humanité. C'est pour éviter cet inconvénient et d'autres, ajoute-t-il, que quelques-uns soutiennent que Jésus-Christ, en tant qu'homme, n'est ni une personne, ni quelque chose. Pierre montre ensuite la fausseté du raisonnement où l'on conclut de ce que l'homme dans Jésus-Christ est une substance raisonnable, qu'il est en même temps une personne sous ce rapport. Car, dit-il, l'âme de Jésus-Christ est une substance raisonnable. Cependant elle n'est pas une chose isolée et non unie à une autre. Du reste, ajoute-t-il, cette description de la personne ne convient pas aux trois personnes de la Trinité. Il fortifie cette réponse d'un argument tiré de ce que le Christ a été prédestiné pour être fils de Dieu, d'où il s'ensuit qu'il est quelque chose en tant qu'homme. Mais il combat aussitôt cette preuve, en disant que ce n'est point à raison de son humanité qu'il est fils de Dieu : *Non enim quo homo est, eo filius Dei.* C'est par où il termine cette question, laissant à présumer qu'il penchait vers l'opinion des Nihilistes, c'est-à-dire, de ceux qui prétendaient que Jésus-Christ n'était point quelque chose suivant l'humanité (dist. 14).

Hugues de Saint-Victor s'était efforcé de prouver que la science divine et la science humaine sont égales en Jésus-Christ. Pierre-Lombard prend le juste milieu entre cette opinion et celle des théologiens qui soutenaient que l'âme de Jésus-Christ ignore quelque chose. Il convient que par la sagesse qu'elle a reçue en vertu de son union avec le Verbe, elle sait tout ce que Dieu sait, mais qu'elle ne le comprend pas aussi parfaitement que lui ; d'où il infère que la sagesse de cette âme n'est pas égale à la sagesse du Verbe ; parce que dit-il, celle-ci est bien plus excellente et comprend toutes choses d'une manière bien plus parfaite. On objectait que si l'humanité de Jésus-Christ sait tout, il s'ensuivrait qu'elle peut aussi tout. Pierre nie la conséquence, par la raison que la toute-puissance est un attribut incommunicable de la divinité, au lieu que la connaissance appréhensive de toute chose peut être accordée à la créature, et l'a été effectivement à l'âme de Jésus-Christ, suivant le témoignage de l'Ecriture.

En traitant de la mort de Jésus-Christ, Pierre met en question si dans cet état la Divinité fut séparée ou non de l'humanité. Plusieurs théologiens soutenaient l'affirmative. Il rapporte leurs arguments (dist. 21), les réfute, et prouve par des autorités précises que l'âme et la chair du Sauveur, quoique divisées par la mort, ne furent ni l'une ni l'autre séparées du Verbe.

Jésus-Christ ayant été doué de la plénitude des vertus et des grâces, a-t-il eu la foi, l'espérance et la charité ? C'est à l'occasion de cette question, et avant que d'y satisfaire, que l'auteur parle des vertus théologales (dist. 23) ; et il en parle fort au long. « La foi, dit-il, a proprement pour objet les choses qu'on ne voit pas. » Il distingue deux sortes de foi : l'une qui est informe et commune aux mauvais chrétiens et aux démons, c'est la foi dépourvue de la charité ; l'autre qui est particulière aux bons et les caractérise, c'est la foi formée par la charité. La première, selon lui, n'est pas une vertu, quoiqu'elle soit néanmoins un don de Dieu. L'espérance regarde les biens invisibles et éternels. Elle ne peut être sans amour. Jésus-Christ n'a eu ni l'une ni l'autre de ces vertus (dist. 26), parce qu'il avait la connaissance claire et distincte de leurs objets, qu'elles ne voient que comme dans un miroir et en énigme. Mais il a eu la charité, et dans le plus haut degré. Cette vertu, qui consiste à aimer Dieu pour lui-même, et le prochain pour Dieu ou en Dieu, peut-elle se perdre lorsqu'on l'a une fois reçue ? Pierre l'affirme (dist. 32), et le prouve contre quelques docteurs qui le niaient. Cependant il avoue que la charité parfaite ne se perd point, ou se perd rarement.

Le quatrième livre, compris en cinquante distinctions, embrasse les sacrements de l'ancienne et de la nouvelle loi, le jugement dernier, la résurrection des morts, le bonheur des saints dans le ciel, et les peines des damnés en enfer.

L'auteur prétend (dist. 1) que la circoncision avait la même efficacité que le baptême pour remettre les péchés, mais non pour conférer la grâce. Le baptême donné au seul nom de Jésus-Christ est valide, selon lui (dist. 2). De son temps, il ne se conférait encore que par immersion, et l'usage de l'Eglise Gallicane était de répéter cette immersion jusqu'à trois fois en l'honneur de la Trinité. Cependant il croit permis de s'en tenir à une seule, pourvu que la coutume de l'Eglise où l'on se trouve ne s'y oppose pas.

Sur la confirmation (dist. 7), il regarde le saint Chrême comme essentiel à ce sacrement, dont il ne reconnaît point d'autre ministre que l'évêque.

Il fait consister (dist. 8) la forme de l'Eucharistie dans ces paroles : *Ceci est mon corps, ceci est mon sang.* « Car lorsqu'on les profère, dit-il, le pain et le vin se changent au corps et au sang de Jésus-Christ ; le reste n'est que pour honorer Dieu. » Il combat vigoureusemet l'hérésie de Bérenger (dist. 10) ; mais il soutient mal à propos (dist. 13) que le pouvoir de consacrer ne réside que dans les prêtres catholiques, et qu'il ne se fait aucun changement réel du pain et du vin dans le sacrifice offert par des prêtres hérétiques ou excommuniés.

Dans la pénitence, il distingue trois actes (dist. 17) : la contrition, la confession et la satisfaction. Mais sont-ils également essentiels à ce sacrement ? Les opinions variaient dès lors sur ce sujet. Pierre se déclare pour celle qui assure que la seule contrition sans confession orale efface les péchés. « Car dès qu'un pénitent, dit-il (dist. 18), vraiment contrit se propose de se confesser, Dieu lui remet ses péchés parce qu'alors il y a confession de cœur, quoique non de bouche, par laquelle l'âme est purifiée de ses fautes, et la dette de la mort éternelle lui est remise.... Il faut donc que le pénitent se confesse, s'il en a le loisir ; mais avant qu'il fasse sa confession de vive voix, s'il en a le vœu dans le cœur, il a déjà reçu la rémission des péchés. » Mais, demande-t-on plus bas, si le péché a été remis par la contrition dès que le pénitent a formé la résolution de se confesser, qu'est-ce que le prêtre peut lui remettre (au tribunal de la pénitence) ? « Quelques-uns, répond-il, pensent que le pécheur étant lié d'un double lien, savoir par la souillure de l'âme et par la dette de la peine éternelle, Dieu le dégage par lui-même du premier lien, et le prêtre du second. D'autres disent que Dieu seul remet la dette éternelle, comme lui seul vivifie l'âme intérieurement par lui-même. » Après avoir rapporté quelques autorités pour appuyer ce dernier sentiment, l'auteur conclut en cette manière : « On voit évidemment par là que Dieu absout lui-même le pénitent de la dette de la peine, qu'il l'absout, dis-je, quand il l'éclaire intérieurement, en lui inspirant la véritable contrition du cœur. La raison vient à l'appui de ce sentiment. Car personne n'est vraiment contrit.... qu'il n'ait la charité. Or celui qui a la charité mérite la vie éternelle ; et personne

n'est digne en même temps de la vie et de la mort... Il ne s'ensuit pas de là que nous refusions aux prêtres le pouvoir de remettre et de retenir les péchés, c'est-à-dire de déclarer les pécheurs liés ou déliés... Car ils lient lorsqu'ils imposent la satisfaction pénitentielle à ceux qui se confessent, et ils délient lorsqu'ils en relâchent quelque chose, ou qu'ils admettent les pénitents purifiés à la participation des sacrements. » Ce passage manifeste deux choses : la première, que Pierre Lombard n'admettait qu'une espèce de contrition pour la pénitence, savoir : la contrition parfaite à laquelle il attribuait la vertu d'effacer les péchés avec le vœu du sacrement. C'était l'opinion de Hugues de Saint-Victor, et ç'a été celle de plusieurs grands théologiens jusqu'au concile de Trente, et de quelques-uns même depuis. La seconde, qu'il ne regardait l'absolution sacramentelle que comme un acte juridique par lequel le prêtre déclare que les péchés sont remis. L'une et l'autre opinions, malgré les noms et le nombre de leurs défenseurs, sont universellement rejetées de nos jours, et avec raison, comme opposées à l'esprit du concile de Trente, et aux décisions de plusieurs Pères de l'Eglise.

Pierre ne dit rien sur l'Extrême-Onction que ce qui est avoué de tous les théologiens.

Il n'agite, touchant l'Ordre, qu'une seule controverse (dist. 25). C'est celle qui concerne les ordinations faites par les hérétiques. Il avoue que cette question est très-embarrassée, et qu'il y a des raisons très-fortes pour et contre la validité de ces ordinations. Il se contente de les rapporter sans rien décider.

Pierre emploie seize distinctions pour expliquer le sacrement de mariage. Son institution, son essence, ses avantages, ses empêchements dirimants, ses devoirs, son indissolubilité sont les principaux articles qui entrent dans ce traité. Examinant la question du mariage des infidèles (dist. 29, *versus fin.)*, il demande s'il peut se résoudre par la conversion de l'une des parties à la religion chrétienne. Après avoir exposé les moyens de l'affirmative, il dit « qu'il est, à la vérité, permis au mari devenu fidèle de renvoyer sa femme infidèle, quoiqu'elle consente d'habiter avec lui; mais que pendant qu'elle vit il ne peut en épouser une autre. Pour celle, ajoute-t-il, qui se retire volontairement, il n'est pas tenu de la suivre ; et pendant qu'elle vit, il peut contracter un nouveau mariage. Mais cela, poursuit-il, ne doit s'entendre que de ceux qui se sont mariés dans l'infidélité. Que si l'un et l'autre se convertissent à la foi par la suite, ou qu'ils aient contracté leur mariage étant déjà fidèles, et qu'ensuite l'un des deux apostasiant quitte l'autre en haine de cette même foi, alors celui qui est abandonné ne doit point suivre celui qui se retire ; mais tant que celui-ci vivra il ne pourra se remarier, parce qu'il y a entre eux un mariage ratifié, *ratum*, qui ne peut se dissoudre. » C'est à peu près la même doctrine que celle de Hugues de Saint-Victor sur la dissolubilité du mariage des infidèles. On la retrouve dans tous les scolastiques qui ont suivi jusqu'à nos jours.

Parmi les décisions que notre auteur donne sur l'état des hommes après cette vie, celles-ci nous ont paru les plus remarquables (dist. 43). Tous les hommes ressusciteront dans l'état de l'homme parfait, à la mesure de l'âge plein de Jésus-Christ, c'est-à-dire à l'âge d'environ trente ans. Mais ils ne seront pas tous de la même stature, et les plus grands ne seront pas raccourcis pour être réduits à la taille de Jésus-Christ ; car il dit lui-même qu'ils ne perdront pas un cheveu de leur tête, ils ressusciteront sans aucun défaut corporel, et Dieu fera, comme dit saint Augustin (19), en rassemblant toutes les parties de leurs corps éparses dans l'univers, ce que fait un statuaire lorsqu'il veut refondre une statue informe. Après l'avoir brisée, il en jette tous les morceaux dans un moule plus régulier, où ils s'arrangent autrement qu'ils n'étaient la première fois, et prennent une nouvelle configuration. C'est la même statue quant à la substance ; elle ne diffère que pour la forme.

Les saints dans le ciel entendent les prières qu'on leur offre sur la terre (dist. 46) ; et cela n'est nullement impossible à croire, parce qu'ils connaissent dans la lumière du Verbe qui les éclaire, les choses d'ici-bas qui peuvent les réjouir, ou dans lesquelles ils peuvent nous aider. Ils intercèdent pour nous en deux manières, et par leurs mérites, qui ajoutent du prix à nos prières, et par leur affection, en désirant et demandant l'accomplissement de nos vœux, ce qu'ils ne font néanmoins qu'avec subordination à la volonté divine. Pierre Lombard pense (dist. 47) que les damnés ne souffrent pas toutes les peines qu'ils méritent à la rigueur, et que Dieu leur fait sentir quelques effets de sa miséricorde.

Tels sont les objets qui nous ont le plus frappés dans les quatre livres que nous venons de parcourir, ouvrage qui a mérité à son auteur le titre de Maître des Sentences, qui a servi de texte aux leçons des professeurs de théologie pendant plusieurs siècles, et dont les lumières de ces derniers temps n'ont pas éclipsé la célébrité. Le nombre des commentaires qui ont été faits sur ces livres serait presqu'infini à détailler. Pitseus en compte jusqu'à cent soixante composés par les seuls Anglais (20). Mais qui pourrait faire l'énumération de ceux qui ont été enfantés par les théologiens des autres nations ?

On ne s'est pas contenté d'orner de commentaires la Somme des Sentences, on a voulu même lui prêter les grâces de la versification. Les bibliothèques de Caio-Gonvelen et de Saint-Pierre de Cambridge conservent chacune un manuscrit, qui a pour titre: *Quatuor libri Sententiarum versificati* (21).

Avant que de passer aux autres productions de notre auteur, nous ne devons point dissimuler le doute que le docteur Echius, Chelidonius et Thomasius ont élevé sur le véritable père de celle dont on vient de rendre compte (22). Le premier ayant rencontré dans l'abbaye de Molk un manuscrit intitulé la *Somme de Maître Bandini*, la lut attentivement, dit-il, et s'aperçut avec surprise qu'à la réserve du style, elle ne différait presqu'en rien des *Sentences* de Pierre Lombard. « J'en fis la confrontation sur-le-champ avec un imprimé, ajoute-t-il, et il me parut que l'un des deux écrivains devait passer pour plagiaire, mais sans faire tomber mon soupçon sur l'un ni sur l'autre. Car Pierre Lombard depuis tant de siècles passe si universellement pour l'auteur de cette Somme, qu'on ne peut la lui enlever sans les raisons les plus claires et les plus fortes. Cependant le manuscrit de Bandini est ancien, et il se trouve parmi les manuscrits d'un très-ancien monastère. De plus, l'ouvrage est fait de manière qu'il paraît avoir été plus facile d'y ajouter que d'en retrancher : *Tali formula concinnatus, ut quis facilius addiderit quam detraxerit.* » Chelidonius, abbé des Bénédictins Ecossais, à Vienne, ayant eu communication de ce manuscrit, le fit imprimer en cette ville chez Jean Singrenius l'an 1519, en un volume

(19) *Enchir.*, c. 89.

(20) *Script. Angl.* p. 947.

(21) *Cat. mss. Angl.* part. III, n. 1143 et 1774.

(22) Pez, *Anecd.* t. I, Diss. isag., p. XLV, XLVII, n. 67.

in-folio avec une dédicace adressée à l'empereur Maximilien. Cet éditeur ne doute nullement que la Somme de Bandini ne soit l'original des livres des Sentences, et Thomasius, comme on l'a dit, paraît appuyer cette opinion. Mais un manuscrit du XIII[e] siècle, découvert par dom Bernard Pez (23) dans la bibliothèque de l'abbaye d'Ober-altaich, dissipe entièrement le nuage. Il porte en titre : *Abreviatio magistri Bandini de libro Sacramentorum Magistri Petri Parisiensis episcopi fideliter acta.* Ainsi ni Pierre Lombard, ni Bandini ne sont coupables de plagiat ; mais le dernier a fait, ce qui est très-permis, l'abrégé de l'ouvrage du premier.

2° Pierre Lombard est auteur d'un *Commentaire sur les Psaumes et les Cantiques*, dans lequel il emploie et amplifie la Glose interlinéaire d'Anselme de Laon. Ce Commentaire, dit Albéric de Trois-Fontaines (24), est ce que les écoles appellent aujourd'hui la Grande Glose, *et hæc est in scholis quæ dicitur Magna Glossatura*. Gerohus, prévôt des Chanoines réguliers de Reichersperg en Bavière, dans sa lettre au pape Alexandre III, sur les erreurs qui avaient cours de son temps (25), relève une proposition de cet ouvrage, où l'auteur semble avancer qu'on ne doit qu'un simple culte de dulie, et non celui d'adoration à l'humanité de Jésus-Christ. Mais la manière orthodoxe dont Pierre Lombard s'explique sur ce sujet dans sa *Somme des Sentences* (l. III, dist. 10), demande qu'on interprète cette proposition en bonne part. Ou bien il faut dire que la Glose sur le Psautier ayant été faite avant la Somme, il aura rétracté dans celle-ci ce qu'il avait hasardé témérairement à cet égard dans l'autre.

3° Il a fait sur la concorde évangélique un Commentaire dont nous ne pouvons rien dire, parce que nous ne l'avons point vu, et qu'aucun bibliographe n'en a rendu compte.

4° Nous avons de lui un autre *Commentaire sur les Epîtres de saint Paul*, tiré en grande partie des Pères, et surtout de saint Ambroise, de saint Jérôme et de saint Augustin. Cet ouvrage est clair, méthodique, et renferme, outre les pensées des Pères, de fort bonnes vues propres à l'auteur.

§ III.— *ouvrages manuscrits ou perdus.*

Les ouvrages de Pierre Lombard qui n'ont pas encore vu le jour, sont :

1° Des Gloses sur Job, dont on conserve un exemplaire parmi les manuscrits de l'abbaye de Savigni, au diocèse d'Avranches (26).

2° Des Sermons sur les Dimanches et Fêtes de l'année, qui se rencontrent dans la bibliothèque de la Cathédrale d'Erfort (27), et dans celle de l'abbaye d'Alne, ou d'Aune, au diocèse de Liége (28). On les voit aussi à la bibliothèque du Roi, dans un seul et même volume, et le Sermon de l'Eucharistie à part dans un autre (3588).

3° Deux lettres à Philippe (29), archevêque de Reims, et une à Arnoul, prévôt de l'Eglise de Metz (30). Cette dernière est une réponse à celle qu'Arnoul avait écrite à notre auteur, ces trois pièces existent, selon Fabricius, dans un même manuscrit, à la bibliothèque Pauline de Leipsick.

4° Parmi les manuscrits de l'abbaye d'Afflighem (31), on trouve *Petri Lombardi methodus practicæ theologiæ*. Ce titre annonce vraisemblablement un ouvrage différent des Sentences.

5° Léland (32) témoigne avoir eu entre les mains
A l'apologie de Pierre Lombard, composée par lui-même contre les imputations d'erreurs dont le chargeait Jean de Cornouailles qui avait été son disciple. Dans cet ouvrage, dit Léland, Pierre Lombard répond d'une manière exacte, forte et subtile aux objections de son adversaire, et le traite avec la supériorité d'un vieux soldat sur un champion qui commence d'entrer en lice. Nous ignorons ce que cet ouvrage est devenu. Mais il est certain, comme on le verra, que Jean de Cornouailles ne se tint point pour vaincu, et ne rendit pas les armes.

§ IV. — *Sa doctrine, son érudition, son génie, sa manière d'écrire.*

C'est principalement sur la *Somme des Sentences*, qu'on doit apprécier le mérite littéraire de Pierre Lombard. On a rendu compte ci-dessus de la marche de cet ouvrage et des principaux articles de la doctrine qu'il renferme. On a parlé aussi de la célébrité
B dont il a constamment joui dans les écoles. Il est à propos maintenant de retracer les contradictions qu'il a essuyées, et de marquer en détail ce qui en a été l'occasion. Sous prétexte du Nihilisme qu'on y insinue, Jean de Cornouailles, dont il a été question plus haut, entreprit, du vivant de l'auteur et après sa mort, de le faire condamner. Il adressa dans cette vue un écrit plein de fiel et d'emportement au pape Alexandre III, et se donna, pendant environ douze ans, divers mouvements pour atteindre ce but. A la fin il obtint du pontife, l'an 1170, un rescrit portant défense à tous les professeurs d'enseigner que *Jésus-Christ en tant qu'homme n'est point quelque chose*. Telle fut la reconnaissance de ce disciple pour son maître, et tel fut le succès de ses démarches. Peu après, Gautier, prieur de Saint-Victor, renouvela les mêmes attaques avec aussi peu de ménagement dans son traité *contre les quatre labyrinthes de la théologie*. Un troisième antagoniste
C de notre auteur s'éleva du fond de l'Italie, vers le même temps (33). C'était le fameux Joachim, abbé de Flore en Calabre. Il accusa le Maître des Sentences d'admettre une quaternité dans les personnes divines ; et cela pour avoir dit (*Sent.* l. I, dist. 8) que le Père, le Fils et le Saint-Esprit sont une certaine chose souveraine, *quædam summa res*, qui n'engendre point, n'est point engendrée et ne procède point. Tout absurde que fût l'accusation, il se mit en devoir de la prouver par un livre qu'il présenta au concile de Latran célébré l'an 1179. Occupée d'autres objets, l'assemblée ne jugea pas à propos de prononcer sur ce point ; mais celle qui se tint au même lieu, l'an 1215, prit hautement la défense de la proposition dénoncée, et flétrit par une censure ignominieuse le libelle du dénonciateur (34).

Plus modérés et plus équitables que ces trois rivaux de Pierre Lombard, les maîtres en théologie
D de Paris dressèrent, vers l'an 1300, une liste des articles qu'ils n'approuvaient point dans l'ouvrage des *Sentences*, et s'accordèrent à ne les point enseigner. Mais il est à remarquer, d'après M. d'Argentré, que cette liste ne fut point rédigée dans une assemblée de l'Université, que les articles qu'elle contient n'ont cessé d'être enseignés que par une convention économique, et qu'on ne connaît aucun décret, ni de cette école, ni d'aucune autre qui les ait proscrits. Ils sont au nombre de seize, dont voici les plus remarquables : 1° La charité par laquelle nous aimons Dieu et le prochain, n'est point quelque

(23) Pez, *Anecd.*, t. I. Diss. isag., p. XLV, XLVII, n° 67.
(24) Ad an. 1156, p. 328.
(25) Pez, *Anecd.* t. V, p. 535.
(26) Le Long. *Biblia Sacra*, t. II.
(27) *Cat. mss. Angl.* part. IV, p. 1645.
(28) Sand. *mss. Belg.* part. II, p. 244.
(29) Il n'y a point eu dans le XII[e] siècle d'archevêque de Reims du nom de Philippe. C'est apparemment Philippe, archidiacre de Paris.
(30) Fabr. *Bibl. med. lat.* t. V, p. 782.
(31) Sand., *ibid*, part. II, p. 147.
(32) *Script. Britan.* p. 227.
(33) D'Argentré, *Coll. jud. nov.* t. I, p. 219-220.
(34) Matth. Paris, ad an. 1179.

chose de créé, mais le Saint-Esprit même. (Saint Thomas explique néanmoins en bonne part cette proposition, en disant que (2-2, qu. 23, a. 2) « l'intention du Maître n'est pas que le mouvement par lequel nous aimons Dieu, soit le Saint-Esprit même, mais qu'il vient immédiatement du Saint-Esprit, et non par le moyen d'aucune habitude, comme les actes des autres vertus, tels que ceux de la foi et de l'espérance). » 2° Les anges croissent en mérite par rapport à la récompense essentielle, jusqu'au jugement dernier. 3° L'homme, avant le péché, jouissait de la vision intuitive de Dieu. 4° Ceux qui furent baptisés du baptême de Jean, sans y mettre leur espérance, n'étaient point tenus de recevoir celui de Jésus-Christ. 5° Les schismatiques, les hérétiques, les excommuniés et ceux qui sont dégradés, ne consacrent point le corps de Jésus-Christ. 6° Les évêques qui sont dans le même cas n'ont pas le pouvoir de conférer les ordres.

A ces seize articles, les modernes en ont ajouté dix autres, qui sont les mêmes que nous avons relevés dans l'analyse des Sentences. Voilà pour les méprises positives de notre auteur.

On lui reproche (35), outre cela, des omissions importantes, comme sur l'Ecriture sainte, l'Eglise, la primauté du pape, les conciles : toutes matières qu'il ne touche point; des allégories forcées qu'il rapporte quelquefois en preuve de ses assertions; enfin un défaut de critique qui lui a fait adopter des pièces supposées, telles que les fausses Décrétales.

Malgré ces taches, Pierre Lombard, ainsi qu'on l'a dit, a toujours été regardé, et ne cessera de l'être, comme le chef et le modèle de l'école. Il mérite effectivement ce double titre, soit par l'excellence de sa méthode, la meilleure, pour ne pas dire la seule, à laquelle on puisse s'attacher, soit par la justesse et la sagacité de son esprit, qui se manifestent dans presque toutes ses décisions; soit par l'étendue et le choix de son érudition, dont on voit des traits frappants dans ce nombre prodigieux de passages de l'Ecriture et des Pères, qu'il emploie pour l'ordinaire avec goût et discernement dans ses livres; soit enfin par la netteté de son style, qui, à quelques endroits près, est le mieux assorti au genre des matières qu'il traite. Pourquoi donc ce guide si respectable et si respecté a-t-il toujours été si peu suivi? Pourquoi ce Maître par excellence n'a-t-il presque fait aucun disciple? Chose étonnante! L'Ecole, tout occupée à feuilleter, expliquer, commenter, analyser la Somme des Sentences, en a généralement abandonné la méthode et le plan. Cet ouvrage, fait pour bannir de la théologie toutes les questions inutiles et souvent dangereuses, pour marquer les bornes où l'esprit humain doit se renfermer dans l'étude de cette science divine, pour faire connaître les sources essentielles dans lesquelles il faut la puiser; cet ouvrage, dis-je, si bien entendu au jugement de ses interprètes, a néanmoins eu des suites entièrement contraires à sa destination. Jamais, en effet, la licence des opinions ne fut plus grande que depuis qu'il eut paru. Jamais les scolastiques n'étudièrent avec plus d'ardeur la philosophie païenne, et n'en firent un plus grand usage dans les matières de religion, que depuis que Pierre Lombard leur en eut montré le danger. Jamais l'étude des Pères ne fut plus négligée, que depuis qu'il en eut prouvé la nécessité par ses principes et fait sentir l'utilité par son exemple. Oserons-nous le dire? C'est le degré de perfection où notre auteur semblait avoir porté son travail, qui a fait abandonner la route qu'il avait tracée. Dans ces temps dénués de critique on s'imagina qu'il avait épuisé toute la doctrine de l'antiquité dans ses livres, et par là on se crut dispensé de recourir aux originaux. La paresse entretenait ce préjugé, la fureur de disputer le fortifiait. Car que faire dans une école nombreuse, comment s'y exercer et s'y distinguer sans le secours de la dispute?

Ce fut dans le même temps et par les mêmes causes que l'on vit dégénérer l'étude du droit canonique. Gratien, contemporain de notre auteur, fit sous le titre de décret, une compilation des lois ecclésiastiques, qui eut le même succès et produisit les mêmes effets que la Somme des Sentences. Dès lors on cessa de lire les conciles et les anciennes Décrétales. Ce nouveau Décret tint lieu de code universel et devint le texte d'un nombre infini de volumineux commentaires, où l'on ne s'occupait qu'à imaginer de nouveaux cas, à obscurcir ceux que l'antiquité avait décidés, et à faire d'une science pacifique par son institution, une source intarissable de chicanes. Ainsi, deux ouvrages qui avaient pour objet le rétablissement des bonnes études, ont été l'occasion et l'époque de leur dépérissement.

§ V. — *Editions de ses œuvres.*

Une de nos obligations étant de faire connaître les éditions des ouvrages de nos auteurs, nous avouons qu'il ne nous est pas possible d'y satisfaire pleinement à l'égard des Sentences de Pierre Lombard. Comme elles ont été pendant plusieurs siècles, ainsi qu'on l'a dit, et presque jusqu'aux derniers temps, le texte unique sur lequel les leçons de théologie roulaient, il a fallu les reproduire dans tous les pays un nombre de fois qu'il n'est pas facile d'imaginer. Nous prions donc nos lecteurs de se contenter des éditions ou réimpressions qui sont venues à notre connaissance après de soigneuses recherches. Nous allons les ranger sous les noms de lieux où elles ont été faites, en observant de nommer les garants de celles que nous n'avons pas vues par nous-mêmes.

A Venise, trois éditions *in-folio*, savoir, en 1477 chez Vandelin Spire, en 1480 avec l'explication de Nicolas *de Orbellis* et les conclusions de Henri Gorichem, en 1514 chez Grégoire *de Gregoriis*. Une édition *in*-4° de 1507 ; deux éditions *in*-8°, la première de l'an 1563 chez François Laurent, la seconde de l'an 1584 chez Marc-Antoine Zalterio.

A Basle, huit éditions *in-folio*, dont les six premières sorties des presses de Nicolas Keslers, sont des années 1486, 1487, 1492, 1498, 1502, 1510; la septième de 1513, est accompagnée des Commentaires de Gilles de Rome, et des additions de Henri *de Vrimaria*; la huitième fut donnée en 1516 chez Pierre de Legendorff, par les soins de Daniel Agricola, Franciscain,

A Genève, le premier livre des Sentences fut publié l'an 1580 chez Eustache Vignon, *in*-8°, avec le Commentaire de Lambert Danæus et des Prolégomènes, où l'on tâche de montrer l'origine et les progrès de la théologie scolastique. Cette édition a été mise, comme elle le méritait, à l'index.

A Louvain, une belle édition *in-folio*, sur les corrections de Jean Aleaume, chez Barthélemi Gravius, l'an 1546, au même lieu et chez le même imprimeur sept éditions *in*-4°, savoir, en 1546, 1552, 1556, 1557, 1567, 1568, 1574,

A Mayence, Herman Maresius imprima les Sentences pour Herman Masius, *in*-8°, l'an 1632.

A Cologne, quatre éditions *in*-8°, la première en 1509, la seconde en 1566, chez la veuve Jean Birkman, sur les corrections d'Antoine Democharès, la troisième chez la même en 1576, la quatrième en 1604.

A Paris, trois éditions *in-folio*; la première de 1535, chez les héritiers de Josse Bade Ascencius;

(35) Fleury, *Hist. eccl.* l. VII, n. 34.

la deuxième de 1546, chez Jérôme et la veuve Denyse de Marnef ; la troisième en 1564, chez Sébastien Nivelle. Sept éditions *in*-4°, savoir, en 1516, par Louis Tiletan, pour Jean de Roigny en 1537 par le même ; en 1538 par Nicolas Buffet, pour Jean Petit et Jean Macé ; en 1539 chez Chevallon en 1542 chez Nicolas de Guinguant, sur les corrections du docteur Jean Aleaume, la même année chez Jean Foucher, en 1550 chez la veuve Maurice de la Porte. Vingt-une éditions *in*- 8° données en 1514, chez François Regnault et Geofroi de Marnef, en 1517 chez Jean Petit et François Regnault, en 1528 chez. . en 1536 chez Jean Petit les corrections de Démocharès ; en 1541, chez Poncet le Preux, en 1542, chez la veuve François Regnault, en 1543 chez Oudin Petit, en 1548 chez la veuve Charlotte Guillard, la même année chez Mathurin Dupuys, en 1550 chez Jean Macé, la même année chez Jean de Roigny ; en 1553 chez Mathurin Dupuys, en 1557 chez Gilles Corbin, la même année chez Oudin Petit; en 1558 chez Jérome de Marnef, en 1560 chez Gabriel Buon et Maurice Mennier, en 1563 chez la veuve Maurice de la Porte, en 1564 par Maurice Meunier pour Jean Macé, en 1565, sur les corrections de Jean Bauge, chez. . . en 1573, et 1574, 1575 chez Jean-Jacques Dupuys. Outre cela Claude de Lépine, Dominicain, donna un abrégé des Sentences en 1551 *in*-8° chez Jean Foucher. Un autre abrégé du même ouvrage parut *in*-16 l'an 1554 ; deux éditions *in* 12, chacune en deux volumes ; l'une chez Jean Petit, sans date, l'autre chez Denys Rou en 1508.

A Lyon, David la Mouche pour Vincent Portonaire, imprima deux fois les Sentences dans la forme *in*- 4°, savoir, l'an 1525 et l'an 1528. Quatre éditions ou réimpressions en furent faites *in*-8° dans la même ville ; la première en 1581 chez Antoine Tardif, la seconde en 1593 chez Pierre Landry, par les soins de Pierre Wiart ; la troisième chez le même en 1594 ; la quatrième en 1618 par Jean Royaux, pour Claude Landry.

A Rouen, Antoine Ferrand et Jean Behours reproduisirent en 1651, dans un volume *in*-4°, l'édition des Sentences données par le docteur Jean Aleaume.

A ces éditions il faut en joindre une sans nom de lieu, ni d'imprimeur, qui fut faite en 1499, par les soins de Jean Pyvard.

Les autres écrits de notre auteur n'ont pas à beaucoup près fait gémir autant de fois la presse.

On ne compte que trois éditions de son Commentaire sur les psaumes, toutes trois données à Paris dans le format *in-folio* ; la première en 1533 avec le Commentaire d'Haimon ; la deuxième en 1537 chez Chevalon, sous la direction de Richard du Mans, Franciscain ; la troisième en 1541 par Louis Tilletan, pour Poncet le Preux.

Lipen annonce deux éditions du Commentaire sur la concorde, l'une de l'an 1483, l'autre de 1561.

Nous connaissons huit éditions faites à Paris du Commentaire sur saint Paul ; la première de 1535 *in-folio* chez les héritiers de Josse Bade Ascensius ; la seconde de 1537, même format, chez Claude Chevalon ; la troisième de la même année, *in*-8° comme les suivantes, chez Jean Petit ; la quatrième de 1538 chez le même, la cinquième de 1541 chez . . la sixième de 1543 chez Poncet le Preux ; la septième de la même année chez Jean Foucher, la huitième de 1555 chez. . .

NOTITIA EX FABRICIO

(*Bibliotheca mediæ et infimæ latin.*, t. V, p. 262.)

Petrus Lombardus (36), ex oppido Novariæ vicino, quod *lumen omnium* dictum Jovius aliique testantur ; præses scholæ theologicæ sive Scholasticus Paris, atque inde ex canonico Carnotensi episcopus ab a. 1159 Pariensis, defunctus anno 1164, 20 Jul. De eo Vincentius Bellovac. Speculi hist. XXIX, I ; Antoninus Florentinus Summæ hist. riar. tit. 18, cap. 6 et 7, ac præter Labbeum, Caveum aliosque, et Hottingerum parte III Hist. eccles., pag. 72 seq. Sammarthani tom. I, pag. 435. Lazarus Augustinus Cotta in Museo Novariensi, etc.

Nihil celebrius est Lombardi *IV libris Sententiarum :* inde ipse etiam inter scholasticos doctores cognomine *Magistri Sententiarum* est notissimus. Continent hi libri summam theologiæ ex Patrum selectam scriptis, et methodo scholastica digestam, ita ut libro primo per distinctiones XLVIII doctrina Deo uno et trino exponatur ; libro secundo capita de creatione, angelis et homine lapso, per distinctiones XLVI ; libro tertio de incarnatione Verbi et de charitate Dei ac proximi, per distinctiones XL ; libro quarto de Sacramentis (37) et de quatuor novissimis per distinctiones quinquaginta. Non est incredibile Lombardum sicut ex aliis, ita profecisse etiam ex Joannis Damasceni (38) libris de orthodoxa fide, recens tum e Græco versis, nec non e libris præceptoris sui Petri Abælardi (39), aut si velis etiam ex magistri Bandini (40) Summa theologica sive Sententiarum theologicar. libris IV, editis deinde Viennæ 1519 ; tamen plagii ideo neutiquam arguendus mihi videtur, præcipue cum de Bandino non sit adeo exploratum num ante Lombardum scripserit, sed epitomen potius quamdam Sententiarum Lombardi referre potest videri : quanquam non eum putemus eumdem cum Bandino juniore, de quo supra tom. I, pag. 169, et quæ audacior conjectura Oudini est tom II, pag. 1222.

Nec numerum inire editionum, nec commentariorum hujus operis, qui sunt innumerabiles, notitiam distinctam dare licet : cum enim per plura sæcula regnum in scholis (41) obstinuerit, Scotistis non minus quam Thomistis probatum,

(36) Eodem tempore fuit Lombardus quidam, familiaris S. Thomæ, et Romanæ ecclesiæ diaconus, cujus epistola ad Alexandrum III. Vide Pagium ad an. 1167, num. 22.

(37) Hoc est *magnum de sacramentis* volumen de quo appendix ad Henricum Gandavensen, cap. 11.

(38) Adam Tribechovius *De doctoribus scholasticis*, pag. 285.

(39) Jac. Thomasius *De doctoribus scholasticis*, § 9.

(40) Id. *De plagio litterario*, § 493 seq.

(41) Erasmus in Matthæi I, 19 : *Haud aspernandus theologus Petrus Longobardus*, ῥαψῳδία : *ejus operis quod vocant* Sententiarum, *quem arbitror quidem et probum fuisse virum, et ut illa ferebat ætas eruditum. Atque utinam illius labor tam feliciter cessisset orbi Christiano, quam ab illo susceptus est pio studio ! Siquidem apparet illum hoc egisse, ut semel collectis quæ ad rem pertinebant, quæstiones omnes excluderet. Sed ea res in diversum exiit. Videmus enim ex eo opere nunquam finiendarum quæstionum non examina, sed maria prorupisse.*

non mirum est tot editores, tot interpretes habuisse, quorum centurias vel hæc Bibliotheca offert, in indice notandas, ut illis recensendis facile aliquis etiam diligens fatigari possit. Editiones vetustiores celebrari video Norimb. 1474, 1478, 1499, fol.

Venet. 1477, 1480, fol., et 1507, 4, cum interpretatione Nicolai de Orbellis et cum conclusionibus Henrici Gorichem et Thomæ problematibus, Basil. 1486, 1492, 1498, 1502, 1513, fol., additis erroribus quibusdam Parisiis anno 1277 condemnatis, et *Articulis* (42) *in quibus magister communiter in Sententiis non tenetur*. Hi XXVI sunt, cum in Antonini Florentini Summa theologica parte IV tit. 11, cap. 8, tantum rejiciantur XIV.

Paris, 1528, 8 ; 1536, 8.

Per Joannem Aleaume Lovan. 1546, fol. ; Paris, 1550, 4 ; 1564, 8 ; Lovan. 1546, 1568, 4.

Venet. 1570, 8, a Barthol. Gravio et aliis viris doctis recogniti.

Colon. 1566, 1576, 8, ex recognitione Antonii Monchiaceni, Democharis, Ressonnæi, doctoris Sorbonici, Lugd. 1594, 8 ; 1618, 8.

Cum brevi expositione litteræ, et quæstionibus quæ circa ipsam moveri possunt, per Joannem Martinez de Ripalda, S. J. Lugd. 1636, 8.

Liber primus cum commentario Lamberti Danæi triplici. Genev. 1580, 8, etc.

Commentarii *in Psalterium* sive Glossa Magistralis (Major Glossatura) ex selectis et orthodoxis auctoribus. Norimb. 1478, fol. ; Basil. 1486, et recogniti per F. Richardum Cenomannum, Franciscanum, Paris, 1541, fol. Franciscus Pithœus Pithœanis pag. 20 : *Je vous prie de m'acheter* Petrus Lombardus in Psalmos ; *c'est un très-bon livre. Tout ce qu'a fait Lombard est excellent. Il était fort homme de bien*, etc.

Glossas *in Jobum*, adhuc ineditas ex biblioth. Savinianensi laudat Jacobus Le Long pag. 901 Biblioth. Biblicæ exegeticæ.

Collectanea *in omnes Epistolas Pauli* ex SS. Patribus, Ambrosio, Hieronymo, Augustino aliisque ; Paris, 1535, f., et 1537, fol. 1541, 1543, 1555, 8. Vide Rich. Simonis Historiam criticam Novi Test., III, 33.

Sermones de diversis solemnitatibus ab eo scriptos memorat Henricus Gandavensis cap. 31, nondum, ut puto, editos.

In Biblioth. Paulina Lipsiensi manuscripta, teste Fellero, pag. 182. *Epistola Arnoldi Metensis Ecclesiæ præpositi ad Petrum Lombardum, et Lombardi epistolæ duæ ad Philippum archiepiscopum Remensem.* [Diu est ex quo suspicio in hunc scriptorem creata est de expilato opere magistri Bandini inscripto *Summa theologica*, in quo de sacramentis ita eodemque ordine disseritur, quo et in quarto libro suo Lombardus. Uter igitur ex altero acceperit, ambigendi jure meritoque dabatur locus, donec tandem contra Bandinum litem absolvit P. Pezius in Dissertatione isagogica in priorem tomum Anecdotor., pag. XLV ; reperisse enim se ait in monasterio quondam Bavariæ codicem sæculo XIII scriptum hunc operis Bandiniani titulum præferentem : *Abbreviatio magistri Bandini de libro Sacramentorum Magistri Petri Parisiensis*. MANSI.]

(42) Joannes Launoius de varia Aristotelis fortuna, pag. 71 : *Ad Petrum autem Lombardum quod attinet, illius sententiæ ventilatæ sunt in concilio Romano (a.* 1179*) quod* Alexander III *habuit : qui et de certis quibusdam Lombardi propositionibus ad Guillelmum Senonemsem archiepiscopum et Legatum rescripsit (obvium in tomis conciliorum, ad a.* 1170*). Hæc altercatio ad plures annos duravit. Tunc Joachimus abbas Florensis cœnobii, in Lombardum, ejusque* Sententias *paulo atrocius invasit, sed Innocentius III impetum tandem repressit in Lateranensi concilio, cui anno* 1215 *præfuit. Ut ut sit, Galtherus prior et Joachimus abbas, vel alii certe, id demum consecuti sunt, ut ex* Sententiis *Lombardi postea fieret indiculus nonnullarum, quæ minime docerentur. Hæ ad calcem Sententiarum designantur hoc modo : « Articuli, in quibus Magister Sententiarum communiter non tenetur. »* Confer quæ de concilio Turonensi a. 1163, et Parisiensi a. 1178 Edmund. Martene tom. V Anecdotor., pag. 1655, 1657, et novæ Collectionis tom. II, pag. 844, et tom. I Anecdotor., pag. 517 ; in *Joanne Cornubiensi* tom. IV, pag. 67, seq. ; in *Joachimo*, pag. 41 ; *Gualtero*, priore S. Victoris Paris, tom. III, pag. 118 ; Oudinum tom. II, p. 1223 seq., etc.

PETRI LOMBARDI

PARISIENSIS QUONDAM EPISCOPI

SENTENTIARUM MAGISTRI

IN TOTUM PSALTERIUM

COMMENTARII

Ex selectis et orthodoxis auctoribus more suo consarcinati, eoque felici rapsodia, justa ac nova diligentia contexti, per fratrem Richardum Cenomanum, doctorem theologum Franciscani instituti haud vulgariter recogniti, indicatis suo loco auctorum nominibus, nunc primum in lucem prodeunt. Intertexta est per eumdem ecclesiasticæ editionis vindicatio citra Hebraismi præjudicium, et diversarum translationum collatio vice apologiæ, ubicunque lectio vulgata ab Hebraica veritate aut alias variare videbatur.

(Ex editione Parisiis anno 1541 data apud Poncetum Lepreux, sub Lupo, typis Joannis Lodoici Tiletani, in-folio minori cum privilegio regis et senatus.)

AD REVERENDISSIMUM PATREM

UNIVERSI ORDINIS FRATRUM MINORUM GENERALEM MINISTRUM

VINCENTIUM LUMELLUM

MULTIJUGÆ ERUDITIONIS VIRUM

FRATRIS RICHARDI, CENOMANI,

Doctoris theologi ac Minorum infimi,

EPISTOLA NUNCUPATORIA.

Laus divina, observantissime Pater, omnium calculis τὰ πρωτεῖα *tenere debet, a qua Christianæ religionis unus cardo pendet. Nec ullus labor prodesse potest, quin potius maxime noxius dignoscitur esse quo laudare Deum Opt. Max. in dies magis pro nostra illa infirmitate non perdiscimus. Hæc est nempe angelorum* ἀμβροσία, *divorum consummata felicitas. « Beati, ait, qui habitant in domo tua, in sæcula sæculorum laudabunt te (Psalm.* LXXXIII*). » Quid interim potest in hac lacrymarum valle, in hoc deploratissimo exsilio, nos alioqui homunciones, terræ defluxæ affixos, propius transformare in illum cælestem habitum, quam Creatorem nostrum. Redemptorem nostrum,* מראה וברעדה *jubilis et canticis spiritualibus celebrare, prædicare, exaltare : unde homines efficiuntur dii et filii Excelsi omnes ? Ac, ut inquit Basilius,* εἰς ὕψος ἡμῶν ἀνάγων Θεὸς τὰ φρονήματα, οὐκ ἀφῆκεν ἐῤῥιμμένα χαμαὶ καὶ τοῦ πατεῖσθαι ἄξια, ἵν' ἀεὶ πρὸς τὸ ἄνω τὴν ὁρμὴν ἔχοντες, ταῖς κορυφαῖς τῶν ὑψηλοτάτων ἑαυτοὺς παρισάζωμεν. *Nec tamen meæ est temeritatis rem per se incomprehensam verbis humanis, et iis quidem nostris futilibus velle assequi vel ad minimum, si tamen laudibus divinis quidquam parvum dici possit ; sed quod argumentum suscepti negotii, ex tua obedientia toties mihi injuncti, ad idipsum meam balbutiem sua rationem adigeret. Cum etiam Dei bonitas tanta sit, ut exaudire dignetur, quod infantia nostra de ejus majestate* σολοίκῳ *et sordido sermone, non sordida mente resonare parturit. Congruebat nimirum ut qui psalmos Davidicos, universam Scripturæ vim per jucundissimum laudis thema complectentes, pertractare Dei munere desudat, dicendi materiam inde utcunque desumere ordinetur. Nam, juxta Basilium,* ἡ τῶν ψαλμῶν βίβλος τὸ ἐκ πάντων ὠφέλιμον περιείληφε, καὶ κοινὸν ταμιεῖόν ἐστιν ἀγαθῶν διδαγμάτων, τῷ ἑκάστῳ κατὰ τὴν ἐπιμέλειαν ἐξευρίσκουσα. *Porro dum ante hoc triennium Victorinæ Bibliothecæ thesaurum frequenti manu volveremus occurrit, psalterium nostri lyrici David, commentariis excellentis viri Magistri Sententiarum nobili supellectile ditatis illustratum : suis quidem et non suis, suis ex appositissima, compendiosa et singulari quadam doctorum Catholicorum* γνωμολογίᾳ *; non suis autem, quod ex aliorum scriptis operoso artificio haud segniter excerpserit. Quos ubi fratres illius cænobii, ut sunt religiosissimi, et*

ad litteras propagandas propensissimi, mihi haud gravatim communicaverunt, cœpimus eorum commentariorum uberrimos fructus degustare. Sed et ante nos complures viri graves, qui in bibliothecis quibusdam communibus similia exemplaria deprehenderant, hujusmodi opus variis floribus concinna coacervatione consertum senserant decantatissimum. Ob id instabatur æstuantibus desideriis, ut prælo committeretur, atque omnium fore commodo non vulgari si in publicum divulgaretur, præsertim cum nihil in ore fidelium frequentius versetur, aut accommodatius ad Dei cultum promovendum ejusque indicibilem gloriam hymnis canoris depromendam inveniatur, quam psalmorum ineffabilis jubilus. Nam in idipsum omnis terra invitatur per divinum Psaltem : « Omnis terra adoret te, et psallat tibi (Psal. LXV). » Quod ubi, juxta Apostolum, psallitur, spiritu, psallitur et mente (I Cor. XIV). Quis posset verbis explicare quanto reficitur gaudio internus ipse homo, adeo ut nemo sciat nisi qui accipit. In promptu est quod scribitur (I Reg. XVI), de Saul rege, a spiritu nequam exagitato, qui Davide citharam manu percutiente levius ferebat, et κακοδαίμων ab ejus duriori infestatione recedebat. Linguam omnem, omne ingenium superat psalmorum virtus ἐν ταῦθα γὰρ ἔνι θεολογία τελεία. Multo magis tamen præstat experiri cum timore Dei quam solo sermone personare.

Verum ut eo regrediamur, unde digressi sumus, tandem persuasi sumus ut opus ipsum tam dives typis excuderetur, subnotatis nostra quali vigilantia doctoribus quos in quamdam ferraginem concitaverat. Qui effectum est ut quod cæteri sparsim in psalmos commentati fuerant, ipse collectim quodam laconismo complecteretur. Et hæc est dignitas hujusmodi commentariorum. Quia vero non satis liquebat quæ loca et quam suis responderent auctoribus, eo quod tumultuarie subinde signabantur, necessum fuit singulos quos adducebat percurrere, quasi syllabatim, ut amplius nostra præfatio demonstrabit, quanquam τεκμήρια πρὸς τὸ ἀκριβὲς non fuerunt observata ut desideraveram. Cæterum videbamus editionem ecclesiasticam, quam dicunt Vulgatam, ferme in spretum posse venire : quod et factum esse propemodum comperimus, quasi alienus sit David à nobis, et à canticis hactenus apud Christianos celebratis, ob tot invectas translationes novas, ut jam posset quispiam existimare germanam illam psalmorum lectionem esse adulteratam, in communi ecclesiarum ac monasteriorum psalmodia, quæ diu noctuque Deo Domino potentissime persolvitur, etiamsi non sum nescius quantum lucis afferat diversarum translationum collatio. Id quod testatur divus Augustinus secundo De doctrina Christiana, capite decimo quarto : « Plurimum, ait, juvat interpretum numerositas collatis codicibus inspecta atque discussa : tantum absit falsitas ! » Nec absonum tamen videbatur tutari sacrosanctum Ecclesiæ usum, quantum tenuitas nostra patiebatur, si isti eo animo suis novitatibus onerarint pagellas, ut traductio Vulgata, et qua utitur universus Ecclesiæ ordo in pessum abiret. Quod sicut non esset candidi pectoris ea ratione edidisse sua, sic nec nos de ipsis quidquam sinistri pronuntiare voluimus, licet sit perspicuum eorum aliquos non satis probe audire. Igitur singulo cuique versui collationem subnexuimus, si quid forte variabat, qua Dei gratia annitimur nostram lectionem conciliare ad veritatem Hebraicam, quemadmodum olim usi sunt interpretes : quod facile persuadetur iis qui minus corrupto sunt judicio, et ritui ecclesiastico Christiano affectu favent. Ubi vero perpusillum referebat inter lectionem nostrum et alias, pertranseundum fuit. At diutius haud immerito fluctuabamus si tam arduum opus aggrederemur, perpendentes nostræ infirmitatis exiguitatem, tum quod facillimum fuerit בזרה רשון רשוג etiam summe exercitatis ; tum quod nec illam linguarum peritiam mihi arrogem, ut valeam de cæteris vel tantillum judicare. Quia tamen scopus noster quem totum prospectabamus est immobilis, nempe ecclesiasticæ consuetudinis firmissimum robur, quo etiam interdum Apostolus sua dicta non veritus est confirmare : Nos, inquit, talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei (I Cor. XI), ausum dedit minus temerarium, ut naviculam sine contentione pelago committeremus, et crederemus dicenti : « Signa eos qui in me crediderint, hæc sequentur : Linguis loquentur novis, serpentes tollent; et si quid mortiferum biberint, non nocebit eis (Marc. XVI). »

Nec dubito eos qui totos dies expendunt in litterarum Hebraicarum שגיון minori negotio et majori laude negotium istud potuisse promovere. Tantum abest ut quisquis eorum editionem Latinis auribus tot retro sæculis religiose inculcatam atque receptam præcipitanter damnasset. Neque velim ut quispiam calumniator ex ore meo statim rapiat, quasi Ecclesia per se alioqui tuta me defensore indigeat. Sed meminerit receptos etiam fuisse qui vel pilos caprarum in tabernaculo Domini conficiendo offerrent. Verum enimvero nondum animo ob firmatum erat id muneris suscipere, donec reverendissima paternitas tua obedientiæ jugum et meritum addiderit, quod detrectare non erat utique liberum. Sed si quid audaculæ temeritatis in humana φιλαυτία latitaverit, obedientiæ tenor simul et mandatum excusabit. Et ita excusabit, ut nolim tamen lapsus meos pertinaciter defendere aut aliquo fuco prætexere, quin potius velim ingenue confiteri meæ ignorationis culpam, ubi deprehensa fuerit, paratus recantare, si quid absonum vel imperitia, vel incogitantia scripsero. Quid enim dictandum venit, quo non sit Ecclesiæ judicio, et doctorum examini ex omni submissione et modestia reliquendum ? Quare primam feturam in alienis laboribus nostro marte utcunque partam tuæ religiosissimæ paternitati debeo, quandoquidem absque jussu tuo, et eo multoties repetito in medium prodire nimis formidabile mihi fuisse. Et quidquid illud est obedientia tua perfecit, cui opera nostra dicare omnia, consultissimum. Accessit congruentia sane compositissima, ut cujus functio generalis ab unico laudis divinæ ac pietatis statu pendet, ipsi illi laudum lucubrationes consecrarentur. Quid enim jam pene ipsum orbem Christianum cursu apostolico peragraveris inexhausti sudoribus ? quid tam operose perquiris, nisi ut collaudetur Deus Opt. Max. non solum apud fratres Franciscanos, quorum universum ministerium officiose exerces, sed apud omne genus hominum Dei honorem multo cum fenore promoveas per Spiritus sancti præsentissimam gratiam quæ tibi reddidit summum pontificem et majores Christianæ fidei principes, quantum religioni orthodoxæ propensi sunt, favorabiles, apud quos tam bene audis quam vellem hoc ingenioli nostri monimentum qualecunque semper æquum lectorem sortiri. Exeat igitur sub tuis auspiciis tutum, quod tam facile tibi erit a dentibus theoninis atque calumniosis asserere quam copiosa et quam varia est tuæ eruditionis ubertas.

Parisiis, anno Christianæ salutis quadragesimo supra sesquimillesimum.

PROLOGUS IN MAGISTRUM

SIVE

COLLATIO DIVERSARUM TRANSLATIONUM

PSALTERII

Et apologia ecclesiasticæ lectionis in versibus quos putant ab Hebraici fontis veritate variare,

PER FRATREM RICHARDUM

CENOMANUM

DOCTOREM THEOLOGUM, ORDINIS MINORUM.

Quanquam ignorata vocabulorum, quin et syllabarum ratione, non possit rerum ulla haberi intelligentia, quia tamen sola hujusmodi pertractatio quasi jejuna foret, consentaneum fuit nostras adnotationes inserere commentariis Petri Longobardi, Parisiensis quondam episcopi, Magistri sententiarum optimo jure nuncupati, nunc primum in lucem editis. Proinde nihil exspectet lector in hisce scholiis nisi quod promittit titulus. Primum enim stomachum suum pascat doctis psalmi enarrationibus; deinde, si de Vulgatæ editionis fidelitate hæsitet, aut juvet varias traductiones nuper natas conferre, fortasse inveniet quod quærit : nec lectionis pœnitebit, modo æquum præstet affectum, et minime contentiosum.

Quoniam intra limen sui procemii, Magister paucula tangit de numero librorum in psalmis, et eorum auctoribus, non absonum fuerit rem disputationemque altius repetere : simul et nonnulla præfari convenit, quæ necessaria judicantur ad stabiliendum suscepti negotii propositum, ne, quod aiunt, illotis pedibus lucubrationis nostræ qualemcunque procursum aggrediamur. Imprimis libri psalmorum, an plures sint, videtur D. Hieronymus varius et non sibi constare, si quis oscitabunde legat : nam quod adducit Magister in suo prologo, habet divus Hieronymus tomo tertio, in quadam epistola ad Marcellam, cujus verba subteximus. Amen, Septuaginta γενοιτο, id est *fiat*. Unde et in fine librorum (in quinque siquidem volumina Psalterium apud Hebræos divisum est) *fiat*, *fiat*, transtulerunt, quod in Hebraico legitur *amen*, *amen*, quo scilicet ea vere dicta quæ sunt supra, confirmentur. Hæc ille.

Ejusdem sententiæ potest colligi fuisse, cum ad Marcellam de exitu Leæ tomo primo sic scribit : « Cum hora ferme tertia hodiernæ diei, septuagesimum secundum psalmum, id est tertii libri principium, legere cœpissemus, et docere cogeremur tituli ipsius partem, ad finem secundi libri principium tertii libri pertinere, » etc. Ex quibus apparet D. Hieronymum sentire Psalterium in libros distinctum. At contrariam opinionem sequitur, ad Sophronium tomo tertio scribens : « Scio quosdam putare Psalterium in quinque libros esse divisum, ut ubicunque apud Septuaginta interpretes scriptum A est, γὲνοιτο, γένοιτο, id est *fiat*, *fiat*, finis librorum sit, pro quo in Hebræo legitur *amen*, *amen*. Nos autem Hebræorum auctoritatem secuti, et maxime apostolorum, qui semper in Novo Testamento Psalmorum librum nominant, unum asserimus Psalmorum volumen. » Et rursus paulo post : » Si enim *amen*, pro quo Aquila transtulit πεπισομενως, in fine tantummodo librorum poneretur, en non interdum aut in exordio, aut in calce sermonis sive sententiæ, nunquam Salvator in Evangelio loqueretur : *Amen, amen dico vobis* : nec Pauli Epistolæ in medio illud continerent. Moyses quoque et Jeremias, et cæteri, in hunc modum haberent libros, qui in mediis voluminibus suis *amen* frequenter interserunt. Sed et numerus viginti duorum librorum Hebraicorum et mysterium ejusdem numeri commutabitur. Nam et titulus ipse Hebraicus ספר חהלים SEPHER TEHILLIM, quod interpretatur *volumen hymnorum* apostolicæ auctoritati congruens, non plures libros, sed unum B volumen ostendit. » Hæc Hieronymus. Sed num ista videntur tibi contradictionem sonare? quandoquidem priori loco dixit : « in quinque siquidem volumina Psalterium apud Hebræos divisum est; » et nunc dicit, « nos Hebræorum auctoritatem secuti, unum asserimus Psalmorum volumen. »

Verum quoquomodo intelligat, et a se non dissentiat divus Hieronymus, perpendes ex psalmi octuagesimi noni explanatione, ad Cyprianum, tomo tertio, ubi sic disserit : « Aiunt Hebræi uno psalmorum volumine quinque libros contineri, a primo usque quadragesimum, et a quadragesimo primo usque ad septuagesimum primum, et a septuagesimo secundo usque ad octuagesimum octavum, et ab octuagesimo nono (qui quarti libri initium est, et quem nunc disserimus), ad centesimum quintum : in quorum omnium fine duplex *amen* positum est, quod Septuaginta transtulerunt, *fiat*, *fiat*, et a centesimo sexto, usque ad finem, instar duodecim pro- C phetarum, qui et ipsi cum proprios libros ediderint, unius voluminis nomine continentur. » Et amplius in præfatione in libros Regum : « Secundus a David, quem quinque incisionibus et uno psalmorum volumine comprehendunt. » Vides itaque quod sicut duodecim prophetæ in unum, sic et quinque psal-

morum incisiones in unum copulantur volumen.

Disceptatio de auctoribus Psalmorum.

Grandis concertatio est inter eruditos, de auctoribus Psalmorum. Sed disputationis gratia, duo dicam, nullius judicio prædicans : prius, licet divus Hieronymus videatur magis declinare ad eam opinionem quæ dicit plures esse psalmorum auctores, interdum tamen diversam sequitur sententiam ; secundo, si quis oculatius introspiciat dicta Hieronymi et Augustini, forsan inveniet convenire inter eos de hac controversia. Igitur quod videatur Hieronymus sentire non omnes psalmos esse David, ostenditur ex tomo tertio in epistola ad Cyprianum. « Sciamus quoque, errare eos qui omnes psalmos David arbitrantur, et non eorum quorum nominibus inscribuntur. » Rursus eodem tomo ad Sophronium : « Psalmos omnes eorum testamur auctorum qui ponuntur in titulis, David scilicet, Asaph et Idithun filiorum Core, Heman Ezrahitæ, Moysi et Salomonis, et reliquorum quos Esdras primo volumine comprehendit. » Item ad Cyprianum : « Quod autem in plerisque codicibus nonagesimus octavus habet tit. Psal. David, in Hebraico non habetur, hanc habente Scriptura consuetudinem, ut omnes psalmi, qui cujus sint titulum non habent, his deputentur, quorum in prioribus psalmis nomina continentur. » Denique in proœmio in Malachiam : « In psalmis diximus qui titulos non habent eorum esse credendos, quorum priores psalmi nominibus prænotati sunt. » Hæc Hieronymus. Nec valet evasio, qua diceres Hieronymum non loqui juxta sensum proprium, sed juxta opinionem præceptoris sui in Hebræis Bar-Hanina vel aliorum. Nam interpretatus locum Matthæi decimo tertio : *Ut impleretur quod dictum est per prophetam dicentem : Aperiam in parabolis os meum*, etc., « legi, inquit, in nonnullis codicibus per Isaiam prophetam, quod quidem quia minime inveniebatur in Isaia, arbitror a prudentibus viris esse sublatum ; sed mihi videtur in principio ita editum, quod scriptum est per prophetam Asaph, dicentem ; septuagesimus enim septimus psalmus de quo sumptum est testimonium, Asaph prophetæ tit. inscribitur. » Hæc Hieronymus. Quando dicit : « Mihi videtur », propriam sententiam satis insinuat. Quod autem nonnunquam loquatur secundum diversam opinionem, probemus tom. III ad Fabiolam, de quadraginta duabus mansionibus, in LXXVII psalmus, quem, juxta evangelistam Matthæum, ex persona Domini dictum credimus, decem plagarum in Ægypto, et egressionis Israel in solitudinem, narratur historia. Deinde paucis interjectis subdit : nam idem propheta in alio loco dixerat : *Habitavi cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea* (*Psal.* CXIX), absentiam terræ sanctæ non sustinens, lacrymabiliter ingemiscit, et dicit : *Hæc recordatus sum, et effudi in me animam meam, donec transeam in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei. In voce exsultationis et confessionis, sonus epulantis* (*Psal.* XLI). Et in alio psalmo : *Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua* (*Psal.* CXVIII). Hæc ibi.

Ex quibus constat Hieronymum psalmos citatos, videlicet septuagesimum septimum, centesimum decimum nonum, et centesimum decimum octavum eidem prophetæ tribuere : quod non potest esse, nisi David intelligat. Nam, ut visum est, septuagesimus septimus, Asaph, quadragesimus primus filiis Coræ, centesimus decimus nonus et centesimus decimus octavus non habent proprium titulum. Sed si vera est sententia Hieronymi, quam supra commemoravimus, ejus sunt, qui præcedentes psalmi inscribuntur. Primus autem præcedentium qui titulum habet, est psalmus centesimus nonus, qui aperte David tribuitur. Rursum Hieronymus tom. III, ad Fabiolam, de vestitu sacerdotali : « Unde et David, inquit, orabat in psalmo : *Revela oculos meos*, » etc. Et tomo I ad Paulinum, De institutione monachi : « Totum quod legimus in divinis libris, nitet quidem, et fulget etiam in cortice, sed dulcius in medulla est. Qui edere vult nucleum, frangat nucem. *Revela*, inquit David, *oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua*. Si tantus Propheta tenebras ignorantiæ confitetur, qua nos putas parvulos, et pene lactentes inscitiæ nocte circumdari ? » Hæc Hieronymus. Ubi vides psalmum illum David nomitatim deputari, quem supra dicebat eumdem Prophetam in psalmo septuagesimo septimo, et quadragesimo primo. Præterea Hieronymus, psalmo septuagesimo secundo qui inscribitur Asaph, ex persona David citat in Ecclesiasten, cap. IV. Plenius hunc locum David in psalmo LXXII, et Jerem. in suo volumine exquirunt. Et in commentariis ad Ephes. cap. III : « Quorum, inquit, verba David in persona sua exprimens, ait : *Quam bonus Israel Deus*, » etc. Item in Matth., « Sicut scriptum est in David : *Transierunt in affectum cordis*. » Hæc autem sunt in psalm. LXXII. « Insuper tom. III ad Dardanum : David in alio psalmo canit : *Gloriosa sunt dicta*, » etc. Manifestarium est vero illum psalmum LXXXVII inscribi filiis Coræ. Ad hæc., psal. LXXXVIII, Hethan Ezrahitæ inscribitur, et tamen Hieron., tom. III ad Damas. de duobus filiis, desumit nonnullos versiculos ex eodem tanquam ad David dictos. « Secundum illud, ait, quod locutus sum ad David : *Si dereliquerint filii ejus legem meam, et in judiciis meis non ambulaverint, si justitias meas profanaverint*.

Diceret aliquis : Ideo quia David majorem psalmorum partem composuit, ob id sæpe totum Psalterium nuncupatur David. Et sic loquitur divus Hieronymus in prologo quem præfixit libris Regum. Inter agiographa primus est liber Job, et secundus David. Nam interdum secus citat quam nomine David, ut secundo libro adversus Pelagianos, « Asaph loquitur : *Cibabis nos pane lacrymarum*, » etc. Hoc autem desumitur a psalmo septuagesimo nono, qui inscribitur ipsi Asaph. Verum et si eo pacto evaderes, non omnino tamen satisfacis omnibus prætactis, cum dixerit eumdem Prophetam locutum in psalmo septuagesimo septimo, et cæteris quos adduximus. Et ut nulla detur tergiversandi occasio, quomodo dissolves quod scribit ipse D. Hieronym. tomo tertio ad Cyprianum, ubi contradiceret sententiæ Apostoli ad Hebræos, quarto, nisi diceres divum Hieronymum mutasse sententiam, et loca superius commemorata hoc ostendere, accipiendo David in persona, non in Psalterio. Sed et videamus quomodo alioqui contrairet Apostolo ad Cyprianum. Sic ait de Moyse : « Cujus ore creaturam mundi eorum duntaxat quæ visibilia sunt, conditionem hominis, et omnis retro historiæ didicimus veritatem, qui non solum nobis quinque reliquit libros, Genesim, Exodum, Leviticum, Numeros, et Deuteronomium, sed et undecim quoque psalmos, ab octogesimo nono, cujus principium est : *Domine, refugium factus es nobis*, usque ad XCIX, qui inscribitur : *Psalmus in confessione*. » Hæc Hieronymus. Apostolus autem ad Hebræos quarto, psalmum nonagesimum quartum, qui de numero illorum undecim convincitur esse, manifeste tribuit David. *Quoniam ergo*, inquit, *superest introire quosdam in illam, et ii quibus prioribus annuntiatum est, non introierunt propter incredulitatem, iterum terminat diem quemdam, hodie, in David dicendo : post tantum temporis sicut supra dictum est : Hodie si vocem ejus audieritis*, etc. Ex quo palam est Apostolum non deputare Moysi hunc psalmum quoniam tertio capite de Moyse loquens dicit : *Et Moyses quidem fidelis erat in tota domo ejus, tanquam famulus in testimonium eorum quæ dicenda erant*. Deinde paulo post subdit : *Quapropter, sicut dicit Spiritus sanctus : Hodie si vocem ejus audieritis*, etc. Quæ pertractans Apostolus, cap. IV, ostendit ex contextus

digesta et aptata consecutione Spiritum sanctum locutum fuisse in Moyse, quantum ad constitutionem mundi; et, *post tantum temporis* rursum in David, *Hodie si vocem*, etc, attende igitur ordinem sententiæ Apost. *Et quidem operibus ab institutione mundi perfectis. Dixit enim in quodam loco de die septimo sic : Et requievit Deus die septima ab omnibus operibus suis; et in isto rursum : Si introibunt in requiem meam. Quoniam ergo superest quosdam introire*, etc. Ubi considerandum Spiritum sanctum post multum temporis dixisse in David, ex quo locutus fuerat per Moysen de conditione mundi. Propterea colligitur psalmum non esse editum a Moyse, sed a David, quem satis designat in persona, magnum temporis intervallum commemorando inter duos prophetas.

Posses tamen subterfugere, referendo, *dixit*, ad Moysen, non ad Spiritum sanctum quantum ad litteram ut Moyses dixit eum requievisse die septimo, *et post tantum temporis*. Idem Moses interminaverit *diem quemdam hodie in David*, hoc est, per hoc quod hodie dicitur in psalterio, quod nuncupatur esse David, quod quidem fuisse tempore Apostoli promptum est. Verumtamen hæc expositio esset, ni fallor, paulo coactior. Superest demonstrare secundum principale, nempe quod forsan D. Hieronymus et D. Augustinus non sibi adversantur in hujus argumenti materia. Ex verbis enim eorum facile est videre tituli inscriptionem aut significare a quo editus sit, aut a quo recitatus psalmus. Nam D. Augustinus manifeste in hanc sententiam descendit, disserens in principio cur primus titulum non habeat : « Centum itaque et quinquaginta psalmos esse nulla dubitatio est ; et qui psalmus quotus sit, vel a quo recitatus sit, titulorum inscriptione ostenditur. Non enim omnes psalmi a David editi sunt. Ipse enim David ex omni populo quatuor principes Spiritu sancto mundatos elegit, quorum nomina sunt, Asaph, Heman, Ethan, et Idithun, ut in quemcunque divinus Spiritus intrasset, hymnum Deo caneret. David ergo solus novem psalmos ore proprio cecinit, reliqui autem ab illis quatuor principibus, juxta titulorum inscriptionem, sunt dicti. » Hæc Augustinus. Quem vides dicere non omnes psalmos esse editos a David, maxime quantum ad rationem accinendi. Nec abest ab hac sententia ipse divus Hieronymus ad Sophronium, quod supra etiam commemoratum est, sed indistincte tractatum. Ait itaque : « Psalmos omnes eorum testamur auctorum, qui ponuntur in titulis David scilicet, Asaph, et Idithun, et filiorum Core, Heman Ezrahitæ, Moysi et Salomonis, et reliquorum quos Esdras primo volumine comprehendit. » Hæc ille. Ubi novissima particula invenit psalmos esse eorum quorum nomina tacentur, et quos dicit Esdram comprehendere in primo volumine. Ait enim Esdras, I Esdræ II, cantores filii Asaph centum viginti octo. Liquet autem non posse pertinere psalmos id eos quos Esdras comprehendit, nisi tanquam cantores, quando lex et psalmi reparata sunt. Facit quod scribitur, Nehemiæ duodecimo : *In diebus David et Asaph ab exordio erant principes constituti cantorum, in carmine laudantium et confitentium Deo.* Et I Paralip. XXV : *Igitur David et magistratus exercitus, segregaverunt in ministerium filios Asaph et Heman, et Idithun, qui prophetarent in citharis et psalteriis et cymbalis, secundum numerum suum dedicato sibi officio servientes*. Deinde recitatis filiis eorum juxta regem prophetantibus, subtexit : *Universi sub manu patris sui ad cantandum in templo Domini, distributi erant in cymbalis et psalteriis et citharis, in ministeria domus Domini juxta regem Asaph, videlicet et Idithun et Heman.*

Sicut ergo oportet exponere D. Aug. in lib. XVII, De civit. Dei, cap. 14, ne sibi contradicat in eo quod dixit in prologo I psal., ita et D. Hieron., ubi mul- A tos psalmorum auctores nominat, ut in id conveniant, sicut ante meminimus psalmorum inscriptionem denotare, auctorem aut cantorem. Ait autem D. August. lib. superius adducto : « Mihi credibilius videntur existimare qui omnes illos 150 psalmos ejus operi tribuunt, eumque aliquos prænotasse nominibus aliorum, aliquid quod ad rem pertineat figurantibus. » Hæc ibi. Quæ quomodo debeant conciliari cum aliis ejusdem verbis, quære, si potes, et viam aperuimus quæ prius a nonnullis attacta est, licet auctoritates utriusque doctoris magna ex parte silentio præterierim. Accedit nostræ sententiæ quod titulus psalmi XXXVIII sic habet : *Pro Idithun, canticum David;* et psalmi LXXI, *pro Idithun, ipsi David*. Atqui de Idithun præter ea quæ citavimus habetur I Paral. XXV : *Idithun qui in cithara prophetabat super confitentes, et laudantes Dominum*. Nec obest titulus psalmi LXXXVI *pro Idithun, psalmus Asaph*, quasi Asaph esset B primarius auctor et Idithun cantor. Potuit enim Asaph inchoare psalmum, cantando, et Idithun respondere, sicut dicitur secundi Machabæorum primo : *Jonatha inchoante, cæteris autem respondentibus*. Consilimiter debet intelligi titulus psalmi octuagesimi septimi, *Canticum psal. filiorum Coræ, intellectus Heman Ezrahitæ*. Unde in Hebræo dicitur, *Ad respondendum intellectus Heman*. At dices : Opinando David esse auctorem omnium psalmorum quantum ad materiam, remanet scrupulus quomodo deberet intelligi titulus psalmi LXXI, videlicet Salomonis, et psalmi LXXXIX, *Oratio Moysi hominis Dei*, cum non possit ita commode de his duobus convenire, ceu de aliis cantorum officio fungentibus, et David synchronis. Quantum ad primum, finis psalmi suum auctorem prædicat : *Defecerunt laudes David filii Isai*, ob id, titulus *Salomoni*, intelligitur pro Salomone vel in Salomonem : qui fuit figura veri Salomonis regis C pacifici, de quo materia totius psalmi apte loquitur, quod et Hebræum indicat לשלמה LISLOMOH. Nam lamed teste Pagnino libro primo Institutionum Hebraicarum, nonnunquam causam materialem denotat, ut Exodi quarto, לנחש LENACHASCH, in serpentem, et septuaginta Interpretes in proposito dixerunt *in Salomonem psalmus*, εἰς Σολομῶν ψαλμός. Consimili modo potest intelligi titulus psalmi centesimi vigesimi sexti: *Canticum graduum Salomonis*. Quantum ad secundum de titulo psalmi LXXXIX D. Hieronym. ad Cyprianum refert solutionem opinantium omnes psalmos esse David, licet forte aliter, ut prælibavimus, sentiret D. Hieronymus. Unde, inquit, et hunc psalmum volunt sub nomine Moysi a David esse compositum, quod scilicet legislator communem humani generis et calamitatem, et deinde exspectationem salutis sacro ore describat. Nec revinceret quod opponit dominus Lyranus causans, quod etiam in plerisque alliis psalmis fiat D mentio de ea ipsa materia, quia argumentum illud non tam breviter et continenter, nec per modum orationis in aliis tangitur. Hinc in Hebræo habetur למשה LEMOSCHEH in Moysen, de titulis aliorum psalmorum suo loco tractari poterit.

De Commentariis divi Hieronymi in omne Psalterium.

Cæterum quia frequentissime in enarratione psalmorum Magister citat D. Hieronymum, ex commentariis, quos nonnulli temerarie inter pseudepigrapha deputant, haud absonum fuerit ostendere eos commentarios non esse falso D. Hieron. inscriptos, ut ipsi somniant, et impudenter asserunt ; cujusmodi sunt Erasmus et Bruno Amorbachius. Ille recensens alienorum indicem, ut ipse vocat, inter mista Hieronymo tributa, ut vult, sic ait : « Commentarii quos habemus in omne Psalterium D. Hieronymi titulo, palam ipsi præ se ferunt quod non sint unius auctoris. Si quis autem

meum requirat judicium, nihil illic esse arbitror. D. Hieronymi, verum una pars est hominis, quisquis fuit; plane docti et sermonis expoliti, longe tamen discrepantis ab D. Hieronymo. Nam hic minus habet nitoris ac lenitatis, plus nervorum : deinde ubique copiosior ac diligentior, ac magis ostentans suas opes. Altera pars est locutulei cujuspiam ac pene dixerim rabulæ. » Ecce quantam injuriam præter ea quæ addit in calce illius recensionis, audet inferre his commentariis Erasmus. Ille vero in epistola præfixa Psalterio ad lectorem ait : « Hic octavus tomus, optime lector, commentarios Davidicorum psalmorum complectitur : qui tametsi non vacant eruditione, divo tamen Hieronymo hactenus sunt falso inscripti. » Audistis eorum censuram, videamus quantum cæcutiant.

Loquatur ipse sanctissimus Hieronymus, et seipsum defendat adversus hujusmodi importunos censores. Nam libro I Apologiæ adversus Ruffinum, istorum nimiam audaciam confutat, Ruffino quidem respondens, sed Aristarchos plane damnans. « Illud, inquit, quoque carpere dicitur, quod secundum psalmum interpretans pro eo quod legimus in Latino : *Apprehendite disciplinam* (*Psal.* II), et in Hebraico volumine scriptum est, נשקו בר NASEQU BAR, in commentariolis meis dixerim : *Adorate Filium;* et rursum, omne Psalterium in Romanum vertens sonum, quasi immemor expositionis antiquæ posuerim *adorate* pure : quod utique sibi esse contrarium omnibus patet. » Deinde fusius hujusmodi purgat calumniam, ex ratione venerandi sensus versiculi multiplici intelligentia, et Hebraismi æquivocatione.

Constat autem commentarium psalmi secundi in eum versiculum : *Apprehendite disciplinam*, sic habere. In Hebræo legitur נשקו בר NASEQU BAR, quod interpretari potest, *adorate Filium*. Et hanc interpretationem carpebat Ruffinus. Et isti morsicatores dicunt in his commentariis, quos D. Hieronymus aperte fatetur suos, nihil esse Hieronymi. O impudentia! Ad hoc D. Augustinus commentarios D. Hieronymi multis verbis adducit in psalm. XCIII, eodem ordine, eadem dictione eadem verborum forma, eadem sententia, expresso nominatim D. Hieronymo et ipsius commentariis. Nam Augustinus epistola centesima undecima, quæ in antiquis codicibus est centesima nonagesima octava, disputans adversus Anthropomorphitas, docet, si quando Scriptura Dei membra commemoret, esse spiritualiter intelligenda, quemadmodum omnes accipiunt qui illis spirituali intelligentia resistunt. Deinde hoc ad verbum subdit : « Ex quorum litteris, ne multa commemorando majores moras faciam ; hoc unum sancti Hieronymi interpono, ut noverit iste frater non se de hac re mecum magis quam in prioribus agere debere, si quid eum contra permovet. Cum ergo ille vir in Scripturis doctissimus psalmum exponeret, ubi dictum est : *Intelligite ergo, insipientes in populis, et stulti, aliquando sapite. Qui plantat aurem, non audit? aut qui finxit oculum, non considerat?* (*Psal.* XCIII.) Inter cætera iste locus, inquit, adversus eos maxime facit, qui Anthropomorphitæ sunt, qui dicunt Deum habere membra quæ etiam nos habemus, verbi causa, dicatur Deus habere oculos, oculi Domini respiciunt omnia, manus Dei facit omnia. *Et audivit*, inquit, *Adam sonum pedum Domini ambulantis in paradiso* (*Gen.* III). Hæc simpliciter audiunt et humanas imbecillitates ad Dei magnificentiam referunt. Ego autem dico quod Deus totus oculus est, totus manus est, totus pes est. Totus oculus est, quia omnia videt ; totus manus est, quia omnia operatur; totus pes est, quia ubique est. Ergo videte quid dicat : *Qui plantat aurem, non audiet?* Non dixit qui plantavit aurem, ergo ipse aurem non habet?

A Non dixit, ergo ipse oculos non habet? Sed quid dixit? *Qui plantavit aurem, non audiet? Qui finxit oculos, non considerat?* Membra tulit, efficientias dedit. » Hæc Augustinus ample excerpsit de commentariis divi Hieronymi in omne Psalterium, in quibus etiam breviter tangitur eadem sententia, ad versum psalmi sexagesimi quinti : *Oculi ejus super gentes*, etc. Eant nunc et dicant temerarii censores, illic nihil esse Hieronymi. Negent Augustinum, negent et ipsummet Hieronymum, qui testimonium manifestum pro se tulit contra impostores mordendi studio insanientes. Quid quod vix evadit psalmus in quo interpretando non admisceat plura Augustinus, desumpta ad verbum ex iis commentariis, licet latiori extensione exspatiatus, ut legendo utrumque probabis? Quin apparet Augustinum identidem commentarios illos Hieronymi voluisse insinuare, cum in psalmo quinquagesimo ad versiculum, *et spiritu principali confirma me*, ait : Intel-
B ligunt ergo hic nonnulli Trinitatem dictam ; in spiritu *recto* Filium, in spiritu *sancto*, Spiritum sanctum, in spiritu *principali* Patrem. Nam ipse Hieronymus in eum locum tale attexuit interpretamentum, verbis Augustini omnino respondens. « Tu vero, inquit Hieronymus, qui legis sanctam Scripturam, sanctam hic intellige Trinitatem ; spiritum principalem, Patrem ; spiritum rectum, Filium, spiritum sanctum, Spiritum sanctum. » Et amplius eamdem intelligentiam pertractat in capite ad Galat. IV. Hoc ipsum manifeste corroborat Cassiodorus hunc locum interpretatus, qui, ni fallor, claruit ante annos nongentos sexaginta, qui ad eumdem sensum adfert Hieronymum, ut clare dignoscas quam longis retro sæculis hujusmodi commentarii indubitati fuerint auctoris.

Adde quod Gregorius in eumdem psalmum ad versum, *Cor contritum*, nominat Hieronymum. Quia vero Erasmus invenit quamdam epistolam ad
C Damasum, luce clarius testificantem de commentariis in psalmographum, eam tantis conviciis et tanta debacchatione insectatus est, ut pigeat referre. Ea autem habetur tomo IV, in hunc modum : « Beatissimo papæ DAMASO sedis apostolicæ urbis Romæ HIERONYMUS supplex. Legi litteras apostolatus tui, poscentes ut secundum simplicitatem septuaginta Interpretum canens, psalmographum interpretari festinem propter fastidium Romanorum, ut ubi obscuritas impedit, apertius et Latine trahatur sensus. Precatur ergo cliens tuus, ut vox ista psallentium in sede Romana die noctuque canatur, et ut in finem cujuslibet psalmi, sive matutinis horis, sive vespertinis conjungi præcipiat apostolatus tui ordo, *Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto. Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.* Istud carmen omni psalmo conjungi præcipias, ut fides trecentorum decem et octo episcoporum Nicæni concilii etiam
D vestri oris consortio declaretur : » Hæc ibi. Ad hoc facit quod refert Sigebertus in suo Chronico Damasium papam instituisse rogatu Hieronymi, ut caneretur in ecclesia, in fine psalmorum, *Gloria Patri*, etc. Cujus rei fidem magnam facit, quod id ubique terrarum observatur apud Latinos. Quare ne simplices decipiantur istorum censorum nugacissimis mendaciis, stat eorum fidem elevare clarissimis argumentis, ut nulla tergiversatio relinquatur, et ut ex uno insigni mendacio, tam impudenter conficto, in cæteris nullo negotio suspecti habeantur. Age paulo digredientes, ut ocius revertamur, demonstremus Erasmum sæpenumero non legisse, quæ suis censuris jugulare præsumpsit ; sed impendio credulus, suæ farinæ hominibus rem com mittebat, qui ut tractatus nimia stertentes vecordia legissent, mendacia mera suo Erasmo referebant, atque adeo omnia Erasmi nomine cudebantur. Quod

ne videar fingere, audi censuram cujusdam Erasmiani, quæ est præfixa tom. VII ad Parab. Solom. in Hieronymo. « Non clam me est, inquit, candide lector commentarios in Proverbia Salomonis, quibus primum in hoc tom. locum dedimus, Hieronymi non esse. Nam id vel hinc deprehenditur, quod tota dicendi figura ab Hieronymiana dictione modis omnibus dissidet, quin Gregorius semel atque iterum in hoc opere citatur. Vetustissimi codices in membrana scripti Bedæ vindicabant. » Hæc ille.

Audiamus nunc ipsum Erasmum tomo I, in recensendis operibus Hieronymi vel germanis, vel, ut vult, alienis. In Proverb. Salomonis libri tres quos vel hinc apparet non esse Hieronymi, quod in his citetur Gregorius, quanquam et alioqui omnia longe lateque dissident ab Hieronymianis. Is qui adornavit Venetam editionem grave putat argumentum, quod hinc quædam citantur in epistolis decretalibus Hieronymi nomine. Suspicatur autem à Beda e diversis collectum opus, cui conjecturæ non admodum reclamo. Hæ sunt censuræ doctorum hominum. Demus ergo illis ut sint Bedæ illi libri, aut alterius cujuslibet; sed absit ut demus illis commenta mera, quæ confingunt effrontes nimis! Nam semel et iterum anxie perlegi commentarium universum, ne semel quidem (ita me Deus amet) citatur Gregorius. Bis autem adducitur Augustinus sexto videlicet et vicesimo quarto capite. Imo vero et ipse Hieronymus capite tricesimo. Mirum ubi mens eorum versabatur, cum maxime, si quidpiam aliud, ad censuram faceret. Hinc colligere licet, aut quod non legerit, aut si legerit, nimis præcipiti et cæco fuisse judicio; si excusare velis incogitantiam in re tam seria. Quod si videatur hic divinare quid in aliis faciat intimius pensita; etenim si pateretur locus, promptissimum foret commonstrare quot in locis toto cœlo aberraverit, et pios auctores mendacibus censuris fœde confuderit atque deturparit. Jam redeamus ad commentarios Hieronymi in Psalterium, et quatenus fieri poterit diluamus quæ in diversum movere possent, ne spernatur auctoritas, quæ in hoc libro Hieronymi nomine sæpius profertur. Age, posset quispiam fluctuare quod Hieronymus aliter exponat nonnullos psalmos in aliis tractatibus, et interdum reprobato sensu, qui ponitur in hisce commentariis. Etenim illud psalmi XLIV: *Eructavit cor meum verbum bonum*, interpretatur dictum ex persona Patris, qui sibi æquale genuit Verbum, et tamen hoc improbat, tom. III, ad Damasum de duobus filiis. Ait ergo: « Fidelis mecum lector intelligis, quia pinguedine saturati, in ructum laudis ejus erumpimus, dicentes: *Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi*, licet quidam superstitiose magis quam vere, non considerantes textum psalmi ex Patris persona arbitrentur hoc intelligi. » Hæc inibi Hieronymus.

Ad simile respondit Ruffino ut supra tactum est calumnianti, quod contrario modo vertisset Psalterium in Latinam transferens linguam, quam in commentariis disseruisset. Adde quod dupliciter explanat hunc versiculum ad Principiam virginem, adducens diversitatem opinantium. « Quidam, inquit ex persona Christi, quidam ex persona Patris dictum intelligi volunt, quod ex imis vitalibus et arcanis cordis, Verbum suum quod in se erat semper protulerit, juxta alterius psalmi vaticinium: *Ex utero ante luciferum genui te* (*Psal.* CIX): *ut* quomodo uterus non significat uterum (neque enim Deus dividitur in membra), sed eamdem substantiam Patris Filiique demonstrat: sic cor et verbum profertur ex corde, ut Patrem ostendat et Filium, etc. » In quo neutram intelligentiam improbando utramque satis comprobat. Et certe Augustinus interpretatur de æterna Verbi Dei generatione. Verum enimvero Erasmus nobis toties inculcat styli distantiam. Re-

A spondeo commentarios esse multæ eruditionis, quod non diffitentur censuales isti, nec oportet semper scriptorem servare eumdem dicendi characterem, sed pro ratione materiæ, aut lectionis utilitate, sæpius stylum deprimit, quod ne putes meum esse figmentum, audias purgatis auribus ipsum Hieronymum ad Paulum Concordiensem de Pauli monachi Vita. « Misimus, inquit, interim te tibi, id est Paulo seni Paulum seniorem: in quo propter simpliciores quosque multum in dejiciendo sermone laboravimus. » Hæc ille. Quæ si non scripsisset, dicturus erat Erasmus Pauli monachi Vitam non esse a divo Hieronymo conscriptam ob discrepantiam, ut solet, dictionis. Bene præterea cecidit quod in epistola De vitando suspecto contubernio nobis addiderit divus Hieronymus, circa finem: « Unde de Scripturis pauca perstrinxi, nec orationem meam ut in cæteris libris solitus sum, illarum floribus texui. Extemporalis est dictatio, et tanta ad lumen
B lucernulæ facilitate profusa, ut notariorum manus lingua præcurreret: Hæc si non essent adjecta, non licuisset per Erasmum divo Hieronymo a consueto more discedenti eam tribuere epistolam. Amplius Erasmus ipse se suo gladio misere confodit, in censione quam præmisit operi Augustini De moribus Ecclesiæ tomo I. « Prodit, ait, Manichæorum mysteria; idque facit mirabili sermonis elegantia, qua utinam illi licuisset in cæteris uti lucubrationibus! Hoc sane opere declaravit, si quid offendit eruditos in ipsius dictione non fuisse inscitiæ sed charitatis, qua stylum demisit ad imperitorum intelligentiam. Nam quo pateret lectionis utilitas, ad vulgi captum mutavit stylum in opere posteriore: quod quidem in plerisque suis operibus fecisse videtur. » Hæc Erasmus. Cui quadrat aptissime quod dicit D. Hieronymus de optimo genere interpretandi. Quid agis, o columen litterarum et nostrorum temporum aristarche, qui de universis scripto-
C ribus sententiam feras? Si ergo perspicuum sit divum Augustinum depressisse dictionem, ad lectionis majorem fructum, quid vetat divum Hieronymum, ita nonnunquam factitasse, præter ea quæ ante commemorata sunt, præsertim cum scribat ad Pammachium tomo II: « Ecclesiastica interpretatio, etiamsi habet eloquii venustatem dissimulare eam debet et fugere, ut non otiosis philosophorum scholis, paucisque discipulis, sed universo loquatur generi hominum. » Rursus adversus Pelagium ad Ctesiphontem: « Audi ecclesiasticam simplicitatem, aut imperitiam, ut vobis videtur. » Et libro primo adversus Jovinianum: « Est in verbis simplicibus semper divinarum Scripturarum sensus angustior. » Plurimum juvat quod dicit in prooemio tertii libri ad Galatas: « Omnem sermonis elegantiam, et Latini eloquii venustatem stridor lectionis Hebraicæ sordidavit. » Et quæ postea subjungit in eumdem sensum. Item in fine commentariorum in Aggæum
D prophetam: « Obsecro te, lector, ut ignoscas celeri sermone dictanti, nec requiras eloquii venustatem, quam multo tempore Hebrææ linguæ studio perdidi. « Denique ad Marcellam de Ephod: « Nos, ut scis, Hebræorum lectione detenti, in Latina lingua rubiginem obduximus. »

Quid proindè mirum, si divus Hieronymus in nonnullis operibus tersior sit quam in aliis, ut quasi alter videatur? Quod si adduxeris contra nos divum Hieronymum in Apologia adversus Ruffinum, libro II, aperte docentem quamdam epistolam non exiisse a sua officina, sed esse suo nomine confictam, non aliunde sumendo argumentum quam ex characteris distantia, hoc nihil obest, quandoquidem in ea epistola assumebatur persona divi Hieronymi, tanquam pœnitentiam agentis, quod Hebræa volumina traduxisset ab Hebræis inductus, in quibus nulla esset veritas. Quod si res ita habuisset, divus Hieronymus se ipse totum et manifeste proditurus

erat, qualis ab omnibus habebatur nempe disertissimus, ne in epistola, qua palinodiam caneret, sese in forma eloquii fucata quasi caleret, non audens plane errorem fateri, veluti in quibusdam tenebris. Secus vero cum res, vel humilitas, vel lectionis utilitas expostulabat, sic aut sic dicere. Consultius fecisset Erasmus, si eamdem hic tenuisset sententiam, quam aperte tradit in suis adnotationibus in Novum Testamentum, nempe Actuum decimo tertio, et Hebræorum secundo. Illic enim omnes commentarios ingenue tribuit divo Hieronymo, et quibus sua dicta communit, nisi quis malit eum recantasse in adnotationibus, id quod scripserat in divum Hieronymum. Siquidem adnotantur opera divi Hieronymi fuisse excusa anno 1526; sed adnotationum quartam recognitionem anno 1527. Hæc voluimus longiuscule discutere, ne quis offendatur in lectione explanationum Magistri sententiarum, passim citantis divum Hieronymum ex commentariis, quibus tanquam nothis derogare ausi sunt novelli censores.

Nec tamen velim ex his protinus colligas libros esse constanter auctorum quorum titulis inscribuntur, quasi nusquam aberratum sit, nec ullos esse adulterinos, sed eo tendebam ne temere judicetur. Porro scrupulum movere posset id quod sæpe dicturi sumus, ecclesiasticam editionem cum Hebraica veritate conciliando, Hebræorum codices quos habemus, esse vitiatos post septuaginta Interpretes, aut alias variasse, maxime cum ipse divus Hieronymus in versione ad Hebraicam normam, scribens ad Sophronium, sequatur lectionem codicum Hebræorum nostræ ætatis, ut plurimum. Satisfaciemus huic scrupulo duobus axiomatibus: Primum, divus Hieronymus Hebræorum codices sua etiamnum ætate cœpit in nonnullis locis habere suspectos. Alterum, post divum Hieronymum Hebræorum volumina manifestis scatent mendis, et a primæva scripturæ germanitate longe distant. Hæc probationibus munienda sunt. Quantum ad primum. Enarrans divus Hieronymus, v capite Micheæ: *Et tu Bethlehem, domus Ephrata*: « Legimus, inquit, juxta duntaxat septuaginta Interpretes in Jesu Nave, ubi tribus Judæ urbes et oppida describuntur, inter cætera etiam hoc, *Theco et Ephrata*, hæc est Bethlehem, etc., quod nec in Hebraico, nec apud alium invenitur interpretem. Et sive de veteribus libris erasum sit malitia Judæorum, ne Christus de tribu Juda ortus videretur, sive a Septuaginta additum, nequaquam liquido agnoscentes certum quid novimus. » Rursum pertractans illud Apostoli ad Galatas tertio: *Maledictus omnis qui pendet in ligno*, quærit cur Apostolus omiserit a Deo, quod habetur in Deuteronomio capite XXI. Et respondet dupliciter. Primo sic: « Mihi videntur aut veteres Hebræorum libri aliter habuisse, quam nunc habent; aut Apostolum sensum posuisse, non verba; aut quod magis æstimandum est, post passionem Christi, et in Hebræis et in nostris codicibus, ab aliquo Dei nomen appositum, ut infamiam nobis inureret, qui in Christum a Deo maledictum credimus. » Deinde disserit quod in nullo loco Scripturæ posset ostendi quempiam a Deo esse maledictum, per nomen Dei expresse additum; et ut suam firmet opinionem scilicet esse a perfidis additum, dicit: « Audaci itaque pede ad hoc procedo certamen, ut ad libros provocem, nullo loco scriptum, a Deo maledictum. Et ubicunque maledictio ponitur, nunquam nomen Dei adjunctum. » Postea adducit multas auctoritates. *Maledictus tu ab omnibus bestiis (Gen.* III), dicitur ad serpentem; et ad Adam: *Maledicta terra in operibus tuis*, etc. (*ibid.*) Forsan gravius insurges, opponens quod ait divus Hieronymus in capite Isa. VI: « Et si aliquis dixerit Hebræos libros postea a Judæis esse falsatos, audiat Origenem, quod in octavo volumine Explanationum huic quæstiunculæ respondeat quod nunquam Dominus et apostoli, qui
A cætera crimina arguunt in Scribis et Pharisæis, de hoc crimine quod erat maximum reticuissent. Sin autem dixerint post adventum Domini Salvatoris et prædicationem apostolorum libros Hebræos fuisse falsatos, cachinnum tenere non potero, ut Salvator, et apostoli et evangelistæ ita testimonia protulerint, ut Judæi postea falsaturi essent. » Hæc ibi divus Hieronymus. Sed si diligenter advertas, deprehendes non pugnare cum prædictis Hieronymi sententiis. Esset nempe ridiculum dicere Judæos falsasse libros in testimoniis de Christo, aut Christi mysteriis, quæ antequam proferrentur a Christo et apostolis, non fuissent in eorum codicibus, sed ex prædicatione apostolorum addidisse: *Ex Ægypto vocavi Filium* (*Matth.* II), et: *Quoniam Nazaræus vocabitur* (*ibid.*) et: *Flumina fluent de ventre ejus aquæ vivæ* (*Joan.* VII) et: *Videbunt in quem transfixerunt* (*Joan.* XIX), et cætera his similia, quæ ante hanc quæstionem objectam præmiserat D. Hieronymus, cujus intelligen-
B tiam facile colliges ex consequentia dictorum.

Secundum axioma probatur. Hieronymus in illud Matth. XVI: *Quem dicunt homines esse Filium hominis*. « Et nota, inquit, quod ubicunque scriptum est in Veteri Testamento Filius hominis, in Hebræo filius Adam, positum sit. Illud quoque quod in psalmo legimus: *Filii hominum usquequo gravi corde?* (*Psal.* IV) in Hebræo dicitur: *Filii Adam*, et tamen in Hebraicis codicibus qui exstant legitur בני איש BENE ISCH, id est *filii viri*. »

Nescio tamen qua ratione factum sit ut ad eumdem modum legatur in versione divi Hieronymi juxta Hebræum, si modo germana sit, licet ad sensum parum habeat momenti. Sed et Bruno Amorbachius in epistola triplici psalterio præfixa, haud obscure fatetur Hebræos codices variatos. Ait enim: « Quid quod Hebraicam veritatem, ut vocant, in Judæorum nostri temporis (sic suspicamur) gratiam? Nam illorum expositionibus admodum favet, nonnihil
C immutatam comperimus, ab aliquo Hebraice docto. Siquidem exemplari Veneto, cum vetustissimis divi Hieronymi codicibus, multis locis non conveniebat. » Hæc ille.

Verum pergamus ostendere liquido corrupta esse exemplaria Hebraica. Legimus Geneseos octavo, juxta veritatem, corvum fuisse ab Noe emissum et non reversum, ubi tamen omnes Hebræi codices, qui prostant habent contrarium sensum, nempe fuisse egressum et reversum, ויצא יצוא ושוב VAIETZE IATZO VASCHOB, id est qui egressus est egrediendo et redeundo. Septuaginta autem Interpretes legerunt cum negatione, οὐχ ὑπέστρεψεν *non est reversus*, quos sequitur divus Hieronymus, adversus Luciferianos. « Emittitur, inquit, corvus de arca et non rediit et postea pacem terræ columba nuntiat. » Idem ad Oceanum: « Statimque columba Spiritus sancti expulso teterrimo alite, devolat ad eum. » Astipulatur et Josephus Judæus libro primo de
D Antiquitatibus, capite quinto: « Post paucos dies, aqua amplius recedente misit corvum, volens cognoscere siquid etiam aliud terræ fuisset derelictum ab aqua, et ad egrediendum jam tutum esse videretur, qui cuncta reperiens inundantia, non regressus est ad Noe. » Hæc Josephus. Non debuit itaque Sanctes in epistola ad Clementem VII prælata suæ novæ emissioni, hunc locum præcipue taxare, quasi ecclesiastica lectio sit falsata; et maluissem dicere Hebræos esse vitiatos, quam veterem lectionem, tot annorum centenariis in pretio habitam repudiare, ut nihil faciat etiam Augustinus Eugubinus (licet alioqui defensor Hieronymianæ editionis) qui contendit hunc locum esse a librariis corruptum, aut temporum diuturnitate, et addit huc esse invectas interpretationes fabulosissimas ab expositoribus, ob id quod fuit corvus detentus in devorando cadavere. Et tamen divus Augustinus, Ecclesiæ jubar, non abhorret ab hac sententia, quam Eugubinus dicit

fabulam. « Quæritur, inquit, utrum corvus mortuus sit, an aliquo modo vivere potuerit? Si enim fuit terra ubi requiesceret, similiter columba requiem invenisset: unde conjicitur a multis, quod cadaveri potuerit corvus insidere, quod naturaliter refugit columba. »

Ad idem alludit D. Ambrosius libro De Noe et arca cap. 17, manifestans quoque se cum negatione legisse. Nam disserens cur corvus sit emissus et non regressus, ita ait: « Sensus altior significat quod omnis justus quando mundare se incipit, quæ tenebrosa sunt et immunda et temeraria primo a se repellit. Siquidem omnis impudentia atque culpa, tenebrosa est, et mortuis pascitur sicut corvus; lumini autem vicina est virtus, quæ mentis puritate et simplicitate resplendet. Et ideo tanquam imittitur et fugatur culpa, et separatur ab innocentia, ut nihil remaneat in viri justi mente tenebrosum. Denique egressus corvus non revertitur ad justum, quia fugitans culpa omnis æquitatis, nec probitati videtur et justitiæ convenire. » Hæc D. Ambrosius. Quæ certe non sunt nec dici debent fabulosa. Quod autem ipse Eugubinus objicit dicens: « Deinde si corvum reversum negavit, quomodo cohæret quod mox additur: *Donec siccarentur aquæ?* Quid enim sibi vult, qui egrediebatur et non revertebatur, donec siccarentur aquæ? Nunquid post arefactas est reversus? quod ne columba quidem fecit. » Solvit idem D. Ambrosius et omnem scrupulum amovet. « Considerandum etiam, ait, quare non regressum dixerit corvum, donec siccaretur aqua a terra, quasi vero postea sit regressus. Sed hæc locutio familiaris est Scripturæ divinæ. Siquidem in Evangelio habes scriptum de sancta Maria, quod non cognoverit eam Joseph, donec peperit filium (*Matth.* I), cum utique nec postea cognoverit. » Hactenus ille. Idcirco non est eradenda a nostris codicibus negatio, ut vult Eugubinus, qui itidem affirmat exemplaria D. Hieronymi esse corrupta in Hebraicis quæstionibus quæ habent negationem. Siquidem ad eum modum legitur: *Post quadraginta dies aperuit Noe ostium arcæ quod fecit, et emisit corvum, et egressus non rediit ad eum, donec siccaretur aqua de terra.* Hæc dixerunt LXX, deinde subdit suam traditionem. Pro ostio fenestra scripta est in Hebræo et de corvo aliter dicitur: *Emisit corvum et egressus est: exiens et non revertens.* Motus est autem Eugubinus dicere vitiatos codices, etiam nobis traditos ex Germania, ex hoc quod scripsit D. Hieronymus, et de corvo aliter dicitur. Sed mirum esset omnia damnare exemplaria et vetusta et recentia. Ideo, ni fallor, sicut vicina sunt fenestra et ostium, tamen annotat D. Hieron. ostium positum pro fenestra: sic LXX dixerunt de corvo, *egressus non rediit*, aliter in Hebræo *et egressus est exiens et non revertens*, quod traducunt Sanctes et Munsterus, *exeundo et revertendo.* Ponit ergo aliter D. Hierony. non ut intelligas modum contrarium, ut arbitrabatur Eugubinus, sed aliam lectionem.

Igitur non fabulose scribit D. Augustinus mystice interpretans negationem in psalmum centesimum secundum. « Fratres non tardetis converti ad Dominum; sunt enim qui præparant conversionem et differunt, et fit illis vox corvina, cras, cras. Corvus de arca missus non est reversus; non quærit Deus dilationem in voce corvina, sed confessionem in gemitu columbino. » Insuper Job XIII, legimus: *Etiam si occiderit me, in ipso sperabo.* Hebræus habet desperatam sententiam et contrariam prorsus, videlicet *non sperabo.* Ubi manifestum est mendum, nisi quis gratis desipiat. Error autem irrepsit quod *in ipso*, sive *in ipsum*, et negandi adverbium, in voce apud Hebræos non differant, sed scriptione. Nam illud per lamed et vau לו, hoc vero per ל et א, לא. Hinc Sanctes vertit: *Ecce occidet me, non sperabo.* Sed et Munsterus sentiens intelligentiam simpliciter acceptam, blasphemum quid sonare, coactus est dicere quod alterum loco alterius positum sit, aut interrogative debere legi, ut redeat idem sensus. Ecce clamant isti Genes. octavo negationem esse abradendam, et editionem nostram mendosam, et ibi permittunt sibi quod volunt, quando non inveniunt quod respondeant. Demum alia quæ per varietatem, aut æquivocationem solvi habent, in scholiis nostris Dei gratia pro virili discutientur. Est namque vigilanter animadvertendum pro multis inter disserendum explicandis quod perhibet divus Hieronymus in Apologia adversus Ruffinum libro primo quanta sit silva apud Hebræos ambiguorum nominum atque verborum, quæ res diversæ interpretationi materiam præbuit, dum unusquisque inter dubia, quod sibi consequentius videtur hoc transfert.

Deinde satisfaciendum quoque admirationi, quæ quorumdam mentibus suboritur, cum in subjectis plerumque conamur defendere ecclesiasticam traductionem, et quod non dissidet ab Hebraica veritate, causabimur secus legisse Septuaginta, cum tamen divus Hieronymus ad Sophronium testificetur confidenter, et multos suis operis testes citat se duntaxat nihil sententiæ de Hebraica veritate mutasse. Et sicubi editio sua a veteribus discreparit, mittit ad quemlibet Hebræum, ut liquido pervideat lector Hieronymum frustra ab æmulis lacerari. At versio divi Hieronymi e regione respondens Hebraico, longe lateque discrepat sæpius a consueta lectione. Igitur frustra desudamus in hujusmodi apparandis conciliationibus. In promptu est responsio, si perspicias divum Hieronymum non tradidisse editionem, quam juxta Hebraicum elucubravit, quasi in communi tenendam et amplexandam; sed illam tradidit privato homini peculiarem, quo respondeat. Judæis calumniantibus: secus legi in Hebræo, ut Sophronius querebatur pene per singula se eludi, et inde fides habebatur contemptui, cum tamen. Hebræorum lectionem sequendo, quam probant, etiam pro Christi fide testimonium adversus eos mox proferatur, quod ipsi pertinaciter Sophronio litterarum Hebraicarum imperito denegabant. Verba ad Sophronium libuit subjicere: « Quia igitur nunc cum Hebræo disputans, quædam pro Domino Salvatore de Psalmis testimonia protulisti, volensque te illudere per sermones pene singulos, asserebat non ita haberi in Hebræo, ut tu septuaginta Interpretibus opponebas, studiosissime postulasti ut post Aquilam et Symmachum et Theodotionem, novam editionem Latino sermone transferrem. » Et paucis interjectis infert: « Nec hoc dico, quo præcessores meos mordeam, aut quidquam arbitrer his detrahendum, quorum translationem diligentissime emendatam, olim linguæ meæ hominibus dederim. Sed quod aliud sit in Ecclesiis Christo credentium psalmos legere, aliud Judæis singula verba calumniantibus respondere. » Super hæc, in Apologia adversus Ruffinum lib. II: « Egone contra Septuaginta Interpretes aliquid sum locutus, quos ante annos plurimos diligentissime emendatos, meæ linguæ studiosis dedi, quos quotidie in conventu fratrum edissero, quorum psalmos jugi meditatione decanto? Tam stultus eram, ut quod in pueritia didici, senex oblivisci vellem? Universi tractatus mei horum testimoniis texti sunt. » Hæc Hieronymus.

Ex quibus palam constat Ecclesiam legere psalmos juxta Septuaginta præter paucula; nec aliter voluisse D. Hieronymum more istorum qui ex Hebræo suo volunt Ecclesiæ regulam imponere. Scimus quidem Aristeum, Josephum et omnem scholam Judæorum duntaxat tribuere septuaginta Interpretibus quinque libros Moysi, id quod refert Hieronymus in cap. Ezechiel. quintum, et in Micheæ II. At vero Hieronymum eam non sequi opinionem liquet, præter auctoritatem modo adductam plus millies ex ejus

commentariis, et ad Suniam et Fretellam aliisque locis non paucis. Nihil est itaque incommodi, si per quamdam disceptationis rationem, non per rem judicatam, reducamus distantiam editionis LXX, ab Hebraico ad varietatem lectionis, quæ potest erui, aut litterarum affinitate, apicum diversitate, sensus clariori expressione, æquivocationis multiplicitate, exemplarium falsatione, aut quavis alia probabili conjectatione. Meliori autem judicio omnia committimus. Potissima autem dissonantia videtur esse orta ex additione punctorum vocalium, quæ tempore D. Hieronymi fuisse nondum mihi persuasum est. Nunquam enim apud eum deprehendes nominari aut patha aut cametz, aut id genus vocales motiones, quas recentiores Hebræi nobis tradiderunt. Quin potest ex ejus commentariis in variis locis, plane colligi, translulisse Biblia neutiquam punctulis distincta. Primo in illud Habacuc tertio : Ante faciem ejus *ibit mors, pro eo*, inquit, *quod nos transtulimus mortem*, in Hebræo tres litteræ positæ sunt דבר daleth, beth, res, absque vocali, quæ si legantur DABAR דבר *verbum* significant; si DEBER, דבר *pestem*, hic typographi addiderunt *apices*. Rursus in illud Isaiæ IX : *Verbum misit Dominus in Jacob*, apud Hebræos DABAR, דבר quod per tres litteras scribitur. consonantes דבר daleth, beth, res pro locorum qualitate. Si legatur DABAR דבר *verbum* significat; si DEBER דבר *mortem* et *pestilentiam*; quam ob causam plerique sermonis ambiguitate decepti, non verbum dicunt missum, sed mortem. Et in illud Jeremiæ IX : *Loquere, hæc dicit Dominus, et cadet morticinium hominis*. Verbum Hebraicum quod tribus litteris scribitur דבר daleth, beth, res (vocales enim in medio non habet) pro consequentia sermonis et legentis arbitrio; si legatur DABAR, דבר *sermonem* significat; si DEBER, דבר *mortem*; si DABBER, דבר *loquere*. Ex his evadit perspicuum, si fuissent puncta vocalia (quæ nunc vocant) et ea ascribunt calcographi operibus Hieronymi, non esset in legentis arbitrio situm quid legendum foret, contra præscriptum motionum. Et amplius idipsum clarescit ex epistola ad Evagrium, in qua tractat an Salem debeat dici, an Salim proferri, civitas Melchisedech regis Salem. « Nec refert, ait, utrum Salem an Salim nominetur, cum vocalibus in medio litteris perraro utantur Hebræi, et pro voluntate lectorum, atque varietate regionum eadem verba diversis sonis atque accentibus proferantur. Pleraque id genus obvia sunt in ejus Explanationibus. Vocales autem vocat divus Hieronymus quas nunc Hebraicantes appellant gutturales, ut in confesso est ex prologo Amos prophetæ, ubi dicit quod Amos non est ille, quem patrem Isaiæ legimus. Ille enim scribitur per primam et ultimam nominis sui litteram aleph, א et tzade, צ : hic per ayn, ע et samech ס. Deinde subjungit : « Nos tantam vocalium litterarum, et, scilicet, litteræ, quæ apud Hebræos triplex est, differentiam non habemus.

Sebastianus Munsterus in præfatione ad suam editionem recens natam, qui tamen totis nervis contendit puncta vocalia, non esse noviter adventa, refert quosdam sentire, a Tyberiæ commorantibus, qui semper in lingua sancta fuere cultiores et politiores commenta. Tandem confitetur D. Hieronymum fuisse destitutum codice punctulis distincto; et quod olim omnia fere exemplaria punctulis carebant, eousque deveniens, ut ingenue asserat fuisse acceptionem caballisticam; quam sacerdotes scire tenebantur, et plebeis hominibus explanare. Cum vero temporum successu, demerentibus eorum peccatis, multæ irruerunt tribulationes, et passim per orbem dispergerentur, doctique, imminuerentur, coacti sunt multa calamo excipere quæ prius solum traditione sciebantur. Hæc ille. Deinde grandis est controversia apud rabinos, de lectionis illibata et germana integritate, ut nihil agant qui nostræ A editioni præscribunt leges, ex suorum punctorum, ut ita loquar, superstitione. Siquidem rabi David Kimhi non vulgaris auctoritatis apud Judæos et Hebraicantes in prooemio quod præmisit prophetis, et III Regum XVIII, ait, et quod Munsterus vertit, *in captivitate prima*, corrupta sunt exemplaria, elicueruntque ex uno exemplari sic, ex alio aliter, et ubi clarum non potuerunt habere sensum, scripserunt unam dictionem intra contextum, et aliam ad marginem. Perieruntque exemplaria et distracta sunt, et morientibus sapientibus, qui tenebant Scripturæ sensum conati sunt ii qui erant de Synagoga magna, restituere legem ad vetustatem suam, invenientesque dissensiones in exemplaribus, adhibuerunt fidem pluribus consentientibus. Ubi vero claram cognitionem habere non potuerunt, scripserunt unam dictionem absque punctis, aut scripserunt in margine et non intra contextum. Hanc Kimhi et aliorum rabinorum opinionem, reprobat rabi B Jacob, filius Haiim ad hunc modum : « Sententia illorum longe est a me. » Nec enim adduci possum ut credam, et labiis confitear Esdram scribam librum legis divinæ atque libros prophetarum dubios, corruptos et confusos invenisse : quin magis sententia mea est quod Esdras et collegæ ejus invenerint Biblia sacra integra et illæsa, quodque Esdras judicio suo cognoverit qui libri scripti essent per sapientiam illam excellentem. »

En cernis non convenire inter Hebræorum doctores de codicum suorum fidelitate, quos tamen non addubitaverim apostolorum ætate fuisse incolumes, tamen de punctorum notulis ut prædiximus, nondum est demonstratum. Cum hæc scriberemus pervenit ad manus nostras tandiu desideratus libellus Eliæ Judæi, editus de accentibus, et a Munstero versus : in quo tam copiose et tam luculenter nostram sententiam omnibus modis confirmat, ut nihil scrupuli restare possit quantum ad quæstionem puncto- C rum. Tandem post multam discussionem, persuadet puncta vocalia esse inventa, et bibliis addita a magistris Masoreth, viris Tyberitis ex mœsia Asiæ Minoris, ut superius tetigimus, in sacra Scriptura exercitatissimis; idque post quadringentesimum tricesimum sextum annum a destructione templi secundi, ergo post quadringentesimum sexagesimum octavum annum a passione Domini nostri Jesu Christi, ac præter alia dicit argumento esse quod nomina punctorum ex bona parte sunt Syriaca et Babylonica. Et hic Elias adhuc superstes est, in re grammatica nemini secundus, quod ingenue deprædicant omnes. Forsan objectabis : Matthæi v, scribitur : *Amen dico vobis, donec transeat cœlum et terra, iota unum aut unus apex, non præteribit a lege donec omnia fiant*. Hebræi vero vocant puncta vocalia apices, quo fit, ut si puncta erant tempore Christi, non potuisse a recentioribus Judæis adinveniri. At Evangelium non accipit apices, pro illis suis punctis, sed D minimam litteræ particulam; quod evadit notum ex ipso divo Hieronymo in eumdem locum. Ex figura litteræ ostenditur quod etiam quæ minima putantur in lege, sacramentis spiritualibus plena sint. Rursum in Abdiæ unicum caput : Illud quod in Isaia scriptum est : *Onus Duma* paululum apice commutato, pro ד daleth posse legi ר res, et sonare *Roma*. Vau quippe littera et pro *v*, et pro *o*, eorum lingua accipitur. Et in illud Sophon. III, *Reddam populis labium electum*, Septuaginta legerunt BEDORAH בדורה res, litteram pro daleth, existimantes, propter elementi nimiam similitudinem, quod parvo apice distinguitur. Item in illud Isaiæ XXVII : *Quem docebit scientiam*. Quod autem verbum Hebraicum דעה DEAH, quod omnes verterunt *scientiam*, soli Septuaginta κακά, id est *mala*, interpretati sunt. Error perspicuus est. Prima enim littera ד daleth vel res, parvo apice distinguitur. Si ergo legatur דעה DEAH, *scientiam* sonat, si רעה RAAH *malitiam*. Unde Glosa

ordinaria : « Apex est litteræ summa particula ; significat enim minimum præceptum, vel minimam præcepti particulam, quin *D.* Hieronymus adversus Helvidium apices accipere videtur pro ipsis litteris. » Nonne, inquit, mihi ipsi apices loquentur, et me stultitiæ redarguent eum esse dictum primogenitum, qui aperuit vulvam, non qui habeat fratres ? » Insultabis iterum ex illo divi Hieronymi ad Ephesios tertio esse gentes cohæredes, et concorporales et comparticipes. « Scio, inquit, appositionem conjunctionis, per quam dicitur cohæredes, et concorporales, et comparticipes, indecoram facere in Latino sermone sententiam ; sed quia habetur in Græco, et singuli sermones, syllabæ, apices, puncta, in divinis Scripturis plena sunt sensibus. » Ubi videtur divus Hieronymus ponere discrimen inter apices et puncta, sed nulla alia inveniuntur, nisi ea quæ sunt apud Hebraicantes, vocalia : quare non sunt nuper orta. Nec valet dicere quod divus Hieronymus loquatur de punctis, hoc est accentibus Græcis, eo quod interpretatur epistolam ad Ephesios, quæ scripta est Græce. Nam addit in Scripturis divinis, ut appareat ipsum loqui generatim.

Verum hæc non cogunt. Siquidem ab initio fortasse fuerunt Hebræis sicut et Græcis nonnullæ accentuum notulæ, quæ possunt intelligi puncta. Nam divus Hieronymus in capite Ezechielis XXVII, scribit : « frequenter Hebræa nomina, pro diversitate accentuum et mutatione litterarum vocalium, vel maxime, quæ apud illos habent proprietates suas, varie interpretantur. » Vel potuit accipere puncta, ut scribens ad Evagrium de variis opinionibus Melchisedech : « Hæc legi in Græcorum voluminibus, et quasi latissimos terrarum situs in brevi tabella voluì demonstrare, non extendens spatia sensuum atque tractatuum, sed quibusdam punctis atque compendiis infinita significans, ut in parva epistola multorum simul disceres voluntates. » Consimili intelligentia accipi debet illud ejusdem in Malach. III : « Ex quo, ait, perspicuum est apostolos et evangelistas et ipsum Dominum Salvatorem, non LXX Interpretum auctoritatem sequi, qua Hebrææ linguæ habentes scientiam non indigent ; sed ex Hebræo transferre quod legerint, non curantes de syllabis, punctisque verborum, dummodo sententiarum veritas transferatur. Et clarius in procemio in Malachiam prophetam. « Alios commentarios in hunc prophetam me legisse nescio, excepto Apollinaris brevi libello, cujus non tam interpretatio, quam interpretationis puncta dicenda sunt.

De commentariis, an sint magistri.

Postremo ut præfari tandem desinamus, et rem proxime accedamus. Age, disserendem unde argumenta sumpserimus hosce centones varie, sed et accuratissime in unum veluti corpus coactos, esse Petri Lombardi, quandoquidem dubitatio posset suboriri justa, ex hoc quod exemplaria, quæ nobis licuit videre, et ea quatuor non habeant nomen auctoris ascriptum. Verum tibi faciet satis abbas Trithemius in Catalogo scriptorum ecclesiasticorum : « Petrus, inquit, Lombardus scripsit sagaci studio, ex dictis sanctorum Patrum commendabile opus Sententiarum libr. quatuor, in totum Psalterium librum unum, cujus oxordium : *Cum omnes prophetas*, et cætera. » Fidem itidem facit non inferiorem, regestum instructissime bibliotheca pientissimi cœnobii Patrum Sancti Victoris, unde codicem ultronea et allubenti familiaritate excepimus, quod procul dubio hos commentarios Petro Lombardo nominatim tribuit. Adde quod quidem manu vetusta, in exemplari nobis communicato cœperat adnotare *M.* litteram in margine, ubicunque videbat assui diversas interpretationes diversorum doctorum, quasi insinuans Magistri sedulam diligentiam, licet forsan somnolentia laboris longiusculi victus, tandem pergere omiserit, interdum tamen exsuscitatus idem subinde repetit. Adde quod quidam codex habebat ad calcem, etsi diversa manu, Psalterium de glossis Lombardi.

Cæterum commonefaciendus est lector quod varie in variis exemplaribus adnotabantur, in supremo vertice paginarum nomina auctorum in Explanationibus citatorum. Nam in quibusdam signatur Haymo ; in aliis nusquam. Et in his Gregorius, Remigius et Isidorus ; in istis minime. Et utcunque citabantur auctores, ordine tumultuario et vago relinquebant lectorem incertum, ubi loquerentur, cum accedendum erat ad contextum commentariorum, et quanta pars sententiæ ac quatenus danda illi foret, quanquam in nostro exemplari ad contextionem linearum, superscriberentur passim certæ punctorum notulæ, quibus posset internosci cujus interpretis essent verba subscripta ; si perpetuo deprehendissemus nihil dormitatum fuisse et quatenus extenderetur interpretamentum signati auctoris, ex punctis discrevissemus, qui mihi indicabant quisnam cœpisset loqui, quousque vero non item. Siquidem inter sequentes ordinatim apiculos, sæpissime miscentur multa, quæ suas desiderabant notulas. Deinde experti sumus crebro aberratum esse in talibus signis et in pluribus omissa. Ex quibus subolere licet, aut primitus non fuisse id genus designatos apices, aut corrupte transcriptos. Idem apparet dicendum de titulo et numero citatorum auctorum, etiam si in nonnullis exemplaribus ordinatim ad marginem signatis et subjectis locis allegentur auctores, scrupulo tamen, quem commemoravimus, relicto. Quamobrem necesse fuit labore pertinaci ut ab originariis fontibus hauriremus quæ appingenda erant suis locis, ut cum, verbi gratia, videris aperto codice Augustinum et Hieronymum et cæteros adduci simpliciter, intellige ex scriptis suis in eos psalmos. Si vero loca petenda erant ex aliis suis voluminibus, quantum licuit, signantur ad marginem, et quædam pauca quæ poterant aut lectorem remorari, aut obscuritatem facere, aut declarat junculam desiderare, aut scrupulum movere, breviter illustrantur. Amplius quia non semper ad verbum proferuntur doctores, sed sententia colligitur et construitur, nunc ex principio, nunc ex calce; rursus ex principio et medio suorum operum, maluimus describere punctim per marginem, ex tali aut tali auctore quam in recto casu. Et ubi Cassiodorus et posteriores consentiunt cum Augustino, opus erat duntaxat Augustinum designare, cum ex ipso decerpentes pro unico debeant haberi. Licet autem Hieronymus sit antiquior Augustino, tamen ubi conveniunt, potius Augustinum quam Hieronymum subindicamus, quia si quid Hieronymus breviter disserit, Augustinus late suo more expatiatus in eo profluit : simul et in hoc opere perpetuus est præter cæteros, qui subinde et interpolate adducuntur, nisi quod Cassiodorus identidem frequentissimus occurrit. Ubi vero singuli singulare quid dicunt, separatim insinuantur. Quod si sententia trahatur ex duobus conjunctim, una copula colligantur. Quando denique auctorem non comperimus citatum, Magistro tribuimus, M. litteræ insinuatione. Et hoc est per quam rarum et quadam incogitantia omissum a typographo.

Porro citamus sæpenumero Alcuinum et glossema interlineale, quo advertas per Alcuinum nos intelligere glossam ordinariam, sequentes dicta Antonini Florentini et Roberti Guaguini historicorum. Hic de Carolo Magno agens : « Liberalibus, ait, disciplinis animum excoluit, præceptore primum Petro Pisano, deinde Alcuino Anglo, viro apprime divinis humanisque rebus erudito, quem glossæ in Bibliam (quam ordinariam vocant) auctorem Antoninus Florentinus prodit, id est parte secunda titulo 14, capite 5. Adjuvat quod scribit in suo Chronico Sigebertus. » Alcuinus, alias Albinus, de Britannia oriundus magister deliciosus regis Caroli, scientia litte-

rarum præpollet in Gallia, cujus præcipue magisterio, ipse rex omnes artes liberales didicit hic multa scripsit, inter quæ multa eminent libri de sancta Trinitate scripti ad ipsum regem, hic etiam jussu ipsius regis divinam correxit historiam. At scrupulum movet abbas Trithemius asseverans Strabum fuisse hujusmodi coacervatorem. « Hic, ait Strabus, glossam quæ nunc ordinaria dicitur, super totam Bibliam ex dictis sanctorum Patrum primus comportasse memoratur. Satis huc accedunt quæ dicuntur chronica chronicorum. Strabus commentator diligentissimus, Rabani auditor, in libris Bibliæ perpulchre commentatus est. Ut fuerit, certissimum est tales rhapsodias fuisse a posterioribus utroque, nempe Alcuino et Strabo ampliatas et ditatas. Nam sæpe indicatur Rabanus qui fuit auditor Alcuini, Strabus; scriba Rabani ipsemet Alcuinus, quos probabilius est a posterioribus ascriptos fuisse quam seipsis. Adde quod sæpicule citatur Isidorus, qui fuit his omnibus superior. Interdum allegantur Haymo, Beda, Remigius : hic junior; illi prædictis satis vicini. Nobiscum est Trithemius in hoc articulo, qui subsecutus sit quam videlicet glossam alii postmodum adjunctis sententiis Patrum ampliarunt. Super hæc longe plura habemus in codicibus typis excussis, quam in vetustioribus manu descriptis. Libuit tamen potius Alcuinum asciscere quam glossam ordinariam, aut quemlibet alium, propterea quod in quibusdam exemplaribus hujus gnomologiæ nonnunquam signabatur Alcuinus. Præter hoc, Magister in secundo sententiarum distinctione duodecima profert nominatim Alcuinum super Genes. Et id legitur in glossa ordinaria. Rursus lib. III, distinctione 18, profertur Ambrosius, cujus sententiam videtur Magister accepisse ex glossa ordinaria ad 9 caput epistolæ ad Hebræos, cum Ambrosii commentarius in eam epistolam desideretur (43), Insuper libro quarto, distinctione quarta, glossam ordinariam videtur vocare Magister, auctoritatem; adducens enim epistolam ad Hebræos sexto, sic ait : « Unde auctoritas dicit, ideo Apostolum pluraliter dixisse fundamentum baptismatum, quia est baptismus in aqua, in sanguine, in pœnitentia, etc., quæ omnia comperies in glossa ordinaria, ad illud caput. Nec mireris in hac Magistri faragine, cuncta quæ sunt in glossa ordinaria et interlineali fere ad verbum legi; quandoquidem utrobique idem argumentum assumebatur,

(43) Nunc dicitur excussus.

A non poterat fieri quin consarcinatio similibus collecta coaptationibus pari gradu ad eumdem scopum tenderet. Sed quæ erant in glossa ordinaria et interlineali, quasi arena sine calce, hic subtili adhibito temperamento, in ordinem sub textum redegit. Adde quod quisquis is tandem fuerit, qui præfixit titulos nominum, quibus internoscerentur citati auctores in faragine glossæ ordinariæ confusissime et mendosissime sæpius ea recensuit. Nam ubi adnotandus erat Augustinus, ascribit Cassiodorum, et e diverso. Et ubi principium aut finis sententiæ pertinet solummodo ad hunc vel illum interpretem, sic indicat nomen, quasi tota sit illius quem notat. Imo vero quod interpretatur uno modo, alter contrario, sic tribuit quandoque præpostero ordine, illorum scripta, ut uterque habeat sententiam sibi oppositam. Ad hæc creberrime relinquit loca anonyma quasi incerti auctoris, cum tamen proprium sibi vindicent, sicut et alia ac forsitan interdum certius B quam quæ signat. Hæc omnia legendo comprobabis facile. Etenim tam obvia sunt, ut supervacaneum fuerit diutius immorari. In libris autem manu descriptis, rarissime nomina ascribebantur auctorum. Itaque negotium fuit non otiosum, sed operosum magnopere, citationes, citatis restituere, ne quasi confusum chaos exsurgeret. Denique ut finem faciamus, quantum ad glossam interlinealem, illam arbitrari antiquiorem hujuscemodi consarcinatione satis persuasum habemus, ne quis suspicetur quod ea quæ commentatur Magister, potius sint translata in hujusmodi glossemata quam e diverso. Nam in veteribus et libris et bibliothecis hæc glossa interseritur, maxime cum prisci illi auctores ob inopiam scriptorum, et scripturæ angustiam laconismo delectarentur. Sed et multis partibus Joannes Trithemius a nobis stat, qui inter scriptores ecclesiasticos recenset Anselmum Laudunensem virum ingenio acutum, sermone scholasticum non minus vita quam C scientia insignem, novo expositionis genere, utriusque Testamenti scripturas glossa interlineali et marginali ex Patrum scriptis explanasse. Is autem ut ex eodem auctore colligimus claruit ante Magistrum sententiarum annis circiter triginta. Denique adeo præclara disces ex his commentariis, quæ non habentur in aliis glossarum fasciculis, ut non pœniteat frequentis lectionis. Fruere igitur et vale in crucifixo Jesu, amice lector.

AD LECTOREM.

Quantum frugis, amice lector, et accessionis ad eruditionem tuam noster hic Petrus Lombardus tibi sit allaturus satis vel te docere potest silva proborum auctorum quos citatos vides. Deinde non unius tantum doctoris mentem hic reperies, id quod in aliis contingere solet, sed oraculum quoddam divorum (sic enim dixerim) et inter sanctos et veteres illos doctores definitam sancitamque expositionem, ab eo comprobatam, cui nomen Magistri bono jure tributum est, velut a primo senatore, post assidentium suffragia, latam sententiam. Quidquid enim hinc haurire licebit, non et lacunis, non ex amnibus turbidis, Ægyptiis et amaris hæreticorum fluviis petitum velim existimes. Omnia plena sunt veteris et primæ illius doctrinæ qua floruit Ecclesia, cum veteribus doctoribus tanquam gemmis ac margaritis perlucebat. Quod si Lombardus sui animi sensum tantum scripsisset, profecto non tam est inferior doctrina et opinione quin potuissent ejus lucubrationes inter doctorum monumenta recenseri. Jam vero quando sua sententia aliorum nec vulgarium auctorum interpretationes comprobavit ut sacrosanctas, quid non dignum viro bono ac modesto, quid non antiquum receptumque poteris hic audire vel legere? Equidem pro tam multis in Psalterium commentariis, vel hic unus tibi esse poterit, sicque carebis cæteris, ut quos delegit doctissimus censor, simul in isto habeas universos. Adde quod tituli psalmorum ita copiose, docte et utiliter collecti sunt, ut nec apud quempiam reperias hujusmodi divitiarum penu, et fatearis postea nihil esse, quod brevi comprendio ad veram psalmorum intelligentiam viam paret expeditius. Hæc de commentariis.

Cæterum quod attinet ad apologiam viri optimi et eruditissimi doctoris Richardi Cenomani paucis hominum duo genera velim, alterum eorum qui nostra Vulgata editione fuerunt hactenus contenti, alterum Hebraicæ linguæ candidatorum. Illi statim, ubi vel Hebræas aut Græcas voces aliquot viderint, non desperent, tanquam qui nihil utilitatis sint inde laturi, quod in linguis illis non promoverint. Legant enim diligenter apologiam quam collationem vocat, et eam conferant cum eo versu qui tractatur, legantque commentarium loci illius, tum perspicient quam ridiculum sit, levi occasione et de industria editionem ecclesiasticam, quæ ab omnibus veteribus summe laudata est, a Hieronymo, Lirano et aliquot aliis peritis He-

braicæ linguæ recepta, probata, commentariis illustrata sugillare ut ineptam et indignam quæ apud Christianos habeatur in manibus. Deinde hic invenient objectionem præsentissimam adversus leves quosdam hujus ætatis sciolos, qui vix prima elementa sanctæ linguæ docti deblaterant in editionem Latinam, si quando verbum verbo non respondet, aut phrases, quibus mirandis abundant Hebræi, apud nos non satis explicantur, scilicet modestiæ student isti qui sibi vindicare audent, quod verecunde faciunt etiam ii qui linguæ illius peritissimi sunt, et judicio acerrimo valent. Postremo regatos cupio Hebraismi candidatos dare veniam hujus apologiæ auctori, si quosdam acrius reprehendat quam vellent. Vir enim candidus et præcipitis novitatis impatiens rem Christianam forsitan hac via periclitatum iri reformidavit. Et vide quid indoctum vulgus existimare poterit obrutum tot versionibus tam dissidentibus non solum Vulgata, sed inter sese quoque longissimo intervallo, profecto testatos audeam bonos viros non esse modestiæ partes tam faciliter et libere a communi editione recedere, vel suam tanquam absolutam et eam solam in vulgus intrudere. Aliud est indicare Hebraismum, seorsumque aperire locum eumdem varie posse transferri; aliud propria cupidine, et minimo cum judicio de re gravissima suum phantasma edere; ac velut indigestum cibum in vulgi conspectum evomere. Utinam vero quos habet Lutetia in ea lingua absolutissimos, sed modestissimos suum judicium, quod quam acerrimum habent hujusmodi ferrent aliquando, tum animadvertere liceret multos hujus ætatis sciolos magis novitatis et animi ostentandi causa, ne dicam lucri, varias editiones præcipitasse, quam ut puram et integram Scripturam haberemus. Nam qui prodesse cupit et non est dementatus, ita rem instituit, ut tum maxime negotium non facessat cum rem aggreditur, atque adeo de pollicita utilitate grande incommodum non faciat egredi. Utere itaque his commentariis, amice lector, et apologiam amplectere, si quidem diligis Ecclesiæ auctoritatem, et pessundandos veterum doctorum in Psalterium commentarios non cupis. Cæterum si venia deprecanda est aliquando typographis, quod omnia tam correcte non licet excudere, equidem Joannes Lodoicus Tiletanus optimo jure etiam si non deprecetur suæ diligentiæ fidens, tamen venia dignus est. Quantum enim laboratum sit in exemplari veteri manuscripto non facile exprimi posset; nam præter hoc quod innumeris scateret mendis, tum in orthographia, tum in distinctionibus constituendis, etiam ita lectu difficile erat, ut bonam partem dictionum potius divinare quam legere liceret. In Hebræis autem vocabulis nihil mendorum adnotavimus, tametsi in aliquot paginis erratum sit, quod non liceret tempestive apud typographum adesse cum prima quoque folia inciperet excudere. Sed id raro et in paucissimis paginis primum datis prælo id accidit. Vale.

PETRI LOMBARDI

IN

PSALMOS DAVIDICOS COMMENTARII

PRÆFATIO.

Cum omnes prophetas Spiritus sancti revelatione constet esse locutos, David prophetarum eximius quodam digniori atque excellentiori modo, velut tuba Spiritus sancti, quam alii prophetavit [Cassiod.]. Alii namque prophetæ per quasdam rerum imagines atque verborum integumenta, scilicet per somnia ac visiones, facta ac dicta prophetarunt. David autem solius Spiritus sancti instinctu sine omni exteriori adminiculo, suam edidit propheticam. Unde convenienter dicitur liber iste Soliloquiorum. [Hier. et Remig.] Dicitur quoque Psalterium, quod nomen accepit a quodam musico instrumento, quod Hebraice nablum. Græce psalterium, a Græco ψάλλειν quod est *tangere*, Latine organum dicitur, quod est decachordum et a superiori reddit sonum per manuum tactum. Ab illo autem instrumento ad litteram ideo nominatur liber iste, quia ad vocem illius instrumenti David decantabat psalmos ante arcam in tabernaculo Domini. Et quemadmodum singulæ modulationes illius instrumenti vocabantur psalmi, ita et singulæ istius libri particulæ vel clausulæ. Juxta spiritualem quoque intelligentiam bene ab illo instrumento nomen sortitur, quia sicut illud instrumentum est decachordum, ita liber iste docet observantiam decem mandatorum. Et sicut illud instrumentum reddit A sonum a superiori per manuum tactum, sic liber iste docet bene operari, non pro terrenis, sed pro cœlestibus, quæ sursum sunt.

Consistit autem liber iste in centum et quinquaginta psalmis, non præter altioris significantiæ rationem. Hic enim numerus celeberrimis annotatur mysteriis. Constat enim ex octogenario et septuagenario : et octogenarius idem significat quod octonarius, et septuagenarius idem quod septenarius. Octonarius vero octavam significat resurrectionis, quia cum sint VI ætates viventium, et VII morientium, octava ætas erit resurgentium : quæ ex tunc cœpit, quando animæ quiescere cœperunt in passione Christi. Per septenarium vero significatur tempus hujus vitæ, quæ septem dierum repetitione B agitur. Recte ergo compositus est liber iste in tali numero psalmorum, cujus partes præfata notant mysteria, quia sic nos in hujus vitæ septenario operari ac vivere docet, ut in octava resurrectionis non induamur diploide confusionis, sed stola geminæ glorificationis.

Vel ideo in hoc numero psalmorum est compositus, quia ut diximus hic numerus constat ex octogenario et septuagenario, qui idem significat quod octonarius et septenarius. [Aug.] Octonarius vero significat Novum Testamentum. Patres enim Novi

Testamenti ogdoadi, id est, octonario deserviunt; observant enim octavam diem resurrectionis Christi, id est Dominicam et octavas sanctorum, exspectantes octavam resurrectionis. Per septenarium vero significatur Vetus Testamentum, ideo quia Veteris Testamenti Patres hebdomadi, id est septenario serviebant. Observabant enim septimum diem septimam septimanam, septimum mensem, septimum annum. Et septimum annum septimæ decadis, qui et jubileus dicitur. Unde Salomon: *Da partes septem nec non et octo* (*Eccle.* XI); et Michæas: *Suscitabimus super eos septem pastores, et octo primates* (*Mich.* V). Bene igitur hic liber in hoc numero psalmorum est editus, cujus partes utriusque Testamenti significant doctrinam, ut per hoc ostendatur in hoc libro utriusque Testamenti contineri mandata.

Distinguitur autem liber iste per tres quinquagenas, quibus tres status Christianæ religionis significantur, quorum primus est in pœnitentia, secundus in justitia, tertius in laude vitæ æternæ. Quocirca prima quinquagena terminatur in pœnitentia, scilicet *Miserere mei Deus, secundum*, etc. (*Psal.* L): secunda in justitia, *Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine* (*Psal.* C); tertia, in laude vitæ æternæ, scilicet *Omnis spiritus laudet Dominum* (*Psal.* CL). Et quia hæc ita docet, David in lib. hoc, ideo hæc triplex fit psalmorum distinctio.

[REMIG.] Notandum quoque hanc Scripturam plus cæteris in ecclesiasticis frequentari officiis, quod ideo fit, quia in hoc libro consummatio est totius theologicæ paginæ; hic enim describuntur præmia bonorum, supplicia malorum, rudimenta incipientium, progressus proficientium, perfectio pervenientium, vita activorum, speculatio contemplativorum. Hic etiam docetur quid peccatum auferat, quid pœnitentia restituat, quid pœnitens peccati conscius dicat, scilicet *Domine ne in furore tuo arguas me*, etc. (*Psal.* VI); et alibi: *Miserere mei, Deus, secundum magnam*, etc. (*Psal.* L), et quid per pœnitentiam assequatur, subjungit: *Docebo iniquos vias tuas, et impii ad te convertentur* (*ibid.*). Per quod ostenditur nulli quantumcunque delinquenti de venia ac de misericordia Dei fore diffidendum, assumpta pœnitendi humilitate. Cum enim cernimus David homicidam et adulterum per pœnitentiam factum doctorem atque prophetam, nulli pœnitentiam agendi locus diffidentiæ relinquitur. Sicut et de Sauli conversione, ejusdemque in apostolum promotione de Dei misericordia plene certificamur. Unde et Epistolis ejus plusquam aliorum, sicut prophetia David Ecclesia in officiis utitur. Ideo quoque hæc prophetia in frequentiori usu habetur, quia inter alias dictorum excellit apertione. Ea quippe quæ alii prophetæ obscure et quasi per ænigmata dixerunt de passione et resurrectione Christi, et æterna genitura et de cæteris mysteriis, David prophetarum excellentissimus ita evidentissime aperuit, ut magis videatur evangelizare quam prophetare. His consideratis intueri restat quis titulus, quæ sit ejus materia, quæ intentio; quis modus tractandi. Est itaque titulus talis:

A *Incipit liber Hymnorum, vel Soliloquiorum Prophetæ de Christo.*

Liber dicit et non libri, contra illos qui dicebant plures libros esse propter quinque psalmorum distinctiones quæ fiunt per *fiat, fiat.* Quibus quoque Hieronymus consentit, sed hæc illorum non valida est ratio. Licet enim quinque sint distinctiones, non tamen ideo quinque libri sunt dicendi, sicut plures sunt distinctiones Epistolarum Pauli, et tamen unus liber. Ex verbis quoque ipsius David hoc clarescit, qui in Christi persona loquens ait: *In capite libri scriptum est de me.* [CASSIOD.] Libri ait, non librorum, unum librum, et non plures fore significans. Inde etiam in Actibus apostolorum dicitur: *Sicut scriptum est in libro psalmorum* (*Act.* I), B non dixit libris. Itaque liber unus est, quamvis Hieronymus quinque esse dicat, propter quinque distinctiones.

Hymnorum vel soliloquiorum. [AUG.] Hymnus est laus Dei cum cantico. Canticum est exsultatio mentis habita de æternis in vocem prorumpens. Bene ergo dicitur liber iste hymnorum, quia docet nos laudare Deum cum exsultatione habita de æternis: et hoc non tantummodo corde, verum etiam voce, ut qui audit, dicat: Veni (*Apoc.* XXII), et cortina ducat cortinam, et fontes nostri deriventur foras. Et sunt isti hymni apud Hebræos metrice scripti: quod in translatione servari non potuit. Vel Soliloquiorum. [CASSIOD.] Hic videndum est quid sit prophetia, et quibus modis fiat, et secundum quæ tempora. Est C igitur prophetia inspiratio vel revelatio divina, rerum eventus immobili veritate denuntians. Unde prophetia visio, propheta videns dicitur. Fit autem quatuor modis, per facta, vel per dicta, per ea quæ videntur dici vel fieri, id est per somnia et visiones: Per facta ut per arcam Noe, quæ significabat Ecclesiam, et sicut per sartaginem ferream inter prophetam Ezechielem et civitatem positam; per dicta, ut per ea quæ angeli dixerunt Abrahæ et aliis fidelibus, ut: *In semine tuo benedicentur omnes gentes* (*Gen.* XXII) et hujusmodi; per visiones, sicuti factum est Jeremiæ, qui vidit ollam succensam a facie aquilonis, et sicut Moysi qui vidit rubum ardere, qui non consumebatur, et Ezechiel vidit rotam in medio rotæ; per somnia, ut per somnium Nabuchodonosor, qui vidit lapidem de monte sine D manibus præcisum. Quod autem fuit somnium regi, fuit prophetia Danieli. Et per somnium Pharaonis, qui vidit septem boves, et septem spicas, quod fuit prophetia Joseph, spiritualiter intelligenti. Præter hæc, est et alius prophetiæ modus, cæteris dignior, quando scilicet ex sola Spiritus sancti inspiratione, remoto omni exteriori adminiculo facti, vel dicti, vel visionis, vel somnii, prophetatur. Hoc modo prophetavit David, scilicet solius Spiritus sancti instinctu. Unde in sequenti: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus* (*Psal.* LXXXIV). Propterea soliloquium dicitur, quasi solius Spiritus sancti eloquium; licet enim et in titulis et in psalmis quibusdam alludat diversis historiis, tamen ex eis nil didicit, sed in eis quod per Spiritum sanctum ante

cognoverat, figurari intellexit. Vel soliloquia dicuntur, quasi sola de Christo eloquia; alii namque obscure, et quasi per ænigmata prophetarunt de Christo: Iste vero David, quod et de incarnatione et de passione, et de æterna genitura, et de resurrectione, evidentissime disseruit; et ideo dicitur liber Soliloquiorum. Sicut autem prophetia diversis fuit modis, ita etiam secundum diversa tempora. Est autem prophetia alia de præsenti, alia de præterito, alia de futuro. De præsenti, ut Elisabeth: *Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?* (*Luc.* I.) De præterito, ut Moyses: *In principio creavit Deus cœlum et terram* (*Gen.* I). De futuro, ut: *Ecce virgo concipiet*, etc. (*Isa.* VII). Et sit prophetia per bonos, ut per Isaiam, Jeremiam et alios. Et per malos, ut per Balaam, Caipham et alios. Item prophetia alia secundum præscientiam Dei, quam necesse est omnibus modis impleri, etiam secundum tenorem verborum, ut: *Ecce virgo concipiet* (*ibid.*), alia secundum comminationem, ut: *Quadraginta dies sunt, et Ninive subvertetur* (*Jon.* III), quæ non secundum verborum superficiem, sed tacitæ intelligentiæ significatione impletur.

Prophetæ per excellentiam cum dicitur Propheta sine adjectione proprii nominis intelligitur David, ut cum dicitur Apostolus intelligitur Paulus, et Urbs Roma. Hæc autem dicit contra quosdam qui dixerunt plures fuisse psalmorum scriptores, vel auctores, eo quob eorum nomina in titulis hebeantur, ut Asaph, Heman, Ethan et Idithum, quod pro mysteriorum significatione quæ ex interpretationibus nominum percipitur factum esse in libro ostendemus. Non ergo illi auctores psalmorum fuerunt, sed positio nominum rationi servit mysteriorum.

De Christo. Ecce de quo agunt Soliloquia, de Christo toto, id est de capite et corpore.

Materia itaque hujus libri est totus Christus, scilicet sponsus et sponsa. Intentio, humines, in Adam deformatos, Christo novo homini conformare. Modus tractandi talis est. Quandoque agit de Christo secundum caput, aliquando secundum corpus, aliquando secundum utrumque. De Christo autem agit secundum caput tribus modis. Quandoque secundum divinitatem ut, *Tecum principium (Psal.* CIX), aliquando secundum humanitatem, ut, *Ego dormivi et somnum cœpi* (*Psal.* III); aliquando per transumptionem, ut quando utitur voce membrorum, sicut ibi, *Longe a salute mea*, etc. (*Psal.* XXI). Et *ibi, Deus, tu scis insipientiam meam*, etc. (*Psal.* LXVIII). Item de Ecclesia, tribus modis: Aliquando secundum perfectos, aliquando secundum imperfectos, interdum secundum malos qui sunt in Ecclesia corpore, non mente; nomine, non numine.

De ordine quoque psalmorum, qui a serie historiæ discordant quæri solet, quare scilicet non sunt eo ordine dispositi quo compositi. Quod non esse liquet, cum historia de qua agitur, in *Miserere mei, Deus (Psal.* L), præcesserit illud, de quo agitur, in *Domine quid multiplicati sunt* (*Psal.* III). Et: *Benedictus Dominus Deus meus qui docet manus meas*, etc. (*Psal.* XVII), ante ambos prædictos psalmos editus fuerit. Ad quod dicitur, quia si in quibusdam possit reddi ratio ordinis, non tamen in omnibus. Neque tamen sine ratione ita dispositi sunt. Esdras namque propheta, qui Psalterium et totam bibliothecam a Babyloniis combustam instinctu Spiritus sancti reformavit, eodem Spiritu revelante, psalmos ita disposuit, eisdem et titulos apposuit, qui sunt quasi claves psalmorum, Sicut enim per clavem intratur in domum, ita per congruas titulorum expositiones, subjectorum clarescit intelligentia psalmorum. Hæc autem circa totum librum advertenda sunt.

Præter hæc autem in singulis psalmis quædam specialia consideranda sunt.

[HIERON. in *Comment.*] De primo itaque psalmo videamus, ubi considerandum est quare ei titulus non præponitur sicut et aliis, quæ sit ejus materia, quæ intentio, quis modus tractandi. [CASSIOD.] Hinc primo psalmo, ideo titulus non apponitur, quia psalmus iste principium est et præfatio, et caput libri, sicut in sequenti dicitur: *In capite libri scriptum est de me*: et de illo agit, qui est omnium principium, id est, de Christo, qui non habet principium, [HIERON in *Comment.*] Ideo itaque titulo caret, ne titulus præscriptus, libri caput et initium videretur; vel etiam ideo quia iste psalmus, quasi titulus et prologus est sequentis operis. Continet enim summam et materiam totius libri. Materiam autem hujus psalmi eadem est, quæ et totius libri scilicet Christus integer. Similiter intentio. Modus autem tractandi talis est. Bipartitus est psalmus. Primo, agit de beato viro, per beatitudinem nobis blandiens. Secundo, agit de ultionibus iniquorum, terrens nos adversis, ibi: *Non sic impii, non sic.* De beato autem viro agit hoc modo: Primo versu ostendit eum immunem ab omni malo; secundo, plenum omni bono in se, inde utilem aliis, et hoc usque ad partitionem. Ad ostendendum vero eum immunem ab omni malo, utitur comparatione veteris hominis, scilicet Adæ, ostendens illum plenum esse omni malo, quia non valet melius ostendi cujusque rei excellentia, quam si sui contrarii vilitas atque oppressio vel depressio non taceatur Ostendit itaque veterem Adam triplici genere peccandi, deliquisse scilicet cogitatione, voluntate et actu, verbi doctrina vel consuetudine. Item: Cogitatio large accepta tria complectitur, scilicet primum motum animæ qui est venialis culpa, delectationem atque consensum quæ sunt mortalia. Qui ergo peccat, consensu et cogitatione peccat. Qui vero nec cogitatione peccat, nec consensu, vel delectatione. Hic autem tria genera peccandi notat per tria verba scilicet: *Abiit, stetit, sedit.* Per *abiit*, peccatum voluntatis; per *stetit*, peccatum operis, per *sedit* peccatum verbi, vel consuetudinis. Abiit ergo Adam a Deo, non loco, [CASSIOD.] sed dissimilitudine, cum persuasioni diaboli et Evæ consentiens a Deo recessit; [ALCUIN.] stetit, cum pomum vetitum comedens, in peccato delectatus est; sedit, cum se excusando et culpam in Creatorem referendo in superbia confirmatus est (*Gen.* III), dicens: *Mulier*

quam dedisti mihi seduxit me, [Aug.] non valens redire nisi per eum liberatus, qui nihil horum habuit. Et dicitur hoc a simili exsulantium, qui dum sunt in via, facilius revocantur; cum jam stant, difficilius; demum difficillime, cum jam ibi magistri et domini effecti sunt. Ita qui sola voluntate peccat facilius redit; qui opere, difficilius; qui vero consuetudine vel doctrina verbi, difficillime revocatur. [Aug. lib. I, *De sermone Domini in monte*, et serm. 90 De tempore.] Isti sunt tres mortui, quos Dominus suscitavit, in domo, in porta, in sepulcro: hoc est triduum quo Moyses volebat educere populum Dei de Ægypto. Item nota: Peccatorum impiorum pestilentiæ. Nam impius est qui peccat in Deum, peccator in se, pestilens in proximum. Et Adam in Deum et in se, et in proximum peccavit. [Remig.] Quasi diceret: Primus homo miser et infelix, qui abiit in consilio impiorum. [Gloss. interlin.] Id est serpentis et Evæ, id est consensu voluntatis peccavit; in via peccatorum stetit, id est opere peccavit. [Alcuin.] Et in cathedra pestilentiæ sedit, dans aliis exemplum peccandi, id est docendo vel consuetudine peccavit. Cathedra enim proprie doctorum est sicut thronus regum, tribunal judicum. [Remig.] Ecce ostendit primum hominem tribus modis peccasse. Peccatur enim cogitatione, actu, verbis, docendo. Nunc quo ordine creverunt in primo homine removeri debent a secundo. Ac si dicat: Primus homo infelix, qui abiit, stetit, sedit, sed secundus est beatus.

PETRI LOMBARDI

COMMENTARIUS

IN PSALMOS DAVIDICOS.

I PSALMUS PRIMUS.

Vers. 1. — « Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiæ non sedit. »

[Cassiod.] *Beatus* dicitur cui omnia optata succedunt, *vir* scilicet contra prospera et adversa firmus, *qui non abiit* [Gl. int.] a Deo in regionem dissimilitudinis, id est cogitatione non peccavit, quamvis esset positus, *in consilio impiorum*, id est quamvis impii hoc molirentur: quod est laudabilius [Aug. et Hier.] Non abiit iste, sicut Adam, qui consensit uxori, a diabolo deceptæ. Impii hoc molientes, dæmones sunt, et Scribæ, et Pharisæi. *Et in via peccatorum non stetit* [Aug.]. Via peccatorum mundus est, in quod quidem natus, et inter peccatores conversatus est, sed non tenuit eum illecebra sæculi [Gl. int.] Vel, via peccatorum est prava operatio, quæ ducit ad mortem. Et est: in via peccatorum non stetit, id est vel in mundo, vel in prava operatione *Et in cathedra pestilentiæ non sedit* [Aug.], id est, noluit terrenum regnum. Est enim pestilentia, morbus late pervagatus, omnes, aut pene omnes involvens, et dicitur a pastu, quasi pastulentia. Hic est amor dominandi quo vix caret aliquis. Vel, cathedra pestilentiæ, accommodatius accipitur prava, et perniciosa doctrina, quæ ut cancer serpit. Et est in cathedra pestilentiæ non sedit, id est non perniciosam doctrinam docuit, sed salubrem. Ecce hoc primo versu ostenditur immunis ab omni malo per remotionem eorum quæ in primo homine fuerunt.

Vers. 2. — « Sed in lege Domini voluntas ejus; et in lege ejus meditabitur die ac nocte. »

Sed in lege Domini [Rem.]. Hic ostenditur Christus plenus omni bono in se, quia non est perfecta laus fugere vituperanda, nisi sequantur laudanda. Unde post ostensam immunitatem, addit, *Sed in lege*, quasi dicat: Non abiit, non stetit, non sedit, sed in lege Domini fuit voluntas ejus [Aug.]. Aliud est esse in lege, aliud sub lege. Qui est in lege, secundum legem agit, voluntarie legi obediens. Qui autem sub lege est, secundum legem agit, necessitatis timore coactus. Ille liber, iste vero servus. Iterum: Aliud est lex litteræ, quæ scribitur servo; aliud lex sanctitatis, quæ mente conspicitur a filio, qui non indiget litteris; justo enim lex posita non est, ut ait Apostolus (*I Tim.*, I). Dicit ergo, *in lege Domini* quia voluntate serviebat, non sub lege, quasi ex tristitia et ex timore serviret *voluntas ejus*, id est Christi [Cassiod.]. Voluntas dicit, ut ostendat quod non sit tædium ei laborum. Et hæc voluntas non est otiosa, vel non est ad horam [Aug.] Sed *meditabitur die ac nocte*, id est assidue, et in prosperis, et in adversis. Dies enim lætitiam, nox adversitatem significat. [Cassiod.] *In lege ejus*: non utique in littera legis, sed in sanctitate propositi. Et hæc legis meditatio sanctitatis jugis observatio. Vide qualiter hæc præcedentibus respondeant. Ibi dicit, non abiit; hic, voluntas in lege. Ibi, non in via peccatorum stetit, non in cathedra pestilentiæ sedit; hic, assidue in lege Domini meditabitur.

Vers. 3. — « Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum: quod fructum suum dabit in tempore suo. »

Et erit tanquam lignum quod plantatum. [Alcuin.] Supra ostendit Christum immunem ab omni malo, et plenum omni bono in se; hic utilis nobis ostenditur: et hoc tribus modis, scilicet dans fructum vitæ, et folia, et obumbrans. Et nota quia hæc omnia non omni beato viro conveniunt, sed Christo soli. Et est hæc plena diffinitio beati viri, quasi dicat: Meditabitur die ac nocte, et erit tanquam lignum. Loquitur de Christo, a simili ligni vitæ quod erat in medio paradisi, de quo homo obediens, si comederet, viveret in æternum. Ita qui Christum spiritualiter sumit, non videbit mortem in æternum [Gl. in.]. Et sicut illud lignum cæteris viridius erat, sic et Christus cæteris sanctis viridior erat, cui spiritus non est datus ad mensuram [Hier.]. Erat ergo tanquam lignum, id est vere lignum vitæ, ut ait Sapientia. Est lignum vitæ omnibus amplectentibus eam [Gl. in.]. *Tanquam*, aliquando similitudinem notat tantum, aliquando veritatis expressionem facit, aliquando utrumque, ut hic. Ita enim notat similitudinem, ut veritatis non excludat expressionem [Aug.]. *Quod plantatum est*, id est humanatum est, vel incarnatum, per quod ad eum accedere possumus. Et hoc, *secus decursus aquarum* [Alcuin. et Aug.]. Aquæ Spiritum sanctum significant, juxta illud: *Qui crediderit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ* (*Joan.* VII). Et est contra æstum vitiorum, ut aquæ contra æstum sitis. Et est, plantatum est secus decursus aquarum, id est homo fiet secundum operationem Spiritus sancti, qui in eum plenissime descendit. Et ideo apponit decursus aquarum, ut plenitudinem notet [Alcuin.]. Vel per aquam, sapientia Dei intelligitur: quia interior homo reficitur, ut sitis aqua. Et est plantatum secus decursus aquarum, id est secundum sapientiam, quæ hominem suscepit, id est fiet homo unitus sapientiæ Dei. Et bene ait, secus aquam, quia non est factus homo Deus vertibilitate naturæ in naturam, sed unione personæ [Aug.]. Et ita aquæ sunt mortale genus. Unde Joannes in Apocalypsi: *Aquæ multæ, populi multi* (*Apoc.* XVII) quia defluunt in mortem, ut aqua in mare. Et est plantatum secus decursus aquarum, id est secundum fluxum populorum, quia in similitudine carnis peccati apparuit [Gl. int.]. Quod lignum *dabit fructum suum*, id est vitam æternam *in tempore suo*, id est in tempore plenitudinis, quo reseratus est aditus paradisi, de quo [Aug.]: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis* (*II Cor.* VI). Vel ita: Dabit fructum suum, id est Ecclesias constituet, in tempore suo, id est post resurrectionem et ascensionem, misso Spiritu. Vel ita: Dabit fructum suum, id est Spiritum sanctum mittet. In tempore suo, id est post glorificationem suam. Unde in Evengelio: *Non est datus Spiritus sanctus, quia modum glorificatus est Christus* (*Joan.* VII). Et nota hoc lignum esse rationabile, per hoc quod ait, dabit [Cassiod.]. Dare etenim pertinet ad rationabilem sensum et ad voluntatem offerentis.

VERS. 4 — « Et folium ejus non defluet: et om- « nia quæcunque faciet prosperabuntur. »

[Aug.] *Et folium ejus non defluet*, id est verbum

A ejus non erit irritum, sed deducet ad vitam. Unde: *cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt* (*Matth.* XXIV).[Cassiod.]. Et bene verba, folia dicuntur, quia sicut folia tegunt fructus suos, ita verba Domini suas promissiones custodiunt [Alcuin.]. Et quid per singula? [Aug., Cassiod., Gl. int.] *Et omnia quæcunque faciet prosperabentur*, id est fructus et folia, id est facta et dicta, prosperabuntur sibi, contra casum Adæ et membris suis. Et bene dicit omnia, quia et si moreretur, tamen omnia quæ faciet prosperabuntur, quia mors ejus est salus mundi.

PARS. II, VERS. 5. — « Non sic impii, non sic; « sed tanquam pulvis quem projicit ventus a facie « terræ. »

Non sic impii. Hic est secunda pars, ubi agit B de ultionibus iniquorum, et terret adversis. Horum formido gratiora facit promissa, quasi dicat: Omnia illius prosperabuntur. Sed impii non sic, quia nihil poterunt assequi. Et nota quia hac repetitione immobilis firmitas monstratur. Non sic, *sed* sunt *tanquam pulvis*, quia cedunt pravis suggestionibus, non habentes humorem gratiæ Dei; *quem projicit ventus*, id est superbia, quæ vento comparatur, quia petit alta et inflat; *a facie terræ*, id est a præsentia stabilitatis æternæ [Aug.], quæ dicitur terra a simili, quia sicut hæc terra nutrit et continet exteriorem hominem, ita illa interiorem.

VERS. 6. — « Ideo non resurgunt impii in judicio, « neque peccatores in concilio justorum. »

C *Ideo non resurgunt impii.* Et quia ventus projicit, id est quia dati fuerunt in reprobum sensum, ideo non resurgunt impii, prima resurrectione, quæ est in fide, scilicet a peccatis. Et hoc, *in judicio*, id est ut se judicent et accusent.

Duæ quippe resurrectiones sunt. Una, animæ, in præsenti, qua resurgit homo a peccatis. Unde Apostolus: *Exsurge, qui dormis, et illuminabit te Christus* (*Ephes.* V). Altera, corporis, in futuro, qua fiet impassibile et immortale. Hic agit de illa quæ est animæ. *Neque* ipsi *peccatores* item resurgent, *in consilio justorum*, ut voluntatem Dei suis præferant voluntatibus, quod est consilium justorum. Vel, in concilio, alia littera, justorum, id est in concordi multitudine justorum, et est idem sensus cum priori D et accipit eosdem peccatores et impios. Vel ita: Dicit superbis tolli, quod ipsi ambiunt, id est ut judicent, agens de resurrectione corporis et judicio futuro, quasi dicat: Quasi ventus projicit, ideo non resurgunt impii in judicio, id est ut judicent, quod planius repetit [Aug.], *neque* ipsi, id est *peccatores* resurgent in concilio justorum, id est in judicio, ut cum eis judicent. Consilium dicit judicium ex similitudine, quia judicium Dei, quasi in consilio erit, in quo diversa peccata diversis pœnis punientur. Vel ita, ut alios accipiamus impios, alios peccatores. [Cassiod. Aug.]. Impii sunt infideles, idololatræ, apostatæ, qui cum resurgent non judicabuntur, quia jam judicati sunt. Peccatores, sunt Christiani falsi. Et est, quia ventus projicit; ideo impii, id est penitus infideles,

non resurgent in judicio, ad hoc ut judicentur, quia jam judicati sunt; neque peccatores, id est falsi fideles, resurgent in consilio justorum, id est ut judicent, sed judicabuntur tantum.

[Hier. et Aug.] Nota quod quatuor ordines in judicio erunt : Alii namque erunt, qui judicabunt et non judicabuntur, ut apostoli, et alii perfectissimi; alii, qui neque judicabunt, nec judicabuntur, quia jam judicati sunt. Sententia enim damnationis eorum toti Ecclesiæ nota est, ut infideles. Alii judicabuntur et salvabuntur, ut mediocriter boni. Alii judicabuntur et damnabuntur, ut mediocriter mali. Ideo Job ait : *Non salvat impios, et pauperibus judicium tribuit* (*Job.* XXXVI). Quia hi qui nequiter opprimuntur, ipsi tunc super oppressores suos judices venient. [Greg. et Hier.] Duæ quippe sunt partes, electorum scilicet atque reproborum; sed bini ordines eisdem singulis partibus continentur. Alii namque judicantur et pereunt, alii non judicantur et pereunt; alii judicantur et regnant, alii non judicantur et regnant. Judicantur et pereunt, quibus Dominica inclamatione dicitur : *Sitivi, et non dedistis mihi potum. Discedite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* XXV). Alii vero in extremo judicio non judicantur et pereunt, de quibus, propheta ait : *Non resurgunt impii in judirio*, et Dominus ait : *Qui autem non credit, jam judicatus est* (*Joan.* III). Et Paulus : *Qui sine lege peccaverunt, sine lege peribunt* (*Rom.* II). Resurgunt vero omnes, etiam infideles, sed ad tormentum, non ad judicium.

2 Non enim tunc eorum causa discutitur qui ad conspectum districti judicis jam cum damnatione suæ infidelitatis accedunt. Professionem vero fidei retinentes, sed professionis opera non habentes, redarguuntur ut pereant, ut mediocriter mali. Qui vero nec fidei sacramenta tenuerunt, increpationem judicis in extrema examinatione non audient, quia præjudicati sunt infidelitatis suæ tenebris, ejus quem despexerant inventione redargui non merentur. Illi saltem verba judicis audiunt, qui ejus fidem saltem verbo tenuerunt. Isti in damnatione sua æterni judicis nec verba percipiunt, quia ejus reverentiam ne verbo tenus servare voluerunt. Illi legaliter pereunt, quia sub lege peccaverunt positi. Istis in perditione sua de lege nihil dicitur, quia nil legis habere conati sunt. Princeps namque terrenam rempublicam regens, aliter punit civem interius delinquentem, atque aliter hostem exterius rebellantem. In illo jura sua consulit, eumque sub verbis dignæ invectionis addicit. Contra hostem vero bellum movet, instrumenta perditionis exercet, dignaque ejus malitiæ tormenta retribuit. De malo vero ejus quid habeat, lex non requirit. Ita ergo in extremo judicio et legalis illum invectio percutit, quia ab eo quod professione tenuit, actione declinavit, et iste sine judicii invectione perimitur, qui lege fidei non tenetur. Ex electorum vero parte, alii

A judicantur et regnant, qui vitæ maculas lacrymis tergent. Qui mala præcedentia factis sequentibus redimentes, quidquid illicitum aliquando fecerunt, ab oculis judicis, eleemosynarum superductione cooperiunt. Quibus judex veniens, in dextera consistentibus dicit : *Esurivi et dedistis mihi manducare*, etc. (*Matth.* XXV). Alii autem non judicantur, et regnant, qui et præcepta legis, perfectionis virtute transcendunt, quia nequaquam hoc solum quod cunctis divina lex præcipit implere contenti sunt, sed præstantiori desiderio plus exhibere appetunt quam præceptis generalibus audire potuerunt. Quibus Dominica voce dicitur : *Vos qui reliquistis omnia, et secuti estis me, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ sedebitis et vos super thronos judi-*
B *cantes* XII *tribus Israel* (*Matth.* XIX). Et de quibus propheta ait: *Dominus ad judicium veniet cum senatoribus populi sui* (*Isa.* III) Et de quibus Salomon, cum de sanctæ Ecclesiæ sponso loqueretur, intulit dicens : *Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terræ* (*Prov.* XXXI).

Hi itaque in extremo judicio non judicantur et regnant, quia cum auctore suo etiam judices veniunt. Relinquentes quippe omnia plus propria devotione exsecuti sunt, quam juberi generaliter audierunt. Speciali namque jussione paucis perfectioribus, et non generaliter omnibus dicitur, hoc quod adolescens dives audivit : *Vade et vende omnia*, etc. (*Matth.* XIX). Si enim sub hoc præcepto, id est consilio cunctos jussio generalis astringeret, culpa profecto esset, aliquid nos de hoc mundo possidere.
C Sed aliud est quod per Scripturam sacram dicitur omnibus, aliud quod specialiter perfectioribus imperatur. Hi ergo recte sub generali judicio non tenentur, quia et præcepta generalia vivendo vicerunt. Sicut enim non judicantur et pereunt, qui suadente perfidia legem tenere contemnunt, ita non judicantur et regnant, qui suadente etiam pietate ultra generalia divinæ legis præcepta perficiunt. Hinc est quod Paulus etiam specialia præcepta transcendens, plus operæ exhibuit quam institutione legis et permissionis accepit. [Aug.] Cum enim accepisset ut Evangelium prædicans de Evangelio viveret, et Evangelium audientibus contulit, et tamen Evangelii sumptibus sustentari recusavit. Cur ergo iste judicetur ut regnet, qui minus quod servaret
D accepit; sed majus quod viveret, invenit? Recte ergo judicium pauperibus tribuit, quia quanto huic mundo magna humilitate despecti sunt, tanto tunc, acceptis sedibus, majori culmine potestatis excrescunt. Hinc alias dicitur : *Donec justitia convertatur in judicium* (*Psal.* XCIII). Justitia ergo in judicium vertitur, quia hi qui nunc juste atque irreprehensibiliter vivunt, tunc judicandi potentiam nanciscuntur. Hinc Laodicensi Ecclesiæ dicitur : *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut et ego vici et sedi cum Patre meo in throno ejus* (*Apoc.* III). Vincens Dominus in throno cum Patre sedisse se asserit, quia post passionis certamina, post resurrectionis palmam, claruisse omnibus quod potestati

Patris esset æqualis judicavit, eique se non disparem, calcato aculeo mortis innotuit. Unde et Mariæ, necdum se credenti Patri similem , dicit : *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem* (*Joan*.xx). Nobis enim in throno Filii sedere est, ex ejusdem Filii potestate judicare. Quia enim judicii principatum ex ejus virtute percipimus, velut in ejus throno residemus. Nec abhorret a vero, quod alias super xii thronos venturos testatur esse discipulos. Hic vero in throno suo perhibet esse sessuros. Per thronos quippe xii, universale judicium ; per thronum vero Filii, singulare culmen judiciariæ potestatis ostenditur. Vel ita, et accipit eosdem impios et peccatores, quos quia ventus projicit, ideo non resurgent impii in judicio, id est ut judicent in futuro. Hoc convenit cum secunda sententia, sed differt quod sequitur : Et ipsi ideo peccatores non resurgent in concilio justorum, id est ut judicati in collegio sanctorum quiescant. Vel, in concilio justorum, in eodem sensu, id est in æterno bono, quod sanctis sequi consilium est.

Vers. 7. — « Quoniam novit Dominus viam ju- « storum, et iter impiorum peribit. »

Quoniam novit, quasi dicat : Impii non resurgunt cum sanctis in judicio, quia opera justorum Deus diligit ; impiorum vero, non ; hoc est, quoniam novit, etc. Vel sic, junge secundum primam præcedentem sententiam : Non resurgunt hic in anima, quia Deus non approbat eorum opera ; nam justorum tantum, et hoc est, *quoniam novit Dominus viam justorum*, ut sua et approbat, *et iter* id est opus *impiorum peribit*. Peribit dicit pro non novit Dominus, sed planius dicitur, quia hoc est nesciri a Domino quod perire ; et sciri a Domino est manere et esse.

COLLATIO IN PSAL. I : « BEATUS VIR. »

Vers. 1. — *In cathedra pestilentiæ non sedit*. Noster interpres significantius expressisse videtur dictionem Hebraicam et Græcam, hæreticæ pravitatis notando perniciem corruptissimam, quam si dixisset illusorum Hebraice לצים LETZIM, aut *vertisset pestilentiarum*, Græce λοιμῶν. Nam legendo simpliciter illusorum, aut pluraliter pestilentiarum, non habetur forsan tale pondus emphaseos, quam præscribit Propheta, et quam divus Hieronymus explicat, ad illud Isa. lxvi, *Eligam illusores*, sive illusiones eorum, *et quæ timebant adducam eis*. « Causas, inquit, reddit cur traditi sint Scribis et Pharisæis illusoribus suis, de quibus primus psalmus, juxta Hebræos canit : *Et in cathedra illusorum non sedit*, quos appellant LXX pestilentes, quales fuerunt filii Heli, filii pestilentiæ. Idem in illud Isa. iii : *Et effeminati dominabuntur eis*. Pro quo ait in Hebræo scriptum est תעלולים TAALULIM, quos LXX, et Theodotio illusores interpretati sunt. Deinde subdit : Possumus illusores dicere et magistros populi Israel, qui devorant populum Dei sicut escam panis, et perverse Scripturas sanctas interpretantur, illuduntque stultitiæ discipulorum. Rursus in illud ejusdem prophetæ : *Populе meus, qui te beatum dicunt*, etc. (*Isa*. iii). Scribas et Pharisæos exactores appellaverat non magistros, et supra illusores. » Hæc ille. Quæ perspicue insinuant nostram editionem præter alia, prophetice taxare pestilentem Pharisæorum farinam, de qua Salvator ait, Matth. xvi :

A *Cavete a fermento Pharisæorum* (*Luc*. xii). Ad hæc idem Hieronymus in præsentem locum psalmi commentando dicit : « Pro pestilentibus in Hebræo delusores habet, quod scilicet omnes discipulos perversus doctor illudat. Radix etiam Hebraica, unde vocula deflectitur, signat interpretari verbose, Job xvi : *Verbosi amici mei* מליצי רעי MELITZAIREHAI, Quid autem sunt hæretici, nisi verborum venatores, juxta illud Proverb. xix : *Qui tantum verba sectatur, nihil habebit ; qui autem possessor est mentis, diligit animam suam*. Nonne aperte nunc vides hæreticos ampullatis et sesquipedalibus verbis et interpretationibus distortis, omnes Ecclesiæ cæremonias, dissolutis quasi cachinnis, atque rugato subsannare naso? quibus miseras animas immedicabili tabe inficiunt, ad communem omnium perditionem, si fieri posset. Itaque ut sparsa colligamus hæretica, superstitiosa et ventosa doctrina, quam in principio valebat abesse a beato viro David, unico pestilentiæ B nomine, congruentissime designata est. A quacunque enim illarum, pestilentissima corruptio, si minus caveatur, late pervagata procedit. Proinde tanta detestatione deprecandi sunt perversi doctores, in eam malitiæ dementiam prolapsi, ut non dicantur mali, sed ipsamet malitia ; non pestilentes, non illusores, sed singulariter et extreme, pestilentia. Disce igitur nostram venerari versionem, quæ tantillo verbo re maxima comprehendit tam abstrusum sensum, quo prægnans erat vocula Hebraica לוץ LOTZ.

Vers. 5. — *Non sic impii non sic*. Hebræus legit semel duntaxat, *non sic* לא כן lo chen. LXX aut aliæ versiones Græcæ sententiæ gravitate repetitione insinuaverunt, ut psalmo 21 : *Deus, Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti ?* ubi Hebræus non habet, *Respice in me*. Pondus enim rei, additione illa vocali intimius sentitur, pro immensitate doloris Jesu Christi, in cruce dire patientis, de cujus C mira patientia, totus ille psalmus loquitur. Consimile adducit divus Hieronymus, de optimo genere interpretandi ad Pammachium ex Marc. v, טליתא קומי TALITHA QUMI, quod est interpretatum, *puella tibi dico, surge*. Arguatur, inquit Hieronymus, mendacii, quare addiderit, *tibi dico*, cum in Hebræo tantum sit, *puella, surge*. Sed ut ἐμφατικώτερον faceret, et sensum vocantis atque interpretantis exprimeret, addidit, *tibi dico*. » Hæc ille. Quantum tamen pertinet ad præsentem locum, Hieronymus asserit se duntaxat semel reperisse, *non sic*, in Hexaplis Origenis. *Quem projicit ventus a facie terræ*. Hebraice tantum habetur, *quem projicit* sive *projiciet ventus eum* אשר תד פנו רוח ASCHER TID PENNU RUACH. LXX, conformiter ad nostram editionem ἀπὸ προσώπον τῆς γῆς quo exprimerent latentiam sententiæ, quæ includebatur in verbis Hebraicis. Quod autem vertit Sanctes *glumam*, quem se- D quitur interpres pro Cajetano, Munsterus *paleam*, Campensis paraphrasis *festucam*, non perinde quadrat sensui prophetæ, ac pulvis, ut versio nostra habet, et Hieronymus juxta Hebræos, Conrardus et Pratensis. Nam licet MOTH מוץ significet indiscriminatim glumam, paleam subtilem, vel pulverem aut quisquilias, non tamen ita ventus solet projicere a facie terræ communia glumam : quin potius ventilarum, aut excussorium projicit a facie areæ. Ventus vero ubique (ut perspicuum est) indesinenter pulverem exagitat, per quod significantissime denotatur impiorum inconstantia, et a stabilitate vitæ æternæ separatio perpetua, juxta illud Threnorum i : *Peccatum peccavit Jerusalem, propterea instabilis facta est*. Nec video qua ratione isti rejecerint editionem quam dicunt Vulgatam. Et certe quanto vulgatiorem, tanto receptiorem. Nam nova indigent longiore multo probatione, quam ve-

tusta, quæ tam multis annis explorata sunt. Et illa nova nullius essent auctoritatis, vel certe minoris, nisi vetusta fierent.

VERS. 6.— *Neque peccatores in concilio justorum.* Magister interpretatur *concilium* et id quod est voluntatis, et quod est congregationis, duplici sensu quemadmodum acceperunt LXX. Cum notum sit βουλὴν utrumque significare. Nec ex hoc læditur Hebræum עדת ADATH, id est *congregatio* quando-

A quidem consilium Domini, est congregatio justorum, qui ne ad latum unguem discedunt a voluntate ejus. Unde Psal. LXXXVIII, *Deus qui glorificatur in consilio sanctorum*, dupliciter legi potest, aut per *s*, aut per *c*, etiam ex Hebræo בסוד BESOD, ut intelligas congregationem sanctorum, quorum est salutiferum consilium, fragilitate sua agnita in Domino gloriari.

PSALMUS SECUNDUS.

PSALMI TITULUS : « PSALMUS DAVID. »

Quare fremuerunt gentes (Cassiod.) Psalmus iste secundus est in ordine, et primus in titulo. Unde et in Actibus apostolorum primus dicitur (*Act.* IV)
B Titulos autem Esdras propheta psalmis apposuit, qui sunt quasi claves et januæ psalmorum. Per eorum namque intelligentiam subjectorum psalmorum clarescit sententia. Licet enim in titulis frequenter tangatur historia, vel ponantur aliquorum nomina, unde ad litteram non agitur in psalmis; tamen et historia mystice intellecta, et nomina congrue interpretata psalmorum continentiam aperiunt, ut hic ubi ponitur David, qui interpretatur *manu fortis, desiderabilis aspectu*. Et significat Christum, qui vere est manu fortis debellando aerias potestates, et desiderabilis aspectu, id est in quem sancti angeli desiderant prospicere (*I Petr.* I), Psalmus *bonam* operationem notat. Dicebatur enim ad litteram psalmus modulatio quæ fiebat per tactum decem
C chordarum, ita bona operatio quæ fit per observantiam decem mandatorum. Et sensus tituli, *psalmus;* iste, id est tractatus iste, qui dicitur psalmus, quia monet ad bene operandum, attribuitur *David*, id est Christo, qui agit hic de se rege. Intentione monet ut ei subdamur. Modus talis, tripartitus est psalmus. Primo increpat persequentes et minatur, et loquitur Christus, vel Propheta ; secundo, inducit verba Christi agentis de omnipotentis regno, et inenarrabili genitura sua ubi de divinitate et humanitate ejus multa discimus, ibi. *Ego autem constitutus sum*, etc. ; tertio pro his arcanis patefactis admonet omnes humiliter obedire, et suadet ab utili scilicet ne pereant et ab honesto quia *beati qui confidunt in eo:* ibi, *Et nunc reges*, Increpans ergo
D persequentes Propheta, vel Christus dicit.

VERS. 1. « Quare fremuerunt gentes, et populi « meditati sunt inania ? »

[Remig.] *Gentes,* id est Romani milites, crucifixores, [Cassiod.] *fremuerunt* [Remig.] ut feræ sine ratione: fremere enim ferarum est, [Cass.] *et populi* scilicet Judæi, (Gl. int.) *meditati sunt inania,* (Alcuin.) id est falsa in Scripturis, ut de futuro adhuc Messia, quem exspectant. Ipsi enim sunt pueri Abrahæ, exspectantes cum asina. (Remig.) Vel *meditati sunt inania,* id est Christum detinere in morte. Vel, *meditati sunt inania,* scilicet ne mundus post eum abiret ; [Aug.] et hoc, *quare?* id est qua utilitate sua ? quasi dicat, frustra, quia non impleverunt, ut Christus exstingueretur.

VERS. 2. « Astiterunt reges terræ, et principes « convenerunt in unum adversus Dominum et ad« versus Christum ejus. »

[Rem.] *Astiterunt reges*, quasi dicat, non solum populi et gentes, id est minores, contra Christum surrexerunt, sed etiam majores, quia astiterunt, quasi cum mora, mora enim notatur in hoc, *reges terræ* [Gl. int.] id est Herodes *et principes*, id est Pilatus. [Aug. 3. consens. Ev. cap. 16.] Ponitur plurale pro singulari, per synecdochen. Vel ita reges terræ, scilicet Herodes prior, qui infantes occidit ; et posterior Herodes, ejusdem filius, qui Pilato consensit in morte Christi. [Cassiod. Rem.] Astiterunt *et principes,* scilicet sacerdotum, videlicet Anna et Caiphas *convenerunt in unum,* id est in unam pravam voluntatem. [Cassiod.] Stulta præsumptio, reges terræ, contra regem cœli convenerunt, quod aperit dicens, *adversus Dominum,* id est Patrem. Qui enim contradicit Filio, et Patri contradicit. Ideo adversus Dominum, *et* id est quia *adversus Christum ejus* id est me, secundum hoc quod Christus loquitur.

VERS. 3. —« Dirumpamus vincula eorum et pro« jiciamus a nobis jugum ipsorum. »

VERS. 4. — « Qui habitat in cœlis irridebit eos, « et Dominus subsannabit eos. »

Dirumpamus vincula quasi dicat ipsi [Gl. int.] sed o mei, dicit Christus ne consentiatis in morte mea, et hoc est, dirumpamus vincula eorum, id est blanditias et minas, et *projiciamus a nobis jugum ipsorum,* [Rem. Gl. int.] ne dominentur nobis.

Qui habitat in cœlis. Sic continua, secundum hanc sententiam, dirumpamus, dicit Christus, quia qui habitat in cœlis. [Aug. Remig. Cassiod.] Aliter ab illo loco, dirumpamus vincula. Licet enim hoc possit dici in persona Christi, ut legimus, aptius tamen illis conveniunt hæc verba qui nolunt jugum Christi sibi imponi, id est persecutoribus Christi, quasi dicat Christus, vel propheta, convenerunt in unum reges principes dicentes ; *Dirumpamus vincula eorum.* [Alcuin.] id est rationes eorum, id est Dei et Christi, vel Christi et ejus discipulorum, quibus nos sibi astringere volunt, *et projiciamus a nobis jugum ipsorum,* [Rem]. id est legem. Ipsa ita, sed certe *qui habitat* [Aug. Alcuin.] id est Dominus [in cœlis] scilicet spiritalibus, id est in sanctis animabus, et angelis *irridebit eos* quasi buccis, ut factum est, quando positis custodibus surrexit *et Dominus subsannabit eos,* quasi dicat naso, ut factum est,

quando per mundum dispersi sunt. [Hier.] Irrisio enim sit bucca, subsannatio vero, rugato naso atque contracto exprimitur quæ tamen de Deo carnaliter nullatenus sunt existimanda, sed est ανθρωποπαθος. Aliter [Aug.] Irrisio Dei est vis præscientiæ, quam dat sanctis, ut videntes nomen Christi futurum in omnibus gentibus, et dominationem pervagaturam in posteros, illos inania meditatos intelligant. Et accepit pro eodem, irridebit et subsannabit, etc. Qui habitat in cœlis, hoc non mutatur. Irridebit eos, id est dabit sanctis suis intelligere eos esse irridendos, et inania meditatos. Et Dominus subsannabit eos. Repetitio est.

VERS. 5. — « Tunc loquetur ad eos in ira sua et « in furore suo conturbabit eos. »

Tunc, id est præterea : et tunc scilicet quando irridebit, *loquetur ad eos in ira sua*, ανθρωποπαθος est hic, id est humana propassio, quando quod creturæ est attribuitur Creatori, [Aug.] Nam ira Dei, motus est, qui fit in sancta anima, quæ novit legem Dei, cum eam videt a malo homine præteriri. Per quem motum multa vindicantur, ut fecit Moyses, quando descendens de monte, et videns populum ante vitulum ludentem, transivit gladio, accinctus a porta usque ad portam ; et Phinees, quando transfixit Judæum et Madianitidem turpiter coeuntes. Et est, loquentur ad eos in ira sua, id est increpabit et vindicabit in eos, per sanctos qui movebuntur pro peccatis eorum. Postea planius aperit dicens : *Et in furore suo conturbabit eos*.[Aug.] Et ira Dei et furor est obscuratio mentis transgressorum legis. Et est, tunc loquetur ad eos, id est excæcabit eos. Vel ita, ut partim de præsenti, partim de futuro legatur versus iste, sic, [Gl. int.] tunc id est quando irridebit, loquetur ad eos, per prophetas et per Scripturam sanctam et hoc, in ira sua, id est in comminatione pœnæ ; et in futuro, conturbabit eos, corpore et anima. In furore suo, id est, in æterna pœna. Vel totum de futuro legitur ab illo loco. Qui habitat, hoc modo, [Rem.] qui habitat in cœlis, hoc non mutatur. Irridebit eos, id est irrisione dignos reddet eos in futuro. Post eam idem repetit, et Dominus subsannabit eos. Tunc scilicet in futuro, loquetur ad eos, qui modo tacere videtur dum tolerat, in ira sua et in furore suo conturbabit eos. [Aug.] Ira Dei et furor, non est perturbatio, quæ, ab eo penitus relegata est, sed vis, id est virtus ejus, qua juste vindicat, et est, in virtute sua puniet eos.

VERS. 6— « Ego autem constitutus sum rex ab eo « super Sion montem sanctum ejus, prædicans « præceptum ejus. »

Ego autem. [Cassiod. Alcuin.] Hic est secunda partitio, ubi inducit verba Christi agentis de omnipotenti regno et ineffabili genitura sua, ubi multa discimus de divinitate, et humanitate Christi quasi dicat illi ita turbabuntur ; sed [*ego*] dicit Christus. [Aug. Gl. int.] Ego cum pondere, quasi dicat, cujus jugum et vincula volebant abjicere, *constitutus sum*

A *rex ab eo* Patre *super Sion montem sanctum ejus*, id est super Ecclesiam de Judæis, quæ dicitur mons sanctus, quia prius recipit radios fidei, ut montes prius suscipiunt radios solis, secundum illud; *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel* (*Matth.* XV). [Hier. Cassiod. Rem.] *Prædicans præceptum ejus*, id est Evangelium, vel illud spirituale præceptum, de quo *mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem* (*Joan.* XIII.) [Gl. int.]. Et non tantum rex est super Judæos, sed et super gentes : de quibus probat auctoritate Patris, quia dubium erat, et hoc est, vere etiam super gentes sum rex quia.

VERS. 7.— « Dominus dixit ad me : Filius meus « es tu, ego hodie genui te. »

B

VERS. 8. — « Postula a me, et dabo tibi gen« tes hæreditatem tuam, et possessionem tuam ter« minos terræ. »

Dominus scilicet Pater *dixit ad me* [Alcuin.], id est promisit mihi. Et nota quia persona regnantis hic loquitur, id est, Christus ut regnans, vel persona regnantis, id est Patris, promisit hoc quod dixi, id est, promisit mihi Pater, ecce *ego dabo tibi gentes*, [Gl. int.] id est nationes mundi *hæreditatem tuam*, quas scilicet excolas ; *tuam*, quasi dicat quæ hæreditas est tua, secundum quod tu es Deus. [Cassiod.] Hæreditas dicitur ab hero, eo quod in ea libera potestate dominetur, *et dabo terminos terræ*. [Aug.] Terminos hic ponit pro eo quod supra dixit

C gentes ; sed hoc planius, ut omnes gentes intelligas, non particulam terræ, sed omnem *possessionem*, quas scilicet possideas ad earum utilitatem ac salutem, et tibi bona fructificent. Possessionem dico, tuam quasi dicat, dabo tibi gentes, quas tamen ut Deus mecum possides [Gl. int.] Et ut ego dem tibi, *postula a me*, id est obedi patiendo, moriendo, ut sic possis postulare [Aug.]. Hoc enim quod dicit, postula, ad susceptionem hominis, id est humanæ naturæ pertinet, quæ pro salute hominum facta est, secundum quam interpellat pro nobis, quod est postulare. Ideo autem dabo tibi gentes hæreditatem, potius quam alicui obedienti [Alcuin.], quia *tu es Filius meus*, per naturam consubstantialis, ineffabili genitura et vere, quia *ego* coæternus tibi *hodie*, id est æternaliter, *genui te* [Gl. int.], id est non est no-

D va, sed ab æterno facta generatio [Aug.]. Quod dicit, hodie genui, et si posset ad litteram accipi de die illo quo Christus secundum hominem natus est, tamen quia hodie præsentiam significat, et quod æternum est, semper est, de æterna generatione sapientiæ Dei divinitus accipitur. Et nota quia in quibusdam prædictorum convenit Christo cum aliis [Alcuin.] Constitutus est enim rex a Deo : sic et reges terræ constituti sunt ab eo, et prædicans super Sion [Cassiod.] sicut prophetæ prædicaverunt. Ipse est Filius, sic et Iserael dicitur filius. Unde Dominus ad Pharaonem dicit per Moysen : *Dimitte primogenitum meum Israel*. Hodie genui te, hoc soli Christo. [Rem.]

Aliter, per Sion, quæ interpretatur *specula* vel *speculatio*, intelligitur Ecclesia generalis, quæ speculatur gloriam Dei, et est mons eminentia virtutum et firmitate. Et est, Ego autem constitutus sum rex ab eo, hoc non mutatur. Super Sion montem sanctum ejus [Aug.], id est : super sanctam Ecclesiam generalem, quæ Deum speculatur, firma et alta in virtutibus. Prædicans præceptum ejus, nec hoc mutatur. Bene dico quod sum rex constitutus ab eo, quia Dominus dixit ad me : Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, etc. Hæc et sequentia non mutantur. Nota vero quia dicere Patris, pluribus modis accipitur, pro disponere, pro facere, pro gignere, et pro promittere : hic autem pro disponere, vel promittere potest accipi.

VERS. 9. — « Reges eos in virga ferrea, et tanquam « vas figuli confringes eos. »

Reges eos. [Cassiod.] Quasi dicat : Tibi dabo gentes, et merito, quia reges eos, [Cassiod.] id est, non eris tyrannus *in virga ferrea*, [Aug. Cassiod.] id est in justitia inflexibli, vel in regali potestate, *et confringes eos*, ad vitam *tanquam vas figuli*, [Aug.] id est secundum hoc quod sunt vas figuli, id est lutum id est, quidquid de A peccatore limo contraxerunt, conteres in eis. [Alcuin.] Vel ita, ut partim in bono, partim in malo accipiatur, secundum illud Simeonis : *Ecce hic positus est in ruinam, et resurrectionem multorum* (*Luc.* II), *ut qui justus est, justificetur adhuc ; et qui in sordibus est, sordescat adhuc* (*Apoc.* XXII). [Cassiod.] Et est, reges eos, id est bonos, in virga ferrea hæc est regalis potestas Christi : et confringes eos, scilicet peccatores, permittendo eos amplius sordescere, qui sunt tanquam vas figuli, quod et luteum est et facile frangitur.

VERS. 10. « Et nunc, reges, intelligite, erudimini, « qui judicatis terram. »

Et nunc, reges. [Cassiod.] Hic est tertia partitio, ubi pro his patefactis, admonet omnes humiliter ei obedire, et suadet ab utili, scilicet ne pereant, et ab honesto, quia, *Beati omnes qui confidunt in eo*. Et nota quia in prima parte Propheta loquitur secundum quamdam sententiam ; in secunda parte, Christus tantum ; hic in tertia, iterum Propheta loquitur post Christum secundum quamdam sententiam. [Cassiod.] In prima ergo parte præcedit quasi Propheta, id est ante Christum loquitur, sicut prophetæ ante Christum prophetaverunt. In hac post Christum loquitur quasi apostolus, id est gerens figuram apostolorum, qui post Christum prædicaverunt. Quasi dicat, contritum est lutum. *Et nunc* jam contrito in vobis luto, jam innovati et facti *reges*, [Aug.] id est jam valentes regere vos, scilicet *qui judicatis*, id est damnatis, *terram*, [Rem.] id est terrena in vobis, *intelligite* quæ dicta sunt. Et si per vos non sufficitis, *erudimini* ab aliis, et dicit reges, sanctos, et loquitur Christus vel propheta. [Gl. int.] Aliter, et loquitur Christus, quasi dicat : Ita promisit mihi Pater, sed, o vos facti reges, scilicet qui judicatis terram. Hæc non mutantur a prima sententia. Nunc,

A id est per ea quæ dicta sunt, intelligite quanta facit Filius, [Aug.] et si per vos non sufficitis, erudimini ab aliis. Ne autem inde superbiant, subditur.

VERS. 11. « Servite Domino in timore, et exsultate « ei cum timore. »

[Aug.] *Servite Domino*, qui non sinit peccare, *in timore*, ut qui stat, videat ne cadat [Cassiod.]. Ne vero misera servitus videatur, addit, *et exsultate ei*, [Aug.] quia timor Domini non est miseriæ, sed gaudii. Sed ne iterum in temeritatem eatur, subditur *cum tremore*, ne sit negligens exsultatio. [Cassiod., Aug.] Aliter totum, et loquitur Christus ad reges terræ, quasi dicat : Constitutus sum rex, et nunc me constituto rege, vos reges, qui judicatis terram,
B ad litteram, ne contristemini, sed intelligite et erudimini ; expedit enim vobis ut sub illo sitis, a quo est intellectus et eruditio ; et expedit ut temere non dominemini, sed Domino omnium serviatis et in beatitudine exsultetis. Et hoc est quod sequitur : Servite Domino in timore, et exsultate ei cum tremore. Et

VERS. 12. — « Apprehendite disciplinam, ne « quando irascatur Dominus, et pereatis de via « justa. »

Apprehendite, etiamsi fugiat *disciplinam* Dei, scilicet adversa. [Gl. int., Aug.] Apprehendite, dico, quasi præsidium et munimentum. *Nequando irascatur* Dominus, dubitative dicit, Nequando. [Aug.] Hæc autem dubitatio non est secundum Prophetam, sed secundum illos qui cum dubitatione cogitant
C iram Dei. [Cassiod.] Vel, nequando, dicit, propter patientiam Dei, quia in hoc sæculo diu sustinet ; *Ne pereatis de via justa*, id est Christo sublati, vel de operatione bona. [Aug.] A qua deficere magna pœna est, his scilicet qui dulcedinem justitiæ gustaverunt.

VERS. 13. — « Cum exarserit in brevi ira ejus, « beati omnes qui confidunt in eo. »

Cum exarserit, quasi dicat ; Apprehendite ne pereatis, et ut beati sitis, quod plus est ; [Alcuin., Cassiod.] quia *cum exarserit* modo non ardet, cum castigat ut pater, sed in futuro ardebit, quia nihil patientiæ erit *in brevi* ; [Cassiod., Aug.] quia non singula horum separatim, sed simul omnia discutiet. Vel in brevi, qui cum putent longe futu-
D rum *ira ejus*, id est vindicta iniquorum, *beati* erunt *omnes qui confidunt in eo*, et est sensus, [Aug.] cum exarserit, id est cum venerit vindicta iniquorum, non modo non attinget confidentes in Deo, sed et beati erunt, quia ad regnum pervenient.

COLLATIO IN PSALM. II, « QUARE FREMUERUNT, » etc.

VERS. 6. — *Ego autem constitutus sum rex ad eo super Sion montem sanctum ejus*, Hebræus, נסכתי מלכי על ציון הר קדשי NASACTI MALKI AL TZION HAR QUODSI, *Constitui regem meum*, *super Sion montem sanctum meum*, aut *sanctitatis meæ*. At LXX et subsequenter nostra traductio reddidit sensum in passiva significatione per tertiam personam pronominis, referendo ad Patrem, propter ver-

sum proxime præcedentem : Tunc loquetur ad eos, quo sententiæ aptius cohærerent. David enim in superioribus nominaverat Deum in tertia persona, ob id apposite intulit post punitionem malis comminatam : Constitutus sum rex ab eo, in persona Filii, non obstante concilio iniquorum. Versus etiam continuo sequens eo modo ordinatus subnectitur : Dominus dixit ad me, quia sequendo anxie lectionem Hebraicam, sermo transit a persona verbi tertia in primam, et mox de prima in tertiam, juxta quod suggerebat impetus Spiritus, qui ut vult spirat (*Joan.* III), et mentem prophetæ tangit. Boni autem interpretes licet eodem spiritu tangantur, tamen attemperant se proximius humanæ consuetudini, quod et spiritus ipse passim facit, nonnunquam et super humanum sensum.

Hic Faber magis probat lectionem, quam invenit in exemplari Cœlestinorum Parisiensium : videlicet, *Ego autem unxi regem meum,* quam alias quaslibet. Nam Hieronymus juxta Hebræum vertit, *ego autem ordinavi regem meum*. Quem sequitur Pellicanus, Sanctes Pratensis, Munsterus Hebraismo addictissimi, *constitui regem meum*. Campensis et interpretes pro Cajetano, *præfecit regem meum;* tamen Campensis in versione habet *ungam*. Sed Faber interim secutus est (ut granditer prædicat) auctoritatem principis apostolorum, qui in Actis IV, cap., palam refert hunc psalmum : *Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania. Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum, adversus christum ejus*. Deinde quasi alludens ad interpretationem Fabri subdit *: Convenerunt enim vere in civitate ista, adversus sanctum puerum tuum Jesum, quem unxisti, Herodes et Pontius Pilatus*, etc. Quamvis autem nihil verius quam quod Pater Filium suum Jesum unxerit Spiritu sancto, oportebat tamen advertere principem apostolorum respicere Christi nomen, quem proxime commemoraverat; nec cogebat ut diceretur referri ad versum, postea in psalmo positum, quem non produxit ipse Petrus. Cæterum vocula Hebraica .סך NASAC teste Munstero, in suis scholiis, significat *libare* et *fundere ;* et quia reges oleo perfundebantur cum regno præficerentur, utitur hic Propheta verba נסך NASAC, quæ ostendunt parvi referre ad sensum, seu legeris *unxi*, seu *constitui*, tamen non erat sibi sapiendum.

In eodem versu, *Prædicans præceptum ejus*. Hinc in Hebræo versus exorditur in prima persona אספר האל חק יהוה ASAPERAH EL HOQ ADONAI. *Narrabo præceptum Domini*. Utraque contextio suæ personæ pro varietate respondet inviolato sensu, ut prælibatum est. De diversa distinctione nil mirum, cum hoc passim occurrat, mox causam reddemus. Qui vero gravissima et plus quam ardua incipiebatur materia, nempe de æterna Filii generatione, non inconcinne certe debuerunt LXX illinc versum inchoare, ut caput sermonis respondeat capiti sententiæ. Cum autem semel poneretur duntaxat nomen *Dei*, LXX addiderunt ad declarationem sensus, pronomen *ejus*. Hieronymus et Pellicanus genitivum *Dei*, interpretes pro Cajetano, ad præceptum MESSIACH, *Dominus*, etc. Sanctes simpliciter, *narrabo statutum*, facta diastole, deinde; *Dominus dixit*, etc. Et ad eumdem modum Pratensis, sed Munsterus magis audet, *Narrabo velut statutum, quod Dominus dixit:* et Campensis, *Erudiam eum lege Domini. Sic etiam apud me cogito; tu es Filius meus,* etc. En cernis quo tandem insaniæ deveniemus : nisi ad unum scopum ecclesiastici ritus tendamus, omnia certe erunt confusa et incerta. At cum in progressu non raro se offerant aliæ et aliæ versuum sectiones, in editione Latina et Hebræa, operæ pretium est et hunc nodum dissolvere, et semel hoc loco dictum, puta aliis locis ubi expostulat, repetitum. Siquidem psalterium Hebraice lyrico carmine constat, ob id non potuit Latine aut Græce pedum numerus æqua-

A liter respondere. Quod si mihi non credis, loquatur Hieronymus in epistola ad Paulinum t. III : « David, Simonides noster, Pindarus et Alcæus, Flaccus quoque, Catullus et Serenus, Christum lyra personat. » Idem in prolog. in lib. Job. : « Quod si cui incredulum videtur, metra scilicet esse apud Hebræos, et in morem nostri Flacci, Græcique Pindari et Alcæi et Sapphus, vel Psalterium vel Lamentationes Jeremiæ, vel omnia ferme Scripturarum cantica comprehendi; legat Philonem, Josephum, Origenem, Cæsariensem Eusebium, et eorum testimonio me verum dicere comprobabit. » Rursum in caput Jerem. X : Et David in lyrico carmine canat : *A Domino gressus hominis dirigentur,* etc. (*Psal.* XXXVI). Itidem in caput Jer. XXV : « Unde in Psalterio, male quidem juxta textum historiæ, psalmorum requirunt ordinem, quod in lyrico carmine non observatur. » Iterum ad cap. Ezech. XXX : « Ut cætera prætermittam quæ in psalmorum ordine conti-B nentur, quæritur quomodo tertius psalmus præponatur iis psalmis in quibus mutat faciem suam David coram Abimelech, et de Doech Idumæo, et quando inventus est in spelunca ; et quinquagesimus pœnitentiæ, in cujus titulo demonstratur, quod introierit ad Bethesabee uxorem Uriæ, cum priores sint isti psalmi tertio, in quo fugere donatur à facie filii sui Absalon. Sed in psalmis facilis est responsio, carmen esse lyricum, et in hujusmodi opere non quæri ordinem historiæ, sed factorum carmina singulorum. »

VERS. 9. — *Reges eos in virga ferrea*. Cur Munsterus *confringes*, Sanctes *conteres*, et Pratensis, interpretes pro Cajetano *confringes*, et Campensis *reges et confringes* ? quandoquidem notius sit quam ut à me dicatur תרועם TEROEM apud Hebæos significare *reges eos*, sive, ut vertit Hieronymus, *pasces eos*. Siquidem pascere et apud Cræcos ποιμαίνειν, est cum auctoritate gubernare. Unde Dominus dixit C Petro, Joan. XXI : *Pasce oves meas*. Et ad rem, Pellicanus hoc in loco, *Reges eos,* nobiscum, cum etiam Munsterus et Pratensis psalmo XXII : aperte transferant, *Dominus pastor meus*, ac Sanctes, *Dominus pascit*, ubi est eadem radix verbi, quæ hic יהוה רעי ADONAI ROI. Non negamus tamen, quin nonnunquan significet conterere; sed hic non debebant spiritum contradictionis habere, si tamen habuerint. Adde quod D. Joannes, Apoc. XIX, adducere videtur hunc versiculum juxta nostram lectionem.

VERS. 12. — *Apprehendite disciplinam*. Heb. נשקי בר NASEQU BAR, quod Sanctes, Munsterus, Pratensis, pro Cajetano interpres, *adorate Filium*, dicunt, Hieronymus in Commentariis, *adorate Filium,* ut in prologo nostro supra commemoravimus. In versione juxta Hebræum, *adorate pure*. Pellicanus, *osculamini pure :* Omnes sensus possunt excerpi ex Hebræis voculis. נשק NASCAQ signat quan-D doque armatum esse. I *Paralip.* XII, נשקי קשת NOSQUE, QUESCHET, *armati arcu*, sive *tendentes arcum,* בר BAR vero nullo Hebræorum reclamante nunc *filium*, nunc *puritatem*, nunc pabulum, nunc *electum* notat. Itaque juxta significantiam *armari*, in נשק NASCAQ, LXX, sensum recte reddiderunt, *apprehendite disciplinam*, quasi armamini filio, puritate electa tanquam 5 pabulo, delectimini et corroboremini in disciplina Christi. Ut enim scribit Hieronymus ad Simiam et Fretellam, « Hæc et regula boni interpretis, ut idioma alterius linguæ, suæ linguæ exprimat proprietate, quod quidem et Tullium in Protagora Platonis, et in Œconomico Xenophontis, et Demosthenis in Æschinem oratione fecisse convincimus, et Plautum, Terentium, Cœciliumque eruditissimos viros in comediis transferendis. Neque ex eo quis Latinam linguam angustissimam putet, quod non possit verbum de verbo transferre, cum etiam Græci pleraque nostra per

circuitus transferant, et verba Hebraica non interpretationis fide, sed linguæ suæ proprietatibus nitantur exprimere. » Quod ergo totis nervis et viribus (quæ concinne innuuntur per arma) debeamus disciplinæ Christianæ mordicus hærere, cujus summa est in confessione et adoratione nominis Christi, osculando ejus sanctimoniam, de cujus A plenitudine omnes accepimus (*Joan.* I), per amoris affectum totam amplexantes, juxta illud *Cantic.* I : « *Osculetur me osculo oris sui*, digna et exosculanda phrasi dixerunt LXX, δράξασθε παιδείας, *apprehendite disciplinam*. Munitiola quidem prudentes pertransimus. A nobis stat apertissime paraphrasis Chaldæa, *Recipite doctrinam*.

PSALMUS III.

PSALMI TITULUS : « PSALMUS DAVID CUM FUGERET A FACIE ABSALONIS FILII SUI. »

Domine, quid multiplicati? Titulus: *Psalmus David cum fugeret a facie Absalonis filii sui*. De historia sumpsit Esdras velamen mysteriorum ; legitur B enim in libro Regum quod Absalon filius David persequens patrem suum, quærebat eum occidere. Cui David cessit cum suis, exiens de civitate Jerusalem, nudis plantis : intelligens hoc sibi contingere propter peccatum adulterii commissi cum Bersabee, et homicidii de Uria perpetrati, sicut Natham propheta prædixerat ei dicens : *Non recedet gladius de domo tua, et suscitabit Dominus semen tuum contra te* (*II Reg.* XII). Dum autem Absalon persequeretur David converso contra eum exercitu, Absalon terga vertit in fugam, atque impetu muli ductus est in ramosam quercum : ramis cujus circumnectentibus collum ejus, ibique capite intercepto pendens, ab Joab principe militiæ David interfectus est. Quod mortuo David restitutus in regnum, C in pace regnavit. Huic historiæ alludit titulus, de quo tamen non agit psalmus, sed de significato historiæ, id est de passione et resurrectione Christi. [Aug.] David enim, Christus est : Absalon filius ejus, Judas est quem cum aliis apostolis filium vocat Christus in Evangelio, dicens : *Non possunt filii sponsi jejunare quandiu sponsus cum illis est* (*Luc.* V). A quo Juda Christus fugit, cum illo ad Scribas et Pharisæos discedente, cum cæteris apostolis in montem secessit, et potius tunc ab eo fugit, cum mentem ejus sapientia Dei deseruit, ut totus esset et plene diaboli. Quæ desertio dicitur fuga, propter celeritatem. Unde et Dominus ei dixit : *Quod facis*, id est facere moliris, *fac citius*, id est facies (*Joan.* XIII). Et sicut David pacem exhibuit filio iniquo, scilicet Absalon, qui præcepit populo D eunti ad bellum servare puerum Absalon, eoque interempto dixit : *Quis mihi det ut moriar pro te, fili mi Absalon?* (*II Reg.* XVIII.) Ita Christus Judæ proditori, ut in convivio, et in osculo, et in aliis : propter quod bene Absalon dicitur, quod *pax patris* interpretatur; aba enim *pater*, salem *pax* dicitur : inde Absalon, quasi Absalem dicitur. Et sicut Absalon, ita Judas suspensus interiit. Quo mortuo Christus in pace regnavit, quia in gloria resurrexit. Hoc igitur intelligens Esdras, scilicet illo facto significari mysterium passionis et resurrectionis Christi, de quibus agit psalmus, tituli verba posuit de historia, [Rem.] quasi dicat idem et David per Spiritum sanctum tantum intelligens, in psalmi serie verbis allusit historiæ, et est sensus tituli : *Psalmus* iste, attribuitur *David*, id est Christo, qui hic loquitur. Psalmus dico agens de eo quod figuratum est, *cum fugeret a facie Absalonis filii sui*, [Aug.] id est de passione et resurrectione Christi, quæ in illa historia significata sunt. Et est psalmus iste primus de his qui breviter de passione et resurrectione Christi agunt. [Cassiod.] Intentio Prophetæ est redarguere eos, et maxime paganos : qui non putant gloriam majestatis posse descendere ad humilia, id est Deum et hominem fieri, pati, mori. Modus talis est, bipartitus est psalmus : primo, ponit duas partes oppositas a simili præliantium, ex una parte persequentium multitudinem, ex altera, Christum oratione armatum, et Deo susceptore securum ; secundo finis rei ostenditur, id est resurrectio : quæ est consummatio passionis. Unde proponit non esse timendum, ibi, *Ego dormivi*, Christus ergo ad Patrem loquens, et quasi admirans cur tot habeat persecutores, cum ad salvandum venerit, dicit :

VERS. 1. — « Domine, quid multiplicati sunt qui « tribulant me? multi insurgunt adversum me. »

Domine multiplicati sunt qui tribulant me, [Aug., Cassiod., Rem.] ut de numero discipulorum augeretur numerus persecutorum, et ut *quid?* nimirum est, quia nil mali ab eis merui. Multiplicati dico, [Gl. int.] quia ecce *multi insurgunt* deprimendo me, id est ut deprimant me, *adversum me* , et vere.

VERS. 2. — « Multi dicunt animæ meæ : Non est « salus ipsi in Deo ejus. »

Multi enim *animæ meæ* insidiantes *dicunt* in rei evidentia, id est hoc, scilicet ostendentes verbo et opere. [Cassiod., Gl. int.] Et nota iterari *multi* pro magno numero persequentium. Quid dicunt hoc, *non est salus ipsi in Deo ejus*, id est in eo quem sibi Deum facit? hoc dicunt persecutores. Nisi enim resurrecturum desperarent, nec Judas traderet, nec illi occiderent, [Aug.] et est sensus, Deus non salvabit eum, nec est Filius Dei.

VERS. 3. — « Tu autem, Domine, susceptor meus « es, gloria mea, et exaltans caput meum. »

Tu autem, Domine. Proposuit multitudinem hostium contra se ; hic alteram partem, scilicet suam contra illos ostendit. Quasi dicat illi ita : [Cassiod.] Sed *tu Domine*, Verbum Fili Dei æterne, dicit homo Christus *es susceptor meus*,[Aug.] id est meæ humanitatis, non personæ quidem, sed naturæ humanæ. [Gl. int. Rem.] Hominis vero, id est humanæ

naturæ susceptio, est Verbum caro factum, id est Verbi incarnatio. Et nota, quia loquitur de Deo a simili oratoris, et judicis, et medici. [Cassiod.] Suscipit enim orator reum ut eum defendat, judex vero ut parcat, medicus ægrum, ut curet. *Gloria mea*, [Aug.] ecce procedit augendo, tu gloria mea es, quia homo ille est, et Deus unus cum illo qui suscipit, id est cum Verbo quod illius humanitatem hominis suscepit. Et es *exaltans caput meum*, id est mentem meam, quæ tanta passione non deponitur. Hoc mihi merito, quia

VERS. 4. — « Voce mea ad Dominum clamavi, et « exaudivit me de monte sancto suo. »

Voce mea, [Gl. int.] voce cordis, quæ sonat Deo, qua Moses tacens ore clamabat ad Dominum, quando dictum est ei : *Quid clamas ad me de terra?* [Aug., Gl. int.] Hac etiam voce clamans Susanna, audita est. Hac inquam, voce *clamavi ad Dominum*. Clamor dicitur oratio, propter vim intentionis. *Et exaudivit me de monte sancto tuo*, id est de me, qui eram sanctus mons, in quo habitat ; de quo Isaias : *Et erit in novissimis diebus mons domus Domini in vertice montium, et fluent ad eum omnes gentes*, etc. (*Isa.* II). Hic est lapis parvus de monte sine manibus præcisus, qui crevit in montem magnum, et occupavit totam faciem terræ, sicut ait Daniel (*Dan.* II). Aug.] Vel, de monte sancto suo, id est de sua justitia. Justum erat enim ut innocentem resuscitaret, qui pro aliis, non pro se mori voluit.

PARS II. VERS. 5. — « Ego dormivi et soporatus « sum ; et exsurrexi, quia Dominus suscepit me. »

Ego dormivi. [Alcuin.] Hic est secunda pars hujus psalmi, ubi ostenditur finis rei, id est passionis. [Gl. int., Alcuin.] Unde proponit non esse timendum. Quasi dicant : Exaudivit me. In quo? in hoc, quia *ego exsurrexi* a morte, et *quia Dominus suscepit me* in regno suo, unde misso Spiritu confirmat prædicatores. Et merito, quia mortem sponte suscepi. Et hoc est quod dicit, quia *ego dormivi* id est passioni me sponte permisi, *et soporatus sum*. Alia littera : [Aug., Gl. int.] *Et somnum cepi*, id est mors subsecuta est, ut a dormitatione transitur ad somnum. Aliter, secundum litteræ seriem. Quasi dicat : Serviunt illi contra me ; sed non dormirem, nisi vellem. Et hoc *ego* cum pondere pronuntiandum est, quasi dicat qui tantus sum. *Dormivi*, id est injuriis fui affectus : et soporatus sum, in corde terræ sepultus, et post exurrexi, quia Dominus suscepit me.

VERS. 6. — « Non timebo millia populi circum« dantis me ; exurge, Domine, salvum me fac, « Deus meus. »

Non timebo, quasi dicat : Et ideo, quia modo sum liberatus, *non* amplius *timebo millia populi circumdantis me* pendentem in cruce, quanta multitudo crucifixum circumstetit, quæ post resurrectionem nihil ei nocere potuit. [Aug.] Et ut non timeam *exsurge, Domine*, nec dormienti Deo dicit, exurge; sed mos est Scripturæ sacræ Deo attribuere quod

A in nobis facit ipse. Et est, Exsurge, Domine, id est fac me resurgere a morte. Quod aperit subdens, *salvum me fac, Deus meus*.

VERS. 7. — « Quoniam tu percussisti omnes ad« versantes mihi sine causa ; dentes peccatorum « contrivisti. »

Quoniam tu percussisti, hoc non retropendet, id est a præcedentibus non continuatur, nec præcedentis causa hic redditur ; non enim propterea salvum facit, quia percussit; sed inde contriti sunt dentes, id est maledica verba in irritum ducta, quia percussit. Et est, *salvum me fac, Deus meus*, et, me salvato, *contrivisti dentes peccatorum*, id est maledica verba in irritum deduxisti : quibus mali dilacerant Christum et Christianos. [Gl. int.]

B Vel, dentes sunt principes peccatorum, qui quosdam de numero sanctorum præcidunt, et malis incorporant. Et hoc inde est, quoniam percussisti omnes adversantes mihi sine causa, dentes peccatorum contrivisti, [Aug.] id est omnes hæreticos, qui sunt intus in Ecclesia nobiscum, corpore quidem, non mente.

VERS. 8. — « Domini est salus, et super popu« lum tuum benedictio tua. »

Domini est salus. [Gl. int.] Convertit verba ad homines, quasi dicat : Et quia ita est, ut dixi, o homines, hoc vobis credendum est, quia Domini est salus : [Aug.] inde pro eis fit oratio ad Dominum, ad quem loquitur Christus sic, et, o Domine, *benedictio tua sit super populum tuum*, id est qui spe-

C rat de te salutem, non ab alio.

Aliter potest legi psalmus iste, ut loquatur totus Christus hic, id est Ecclesia et caput ejus inter procellas persecutionum constituta. Et secundum hoc, in titulo per David intelligitur Ecclesia, cum capite suo ; per Absalon, persecutores Ecclesiæ. Et est sensus tituli, *psalmus* iste attribuitur *David*, id est Ecclesiæ, agens de hoc quod fuit, *cum fugeret David a facie Absalon filii sui*, id est a præsentia persecutorum. Timens ergo Ecclesia, ait : *Domine, multiplicati sunt qui tribulant me*, et ut quid? et vere, quia *multi insurgunt adversum me*, Christianum nomen exstinguere cupientes. *Multi dicunt animæ meæ :* Non *est salus ipsi in Deo ejus*. Aliter, persecutores non sperarent delere Ecclesiam late

D pullulantem. Ipsi ita : *Tu autem, Domine, susceptor meus es*, quia in Christo homine suscepta est Ecclsia, et cum eo exaltata. Unde sequitur : *Et tu es gloria mea, et exaltans* in cœlo *caput meum*, id est Christum, qui primus ascendit in cœlum. Et merito, quia *voce mea ad Dominum clamavi*, hoc non mutatur. *Et exaudivit me de monte sancto suo*, id est de Christo, vel de justitia sua. Quid tibi fecit? [Hier., Aug., Alcuin.] Ecce : *Ego dormivi*, olim in vitiorum torpore, *et soporatus sum*, *et* post *exurrexi* secundum illud : *Exurge a mortuis qui dormis, et illuminabit te Christus*. Et hoc non propter me, sed *quia Dominus suscepit me*. Et ideo, *Non timebo millia populi circumdantis me*, id

est gentes quæ conantur exstinguere Christianum nomen. Et ut hoc fiat, *Exsurge, Domine*, scilicet Christe, caput meum, in cujus resurrectione salus est. Unde: *Salvum me fac Deus meus*. Et me regnante dicit Ecclesia *Percussisti* confusione *omnes adversantes mihi sine causa*. Et quoniam percussisti omnes adversantes mihi sine causa, ideo *dentes peccatorum contrivisti*, id est verba maledica vel principes. Et quia ita fecit Dominus, ergo credite, homines, quod *Domini est salus, et*, o Domine, *super populum tuum benedictio tua*.

Potest etiam legi psalmus iste moraliter, in persona uniuscujusque fidelis, qui a vitiis et cupiditatibus impugnatur, et secundum hoc per David accipitur quilibet fidelis; et per Absalon, vitia et concupiscentiæ carnes. Fidelis, ergo vitiorum pugnam sentiens, ait: *Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me? multi insurgunt adversum me? multi dicunt animæ meæ: Non est salus ipsi in Deo ejus*. Coacervatione namque vitiorum, subrepit desperatio sanitatis, quasi vitiis insultantibus animæ vel etiam diabolo et angelis ejus per suggestiones. *Tu autem, Domine, susceptor meus es, gloria mea et exaltans caput meum*. id est Christum in cœlo, vel mentem meam quæ servit legi Dei. Et merito, quia *Voce mea ad Dominum clamavi, et exaudivit me de monte sancto suo* hoc non mutatur. *Ego dormivi et exsurrexi, Dominus susceptor meus;* hoc non mutatur. Ideo *non timebo millia populi circumdantis me*. Hic cum est populus vitiorum et dæmonum, *Exsurge Domine, salvum me fac, Deus meus;* hoc non mutatur. *Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa*. Recte hoc dicitur de diabolo et angelis ejus in prædestinatione, id est secundum hoc quod a Deo prædestinatum est de eis, et futurum. *Dentes peccatorum*, id est auctores vitiorum, qui conantur eum de corpore Christi præcidere, eos scilicet qui ei maledicunt, *Domini est salus*. Cavenda est superbia, et totum Deo dandum, *Et super populum tuum benedictio tua*, id est super unumquemque nostrum.

COLLATIO IN PSALMUM III, « DOMINE, QUID MULTIPLICATI? »

VERS. 3. — *Tu autem, Domine, susceptor meus es*, Heb. מגן בעדי MAGEN BAADI. Hieronymus juxta Hebr. *clypeus circa me;* Pellicanus, Sanctes, et pro Cajetano interpretes, *clypeus pro me;* Pratensis et Campensis, *scutum pro me*, in eamdem recidunt sententiam cum nostra lectione. Et certe radix unde derivatur id nominis, significat protexit. מגן MIGGEN, inde מגן MAGEN *protectorem*, sive *susceptorem*, aptissime referet ad quod alludit scutum seu clypeus, ut Munsterus verterit, *protectio es circum me* Verumtamen longe magis respondet editio LXX, et Latina mysterio Incarnationis, ut clare habes in explanatione contextus.

VERS. 6. — *Non timebo millia populi*, etc. Heb. לא אירא מרבבות LOIRA MERIBABOTH. Sanctes, Munsterus, *Non timebo a decem millibus*, quibus consentiunt LXX, ἀπὸ μυριάδων. Solemne est sumere millia indefinite. Unde Hieronymus juxta Heb. et Pellicanus verterunt simpliciter millia. Campensis, *centum millia*, et Pratensis, *prælia*, usi paraphrasi, sed non mutatur intelligentia.

VERS. VII.— *Percussisti omnes adversantes mihi sine causa, Heb.* הכית את כל איבי לחי HICHITA ETH COL OIEBAI LEHI. Pratensis, Sanctes, Munsterus, Pellicanus, interpretes pro Cajetano, Campensis, verterunt *in maxilla* aut *in maxillam*. LEHI Hebræum signat *percussionem contemptibilem*, *quæ* etiam refertur ad blasphemias, juxta illud Job XVI; *Exprobrantes percusserunt maxillam meam*, quod non negant Sanctes in suo Thesauro, et Munsterus in Scholiis. Idipsum vero quam apte quadret Christo Domino quis non videt? quem impii Judæi, licet per omnia innocuum, alapis et colaphis ceciderunt, blasphemiis onerantes et in faciem ejus spuentes, seu in vilissimum homuncionem, cum tamen non esset inventus dolus in ore ejus (I *Petr*. II). Hinc et servo illi nefandissimo respondit percutienti maxillam: *Quid me cædis?* (*Joan*. XVIII.) Quid enim peccaverat ut frustra cæderetur? Et juvat multis partibus quod scribitur Luc. VI, et Matth. V: *Si quis te percusserit in unam maxillam, præbe ei et alteram*. Quod non esse intelligendum ad litteram, erudite docet August. lib. II De sermone Dom. in monte. Quando enim Apostolus II Cor. XI, dixit: *Sustinetis enim si quis vos in faciem cædit*, significat, inquit Augustinus, contemni atque despici; alias enim non implevisset Dominus quod jusserat, non præbens ministro sacerdotis alteram maxillam, quin potius redarguens. Si autem verteris, ut Hebraicantes volunt, *Percussisti omnes inimicos meos in maxilla*, jam contradictiones et contumeliæ non referuntur ad Christum patientem, sed ad Judæorum inimicorum Christi destructionem, ut etiam in Scholio suo interpretatur Munsterus. *Ignominiosa cœde stravisti adversarios meos*. Et juxta sensum catholicæ psalmodiæ, Judæorum et hæreticorum multa subnectuntur congrua, quasi pœna talionis respondens ad percussiones irrogatas contumeliose Christo. Et enim Sapient, XI: *Per quæ quis peccat, per hæc ei torquetur*. Percusserunt maxillam Christi, contradicentes illi frustra, ergo justa animadversione dentes peccatorum debuerunt conteri, ut luant pœnam recto ordine culpæ debitam, juxta alium psalmum LVII: *Conteret dentes eorum in ore ipsorum*. Hieronymus dixit: *Percussisti omnium inimicorum meorum maxillam*. Quod potest sonare, animadvertisti in percussionem illam, qua despicabiliter, nulla causa, me innoxium maligni ceciderunt.

PSALMUS IV.

PSALMI TITULUS, « IN FINEM PSALMUS CANTICI DAVID. »

Cum invocarem. Titulus: *In finem psalmus cantici David*. [Aug. Hier. Alc.] Finis duobus modis accipitur, scilicet pro consumptione, et pro consummatione, id est quando aliquid deficit, vel quando perficitur. Pro consumptione, ut cum dicitur, finita est candela, vel finita est expensa. Pro consummatione, ut cum dicitur, finita est domus, finitus est liber, id est consummatus est. [Aug.] In titulis autem psalmorum pro consummatione accipitur, et significat Christum, qui est consummatio fidelium in præsenti ad justitiam; in futuro, ad coronam, [Gl. int.] Vel significat plenitudinem temporis. Unde Apostolus: *Cum venit igitur plenitudo temporis, misit Deus Filium*

suum, factum de muliere factum sub lege (*Gal.* IV). [Cassiod.] Quod autem hic habetur, *psalmus cantici* diligenter advertendum est; in titulis namque pesalmorum aliquando tantum ponitur psalmus, aliquando tantum canticum, interdum utrumque, sed diverso modo. Quandoque enim *canticum psalmi*, quandoque *psalmus cantici*, Esdras posuit. Cujus diversitatis ratio secundum litteram, ut liqueat, sciendum est quia quandoque psalmus ante arcam in tabernaculo Domini solius instrumenti, quod dicebatur psalterium, sono decantabatur sine chori voce, quandoque voce humana sine instrumento; quandoque instrumento, et chori voce. Et quando utroque cantabatur, aliquando præcinebat sonus instrumenti, et acclamabat vox chori. Aliquando vox chori præcinebat, et instrumentum sequebatur. Quando solo instrumento cantabatur dicebatur tantum psalmus. Quia psalmus ad litteram sonus est instrumenti et modulatio. [Aug., Cassiod.] Quando sine instrumento sola voce cantabatur, dicebatur tantum canticum. Canticum enim sonus est humanæ vocis. Quando instrumento præcedente, et voce sequente, dicebatur psalmi canticum, vel canticum psalmi. Quando vero chori vox præcedebat, et instrumentum sequebatur, dicebatur cantici psalmus, vel psalmus cantici. Quod etsi secundum litteram prædicta ratione factum esse videatur, maxime tamen pro mysterii significatione, hac diversitate in titulis usus est Esdras, sicut David in magno mysterio usus est prædicto instrumento. [Aug. psal. LXXVII, Cassiod.] Ut enim supra diximus psalmus bonam operationem notat canticum lætitiam mentis habitam de æternis indicat. Dicitur itaque psalmus in quo tantum de bona operatione agitur; canticum, in quo de mentis exsultatione solum tractatur. Psalmi canticum, vel canticum psalmi, ubi primum de bona operatione, postea de mentis jocunditate; cantici psalmus, vel psalmus cantici, ubi primum de mentis lætitia, postmodum de bona operatione tractatur, ut hic; prius enim dicit se exauditum, et in tribulatione dilatatum; deinde de pœnitentia et sacrificio justitiæ agit. Et est psalmus iste de moribus, quia ad bonos mores nos informat. Et est sensus tituli talis, *psalmus* iste, qui dicitur psalmus, quia monet ad bene operandum; psalmus dico *cantici*, quia agit de mentis lætitia, faciens mentionem de æterna jucunditate. Psalmus dico dirigens nos *in finem*, id est, in Christum, qui est finis consummans in præsenti ad justitiam, in futuro ad coronam. Vel in finem, id est in plenitudinem temporis, quia agit de his quæ facta sunt tempore plenitudinis. Est *David* prophetæ, qui hic loquitur in sua persona, vel alicujus perfecti. [Alcuin]. Intentio, monet ut deserantur falsi dii et vana sæculi, id est temporalia.

Modus talis. Tripartitus est psalmus. [Cassiod.] Primo, exemplo sui increpat infideles de falsis diis et falsis bonis; secundo, proponens novum hominem, veterem jubet exuere ibi, *et scitote quoniam* etc., tertio; deposito vetere homine, nos in sacri- A ficium Deo jubemur offerre, quia certi sumus de bonis, ibi, *sacrificate*, etc. Propheta ergo redarguens idololatras, et ab idololatriæ superstitione revocans, dicit:

VERS. 1. — « Cum invocarem, exaudivit me « Deus justitiæ meæ; in tribulatione dilatasti mihi. »

Cum invocarem exaudivit me. Quasi dicat: Vestri dii, o idololatræ, cum invocantur, nequeunt exaudire, quia non vere vivunt; sed *Deus*, scilicet dator *justitiæ meæ* id est me justificans, scilicet a quo est justitia mea, *exaudivit me*, cum invocarem eum, [Aug.] id est intus in mente habens gratiam, vocarem ad majorem conferendam. Vel in secunda persona legitur secundum aliam litteram, quæ est *exaudisti me*; sic, o Deus justitiæ meæ, exaudisti me, cum B invocarem te, et est idem sensus cum priori. *In tribulatione dilatasti mihi*, id est ab angustiis tristitiæ in latitudinem gaudii deduxisti me, quod gaudium est de pura conscientia, et de spe vitæ æternæ. Unde Apostolus; *Gaudemus in tribulatione, scientes quoniam tribulatio operatur patientiam; patientia, probationem; probatio vero, spem; spes autem non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris* (*Rom.* V). Hæc dilatationem cordis generat, angustias depellit. Hac viri sancti intus recreantur, etsi extra affligantur, quia qui carent, in visceribus angustiantur. Hæc sunt deambulatoria sacerdotum in templo Ezechielis (*Ezech.* XLII). Unde alibi, *Deambulabam in innocentia cordis mei.* Et nota mutationem personæ. A tertia enim persona, C ubi ait, Exaudivit, transit ad secundum, ubi ait: Dilatasti mihi. Prius enim indicavit hominibus se esse exauditum, deinde quasi jam habens in corde Dominum, de quo ante loquebatur, ex dilectione ei familiariter loquitur, in quo demonstratur cordis dilatatio.

VERS. 2 — « Miserere mei et exaudi orationem ☩ meam. »

Miserere. [Alcuin.] Quasi dicat: Misertus es de justitia, et de dilatatione, [Aug.] Item adhuc *miserere mei* contra miserias hujus vitæ, ut in me cœpta perficiantur, *exaudi orationem meam,* quæ est de petendis bonis, dicit vir justus. Et cum ait de me sit, o

D VERS. 3. — « Filii hominum, usquequo gravi « corde? ut quid diligitis vanitatem et quæritis « mendacium? »

Filii hominum. [Gl. int.] Quasi dicat: Qui uti ratione deberent. Vel, filii hominum, scilicet Adæ et Evæ, non Dei. Adam enim homo fuit, et non filius hominis, cujus filii sunt qui ejus imaginem portant. Vos, inquam, estis *gravi corde*, id est cor vestrum sarcina peccatorum, et pondere iniquitatis gravatum est, quo demergitur in profundum. Iniquitas enim in Zacharia propheta legitur sedere super talentum plumbi (*Zach.* V). Ideoque de Pharaone et Ægyptiis legitur quod submersi sunt velut plumbum in aquam vehementissimam (*Exod.* XV),

quia ingravatum erat cor Pharaonis et Ægyptiorum. Petrus quoque quasi aliquid plumbi habens, super aquam ambulans timuit; sed pondere non gravatus, aquis non est submersus; sed extenta ad eum Dominica manu, est eductus (*Matth.* XIV). Dominus autem Christus ab omni peccati contagione, immunis super aquas intrepidus ambulavit, tanquam plumbeæ gravedinis nihil habens. Unde dicit Isaias : *Et ascendit Dominus super nubem levem* (*Isa.* XIX). Quia carnem suscepit, nobis contra incentiva vitiorum refrigerium præbentem, omnis noxiæ gravedinis liberam. Vos, inquam, filii hominum, estis *gravi corde*, et *usquequo* erit istud ? [Aug.] Id est saltem in adventu Filii Dei, præsente veritate cesset error vester. *Ut quid diligitis*, quasi dicat : Vere gravi corde estis, quia vos diligitis, [Alcuin.] id est voto amplexamini, *et quæritis* cum labore *vanitatem et mendacium*, [Cass.] id est idola, quæ vana sunt, scilicet, a vero esse aliena et mendacia, quia non sunt Deus ut dicuntur. Et ut quid hoc facitis, vel diligitis, vel quæritis vanitatem et mendacium, [Aug.] id est terrena, quæ sunt vana, quia ut umbra transeunt ? Omnia enim quæ sub sole sunt vanitas sunt et mendacia, [Rem., Aug.] quia non faciunt quod promittunt, scilicet beatos. Et ut quid hoc facitis, scilicet cur de terrenis, quæ vana sunt et transeunt, vultis esse beati ? Sola veritas facit esse beatos, ex qua vera sunt omnia. Ut quid igitur temporalium rerum amore detinemini ? ut quid tanquam prima extrema sequamini ?

PARS II, διάψαλμα.

VERS. 4. — « Et scitote quoniam mirificavit Dominus sanctum suum; Dominus exaudiet me cum « clamavero ad eum. »

Et scitote. [Hier., Aug.] Secunda pars, ubi posite novo homine, veterem jubet exuere. Et sciendum quod ubi nos habemus diapsalma, Hebræi habent SELA, quod interpretatur *semper*. Et est confirmatio et commendatio præcedentium, vel sequentium. [Hier.] In hujusmodi vero locis, dum psalmi ante arcam Domini cantarentur, in psallendo interponebatur silentium, et fiebat quædam verborum intercisio, quasi speciali laude aliud intelligerentur sequentia continere quam præcedentia, [Aug.] Ideoque LXX interpretes magis attendentes sensum et rei ordinem, quam Hæbrei verbi proprietatem, non transtulerunt SELA, sed pro eo posuerunt diapsalma. Quo vocabulo significatur vocum divisio, in psallendo, ut psalma sit quod psallitur, diapsalma vero interpositum in psallendo silentium. Sicut σύμψαλμα dicitur vocum copulatio in cantando. Et certum est, ubicunque diapsalma ponitur, rei et personæ fieri narrationem, ut sic post increpationem infidelium Christum proponit, per quem Deus exaudit, dicens : *scitote*. Et nota *et* conjunctionem in initiis solere poni in propheticis Scripturis, ut dicta cum visione quæ est in corde conjungat. Nam sæpe invenis ita cœptum : *Et dixit Dominus ad illum; Et factum est verbum Domini ad illum*. Ita hic. Vel ita conjungi potest cum superioribus, quasi dicat : Nolite diligere vanitatem. Et scitote Quare? Quoniam mirificavit Dominus sanctum suum; Dominus exaudiet me cum, etc. Sed diapsalma interpositum sic jungi vetat. Proprietas enim diapsalmatis non conjunctionem inferiorum et superiorum verborum exigit, sed disjunctionem, licet hoc pene nusquam servetur. Licet enim diapsalma interponatur, sequens tamen cum præcedenti littera conjungitur. Unde et hic aliter potest continuari littera, [Cassiod.] quasi dicat : Quod vana sunt scitote, *et* etiam *scitote* quid sequamini. *Quoniam Dominus Pater mirificavit sanctum suum*, scilicet Christum, qui est Sanctus sanctorum, [Aug.] id est mirabilem eum ostendit suscitando, et ad dexteram suam collocando, ad quem converti debetis ab amore mundi; de quo dicitur : *Cum venerit Sanctus sanctorum, cessabit unctio vestra* (*Dan.* IX). Sicut ergo dicitur Dominus dominantium, et Deus deorum, ita et Sanctus sanctorum, qui in se sanctus est, et alios sanctificans. [Gl. int.] Et per eum *Dominus exaudiet me* de requie æterna, *cum clamarem* (*vel cum clamavero*) *ad eum*. Ita et vos exaudiet si clamaveritis. Et ideo clamate, et sic digni auditu eritis, scilicet, si clamaveritis, et feceritis quod subditur.

VERS. 5. — « Irascimini et nolite peccare, quæ « dicitis in cordibus vestris, et in cubilibus vestris « compungimini.

Irascimini. Quasi dicat : Ut autem et vos mereamini exaudiri, *irascimini et nolite peccare*, [Aug.] id est si motus animi surgit, qui non est in potestate nostra, non ei consentiat ratio. [Cassiod., Alcuin.] Venialis enim ira est, quæ non ducitur ad effectum. Et sciendum quod primus motus animi non est in nostra potestate, sed Dei gratia contemperare possumus. [Cassiod.] Quod ergo consuetudinis est, permittit, id est non prohibet; quod culpæ, scilicet mortale, prohibet. Quasi dicat : Irascimini quidem primo motu, qui est invincibilis; [Aug.; Hier. lib. II adv. Pelag.] et si irascimini, nolite peccare, consentiendo, et ad effectum ducendo. Hæc eadem Apostolus docet dicens : *Sol non occidat super iracundiam vestram* (*Ephes* IV). Quibus verbis innuit, ut peccatum sit omnino vel, id est etiam leviter irasci : justitia autem est iram celeri pœnitudine mitigare. [Aug.] Vel, irascimini, vobismetipsis, de præteritis peccatis et ulterius nolite peccare. [Gl. Int.] Vel, irascimini, primis motibus, eis resistendo et nolite peccare, id est ne ducatis ad affectum. Post iram enim, removet etiam simulationem, dicens, *quæ dicitis*. [Aug.] Labiis etiam, *in cordibus vestris* dicite, ne sitis de illis de quibus dicitur : *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me* (*Matth.* XV). *Et in* cubilibus vestris compungimini, id est in cordibus vestris compungimini dolore pœnitentiæ, ut seipsam anima puniens compungat, ne in Dei judicio damnata torqueatur. Vel, in cubilibus vestris compungimini, id est quasiqui-

busdam stimulis adhibitus excitate vos, non pro dolore peccatorum, sed ad videndam lucem Christi, scilicet, non pro irriguo inferiori, sed pro irriguo superiori, ut invisibilium amore inardescatis. Vel ita, dico nolite peccare, et si peccaveritis, compungimini per pœnitentiam de his quæ dicitis in cordibus, [Cassiod. Rem.] id est de his quæ tractatis in corde vestro, quæ etiam novit Deus, id est de consensu et de his quæ voluistis. In cubilibus vestris, id est de delectatione carnis, in qua captiva versatur ratio, ut fera in cubili. Vel cubilia sunt cogitationes ferocium, ut de homicidiis, vel rapinis, et hujusmodi. Et est, compungimini de his quæ dicitis in cubilibus vestris, id est compungimini de atrocissimis cogitationibus.

Pars III. Διάψαλμα. Vers. 6. — « Sacrificate sacrificium justitiæ, et sperate in Domino; multi dicunt : Quis ostendit nobis bona ? »

Sacrificate, tertia pars. [Cassiod. Alcuin] Deposito in præcedenti parte homine veteri, hic nos in sacrificium jubemur offerre, quia certi sumus de bonis. Quasi dicat : Compungimini, irascimini, et *sacrificate*, id est offerte, non animalia quibus non delectatur Deus. Unde per Isaiam : *Sacrificia vestra odivit anima mea* (*Isa.* I), sed *sacrificate sacrificia justitiæ*, quod est spiritus contribulatus. Ut se puniens homo per pœnitentiam, mactet Deo. Unde alibi : *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*. (*Psal.* L) [Aug.] Quod bene dicitur sacrificium justitiæ. Quid enim justius quam ut suis quisque peccatis potius quam alienis irascatur, seque puniens per pœnitentiam et satisfactionem Deo offerat ? Vel ita, compungimini et sacrificate sacrificium justitiæ, id est opera justa facite, post pœnitentiam et lamentum : quod notat fortassis interpositum diapsalma, scilicet ut de veteri vita transeatur ad novam, ut scilicet exstincto per pœnitentiam veteri homine, sacrificium justitiæ secundum regenerationem novi hominis offeratur Deo, quia sic se offert ipsa anima jam abluta in altari fidei, divino igne, id est Spiritu sancto succensa, ut post Pascha, quando torrebant spicas igni confricantes manibus, sequatur Pentecoste, quando novos panes de novis messibus offerebant. Quibus significabantur opera justitiæ. Dico sacrificate, [Aug., Cassiod.] *et* sic *sperate in Domino*, dona æterna. Non enim hic ea recipietis, sed quia vix aliquis est qui diligat interiora bona, quæ sola diligenda sunt ; cæteris autem ad necessitatem utendum, non ad gaudium perfruendum est, subjicit, *multi dicunt*. Quasi dicat : Dico sperate, sed multi dicunt : *quis ostendit nobis bona ?* [Aug.] scilicet futura, de quibus ipsi dubitant et desperant. Ideoque dicunt : Quis novit si vera sint ? aut quis venit ab inferis, ut ista nuntiaret ? Ad quos respondet Propheta, scilicet quod quæritur. Quis ostendit nobis bona ? ostendit breviter quæ bona sint quærenda, subdens :

Vers 7. — « Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine ; dedisti lætitiam in corde meo. »

Signatum est. Quasi dicat : Hoc illi dicunt, sed jam, o Domine, *lumen vultus tui*, scilicet lumen gratiæ tuæ, quo reformatur imago tua in nobis, qua tibi similes sumus, *est signatum super nos*, id est impressum rationi, quæ superior vis animæ est, qua Deo similes sumus, cui impressum est illud lumen, ut sigillum ceræ. Vultus ergo Dei, ratio nostra accipitur, quia sicut per vultum cognoscitur aliquis, ita per speculum rationis, cognoscitur Deus, et sicut vultus conformitate alius alii assimilatur, ita per rationem nos Deo similes sumus, secundum illud : *Fecit Deus hominem ad imaginem et similitudinem suam* (*Gen.* I). Hæc autem ratio per peccatum hominis deformata est, per quod homo dissimilis Deo factus est ; sed per gratiam Christi reformata est, vel recuperata. Unde Apostolus : *Renovamini spiritu mentis vestræ*, etc. (*Eph.* IV) Gratia ergo qua renovatur imago creata, hic lumen dicitur. Triplex enim est imago, imago scilicet creationis, imago recreationis, imago similitudinis. Imago creationis est, in qua creatus est homo, scilicet ratio ; imago recreationis est, per quam reformatur imago creata, scilicet Dei gratia, quæ menti reparandæ infunditur ; imago similitudinis est, ad quam factus est homo, qui factus est ad imaginem et similitudinem non Patris tantum, vel Filii, sed totius Trinitatis. [Aug.] Per memoriam, similis Patri ; per intelligentiam, Filio ; per dilectionem, Spiritui sancto. Unde meminerim te, intelligam te, diligam te. Lumen ergo vultus est gratia justificationis, qua imago creata insignitur. Hoc lumen est totum et verum hominis bonum, quo signatur ut denarius in imagine regis. Homo enim factus est ad imaginem Dei, quam peccando corrupit, sed renascendo signatur. Unde Dominus in Evangelio : *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo*. (*Matth.* XXII). [Alcuin.] Ac si diceret : Sicut reddit Cæsari suam imaginem, sic animam Deo, lumine vultus ejus illustratam et signatam. Vel ita, ut intransitive legatur, lumen vultus tui, id est luminosus vultus tuus, et illuminans nos, scilicet imago per quam cognoscetis nunc in ænigmate, in futuro prout es. Signatum est super nos, id est impressum est animæ nostræ. [Hier., Cassiod.] Et dicit, lumen vultus rationem, quia illuminosa est, et illuminat hominem ; et vultus Dei, quia ut prædictum est, per eam videtur Deus. Vel lumen vultus, dicitur crux Christi, quæ nobis impressa est intus et exterius, scilicet in fronte mentis, et in fronte corporis, et in signum regis nostri. [Aug.] Ut enim nummus imperatoris imaginem portat, ita fidelibus signa cœlestis principis imprimuntur, quæ crux est lumen verum, quia in talibus irradiat Deus. Et per hoc lumen *dedisti lætitiam* spiritualem non foris, et in vanis, sed intus *in corde meo*, ubi habitat Deus, ibi quærenda est lætitia ; intus enim sunt vera et certa bona, quæ mali non vident, temporalia sectantes, de quibus recte subdit :

VERS. 8. — « A fructu frumenti, vini, et olei « sui multiplicati sunt. »

A fructu, vel tempore *frumenti*. [Alcuin.] Quasi dicat : Dedisti mihi lætitiam intus, sed illi qui dicunt, Quis ostendit nobis bona, *multi* sunt a tempore frumenti, *vini et olei*, id est a temporali frumento, vino et oleo. Vel : A fructu frumenti, vini et olei, quia putant in his esse fructum, id est consummatum bonum. Et addit *sui*, non sine significationis causa, et est referendum ad hæc tria, ut dicatur frumenti sui, vini sui, olei sui, ad differentiam notandam. [Aug.] Quia est aliud frumentum non suum, scilicet panis Dei qui descendit de cœlo. Est et aliud vinum quod lætificat cor hominis. Est et oleum Dei de quo dictum est : *Impinguasti in oleo caput meum* (*Psal.* XXII). Et nota quod hæc tria magis humanis usibus necessaria ponit pro potioribus omnibus divitiis, quibus illi multi qui non quærunt verum bonum, multiplicati sunt. Qui enim non vident regnum cœlorum intra se esse, in his multiplicati sunt, non quidem in veritate, sed multiplicati in distractione et ærumna. Non enim multiplicatio semper ubertatem significat, sed plerumque ad multa distractionem, cum anima temporalibus dedita semper exardescit cupiditate, nec vacare potest, sed multiformi et ærumnosa cogitatione distracta. Simplex bonum non sinitur videre. Isti ergo innumeris phantasmatibus distracti, non in simplicitate cordis quærunt simplex bonum, agentes contra quod præceptum est : *Servite Domino in bonitate, et simplicitate cordis quærite illum* (*Sap.* I). Ista multiplicitas vehementer adversa est illi simplicitati, qua simplex est verum bonum quæritur de quo bonus exsultat dicens :

VERS. 9. — « In pace in idipsum dormiam et re« quiescam. »

In pace in idipsum. [Cassiod.] Quasi dicat : Dedisti mihi lætitiam utique de hoc quod in pace quæ est *in idipsum*, id est, immutabilis, *dormiam* ab omni strepitu mundi secretus. Et hoc erit, cum mortale hoc induerit immortalitatem ; et *requiescam* id est fruar vita vita beata. [Alcuin.] Et hoc vere, quia jam est spes quæ non confundit. Et hoc est quod ait :

VERS. 10. — « Quoniam tu, Domine, singulariter in spe constituisti me. »

Quoniam tu, Domine, etc. [Rem., Cassiod.] Vel ita, In pace. Quasi dicat : Illi laborant multiplicari his temporalibus, ego autem in pace mentis dormiam, hic oblitus mundi tendens in idipsum, id est ad illud bonum, quod est id ipsum, id est quod manens immutabili perennitate consistit. Et requiescam in futuro. Et hoc vere erit, *quoniam* jam *tu, Domine*, constituisti me. Vel *habitare fecisti me singulariter in spe*, id est in una spe, qua singulariter unum et verum bonum speratur, non in multiplicitate sæculi. Et profecto erit quod speratur. Et bene ait singulariter ; hoc enim ait contra hoc quod

A multiplicati sunt a tempore frumenti, vini et olei ; perit enim hæc multiplicitas, et singularitas tenetur in sanctis, de quibus dicitur : *Multitudinis credentium erat cor unum, et anima una* in Deum (*Act.* IV). Secreti enim ab omnibus rebus nascentibus et morientibus amatores æternitatis et unitatis, uni Deo hærere debent.

COLLATIO IN PSALMUM IV : « CUM INVOCAREM EXAUDIVIT ME DEUS JUSTITIÆ. »

VERS. — *Cum invocaren exaudivit me.* Heb. ענני AVENI, Munsterus, Sanctes, Campensis, *exaudi me.* Hieronymus juxta Hebr. videtur legisse AVITANI עניתני et Pellicanus ענני per duplex Kamet, AVANI. Unde argumento est codices variasse, quia transtulerunt, *exaudisti me*, et *exaudivit me*. Quod autem Pratensis et interpretes pro Cajetano vertunt, B *responde mihi*, gratis faciunt, cum Deum nobis respondere, sit orationes exaudire. Utrumque legeris, *exaudivit*, *exaudivi*, *exaudisti*, responde, nihil læditur sensus. Faber tamen mallet occini in Ecclesiis, *exaudisti me*, in secunda persona. Sed cur ? « Ex Græco inquit et translatione Romana. »

Si contulisset exemplaria quædam habere εἰσήκουσέν μου, quædam εἰσήκουσάς μου, non prætulisset aliam translationem nostræ Vulgatæ. Eadem cæcitate laborat Cæcus Burgensis in quadam apologia, cujus et talis titulus : Petri de Ponte Cæci Burgensis, Apologia in eos qui pleraque divini sacrificii vocabula et sensa perperam obstinatis suis erroribus pertinaciter inhærent. Hic volebat cum Fabro legi in secunda persona, *exaudisti*. Quod quam cæcutiat convicimus. Omnia tamen quæ in ipsis iste reprehendit, a Fabro vix apice mutato expiscatus est.

VERS. 3. — *Filii hominum.* In Heb. בני איש BENE ISCH, id est *filii viri*. Et ad eum modum traducit C Hieronymus juxta Heb. Attamen in Commentariis in Matth. XVI : *Quem dicunt homines esse Filium hominis*. Et nota, inquit, quod ubicunque in Veteri Testamento scriptum est filii hominum, in Hebræo quoque scriptum est filii Adam, nominatim hunc recensens locum. Quare luce clarius collegimus ætate etiam Hieronymi codices variasse, et LXX verterunt, υιοὶ ἀνθρώπων. *Usquequo gravi corde.* Hebr. עד מה כבודי לכלמה AD MEH QUEBODI LICHIMMAH. Quod Hieron. in versione quam sæpe citamus ad preces Sophronii ita reddit : *Usquequo, inclyti mei, ignominiosa diligitis*, etc. : Pratensis, *Usquequo gloria mea opprobrio* ; Sanctes periphrasi usus est : *Usquequo gloriam meam vertetis in ignominiam* ; Munsterus : *Usquequo gloria mea erit in ignominiam* ; Interpres pro Cajetano, *Erit ignominiæ*, Paraphrasis Campensis, *Studebitis contumelia afficere*. Consentit Pellicanus, *Usquequo gloria mea* D *ad ignominiam*. Translator ad Campensem, *Quousque spreta magnitudine mea*. Tanta varietas et discrepantia a lectione Vulgata oritur ex æquivocatione verbi Hebræi כבד CABAD, quod interdum significat, *gravis fuit*, quandoque *honorabilem esse*. Hinc כבוד CABOD *gloria*, et כבידי CEBODI, *gloria mea*. Sed merito rogamus, unde habeamus *gravi* seu *graves corde*, βαρυκάρδιοι ? Luce clarius constat LXX legisse, אד מה כבוד לב למה AD MEH CABOD LEB LAMMAH, id est *usquequo gravi corde*, posita diastole. Deinde secuti, *ut quid*, etc., adeo ut quod nunc legitur unica dictione לבלמה duabus distinctim legebant LXX לב למה LEB LAMMAH, præsertim cum beth ב et caph כ habeant affinitatem non parvam, et facilis est lapsus, ut alterum loco alterius irrepat. Cæterum LXX jungunt LAMMAH למה quod est pars dictionis, cum alii secus legunt junctim LICLIMAH, ad

id quod mox sequitur illud, ut quid, facta prius disjunctiuncula IN LEB, id est, *corde*, לב ubi alii legerunt לך LIC, initium dictionis in lectione quam nobis tradunt. Hieronymus Judæis pro Sophronio satisfaciens, ut in præfatione explicuimus, junxit לכלמה LICLIMAH ad id, verbi *diligitis*, et adjective accepit כבודי QUEBODI, quando vertit, *incluti mei* quod alii dicunt *gloria mea*.

VERS. 4. — *Mirificavit*. Non possum satis mirari cur Sanctes, Munsterus, Pratensis, interpretes pro Cajetano voluerint vertere, *segregavit* aut *separavit*, cum ipsi attestentur verbum hic positum הפלה HIPHLA significare extra controversiam, tum *mirabilem reddere*, tum *segregare*. Ac Hieronymus dixit, *mirabilem reddidit*, licet ad sententiam parvi referat, cum quæ sunt mirifica, extollendo cæteris superiora facimus et segregamus. Ostendunt tamen se sponte discedere a lectioni communi et recta. Sunt et pleraque id genus, quæ piget adnotare ceu levicula.

VERS. 5. — *Irascimini et nolite peccare*. Heb. Quantum ad primam particulam רגזו RIGZU Pratensis, Munsterus, et interpres pro Cajetano, *contremiscite*, seu *tremite* : Sanctes, *pavete*, ut peccati nomine homines timere debeant, et id repræsentat sua paraphasi Campensis, *date operam sedulo ne peccetis*. Quod licet quam verissimum sit, tamen non congruit hoc loco interpretationi apostolicæ, Ephes. IV, qui hunc versiculum intelligit de ira moderanda. Cum enim præmisisset, ὀργίζεσθε καὶ μὴ ἁμαρτάνετε, confestim quid intelligat explicat ; *Sol non occidat super iracundiam vestram*. Quam intelligentiam plane tradit Hieronymus lib. II adversus Pelagianos, cujus verba haud gravatim audito : « Ira Dei justa est, ira autem viri de pertubata mente procedit. Unde et in psalmo dicitur, *Irascimini*, etc. Qui versiculus quem sensum habeat Apostolus docet : *Sol non occidat super iracundiam vestram* ut peccatum omnino sit vel leviter irasci, justitia autem, celeri pœnitudine mitigare. » Eamdem sententiam in Commentariis ad Ephesios recenset. « De quarto psalmo, ait, hoc usurpatum nulli dubium est, et videtur illi esse contrarium, quod alibi dicitur : *Nunc autem deponite et vos omnem iram, indignationem et malitiam, et blasphemiam, et turpem sermonem ex ore vestro (Coloss. III)*. Sed et simpliciter intellectum nocet, dum putantur iræ frena laxata. Duplex autem non solum ad nos, verum etiam apud philosophos iræ nomen accipitur, vel cum injuria lacessiti naturalibus stimulis concitamur, vel cum requiescente impetu et furore restincto, potest mens habere judicium, te nihilominus super eo qui putatur læsisse desiderat ultionem. Arbitror itaque de priori ira nunc dictum, et nobis quasi hominibus esse concessum, ut ad indignæ alicujus rei faciem moveamur, tranquillitatemque mentis velut levis quædam aura conturbet, nequaquam tamen tumentis gurgitibus furoris sublevemur. » Hæc sacer Hieronymus. Quæ nihil aut parum respondet ad versionem istorum quæ dissidet a sensu Apostoli, et ita psalmographi germanam intelligentiam forte aut depravant aut distrahunt. Unde et Hieronymus in versione juxta Heb. scripsit, *irascimini* et non more istorum, *pavete*, aut *contremiscite*, Sic et Pellicanus, *irascimini*. Quamvis autem pavor cum ira possit conciliari, ut reddat intelligentiam dignam, tamen non est idem animi affectus.

Quæ dicitis in cordibus vestris, et in cubilibus vestris compungimini. Hebr. בלבבכם על־משכבכם אמרו ודומו IMRU BILBABCHEM AL MISSCABCHEM VEDOMMU, *id est loquimini in corde vestro super cubili vestro*, et silete ; ut contendunt Hebraismi candidati. Quatuor sunt quæ in nostra editione et LXX pariunt diversitatem : *nempe* relativum, *quæ*, non

A positum in Hebræo ; deinde indicandi modus, *dicitis* ; tertio conjunctio copulativa, *et* transposita : postremo verbum *compungimini*. Quod numerus hic vel ibi varietur, sensum non mutat, cum sæpenumero alter pro altero soleat poni in sacris. Quantum ad primum, relativum, *quod*, casu quocunque, genere, numero apud Hebræos passim subauditur, ut liqueat exempli causa, psalm. VII : *In præcepto quod mandasti ; et incidit in foveam quam fecit*, in Hebræo non ponitur relativum. De secundo quatuor litteræ, aleph, men, res, vau, citra punctorum distinctionem sic, אמרו possunt intelligi *amru* indicativi modi אמרו id est, *dixistis*, vel *dicitis*, præteritum pro præsenti, sicut etiam Munsterus accepit initium psalmi secundi, *Quare fremuerunt*, traducens, *quare ad tumultum conveniunt gentes*, ubi certum est Hebraice legi per præteritum. רגשו RAGESCHU ; de conjunctione transposita non esse magnopere digladiandum, cum possit

B respicere pro bonitate intelligentis aut præcedentia aut sequentia. Postremo verbum דמם DAMAM, id est, *siluit*, inde דומו DOMU, refertur ad compunctionem cordis, quæ fit in abscondito, et soli Deo patet. Silentium enim cordis, est intimis visceribus secreto ad Deum ire et converti, juxta illud psalm. XXXVII : *Domine, ante te desiderium meum, et gemitus meus a te non est absconditus*. Alia pete ex commentario.

VERS. 7. — *Signatum*, est super nos lumen vultus tui, Domine. Heb. legunt נסה NESAH, quod magno consensu vertunt *leva*, aut *exalta super nos*, a themate NASAH נסה loco נשא per sin et aleph., id est, *exaltavi*. Apparet LXX legisse id vocabuli nominaliter pro signo, licet sensum ponderantes verterint, *signatum est*. Etenim citra controversiam Hebræi affirmant נס NES a radice NASAS נסס significare *vexillum*, quod procul dubio exaltatur, a quo nomine non incongrue deflexerunt LXX נסה NESAH, id est *si-*

C *gnum*, et traduxerunt ἐσημειώθη *signatum est*. Isa. autem XLIX, legimus אריב נסי ARIMNISI, id est *exaltabo signum meum*. Quid ergo prohibet LXX sic usurpasse, præsertim cum lumen illud de quo canit Psaltes descendens a Patre luminum, pertineat ad Dei cognitionem et contemplationem, quæ quatenus hominem exaltet, nemo novit nisi qui accipit. Adde quod radix vocabuli unde id proficiscitur, ut probat auctoritatibus adductis in suo Thesauro Sanctes, recte significat præter alia non pauca, *capere* et *donare* ; quod abunde quadrat imagini, quam naturaliter gestamus, et qua Dei participes sumus.

VERS. 8. — *A fructu frumenti, vini et olei multiplicati*. Hebræi, מעת דגנן ותירושם רבו MEETA DEGANAN VETIROSCHAN RABBU, quod potest interpretari *a tempore frumenti eorum, et musti eorum multipicati sunt*, vel ut in versione Hieron : *In tempore frumentum eorum et mustum eorum multiplicata*

D *sunt*. Pratensis habet *cum*, Sanctes et Munsterus, *quo frumentum eorum et vinum eorum multiplicata sunt*. Interpres pro Cajetano non addit *quo*, sicut nec in Heb. habetur. Pellicanus, *magis quam tempore frumenti eorum et musti eorum multiplicentur*. Interpretes qui dixerunt *a fructu*, etc., emphasin sententiæ propius expresserunt. Quid namque est multiplicari a tempore frumenti nisi fructu qui tempore suo colligitur, quod non male παραφραστικῶς ostendit Campensis, quod illis frumentum et vinum, quemadmodum optaverant, abundanter provenerit, et divites jacti sunt. Faber vult gratis particulam *olei* confodi, tanquam superfluam. « Nec, inquit, sacer Hieronymus particulam illam reperit, cum vetustum Origenis Hexapli Psalterium revovisset quod ipsius manu fuerat emendatum, neque in Heb., neque, in cæteris editionibus, nec apud LXX reperiri. Quare in ecclesiis nihil formidini esse debet illico

locum illum emendare, et convellere particulam illam *olei*, et amodo canere, *a fructu frumenti et vini sui multiplicati sunt*. Ita Faber : O bone, quid gravat guttur tuum *olei* particula tam mollis ? Certe in Veteri Testamento solet Dominus innuere bonorum affluentem abundantiam per hæc tria simul frumentum, vinum et oleum, ut est illud Joel II : *Ecce ego mittam vobis frumentum, vinum et oleum, et replebimini in eis*. Patiaris itaque cantum ecclesiasticum oleo lætitiæ perungi, quoniam citra oleum nulla est melodia in Ecclesia. Noc movere debet dictum Hieronymi, cum nolit particulam illam confodi, convelli, ut exaggerat Faber, si in Ecclesia decantetur præsertim etiam si non ponatur, debeat intelligi, ad significandam divitiarum omnium opulentiam quod ; quasi insinuat Pellicanus in Scholiis. De spirituali consolatione tua nos longe magis gaudeamus, quam illi sæculares de messe et vindemia copiosissima. Perspicuum est autem vindemiam et ad alia transferri. Deinde Hieronymus quæstione x ad Hedibiam prædicat nihil sibi placere, nisi quod ecclesiasticum est, et quod publice in Ecclesia dicere non timet. Apparet nihilominus codices variasse, quia in Græcis nunc legimus ἐλαίου. Quod si in quibusdam aliis non fuerit, non refert, ubi intelligentia sana est, et eodem recidat. Quin si verum est quod adduximus in prologo de rabbi David Kimhi, qui dicit dissensiones fuisse in exemplaribus, et nonnullas dictiones fuisse ascriptas margini, non est omnino improbabile, quibusdam codicibus additam in fine illius vocabuli litterulam duntaxat unam, videlicet nunc, ut legas תירושמן loco תירושם habebis *vinum et oleum* tirossamen dictionem compositam. Facile est autem aut addere aut expungere unam litterulam. Nec obstat quod sequendo lectionem illam neque conjunctio secunda haberetur, neque affixum seu pronomen, quia interpretes hoc supplent, maxime cum Psalterium sit carmen lyricum, ut probavimus in præfatione. Et in hoc versu Munsterus et Sanctes ad-

A diderunt *quo*, sic primo psalmo dixit Munsterus, *Non sic impii, sed moventur ad malum, sicut palea* : sed moventur ad malum, non habetur in Heb. ; tamen ostendit debere subaudiri.

VERS. 9. — IN *pace in idipsum dormiam et requiescam*. Duplex potest fieri distinctio : primo sic, in pace in idipsum ; deinde, dormiam et requiescam. Vel sic : in pace in idipsum dormiam, et requiescam. Priorem insectatur Cæcus Burgensis in Apologia, et subsannat cantum ecclesiasticorum ad completorium et ad alias preces, qui suspendunt spiritum, in pace in idipsum, quasi deberent occinere, in pace in idipsum dormiam, facta pausa. At neutra est rejicienda, quia si perpendas quid significet in idipsum, fortasse magis probatis distinctionem priorem quam posteriorem. Profecto August. interpretans illum versiculum psalmi CXXI, *Jerusalem quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum*, docet idipsum esse quod
B mutari non potest, et significare ipsum nomen Dei, qui est, *Ego sum qui sum* (*Exod.* III). Cætera quæ creata sunt aliter et aliter possunt esse ; qui autem creavit, aliter et aliter non potest esse, quoniam dictum est ei : *Mutabis ea, et mutabuntur* : *tu autem idem ipse es* (*Psal.* CI). Igitur cum Christus sit pax nostra, qui fecit utraque unum (*Ephes.* II), et ea pax est æterna, quæ exsuperat omnem sensum (*Philipp.* IV), et immutabilis, in qua omnes unum sumus : nonne congruentissime tibi videtur quod idipsum conveniat huic paci et jubilemus in pace in idipsum, pace, quæ est sola imperturbabilis et immortalis ? Quod si proprius vocabulum in Hebræo positum inspicias, pervidebis non positum simpliciter יחד IAHAD, id est *simul*, sed cum pronomine vau, quod significat *cum* יחדו IAHADAN, quod LXX interpretes dixerunt :ἐπὶ τὸ αὐτό ad innuendam summam unitatem. Hæc potuissent silentio, premi, si quidem tacuissent Nec tamen prohibeo emendare, sicubi in pausis aut aliis manifeste aberretur sine imperitia, sine incogitantia.

PSALMUS V.

PSALMI TITULUS : IN FINEM PRO EA QUÆ CONSEQUITUR HÆREDITATEM. »

Verba mea. Titulus : *In finem pro ea quæ consequitur hæreditatem*. [Rem.] Titulus hujus psalmi historiæ Genesis, alludit, ubi legitur quod Abraham duos filios habuit, unum quidem de ancilla Agar, scilicet Ismaelem ; alterum vero de libera Sara, scilicet Isaac. Ismael vero major natu persequebatur Isaac, dum luderet cum eo. Intelligens ergo Sara ludum Ismaelis cum Isaac persecutionem esse, dixit viro suo : *Ejice ancillam et filium ejus de domo* (*Gen.* XXI). Ejecta itaque est ancilla de domo cum filio, et libera cum filio hæreditatem obtinuit. Ad hanc historiam videtur respicere titulus, cui etiam quædam verba psalmi alludunt. Verum non de historia, imo de significato agitur hoc psalmo. Libera enim Sara, quæ non secundum naturam, sed per Dei gratiam peperit, Ecclesiam significat, quæ filios spirituales Deo generat, non vi carnis, sed gratia Dei. Ancilla significat Synagogam, quæ pro temporalibus servit ; et totum corpus malorum, qui fecundi et terrenis abundantes persequuntur Ecclesiam et filios ejus tormentis et illusionibus : quæ tamen consequitur hæreditatem æternam, illis exclusis. Et est sensus tituli talis *Psalmus* iste

C dirigens nos *in finem*, id est ad æternam hæreditatem, quæ est consummatio. Est *pro ea* libera, id est Sara honoranda, id est agit de Ecclesia honoranda, per liberam Saram significata. [Rem., Alcuin.] Quia hic honoratur Ecclesia, cui habenda hæreditas affirmatur, a qua æmula excluditur. Unde sequitur *quare consequitur hæreditatem*, non sic Synagoga quæ ejicitur de domo. [Aug.] Ecclesia vero est quæ hæreditatem, id est vitam æternam, id est ipsum Deum accipit, qui dicitur nostra hæreditas, quia ipse pascit nos et continet, et nos quoque hæreditas Dei dicimur, quod ipse nos administrat et regit.

[Cassiod.] Intentio prophetæ est certificare fideles de hæreditate habenda. Modus : tripartitus est
D psalmus : primo, agit de hæreditate quam sibi petit, et asserit sibi dari, æmulam dicens excludi ; secundo, petit auxilium contra ea quæ æmula ingerit ; ibi, *Domine, deduc* ; tertio, præmia bonorum ostendit, ut sicut terret pœna ita illiciant præmia ; ibi, *Et lætentur*. Hoc modo distinguitur hic psalmus, secundum Cassiodorum. Augustinus autem, qui quinque facit partitiones, hoc modo : prius orat Ecclesia, ut audiatur ; secundo, ut intelligat quæ impediunt eam ad videndum Deum, vel ut se

exauditam cognoscat, ibi, *Quoniam ad te orabo;* tertio, promittit se futuram Dei domum, ibi, *Ego autem;* quarto, orat juvari intus, ibi, *Deduc me;* quinto, prophetat quæ pœna sit malis, quod præmium; justis ibi, *judica illos*. [Cassiod.] Ecclesiæ ergo vocatæ a Deo, trina est oratio hic, quæ orat separari a malitia sæculi, et ad Deum pervenire, ita dicens :

VERS. 1. — « Verba mea auribus percipe, Domine, intellige clamorem meum. »

Domine, percipe verba oris mei, [Cassiod.] id est psalmodiam, *et intellige clamorem meum,* id est cordis affectum, quod ad te clamo, [Aug.] quod clamabat Moyses tacens, et Susanna a presbyteris accusata. Intellige, dico, *et percipe auribus*, id est præsentia tuæ majestatis. Et per hoc quod ait. Intellige, bene ostenditur quod spiritualis clamor est, non vocalis, qui intelligitur. Unde et auris Dei, non corporeum instrumentum, sed præsentia divinæ majestatis accipitur. Vox enim corporalis aure corporis auditur, spiritualis vero intelligitur. Ideoque nota congruam verborum distinctionem, cum ait, Verba percipe, clamorem intellige. Et quia ore et corde clamo, ideo.

VERS. 2. — « Intende voci orationis meæ, rex meus et Deus meus. »

Intende voci orationis meæ, vel, exaudi orationem meam; alia littera : [Cassiod.] Ecce ter de eodem oravit, orationem diriges ad sanctam Trinitatem, dicens : Tu dico qui es *rex meus,* scilicet Christus, *et* tu qui es *Deus meus,* scilicet **10** pater. [Aug.] Rex enim proprie dicitur filius, secundum consuetudinem Scripturæ, et fortassis ideo, quia secundum hominem unctus est oleo spirituali. Et bene primo ponitur rex, quia per eum itur ad Patrem. Unde subditur, Et Deus meus. Et tamen non dicit, intendite, sed intende. Quia fides catholica non duos aut tres deos prædicat, sed ipsam Trinitatem unum Deum; non ut eadem Trinitas simul possit aliquando Pater, aliquando Filius, aliquando Spiritus sanctus dici, sicut Sabellius credidit; sed ut Pater, non nisi Pater; et Filius, non nisi Filius; et Spiritus sanctus, non nisi Spiritus sanctus. Et hæc Trinitas non nisi unus Deus sit : quia vere unus Deus est. [Aug. tract. 36 *in Joan.*] Unde Christus dominus ait : *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.*x). Utrumque audi, et adverte et *unum, sumus*, et a Charybdi et a Scylla liberaberis. Quod enim dixit unum, liberat te ab Ario; quod dixit sumus, liberat te a Sabellio. Si unum, ergo non diversum; si sumus, ergo et Pater et Filius. Sumus non determinate diceret de uno, nec unum de diverso. Erubescant ergo Sabelliani, qui dicunt ipsum esse Patrem qui est Filius, confundentes personas; qui dicti sunt Patripassiani, quia dicunt Patrem fuisse passum. Ariani vero dicunt aliud esse Patrem, aliud Filium : non unam substantiam, sed duas : Patrem majorem, Filium minorem. Noli hoc dicere, tu catholice; una enim

A substantia Patris et Filii, et una divinitas, una coæternitas, perfecta æqualitas, nulla dissimilitudo. Si igitur credis alium Christum esse a Patre in aliquo tamen distantem secundum naturam, a Charibdi Sabellii evasisti; sed in Scyllæis scopulis Arii naufragasti. In medio ergo naviga, utrumque periculosum latus devita, et dic : Pater, Pater est, Filius, Filius :. alius Pater, alius Filius, sed non aliud, imo hoc ipsum, quia unus Deus.

VERS. 3. — « Quoniam ad te orabo, Domine; mane exaudies vocem meam. »

Quoniam ad te. Secunda pars secundum Augustinum. Hucusque est oratio Ecclesiæ, ut audiatur, hic tamen intellectus eorum quæ impe-
B diunt eam ad videndum Dominum. Vel ad hoc ut se exauditam esse cognoscat, prius Ecclesia quasi in præsenti volens audiri, dixit : Exaudi orationem in quo ipsa tuam vocationem ostendit; sed caligans inter procellas hujus sæculi, sentit se non videre quod cupit, et tamen sperat. Scit autem quare non videat, quia adhuc est ei nox peccatorum. Dicit ergo : *Quoniam ad te,* quasi diceret oravi, nec sum exaudita; nec tamen desistam, imo *ad te orabo*, o *Domine*, non in nocte peccatorum, sed *in mane exaudies vocem meam.* Non in nocte, quoniam peccata fecerunt; sed ea finita, videberis. [Alcuin.] Mane est finis tenebrarum, et initium lucis, quæ semper crescit, ut nec incipientes excludantur, qui consuetudine et amore peccandi
C discedentibus quasi tenebris et incipiunt Dominum videre, et in eo paulatim proficiunt. [Aug.] Et quia nondum exaudita est, sed se exaudiendam dicit, cur ergo prius dixit, Exaudi, et non, exaudies? Quia forsan supra clamavit, volens in præsenti audiri, et ideo dixit, Exaudi. Sed quia in nocte clamavit, non est exaudita. Et quia non est exaudita, sentit quid oporteat transire, ut audiatur. Et ideo ait, Exaudies. Vel superius exaudita est, sed non intelligit se exauditam, quia nondum videt auditorem, nisi tenuerit. Et est sensus : Oravi, nec sentio me exauditam; et adhuc, Ad te orabo, Domine. [Alcuin.] Et quoniam ad te orabo, *mane*, hoc non mutatur, *exaudies vocem meam,* id est intelligam me exauditam. Et in hoc,

D VERS. 4. — « Mane astabo tibi, et videbo quoniam non volens Deus iniquitatem tu es. »

Mane. [Aug.] Non ero horarius, sed *astabo tibi* perseveranter, et per munditiam vitæ, non jacebo in terrenis, quærens in eis beatitudinem. Per hoc enim quod ait, astabo, duo notat, mentis directionem ad æterna, et perseverantiam. *Et videbo,* id est sciam, *quoniam tu es* proprie, qui stabilis manens das cuncta moveri. *Deus* es. Et ideo *non* es *volens iniquitatem*, id est scientiam, [Alcuin.] quod Deum esse, et placere iniquitatem, nunquam conveniunt. [Cassiod., Alcuin.] Nota singula verba, *es* dicit, quod proprie convenit Deo. Item astabo tibi. Astat ille Deo ut præsens, qui purus est. [Hier., et Aug.]

Et hoc, Mane, scilicet mox ut tenebras vitiorum deserit. Vel ita, Mane astabo tibi, non mutatur. Et tunc videbo, te. Non enim videt Deum qui terrenis inhæret, sed qui in mane virtutum Deo astat. *Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt,* etc. (*Matth.* v.) Ideo, Mane astabo, ut videam te, quoniam tu Deus es non volens iniquitatem. Iniquitas, scilicet mendacium, homicidium, dolus, et hujusmodi sunt nox, qua transeunte fit mane, ut videatur Deus. Et reddit hic causam, quare mane astabit, et videbit. Quoniam Deus non vult iniquitatem, quoniam si vellet posset ab iniquis videri sine mane. Vere non vis iniquitatem, quia,

VERS. 5. — « Neque habitabit juxta te malignus : « neque permanebunt injusti ante oculos tuos. »

Malignus. [Gl. int.] Qui malum vult proximo, etsi non possit, *neque habitabit juxta te,* id est non sic videbit te, ut adhæreat tibi. Unde subdit, *neque permanebunt injusti.* Injustus est qui non facit quod debet. *Ante oculos tuos,* id est ante lucem tuam, quia oculi mentis eorum præ tenebris peccatorum non sustinent lucem rectæ intelligentiæ, et si aliquando vident veram lucem, non permanent, quoniam ea amant quæ a vero avertunt. Sed si hæc nox transit, fit eis mane, ut videant, et inhæreant veritati

Vel ita, Mane, mane dicit, quando incipiet æternitas. Et est, Orabo ad te, Domine; et quoniam ad te orabo, hoc non mutatur. [Rem.] Mane, id est in initio æternitatis. Exaudies vocem meam. Et in illo, mane, ego astabo tibi, ut præsens. Et tunc plene videbo, Quoniam tu es Deus, non volens iniquitatem, id est, intelligam quod non placent tibi iniqui. Et vere, quia tunc, non habitabit juxta te malignus, sed tolletur impius ne videat gratiam Dei. Et tunc non permanebunt injusti ante oculos tuos, et si hic misericordiam ejus habuerunt, qui solem suum oriri facit super bonos et malos. [Alcuin.] Injusti sunt, qui mala faciunt. Vere non permanebunt. Nam

VERS. 6. — « Odisti omnes qui operantur iniquitatem ; perdes omnes qui loquuntur mendacium. »

Odisti omnes. [Rem. Aug.] id est videris odisse, dum separas a te. Non enim odium cadit in Deum, si odire dicitur malos, quia non sinit manere in se. Omnes dico *qui operantur iniquitatem.* [Hier.] Non dicit qui operati sunt, ne excludat pœnitentiam, per quam peccatores justificantur; sed qui operantur iniquitatem. Et accipit iniquitatem, generaliter quodlibet a divinis mandatis alienum; quod operatur ille cui placet. [Gl. int.] Si vero displicet etsi cadit, languor naturæ facit, non ipse facit. Unde Apostolus : *Jam non ego operor illud, sed quod inhabitat in me peccatum* (*Rom.* VII). Sequitur : *Et perdes omnes* non solum operantes, sed etiam eos qui *loquuntur mendacium.* [Aug.] Quia

A hoc est veritati contrarium. Veritas enim est de eo quod est. Mendacium vero non est substantia, vel natura, id est non est de eo quod est naturaliter, sed de eo quod non est. Et merito perditur, qui declinat ab eo quod est ad id quod non est. Et sciendum quia non omnino idem est mentiri, et mendacium loqui. Aug. in Ench. cap. 18, et De mendacio, c. 12.] Mentiri enim est contra loqui quam quod animo sentit quis. Et sane aliquando verum dicens, mentitur, quia contra conscientiam loquitur; aliquando falsum dicens, verax est, quia nos contra conscientiam loquitur. Mendacium vero est, falsa significatio vocis, cum intentione fallendi. Ut ergo mendacium sit, necesse est ut falsistas subsit, et contra conscientiam dicatur. Hoc autem quod

B hic ait, non generaliter de omni mendacio accipiendum est, sicut nec illud : *Os quod mentitur occidit animam.* (*Sap.* I). Sunt enim tria genera mendaciorum. Nam sunt mendacia quædam pro salute, vel commodo alicujus, non malitia, sed benignitate dicta, ut obstetrices in Exodo fecisse leguntur, quæ dixerunt Pharaoni falsum, pro filiis Hebræorum servatis (*Exod* I). Hæc autem mendacia non re, sed in dolo, vel indole laudantur. Qui sic mentientur, non mendacium in eis, sed dolus, id est prudentia vel indoles laudatur, quia qui sic solummodo mentiuntur, merebuntur aliquando ab omni mendacio liberari.

Est etiam aliud mendacii genus, quod fit joco, quod non fallit. Scit enim ille cui dicitur, causa joci dici. Et hæc duo genera mendaciorum non

C sunt sine culpa, sed non cum magna. Perfectis autem non convenit mentiri, nec etiam pro temporali vita alicujus servanda, cujus morte non occiditur anima sua, id est justi tacentis, vel alterius, id est occisi. Licet autem eis si non falsum dicere, verum tacere. Ut, si quis non vult hominem ad mortem perdere, verum taceat, sed non falsum dicat, ne pro corpore alterius animam suam occidat. Non est enim culpa verum aliquando tacere, ut et Dominus in Evangelio ostendit discipulis suis, dicens ; *Multa habeo vobis dicere, quæ non potestis portare modo* (*Joan.* XVI). Illud autem ubi non est duplex cor, non debet dici mendacium. Ut, verbi gratia, si quis commendet mihi gladium, et promittam reddere poscenti : si furens poscit, non debeo red-

D dere, ne se vel alium occidat. Ideo non hic est duplex cor, quia cum promisi reddere, non cogitavi furentem posse repetere. Si quis ergo omnia mendacia vitare non potest: vel sola hujus necessitatis habeat mendacia, ut etiam ab istis, si sola remanserint, liberari mereatur, et Spiritus sancti robur accipere, quod quidquid perpetiendum est, pro veritate contemnat. Tertium vero genus mendacii est, quod ex malignitate et duplicitate procedit, quod omnibus et summopere cavendum est.

VERS. 7. — « Virum sanguinum et dolosum abominatur Dominus. »

VERS. 8. — « Ego autem in multitudine misericor-

« diæ tuæ intrabo in domum tuam ; adorabo ad « templum sanctum tuum in timore tuo. »

Virum sanguinum, [Cassiod., Aug.] id est homicidam, idem repetit quod supra dixit, ibi qui operantur iniquitatem *et dolosum,* scilicet qui decipit vicinum, hoc est, quod supra dixit : Qui loquuntur mendacium. Hos inquam *Dominus abominatur,* id est exhæredabit. Solent enim abominati dici exhæredati. Ecclesia autem quæ consequitur hæreditatem, exsultat in spe, dicens : Ego autem. [Aug. in conclus. huj. psal.] Tertia pars secundum Augustinum, ubi Ecclesia se promisit futuram Dei domum et hunc proximare in timore, ante futuram consummationem, quæ expellit timorem. Quasi dicat : Maligni et injusti non permanebunt ante oculos. *Ego autem in multitudine misericordiæ tuæ,* id est non meis meritis, sed multa misericordia tua. *Introibo in domum tuam,* [Rem.] id est cœlestem, vel multitudo misericordiæ Dei est, multi et perfecti sancti, quos nunc parit Ecclesia. Cum quibus dicit Ecclesia : Introibo in multitudine misericordiæ tuæ, id est cum multitudine hominum perfectorum, et beatorum, qui tales sunt ex misericordia tua. [Gl. int] Introibo in domum tuam cœlestem, ut lapis in ædificium. Hic notatur liberæ Saræ, id est Ecclesiæ receptio, sicut supra ancillæ exclusio, ut dictum est : Non habitabit juxta te malignus, etc. In hoc introitu perfectio est, per hoc introibo : quia *adorabo ad templum sanctum tuum,* cœleste. [Aug.] Id est proprie templum, non in templo, cui operibus bonis et orationibus appropinquo, orans ut sim in ejus ædificio. Hoc dicitur de progressu, qui est prius quam detur consummatio. Adorabo dico, *in timore tuo,* qui est magnum præsidium proficientibus ad salutem, sed pervenientibus foras mittitur. Non enim timent jam amici quibus dictum est : *Jam non dicam vos servos, sed amicos* (*Joan.* XV), cum scilicet ad id perducti fuerint, quod promissum est.

VERS. 9. — « Domine, deduc me in justitia tua ; propter inimicos meos dirige in conspectu tuo « viam meam. »

11 *Domine deduc me.* Quarta pars secundum Augustinum, ubi Ecclesia proficiens inter impedimenta orat juvari intus, ne linguis dolosis avertatur. Secundum Cassiodorum et Alcuinum, est hic secunda pars, ubi Ecclesia petit auxilium contra ea quæ æmula ingerit. Unde ipsa peribit, quasi dicat : Introibo, in futuro, adorabo, sed nunc contra adversa, o *Domine, deduc me,* id est fac me proficere. [Alcuin. et Gl. int.] Deductio enim convenit proficienti. Per hoc declarat se in profectione esse, id est in provectu ad perfectionem, nondum in ipsa perfectione. [Cassiod., Aug.] Deduc, dico *in justitia tua* qua pœnitentes et supplices recipis, non in justitia hominis, id est quæ homini videtur justitia, ubi malum pro malo datur, quod videtur homini justitia, quod Deus non facit. Quia etsi punit, non suum malum, infert sed suis

A malis eos relinquit, in id quod elegerunt expellens eos. Homo vero cum punit, malo voto hoc agit. Et ideo ipse prior malus est, dum punire vult malum. Deinde causam supponit, quare debeat deduci.

Propter inimicos meos, confundendos, vel convertendos : *Et dirige viam meam* qua itur ad te, *in conspectu tuo,* id est conscientia, ubi homo aliquis non videt, sed tu solus, cui homini laudanti vel vituperanti non est credendum : quia non videt in conscientia, in qua iter ad Deum dirigitur. Ideo subditur :

VERS. 10. — « Quoniam non est in ore eorum ve« ritas ; cor eorum vanum est. »

Quoniam non est in ore eorum veritas, cor eorum vanum est. [Hier.] Vel ita secundum aliam litteram
B ubi etiam distinguitur littera sic : *Propter inimicos meos, qui insidiantur mihi, dirige,* id est ostende. Rem.] *Viam meam,* id est præcepta tua, *in conspectu tuo,* ut præ oculis habeam ipsa præcepta. Et per ea me regas, ita ut in hæresim non declinem, vel ad dexteram prosperitatis, vel ad sinistram adversitatis, sed regia incedam via, quæ est Christus, qui dicit : *Ego sum via, veritas, et vita* (*Joan.* (XIV). *Quoniam non est in ore eorum veritas* [Aug.] scilicet inimicorum meorum, quorum judicio non est credendum. Et ideo ad conscientiam ubi Deus videt, fugiendum est. Nec mirum si veritas in ore, eorum non est, quia, *cor eorum vanum est.* Et ex abundantia cordis os loquitur (*Luc* VIII). Vanum est cor eorum, quia cor eorum fallitur de pec-
C cato, putans peccata quædam non esse peccata, et aliquid esse peccatum quod non est peccatum. Et de pœna peccati, quia promittunt sibi impunitatem. Et tantum modo non est in ore eorum veritas. Sed etiam.

VERS. 11. — « Sepulcrum patens est guttur eo« rum ; linguis suis dolose agebant : judica illos « Deus. »

[Hier. Remig., et Alcuin.] *Guttur eorum est sepulcrum patens,* id est comparabile sepulcro patenti, quia fetida promunt ad corrumpendum alios. Quibus si non proficiunt *linguis suis,* id est malis, *dolose agebant.* Si enim apte non possunt decipere, dolose agunt, sub specie veri falsa inducentes. Et nota quod ait, agebant, quia non modo moliuntur
D dolos, sed efficiunt quod intendunt, cum alios seducunt. Vel ita : Guttur eorum est sepulcrum. Provoracitate, pro qua adulando mentiuntur. Et addit, *patens* quia semper hiat illorum voracitas, ut sepulcrum patens in recipiendis cadaveribus paratum est. Vel ita : Guttur eorum est sepulcrum patens, [Aug.] quia mendaces blanda adulatione ad se trahunt homines, et sibi assimilando devorant, quibus mortuis, ipsi sunt sepulcra. Sequitur : Linguis suis dolose agebant : hoc non mutatur. *Judica.* Quinta pars secundum Augustinum. Et est hæc prophetia, quia prædicitur quæ pœna sit malis, quod præmium justis. Non est hic optatio, sed videt quod futurum est, secundum justitiam Dei. Quasi dicat, Et quia

tales sunt, o Deus, judica illos. Non opta, sed quod futurum est prædicit. Judica, dico, sic :

VERS. 12.— « Decidant a cogitationibus suis; » secundum multitudinem impietatum eorum ex» pelle eos, quoniam irritaverunt te, Domine. »

Decidant a cogitationibus suis, id est frustrentur opinionibus suis [Cassiod., Aug.] Decidit enim qui spe sua frustratur. Vel sic, decidant, id est damnentur. Et hoc, a cogitationibus suis, id est teste conscientia eorum, et accusante eos. Ita decidant. *Expelle eos* qui sibi videntur intromissi *secundum multitudinem impietatum eorum*, id est longe, ut merentur multæ impietates eorum, pelle eos ad hæreditate æterna, quæ videndo Deum possidetur. Nam secundum quantitatem et qualitatem peccatorum, expellentur plus minusve. Ideo expelle, *quoniam, o Domine, irritaverunt te*, vel amaricaverunt te, id est peccando te cibum veritatis suavem sibi amarum fecerunt. Panis enim qui de cœlo descendit, qui in se dulcis est, et vita ægris, ita amarus est per peccata, ut sustinere non possint.

VERS. 13. — « Et lætentur omnes qui sperant « in te; in æternum exsultabunt, et habitabis in « eis. »

Et lætentur. Tertia pars est hic secundum Cassiodorum, ubi post retributiones malorum subdit præmia honorum, ut sicut terret pœna, ita alliciant præmia. [Hier., Aug.] Quasi dicat : Illi decidant, et contra lætentur boni in futuro de habita hæreditate. *Omnes qui* modo *sperant in te*. Quibus gustantibus suavis es. Unde : *Gustate et videte quoniam suavis est Dominus* (*Psal.* XXXIII) *:* Dico lætentur, et non dubie dico [Cassiod.] quia *exsultabunt in æternum*, non temporaliter. Unde exsultabunt ? ecce, *et*, id est quia *habitabis in eis* [Aug..] Hæc est æterna exsultatio eorum, cum templum Dei fient justi, et erit gaudiens ipsorum, ipse incolatus eorum.

VERS. 14.— « Et gloriabuntur in te omnes qui « diligunt nomen tuum : quoniam tu benedices « justo. »

Et tunc *qui diligunt nomen tuum gloriabuntur in te*, tanquam habentes ad fruendum quod diligunt, quæ est hæreditas æterna, de qua intitulatur psalmus. Ideo gloriabuntur, *quoniam tu benedices justo*, id est benedictionem æternam dabis justo. [Aug.] Benedictio est gloriari in Deo, et habitare ab eo. Sed quia hanc præcedit vocatio, quæ est gratiæ, subdit :

VERS. 15. — « Domine, ut scuto bonæ voluntatis « tuæ coronasti nos. »

Domine ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos, id est bona voluntas tua, qua nos vocasti, nobis est ut scutum contra inimicum quo protegamur; et ipsa est ut victricia arma, quibus vincitur inimicus. Aug., [Cassiod.] Nam bona voluntas Dei præcedit nostram bonam voluntatem, ut vocet ad pœnitentiam; et hæc sunt arma, quibus expugnatur inimicus. [Aug.] Hoc est scutum contra eum qui in tribulationibus et tentationibus suggerit desperatio-

A nem. Et est sensus, bona voluntas tua qua vocas, protegit nos, et vincere facit, et accipitur totum de præsenti. [Cassiod.] Vel ita, uno verbo indicat beneficia Dei, scilicet præsentis et futuri temporis, cum ait, *scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos*, etc. Et accipitur partim de præsentis, partim de futuro. Scutum enim quod a rotunditate dicitur, et est rotundum in patria David, duo facit, quia corpus munit, caput coronat. Ita gratuita Dei voluntas, qui nos vocat, est defensio hic contra omnia, et in futuro corona, ut clypeus capiti aptatus, corona est, cordi defensio. Et, Domine coronasti nos ut scuto bonæ voluntatis tuæ, id est bona voluntas tua, in præsenti nobis est ut scutum, in futuro ut corona.

COLLATIO IN PSALMUM : « VERBA MEA, » etc. »

B VERS. 9.—*Dirige in conspectu tuo viam meam*. In Heb. conversus est sermo הושר רפני דרכך HANESCHAR LEPHANAI DARCHECA, *Dirige in conspectu tuo viam meam*. Hieronymus ad Simiam et Fretellam, et lib. III, adversus Pelagianos, attestatur variasse exemplaria, et eodem recidere sententiam. Ait enim ; « Salomon loquitur : Esto confidens in Dominum in toto corde tuo. In tua autem sapientia, ne exalteris, in omnibus viis tuis cognosce eum, ut rectas faciat vias tuas. Intellige quid loquitur : Nec in sapientia nostra, nec in ullis virtutibus confidendum; sed in solo Domino, a quo gressus hominis diriguntur. Denique præcipitur ut ostendamus et vias nostras, et nostras esse faciamus, quæ non labore proprio, sed ejus adjutorio atque clementia recte fiunt. Unde scriptum est : Rectum fac in conspectu meo viam tuam, sive ut alia exemplaria habent, *rectam fac in conspectu tuo viam meam*, ut quod tibi rectum est, etiam mihi rectum videatur. Ita Hieronymus. Profecto via Dei, est via nostra. Est via Dei quam præcipit et ostendit ; est via nostra, qui ad eum tendimus. Unde psalmo CXVIII ; *Servavi mandata tua et testimonia tua, quia omnes viæ meæ in conspectu, tuo*, In hoc psalmo et cæteris omnibus, ponunt neoterici interpretes alia vocabula a vulgatis, sed cum non lædatur sententia, nolo his leviculis torqueri lectorem, quanquam debuissent meo judicio communi editioni deferre, si tamen eo animo relinquunt ut damnent, quod non facile credimus de omnibus. Monet tamen decimus versus, in quod habemus, *Cor eorum vanum est*, Heb. קרבם חוות QUIRBAN HAVOTH, *Intimum eorum pravitates*. Et quanquam non dissideat sensus, tamen Hieronymus asserit melius baberi in hebræo קרבם QUIRBAM. Non dicit Hieronymus quod melius transferatur intimum quam cor, sed quod melius sonat in Hebræo. Nam statim subdit in Commentariolo hujus loci : « Vere enim insidiatur cor hæreticorum omnibus quos decipit. » Deinde reddita est ratio supra, cur non semper eædem sectiones et membra versuum occurrant, ob id de hujusmodi minus anxie digladiari hominis esset otiosi.

VERS. 12. — *Irritaverunt te, Domine*. Nihil miraberis quod, Domine, non sit in Hebræo, sed apud LXX et nos, ut majorem energiam faciat, ad declarandam rebellionis superbiam, quando servi mali irritant tam bonum Dominum. Siquidem et isti permittunt sibi liberius similia et dissimilia, verbi gratia, Job XV, ubi habet nostra lectio : *Currit adversus eum extento collo*, etc. Sanctes vertit, Deus curret adversus eum, ut percutiat eum in collo. Munsterus, Idcirco festinavit manus Dei contra eum, ut comprehendat eum in collo. Cernis sententiam esse conversam, propterea quod addide-

runt Deum, aut Dei manum, quod non legebatur in eo loco, ac oportet lectorem hujus rei meminisse, ne cogamur sæpius eamdem cantilenam cantare, ubi consilia se offerunt.

VERS. 13. — *Ut scuto bonæ voluntatis tuæ.* Pratensis, *ut scuto dilectione;* Hieronymus, *scuto placabilitatis.* Vocabulum Heb. רצון ZATZON, est pius mentis affectus, seu ut ait Pellicanus, benevolentia, unus vertit in genitivo, alius in ablativo. Quando quidem Hebræi non habent hujusmodi casuum varietates, habent tamen statum regiminis, ut appareat lectam esse priorem dictionem כצנה

A CATZNATH, *coronasti nos*, תעטרנו TAATRENNU, id est *coronabis eum*, haud dubie legerunt interpretes sine puncto in ventre litteræ. Num, quem punctum vocitant Hebræi dagges. Qui si inseratur in ventre litteræ sic, significat *eum*, ubi sine ipso significat *nos*. Adjuvat quod dicit Faber inveniri in nonnullis codicibus Hebræis, *nos* ad sententiam perparvi refert, *coronasti eum* justum aut *nos*, nisi referatur ad Christum coronatum. De diversitate temporis non est certandum. Est enim familiarissimum Hebræis tempus pro tempore accipere, præsertim in prophetis.

PSALMUS VI.

12 PSALMUS VI.

TITULUS : « IN FINEM PSALMUS DAVID PRO OCTAVA. »

Domine, ne in furore. Titulus : *In finem psalmus David pro octava* [Aug.] Octava dicunt aliqui adventum Domini ad judicium, quia venturus est Dominus ad judicandum vivos et mortuos, post septem millia annorum, ut aiunt; sed nulli hoc tempus notum est, ut Dominus dicit in Evangelio ; *De die autem illa et hora nemo scit, neque angelus neque Filius, nisi solus Pater* (*Matth.* XXIV). Et Apostol, ait : *Dies autem Domini tanquam fur, ita in nocte veniet* (*I Thes.* V). Filius autem dicitur nescire, non quod apud se ipse non noverit, sed quia nescire faciat eos quibus non expedit hoc scire. Unde quorumdam nimium videtur temeraria præsumptio, qui annis computatis certissimum sperant post septem millia annorum diem Domini futurum. Potius ergo octavus dies dicitur, dies judicii, quia omnia tempora septem dierum repetitione volvuntur, post quæ erit ille dies qui nullam habet varietatem. Vel ideo dies judicii dicitur octavus, quia post duas vitas futurus est, scilicet carnalem et spiritualem. Duæ enim vitæ sunt, quæ in præsenti aguntur. Una est in delectatione carnis, quæ pertinet ad corpus ; quod exterior et vetus homo, cui datum est Vetus Testamentum, scilicet viventi secundum corpus, in qua vita regnavit mors. Altera vero vita pertinet ad animum, qui est novus homo, regeneratus per Christum ; ad corpus autem pertinet quaternarius, quia constat ex quatuor elementis, et quatuor qualitatibus afficitur, scilicet sicca, humida, calida, frigida, et quatuor temporibus anni administratur, vere, æstate, autumno, hieme : ad animam vero pertinet ternarius propter triplicem vim animæ, quæ est rationalis, irascibilis, concupiscibilis. Peracta ergo utraque vita, quasi septenario numero transacto, veniet octavus dies judicii, ubi cuique pro meritis reddetur. Unde timens Ecclesia, et pœnitens hic orat. Et est sensus, *Psalmus* iste, qui dicitur psalmus eo quod monet ad bene agendum, dirigens nos, in finem, id est in Christum, qui est consummatio fidelium, in præsenti ad justitiam, in futuro ad coronam. Attribuitur *David*, id est pœnitenti, qui hic loquitur, pœnitens et timens de peccatis suis. [Cassiod., Alcuin.] Psalmus dico, compositus *pro octava,* id est pro metu judicii. Octava est adventus Domini, in

B quod peccator timet argui, et ideo pœnitet. Et est iste psalmus primus omnium pœnitentialium psalmorum, qui sunt septem. Ideo ut ostendatur per septiformem Spiritum posset deleri quidquid in septenario hujus vitæ committitur, et quia septem sunt præcipue modi remissionis, quibus peccata delentur, scilicet baptismus, eleemosyna, martyrium, conversio fratris errantis, remittere in se peccanti, fletus et satisfactio pro peccatis, communicatio corporis et sanguinis Domini : horum pœnitentialium psalmorum talis est forma, quia lacrymis et amaritudine pœnitudinis incipiunt, et in certitudinem veniæ terminantur, sicut hic patet. Concessio quoque deprecativa est hic, ubi peccatum conceditur, et venia postulatur, quæ, licet apud judices sæculares locum C non habeat, apud Deum tamen multum valet, cui placet peccati confessio et damnatio.

Intentio : monet ad pœnitentiam. Modus : Quatuor sunt partitiones. Primo, est exordium in quo captat a persona judicis, per ejus potestatem, et a sua persona, per infirmitatem suam. Item a persona judicis per consuetudinem parcendi, quia non vult a mortuis, sed a vivis rogari. Secundo, exponit ærumnas pœnitentis, ibi, *Laboravi.* Tertio, ostendit se correctum, ut separetur a malis, ibi, *Discedite a me,* etc. Quarto, pro inimicis convertendis orat, ibi, *Erubescant,* etc. In persona ergo pœnitentis, in judicio puniri metuentis orat dicens, o

VERS. 1.— « Domine, ne in furore tuo arguas me, « neque in ira tua corripias me. »

D *Domine, ne arguas me in furore tuo.* [Aug.] Furor idem est ex Græco, quod ira unde et hic varie dicitur. Nam in aliis codicibus prius invenitur furor, post ira. In aliis e converso, prius ira, deinde furor. In aliis pro furore, indignatio ponitur sive bilis, alia littera. Est autem ira et furor motus animi, provocans ad pœnam inferendam, qui tamen motus in Deum non cadit. De quo scriptum est : *Tu autem, Domine virtutum, cum tranquillitate judicas* (*Sap.* XII). Quod autem tranquillum est, perturbatum non est. Non ergo in Deum judicem cadit perturbatio; sed furor ejus idem accipitur quod ira, scilicet judicium quo malis quasi iratus videbitur, et velut furibundus. Argui autem et corripi diversa sunt. Nam argui gravius est quam accusari unde, damnatio timetur. Corripi vero mitius est, id est

emendari vel erudiri. Arguentur ergo in judicio, id est damnabuntur qui sine fidei fundamento sunt. Emendabuntur vero, id est purgabuntur qui super fundamentum illud, ligna, fenum, stipulam ædificaverunt. Iste ergo nolens esse inter eos qui arguentur, vel corripientur, sciens horrendum esse incidere in manus Dei viventis [Alcuin., Gl. int.] orans dicit, o *Domine* qui potens es, hic seca, hic ure me; sed *in furore tuo*, vel indignatione tua, id est in futuro judicio, ubi malos damnabis *ne arguas me*, id est quasi damnandum convincas, *neque* etiam *corripias* quod minus est, *me* quasi castigandum *in ira tua*, id est in judicio, quasi dicat hic sana me, ne ibi opus sit, [Aug.] Ubi enim est sanitas, nec mors metuenda est nec urentis aut secantis medici manus. Unde subjecit :

VERS 2. — « Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum; sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea. »

VERS. 3. — « Et anima mea turbata est valde; sed, tu Domine, usquequo ? »

[Rem., Hier.] *Miserere* : quasi dicat : Ne arguas, sed potius, o *Domine*, *miserere* in hac vita *mei* miseri. Et opus est [Cassiod.] *quoniam infirmus sum* natura et vitio, adeo quia justitiam sustinere nequeo. Et non parum sum infirmus, sed usque ad ossa pervenit infirmitas, id est ad robur animæ, et hoc valde. [Aug.] Et hoc est quod ait : vere sum infirmus *Quoniam conturbata* sunt ossa mea, id est fortitudo animæ. Deinde sequitur expositio ossium cum ait :

Et anima mea, (ecce ossa) *turbata est*, et hoc *valde* Et quia ita morbum detego tibi *sana me, o Domine*, [Hier.] quasi dicat cura me ut sapiens medicus, quia ego ægrotus sum, tu medicus; ego habeo infirmitatem, tu sanitatem; ego sum infirmus pro peccato, tu sana per misericordiam. Oro ut sanes, *et tu Domine*, differs, sed *usquequo ?* [Aug.] Innuit iste se diu luctari cum vitiis. Non est autem crudelitas dilatio Dei; sed ideo differt, ut persuadeat animæ in quæ mala se præcipitavit. Et ideo etiam, quia nondum hic tam perfecte orat, ut dicatur ei : adhuc te loquente, dicam : Ecce adsum. Et etiam ideo, ut ex difficultate sanationis, inde magis caveat sibi. Quod enim facile sanatur, non multum cavetur. Ex difficultate autem sanationis, fit diligentior custodia receptæ sanitatis. Et ideo, ut ostendatur quæ pæna sit non conversis, si tanta difficultas est conversis. Unde alibi : *Si justus vix salvabitur, impius ubi parebit ?* (*I Petr.* IV). Vel ita potest legi : miserere mei, Domine. Hoc non mutatur. Et necesse est, quoniam infirmus sum. [Alcuin.] Reatu infirmatur anima. A quo reatu, sana me, Domine. [Rem.] Et debes, quoniam ossa mea conturbata sunt, id est mens mea conturbatur ad pœnitentiam. Et anima mea, id est etiam sensualitas, turbata est valde, ad pœnitentiam. [Alcuin.] Ergo, usquequo ? o Domine, tu differs ? quasi dicat : Quid restat quin sanes ? nihil. Et ideo tu qui pius es, ne differas : sed potius, o,

A VERS. 4. — « Convertere, Domine, et eripe animam meam; salvum me fac propter misericordiam tuam. »

[Aug.] *Convertere, Domine*, ad me, qui aversus eras, ut ego convertar ad te juxta illud : *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos, dicit Dominus* (*Zach.* I). Sed, quia perfectæ nostræ conversioni semper est paratus Deus, sicut propheta dicit : *Tanquam diluculum paratum inveniemus illum* (*Ose.* VI). Quæ ut admitteremus non fecit ejus absentia, qui ubique est, sed nostra fecit aversio. Melius autem videtur dici : Convertere, Domine, id est fac me perfecte converti : in quo sentit laborem. Durum enim est, et laboriosum ad serenitatem et tranquillitatem divinæ lucis a terrenarum cupiditatum caligine retorB queri. Unde, postquam dixit : Convertere, addit, *et eripe animam meam* peccatis ligatam, quasi in conversione, multis impeditam hostibus et oppressam, tanquam inhærentem perplexitatibus hujus sæculi, et spinas quasdam dilacerantium desideriorum in ipsa conversione patientem. *Et salvum me fac*, id est fac me incolumem proficere in bono, dando virtutes. Et hoc, *propter misericordiam tuam*, non meritis meis, quia justa damnatio debetur peccanti, et datum præceptum prætereunti. [Cassiod.] Vel ita, Convertere, Domine, a vindicta, et eripe animam meam ab imminente morte, salvum me fac propter misericordiam tuam; hoc non mutatur. Sequitur.

VERS. 5. — « Quoniam non est in morte qui memor sit tui : in inferno autem quis confitebitur C tibi ? »

[Cassiod.] *Quoniam non est*, quasi dicat : Ideo hic festino dimitti, quia post mortem vel in inferno non accipitur confessio. Et hoc est, quoniam non est in morte qui memor sit tui, ad veniam, scilicet *in morte*, id est postquam mortuus est. [Aug.] Intelligit enim nunc esse tempus conversionis, quia, cum hæc vita transierit, non restat nisi retributio. Non est *qui memor sit tui* in morte : *in inferno autem quis confitebitur tibi ?* [Cassiod.] Nullus confitebitur ad veniam. scilicet, vel post judicium, Non est ergo contra hoc, quod in inferno confessus est dives ille evangelicus, qui Lazarum vidit in requie, etsi de profundo, cujus Lazari comparatione coactus est confiteri mala sua, usque adeo ut etiam fratres roget ab his præmoneri. Sed post judicium in profundioribus teneD bris erunt impii, ubi nullam Dei lucem videbunt, cui aliquid confiteantur. Vel mortem dicit peccatum quod contempta divina lege committitur, ut aculeum mortis mortem appellamus, eo quod mortem generet. Aculeus enim mortis peccatum est, in quo immemor est Dei, qui præcepta ejus contemnit. Infernum autem dicit cæcitatem animi quam incurrit quis cum desperat. Cæcitas enim desperationis, peccantem, id est morientem excipit et involvit, ut detur in reprobum sensum. Littera sic continuatur : Ideo ita gemo pro peccato et doleo, quoniam non est qui memor sit tui in inferno, id est in peccato, quo lex divina contemnitur. In inferno autem, id est in cæ-

citate desperationis, quæ mortuum involvit, quis confitebitur tibi? nullus.

PARS. II. VERS. 6. — « Laboravi in gemitu meo, « lavabo per singulas noctes lectum meum : lacry- « mis meis stratum meum rigabo. »

Laboravi. [Cassiod., Alcuin.] Secunda pars, ubi narrat ærumnas, quibus pœnitens atteritur, quasi dicat nullus est memor tui in morte, vel in inferno; [Aug., Gl. int., Cassiod., Alcuin.] sed ut inde liberer, ego laboravi, satisfaciendo ; *In gemitu meo*, id est cordis. Gemit iste, dum videt quid egit, et quæ pœna sit futura. Et quasi parum profuerit, addit, [Aug., Hier., Cassiod.] Et post, *lavabo per singulas noctes lectum meum*, ad litteram, per noctes in lecto plorabo pro peccatis. Quod idem repetit aliis verbis *lacrymis meis stratum meum rigabo*. Idem accipitur hic stratus quod supra lectus, quasi dicat vestem superpositam lecto rigabo lacrymis meis, id est multum lacrymabor. [Rem., Alcuin.] Vel lectum vocat conscientiam, quæ quibusdam est quies, quibusdam tormentum. Ibi enim mundi corde quiescunt. Ibi male cordati cruciantur. Stratum dicit sensualitatem. Et est sensus : *Lavabo lectum meum*, id est mundabo conscientiam meam.[Rem.] Per singulas noctes, id est per singula peccata. **13** [Rem., Alcuin.] Et lacrymis meis, id est amaritudine pœnitentiæ, stratum meum, id est sensualitatem, rigabo, id est fertilem faciam, quæ prius erat arida a bonis operibus. [Aug., Cassiod.] Vel, lectus est voluptas corporis et delectatio sæculi, in qua æger animus quiescit; in qua homo resolvitur, Stratus est, cumulus peccatorum, ut vestium : quo resoluto per imbrem lacrymarum, nova messis virtutum succressit. Et est sensus : Lavabo, id est lacrymis pœnitentiæ delebo, [Aug., Rem.] lectum meum, id est voluptatem corporis et delectationem sæculi, quam lavat ille qui se ab ea conatur extrahere. Et hoc faciam, *per singulas noctes*, id est per singula peccata ex ea orientia. Ideo autem ait, per singulas noctes, ut intelligi daret quod quasi alternatim patitur, dies et noctes. Qui enim spiritu promptus, sentit aliquam lucem veritatis, et tamen in delectatione hujus sæculi per carnis infirmitatem aliquando requiescit, tanquam dies et noctes alterno affectu cogitur pati. Noctes patitur, cum carne servit legi peccati, et dies sentit, cum mente servit legi Dei. [Cassiod.] Lacrymis meis stratum meum rigabo, id est imbre lacrymarum cumulum peccatorum dissolvam, ut post messis virtutum germinet. Et nota, quod ait, rigabo, cum supradixit, lavabo. Amplius enim est rigare quam lavare, qui potest aliquid in superficie lavari, rigatio vero ad interiora pertinet. Per quod significat fletum usque ad cordis intima permanere.

VERS. 7. — « Turbatus est a furore oculus meus ; « inveteravi inter omnes inimicos meos. »

[Aug.] *Turbatus est a furore*. Vel *ab ira oculus*. Furor sive ira accipitur hic, vel Dei, vel ipsius hominis. Item ira Dei duplex est, scilicet quæ in judicio erit, et hic in præsenti est, in cæcitate men-

A tis, cum dantur peccatores in reprobum sensum. Ibi exteriores tenebræ erunt, quia tunc peccatores penitus erunt extra Deum, id est extra lucem, quia in summa cæcitate erunt Quid enin est penitus esse extra Deum, nisi esse in summa cæcitate? Siquidem Deus habitat lucem inaccessibilem : hæ autem tenebræ hic jam incipiunt in peccante, cum ab interiore Dei luce secluditur; sed nondum penitus, dum in hac vita est. Et ideo dicit turbatum, non exstinctum oculum quasi dicat, ideo lavabo, quia *oculus meus*, id est ratio mea, *turbatus est a furore* Dei, et futuro, quem timeo, et præsenti, quem sentio. Et a sua ira propria turbatus est oculus, qua conturbante solem interiorem, id est sapientiam Dei, non potest videre, et quasi occasum in se pati arbitratur mens quæ

B sua perturbatione illum videre non sinitur. Unde Apostolus : *Sol non occidat super iracundiam vestram*. Et est, ideo sic gemo, quia oculus meus scilicet ratio, turbatus est a furore, vel ab ira mea propria. Turbatus est, et merito, quia *inveteravi inter omnes inimicos meos*, scilicet vitia vel malos homines qui vere sunt inimici ad Deum se convertentium, a quibus separatur omnis bonus, non loco, sed animo. Et addit, *omnes*, quasi dicat : Etiam inter omnes inveteravi, a nullo fui immunis, omnibus consensi. Vel ita legi potest : Ideo sic laboro, quia inveteravi, membrum factus veteris hominis. Et dicit hoc a simili veteris vestis, quæ nec est decori, nec usui. Inter omnes inimicos meos visibiles et invisibiles, quibus consensi. Per hoc ostendit se omnibus vitiis subjectum. Hoc ideo dicit, quis de-

C speret de gravitate peccatorum. Sed unde hoc? quia, oculus meus, rationis, turbatus est a furore, primo parenti exerto, [Alcuin.] id est a pœna primo homini illata, per quem in universam posteritatem est transfusa : ipse enim origo, nos propago sumus pœnæ. [Aug., Alcuin.] Quia vero non est inanis labor pœnitentiæ post laborem et gemitum, et imbres creberrimos lacrymarum, exauditum se significans ; subdit :

VERS. 8. — « Discedite a me, omnes qui opera- « mini iniquitatem, quoniam exaudivit Dominus « vocem fletus mei. »

Discedite a me [Cassiod.] Tertia pars, ubi ostenditur correptio hujus qui orat, ut separetur ab illis

D malis nunc animo, in futuro, etiam loco, quorum collegio peccavit, et insistat mandatis Dei. Vel non est optatio, sed prophetia hic, quia ita in judicio futurum est, quando a justis impii separabuntur. Vel etiam nunc fit hoc in area, ubi jam grana a paleis nuda sunt, et separata mente, etsi inter eas lateant, et eisdem conventiculis contineantur. Dicit ergo iste pœnitens post tantas difficultates se exauditum significans. Discedite a me, nunc animo in futuro, etiam loco. *Omnes qui operamini iniquitatem, quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.*

VERS. 9. — « Exaudivit Dominus deprecationem « meam : Dominus orationem meam suscepit. »

Exaudivit Dominus remittendo *deprecationem*

meam quæ est pro deponendis peccatis. [Rem., Aug.] Repetitio ejusdem sententiæ crebra est hic ex affectu nimio, quia gaudenti non sufficit semel dicere quod gaudeat, unde subdit : *Dominus suscepit* [Cassiod., Rem.] quasi oblationem *orationem meam*, [Gl. int., Alcuin.] quæ est pro virtitutibus adipiscendis. Deprecatio namque est, pro removendis malis : Oratio, pro adhibendis bonis. [Cassiod.] His verbis dat exemplum fideliter orantes exaudiri. Et nota quod ter hic ponitur Dominus, quia sanctam Trinitatem precibus adfuisse ostendit. Incipit a lacrymis, exauditus exsultat, sicut fit et in aliis pœnitentialibus psalmis.

Vers. 10. — « Erubescant et conturbentur vehe« menter omnes inimici mei ; convertantur et eru« bescant valde velociter. »

Erubescant. Quarta pars ubi jam liber a peccatis, in conclusione exsultans pro inimicis ut convertantur orat, ut sicut ipse, habeant veniam, quasi dicat et quia Dominus me pœnitentem exaudivit, ergo jam meo exemplo. *Omnes inimici mei convertantur et erubescant*, id est de actibus suis quia mali sunt ; *et conturbentur* judicii timore, ad pœnitentiam. Et hoc, *vehementer*, id est vehementi gemitu. [Aug.] Perfectus vir orat hic, ut mali de peccatis erubescant, et pœniteant, *et convertantur* [Cassiod.] ne eant quo tendebant, et non differatur, sed *erubescant valde velociter*. [Aug.] Hoc ad effectum optantis refertur, vel ad potentiam Christi, qui tam celeri tempore cito gentes ad finem convertit. Vel ita, convertantur velociter a malis. Et post conversionem, erubescant valde, ex recordatione peccatorum, quod est custodia virtutum. Vel prophetia est hic non optatio, ubi prædicit quid futurum sit inimicis qui hic suorum peccatorum pœnitere nolunt, quasi dicat me exaudivit Dominus, sed *omnes inimici mei*, etc., id est erubescent et conturbabuntur vehementer in futuro. Hoc utique non est hic, ubi potius iniqui irrident eos qui omnia relinquunt, et suis irrisionibus infirmos de Christi nomine erubescere faciunt. Sed

A in judicio hoc erit, erubescentes dicent de bonis sicut scriptum est : *Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum et in similitudinem improperii. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est ? Quid nobis profuit superbia, aut quid divitiarum jactantia contulit nobis ? Transierunt omnia illa tanquam umbra* (*Sap.* v). *Et convertantur et erubescant*, quasi dicat, illis conversio sit ad confusionem qui noluerunt habere ad salutem quod justissimum est. Et hæc omnia fiant valde velociter, quia, cum desperare cœperint de judicio, et dixerint : Pax et securitas est, tunc repentinus superveniet interitus (*I Thess.* v), qui cum venerit, sentietur non esse

B longa omnis vita ; quia sicut desiderantibus tarde, ita desperantibus cito venire videbitur.

Psalmus hic in exsequiis mortuorum cantatur, quia per hujusmodi gemitum atque pœnitentiale lamentum post hanc vitam a fidelibus obtinetur quod in hac vita diu ac vehementer desideraverunt et a malis sentitur, quod hic non timuerunt, sed contempserunt.

COLLATIO IN PSALMUM VI : « DOMINE, » ETC.

Vers. 3. — In hoc psalmo recentiores ponunt diversa vocabula, intelligentia tamen remanet inviolata, nec est nostri instituti omnia syllabatim venari. Sufficiet discutere quæ magis et longius distrahunt, levia quandoque ad alia transeuntes adnotando. Sanctes de suo addidit, *conteres*, Munsterus, *affliges*. *Sed, tu Domine, usquequo conteres me ?* Interpres pro Cajetano, *Iratus eris*, quanquam ex-

C planatio Hieronymi et Aug. eo tendit ut subaudiatur, non eripis, non emendas. Si Latinus interpres hoc addidisset, nescio si vociferati fuissent non haberi in Hebræo, quare jugulandum, convellendum, confodiendum.

Vers. 5. — *In inferno quis*, etc. Quid in mentem venit Sancti et Munstero ut transferrent *foveam* et *sepulcrum* pro inferno, dum ipsi doceant, Scheol significare *foveam*, *sepulcrum infernum*, et ex locis Scripturæ corroborent, ac Hieronym., Pratensis, Pellicanus, Campensis, Nebiensis posuerint infernum.

PSALMUS VII.

PSALMI TITULUS : « IN FINEM PSALMUS DAVID QUEM CANTAVIT DOMINO PRO VERBIS CHUSI FILII GEMINI. »

Dominus Deus meus. Titulus, *In finem psalmus David quem cantavit Domino pro verbis Chusi filii Gemini* (44). Historiam unde occasionem propheta sumpsit, in secundo libro Regum facile est cognoscere, ubi legitur, quod David, fugiens Absalon filium suum de civitate nudis plantis exivit, cujus consilio Chusi amicus ejus cessit in partem Absalon, ad exploranda consilia et renuntianda quæ adversus patrem ille moliebatur, auctore Achitophel, qui defecerat ab amicitia David, et filium adversus patrem consiliis quibus poterat instruebatur cui inter omnia hoc consilium dedit, ut Absalon impetum permit-

D teret fieri in patrem suum, eumque occidi ; quod mutatum erat prudentia Chusi, qui consuluit David, et secreto mandavit ut de campestribus fugeret in solitudinem, unde Achitophel dolore commotus laqueo se suspendit. Huic historiæ alludit titulus, de qua tamen non agit psalmus, sed de historia propheta velamen sumpsit mysteriorum, quæ juxta nominum interpretationes declarantur. Chusi enim interpretatur *silentium*, Gemini, *dexter*, Achitophel, *fratris ruina*, quo significatur Judæ scelus, id est scelerosus Judas, qui Dominum tradidit Judæis, et ita fuit ruina fratris sui, scilicet Christi, cujus discipuli non solum filii sed et fratres dicti sunt, sicut in Evangelio Dominus ait : *Vade et dic fratribus*

(44) Ex Aug. ; sed hanc tituli expositionem improbat Hieronym.

meis (*Matth.* XXVIII). Et Apostolus dicit eum primogenitum in multis fratribus (*Rom.* VIII). Et sicut David dimicavit contra Achitophel et Absalon per consilium Chusi, ita contra omnes dolos Judæ, scilicet et Judæorum, Dominus dimicavit, Chusi, id est silentio, id est alto secreto, quo cæcitas in Israel facta est, ut plenitudo gentium subintraret, et sic omnis Israel salvus fieret (*Rom.* XI). De quo silentio Apostolus admirans, non exponens exclamat : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei*, etc. (*Ibid.*) Hoc silentio Dominus occultans Judæ et Judæis passionis sacramentum, ruinam fratris, id est scelus Judæ convertit in misericordiam, et quod ille ad perniciem fecit unius hominis, iste ad salutem omnium inflexit. Cantat ergo hunc psalmum Domino fidelis, cui facta sunt verba Chusi, id est manifestatio hujus silentii, id est secreti, quod dexter Deus et favens operatus est. Non enim erat abscondendum eis, pro quibus gestum est. Mysterium ergo incarnationis et passionis, silentium fuit Judæis, sed revelatio fuit fidelibus, quibus Christus nota fecit omnia quæ a Patre audivit (*Joan.* XV) ; et sicut per Achitophel significat Judas, ita per Absalon significantur Judæi. Ut enim a filio iniquo patitur, ita Christus a populo quem nutrierat sustinuit, sicut per Isaiam ait : ***Filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me*** (*Isa.* I). [Rem.] Et est sensus tituli talis : *Psalmus*, iste diriges nos *in finem*, id est in Christum, attribuitur *David*, id est fideli, cui facta est mysterii revelatio *quem* psalmum, ille fidelis *cantavit Domino*, id est ad honorem Domini ; *pro verbis Chusi*, id est pro manifestatione alti silentii, quo Christus **14** dimicavit contra Judæos, occultans mysterium passionis. Chusi dico, *Filii Gemini*, id est dextræ, quia illud silentium Deus dexter, id est favens et propitius, huic fideli aperuit. [Aug., Cassiod.] Ad litteram Chusi filius Gemini, id est dextræ esse dicitur, quia consuluit saluti David necessaria proditione. Et est iste psalmus primus eorum in quibus per actus David futura mysteria Domini significantur, late scilicet et aperte. In tertio enim psalmo similiter per actus David significata sunt Christi mysteria, sed breviter et obscure. Intentio. Monet ad gratiarum actionem, pro manifestatione silentii. Modus. Quinque sunt partitiones. Primo, petit ab omnibus persecutoribus, vel persecutionibus liberari ; secundo, petit ut gloria resurrectionis Christi subveniat, ibi : Exsurge, Domine ; tertio, agit de judicio regressi, ibi, Dominus judicat populos ; quarto, metu futuri judicii terret, spem reversis promittens, ibi, Dominus judex ; quinto, læta conclusio ponitur de concessione laudis, ibi, Confitebor. Fidelis ergo iste non de se præsumens, orat a Domino liberari, prætendens meritum hoc modo, o.

VERS. 1. — « Domine Deus meus, in te speravi, « salvum me fac ex omnibus persequentibus me, et « libera me : »

[Gl. int.] *Domine*, omnium per potentiam, cui debetur dulia, qui es omnium per recreationem Deus

A cui debetur latria. Et *meus* Dominus et *Deus* voluntate, ego *speravi in te* non in me. [Hier., Cassiod., Remig., Gl. int.] Ecce prætendit meritum, deinde petit liberari a vitiis et a diabolo, dicens : *Salvum me fac ex omnibus persequentibus me*, id est ab omnibus spiritualibus nequitiis, scilicet vitiis et peccatis. *Et libera me.*

VERS. 2. — « Ne quando rapiat ut leo animam « meam, dum non est qui redimat, neque qui sal« vum faciat. »

[Hier., Aug.] *Nequando*, id est aliquando *rapiat ut leo*, scilicet diabolus, qui ut leo rugiens circuit, quærens quem devoret (*I Petr.* V), qui in illis pugnat. Vitiis enim et peccatis utitur, quasi armis, ad impugnandum fideles. [Gl. int.] Rapiat dico, ***animam***
B ***meam***. De corpore non curat iste si affligatur. [Cassiod., Alcuin.] Et nota quia propria verba ponit cum ait, libera et rapiat. Domini enim est liberare, leonis rapere. Attende etiam congruum ordinem, dum prius ponit persequentes, deinde leonem. [Aug., Alcuin.] Qui enim expiatus est ab omnibus spiritualibus nequitiis, id est a sordibus delictorum, a diabolo liberatur. [Gl. int.] Vel aliter, ut persequentes et leo idem accipiatur, invidus, scilicet diabolus. Perfectus enim vir hic loquitur, qui jam victis vitiis non habet bellum nisi contra diabolum dicens : Salvum me fac ex omnibus pers., etc., scilicet a diabolo et angelis ejus. [Aug.] Quasi superato omni bello vitiorum, jam perfecto nihil restet, nisi invidus diabolus. Deinde quod per pluralem numerum dixerat per singularem subinfert dicens : Libera me, ne
C quando, id est aliquando, leo, id est diabolus, rapiat animam meam. Rapiat dico, ***dum non est qui redimat***, nisi Christus, quasi dicat : si non redimis, ille rapit ; ***neque*** est ***qui salvum faciat***, id est dando vitam æternam, nisi qui redimit, scilicet Christus. Si enim Christus non redimat, neque salvum faciat, ille rapit. Et, ut manifestum sit perfectum virum hoc dicere, cui solius diaboli fraudulentissimæ insidiæ sunt cavendæ, subdit :

VERS. 3. — « Domine Deus meus, si feci istud, si « est iniquitas in manibus meis. »

Domine Deus meus, etc. [Gl. int.] Ubi item prætendit meritum, scilicet quia innocens, et patiens, quasi dicat, libera et salva, quia, o ***Domine*** Deus meus, etc. [Aug., Alcuin.] Ego ***non feci istud***, sci-
D licet universale peccatum, quia illud sine nomine dixit, quod est superbia, quæ est radix omnium malorum, hoc est vitium primum recedentibus, et ultimum redeuntibus. Et ***non est*** modo ***iniquitas in manibus meis***, id est in operibus. Vel ita : non feci istud. [Alcuin.] Deinde exponit quid dixit : Non feci istud, scilicet illud quod sequitur : [Alcuin.] Non est iniquitas in manibus meis, quod de omni peccato dicitur et accipitur. Deinde repete secundum ordinem singulorum verborum, etc., o Domine Deus meus, si feci istud. [Aug.] Vel universale peccatum, quia sine nomine dixit. Vel hoc quod sequitur, scilicet si est iniquitas in manibus, etc.

VERS. 4. — « Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis. »

Si reddidi mala, scilicet *retribuentibus mihi mala* pro bonis. [Aug.] Major patientia est si non reddidit his qui pro bonis reddunt mala, quam si sustineret ab his quibus bona non fecerit : quod est dicere : Si te non sum imitatus patientia quam pro me operatus es in illo silentio, ut patientissime sustineres dolos proditoris tui *merito decidam*. Non jurejurando hoc imprecatur sibi, sed dicit quid contingat se vindicantibus. Prophetat ergo, non jurat per exsecrationem sicut videtur : quod est gravissimum jurisjurandi genus, cum homo dicit, si illud feci, illud patiar. Decidam dico *ab inimicis meis* superatus et *inanis* factus. Qui enim se vindicat occulte a diabolo superatur, inanis factus vana et superba lætitia de hoc quod vinci non potuit qui vero non retribuit mala, vincit iram. Et melior est qui vincit iram quam qui capit civitatem, ut ait Salomon (*Prov.* XVI). Et patet hic perfectum virum loqui. Hoc enim non potest dicere nisi perfectus vir, scilicet si reddidi retribuentibus mihi mala, sciens hoc Christum fecisse [Cassiod., Alcuin.] Vel ad litteram de David potest accipi, qui contra Absalon non commisit, quare sibi mala inferret, qui ait : Domine, Deus meus, si feci, etc., id est, si hoc malum quod sustineo, mihi per præteritam culpam quam commiserim contra Absalon contingit. Vel, si modo est iniquitas in manibus, etc., id est in operibus, quare hoc mihi contingat. Vel, si reddidi retribuentibus mihi mala : quod dicitur æquitas apud homines, merito decidam, et si non ita videatur hominibus. Decidam dico, superatus ab inimicis meis, Absalon scilicet et complicibus ejus, et factus inanis, a fructu mansuetudinis, quæ in David abundavit. Deinde ex persona ipsius David, et viri perfecti communiter subditur.

VERS. 6. — « Persequatur inimicus animam meam, et comprehendat, et conculcet in terra vitam meam et gloriam meam in pulverem deducat. »

[Aug.] *Persequatur*, quasi dicat : Dixi : decidam inanis, et etiam quod gravius est, *inimicus* scilicet diabolus, qui singulariter est inimicus, qui supra leo dictus est. [Gl. int.] *Persequatur animam meam* cui homines non habent quid faciant. In carnem quidem sævire possunt, sed animam in potestate habere nequeunt. Quam diabolus impugnando, scilicet suggerendo persequitur, et comprehendit, cum decipit. Unde subdit, *et comprehendat*, id est decipiat, per consensum *et conculcet in terra vitam meam*, id est, conculcando vitam meam terram faciat, scilicet cibum sibi, quia non tantum est leo, ut supra dictum est, sed et serpens appellatus est. Cui dictum est in maledictione ; *terram manducabis* (*Gen.* III). Et peccatori dictum est : *Terra es, et in terram ibis* (*ibid.*). [Alcuin.] Vita ergo peccatoris, cibus serpentis, id est, diaboli est, quia terra, id est terrena est. [Cassiod., Aug.] Ideo hic ait, *conculcet in terra vitam meam*, id est animam meam in terram redactam sibi

A incorporet, et ibi sit despicabilis. Unde subdit, *et gloriam meam*, id est me hominem ad imaginem Dei, factum, *deducat in pulverem*, quasi dicat : ad nihilum redigat. Vel ita : Et gloriam meam, quæ debet esse in conscientia ubi Deus videt, et solida in Domino, ut qui gloriatur in Domino glorietur (*II Cor.* X). Deducat in pulverem, id est in superbiam et jactantiam, ut velim gloriari apud homines. Pulvis enim, quem projicit ventus, superborum jactantia est. Vult ergo ut gloria sua sit solida intus, ubi Deus videt. Est enim pulvis si apud homines gloriatur. Ecce quam cavenda est superbia.

VERS. 7. — « Exsurge, Domine, in ira tua : et exaltare in finibus inimicorum meorum. »

[Cassiod., Alcuin.] *Domine exurge*. Secunda pars
B ubi petit, ut gloria resurrectionis Christi subveniat, [Gl. int.] quasi dicat : si hoc feci, hoc mihi contingat ; [Aug.] sed, quia non merui, o *Domine, exurge*, id est appare per carnem. Dormit enim, dum in secretis suis latet incognitus. [Cassiod.] Appare, dico *in ira tua*, id est in vindicta contra diabolum. Perfectus enim iste non precatur hic adversus homines, sed adversus diabolum, ut possessionem amittat, id est peccatores et impios, qui sunt ejus possessio. [Aug.] Cum enim justificatur impius, ex possessione diaboli migrat in templum Dei. Et quia ablatio hominis pœna est diaboli, ideo dicitur ira Dei contra eum. Unde subdit : *Et exaltare in finibus*, [Gl. int., Aug.] in possessione *inimicorum meorum*, id est diaboli et angelorum ejus, ut ibi honoreris a conversis,
C qui prius erant possessio diaboli. Et quia superbus diabolus per humilitatem vincitur, ostendens qualem vult apparere Christum, subdit :

VERS. 8. — « Et exsurge, Domine Deus meus, in præcepto quod mandasti ; et Synagoga populorum circumdabit te. »

« Et propter hanc in altum regredere ; Dominus judicat populos.

Et exsurge, id est appare, *Domine Deus meus, in præcepto* humilitatis, *quod mandasti*, [Aug.] id est, quia humilitatem præcipis, eam prior imple; humilis appare, ut a te discant alii superbiam vincere, ne possideantur a superbo. Dico appare humilis. [Alcuin., Gl. int., Aug.] *et* ita *Synagoga*, id est congregatio *populorum circumdabit te*, quidam amando, qui-
D dam persequendo. Circumdederunt enim Christum populi, vel humilem contemnentes, ut persequentes ; vel amando, ut credentes.

Et o Domine, *regredere*, resurgendo, ascendendo, *in altum*, id est in cœlum, *propter hanc*, id est propter Synagogam credituram, ut de alto mittas Spiritum quo fit congregatio. Vel propter hanc scilicet propter persequentem Synagogam regredere in altum te illi subtrahendo, [Cassiod., Alcuin,] quasi dicat : quia locum non habes in malis, subtrahe te illis. Vel ita ab illo loco : Exsurge in præcepto, ubi precatur Christi resurrectionem, sicut in præcedenti versu, ejusdem incarnationem, quasi dicat : Appare per carnem. Et, o *Domine Deus meus*, *exsurge*,

[Rem., Alcuin.] id est toto orbe notus efficere, resurgendo. Et hoc, in præcepto implendo, quod mandasti, id est ut præceptum humilitatis, quod mandasti, facias homines adimplere. Et hoc modo sequitur, quia Synagoga populorum, id est de diversis populis, vel specialiter de Judæis. Circumdabit te, amando vel persequendo, sicut ante dictum est. Et propter hanc, scilicet propter amantem Synagogam regredere in altum, id est fac eos qui te amant scire tuam omnipotentiam, qui descendisti ut te viderent. Vel propter hanc, id est propter persequentem, in qua locum non invenis, regredere in altum, id est subtrahe te his, qui te persequuntur. Et convenit hæc sententia in parte cum præcedenti. Vel ita ab illo loco : Exsurge, o Domine, in ira tua, id est exerce iram tuam contra inimicos meos, scilicet Judæos, dicit Ecclesia. [Aug.] Deinde quasi exponendo subdit : Et propter hoc exaltare in finibus inimicorum meorum, o Christe, id est altus efficere, et incognitus inimicis meis, qui sunt tui inimici, ut te non intelligant ; quod est silentium, unde intitulatur psalmus, ut sic te crucifigant. Et exsurge, Domine Deus meus, in præcepto quod mandasti, id est cum appares humilis, qui humilitatem præcipis, altus esto. Ipse enim humilitate exaltatus est, id est non intellectus. Et per hoc quod non intelligunt te Judæi, qui crucifigunt, credent in te gentes. Et ita Synagoga populorum, id est plenitudo gentium, circumdabit te, credendo. Et propter hanc, id est Synagogam gentium, regredere in altum, id est rursus desine intelligi, quia et ista te offensura est, in fine, et a fide recessura. Unde ait in Evangelio : ***Putas, cum Filius hominis venerit, inveniet fidem in terra ?*** (*Luc.* XVIII.) Refrigescet enim charitas **15** multorum, et abundabit iniquitas (*Matth.* XXIV). Et Dominus in altum regredietur, ut a paucis sincera fides, et ab omnium pravarum opinionum labe purgata teneatur. Et quomodolibet hic locus exponatur, convenienter sequitur :

Dominus judicat populos. [Cassiod.] Tertia pars, ubi agitur de judicio regressi, id est Christi, cujus regressio multipliciter supra exposita est. [Aug.] Post quam de judicio congrue subdit. Post ascensionem namque in cœlum, quæ regressio accipitur, aperte subdit de judicio, quia inde venturus est judicare vivos et mortuos ; vel cum peccantes Christianos deseret intelligentia veritatis, quæ item regressio dicitur, secundum aliam sententiam, veniet judicare, quasi dicat, dixi regredere, et post regressionem . Dominus judicat, vel judicabit populos : quod judicium non timens perfectus, audet orare.

VERS. 9. — « Judica me, Domine, secundum justitiam meam, et secundum innocentiam meam « super me. »

Judica me, Domine, *secundum justitiam meam* [Rem.], quæ est in bonis faciendis. *Et secundum innocentiam meam*, quia sine malis sum, quia non reddidi retribuentibus mihi mala. [Aug.] Et nota quia pœnitens supra in pœnitentiali psalmo aiebat : *Salvum me fac propter misericordiam tuam* A (*Psal.* VI), in qua vocat peccatores ad pœnitentiam, nullumque meritum suum commemorat. Nunc vero jam vocatus, quia præcepta servavit, secundum justitiam petit judicari, ***super me***, quasi dicat, justitiam meam et innocentiam meam, quæ tamen justitia et innocentia sunt super me, quia a Deo sunt, non a me.

VERS. 10. — « Consumetur nequitia peccatorum, « et diriges justum, scrutans corda et renes Deus . »

Consumetur nequitia, [Aug.] quasi dicat : Dominus judicabit, et interim ***nequitia peccatorum consumetur***, id est perficiatur, ut qui in sordibus est sordescat adhuc (*Apoc.* XXII), ut jam tandem veniat justum judicium et prædicit, non optat. [Rem.] Et quia crescente invidia malorum, crescunt merita B justorum, subditur : ***Et diriges***, quasi dicat, consumet nequitia malorum. Et ex eo, ***diriges justum***, ut justus justificetur adhuc. Et quia propter simulationem non cognoscitur ab homine ubi sit vera justitia, subdit, quod Deo tantum convenit. Tu, dico, o ***Deus scrutans corda et renes***, id est cogitationes et delectationes quas in occulto scrutatur, ubi nullus videt nisi ipse qui prospicit corda, id est Deus. Ipse enim solus scrutatur corda, id est quod quisque cogitet ; et renes, scilicet quid quemque delectet, quia finis curæ et cogitationis est delectatio, ad quam cura et cogitatione nititur quisque pervenire. Quæ delectatio per renes accipitur, quia in renibus est generandi voluptas, per quam in ærumnosam, et fallacis lætitiæ vitam, per prolis successionem natura humana transfunditur. Opera C autem nostra quæ sunt in dictis et factis possunt videre homines ; sed quo animo fiant, et quo venire cupiant, solus videt Deus, qui cum videt cor esse in cœlo et non delectari in carne, sed in Domino, [Aug.] id est cum bonæ sunt cogitationes et earum fines, dirigit justum, et non solum dirigit, sed etiam adjuvat : unde subdit.

VERS. 11. — « Justum adjutorium meum a Do- « mino, qui salvos facit rectos corde. »

Justum est *adjutorium meum a Domino.* [Aug.] Ideo justum, quia jam justo tribuitur. Et est quasi medicina, quæ servat salutem : altera est, quæ facit. Duo enim sunt officia medicinæ, scilicet morbum sanare, et sanitatem custodire, secundum primum officium dixit in alio psalmo : ***Infirmus*** D ***sum, sana***, etc. (*Psal.* VI) ; juxta alterum dicit hic perfectus, ***Justum adjutorium***, etc. Et illa enim et ista medicina salvos facit ; sed illa ex ægritudine ad salutem transfert, hæc in ipsa salute conservat ; illa, ad morbum evadendum remedium, hæc autem ne in morbum redeat, vel recidat, remedium, præstat ; illa sanamur infirmi, hac custodimur sani. Et nota quod ait, ***rectos corde***, nec adjunxit et renibus, quia ubi est cor, ibi etiam est delectatio, cum æterna cogitantur, et quia delectatio boni non ad renes, sed ad cor pertinet.

PARS IV. VERS. 12 — « Deus judex justus, fortis, « et patiens nunquid irascitur per singulos dies ? »

Deus judex. [Cassiod., Gl. int.] Quarta pars, ubi A metu futuri judicii terret, et spem reversis promittit, quasi dicat, mihi est adjutorium. Sed, o vos iniqui, quorum hic nequitia consummatur, Deus vibravit gladium scilicet in judicio. Et vere, quia ipse est *judex*, ipse est *justus* secundum merita singulis reddens, [Aug.] Ipse est *fortis* cui non resistitur, *et* si modo *patiens* est qui sustinet in multa patientia vasa iræ. Et vere est patiens, *nunquid* enim *irascetur per singulos dies ?* non, sed exspectat ad pœnitentiam : unde post gravius punit, si non convertantur, [Aug.] et secundum aliam litteram, *nunquid adducet iram per singulos dies ?* Ita in Græco invenitur μὴ ὀργὴν ἐπάγων, et significantius dicitur quam irascitur, quia non in ipso est ira qua punit, sed in angelis iræ, per quos punit : qui non propter B justitiam qua non gaudent, sed propter malitiam pœna humana delectantur. Non ergo adducit iram Deus *per singulos dies*, [Aug.] id est non congregat ad vindictam ministros suos, per singulos dies, sed per patientiam ad pœnitentiam invitat.

Vers. 13. — « Nisi conversi fueritis, gladium « suum vibravit, arcum suum tetendit et paravit il- « lum. »

[Rem.] *Nisi conversi*, quasi dicat, modo est patiens, sed nisi conversi fueritis iniqui *vibravit gladium*, vel, frameam suam splendificavit. Alia littera : Gladius Dei est Christus, [Aug.] qui in primo adventu tanquam vagina humilitatis, tectus fuit ; sed in secundo coruscabit lumen suis, terrorem impiis. Vel : Gladium suum vibravit, [Rem.] id est C manifestam vindictam exeret. Nec imprædictum est hoc, quia *arcum suum tetendit et paravit illum.* Arcum dicit sacram Scripturam, ubi per chordam Novi Testamenti duritia Veteris flectitur, et domatur. Tetendit ergo arcum, temperando Vetus Testamentum per Novum. Paravit arcum, per explanationem expositionis, per quam intelligibilem fecit. Et dicit hoc a simili. [Alcuin.] Sicut enim qui tendit arcum minatur, ita per sacram Scripturam minatur Deus malis, ne putetur remissa Dei patientia.

Vers. 14. — « Et in eo paravit vasa mortis ; sa- « gittas suas ardentibus effecit. »

[Cassiod., Alcuin.] *Et in eo paravit* ut mox missurus sagittam putetur, sicut quis arcum parat, D ut sagittam mittat, *et in eo* arcum [Aug., Alcuin.] id est in sacra Scriptura. *Paravit vasa mortis*, id est hæreticos qui ex Scripturis venenant animas, ideoque vasa mortis dicuntur, quos parat in scriptura non faciendo, sed errare permittendo : et ex eodem arcu jaculatur *sagittas suas*, id est apostolos, de quibus alibi : *Sagittæ potentis acutæ* (*Psal.* cxix). Quas sagittas *effecit*, id est operatus est. *Ardentibus* amore Dei. Qui his sagittis vulnerati, tanto amore regni cœlorum ardent, ut omnia resistentia, et a proposito revocantia contemnant, dicentes : *Quis nos separabit a charitate Christi ?* (*Rom.* viii.) Vel, vasa mortis, et sagittas, pro eodem accipit, scilicet, quædam loca obscura Scripturæ sacræ. [Alcuin.] Unde mors est hæreticis prave intelligentibus, sed ardentibus studio eadem loca sunt sagittæ, quia ipsa difficultate intelligendi exercitantur, ut sane capere valeant, et aliis aperire. [Aug.] Vel, vasa mortis et sagittas dicit hæreticos, qui ex eodem arcu sacræ Scripturæ in animas non charitate inflammandas, sed venenis perimendas insiliunt : quod non contingit, nisi pro meritis hominum. Parat enim et disponit Deus, ut quidam malo voto legentes, propter peccata male intelligant in Scripturis, quod est eis pœna peccati ; et illi quasi spinæ et sagittæ, a somno excitant bonos catholicæ Ecclesiæ filios, ut Scripturis intelligendis invigilent, ut manifesti fiant qui probati sunt argento. Hoc autem divinæ dispositioni tribuitur, non quia ipsa peccatores faciat, sed quia ipsa de malis eorum ordinat, cum peccaverint ; vel de bonis utrumque potest accipi. Idem enim sunt vasa mortis, quibusdam, et sagittæ aliis, secundum illud Apostoli : *Aliis sumus odor mortis in mortem, aliis odor vitæ in vitam* (*II Cor.* ii). Et est sensus : et in eo arcu, id est in sacra Scriptura, paravit vasa mortis, id est apostolos, qui quibusdam sunt odor mortis. Et eosdem *effecit sagittas suas*, id est odorem vitæ in vitam, *ardentibus* amore Verbi. Post hanc autem dispensationem, et pro peccatis malorum veniet justum judicium. De quo dicitur, quod non pax Dei et ineffabile lumen de se profert, unde puniantur iniqui ; sed ipsa peccata vertuntur homini in pœnam, ut quæ fuerunt delectamenta homini facienti, sint instrumenta Deo punienti.

Vers. 15.— « Ecce parturit injustiam, conce- « pit dolorem, et peperit iniquitatem. »

[Alcuin.] *Ecce*, inquit, *parturit injustitiam*, quasi dicat : Hoc paravit Deus in Scripturis, unde videtur esse causa damnationis hominum malorum ; sed ecce, cum in manifesto est quod non ex Deo est, sed ex homine est causa damnationis, quia iniquus similiter est aperienti lacum et effodienti, et incidenti in foveam quam fecit. [Gl. int., Aug.] Et vere, quia *concepit* a diabolo, scilicet per suggestionem, *dolorem*, id est appetitum temporalium rerum. Qui dicitur dolor, quia dolor est malis de terrenis rebus amissis, pro quibus mala machinantur. Hæ sunt semen, unde iniquitas, id est injustitia nascitur. Unde addit : *Et parturit*, id est nititur efficere injustitiam, scilicet ut decipiat proximum. Et hujusmodi, et tandem *peperit*, id est effecit et emisit, *iniquitatem*. Iniquitas hoc est quod injustitia. Hoc ergo peperit, quod parturit. In quod notatur peccatum operis patrati. Emisit enim iniquitatem, cum ad actum perduxit. Et in emissa iniquitate, est lacus, id est præcipitium aliis. Unde subdit :

Vers. 16. — « Lacum aperuit et effodit eum et « incidit in foveam quam fecit. »

Lacum aperuit, quasi dicat, concepit, parturivit, peperit, et sic jam, lacum aperuit, [Alcuin.] id est comparabilis est aperienti lacum, concipiendo, sci-

licet quod est dicere, fraudem inchoavit, [Aug.] consentiendo suggestioni terrenarum cupiditatum. *Et effodit eum*, [Alcuin.] id est similis est effodienti parturiendo, id est instando operi fraudis. *Et incidit in foveam quam fecit*, id est similis est incidenti in foveam, pariendo, id est fraudem perpetrando. [Aug.] Prius enim fraudator læditur damno innocentiæ, quam alius damno pecuniæ.

Vers. 17. — Convertetur dolor ejus in caput « ejus ; et in verticem ipsius iniquitas ejus descen- « det. »

Dolor ejus, quod concipitur, *convertetur in caput ejus*, id est in mentem, *et iniquitas ejus* quam peperit *descendet in verticem ipsius*, id est rationem, quam dixerat caput. [Aug., Gl., int.] Hoc ideo, quia noluit ipse peccatum evadere, sed servus esse peccati, libidine dominante rationi. Et ideo ipse inferior gravatur iniquitate, quæ sedet super talentum plumbi, in Zacharia propheta, et in illum descendet ; et onerat, ut non revolet ad requiem sanctorum. Vel distingue inter caput et verticem, et convertetur et descendet. [Cassiod., Alcuin.] Caput est anima, vertex ratio ; cui utrique dominantur peccata, et supersunt, et postea superdescendent, cum in pœnas detrudent. Et est, dolor ejus, quem concepit. *Et iniquitas* quam peperit. *Convertetur in caput ejus*, id est in animam. Et in verticem ejus, id est in rationem cui dominantur hic [Cassiod., Gl. int.] Et postea dolor et iniquitas, descendet, scilicet cum impetu, super caput et verticem, cum pœnis æternis subjicient eum.

Vers. 18. — « Confitebor Domino secundum « justitiam ejus ; et psallam nomini Domini altis- « simi. »

Confitebor Domino. [Cassiod.] Quinta pars, ubi est psalmi conclusio, qua omnia in summam colligens, dicit se alacriter confiteri, quasi dicat : Et quia adjutorium meum est a Domino, ideo confitebor Domino, id est laudabo Dominum. [Aug.] Et hoc, secundum, id est propter *justitiam ejus*. Hæc enim confessio non est peccatorum, sed justitiæ Dei, qui intus justos protegit, et malos pro sua malitia punit. Contra hanc laudem nihil valent blasphemiæ impiorum, qui volentes suæ culpæ tribuere quod peccant, mala sua excusant per fortunam, vel fatum, vel diabolum, cui potest resisti, vel per aliam naturam, quæ non sit ex Deo. Hi tales fluctuant **16** errantes, potius quam confiteantur Deo, ut eis ignoscat. Qui autem videt merita animarum sic ordinari a Deo, ut, dum sua cuique tribuuntur, pulchritudo universitatis nulla ex parte violetur, in omnibus laudat Deum, distinguens aliud Deum fecisse et ordinasse, ut videlicet universum bonum : aliud autem non fecisse, sed ordinasse, ut malum. *Et psallam* opere *nomini Domini altissimi*. [Cassiod.] Psallere ad gaudium pertinet, sicut pœnitentia peccatorum ad tristitiam. Potest et hic psalmus in persona Christi intelligi, si ea quæ humiliter sunt

A dicta ad infirmitatem nostram referantur, quam ipse Christus gestavit.

COLLATIO IN PSALMUM VII : « DOMINE DEUS MEUS, IN TE SPERAVI. »

Vers. 2. — *Dum non est qui redimat, neque qui salvum faciat*. Heb. פורק ואין מציל POREQ VEEN MATZIL, id est *lacerans seu laceret, et non sit qui eripiat*, ut volunt Hebraizantes. Hoc tamen non est necessarium, quandoquidem פרק PARAQ significet *liberavit, redemit*, psal. CXXXV ; *Et redemit nos ab inimicis nostris*. Ubi idem verbum legitur quod hic. Sed LXX acceperunt negationem relatam ad priorem et posteriorem dictiones.

Vers. 4. — *Si reddidi retribuentibus mihi malum*. Pratensis. *Si reddidi pacem habenti mecum malum ;* Sanctes, *Si retribui pacifice degenti mecum malum ;* B Munsterus, *Sed reddidi malum pacifico meo ;* Interpres pro Cajetano, *Si retribui pacifico meo malum*. In eamdem sententiam descendit Campensis in paraphrasi tantum, quæ longe discrepat a Latina. Sed vocabulum Hebraicum est multiplex שלמי SCHOLMI, *pacifico meo*, vel *retribuenti mihi* a radice שלם SCHALAM, *pacificus fuit* vel *restituit*. Posteriorem significantiam acceperunt Hieronymus juxta Hebræum, et LXX de varietate mihi perpusillum refert. Translator ad Campensem propemodum est nobiscum, *Si damnum mihi dantibus reddidi, Decidam merito ab inimicis meis inanis*. Heb. ואחלצה צוררי ריקם VAAHALTZAH TZORERI REQUAM. Hieron. *Dimisi hostes meos vacuos ;* Pratensis, *Oppressi adversantes mihi sine causa ;* Munst., *Qui etiam eripui ab afflictione adversantem mihi sine causa ;* Sanctes, *Qui erui hostem meum gratis ;* interpres pro Cajetano, *Et erui angustatorem meum inaniter ;* Pellicanus, *Et si non eripui inimicos meos sine causa ;* translator ad Campensem, C *Si hostem meum temere spoliavi*. Ut conveniunt ? Hæc itaque diaphonia et verborum et sensus profecta est ex æquivocatione duarum vocularum. Siquidem verbum חלץ BALATZ polysemon est, modo signat *declinavit* ut Oseæ V, *Vadent ad quærendum Dominum et non invenient, ablatus est ab eis*. In quo Heb. ponitur hæc particula eumdem vero sensum refert, *ablatus est ab eis, et declinavit ab eis*. Itidem declinare inanis ab inimicis, quid aliud est quam superari ab eis, sicut acceperunt LXX ? Alias id vocabuli significat *eripuit, exuit, armavit*. Secunda ריקם REQUAM, interdum notat *inaniter, gratis, frustra*, quandoque *vacuum*, ut Deuteron. XV : *Non patieris eum abire vacuum*, ea ponitur in Hebræo particula ; vacuus autem et inanis idem sunt.

Vers. 6. — *Exaltare in finibus inimicorum meorum*. LXX habent (nisi fallant codices) τῶν ἐχθρῶν σου inimicorum tuorum, ut etiam legitur in psalmo- D dia Rom. et apparet variasse volumina. Nam in hoc psalmo versu 9, *Judica me secundum justitiam meam*, Simia et Fretella moverant questionem ipsi Hieronymo, cur in Græco haberetur κατὰ τὴν δικαιοσύνην σου, id est, juxta justitiam tuam, cum tamen legamus justitiam meam. Si autem in præcedenti versu exemplaria habuissent similem diversitatem, similem excitassent forte quæstionem in eodem pronomine. Adde quod in codicibus nostris versus, de quo requirebant Simia et Fretella habet, μου, non σου, quod est argumentum clarissimum varietatis. Sed legas inimicorum meorum, legas tuorum, non mutatur sensus. Nam inimici justorum sunt etiam inimici Dei, juxta illud Act. IX : *Saule, Saule, quid me persequeris ?* idque propter unitatem corporis et capitis multo secus Hebræi videntur habere propter particulam BEABROTH בעברות Hieronymus juxta

Hebræum *elevare indignans*. Pratensis, elevare inter iracundias tribulantium me; Paraphrasis Campensis, *Commoveant te furores hostium meorum;* Munsterus, *Elevare propter indignationes hostium meorum;* Sanctes, *Elevate, propter indignationes hostium meorum;* Pellicanus, *Elevare in transgressiones* vel *iracundias tribulatium me;* interpretes pro Cajetano *In indignationibus angustiatorum meorum;* Nebiensis, *Elevare in iram molestantium me;* Chaldæus, *Irrue in fremitu super molestatores meos*. Æquivocatio verbi עבר ABAR fecit diversitatem; cum enim quandoque notet ultra transire (unde secundum quosdam, Hebræi dicuntur quasi transfluviales) et fines sint ad quos semper transimus, erudite, juxta sensum verterunt LXX, *in finibus*, quos Augustinus interpretatur *possessionem Dei*, quæ per conversionem migravit de ditione diaboli in templum Dei. Felix est transitus iste, ultra quem non est alius quærendus. Idem etiam verbum significat irasci, cujus significantiam alii secuti sunt, ut verissimum sit quod in prologo adduximus de Hieronymo adversus Rufinum lib. I, quanta sylva apud Heb. ambiguorum nominum atque verborum, quæ res diversæ interpretationi, materiam præbuit, dum unusquisque inter dubia, quod sibi consequentius videtur, hoc transfert.

VERS. 10. — *Consumetur nequitia peccatorum*. Nebiensis, *Compleatur, obsecro,* יגמר־נא Chaldæus. *Destruatur nunc malitia,* HGMOR NA; Pratensis, Sanctes, interpres pro Cajetano, Campensis accipiunt active, *Consumet malo impios;* Hieron. juxta Heb. Pellicanus, Munsterus, vertunt passive *Absumatur, quæso, malum impiorum*, juxta Munsterum, in Græco est passivum συντελεσθήτω, ut sit consummetur per duplex *m*, juxta expositionem August. *Qui in sordibus est sordescat adhuc* (*Apoc.* XXII). Tamen id non est necessarium ex Hebræo גמר GAMAR, unde per futurum hic dicitur יגמר HGMOR.

Scrutans corda et renes Deus. Primum vocabulum sequentis versus in ordine versionis Latinæ, Hebræi referunt ad finem præcedentis, ut sit *Scrutans corda et renes Deus justus*, deinde, *Adjutorium meum*, etc. In Græco quædam exemplaria habent in fine versus ὁ Θεὸς δικαίως, id est *Deus juste*, adverbialiter; alia δίκαιος, id est *justus;* alia nempe Aldina, in principio sequentis versiculi, δικαία ἡ βοήθεια, id est *justum adjutorium*, ut legimus. Utrumque accipias; et Deus est justus, imo ipsa justitia, et justum ejus adjutorium.

VERS. 12. — *Deus judex justus, fortis et longanimis*. In Hebræo non est longanimis, LXX addiderunt μακρόθυμος. Hoc autem non superflue fecerunt, quia nunquam justitia Dei separatur ab ejus misericordia. Ambrosii autem lib. III Hexameron ait: Multa non otiose a LXX viris Hebraicæ lectioni addita et adjuncta comperimus. Hieronymus ponit *fortis*, cæteri repertunt *Deus*, vox autem hebræa אל EL utrumque dicit. Munsterus, *Deus judex justus est.* Sic Pratensis et Pellicanus. Sanctes vero, Campensis, interpretes pro Cajetano, ac Nebiensis, *Deus judicat justum*, ambiguo sensu. Qui quam recte transtulerint, viderint. Siquidem potest in hunc utrumque sensum accipi, ut Deus judicet justum hominem aut rem justam.

Nunquid irascitur per singulos dies? Hebræi legunt sine interrogatione. Hieronymus juxta Hebræum, *Comminans tota die;* Munsterus, *Commovetur per singulos dies;* Sanctes addit de suo. *Irascitur impio die omni*, Reliqui in eumdem sensum. Apparet LXX bis legisse citra puncta אל אל ALEPH ET LAMED, ut prius sit EL, id est, Deus vel fortis. Secundum אל AL, non accipiendo interrogative, sicut Munsterus volebat intelligi: *Etiamsi me occiderit, non sperabo?* (*Job* XIII.) Ubi nostra editio caret negatione, et redit idem sensus, si interrogative cum negatione legatur. Utut fuerit, non variatur intelligentia, quod Deus per singulos dies comminetur, et tamen non irascitur, mox peccatores puniendo.

VERS. 13. — *Nisi conversi fueritis*, Heb. לא ישוב אם IM DO JASCUB, id est, *nisi conversus fuerit*, in singulari numero. Sed ad eum modum transferendo redditur sententia dubia, an videlicet debeat id referri ad Deum, an ad peccatorem, an ad gladium. In plurali vero, traditur, sensus multo clarior, ubi numerus singularis subaudiret impium, qui si non respicat, vindictam suam exercebit ad eum Deus. quare LXX pluraliter more boni interpretis ambiguitatem suppresserunt, ponentes secundam personam pluralem, Unde Hieronymus vertit per participium, *Non convertenti, suum gladium acuet*, quanquam manifestum sit Hebræum esse in futuro verborum quarti ordinis. Chaldæus respondet nostræ editioni: *Si non revertatur ad honorem ejus*. Nebiensis aliter, *Profecto non revertetur*.

VERS. 13. — *Sagittas ardentibus effecit*. Cur debuerunt Sanctes, Munsterus, Pratensis, et interpretes pro Cajetano vertere aut persecutores aut persequentes, pro ardentibus? quandoquidem דלק DALAQ, nullo reclamante etiam significet *arsit*. Et Hieronymus traduxit *ad comburendum*, Pellicanus, *ardentes*, Campensis utrumque comprehendit, *Qui ardentissime persequuntur aliquem*. Quomodo autem debeat intelligi, sagittas effecit ardentibus in ablativone, an in dativo, habes supra in enarratione Commentarii.

PSALMUS VIII.

PSALMI TITULUS: « IN FINEM PSALMUS DAVID PRO TORCULARIBUS. »

Dominus dominus noster. Titulus, *in finem psalmus David, pro torcularibus*. [Aug., Alcuin.] Nihil de visibilibus torcularibus, in textu hujus psalmi dicitur, sed de spiritualibus, et per visibilia torcularia significatis, id est de Ecclesiis; quia de Ecclesiæ constitutione, et causa constitutionis, hic agitur, scilicet de Christi ascensione, et Spiritus sancti missione. Cum enim Dominus post resurrectionem ascendit, misit Spiritum sanctum in apostolos et alios fideles: Quo impleti prædicando Ecclesias congregaverunt. [Aug.] Ecclesia autem dicitur torcular, eadem ratione qua dicitur area. Multis enim et variis similitudinibus eadem res in Scripturis sæpe insinuatur. Ideo vero aeræ vel torculari comparatur, quia, sicut in area grana a paleis, et in torcularibus vinum dividitur a vinatiis, ita in Ecclesia boni a malis opere ministeriorum separantur, non loco, sed affectu; et quasi a tegumentis purgantur, ut frumenta in area a paleis, et in torcularibus vina exuuntur a vinatiis. Quæ tamen necessaria erant, ut simul nascerentur et crescerent, ad maturitatemque pervenirent. Ita in Ecclesia admistio malorum est necessaria bonis: qui simul incipiunt, crescunt, et consummantur, sed boni in bono, mali in malo. In futuro vero etiam

loco separabuntur, cum frumenta recondentur in horreis, paleæ vero comburentur igne inexstinguibili. Vel Ecclesia ideo dicitur torcular, quia in ea intellectus verbi Dei, dum sono vocis ministratur, quasi vinum includitur in vinariis, et sic fertur ad aures, quasi ad torcular, ubi discernitur, quia sonus valet auribus, intellectus vero a memoria auditorum, quasi quodam lacu excipitur : inde in mentis habitum et morum disciplinam, tanquam de lacu in cellas transit, in quibus, si negligentia non acuerit, vetustate firmabitur. Vel torcularia sunt etiam martyria, ubi corpora eorum qui pro Christi nomine afflictione persecutionum calcantur, quasi acina remanent in terra; animæ vero ad requiem habitationis cœlestis emanant. Et quia hæc fiunt in Ecclesiis, ideo ipsæ Ecclesiæ torcularia dicuntur. **17** Et est sensus tituli, *Psalmus* iste, *David* prophetæ tendens *in finem*, id est in Christum, [Cassiod., Gl. int.] quia agit de exaltatione Christi, secundum duas naturas, et agens *pro torcularibus*, id est de Ecclesiis, de quarum constitutione et causa constitutionis agit. Intentio est hic Prophetæ errorem Judæorum, qui dicunt in Judæa tantum notum Deum, et Donatistarum, qui tantum in Africa notum dicunt, et similium, confutare. [Cassiod.] Modus. Bipartitus est psalmus : Primo laudes Christi describuntur, scilicet majestas ejus et operatio excelsa; secundo, dicit naturam hominis olim incitatam in Christo super omnia exaltatam, ibi, *Quid est homo*. A laude ergo incipiens propheta, ait : O

VERS. 1. — « Domine, Dominus noster, quam « admirabile est nomen tuum in universa terra! »

[Rem., Gl. int.] *Domine* omnium, secundum potentiam. Qui es specialiter *Dominus noster*, secundum receptionem et cultum, *nomen tuum*, id est, gloria et fama, *admirabile est*, propter creaturas quas fecisti et regis, et *quam admirabile* quasi dicat, infinite. Nullus enim sufficit omnes creaturas cognoscere, in quibus admiramur te. Admirabile est dico, *in universa terra*, non in Judæa tantum, ut dicunt Judæi; nec tantum in Africa, ut dicunt Donatistæ. Ne ergo Judæi vel quilibet sibi vindicent quasi proprium quod est commune omnium, quod est intentio psalmi, et dirigitur sermo ad Deum Trinitatem; deinde supponit in parte per quid est admirabile, loquens ad Deum Patrem.

VERS. 2. — « Quoniam elevata est magnificentia « tua super cœlos. »

Quoniam elevata est, quasi dicat per hoc est admirabile, quia magnificentia tua, [Rem., Cassiod.] id est Filius tuus Deus homo, *elevata est* de terrena humilitate, *super cœlos* ad litteram, homo Deus ad dexteram Dei Patris sedens. Vel elevata est magnificentia tua super cœlos, [Aug.] id est super Scripturas, quia excedit omnium eloquia Scripturarum. Vel elevata est, in incomprehensibilitate; super cœlos, [Rem.] id est super omnes rationabiles creaturas. Vel, magnificentia tua, id est fama et gloria tua, idem quod ante dixerat nomen, elevatum

A est super cœlos, id est super Scripturas, quibus ad plenum non explicatur. Scripturæ autem dicuntur cœli, eo quod divina mysteria celant. Et, o Domine, tu,

VERS. 3. « Ex ore infantium et lactentium perfe- « cisti laudem propter inimicos tuos, ut destruas inimicum et ultorem. »

[Cassiod.] *Perfecisti laudem ex ore infantium*. Infantes et lactentes non pro ætate dicit, sed pro simplicitate, sicut Petrus in Epistola canonica ait : *Quasi modo geniti*, etc. (*I Petr.* II), qui scilicet nondum escam, sed lac capere possunt, [Aug.] quales erant illi quibus Apostolus lac dabat dicens : *Tanquam parvulis in Christo, lac potum dedi vobis, non escam* (*I Cor.* III). Quos significabant illi, qui Domi-
B num venientem ad passionem laudabant, in quos hoc utitur Dominus testimonio, cum Judæis dicentibus ut eos corriperet, respondit : *Non legistis : Ex ore infantium*, etc. (*Matth.* XXI.) Bene autem, non ait fecisti, sed *perfecisti*. Ex his enim perfecit Deus laudem, quia, si soli perfecti essent in Ecclesiis, non ita consulerent humano generi, sicut nunc cum etiam nemini nondum capaces cognitionis rerum spiritualium atque æternarum nutriuntur fide temporalis historiæ, et Deum laudant. Et est sensus : *Perfecisti laudum ex ore infantium et lactentium*. [Cassiod.] id est non solum a perfectis, sed ab insipientibus prædicaris, et hoc fecisti *propter inimicos tuos*, destruendos, et *ut destruas inimicum et ultorem* vel defensorem. Alia littera. [Aug.] Inimici
C sunt generaliter omnes, qui dispensationi per crucifixum factæ contraria dicunt. Defensores videntur hæretici fidei, et philosophi sapientiæ, cum tamen et illi fidem, et hi sapientiam veram impugnent. Vel infantes et lactentes dicit Apostolos, quia stulta mundi elegit Deus, ut fortia confunderet (*I Cor.* I). [Rem.] Unde perfectior est laus, quia ad eam non humana sapientia, sed divina gratia acceditur. Et est : ex ore infantium et lactentium, id est apostolorum, perfecisti laudem, [Cassiod., Rem.] Vel de pueris Hebræorum potest accipi, quia ex verbis illorum puerorum, perfecta est laus. Quod videbatur pueriliter agi, sed sancti Spiritus instinctu fiebat. Et est sensus : ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem, id est ex verbis pue-
D rorum Hebræorum perfecisti laudem. Et hoc totum propter inimicos tuos confundendos, forsan paganos. [Cassiod.] Ideo enim a talibus laudari voluit ne videretur hæc sapientia humana, sed divinitus data. Et ideo fecisti, ut destruas inimicum id est Judæum, et ultorem vel defensorem. Judæus enim inimicus est Dei, dum Patrem solum defendit, quia qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem (*Joan.* V). Vel, inimicus est voto, et ultor scilicet suæ sectæ defensor.

VERS. 4 — « Quoniam videbo cœlos tuos, opera « digitorum tuorum, lunam et stellas quæ tu fun- « dasti. »

Quoniam videbo, quasi dicat, vere perfecisti lau-

dem, et destrues inimicum, quoniam videbo *cœlos tuos*, [Rem., Alcuin.] id est, prævideo jam per Spiritum sanctum apostolos, et videbo etiam præsentialiter in posteris. Hoc dicere, bene convenit primitivis. Cœlos dico, qui sunt *opera digitorum tuorum*, [Cassiod.] quia cooperatione Trinitatis instructi sunt quæ Trinitas in tribus digitis significatur hic, ut ibi : *Qui appendit tribus digitis molem terræ* (*Isa.* XL). [Hier., Aug., Alcuin.] Et per eos cœlos, videbo ædificari *lunam* id est universalem Ecclesiam, et *stellas*, id est Ecclesias singulatim per loca diversa, vel doctores alios. Quæ tamen, scilicet lunam et stellas, vel quas scilicet stellas *ut fundasti* non illi. Apostoli enim ministri sunt ædificationis ; tu vero auctor vel fundator. Vel aliter ab illo loco, *Ex ore*, et proceditur de illa sententia, in qua cœlos appellavit Scripturas. [Aug.] Quia ergo dixerat Christum excedere omnium Scripturarum eloquia, forte videretur quod per Scripturas ad ejus notitiam parvuli pervenire, vel ascendere non valerent. Hoc autem removens, dicit eum etiam infantibus Scripturas humiliasse, per quod et ipsi magnificentiam Dei caperent, et inimici destruerentur. Et hoc est, super Scripturas elevatus est Filius. Et per illas tamen, perfecisti laudem ex ore infantium et lactentium, id est illas Scripturas inclinasti infantibus et lactentibus ad ascendendum, ut sic foret laus perfecta, quod est per Scripturas, quas infantibus inclinavit. Unde alibi : *Inclinavit cœlum et descendit* (*Psal.* XVII). Et hoc fecisti propter inimicos tuos, scilicet inimicos crucis Christi destruendos. Et quasi exponendo subdit, scilicet ut destruas inimicum et defensorem et accipit eosdem per inimicum et defensorem, quos dixit inimicos omnes, scilicet qui cruci Christi contradicunt, qui destruuntur cum videntur, id est intelliguntur Scripturæ, usque ad infantium capacitatem doctæ, et per eas usque ad robur nutriuntur, et ad sublimitatem intelligentiæ eriguntur. De quibus subdit, quoniam videbo cœlos. Et vere destrues, dicit propheta, in persona Ecclesiæ, quoniam videbo cœlos tuos, [Rem.] id est, intelligam Scripturas sacras, quæ sunt opera digitorum tuorum, id est Spiritu Dei factæ sunt, cujus septem sunt dona, cum sit unus spiritus, sicut plures digiti sunt in una manu. [Aug.] Et videbo lunam, id est universalem Ecclesiam ; et stellas, id est Ecclesias singulas, vel doctores. Quæ vel quas tu fundasti in cœlis vel in eisdem Scripturis collocasti quas cœlorum vocabulo positas credimus.

VERS. 5. — « Quid est homo quod memor es ejus ? « aut filius hominis quoniam visitas eum ? »

Quid est homo. [Cassiod., Alcuin.] Secunda est pars, ubi dicit naturam hominis olim vitiatam in Christo super omnia exaltatam : prius enim ostenderat omnipotentiam deitatis. Ideoque congrue in hac parte agit de exaltatione humanitatis ; sed præmittit de humiliatione totius humanæ naturæ, ostendens nullum esse penitus homini meritum Dei beneficio dignum, [Gl. int.] quasi dicat, et quia omnia hæc per Filium sunt, ergo *quid est homo*, etc. Vel ita continua. Elevata est magnificentia tua, *et quid est homo quod memor es ejus ? aut filius hominis.* [Aug.] Per hominem accipiuntur peccatores ; per filium hominis, spirituales. Disjunctio enim innuit distare inter hominem et filium hominis. Omnis enim filius hominis, homo est ; sed non econverso : ut Adam qui fuit homo, sed non filius hominis. Homo ergo hic accipitur ; omnis qui portat imaginem terreni, id est omnis peccator carnalis ; filius hominis accipitur omnis qui portat imaginem cœlestis, id est Christi. Et merito novus homo filius hominis dicitur, quia novus ex veteri quadam mutatione fit. Spiritualis enim regeneratio, qua innovatur mutatione vitæ æternæ atque sæcularis, a Deo inchoatur, utrumque vero respicit misericordia Dei ; sed illum quasi longe sejunctum a Deo ; istum, id est filium hominis quasi præsentem. [Cassiod.] Ideoque cum despectu pronuntians, ait, Homo peccator terrenus, quid est *quod tu es memor ejus*, quasi longe positi ? cujus Deus memor est, [Aug.] dando salutem temporalem, scilicet benedictionem sinistræ. Unde alibi : *Homines et jumenta salvabit Dominus* (*Psal.* XXXV). *Aut filius hominis*, id est spiritualis, qui portat imaginem cœlestis, qui est ? *Quoniam tu visitas eum*, [Aug. Gl. int.] quasi præsentem, qui prope est Deo munditia vitæ. Et ideo præsens visitatur, id est lumine vultus Dei illustratur. Unde alibi : *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine* (*Psal.* IV), a peccatoribus vero longe est salus. Vel per hominem accipit generaliter quemlibet hominem, et per filium hominis Christum hominem. Et est. Quid est homo [Cassiod.] quilibet vilis et miser. Quod memor es ejus ; ejus memor est Deus miserendo. Aut filius hominis. Hic voce surgendum est, id est homo Christus, quid est ? quoniam per eum visitas eum, scilicet hominem : quod fuit cum Verbum caro factum est (*Joan.* I). [Aug.] In qua incarnatione medicus cœlestis venit ad infirmos, et factus est Dei Filius, hominis filius, de quo propter carnis infirmitatem, subdit.

VERS. 6. — « Minuisti eum paulo minus ab an« gelis, gloria et honore coronasti eum ; et consti« tuisti eum super opera manuum tuarum. »

[Aug., Cassiod.] *Minuisti eum*, quasi dicat, non modo in aliis humana natura est humiliata, sed etiam in ipso Christo, quia minuisti eum qui est caput omnium fidelium ; *Minus ab angelis*, [Gl. int.] quia passibilis, et mortalis, sed *paulo* quia in aliis superat angelos quibus imperat. Dico minuisti, sed postea, *coronasti eum gloria*, id est corporis incorruptibili claritate, *et honore*, ut omnibus sit venerabilis. [Cassiod.] Et bene ait, *coronasti*, quia circulus mundi qui est quasi similis coronæ, ad fidem ejus venit. *Et constituisti*, id est stabilisti *super opera manuum tuarum*. [Aug.] Quia

ergo et angeli sunt opera manuum Dei, et super eos constitutus est unigenitus Dei Filius. A

Vers. 7. — « Omnia subjecisti sub pedibus ejus, « oves et boves universas, insuper et pecora « campi. »

Omnia, etc. [Gl. int.] Dico quod constituisti super opera omnia, quidem *subjecisti sub pedibus ejus*, id est sub dominio et potestate ejus, et enumerat quæ, scilicet *oves*, etc. [Aug.] Cur relictis altioribus, scilicet exercitibus angelorum, et ipsis hominibus, hæc ima dicit? Sed mystice intelligendum est. Oves ergo innocentes dicit. Boves dicit illos qui operantes, terrenos faciunt fructificare. Et hoc de angelis et hominibus dicitur, ut de omnibus probet quod subjecti sint Christo. Et est, *subjecisti ei oves*, id est, innocentes, tam homines quam angelos ; *et boves*, scilicet arantes, et triturantes, qui in vinea Domini vomere spirituali arbusta criminis conscindunt. [Aug., Alcuin., Rem.] Boves dico, *universas*, femineo genere utitur, ut notet fructificantes, qui semine verbi Dei hominum corda fructificare faciunt ; et illi **1 8** sunt homines, et angeli. *Insuper*, etc., quasi dicat, non tantum boves subjecisti ei, sed insuper *et pecora campi*. [Aug.] Per hoc quod dicit, insuper, distinguit hæc a prædictis sanctis. Hæc enim sunt acina, sicut prædicti sunt vinum. Et malos ergo subjectos Christo esse notat, quod dicat minus videretur. Quod significat, cum ait, pecora campi, id est carnales in amplitudine voluptatum, tanquam in latitudine camporum, non in montibus virtutum habitantes. Pecora ergo campi sunt homines qui in carne vivunt, ubi nihil arduum, nihil laboriosum ascendunt ; sed lata via est cui inhærent, quæ ducit ad mortem. Unde et Abel a fratre in campo occiditur. Et subjecisti ei :

Vers. 8. — « Volucres cœli, et pisces maris ; qui « perambulant semitas maris. »

Volucres cæli, id est superbos (Aug., Alcuin.) Bene per volucres cœli significantur superbi, de quibus dicitur : *Posuerunt in cælum os suum* (*Psal.* LXXII). Quorum caput dicit : Ascendam in cœlum, et exaltabo solium meum, etc. (*Isa.* XIV), *et pisces maris*, id est curiosos, *qui perambulant semitas maris*, id est qui in profundo sæculi temporalia, quæ quasi semitæ in mari cito vanescunt, inquirunt pertinaci studio. Unde recte non ait, ambulant, sed perambulant : per hoc ostendens pertinacissimum studium inania et præterfluentia requirentium. Hæc autem tria genera vitiorum, id est voluptas carnis, superbia et curiositas includunt omnia vitia : quæ, sicut Joannes ait, sunt concupiscentia carnis, ambitio sæculi, id est superbia, et concupiscentia oculorum (*I Joan.* II). Per oculos namque curiositas maxime prævalet. De his tribus tentatus fuit Dominus et Salvator, et vicit : quibus primus homo victus, succubuit.

Vers. 9. — « Domine, Dominus noster, quam « admirabile est nomen tuum in universa terra ! »

Domine, Dominus noster, quam. [Gl. int.] Ecce conclusio psalmi. Ecce quo totum tendat, quasi dicat. Et quia hæc omnia fecisti, ergo o *Domine, dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra !* [Aug.] Decenter principium repetit, ostendens initium et finem boni ad Deum referendum.

COLLATIO IN PSALMUM VIII : « DOMINE, DOMINUS NOSTER. »

Vers. 3. — *Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem*. Utinam sine temeritate Neoterici Hebraizantes verterint, *Perfecisti robur*, aut *fortitudinem* pro *perfecisti laudem*. Reprehendant ergo evangelistam Matth. XXI, imo Christum ipsum, qui hunc locum in Judæos calumniantes retorsit : *Nunquam legistis*, inquit : *Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem*. Ecce Christus dicit laudem, et tu sapientior Christo, aut interprete Joanne evangelista, qui Matthæum, referente Theophylacto, Græcum fecit, secundum quosdam (probabilius est enim B Matthæum scripsisse Hebraice), vis melius transferre robur, fortitudinem ? Quid ergo mirum, si alia loca non timeas labefactare, qui vel evangelistis non parcis ? Quid deinceps non audebunt belli homines ? Nonne legitur, Matth. XXI, Græce κατηρτίσω αἶνον Quid ergo in mentem venit Munstero ut verterit fortitudinem, et in Psalmographo et in Matthæo ? Scimus quidem dignam esse intelligentiam, quod eo usque fundata sit fortitudo Christi, adeo ut sit insuperabilis, et testimonio infantium confirmata. Vide tamen si Hieronymus juxta Hebræum vertit aliud quam laudem. Nebiensis est nobiscum.

Vers. 6. — *Minuisti eum paulo minus ab angelis*. Plerique, ut Faber et Cæcus Burgensis, contendunt debere constanter legi, *a Deo*, quia habetur Hebr. אלהים ELOHIM. Et in eam proruperunt insaniam, ut dixerint et scripserint locum beatissimi Pauli, Hebræorum II, ad incudem revocandum, taxantes C ejus interpretem (quem ferunt quidam fuisse Lucam) ut perperam legatur *ab angelis ;* sed deinceps in ecclesiis psallatur : *Minuisti eum paulo minus a Deo*. Ut præsentem locum eventilemus, primo non est disceptandum de vocabulo, quod nemo ambigit significare Deum et judices, principes et viros admiratione dignos ac fortitudine, atque adeo ipsos angelos, Exod. XXI : *Offerat eum Dominus diis*. Et Exod. XXII : *Diis non detrahes*, ponitur elohim. Caput negotii versatur circa intelligentiam Prophetæ et Apostoli, quam, ut reor, nequaquam assecutus est Faber, quin multis partibus pugnat cum sensu prophetico et apostolico, si oculatius introspiciantur præcedentia et sequentia. Præmisit enim David admirando et suspiciendo nimis unionem illam naturæ humanæ ad verbum. Quid est homo, natura humana tam fragilis, tam despecta, cujus tamen memor es per multam miserationem, ut assumas ad dignitatem unionis hypostaticæ ? Deinde ut opposita D sese ex vicinitate mutuo collustrent, ostendit ejus mortalitatem, et abjectionem et passibilitatem, ut mox subjungat gloriosam exaltationem, juxta illud Philipp. II : *Semetipsum exinanivit formam servi accipiens, factus obediens usque ad mortem*. Deinde, subsecutus : *Propter quod et Deus exaltavit illum*, etc. Dicit itaque Propheta : Minuisti eum paulo minus ab angelis, propter mortalitatem et passibilitatem, quibus angeli non sunt obnoxii. Licet igitur fuerit mortalis, et hinc minor angelis, tamen postea triumpho inenarrabili supra naturam angelicam sedet ad dexteram Patris. Quare continenter subtexuit : *Gloria et honore coronasti eum et constituisti eum super opera manuum tuarum*. Nec obest quin alia ratione, Christus sit superior angelis, gratia capitis et plenitudinis influentiæ, etiam quatenus est homo, juxta illud Ephes. I : *Instaurare omnia in Christo, quæ in cælis et quæ in terra sunt, in ipso ;*

et ad Col I. : *Et per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt.* At diceret forsitan quispiam contentiosus : Qui fit ut dicatur duntaxat paulum ab angelis imminutus, cum scribatur psalmo XXI : *Vermis et non homo, opprobrium hominum et abjectio plebis.* Quæ sententia sonare videtur plurimum esse imminutum ab angelis, non paululum. Hoc certe ratiocinium confutat illam opinionem quæ vult dici minoratum a Deo, quod non potest intelligi secundum naturam divinam. Igitur secundum humanam, cujus nulla est proportio ad divinam, vel post assumptam stolæ immortalis gloriam. Contra vero alteram nihil obstrepit, si attentius perpendas sensum Prophetæ. Recipimus enim Christum fuisse habitum infra abjectissimos homines, juxta æstimationem impiorum Judæorum et infidelium, cum revera ipsa sanctimonia esset ac bonitas. Unde accommodatissime dicit Propheta, paulominus, quia licet mortalitati ultro se substraverit Dominus, eoque angelis inferior, verumtamen ad unionem illam superbene dictam, si mentis oculos defixeris, paulo minor fuisse videbitur illa diminutio. Nec etiam absonum est quod Chrysostomus et Theophylactus interpretantur de modo temporis. Christus quidem mortalitatem nostram induit, sed ad glorificationem subsecutam, brevi tempore miseriis nostris fuit attritus. Sed frustra interpretamentum hoc rejicit Faber, quia מעט MEAT apud Hebræos ait, non refertur ad modum temporis, sed quantita-

A tis. Nam psalmo XXXVI : *Adhuc pusillum et non erit peccator.* Heb. legitur MEAT מעט. Et psalmo II : *Cum exarserit in brevi ira ejus,* quæ manifeste respiciunt rationem temporis. Consentit Græcus βραχύτι, *ad breve tempus.* Verum obstrepes et vociferaberis Hieronymum vertisse, *paulo minus a Deo,* juxta Heb. Huic objectioni satisfactum est in prologo, Hieronymum tradidisse illam versionem Sophronio disputanti cum Judæo, qui pene per singulos sermones illudere volens Sophronium, asserebat non ita haberi in Hebræo, ut ipse opponebat. « Et aliud est, inquit, in Ecclesiis Christo credentium Psalmos legere, aliud Judæis singula verba calumniantibus respondere. » Cernis itaque Hieronym. ita vertisse propter calumniosos. Hinc in Commentario hujus loci ait : « In Hebræo pro eo quod est ab angelis, qui dicuntur מלאכים MALACHIM, Deum habet, hoc est *elohim.* (45) Hunc locum Apostolus in Epistola ad Heb. Super Christo interpretatur. Ubi perspicis

B Hier. sentire apostolum interpretari Heb. elohim pro angelis. Non enim ignorabat lectionem Græcanicam epist. ad Heb. Et in ea dicit Apost. : *Eum autem qui modico quam ab angelis minoratus est videmus Jesum, propter passionem mortis gloria et honore coronatum.* Juvat quod Pellicanus, Sanctes, et Munsterus, vertunt *ab angelis.* Hic in scholiis docet pro אלהים ELOHIM accipi מלאכים MALACHIM, post Heb. interpretationem et Chaldaica paraphrasis manifeste habet *ab angelis.*

PSALMUS IX.

PSALMI TITULUS : « IN FINEM PRO OCCULTIS FILII PSALMUS DAVID. »

Confitebor tibi. Titulus *in finem pro occultis filii, psalmus David.* Cum dicitur filius, nec additur cujus, sicut hic, per excellentiam intelligitur Christus, qui est unigenitus Dei filius, sicut ipse sine additamento de se ait : *Si filius vos liberaverit, veri liberi eritis.* [Aug.] Vel filius est etiam ipsius David, quia de eo natus, cum dicit, *pro occultis* nominando occulta filii, dat intelligi, quia alia ejus sunt manifesta. Sciendum igitur quia duo sunt adventus Christi. Primus, in humilitate, qui occultus fuit Judæis, qui cæcatis Judæis, gentibus profuit. Unde : *Cæcitas contigit Israel, ut plenitudo gentium intraret (Rom. XI).* Secundus in majestate, qui omnibus erit manifestus. Duo etiam sunt judicia Dei, scilicet occultum, quod nunc agitur, quod incipit a domo Dei, id est occultum Dei judicium est pœna, qua nunc quisque hominum vel exercetur ad purgationem, vel monetur ad conversionem. Vel, si contemnit Dei vocantis disciplinam, excæcatur ad damnationem. Manifestum judicium erit in ultimo, cum cuique retribuet juxta merita. Hic ergo agit de occultis, id est de humili adventu, qui cæcatis Judæis profuit gentibus, et de pœna qua judicat purgando, convertendo, excæcando. Et est sensus tituli ; *Psalmus iste, David* prophetæ, qui hic loquitur in persona Ecclesiæ dirigens nos *in finem,* id est in Christum, est *pro occultis,* [Gl. int.] id est, agit de occultis *filiis,* scilicet Dei. Vel filii ipsius David, de quo na-

C tus est Christus secundum carnem. Intentio : monet ut non casu vel fato, quis credat nundum regi, sed justo judicio Dei. Modus. Quinque sunt partitiones : [Cassiod.] Primo, Propheta lætus psallit quia cultura diaboli adventu Christi destruitur, et Christus regnat, judicat, adjuvat ; secundo, fideles provocat ad laudem, ibi : Psallite Domino ; tertio, finem malorum venturum peccatoribus cum Antichristo prædicit, ibi : Convertantur peccatores ; quarto, mala temporis Antichristi pertractat, ibi : Ut quid, Domine ; quinto precatur judicium maturari, ut sanctorum mala finiantur, ibi : Exurge, Domine. [Aug.] Contra illos ergo qui de flore malorum et labore bonorum murmurant, putantes non divina dispositione, sed casu hoc contingere, loquitur hic

D Propheta.

VERS. 1. — « Confitebor tibi, Domine, in toto « corde meo : narrabo omnia mirabilia tua. »

Confitebor tibi, quasi dicat : quidam murmurant et detrahunt, sed ego confitebor tibi, *Domine,* id est laudabo te, quicunque detrahat ; [Gl. int.] et hoc *in tote corde meo,* et non in parte, **19** ut faciunt illi qui quædam opera Domini approbant, quædam blasphemant, sed ego, Confitebor in toto corde meo, [Aug.] quia in nullo de providentia Dei dubito ; sed omnia recte agi sentio, quæ stulti temere et casu agi putant. Et etiam *narrabo* aliis *mirabilia tua,* non nostra, et *omnia,* scilicet visibilia et invisibilia : omnia enim narrat, qui de visibilibus transit ad invisibilia, ut qui dicit eum quod Lazarum suscitavit in corpore,

(45) Hic adverte Erasm. ad Heb. II, sensisse commentarios Hier. esse et probasse, quos postea insectatur, ut declaratur in prologo.

Paulum suscitasse in mente : quod majus est et excellentius. Vel : Narrabo omnia mirabilia tua, id est quæcunque dicam de tuis, operibus, sunt mirabilia.

Vers. 2.— « Lætabor et exsultabo in te : psallam « nomini tuo, Altissime. »

Lætabor. [Gl. int.] Non solum aliis narrabo, sed *lætabor et exsultabo,* quod plus est quam lætari. [Cassiod.] Exsultatio enim est intensissima lætitia. Lætabor dico, et exsultabo, in te, [Aug., Gl., int.] non in sæcularibus, non in jucunditate rerum labilium, sed in occultis filii : alibi, non est vera lætitia, *et psallam* opere, *nomini tuo,* exsultando, o *Altissime* : quod faciam ut eo exemplo psallant et alii. Deinde causam laudis subjicit, dicens :

Vers. 3. — « In convertendo inimicum meum re« trorsum : infirmabuntur et peribunt a facie tua. »

In convertendo, etc. [Gl. int.] Ecce quare prædicta facit, quasi dicat, ideo lætabor et psallam quia in convertendo *inimicum meum,* [Hier., Rem., Gl. int.] scilicet diabolum *retrorsum,* id est quia, dum diabolum convertisti retro amisso jure, qui ante adventum Christi præcedebat, ut dux itineris mortis *infirmabuntur,* [Aug.] id est infirmantur impii, ut nihil possint vel velint contra pios. *Et peribunt* quia non erunt impii, juxta illud : *Converte impium, et non erit* (*Prov.* xii, 7). Et hoc *a facie tua,* scilicet a cognitione Dei, quia iniquitatum eorum non recordabitur. Ita periit ille qui dixit : *Vivo ego, jam non ego; vivit vero in me Christus* (*Gall.* ii). Vel in malo potest accipi, quia diabolum convertisti in fugam. Et ideo membra ejus, infirmabuntur, in malis, [Hier., Rem., Alcuin] ut nihil nocere possint bonis. Et peribunt in die judicii. A facie tua, id est ab impugnatione tua, cum dices : *Ite, maledicti, in ignem æternum* (*Matth.* xxv). Deinde, ostendens per quid conversus sit diabolus retro subdit :

Vers. 4 — « Quoniam fecisti judicium meum et « causam meam ; sedisti super thronum qui judicas « justitiam. »

Quoniam fecisti, quasi dicat : Conversus est retro inimicus, et perierunt impii ; [Gl. int.] sed quomodo hoc ? et per quid ? ecce, *quoniam fecisti judicium meum,* hoc fuit, scilicet quando judicatus est Christus, et sententia in eum data, *et causam,* quam Christus egit contra impios accusatus. Judicium dico et causam *meam* et meum ; quia mihi servierunt, et ad utilitatem meam fuerunt. [Aug.] Qualiter et nautæ dicunt ventum suum, quo utuntur ad bene navigandum, *sedisti,* vel *sedes,* quasi dicat : Fecisti causam meam per hoc, quia sedisti, vel sedes, o Deus Pater *super thronum,* [Rem.] id est, super animam Christi, quia Deus, scilicet Pater, erat in Christo, mundum reconcilians sibi (*II Cor* v). Tu, dico, sedisti, *qui judicas,* o Pater, *justitiam,* scilicet ut Christus moriatur pro genere humano. Et per hoc.

Vers. 5. — « Increpasti gentes et periit impius ; « nomen eorum delesti in æternum, et in sæculum « sæculi. »

A *Increpasti,* id est terruisti, *gentes* de peccatis. Vel ad Christum dirigitur sermo. Sedisti, quasi dicat : fecisti judicium, [Aug.] et, o Christe, sedisti, vel sedes, post resurrectionem, super thronum, id est, ad dexteram Patris. Tu, dico, sedes, qui judicas, id est judicabis, in fine justitiam, quia Christus in fine juste judicabit, cui Pater omne judicium dedit (*Joan.* v). Dico sedes ad dexteram Patris. Unde mittens Spiritum sanctum in apostolos, et per apostolos, increpasti gentes pro peccatis. Et sic, *periit impius,* factus pius. Vel impius, id est diabolus, periit amissa potestate a Deo. Periit impius, quia *delesti nomen eorum,* impiorum. Non enim dicuntur impii qui Deo credunt. Et hoc *in æternum,* vel *in sæculum,* scilicet præsens, *et in sæculum sæculi,* scilicet æternum. Sæculum est
B hoc præsens, quod volvitur vicissitudine temporum sibi succedentium ; sæculum sæculi est æternum, quod incommutabili æternitate consistit, cujus istud sæculum imago est et umbra. Vel quod dicit, in sæculum sæculi, determinatio est et expositio præcedentis, scilicet in æternum, ne dicendo, in æternum, hoc præsens sæculum acciperes. Delesti ergo nomen impiorum in æternum et in sæculum sæculi [Gl. int.], quia amodo nihil poterunt in populo Dei tranquillo. Et vere, quia.

Vers. 6. — « Inimici defecerunt frameæ in finem ; » et civitates eorum destruxisti. »

Frameæ inimici genitivus casus est, [Aug., Gl. int.] id est rebelliones diaboli, et diversi errores quibus animas occidit, *defecerunt in finem,* id est per Christum in primo adventu ex parte, et in secundo ple-
C narie. [Aug.] Iste finis est, ille gladius quem vibravit Deus aperte, judicas. Unde supra in alio psalmo dixit : *Gladium suum vibravit,* qui modo occulte judicat usque ad quem aperte judicantem in futuro aliquid valent hostis frameæ ; sed tunc deficient penitus, quando palam vibrabitur. Et nunc eo occulte judicante *destruxisti civitates eorum,* id est munitiones. [Hier., Aug.] scilicet illos in quibus diabolus regnat, ubi dolosa et fraudulenta concilia, quasi curiæ locum obtinent. Cui principatui, quasi satellites et ministri adsunt officia singulorum membrorum, sicut oculi ad curiositatem, aures ad lasciviam, manus ad rapinam, et in hunc modum cætera membra tyrannico principatui, id est perversis consiliis mi-
D litant. Hujus civitatis, quasi plebs est, omnes delicatæ affectiones, et turbulenti motus animi, quotidianas seditiones in homine agitantes. Has ergo civitates ubi rex, ubi curia, ubi minister, ubi plebs invenitur, dextruxisti, ut excluso diabolo serviant justitiæ. Et ideo.

Vers. 7. — « Periit memoria eorum cum sonitu ; » et Dominus in æternum permanet. »

Memoria eorum periit. [Gl. int.] Apud Deum, ne puniat. Vel, memoria eorum, id est impiorum periit, id est ritus eorum excidet. Periit, dico, *cum sonitu,* vel strepitu, id est et strepitus et tumultus impietatis periit. [Aug.] Vel ideo dicit, cum strepitu, quia, cum impietas evertitur, strepitus fit, quia non venit ad

summam parcem, nisi qui cum magno strepitu cum vitiis pugnavit. Vel de futuro potest accipi totum ab illo loco. [Cassiod.] Inimici, id est diaboli ; frameæ, id est virtus diaboli ; defecerunt in finem, id est in fine sæculi destruetur ; et civitates eorum, id est, populos ejus ; destruxisti, id est, destrues. Nota quod pluraliter dicit, eorum, cum supra dixit singulariter, inimici, quia, cum plures sint dæmones, in malitia similes sunt, et quasi unum. Sequitur, periit, id est peribit, in futuro, memoria eorum cum sonitu, id est cum magno clamore, ut fit cum res prosperæ gravi fine clauduntur. [Aug.] Sed contra Dominus permanet in æternum, frustra ergo contra eum nisi sunt impii.

VERS. 8. — « Paravit in judicio thronum suum ; « et ipse judicabit orbem terræ in æquitate, judi« cabit populos in justitia. »

Paravit thronum suum. [Aug.] Dico, Permanet in æternum et judicabit, quia paravit thronum suum, id est judiciariam potestatem *in judicio*, id est cum judicatus est, [Cassiod.] quia per patientiam cœlum acquisivit, et potestatem judicii. Nam, quia in humilitate judicatus est, in majestate judicabit [Aug.]. Unde subdit, *et ipse judicabit* tandem aperte *orbem terræ*, id est mundum ipsum, ut habeat incorruptibiles qualitates, et ut sit purgatus, [Gl. int., Aug.] Vel de toto orbe, gentes omnes, judicabit dico, *in æquitate* meritis reddens digna. Et repetit aliis verbis, *judicabit populos*, hoc est quod dixit orbem ; *in justitia*, hoc est quod dixit, in æquitate.

VERS. 9. — « Et factus est Dominus refugium « pauperi, adjutor in opportunitatibus, in tribula« tione. »

Et factus, [Aug., Gl. int.] quasi dicat, in futuro judicabit, et interim ut inimicus retro conversus non noceat, *Dominus factus est refugium*, in malis vitandis, sed hoc non nisi *pauperi*, id est illi qui nil amat in transitoriis et quantum est cum qui judex est esse refugium pauperi, qui nihil mundi cupit ? Et ipse est etiam *adjutor* in agendis bonis. In quibus est adjutor et refugium ; *in opportunitatibus*, id est in his in quibus opus est. Deinde exponit opportunitates, scilicet *in tribulatione* posito est adjutor et refugium. Dulce auxilium et refugium est, quod in necessitate datur. [Cassiod., Aug.] Tribulationes bene dicit opportunitates, quia non opportunius avellitur homo a sæculo, nisi his voluptatibus nugatoriis et perniciosis labores et dolores misceantur.

VERS. 10. — « Et sperent in te qui noverunt no« men tuum, quoniam non dereliquisti quærentes « te, Domine. »

Et sperent, [Gl. int.] quasi dicat : Et quia refugium es et adjutor, ideo, o Domine, *sperent in te*, non in sæculo, *qui noverunt nomen tuum* [Aug..] Quod faciunt, cum desinunt sperare in rebus sæculi : tunc enim illos aversos sæculo et quærentes ubi figant spem, excipit cognitio nominis Dei. Nomen autem scitur, cum illi cujus est nomen cognoscitur. Nomen autem Dei est Dominus Unde : *Qui ascendit super*

A *occasum, Dominus est nomen illi* (*Psal.* LXVII). Quod nomen bene novit, qui libenter ei ut Domino servit. Vel nomen Dei est : *Qui est*. Unde Dominus dicit ad Mosen ; *Ego sum qui sum. Et hæc dices filiis Israel : Qui est, misit me ad vos* (*Exod.* III). Quod nomen recte intelligit, qui spem non ponit in rebus his, quæ temporis volubilitate præterfluunt, nihil ferme habentes, nisi erit et fuit, quoniam quod in illis futurum est, cum venerit, sit statim præteritum, et exspectatur cum cupiditate, et amittitur cum dolore, non tenetur cum certitudine. Et ideo nemo speret in transitoriis, sed in eo, cujus essentia non novit præteritum vel futurum, *quoniam non dereliquisti*, [Aug., Gl. int.] quasi dicat : Vere adjutor es et refugium, quoniam non dereliquisti, etsi ad horam B videtur, *quærentes te, Domine*, cum quo nemo potest quærere transitoria : Nemo enim potest duobus dominis servire (*Math.* VI).

PARS II. VERS. 2. — « Psallite Domino qui habitat « in Sion ; annuntiate inter gentes studia ejus. »

Psallite Domino, [Aug.] Secunda pars, ubi fideles provocat ad laudem Propheta, respiciens beneficia præsentis temporis et futuri, quasi dicat, et quia Dominus non dereliquit quærentes se, ergo, o vos quos quærentes non dereliquit, *psallite Domino*, [Hier.] id est laudate Dominum, eum prædicando, et opere quod prædicatis implendo. Domino dico. *Qui habitat in Sion*, id est in præsenti Ecclesia, [Aug.] quæ nunc per speculum contemplatur Deum. Sicut enim Jerusalem, quæ interpretatur *visio pacis*, signi- C ficat supercœlestem Ecclesiam, ita Sion gestat imaginem Ecclesiæ, quæ nunc est. Quia Sion interpretatur *speculatio*, quæ modo agitur, ut perveniamus ad pacis visionem, id est de Sion in Jerusalem. Quælibet autem studiosa speculatio it in errorem, nisi Dominus in ea habitet, *annuntiate inter gentes studia ejus*, quæ habet erga suos. Quæ sunt illa ? Hæc, scilicet :

VERS. 12.— « Quoniam requirens sanguinem eorum » recordatus est ; non est oblitus clamorem pau» perum. »

Quoniam ipse *requirens* ultionem, quam exercet contra occisores, *sanguinem eorum recordatus est*, ipsorum occisorum consolando eos, et glorificando. D Vel ita : Annuntiate inter gentes studia ejus, [Hier., Aug.] id est mandata ejus, in quibus studendum est. Sed, quasi dicant qui missi sunt evangelizare : Nemo credit nobis, sed occidimur, respondet : Non sine fructu **20** æternitatis occiduntur missi a Christo. *Quoniam* Dominus *requirens* ultionem, id est *sanguinem eorum* in judicio futuro, ubi pœna occisori, et gloria occiso erit, *recordatus est* suorum, glorificando eos et consolando, et in terrores puniendo. Recordatus autem dicit, non quod oblivio cadat in Deum, et post oblivionem memor fiat, sed quia post longum tempus futurum est judicium : et dicitur hoc secundum affectum infirmorum, qui oblitum putant, quia non tam cito fit ut volunt. Quibus etiam addit, *et non est oblitus clamorem pauperum*, quasi dicat,

dixi, Recordatus est, per quod videtur fuisse oblitus, imo non est oblitus clamorem pauperum, ut putatis. Et si dixi, recordatus, hoc dicit contra querentes, qui pro dilatione putant Deum oblitum. Quis autem fit ille clamor pauperum, ostendit :

Vers. 13. — « Miserere mei, Domine, vide humi- » litatem meam de inimicis meis. »

Miserere mei, etc. [Gl. int.] Ecce ille clamor. Unus pro omnibus loquitur, etc., in sua persona dicit quod unusquisque petit, sic inquam : Miserere mei, *Domine, vide* contuitu misericordiæ *humilitatem meam.* Aspectus Dei, auxilium est, qui, cum sit lux, tenebras fugat serenans mentem. Et est sensus : Vide humilitatem, id est adjuva humilitatem meam, quæ, quanta sit, æstimatur, *de inimicis meis*, de superbia quippe inimici æstimatur humilitas patientis, quia tantum hi humiliantur quantum illi extolluntur. Tu, dico, vide.

Vers. 14. — « Qui exaltas me de portis mortis » ut annuntiem omnes laudationes tuas in portis fi- » liæ Sion. »

[Aug., Cassiod.] *Qui exaltas me*, id est longe me facis, *de portis mortis*, id est ab omnibus pravis cupiditatibus, quibus itur ad mortem. Mors autem est ipsa lætitia, quæ jam habetur in hac vita in perfruendo cupitis. Unde Apostolus : *Vidua, quæ in deliciis vivit, mortua est.* [*I Tim.*, v.] Ad quas delicias per cupiditates tanquam per portas mortis venitur. A quibus ideo me elongas, *ut annuntiem omnes laudationes* [Gl. int., Aug.] Quia, quidquid dico, laudatio Dei est. Annuntiem dico, ego existens et existentibus, *in portis filiæ Sion*. Portæ filiæ Sion sunt optima studia per quæ venitur in sancta Ecclesia ad visionem pacis, ubi non erit aliquid quasi nondum sit, nec fuit, quasi jam non sit ; sed est tantum id quod est, et ipsa est æternitas. In his ergo portis bene annuntiantur omnes laudes Dei, ut petentibus detur sanctum, et non canibus (*Matth.* vii), qui malunt pertinaciter latrare quam studiose quærere. Et sunt hæ portæ contra prædictas portas. Illæ namque sunt portæ mortis, hæ portæ vitæ. Filia vero Sion est Ecclesia, Sion enim omnes Ecclesias generavit mundi, quia ibi natus est Christus, unde fides incepit. Vel portæ mortis sunt corporei sensus, a quibus exaltantur qui quærunt, non quæ videntur, sed quæ non videntur. Et portæ filiæ Sion sunt sacramenta, et initia fidei, quæ pulsantibus aperiuntur, ut perveniatur ad occulta, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit (*I Cor.* ii). Et est sensus : Exaltas me de portis mortis, id est ab appetitu temporalium quinque sensibus subjacentium. Ad quid ? Ut annuntiem omnes laudes tuas his qui sunt in portis filiæ Sion, id est in sacramentis et initiis fidei. Aliter. [Hier., Gl. int.] Portæ mortis sunt hæretici, vel eorum dogmata. Portæ vitæ sunt, prophetæ, apostoli et eorum doctrina, qui per bonam doctrinam ad vitam ducunt, sic hæretici per malam doctrinam trahunt ad interitum. Et est : Qui exaltas me de portis, mortis, id est a doctrina hæreticorum ;

A et collocas me in portis filiæ Sion, id est in prophetis et apostolis, id est in doctrina prophetarum et apostolorum, ut ibi annuntiem omnes laudes tuas.

Vers. 15. — « Exsultabo in salutari tuo, infixæ » sunt gentes in interitu quem fecerunt. »

Exsultabo. [Aug., Alcuin.] Hucusque fuit clamor pauperum, quem non obliviscitur Deus : inde dicit Ecclesia, quæ affligitur, se gaudere, et asserit se salvari, dicens : Exsultabo. Quasi dicat : Quia exaltas me de portis mortis : ideo, *exsultabo in salutari tuo,* id est in Jesu Christo. Spe enim jam salva est Ecclesia. Ego exsultabo sed, *gentes*, volentes occidere corpora sanctorum *infixæ sunt in interitu* animæ quibusdam clavis peccatorum confixæ,
B id est moriuntur in anima. In interitu, dico, *quem fecerunt.* [Aug., Cassiod.]. Pœna enim cuique est sua iniquitas. Deinde, quomodo suis peccatis quique constringantur, ostendit dicens : Et

Vers. 16. — « In laqueo isto quem absconderunt, » comprehensus est pes eorum. »

[Aug.]. *In laqueo isto* etiam, *quem absconderunt*, id est in fraude quam tegunt, *comprehensus est pes eorum*, id est affectus eorum. Laqueus occultus est dolosa cogitatio ; pes animæ amor est. Qui si pravus est, dicitur cupiditas vel libido ; si rectus est, dicitur charitas : amore enim movetur anima, quasi ad locum quo tendit, id est ad delectationem bonam vel malam, quo se pervenisse per amorem lætatur. In laqueo ergo isto
C quem absconderunt, id est in fraudulento consilio, pes eorum, id est amor qui per fraudem venit ad vanam lætitiam, comprehensus est, quia illa delectatio alligat eos, ut inde abrumpere amorem, et ad utilia vertere non audeant. Si enim conentur, dolor est deserere quæ delectant, et ille dolor non sinit abscedere. Et hæc fiunt occulto Dei, judicio quo nunc judicat. Unde subdit : Et

Vers. 17. — « Cognoscetur Dominus judicia » faciens in operibus manuum suarum comprehen- » sus est peccator. »

Cognoscetur Dominus. [Gl. int.] Hic a suis, *faciens judicia*, vera, secernens, scilicet hic, merito non loco, malos a bonis. Deinde, quomodo crucientur mali hic et quæ judicia faciat, ostendit subdens,
D *in operibus manuum suarum*. Quasi dicat : Hæc sunt judicia quæ facit, scilicet, *peccator comprehensus est in operibus*, etc., quod, qui non a Deo procedit, quo cruciat eos, sed ab eis quia ipsa peccata sunt eis crucitatus et tormenta. Deinde non optando, sed prædicendo subditur :

Pars iii. Vers. 18. — « Convertantur peccato- » res in infernum ; omnes gentes qui obliviscun- » tur Deum. »

Convertantur. Tertia pars secundum Augustinum et est hic canticum diapsalmatis, id est in hac tertia parte est diapsalma, ubi est et canticum, scilicet quasi occulta lætitia separationis, id est de separationis quæ hic fit inter bonos et malos,. non

loco sed affectu. Horum ergo separationem prædicens Propheta, ait, *convertantur peccatores in infernum*, id est illaqueentur delectatione mortifera. Et quos dixerit peccatores, aperit, scilicet *omnes gentes quæ obliviscuntur Deum*. Quasi dicat : Sicut non probaverunt Deum habere in notitiam sui, ita det illos Deus in reprobum sensum. Vel de futuro judicio potest accipi totum ab illo loco, cognoscetur. [Cassiod.] Quasi dicat : Hic comprehensus est pes eorum in laqueo, et in futuro damnabuntur. Quia cognoscetur in futuro judicio ab omnibus Dominus faciens vera judicia, quando secernet etiam loco malos a bonis. Inde scietur Dominus vera judicia facere quia comprehensus est peccator in operibus manuum suarum, id est peccator suis operibus constringetur, non eorum memoria tantum punietur, ut quidam falso putant, sed pro qualitate operum, damnatus pœnis exterioribus.

Convertantur. Tertia pars secundum Cassiodorum, ubi peccatoribus cum Antichristo finem malorum prædicit. Quasi dicat : Hoc interim est quod gentes infixæ sunt in interitu, et pes comprehensus est in laqueo ; sed tandem convertantur, id est convertentur peccatores, ne in suis voluptatibus gaudeant. Convertentur, dico, in infernum, ne alibi mittendos se putent, scilicet omnes gentes quæ obliviscuntur Deum.

VERS. 19. — « Quoniam non in finem oblivio « erit pauperis ; patientia pauperum non peribit in » finem. »

Quoniam non in finem. Quasi dicat : Non est oblitus Deus clamorem pauperum et vere, [Aug.] *quoniam oblivio pauperis non est* apud Deum *in finem*, vel fine, id est pauper non erit in fine in oblivione ; et si hic videtur, cum mali florent felicitate sæculi, et justi laborant. In fine mundi non contemnentur pauperes : et hoc propter patientiam. Unde subdit ; *et patientia pauperum non peribit in finem*, et propter hoc præcipue memor erit Deus pauperis, scilicet, propter patientiam, qua modo opus est ad ferendos malos, qui jam separati sunt voluntatibus, donec finaliter, id est in ultimo judicio, separentur localiter. De quo judicio subdit.

VERS. 20. — « Exurge, Domine, non confortetur « homo, judicentur gentes in conspectu tuo. »

Exurge, Domine. [Cassiod] Precatur hic futurum judicium Propheta. Loquens enim de fine sæculi prospexit cordis illuminatione adventum Antichristi. [Gl. int.] Unde quasi territus exclamat, exsurge, Domine. Quasi dicat : Dico quod non peribit patientia pauperum. Ut autem non pereat, exsurge, Domine, ad judicandum, *et non confortetur*, [Cassiod.] id est non prævaleat super eos, *homo* purus, non Deus sicut finget ; sed ante, *judicentur gentes*, id est per eum præcipitentur in peccatum. Et hoc quod dicitur de Antichristo est in

A conspectu tuo, [Aug.] id est in occulto, quod pauci sancti et justi vident et intelligunt. Et o.

VERS. 21. — « Constitue, Domine, legislatorem « super eos, ut sciant gentes quoniam homines sunt. »

[Gl. int., Hier., Aug.] *Domine*, quia te et legem tuam noluerunt. *Constitue* Antichristum, legislatorem, pravum *super eos*, id est in ruinam eorum, [Gl. int., Aug.] et sic *gentes*, id est in gentiliter viventes, *sciant*, id est cruciati experiantur, *quoniam homines sunt*, id est quod stulti fuerunt. Quasi dicat : Quia nolunt esse filii hominis, id est novi, sint homines veteres, veteri homini, id est peccatori servientes.

PARS IV. VERS. 22. — « Ut quid, Domine, recessisti longe ; despicis in opportunitatibus in tribu-
B « latione. »

Ut quid, Domine. [Cassiod., Alcuin]. Quarta pars. Ubi mala illius temporis pertractat, quorum nimietate permotus dicit Deo : Ut quid, Domine, etc. [Aug.] Quia enim illi licebit tanta facere, ut Deus putetur, subdit quasi vocem gementium et querentium de dilatione judicii, dicens : Ut quid, etc., quasi dicat, gentes judicentur, sed a tuis, o Domine, ut quid, id est, cur *recessisti longe*. [Cassiod.] Hoc videtur, dum tardat subvenire. Hoc autem quærit Propheta ut simplices sanctos doceat : et mox quasi subito intellexerit, vel quasi sciens ut doceret quæ scierit, solvit subdens, *despicis*, etc. [Aug., Cassiod,] Quasi dicat : Ecce cur recessisti longe, quia despicis *in* opportunitatibus, id est,
C opportune despicis et sinis tribulari. Despicis dicit, secundum hoc quod videtur gementibus ; dum differtur, vel, id est saltem modico tempore auxilium sed opportune id facit, ita scilicet quod.

VERS. 23. — « Dum superbit impius, incenditur « pauper ; comprehenduntur in consiliis quibus « cogitant. »

Dum superbit impius, incenditur pauper ; [Aug., Alcuin., Cassiod.] quasi dicat : Hoc consilio despicis, et tribulari sinis, ut incendatur pauper, desiderio tui adventus, quia dum superbit impius, pauper spiritu incenditur amore Dei. Vel, incenditur, id est purificatur ; fornax enim tribulationis ligna vitiorum cinerat et aurum virtutum purgat ; vel malos vitiat, bonos purificat. [Aug.] Ex his liquet
D quod mire providentia Dei de mali operatur. Comparatione namque peccantium boni magno studio bonæ spei accenduntur ad recte vivendum, sicut et per hæreses crescit, et gratior est cognitio veritatis. Et ipsi impii *comprehenduntur in consiliis*, id est in cogitationibus *quibus cogitant* comprehendere sanctos. Malæ enim cogitationes sunt ejus vincula. Et quasi quis quæreret cur hæc sunt malis, respondet.

VERS. 24. — « Quoniam laudatur peccator in de« sideriis animæ suæ, et iniquus benedicitur. »

Quoniam laudatur, etc. Quasi dicat : Ideo superbit impius, vel comprehenditur, quoniam *peccator*

qui in se peccat, *laudatur* **21** a suis non corrigi- A tur, *in desideriis animæ suæ* id est impletione desideriorum sensualitatis suæ. [Cassiod,, Alcuin.] Hæc est magna ira Dei, ut desit correctio, et adsit adulatio. [Gl. int., Aug., Alcuin.] Adulantium linguæ alligant animas in peccatis. [Cassiod. Gl. int.] Delectat enim hominem ea facere in quibus non solum non metuitur reprehensor, sed etiam auditur laudator. Unde subdit, *et iniquus,* quod est nocendo aliis, *benedicitur*, quasi Deus. Et per hoc peccator, scilicet Antichristus.

Vers. 25. — « Exacerbavit Dominum peccator, « secundum multitudinem iræ suæ non quæret.»

Exacerbavit Dominum, [Hier.] id est verum Deum in iram provocavit, ut ab eo puniatur. Vel ita dixi quod peccator laudatur in desideriis, et hoc utique meruit, quia *peccator*, scilicet Antichristus, exacerbavit, vel irritavit Dominum, ut hæc patiatur, [Aug.] d est correctionis flagella, ab eo suspendantur. iAdeo exacerbavit, quod Antichristus *non quæret* Deum *secundum multitudinem iræ suæ* Antichristi, [Cassiod.] qui omnia turbulente, et crudeliter faciet. Vel Deus qui solet alios quærere, et a malis revocare. Non quæret eum, [Aug.] id est non attendet peccata ejus, ut hic ulciscatur, in futuro gravius puniturus. Et hoc *secundum multitudinem iræ suæ,* id est Dei. Et hoc ideo, quia Deus est multum ei iratus dum per fraudes et scelera ad divitias et honores pervenire sinit. Magna enim ira Dei est, quando peccantem non corripit, sed vagam licentiam in peccatum ruendi permittit. Unde ad peccantem Synagogam dicit : *Recessit a te zelus meus. Non visitabo super filias tuas et uxores cum fornicatæ fuerint* (*Ose* IV.) Et tanta est ira Dei, vel nequitia ipsius Antichristi, quia

Vers. 26 — « Non est Deus in conspectu ejus, « inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore.»

Non est Deus in conspectu ejus.[Aug.]Magnum est malum luce veritatis deseri, cum magnum malum putent homines esse oculorum corporalium cæcitatem, qua lux ista retrahitur. [Aug., Alcuin.] Nequitiæ autem suæ est causa, quod Deum non habet ante oculos suos. Et ideo *viæ illius*, id est cogitationes, et consilia, et opera, *inquinatæ sunt,* id est sordent *in omni* suo *tempore,* id est omni tempore vitæ suæ. Vel, in omni tempore, id est ad D comparationem omnium, qui fuerunt in aliquo tempore. Quod inde procedit, quia, o Deus,

Vers. 27. — « Auferentur judicia tua a facie ejus, « omnium inimicorum suorum dominabitur. »

Auferentur judicia tua a facie ejus, id est, putat quod Deus non judicet, quia enim differtur judicium non putat se puniendum. Et ideo etiam inquinatæ sunt *quia omnium inimicorum suorum dominabitur.* Dicitur enim omnes reges superaturus, ut solus regnet et sedeat in templo Dei, extollens se supra omne quod colitur, et dicitur Deus (*II Thess.* II). Et quia per nefarias et malas artes ad illud inane culmen dominationemque veniet, addit :

Vers. 28, — « Dixit enim in corde suo : Non « movebor a generatione in generationem sine « malo. »

Dixit enim in corde suo, [Gl. int.] quasi dicat : Vere dominabitur, quia per malas artes. Dixit enim in corde suo, id est apud se, extra, alia dicit, ut bonus videatur. Quid dixit ? *Non movebor a generatione in generationem sine malo,* [Aug.] id est fama mea non transibit de hac præsenti generatione ad posteros, nisi malis artibus tale culmen et tam excelsum principatum consequatur, de quo posteri tacere non possint. Animus enim perditus et expers bonarum artium, atque a justitiæ lumine alienus ; malis artibus sibi aditum molitur ad famam tam diuturnam, ut apud posteros etiam celebretur. B Et qui non possunt bene innotescere, cupiunt vel male de se homines loqui, dummodo nomen eorum latissime pervagetur. Vel ita, dixit, ego movebor a generatione mortali, in generationem immortalem ; sed non sine malo, id est non sine malis artibus. Putabit enim Antichristus se malis artibus, et non aliter venturum cum corpore de mortali generatione, in æternam ; de terra in cœlum : quod et Simon Magus putavit, cum sceleratis artibus cœlum se arbitratus est adepturum, et de humana generatione in divinam artibus magicis transiturum. Vel ita, movebitur a generatione in generationem, id est omnes gentes occupabo, sed non sine malo, id est sine peccato, quod ei proprium est. [Cassiod., Alcuin.] Vel ita, Ego non movebor, hic distingue, C id est non inquietabor, sed potius, a generatione præsenti tendens, in generationem futuram semper ero sine malo, [Rem. et Alcuin.] id est sine inquietatione. Deinde exsequitur ejus malitiam, dicens :

Vers. 29. — « Cujus maledictione os plenum est et « amaritudine et dolo : sub lingua ejus labor et do- « lor. »

Cujus maledictione, etc. [Gl. int.] Quasi dicat : Hoc sibi permittit ille *cujus maledictione os plenum est,* id est blasphemiis et contumeliis. [Aug.] Bene intra os ejus dicitur esse maledictio, non extra, quia effectu caret. Valebit enim tantummodo ad eum perdendum, et non nocebit electis. Et os ejus plenum est *amaritudine,* id est amaris verbis, et minis *et dolo,* [Aug. et Cassiod.] id est blanditiis, quia amaritudine et dolo, id est ira et insidiis alios convertet. Et *labor,* id est iniquitas *et dolor,* id est pernicies, quem inde sequetur, est *sub lingua ejus,* non in lingua, quia tacite apud se ista cogitabit. Aliter extra loquetur hominibus, ut justus videatur. [Cassiod.] Vel sub lingua ejus labor et dolor, id est cogitationes ejus sunt de labore sanctorum, et dolore corporeo, quia cogitabit qualiter sanctos affligat, et occidat : quod in martyribus ab eo et a suis occisis patet. Vel, labor sanctorum, et dolor, qui est extra in pœnis corporis, est sub lingua ejus, id est sæculorum est lingua ejus quæ intus in anima nocet illa extra, [Alcuin.] quia verba

ejus plus timebuntur et nocebunt, quibus præcipitabitur anima, quam verbera. [Cassiod.] Deinde comparat eum latroni, qui occultas insidet vias, ut interficiat innocentes, dicens :

Vers. 30. — « Sedet in insidiis cum divitibus in « occultis : ut interficiat innocentem. »

Sedet. [Rem. Aug.] Quasi dicat : Cum mora *in insidiis cum divitibus* hujus sæculi, quos ditabit, et muneribus cumulabit, quorum falsam felicitatem, ad alios decipiendos, ostentabit. Insidiis dico positis *in occultis*, id est, in ambiguis, ubi non facile intelligitur quid appetendum sit, quidve non. Ad quid ibi sedet ? *ut interficiat innocentem* ex innocenti, faciendo nocentem. Deinde exponit insidias ejus, dicens :

Vers. 31. — « Oculi ejus in pauperem respiciunt ; « insidiatur in abscondito quasi leo in spelunca « sua. »

Oculi ejus respiciunt. [Alcuin. Cassiod.] Quasi dicat, misericordia et affectu *in pauperem.* Vel alios sic decipit, quia oculi ejus respiciunt crudeliter in pauperem spiritu. [Aug.] Quia justos et pauperes spiritu, quorum est regnum cœlorum, maxime persequetur. Et ipse *insidiatur in abscondito* quia ille nescit qui decipitur. Ipse dico, existens *quasi leo* propter vim *in spelunca sua,* scilicet propter dolum [Gl. int. Aug.] Recte comparatur leoni existenti in spelunca, quia in eo vis et dolus operabitur, vis, in imperio ; dolus, in miraculis. Hæc est tertia persecutio, composita ex vi et fraude. Duæ enim sunt ante persecutionem Antichristi. Prior fuit violenta, cum martyres proscriptionibus et tormentis et cædibus agebantur, ut sacrificarent idolis. Altera est fraudulenta, quæ nunc fit per hæreticos et falsos fratres ; illa vero erit violenta et fraudulenta. Vis per leonem ; dolus per speluncam intelligitur. Quæ duo in Antichristo erunt. Deinde ejus intentionem exponens de utroque scilicet dolo et vi, repetit :

Vers. 32. — « Insidiatur ut rapiat pauperem : « rapere pauperem, dum attrahit eum. »

Insidiatur. Quasi dicat : Ad quid insidiatur ? Aug.] Ecce *insidiatur ut rapiat* dolo *pauperem.* Ecce dolus [Gl. int.] Item insidiatur *rapere* violentia *pauperem, dum attrahit eum* ad se cruciatibus. Vel econverso potest dici, ut prius de vi, postea de dolo agat, hoc modo : Insidiatur ut rapiat pauperem vi. Item, Insidiatur ut rapiat pauperem dolo, dum blanditiis attrahit eum ad se, quod tamen non minus est rapere. Deinde apertius de illis duobus subdit, et prius de dolo, dicens :

Vers. 33. — « In laqueo suo humiliabit eum ; in« clinabit se, et cadet cum dominatus fuerit paupe« rum. »

In laqueo. [Aug., Gl. int.] Ecce dolus. *Suo,* scilicet qui sibi sit. Vel in muscipula sua. Non quidem intercipiet, ut cadat in anima, sed *humiliabit eum* pauperem. [Aug.] Quia quanta mirabiliora signa faciet, tanto ei sancti contrarii magis contemnentur,

A et pro nihilo habebuntur ; sed inclinabitur et cadet cum sanctis supplicia intulerit : Unde subdit : *Et inclinabit se et cadet.* [Cassiod.] Cum enim nimia felicitate in otium remiserit animum, cadet repentino interitu. Cadet dico, *Cum dominatus fuerit pauperum.* Ecce vis. [Aug.] Ut enim muscipula bene signat insidias, ita dominatio terrorem apertissime insinuat. Et merito cadet.

Vers. 34. — « Dixit enim in corde suo : Oblitus est « Deus ; avertit faciem suam, ne videat in finem. »

Dixit enim, etc. Vel ita continua, vere inclinabitur et cadet. [Gl. int.] Quia hoc modo, *dixit enim in corde suo.* Oblitus est Deus pauperum, ut eos salvet. Vel, oblitus est Deus mei ad puniendum. [Aug.] Hoc autem putare, scilicet se impunitum,
B inclinatio est et casus. Item dixit, *avertit faciem suam* Deus *ne videat* me vel illos. Usque *in finem,* id est in die judicii. [Gl. int.] Vel avertet faciem suam ne videat in finem, id est ne videat ea quæ in terra et in mundo aguntur. [Aug.] In finem negant Deum videre, qui dicunt eum non curare humanas res, quia terra finis est rerum, et ultimum elementum, in quo nihil agitur sine ordine ; sed homines eum non vident, quoniam pertinet ad occulta filii. Laborans ergo Ecclesia illo tempore, quasi navis in magnis fluctibus et procellis velut dormientem excitat Dominum, ut imperet ventis et tranquillitas veniat, dicens :

Pars v. Vers. 35. — « Exsurge, Domine Deus, et « exaltetur manus tua, ne obliviscaris pauperum. »

C *Exsurge, Domine.* [Cassiod. Alcuin.] Quinta pars in qua precatur judicium, ut hæc cito finiantur quæ tanta sunt, ut nemo velit tempus quo hæc fiunt dilatari. [Cassiod., Aug.] Quasi dicat : Talia dicet Antichristus et faciet. sed o Domine *Deus,* jam *exsurge,* id est, cito veni, et manifesta tuam potentiam. Jam de vindicta agitur contra Antichristum. *Et exaltetur manus tua,* id est potentia et judicium. [Hier.] Et *ne obliviscaris pauperum,* ut putat Antichristus et complices sui, dicentes : Avertit faciem suam, etc. [Aug.] Jam itaque de judicio illo Ecclesia intelligens et exsultans, dicit :

Vers. 36. — « Propter quid irritavit impius « Deum : dixit enim in corde suo : Non requiret. »

Propter quid irritavit impius Antichristus *Deum,*
D id est quid profuit ei tanta mala facere ? Dico irritavit, et vere *dixit enim in corde suo :* Non est Deus, [Rem., Cassiod.] non credens Deum punitorem. *Non requiret* Deus quæ facio. Ita dicit Antichristus, sed, o tu Deus :

Vers. 37. — « Vides quoniam tu laborem et do« lorem consideras ; ut tradas eos in manus tuas. »

Vides, id est, nosti *ut,* id est qualiter, *tradas eos,* scilicet Antichristum et complices suos *in manus tuas,* id est in vindictas tuas. [Hier.] Quare ? *Quoniam tu laborem et dolorem consideras,* quem infert sanctis. De quo supra dictum est, sub lingua ejus labor et dolor, quod putant 22 Deum nescire, sed vere scit. Vel ita ; Dixit in corde

suo, non requiret. Et vides quoniam tu laborem et dolorem, vel iram consideras, ut tradas eos in manus tuas. [Aug.] Solent enim homines interdum non sumere vindictam de universis sibi illatis, quia timent laborare, vel irasci : sic et iste impius de Deo putat quod non valeat Deus tot mala punire sine labore et ira. Sensus autem iste pronuntiationem quærit, in qua, si erratum fuerit obscuratur. Sic enim dixit impius : Non requiret Deus, quasi Deus laborem et iram consideret, ut tradat eos in manus suas, id est quasi laborare et irasci timeat. Et ideo parcat eis, ne puniendo eos laboret, et turbetur ira sicut aliquando faciunt homines, dissimulata vindicta ne laborent vel irascantur. Et est sensus. Dixit Antichristus : Non requiret Deus mala quæ facio. Et dixit quod tu, o Deus, vides, id est, sustines mala, et impunita dimittis. Ideo quoniam tu laborem et dolorem, vel iram consideras, ut tradas eos in manus tuas, id est, quia times laborare et irasci, si eos punias. Sed nunquid times hoc? absit!

VERS. 38. — « Tibi derelictus est pauper; orphano « tu eris adjutor. »

Tibi derelictus. Quasi dicat : Ne obliviscaris pauperum, nec debes, quia, tibi derelictus est pauper. [Aug.] Ideo enim pauper est, omnibus hujus mundi, temporalibus relictis, ut tu tantum sis spes ejus. Et *tu*, non alius, *eris adjutor orphano,* cui moritur pater mundus, per quem carnaliter est genitus, ut dicat : *Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo* (*Gal.* VI). [Alcuin.] Et nota quia pœnis terret, bonis demulcet. Et quia tibi derelictus est pauper, ergo.

VERS. 39. — « Contere brachium peccatoris et « maligni : quæretur peccatum illius, et non invenietur. »

Contere brachium peccatoris et maligni, [Aug., Gl. int.] id est potentiam illius pessimi, qui peccator est in se, et malignus in alios, vel peccator in vi, et malignus in fraude. Deinde quod oravit, affirmat *Quæretur peccatum illius,* id est judicabitur de peccato suo, *et non invenietur,* [Rem., Alcuin.] id est et ipse peribit, propter peccatum suum. Vel, [Aug.] Quæretur peccatum illius, an sit adhuc necessarium ad purgandos bonos, sicut ante. Unde supra dum superbit impius, incenditur pauper. Et non invenietur, tunc esse necessarium, quia jam non est in quo sit locus peccato illius, omnibus justis tunc purgatis, sicut plano ferro non est opus lima.

VERS. 40. — « Dominus regnabit in æternum et « in sæculum sæculi : peribitis gentes de terra illius. »

VERS. 41. — « Desiderium pauperum exaudivit « Dominus; præparationem cordis eorum audivit « auris tua. »

Dominus, autem, *regnabit in æternum et in sæculum sæculi.* [Cassiod., Aug.] Hoc regnum gratius erit pro præcurrentibus malis, quod veniet destructo Antichristo. Sed, vos *gentes,* id est peccatores omnes, qui sine lege Dei estis *peribitis de terra illius,* scilicet de terra viventium, id est ab hoc regno per-

A ibitis, sed pauperes habebunt, quia *Dominus exaudivit pauperum desiderium,* quo æstuabant in malis sæculi hujus, cupientes diem Domini. Deinde convertens sermonem ad Deum, ait : Et *auris, tua,* id est potentia qua audis, vel misericordia. [Aug.] Non enim corporeum membrum fas est in deitate accipere, sed nominatis membris quæ in nobis visibilia et corporea sunt, potentias operationum oportet intelligi. [Cassiod., Alcuin.] Auris, inquam, tua [*audivit præparationem cordis eorum,*] id est cor paratum servire, per patientiam exspectans. Vel secundum aliam litteram, audivit auris, inquam, tua præparationem, vel concupiscentiam cordis eorum, id est ardorem desiderii eorum, : quod est ubi omnibus viribus animæ aliquid ardentius petitur. Vel,
B audivit præparationem cordis eorum, id est hoc quod in cordibus eorum ipse Deus præparavit. Vel, præparationem cordis eorum audivit auris tua, id est quam statim volunt petere, Deus audit.

VERS. 42. — « Judicare pupillo et humili, ut non « apponat ultra magnificare se homo super terram. »

Judicare pupillo. [Aug.] Ecce desiderium pauperum. Eorum enim desiderium est te judicare, id est ut judices, Pupillo, non conformi sæculo, *et humili,* non superbo. Aliud est enim judicare pupillum, aliud judicare pupillo. Judicat enim pupillum, etiam qui condemnat. Judicat vero pupillo, qui pro illo profert sententiam. Et notandum quod hic memoratur secundus adventus ad judicium, qui manife-
C stus erit, cum iste psalmus de occultis filii agat, sicut titulus insinuat. Sed et ille adventus nunc inter occulta filii recte ponitur, quia de eo nemo scit, neque angeli, neque virtutes, neque Filius hominis. Non utique ad cognoscendum, sed ad prodendum nobis *ut non apponat,* [Gl. int., Cassiod.] Quasi dicat : Ideo desiderant ut judices, ut homo, scilicet, ille superbus Antichristus, qui est homo purus, non Deus, *non apponat ultra,* ut fecit in terra *magnificare se,* id est se magnum facere *super terra.* Tunc enim omnia mala finientur, cum homo, id est auctor malorum, eum sua plebe damnabitur.

COLLATIO IN PSALMUM IX, « CONFITEBOR. »

Quantum ad titulum, quem LXX verterunt, *pro occultis filii,* Rabini et versiones novæ pepererunt
D monstruosas et confusaneas interpretationes. Unus dicit, *super morte cujusdam inimici David, qui nuncupabatur Laben* : hic asserit metathesin, Laben, pro Nabal. Alius scribit nomen esse cantoris, Pratensis transfert *pro morte insipientis*; Pellicanus *ad victoriam juventutis filio.* Interpretes pro Cajetano, *super morte, filio*; Hieronymus autem, *super morte filii.* Sanctes et Munsterus reliquerunt Hebræum עלמות לבן ALMUTH. *Labben.* Si legatur unico vocabulo almuth potest significare occultum, ut acceperunt LXX a themate עלם ALAM, id est *abscondit;* si dividatur in duas particulas, *super morte,* ut vertit Hieronymus.

VERS. 4. — *Quoniam, fecisti judicium meum et causam meam.* Nescio quo motu verterit Pratensis *rigorem meum,* pro *causam meam,* cum omnes Hebræi, Græci et Latini, quos licuit videre, transfe-

rant causam meam. In Hebræo est דיני DINI. In Græco τὴν δίκην μού.

VERS. 6. — *Inimici defecerunt frameæ in finem.* Pratensis, Munsterus, Nebiensis, Sanctes, Campensis verterunt, *o inimice*, vocandi casu. Tamen Hieronymus et Pellicanus cum LXX ponunt genitivum. Deinde pro frameis Hieronymus dicit *solitudines*, reliqui pene *desolationes*, seu *populationes*, eodem sensu. Vocabula Hebraica חרבות HORABOTH est anceps ad gladios et desolationes. Unde Pellicanus et Pratensis traduxerunt frameæ.

VERS. 7. — *Periit memoria eorum cum sonitu.* Heb. cum ipsis. Unde ergo acceperunt LXX *cum sonitu?* Sed adverte LXX accepisse חמה HEMAH, non ut est pronomen, sed ut est nomen deflexum a radice חמה HAMAH, quod significat *sonare*, *fremere*, *tumultum facere*, quod liquet ex psalmo XLV : *Sonuerunt et turbatæ sunt aquæ eorum.* Pro sonuerunt, Hebr. legitur illud vocabulum. Ad quod videtur alludere Campensis paraphrasis, cum, inquit, admiratione transeuntium.

VERS. 17. — *In operibus manuum suarum comprehensus est peccator.* Hebr. addunt. הגיון HIGAION, quod significat meditatione : Septuaginta autem omiserunt, sicut et vocabulum SELAH, quod non est de contextu psalmorum סלה SELAH. Sed, ut scribit Hieronymus ad Marcellam, est diapsalma, quo animadvertimus superiora pariter inferioraque connecti, aut certe doceri sempiterna esse quæ dicta sunt.

VERS. 21. — *Constitue, Domine, legislatorem super eos.* Hieron. Sanctes, Munsterus, Campensis, *terrorem*, Pratensis, *jugum*; interpretes pro Cajetano *dominium*. Hoc provenit ideo quod vocabulum מורא MORAH potest deflecti a radice ירא IARE cum aleph in fine, significabitque *terrorem* : Vel a themate ירה IARAH per ht in fine, id est *docuit*, ut morah seu moreh sit *doctor*, seu *legislator*. Aleph autem et ht, apud Hebræos, sunt litteræ passim commutabiles.

VERS. 24. — *Quoniam laudatur peccator in desideriis animæ suæ, et iniquus benedicit*, Deinde subsequitur principium alterius versus apud nos et LXX : *exacerbavit Dominum peccator.* Hebræi codices, alia sectione revocant duo vocabula sequentis versus ; videlicet exacerbavit Dominum, ad priorem versum, et varie transferunt ; Hieronymus, *avarus applaudens sibi blasphemavit Dominum* ; Pratensis, *iniquus benedicit blasphemanti Dominum* ; Munsterus *benedixitque avarum, quem exsecratur Deus* ; Sanctes, *et avaro benedixit, irasci fecit Dominum* ; interpres pro Cajetano, *avarus benedixit*, *sprevit Dominum* ; Pellicanus, *avarus benedicit*, *blasphemat Dominum* ; paraphrasis Campensis, *Nec desunt qui adulenter ob spem prædæ illi* videlicet impio *tam manifeste blasphemo in Dominum* ; Nebiensis, *raptorem benedicens blasphemavit Dominum* ; Chaldæus, *Qui benedicit hominem raptorem*, *rejicit Deum*. Sed quo tandem divertemus ? Septuaginta legerunt ברוך BARUCH, id est *benedicitur* seu *benedictus*, et non ברך BERECH, *benedixit*, cum alia distinctione, ut fit propter rationem metrici carminis, quo Psalterium est numeratum, ut supra docuimus.

VERS. 26. — *Inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore.* Ob ambiguitatem vocabuli Hebraici חול HOL, vel חלל HALAL, oritur magna diversitas transferentium. Cum enim illæ radices significent *polluere*, *dolere*, *parere*, *prosperari*, Hieronymus et Nebiensis vertunt *parturient viæ ejus* ; Pratensis et Sanctes, *prosperabuntur*, sequentes Chaldæum interpretem. Munsterus, *molestæ sunt viæ ejus*, cui alludit Campensis. Editio tamen adhuc modum habet, *profanæ viæ ejus*, *more nostro* ; Pellicanus, *dolebunt viæ ejus* יחילו דרכו JAHILU DERACAU.

VERS. 30.—*Sedet in insidiis cum divitibus.* Pratensis, *in insidiis pagorum* ; Sanctes et interpres pro Casetano, *villarum* ; Munsterus, *vicorum* ; Pellicanus, *atriorum* ; Hieronymus, *vestibulorum* חצרים HATZERIM LXX legerunt per aleph אצרים HATZERIM a radice אצר ATZAR thesaurizavit. Vox est eadem præter aspirationem. Et certe facilis est transitus mutuus inter gutturales, quas vocant. De discrepantia antem exemplarium sæpe jam inculcatum est non otiose et amplius diluscescet.

VERS. 31. — *Oculi ejus in pauperem respiciunt.* Solus Hieronymus juxta Hebræos, quantum licuit videre, vertit, *in robustos tuos* לחלכא LEHELECACH. Unde liquet luce clarius Hieronymum per duas dictiones legisse, aut unam ex duabus conflatam, et priorem duxisse ab חיל HAIL, id est *robur*, alteram vero sumpsisse per CAPH *servile* non essentiale, sicut et idem facit versu 38, *tibi derelictus est pauper*, ubi transtulit, *Tibi derelinquuntur fortes tui.* Habemus in nostris Bibliis Hebraicis חלכה HELECA.

VERS. 33. — *Cum dominatus fuerit pauperum.* Heb. בעצומיו חלכאים BAATZUMAU HELCAIM. Hieronymus, *in viribus suis valenter*. Ubi Pratensis, *cadet in fortitudine ejus exercitus contritorum* ; Sanctes, *cadet cum fortibus ejus congregatio pauperum* ; Munsterus, *ut cadat in manu fortium ejus cœtus pauperum* ; Pellicanus, *dejiciet per fortitudinem suam depauperatos*. Alludit et Campensis. Hæ versiones referunt *cadet*, ad pauperum congregationem. Septuaginta ad personam Antichristi, quia interpretati sunt beth litteram servilem pro *quando*, veluti 𝕭 haud infrequenter accipiunt Hebræi et verbum substantivum suppleverunt, videlicet dum est exercitus pauperum seu insontium, in fortitudinibus nempe Antichristi. Quia vero id fuisset paulo subobscurius, extulerunt per verbum et participium, cum dominatus fuerit pauperum. Nec debet verbum verbo reddere fidus interpres. Hieronymus habuit oculum ad vocabulum, quasi compositum ex חיל HAIL, ut in superiori mox versu angebatur et כאה CAAH, id est *doluit* seu oppressus est, quia vertit valenter, In eodem versu Faber dicit in ista clausula, *Inclinabit se*, quod se debeat expungi, ex Græco et Hebræo, quod quam falsum sit manifestat radix שוח SCHOAH, id est *inclinavit se*, et professores Hebraismi haud dissentiunt. Sed et Græcum κύπτω significat seipsum inclinare.

VERS. 36. — *In corde suo non requiret.* Hebræi nunc legunt non requires in secunda persona לא תדרש LO TIDROS, cum tamen Hieronymus juxta Hebræum, vertat cum LXX in tertia persona, et licet eodem recidat intelligentia, tamen argumento est præter alia, quod Hebraica lectio respondens versioni Hieronymianæ non omnino sit germana etsi Germanica.

VERS. 39. — *Contere brachium peccatoris et maligni, quæretur peccatum illius et non invenietur.* Hieronymus, *contere brachium impii et maligni, quæres impietatem ejus et non invenies.* Idem sensus quem sequitur Munsterus, Nebiensis et Chaldæus interpres. Aliam distinctionem et intelligentiam faciunt Pratensis, Pellicanus et Interpres pro Cajetano. Primus sic, *contere brachium impii, et malum requires, impietatem ejus non invenies* ; secundus, *contere brachium impii, et malignum insequaris* ; tertius, *frange brachium impii, et malum quæres.* Sanctes addidit aliquid de suo, *quæres impietatem ejus, quam dixit, quod non invenies.* Perpendis quid et quatenus sibi permittant neoterici professores, nempe quidquid somniant.

VERS. 42. — *Ut non apponat ultra magnificare se homo super terram.* Nebiensis satis accedit, *ne apponat ultra superbire homo de terra* ; Pratensis, *Ut non pergat ultra conterere hominem ex terra.*

Accedit Sanctes, *ne addat impius, ut conterat hominem de terra*; seu ut interpres pro Cajetano, *non adjiciet ultra ad frangendum hominem a terra*. Hæc diversum faciunt sensum a nostro, licet eodem tendant. Hebræi autem non habent inflexionem casuum more Latinorum, ob id homo potest accipi, casu nominandi aut accusandi. Hinc Hieronymus vertit, *nequaquam ultra superbiat homo de terra*, quod non distat ab intelligentia nostræ editionis, ut id etiam innuat paraphrasis Campensis, *ne tentet amplius viribus suis fidere miserabilis homuncio prognatus e terra*. Munsterus secus, *et non adjiciat amplius grassari contra eos homo de terra*. Pellicanus, *ne addatur ultra consternari animo homo ex terra*. Ubi Munsterus refert hominem ad Antichristum aut tyrannum, Pellicanus ad pauperem. Et vocabulum. ARATZ, anceps est.

PSALMUS X.

PSALMI TITULUS : « IN FINEM PSALMUS DAVID. »

In Domino confido. Titulus, *In finem, psalmus David*. Agit hic Propheta de hæreticis, qui in Ecclesia putrida membra mentiuntur se Christum habere, atque ab unius Ecclesiæ veræ matris uberibus alios avertere atque abripere moliuntur, et ad se trahere volunt, affirmantes quod apud se sit Christus, et quasi pie studioseque admonentes, ut ad eos transeundo transmigremus in Christum. Quibus hic respondet Propheta, in persona alicujus fidelis, redarguendo eos et docendo, eis esse resistendum. Et est sensus tituli : *Psalmus* iste, dirigens nos, *in finem*, id est in Christum, est *David* prophetæ. [Cassiod.] Docentis resistere hæreticis. Quæ est intentio psalmi. Modus bipartitus est psalmus : Primo, de hæreticis agit, qui Catholicos in suam pravitatem volunt convertere ; secundo dicit : Quid utrisque det Deus, scilicet bonis et malis. Ibi, justus autem. Hæreticis ergo respondens, cum increpatione, ait :

VERS. 1. — « In Domino confido : quomodo dicitis « animæ meæ : Transmigra in montem sicut pas- « ser. »

In Domino confido. [Aug.] Quasi dicat : Unus mons est, scilicet Christus, in quo confido, quem teneo, qui est mons in vertice montium. *Quomodo* ergo *dicitis*. Ecce increpatio ; *animæ meæ*, quid ? *Transmigra in monte*, id est in Christum qui apud nos est, id est quomodo monetis, me transire ad vos, tanquam multi sint Christi ? Quasi dicat : Mirum est. Vos ita monetis, sed si hæc fecero, ero *sicut passer*, id est sicut avis, id est instabilis et levis sum, si transeo. [Cassiod., Rem.] Ponitur enim species pro genere. Vel ita : Dicitis animæ meæ : Transmigra in montes, alia littera, [Aug.] id est in nos, qui sumus montes. Montes vere sunt, per superbiam, non per humilitatem, ut justi. Et debes ad nos transire, quia tu es sicut passer, id est pennatus virtutibus, et præceptis. Sed hæc quæ obtenditis ut transeam ad vos, non sinunt me transire, quia si passer sum, habeo domum ubi requiescam, secundum illud : *Etenim passer invenit sibi domum (Psal.* LXXXIII). Sed quam domum ? Dominum, qui est refugium pauperi. Quomodo ergo dicitis, ut ad vos transeam ? Vel ita : Dicitis animæ meæ : Transmigra, a tuo imo, in montem, id est in eminentiam intellectus, quam nos habemus. Et ita eris sicut passer, qui in altis nidificat. Et quomodo hoc dicitis ? Quasi dicat : Hoc mirum est. Deinde fidelis, in cujus persona loquitur Propheta, convertens se ad alios, ait :

VERS. 2. — « Quoniam ecce peccatores intende- « runt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, « ut sagittent in obscuro rectos corde. »

Quoniam ecce. Quasi dicat : Aliquis diceret, quibus hoc dicis : et quare ? Respondet : [Gl. int.] Ecce peccatoribus hoc dico ideo, *quoniam ecce peccatores intenderunt arcum*, etc. Vel ita continua, ideo in Domino confido. Quoniam ecce quasi dicat, in evidenti est quod peccatores, [Hier., Rem.] id est hæretici intenderunt arcum, id est versus se, scilicet juxta voluntatem suam detorserunt Scripturam sacram ad vulnerandas animas simplicium. [Cassiod., Gl. int.] Vel, intenderunt arcum, id est in Scripturis sanctis subtilem, ut sibi videtur intellectum habuerunt, et alios remissum habere æstimant, *et paraverunt sagittas suas in pharetra* [Aug.] id est parata habent in corde suo verba venenosa. Ad quid ? *ut sagittent rectos corde in obscuro*, [Hier.] id est, in simplici sensu degentes. Vel, sagittent rectos corde in obscuro, id est in suis ambiguis et obscuris sententiis. Per arcum hoc faciunt, non quod Scriptura ad hoc valeat, id est non ex vitio Scripturæ, sed.

VERS. 3. — « Quoniam quæ perfecisti destruxe- « runt ; justus autem quid fecit ? »

Quoniam destruxerunt. [Cassiod., Rem.] Male exponendo, id est perverterunt ea, *quæ perfecisti*, id est Scripturas quas perfecte edidisti. Vel perfecisti, implendo in te, prædicta in Scripturis. Vel secundum aliam litteram : Ut sagittent in obscura luna rectos corde. Luna congrue significat Ecclesiam. Duæ enim sunt opiniones de luna, quarum quæ vera sit, quæ non omnino vel difficile sciri potest. Alii dicunt eam suum lumen habere, sed globum ejus dimidium lucere, dimidium obscurum esse. Dum autem partem illam quæ lucet paulatim ad terram convertit, ut videri possit, corniculata apparet ; et sic crescit donec tota illa pars videatur et dum iterum convertitur, obscura pars incipit apparere, donec nobis tota iterum auferatur. Hæc est Ecclesia, quæ ex spiritualium parte lucet, et ex carnalium parte obscura est, et spiritualis quidem pars, modo apparet hominibus per bona opera, modo latet in conscientia soli Deo nota, et solo corpore videtur. Sicut contingit cum oramus in corde, et quasi nihil agere videmur, cum tamen non terram, sed sursum corda dirigamus ad Dominum. Alii autem dicunt quod luna non habet lumen nisi a sole, sed quando est cum illo habet partem illam ad nos quæ non videtur ab eo, et ideo non lucet nobis ; sed cum recedit ab eo illustratur ab ea parte quam habet

ad nos, doneo, sole occidente, plena surgat ab oriente. Cum autem ex alias parte soli cœperit appropinquare, superior pars illuminatur, inferior obscuratur. Hoc idem bene convenit Ecclesiæ, quæ lumen non habet, nisi a sole justitiæ, id est Christo, qui in multis locis Scripturæ allegorice sol appellatus est. Quælibet ergo istarum duarum opinionum vera sit. Congruenter luna, allegorice Ecclesia accipitur. Si quis autem hæc obscuravit, et cum in his obscuritatibus magis negotiosis quam fructuosis animum exercere aut non libet, aut non vacat, aut animus ipse non valet, satis habet, omissis obscuris causis, attendere popularibus oculis incrementa et detrimenta lunæ, quæ si deficit ut renovetur, notat Ecclesiam, ubi creditur resurrectio mortuorum futura. Ecce qualiter luna significat Ecclesiam.

Nunc videndum est quomodo obscuritas lunæ obscuritatem Ecclesiæ significat. Obscura autem est, vel fit luna tribus modis vel cum menstruis cursibus finitur, vel cum ejus fulgor nubilo interpolatur, vel in eclipsi, ubi cruenta videtur. [Aug.] Similiter et Ecclesia fuit obscura, cum in initio fidei adhuc nova nondum terris major effulsit, vel cum nubibus blasphemorum tecta vituperatur, vel cum cædibus martyrum est cruenta. In his terroribus et obscuritatibus Ecclesiæ, iniqui dolosa verba jaculantur, ut rectos pervertant, quia sciunt hæc tempora decipiendis infirmis accommoda. Dicit ergo : Ut sagittent rectos corde in obscura luna, id est in obscuritate Ecclesiæ, quæ tribus modis obscuratur, ut supra dictum est. Vel obscura dicitur Ecclesia, dum filii ejus peccant, et imperiti et carnales multi in ea abundant, et tunc occasione obscuræ lunæ opprobria ingerunt iniqui hæretici Catholicis, eo quod talibus cohabitent, et a talibus sacramenta accipiant. Sed nihil timendum est confidenti in Domino. Timeat ille qui confidit in homine, qui tunc dicit sancta esse sacramenta, cum per sanctos dentur. Et est sensus : Ut sagittent rectos corde in obscura luna, id est cum senserint se non posse convinci, lumine Ecclesiæ obscurato, propter multos carnales et imperitos. Quoniam quæ perfecisti destruxerunt : hoc non mutatur. Vel ita ab illo loco : Quoniam ecce : et sunt hi terrores et verba hæreticorum comminantium nobis de peccatoribus, nisi ad se quasi ad justos transeamus. Dicunt enim : Debetis ad nos transire, quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, id est Scripturas carnaliter interpretantur. Et paraverunt sagittas suas in pharetra, id est venenata verba in corde. Ad quid ? Ut sagittent in obscuro rectos corde : hoc non mutatur a sententia primæ lectionis. Quamque perfecisti. Convertit fidelis sermonem ab istis hæreticis, quibus ante loquebatur, ad Deum. Quasi aliquis dicat : Cur dicunt tibi, transmigra ? cur de peccatoribus te terrent, cum tendunt sagittare rectos ? Respondet : Quoniam ea quæ perfecisti, id est laudem quam ex ore infantium perfecit Deus. Destruxerunt quantum in ipsis est, in suis conventibus ubi parvulos qui

A erant lacte nutriendi fidei, vanis et scrupulosis quæstionibus sagittant, vel exagitant, et venenis pravorum dogmatum necant, quibus quasi nituntur efficere ne laudetis. [Cassiod.] *justus autem*. Secunda pars ubi dicit qui utrisque det, scilicet bonis et malis, et minatur judicium, cujus timore saltem deserant falsitates, quasi dicat, ita hæretici nos offendunt et turbant. Justus autem, id est Christus *quid fecit ?* secundum utramque partem, scilicet bonorum et malorum, [Aug.] quasi dicat : Si hæretici offendunt, nonne Christus pacem dat vobis ? Qui dicit : *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis* (*Joan.* XIV). Dat utique pacem, quam hæretici nefanda dissensione violant. Christus vero tantam pacem exhibuit, quod etiam traditorem suum Judam mira
B patientia toleravit, et ad prædicandum regnum cœlorum cum aliis apostolis misit. Et ei sicut in cæteris eucharistiam dedit, quam ante traditorem suum **24** et diabolum nominavit. Cui prædicta ideo contulit, ut ostendere dona Dei ad eos pervenire qui fidem accipiunt, etiam si talis sit per quem accipiunt, qualis Judas fuit. [Alcuin.] Et nota quod hac interrogatione invitat utrosque ad solutionem, quæ est ibi.

VERS. 4. — « Dominus in templo sancto suo, « Dominus in cœlo sedes ejus. »

Dominus in templo sancto, ubi ostendit quid faciat bonis ; et ibi pluet super peccatores, ubi dicit quid faciat malis. Prius ergo ostendit quid bonis faciat, præmissæ interrogationi respondens sic, Dominus est *in templo sancto suo*. [Alcuin., Aug.] Id
C est in suis, ut faciat eos sibi templum. Quod templum est etiam cœlum, unde subdit. *Dominus* etiam hoc facit, quasi dicat : *In cœlo est sedes ejus*, id est eos quos facit templum, facit et cœlum, id est arcana secreta. [Aug., Gl. int.] Vel ita potest distingui, *Dominus* communiter omnium per potentiam est Dominus, specialiter, in templo sancto suo, id est in fidelibus. Unde dicitur *Templum Dei, sanctum est, quod estis vos (I Cor.* III,) ubicunque non sic est ipse Deus ut in suo templo. Deinde repetit in cœlo, id est in sanctis est sedes ejus.

VERS. 5. — « Oculi ejus in pauperem respiciunt ; « palpebræ ejus interrogant filios hominum. »

Oculi ejus, [Rem., Gl. int.] quasi dicat, ita de
D majoribus facit, scilicet quod sint templum et cœlum, *in pauperem* vero, id est in minores. [Hier., Aug.] Oculi ejus id est misericordia ejus *respiciunt*, quod est ei pauperi lux. Namque respectus Dei, et auxilium, et lux suis est. Et ideo non sunt timendi tumultus tribulationum qui in retibus fiunt, antequam ad littus æternitatis veniatur. Vel per pauperem eosdem significat quos per cœlum et templum significavit. Quasi dicat : Quidam sunt templum et cœlum. Et hoc etiam, non modo alia, a Domino est quia oculi ejus, id est misericordia, respiciunt in pauperem, per quod fit cœlum ; *et palpebræ ejus*, id est crebra pertio Scripturarum per loca, et apertio per alia loca, quæ Scripturæ quasi oculi Dei

sunt, *interrogant*, id est probant, *filios* hominum, scilicet de veteribus innovatus per fidem, id est probant bonos, quia boni de obscuris non fatigantur, sed exercentur ; de cognitione non inflantur, sed confirmantur, Et etiam :

VERS. 6. — « Dominus interrogat justum et « impium ; qui autem diligit iniquitatem, odit ani- « mam suam. »

Dominus interrogat, [Hier., Gl. int.] id est per tribulationes et hæreses probat *justum et impium*. [Aug.] Quid ergo times, tu juste, ne obsit tibi impius, sacramentis non sincere communicans, cum Dominus interroget te et illum. [Cassiod.] Vel Dominus interrogat justum et impium, quia Dominus solus de conscientiis utriusque judicat, Dominus interrogat utrumque interrogando autem hoc invenit quod ille *qui diligit iniquitatem, odit animam suam*, [Aug., Alcuin.] id est animæ suæ nocet dilector iniquitatis, non justo qui credit Deo. Cur ergo times si corporaliter tecum est injustus? Nota quod ait, qui diligit iniquitatem, non qui facit. [Gl. in.] Iniquitas idem est quod peccatum, unde Joannes : *Omnis qui facit peccatum, et iniquitatem facit* (*Joan.* VIII.) Nemo vero sine peccato vivit. Ille vero diligit iniquitatem, qui ex desiderio et affectu peccat qui et si semper viveret, semper peccare vellet.

VERS. 7. — « Pluet super peccatores laqueos « ignis, et sulphur ; et spiritus procellarum pars « calicis eorum. »

Pluet super peccatores. Hucusque dixit quid justus faciat bonis. [Alcuin.] Hic dicit quid malis reddat. Quasi dicat : Dominus est in templo, et in cœlo. Dominus, etiam *pluet super peccatores laqueos*. Vel ita junge : Dico qui diligit iniquitatem, odit animam suam, et hoc effectus indicat, quia Dominus pluet laqueos, id est doctrinam illaqueantem super peccatores. [Aug., Gl. int.] Hos laqueos pluit Dominus de nubibus, scilicet de pseudo prophetis, qui veris falsa admiscent ; vel etiam de bonis prophetis, de quibus laquei manant, cum male intelliguntur eorum doctrinæ ; sed hos laqueos non pluit Dominus nisi his qui peccatores sunt. Unde aliis sumus odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem (*II Cor.* II). Omnes ergo sive boni sive mali, qui verbo Dei animas irrigant, nubes dicit possunt, de quibus pluit Dominus super peccatores, ut inde sint inexcusabiles. Quæ pluvia est illis laqueus, quia vel non sane intelligunt, vel opere non complent. Deinde pœna blasphemorum describitur, cum subditur, *ignis*, [Aug., Hier.,] scilicet cupiditatis, *et sulphur*, id est fetor malorum operum, *et spiritus procellarum*, qui erit in futuro, id est ultima illa separatio a justis, sunt *pars calicis*, id est pœnæ *eorum*. [Aug.] Ideo pœnas eorum calicem dicit, quia et pœnæ eorum sunt, secundum modum et mensuram meritorum. Et notatur hic ordo pœnarum quas patiuntur iniqui. Primo enim igne cupiditatis vastantur : inde malorum operum fetore abjiciuntur a sanctis, inde merguntur æternis pœnis [Cassiod.] Vel aliis non mutatis, illud de præsenti potest accipi, spiritus procellarum, id est tumultuosa mens.

VERS. 8. — « Quoniam justus Dominus, et « justitias dilexit : æquitatem vidit vultus ejus. »

Quoniam justus Dominus. [Aug.] Quasi dicat : Hæc prædicta reddet Dominus bonis et malis, et quare hoc faciet? *Quoniam Dominus est justus et justitias*, id est justos *dilexit* pluraliter, dixit justitias, ut justos accipias, in quibus multæ sunt justitiæ, cum una sit Dei, qua omnes participant. Et *æquitatem vidit vultus ejus*. Vel, facies ejus, id est æquitas visa est in facie, id est in notitia ejus. Facies enim ejus est notitia ejus, id est potentia, qua dignis innotescit. Vel vultus ejus vidit æquitatem, secundum utramque partem, scilicet bonorum et malorum, quia non se dat noscendum malis, sed bonis ; quod est æquitas.

Potest iste psalmus et aliter legi, ut de passione Christi accipiatur, et dicit Christus secundum hominem, ut solet, contra errores Judæorum : *In Domino confido : quomodo* ergo *dicitis animæ meæ : Transmigra in montem sicut passer*, id est consenti nobis, in legalibus observantiis, et in cæteris. Ideo, in Domino confido, *quoniam ecce peccatores*, Scribæ et Pharisæi, *intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscure rectos corde*, id est volunt sagittare fideles, in obscura luna, id est repleta peccatoribus Synagoga. [Hier., Aug.] Alia littera ; *Quoniam quæ perfecisti*, id est me quem perfectum fecisti, *destruxerunt* Judæi, id est destructurem legis arbitrati sunt. *Justus autem* quem tanquam destructorem legis contemnebant, *quid fecit?* Ecce *Dominus in templo sancto suo* est, id est Verbum Patris, in homine vel Filius hominis in cœlo est ad dexteram Patris. Et repetit, *in cœlo est sedes ejus*. Et *oculi ejus respiciunt in pauperem*, quem suscepit secundum Deum. Vel propter quem passus est secundum hominem. *Et palpebræ ejus interrogant filios hominum*. Palpebræ Christi sunt apertio et opertio oculorum, id est mors et resurrectio, ubi probavit filios hominum, id est discipulos. Et *Dominus*, jam de cœlo regens Ecclesiam, *interrogat justum et impium*, interrogando autem hoc invenit, quod *qui diligit iniquitatem, odit animam suam*. Et cur ita sit, docet. *Pluet enim super peccatores*. Hoc et cætera usque in finem, a priore expositione, non mutantur.

COLLATIO IN PSALMUM X : « IN DOMINO CONFIDO. »

VERS. I. — *Quomodo dicitis animæ meæ : Transmigra in montem, sicut passer*. Pratensis, transmigra ex monte vestro, *velut passer ;* Consentit Sanctes, a quibus non longe est Munsterus, *avola de monte vestro sicut passer ;* Interpres pro Cajetano, *vagare montem vestrum avis*. Statim ipse refert litteram seu lectionem Hebraicam, quæ non habet expresse præpositionem, nec similitudinis notam. Pellicanus vertit, *ad montem eorum passer*, cum tamen in Hebræo nunc legatur חרכם HARCHEM, *montem vestrum*. Sed Hieronymus juxta Heb. sine pronomine, *Transvola in montem velut avis*. Ubi cernis quod Rabini, et eorum asseclæ, volunt intelligi præpositionem *a* vel *ab*. Septuaginta, Hieronymus

Pellicanus, præpositionem *in* vel *ad*, nec pronomen vestrum legit Hieronymus, sicut nec LXX. Translator ad Campensem, *abi hinc protinus in montes tuos volucre citius*; Et Paraphrasis, *fuge de monte in montem.*, *sicut soles cum tuis, et absconde te usquam in antro, sicut consuevit passer*. Si autem unusquisque suum cerebrum pergat edere; tota plaustra diversitatum sacris infulcientur, usque adeo ut lectores tandem nihil reportent nisi confusionem, et avis ultro citroque devolantis instabilitatem.

VERS. 2. — *Paraverunt sagittas suas in pharetra*. Hic poterat conniveri quod Hebraismi jurati pro pharetra ponunt nervum aut chordam, nisi quod præsentius videtur periculum sagitta adaptata super nervum, quam recondita pharetræ, licet eodem tendat ratio sensus. Tamen cum interpretetur Augustinus de insidiis hæreticorum, ut accipiatur pharetra pro corde eorum, in quo machinantur contra simplices pravas cogitationes, quibus postea letaliter vulnerent incautos, accommodatior est pharetra huic intelligentiæ, quam sagitta jam posita super nervum. Et particula Heb. יתד IETER, facile potest accommodari ad violentiam malignorum, et occultas fraudes eorum. Hujusmodi certe particulam interpretatus est Hieronymus, Job XXX, *pharetra*. *Pharetram* (inquit) *suam aperuit*.

VERS. 3 — *Quoniam quæ perfecisti destruxerunt*. Hieronymus, *leges dissipatæ sunt*. Non variatur sensus, quia leges Dei sunt ea quæ perficit, et quæ nos perficiunt. Ad idem reducuntur quæ vertunt Pratensis, Augustinus, Nebiensis, Munsterus et interpres pro Casetano, videlicet *fundamenta*; vel ut Pellicanus vult quem posita sunt. Solus Sanctes vertit *retia*, imitatus quosdam Rabinos. Translator ad Campensem et paraphrasis nescio quomodo sensus lacerant et discindunt. Ille vertit, *ut funditus perdant*; hæc, *in ipso conatu irrita facta sunt consilia*.

VERS. 5 — *Oculi ejus in pauperem respiciunt*. Septuaginta declarationis gratia addiderunt τόν πέντουτα, id est *pauperem*, cujusmodi frequentissime facere solent juniores interpretes.

VERS. 6. — *Qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam*. Quia Hebræi destituuntur variatione casuum. idcirco potest reddi sensus conversus, ad hunc modum: *Diligentem iniquitatem odit anima ejus*. Casus commutatio facit ut versio nostra referatur ad peccantem, qui salutem suam peccando oderit. Altera vero ad Deum, qui odio prosequatur peccatores, quam posuit Hieronymus et reliqui. Utraque dignitatem suæ intelligentiæ obtinet. Tantum obstrepit, quod שנאה SANEAH, id *odivit*, est feminini generis, ut sic non possit respicere nisi animam, quæ esse Dei dicitur. Verum facile fieret, ubi non sunt puncta adscripta, ut littera *he* pertineret ad particulam sequentem נפשו NAPHSSO dicendo הנפשו HANAPHSSO, ac remaneret superior dictio שנא legenda SANA שנא. Mirum quam tragice Faber, et Cæcus Burgensis insectentur Latinam lectionem, quasi contradicat ex diametro Evangelio, quando admonet ut qui oderit animam suam, in vitam æternam custodiat eam (*Joan*. XII), ceu anima semper debeat accipi pro vita carnali. Quid est ergo illud Proverbiorum XXIX; *Qui cum fure participat, odit animam suam?* Et: *Sitivit anima mea ad te, Deus?* (*Psal*. LXII.) Cumque toties anima in Scripturis in bonam partem dicitur, debuissent advertere, quod Evangelium seipsum exponat, quando additum est: *Qui odit animam suam in hoc mundo*. Deinde nituntur belli homines excusare septuaginta, qui reformidarunt animam tribuere Deo, nihilominus eam excusationem statim supprimentes, quod prophetæ nihil veriti fuerint tribuere Deo animam, dum sane intelligatur, quando dixit Isaias: *Solemnitates vestras odivit anima mea*, quasi **25** non scripserint LXX, τὰς ἑορτὰς ὑμῶν μισεῖ ἡ ψυχή μου, Isa. primo. Propter hujusmodi casuum indistantiam effectum est, ut in sequenti versu, *pluet super peccatores lequeos, ignis, sulphur, spiritus procellarum pars calicis eorum*, quidam verterint *ignem et sulphur*, in accusativo; et mox *spiritus procellarum*, in nominativo; alii, omnia in accusativo. Quos tandem sequemur? Ne vacillemus, habemus ritum Ecclesiarum nulla sui parte vacillantem.

VERS. 8. — *Æquitatem vidit vultus ejus*. Hieronymus juxta Hebræos, et Pellicanus traducunt *facies* seu *vultus eorum*. Hebr. legunt פנימו PANEMO. Solent autem Hebræi accipere *modo*, ut valeat eis eos eorum juxta rationem regiminis, et ita intelligentia referretur ad jnstos, quorum facies viderunt quid rectum sit, Tamen LXX acceperunt פנימו PANEMO, loco פניו PANEAU, id est *vultus ejus*. Quod ne videatur commentum meum, Munsterus in scholiis haud diffitetur. Consimiliter transtulerunt Sanctes, Pratensis, et interpretes pro Cajetano. Sensus tamen uterque quadrat.

PSALMUS XI.

PSALMI TITULUS: « IN FINEM PSALMUS DAVID, PRO OCTAVA. »

Salvum me fac, Deus. Titulus, *in finem*. *Psalmus David pro octava*. [Aug.] Octava sicut in sexto psalmo dictum est, accipitur dies judicii, quia post hoc tempus quod septem diebus agitur, venturus est Dominus ad judicium. Supra peccator culpæ conscius timebat octavam ne ibi puniretur. Hic Propheta in persona viri perfecti pro ea orat, ut veniat. [Cossiod.] Quia hic petit Propheta iniquitatem mundi destrui, ut ad veritatem futuræ promissionis perveniat. Et est sensus: *Psalmus* iste dirigens nos, *in finem*, est David prophetæ, qui hic loquitur in persona alicujus justi, habitus. *Pro octava*, id est die judicii, quem desiderat, ut sæculi iniquitas destruatur, et veritas promissa veniat [Cassiod., Alcuin.] Intentio. Revocat homines a falsitatibus sæculi, et ad eloquia Dei, ubi salus est [Cassiod.] Modus, bipartitus est. Primo, a perversitate sæculi petit salvari, secundo, ostenditur contra mala sæculi Christus a patre missus, cujus eloquia sunt vera, ibi, propter miseriam, etc. Videns ergo sanctus vir multiplicatam vanitatem sæculi, quasi timens, subito exclamat, pro magnitudine periculi, et ait:

VERS. 1. — « Salvum me fac, Domine, quoniam « defecit sanctus: quoniam diminutæ sunt veri- « tates a filiis hominum. »

Salvum me fac, Domine. [Cassiod.] Deinde exponit quæ timuit, multa congregans in unum, ut major vis periculi appareat, dicens: *Quoniam defecit sanctus*, quasi dicat: Ideo clamo, quoniam defecit sanctus, id est non invenitur sanctus in hoc mundo, ubi tot mala sunt. Hæc opinio fuit et in

Elia, quando dixit : *Domine, relictus sum solus* (*III Reg.* XIX). Vel, sanctus, id est Deus, qui ubique est præsens ; [Alcuin.] quantum ad homines, defecit, quia vix ab homine agnoscitur. Defecit ergo, quantum ad eos, qui in eum non credunt. [Aug.] et vere defecit sanctus, quia defecit veritas. Et hoc est, *quoniam diminutæ sunt veritates a filiis hominum*. Pluraliter dicit veritates, quia agit de veritatibus hominum. Veritas enim Dei una est, qua illustrantur animæ sanctæ ; sed in hominibus multæ sunt veritates. Sicut ab una facie multæ in speculis imagines apparent. [Cassiod.] Et nota quod non ait in filiis, sed, a filiis hominum, quia dona Dei culpa eorum depravantur, et diminuuntur. Sequitur :

VERS. 2 — « Vana locuti sunt unusquisque ad « proximum suum ; labia dolosa in corde et corde « locuti sunt. »

Vana locuti sunt, etc. [Cassiod.] Quasi dicat : Vere diminuta est veritas, quia crevit falsitas. Et hoc est, *vana locuti sunt*. Vel ita junge, diminutæ sunt veritates ; et insuper, vana locuti sunt, *unusquisque ad* decipiendum *proximum suum,* quemibet hominem. [Aug.] Proximus enim est omnis homo conditione primæ nativitatis. Cum nullo ergo male agendum est. Vel proximum accipit aliqua opportunitate conjunctum, ad quem etiam decipiendum utuntur ; quod deterius est. [Alcuin] Et sciendum quia proximus dicitur tribus modis, scilicet conditione primæ nativitatis, secundum quem modum omnis homo potest dici proximus, cognatione carnis, secundum illud : *Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum* (*Luc.* X). Impensa beneficii, et compassione misericordiæ. Unde in Evangelio dicitur, in parabola de vulnerato : *Quis tibi videtur proximus fuisse illi ? Qui fecit misericordiam super illum* (*ibid.*). Dico, locuti sunt vana ipsi dico existentes *labia dolosa*, [Gl. int.] id est garruli, ad oblatrandum, et dolosi ad decipiendum. [Aug.] Et vere dolosi sunt, quia *in corde et corde locuti sunt,* id est in multiplici corde. Geminatio enim duplex cor significat. Sequitur :

VERS. 3. — « Disperdat Dominus universa labia « dolosa, et linguam magniloquam. »

Disperdat. Quasi dicat : Garruli sunt et dolosi, sed disperdat *Dominus labia dolosa*. Non ipsos homines, sed dolos et garrulitates eorum. [Cassiod.] Et addit, *universa* ne quis dolosus se excipiat, id est se exceptum putet, quasi passim pereant qui in una pravitate conveniunt. Et disperdat *linguam magniloquam,* id est superbam. [Rem.] Hi sunt hypocritæ, habentes speciem in sermone, ad decipiendos homines, et Deo non sunt subditi. Vel philosophi per linguam magniloquam significantur, propter eloquentiam. Deinde qualiter linguam magniloquam habeant hypocritæ, vel philosophi, subdit :

VERS. 4. — « Qui dixerunt : Linguam nostram

A « magnificabimus ; labia nostra a nobis sunt. Quis « noster dominus est ? »

Qui dixerunt, hoc, scilicet *linguam nostram magnificabimus*. [Cassiod., Rem.] Et ita faciunt, quia loquacitate se extollunt, et ponunt in sua potestate, quod se a Deo non putant accepisse. Dixerunt enim hoc et aliud : *Labia nostra a nobis sunt,* id est facundia nostra a nobis est, non a Deo [Cassiod.] Jactant enim se de potestate labiorum, quasi a Deo non sit. [Gl. int.] Unde aiunt, *quis noster dominus est,* id est quis est cujus regulæ nos subjicimur ? quasi dicat : Nullus.

PARS II. VERS. 5 — « Propter miseriam inopum, « et gemitum pauperum nunc exsurgam, dicit Do- « minus. »

B *Propter miseriam.* Secunda pars, ubi contra mala sæculi, Christus a Patre missus dicitur, cujus eloquia sunt vera, sicut impiorum sunt falsa : quasi dicat. [Hier., Cassiod.] ita hæc prædicta dicunt, et faciunt mali, sed contra hæc *Dominus* Pater *dicit* hoc : *exsurgam,* id est, apparebo in Filio. *Nunc* in hoc tempore gratiæ, quod non in priore populo fecit. Et hoc *propter miseriam* tollendam *et gemitum inopum,* id est gentium *et pauperum,* id est Judæorum. [Rem.] Inopes recte dicuntur gentiles, qui nec legem, nec prophetas habuerunt ; pauperes, Judæi, qui spiritualiter legem non intellexerunt. Et est sensus [Aug.] Pro inopia et paupertate, spiritualium bonorum quam patiuntur Judæi, et gentiles, mittam Filium, vel per inopes et pauperes C eosdem significat. Et est sensus : Mittam Filium propter miseriam inopum tollendam, [Gl. int.] id est mortalitatem et passibilitatem. Et hoc faciam propter gemitum pauperum, qui de malis gemunt, et pro peccatis conteruntur. Nam aliter non essent digni auxilio. Quid autem faciet exsurgens supponit, dicens :

VERS. 6. —« Ponam in salutari ; fiducialiter agam in eo. »

Ponam in salutari, [Aug. Cassiod.] id est in Jesu non in servis. Non dicit quid ponat, sed sciendum est quia ad pauperes consolandos pertinet. Acsi diceret : Ponam in Jesu consolationem pauperum. [Aug., Gl. int.] Et *fiducialiter,* id est potenter *agam in eo,* quia nihil ei resistet. Quin etiam docebit, D non quam si Scribæ et Pharisæi, sed tanquam potestatem habens (*Matth.* VII), addens legi, et mutans quædam pro voluntate sua, ut auctor legis. ideo ait : Fiducialiter agam in eo, quod non in servis.

VERS. 7. « Eloquia Domini, eloquia casta : ar- « gentum igne examinatum, probatum terræ, pur- « gatum septuplum. »

Eloquia Domini. [Aug., Cassiod.] Hucusque fuerunt verba Patris de Filio. Hæc autem dicit Propheta in sua persona, verba prædicationis Christi commendans, quorum sinceritatem et utilitatem ostendit, quasi dicat : Pater mittet Filium. [Aug.] Et eloquia Domini, scilicet Filii, sunt *eloquia casta,* id

est sine corruptione simulationis. Multi enim prædicant veritatem, sed non caste, quia vendunt illam pretio cupiditatum hujus sæculi. [Cassiod.] Hoc dicit contra hoc quod supra de malis dictum est : Vana locuti sunt *et argentum* Dominici eloquii est *examinatum igne*, [Cassiod.] quia Domini eloquia per tribulationum ignem probata sunt contra illud quod supradictum est : Labia dolosa in corde, et corde locuti sunt. Argento autem comparatur divinum eloquium, quia sicut inter omnia metalla nihil est quod dulcius tinniat argento, ita inter omnia eloquia sermo divinus dulcius insonat menti. [Gl. int.] Et illud argentum est probatum terræ, id est a terra scilicet nihil terrenitatis habens, et ponitur genitivus hic pro ablativo, more Græco. Et est *purgatum septuplum*, id est perfecte. [Alcuin.] Septenarius namque numerus perfectionem, et universitatem significat. [Aug.] Vel est purgatum septuplum, id est per septiformem Spiritum verbum nitet, et rutilat, scilicet per timorem Dei, per pietatem, et per cætera dona Spiritus sancti, quæ sunt septem, per quæ divinum eloquium splendet, dum verbi Dei prædicatores his charismatibus refulgent. [Aug.] Unde ostenditur sanctum esse quod prædicant. Vel ita, ut specialiter de sermone Domini in monte habito ad discipulos accipiatur. Quasi dicat : Et illud argentum divini eloquii est Septuplum, quia septem sunt gradus beatitudinis, de quibus totus sermo in monte productus est, scilicet paupertas spiritus, mansuetudo, misericordia, etc. Et illud argentum est purgatum septuplum, id est septempliciter, id est per singula septem est purgatum igne, persecutionis, de quo agitur in octava beatitudine, cum dicitur : *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam* (*Matth.* v), etc. Octava ergo beatitudo est, patientia persecutionis, qua velut igne purgatur argentum septempliciter, id est secundum illa septem quæ præmittuntur in sermone. Hoc enim igne purgantur et pauperes, et mites, et misericordes, et alii, ideo in sermone septem præmittuntur virtutes, quæ et beatitudines dicuntur, quæ consummant, et beatos faciunt. Octava autem quæ redit ad caput, examinat, et clarificat, et quidquid perfectum est demonstrat.

VERS. 8. — « Tu Domine, servabis nos, et custodies nos a generatione hac in æternum. »

Tu, Domine. [Cassiod.] Hic ostendit utilitatem divinorum eloquiorum, convertens se ad Dominum, quasi dicat : Talia sunt eloquia Domini. Et, O Domine, cujus eloquia sunt casta, tu, non nos ipsi, *Servabis nos* per illa eloquia hic et in futuro. Supra dixit de malis, *Disperdat Dominus universa labia dolosa ;* hic dicit quod servet, agens de bonis. Sequitur : *Et custodies nos.* [Aug.] Hic tanquam inopes et pauperes, in futuro tanquam opulentos et divites. Custodies dico, ducendo *a generatione hac*, scilicet hujus sæculi *in æternum*, id est ad æternam beatitudinem. [Cassiod., Rem.]

VERS. 9. — « In circuitu impii ambulant ; secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum. »

In circuitu, quasi dicat, nos servabis ; *impii* autem *ambulant in circuitu*, [Aug.] id est in cupiditate rerum temporalium, quæ septem dierum repetitione volvuntur. Et ideo non perveniunt in octavum, id est in æternum, quod dabitur in octava ; unde psalmus iste intitulatur. De hoc circuitu dicit Salomon in Proverbiis : *Ventilator est impiorum rex sapiens, et immittit illis rotam malorum* (*Prov.* xx), [Aug.] id est ambitum **26** volubilium, quæ tanquam rota volvuntur. Sequitur : *Secundum altitudinem* impii sunt in circuitu, sed *filios hominum multiplicasti*, non quidem in temporalibus, sed secundum altitudinem tuam, id est virtutibus, per quas facis eos ascendere ad te altum contemplandum. Hoc ideo adjunxit, quià est et multiplicatio in temporalibus, quæ avertit ab unitate Dei. Sed justi multiplicantur secundum altitudinem Dei, quando eunt de virtute in virtutem. Vel ita : [Cassiod.] Multiplicasti filios hominum, sicut stellas cœli, secundum promissionem factam Abrahæ, et hoc, non secundum merita eorum, sed secundum altitudinem tuam, id est sicut te altum decet.

COLLATIO IN PSALMUM XI : « SALVUM ME FAC. »

VERS. 6. — *Fiducialiter agam in eo.* Hebr. habet יפיח לו IAPHIAM LO. Pratensis, *Loquetur pro eo.* Munsterus aliquid addidit, vel subaudiri voluit de suo, et sic reddidit, *ab eo qui sufflat in eum, vel qui ponit ei laqueum ;* Interpres pro Cajetano simplicius vertit, *sufflabit ipsi ;* Sanctes plus audet, *ab eo qui deridendo sufflat in eum ;* Pellicanus aliter, flatus erunt. Quid hic faciemus, inter tot dubios viarum anfractus ? Teneamus certum et relinquamus incertum. Certum est quidem פוח POHACH significare sufflare aut loqui, LXX autem per metaphoram haud incongruam cœperunt sufflare aut spirare alicui vel in aliquo quod est in illo : ponere hoc est suggerere et dicere velut in aurem quid agendum sit. Id quod satis indicat versio Hieronymi, videlicet auxilium eorum, ut legerit in Hebræo מו MO, pro לו. Et LXX. אפיח לו APHIACH LO, id est spirabo ei, si verbum verbo reddas. Et similia haud infrequenter contingere argumentis non futilibus causati sumus, si æquum lectorem nanciscentur.

VERS. 7.— *Argentum igne examinatum, probatum terræ.* Græcanicam locutionem sequitur interpres, quod est jam de multis receptum in usu ecclesiastico, ut illud ; *In convertendo Dominus captivitatem Sion* (*Psal.* CXXV) ; *In convertendo inimicum meum retrorsum* (*Psal.* IX) ; Vado piscari (*Joan.* XXI) : et id genus non pauca. Et tamen hanc lectionem nimis contemnunt Faber et suus cæcus. Consuetudo latinæ locutionis magis recipit quod vertit Hieronymus, *separatum a terra.* Mirum quam inter se varient neoterici Hebraizantes. Munsterus dicit, *in exquisito loco terræ ;* Sanctes, *a Domino terræ.* Itidem Pratensis, interpretes pro Cajetano, *de tecto terræ ;* Pellicanus, *alchimico terreo ;* Paraphrasis Campensis, *arte et instrumentis ad eam rem aptis, ablatum est quidquid inerat terræ impurioris.* Alii, *in furnulo aurifabri de exquisita formato terra,* Chaldæus et Nebiensis, *argentum repurgatum in fusorio a terra.* In Hebræo tantum sunt duo vocabula בעליל לארץ BAELIL LAARETZ, quæ parient tot somnia quot volent homines, si ad ecclesiasticam lectionem dormiamus.

VERS. 9. — *Secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum. Hebr.* כרם זלות לבני אדם, CERUM ZULLOTH LIBNE ADAM. Hieronymus juxta Heb. ad eum modum reddidit, *cum exaltati fuerint vilissimi filiorum hominum*; Pratensis, *cum exaltabuntur opprobria filiis Adam*; Munsterus, *cum exaltantur in ignominia, sunt filii hominum*; Interpretes pro Cajetano, *velut elevando vilitates filiis Adæ*; Sanctes, *cum exaltati fuerint, vilitas est filiis hominum*; Pellican., *cum exaltati fuerint, comessationes filiis hominum*; paraphrasis Campensis, cum principatum nacti fuerint, qui inter homines sunt perditissimi; editio ad eamdem, cum vanitas exaltatur inter filios hominum; Nebiensis, *cum exaltati fuerint, vilificabuntur filii hominum*; Chaldæus paraphrastes, *tanquam sanguisuga, quæ sugit sanguinem filiorum hominum*. Sed expendamus ecclesiasticam lectionem. Imprimis quatenus pertinet ad exaltationem, seu vertas per verbum, participium, aut nomen, adhuc

A tenes eumdem sensum. Sed de vocabulo sequente videlicet זלות ZULLOTH, manet scrupus. Quod si deflectas a radice זלל ZALAL, significat *comessationes*, aut *vilitates*, et punctum quod vocant dages in ventre litteræ lamed denotat more suo, alterum lamed deficere. Si vero deduxeris ZULLOTH, a radice נזל NAZAL, id est defluxit, tunc zuloth significat *fluenta* seu *defluxiones*. Igitur fluvii filiorum hominum quadranter intelliguntur generationes hominum, quæ multiplicantur ut stellæ cœli, et fluunt more aquarum : juxta illud Ecclesiast. primo : *Generatio præterit, generatio advenit*. Et illud II Reg. XIV; *Omnes morimur, et quasi aqua dilabimur in terram quæ non revertuntur*. Porro si ad verbum verteres, posses ita reddere, *secundum altitudinem fluenta filiorum hominum*. Et LXX quo dulcidior esset sensus, extulerunt per verbum clarius, *Multiplicasti filios hominum*. Et non inconcinne.

PSALMUS XII.

PSALMUS XII.

PSALMI TITULUS : « IN FINEM PSALMUS DAVID. »

Usquequo, Domine. Titulus, *In finem Psalmus David*. Titulus iste patet. [Cassiod.] Psalmus iste agit de charitate Christi, in qua totius legis perfectio est, quam qui habet, mundum non amat. [Alcuin.] Hic enim Propheta plenus charitate, qua avide Christi Incarnationem exspectat, per quam futuram redemptionem intelligit, in persona antiquorum Patrum, quasi de dilatione conqueritur. In quo etiam dilectio proximi ostenditur, cujus saluti hoc optatur, ut, superstitione abjecta, unius Dei cultura suscipiatur. Vel in persona sanctorum modernorum loquitur, secundum Christi adventum desiderantium, ubi certi sunt de salute. Quanto enim desiderio antiqui primum desideraverunt adventum, tanto moderni secundum cupiunt, juxta illud : *Cupio dissolvi et esse cum Christo* (*Philipp.* I). Intentio. Ad idem desiderium invitat. Modus. Bipartitus est psalmus. Prima pars est conquestio de dilatione adventus primi, secundum antiquos; secundi, juxta modernos. [Cassiod.] Secundo, orat illuminari ne cedat fraudibus inimici, ibi, respice, etc. Prius ergo Propheta in persona antiquorum de Incarnationis dilatione conquerentium ait : o

VERS. 1. — « Usquequo, Domine, oblivisceris me « in finem? usquequo avertis faciem tuam a me? »

VERS. 2. — « Quandiu ponam consilia in anima « mea, dolorem in corde meo per diem? »

Domine, oblivisceris me, id est præsentiam incarnationis mihi subtrahis, *usque in finem*, [Cassiod.] id est usque ad tempus plenitudinis. Unde Apostolus : *Cum venit plenitudo temporis misit Deus Filium suum*, etc. (*Gal.* IV), usquequo exspectabitur hoc? deinde repetit aliis verbis *avertis faciem tuam a me*, [Cassiod., Gl. int.] scilicet, præsentiam Filii tui, qui est facies tua, quæ hominibus est videnda. Et usquequo erit hoc? Et.

Quandiu ponam consilia, [Gl. int., Cassiod.] scilicet de diversis, ut qui anxius est *in anima mea*.

B Magnus ardor sustinentis hic ostenditur, qui dicit sibi deesse consilium ut, id est qualiter, videndi mitigit affectum. Quando autem magna anxietas est, concupiscere bonum, et diutius sustinere, crescit desiderium in dolorem, quia spes protrahitur. Unde subditur : *Et quandiu ponam dolorem in corde meo*. [Aug., Cassiod.] Et hoc *per diem* absolute, id est per singulos dies. Et,

VERS. 3. — « Usquequo exaltabitur inimicus meus « super me? respice, et exaudi me, Domine Deus « meus. »

Usquequo exaltabitur inimicus meus, [Cassiod.] id est diabolus *super me*. Hoc ideo dicit, quia ante adventum Christi diabolus captivos tenebat homines. Vel, super me, id est super meam credulitatem,
C quia ille toto orbe colitur, mea fides est in paucis. Et quia sic orbis interit, plorat hic sanctus. *Respice et exaudi*. Secunda pars. Post conquestionem orat, ut illuminetur, ne cedat fraudibus inimici iste qui in misericordia confidit. Quasi dicat : Modo dolor est, cum facies tua est aversa, et cum exaltabatur inimicus, sed o *Domine*, cujus ego sum servus, qui es *Deus meus*, cujus sum creatura, *respice*, id est mitte quem missurus es, *et exaudi me*. Pro omnibus loquitur iste pro quibus generaliter petit.

VERS. 4. — Illumina oculos meos ne unquam « obdormiam in morte, nequando dicat inimicus « meus : Prævalui adversus eum. »

Illumina oculos meos. [Hier., Aug.] Interiores,
D ut si non corpore videmus, vel, id est saltem mente videamus. Aliter totum legitur ex persona modernorum sanctorum, et secundum Christi adventum optantium, ut cum eo beate vivant, et pro dilatione conquerentium, sic ut, o Domine, usquequo oblivisceris me in finem capiendum sit, quousque differs me ad intelligendum Christum spiritualiter, qui est Patris sapientia, et finis rectus intentionis omnis. [Aug.] Et repetit : Usquequo avertis faciem tuam a me? id est usquequo non das animæ meæ notitiam

tui? More nostro loquitur Scriptura, cum dicit, A Deum oblivisci et avertere faciem. Hic enim non juxta rerum proprietatem, sed per creaturarum similitudinem dicitur : in Deum quippe oblivio non cadit, nec aliqua permutatio. Et quandiu ponam consilia in anima mea? consilio non est opus, nisi in adversis. Et est sensus : Quandiu ponam, etc., id est quandiu ero in adversis: quod exponit subdens, scilicet quandiu ponam dolorem in corde meo per diem? Diem ponit pro tempore isto, quo vult exui dolens, precansque æterna. Vel, per diem, id est continue. Vel non sub interrogatione dicitur istud, quandiu ponam, sed est responsio præcedenti interrogationi, quasi dicat : Tandiu oblivisceris, et faciem avertis, quandiu ponam consilia, id est quandiu necesse erit ut ponam consilium in anima B mea, ut nisi ponat quisque consilium in anima sua tale scilicet ut operetur misericordiam, non eum dirigat Deus in finem, neque det ei plenam notitiam sui, ut eum facie ad faciem videat. Deinde sequitur: Quandiu ponam dolorem in corde, etc., hoc non mutatur. Sequitur : Et usquequo exaltabitur inimicus meus super me, scilicet diabolus, vel carnalis consuetudo. Ut autem hoc tollatur, respice et exaudi me, Domine Deus meus, etc. Respice dicit, contra hoc quod supradictum est, avertis faciem tuam a me; exaudi, contra oblivisceris me. *Illumina oculos meos* cordis *ne unquam obdormiam*. Per concupiscentiam quæ ex me sit *in morte*, id est ne peccati delectatione claudantur ipsi oculi. [Cassiod.] Oculi enim obdormiunt in morte, quando fidei lumine sepulto carnali delectatione clauduntur. Vel, ne C unquam obdormiam in morte, id est ne obvolvar quolibet criminali peccato. [Rem., Gl. int.] Vel, in morte, id est in peccato quod fit in Spiritum sanctum, de quo dicit Joannes : *Est peccatum ad mortem non pro eo dico ut quis oret*. (*Joan. I* v.) Dico non obdormiam per me, nec etiam per alium. Et hoc est *ne quando dicat inimicus meus*, [Cassiod.] id est diabolus, qui insultat dum capit. Quid dicat : *Prævalui adversus eum*? [Aug.] Ecce insultatio diaboli, quæ vehementer timenda est. Ideo dico, ne dicat inimicus, quia,

Vers. 5. — « Qui tribulant me, exsultabunt si « motus fuero ; ego autem in misericordia tua spe« ravi. »

Qui tribulant me, [Aug.] scilicet diabolus et angeli ejus *exsultabunt si motus fuero* de stabilitate fidei. Acsi diceret : [Alcuin]. Non solum propter me debes illuminare, sed et propter hoc ne inimicus gaudeat. Sequitur : *Ego autem*, quasi dicat, illi tribulant, *ego autem in misericordia tua speravi*, [Aug.] non de me præsumpsi, qui etiam id ipsum, quod non commovetur, non sibi dat, sed Deo. Vel in misericordia tua, scilicet de adventu Filii, quia etsi festinat iste vir sanctus, tamen est patiens, [Cassiod.] qui etsi differtur quod desiderat, firmus est in spe; et interius jam videns illum quem in carne videre desiderat, exsultat. Unde subdit :

27 Vers. 6. — « Exsultabit cor meum in salu« tari tuo : cantabo Domino qui bona tribuit mihi, « et psallam nomini Domini altissimi. »

Exsultabit, vel exsultavit cor meum. [Aug., Gl. int.] Quasi dicat : Speravi in misericordia : unde *exsultabit cor meum in salutari tuo*, id est in Jesu quem mente venturum conspicio. [Alcuin.] Unde et sibi bona data dicit iste qui prius conquerebatur subdens : Dominus tribuit mihi bona spiritualia, non ad humanum diem pertinentia. Et ei Domino *qui tribuit bona* cantabo corde, [Aug., Cassiod.] scilicet cordis lætitia, quod ad contemplativam vitam pertinet. Et nota quod ait, tribuit, non tribuet, in quo notatur magna virtus fidei. Jam enim habet quod futurum est. Sequitur : *et psallam* opere, [Aug., Cassiod.] quod ad activam vitam pertinet. Psallam dico, nomini Domini altissimi. Et est sensus : Cantabo et *Psallam nomini Domini altissimi*, id est cum gaudio gratias agam corde et opere. Si ergo iste fidelis tantum desiderat, si sic famulatur Christo, adhuc venturo, quid faciendum est jam suscepto? [Cassiod.] utique; omni modo ei est famulandum.

COLLATIO IN PSALMUM XII : « USQUEQUO. »

Psallam nomini Domini altissimi. Hoc non legimus in Hebræo. Quod si in Græco sit additum ex contextione quorundam aliorum psalmorum nihil affert incommodi.

PSALMUS XIII.

PSALMI TITULUS : « IN FINEM PSALMUS DAVID. »

Dixit insipiens Titulus. *In finem psalmus David*. [Cassiod.] Facies quam in præcedenti psalmo desiderabat Propheta venire, hic ostenditur venisse, et a Judæis contemptam fore. Ideoque Propheta in suam vel Christi persona loquens, increpat hic insipientiam et duritiam Judæorum, qui Christo præsenti quem optaverunt, non credunt. Et est iste primus psalmus de increpatione Judæorum, et conversione. Et est sensus tituli : Psalmus iste dirigens nos *in finem* est *David*, id est Christi, vel Prophetæ.

D Intentio. Prophetæ est confutare Judæos, Christi contemptores. Modus. Tripartitus est psalmus. Prima pars est increpatio Judæorum, descripta eorum malitia. Secundo minatur judicium ibi. *Nonne cognoscent omnes*. Tertio, prædicitur eorum conversio, ibi, *Quis dabit ex Sion*, imprecans ergo duritiam Judæorum ait :

Vers. 1. — « Dicit insipiens in corde suo : Non « est Deus. »

Dixit insipiens. [Cassiod.] Quasi dicat : Priores Patres exspectaverunt Christum venturum; sed cum

appareret, insipiens, id est Judæus dixit *in corde suo*, non tantum ore, hic homo *non est Deus*. Hoc ideo dixerunt, quia,

VERS. 2. — « Corrupti sunt et abominabiles facti « sunt in studiis suis; non est qui faciat bonum, « non est usque ad unum. »

Corrupti sunt. [Cassiod., Gl. int.] Omni vi rationis privati, *et abominabiles*, id est reprobi, *facti sunt*, [Aug., Gl. int.] Et hoc *in studiis suis*, id est, quia sæculum amant, non Deum, et quia a Christo recedunt, *non est* de illis *qui faciant bonum*. Vel de gentilibus potest accipi, Deum non esse putantibus. [Aug.] Insipiens, id est gentilis, dixit : Non est Deus. Et hoc dixit, in corde suo, non in ore, quia nemo audet dicere, etsi cogitare : Deus non est. Hoc ideo dicunt, quia corrupti sunt, id est cæci sunt, ut dicant : Non est Deus. Et abominati facti sunt, id est reprobi. Sicut enim probaverunt Deum non habere in notitiam, ita tradidit illos Deus in reprobum sensum. Et hoc, in studiis suis, vel affectionibus, id est quia sæculum amant, et non Deum. Et ideo non est, sive de Judæis, sive de gentibus, non credentibus, qui faciat bonum. Non est dico *usque ad unum*, id est nec etiam unus. Vel, usque ad unum, id est præter unum, id est præter Christum, sine quo nemo facit bonum, quia non potest quisquam facere bonum, nisi ipse monstraverit.

VERS. 3. — « Dominus de cœlo prospexit super » filios hominum, ut videat si est intelligens aut re- » quirens Deum. »

Dominus de cœlo. [Aug., Alcuin.] Ab hoc loco specialiter agit de Judæis. Quasi dicat : Nullus de eis facit bonum, sed hoc est, unde inexcusabiles sunt, quia Dominus, scilicet Christus *de cœlo* prospexit, [Rem., Alcuin.] id est de humana natura, quam assumpsit, eminuit virtute deitatis divina operans. Ipse dico intendens *super filios hominum*. [Aug., Alcuin.] Vel, de cœlo, id est per sanctas animas, prospexit. Nam per se eum nihil latet. Cœlum sedes Dei dicitur; sedes autem Dei anima justi. Ideo per cœlum, hic animas sanctas significat, per quas prospexit super filios hominum. Non dicit super homines, sed filios hominum, [Aug.] id est Judæos, quos honoratius nominat propter unius Dei cultum. [Cassiod.] Vel, Dominus, Pater, de cœlo mittendo Filium, prospexit super filios hominum, id est misertus est Judæorum, ad quos misit corporaliter Filium. [Rem., Cassiod.] Ad hoc, inquam, prospexit, *ut videat*, id est ut videri faciat *si quis est intelligens* corde Deum esse in homine *aut requirens Deum*, [Hier.] sequendo mandata ejus. Sed invenit hoc quod.

VERS. 4. — « Omnes declinaverunt, simul inuti- » les facti sunt, non est qui faciat bonum, non est » usque ad unum. »

VERS. 5. — « Sepulcrum patens est guttur eorum; » linguis suis dolose agebant; venenum aspidum » sub labiis eorum. »

Omnes declinaverunt. Vel ita junge : Vidit si ali-

A quis est intelligens aut requirens : [Aug.] et hoc innuit, quod aliquis non intelligit, quia non requirit, sed declinat. Et vere. Nam *omnes declinaverunt*. [Gl. int., Hier.] Judæi tales facti sunt, quales et gentes, de quibus superius dixit ibi, dixit insipiens : Non est Deus, etc. [Hier., Aug.] Et, *simul* cum ipsa declinatione *injusti facti sunt*, id est perniciosi sibi et aliis, a Deo declinaverunt, quod *non est qui faciat bonum, non est usque ad unum*, [Cassiod., Alcuin.] id est præter unum, quia nullus facit bonum, sine uno, scilicet Christo.

Sepulcrum patens, etc. Dicuntur hi tres versus qui sunt usque ad divisionem secundam, non esse de Hebræo, quos tamen Apostolus in Epistola ad Romanos contra Judæos adducit, sed dicuntur ab
B Apostolo propter Judæorum vituperationem. De multis psalmis compacti dicuntur, etiam a septuaginta interpretibus additi, unde in sequenti iste psalmus repetitus, eos non habet, in quibus ostenditur qualiter illi qui declinaverunt, inutiles sunt aliis et sibi, et prius quomodo aliis. [Cassiod., Rem.] Quasi dicat : Ita aliis inutiles facti sunt, quia *guttur eorum est sepulcrum patens*, id est similes sunt sepulcro patenti. [Aug.] Quibus verbis, vel voracitatem hiantis gulæ significat, vel quia alios occidunt, in fetidis quæ promunt, et quasi devorant eos, quibus morum suorum perversitatem persuadent. [Cassiod.] Nam sicut sepulcrum cum patet fetidos odores exhalat, ita et istorum guttur, sermones pestiferos. *Et linguis suis dolose agebant*, adulantes aliis. [Aug.] Comes enim est voracibus adulatio, et omni-
C bus malis. [Gl. int.] Vel, dolose agebant, mala suadentes sub specie boni. Et *venenum aspidum*, id est dolus aspidum est *sub labiis eorum*, id est in corde, quod pejus est quam in ore. [Rem.] Aspis aures obturat, ne vocem incantantis audiat. [Aug., Hier., Gl. int.] Recte ergo aspidi comparantur, quia nolunt audire præceptum legis, sed mala reddunt prædicantibus ea. Unde subditur :

VERS. 6. — « Quorum os maledictione et amari- » tudine plenum est; veloces pedes eorum ad effun- » dendum sanguinem. »

Quorum os maledictione plenum est, [Cassiod., Aug.] id est opprobriis, blasphemiis, hoc est venenum aspidum, et *amaritudine*, id est minis. Et *pedes*
D *eorum*, id est voluntas et affectiones eorum sunt, *veloces* quia omnia inconsulte faciunt, [Aug., Cassiod., Gl. int.] Vel, veloces, id est expediti, pro consuetudine male faciendi, *ad effundendum sanguinem* Christi et suorum.

VERS. 7. — « Contritio et infelicitas in viis eo- » rum; et viam pacis non cognoverunt; non est ti- » mor Dei ante oculos eorum. »

Contritio, etc. [Hier.] Hic ostendit qualiter inutiles sibi fuerunt, quasi dicat, et quia tales sunt, ideo.

Contritio et infelicitas est in viis, id est operibus ejus. [Aug., Cassiod., Alcuin.] Omnes enim viæ malorum plenæ sunt doloribus et miseria. Et recta

via impiorum contritio dicitur, et infelix contritio, quia et terit et teritur, dum alii nocet et sibi. Vel quia et hic pœna est, et in futuro punietur. Infelicitas, quia ad infernum ducit a quibus viis non revertuntur mali. Ideo et, id est quia *non cognoverunt viam pacis*, [Aug.] id est Christum. Vel viam pacis, id est Evangelium, de qua via Dominus ait: ***Jugum meum suave***, etc. (*Matth.*, XI.) Vel specialiter de Judæis potest dici, quasi dicat: Ita inutiles sibi fuerunt, quia contritio et infelicitas est in viis eorum, [Alcuin.] quia pro suis operibus contriti sunt, per Titum et Vespasianum; ubi et infelices sunt, quia ubique dispersi sunt. Vel, contritio est modo in viis eorum, et infelicitas, in futuro. [Rem.] Nunc enim lapis angularis, id est Christus super eos cadens, conteret eos per excæcationem. Infelicitas vero erit in inferno, cum anima et corpore damnabuntur. Et hæc ideo quia viam pacis non cognoverunt: Hoc non mutatur. Et hæc omnia ideo, quoniam Deum non timent. Et hoc est, *non est timor Dei ante oculos eorum*. [Aug.] Isti non dicunt: Non est Deus, sicut supra gentiles, sed tamen non timent.

PARS. II. VERS. 8. — « Nonne cognoscent omnes « qui operantur iniquitatem, qui devorant plebem « meam sicut escam panis? »

Nonne cognoscent, etc. [Aug.] Secunda pars. Minatur judicium impiis, quasi dicat: Prædicta mala faciunt, et nec de his timent in futuro puniri. [Cassiod.] Sed, *nonne cognoscent qui operantur iniquitatem*, quoniam Dominus est in generatione justa, quasi dicat, hoc cognoscent tunc quod modo scire nolunt, scilicet quod Dominus est in generatione justa, non in ea quæ sæculum diligit, quæ me occidit, dicit Christus. Et quam iniquitatem operentur, interponit dicens: [Gl. int., Cassiod.] *Qui devorant plebem meam*, seducendo, vel occidendo *sicut escam panis*, id est ut sit eis satietas, de deceptione Christianorum. [Aug.] Vel, devorant plebem ut faciunt illi qui in ministerio suo utuntur ad capienda commoda ab hominibus, non ad salutem hominum, vel ad gloriam Dei. Et hoc sicut escam panis, id est quotidie sicut panis est quotidianus cibus, ita et illi quotidiana rapina simplices Christianos absorbent. Cur hoc faciunt?

VERS. 9. — « Dominum non invocaverunt; illic « trepidaverunt timore ubi non erat timor. »

Dominum non invocaverunt. [Aug.] Non enim vere Deum invocant, qui Deo displicentia amant. Inde ergo augetur interitus eorum, [Cassiod.] quia Dominum non invocant, quia necesse est mala agere, cum superbi Deum nolunt invocare. Et quia Deum non invocaverunt, ideo *trepidaverunt timore* illic *ubi non fuit timor*, [Aug.] id est in damno rerum temporalium trepidaverunt. Timuerunt enim Judæi perdere regnum terrenum, ubi non erat timendum; et non timuerunt perdere cœlum, ubi esset timendum. [Cassiod.] Et nota quia sicut cautela est opportune timere, ita ignavia est inepte trepidare, ut pro

A gente et loco, timore Dei abjecto, ut fecerant Judæi. Dixerunt enim: *Si relinquimus eum sic, omnes credent in eum, et venient Romani et tollent nostrum locum et gentem* (*Joan.* I). *Sequitur*.

VERS. 10. — « Quoniam Dominus in generatione « justa est, consilium inopis confudistis, quoniam « Dominus spes ejus est. »

28 *Consilium* inopis. [Cassiod.] Ostensa sententia damnationis communis adversus Judæos, specialiter invehitur, dicens: Consilium inopis *confudistis*, quasi dicat: Dominus est in justa generatione, sed, vos miseri Judæi, confudistis consilium inopis, [Aug.] id est humilem adventum Christi contempsistis, factum ideo, quia ut quos vocabat, in Deo solo spem ponerent non in sæculo transeunti.
B Et ideo ipse adventus dicitur consilium. [Cassiod.] Ecce invectio in Judæos, quibus obscure dicitur consilium inopis, id est Christi, confudistis, id est recipere noluistis, qui ad vos liberandos venerat: et est admirative legendum. Vel consilium inopis cujuslibet, qui est membrum Christi. Et hoc ideo fecistis, *quoniam Dominus est spes ejus*. [Cassiod., Gl. int.] Unde ergo magis reverendus esset, inde magis contemnitur.

PARS III. VERS. 11. — « Quis dabit ex Sion salu« tare Israel? cum averterit Dominus captivitatem « plebis suæ, exsultabit Jacob et lætabitur Israel. »

Quis dabit. [Cassiod.] Tertia pars. Postremo conversio Judæorum prædicitur, quæ fiet, cum plenitudo gentium intraverit. [Rem., Aug.] Quasi dicat:
C Vos consilium Christi confudistis, sed quis alius *ex Sion*, id est, de Judæis procedens, *dabit salutare Israel*, id est salvabit fideles, nisi, subaudi, ille quem humilem sprevistis? Ipse enim in claritate venturus est ad judicium. Quasi dicat: Nullus alius salvabit; sed iste in futuro salvabit, quia *cum Dominus* Christus *averterit captivitatem plebis suæ*, [Cassiod.] id est cum damnaverit diabolum, qui populum Dei captivavit, *exsultabit Jacob et lætabitur Israel*. [Aug.] Repetitio est, sicut frequenter solet fieri. Nam idem puto esse, exsultabit Jacob, quod est, lætabitur Israel. Et nota quod pro Judæis etiam hoc testimonium ponit Isaiæ Apostolus, scilicet, *veniet ex Sion, qui avertet* captivitatem vel *impietatem a Jacob* (*Rom.* XI), sicut hic positum est
D pro Judæis.

COLLATIO IN PSALMUM XIII: « DIXIT INSIPIENS IN CORDE SUO. »

Versus 5, 6, 7, quorum initia sunt, *Sepulcrum*, etc.; *Contritio*, etc. *Quorum os*, etc., non habentur in Heb. nec in Græco in hoc loco, sed desumpti sunt ex aliis locis Scripturæ. Id palam indicat Hieronymus præfatus in commentarium XVI Isaiæ prophetæ, respondens Eustochio virgini, quæ illi objecerat Apostolum ad Rom. III, qui hos versiculos aperte recenset. Hieron. verba non pigebit audire. Itaque omnem Scripturam mente perlustrans, animadverti sicut omnis pene ad Romanos Epistola de Veteri structa est Instrumento, sic et hoc testimonium de Psalmis, et in Isa. esse contextum. Nam primi duo versus, *Sepulcrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant*, quinti psalmi

sunt. Illud autem quod sequitur. *Venenum aspidum sub labiis eorum*, centesimi tricesimi noni psalmi est. Rursumque quod dicitur, *Quorum os maledictione et amaritudine plenum est*, de nono psalmo sumptum est. Tres autem versiculi, qui sequuntur, *Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem, Contritio et infelicitas in viis eorum, et viam pacis non cognoverunt*, in Isaia propheta reperi. Ultimus autem versus, *non est timor Dei ante oculos eorum*, in XXXV psalmi principio est arbitror solutam quæstionem tuam, et nostram regulam super translatione Vet. Test. concussam magis esse quam motam, et non tam Apostolum de psalmo XIII sumpsisse, quod in Heb. non habetur, quam eos qui artem contexendarum inter se Scripturarum apostoli nesciebant, quæsisse aptum locum, ubi assumptum ab eo ponerent testimonium, quod absque auctoritate in Scriptura positum non putabant. Denique omnes tractatores, qui nobis eruditionis suæ in psalmos commentarios reliquerunt, hos versiculos verum adnotant atque prætereunt, li- A quido confitentes in Hebraico non haberi, nec esse in LXX Interpretibus, sed in editione Vulgata, quæ Græce χοινὴ dicitur, et in toto orbe diversa est. Hæc Hierony. qui eamdem habet sententiam in Isa. cap. LIX. At vero nihil periculi est, si hos versus decantemus in hoc loco, quamvis non sint de hoc loco, quos nec gravatim in commentario hujus psalmi Hieron. exposuit, vel indicans ex aliis locis assumptos.

VERS. 9. — *Illic trepidaverunt timore ubi non erat timor*. In Hebræo tantum legitur, *illic trepidaverunt timore*, et altera pars videtur desumpta ex psalmo LII. Et quid, si subaudiatur in Hebræo, quod interpretes expresserunt? Nam Chaldæus habet, *quem non decebat timere*. Cæterum quod est alia distinctio, hoc jam semel et iterum adnotatum est. Et si quandoque varium pariat sensum, dum sit sanus, juvat; absit tamen propter vitas. Spiritus enim sapientiæ est multiplex, unicus sanctus, subtilis et mobilis (*Sap.* VII.)

PSALMUS XIV.

PSALMI TITULUS : « PSALMUS DAVID. »

Domine quis habitabit. Titulus, *psalmus David*. Pater titulus. [Cassiod., Alcuin.] Psalmus iste proprie est instructorius morum, et præsumptionis repressio, ubi agitur de unitate Ecclesiæ præsentis, et de futura quiete. In præsenti namque Ecclesia, quia propter corporalem cohabitationem malorum cum bonis, non permittimur scire qui vere sint de unitate Ecclesiæ, ideo quidam, licet indigni, jactant se esse de Ecclesia, cun tamen vere non sint. Illorum ergo præsumptionem retundens Propheta, quasi sacerdos ante propitiatiorum astans, quærit qui et in præsenti Ecclesia, digni Deo militent, et in futura beatitudine sint quieturi. Cui datur a Deo responsum plenæ definitionis, quos clare ostenditur qui vere sint de præsenti Ecclesia, et in futura beatificandi. Et est intentio Prophetæ comprimere eos qui se jactant esse de Ecclesia, cum non sint. Modus : Bipartitus est. Primo, interrogat Propheta, [Cassiod.] quasi dicat, sacerdos ante faciem Dominus stans, et petit responsa, volens scire quos Deus judicet sua Ecclesia dignos. Secundo, subditur Domini responsio, ibi : *Qui ingreditur sine macula*. Propheta ergo, velut sacerdos, petens responsum, ait.

VERS. 1 — « Domine, quis habitabit in taber- « naculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto « tuo? »

[Cassiod., Aug.] *Domine, quis habitabit* digne, scilicet, *in tabernaculo tuo*, id est in præsenti Ecclesia, ubi contra diabolum dimicamus, quia etsi tabernaculum aliquando ponatur pro habitatione sempiterna, tamen proprium est belli, atque militantium. Unde conturbernales milites dicuntur, tanquam simul habentes tabernacula. Hic autem sensus adjuvatur ex eo quod continet alia translatio, scilicet *quis peregrinabitur in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo?* [Aug., Cassiod.] id est in æterna beatitudine? ubi est visio pacis et super- B eminentia charitatis, ubi nullus in agone contendet, sed in æterna pace quiscet.

PARS II VERS. 2. — « Qui ingreditur sine macula, « et operatur justitiam. »

Qui ingreditur. [Cassiod., Alcuin.] Secunda pars, ubi subditur responsio Domini, qui dicit in exemplum Decalogi, decem virtutibus ad atria sua perveniri. Et nota quod decem virtutes hic appellat decem effectus virtutum, qui omnes ad quatuor principales virtutes referuntur, scilicet justitiam, temperantiam, prudentiam, fortitudinem. Et quædam utique de his decem ad aliquam harum quatuor virtutum specialiter referuntur ; quædam vero communiter ad plures. Et item, quædam perfectis tantum, quædam imperfectis conveniunt, ut in psalmi lectione C ostendetur, [Cassiod.] Ex adytis ergo atrii Dominus respondens, ait : *Qui ingreditur sine macula*. Quasi dicat : Ille habitabit et requiescet qui ingreditur in tabernaculum sine macula, id est innocens. [Rem., Gl. int.] Ecce prima virtus, id est primus effectus virtutis, in quo notatur temperantia. (Hier., Rem.] Sequitur secunda virtus, *et operatur justitiam*, quia non est satis abstinere a malo : et refertur hoc ad justitiam. Deinde exsequitur hæc plenius, id est has duas virtutes, subjiciens alios earum effectus.

VERS. 3. — « Qui loquitur veritatem in corde « suo ; qui non egit dolum in lingua sua. »

Qui loquitur veritatem. [Gl. int.] Ecce tertius virtutis effectus. Veritatem dico *in corde suo* conceptam, [Aug.] id est qui scit veritatem et dicit, in D quo notatur prudentia, etiam et justitia. Congrue addit, in corde suo, quia aliquis putat fallere quandoque, et verum dicit. Et habet ille veritatem in labiis, sed non in corde, [Gl. int.] ut si quis alicui dolose ostendat viam, putans in ea esse latrones, et dicat : Si hanc teris, a latronibus tutus eris ; et contingat ut vere ibi latrones non inveniantur ; vere ille locutus est, sed non in corde. Sequitur quarta virtus, *qui non egit dolum in lingua sua*. [Aug.] Hæc est pars inno-

centiæ, id est temperantiæ. Dolus est lingua, cum aliud dicitur, aliud est in pectore. Sequitur quinta virtus.

VERS. 4. — « Nec fecit proximo suo malum, « et opprobrium non accepit adversus proximos « suos. »

Nec fecit proximo suo malum. [Gl. int.] Item pars innocentiæ est hic. [Aug.] Proximum accipit pro omni homine. Sequitur sexta; *et opprobrium non accepit adversus proximos suos*, id est temere vel libenter non credit criminatori. Sequitur septima.

VERS. 5. « Ad nihilum deductus est in con« spectu ejus malignus : timentes autem Dominum « glorificat. »

Ad nihilum deductus est. [Gl. int.] Ecce fortitudo. Quasi dicat : Non accepit opprobrium; sed *malignus*, id est diabolus, vel homo male suggerens, *deductus est ad nihilum*, id est non potuit cogi nocere alicui. Et hoc est *in conspectu ejus*, scilicet quare sit malignus. [Aug.] Hæc est magna perfectio, ut nihil in homine valeat malignus, et ut hoc sit in conspectu ejus, id est certe sciat malignum non esse, [Gl. int.] nisi qui a Creatore ad creaturam convertitur. *Timentes autem Dominum glorificat.* [Aug.] Septem virtutes supra posuit, quæ perfectorum sunt : nunc tria alia ponit, quæ incipientibus conveniunt, quasi dicat, non solum perfectos qui prædicta habent glorificabit, sed etiam glorificat Deus ; timentes Dominum, id est incipientes, quia timor est initium sapientiæ (Eccli. I). Sicut ergo superiora ad perfectos, ita hæc quæ dicturus est ad incipientes pertinent. Sequitur octava.

VERS. 6. — « Qui jurat proximo suo, et non « decipit ; qui pecuniam suam non dedit ad usuram, « et munera super innocentem non accepit. »

Qui jurat proximo suo et non decipit. [Gl. int.] Ille qui jurat non nocet proximo, sed subvenit. Jurat proximo firmiter, id est promittit, et non decipit, quia promissum reddit. Sequitur nona, *qui pecuniam suam non dedit ad usuram* [Rem., Gl. int.] id est non temporalem expetit mercimoniam. Sequitur decima; *et munera super innocentem non accepit*, [Aug.] id est, causam innocentis non deprimit pro munere alicujus. Hæc tria non sunt magna, sed qui nec ista potest, multo minus potest loqui veritatem in corde, et non agere dolum in lingua, et non facere malum proximo. Hæc tamen parva ita concludit.

VERS. 7. — « Qui facit hæc, non movebitur « in æternum. »

Qui facit hæc non movebitur in æternum. [Aug.] id est, perveniet ad illa majora, in quibus est inconcussa stabilitas. Unde et per futurum tempus dicit, non movebitur cum in superiori conclusione præteritum posuerit, ubi ait, ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus.

Aliter : *Qui ingreditur*, etc., et legitur specialiter de Christo, qui hæc omnia plenissime serva-

A vit. Quasi dicis : *Qui habitabit, quis requiescet?* ille utique *Qui ingreditur sine macula*, id **29** est Christus, [Cassiod.] qui proprie secundum legem ut agnus sine fractura membrorum templum ingressus est, non ut expiaretur, sicut cæteri, sed *sine macula*, id est a peccatis liber ; *et operatur justitiam*, ut cum vendentes et ementes ejecit de templo (*Matth.* XXI) ; *qui loquitur veritatem.* Veritas est cum res ita est ut dicitur. Hoc proprie Christus fecit. Addit, *in corde suo*, quia aliquando Christus tacuit, ut indignis fraudulenter quærentibus. *Et non egit dolum in lingua sua*, quia omnia quæ audivit a Patre sine aliqua adjectione vel repressione nota fecit discipulis quæ eis notificanda erant (*Joan.* XV). *Nec fecit proximo suo malum*, id est Judæis secundum carnem

B sibi proximis non fecit malum, sed pro eis oravit. *Et non accepit*, id est, non acceptum habuit, *opprobrium adversus proximos suos.* Sicut est patens per hoc quod Judam non mordaci increpatione laceravit ; et : *ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus* (*Psal.* LXXII), id est diabolus despicitur ab eo, ut cum dixit : *Vade retro, Satana* (*Matth.* IV), econtra autem : *Timentes Dominum glorificat* Christus. *Qui jurat proximo suo et non decipit.* Juravit Christus, quando apostolis certissima veritate promisit ; *Jam non dicam vos servos, sed amicos* (*Joan.* XV). Sequitur : *Qui non dedit pecuniam suam ad usuram*, terrenam. Pecunia enim duplex est : vel terrena quæ penitus ad usuram dari prohibetur, quoniam Dominus Judæ tradidit ad erogandum pauperibus,

C non ad usuram, sed ad instruendos homines ; vel spiritualis est, quæ ad usuram dari jubetur, id est prædicatio verbi Dei, quæ lucrum salutis animarum refert. *Et munera super innocentes non accepit.* Accepit Christus munera quidem, ut a magis, et quotidie pias oblationes a fidelibus in Ecclesia, sed non contra innocentes, imo animam pro eis dedit. Sequitur : *Qui facit hæc.* Ecce absoluta responsio fit interroganti. Et est hic conculusio psalmi. Quasi dicat : Sicut de Christo dixi, similiter quicunque proximo suo facit hæc, *non movebitur in æternum*, id est ab ipso Deo non dividetur, sed requiescet in monte æternæ beatitudinis. Et nota quod dicit, facit hæc, ut ad actum nos invitet, non solum ad cantandum hæc.

D

COLLATIO IN PSALMUM XIV : « DOMINE, QUIS HABITABIT. »

VERS. 5. — *Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus.* [Hieron.] *despicitur in oculis ejus improbus* ; Sanctes, *qui despicit se in oculis suis, abjicit se* ; Pratensis, *neglectus in oculis suis abominabilis* ; Munsterus, *qui despectus est in oculis propriis et contemptus.* Sic et cæteri ferme in eumdem modum, præter hoc quod aliqui eorum faciunt distinctionem in ea parte, *in conspectu* vel *in oculis ejus* sive *suis.* Alii jungunt simul particulam, *malignus* aut *improbus*, *abominabilis* aut *contemptus*, adeo ut Munsterus, quo tolleret ambiguitatem, voluerit addere conjunctionem copulativam ad denotandam distinctionem, quæ tamen non habetur in Hebr. sicut nec relativum qui, nisi quod possit subaudiri ex superioribus ex cujus accessione tur-

batur ordo sensus. Quantum vero ad primam particulam, quam vertunt *despici* aut *negligi*, et nos dicimus, *ad nihilum deductus est*, id ortum habuit ex vocabuli Hebraici æquivocatione נבזה NIBZEH. Quod si descendat a radice בזה BAZAH, est *neglectus* seu *despectus*. Si vero a themate בזז BAZAZ, recte vertitur *ad nihilum deductus est*, cujus radix significat *depopulari* atque *deprædari;* etiam si non posset esse participium cum tali forma; dicendum enim foret נבז NABAZ. Vel etiam a priori radice, perinde quasi diceres nullius momenti est in conspectu ejus malignus.

VERS. 6. — *Qui jurat proximo suo et non decipit,* Heb. נשבע להרע ולא ימר NISEBA LEHARA VELO IAMIR. Hieron. *Qui jurat, ut affligat, et non mutabit ;* Munsterus *jurat malum inferre, et non mutat ;* Pratensis, *juravit affligere et non mutabit ;* Sanctes,

A *Qui seipsum juravit affligere, et non mutavit ;* Nebiensis, *jurat ut se affligat et non variat ;* interpres pro Cajetano, *juravit ad malefaciendum sibi.* Ultimam particulan ponit tanquam glossulam. Varietatem fecit anceps lectio, videlicet הרע HARA, vel transposita littera רעה RAAH, vel si vis רעה REEH, potest etiam sic legi להבע *pro proximo* vel *socio* LEHAREA. Secunda autem manifeste proximum repræsentat, ut acceperunt LXX, quibus accedunt Pellicanus et paraphrasis Campensis. Hic enim sic explicat : *Firmissime statuit in amicia semel cum aliquo inita persistere, nec propositum mutabit.* Alter autem *Qui jurat proximo suo, et non mutabit,* sed et hoc *non mutabit,* eamdem intelligentiam prætendit quam et illud *non decipit.* Qui enim violat juramentum, mutat : ob idque decipit cui juravit. Unde Chaldæus interpres dicit : *et non pejerabit.*

PSALMUS XV.

PSALMI TITULUS : « TITULI INSCRIPTIO IPSI DAVID. »

Conserva me, Domine, [Titulus : *tituli, inscriptio ipsi David*]. Hic titulus de Evangelio non de Veteri Testamento sumitur. [Hier., Cassiod.] In Evangalio enim legitur quod crucifixo Domino Pilatus talem titulum superposuit : JESUS NAZAREMUS REX JUDÆORUM. Quem cum multi Judæorum delere vellent, dicentes : *Noli scribere Jesus Nazarenus rex Judæorum, sed quia dixit : Ego sum rex Judæorum. Respondit Pilatus : Quod scripsi, scripsi.* [Cassiod]. Ibi quamvis per nescientem Deo significante hoc quod regnum Christi per passionis humilitatem non infirmaretur, sed confirmaretur : De quo regno hic agitur, cujus confirmationem titulus immutatus notavit. Ideoque Esdras de illius tituli inscriptione, quam per Spiritum sanctum futurum prævidebat, hunc psalmum prætitulavit, [Alcuin.] ostendens hic agi de regno Christi, illa inscriptione significato. Et est sensus : *Inscriptio tituli,* id est, victoria et regnum quod tituli inscriptio notavit, attribuitur vel convenit *David.* [Cassiod.] Non illa actuali filio Isai, sed ipsi vero David, id est Christo qui secundum hominem hic loquitur, [Aug.] de quo titulus regalis in passione eminuit, scriptus Hebraice, Græce et Latine, ut ostenderetur rex esse omnium vere Judæorum, id est confitentium. [Cassiod., Gl. int.] Sicut ergo in arcu triumphali scribebatur Romæ titulus quo triumphi regum monstrantur, ita et Christo titulus fuit inscriptus, qui erat suæ victoriæ nota, [Hier.] Tres enim sunt tituli qui scribuntur : Unus super tumulos mortuorum ; alius in liminibus civitatis vel domorum ; tertius, in victoriam regis. Hic ergo de titulo regis nostri dicit. [Cassiod.] Et est iste psalmus secundus eorum qui breviter de Christi passione et resurrectione agunt. Intentio. Monet omnes ne regno Christi aut titulo contradicant. Modus. Bipartitus est : primo, veram hominis naturam Christus ostendens, petit se inter pericula servari, dicens omnia quæ pertulit ad gloriam suæ hæreditatis perducta. Secundo: agit gratias Patri de intellectu sibi dato et passione et resurrectione, ibi : *Benedicam Domi-*

B *num,* etc. Christus ergo secundum hominem ad Patrem orans, ait : O

VERS. 1. — « Conserva me, Domine, quoniam « speravi in te. Dixi Domino : Deus meus es tu, « quoniam bonorum meorum non eges. «

[Cassiod., Gl. int.] *Domine* Pater, *conserva me* inter pericula, et debes, *quoniam in te,* non in me *speravi.* Ecce meritum quo servari debet. Dico speravi et merito, quia tu es *Deus meus,* [Cassiod.] id est mei hominis, et hoc *dixi* non labiis, sed cordis affectu, tibi *Domino.* Vel ita, speravi in te, et dixi tibi Domino, Deus meus *es tu* [Aug.] in eo quod homo sum, et vere Deus, *quoniam bonorum meorum non eges,* id est meis bonis non exspectas fieri beatus. [Cassiod.] Si autem bonis Christi non C eget Deus, sed ab ipso habet omnia, destruitur arrogantia hominum, et hæresis Pelagianorum, qui putant aliquod bonum suis viribus fieri, cum etiam Christus a se homine nihil boni habeat. Sequitur :

VERS. 2. — « Sanctis qui sunt in terra ejus, mi« rificavit omnes voluntates meas in eis. »

Sanctis qui sunt. Exposuit Christus qualiter oravit, Nunc incipit narrare quæ bona sibi fecit Dominus. Quasi dicat : Hæc dixi Domino, Deus autem *mirificavit,* [Alcuin.] id est miras fecit *omnes voluntates meas :* hæc sunt bona mea, Omnes voluntates suas dicit Christus, voluntatem moriendi et resurgendi. [Cassiod.] Hæ autem sunt miræ, dum eis obedientes fiunt de terrenis cœlestes, de filiis diaboli, D filii Dei. Has, inquam, voluntates mirificavit ; sanctis, qui sunt in terra ejus, scilicet in terra cui benedicitur, non in terra maledictionis, non quidem de sæculi ambitu jactantibus, sed qui sunt in terra ejus, [Aug.] id est qui in terra viventium spem suam fixerunt, quæ est eis anchora in fluctibus hujus sæculi. Miras fecit omnes voluntates meas, id est voluntatem moriendi et resurgendi. [Gl. int., Aug.] Voluntates dico plantatas et completas *in eis,* id est in profectu eorum in quo senserunt, et incipientes et perfecti, quid eis profuit et humilitas, ut morerer ; et potentia, ut resurgerem. Vel mirificavit

omnes voluntates meas in eis, id est inter eos qui hæc viderunt et intellexerunt. Sequitur :

VERS. 3. — « Multiplicatæ sunt infirmitates « eorum : postea acceleraverunt. »

Multiplicatæ. Quasi dicat : Mirificavit voluntates meas sanctis, quibus ante per severitatem legis infirmitas carnalis multiplicata est, ut gratiam Novi Testamenti desiderarent. Et hoc est : Mirificavit sanctis, sed prius *multiplicatæ sunt infirmitates eorum*, [Aug.] quia data lege infirmitas eorum aucta est, non utique ad perniciem, sed ut ad medicum accelerarent. Unde subdit : *Postea acceleraverunt*, [Cassiod., Alcuin.] currentes ad medicum. Vel de exteriori afflictione agit, qua sæpe flagellati sunt, ut sanarentur. Et est : Infirmitates eorum exteriores multiplicatæ sunt salubri afflictione, Deo providente. [Rem.] Et flagellati postea acceleraverunt, sed non priore more, quia.

VERS. 4. — « Non congregabo conventicula eorum « de sanguinibus ; nec memor ero nominum eorum « per labia mea. »

[Gl. int.] *Non congregabo conventicula eorum*, instituta *de sanguinibus*, id est non erunt conventus eorum carnales, nec de sanguinibus pecorum propitiatus. Congregabo eos, quasi dicat, non secundum legalem ritum faciam eis ; *nec memor ero nominum eorum*, sed spirituali mutatione obliviscentur quid fuerint, quia jam non dicentur peccatores, vel inimici, vel homines, sed vocabuntur justi et fratres et filii Dei. Vel, non ero memor nominum eorum, sicut prius in Veteri Testamento, [Alcuin.] quando specialiter designabat, vel populum, ut : *Hæc dices filiis Israel*. Vel personam, ut, *Moysi*. Vel tribum, ut : *Dic domui Judæ, domui Benjamin*. Nunc autem non est acceptio personarum, sed in omni gente qui timet Dominum, hic acceptus est illi. Non ero memor nominum eorum per labia mea, propria, quibus dicam in futuro malis ; *ite, maledicti in ignem æternum (Matth.* XXV), quod non illis. Vel, *per labia mea*, id est per apostolos, per quos loquitur Deus. [Cassiod.] Vel, labia dicit duo Testamenta, quæ in uno sonat, quibus voluntates ejus ostenduntur. [Cassiod.] Sed nec apostoli, nec Testamenta talibus minantur judicium. Sequitur :

VERS. 5. — « Dominus pars hæreditatis meæ et « calicis mei ; tu es qui restitues hæreditatem « meam mihi. »

Dominus pars, quasi dicat : Non ero memor nominum eorum, sed potius mecum habebunt hæreditatem, ipsum Deum. [Aug.] Et hoc est, Dominus Pater est, pars *hæreditatis meæ*, intransitive legitur, id est est pars hæreditaria mei et meorum. [Gl. int., Aug.] Eligant sibi alii alia, quibus fruantur : Pars autem mei et sanctorum Deus est. Et Dominus **30** est pars *calicis mei*, id est calix meus est. [Aug.] Bibant ergo alii venena, et mortiferas voluptates : ego autem et mei bibemus Deum. Deinde convertens sermonem ad Deum ait : *Tu es*, quasi

A dicat, tu Domine, es hæreditas, tu etiam es restitutor ejus. Et hoc est : Tu es, o Pater, *qui restitues hæreditatem meam*, id est notitiam hæreditatis, id est claritatis meæ, *mihi*. Non mihi in meipso aliquid restitues quod amiserim, quia nihil amisi, sed meis in quibus eo sum, et cum quibus unum sum, restitues notitiam claritatis meæ, quam per peccatum amiserunt : quæ claritas erat apud te antequam mundus fieret (*Joan.* XVII). Unde ipse ait in Evangelio : *Clarifica, Pater, Filium tuum ea claritate quam habuit apud te antequam mundus fieret*. [Hier.] Vel hæreditatem dicit lumen claritatis, id est, gloriam immortalitatis, quam in Adam perdidimus, quæ Christo in sua resurrectione restituta est, et nobis in nostra restituetur. Unde
B ipse alibi ait : *Et refloruit caro mea* (*Psal.* XXVII). Sequitur :

VERS. 6 — « Funes ceciderunt mihi in præclaris : « etenim hæreditas mea præclara est mihi. »

Funes. [Aug.] Quasi dicas : Restitues hæreditatem, quæ est præclara. Nam *funes ceciderunt mihi in præclaris*, id est limites possessionis meæ in tuam claritatem quasi sorte ceciderunt, sicut possessio sacerdotum et levitarum Deus est. Bene dixi in præclaris, *etenim hæreditas mea præclara est mihi*, non utique omnibus, sed videntibus, in quibus ego sum. Et ideo dico mihi :

VERS, 7. — « Benedicam Dominum qui tribuit « mihi intellectum : insuper et usque ad noctem « increpuerunt me renes mei. »

C *Benedicam Dominum*. [Aug.] Quasi dicat : Videntibus est præclara ; ego autem benedicam Dominum *qui tribuit mihi intellectum*, quo hæc hæreditas videri et possideri potest. Unde : *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te*, etc. (*Joan.* XVII.) *Insuper et usque*, quasi dicat : tribuit mihi intellectum insuper autem, id est super intellectum, et usque *ad noctem*, id est usque ad mortem *increpuerunt* vel erudiverunt, vel emendaverunt *me renes mei*. [Aug., Alcuin.] id est usque ad mortem erudivit me inferior pars mea, scilicet, carnis assumptio, ut experirer tenebras mortalitatis, quas tenebras ille intellectus non habet, quia pro eis nec turbari, nec deficere potuit.

Vel ita, ab illo loco, *Dominus pars*, et accepit per hæreditatem gentes conversas, id est omnes fideles,
D qui sunt hæreditas Christi, [Alcuin.] quasi diceret : Non congregabo fundentes sanguinem, sed eos qui Deum eligunt partem. Et hoc est : *Dominus est pars*, id est portio et præmium, *hæreditatis meæ* [Cassiod.] id est sanctorum, qui sunt hæreditas mea. *Et* est pars *calicis mei*, id est merces passionis meæ : Hæreditas enim ad gentes, calix ad passionem pertinet, qui bibitus dat resurrectionem. Et, o Domine Pater, *tu es qui restitues hæreditatem mihi*, Christo ; vel hæreditatem meam, id est genus humanum, quod dedisti mihi hæreditatem et regnum, ut excolam, et in eo regnem, quod diabolo faciente perierat. [Hieron.] Sed nemo putet se hæreditatem, nisi præclarus sit, quia *funes ceciderunt mihi in præclaris*, id est in san-

ctis. [Cassiod.] Ideo dicit funes, quia sancti fiunt hæreditas Christi, quasi dicat, sorte, in quo intelligitur divina electio, qua in partem Christi cesserunt, sicut sors cecidit super Matthiam, qui ab æterno electus erat, [Hier.] et quisque capit ad mensuram suam, id est, prout gratia Dei mensurat cuique, Sequitur : *Etenim*, quasi dicat : Bene dixi, in præclaris, [Rem.] etenim *hæreditas mea præclara est mihi*. Quamvis enim sancti sint in mundo quibusdam abjecti, mihi tamen præclari sunt. *Benedicam Dominum*. [Alcuin., Cassiod.] Secunda pars, ubi Christus gratias agit Patri de intellectu et passione, in qua eo favente vicit, et de resurrectione et confessione et : hæc sunt per quæ hæreditas restituitur, ut sit rex Judæorum, ut titulus dicit. Quasi dicat : Mihi restituta est hæreditas, Ego autem *benedicam Dominum qui tribuit mihi intellectum*, [Cassiod.] quo omnia vera et sancta vidit Christus. Insuper de hoc benedicam, quod renes mei, id est Judæi qui de Juda sunt, unde ego sum, ex quibus secundum carnem exivi, scilicet parentela mea, increpuerunt me injuriis, et per tentationes et passiones. Et hoc est, *usque ad noctem*, id est usque ad mortem. Sed in his semper.

Vers. 8. — « Providebam Dominum in conspectu « meo semper, quoniam a dextris est mihi ne com- « movear. »

Providebam in conspectu meo Dominum, qui semper est, [Aug.] id est et veniens in ea quæ transeunt, non abstuli oculum ab eo qui semper est providens quod in eum post temporalia peracta recurrerem. Attende quod ait, providebam semper Dominum. [Cassiod.] Hinc trahe exemplum quo peccata vitentur. Qui enim semper acie mentis Deum intuetur, non peccatis inquinatur. Ideo Deum attendo, *quoniam* a dextris est mihi, ne commovear, [Aug., Cassiod.] id est favet mihi ut in eo stabilis permaneam, et ideo nil sinistri mihi prævalet. Et quia est a dextris.

Vers. 9. — « Propter hoc lætatum est cor meum, « et exsultavit lingua mea, insuper et caro mea re- « quiescet in spe. »

Propter hoc lætatum est cor meum et exsultavit lingua mea, [Aug., Cassiod.] id est, ideo etiam in cogitationibus et in verbis est exultatio. Hæc est plena lætitia, quæ et corde hilari percipitur, et alacri sermone profertur. *Isuper et caro mea* non deficiet in interitu, sed *requiescet*, [Aug.] id est dormiet *in spe* resurrectionis. [Cassiod.] Nota quod ita dicit hic, insuper, agens de gaudio et quiete, sicut et supra agens de passionibus dixerat : Insuper usque ad noctem increpuerunt me renes mei ut pro modo molestiarum gaudia sint humanitatis cœlestia. Sequitur :

Vers. 10. — « Quoniam non derelinques animam « meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre « corruptionem. »

Quoniam non derelinques. [Aug.] Quasi dicat : In qua spe requiescet ? in hac, quia nec anima in in-

A ferno, possidenda dabitur, nec corpus sanctum, per quod et alii sanctificandi sunt, patieris corrumpi. Et hoc est, quoniam non dereliquisti, communi more aliorum, *animam meam*, [Cassiod.] quam habeo, ut verus homo, *in inferno ; nec dabis sanctum tuum*, scilicet corpus meum a te sanctificatum, *videre corruptionem*, id est, putrefactionem. Alibi dicit se pati corruptionem, id est vulnerationem. Ibi : *Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendero in corruptionem* (*Psal.* XXIX). Dico non dabis, imo.

Vers. 11. — « Notas mihi fecisti vias vitæ : adim- « plebis me lætitia cum vulto tuo, delectationes in « dextera tua usque in finem. »

[Aug.] *Notas fecisti* per me, *mihi*, id est meis in quibus et ego sum. Dico mihi fecisti, et notas fe-
B cisti dico *vias vitæ*, id est, vias humilitatis, ut ad vitam redeant homines. Unde per superbiam ceciderunt. Et *adimplebis me*, id est, meos in futuro, *lætitia cum vulto tuo*, id est ut nihil ultra desiderent cum facie ad faciem te viderint, in quibus quia ego sum, dico, adimplebis me, et interim sunt eis *delectationes* [Gl. int.] in itinere hujus vitæ. [Aug.] Et hoc *in dextera tua* id est in favore et propitiatione tua. Delectationes dico, perducentes eos *usque in finem*, id est usque ad consummationem beatitudinis æternæ, et est sensus : [Cassiod.] Delectatio est eis in favore tuo, in itinere hujus vitæ, perducens eos ad finem gloriæ conspectus tui. Vel de seipso Christus dicit, adimplebis me lætitia cum vultu tuo, delectationes erunt mihi in dextera tua, id est lætitia et delectatio erit mihi in consessu tuo, humanis
C obtutibus subtracto. Et hoc usque in finem, id est perfecte et æternaliter.

COLLATIO IN PSALMUM XV : « CONSERVA ME, DOMINE. »

Titulus secundum Hieronymum, humilis et simplicis David, qui duas dictiones vel unam ex duabus coactam legit. Nempe מכך MACAC, et תם TAM. Prior significat *humiliavit*, posterior *simplicem* et *purum*, ut sit מכתם MICHTAM. Alii vero cœperunt dictionem simplicem, derivatam tamen, et verterunt *insignia*, vel *ornatum auro optimo*. Hinc LXX dixerunt, στηλογραφία, id est *tituli inscriptio*, a quibus non longe est Chaldæus, *sculptura recta*.

Vers. 1. — *Dixi Domino Deus meus es tu*. Sic Hieron. Sed Pratensis, Sanctes, Pellicanus, Munsterus, interpretes pro Cajetano et Campensis, vertunt in secunda persona, *dixisti*, id referentes ad animam
D quasi seipsam alloquentem, ut habet etiam interpres Chaldæus : Locuta es, tu anima mea. Punctulum in Heb. minimum variat personam et genus, id est qui ponunt primam personam legunt אמרתי AMARTI, et accessione punctuli unius, rejecto iod, fit אמרת secundæ personæ feminini generis, cum apud Heb. verba habeant genus sicut nomina, sensus tamen omnino conspirat.

Bonorum meorum non eges. Hier. *Bene mihi non est sine te*. Propter quod Faber, et cæcus Burgensis redarguunt LXX, quasi qui converterint intelligentiam Prophetæ. Sed ignari potius litteraturæ Hebraicæ, hoc potuerunt temerario ausu dicere. Heb. autem habent טובתי בל עליף TOBATI BAL ALECA, quod sonat si ad verbum reddideris, *bonum meum*, vel *bonitas mea non super te*. Quæ certe sententia, quod alterutram includat intelligentiam, nihil officit. Unde Munsterus sic transfert, *bonum meum nihil tibi addit ;*

Pratensis, *bonitas mea non confert tibi*. Eodem tendunt Pellicanus et Campensis. Sanctus cum Hier. alterum sequitur sensum, *Bonum meum non est nisi a te*.

VERS. 2. — *Mirificavit omnes voluntates meas*. LXX acceperunt דאדיר HEEDIR, in verbo quod dicunt HIPHIL. Alii in nomine אדירי ADDIRE, id est *magnifici, admirabiles, fortes*, etc. Vel probabilius, copularunt LXX nomen illud ad voluntates *ceu mirabiles voluntates meæ in eis*. Quem loquendi modum extulerunt per verbum, non variato sensu. Cæteri autem retrahunt אדירי ADDIRE, ad id quod præcessit, ut dicas *in sanctis magnificis omnis voluntas mea est*.

VERS. 3. — *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum*. Hieron. et interpretes pro Cajetano, *idola eorum*. Cæteri transferunt, *anxietates, dolores, molestias*, quia עצב ATZAB signat *afflixit*, vel *sculpsit*. Unde עצבה ATZABAH *afflictio* vel *idolum*, quod se colentibus sit in magnam afflictionem, ut vul Munsterus in lexico. Ob idque Hieronymus in commentario hujus loci, ait LXX interpretatos fuisse *idola, infirmitates*. Sed et Chaldæus interpretatur *idola*.

Postea acceleraverunt. Hier., *post tergum sequentium* Sequi autem post tergum est celeriter reverti, ut idem subindicat in commentariis. « Gentiles, inquit, relinquentes idola, ad me celerrime sunt reversi. » Quod non dissidet ab eo quod est, *postea acceleraverunt*. Munsterus et Sanctes de suo addentes, alio detorserunt sensum : Hic, *multiplicentur dolores eorum, qui alteri deo donaverunt*; ille *multiplicabuntur anxietates eorum, qui festinant ad deum alienum*. Satis accedit Pratensis, *post alterum acceleraverunt*; et Nebiensis, *post alienum properant*. Nobiscum sunt Pellicanus, et interpretes pro Cajetano, *postea acceleraverunt*, videlicet ad cultum unius Dei.

A Hebræus habet ירבו עצבותם אחר מהרו IIRBBU ATZEBOTAM AHER MAHARU. Chaldæus interpres, *postmodum festinant, ut sacrificent sacrificia*.

VERS. 4. — *Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus*. Heb. בל אסיך נשכיהם BAL ASSIC NISSCHEHEM. Et vertunt, *non libabo libamina eorum* ; aut ut vult Nebiensis, *non miscebo mistiones eorum de sanguine*, ut significetur deinceps carnales observantias non fore Deo acceptas. Quia vero lectio ecclesiastica eodem conspirat, **31** non est opus inquisitione anxia, quamvis etiam ad litteram posset fieri conciliatio, discutiendo radices נסך NASAC, quæ notat *libare* et *miscere*, ac סכך SACAC, quæ potest signare *aggregavit*. Ut ut fuerit, sensus est illæsus :

VERS. 9. — *Exsultavit lingua mea*. Hebr. כבודי QUEBODI, id est *gloria mea*. Sed quia verbum כבד QUIBBED, signat *glorificat*, et nos quempiam glorificamus B lingua, idcirco maluerunt interpretes transferre, per *linguam* : quod aptissime quadrat sensui verborum præcedentium et sequentium. Nam primo posuerunt cordis lætitiam, propter hoc lætatum est cor meum. Et cum ex abundantia cordis os loquatur, congruentissime subjectum est, exsultavit lingua mea, juxta illud psal. LXII : *Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea, et labiis exsultationis laudabit os meum*. Tum demum sequitur, et caro mea requiescet in spe, ut consummatam laudem absolverent, in corde, in lingua, in omni opere. Quid etiam si interpretes legissent לשוני LESCHONI pro QUEBODI, vocandine forent in jus ? Sensus denique non alto portendit.

PSALMUS XVI.

PSALMI TITULUS : « ORATIO IPSI DAVID. »

Exaudi Domine. Titulus : *Oratio David*. [Cassiod.] Psalmus iste primus est eorum qui nomine orationis intitulantur, et sequuntur alii quatuor, qui bene ab oratione prætitulantur, quia cum in aliis interseratur oratio, in istis pene continuatur. [Hier.] In hoc autem psalmo Christus secundum hominem orat, adjuncta sibi voce sui corporis, quod est Ecclesia ; et facit iste psalmus veram humanitatis naturam in Christo attendere, qui in eadem voce cum membris suis hic orat, non pro sua utilitate, sed pro nostra necessitate. [Alcuin.] Christi enim oratio, est fidelium institutio. Sicut enim flendo Lazarum, charitatem proximi nos habere docuit, et sicut persecutores fugit, ut inconsulte terminatis nobis auferret audaciam : Ita oravit, ut formam orandi nobis proponeret. [Aug.] Et est sensus tituli : *Oratio* hujus psalmi, convenit *David*, id est personæ Domini adjuncta sibi Ecclesia, quæ corpus ejus est. [Cassiod.] Intentio : monet ad orationem. Modus : Tripartitus est psalmus. Primo petit secundum justitiam retribui sibi. Secundo petit a Judæorum insidiis liberari. ibi, ego clamavi. Tertio orat sibi et adversariis retribui, ibi : exsurge, Domine. Christus ergo secundum hominem ad Patrem orans, adjuncta sibi voce corporis, ait : O

VERS. 1. — « Exaudi, Domine, justitiam meam : « intende deprecationem meam. »

Domine, exaudi justitiam meam. [Cassiod., Gl. C int.] quia justitia habet vocem apud Deum, quæ penetrat cœlum. Et pro justitia *intende deprecationem meam*, quæ est de cavendis malis. Et non modo intendas, sed.

VERS. 2. — « Auribus percipe orationem meam « non in labiis dolosis. »

Auribus percipe, [Cassiod.] quasi dicat, non transitorie, ut cito transeat *orationem meam* quæ est de bonis suis, et sibi adhibendis. [Gl. int.] Orationem dico, prolatam *non in labiis dolosis* sicut oratio eorum qui inique me damnant, et meos. [Cassiod., Rem.] Vel sicut est illorum oratio, qui dicunt : Domine, Domine, et faciunt voluntatem Patris (*Matth.* VII). Sequitur :

VERS. 3. — « De vultu tuo judicium meum pro- D « deat ; oculi tui videant æquitatem. »

De vultu tuo. [Gl. int.] Ecce quid petit in oratione, quasi dicat : Exaudi orationem meam, qua hoc peto *judicium meum*, quo fui judicatus a Pilato et Judæis, *prodeat*, o Domine, [Rem.] id est videatur prodiisse. De vultu tuo, id est de aspectu tuo qui omnia vides, nec eges testimonio alterius, [Cassiod., Rem.] id est secundum ea quæ agnoscis in me, qui nullum habeo peccatum, videatur provenisse, non de dispositione, id est secundum dispositionem et voluntatem Judæorum : quod patet factum esse in resurrectione, quando præter eorum opinionem a mortuis resurrexit. Et *oculi tui*, o Domine. *videant æquitatem*, ut mihi remedium, Judæis pœnam des, sicut meruerunt. [Gl. int., Al-

cuin.]Vel ita, judicium meum, dicit Christus homo, quo discerno omnia. De vultu tuo prodeat, id est de illuminatione notitiæ tuæ, ut veritatem judicem. Et oculi mei. Alia littera, [Aug., Gl. int.] scilicet oculi cordis, viderunt æquitatem. [Aug.] Vel eodem sensu manente, ita distingue litteram, percipe orationem meam, hic distingue. Deinde sequitur : Non in labiis dolosis, de vultu tuo judicium meum prodeat, videlicet judicans non proferam labiis aliud quam ex te intelligo. Oculi mei videant æquitatem, hoc non mutatur.

Vers. 4. — « Probasti cor meum, et visitasti no-« cte : igne me examinasti, et non est inventa in « me iniquitas. »

Probasti, ideo fac quod peto, quia probasti *cor meum, et visitasti nocte,* [Aug.] id est ipsum cor meum visitatione tribulationis probatum est : quæ tribulatio, non solum nox dicitur, sed etiam ignis. Nox, quia pertubat, ignis, quia exurit. Unde subdit, *igne* tribulationis *me examinasti,* [Cassiod.] hoc dicit ad similitudinem fornacis, quæ metallum purgat, *et non est inventa in me,* quasi dicat tribulatione me probasti, sed in ea inventus sum justus. Et, id est quia non est inventa in me *iniquitas* quam ustio coqueret. Adeo sum justus, et sine iniquitate,

Vers. 5. — « Ut non loquatur os meum opera « hominum : propter verba labiorum tuorum ego « custodivi vias duras. »

Et non loquatur os meum opera hominum. [Aug.] id est ut aliud non procedat de ore meo,quam quod ad gloriam et laudem tuam pertinet non ad opera hominum, quæ faciunt præter voluntatem tuam, id est nihil nisi bonum locutus sum. Alibi autem scriptum est : *Ex ore Altissimi* (*Thren.* III), id est humanat Filii Dei non egredientur nec bona nec mala : qui cum staret ante Herodem, scilicet quando inquisitus ab eo multis quæstionibus et sermonibus, nihil respondit (*Luc.* XXIII), sed tanquam ovis coram tondente obmutuit (*Isa.* LIII). Vel ex ore Altissimi, id est Christi, ascendentis in cœlum, non egredientur nec bona nec mala, quia in ascensu nihil legitur fuisse locutus, qui ante multa dixerat. Vel ex ore Altissimi, id est Christi, in majestate judicaturi, non egredientur in judicio nec bona, nec mala, id est egredientur bona et mala. Duæ enim negationes complent sensum unius affirmationis. Dicet autem bona bonis : *Venite, benedicti* (*Matth.* XXV); et mala malis : *Ite, maledicti* (*ibid.*). Vel ex ore Altissimi, id est Dei Patris, non egredientur in judicio nec bona nec mala, quia *Pater non judica quemquam, sed omne judicium dedit Filio* (*Joan.* V); *propter verba,* quasi dicat, [Gl. int.] et ego si ita innocens sum, dicit Christus, tamen *ego custodivi.* Vel junge, non loquatur os meum opera hominum, sed potius ego cum pondere custodivi *vias duras,* vel laboriosas, [Aug.] scilicet mortalitatis, et passionis. Vel, secundum aliam litteram, [Rem.] custodivi vias latronis, id est quod latro merito, ego immerito sustinui, et hoc non pro mea culpa, sed propter verba

A labiorum tuorum, complenda, [Aug., Rem.] id est ut compleantur verba pacis tuæ, quæ significatur per labia, quam verbis suis promisit : quæ promissio dicitur verba pacis. Vel propter verba labiorum tuorum complenda, id est prophetarum. Sequitur :

Vers. 6. — « Perfice gressus meos in semitis « tuis, ut non moveantur vestigia mea. »

Perfice, vel ad perficiendos gressus meos, etc., quasi dicat : Custodivi vias duras, utique ad perficiendos *gressus meos in semitis tuis,* [Aug.] id est ut perficeretur charitas Ecclesiæ meæ, qua venitur ad requiem tuam in angustis viis, id est in arctioribus præceptis. Per hoc enim docui quod non potest ad te pervenire Ecclesia, nisi per angustam viam, et *ut non moveantur vestigia mea,* id est signa itine-
B ris mei, quæ sacramentis et Scripturis apostolicis impressa sunt, ut illa intueantur et observent, qui me sequi volunt. Vel ideo custodivi vias duras, et perfici gressus ut jam non moveantur vestigia mea, id est ut stabiliter maneam, in æternitate, postquam peregi vias duras, et gressus perfeci.

Aliter ab illo loco, *ut non loquatur,* quasi dicat : [Cassiod.] Non est inventa in me iniquitas, quod tu scis, et si ego taceam. Et hoc est quod ait, hoc quod dico nosti, *ut,* id est, quamvis, *Non loquatur os meum,* id est, et si ego taceam. Et hoc est quod ait, tu scis me esse purum. Et distinguitur ibi littera, *os meum.* Deinde sequitur, *opera,* etc., quasi dicat : Et licet tam purus sim, tamen *propter verba labiorum tuorum* hoc non mutatur. *Ego custodivi*
C *vias duras,* scilicet opera hominum, id est quas merentur opera hominum, scilicet passionem et mortem, et reliquas passiones et miserias. [Hier.] Vel vias duras dicit virtutes, quæ hominibus sunt difficiles, non Christo. Et est sensus : Ego custodivi vias virtutum, duras hominibus, scilicet opera hominum, id est quas debent imitari homines : quibus iter vitiorum leve est, et virtutum difficile. Vel ita : dico, *non est inventa in me iniquitas,* [Alcuin.] ita tamen hoc dico, ut non loquatur os meum, ut non jactanter hoc dicam, quod est *opera,* id est opus *hominum,* scilicet jactanter loqui. Vel ita : [Rem.] Adeo sum justus, ut non loquatur os meum aliquid indebitum, id est ut non peccem in lingua : quod est opera, id est opus hominum, scilicet peccare in
D lingua. Sequentia non mutantur a sensu primæ expositionis usque *perfice,* quasi dicat : Et quia custodivi vias duras, ideo *perfice gressus meos,* [Cassiod.] id est humanas meas actiones usque in finem, id est usque ad passionem et mortem. Ante enim non est nisi inchoatio. Perfice dico in semitis tuis, id est in arctioribns præceptis tuis. Ad hoc perfice, *ut vestigia mea non moveantur,* id est ut illi qui volunt me imitari, non moveantur a te. [Rem., Gl. int.] Vel vestigia dicit opera bona quæ fecit, et doctrinam quam tradidit. Et est sensus : Ideo perfice, ut vestigia mea, quibus est impressa forma justitiæ, non moveantur a bonis, qui volunt me imitari.

Pars II. Vers. 7. — « Ego clamavi, quoniam

« exaudisti me, Deus : inclina aurem tuam mihi, et A
« exaudi verba mea. »

Ego clamavi, etc. [Cassiod.] Secunda pars, ubi Christus petit ut a Judæorum insidiis ejus puritas liberetur, quasi dicat, custodivi vias duras, et perfeci gressus meos. *Ego* etiam, dicit totus Christus, *clamavi*, id est libera et valida intentione preces ad te direxi, ideo *quoniam exaudisti me, o Deus*, id est quia certissime scio me exaudiendum esse. [Cassiod.] Hoc dicere non convenit nisi justo, qui confidenter orat, quia se scit exaudiri, qui converso verborum ordine potest dicere [Aug.] quoniam exaudisti me clamavi, alioquin potius dicendum videretur quoniam clamavi exaudisti me. Vel ita clamavi, hoc non mutatur : ideo utique, quoniam, ut hoc possem, o Deus, exaudisti me, olim infirmius orantem. [Aug.] Hoc proprie Christus in membris dicit. Et quia clamavi, ideo *inclina aurem tuam*, [Gl. int.] scilicet aurem clementiæ et misericordiæ tuæ *mihi*, [Cassiod.] scilicet humili, *et exaudi verba mea*, non deserat exauditio tua me humilem. Quæ verba ? hæc :

Vers. 8. — « Mirifica misericordias tuas qui sal-
« vos facis sperantes in te. »

Mirifica misericordias tuas. [Aug.] Mira sunt quæ nova sunt. Hæc sunt quæ in carne Christus gessit mirantibus Judæis. Et est, mirifica misericordias, id est fac nova quæ et mali mirentur, ne vilescant misericordiæ, et ne minus amentur. Tu dico *qui salvos facis sperantes in te.*

Vers. 9. — « A resistentibus dexteræ tuæ custodi
« me, ut pupillam oculi. »

32 *A resistentibus dexteræ tuæ*, [Aug.] id est ab illis qui resistunt dexteræ tuæ, id est favori quo mihi faves. [Cassiod.] Vel, dexteræ tuæ, id est mihi Filio tuo. Et *custodi me ut pupillam oculi*, id est custodi me secundum humanitatem. [Aug.] Pupilla enim perexigua est, et tamen per eam acies luminis dirigitur, quo lux et tenebræ dijudicantur. Sic per humanitatem Christi deitas discernens est inter homines bonos et malos, quia eos qui fidem humanitatis habent, in sorte bonorum, alios vero in consortio malorum adnumerat. [Cassiod.] Hanc autem petit custodiri hoc modo.

Vers. 10. — « Sub umbra alarum tuarum protege
» me, a facie impiorum qui me afflixerunt. »

[Aug.] *Protege me*, ut gallina pullos suos *sub umbra alarum tuarum*, [Cassiod.] id est in munimento charitatis et misericordiæ tuæ. Misericordia enim et charitas sunt alæ Patris, quibus nos protegit. Protege dico, *a facie*, id est ab instantia *impiorum*, id est dæmonum et Judæorum *qui me afflixerunt*, sic.

Vers. 11. — « Inimici mei animam meam cir-
» cumdederunt, adipem suum concluserunt ; os
» eorum locutum est superbiam. »

Inimici mei, [Cassiod.] scilicet Judæi, *circumdederunt* consiliis *animam meam*, id est vitam, volentes eam tollere, et *adipem suum concluserunt*, [Aug.] id est lætitia sua pingui cooperti sunt, postquam cupiditas eorum de scelere satiata est. Capto enim Christo lætitiam pinguedine intus conceptam extra ostentarunt. [Alcuin., Cassiod.] Vel a simili animalium, quæ ex adipe inflantur et sunt lasciva, dicit, adipem suum concluserunt, id est superbiam retinuerunt, non macri, id est non humiles, sed inflati superbia. Vel adipem suum concluserunt, id est pinguem et carnalem sensum retinuerunt. Vel adipem suum concluserunt, sceleribus saginati, veram intelligentiam amiserunt. [Cassiod. Aug.] Unde restat superbia loqui. Et ideo *os eorum locutum est superbiam* dicendo : *Ave, rex Judæorum* (*Matth.* XXVII), et hujusmodi. [Cassiod.] Os dicit non cor, quia sæpe iniqui quod ore defendunt, corde damnant. Sequitur : Et

B Vers. 12. — « Projicientes me nunc circumde-
« derunt me : oculos suos statuerunt declinare in
« terram. »

Projicientes me [Aug., Gl. int.] extra civitatem, quasi locus de me macularetur. Pravi coloni quia prius servos in vinea missos occiderunt) *Matth.* XXI), *nunc me* Filium et hæredem (*ibid.*) *circumdederunt* in cruce, non obsequio, sed furore, quasi ad spectaculum convenientes, et hoc ideo, quia *statuerunt oculos suos*, scilicet cordis *in terram*, scilicet ne perderent locum et gentem. Dixerunt enim : Si *dimittimus eum sic, totus mundus abit post eum, et venient Romani, et tollent locum et gentem (Joan.* XI). Vel, statuerunt oculos suos declinare in terram, [Aug.] id est intentionem cordis C sui, in terrena declinaverunt, putantes eum pati malum qui occidebatur, et se nullum qui occidebant. Et quasi quis diceret : Unde eis hæc opportunitas ? Respondet :

Vers. 13. — « Susceperunt me sicut leo paratus
« ad prædam, et sicut catulus leonis habitans in
« abditis. »

Susceperunt me, [Alcuin.] id est avide acceperunt me a Deo, cujus dispositio erat ut moreretur ; [Rem., Cassiod.] vel a Juda traditore, vel a judice Pilato. Qui ? principes qui erant *sicut leo*, id est diabolus *paratus ad prædam*, qui circuit quærens quem devoret (*I Petr.* V), [Cassiod.] id est comparandi erant leoni diabolo, quo auctore faciunt. Et non tantum principes, [Aug.] sed *et* populus qui D erant *sicut catulus leonis*, id est filius diaboli, cui dictum est : *Vos ex patre diabolo estis* (*Joan.* VIII) *habitans in abditis*, id est permanens et cogitans in insidiis, [Cassiod.] quia mos est malis vota tegere, ut latenter possint perficere. [Aug.] Cogitabant ergo insidias quibus circumvenirent et perderent justum.

Pars III. Vers. 14. — « Exsurge, Domine, præ-
« veni eum et supplanta eum, eripe animam meam
« ab impio, frameam tuam ab inimicis manus tuæ. »

Exsurge, Domine. [Cassiod.] Pars tertia, ubi de retributionibus suis, et adversariorum est oratio, quasi dicat : [Aug.] Illi ita, sed tu, *o Domine*, qui videris dormire, et iniquitates hominum non curare

exsurge ad vindictam contra Judæos, *et præveni eum* populum, vel eos, scilicet Judæos; a simili currentis dicit. [Alcuin.] Currit enim populus, ut crucifigat; currit Deus Pater ut vindicet; sed Deus prævenit excæcando. Nemo enim non prius in se quam in alium peccat, id est quisque peccando prius se lædit quam alium. Et est præveni eum, [Aug.] id est factum eorum vindicta excæcationis præveniat, et ita subverte eos. Vel *supplanta eum*, a simili luctantis, id est inefficaces fac, et dejice eos, ut locum et gentem perdant, pro quibus retinendis Christum occiderunt. Unde subdit:

VERS. 15. — « Domine, a paucis de terra divide « eos in vita eorum : de absconditis tuis adimple- « tus est venter eorum. »

Domine, a paucis de terra, sed de se interponit *eripe animam meam*, quasi dicat: [Aug.] Illos supplanta, sed eripe animam meam *ab inimicis*, diabolo, resuscitando me a morte illata ab impiis. Deinde exponit quod dixerat, eripe *frameam tuam ab inimicis manus tuæ*, anima mea et framea tua, quam manus, id est æterna virtus tua assumpsit, ut per eam regna iniquitatis debellet, et justos dividat ab impiis hic affectu, in futuro etiam loco. Hanc ergo eripe animam meam ab inimicis manus tuæ, id est virtutis tuæ, id est ab inimicis meis, qui sum manus tua. Domine, a paucis, postquam oravit pro sua, subdit de adversariorum retributione, et exsequitur quod dixerat, supplanta, quasi dicat, supplanta eos, hoc modo: O Domine, perdes eos de terra, vel dispartire eos in vita eorum, alia littera quasi dicat: Domine, perdes eos de terra, quam inhabitant, et dispartire eos per totum orbem in ista vita, quam solam suam putant qui de æterna desperant. Non solum autem erit eis hæc pœna visibilis, sed *de absconditis tuis adimpletus est venter eorum*, id est de peccatis quæ tanquam tenebræ a lumine veritatis tuæ absconduntur, plena est memoria eorum, ut obliviscantur Deum.

VERS. 16. — « Saturati sunt filiis : et dimiserunt « reliquias suas parvulis suis. »

[Aug.] *Saturati sunt filiis* operibus malis. Filios enim opera intelligimus: et sicut bona opera bonos filios, ita malos mala. [Hier.] Vel saturati sunt porcina, id est immunditia, concultantes margaritas sermonum Dei.

Aliter ab illo loco, *Domine, a paucis*, et legitur littera nostra, *o Domine, divide eos*, id est Judæos, *a paucis*, id est ab electis, secundum mores quibus sordescunt. [Alcuin.] Vel, a paucis fidelibus, qui monitu angeli, imminente Judæorum exterminio, in regnum Agrippæ secesserant, ubi tuti manserunt. (4) Judæos dico, sublatos de terra, pro qua me occiderunt. Illos, inquam, *divide per orbem*. Et hoc in vita eorum præsenti. Quid ergo post hanc vitam erit eis? omnimoda miseria. *De absconditis tuis*, quasi dicat merito hæc eis, quia de absconA ditis tuis, id est de immunditiis, quas utique Deus non novit, id est prohibet. *Adimpletus est venter eorum*, id est, satiata est carnalitas eorum. [Cassiod., Alcuin.] Vel in bono potest accipi, de absconditis tuis, id est de præceptis legis, et miraculis Christi. [Cassiod.] Venter, id est carnalis sensus, eorum adimpletus est, quibus bonis etsi pasti fuerint, tamen saturati sunt porcina, id est immunditia, *et reliquias suas*, scilicet reliquias peccatorum *dimiserunt parvulis suis*, [Aug., Hier.] id est, posteris, clamantes: Sanguis ejus super nos, et super filios nostros. [Alcuin.] Vel, saturati sunt filiis, id est ad opus filiorum. Et est similitudo a re, quæ non est. Nullius enim dape filii saturantur, et ita saturati sunt, quod dimiserunt reliquias suas,
B scilicet reliquias maledictionis parvulis suis, id est posteris suis. [Rem.] Vel, saturati sunt de absconditis, id est de peccatis. Et hoc filiis, id est ad utilitatem filiorum, qui sunt reliquiæ salvandæ, de quibus dixit Isaias: *Reliquiæ Israel salvæ fient* (*Isa.* X). Unde et hic subdit, et dimiserunt reliquias suas parvulis suis, id est posteris suis, de quibus erunt illæ reliquiæ. Sequitur:

VERS. 17. — « Ego autem in justitia apparebo con- « spectui tuo : satiabor cum apparuerit gloria tua. »

Ego autem, quasi dicat: [Aug.] Illis ita continget; ego autem, qui non apparui eis, qui corde sordido et tenebroso, lucem veritatis et sapientiæ non vident, *in justitia tua*, id est secundum justitiam tuam, *apparebo conspectui tuo*, vel in conspe-
C ctu tuo; et cum illi saturati sint immunditia, ut me non cognoscerent, *ego satiabor*, munditia, id est, in his qui me intelligunt, id est in sanctis, *cum apparuerit*, vel dum manifestabitur sanctis in judicio *gloria tua* æterna.

COLLATIO IN PSALMUM XVI : « EXAUDI, DOMINE, JUSTITIAM MEAM, INTENDE. »

VERS 3. — *Oculi tui viderunt æquitates*. Psalmodia Romana habet, *oculi mei;* sed Hier. emendat ad Simiam et Eretellam.

VERS. 4. — Versus 4 et 5, propterea quod possunt aliter et aliter distingui, diversum identidem parient sensum. Primo sic: *Igne me examinasti, et non invenies, cogitavi*, vel ut vult Hier., *cogitationes, non pertransibit os meum*, vel *non transire os meum*, hic finiendo versiculum quartum: mox ut inchoe-
D tur quintus versus, *in opera hominum*, juxta Heb. interpretes nostri etiam fecerunt sectionem, *igne me exanimasti, et non invenies iniquitatem*. Vel (quod eodem recidit) *non est inventa in me iniquitas*, quia זמם ZAMAM, licet notet, *cogitavit*, id tamen non absolute semper, sed *cogitavit nefas* aut *scelus*. Dehinc incipiatur caput quinti vers: *Ut non pertranseat os meum opera hominum*. Et ita transire concinne intelligitur *in ore versare:* igitur *non loquatur os meum opera hominum*. Hæc et illa intelligentia, non dissidet a veritatis spiritu, qui multiplex est et unicus (*Sap.* VII).

VERS. 5. — *Ego custodivi vias duras*. Hieron., *vias latronis*, seu ut alii volunt, *vias dissipatoris*. At פריץ PARITZ vel פרץ PERETZ ab eodem verbo פרץ PARATZ, interdum significat viam interruptam et confractam, quæ solet esse dura. Et Nebiensis vertit

(4) Ex Eusebio Hist. Eccl., III, cap. 5; et Pet. Com. ex Hist. Actuum apost., cap. 69.

vias dirutas. Alioqui et viæ latronis sunt laboriosæ, ut explanatur in interpretatione de Christo, qui tanquam princeps latronum ignominiose passus est.

VERS. 11. — *Adipem suum concluserunt*. Faber et Cæcus contendunt debere in ecclesiis occini, *adipe suo concluserunt*, auferendi casu, ut subaudiatur accusativus *animam meam*. Hoc volunt pro suo cerebro; sed potest intelligi quod adipe concluserunt corpus suum, ut vertit Sanctes a quo non dissidet Munsterus interpretatus passive, *adipe suo clauduntur*, quo itidem tendit paraphrasi Campensis, *qui sunt bene pasti et obesi*. Et hoc est adipem suum concludere. Pratensis quidem vertit, *adipe eorum concluserunt*, sed ut id verbi transeat ad particulam sequentem videlicet os suum, contra tamen rationem pausæ Hebraicæ, licet Chaldæus ad eum modum distinguat, *adeps eorum operit os eorum*.

VERS. 12. — *Projicientes me, nunc circumdederunt me*. Si legamus אשורני ASSURENI per iod fine, id est *gressus contra me*, ut legerunt LXX, et Hier. dilucidius vertentes, *projicientes me*, vel *incedentes adversum me*. Sic et Nebiensis. Alii 𝕯𝕯 Hebraizantes legunt נו NU in fine per vau, ut sit *gressus nostri*. Similiter in sequenti vocabulo distinguendum venit סבבוני SEBABUNI, quomodo legerunt LXX, Hieron. Nebiensis, Sanctes et Pellicanus, vel סבבוני SEBABUNU, quomodo Munsterus, Campensis, et interpretes pro Cajetano. Cernis quam facile variant exemplaria.

VERS 13. — *Susciperunt me sicut leo paratus ad prædam*. Heb. דמיונו DIMIONO, id est *similitudo ejus sicut leonis*, etc. Interpretes legerunt per iod in fine, non per vau, quod passim fit apud Hebr. Et quia fuisset subobscurius dicere, *similitudo mea* seu *similitudo mei*, *sicut leo paratus ad prædam*, intellectum clarum reddiderunt, *susceperunt me sicut leo*. Quasi diceres : Hæc similitudo leonis parati ad prædam mihi aptata est, dum instar leonis sævientis, inimici in me debacchati sunt.

VERS 14. — *Eripe animam meam ab impio, frameam tuam ab inimicis manus tuæ*. Difficultas in hoc versu, et proprie sequentis est in varia distinctione et aliorum verborum redditione. Nam Hebraicam litteram persequentes, faciunt finem versiculi in framea tua. Et Hier. ita vertit, *eripe animam meam ab impio, qui est gladius tuus*, quem versiones aliorum imitantur. LXX intellexerunt in accusativo casu, frameam tuam, referentes ad animam, ut exponit August. Ob id aliter secuerunt contextionem versiculorum, quod et non rariter faciunt, ob causas supra dictas.

Eodem versu, cujus principium secundum Hebr. set finis versiculi 14, secundum Latinos, *ab inimicis*

A *manus tuæ*. Hier., *a viris manus tuæ*, quomodo et Nebiensis. Vel, ut alii reddunt, *a viris qui sunt manus tua*, vel *flagellum, erue*, ut vertit Sanctes. Cæterum cum vocula Hebraica מתים MATHIM secundum rabbi David, sint viri addicti desideriis hujus sæculi, certe erunt *inimici manus Domini*, quæ largitur præcipue dona spiritualia amicis suis. Unde exponit Pellicanus, *de quibus*, inquit, *vindictam sumis*.

VERS 15 — *Domine, a paucis de terra divide eos in vita eorum*; Sanctes, *a viris de mundo, quorum pars in vita*; Pratensis, *a viris ex tempore, quorum pars in vita*; interpres pro Cajetano, *a viris de mundo, quorum pars in vitis*; Pellicanus, *a viris subsistentiæ modicæ, portio eorum in vitis*; Munsterus, *a viris inquam et a sæculo nequam, quorum pars est in vita*; Nebiensis, *a viris de sæculo, pars quorum in vita eorum*. Longe secus Hieron., *qui mortui sunt in profundo, quorum pars in vita*. Singulas particulas sigillatim expendamus in eo quod habemus. *A*
B *paucis*, in Hebræo eadem repetitur dictio, quam interpretabantur LXX in priori versu *inimicos*, sicut declaratum est. Sed cum significet etiam *viros subsistentiæ modicæ*, ut vertebat Pellicanus, nostra lectio non violat veritatem Hebraicam. Dehinc sequens particula, videlicet *de terra* עלד HELED, Hebraice innuit durationem vitæ hujus sæculi. Quare nihil est discrepantiæ, si sensus concilietur. Et Munsterus in priori suo lexico, scribit significare *profundum orbis*, quomodo accepit Hieronymus, qui etiam ut manifestum est, legit מתים METHIM per *e* longum, quod dicunt modo tzere, et significat *mortuos*, ut transtulit Hieron. Cæteri vero per *a* breve, quod vocitant hateph pathah, *denique divide eos in vita eorum*; Hebraicantes, *quorum pars in vita*. Sed nihil a fonte Hebræo recedit. Nam חרק HALAQ, significat *divisit*, et חלק HELEQ, *partem*. Ob idque חלקם HELQUAM, *pars eorum*, vel HOL QUAM חלקם *divide eos*.

C VERS. 17. — *Satiabor cum apparuerit gloria tua*. Hieronymus, *cum evigilavero similitudine tua*. Vel, ut alii habent, *cum evigilavero ad similitudinen* seu *imaginem tuam*. Sensus est prorsus idem. Nam gloria quam vobis promisit omnipotens Deus, est ut transferatur ad imaginem Filii sui, juxta illud *Rom*. VIII : *Quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui*. Et rursus *I Joan*. III, *cum apparuerit, similes ei erimus*. Scio tamen quosdam interpretari *imaginem tuam*, hoc est animam. Sed ad hoc non astringimur. Cæterum quod LXX dixerunt in tertia persona, alii in prima, procedit ex vocabulo Hebraico infinitivi modi, qui accommodatur cuilibet personæ, בהקיץ BEHAQUITZ.

PSALMUS XVII.

PSALMI TITULUS : « IN FINEM PUERO DOMINI DAVID, QUÆ LOCUTUS EST DOMINO : VERBA CANTICI HUJUS IN DIE QUA ERIPUIT EUM DE MANU INIMICORUM EJUS ET DE MANU SAUL, ET DIXIT : »

Diligam te, Domine, fortitudo mea. Titulus, [*in finem puero Domini David, quæ locutus est Domino; verba cantici hujus, in die qua eripuit eum Dominus de manu inimicorum ejus, et de manu Saul, et dixit*.] Legitur in libro Regum quod rex iniquus Saul persecutus est David mitem et mansuetum. Quo mortuo David liberatus est, et in pace regnavit.]Hier. et Rem.] Pro hac liberatione videtur David hunc psalmum cantasse Domino : Sed quia titulus habet [*in finem et cantici*] removemur ab historia. [Gl. int., Cassiod., Alcuin.] Finis namque Christus est,

D canticum vero et exsultatio de æternis. Melius ergo accipitur de toto Christo, scilicet de capite et membris, quem totum Dominus eripuit in die resurrectionis Christi *de manu inimicorum*, id est Judæorum et dæmonum, et [de manu Saul] id est mortis. [Hier., Alcuin.] Per Saul enim intelligitur mors. [Aug.] Saul namque interpretatur *petitio*, quia populus extorsit hunc regem a Deo, qui non est electus ad permanendum, [Alcuin.] sed permissus ad tempus regnare, sicut dicitur in Job : *Facit Deus regnare hypocritam propter perversitatem populi*. (*Job* XXIV). David autem elegit Deus ad permanendum, de quo Christus natus est rex in æternum. Sed non ante David tenet regnum, quam liberatur

a persequentibus. Et sicut David prius sustinuit Saulem quam in pace regnaret, [Alcuin.] sic Christus ante sustinuit mortem, quam regnaret quietus, sic et corpus ejus quod est Ecclesia. Et bene Saul persecutor David mors dicitur, quæ sola non persequitur. Nisi enim mortales essemus, nihil nobis faceret inimicus. Et sicut Deus illum regem non elegit, ita hanc non fecit Deus (*Sap.* I), sed impii manibus et verbis accersierunt. [Hier., Aug., Rem., Cassiod.] Et est sensus tituli : *Verba cantici hujus,* quod dicitur canticum, quia agit de lætitia resurrectionis Christi, et constitutionis Ecclesiæ. [Hier.] Hoc posuit ne de historia David accipiatur. Cantici dico, tendentis *in finem,* id est in Christum, conveniunt *David*, id est Christo, secundum caput, et secundum corpus ejus, id est Ecclesiam. David dico, *puero Domini* Dei Patris, de quo Isaias ait : *Puer natus est nobis, et filius datus est nobis* (*Isa.* IX). Quæ verba *locutus est,* totus est Christus, *Domino,* [Gl. int., Aug.] id est ad honorem Domini. Hoc enim dicit Christus et Ecclesia, id est totus Christus. Cantici dico, habiti *in die,* id est pro die resurrectionis Christi, *qua* die *Dominus* Pater *eripuit eum,* id est Christum, secundum caput et corpus, *de manu inimicorum ejus,* id est de potestate Judæorum, secundum caput; et de potestate dæmonum, secundum caput et membra. [Aug., et Cassiod.,] In die namque resurrectionis a diabolo Christus ereptus est, et membra absoluta sunt. Et *de manu Saul,* id est de potestate mortis Christum in re, et membra in spe, et tandem in re eripiet. [Rem.] Et bene prius ait de inimicis, postea de morte, quia novissima inimica destruetur mors. Et pro hac spirituali liberatione totus Christus agens gratias. Deo dixit : Diligam te, Domine. Intentio [Cassiod.] Monet ad gratiarum actiones pro liberatione spirituali.

Modus. Quatuor sunt partitiones : primo Propheta de liberatione gratias agit, summam beneficiorum Dei colligens. Secundo agit de cladibus humani generis ante adventum Christi, et qualiter Dominus sit misertus ibi, *circumdederunt*. Tertio, Christus agit de virtute ac potentia sua ibi, Deus *qui præcinxit.* Quarto, Ecclesia læta munera Dei laudat ibi, *vivit Dominus*. De spirituali ergo liberatione Christus integer gratias agens, ait : O

VERS. 1 — « Diligam te, Domine, fortitudo mea : « Dominus firmamentum meum, et refugium meum, « et liberator meus. »

Domine, diligam te : [Rem.] quod tantum restat de omnibus erepto. Et causam subdit, qui es virtus vel *fortitudo* mea, [Aug.] per quam scilicet fortis sum super inimicos. *Dominus firmamentum meum,* vel Domine, alia littera, quasi dicat, et, o Domine, tu es firmamentum meum, id est firmasti me. Et hoc ideo, quia es *refugium meum,* quia ad te refugi; refugi autem, et, id est quia *liberator meus* es de inimicis, id est quia liberasti me. Deinde mutans personam, ait, et

VERS. 2. « Deus meus, adjutor meus : et sperabo « in eum. »

Deus meus, [Hier., Cassiod.] id est Creator est, *adjutor meus,* quasi dicat, qui me creat, me adjuvat : *et* eo adjuvante, ego *sperabo in eum* ac si in secunda persona diceret : [Aug.] Tu qui creas es adjutor, qui prius adjutorium vocationis mihi gratis præstitisti, ut per hoc possem sperare in te. Et tu es.

VERS. 3. — « Protector meus, et cornu salutis « meæ, et susceptor meus. »

Protector meus contra insidias, [Cassiod., Aug.] quia non de me præsumpsi, quasi cornu superbiæ contra te erigens, sed te celsitudinem salutis inveni. Unde subdit, *et* tu es *cornu,* id est firma celsitudo *salutis meæ* ad dissipandos inimicos; et ut hoc invenirem, tu es *susceptor meus,* [Cassiod., Aug., Gl. int.] id est tu suscepisti me per gratiam. Et ideo.

VERS. 4. — « Laudans invocabo Dominum, et ab « inimicis meis salvus ero. »

Laudans, [Aug., Gl. int.] non meam gloriam, sed Domini quærens *invocabo Dominum* ad perseverandum, *et sic ab inimicis meis salvus ero,* id est non nocebit mihi impietatis error. [Aug.]

Vel in persona ipsius David, totum legi potest. Qui ait : *Diligam te, Domine,* qui es virtus mea, vel *fortitudo mea,* id est ex quo fortis sum. Deinde mutans personam de eo loquitur hominibus dicens : *Dominus* est *firmamentum,* quo firmus stetit in acie. *Et refugium meum,* [Cassiod.] quia quando opus erat consilio ad eum refugit, et invenit; *et liberator meus,* ut si potens captum ab hostibus liberet, et *Deus meus* est, *adjutor meus, et sperabo in eum,* et *protector meus,* contra insidias, *et cornu salutis meæ,* ad dissipandos inimicos, *et susceptor meus,* sicut medicus ægri. [Rem., Cassiod.] Laudans, post omnia beneficia non elatus se jactat, sed omnia Deo tribuit dicens : *Laudans invocabo Dominum.* Et ideo *ab inimicis meis salvus ero.* Nam qui aliter agit, sibi derelictus perit, et si vicisse videbatur : Sequitur.

PARS II. VERS. 5. — « Circumdederunt me dolores « mortis, et torrentes iniquitatis conturbaverunt me. »

Circumdederunt me. [Cassiod.] Secunda pars, ubi in persona justorum qui fuerunt ante adventum Christi, agit Propheta de cladibus humani generis, et quomodo Deus mysterio incarnationis misertus sit, et in baptismo de toto orbe Christianos collegit. [Alcuin.] Et attende regulam unitatis capitis et corporis, id est Christi et Ecclesiæ; quasi enim una persona est caput et corpus, ideoque una voce utitur caput cum membris, licet ea quæ dicuntur ad diversos referantur. Quædam enim soli capiti conveniunt, quædam solis membris, quædam capiti et membris. Item quæ membris conveniunt, quædam præteritis, quædam præsentibus, quædam futuris, et quædam perfectis, et quædam imperfectis conve-

niunt, et tamen in tanta diversitate una vox est, et A quasi una persona videtur loqui, ut sicut duo sunt in carne una, scilicet sponsus et sponsa, ita sint et in voce una. Vide enim hic quia cum ex persona antiquorum loqui incipiat, et post de mysterio incarnationis agat, eo usque narrationem ducit, ut utatur verbis præsentis Ecclesiæ de toto orbe in baptismo collectæ, ibi, *Misit de summo*, etc. [Cassiod.] Sic continuam **34** litteram. Dixerat, invocabo, et ab inimicis salvus ero, modo quasi quis diceret : Mirum est quare hoc dicis. Quid enim tibi est? Resp. Ecce quid : *Circumdederunt me dolores mortis*, non de rebus mundi, sed mortis, id est diaboli, per quem mors, id est diabolus, ut ait Apostolus, ante Christi adventum ubique et in omnibus pene regnabat (*Rom.* v), inter quos rari erant justi, qui B rapidis iniquitatibus conturbati sunt. Unde subdit, *et torrentes iniquitatis conturbaverunt me*, id est iniquitates abundantes, et rapidæ ut torrentes, conturbaverunt me.

VERS. 6. — « Dolores inferni circumdederunt « me ; præoccupaverunt me laquei mortis. »

Dolores inferni, [Cassiod.] id est gentiles in inferno debito dolore torquendi, *circumdederunt me*. Et præter hoc *præoccupaverunt me laquei mortis*, id est originale peccatum, unde et mors quæ ante ligavit me, quam ex propria virtute peccarem. Sed

VERS. 7. — « In tribulatione mea invocavi Do- « minum, et ad Deum meum clamavi. »

In hac tanta *tribulatione mea*, id est in hac tanta C necessitate, ubi totis viribus petitur, *invocavi Dominum*, [Cassiod.] quod est unicum inter mala remedium. Dominum dico, non utique alienum, sed meum Deum. Et hoc est quod subdit, *et ad Dominum meum clamavi* ; quod plus est quam invocare.

VERS. 8. — « Et exaudivit de templo sancto suo « vocem meam : et clamor meus in conspectu ejus « introivit in aures ejus. »

Et ipse Deus *exaudivit vocem meam de templo sancto suo*, [Cassiod.] id est de cœlo, vel de venturo Christi corpore, in cujus incarnatione effectum exauditionis consecuti sunt ; *et clamor meus*, id est causa justitiæ meæ, quæ bene ad Deum intrat, quia pro mundi clade supplicat, qui clamor est *in con-* D *spectu ejus*, [Aug.] id est quem intus habeo in conscientia, non coram hominibus *introivit*, a simili fidelis nuntii, *in aures* potentiæ et clementiæ *ejus*. Sequitur :

VERS. 9. — Commota est et contremuit terra ; « et fundamenta montium conturbata sunt, et com- « mota sunt, quoniam iratus est eis. »

Commota est. [Cassiod.] Decursa tristitia, quam ante Christi adventum Dei populus sustinebat, ad incarnationis secreta pervenit, quæ proprie notatur cum ait, inclinavit cœlos ; sed præmittit ea quæ acta sunt tempore incarnationis, dicens : Commota est. Ecce quomodo audivit de præmissa tristitia, scilicet per incarnationem, quam per ea quæ tunc facta sunt, sic describit ; commota est, quasi dicat, hoc modo audivit, quia tempore incarnationis *terra*, id est peccatores, [Aug., Cassiod.] commota est interius ad pœnitentiam. Et post, *et contremuit* exterius pro peccatis. [Cassiod.] Necesse est enim ut præsentiam judicis tremant peccatores ; *et* fundamenta montium, [Aug.] id est spes superborum in sæculo, *conturbata sunt*. Fundamenta montium sunt præsumptiones superborum, et hujusmodi, quibus innitebantur. Sed hæc *conturbata sunt, et commota sunt*, ut jam spes mundi non habeat firmamentum in cordibus hominum. [Cassiod.] Spes enim mundi abiit, quam Deus odit. Et quare hoc? *Quoniam iratus est eis*, id est quia innotuit eis ira Dei. Et ita :

VERS. 10. — « Ascendit fumus in ira ejus, et ignis « a facie ejus exarsit : carbones succensi sunt ab « eo. »

Ascendit fumus, [Aug.] id est lacrymosa deprecatio pœnitentium, *in ira ejus*, scilicet in pœna judicii prævisa, id est cum novissent quid minetur Deus. Et post *ignis a facie ejus exarsit*, id est flagrans charitas, post pœnitentiam de notitia ejus exarsit. Et ita *carbones succensi sunt*, id est illi, qui jam mortui erant exstincti ab igne Dei, et a luce justitiæ, et frigidi tenebrosique remanserant. Rursus accensi, et illuminati revixerunt. [Cassiod.] Et hoc *ab eo*, id est veniente Domino. Sed nunquid venit? utique venit, quia

VERS. 11. — « Inclinavit cœlos, et descendit : et « caligo sub pedibus ejus. »

Inclinavit cœlos, vel cœlum, [Cassiod.] id est humiliavit se Verbum Dei, ut carnem sumeret, *et descendit*, id est ad nos venit, carne indutus. Vel ita : Carbones succensi sunt, [Hier.] id est illi qui prius erant exstincti, succensi sunt ab eo igne charitatis. Sed quomodo sunt hæc omnia facta? ecce, inclinavit Deus Pater cœlos, [Gl. int.] id est humiliavit cœlestia misso Filio, de quo subdit, *et descendit* ad nos. Humiliavit autem tunc cœlestia, quia angelos humanæ naturæ subjecit, *et caligo*, [Cassiod.] id est, diabolus, qui mentes obnubilat, est *sub pedibus ejus*, quia Domini potestate calcatur.

VERS. 12. — « Et ascendit super cherubim, et « volavit : volavit super pennas ventorum. »

[Cassiod.] *Et* ipse qui descendit *ascendit* super cœlos, quando videntibus apostolis conscendit : quod tale est *super cherubim* quod interpretatur *plenitudo scientiæ*, id est omnem modum scientiæ excedit. [Aug., Cassiod.] Quis enim attingit hoc arcanum quod caro mortalis, et passibilis sic est exaltata? *et volavit* fama ejus. Volavit item itemque geminatum. Namque verbum nimiam celeritatem significat, quia per totum mundum fama ejus cucurrit. Unde et subdit, *super pennas*, id est velocitatem, *ventorum*. Ventos enim, quibus nihil est velocius, superat fama ejus, ut dum mox natus, Magis per stellam est nuntiatus.

VERS. 13. — « Et posuit tenebras latibulum

« suum, in circuitu ejus in tabernaculum ejus : tene-
« brosa aqua in nubibus aeris. »

Et tenebras, id est incarnationis mysterium, quod nobis est profundum et obscurum, *posuit* latibulum suum, [Cassiod.] id est secretum majestatis suæ, quæ nube carnis tegebatur : quod tunc aperiet, quando videbimus eum facie ad faciem. *Tabernaculum ejus,* id est Ecclesia quæ ei militat, est *in circuitu ejus*, id est ei proxima. Et ideo, etsi nondum per speciem videt, tamen per fidem.

Vel ita ab illo loco, circumdederunt me, et legitur ex persona Christi non mutata voce, qui referens passionem suam, ait : *Circumdederunt me dolores mortis,* [Aug.] id est carnis, qui sunt gravissimi. *Et torrentes iniquitatis*, id est turbæ Judæorum iniquæ ad tempus motæ, sed cito desituræ, sicut pluvialia flumina. *Conturbaverunt me*, id est egerunt ut me conturbarent; *et dolores inferni circumdederunt me,* id est in circumdantibus me ut perderent, erant dolores invidiæ, qui mortem operantur, ducuntque ad infernum ; *et laquei mortis*, scilicet Judæi, qui jactatione justitiæ mala suadent, unde est mors, *præoccupaverunt me,* ut priores mihi nocere vellent, quod eis postea reddetur. Vel ita : *Dolores mortis circumdederunt me, et dolores inferni circumdederunt me,* id est dolentes de me Judæi, quæ est eis causa mortis interioris, et inferni circumdederunt me. Vel ita, *circumdederunt me dolores mortis*, id est dolores morientium, scilicet quos solent pati morientes. Et hi dolores, qui circumdederunt me, sunt infixi, alia littera, [Alcuin.] id est pro inferiori parte mea, scilicet humanitatis infirmitate. *Et torrentes iniquitatis*, [Gl. int.] id est transitorii impetus iniquorum, *conturbaverunt me*, secundum illud : *Cœpit Jesus pavere, et tædere* (*Marc.* XIV). Et hæc omnia ideo, quia *præoccupaverunt me laquei mortis*, id est quia præoccupaverat me mortalitas et passibilitas; sed *in tribulatione mea invocavi Dominum,* hoc non mutatur. *Et ad Dominum meum clamavi,* et hoc non mutatur. *Et Dominus exaudivit vocem meam de templo sancto suo,* [Aug.] id est de corde meo, in quo habitat ; *et clamor meus*, qui est, *in conspectu ejus*, id est quem intus habeo in conscientia, non coram hominibus, *introivit in aures ejus*, hoc non mutatur, nisi quia hic clamor est pro resurrectione. Introivit dico, unde clarificatus sum. Vel ita : *Commota est et contremuit terra*. Nam clarificato Christo, commoti sunt et contremuerunt peccatores ad pœnitentiam ; *et fundamenta montium conturbata sunt, et commota sunt, quoniam iratus est eis*, Deus, et hoc non mutatur. Et, *ascendit fumus in ira* ejus, *carbones succensi sunt ab eo*, hoc sicut ante intellige. *Inclinavit cœlos,* vel cœlum, qualiter ira Dei innotuit eis, et prædicta facta sunt, ostendit, quia, inclinavit cœlum, *et descendit* cœlum, id est humiliavit justum, ut ipse descenderet ad hominum infirmitatem, docendo simplicia. *Et caligo est sub*

A *pedibus ejus,* id est impii qui terrena sapiunt, caligine suæ malitiæ cæci, non eum cognoverunt. Terra enim est scabellum pedum ejus, quia terreni ad ejus contemplationem non eriguntur. *Et ascendit super cherubim*, id est exaltatus super plenitudinem scientiæ, quæ est charitas ; ut ad Deum nemo perveniret, nisi per charitatem ; *et volavit*, quia dilectoribus suis se incomprehensibilem ostendit, ne corporeis imaginibus quærant eum comprehendere : *volavit* dico *super pennas ventorum*, quia incomprehensibilitas ejus, superat virtutes animarum, quibus se velut pennis, a terrenis timoribus in auras libertatis attollunt. *Et posuit tenebras latibulum suum,* id est occultam spem in corde credentium, ubi latet, non deserens eos. Et posuit tenebras latibulum suum, id est obscuritatem sacramentorum, B in quibus latet. Latuit enim divinitas in carne, remissio peccatorum in baptismo, Christus in altari sub sacramento panis. Vel, *posuit tenebras latibulum suum*, id est in his tenebris vitæ mortalis latet, ubi per fidem ambulamus, et non per speciem, et quod non videmus speramus, et per patientiam exspectamus. Et quamvis lateat, tamen, *tabernaculum ejus est in circuitu ejus*, id est conversi, in quibus hoc tempore habitat et militat, ambiunt eum quasi medium, quia omnibus æqualiter favet, nec tamen vident eum nunc per speciem, etiam per Scripturas, quia, *tenebrosa aqua*, id est obscura doctrina est, *in nubibus aeris*, id est in prophetis, et in omnibus prædicatoribus, qui a terrenis elevati, inferioribus compluunt verbum Dei. Obscura est, C dico :

VERS. 14. — « Præ fulgore in conspectu ejus nu-
« bes transierunt, grando, et carbones ignis. »

Præ fulgore qui erit *in conspectu ejus,* [Aug.] id est in comparatione fulgoris, qui erit in manifestatione ejus. Nunc enim per speculum videmus, tunc facie ad faciem (*I Cor.* XIII). [Aug.] Ne quis ergo putet se esse in futura luce, ideo quia Scripturas recte intelligit, sequitur, *nubes transierunt*, quasi dicat obscura aqua est in nubibus, quæ nubes, id est divini verbi prædicatores, transierunt, ad gentes, non jam in judæa tantum sunt. [Hier.] Aliter ab illo loco *inclinavit cœlos*, id est prædicatores humiliavit a contemplativa vita ad ministerium D activæ, ut Rachel virum suum Liæ concedat. *Et descendit* ipse per eorum doctrinam in quorumdam simplicium notitiam, qui majora capere non valent. Et ideo ait, *descendit*, vel, *inclinavit cœlos*, [Alcuin.] id est humiliavit prædicatores ab ferendas molestias. *Et descendit*, ipse passus in eis, cum quibus est unum. Et ideo in eis dicitur pati, sicut ipse ait : *Ecce venio Romam iterum crucifigi* (5) Sequitur : *Et caligo ejus*, id est tenebrosi qui etiam persequuntur, sunt, *sub pedibus ejus*, [Alcuin.] id est sub ejus potestate. Vel, *caligo*, id est qui simpliciter credunt, sunt *sub pedibus ejus*, id est ei subjecti sunt. Sequi-

(43) Ex historia passionis Petri Apostoli.

tur: *Et ascendit,* [Hier.] quasi in quibusdam per- A cœlos, id est per prædicatores; *descendit* scilicet in infirmis. Alii autem sunt in quibus per eosdem ascendit. Et hoc est: *Et ascendit super cherubim,* [Alcuin.] id est facit quosdam plenos scientia, in quibus supereminet, sed nec illi penitus eum comprehendunt, quia *volavit super pennas ventorum,* [Aug.] id est celeritatem intellectus eorum transcendit. *Et posuit tenebras latibulum suum,* [Alcuin.] id est tenebrosis latenter utitur, sicut ipse ait per prophetam: *Virga furoris mei est Assur; ipse vero non cognovit* (*Isa.* X), quia per Assyrium, id est per Sennacherib, vel Nabuchodonosor, afflixit Deus peccantes in se Judæos, et alios multos, nec intellexit Assyrius quare vel cujus virtute hoc fieret, sed *tabernaculum* **35** *ejus* est *in circuitu ejus,* [Alcuin.] id est milites sui cognoscunt, quod per malos agitur. Sequitur: *Tenebrosa aqua in nubibus ætheris.* Alia littera, secundum quod in Hebræo habetur, *præ fulgore in conspectu ejus nubes.* Hic distingue, quasi dicat per cœlos, id est doctores Novi Testamenti descendit in notitiam minorum, sed ascendit in notitiam majorum. Sed per nubes ætheris, id est per prophetas, in quibus nubibus est tenebrosa aqua, [Cassiod.] id est obscura doctrina, non sic ascendit, et descendit: quia umbra figurarum tecti, luce doctrinæ aliis non irradiabant; sed *nubes,* quæ non sunt ætheris, id est apostoli, sunt *præ fulgore,* una dictio, id est præfulgidæ. *In conspectu ejus,* id est vicinius contemplantes eum. Et hæ nubes *transierunt,* quia prædicatores de Judæa ad gentes transierunt. Hic in unum redigitur lectio. Et ex illis transeuntibus processerunt *grando et carbones ignis,* [Aug.] id est objurgationes, quæ velut grando dura corda feriunt; sed si ignis charitatis duritiam resolvit, in miti animo fit aqua satians. Et carbones, quia illo igne accensa corda reviviscunt.

« VERS. 15. — Et intonuit de cœlo Dominus, et « Altissimus dedit vocem suam: grando et carbo- « nes ignis. »

Et intonuit, quasi dicat, nubes transierunt, et per transeuntes *Dominus* qui est *de cœlo,* [Gl. int.] id est excelsus, *intonuit* minis, quæ sunt de pœnis æternis; *et Altissimus,* hoc est quod dixerat, de cœlo dedit vocem suam suavem, quæ est de præmiis æternis. Vel ita: *Intonuit de cœlo Dominus,* [Aug., Gl. int.] id D est, de corde justi sonuit Dominus, quando ingentia mysteria loquitur, quæ est fiducia Evangelii Per hoc enim et ipsi prædicatores fiducialius prædicant, et auditores prædicantibus fidentius credunt, Et Altiss. dedit vocem suam, [Aug.] ut in profundo sæculi audiremus cœlestia. Vel ad litteram, *Dominus intonuit de cœlo,* [Cassiod.] ut quando visum est tonitruum, sicut legitur in Evangelio, Deo patre dicente: *Clarificavi, et iterum clarificabo eum.* (*Joan.* XII). Et *Altissimus dedit vocem suam* cum dixit: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui (*Matth.* III.) Et inde processit, *Grando et carbones ignis,* sicut supradictum est. Sequitur;

VERS. 16. — « Et misit sagittas suas, et dissi- « pavit eos: fulgura multiplicavit, et conturbavit « eos. »

Et misit. Quasi dicat: Dominus intonuit *et* Dominus *misit,* [Alcuin.] Quasi dicat, non temere transibunt, sed missi; non enim transitus apostolorum ad gentes semper erat certus, neque rationabilis habitus; ideoque ait, *et misit sagittas suas,* [Aug.] id est evangelistas, cum pennis virtutum recte volantes *et dissipavit,* vel dispersit, *hos* ad quos misit ut aliis eorum essent odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem (*II Cor.* II); *fulgura* etiam *multiplicavit,* id est miracula, quæ stupidos reddunt. Unde subdit: *et conturbavit eos.*

VERS. 17. — « Et apparuerunt fontes aquarum, B « et revelata sunt fundamenta orbis terrarum. »

Et apparuerunt fontes aquarum, [Cassiod.] id est veritas prædicatorum, qui aquis comparantur, quia doctrina alios rigant. [Aug.] Vel apparuerunt fontes aquarum, salientium in vitam æternam, qui facti sunt in prædicantibus; *et revelata sunt fundamenta orbis terrarum,* [Aug., Gl. int.] id est revelati sunt prophetæ, id est qui ante non intelligebantur: super quos credens orbis ædificatur, id est Ecclesia, quæ dicitur orbis, quia de toto orbe colligitur. Et bene ait revelata: [Cassiod.] Christo enim veniente patuit quod divinun tegebat eloquium. Inde est quod in die passionis illa sacramenta deteguntur in Ecclesia, quæ in precedenti tempore XL tecta fuerunt.

VERS. 18. — « Ab increpatione tua, Domine, C « ab inspiratione spiritus iræ tuæ. »

Ab increpatione. [Alcuin.] Hic fit conversio ad ipsum Deum. Cui quasi cum gratiarum actione loquitur. Quasi dicat: Et omnia facta sunt, o Domine ab increpatione tua, [Aug.] id est tui clamantis; *appropinquabit regnum cœlorum* (*Matth.* IV). Et *ab inspiratione spiritus iræ tuæ,* id est tui dicentis: *Nisi pœnitentiam egeritis,* morte moriemini (*Luc.* XIII), [Cassiod.] increpationem vero et inspirationem accepit Christus prædicationem, quia per prædicationem increpabat peccantes, et inspirabat ut timerent iram futuram. Sequitur:

VERS. 19.— « Misit de summo et accepit me; et « assumpsit me de aquis multis. »

Misit de summo, [Cassiod.] Hucusque egit de adventu Domini. Hinc agit de temporibus Christianis, ex persona præsentis Ecclesiæ, non mutata voce. Quasi dicat, hoc totum factum est, quia misit Deus Pater Christum, de summo, id est de cœlo; *et accepit me* Ecclesiam sponsam, et *assumpsit me de aquis multis,* id est de aquis baptismi [Aug.]. Vel, accepit me, gloriosam Ecclesiam sicut prius vocando ex gentibus in hæreditatem suam. Unde subdit; et assumpsit me de aquis multis, id est multitudine populorum [Alcuin.]. Vel ita *misit* Spiritum sanctum, qui est donum, *de summo,* id est de alto, quia æqualis Patri est et Filio. Spiritus sanctus namque unus est Deus cum Patre et Filio, et donum, quia donari potest, et donatur, cum incipit in aliquo esse se-

cundum charismata gratiæ, quæ cum a Patre et Filio pariter tribuantur, sæpius tamen Spiritus sancti esse dicuntur, quia ex dilectione nobis præstantur; et Spiritus sanctus dilectio est utriusque, scilicet Patris in Filium, et Filii in Patrem, amborumque connexio. Sequitur: *et accepit me*, quasi dicat, fugitivam; *et assumpsit me* in altitudinem virtutis, et boni operis. Et hoc, *de aquis multis*, hoc non mutatur. Et

VERS. 20. — « Eripuit me de inimicis meis fortissimis, et ab his qui oderunt me : quoniam confortati sunt super me. »

Eripuit me de inimicis meis fortissimis, id est de vitiis quæ super inimicos omnes nocent; *et ab his qui oderunt iniquitatem*, [Alcuin.] id est ab exterioribus inimicis hominibus, scilicet et dæmonibus quod necesse est; *quoniam confortati sunt* olim *super me*, [Aug.] quandiu sub ipsis eram, ignorabam Deum. Et agit de se secundum statum ante conversionem. Secundum quid sunt confortati? Ecce

VERS. 21.— « Prævenerunt me in die afflictionis meæ, et factus est Dominus protector meus. »

Prævenerunt me, id est prævaluerunt mihi, *in die afflictionis meæ*, [Gl. int.] in tempore meæ carnalitatis. Vel inimicos, et odientes dicit persecutores, et agit Ecclesia de se, secundum statum post conversionem, dicens: [Aug.] eripuit me de inimicis meis, qui mihi invidebant, jam volenti eum; *fortissimis*, quia prævaluerunt temporaliter ad affligendam et pervertendam hanc temporalem vitam meam; *et ab his qui oderunt me*, quia volo eum. Dico, eripuit per hoc, *quoniam confortati sunt super me*. Per hoc enim magis eripuit, quod illi sunt confortati. [Cassiod.] Cum enim affligitur Ecclesia, magis crescit. Et *prævenerunt me*, [Gl. int.] id est priores mihi nocuerunt, a simili currentium, et hoc non in tempore gaudii, sed *in die afflictionis meæ*, id est in tempore carnis quo, [Aug.] scilicet mortale et laboriosum corpus gero, *et factus est protector meus Dominus* contra miserias et voluptates. Sequitur :

VERS. 22. — « Et eduxit me in latitudinem, salvum me fecit, quoniam voluit me. »

Et eduxit. Quasi dicat: Cum carnales patiebar angustias, *eduxit me Deus latitudinem* spiritualem contra angustias carnis, ut me dilataret, merito et numero. [Cassiod.] Per mala enim dilatat Deus charitatem; per sævitiam quippe malorum merito crescit Ecclesia. Et merito *salvum me fecit* quod fuit, [Cassiod.] quando ad fidem venit. Ut enim infidelitas mors animæ est, ita et vita ejusdem fides est. Unde: *Justus meus ex fide vivit* (*Hebr.* X). Et hoc totum fecit *quoniam voluit me*, antequam ego eum vellem, id est gratis elegit me.

VERS. 23.— « Et retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam, et secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi. »

Et retribuet. [Gl. int.] Quasi dicat: [Hæc omnia gratis dedit, scilicet fidem et charitatem. Sed post, *retribuet mihi* hic in præsenti *secundum justitiam*

A *meam*, [Aug.] id est secundum justitiam bonæ voluntatis, qui dedit per misericordiam ut vellem bonum, *et retribuet mihi* hic *secundum puritatem manuum mearum*, [Cassiod.] id est factorum meorum, qui dedit ut facerem, educendo in latitudinem, id est retribuit mihi secundum justitiam bonæ voluntatis, et secundum opera quæ opera sunt post prima beneficia Dei, scilicet fidem et charitatem, quæ gratuito sine præcedenti merito Deus præstat. [Alcuin.] Deinde pro illis, scilicet fide et charitate, et operibus ex illis provenientibus, quasi pro meritis bona spiritualia retribuit. Hic in præsenti, scilicet perseverantia, et alia. Unde subdit:

VERS. 24.— « Quia custodivi vias Domini, nec impie gessi a Deo meo. »

B *Quia custodivi*, [Aug.] quasi dicat: hoc retribuet, *quia custodivi vias Domini*, ut latitudinem operum longanimitas consequatur perseverandi, *nec impie gessi*, recedendo *a Deo meo*. Vel ita, et retribuet Dominus secundum justitiam meam, et secundum puritatem manuum mearum, [Alcuin.] id est retribuet mihi secundum quod sum justus, et purus, id est innocens. Justus sum, quia custodivi vias Domini. Purus sum, quia non impie gessi, recedendo a Deo meo. Et hoc utrumque ideo, quia consideravi judicia Dei, tam præsentia quam futura, et vidi justa et inventa justa non repuli, id est placuerunt mihi, et sic custodivi; et hoc est quod ait :

VERS. 25.— « Quoniam omnia judicia ejus in conspectu meo : et justitias ejus non repuli a me. »

C *Quoniam omnia judicia ejus sunt in conspectu meo*, [Aug.] id est præmia justorum, pœnas impiorum, flagella corrigendorum, tentationes probandorum semper attendo et perseveranti contemplatione considero; *et justitias ejus*,[Cassiod.] id est illa judicia inventa justa, *non repuli a me*, ut facit ille qui sub sarcina eorum deficit, revertens ad vomitum. Vel qui fragilitate carnis superatus, dimittit quod cœperat. Sequitur :

VERS. 26.— « Et ero immaculatus cum eo; et observabo me ab iniquitate mea. »

Et ero. [Cassiod., Gl. int.] Quasi dicat: Ita olim vixi, et sicut cœpi, ita et postmodum *ero cum eo*, id est ei adhærens *immaculatus*, [Alcuin.] non ita quod prorsus sine macula sim,[Cassiod.] sed quia *observabo*

D *me ab iniquitate mea*, ne iterum cadam per peccatum mortale, quod est mors beati. Sequitur :

VERS. 27. — « Et retribue mihi Dominus secundum justitiam meam, et secundum puritatem manuum mearum in conspectu oculorum ejus. »

Et retribuet mihi. [Cassiod.] Supra dixit sibi retribuendum in præsenti pro fide, et charitate et operibus; hic, in futuro; et addit pro eisdem sibi retribui, ubi etiam pro perseverantiæ longanimitate præmium reddetur, quæ sicut supradictum est, pro fide et operibus in præsenti redditur. Et hoc est, et retribuit mihi, in futuro *Dominus secundum justitiam meam, et secundum puritatem manuum meorum*, [Aug.] jam itaque non solum

propter latitudinem fidei, quæ per dilectionem operatur (*Gal.* v), sed etiam propter longanimitatem, retribuet mihi, qui sum *in conspectu oculorum ejus,* [Cassiod.] hoc dicere solis justis convenit, ut sicut illi semper Dominum contuentur, ita Dominus jugiter eos respiciat. Vel determinat quid Deus sibi retribuet, illud scilicet quod est in conspectu oculorum ejus, [Aug.] non quod homines vident, sed quod Deus solus, quia quæ videntur ab hominibus temporalia sunt, quæ non videntur æterna sunt (*II. Cor.* xiv), quo pertinet altitudo spei.

Vers. 28. — « Cum sancto sanctus eris, et cum « **36** viro innocente innocens eris. »

Cum sancto sanctus. [Alcuin.] Dixerat sibi retribui secundum justitiam suam, nunc ut videatur gratia cum libero arbitrio, ostendit quomodo habeatur justitia, et fit conversio ad Dominum, quasi cum gratiarum actione. Quasi dicat : Etsi dixi : Retribuet mihi secundum justitiam meam, tamen, o Domine, tu eris sanctus cum sancto, id est adjuvas sanctum in sanctitate, [Hier.] quia sanctus es natura, et alios sanctificans gratia, *et cum viro innocente innocens eris*, id est innocentem adjuvas in innocentia, quia innocens es.

Vers. 29. — « Et cum electo electus eris, et cum « perverso perverteris. »

Et cum electo electus eris, [Aug.] id est ab eo quem eligis eligeris *et cum perverso perverteris,* [Alcuin.] id est perversum pervertis, id est perverti sinis. Nota quod secundum duo judicia, occultum, scilicet quod nunc agitur, et manifestum quod erit in futuro, dupliciter Deus retribuit bonis et malis. Hic enim retribuit ut justus justificetur, et qui in sordibus est, sordescat adhuc (*Apoc.* xxii). Unde hic dicit : Cum sancto sanctus eris, et cum perverso perverteris. Et in futuro retribuet præmium bonis, et pœnam malis. Unde ibi ait :

Vers. 30. — « Quoniam tu populum humilem sal» vum facies; et oculos superborum humiliabis. »

Quoniam tu populum humilem, [Cassiod.] Quasi dicat : Hic ita facies bonis et malis, et hoc ideo *quoniam* in futuro *tu populum humilem salvum facies, et oculos superborum,* [Aug.] qui ignorantes justitiam Dei, suam volunt constituere (*Rom.* x), *humiliabis,* [Cassiod.] quanto plus alti sunt. Vel ita, cum sancto, et loquitur hominibus. Quasi dicat : Sicut ego ero immaculatus cum eo, similiter tu, quicunque es, cum sancto, scilicet cum Christo, qui est Sanctus sanctorum, id est ipso donante eris sanctus, et cum viro innocente, scilicet Christo, eris innocens, et cum electo, scilicet Christo, eris electus, et cum perverso, diabolo, perverteris, id est perversus eris. Et est argumentum a convictu, quia ex convictu mores formantur : et qui tangit picem, inquinatur ab ea (*Eccli.* xiii). Et hoc totum ideo, quoniam tu, Domine, populum humilem salvum facies. Vel ita : *Cum sancto sanctus eris.* Quasi dicat : Occultum est quod sanctis in futuro retribues. [Aug.] Est etiam occulta profunditas qua

A intelligitur quod cum sancto sanctus eris, scilicet sanctificans eum, quia intelligeris; cum sancto sanctus, quia tu sanctificas, et qua intelligitur, quod cum viro innocente innocens eris, quia nulli noces, sed funiculis peccatorum suorum quisque constringitur; et cum electo electus eris, id est ab eo quem eligis eligeris; et cum perverso perverteris, id est perverso perversus videris, quia dicunt mali : *Non est recta via Domini* (*Ezech.* xviii). Et hoc ideo, quoniam populum humilem salvum facies. [Aug.] Hic perversum eis videtur quod confitentes peccata salvas, quod *oculos superborum humiliabis.* Hoc non mutatur.

Vers. 31. — « Quoniam tu illuminas lucernam « meam, Domine Deus meus, illumina tenebras

B « meas. »

Quoniam tu illum. [Alcuin.] Quod supra enuntiavit de quibusdam membris electis et sanctificatis, hic orat de aliis, [Cassiod.] et ita progreditur Ecclesia. Affirmavit enim supra quod sanctificat sanctos ; hic precatur ut illuminet alios qui sunt tenebræ, loquens ad Patrem sic : O Domine, Pater, qui es *Deus meus*, *tu illuminas lucernam meam*, id est apostolos, et alios primitivos. [Cassiod.] Lucerna enim fuerunt prædicatores, in quibus fuit lux, id est cognitio veritatis, qua illuminarunt alios, sicut lucerna lumen habet in testa. Unde Apostolus : *Habens thesaurum istum in vasis fictilibus (II Cor.* iv). Et quoniam illuminas lucernam meam, id est prædicatores. [Alcuin.] Per eos *illumina tenebras*

C *meas*, id est eos qui adhuc sunt in tenebris. Tenebras dico meas, quia licet sint in tenebris mei, tamen sunt prædestinatione. Vel ita, ut non fiat distinctio inter lucernam et tenebras, [Aug.] sed idem per utrumque significetur, ex alio quidem et ex alio. Lucerna enim dicimur, quia non habemus a nobis lucem, sicut lucerna a se non lucet; tenebræ vero dicimur, quia vitiis nostris tenebrosi sumus. Et est, quoniam tu illuminas lucernam meam, *Domine*, id est quia nostrum lumen non est ex nobis, sed a te, o tu qui es, *Deus meus*, illumina tenebras meas, id est nos qui peccatis nostris tenebræ sumus.

Vers. 32. — « Quoniam in te eripiar a tentatione, » et in Deo meo transgrediar murum. »

D *Quoniam in te.* [Aug., Gl. int.] Quasi dicat : Te rogo, et merito, quoniam in te, id est per te *eripiar a tentatione* diaboli. [Cassiod.] Deinde mutat personam ex gaudio dicens, *et in Deo meo*, non in me, *transgrediar murum,* [Aug.] quem inter homines et cœlum peccata exstruxerunt. Et nota quod non ait diruam, sed transgrediar. [Cassiod.] Diruere enim penitus non potest homo, sed ope Dei transit murum, id est obstaculum peccatorum.

Vers. 33. — « Deus meus, impolluta via ejus; » eloquia Domini igne examinata; protector est » omnium sperantium in se. »

Deus meus, quasi dicat : Vere in te, o Deus, eripiar, quia tu Deus meus eripies me de contradictio-

nibus populi. [Cassiod., Alcuin.] Usque hunc ordo litteræ extenditur : cætera interponit ad commendationem ejus, mutata persona, de eo loquens aliis sic; Deus meus eripiet. Et *via ejus est impolluta*, id est non incedit nisi per mundam viam, [Aug.] quia non venit in homines, nisi mundent viam fidei, qua veniat, quia impolluta est via ejus. Unde : *Parate viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri* (*Isa.* XL). Et alibi clamat propheta : *Eligite lapides de plateis* (*Isa.* LXII). Inde et quod in præcipuis solemnitatibus templa manufacta mundantur et ornantur, ut magnus sacerdos cum processione intret, ita et tu adorna thalamum mentis, ut æternus sacerdos cum plenitudine gratiarum ad te introeat, teque paulatim procedere de virtute in virtutem faciat. Sequitur, et *eloquia Domini sunt examinata igne*, [Aug.] id est igne tribulationis probantur. Et Dominus *protector est omnium sperantium in se*, id est eos qui sperant, non in seipsis, sed in illo, non consumet tribulatio. Et bene prius de fide, post de spe agit, quia spes sequitur fidem. [Cassiod.] Addit, omnium : nullus enim excipitur, nisi qui sperare non vult. Vel ita : Deus meus. Quasi dicat : In Deo meo transgrediar. Deus enim meus hoc habet, quod via ejus est impolluta, [Alcuin.] id est quod ipse est via, qua itur ad cœlum, impolluta. [Hier.] Vel hoc habet quod via ejus, qua venit in mundum est impolluta, id est sancta et immaculata virgo Maria : et secundum hoc ordo litteræ non respicit ad inferiora. Sequitur : Et eloquia Domini, id est Christi, sunt igne, Spiritus sancti, examinata. [Cassiod., Alcuin.] id est quidquid dixit Spiritu sancto examinatum est, id est utile et honestum, ut sapiens quidquid dicit, prius apud se dijudicat.

VERS. 34. — « Quoniam quis Deus præter Domi- » num? aut quis Deus præter Deum nostrum? »

Quoniam quis, quasi dicat, Deus meus, et bene. Quoniam quis alius Deus est *præter Dominum*, id est nisi ille qui est in rebus mundi Dominus? *aut quis Deus est præter Deum nostrum?* [Cassiod.] id est qui in Judæa natus est? non dii gentium. Hoc dicit contra paganos, qui multos sibi fingunt deos. Vel ita, quoniam non mutatur junctura, quasi dicat [Aug.] dico, Deus, quoniam quis, alius est, Deus præter Dominum nostrum, cui ex debito servimus. Aut quis est Deus propter Deum nostrum, quem post bonam servitutem, tanquam hæreditatem separatam filii possidemus.

PARS II. VERS. 35. — « Deus qui præcinxit me » virtute, et posuit immaculatam viam meam. »

Deus qui præcinxit. [Alcuin.] Pars tertia. Adhuc præter communia commendat eum per specialia. Dixerat enim quod protector est, et adjutor, nunc specialiter docet qualiter et in quibus sit adjutor et protector. [Hier.] Quasi dicat : Bene dixi, Deus meus. Deus enim est *qui præcinxit me*, id est præarmavit. Vel, præcinxit, a simili currentis, ne fluentes sinus cupiditatis, impediant gressus, id est

A opera bona. [Aug.] Præcinxit dico *virtute*, ut fortis sim, et loquitur hic Ecclesia. Sequitur : *Et posuit immaculatam viam meam*, scilicet charitatem qua ad illum ascendam. Sicut enim immaculata est fides, qua ad me venit, sic charitas qua ad illum vadam. Sequitur : ipse est

VERS. 36. — « Qui perfecit pedes meos tanquam » cervorum, et super excelsa statuens me. »

Qui perfecit pedes meos, [Aug.] id est amorem meum, quo vado ad eum *tanquam cervorum*, id est ad transcendenda spinosa, et umbrosa implicamenta sæculi. Et ipse est *statuens me super excelsa*, id est in cœlo figit cordis mei intentionem. Et ipse est

VERS. 37. — « Qui docet manus meas ad prælium ;
B » et posuit ut arcum æreum brachia mea »

[Aug.] *Qui docet manus meas ad prælium* contra vitia et dæmones, id est docet operari nos ad superandos hostes, qui iter cœli claudere nituntur. Deinde mutans personam, subdit, *et posuisti ut arcum æreum brachia mea*, id est dedisti mihi infatigabilem intentionem bonorum operum et morum.

VERS. 38. — « Et dedisti mihi protectionem sa- » lutis tuæ : et dextera tua suscepit me. »

Et dedisti mihi protectionem salutis tuæ, [Aug.] id est protexisti me ad salutem, quia non sufficiunt prædicta nisi adsit protectio Dei; *et dextera tua*, id est favor gratiæ tuæ, *suscepit me.*

VERS. 39. — « Et disciplina tua correxit me in » finem, et disciplina tua ipsa me docebit. »

C *Et disciplina tua*, [Alcuin.] quasi dicat, proteges, non utique ut nihil patiar, quod tamen est ad profectum. Et, id est quia, *disciplina tua correxit*, vel direxit, vel erexit *me in finem*, id est correctio tua non sinit deviare, [Aug.] ut quidquid ago, in eum finem referam, quo tibi cohæretur; *et disciplina tua ipsa me docebit* melioribus insistere, [Gl. int., Aug.] id est eadem disciplina docebit me pervenire quo direxit, nec impediunt carnales angustiæ. Quia

VERS. 40. — « Dilatasti gressus meos subtus me, » et non sunt infirmata vestigia mea. »

Dilatasti gressus meos subtus me, [Aug.] id est quia latam fecisti charitatem hilariter operantem, etiam de his quæ sub me sunt, scilicet de mortali-
D bus rebus et membris. *Et non sunt infirmata* per mala mundi *vestigia mea*, id est itinera, vel signa, quæ imitaturis reliqui. [Alcuin.] Ex his verbis patet quod tribulatio est correctio, et doctrina, et dilatio, et confirmatio. Non sunt infirmata, dico, sed

VERS. 41. — « Persequar inimicos meos, et com- » prehendam illos : et non convertar donec defi- » ciant. »

Persequar inimicos meos, [Aug.] id est carnales affectus meos, *et comprehendam illos*, ut absumantur, non illi comprehendant me; *et non convertar* ab hac intentione *donec deficiant* a rebellione, qui modo obstrepunt.

VERS. 42. — « Confringam illos, nec poterunt A « stare : cadent subtus pedes meos. »

Confringam illos, nec poterunt stare, id est non durabunt adversum me ; *cadent subtus pedes meos,* id est præponam illis amores quibus itur in æternitatem. Et hoc totum est ex eo quia.

VERS. 43. — « Et præcinxisti me virtute ad bel- « lum : supplantasti insurgentes in me subtus « me. »

Præcinxisti me virtute ad bellum, [Aug.] id est fluentia desideria carnis virtute strinxisti, ne in pugna præpedirer. *Supplantasti insurgentes subtus me.* Hæc verba capiti Christo conveniunt, **37** in cujus etiam persona potest totum intelligi ab illo loco, *Deus qui præcinxit me virtute.*

PARS. II. — [Cassiod.] Tertia pars ubi Christus de B virtute ac potentia sua agit, dicens : Deus Pater est, qui præcinxit me virtute, per hoc notat dignitatem et fortitudinem, quod ei convenit qui potestate sua judicabit mundum ; *et posuit,* id est firmavit *viam meam immaculatam,* id est sine peccato, *qui perfecit pedes meos tanquam cervorum.* Sicut enim cervus spinas et humana loca transilit, sic et Christus vitavit spinas et foveas peccatorum. *Et super excelsa* est *statuens me.* Quasi dicat : Sicut cervus petit alta, ita Christus super omnes creaturas conscendit. Et ipse est *qui docet,* ab imminentibus insidiis me cautum faciendo, *manus meas,* id est opera vel voluntates, *ad prœlium* contra diabolum, *et posuit ut arcum æreum brachia mea,* id est dedisti mihi irremissibilem fortitudinem. [Alcuin.] C Et hæc est similitudo rei, quæ non est. [Cassiod.] Vel brachia Christi sunt prophetæ et apostoli, per quos operatur, qui sunt arcus æreus, quia prædicando non mollescunt, sed semper fortes, verba salutis jaculantur. *Et dedisti mihi protectionem salutis tuæ,* id est gloriam resurrectionis, *et dextera* scilicet *tua suscepit me,* id est potentia deitatis quæ me hominem in altum constituit ; *et disciplina tua correxit,* vel, direxit me *in finem et dis.* etc., hoc quantum ad effectum, quia effectus correcti et docti fuit in Christo, qui tamen nec a malo correctus, nec quod ignoraret doctus fuit. *Dilatasti gressus meos subtus me,* id est opera etiam inferioris naturæ, scilicet humanitatis notificasti per mundum, *et non sunt infirmata vestigia mea,* id est signa quæ reliquit imitaturis. Et quia ita me virtute firmasti, D *persequar inimicos meos,* [Hier., Alcuin.] id est Judæos, arguendo eos, et diversis afflictionibus fatigando, *et comprehendam illos,* id est veris rationibus circumveniam. *Et non convertar* ab isto opere, *donec deficiant,* a rebellione ; *confringam illos,* [Cassiod.] id est diversis miseriis affligam ; *nec poterunt stare, adversum me, et cadent subtus pedes meos,* id est subjiciam illos mihi. Et hoc ex eo quia *præcinxisti me virtute ad bellum,* contra dæmones et Judæos. *Et supplantasti insurgentes in me,* ut sint *subtus me,* [Aug.] id est decipi fecisti insequentes me, ut mihi subessent, qui superesse volebant.

VERS. 44. — « Et inimicos meos dedisti mihi dor- « sum, et odientes me disperdidisti. »

Et inimicos meos dedisti mihi dorsum, id est fecisti ut me sequerentur, *et odientes me,* [Aug., Gl. int.] id est perdurantes in odio *disperdidisti* per universum orbem. Ubi, id est in qua dispersione.

VERS. 45. — « Clamaverunt, nec erat qui salvos « faceret ad Dominum ; nec exaudivit eos. »

[Aug.] *Clamaverunt* ad alios deos, *nec erat qui salvos faceret eos.* Alius enim non poterat ; quis enim salvos faceret, quos tu non faceres ? Postea, clamaverunt *ad Dominum, nec exaudivit eos,* id est non indicavit eos dignos exauditione. Ac si diceret : Alius enim non potest, tu non vis salvare, quia non recedunt a malitia sua.

VERS. 46. — « Et comminuam eos ut pulverem « ante faciem venti, ut lutum platearum delebo « eos. »

Et comminuam. [Gl. int., Alcuin.] Quasi dicat : Disperdidisti eos et præter dispersionem *comminuam eos ut pulverem ante faciem venti,* id est auferam virtutes ut cedant omni vento doctrinæ et suggestionis, et ita factum est, [Aug.] quia aridi sunt, sine imbre misericordiæ Dei, ut elati et inflati superbia, a spe firma, quasi a soliditate terræ rapiantur. Ecce eadem operatio Patris et Filii. [Alcuin.] Supra enim dixerat Patri, disperdidisti. Hic ait, comminuam. Et *ut lutum platearum delebo eos,* [Aug.] id est delebo eos ut luxuriantes et lubricos, per latas vias, quæ ducunt ad mortem.

VERS. 47. — « Eripies me de contradictionibus « populi, constitues me in caput gentium. »

Eripies me. [Alcuin.] Hic item ex persona capitis Christi accipitur, quasi dicat, de illis ita, [Aug.] sed *eripies me de contradictionibus populi,* Judæorum, qui dixerunt : *Si dimittimus eum sic, totus mundus post eum ibit* (*Joan.* XI) ; et *constitues me in caput gentium,* id est ut sim caput gentium. Et vere, quia

VERS. 48. — « Populus quem non cognovi servivit « mihi : in auditu auris obedivit mihi. »

[Aug.] *Populus* gentium *quem non cognovi,* id est non visitavi corporali præsentia, vel in lege et prophetis, *servivit mihi, in auditu auris obedivit mihi.* [Hier., Aug.] Oculis quidem non vidit, sed per prædicatores obedivit. [Alcuin.] Notat quod in hac serie continetur exaltatio gentium, et depressio Judæorum, de quibus subdit :

VERS. 49. — « Filii alieni mentiti sunt mihi : filii « alieni inveterati sunt, et claudicaverunt a semitis « suis. »

Filii alieni. Quasi dicat : Populus gentium obedivit, [Alcuin.] sed filii, id est Judæi, quos enutrivi et exaltavi, facti *alieni, mentiti sunt mihi,* id est ad meum honorem. Unde alibi : *In multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.* (*Psal.* LXV.) Vel ita Filii non mei dicendi, [Aug.] sed alieni, id est Judæi, quibus dicitur : *Vos ex patre diabolo estis.* (*Joan.* VIII.) Mentiti sunt mihi. De quibus Isaias.

Væ genti peccatrici, filiis alienis populo pleno peccatis! (*Isa.* I) [Hier.] Prius enim Judæi filii dicebantur pro prærogativa patris, sicut per Moysen dicit ad Pharaonem : *Dimitte primogenitum meum Israel.* [*Exod.* IV.] Sed per peccatum facti sunt alieni. Et repetit ut exprobret, *filii alieni inveterati sunt*, [Aug.] id est in veteri homine remanserunt, quos innovare veni, *et claudicaverunt*. Quasi dicat : Uno pede debiles, quia Vetus Testamentum tenentes, et Novum respuentes, claudi effecti sunt, unum pedem habentes, altero carentes. Et in illo etiam quam habent claudi sunt, quia claudificaverunt, etiam *a semitis suis*, id est etiam in veteri lege sunt claudi, sequentes potius suas traditiones, quam Dei.

VERS. 50. — « Vivit Dominus et benedictus Deus « meus, et exaltetur Deus salutis meæ. »

Vivit Dominus. [Cassiod.] Quarta pars, ubi exsultans Ecclesia, summatim munera Dei laudat, quasi dicat, et quia prædicta Deus facit, patet quod Dominus vivit, quia vivificat omnia *et benedictus est Deus meus* quia omnia benedicit. Et ideo *exaltetur Deus salutis meæ*, id est toto orbe credatur. Vel ita : Vivit Dominus, quia præsens est in corde meo firma fide mihi visus. Et benedictus sit Deus meus, id est laudatus sit. Et exaltetur Deus salutis meæ, [Aug.] id est det mihi salutem in excesso, non in imo, id est cœlestem, et non temporalem. Non enim terreno more de Deo salutis meæ sentiam, nec ipsam salutem terrena, sed in excelso de illo sperabo. Deinde converso sermone ad Deum, ait :

VERS. 51. — « Deus, qui das vindictas mihi, et « subdis populos sub me, liberator meus de inimi« cis meis iracundis. »

Deus qui das, quasi dicat : Benedicere Deum hortor et merito, quia tu Deus es *qui das*, dicit Ecclesia, *mihi vindictas*, [Aug.] subdendo *mihi* populos. Unde quasi exponendo subjicit *et subdis populos sub me*. [Cassiod.] Pia vindicta est, dum rebellis subditur. Tu, dico, existens *liberator meus de inimicis meis*, non qualibetcunque, sed *iracundis*. Major gloria est a ferventibus malis liberari.

VERS. 52. — « Et ab insurgentibus in me exaltabis « me, a viro iniquo eripies me. »

Et ab insurgentibus in me exaltabis me. [Cassiod.] Quia quanto altius insurgit in iram, tanto amplius exaltatur ille qui pertulit. Et *a viro iniquo*, [Rem.] id est a quolibet schismatico *eripies me*.

VERS. 53. — « Propterea confitebor tibi in natio« nibus, Domine, et nomini tuo psalmum dicam. »

Propterea, [Rem.] id est propter ea quæ dicta sunt superius, *confitebor tibi in nationibus, Domine*, et laudes et peccata, *et nomini tuo psalmum dicam*, [Aug.] id est latius innotesces bonis operibus meis.

VERS. 54. — « Magnificans salutes regis ejus, et « faciens misericordiam christo suo David, et se« mini ejus usque in sæculum. »

Magnificans salutes. Ordo litteræ respicit ad illud prædictum, exaltetur Deus salutis meæ. Deus dico, magnificans, id est qui magnificans *salutes regis ejus*,

A Christi, [Aug.] id est admirabiles facit salutes, quas salutes ejus Filius dat credentibus. Et Deus, dico *faciens*, id est qui facit *misericordiam christo suo David*, id est ipsi liberatori manu forti, qui vicit mundum hunc ; *et semini ejus*, id est eis quos credentes in Evangelio genuit. Et hoc, *usque in sæculum*, id est sine fine. [Hier.] Vel ex persona Christi capitis loquentis ad Patrem accipi potest ab illo loco, o *Deus* Pater, *tu es qui das mihi vindictas* de Judæis, *et subdis populos*, id est gentes, *sub me*. Tu dico, *liberator meus de inimicis meis*, [Aug.] Judæis, *iracundis*, in passione clamantibus : *Crucifige, crucifige* (*Joan.* XIX). *Et ab insurgentibus in me*, patientem, *exaltabis me*, resurgentem, vel ascendentem, *et a viro iniquo*, id est a regno eorum iniquo, *eripies*
B *me*. *Propterea confitebor tibi in nationibus, Domine*, id est gentes per me confitebuntur tibi ; *et nomini tuo psalmum dicam*, id est latius innotesces bonis operibus meis ; *magnificans*, interpositis verbis capitis redit Ecclesia ad id quod cœperat, quasi dicat : Exaltetur Deus. Deus dico, *magnificans salutes regis ejus ; et faciens misericordiam christo suo David, et semini ejus usque in sæculum.* Hæc non mutantur.

COLLATIO IN PSALMUM XVII : « DILIGAM TE. »

VERS. 4. — *Laudans invocabo Dominum*, Hieronymus, Sanctes, Munsterus, interpres pro Cajetano, Campensis dicunt, *laudatum*, seu *laude dignum invocabo Dominum ;* textus tamen in Campensi habet, *laudibus cum cano Dominum ;* Pratensis, *laudatus invocabo*, etc. Septuaginta et Pellicanus, *laudans*. In Hebr. sunt penitus eædem litteræ, quando significatur laudans aut laudatus. Apices faciunt distin-
C ctionem, nam מהלל potest legi מהלל MEHULLAL, id est *laudatus*, vel מהלל MEHALLEL, id est *laudans*. Cumque Hebræi casuum deflexione careant, effectum est ut quidam verterint, *laudatus invocabo*, quod minus congruit : alii, *laudatum invocabo*. Propter punctorum quoque aliam prolationem, potuit reddi *laudans*, quomodo legimus. Sed et Chaldæus interpretatur, *inter laudandum ego orabo coram Deo.*

VERS. 9. — *Iratus est eis.* Faber censet pronomen *eis* redundare. Heb. legitur חרה לו HARAH LO, quod significat *iratus est ipsi*, si ad verbum reddas, ut respiciat terram de qua paulo ante, ac ita Nebiensis Chaldæusque interpres. Videtur tamen reclamare quod terra in Hebræo feminini generis sit, quanquam Sanctes, Pratensis et Munsterus accipiant, ut Deus ipse sit iratus. Hieronymus tamen juxta Hebr. habet nobiscum, *iratus est eis*, si modo codices
D nostri veri sunt. Quo cognoscas legisse למו LAMO, id est *eis*. Volebam hoc ipsum ceu perpusillum præterire, eo quod nihil turbat sensum, nisi invenirem qui vellent transfigere veru.

VERS. 15. — *Altissimus dedit vocem suam, grando et carbones ignis.* Hic Faber et Cæcus reprehendunt tanquam incongruam locutionem, cum secundum morem Latinitatis debeat recte dici, *dedit vocem suam grandinem et carbones ignis*, appositive per quartum casum. Quasi vero non possit subaudiri verbum *descenderunt*, ut indicat Munsterus, et intelligunt Pratensis et Sanctes. Et licet Hieronymus vertat per accusandi casum, tamen alteram versionem minus rejiciebat : quod liquet ex tractatu ad Suniam et Fretellam, ubi respondet cur istum versiculum *grando et carbones ignis*, secundo non habeant Græci interpositis duobus versibus. Sed sciendum, inquit **38** quia de Hebraico, et de Theodotionis

editione, in LXX interpretatione sub asterisco additum sit.

VERS. 32.— *Quoniam in te eripiar a tentatione.* Hieronymus juxta Hebræos *in te curram accinctus*, quem sequitur Pellicanus. Alii transferunt, *conteram turmam*, seu *exercitum*, seu *militum cuneum*; Septuaginta, *aperuerunt illius metaphoræ intellectum.* Sed et cum גדד GADAD, signet *accinctus est ad prælium*, Hieronymus accepit participium גדוד non ut est nomen, quando legitur גדוד, id est *accinctio ad prælium*, quæ aptissime respondet tentationi, quæ probat hominem et ad prælium ciet. Siquidem Job. VII: *Militia est vita hominis super terram.* Proinde non erat quod hoc in loco taxaret editionem Faber, qui vult solum illud referri ad Christum, qui expeditus ad Deum Patrem ascendit. Sed debuit adverteret unitatem corporis et capitis, ob quam transitus identidem ad alterutrum, pro more Scripturæ sacræ fit: quem morem crebrius docet Augustinus, qui etiam in præsentia interpretatur de membris.

VERS. 37.— *Posuisti ut arcum æreum brachia mea.* Nec dissidet Hieronymus juxta Hebræos. Cæteri convertunt intelligentiam traducentes, *contritus est arcus æreus brachiis meis.* Voculam, quæ ponuntur in Hebr. נחתה NIHATH, sumunt deflexam a radice חתת HATATH. Interpretes LXX cum Hieronymo, deduxerunt a themate נחה NAHAH, id est *duxit*, ut littera nun, sit radicalis, et legatur נחית NAHITA, significetque *duxisti*, sive ut vertit Pellicanus, *tetendisti arcum æreum brachia mea*; Chaldæus, *corrobora veluti arcum chalibeum brachium meum.*

VERS. 39. — *Et disciplina tua correxit me in finem.* Istud non habetur in exemplaribus Hebraicis. Falsum est autem quod addit Faber, quod nec habeatur in Græco. Quandoquidem legimus, καὶ ἡ παιδεία σου ἀνώρθωσέ με εἰς τέλος, fortassis Faber alio utebatur codice. Cæterum apparet LXX voluisse exponere id quod continuo subnectebatur, *disciplina tua ipsa me docebit.* Vel, ut vertunt propinquius sequentes litteram, *multiplicabit me.* Quomodo autem creverit Ecclesia tyrannorum persecutionibus, hæreticorum insultationibus et malorum tentationibus, demonstrat profectus sanctorum ab initio mundi, qui disciplina Domini eruditi multiplicati sunt ut stellæ cœli. Nec obest quod tradit Hieronymus juxta Hebr. cum reliquis, *mansuetudo tua multiplicabit me*, quia ver-

A bum Heb. ענה INACH, vel ענה ANACH, interdum notat *afflixit*, unde descendit particula hic posita ענוה ANAVAH, eoque non officit ut itidem significet afflictionem qua alioqui a Deo probamur cum mansuetudine. Quos enim diligit arguit, et omnem filium flagellat quem recipit. (*Hebr.* XII).

VERS. 49.— *Claudicaverunt a semitis suis.* Primam particulam ferme ponit eamdem Hier. nempe *contrahentur*. Pellicanus quantum ad utrumque omnino est nobiscum. Cæteri dicunt, *timebunt, vel expavescent*; Nebiensis, *cingentur*; Chaldæus paraphrastes, *migrabunt de prætoriis suis.* Nec tamen diffitentur præsertim Munsterus quin verbum Hebraicum חרג HARAG possit accipi per metachesin, loco חגר HAGAR, quod significat *claudicare aut contrahi*, eodem teste in suo lexico. Postea illud quod sequitur, *a semitis suis*, transferunt *a clausuris, penetralibus, carceribus*, vel *latibulis*; Hieronymus, *in angustiis suis.* Cum autem hic locus inter-
B prete Augustino et Hieronymo, significet Judæos, sensum spiritualem relinquentes, et legis litteræ ac observantiis carnalibus totos adhærentes, ne carceres et clausuræ intelligerentur, ut ad verbum sonant, *semitas* maluerunt dicere interpretes, quibus intelligerentur perfidi Judæi, uno pede contracti, deficientes a vero Scripturæ spiritu, ut jam non ambulent, nisi in superficie lubrica litteræ, quæ occidit (*II Cor.* III): quod propemodum innuebat Hieronymus dicens, *in angustiis suis.* Quid enim angustius quam Scripturæ intelligentiam vinculis illis mortiferæ litteræ tam arctim constringere.

VERS. 51. — *Liberator meus de inimicis meis iracundis.* Novissimam particulam quæ est *iracundis*, addiderunt LXX, ut testatur Hieronymus ad Suniam et Fretellam, ὁ ῥύστης μου ἐξ ἐχθρῶν μου δυνάτων, *liberator meus de inimicis meis potentibus.* Nostri codices pro δυνάτων habent, ὀργιλῶν, id est *iracundis.*
C Ac secutus Hieronymus ostendit quædam exemplaria legisse *gentes* pro *inimicis*, idque adhuc visitur in psalmodia Romana.

VERS. 54. — *Magnificans salutes regis ejus.* Codex Fabri erat mendosus, qui legit in Hieron. *Magnificanti*, et in eo quod sequitur, *faciens misericordiam*, etc., legit *ex facienti*, cum libri correcti habeant nominandi casum utrobique, simul et alii ad eumdem vertant modum propter Nebiensem et Chaldaicam editionem. Sensus non mutatur.

PSALMUS XVIII.

PSALMI TITULUS: « IN FINEM PSALMUS DAVID. »

Cœli enarrant. Titulus: *In finem psalmus David.* [Cassiod.] Psalmus iste agit de primo adventu Christi, per quem tyrannus diabolus cadit, et homo a peccato et a morte absolvitur. Per finem vero accipitur Christus, vel plenitudinis tempus. De quo: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis (II Cor.* VI). [Alcuin.] Et est sensus tituli: *Psalmus* iste attribuitur *David* respicienti *in finem*, id est in Christum, qui est finis omnis consummationis, vel in tempus plenitudinis. Hic enim Propheta respicit in finem, id est in Christum, vel in ultima tempora, quibus acta sunt quæ hic tractantur. Intentio. Monet ut relicta vetustate ad novum hominem, vel ad novam legem accedamus. Modus. Tripartitus est psalmus, Primo Propheta loquens de Christi incarnatione commendat prædicationem novæ legis. [Cassiod.] Secundo laudat præcepta et Novi et Veteris Testamenti, ibi, *lex Domini.* Tertio petit purgari a vitiis, ut sit dignus tanta sacramenta referre, ibi, *delicta quis.* Commendans ergo prædicationem novæ legis, qui prædicent, et quid et qui discrete, et quam mirifice, et quam late, in prima parte ostendit, ita
D dicens:

VERS. 1. — « Cœli enarrant gloriam Dei, et opera « manuum ejus annuntiat firmamentum. »

Cœli enarrant, [Aug.] id est apostoli, in quibus tanquam in cœli Deus habitat, *enarrant gloriam Dei*, id est exponunt gloriam Christi, in qua est æqualis Patri, et quod Deus est, et quod peccata gratis dimittit. Vel, gloriam Dei, id est gloriam qua ipse Filius Patrem glorificavit super terram; et *firmamentum*, id est ipsi iidem apostoli firmati Spiritu sancto, et cœlum facti, qui prius et terra fuerant per timorem, *annuntiat opera manuum ejus*, [Gl. int.] id est facta virtutum Domini, quæ secundum hominem egit, scilicet nativitatem, passionem, mortem et hujusmodi. [Alcuin., Aug.] Bene ergo in primo

dicuntur cœli, id est alti, quia altum nuntiant. In isto sunt firmamentum, id est firmati, et quia pro eo opus est pati. Non enim ideo passi sunt, quia prædicaverunt Verbum in principio apud Patrem, sed quia annuntiaverint eumdem Dei Filium hominem factum, passum, mortuum. Unde Apostolus: *Non enim erubesco Evangelium* (*I Cor.* VI). Et alibi: *Prædicamus Jesum Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus vero stultitiam* (*I Cor.* I). Ecce qui et quid prædicant. Vel ad litteram, cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum, [Aug.] quia cœli stellam miserunt novam, ortum summi Regis nuntiantem, quæ Magos ad præsepe duxit.

VERS. 2 — « Dies diei eructat verbum, et nox « nocti indicat scientiam. »

Dies diei. [Alcuin., Aug.] Ecce quam discrete prædicant. Non enim omnia omnibus dicunt. Sed, dies diei, id est clari claris, scilicet sancti sanctis, *eructat,* quasi dicat, de pleno proferunt, *verbum,* id est sapientiam Dei, ex Patre genitam, quasi dicat: Spiritus, id est spiritualis ex spiritualibus profert plenitudinem sapientiæ, quod est Verbum in principio apud Patrem Deum; *et nox,* scilicet mortalitas carnis, in est ipsi eidem mortalitati et infirmitati carnis condescendentes, et quasi nox, id est quasi carnales facti *nocti,* [Rem., Aug.] id est tenebrosis et carnalibus, quasi longe positis, *indicat,* ut simplicibus, non Verbum Patris, sed *scientiam* quæ est de humanis, id est de humanitate Christi. Vel, indicat scientiam, id est fidem humanitatis insinuando, annuntiat futuram scientiam, scilicet quod per illa minora perveniet ad majora. [Rem.] Hanc discretionem se habuisse in prædicatione docet Apostolus, cum ait: *Nihil me judicavi scire inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum Sapientiam autem loquimur inter perfectos* (*I Cor.* II). Et alibi: *Sive excedimus Deo, sive sobrii sumus vobis (II Cor.* V) Excedunt, dum mente ascendunt, usque ad Verbum Patris, quod semel locutus est Deus; sobrii sunt, dum se parvulis contemperant. Unde Dominus ait: *Quis putas est fidelis servus et prudens, quem cum,* etc. *(Matth.* XIV*).* [Aug.] Pauci enim sunt fideles, et pauciores prudentes in dispensatione verbi Dei. Rarus enim doctor est, qui eloquiis divinis aliquod adulterina opinione non admisceat; rarior quod singulis congrua dijudicet. Illi ergo non sunt dispensatores, sed prodigi exstirpatores, quia celanda irreverenter, quibus non oportet detegunt, et studiose quærenda sine mensura perfundunt incauti, vinoque debriant quos opus est ali lacte, plus curantes ingenium ostentare quam proximis prodesse. (48) Unde in tabernaculo Domni in mensa erant acetabula ac phialæ, ac cyathi, quibus offerebantur libamina. In acetabulis mordax et aspera prædicatio, in comminationibus; in phialis larga prædicatio; in A cyathis, minima et tenuis signatur quia in doctrina sacri eloquii non solum sunt exhibenda magna et arcana quæ debriant, sed etiam parva et tenuia, quæ quasi per gustum notitiam præstent. Aliter enim instruendi sunt sapientes, aliter insipientes, aliter senes, aliter juvenes, aliter cœlibes, aliter conjugati. Et ita, dies diei eructat ver. etc. Vel, dies diei eructat, etc. ad litteram. [Alcuin.] quia hæc doctrina diebus ac noctibus continuatur usque ad posteros . Et hoc tam mirifice, quod omnibus linguis locuti sunt. Et hoc est quod subdit:

VERS. 3 — « Non sunt loquelæ neque sermones, « quorum non audiantur voces eorum. »

Non sunt loquelæ. [Alcuin.] quasi dicat: Enarrant, et hoc tam mirifice quod non sunt loquelæ, B id est linguæ, quarum, id est per quas non audiantur, etc., *neque sermones,* [Gl. int.] id est genera dicendi, scilicet humile, mediocre, altum. *quorum* sermonum, id est per quos sermones, *non audiantur voces eorum* cœlorum, [Aug.] id est per quos non sunt auditæ voces apostolorum. Omnibus enim linguis primos doctores loqui fecit Spiritus sanctus, qui omnes gentes in unum erat congregaturus. (49) Et sicut unus homo, tunc omnibus linguis loquebatur, sic et modo et unus homo, scilicet totus Christus caput et corpus, omnibus loquitur, quia ex omnibus gentibus, una et sancta constat Ecclesia. [Cassiod.] Vel, loquelæ accipiuntur publicæ persuasiones, quæ fiunt ad multitudinem; sermones, communes narrationes, quæ quotidie et cuique fiunt.

C VERS. 4.— « In omnem terram exivit sonus eo« rum et in fines orbis terræ verba eorum. »

In omnem terram. [Alcuin.] Hic ostendit quam latæ prædicaverunt. Quasi dicat: Tam mirifice prædicaverunt, et etiam tam late, quod in omnem terram, id est in omni parte ambitus terræ *exivit sonus eorum,* [Gl. int.] id est fama apostolorum, et si non præsentia, *et* etiam *in fines orbis terræ,* id est etiam in angulis terræ exierunt *verba eorum,* eadem quæ dixerunt.

VERS. 5— « In sole posuit tabernaculum suum; « et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo « suo. »

In sole posuit. [Cassiod.] Quod alios fecisse laudat Propheta, ipse facit. Prædicat enim Incarnationem. Et quasi quis quærat a Propheta, quomodo hæc D facta sunt. Respondet, in sole. [Gl. int.] Vel possunt hæc esse verba ipsorum apostolorum, quibus aperitur quid prædicent. Quasi dicat: Exierunt in fines terræ verba eorum, ita dicentium: [Aug.] Dominus belligerare volens adversus regna temporalium errorum *posuit tabernaculum,* quasi dicat, militare habitaculum, id est dispensationem incarnationis suæ, in qua venit expugnare errores mundi. [Alcuin.] in sole; sol tria facit, lucet, urit, et varietatem temporum facit. Posuit ergo tabernaculum in sole, [Aug.]

(48) Ex Greg. libro XX Mor. in illis Job XXIX: *Et super illud stillabat eloquium meum.* Id. lib. XXXIX Mor., c. 6.

(49) Ex Aug. tract. 32 in Joannem et in hoc psal. infra, vers. 10.

in tempore, quia carnem assumpsit temporalibus vicissitudinibus subjectam. Vel, in sole, id est in manifestatione, **39** scilicet in manifesto mundi. Unde ait : Non venit lucerna ut ponatur sub modio, sed super candelabrum. Vel, in sole, [Alcuin.] id est in labore, quia æstum laborum gratis sustinuit. Et tabernaculum suum, [Aug.] id est Ecclesiam, posuit in sole, id est in manifesto, non in occulto ut lateat, secundum illud : *Non potest civitas abscondi supra montem posita* (*Matth.* v). [Cassiod., Aug.] *Et ipse tanquam sponsus*, quia a prophetis toties promissus *processit de thalamo*, id est de virginali utero, ubi Deus humanæ naturæ, ut sponsus sponsæ copulatus est. [Cassiod.] Et est hic magna et conveniens similitudo sacramenti, id est signi et signati. [Aug.] Ideo enim de Virgine natus est, ut significaretur quod Ecclesiam sibi virginem copularet. Ecce humilis erat Christi misericordia, sed fortis majestate. Unde subdit :

VERS. 6. — « Exsultavit ut gigas ad currendam « viam ; a summo cœlo egressio ejus. »

Exsultavit, etc. [Gl. int.] quasi dicat : Processit de thalamo; et procedens, exsultavit, quia non invitus suscepit laborem, *ad currendam viam* non habitandam, quia non stetit in via mundi. [Aug.] Exsultavit dico *ut gigas*, id est sicut fortissimus, et omnes homines, incomparabili virtute præcedens. [Cassiod., Alcuin.] Bene ergo giganti comparatur, quia imperturbabilis, irrevocabilis humanam naturam potentia superans, *a summo cœlo*, quasi dicat : Quam viam cucurrit? [Aug.] ecce ipse qui æternaliter a Patre exivit, venit in mundum, factus homo ; et iterum relinquens mundum, ascendit ad Patrem. Et hoc est quod ait, a summo cœlo, id est a Patre, scilicet ab æqualitate Patris est ; *egressio ejus*, non temporalis, sed æterna, qua de Patre natus est, qui, subaudi, in tempore, factus est homo.

VERS. 7. — « Et occursus ejus usque ad summum « ejus ; nec est qui se abscondat a calore ejus. »

Et occursus ejus, facti hominis, *occursus* est *usque ad summum ejus*, Patris, [Aug., Cassiod.] id est occurrit ipse homo, plenitudine divinitatis, usque ad æqualitatem Patris. Occursus ergo competit Christo secundum hominem, dum ascendens ad sedem Patris, occurrit. Ascendit autem secundum humanitatem. Per hoc autem quod dicit, usque ad summum, [Cassiod., Gl. int.] notat quia secundum quod Deus est Patri æqualis est. Hoc idem quod dicit hic Propheta, Christus de se in Evangelio ait sic : *Exivi a Patre, et veni in mundum; iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem* (*Joan.* XIII). *Nec est qui se abscondat*, post Verbi incarnationem, *a calore ejus*. [Aug.] Verbum enim caro factum mortalitatem nostram suscipiens, non permisit ullum mortalium se excusare de umbra mortis, id est de peccatis, quia et ipsam umbram penetravit, et dissolvit calor Verbi, id est amor, vel gratia Christi, quando sedentibus in regione umbræ mortis lux orta est eis (*Luc.* I), [Cassiod.] Vel calor est Spiritus sanctus, quem re-

A versus in cœlum post ascensionem apostolis misit, a quo nemo absconditur, quia ut Deus omnium corda novit ut valeat arguere mundum de peccato, et justitia, et de judicio (*Joan.* XVI). In his verbis ostenditur Trinitas et unitas et utraque Christi natura. Ubi enim dicit, a summo cœlo, Pater intelligitur ; ubi vero ait, egressio, intelligitur æterna generatio Filii ; cum ait, occursus, idem Filius secundum hominem, intelligitur, cum ait, usque ad summum ejus, ipse idem secundum quod Deus Patri æqualis ; cum ait, a calore ejus, intelligitur Spiritus sanctus. Dicendo vero, ejus, notat unitatem Trinitatis.

PARS. II. VERS. 8. — « Lex Domini immaculata, « convertens animas ; testimonium Domini fidele, « sapientiam præstans parvulis. »

B *Lex Domini immaculata*. [Alcuin.] Secunda pars, ubi laudantur præcepta Novi et Veteris Testamenti. Quasi dicat : Non est qui se abscondat a calore, id est a Spiritu sancto. [Aug.] Qui spiritus est lex Domini, et testimonium, et justitiæ, et præcepta, et timor, et judicium. Hæc autem dicitur esse spiritus, quia hæc agit, quæ singula commendat, et primo legem. Quasi dicat : Processit sponsus de thalamo, et sponsæ dedit per Spiritum sanctum dona. Quæ ? legem et alia quinque. Et, lex Domini, per Moysen data est, *immaculata*, [Cassiod.] vel irreprehensibilis, id est per omnia est vera, et *convertens animas*, id est sua districtione corrigens, et ad Christi gratiam mittens, et *testimonium Domini* est *fidele* et *sapientiam* de divinis *præstans parvulis*, non superbis.

C Quæcunque enim testimonia dedit Israel, plena veritate sunt, et humilibus sapientiam dedit non superbis. [Gl. int.] Ideo et testimonium Domini fidele dicitur, quia quod omnibus observantibus promittit, complebitur. Et

VERS. 9. — « Justitiæ Domini rectæ, lætificantes « corda ; præceptum Domini lucidum, illuminans « oculos. »

Justitiæ Domini sunt *rectæ*, [Alcuin.] id est lex quæ justificat quidquid præcipit justum est. [Cassiod.] Justitiæ dico *lætificantes corda* spe præmii, *præceptum Domini*. Hucusque commendavit Vetus Testamentum. Hinc commendat novum.

Vel aliter, ab illo loco, *lex Domini*, quasi dicat : Dico quod Christi calor umbram mortis penetravit,
D et vere, quia ipse Christus est, *lex*, non humana, sed *Domini*, [Aug.] qui venit non legem solvere, sed adimplere (*Matth.* v), *immaculata*, quia ipse peccatum non fecit (*I Petr.* II), et alios immaculatos facit, quod non prior lex fecit. Ipse, dico, *convertens animas*, libertate ad se imitandum, non premens jugo servitutis. [Aug.] Et nota quod ait, animas, id est voluntates, non solummodo manus, ut vetus lex manum maxime, non animum cohibebat. Et ipse est *testimonium Domini fidele*, [Gl. int.] quia nemo novit Patrem nisi Filius, et cui voluit Filius revelare (*Matth.* x). Ipse dico, *præstans sapientiam*, de divinis, *parvulis*, quia ea quæ sapientibus abscondita sunt, per eum revelata sunt parvulis (*ibid.*), id est

humilibus non superbis. Et, *justitiæ Domini*, (omnes in illo sunt) *rectæ*, quia non docuit quod non fecit, ut qui imitarentur eum, corde gauderent in eis quæ vel qui libere cum charitate facerent, non serviliter cum timore. Justitiæ, dico, *lætificantes corda*, spe præmii æterni, non terrentes timore pœnæ, ut vetus lex faciebat. Et, *præceptum Domini*, [Aug., Gl. int] id est Christi, est *lucidum*, id est sine velo carnalium observationum : præceptum dico, *illuminans oculos*, id est interioris hominis aspectum non obtundens, sicut Moyses in cujus facie non poterant intendere filii, Israel, et ideo ponebat velamen super faciem suam (*II Cor.* III).

VERS. 10. — « Timor Domini sanctus permanet in « sæculum sæculi ; judicia Domini vera, justificata « in semetipsa. »

Timor Domini est *sanctus*, [Aug.] Gratis scilicet amans non puniri, sed separari timens, id est non timore punitionis, sed amissionis summi boni serviens. Hic est timor castus et filialis. (50) Quatuor enim sunt timores, præter naturalem, scilicet mundanus, quo timemus perdere bona mundi ; servilis, quo timore pœnæ a malo opere cohibemur ; initialis, quo partim ex timore pœnæ, partim ex amore justitiæ servitur ; filialis, sive castus, quo sponsum offendere timemus et separari. Et de hoc timore hic agitur. [Aug.] Non enim ille pœnalis, pro terrenis, quorum amore fornicatur anima, sanctus est, sed castus ; quo quanto diligit Ecclesia, tanto diligentius cavet offendere sponsum. Et ideo non foras mittitur hic timor a charitate perfecta (*I Joan.* IV), sed permanet : quæ foras mittit initialem, qui in charitate quidem est, sed non perfecta ; servilem autem et mundanum, charitas etiam imperfecta evacuat. [Cassiod.] Timor ergo sæculi non est sanctus, quia non est proficuus, sed cum temporalibus mutatur, id est mutari facit homines de temporaliter habitis, vel amissis. Timor autem Domini sine omni perturbatione est, quia est mista cum pavore dilectio, quia si timet judicem, scit misericordem. Ergo timor *permanet sæculum sæculi* quia fructus ejus permanet in æternum. Vel ipse timor permanet secundum aliquem usum sine fine, vel usque ad finem. Et *judicia Domini*, [Aug.] id est Patris, qui non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio, [Aug.] sunt in Christo *vera*, quia sive minatur, sive pollicetur, neminem fallit, et sunt, *justificata in semetipsa ;* vel, in idipsum, alia littera, id est incommutabiliter, quia non eripit quis præmia quæ dat, vel pœnas. [Hier., Rem.] Vel, justificata in semetipsa, quia non egent alterius auctoritate, ut firma habeantur, quam ipsius Domini.

VERS. 11. — « Desiderabilia super aurum et lapi« dem pretiosum multum ; et dulciora super mel et « favum. »

Desiderabilia. Adhuc commendat judicia Dei. Quasi dicat : Et quia talia sunt judicia Dei, ideo A sunt *multum desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum*, vel, *super aurum, et lapidem multum pretiosum*. Quocunque autem modo littera ordinetur, hic est sensus : [Aug.] Sunt desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum, id est super omnes pompas hujus sæculi, pro quibus aliquando judicia Domini non desiderantur, sed timentur, vel contemnuntur, vel non creduntur. Quæ pompæ per hæc duo, id est per aurum et lapidem signantur. Et est sensus : [Hier.] Judicia Domini sunt desiderabilia supra omne id quod appetitur pro divitiis, quæ notantur in auro ; vel pro potentia, quæ notatur in lapide pretioso ; vel pro voluptate, quæ notatur in melle et favo. Unde subdit, *et* sunt *dulciora super mel et favum*, [Alcuin.] id est, super omnem dulcedinem temporalis voluptatis. [Cassiod.] Melli vero B præfert judicia, secundum Novum Testamentum, in quo quasi mel eliquatum, manifesta sunt judicia Dei sine figuris. Favo vero præfert, secundum Vetus Testamentum, id est secundum hoc quod in Veteri Testamento continentur, ubi quasi in cellulis figurarum clauduntur. Comparatio tamen ad mel vel favum fit, quia in Novo judicia aperta et operta in Veteri Testamento, quæ dulcius sapiunt palato fidei, quam faucibus carnis mel vel favus. [Aug.] Vel ita, per aurum et lapidem, et mel et favum intelliguntur sancti. Et est desiderabilia, sunt super aurum et lapidem pretiosum multum et dulciora super mel et favum, id est si quis est aurum, vel lapis, vel mel, vel favus, plus desiderat quam se, C judicia Dei, cujus voluntatem suæ præponit, et dulciora sunt quam ipse sibi. Aurum autem et lapis pretiosus est lapis ille qui non est igne consumendus, sed purus in thesaurum Dei assumendus. Cibus autem Dei est ille qui est mel, id est solutus jam a sæculi hujus vinculis, exspectans diem quo veniat in epulas Dei ; et ille qui favus est, id est qui adhuc circumplicatur hac vita, quasi mel in cera, non huic vitæ concretus, nec a carnalitate omnino liber, cui opus est pressura, non deprimentis, sed exprimentis manus Dei, ut de temporali vita dirigatur ad vitam æternam.

VERS. 12. — « Etenim servus tuus custodit ea in « custodiendis illis retributio multa. »

Etenim. Vere sunt dulcia. Etenim, id est quia D *servus tuus* non tantum dicit, [Aug.] sed etiam opere *custodit ea* modo dulcia, post salubria. Et ita non loquendo, sed custodiendo probat ea dulcia. Custodit ea dico, et *retributio multa* quæ quanta sit nequit dici. [Cassiod.] Est, *in custodiendis illis* id est in eo ipso quod custodiuntur, non modo in extra posita re, [Aug., Gl. int.] sed in ipsis dum custodiuntur in hac vita, quia in eis gaudetur, per se ipsa placent. Et ideo non ait, pro custodiendis, sed in custodiendis illis, [Rem.] quia non tantum pro eis in futuro reddetur præmium, sed et hic meorum custodia magnum est gaudium. Servire enim Deo regnare est.

(50) III Sentent. partim ex Aug. et partim ex Cassiodoro in psal. CXXVII.

PARS. III. VERS. 13. — « Delicta quis intelligit? ab « occultis meis munda me; et ab alienis parce servo « tuo. »

Delicta. [Cassiod.] Tertia pars, ubi Propheta petit se a vitiis purgari, ut sit dignus Psalmista qui hæc referat sacramenta. [Aug.] Quasi dicat : Menti videnti suavis est veritas, dulcia sunt judicia; sed non videnti quæ erit suavitas? nulla. Sed quare non videt? Propter delicta. Nec mirum. Delicta enim *quis intelligit?* Vel ita continua, quasi dicat : Servus tuus custodit judicia, sed timeo ne quibusdam præoccuper, quo minus ea custodiam. Quis enim intelligit delicta, scilicet omnia? quasi dicat : Nullus, omnia. [Cassiod.] Quædam enim nota sunt, ideo delicta omnia nullus intelligit. [Aug.] Quia sicut tenebræ oculos involvunt, ita delicta mentem non sinunt videre, vel lucem, vel se, ideoque orat pro delictis subdens, **40** *ab occultis*, quasi dicat : Ut possim intelligere et te laudare, o Domine, *munda me ab occultis, et parce ab alienis.* [Cassiod.] Omnia peccata in duobus includit, occultis scilicet et alienis. Occulta sunt originalia, et etiam quæ secreta voluntate oriuntur, multis, ante effectum rei celantur quæ si forte noscuntur, ut dicit Salomon, *non eas post concupiscientias* (*Eccli.* XVIII, 1). Illud tamen debemus advertere, quoniam multa peccata sunt quæ omnimode ignoramus, quorum nec origines possumus nec subreptiones agnoscere. Aliena sunt, quæ suadentibus malis hominibus, vel diabolo fiunt. [Aug.] Pro utrisque ergo precans ait : Ab occultis, id est a cupiditatibus in me latentibus, meis scilicet quæ ex me proveniunt, munda me. Mea enim me inquinant. A meis dico, munda, ut non seducar ab alienis, quia non capitur ab alienis qui est mundus a suis. Unde congrue subdit, et ab alienis, scilicet a peccatis, quæ aliunde sunt, *parce.* Aliena enim affligunt me. Et ideo dico, parce mihi, servo tuo, non superbo meo, et in potestate mea esse cupienti. Ab illis ergo, munda, tollendo mihi malam cogitationem ex corde. Ab istis parce, repellendo suasorem, quia servus tuus sum jam, non liber meus. Quæ si non dominatur, tunc sum mundus. Unde subdit :

VERS. 14. — « Si mei non fuerint dominati, tunc « immaculatus ero; et emundabor a dilecto maximo. »

Si Dei. [Gl. int.] quasi dicat : Parce ab alienis, non ita quod omnino tollantur, quod impossibile est, sed ne dominentur, quia si mei *non fuerint dominati*, alieni, *tunc immaculatus ero* a criminali. [Aug.] Vel ita, munda ab occultis, parce ab alienis, ita, scilicet ne dominentur, quia si mei non fuerint dominati. Alia littera, occulta, scilicet et aliena, tunc immaculatus, ero a criminali macula, quia non est certior origo peccati præter occultum quo cecidit diabolus, et alienum quo homo seductus est, et consentiendo fecit suum; *et emundabor* quasi dicat : Et si mei non fuerint dominati, emundabor *a delicto maximo*, id est a delicto superbiæ, quod est ultimum redeuntibus ad Deum, et primum recedenti- A bus. Hoc vere et maximum. Non est enim majus delictum quam apostatare a Deo, quod est initium superbiæ angeli et hominis. Superbia vero est initium et causa omnis peccati; qua qui caret, ille vere est immaculatus.

VERS. 15. — « Et erunt ut complaceant eloquia « oris mei; et meditatio cordis mei in conspectu « tuo semper. »

Et erunt quasi dicat : Immaculatus ero et emundabor et ita *eloquia oris mei* erunt talia, [Aug.] ut *complaceant* in conspectu tuo, non hominum. Si autem non mundus a superbia fuero, eloquia mea placebunt in conspectu hominum, non Dei. Si vero mundus fuero, non solum eloquia, sed *et meditatio cordis mei* erit talis, non ut placeat hominibus, quia B jam nulla est superbia; sed *in conspectu tuo semper* qui intus vides et conscientiam inspicis. In conspectu tuo dico, o

VERS. 16. — « Domine adjutor meus et redem« ptor meus. »

Domine, qui es *adjutor* in bonis agendis, *meus*, [Aug.] id est mei tendentis ad te; *et* hoc inde, quia es *redemptor meus* a malis, ut tenderem ad te. Caveat ergo quisque ne sibi converti ad te vel pervenire tribuens, repellatur ut superbus.

COLLATIO IN PSALMUM XVIII : « COELI ENARRANT GLORIAM. »

VERS. 3. — *Non sunt loquelæ neque sermones quorum non audiantur voces eorum.* Hic versus atrociter est impetitus a Fabro et suo Cæco. « Est inquiunt, ineptus sermo, nullusque omnino sensus, C nec cunctandum timendumque est in nostris codicibus hunc emendare errorem, ut divina psalmodia recte et intelligibiliter, ad ejus qui illam inspirat, amodo concinatur honorem. » Bona verba, quæso, o egregii viri, præscribite nobis regulam loquendi. Dicendum est, ait is, quibus vel accommodatius a quibus *non audiantur voces eorum*, quia Hieronymus juxta Hebræos sic reddidit, *quibus non audiatur vox eorum.* Et quia Græce habetur ὦμ οὐχὶ ἀχούονται αἱ φωναὶ αυτῶς. Vis bone Faber intelligendum ἀφ' ὧν, ut tuo stomacho respondeat *a quibus.* Ergo est ineptus August. Ergo nullius judicii per vos loquatur recte tantus doctor, et quas dicitis ineptias ejus audiamus, in enarratione ejus loci. « *Quorum*, nisi cœlorum qui enarrant gloriam Dei? *Non sunt loquelæ neque sermones, quorum non audiantur voces eorum.* Legite Actus apostolorum, quomodo veniente super eos Spiritu sancto, omnes impleti sunt illo et loquebantur linguis omnium gen- D tium, sicut Spiritus sanctus dabat eis pronuntiare. *Ecce non sunt loquelæ neque sermones, quorum non audiantur voces eorum.* Sed non ibi tantum ubi impleti sunt, sonuerunt. » Hæc divus August., magnum Ecclesiæ jubar. Quid plura? In Hebr. nullum relativum expresse ponitur, adeo ut nonnulli simpliciter verterunt, *non auditur vox eorum*; alii, *ut non audiatur vox eorum*, בלי נשמע קולם BELI NISCHMA QUOLAM. Solent tamen Heb. passim subaudire relativum, *qui, quæ quod*, juxta quod expostulat ratio sententiæ. Ob idque potest subintelligi, *quorum*, aut *quibus*, ut genitivus vel ablativus referat sermones omnium gentium, per quos vox apostolorum, ubique terrarum audita est. In explanatione magistri, accipitur genitivus loco ablativi, more Græco, ὧν *quorum*, id est per quos, interprete Augustino.

VERS. 4. — *In omnem terram exivit sonus eorum.*

Munsterus, *directio eorum* ; interpretes pro Cajetano, *filium eorum* ; Sanctes, *linea eorum;* Pratensis, *cursus eorum* ; Pellicanus, *regula eorum*. Heb. קום QUAVAM. Isti non debuissent reprehendere Apostolum ad Rom. x : *Nam quomodo credent*, ait, *nisi mittantur ? Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum*, φθόγγος αὐτων. Profecto nimis suis versionibus recens natis, derogant prædicationi apostolicæ, quæ toti mundo quodam tonitru statim insonuit. Quod et significatum est die sancto Pentecostes, in sono illo Spiritus sancti adventum clarissime testante (*Act*. II). Vide si Hieronymus aliud verterit qui sonum, vel juxta Hebr. Facis ut nihil tibi credatur in vertendis Hebræis, qui maluisti recedere ab Apostolo quam a tuis rabbinis qui sine regula fidei interpretantur regulam, lineam sphærarum, quæ sunt extensæ super litteram : hoc est enim judaizare. Verius dixit Campensis, *universam terram pervagata est doctrina eorum* : et alter, *oratio eorum*. Hic recte monuit Eugubinus, non esse alienum sentire LXX, addita una litterula, nempe lamed, legisse pro קום QUAVA קולם QUOLAM. Vel si superposueris ad vau verticem, apicis tractum, habebis קלם QUOLAM.

VERS. 5. — *In sole posuit tabernaculum suum.* Hebr. לשמש שם אהל בהם LASSEMESCH SAM OHEL BAHEM. Prima particula indiscriminatim potest accipi, in dativo aut ablativo et ultima reciproce et relative simpliciter. Inde potest reddi ad hunc modum, *soli posuit tabernaculum in eis*, vel *in sole posuit tabernaculum suum ;* quomodo variant translatores. Prior tamen modus difficilioris est intelligentiæ, et si sanæ, quæ eo tendit, ut Christus sol ille habitet in apostolis. Nostra autem clara est ex mente Augustini, ut habes in explanatione. Porro minus arridet Augustinus Eugubinus, et placet sanctus Aurelius August. Ille enim spernit nostram lectionem, seu male assutam, ut quæ non superioribus respondeat. « Quis enim, ait, est is qui in sole tabernaculum posuerit, cum neminem ante nisi cœlos commemoravit ?» Et miratur, quænam res possit esse, ut ponat

A tabernaculum in sole. Sed nunquid paulo ante dictum est : *Dies dici eructat verbum ?* Et illud verbum posuit in sole tabernaculum, ut copiosissime juxta ac sapientissime disserit divus Augustinus.

VERS. 11. — *Super aurum et lapidem pretiosum multum.* In secunda particula quidam vertunt, *aurum purum*, videlicet obrizon. Hebr. PAZ פז quod anceps est ad aurum defæcatum, et lapidem pretiosum. Unde in nostro codice, Hieron. juxta Heb. habet *lapidem pretiosum ;* in exemplari Fabri *obrizon :* tamen omni ex parte idem est sensus.

VERS. 12. — *Etenim servus tuus custodit ea.* Hier., *docebit ea ;* Pratensis, *cautus fuit in ipsis ;* Pellicanus, *cautus erit in eis ;* Munsterus, *admonetur per ea ;* Sanctes, *illustratur in eis* ; Interpres pro Cajetano, *sollicitatus est in eis ;* Gampensis, *pro ea docetur*. Hebr. legetur, נזהר בהם NIZEHAR BAHEM. Radix זהר autem significat *observare* vel *docere*. Hinc Ezech. XXXIII, ubi legimus ; *et non se observave-*
B *rit*, habetur in Hebr. eadem particula, quæ in præsenti loco. Tantum monet quod interpretes et Hier. vertunt active, alii passive juxta conjugationem Hebraicam, quam dicunt niphal. Apparet interpretes et Hieroymum legisse יזהר HZEHAR in futuro quod non frequenter apud Hebr. loco præsentis sumitur, quanquam idem sit intellectus, *custoditus est in eis*, sive *cavit sibi in eis, et custodivit ea.*

VERS. 13. — *Ab alienis servo tuo.* Hier. *a superbis*. Consentiunt Hebraizantes. Vel ex hoc loco palam fit interpretes legisse זרים per res litteram, ZERIM, et non per daleth זדים ZEDIM. Et fluxa est hujusmodi commutatio, ob maximam affinitatem duarum litterularum, quæ parvo apice distinguuntur, ut noverunt etiam abecedarii. Si autem legas per res, litteram, manifeste significat *alienos ;* si per daleth, *superbos* aut *insolentias*. Quatenus vero spectat ad sensum, nulla est discrepantia, cum per alie-
C nos intelligantur dæmones superbi, a quibus precamur nobis parci, quoniam virtute Dei a nobis repelluntur. Ac si dicas ; *Ab alienis parce servo tuo*, cum aliis translatoribus *prohibe* vel *contine servum tuum*.

Vel cum Hieronymo, *libera servum tuum.*

PSALMUS XIX.

PSALMI TITULUS : « IN FINEM PSALMUS DAVID »

Exaudiat te. Titulus : *In finem psalmus David*, patet. Hic agit Propheta de Christo, quasi de sacerdote immolaturo et rege pugnaturo, [Aug.] ubi figura optandi canit Propheta quæ ventura sunt Christo, tempore afflictionis ejus quod fuit usque ad passionem ; et tempore gaudii, quod fuit post resurrectionem. Intentio. Monet fideles ad idem desiderium. Modus. Bipartitus est psal. Primo, dicit ea quæ tempore tribulationis vult Christo fieri. Secundo, optat et affirmat, quæ tempore gloriæ fient, ibi, *tribuat tibi*, [Hier.] Optans ergo Christi vocem tanquam sacerdotis exaudiri, ait, o Christe.

VERS. 1. — « Exaudiat te Dominus in die tribu« lationis ; protegat te nomen Dei Jacob. »

[Aug.] *Dominus* Pater *exaudiat te in die tribulationis*, qua dixisti : *Pater, clarifica Filium tuum.* (*Joan*. XVII) Exaudiat dico, ita *protegat te nomen Dei* cui studes, Dei dico, *Jacob*, id est junioris populi. Ideoque te protegat, quia ad te pertinet populus Christianus. Et

VERS. 2. — « Mittat tibi auxilium de sancto et de « Sion tueatur te. »

Mittat tibi auxilium de sancto, [Aug.] id est auxilietur tibi, faciens tibi sanctificatum corpus. Corpus, id est Ecclesiam, *et de Sion tueatur, te*. Sion interpretatur *specula*, vel *speculatio*. Quasi dicat : De Sion ergo tuetur Deus Christum, cum Ecclesiam, quæ
D est corpus ejus, de alta speculatione tutam facit. Et

41 VERS. 3. — « Memor sit omnis sacrificii tui ; « et holocaustum tuum pingue fiat. »

Memor sit, Dominus *omnis sacrificii tui* [Aug.] id est memores nos faciat injuriarum omnium et contumeliarum, quas pro nobis tulisti, *et holocaustum tuum pingue fiat*, id est jucundum fiat Deo, id est crucem qua totus oblatus es convertat in lætitiam resurrectionis.

Aliter totum *Exaudiat*. Potest enim etiam Ecclesiæ convenire quod hic optatur. [Cassiod.] Propheta enim ex nimia charitate optat prospere evenire Ecclesiæ ea scilicet quæ per Christum videbat ventura, sic dicens : O Ecclesia, *Dominus exaudiat te in die tribulationis*, quo majori desiderio Deum precamur.

Ita, *protegat te nomen Dei Jacob*, ita protegat, ita tibi faciat quod Jacob fecit, ut sicut illi, ut tibi gratiam benedictionis det et præponat te Judæis, sicut illum præposuit majori fratri Esau, quem electo Jacob reprobavit (*Gen.* XXVII), ita reprobatis Judæis, Ecclesiam gentium elegit, secundum illud : *Erunt novissimi primi et primi novissimi*(*Matth.* XX). Et, o Ecclesia, *mittat tibi* Pater *auxilium de sancto*, id est de misso Filio ; *et de Sion tueatur te*, id est de speculatione te mittat, et faciat tutam ; et *memor sit omnis sacrificii tui*, ad remunerandum te. Sacrificium Ecclesiæ prævidebat Propheta per Spiritum sanctum quæ offert, non sacrificium pecudum, sed corporis et sanguinis Christi. *Et holocaustum tuum*, ubi intentio amore Dei tota incenditur, *pingue fiat*, id est jucundum Deo.

PARS. II. Δια ψαλμα. VERS. 4. — « Tribuat tibi secundum cor tuum et omne consilium tuum confirmet. »

Tribuat tibi [Alcuin.] Secunda pars, ubi optat et affirmat quæ tempore gloriæ vult fieri Christo. Quasi dicat : Exaudiat te et tribuat tibi *secundum cor tuum*, id est secundum intentionem tuam, qui scisti quid valeret passio, [Aug.] non secundum cor eorum qui te delere voluerunt ; *et consilium tuum confirmet*, id est compleat, quia omnia alto consilio facit Christus. Et addit *omne* scilicet non solum quo animam posuisti pro vita plurimorum, ut mortificatum granum copiosius surgeret ; sed etiam quo cæcitas ex parte contigit in Israel, ut plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret (*Rom.* II.)

VERS. 5. — « Lætabimur in salutari tuo, et in « nomine Dei nostri magnificabimur. »

Lætabimur. [Aug.] Quasi dicat : Ideo hæc oro, o Christe, quia lætabimur, *in salutari tuo*, id est, in eo quod tibi mors non nocebit, in quo nobis eam nocere non posse facis, et *in nomine Dei nostri*, [Cassiod., Rem.] scilicet Christi, *magnificabimur* ejus nomine dicti Christiani. [Aug., Cassiod.] Vel, in nomine Dei nostri magnificabimur, id est confessio tui nominis non perdet, sed magnificabit nos. Dum ait, lætabimur et magnificabimur, ostendit Propheta se unum de Ecclesia tanto tempore ante Christum.

VERS. 6. — « Impleat Dominus omnes petitiones « tuas ; nunc cognovi quoniam salvum fecit Domi« nus Christum suum. »

Impleat. Quasi dicat : Quid per singula ? Impleat *Dominus omnes petitiones tuas*. [Gl. int. Aug.] Non solum quas in terra fecisti, sed eas etiam quas in cœlo facis, interpellans pro nobis. Nec inde dubito quia jam *nunc cognovi* tanto ante per prophetiam mihi ostensum est *quoniam salvum fecit*, id est faciet, Dominus Pater *Christum suum*, id est quod resuscitabit Dominus Christum. Et

VERS. 7. — « Exaudiet illum de cœlo sancto suo ; in potentatibus salus dexteræ ejus. »

Exaudiet illum de cœlo sancto suo. [Aug.] Non

A solum de terra, ubi petit clarificari, sed etiam in cœlo, ubi interpellat pro nobis ad dexteram Patris, mittens inde Spiritum sanctum super credentes, *in potentatibus*. Quasi dicat : Exaudiet illum utique in hoc quod in potentatibus nostris est *salus dexteræ ejus*, id est potentatus nostri sunt, salus favoris ejus, id est nos potentes sumus ex auxilio gratiæ ejus, cum etiam de tribulatione dat nobis auxilium, ut quando infirmamur, tunc potentes simus, quia vana est salus hominis, quæ est sinistræ. Unde et superbia nascitur, dum peccantes extollantur, quia temporaliter salvi sunt. De quibus subdit :

VERS. 8. — « Hi in curribus, et hi in equis ; nos « autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus. »

Hi in curribus. [Cassiod.] Vel ita : Quia dixerat
B Christum petere et exaudiri, per quod ostenditur verus homo, ut ipsum quoque omnipotentem Deum ostenderet, addit, in potentatibus, quasi dicat, petet et exaudietur ut versus homo ; tamen ipse est idem Deus omnipotens, quia, salus est dexteræ ejus, id est, in dextera divinitatis ejus salus est, id est habet in deitate quod petit ex carne ; et hæc salus non est temporalis, nec aliquibus malis afficienda ; sed est in potentatibus, id est suos facit potentes in æternitate. [Alcuin.] Salus autem sinistræ sunt temporalia, in quibus potentes erunt, non sui. Et hoc est quod subdit, hi in curribus, quasi dicat : Salus dexteræ ejus est in potentatibus, sed hi qui non sunt sui, sunt in curribus, [Aug.] id est volubili successione temporalium bonorum trahun-
C tur, et in sæculari potentia gaudent, *et hi* sunt *in equis*, id est, superbis honoribus gaudent. Tangit duo genera triumphorum, qui erant apud antiquos, unus major, alter minor. [Cassiod.] Major triumphus, qui dicebatur laureatum, in curru fiebat ; minor, qui dicebatur ovatio, fiebat in equo. [Alcuin.] Et per hæc despicit eos Propheta, qui de terrena gnitate præsumunt. *Nos autem*. Quasi dicat : Illi exsultant in hujusmodi, nos autem *in nomine Domini Dei nostri invocabimus*, [Aug.] spem figentes in æternis, nec gloriam nostram quærentes, sed Dei.

VERS. 9. — « Ipsi obligati sunt et ceciderunt ; nos autem surreximus et erecti sumus. »

Ipsi obligati. [Cassiod.] Hic ostendit quomodo vana sit salus hominis : Quasi dicat : Illi sunt in
D curribus et equis, ideo ipsi obligati sunt, terrenis desideriis, scilicet cupiditate temporalium, nolentes parcere Domino, [Aug.] ne perderent locum et gentem (*Joan.* XI). *Et* irruentes in lapidem offensionis, et petram scandali (*I Petr.* II), *ceciderunt* de spe cœlesti in mortem cæcitatis, quamvis videantur stare recti, quibus cæcitas ex parte facta est, Dei justitiam ignorantibus, et suam constituere volentibus (*Rom.* X,) *nos autem*, quasi dicat : Judæi obligati ceciderunt, nos autem populus gentium, de lapidibus suscitati filii Abrahæ, *surreximus* a vitiis et morte. [Cassiod.] Et hoc, non viribus nostris, sed per fidem justificati, *erecti sumus* ad alta.

VERS. 10. — « Domine, salvum fac regem ; et

« exaudi nos in die qua invocaverimus te. »

Domine. Hic est conclusio psalmi. Et quia sic erit, id est quia salvo rege salvi erimus, ergo, o Domine, *salvum fac regem* Christum, [Aug.] ut qui patiendo exemplum præliandi nobis dedit, offerat et sacrificia nostra sacerdos excitatus a morte, et in cœlo constitutus. Et eo jam pro nobis offerente, quasi per eum advocatum *exaudi nos in die qua invocaverimus te*, id est qua vere credimus eum resurrexisse : quia hoc vere est invocare.

COLLATIO IN PSALMUM XIX : « EXAUDIAT TE DOMINUS IN DIE TRIBULATIONIS. »

VERS. 3. — *Holocaustum tuum pingue fiat*. Demiror vehementer cur Munsterus, Sanctes, Nebiensis, Pratensis, et interpretes pro Cajetano, voluerint vertere, *holocaustum tuum incineret*, et si suum habeat sensum, cum apud Hebr. nemine refragante דשן DASSEN significet utrumque et pinguescere, et incinerare, etiam si sit in conjugatione piel nuncupata. Et LXX, Hieron. Chaldæus, Pellicanus, Campensis, acceperunt sub priori significatu. Si interpretes posuissent *incineret*, vereor certe ne illi vertissent *pingue fiat*, ne dicam quod spernant lectionem ecclesiasticam.

VERS. 5. — *In nomine Dei nostri magnificabimur*. Hieron., *ducemus choros*. Alii transferunt, *erigemus vexillum*, vel *triumphabimus*. דגל DAGAL apud Hebr. significat *erigere vexillum*. Porro in confesso est interpretes sic accepisse, ut transponerentur litteræ GADAL דגל *magnificatus est*. In futuro נגדל NIGDOL, *magnificabimur*. Nec præterea longe sunt a se, *erigere vexillum*, et *magnificare* seu *triumphare*, *ducere choros*.

VERS. 8. — *Nos autem in nomine Dei nostri in-*

A *vocabimus*. Hebr. NAZCIR נזכיר sonat ad litteram *recordabimur*, seu *faciemus recordari*. Sed interpretes *intelligentiam* reddiderunt. Nam quo pacto nominis Dei recordabimur, nisi idipsum invocando in tribulationibus ? Hinc Nebiensis vertit, Thiera, *ponemus*.

VERS. 10. — *Domine salvum fac regem*. In Hebr. distinctio membri ponitur in verbo *fac* הושיעה HOSCHIA, ut dehinc rex nominandi casu ordinetur. LXX secus. Sed in Hebr. ne protinus colligas, quod si membri signum ponatur in verbis, debeat et itidem in ipsa fieri sententia. Nam psal. XXI : *Factum est cor meum tanquam cera liquescens*, ponitur in Hebr. distinctio membri magni sic, כדונג נמס CADDONAG NAMES, et tamen non est suspendenda lectio in particula cera, sed continenter legendum, si Hieron. assentimur transferenti, *tanquam cera liquefacta*, ob id in præsenti loco utraque lectio potest habere suum sensum et suam rationem. At Faber et Cæcus arbitrantur nostram lectionem esse quasi blasphe- B miam, quæ videtur innuere Prophetam orare pro Christo : *Domine, Pater, salvum fac regem*, id est Christum. O lepidi homines, quid non respicitis initium ipsius psalmi, *Exaudiat te Dominus in die tribulationis, protegat te*, etc. Ergo hic Propheta orat Deum Patrem pro Christo. Ignoratis quod hujusmodi locutiones dicuntur sæpe per aggratulationem ; vel etiam prophetice ponuntur loco futuri, sicut est illud : *Juda, quod facis, fac citius*. Et id genus sexcenta. In eo autem quod sequitur, *et exaudi nos in die*, etc. Hieron. legit, *exaudies nos* ; cæteri, *exaudiat nos*. Varietas potest esse in principio particulæ, in qua si scripseris תעננו TAANENU, ut legit Hieronymus, id est, *exaudies nos*, vel יעננו IAANENU, ut acceperunt isti, vel ועננו VAANENU, vau pro iod, quod passim sit, *et exaudi nos*, quomodo legerunt LXX. Et Nebiensis vertit, *responde nobis*. Chaldæus, *accipe orationem nostram*. Ad sensum vero nihil habet momenti

PSALMUS XIX.

PSALMI TITULUS : IN FINEM PSALMUS DAVID.»

***Domine*, *in virtute tua*. Titulus. *In finem psalmus David*, patet. [Cassiod.] Iste est tertius psalmus eorum qui de duabus naturis in Christo agunt, de qua re præcesserunt duo, scilicet secundus et octavus, et sequuntur adhuc alii quidam de eodem, in quibus omnibus monstratur una persona Christi, subsistens in duabus naturis, (51) contra hæreticos qui vel personam dividunt, vel naturas nefanda conjunctione confundunt.** Hic autem Propheta describit Christum cœlestem regem, verum Deum et hominem, ut auditum credat mundus, quem visum contempsit Judæus. Intentio : Monet ut Christum Deum et hominem credamus. Modus : Tripartitus est psalmus : Primo summam proponit, id est summatim meritum et præmium. Secundo virtutes Christi et gloriam describit, ibi, *quoniam prævenisti eum*. Tertio agit de pœnis inimicorum, ibi *inveniatur manus*. Quod autem in præcedenti psalmo oravit de Christo. Hic annuntiat ita incipiens, o,

VERS. 1. — « Domine in virtute tua lætabitur « rex ; et super salutare tuum exsultabit vehemen- « ter.»

C ***Domine*, Pater *rex* scilicet, homo Christus *lætabitur in virtute tua* [Aug.] scilicet Verbi, id est in eo quod Verbum caro factum est. Quod recte dicitur virtus tua, quia tibi coomnipotens.]Cassiod.] Ecce meritum, quia non de se homo Christus præsumpsit, sed Verbo omnia tribuit. [Alcuin.] Unde hoc præmium habuit quod per eum omnia salvata sunt. Unde subdit, *et super salutare tuum*, [Aug.] id est super hoc quod per eum vivificans omnia *exsultabit vehementer* [Cassiod.] ut res magna est. Et hoc ideo, quia,**

VERS. 2. — « Desiderium cordis ejus tribuisti ei ; « et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.»

***Desiderium cordis ejus tribuisti ei*, [Hier., Aug.] D scilicet comedere Pascha cum discipulis, quod desideravit, et cum vellet ponere animam et iterum sumere et mundum redimere, *et voluntate labiorum* [Aug., Cassiod.] id est verborum *ejus*, id est per verba prolata, *non fraudasti eum*. Quidquid enim dixit, factum est : Dixit enim : *Pacem meam relinquo vobis* (*Joan.* XIV), et factum est. Verbum quoque ejus impletum est, fugando dæmones, sanando infirmos, prædicatio ejus quoque recepta est.**

(51) Nestoriani personam dividebant, Eutychiani naturas confundebant.

PARS. II Διαψαλμα. VERS. 3. — « Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis ; posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. »

Quoniam prævenisti. [Cassiod.] Secunda pars, ubi virtutes ejus et gloriam describit. Quasi dicat : Unde hoc ei ? Quoniam *prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis*. [Rem.] Benedictiones dicit immunitatem peccati, qua Christus donatus est, etiam in conceptione, ut postea ei peccatum non obesset. [Gl. int.] Quæ dicitur dulcedinis, quia totum ex gratia fuit. Cum ergo alii amaritudine Adæ præveniantur, eum solum prævenisti in benedictionibus dulcedinis, id est immunitate peccati ; quæ est ex gratia ; [Aug.] et illi prævento immunitate fel peccati nostri non nocuit. *Et posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso*, [Gl. int.] id est faciens eum regem a simili triumphantis. Vel, posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso, id est in principio sermonis ejus ambierunt eum lapides pretiosi, [Aug.] scilicet apostoli, a quibus exordium prædicationis fieret (52). Isti sunt duodecim lapides pretiosi, in rationali judicii, qui erant insculpti nominibus duodecim filiorum Israel, quæ summus sacerdos ingressurus tabernaculum in pectore gestabat, quia doctor ecclesiasticus vita sanctorum præcedentium debet inspicere atque doctrinam ; et qui præcipue virtutum operibus floruerint et doctrina veritatis claruerint, sollicite scrutari, et hæc cuncta in secreto pectoris colligere et operis exsecutione prodere. [Cassiod.] Coronam vero dicit, quia docentem Christum circuitus apostolorum tanquam corona ambibat. Vel ita, prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis, [Alcuin.] id est prius et plenius in eum munera gratiæ contulisti, in quo omnes vivificantur, cui spiritus non est datus ad mensuram, et de plenitudine ejus nos omnes accepimus (*Joan.* I). Unde : *Propterea unxit te, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis* (*Psal.* XLIV). In eo enim plenitudo divinitatis corporaliter habitavit ut si ipse primogenitus in multis fratribus (*Coloss.* I, II), id est, præ cæteris habens spiritum, et prius cæteris resurgens impassibilis et immortalis, [Alcuin.] quos post mortis experientiam aptasti ei, quasi capiti coronam. Unde subdit, posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso, [Cassiod.] quia totus mundi circulus, id est Ecclesia generalis eum fide ambit, ut corona caput circundat. Sequitur :

VERS. 4. — « Vitam petiit a te, et tribuisti ei : longitudinem dierum in sæculum et in sæculum sæculi. »

Vitam, id est resurrectionem, *petiit a te*, dicens : *Pater, clarifica Filium tuum* (*Joan.* XVII.) *Et tribuisti ei*. Ecclesiæ vero suæ petiit, et tu tribuisti ei *longitudinem dierum in sæculum et in sæculum sæculi*, id est longa tempora hujus sæculi, quæ habet Ecclesia. Et deinde æternitatem. Et præterea,

VERS. 5. — « Magna est gloria ejus in salutari A tuo ; gloriam et magnum decorem impones super eum. »

Magna est gloria ejus, id est dabis ei nomen quod est super omne nomen (*Philip.*, II). Et hoc *in salutari tuo*, [Gl. int. Aug.] id est in hoc quod resuscitasti eum ; quia etsi ante habuit nomen Dei, tamen in resurrectione innotuit : et tunc dicitur res fieri, quando innotescit. Sicut et ipse jam resuscitatus ait ; *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra* (*Matth.* XXVIII) et adhuc *impones super eum* [Aug.] id est addes ei *gloriam et magnum decorem* cum in cœlo ad dextram tuam collocabis eum. Et vere ita erit.

VERS. 6. — « Quoniam dabis eum in benedictionibus in sæculum sæculi ; lætificabis eum in gaudio B cum vultu tuo. »

Quoniam dabis eum in benedictionibus in sæculum sæculi, [Aug.] id est ipse erit in benedictione sine fine : et hæc erit illa benedictio, quia *lætificabis eum* secundum hominem quem levavit ad te, ut si *in gaudio cum vultu tuo*, id est cum præsentia tua.

[Gl. int.] Vel ita ab illo loco, *magna est gloria ejus*, Christi hominis, *In salutari tuo*, id est in Verbo Patris. [Cassiod., Gl. int.] Quæ inde est gloria ? Ecce *impones super eum, gloriam de* judicio, quia in deitate judicabit, *et magnum decorem*, in majestate, quæ tunc apparebit. Nota quod hic dicitur Christus in divinitate judicaturus, alibi vero in humanitate, utrumque verum est. In humanitate enim judicabit, quia forma servi omnibus in judicio apC parebit. In divinitate vero, quia ex ea potentiam judicandi habet. Vel *gloriam et magnum decorem*, [Alcuin.] id est gloriosos et decoros, ut fuit Petrus, cujus umbra infirmi sanabantur (*Act.* V.) *Impones super eum*, præter quem non est aliud fundamentum, ut ait Apostolus : *Fundamentum positum est, quod nemo mutare, potest, quod est Christus Jesus* (*I Cor.* III). Ideo, super eum. *Quoniam dabis eum in benedictionibus in sæculum sæculi*, scilicet ut per eum omnes gentes benedicantur, sicut promisit Deus Abrahæ : *In semine tuo Benedicentur omnes gentes* (*Gen.* XXII). Et, *lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo*, [Alcuin.] id est de hoc quod sui gaudebunt cum tua præsentia, quando eris omnia in omnibus (*I Cor.* XV). Sequitur :

D VERS. 7. — « Quoniam rex sperat in Domino ; et in misericordia Altissimi non commovebitur. »

Quoniam rex. [Gl. int.] Reddit causam omnium præcedentium. Quasi dicat : Merito hæc egi, quoniam rex, [Aug.] scilicet homo Christus, non superbit, sed ut humilis corde *sperat in Domino ; et in misericordia Altissimi* ; et ideo *non commovebitur*, id est nihil turbabit humilitatem ejus et obedientiam usque ad mortem. Vel sic distingue, *Et in misericordia Altissimi non commovebitur :* Idem sensus.

PARS. III. VERS. 8. — « Inveniatur manus tua

(52) Ex Greg. in II parte Curæ Pastoralis, capite 2.

« omnibus inimicis tuis ; dextera tua inveniat omnes A « qui te oderunt. »

Inveniatur manus. [Cassiod.] Tertia pars, ubi agit Propheta de pœnis inimicorum Christi, ut supra agit de laudibus ipsius, et loquitur ad Christum. Quasi dicat : Et quia talis es, o rex Christe, *manus tua,* [Aug.] id est potestas tua, *Inveniatur*, cum ad judicium veneris *omnibus inimicis tuis*, qui eam in humilitate tua non cognoverunt, et *dextera tua,* id est claritas qua regnas ad dexteram Patris, *inveniat* puniendos in die judicii *omnes qui te oderunt*, quia ipsi nunc non invenerunt eam. Vel ad Patrem loquitur et accipitur partim de præsenti in bono, partim de futuro in malo. Et dicit manum et dexteram, Filium. [Cassiod.] Quasi dicat : Rex talis est, o Pater, manus tua, id est Filius tuus, inveniatur, B per fidem, omnibus inimicis tuis, ut credant. Et si cui non invenitur dextera tua, id est ipse Filius, inveniat, [Hier.] in die judicii, omnes qui te oderunt, puniendos. Et sic erit, quia

VERS. 9. — « Pones eos ut clibanum ignis in « tempore vultu tui ; Dominus in ira sua conturbabit eos et devorabit eos ignis. »

Pones eos ut clibanum ignis, [Aug.] ardentes intus, in conscientia impietatis suæ. Et hoc *in tempore vultus tui*, id est in tempore manifestationis tuæ. Deinde personam mutans ostendit illos etiam exterius cruciandos subdens, *Dominus*, etc. Quasi dicat : Ignis conscientia intus cruciabit eos. Et præterea, Domiminus, *in ira sua,* [Cassiod.] id est, in judicio futuro ubi irasci malis videbitur, *conturbabit eos*, cum dicet : *Ite, maledicti, in ignem æternum* (*Matth.* XXV) C et mox *devorabit eos ignis*, infernalis, ubi erit fletus et stridor dentium. [Aug.) Ordo damnationis ostenditur, quia post accusationem conscientiæ conturbati vindicta Dei devorabuntur igne æterno. Unde propheta Sophonias ait : *A prima porta erit clamor, et a secunda ululatus* (*Soph.* I). Quasi dicat (53) : Duæ portæ sunt visus et auditus, a prima ergo porta, quæ est visus, erit clamor, cum impii viderint omnia mala sua propriis conscientiis accusantibus eos. Unde, ecce homo, et omnia opera ejus coram eo. A secunda vero porta, id est ab auditu erit ululatus, id est dolor vehemens cum in ultimo hanc damnationis sententium audierint, scilicet : *Ite maledicti*, etc. Et

VERS. 10. — « Fructum eorum de terra perdes ; D « et semen eorum a filiis hominum. »

Fructum eorum, quia de terra est [Aug.] id est terrenus, *de terra*, viventium, *perdes,* [Alcuin.] id est non erit eis fructus beatudinis in terra viventium, quia terrena amaverunt ; *et semen eorum*, id est opera vel illos quos seduxerunt, *perdes a filiis hominum*, [Aug.] id est, non deputabis inter hæredes regni. Hæc autem pœna ideo erit illis,

VERS. 11. — « Quoniam declinaverunt in te mala ; « cogitaverunt consilia quæ non potuerunt stabilire. »

[Aug.] *Quoniam mala*, quæ sibi imminere a Romanis te regnante putabant, *declinaverunt* id est, retorserunt *in te* occidendum. [Gl. int.] Vel, mala, quæ in eis sunt, declinaverunt in te, id est imposuerunt, tibi dicentes : *Dæmonium habes* (*Joan.* VII). Et hujusmodi. *Et cogitaverunt consilia*, hæc scilicet : *Expedit ut unus moriatur pro populo* (*Joan.* XII,) *et ne mundus post eum abiret*, [Aug.] Quæ tamen omnia perierunt. Unde subdit, *quæ non potuerunt stabilire* juxta voluntatem suam,nescientes quid dicerent. Verum quidam dicebant, sed non intelligebant.

VERS. 12. — « Quoniam pones eos dorsum in re« liquiis tuis præparabis vultum eorum. »

Quoniam pones eos. [Alcuin.] Postquam dixit de pœna eorum futura, dicit de præsenti, quæ est causa futuræ. Quasi dicat : Ideo hæc eis erunt in futuro, quoniam in præsenti, pones eos dorsum. [Aug.] id est ordinabis eos in his excæcatis, a quibus postpositis et contemptis averteis. Et *in reliquiis tuis*, id est in his quæ relinquis, et reprobas, id est in cupiditatibus regni terreni, quas non amas *præparabis* tibi ad passionem, *vultum*, id est impudentiam, *eorum*, dum propter retinendi regni cupiditatem Christum occiderunt : quod patienter sustinuit pro salute nostra ut dispositum erat. Vel ita. [Alcuin.] Quasi dicat : Quia hæc Judæi faciunt, pones eos dorsum, id est repelles eos a te, in reliquiis tuis. Et quoniam pones eos dorsum, id est quia hi repellentur a te, in reliquiis tuis, id est in his quos tibi relinquis de gentibus assumendos, præparabis vultum eorum, id est cognitionem tui. Vultum dico eorum, id est qui deberet esse eorum, quia eis credita fuerunt eloquia legis et prophetarum (*Rom.* III) : et ad eos venit Christus. Vel dorsum sunt Judæi, qui terrena non cœlestia contemplantur. **43** Et est ideo hoc eis in futuro, quoniam pones eos dorsum, id est permittes eos curvari usque ad terrena, quæ retro sunt ; et vultu [Cassiod.] id est malam intentionem eorum, præparabis in reliquiis tuis, id est paras ad passionem tuam, ut cum putarent occidere, salus mundi fieret. Paravit ergo Christus intentionem eorum, bonum de ea disponendo.

VERS. 15. — « Exaltare, Domine, in virtute tua ; « cantabimus et psallemus virtutes tuas. »

Exaltare. Conclusio psalmi. Quasi dicat : Illi ita cogitaverunt, sed tu, *Domine*, quem humilem non cognoverunt. Exaltare, id est, in gloria resurge [Aug.] et hoc *in virtute tua* humilitatis, quam infirmitatem putaverunt, *et* nos *cantabimus et psallemus virtutes tuas*, id est corde et opere celebrabimus, et nota faciemus mirabilia tua.

COLLATIO IN PSALMUM XX : « DOMINE IN VIRTUTE TUA LÆTABITUR REX. »

VERS. 2. — *Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.* Et ad eumdem modum vertit Hier. Alii vero transferunt, *probationem labiorum ejus non*

(53) Ex Hier. in Comment. Sophon.

prohibuisti, seu *non negasti*. Vocabulum Hebraicum hic positum ארשׁת in nullo alio loco Scripturæ invenitur. Ob id satius fuisset, istos Hebraizantes sequi LXX et Hieron. in significantia illius vocabuli, quam Judæos, et si eodem conspirent, *voluntas labiorum*, et eorum *prolatio libera*. Et certe non incongruit, quin LXX et Hieron. legerint ארשות ARESSUTH pro ARESSETH, ut aleph a principio si adjectitia, quia RESSUTH apud Hebr. significat *facultatem liberam*, quod mire quadrat prædicationi Christi, quæ liberrima fuit, citra ullam personarum acceptionem.

VERS 12. — *Quoniam pones eos dorsum.* Munsterus, Nebiensis, Pratensis et Campensis, *pones eos ad partem*; Hieronymus, Sanctes, Pellicanus, interpretes pro Cajetano, *humerum* seu *dorsum*. Cum igitur Hebr. utramque; habeat significantiam, nempe שכם SCHECHEM, cur pugnant nulla ratione contra
A editionem Vulgatam ? Certe si vertissent interpretes, pones eos ad partem, exspectandum forte erat ut antiqui traducerent, *pones eos dorsum*. Tanta est contradicendi libido. Persuadere tamen mihi volo quod id fecerunt non damnandi studio, sed varietatis decore.

In reliquiis tuis præparabis vultum eorum. Hieronymus, Nebiensis, Sanctes, interpretes pro Cajetano, pro *reliquiis* ponunt *funes*. Munsterus, Pratensis, Pellicanus, paraphrasis Campensis, accipiunt *nervum arcus* seu *balistæ*. Verum particula Hebraica tria potissime significat יתר IETHER, quandoque residuum *seu* reliquias, quo modo acceperunt LXX interdum *funem*, ut intelligit Hieronymus, tertio *nervum*, ut volunt, qui ita vertunt. Et hæc triplex significatio, facile potest adaptari ad insinuandam Judæorum obstinatorum perditionem, secundum expositionem divi Augustini.

PSALMUS XXI.

PSALMI TITULUS : « IN FINEM PSALMUS DAVID, PRO ASSUMPTIONE *vel* SUSCEPTIONE MATUTINA *seu* PRO CERVA MATUTINA, »

Deus Deus meus, respice in me. Titulus. *In finem psalmus David pro assumptione* vel *susceptione matutina* seu *pro cerva matutina*. [Cassiod] Psalmus iste primus eorum est qui principaliter et late agunt de passione Christi. [Alcuin.] Et cum iste psalmus sufficeret in testimonium Dominicæ passionis, ne qua sit alicui excusatio, ne qua ambiguitas, sequuntur et alii quatuor de eadem re aperte scripti, scilicet trigesimus quartus et quinquagesimus quartus; sexagesimus octavus, centesimus octavus. Quorum omnium talis est forma. Quia a gemitu et operatione incipiunt et in salute hominum terminantur, ne audita passione fideles desperent, sed ex ea veram salutem esse credant, in titulo tamen non fit mentio de passione, sed de resurrectione cum ait : *Pro assumptione* vel *susceptione matutina* [Cassiod.], sed per id quod sequitur, id per assumptionem notatur quod præcedit, id est passio, ut cum dicitur aliquis manumissus, intelligitur fuisse servus; ita etiam cum dicitur Christus resurrexisse, intelligitur mortuus fuisse. [Aug.] Assumptio autem vel susceptio matutina dicitur resurrectio Christi, quæ mane facta est, cum adhuc tenebræ essent, quando humana natura in gloria assumpta est. [Alcuin.] Et hæc dicitur a similitudine solis, qui paulatim ascendendo assumitur, donec ubique clarescat, sic Christus de passione ad resurrectionem, inde in cœlum ad dexteram Patris ascendit. Unde misso in apostolos Spiritu sancto, mundum fidei radiis illustravit. Et quia hic principaliter agitur de passione in qua Christus oravit pro resurrectione, bene non de assumptione, sed pro assumptione dicit. Et est sensus tituli talis : *Psalmus* iste, tendens *in finem* id est in Christum, de cujus passione agit, est *David*, id est Christi, qui hic loquitur in persona sua, vel sub personna veteris hominis, [Aug.] id est Ecclesiæ, quæ vetus est in culpa et in pœna. Vetustas namque nostra in duobus
B consistit, in pœna scilicet, et in culpa : quæ duo Christus in nobis consumpsit, per suam simplam vetustatem, unde et una die et duabus noctibus jacuit in sepulcro, significans se sua simplici vetustate nostram geminam consumere. Nam ut ait Apostolus : *Vetus homo noster confixus est cruci cum illo.* (*Rom.* VI). Unde Osee propheta; *Ero mors tua, o mors* (*Ose.* XIII) : Christi dico, orantis *pro assumptione matutina*, id est, agentis de passione, ubi orat pro resurrectione mane facta. [Cassiod.] Hic ergo oratur assumptio Christi, id est resurrectio pro qua præmittitur passio, ita expresse exposita, quasi sit historia evangelica, non prophetia et merito ita diligenter narratur, quia ipsa passio salus est mundi. Alii autem habent *pro cerva matutina* quod idem est
C secundum aliam similitudinem. [Alcuin.] Cerva enim est humana Christi natura, quæ lutum et spinas, scilicet peccatorum transiliit, et mane in gloria resurrectionis, quasi in altum est assumpta. Intentione nos monet compati Christo, ut conregnemus. [Cassiod.] Modus. Tripartitus est psalmus. Primo præmittitur conquestio de derelictione, necnon et oratio, sicut in omnibus psalmis de passione. Secundo, describitur passio, ubi et oratur resurrectio ibi, *circumdederunt*, etc. Tertio fructus et virilitas passionis ostenditur, ibi, *narrabo*, etc. [Aug.] Christus ergo sub persona veteris hominis, pœnæ et culpæ expositi, clamat.

VERS. 1. — « Deus, Deus meus, respice in me « quare me dereliquisti longe a salute mea : verba « delictorum meorum. »

D [Alcuin.] *Deus, Deus meus.* Deus, geminat ex affectu. Vel, Deus, omnium per potentiam creationis, qui es Deus meus proprie per cultum *respice in me*. Hoc non est in Hebr., sed additum est a LXX Interpretibus, magis sensum quam verba sequentibus. Respice, dico, et necesse est, quia *dereliquisti me*, id est, pœnæ et culpæ me exposuisti. Et hoc *quare ?* secundum Hebr. ita junge litteram : Deus Deus meus, quare dereliquisti me, [Aug.] Mirum est quomodo Christus dixit, dereliquisti cum et

Deus esset cum eo, Non enim Deus dereliquerat illum, cum esset Verbum Dei Deus, sed pro nobis hoc dicit, qui in eo sumus unum ut membra, et sumus corpus ejus. Corpus enim Christi est Ecclesia, pro qua hic dicit, pro qua et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis (*Joan* I) : *Longe*. Hic est solutio. Quasi dicat : Ecce quare ; ideo scilicet quia longe es *a salute mea*, scilicet mei veteris hominis, quia longe est a peccatoribus salus (*Psal.* CXVIII). Et hæc *verba*, scilicet *dereliquisti me*, et *longe*, et *quare*, non sunt justitiæ, sed *delictorum meorum*, id est ostendunt me non esse justum, sed peccatorem. Vel sub una distinctione, longe a salute mea sunt verba dilectorum meorum, id est verba mea, dicit Christus in persona veteris hominis, quæ stulta sunt et delicta, sunt causa quare tum longe es a salute mea.

VERS. 2. — « Deus meus, clamabo per diem, et « non exaudies : et nocte, et non ad insipientiam « mihi. »

Deus meus [Aug.]. Item hoc Christus ex persona veteris hominis. Quasi dicat : Ita longe sunt a salute, quod *clamabo* ad te, o tu qui es *Deus meus per diem*, id est in prosperis, ut non abeant : *et nocte*, id est in tribulatione ut abeat ; *et non exaudies*, me clamentem sic, quia verbis delictorum clamo. Quomodo hoc dicit qui peccatum non fecit, neque inventus est dolus in ore ejus : (*I Petr.* II) sed de nobis corpore suo dicit hoc, scilicet de me, de te, de illo corporis enim sui id est Ecclesiæ gerebat personam. Sicut et alibi, cum dixit : *Transeat a me calix iste* (*Matth.* XXVI) pro nobis loquitur. Nisi forte putetur timuisse mori, id est timore mortis suæ illud dixisse. [Aug.] Sed non vere timebat Deus pati, tertia die resurrecturus, cum arderet Paulus dissolvi et esse cum Christo. Non est enim fortior miles quam imperator, sufficit servo ; ut sit sicut dominus ejus. Miles ergo coronandus gaudet mori ; et dominus coronaturus timet mortem. Sed infirmitatem nostram repræsentans, pro suis infirmis qui timent mori hæc dixit : Illorum vox erat, sic et hic vox membrorum est, non capitis, clamabo per diem et noctem, et non exaudies. Multi enim clamant in tribulatione et non exaudiuntur. Sed animadvertendum diligenter, quod August. hic (54) videtur dicere Christum non veram tristiam, vel timorem habuisse, cum ipse idem alibi dicat Christum sic veram tristitiam vel timorem assumpsisse, ut veram carnem et Evangelium quoque ; dicit ; *Cœpit Jesus pavere et tædere* (*Matth.* XXVI.) Distinguat ergo lector quomodo utrumque dictum sit. Et utrumque verum esse intelligat. Vere enim mortem non timuit, id est necessitate conditionis illi defectui non subjacuit, quia sine vitio et peccato erat ; et tamen verum timorem atque tristitiam in se suscepit, quomodo veram carnem, sed sola voluntate miserationis, non necessitate conditionis. Verum itaque timorem mortis habens, illud dixit ; *Transeat*
A *a me calix iste* : (*ibid.*) sed maxime pro infirmis membris. Ita et hic ex membrorum persona dicit se non exaudiendum. Sed hoc ad satutem, non ad insipientiam est. Unde subdit, *et non ad insipientiam*. Quasi dicat : Clamavi in prosperis et adversis, et non sum exauditus. Et de utroque, non est mihi ad insipientiam, sed ad sapientiam, scilicet ut sapiam, qui clamandum sit, et quomodo [Aug.] scilicet non verbis delictorum, et ex desiderio temtemporalis vitæ, sed verbis conversionis ad te pro vita æterna. Per hoc ergo intelligo quod non audit Deus ad voluntatem, sed ad salutem, sicut modicus non agit ad voluntatem ægri, sed ad sanitatem.

VERS. 3. — « Tu autem in sancto habitas, laus « Israel. »

B *Tu autem*. Quasi dicat : Clamabo ad te et die et nocte, nec exaudior. [Aug.] Quare autem hoc fiat, tui intelligunt, quia *tu autem habitas in sancto*, id est in sanctificatis a te. Et ideo non audis verba delictorum, sed clamantes verbis vitæ æternæ, scilicet quos facis intelligere quod ad salutem sanctos interdum non audis, ut Paulum (*II Cor.* XII) : et ad damnationem, malos aliquando audis, ut fecisti dæmonibus, concedens intrare porcos, (*Matth.* VIII), vel tentare Job (*Job.* I). Tu, dico, qui es *laus Israel*, id est videntis te, non ejus qui se voluit abscondere a conspectu tuo.

VERS. 4. — « In te speraverunt patres nostri : « speraverunt, et liberasti eos. »

In te speraverunt [Gl. int.] Loquitur adhuc Chri-
C stus ex persona veteris hominis. Quasi dicat : Me non audisti, sed præcedentes patres audisti et liberasti. Quare ergo non audis, et me, vel nos ? quasi dicat, mirum est. Et hoc est quod ait : In te speraverunt *patres nostri*. [Aug.], antiqui, scilicet justi speraverunt. Quasi dicat : Ex spe est liberatio *et liberasti eos* ut populum Israel, de Ægypto (*Exod.* XIV) et camino tres pueros (*Dan.* III), et Danielem de lacu leonum (*Dan.* VI), et Susannam 44 de falso crimine (*Dan.* XIII), et hujusmodi [Aug.] Quare ergo similiter et nos non liberas ? Sciant omnes ad Christum venientes, hoc ideo fieri, quia in tribulatione Christianus probatur, si non derelinquit Deum suum, Fornax enim paleas in cinerem vertit, auro sordes
D tollit ; ita illi in quibus habitat Deus, in tribulatione meliores fiunt, tanquam aurum probati. Novit ergo quid agat qui nos fecit, novit et reficere nos bonus structor, qui ædificat domum. Et si quid ceciderit, novit resarcire. Sequitur,

VERS. 5. — « Ad te clamaverunt, et salvi facti » sunt ; in te speraverunt, et non sunt confusi. »

Ad te etiam clamaverunt, [Aug.] non utique verbis delictorum, a quibus longe est salus, *et salvi facti sunt* statim, non dico in futuro. Et repetit *in te speraverunt*. [Cassiod.] Attende quod magnus decor locutionis est, dum iterat, speraverunt ; *et*

(54) Aug. in Psal. XCIII, in versiculum illum, *Quousque justitia*, etc.

non sunt confusi de præmio, [Aug.] quia non in se sibi spes fuit, sed in te.

VERS. 6. — « Ego autem sum vermis et non » homo ; opprobrium hominum et abjectio plebis. »

Ego autem. [Aug.] Hucusque locutus est Christus in persona veteris hominis. Hic jam proprie Christus in sua persona loquitur. Quasi dicat : Patres liberasti, et non Ecclesiam, quod mirum est. Et non tantum hoc est mirum, sed etiam quod de me fecisti ; me enim qui major sum omnibus abjectiorem aliis fecisti. Excellentiam suam notat dum ait : Ego autem *sum vermis et non homo* : Abjectionem, cum dicit, *opprobrium hominum.* Et hoc est, ego autem sum vermis, quia sine virili semine natus sum de Virgine, ut essem ultra homines in honore. Unde subdit, et non homo tantum, quia etiam Deus sum. Ideo cum dixisset, vermis, addit, et non homo, ut distinctionem notaret, quia est et homo vermis, ut Adam, qui non de semine viri fuit, et homo tantum ; sed Christus est vermis et non homo, quia erat Verbum in principio apud Deum. [Cassiod.] Vel, non homo, id est peccator. Et cum sim talis et tantus, ego qui major sum omnibus, cum essem in hac dignitate, etiam factus sum, opprobrium hominum, in sputis et colaphis, *et abjectio plebis*, dum pro eo elegerunt Barabbam. [Cassiod., Gl. int., Aug.] Ecce quanta panitur Christus, cum patres liberati fuerunt. Ideo vero de se objectio dicit, ut vel sic superbia hominis Deum humilem imitetur. Vel in persona Christi omnia superiora possent accipi, qui veram humanitatis naturam exprimens ait : *Deus, Deus meus*, hæc sunt verba quæ clamavit in cruce pendens, *Eli*, *Eli*, *quare me dereliquisti*, hoc est quod ibi dixit, *lamma sabacthani* (*Matth.* XXVII). Quando hæc vero in cruce dixit, psalmum istum de se scriptum indicavit, *longe a salute*. Quasi dicat : Ecce quare, quia *verba*, id est postulatio, *delictorum meorum* [Cassiod., Gl. int., Alcuin.] id est membrorum meorum delicta, postulantia mortem meam sine qua non est salus, sunt, longe a salute mea, corporali, id est sunt causa quare patior, quia sic, id est per passionem sunt tollenda delicta meorum. Et nota quia nostra delicta dicit sua, sua ea fecit non ad habendum, [Aug.] sed ad delendum, ut suam justitiam faceret nostram. [Cassiod.] Ita longe sunt, quod *clamabo* ad te, quasi dicat : Tu es *Deus meus*, *per diem*, quia nullæ in eo tenebræ erant. *Et nocte*, id est in tribulatione, in qua clamantes solent exaudiri. *Et*, tamen, *non exaudies* me quin sinas crucifigi. Non enim exauditus est Christus ad salutem corporalem. Attende diligenter quod dicit hic Christum non fuisse exauditum, cui concordat illud quod in Evangelio ipse Christus dicit : *Transeat a me, si fieri potest, calix iste* ; *verumtamen non fiat voluntas mea, sed tua* (*Matth.* XVI.). Ex his enim videtur Christus petiisse et voluisse quod non obtinuit. Sed his contraria videntur, quæ in alio psalmo dicuntur : *Desiderium cordis ejus tribuisti ei* ; et A *voluntate labiorum ejus non fraudasti eum* (*Psal.* XX). Et alibi : *Impleat Dominus omnes petitiones tuas* (*Psal.* XIX). Sciendum igitur juxta duas naturas, diversas fuisse voluntates in Christo. Aliud enim volebat voluntate divinitatis, cui per omnia rationis affectus concordabat. Aliud affectu sensualitatis. Voluntate namque divinitatis et rationis volebat mori pro salute hominis ; affectu sensualitatis non volebat. Utrumque tamen bonum erat, sed alterum melius, scilicet ut moreretur. Ideoque illud effectui mancipavit. Nec tamen dicendum est in Christo spiritum concupisse contra carnem, vel carnem contra spiritum, sive contra Deum, quia voluntas Dei erat ut secundum carnem illud vellet ac peteret, ut veritas humanitatis in eo exprime- B retur. Hoc ergo attendentes dicimus Christum aliquid voluisse et petisse juxta affectum carnis quod non obtinuit, quia nec secundum voluntatem deitatis et rationis id obtinere voluit. Quare ergo petiit? ut tibi formam in tribulatione clamandi ad Deum daret, et tuam divinæ subjiciendi voluntatem. Quæcunque enim secundum divinitatem et rationem voluit, facta sunt. Quia ergo hic secundum affectum sensualitatis, pro temporali salute clamavit, quam non obtinuit, bene ait : Clamabo et non exaudies, et hoc, *non* erit *ad insipientiam mihi.* [Cassiod., Aug.] Sed ut sapienter meo sanguine genus humanum liberetur. Nullus enim fuit convenientior modus nostræ liberationis, ut homo qui per superbiam cecidit, per humilitatem resurgat. *Tu autem.* Quasi C dicat : Dico, non exaudies, sed quamvis non audis, tamen tu, habitas *in* me *sancto*, quia Deus erat in Christo mundum sibi reconcilians (*II Cor.* V). Tudico, *Laus Israel*, [Cassiod., Alcuin.] id est qui laudas te videntem. *In te speraverunt*, quasi dicat : Dico in me sancto *habitas*, et ita mirum, quia patres *liberasti* antiquos, me autem non. Sed *sum vermis, et opprobium*, [Gl. int., Cassiod.] et hoc est quod ait : In te speraverunt, dicit Christus, patres nostri qui minores erant quam ego qui fuerunt patres mei secundum carnem, speraverunt *et liberasti eos*, hoc non mutatur. *Ad te* etiam *clamaverunt et salvi facti sunt* ; *in te speraverunt et non sunt confusi*, hæc sicut prius intellige. *Ego autem sum*, etc., quasi dicat : Illos liberasti, *ego autem sum, vermis et non homo*, [Cassiod.] id est ita viliter con- D culcatus ac si essem vermis, et non homo. Vel, ego sum vermis, [Aug., Cassiod.] quia mortalis, et de carne sine coitu et concupiscentia natus, ut vermis de terra, et humilis et vilis ac silentio repens. *Et* tamen, *non sum homo* tantum, quia etiam Deus. Et sum opprobrium hominum, etc.

VERS. 7. — « Omnes videntes me desiderunt me : « locuti sunt labiis et moverunt caput. »

[Cassiod., Aug.] *Omnes*, mali, scilicet, *videntes* me hujusmodi *desiderunt me, et locuti sunt labiis*, non corde tantum dicentes : *Si Filius Dei, descendat de cruce, et credimus ei* (*Matth.* XXVII). [Cassiod.]

Et moverunt caput irridentes vel quasi minantes, non judicio agentes et ironice dicentes :

Vers. 8. — « Speravit in Domino, eripiat eum : « salvum faciat eum, quoniam vult eum. »

[Gl. int.] *Speravit* in Domino, ut ait, *eripiat eum* de manibus nostris. Vel si non eripit, *salvum faciat*, id est resuscitet *eum quoniam vult eum*, ut ait. [Cassiod.] Hæc est ironia Judæorum. Ecce quasi historialis narratio, non prophetia, ne qua sit excusatio, ne quia ambiguitas.

Vers. 9. — « Quoniam tu es qui extraxisti me de « ventre, spes mea ab uberibus matris meæ : in te « projectus sum ex utero. »

Quoniam tu es, causam opprobriorum hic ostendit. [Aug.] Quasi dicat : Ideo hæc dicunt, quoniam tu es *qui abstraxisti me de ventre*, id est quia homo factus sum tui operatione. Nam in Verbum quod est in principio apud Deum (*Joan.* I), talia non dicerent. Verbum enim illud per quod facta sunt omnia (*ibid.*, non extractum est de ventre, nisi quia Verbum caro factum est (*ibid.*). *Et tu es spes mea*, vel, Deus meus. Alia littera. Et hoc *ab uberibus matris meæ*, id est secundum humanitatem, secundum quam suxit ubera matris. Ab uberibus ergo est spes et Deus meus, qui ante sæcula es Pater meus secundum divinitatem. Et *in te projectus*, vel jactatus *sum ex utero*, ut tu solus esses spes mea, qui jam homo, jam infirmus sum, et tu es Deus meus.

Vers. 10. — « De ventre matris meæ Deus meus « es tu : ne discesseris a me. »

De ventre matris meæ, etc., id est secundum id quod a matre habeo, non secundum id quod de te habeo. [Aug.] Nam de te es Pater meus, sed de matre es Deus meus, id est creator secundum quod homo sum ; sed secundum quod sum Deus, a te sum genitus. Et ideo, *ne discesseris a me*. Vel ita, et mutatur ordo litteræ sic : [Cassiod.] Ipsi ita mihi faciunt, sed, *tu ne discesseris a me*, quia jam cœpisti mecum esse. Et hoc est quod ait : *quoniam tu es qui extraxisti me de ventre matris meæ*, non vir, quia tua virtute, non opere viri clauso utero natus sum. Hoc dicit, ne dubitetur Virginis partus. Virtute enim Dei totum factum est. *Et tu es spes mea ab utero matris meæ*. Vera humanitas in Christo, et magna perfectio hic notatur ; ab ubere enim fecit quod vix facit aliquis jam maturus, etc., *in te projectus sum ex utero*, non in peccato hominis, alii enim in peccato Adæ projiciuntur, ex quo rei sunt. Ego vero projectus sum in te, ut in te solo sperarem, et non tantum ab uberibus es spes mea, sed etiam : *Tu es Deus meus de ventre matris meæ*, quasi dicat : Nec conceptio sine Deo facta est, nec in peccato conceptus sum ut homo, sed de Spiritu sancto conceptus sum et natus. Unde Angelus ad Mariam ait : *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi* (*Luc.* I). Vel ita *quoniam tu es*, et legitur allegorice, ubi per matrem intelligitur Synagoga quasi dicat : Ideo hæc

A mihi faciunt, quoniam tu es *qui abstraxisti me de ventre*. [Aug.] Non solum de illo virginali ventre, quæ lex nascendi est omnibus, sed et de tenebris quæ lex nascendi est omnibus, sed et de tenebris Synagogæ quibus obtegitur, et nondum in lucem Christi natus est, quisquis in legalibus observationibus Sabbati, et circumcisionis cæterorumque confidit. Et tu *es spes mea*, vel, *Deus meus ab uberibus matris meæ*, non ex quo uberibus virginis lactari cœpi, quia et ante : sed ab uberibus Synagogæ, a quibus sicut de ventre, ut ante dixi, extraxisti me, ne scilicet carnalem consuetudinem sugerem. Et *in te projectus sum ex utero* Synagogæ, cujus uterus, id est Scribæ et Pharisæi, me non pertulit, sed jactavit. Nec fecit ejus venter ut sic

B ut parvulus essem tui oblitus : sed, *tu es*, id est fuisti *Deus meus* de utero matris meæ Synagogæ : ergo, *ne discesseris a me*. Terminat conquestionem in oratione, et causam supponit.

Vers. 11. — « Quoniam tribulatio proxima est : « et non est qui adjuvet. »

Quoniam tribulatio proxima est, [Aug.] in corpore meo, vel, proxima est, secundum tempus, quia imminet. Et item ideo *quoniam non est* alius *qui adjuvet*, si tu non adjuvas.

Pars. II. Vers. 12. — « Circumdederunt me vituli « multi, tauri pingues obsederunt me. »

Circumdederunt me. [Cassiod.] Secunda pars, ubi describitur Christi passio, quam terminat oratio, et ad convincendos Judæos refert futura quasi

C præterita, quasi dicat, tribulatio proxima est. Nam circumdederunt me, consiliis vel cum gladiis et fustibus, *vituli multi*, [Aug., Cassiod.] id est, multitudo luxuriantis populi, qui erant sine jugo Dei. Et *tauri pingues*, id est principes superbi, de pinguedine ferociores, *obsederunt me* a simili, quasi castrum, ne evaderem. Et

Vers. 13. — « Aperuerunt super me os suum : « sicut leo rapiens et rugiens. »

[Cassiod., Aug.] *Aperuerunt super me* ut feræ, volentes me deglutire, *os suum*, scilicet non a sapientia Dei, sed sua cogitatione scelerata reseratum. Ipsi dico existentes *sicut leo rapiens* in comprehensione, *et rugiens* quando dixerunt : *Crucifige, crucifige*, (*Joan.* XIX). Fuit enim quasi leonis rapina, quando apprehensus sum ; et rugitus, cum

D clamaverunt : *Crucifige, crucifige*. Confer verba, et redde singula singulis. [Cassiod.] Ut leo rapiens, circumdederunt ; ut rugiens, os aperuerunt. Sequitur :

Vers. 14. — « Sicut aqua effusus sum : et dispersa sunt omnia ossa mea. »

Sicut. Quasi dicat : Obsederunt et circumdederunt me, et etiam occiderunt me, et tam viliter, quod *effusus sum sicut aqua*, id est occisus sum ab eis,

45 ita viliter, ut aqua effunditur. [Gl. int.] Non sine causa aquæ effusione utitur, in comparatione suæ mortis. [Aug.] Aqua enim quando funditur tria facit, scilicet abluit, et irrigat et lapsum facit pedibus : ita effuso Christo, ablutæ sunt vitio-

rum sordes, et ad germinandum rigatæ sunt virtutibus mentes, et etiam lapsi sunt persecutores, quia pro peccato necis Christi interius exteriusque puniuntur, sicut Judæi; *et* præ timore passionis *dispersa sunt omnia ossa mea*, [Aug., Hier.] id est dispersi sunt discipuli mei, qui erant futuri firmamenta corporis mei, id est Ecclesiæ, quia relicto eo, fugerunt. Unde alibi: *Elongasti a me amicum* (*Psal* LXXXVII). Et ideo discipuli fugerunt, quia

VERS. 15. — « Factum est cor meum tanquam « cera liquescens : in medio ventris mei. »

Cor meum factum tanquam cera liquescens, in medio ventris mei, id est doctrina mea qua eos confirmaveram, admota passione, quasi igne evanuit, et infirmis excidit, [Alcuin.] qui per ventrem significantur. Et etiam ideo, quia

VERS. 16. — « Aruit tanquam testa virtus mea, « et lingua mea adhæsit faucibus meis; et in pul- « verem mortis deduxisti me. »

Virtus mea prius probata miraculis *aruit* [Alcuin.] id est viluit *tanquam testa*, quæ est quiddam vilissimum. Aruit virtus ideo *et*, id est quia, *lingua mea adhæsit faucibus*, id est non respondi eis verbum. Unde : *Tanquam ovis ductus est ad occisionem, et tanquam agnus coram tondente se obmutuit (Isa.* LIII). Et ideo etiam, aruit, *quia deduxisti me*, secundum opinionem Judæorum, *in pulverem mortis*, [Hier.] scilicet in quem rediguntur mortui. Et hoc totum inde processit.

VERS. 17. — « Quoniam circumdederunt me « canes multi : consilium malignantium obsedit me. »

Quoniam circumdederunt me canes multi. Vel ita ab illo loco : *Sicut aqua effusa sunt*. Alia littera. Et notatur hic magnum sacramentum, dum ait : *Sicut aqua*, scilicet ablutio peccatorum. [Cassiod.] Et hæc facta est, quia apostoli per mundum dispersi sunt ad prædicandum, qui intelliguntur per ossa, qui etiam ipsi effusi dicuntur, ut aqua abluens et rigans, quasi dicat : *Circumdederunt me*, et etiam occiderunt, et me passo, *omnia ossa mea*, id est firmi mei apostoli, scilicet, *dispersa sunt*, [Aug.] id est missi sunt ad prædicandum ubique a Domino, dicente illis : *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum* (*Matth.* X). Et illa ossa effusa sunt *sicut aqua*, [Cassiod], quia apostoli abluerunt sordes vitiorum, et rigaverunt mentes, ut aqua abluit et rigat. Et per eos, *cor meum factum est tanquam*, etc., id est secretum Scripturæ elicuit, [Hier., Aug., Cassiod.] quia Scriptura, id est sapientia et voluntas Christi, quæ erat in Scripturis clausa, crucifixo Domino liquefacta est ut cera, adeo ut omnes infirmi intelligerent. Unde subdit, *in medio ventris mei*. Venter, qui mollis est pars corporis, infirmos in Ecclesia significat, quibus etiam manifestata est sapientia Christi et voluntas. Vel in medio ventris mei, id est in memoria Ecclesiæ, [Aug.] Sicut enim venter escas recipit, ita memoria rerum tenet notitias. Et bene legis mysteria comparat ceræ, quæ tunc lucem reddit, cum calore dissolvitur, [Cassiod.]

A ita passionis Christi igne admoto, Scripturarum mysteria patefacta sunt, ut omnibus in Ecclesia illucescerent. Et pro eo velum templi scissum est, a summo usque deorsum (*Matth.* XXVII), et per eamdem passionem, *virtus mea aruit tanquam testa*, [Hier. Cassiod.] id est nomen meum quod ante passionem contemnebatur, post firmius honoratur. Et ideo non ait tanquam fenum, sed tanquam testa, quia ut testa igni fit firmior, ita virtus Christi igne passionis quasi induruit, et solidata est. *Et lingua mea*, id est prædicatores mei, *adhæsit faucibus meis*, id est verbis meis intenderunt, ut de interioribus meis caperent sapientiam. Vel lingua mea adhæsit faucibus meis, id est apostoli per quos locuturus eram, servaverunt præcepta mea, apud se.

B *Et* per eos, *in pulverem mortis*, [Aug.] id est in impios quos projicit ventus a facie terræ, et morti destinatos, *deduxisti me* [Gl. int.] id est in cognitionem eorum, qui erant pulvis mortis. Ductus sum, per apostolorum prædicationem, *quoniam circumdederunt*, quasi dicat effusus sum, et hoc ideo. quoniam circumdederunt me canes multi, [Aug., Cassiod.] scilicet Judæi, non pro veritate, sed pro consuetudine latrantes et mordentes ut canes consuetudinem sequuntur. *Et consilium*; vel *consilium*, alia littera, *malignantium*, id est Judæorum, mala cogitantium, [Cassiod.] ut scilicet dolo tenerent et occiderent *obsedit me* in passione, in quo spiritualis civitas Hierusalem obsidetur. [Gl. int.] Vel, concilium malignantium, id est gentilium obsedit me. Vel

C VERS. 18. — « Foderunt manus meas et pedes « meos ; dinumeraverunt omnia ossa mea. »

Foderunt manus meas [Aug.] Ecce evangelica narratio. Hæc enim in Evangelio facta leguntur :

Foderunt clavis gentiles milites *manus meas et pedes meos*. (Gl. int.) Et nota quod non ait, transfixerunt vel vulneraverunt, sed foderunt, [Cassiod.] quia sicut terra fossa fructus facit, sic fructum vitæ dedit Christus vulneratus. Et *dinumeraverunt*, id est dinumerabilia fecerunt *omnia ossa mea*. [Aug.] Proprie describitur hic pœna crucis, et non poterat melius describi corporis extensio in ligno, quam ut diceret, dinumeraverunt omnia ossa mea. [Cassiod.] Et quamvis hæc ad litteram sane accipiantur, innuit tamen fossio manuum quod operibus ejus non

D crediderunt, et fossio pedum, quod apostolos laceraverunt. Sic etiam, et ossa mea dinumeraverunt, id est apostolos, ne in majorem numerum crescerent, quærebant exstinguere, ut scilicet pauci et invariabiles essent. Et non tantummodo, prædicta fecerunt. Sed etiam

VERS. 19. — « Ipsi vero consideraverunt et inspe- « xerunt me ; diviserunt sibi vestimenta mea, et « super vestem meam miserunt sortem. »

Ipsi Judæi, [Aug.] a sua nequitia non mutati *consideraverunt* quod agebatur, et non intellexerunt *et inspexerunt me*, tantum viderunt usque ad carnem oculi corporis, et non usque ad verbum oculi

cordis. Vel consideraverunt et inspexerunt me, id A est cum diligentia et delectatione inspexerunt me talia perferentem : cum a re crudeli oculi soleant averti. [Cassiod.] Ecce quam obstinati erant Judæi, non casu aliquid factum fuit, noc tot miraculis cor eorum mollitum fuit ; *et diviserunt sibi vestimenta mea,* ad litteram in quatuor partes. Sicut dicit Joan. evangelista (*Joan.* XIX), *Et super vestimenta mea miserunt sortem.* Hæc fuit tunica inconsutilis, desuper contexta per totum. [Cassiod.] Mystice quoque hæc accipi possunt. Per vestimenta enim Christi Scripturæ vel sacramenta Ecclesiæ accipiuntur ; per tunicam inconsutilem, super quam missa fuit sors, charitas vel unitas Ecclesiæ intelligitur ; per illos qui vestimenta diviserunt perversores Scripturarum intelliguntur. Sicut ergo illi B actualiter vestes diviserunt : sic illi qui non tendunt ad unitatem, diviserunt sibi vestimenta mea, spiritualia sacramenta, et Scripturas sacras corrumpentes. Sacramenta enim illius et Scripturæ potuerunt dividi per hæreses ; sed non tunica desuper, id est adeo per totum contexta. [Aug.] Hæc est charitas vel unitas Catholicæ Ecclesiæ, quam nemo potest dividere. Non enim dicerpitur charitas ecclesiastica, sed sorte et dono Dei quibusdam provenit. Qui vero hanc habet, securus est, et nemo eum a Catholica Ecclesia movet, et si extra incipit eam habere, intromittitur, ut ramus olivæ a columba delatus est ad aream (*Gen.* VIII).

VERS. 20.— « Tu autem Domine ne elonga- C « veris auxilium tuum a me ; ad defensionem meam « conspice. »

Tu autem. Post narrationem orat, quasi dicat : Ita ipsi, Tu autem, o *Domine ne elongaveris a me* usque in communem omnium resurrectionem, *auxilium tuum ;* [Aug.] sed statim resuscita me, et ita factum est, quia post triduum surrexit, et *ad defensionem meam conspice*, ne quid mihi noceant.

VERS. 21.— » Erue a framea, Deus, animam « meam ; et de manu canis unicam meam. »

Erue, quasi dicat : Ne elongaveris, sed, erue, o Deus, *animam meam a framea,* [Aug.] id est morte. Framea enim gladius est, per quem mortem intelligi voluit. Vel a framea, id est a lingua dissensionis. Et, erue *unicam, meam,* id est Ecclesiam, *de manu carnis,* D id est de potestate Judæorum canino more latrantium et sine discretione. Ac si diceret : Libera caput et corpus. Per animam namque et unicam, caput et corpus accipitur, quod cum sit unum, diversitates respuit. [Hier.] Et ideo congrue pro utroque conjunctim ora. Vel unica est anima Christi, quæ sola a peccato est immunis. »

VERS. 22. — « Salva me ex ore leonis ; et a « cornibus unicornium humilitatem meam. »

Salva me ex ore leonis, [Aug.] id est diaboli, qui circuit tanquam leo rugiens, quærens quem devoret (*I Petr.* V). Vel, de ore leonis, id est regni sæcularis ; *et a cornibus,* id est a sublimitatibus vel superbia *unicornium*, id est Judæorum, salva *humilitatem meam* (55). Unicornis est animal superbissimum, quod dicitur mori ex indignatione, si præter voluntatem suam teneatur, et unum cornu habet. [Alcuin., Hier.] per hunc significantur Judæi, qui bene unicornes dicuntur, quasi terrena tantum petentes, vel de cultu Dei singulariter se jactantes, vel singulariter superbientes, occiso etiam Filio post cervos. [Aug.] Sunt etiam unicornes quicunque superbi, qui singulariter se erigunt, et consortes non ferunt. Et est a cornibus unicornis, id est sublimitatibus Judæorum, vel quorumlibet superborum, singulariter se erigentium, et consortes non ferentium.

PARS III. VERS. 23. — « Narrabo nomen tuum « fratribus meis : in medio Ecclesiæ laudabo te. »

Narrabo nomen. [Aug.] Tertia pars, in qua fructus passionis ostenditur. Hactenus dixit quæ passus est, et quid oravit. Ecce jam quare passus, qui nisi vellet non pateretur. [Cassiod.] Ecce passionis fructus, ne de audita passione turbetur corda fidelium, quasi quis quæreret. Quo fructu hæc pateris ? Resp. [Aug.) Hi fructus, scilicet quod *narrabo nomen tuum fratribus meis*, id est apostolis meis, qui invicem se diligunt, ut a me dilecti sunt. Et per eos *laudabo te*, o Pater, non in parte, *in medio Ecclesiæ* pro qua passus sum. Sed quæ est ea ? Ubicunque timetur Deus et laudatur, ibi Ecclesia est. Semen Jacob, semen Israel est Ecclesia. Unde subdit : Et o vos

VERS. 24. — « Qui timetis Dominum, laudate « eum, universum semen Jacob, glorificate eum. »

Qui timetis Dominum, *laudate eum*, non vos ipsos. [Aug.] Timentes Deum ad laudem vocat. [Cassiod.] Timor enim humanus, non laudem, sed vituperium parit. Et o vos qui estis *semen Jacob*, cui major serviet, *universum*, id est de omni gente, id est qui estis populus fidelium de omni gente collectus, cui major populus Judaicus servit *glorificate eum.* Quos ante dixit, semen Jacob, aperit, subdens :

VERS. 25. — « Timeat eum omne semen Israel, « quoniam non sprevit, neque despexit deprecatio« nem pauperis. »

Timeat eum omne semen Israel, [Aug.] id est omnes ad novam vitam nati, [Cassiod.] et ad visionem Dei reparati ; alienus enim nescit timere. [Gl. int.] Deinde subdit causam, quare debeant glorificare, id est *quoniam*, licet esset altus, *non sprevit neque despexit* [Aug.], scilicet humilem *deprecationem pauperis* non ejus qui verbum dilectorum clamat de vana vita, sed pauperis vel pauperum, id est deprecationem cujuscunque de se non præsumentis, nec de pompis sæculi tumentis. »

VERS. 26. — « Nec avertit faciem suam a me, « et cum clamarem ad eum exaudivit me. »

(55) Ex Plinio, lib. VIII, cap. 21.

Nec avertit faciem suam a me, [Aug.] ut ab *illo* veteri, qui supra dicebat, *clamabo et non exaudies. Et cum clamarem ad eum exaudivit me.* Ut quid exauditur? quia

VERS. 27. — « Apud te laus mea in ecclesia » magna, vota mea reddam in conspectu timentium » eum. »

46 [Aug.] *Apud te* est *laus mea*, o Domine, quia laudem meam non quæro, quia tu mihi laus es. Qui in me sancto habitas, et jam me sanctum orantem audis. Apud Deum laudes ponit, qui docet in homine non præsumi. Vel ita junge, dico, exaudivit, Et ideo, apud te est laus mea, id est laudabo te. Et hoc *in ecclesia magna*, id est in toto orbe, non modo in Africa, ut Donatistæ aiunt. Quomodo erit laus? ecce *vota mea*, id est sacrificium corporis et sanguinis mei, quod Christus obtulit Deo, [Aug., Gl. int.] quod norunt fideles *reddam in conspectu timentium eum*, ut intelligant et verum esse corpus, et per illud se salvari. Et hæc sacrificia corporis et sanguinis mei.

VERS. 28. — « Edent pauperes et saturabuntur; » et laudabunt Dominum qui requirunt eum; vivent » corda eorum in sæculum sæculi. »

Edent pauperes, [Aug.] id est contemptores sæculi et humiles, *et saturabuntur;* imitando divites non saturantur, quia non esuriunt cœnam et passionem Domini. Saturantur vero, qui imitantur patiendo, et eructant laudando. Ita enim pauperes, nec copiam hujus sæculi concupiscunt, nec timent inopiam : de quibus subdit, *et laudabunt Dominum qui requirunt eum.* [Aug.] Pauperes Deum laudant, divites se. Ideo enim pauperes sunt, quia Deum laudant, ut eum quærant, et ipse est divitiæ pauperum. Divites quœrunt implere arcam terrenis opibus : pauperes quærunt implere cor Deo. [Gl. int., Aug.] Et ideo et si moriuntur corpora, tamen *vivent corda eorum*, in hoc divites sunt alii extra. Ideo dicit corda, quia cibus ille cordis est. Vivent dico *in sæculum sæculi.* Divites vivunt in hoc sæculo, sed post moriuntur sine fine. Contra pauperes in perpetuum vivent.

VERS. 29. — « Reminiscentur, et convertentur » ad Dominum, universi fines terræ. »

Reminiscentur. [Gl. int.] Loquitur hic Ecclesia quasi dicat, Qui sunt pauperes, et quomodo laudabunt? Respondet : Pauperes sunt *universi fines terræ* et universæ familiæ gentium. Et ipsi ita laudabunt, quod *reminiscentur*, etc. Vel ita junge litteram. Supra dixit Christus, se narraturum nomen Dei fratribus, id est apostolis, et per eos se laudaturum Deum, in medio Ecclesiæ : hic addit quod per eosdem multi convertentur. [Aug.] Et hoc est per illos laudabo te, et post per istos laudatores, *Universi fines terræ*, id est Ecclesiam de toto orbe. *Reminiscentur* Deum, quia eis Deus exciderat *et convertentur ad Dominum.*

VERS. 30. — « Et adorabunt in conspectu ejus » universæ familiæ gentium. »

Et universæ familiæ gentium, [Gl. int.] id est de omnibus familiis, et de omnibus finibus aliqui *adorabunt in conspectu ejus*, [Aug.] id est in conscientiis suis, ubi adoratores veri adorant Patrem, non in conspectu hominum. [Gl. int., Cassiod.] Vel adorabunt in conspectu ejus, id est quia eum Dominum conspiciunt. Vel, adorabunt in conspectu ejus, id est in intellectu fide adorabunt, per quam Deum conspiciunt, quia conspectus Dei non est nisi super fidem.

VERS. 31. — « Quoniam Domini est regnum; et » ipse dominabitur gentium. »

Quoniam Domini, [Aug.] quasi dicat : Et debet coli. *Quoniam Domini*, non hominum superborum *est regnum.* [Gl. int.] Olim ei abjuratum est regnum a Judæis, dicentibus : *Non habemus regem nisi Cæsarem* (*Joan.* XIX). [Aug.] Sed solus Christus rex noster est, ut titulus crucis ejus insinuat, cujus nomine et charactere insignimur, ut denarius nomine regis et titulo. Ideoque hæretici, qui baptismum Christi habent, si veniunt ad unitatem Ecclesiæ, non mutamus in eis, sed agnoscimus titulos regis nostri. De quo subdit, *et ipse dominabitur gentium*, non modo Judæorum.

VERS. 32. — « Manducaverunt et adoraverunt » omnes pingues terræ; in conspectu ejus cadent » omnes qui descendunt in terram. »

Manducaverunt. [Cassiod.] Hic ostendit sacramentum corporis esse commune etiam malis, sed non eis proficit sicut bonis, quasi dicat, non tantum pauperes edent, sed etiam *omnes pingues terræ*, id est divites terræ manducaverunt corpus humilitatis Christi, [Aug.] nec sicut pauperes satiati sunt usque ad imitationem, sed tantum adoraverunt (56). Et hoc est quod subdit, [Aug.] *et adoraverunt.* Specie tenus adorant Deum, sed humanitatem fraternam non exhibent. Ex his patet quod boni et mali sacramento vitæ communicant. Unde Augustinus alibi ait : « Non prohibeat dispensator manducare, sed exactorem moneat timere, si quis tamen in peccato criminali manifeste perdurat, prohibendus est. » Occultus vero monendus est *in conspectu ejus*, quasi dicat : mali manducant cum bonis. Sed *omnes qui descendunt in terram*, id est qui terrena amant, *cadent* quia indigne sumunt. [Aug.] In conspectu ejus, Dei, quia solus Deus videt quomodo cadant, qui cœlestia deserentes in terra eligunt beati fieri. [Cassiod.] Ecclesia vero utrosque recipit, dignos scilicet et indignos. Sed ipse videt et discernit qui sumant ad vitam, et qui ad mortem.

VERS. 33. — « Et anima mea illi vivet; et semen » meum serviet ipsi. »

Et anima [Aug.] quasi dicat : Pingues cadunt,

(56) Augusti, psal. XLVIII, versu, *Simul in unum dives et pauper.* et refertur de consecr. 2, can. *Non prohibeat.*

sed, *anima mea* quæ in contemptu sæculi hominibus mori videtur, non sibi, sed, *illi vivet*, id est non a se, sed a Deo vitam habet; nec sibi, sed illi tribuit, *et semen meum*, id est opera mea, vel per me credentes *serviet ipsi*, id est laubabit Deum. [Gl. int.] Hoc ideo dicit, ne quis dubitet de successionibus Ecclesiæ. Serviet dico, quia.

VERS. 34. — « Annuntiabitur Domino generatio ventura; et annuntiabunt cœli justitiam ejus populo qui nascetur, quem fecit Dominus. »

Annuntiabitur, [Gl. int.] id est per annuntiationem convertetur *Domino*, id est ad honorem Domini *generatio ventura*, id est generatio Novi Testamenti quæ ex aqua et Spiritu sancto regenerabitur. [Cassiod.] Vel ita, anima mea Deo vivet et ipsi serviet, et ita veniet ad Dominum. Et annuntiabitur Domino, ab angelis (*Joan.* III), generatio ventura, ad ipsum, quia angeli preces hominum offerunt Deo, non pro instructione, sed pro ministerio (*Tob.* XII). *Et cœli*, [Hier., Cassiod.] id est evangelistæ, *annuntiabunt justitiam ejus*, id est Filium Dei, vel mandata ejus. Annuntiabunt, dico, *populo :* Quis est ille populus? [Aug.] *qui nascetur* ex fide Domino. Quomodo nascetur? Ecce populus *quem fecit Dominus*, [Cassiod.] id est quia eum secundo fecit Dominus, per regenerationem scilicet; qui enim primo nos fecit ut essemus, secundo fecit ut justi essemus. Nota psalmos de passione, sicut diximus in magna spe Christianorum terminari, ut sciatur ex passione salus esse.

COLLATIO IN PSALMUM XXI : « DEUS, DEUS MEUS, RESPICE IN ME. »

In titulo, LXX habent, *pro susceptione matutina*. Hieronymus, *pro cervo matutino*, vel ut alii dicunt, *pro cerva*, seu *super cervam auroræ*. Vocabulum Hebraicum אילת dicit Munsterus in scholio, incertum esse apud Hebræos quid significet, sed et quandoque notat *fortitudinem*, aut *circumstantiam*, in qua citra negotium intelligitur illa fortitudo Christi in resurrectione matutina, qua susceptus est ad immortalitatem, quomodo interpretatur Augustinus. Et cetæra habes in explanatione, ne acta agamus.

VERS. 1. — *Deus, Deus meus, respice in me*. Extrema pars non habetur in Heb. eoque videtur convellenda maxime cum scribat Hieronymus in cap. Matth. XXI. Illudque quod in medio versiculo legitur, *respice in me*, superfluum est. Respondet idem Hieronymus, in libello De optimo genere interpretandi. « Obtrectatores mei quærant, et intelligant, non verba in Scripturis consideranda, sed sensus. Vicesimi primi juxta Hebr. idipsum exordium est, quod Dominus locutus est in cruce, *Eli, Eli*, etc. *Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti?* Reddant rationem cur LXX Translatores interposuerint, *respice in me*. Ita enim verterunt, *Deus, Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti?* Respondebunt utique nihil damni in sensu esse, si duo verba sint addita. Audiant et a me, non periclitari ecclesiarum statum, si celeritate dictandi, aliqua verba dimiserim, longum est nunc evolvere, quanta LXX de suo addiderint, quanta dimiserint, quæ in exemplaribus Ecclesiæ, obeliscis asteriscisque distincta sunt. » Hæc ille :

Verba delictorum meorum. Hieronymus juxta Heb. et reliqui omnes quos sæpe adducimus, *verba rugitus mei*, aut *lamentationis meæ*. Utramque translationem probat, et interpretatur divus Hieronymus in hunc locum : Aquila, inquit, hunc locum sic interpretatus est : *longe a salute mea, verba rugitus mei;* Symmachus, *verba gemituum meorum :* quinta et sexta editio, *verba clamoris mei*. Et est sensus juxta cæteros interpretes, Gemitus mei atque conatus, quibus super populum Israel salvare quæsivi, longe facti sunt a salute mea, quam populo tribuere cupiebam, quia ipsi noluerunt recipere sanitatem. Juxta LXX vero interpretes, iste sensus est : Hoc quod salutem deprecor, quod me derelictum conqueror, non ex propria persona loquor, sed ex populi, cujus peccata, in meo corpore ipse suscepi. Unde dico, longe sunt a salute mea, verba, quæ fundo. Non enim tam mihi salutem postulo qui Deus sum, quam populo qui salute indiget.

VERS. 2. — *Clamabo per diem et non exaudies, et nocte et non ad insipientiam mihi*. Papæ! quam stomachatur hic Cæcus Burgensis post Fabrum, causans lectionem Latinam esse incongruam et ineptam, quod ista locutio, clamabo per diem et nocte solœcisset. Dicendum foret, per diem et noctem, vel die et nocte. Cur ergo Hieronymus, et Augustinus inter rhetores et grammaticos nutriti, tantam ineptitudinem non senserunt? Certe si continenter dictum esset per diem et noctem, haberet majorem ansam latrandi; sed ubi duæ particulæ interponuntur, potuit subaudiri præpositio *in*, ut sit in nocte, maxime cum repetatur conjunctio copulativa, *et* non solum in Latina editione, sed in Græco, et in Hebræo; imo nec opus est subaudiri præpositionem *in*, clamabo per diem, et non exaudies : et clamabo nocte, etc.

Magis aperit id quod sequitur in eodem versiculo, *et non ad insipientiam mihi*. Hieronymus et Hebræi ולא־מה לי VELO DUMIAH LI, id est nec est silentium mihi. Hieronymus in commentario præsentis loci, ostendit LXX reddidisse sensum, « In die pendens, ait, non exauditur a Patre, nocte resurgit ab inferis victor. » Aliter, « Qui in gaudio non exauditur, exauditur in lacrymis. » Unde ait, *non in stultitiam mihi*, id est non frustra clamavi. Et Aquila transtulit ex Hebræo dicens : *et nocte et non tacebis*, id est audies me, respondebis mihi, facies quod oravi. Ubi cernis illam particulam nocte, posse respicere sequentia, ut non sit silentium Christo in nocte tribulationis, in qua exauditus est pro sua reverentia. Silere enim dicitur Deus quando non exaudit; et clamamus ad insipientiam, quando frustra oramus, et Deus nobis tacet.

VERS. 18. — *Foderunt manus meas et pedes meos*. Vel ex hoc loco clarissime liquet Judæos corrupisse codices Hebræos, quos præsens versiculus aperte revincebat, non posse docere ubi David habuisset manus fixas et pedes, sed poteramus ex hac prophetia eis objicere nefandissimum scelus, quod tot retro sæculis prædixerat David, ab impiis perpetrandum; et eorum os obstruebatur, nisi vitassent Scripturam, quam germanam habuisse eum codicem, quo Hieronymus utebatur, probabile est, quoniam elucubrat versionem juxta Hebræum, ad preces Sophronii, cui quotidianus erat cum Judæis conflictus, et ubi quidpiam de psalterio, proferebat pro Christo Domino, opponebant perfidi non ita haberi in Hebræo, ut ille citabat. Ob idque nitebantur Sophronium, per singulos sermones eludere, propter quam causam asserit se Hieronymus, eam editionem apparasse, nec aliquid de Hebræo immutasse, ne dienceps Sophronius, Judæorum mendaciis circumveniretur. Unde arguimus locum nondum vitiatum, quem vertisse secundum lectionem nostram agnoscimus, alias præbuisset majorem ansam calumniæ Quamobrem Munsterus in scholiis monet recurrendum ad antiqua exemplaria, cujus verba non piguit adnectere, ut quæ faciant ad nostri instituti propo-

situm, quo sæpe causamur, vel codices variasse, aut vitiatos esse sive malitia, sive incuria, sive alio quovis modo. Sed audiamus ipsum Munsterum : « Hebræi hic communiter legunt, *sicut leo, manus meas et pedes meos*, subaudi, *observaverunt*, ne scilicet me defenderem manibus, aut fugerem pedibus. Veteres vero translatores legerunt כרו CARU, *foderunt* pro כארי CAARI. Et quidem hic consulenda essent antiquissima Hebraica exemplaria. Pro rei hujus veritate indaganda. Ego hic nihil habeo nisi Nizabonis irrisionem, qui hic convicia in nos congerit, propter ineptam hujus loci translationem, perinde quasi data opera, veteres hic ex כארי fecerint כרו CARU. » Hæc ille. Sed et manifeste judaizat editio, quæ visitur e latere Paraphrasis Campensis, *Frangit*, inquit, *manus et pedes meos instar leonis*. Nebiensis vult codices esse corruptos, sed constructionem defectivam, ut tamen subaudiatur *perforaverunt* : et sit, *impii tanquam leo manus meas foderunt, male habuerunt, fixerunt*. Illud quoque quod in eodem versiculo sequitur, *dinumeraverunt omnia ossa mea*. Heb. legunt singulariter *numerabo omnia*, etc., eodem tamen sensus conspirat. Et ut docet Hieronymus, De optimo genere interpretandi, sermonum varietas, spiritus unitate concordat.

VERS. 22. — *Et a cornibus unicornium humilitatem meam*. Heb. ענותני ANITATI, si capiatur verbaliter, id est *exaudisti me*, vel *respondistis mihi*, ut verterunt novi translatores. Hieronymus tamen dixit, exaudi me, ut videatur legisse ענני ANENI. Verum tamen nihil prohibet quin possit accipi nominaliter, ut fecit Pellicanus transferens, *humilitatem meam*, a radice ענה ANAH, quæ interdum notat *afflixit, humiliat*.

VERS. 28. — *Vivent corda eorum*. Hic variant codices. Hieron. juxta Heb. in exemplari Fabri habet *cor eorum*. Itidem interpretes pro Cajetano ac Ne- A biensi. Hebræi autem legunt לבבכם LEBABCHEM *cor vestrum*. Si vero dixeris לבבהם LEBABHEM, est *cor eorum*. Sed quia sensus est integer, hic poterat conniveri, sicut sæpius faciendum est ob minutula, quæ magis onerarent, quam prodessent, nonnunquam vero quædam leviter attingenda, propter æquo morosiores.

VERS. 33. — *Et anima mea illi vivet*. Heb. videtur ex diametro pugnare, נפשו לא חיה NAPHSSO LO HIIAH, anima illius non vivet, seu anima illius non vivificabitur, ut sit præteritum loco futuri. Sed ubi est eadem prolatio, et affinis scriptura, facilis est lapsus in hujusmodi. Nam Hebraice illi, et non eodem modo proferuntur, et ferme scribuntur, nisi quod negatio habet aleph, sic לא lo, et relativum habet vau, sic לו lo, quomodo legerunt LXX. Rursus littera vau, et iod sunt litteræ commutabiles in Hebraismo et vicinæ, ob idque non est disceptandum, B cur dixerint LXX, *anima mea*, alii vero *anima illius*, NAPHSSO vel NAPHSSI. Utramque lectionem exponit Pellicanus, quantum ad affirmationem aut negationem, *anima ejus non vivet* id est ex se nihil valet, non curabitur præ humiliatione suiipsius, *vel ei vivet per eum, pro eo*. Campensis lectionem negativam aliter declarat, quia propriam vitam non est dedignatus impendere pro illis.

VERS. 33. — *Annuntiabitur Domino generatio ventura*. Hebr. aliam faciunt distinctionem et dicunt, *annuntiabitur*, seu *annumerabitur in generationem*. Deinde sequitur exordium alterius versiculi. *Venient et annuntiabunt*, etc. LXX, vero aliter distinguentes, subaudierunt relativum quæ, ut passim fit apud Hebr. *Generatio quæ veniet*, hoc est ventura. Nec obest quod genus ponatur in singulari דור et יבאו IABOU venient in plurali, quia ubi est nomen collectivum, solet quandoque jungi plurali. Ut est illud. *Jubilate Deo, omnis terra* (*Psal.* LXV).

PSALMUS XXII.

PSALMI TITULUS : « PSALMUS DAVID. »

Dominus regit me. Titulus. *Psalmus David*. [Alcuin.] Sud figura Judaici populi, de captivitate Babylonica reversi, sub Zorobabel et Jesu sacerdote magno propheta : prædicit hic reditum fidelis populi de Babylone hujus sæculi, per Christum ad domum Dei. Psalmus namque iste agit de misericordia Christi, qua fit reductio, enumerans decem gratias, per quas velut per mansiones ad Dominum homo revertitur. Et est sensus : *Psalmus* iste attribuitur *David*, id est Ecclesiæ, in cujus persona loquitur hic Propheta. Intentio, monet ut omnes sperent in Dei misericordia. Modus. Decem sunt partitiones, sicut et decem gratiæ. [Aug.] Prima gratia est locus pascuæ, id est sermo divinus, qui saginat meditantes ; alias suis locis exsequemur. Et quia per Christum sacerdotem magnum fit spiritualis reversio, [Aug.] ideo Ecclesia loquitur de ipso Christo sic, dicens :

VERS. 1. — « Dominus regit me, et nihil mihi de« erit, in loco pascuæ ibi me collocavit. »

Dominus, [Aug., Cassiod.] id est Christus *regit* vel *pascit me*, id est Christus est pastor meus, in quo sum tutus, et etiam sufficiens. Unde subdit, *et nihil mihi deerit in futuro*. [Cassiod.] Hoc ideo dicit, quia spiritualem substantiam credit, C sibi a Deo conferendam. Christus dico, jam perducens me *in loco pascuæ*, id est in intelligentia divini sermonis incipientis ad fidem, id est incipientes instruentis ad fidem. [Aug., Alcuin., Gl. int.] In quo loco pascuæ certus sum de satietate, et ibi, id est in eodem loco *collocavit me*, nutriendum, non ego me. Sermo enim divinus duo facit, quia et instruit incipientes, quod notavit dicens, perduces me, *in loco pascuæ :* et jam fideles in fide plenius corroborat, et nutrit, quod notat cum ait, *ibi me collocavit*.

PARS II. VERS. 2. — « Super aquam refectio« nis educavit me : animam meam convertit. »

Super aquam. [Cassiod., Gl. int.] Secunda pars ubi notatur secunda gratia, quæ est aqua refectionis quasi dicat instruxit me ad fidem. [Cassiod., D Aug.] Et post *educavit me*, paulatim ut pueros. Super aquam *refectionis*, id est baptismi, quo reficiuntur, qui integritatem et vires amiserant. Et anima ariditate peccatorum sterilis fecundatur.

PARS III.—Et *animam meam*. Tertia pars ubi notatur tertia gratia, qua post baptismum anima contracta fit sine ruga, id est de peccatrice fit justa per augmentum virtutis et bonæ operationis ; [Cassiod.] quasi dicat : Educavit me in baptismo. Et post, *animam meam convertit*, ut post sit sancta, et justa. Ecce primam gratiam ostendimus esse divini verbi intelligentiam

secundam baptismi regenerationem, tertiam post baptismum sanctificationem. [Alcuin.] Quibusdam tamen videtur ordo harum gratiarum esse conversus. Quia tertia, prima videtur, et prima tertia. Prius enim convertitur homo ad Deum, postea regeneratur, deinde divini verbi intelligentia saginatur. Et secundum hoc, ita legitur : quasi dicat : Perduxit me in locum pascuæ ; [Gl. int.] et prius, educavit me super aquam refectionis, verborum sensus non mutatur, sed prius animam meam aversam in Adam. Convertit, ut pastor ovem.

PARS IV. VERS. 3. — « Deduxit me super semi- « tas justitiæ, propter nomen suum. »

Deduxit me. [Cassiod.] Quarta pars, ubi notatur quarta gratia, scilicet quod super præcepta charitatis eum duxit, ut in charitate sit radicatus, et perfectus. Quasi dicat : Educavit me, convertit, et inde *deduxit me super semitas justitiæ* suæ,id est perseverare me fecit in præceptis charitatis. Vel, deduxit me super semitas justitiæ suæ, id est ad hoc scientiæ me perduxit, ut ejus præcepta tanquam magister doceam. [Aug.] Vel, semitas justitiæ, dicit arctiora mandata, et perfectiora consilia, quibus quasi semitis pauci justi ambulant, sicut semitæ arctiores sunt quam viæ ; quæ tamen istæ dicit se custodisse Dei gratia. Unde subdit : *Propter nomen suum*, quasi dicat, deduxit me, et hoc propter nomen suum, non propter meritum meum. [Gl. int.] Et si hic videatur meritum, quod non in aliis videatur, sed sola gratia.

PARS V. VERS. 4. — « Nam et si ambulavero in « medio umbræ mortis, non timebo mala quoniam « tu mecum es. »

Nam et si. [Cassiod.] Quinta pars, ubi notatur quinta gratia quæ est quod in umbra mortis non timet mala, id est pravas persuasiones hæreticorum et schismaticorum. Quasi dicat : Vere deduxit me *nam*, id est quia *et ambulavero in medio umbræ mortis*, id est si conversor inter ignaros Dei. Vel, in medio umbræ mortis [Aug.] id est in medio vitæ hujus, quæ est umbra mortis, quia et caligine peccatorum est obscura, et ad mortem ducit. Vel, in medio umbræ mortis, [Cassiod.] inter hæreticos et schismaticos qui sunt umbra mortis, quia figuram exitii, id est imaginem diaboli portant. Si inquam inter hæc ambulavero, *non timebo mala* occulta vel manifesta, [Aug.] ideo *quoniam tu mecum es* in corde per fidem, ut post umbram mortis, ego tecum sim per speciem.

PARS VI. VERS. 5. — « Virga tua et baculus tuus, « ipsa me consolata sunt. »

Virga tua. [Cassiod., Aug.] Sexta pars ubi notatur sexta gratia, quæ est correctio, quæ dicitur virga et baculus. Virga dicit, disciplinaque est lævis, quæ sit quasi ad oves. Baculus dicitur disciplina quæ est fortis, quæ fit ad grandiores filios. Quasi dicat : Non timebo mala, et vere, *nam virga tua et baculus tuus*, id est disciplina, quæ est virga ad oves, id est simplices, et infirmos *et baculus tuus* ad grandi-

A ores filios, qui ab animali vita crescunt ad spiritualem, *ipsa me* non afflixerunt, sed potius *consolata sunt* erudiendo me, quia in his intelligo te esse memorem mei. [Cassiod.] Vel virga est districtio severa, comminationis et pœnæ, quæ conterit vitia. [Hier.] Baculus, gubernatio, id est facilis animadversio, cum persuasionis dulcedine, quæ sustinet, id est continet fideles in bono.

PARS VII. VERS. 6. — « Parasti in conspectu meo « mensam adversus eos qui tribulant me. »

Parasti. Septima pars, ubi notatur septima gratia, [Cassiod.] mensa Domini, id est beata convivatio, saturitas fidei, esca cœlestis, de qua dicit Apostolus : *Qui manducat indigne carnem Domini, mortem sibi manducat et bibit* (*I Cor*. XI), quasi dicat : Per
B quid consolata sunt me ? quia, *parasti* mihi *mensam*, scilicet communionem corporis Christi. [Alcuin.] Et hoc *in conspectu meo*, et non in conspectu impiorum, quia intelligo me debere imitari vestigia passionis Christi. Unde in Proverbiis dicitur : *Sedisti ad mensam divitis*, id est Christi, *vide quæ tibi apponuntur, scito et te similia debere præparare*, id est pati, sicut ipse (*Prov*. XXIII, juxta LXX). Unde propheta alibi : *Quid retribuam Domino ? Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo* (*Psal*. CXV). Et hæc mensa est *adversus eos qui tribulant me*, [Aug.] quia impiis indigne sumentibus officit, quia judicium sibi manducant, et bibunt, quia et bona indigne sumpta obsunt malis. Tres autem mensas legimus : prima fuit in lege, secunda in Evangelio,
C tertia in cœlo. De prima ait Moyes in Exodo, ubi legitur mensa posita in tabernaculo juxta introitum, superque eam erant XII panes propositionis de similagine, et super singulos patena aurea cum pugillo thuris (Exod. XXIV). De secunda inquit Apostolus : *Non potestis communicare mensæ Christi, et mensæ dæmoniorum* (*I Cor*. X.). De tertia ait Dominus : *Ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo* (*Luc*. XXII). Prima itaque mensa monstrabat, non præstabat, refectionem, secunda satiat, tertia glorificat. Prima erat in littera, secunda in spiritu, tertia in specie. Prima enim docebat, secunda adjuvat, tertia consummat. Vel, mensam hic accipit doctrinam validiorem, qua non parvuli, sed grandiores vescuntur : Quasi dicat : 48 Per quid consolata sunt me ?
D [Aug.] Quia post virgam qua adhuc parvulus et animalis, quasi lactis pascuis alebar, parasti in conspectu meo mensam, id est validiorem cibum, ut jam non lacte alar parvulus, sed ad mensam Patris accedam grandiusculus. Et per hoc confirmatus sum, adversus eos qui tribulant me.

PARS. VIII, IX, VERS. 7. — « Impinguasti in oleo « caput meum ; et calix meus inebrians quam præ- « clarus est ? »

Impinguasti. [Cassiod.] Octava pars ubi notatur octava gratia, quæ est unctio capitis, scilicet Christi, quod nulla ariditate peccatorum exaruit, de cujus unctione cætera lætantur membra ; [Alcuin.] quia a capite descendit unguentum in bar-

bam Aaron, et in oram vestis ejus (*Psal.* CXXXII) Et est, *Impinguasti caput meum in oleo,* id est Christum implevisti spirituali gratia, de cujus plenitudine nos accepimus (Joan. I). Vel, caput dicit vir justus mentem suam. Et est, impinguasti caput meum in oleo, [Aug.] id est lætificasti mentem meam spirituali lætitia, *et calix meus.* [Cassiod.] Nona pars ubi notatur nona gratia, quæ est calix benedictionis, id est Christi sanguis, qui sic inebriat ut sobrios reddat. Et hoc est, *calix* tuus, vel, *meus*, tuus quia das, meus quia accipio, *inebrians*, [Aug.] id est dans oblivionem vanarum delectationum, *quam præclarus est.* [Cassiod.] Dat enim claritatem æternæ vitæ. Nota quod calicem, id est sanguinem Christi per se ponit, quasi aliam gratiam a mensa, id est a carne; cum tamen nec caro sine sanguine, nec sanguis sine carne possit esse, vel sumi, nec ibi sint duo sacramenta, sed unum. [Alcuin]. Sed quia nec caro est sanguis, nec sanguis est caro ; et panis in carnem convertitur, et vinum in sanguinem, et non econverso, et sub diversis speciebus utrumque sumitur : ideo mensam et calicem hic distinguit, velut diversas gratias.

PARS X, VERS. 8. — « Et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ. »

Et misericordia. [Cassiod.] Decima pars, ubi notat decima gratia, quæ est misericordia subsequens ad custodiam, quæ præcedit ad gratiam conferendam (57). Unde misericordia tua, Domine, nos præveniat et sequatur, præveniat inspirando ; sequa-

A tur, adjuvando. Quasi dicat : Hæc omnia mihi fecisti, et post hæc omnia, *misericordia tua* subsequetur me, omnibus diebus vitæ meæ, non tuæ, [Cassiod.] id est quandiu vivit in hac mortali vita. [Aug.] Non hæc subsequatur me ad servanda præcedentia, sed etiam,

VERS. 9. — « Et ut inhabitem in domo Domini, « in longitudinem dierum. »

[Aug.] *Et ut inhabitem,* in futuro in domo Domini, non manufacta. Et hic, *in longitudinem dierum,* id est æternaliter. [Alcuin.] Vel aliter continuatur hic versus ad præcedentia. Potest enim hic versus iste omnibus superioribus jungi. Quasi dicat : Collocasti, educasti, deduxisti, etc. Et hoc ideo, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus

B vitæ meæ in longitudinem dierum.

Cantatur iste psalmus in exsequiis defunctorum fidelium, quia per gratias hic enumeratas velut per quasdam dietas ad vitam ascenditur æternam, quæ tunc fidelibus optatur et oratur

COLLATIO IN PSALMUM XXII : « DOMINUS REGIT ME, ET NIHIL. »

VERS. 22. — *Calix meus inebrians, quam præclarus est.* Hæbræi faciunt finem versus, in eo quod est, *inebrians*, deinde incipiunt sequentem versum, *tamen bonitas*, etc. Septuaginta autem junxerunt ad eumdem versum עך טוב AC TOB præsertim cum particula טוב TOB significet bonum, pulchrum, et notum sit psalterium lyrico carmine currere, ut supra semel et iterum ostensum est. Bonitatem vero sonat, ubi est cum vau sured quod vocant, ex Rabbi David in libro radicum טוב TUB.

PSALMUS XXIII.

PSALMI TITULUS : « PSALMUS DAVID IN PRIMA SABBATI. »

Domini est terra. Titulus : *Psalmus David,* in *prima Sabbati.* Prima Sabbati dicitur dies prima post Sabbatum (58). Hebræi namque propter dignitatem Sabbati omnes dies alios appellant nomine Sabbati, dicentes primam Sabbati, secundam Sabbati, et deinceps, sicut gentiles dies appellabant nominibus planetarum, dicentes diem Lunæ, diem Martis, diem Mercurii, etc. Christiani vero dies appellant ferias, eo quod omnibus diebus a servili opere, id est a peccato cessare debemus. [Cassiod.] In prima autem Sabbati, mundus conditus est, et lux divisa a tenebris rebus confusis, atque informibus accipientibus formas, et in eadem die Christus depositis mortalitatis tenebris, clarificatus est, et homo depulsa peccatorum caligine, restauratus per Christi resurrectionem. [Aug.] De hac clarificatione Christi, et hominis reparatione, agit hic psalmus. Et est sensus tituli : *Psalmus* iste est *David* qui hic loquitur in persona sua, vel Ecclesiæ. Psalmus dico, agens de clarificatione Domini, et hominis reformatione, quæ facta est *in prima* Sabbati. [Cassiod.] quæ Dominica

C dicitur : eadem quæ dies fuit prima in primordiali rerum conditione. [Alcuin.] Intentione monet victorem Christum cum triumpho suscipere [Cassiod.]. Modus talis; tripartitus est psalmus. Primo dicit totum orbem esse Dei, ut sicut nullus ab ejus imperio, ita nec a fide ejus sit alienus. Secundo determinat quibus virtutibus præditi sint in Ecclesia, ibi, *quis ascendet.* Tertio, superstitiosos avocat a pravitate, ut patulis cordibus Christum recipiant, ibi, *attollite portas.* Propheta itaque a simili præconis, qui post triumphum totam terram clamat esse victoris resurrectionis Christi gloriam attendens, ait :

VERS. 1. — « Domini est terra et plenitudo ejus ; » orbis terrarum, et universi qui habitant in eo. »

Domini, id est Christi, qui est Dominus dominan-

D tium, est terra, [Cassiod] id est, Ecclesia fructifera. Hæc est terra bona, super quam Evangelicum semen cecidit, et protulit fructum, tricesimum, sexagesimum, centesimum, *et plenitudo ejus,* id est omnia, quibus plena est Ecclesia, scilicet omnes sancti et charismata gratiarum. Et hæc terra, id est Ecclesia, non est parva, sed est de toto orbe et de omnibus

(57) Cassiod. in Collecta Dominicæ XVI post Pentecosten.

(58) Ex Hier. quæst. 4 ad Hedibiam.

qui in eo sunt. Unde subdit, et ipsa est *orbis terrarum*, et in ea sunt universi *qui habitant in eo*. [Aug.] Cum enim clarificatus Dominus annuntiatur in fidem omnium gentium, tunc et totus orbis fit Ecclesia ejus, id est in toto orbe, et de toto orbe fit Ecclesia ejus. Et merito Ecclesia est Domini.

VERS. 2. — « Quia ipse super maria fundavit eum, « et super flumina præparavit eum. »

Ipse fundavit. [Aug.] id est firmissime stabilivit *eam super maria*, id est super omnes fluctus sæculi, ut eos superet, nec sibi noceant; *et præparavit eum* orbe [Hier.] id est Ecclesiam, *super flumina*, id est super cupidos hujus sæculi. [Aug.] Ut enim flumina in mare fluunt, ita cupidi homines labuntur in sæculum, et hos etiam superat Ecclesia, quæ victis Dei gratia cupiditatibus sæcularibus ad recipiendam mortalitatem charitate paravit.

PARS II. VERS. 3. — « Quis ascendet super mon- « tem Domini? aut quis stabit in loco sancto ejus? » *Quis ascendet*. [Cassiod.] Secunda pars ubi determinat quibus virtutibus præditi sunt in Ecclesia. Quasi dicat: Orbis, id est Ecclesia, de toto orbe terrarum est Domini, non tamen ibi est, nisi innocens. Et hic dicit sub interrogatione, ut attentos reddat. *Quis ascendet in montem Domini?* etc. Vel ad litteram possunt accipi superiora. *Domini est terra*, quam creavit, *et plenitudo ejus*, id est omnia quibus eam ornavit. [Hier.] Et non pars terræ tantum, imo, *orbis terrarum*, id est totus mundus, *et, universi qui habitant in eo, id est* omnes incolæ ejus sunt Domini. Et merito, *quia ipse super maria fundavit eum et super flumina præp.*, etc. [Alcuin.] id est statuit eam ne obruatur a mari, vel a fluminibus. *Qui ascendit in montem*, quasi dicat, [Hier.] orbis et omnes ejus incolæ sunt Domini, [Cassiod.] sed in monte justitiæ ejus non est aliquis nisi innocens. Et ad hoc utitur interrogatione dicens, quis ascendet? [Hier] quasi dicat magno nisu opus est. Quis hic ponitur pro raritate, non pro impossibilitate *in montem Domini*, [Aug.] id est in altam justitiam Domini, *aut quis stabit* post ascensum *in loco sancto ejus* super maria et flumina parato. [Aug.] id est quis permanebit meo quo ascendet? [Hier.] Quasi dicat: Pauci ascendunt, et pauciores, permanent. Multi enim ascendunt, qui non perseverant. Deinde præmissæ interrogationi respondet, dicens :

VERS 4. — « Innocens manibus et mundo corde, « qui non accepit in vano animam suam, nec jura- « vit in dolo proximo suo. »

Innocens manibus, etc. [Alcuin.] Et dicit utique illum ascensurum et permansurum, qui est innocens ad proximum. [Hier.] Tribus modis, scilicet manu, id est opere, et corde, quod notat ibi, *innocens manibus et mundo corde* et qui est innocens in verbis. Et hoc est quod ibi ait, *nec juravit in dolo*, etc., et qui sibi ipsi innocens est. [Alcuin.] Quod ibi dicit, *qui non accepit*, etc. Quasi dicat: Quæritur quis ascendet et stabit? ille utique, qui est innocens manibus, [Aug.] id est purus in operibus, quia per manus

A opera intelliguntur. Et qui est, mundo corde, id est mundus in cogitationibus, *et qui non accepit in vano animam suam*, id est qui non deputavit animam suam rebus non permanentibus et caducis, sed eam sentiens immortalem, æterna desideravit. Et ideo *non juravit in dolo proximo suo*. Sicut enim simplicia, et non fallentia sunt æterna, ita se præbuit proximo. [Alcuin.] Nil promittit, unde decipiat eum ne dum pejus faceret, permittit juramenta simplicia, et dolosa prohibet. Et nota quod non ait simpliciter, non juravit, sed non juravit in dolo. Ex quo datur intelligi quod permittit juramenta simplicia, et dolosa prohibet. [Cassiod.] In dolo autem jurat, qui aliter facturus est quam promittit; cum perjurium sit, nequiter decipere credentem. [Hier.] Ille in dolo non
B jurat, qui quod cogitat prædicat, et opere implet. Vel, animam, hic sensualitatem suam accepit. Et est, qui suam animam sensualem, id est sensualitatem quæ est inferior vis animæ, non accepit, id est non acceptabilem habuit. In vano, [Gl. int.] id est in peccato, [Hier.] qui nullis eam fæcibus peccaminum post baptismum maculavit. Nec juravit in dolo proximo suo, hoc non mutatur.]

VERS. 5. — Hic accipiet benedictionem a Do- « mino, et misericordiam a Deo salutari suo. »

Hic accipiet quasi dicat : Debet quisque innocens esse et sibi, et proximo, et inde sunt ei hæc præmia quia, hic, talis ascendit in montem Domini, [Cassiod.] id est in altitudinem justitiæ et fidei : quod quidem est ei a Domino. Et hoc est, quod ait *hic ac-*
C *cepit benedictionem a Domino*, [Gl. int.] id est per Domini benedictionem acceptam, ascendet et stabit in alta justitia Dei. Vel ita, quasi dicat : ille qui prædicta habet, ascendet. Illa vero non habet a se, sed a Deo, quia, hic accipiet benedictionem, id est prædicta bona, a Domino. [Cassiod.] Et hæc benedictio per misericordiam, non per merita datur, quia prius per misericordiam peccata dimittit Deus. Et hoc est quod ait : Et accipiet *misericordiam*, id est remissionem peccatorum per misericordiam factam *a Deo salutari suo*, id est a Christo, et ne putes prædicta de solo Christo fore accipienda, quia

VERS. 6. — « Hæc est generatio quærentium **49** « eum, quærentium faciem Dei Jacob. »

D *Hæc generatio*, id est talis est generatio omnium communiter, *quærentium eum* vel Deum. Ac si diceret : Licet singulariter dixerim ascendet, innocens accipiet : tamen hi tales non sunt pauci, sed est generatio, [Cassiod.] id est multitudo baptismo renata, et non nisi quærant Deum. Ideo ait, quærentium eum. Vel ita continua : Vere benedictio erit per misericordiam. Sic enim [Aug.] id est per misericordiam nascuntur in baptismo qui quærunt eum. Et hoc est : hæc est generatio quærentium eum, non utique pro favore sæculari, vel pro terrenis opibus, sed quærentium Deum, ita quod *faciem Dei*, [Rem.] id est præsentiam, et cognitionem ejus quærunt, Dei, dico *Jacob* [Cassiod.] id est qui quærunt Deum ut Jacob quæsivit. Quod

faciunt illi qui ferventiores aliis volunt præponi, ut eis primatum det sicut Jacob fecit, quæ præposuit Esau, cujus primogenita hæreditavit, [Aug.] ita et Christiano populo posterius nato dat Deus primatum, Judæis ablatum id est Christum. Unde Isaias : *Auferam ab Jerusalem caput et caudam* (Isa. IX.)

Pars III, διαψαλμα, VERS. 6. — « Attollite portas, « principes vestras, et elevamini, portæ æternales, « et introibit rex gloriæ. »

Attollite, [Cassiod.] tertia pars. Christiana religione declarata superstitiosos a pravitate avocat, ut patefactis cordibus Christum admittant quasi dicat : Et quia nullus ascendit, vel stat, nisi innocens et purus : Ergo, o vos *principes* mundi, et superstitiosi, ut sunt hypocrisiarchæ *attollite*, vel, tollite, id est auferte ab animis vestris portas vestras, (Cassiod.) id est mortis ; quæ a principe diabolo positæ sunt, per quas ipse ad corda intrat. Portæ illæ sunt vitia et peccata, quibus locus sit diabolo in cordibus. hominum. Et contra illas portas mortis *elevamini*, id est exaltamini, in cordibus hominum, *portæ æternales*, scilicet omnis gratia, quæ veniente Christo data est, qui spiritu gratiæ plenus alios gratia rigavit, ut spiritualia nequitiæ de cordibus suorum pelleret. Elevamini dico, *et* sic *introibit* ad corda *rex gloriæ*, [Aug.] id est Christus, in quo sine superbia gloriemur, qui præcinctus humilitate superbiam diaboli, ut fortis athleta expugnare venit.

VERS. 7. — « Quis est iste gloriæ ? Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio. »

Quis est iste. [Cassiod.] Interrogat hic Propheta non propter suam ignorantiam, sed ad convincendam Judæorum superbiam et perfidiam. [Alcuin.] Et ut amplius Christum commendando, alios ad ejus invitet amorem, sic dicens : *Quis est iste rex gloriæ ?* [Cassiod.] Quid intraturus est ad corda ? respondet, describens eum per virtutes, quasi proprio nomine dicens : [Cassiod.] Ipse est *Dominus* absolute omnium *fortis* in rebus, et si cum gladiis eum cepistis *et potens*, et si Pilato eum tradidistis, *Dominus* est *potens in prælio* ubi contra diabolum pugnavit, et contra Judæos. Ne ergo in pugna, vos Judæi, eum superasse putetis, et si adversus eum ad horam prævaluisse videamini.

VERS. 8. — « Attollite portas, principes vestras, » et elevamini, portæ æternales, et introibit rex » gloriæ.

Attollite, vel, tollite *portas*, *principes vestras*, et elevamini, portæ æternales, et introibit, etc. Congeminatio est hic. [Cassiod,] Prædicta enim repetit, ut amplius determinet quis sit rex gloriæ et non per singula, ut prius fecerat, dicendo, *potens*, fortis, etc., sed sicut prius præmittens Prophetam interrogationem :

VERS. 9. — « Quis est iste rex gloriæ ? Dominus » virtutum ipse est rex gloriæ? »

A Quis est iste rex gloriæ ? (Cassiod.) Breviter et totum respondet, scilicet Dominus virtutum cœlestium, id est angelorum, vel virtutum, (Alcuin.) id est gratiarum, quia omnibus omnia dat dona ; vel, Dominus virtutum, (Hier.) id est terrenorum principum ipse est rex gloriæ. Ubi apud nos est virtutum, in Hebræo habetur sabaoth, quod interpretatur *exercituum*, vel *militiarum*, vel *virtutum*,

Aliter *attollite* vel tollite, etc., principes dicit dæmones, qui principari hominibus volunt. Ait ergo : O principes tenebrarum qui primatum in hominibus quæritis, tollite *portas principes*, id est auferte aditus cupiditatis et timoris, ne impediant Dominum venientem, quos statuistis in animis hominum, ut per eos ad decipiendos homines intretis, [Aug.] dum timent non timenda, et cupiunt non cupienda. Et vos
B *portæ æternales*, id est aditus æternæ vitæ, scilicet renuntiationis sæculi, et conversionis ad Deum, *elevamini*, [Gl. int.] id est exaltamini in cordibus hominum. Et sic *introibit rex gloriæ* [Aug.], id est Christus in quo sine superbia gloriemur. Qui superavit portas mortis, et patefecit sibi cœlestes januas, implens quod dixerat : Gaudete, quoniam ego vici mundum (*Joan.* XVI.) *Quis est iste?* [Aug.] Pavet admirans mortalis natura, dum audit regem gloriæ intraturum, et quærit : Quis est rex gloriæ ? respondet Propheta, ipse *est fortis et potens*, quem tu infirmum et oppressium putasti. Ipse est *Dominus potens in prælio*, ubi contra mortem pugnavit, contracta, et concreta cicatrice, et senties te reparatam immortalitate reddita. Infirmitate namque
C hominis soluta, quæ terris debebatur, ubi cum morte belligeratum est, firmata est clarificatio Domini. Attollite, vel, tollite : egit supra contra dæmones, hinc jam itur in cœlum, id est cœlestes angelos alloquitur, qui solebant ab hominibus adorari. Et exclamat iterum Propheta dicens : Vos etiam cœlestes principes tollite portas vestras quas habetis in animis hominum, qui adorant militiam cœli. Ante Christi namque adventum permittebant se angeli boni adorari illa adoratione quæ dulia est, non latria (*Gen.* XVIII, *Josue* V), ut sibi potius quam malis angelis reverentia exhiberetur ab hominibus (59), sed post incarnationem ex humilitate atque subjectione, quam debet Domino suo prohibent homines se adorare, ut intelligant humanam naturam
D in Christo super omnem creaturam exaltatam. Unde in Apocalypsi angelus dixit Joanni : *Noli me adorare, conservus enim tuus sum, et fratrum tuorum* (*Apoc.* XXI). Et elevamini portæ æternales, id est portæ æternæ justitiæ, et charitatis et castitatis, per quas unum verum Deum diligat anima et non fornicetur sub multis qui dicuntur dii, et sic introibit rex gloriæ ad mentem ut ad dexteram Patris interpellet (*Hebr.* VII), id est interpellare pro nobis credatur. Quis est iste rex gloriæ? (Aug.) Princeps etiam hujus aeris, qui ante primatum habebat in homine, miratur et quærit : Quis

(59) Ex. Greg. Homil. 8 Evangeliorum.

est iste rex gloriæ? Respondet Propheta : Dominus virtutum scilicet cœlestium, vel terrenorum, ipse est rex gloriæ, etiam supra te glorificato corpore pergit, ille tentatus super omnes angelos tendit, ille ab angelo prævaricatore tentatus. Nemo ergo princeps se objiciat nequam, atque intercludat iter ipsius ad nos, ut tanquam Deus habitet in nobis, atque colatur. Vel aliter, attollite, vel tollite. Dicit hæc David propheta, persona angelorum sibi assumpta, qui Christum præcesserunt descendentem ad inferos vel ascendentem ad cœlos, Angeli ergo præeuntes Christum ad infernum dicunt tartareis potestatibus, [Hier.] O vos, principes inferni, tollite portas vestras, id est auferte potestatem vestram, qua usque nunc in inferno omnes detinebatis. Et ipsi idem præcedentes Christum in ascensione dicunt : Et o vos portæ æternales, quæ hactenus eratis clausæ, scilicet aditus cœli, ingressus paradisi, elevamini, id est aperiamini, et introibit rex gloriæ, id est Christus in cœlum. Hic est summus sacerdos, qui in veteri lege semel in anno cum sanguine intrabat in sancta sanctorum *(Hebr.* IX). Mirantur autem dæmones et quærunt : Quis est iste rex gloriæ? [Hier.] quasi dicat : Nos regem nostrum habemus, scilicet diabolum. Iste rex gloriæ, quis est? Respondent angeli Christum præcedentes ad infernum : Ipse est Dominus fortis et potens, qui mortem vicit et diabolum ; Dominus potens in prælio, contra diabolum principem vestrum, quia alligavit fortem, et nunc venit evertere domum ejus et diripere vasa, id est confringere infernalia claustra, et educere captivam captivitatem. [Hier.] Attollite portas, virtutes, ministræ præcedentes Christum in ascensione, ad alias virtutes cœlestes clamant, ut viam Domino venienti aperiant, eique accurant, o principes cœli attollite portas vestras, id est reserare cœlestes aditus venienti Domino. Et o vos, portæ æternales elevamini, id est aditus cœli et æternalis ingressus pateat. Aperiantur æthereæ januæ, et æternarum ædium valvæ. Et introibit rex gloriæ in cœlum ut ad dexteram Patris interpellet pro nobis [Aug. Hier.]. Ipse autem virtutes angelicæ, novo mysterio carne induti stupefacti, quærunt cum admiratione : Quis est iste

A rex gloriæ? quibus respondent aliæ : Dominus virtutum, ipse est rex gloriæ.

Vel aliter, attollite portas, principes hic appellat sanctos, de quibus alibi dicitur : *Et nunc, reges, intelligite* (*Psal.* II), et Petrus ait : *Vos estis genus electum regale sacerdotium, gens sancta* (*I Petr.* II) [Gl. int.] Quasi dicat : quia nullus ascendit nisi innocens et mundus, ergo, o vos, principes, id est fideles, qui estis genus electum, regale sacerdotium, attollite portas vestras, id est amplificate bona opera, per quæ Deus intrat. Elevamini, portæ æternales, et introibit rex gloriæ. Hæc et sequentia non mutantur a lectione primæ expositionis usque, attollite, ubi est repetitio præcedentium, usque ad finem,

B

COLLATIO IN PSALMUM XXIII : « DOMINI EST « TERRA. »

VERS. 4. *Qui non accepit in vano animam suam.* Quidam vertunt animam meam, alii animam ejus, alii animam suam, sicut LXX et Hieronymus. Diversitas profecta est ex particula Hebraica, quæ scribitur per vau in fine, et tamen punctuatur cum hirec, id est, נפשו NAPHSCO, VEL NAPHSCI.

VERS. 5. — *Et misericordiam a Deo salutari suo.* Hieronymus ex Hebr. habet *justitiam*, quomodo et neoterici translatores reddunt, Verum צדקה TZEDAQAH quandoque accipitur pro *eleæmosyna*, quæ est opus misericordiæ. Adde quod corona illa justitiæ, quam reddet Dominus iis qui diligunt adventum ejus (*II Tim.* IV), et quæ respondet bonis operibus nostris, plus habet liberalitatis divinæ et gratiæ quam debiti, juxta illud ad Titum III : *Non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit.* Justitia autem
D hæc, est etiam fides, Dei donum, per quod reddimur mirericorditer justi, quia, Hebr. II, sine fide impossibile est placere Deo.

VERS. 6. — *Attollite, portas principes, vestras,* Hieronymus et cæteri traduxerunt, *levate, portæ, capita vestra.* Ideoque accidit ob polysemasiam voculæ Hebraice ראש ROSH, quam nullus Hebræorum negat sæpe significare principem. Quod autem variatur terminatio casuum apud Latinos et Græcos, id non perin de sit apud Hebræos. Quare juxta consequentiam sermonis, nunc redditur casus unus nunc alter, nec præjudicat sententiæ hæc aut illa lectio, seu acceperis portas pro primatu terrenæ cupiditatis, seu pro quibuscunque peccatis, quæ impediunt aditum regni cœlestis.

PSALMUS XXIV.

PSALMI TITULUS : « IN FINEM PSALMUS DAVID. »

Ad te, Domine, levavi animam meam. Titulus : *In finem, psalmus David.* Psalmus iste est consolatio fidelium contra adversa sæculi. [Alcuin.] Ecce hæc oratio Ecclesiæ in hoc sæculo graviter afflictæ, quasi oratio populi in Babylone graviter constituti. Hic enim Ecclesiæ loquitur, quasi pœnitens graviter flagellatus, qui præponitur aliis ne murmurent in adversis, qui in se expertus misericordiam et justitiam Dei, per misericordiam blanditur, per justitiam terret. [Cassiod.] Et est hic psalmus primus per litteras Hebræi alphabeti digestus, et si non per omnes.

D Quidam enim scribuntur per omnes ; quidam non. Illi qui per omnes scribuntur, illos significant qui omnibus perfecti virtutibus cantant Dei laudes. Qui non per omnes, minus perfectos laudatores significant. Et est sensus tituli : *Psalmus* iste dirigit nos *in finem*, id est in Christum, attribuitur *David* (Gl. int.) id est Ecclesiæ, quæ hic loquitur in persona pœnitentis, per flagella correcti. Intentio monet in adversis non murmurare, sed ad Deum respicere. Modus tripartitus est **50** psalmus, primo petit doceri vias Dei, quia ad Dominum erectus est Secundo orat pro peccatis dimittendis, pro priori-

bus, et his quæ quotidie fiunt, ibi, reminiscere, etc.

Tertio agit de æternis, ostendens quomodo habeantur, ibi quis est homo. Ecclesia itaque ut secure valeat petere quæ sequuntur, præmittit de suo desiderio et dilectione quam habet erga Deum, sic ad ipsum loquens : O

VERS. 1. — « Ad te, Domine, levavi animam « meam : Deus meus, in te confido, non erubescam. »

[Hier.] *Domine*, ego *levavi* spirituali desiderio de terra, a similitudine grani quod in terra ortum surgit in altum. Si vero in imo jaceat, conculcatur, atque computrescit, quid? *animam meam*, [Aug.] quæ carnalibus desideriis conculcata premebatur in terra. Quo levavi? [Cassiod., Gl. int.] *ad te* amplexandum et contemplandum. [Alcuin.] Facile terrena despicit, qui ad divina conspicienda se erigit; et o *Deus meus*, [Aug.] ego expertus in malis meam infirmitatem, jam *in te confido*, non in me, qui prius in me confidens volui esse sicut Deus. Unde ad hanc infirmitatem carnis perductus de superbia mea erubui. Jam ergo, in te solo confido. Et ideo, *non erubescam* per peccatum quod de me procedat, de eo unde confido : quod esset, si illud perderem. Spes enim non confundit. Nec etiam per peccatum quod fit ex inimicorum suggestione, illud perdam. Et hoc est quod ait :

VERS. 2. — « Neque irrideant me inimici mei; « etenim universi qui sustinent te, non confundentur. »

Neque irrideant me inimici mei, [Gl. int.] id est non prævaleant mihi. Hæc oratio vim enuntiationis habet, quasi diceret : Non prævalebunt mihi, quod quidem oro, *inimici mei*, omnis modi, [Aug.] scilicet visibiles et invisibiles, et præcipue illi qui serpentinis atque occultis suggestionibus insidiantes et suggerentes ad hæc mala me dejecerunt. [Alcuin.] Et certus sum de eo quod peto, quia in nullo sustinente patienter fallit. [Gl. int.] Hoc est quod ait, *etenim universi qui sustinent te*, id est qui patienter ferunt pondus diei et æstus (*Matth.* XX), id est præsentis tribulationis, donec venias, *non confundentur* per se, vel per inimicos, id est per peccatum a se, vel ab inimicis exiens.

VERS. 3. — « Confundantur omnes iniqua agentes « supervacue. »

Confundantur. [Gl. int.] Quasi dicat : Sustinentes te non confundentur, sed confundantur, hic pro peccatis salubriter, vel si hic nolunt, tandem in pœna æterna. Et subdit, et qui et quare, [Aug.] scilicet *omnes iniqui* vel iniqua *agentes*, ideo quod inique faciunt ad acquirenda quæ transeunt. Ideo iniqua, quia *supervacue* agunt, id est in supervacuis laborant, quia omnia sunt vana et infructuosa, quæ a Deo sunt aliena.

VERS. 4. — « Vias tuas, Domine, demonstra « mihi, et semitas tuas edoce me. »

Vias tuas, quasi dicat : Non erubescam. Et ne hoc fiat, o *Domine vias tuas*, id est præcepta le-

A viora *demonstra mihi*, [Gl. int.] quasi dicat, quæ visui subsunt, sicut solet manu aliquid demonstrari oculis subjectum. [Cassiod.] Viæ ergo sunt institutiones de ordine vitæ, qui convenit omnibus etiam simplicibus. Et semitæ sunt quæ occultæ et angustæ sunt, ut est mystica intelligentia legis, quæ paucis nota est. Unde subdit, *et semitas tuas*, id est legis intelligentias angustas et paucis notas, *edoce me*, quasi dicat : Ea quæ occulta sunt, et, o Domine,

VERS. 5. — « Dirige in veritate tua, et doce me, « quia tu es Deus salvator meus, et te sustinui tota « die. »

[Aug.] *Dirige me* errores fugientem *in veritate tua* ut recte vivam, et pie, sicut veritas tua exigit, *et doce me* ipsam veritatem, ut quod credo intelligam.
B Ideo dico, doce, quia per me non novi nisi mendacium. Distingue, duo petit, dirigi et doceri. [Cassiod.] Dirige, ad bonam vitam pertinet; doce, ad veram scientiam, in quibus est perfectio. Sequitur : Quia tu es, quasi dicat : Ideo fac quod peto *quia tu es Deus salvator meus*, non ego. [Aug.] quia expulsus sum a te de paradiso in longinquam regionem, per me redire non possum, nisi occurras erranti; et item etiam ideo, quia *te sustinui tota die*, id est toto tractatu sæcularis temporis, reditus meus tuam exspectat misericordiam. Duo hic ponit commendabilia, dicendo, tu es salvator meus, et te sustinui. [Cassiod.] Duæ enim sunt res, quæ bonos faciunt, scilicet ut Deum salvatorem credamus, et patienter retributionem ejus exspectemus.

VERS. 6. — « Reminiscere miserationum tuarum,
C « Domine, et misericordiarum tuarum quæ a sæculo « sunt. »

Reminiscere. [Alcuin.] Secunda pars, ubi de peccatis prioribus, et de his quæ quotidie fiunt, orat, per misericordiam antiquis factam, et quia timet verum judicem. Quasi dicat : dirigere et docere debes, quia tu es Deus, et quia sustinui te, [Alcuin.] et sic hoc non sufficit, o *Domine*, tu *reminiscere* quem homines putant oblitum, dum tardas *miserationum tuarum*, [Cassiod.] id est operum misericordiæ, *et misericordiarum tuarum*, naturaliter tibi insitarum. Miseratio enim proprie est in exhibitione bonorum misericordia, quæ naturaliter in Deo est, quæ est ipse Deus, *quæ* misericordiæ et miserationes *a sæculo* ab initio sæculi *sunt*. [Aug.] Nunquam enim sine
D misericordia fuisti, nec peccanti homini miseratio tua defuit : qui etiam peccantem hominem non vanitati quidem, sed in spe subjecisti. [Alcuin.] Ne ergo in me fallat, quod ab initio sæculi incœptum est.

VERS. 7. — « Delicta juventutis meæ, et ignorantias meas ne memineris. »

Delicta. Quasi dicat : Reminiscere misericordiæ, et per misericordiam tuam *ne memineris*, [Aug.] id est, ne serves ad vindictam perpetuam, delicta, quibus viam æquitatis dereliqui, *juventutis meæ* [Cassiod.] id est confidentis, [Aug.] et præcipitis audaciæ meæ *ignorantias meas*. Vel, ignorantiæ meæ, id est peccata quæ ignoranter feci, vel quæ feci ante-

quam crederem. [Cassiod.] Delicta enim sunt, quando derelinquitur scienter via æquitatis. Juventus non accipitur hic pro ætate, sed pro præcipitationis audacia, quæ est tunc, quando color animi modestiam excedit. Ignorantias dicit peccata ignoranter facta; facimus enim quæ mala esse nescimus, etiam post baptismum et fidem. Vel, ignorantias dicit, peccata ante fidem commissa. [Hier.] Vel, delicta juventutis dicit peccata, quæ quasi in adolescentia gessit, scilicet antequam de domo iniqui patris, id est diaboli exiret, de quo dicitur : *Vos ex patre diabolo estis* (*Joan.* VIII). Delicta ignorantiæ, dicit ea quæ sunt in parvulis, qui vel originali peccato tenentur. Et est, delicta juventutis meæ, [Cassiod.] id est quæ feci adhuc juvenis in domo prioris mei, scilicet diaboli. Et delicta ignorantiæ meæ, id est originale peccatum, quod in parvulis *ne memineris*, id est ne serves ad æternam ultionem.

VERS. 8. — « Secundum misericordiam tuam « memento mei tu, propter bonitatem tuam, Domine. »

Secundum misericordiam, quasi dicat : Ne memineris dico, sed potius *memento mei*, [Gl. int.] id est vide misericorditer quam fragilis naturæ sim, [Aug.] *tu* cujus opus est misereri, et peccata dimittere. Memento dico, non secundum iram qua ego sum dignus, [Alcuin.] sed secundum misericordiam tuam, quam me quærere dignatus es, qua te digna est, quasi dicat : Ut ampla est misericordia tua, ita ample miserearis mei. [Gl. int.] Et, o Domine, memento mei, non propter meum meritum, [Alcuin.] sed *propter bonitatem tuam* naturaliter tibi insitam, qua omnia ex nihilo fecisti. Distingue inter misericordiam et bonitatem. [Cassiod.] Misericordia est proprie erga miseros; bonitas erga quoslibet, facit autem Deus bonum, et a miseris imploratus, et bonitate ductus. Nemo enim bonus ex se, nisi solus Deus (*Luc.* XVIII).

VERS. 9. — « Dulcis et rectus Dominus; propter « hoc legem dabit delinquentibus in via. »

Dulcis et rectus. [Gl. int.] Hic fit conversio sermonis ad homines, quibus iste fidelis loquitur, ostendens qua fiducia ita instanter petat. Quasi dicat : Hac fiducia peto, quia, *Dominus* est *dulcis*, [Aug.] quia peccantibus et impiis omnia priora dimittit, ubi est gratia sine meritis, *et* est *rectus*, [Alcuin.] quia post misericordiam vocationis et veniæ, digna in ultima judicio merita requiret. Hoc ideo dicit ne lenitas ejus securos nos et otiosos reddat, [Aug.] Et *propter hoc*, scilicet quia misericordiam prærogavit, ut perducere in viam *dabit delinquentibus legem* [Hier.] id est correctionem, vel charitatem, qua junguntur et reconciliantur homines Deo, [Alcuin.] dabit, ita tamen, si sunt *in via*, id est in fide. Vel dabit legem, ut ponat eos; in via, id est in præceptis Dei. Vel, dabit in via, hujus vitæ, ubi recte vivendum est vel necessarium est. Et Dominus

VERS. 10. — « Diriget mansuetos in judicio : do- « cebit mites vias suas. »

A *Diriget mansuetos in judicio*, [Aug.] Qui ei non resistunt *in judicio* futuro, id est non perturbabit in judicio eos, qui sequuntur voluntatem ejus, nec resistunt ei. Et *docebit* hic *mites*, *vias suas*, non eos qui præcurrere volunt, quasi se melius regere valeant; sed eos qui non erigunt cervicem, neque recalcitrant, cum eis jugum leve ponitur et levis sarcina.

VERS. 11. — « Universæ viæ Domini, misericordia « et veritas ; requirentibus testamentum ejus, et « testimonia ejus. »

Universæ : [Aug.] quasi dicat : Quas vias docebit eos? Misericordiam, qua placabilis est, et veritatem, qua incorruptus est. *Et universæ viæ Domini* sunt B *misericordia et veritas*, [Cassiod., Aug.] quæ cum infinitæ sint, in his tamen duobus includuntur, quorum unum exhibet, donando peccata, alterum judicando merita. Misericordia enim dimittit peccata, veritas judicat merita. Ergo universæ viæ Domini sunt duo adventus Filii Dei. Unus miserantis, alter judicantis, id est in illis duobus adventibus misericordiam et veritatem manifeste nobis exhibet. In primo, misericordiam; in secundo, veritatem. Quæ duo tamen in omni opere Domini simul sunt, et si non nobis manifeste appareant. Tenet autem ille vias ejus, qui expertus misericordiam deponit superbiam, nullis suis meritis liberatum se videns, et deinceps cavet severitatem judicis. Sequitur : *Requirentibus*, etc. Quasi dicat : Dico quod universæ viæ Domini sunt misericordia et veritas, quod et si C non aliis videtur, apparet tamen requirentibus, id est his qui requirunt *testamentum ejus*, [Hier.] id est passionem et mortem, per quam redempti sumus, et vita promissa, nobis est reddita. Et qui requirunt testamentum ejus, [Aug.] id est qui attendunt quæ in prophetis et in evangelistis testatus est. Illi enim intelligunt Christum misericordem in primo adventu, et judicem in secundo. Qui mites quærunt, testamentum ejus, id est mortem, quando suo sanguine nos redemit in novam vitam. Et qui requirunt testimonia ejus in prophetis et evangelistis, ubi credentibus in mortem suam vitam promittit, incredulis vero minatur mortem æternam.

Vel ita, ab illo loco, *dulcis*, etc., et legitur totum D de præsenti : Quasi dicat : Hac fiducia peto, quia, *Dominus* est *dulcis et rectus*. [Cassiod.] Dulcis, quia suavia dat; rectus, quia corrigit. Et *propter hoc* quia dulcis et rectus, ideo non ex crudelitate, sed ex benignitate, *dabit legem*, correctionis vel charitatis *delinquentibus*, tamen si sunt, *in via*, fideli, [Alcuin.] vel ad hoc ut sint in via præceptorum Dei. Vel, dabit in via hujus vitæ, ubi recte vivendum est. Dabit legem dico, [Cassiod.] et, in judicio præsenti, quo judicat cum punit et corripit. *Diriget mansuetos*, ad meliora, [Alcuin.] id est si mansueti sint, qui corripiuntur : quod est ex feris domiti, ut tollerent patienter flagellum emendantis patris, modelam urentis medici. Quod si *mites* sunt, id est lenis animi, quasi dicat, naturaliter hoc habentes

docebit eos, *vias suas*, id est præcepta sua, pro quorum neglectu venerunt flagella. *Universæ*, quasi dicat docebit vias, id est præcepta sua. Universæ, autem *viæ Domini*, id est universa præcepta ejus, sunt *misericordia et veritas*, id est plena misericordia 5 1 et veritate, quod utique apparet *requirentibus testamentum ejus* novum [Cassiod.] quod egregie dicitur testamentum, ubi est clara et certa promissio hæreditatis, quod etiam in morte testatoris confirmatur. *Et testimonia ejus*, scilicet testimonia Veteris Testamenti, ubi fuerunt prophetæ testes promissionum.

Vers. 12. — « Propter nomen tuum, Domine, « propitiaberis peccato meo : multum est enim. »

Propter nomen tuum, Domine [Gl. int.], id est et quia dulcis et rectus, sicut oravi facies, id est peccata quæ accuso dimittes. [Aug.] Et hoc est, o *Domine* propitiaberis oblato tibi sacrificio spiritus contribulatus, [Alcuin.] *peccato meo*. Et hoc facies, *propter nomen tuum*, propter gloriam tuam, ut lauderis ab homine. Causa ad Dominum refertur. Et hoc ideo, quia non negligo, nec extenuo peccatum meum : sed puto quod multum est.

Vel ita : [Cassiod.] quia dulcis es, o Domine propter nomen tuum, [Aug.] quod est Jesus, scilicet salvator, id est ut impleas rem nominis tui, propitiaberis, sacrificio spiritus contribulati, *peccato meo*, non solum ante fidem, sed post fidem commisso. Et necesse est *enim*, [Aug., Alcuin.] id est quia *multum est*, id est grande est illud peccatum, quia et in via fidei non deest offensio. Et ideo nisi per te non delebitur, qui non solum peccata donas, quæ ante fidem, sed etiam illud quod multum est, [Cassiod.] id est quotidie fit. Ergo propter nomen tuum parce. Hoc ideo dicit, quod non propter se sibi parci petere audet, quia quotidie peccatum ejus augetur : in quo Cathari refutantur (60). Erat enim quædam secta hæreticorum, qui se isto nomine, quasi propter munditiam superbissime appellabant, qui peccatoribus veniam peccatorum negat, secundas nuptias non admittit : mundiores se cæteris prædicant. Unde et catharos se quasi mundos dicebant, qui si nomen suum cognoscere vellent, mundanos se potius quam mundos vocarent.

Pars. ii, Vers. 13. — « Quis est homo qui timet « Dominum ? legem statuit ei in via quam elegit. »

Quis est homo. [Alcuin.] Tertia pars ubi agit de æternis, ostendens quomodo habeantur, laborans et orans, ut ipse et totus Israel ab ipsis malis liberentur. Præmittit autem de timore, qui est initium sapientiæ, quasi dicat : Dominus dabit legem ; et cum ita sit, vis scire cui dabit ? [Cassiod., Gl. int.] Et quasi responsum sit ei ab aliquo, volo addit *qui est homo*, scilicet rationalis *qui timet* non securus de se *Dominum ?* [Aug.] Timor est, unde quis incipit venire ad sapientiam. Ideoque de illo proponit. Et quasi quis diceret : Quare hoc quæris ? Respondet : Ecce quare, quia Dominus, *statuit ei*,

A scilicet timenti *legem*, id est correctionem, ne jam impune peccet. Vel legem, id est completionem legis, quæ est charitas *ei*, [Gl. int.] dico posito *in via* fidei *quam elegit* id est quam liber apprehendit, vel ut tutam elegit, expertus per flagella non esse deviandum ab ea. Et deinde subdit de præmio dicens : Et

Vers. 4. — « Anima ejus in bonis demorabitur ; « semen ejus hæreditabit terram. »

[Cassiod.] *Anima ejus*, post dissolutionem corporis *demorabitur in bonis*, quia etsi non statim post corpus habet perfectam beatitudinem, tamen in bonis demorabitur, habens simplicem stolam usque ad resurrectionis tempus, quando corpus clarificabitur. [Hier., Alcuin.] Unde addit, *et* tan-

B dem *semen ejus*, opus bonum, unde colligitur fructus *hæreditabit terram*, [Aug.] id est habebis solidam hæreditatem instaurati corporis quando merito boni operis quod hic fecit secundum stolam glorificati corporis accipiet, interim vero,

Vers. 15. — « Firmamentum est Dominus ti- « mentibus eum ; et testamentum ipsius ut mani- « festetur illis. »

Dominus, [Cassiod.] non homo mutabilis, est *firmamentum timentibus eum*, [Aug.] Videtur infirmorum esse timor. Sed, Dominus est firmamentum timentibus eum, [Cassiod.] quia timor Dei dat firmitatem, humanus diffidentiam. Et, Dominus facit ut testamentum ipsius manifestetur illis, [Aug.] id est ut manifestetur illis, hoc quod ipse testatus est, scilicet quod gentes et termini terræ sunt hæredi-

C tas Christi. Vel ita, anima ejus, timentis modo non redit in Egyptum ad ollas carnium, ut peccatorum tenebris delectetur, sed demorabitur in bonis, [Alcuin.] id est in præceptis morabitur, quasi in deliciis. Vel modo, demorabitur, spe, et si non re, in bonis futuris. Et semen ejus hær., etc. [Hier.] Id est merito boni operis sui, id est bene operando, per quod meretur vitam, excolit terram. [Alcuin.] Alia littera, Evam, id est carnem, mortificando vitia ejus, et concupiscentias. Et præter hæc, Dominus est firmamentum, timentibus eum. [Cassiod.] Homo quidem est mutabilis, sed firmat Deus timentem ne in malis cedat. Idem sensus cum priori. Et testamentum ipsius est hoc, ut manif. illis, [Alcuin.] id est manifestabit seipsum eis,

D sicut promisit dicens : *Si quis sermones meos servaverit, diligam eum, et manifestabo ei meipsum* (*Joan.* xiv). Et ideo, quidquid alii faciant,

Vers. 16. — « Oculi mei semper ad Dominum : « quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos. »

Oculi mei, [Hier., Gl. int.] scilicet cordis, de quibus Salomon : *Oculi sapientis in capite ejus* (*Eccles.* ii), id est in corde ejus, id est omnes contuitus mei *semper* sunt *ad Dominum*, [Cassiod.] quia terram non intueor, nec ante me ad pedes attendo, ut solent quidam, ne incidant in laqueos, vel faveas. Ego vero ad Dominum sursum spectans non timeo

(60) Ex Isid. vii, etym. 24, quæst. 3, cap. *Quidam*.

terrena pericula, *quoniam ipse* quem intueor, *evellet de laqueo vitiorum pedes meos*, id est affectus. Vel, de laqueo evellet pedes meos, [Gl. int.] id est de passione et morte, quæ tenet ligatos. Et est per simile dictum, tanquam sit incatenatus pede, qui morte tenetur.

VERS. 17. — « Respice in me, et miserere mei, « quia unicus et pauper sum ego. »

Respice ; [Gl. int.] quasi dicat : Et quia oculi mei sunt ad te, ergo respice, etc. Vel ita junge, oculi mei sunt ad Dominum, mei dico, ita dicentis [Cassiod.] *respice in me*, aspicientem in te, *et miserere mei*, quia miser sum, et locus est misericordiæ *quia unicus sum*, [Gl. int.] id est non per plura distractus, sed in unitate permanens. [Aug.] Nulla enim schismata, vel hæreses tenent Ecclesiam *et pauper* a mundi rebus, *sum ego*. Ideo se unicum et pauperem dicit, ut Dei misericordiam sibi conciliet. [Cassiod.] Unicus enim plus amatur, pauper plus doletur. Et item alia causa est : quia, scilicet,

VERS. 18. — « Tribulationes cordis mei multi- « plicatæ sunt ; de necessitatibus meis erue me. »

Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt, [Gl. int, Aug.] id est tot sunt calamitates mundi, quod earum anxietas pervenit usque ad cor, abundante iniquitate, et refrigescente charitate multorum ; [Alcuin.] et, o Domine, *erue* me de necessitatibus meis, id est de adversis, quæ necessaria sunt omnibus qui pie in Christo vivere volunt. [Aug.] Ideoque congrue hæc vocat necessitates, quia hæc necesse est ei tolerare usque in finem, ut salvus fiat. Et,

VERS. 19. — « Vide humilitatem meam et labo- « rem meum ; et dimitte universa delicta mea. »

Vide, [Gl. int.] id est gratam habe *humilitatem meam*, quia jactantia justitiæ non me ab unitate abrumpo, *et laborem meum*, [Aug.] quo indisciplinatos mihi admistos suffero. *Et* his sacrificiis placatus *dimitte universa delicta mea*, non ea tantum quæ feci ante fidem, [Aug.] sed etiam quæ post fidem per infirmitatem, vel vitæ hujus caliginem, admitto. Deinde pro inimicis orat, dicens : Et etiam

VERS. 20. — « Respice inimicos meos, quoniam « multiplicati sunt ; et odio iniquo oderunt me. »

Respice, [Cassiod.] id est converte, *inimicos meos*, vel quia nescimus quid oremus, sicut oportet. Potest esse talis sensus ; respice iniquitatem meam, [Gl. int.] id est fac de eis sicut scis, *quoniam multiplicati sunt*, [Aug.] non solum foris infideles, sed etiam intus in Ecclesia non desunt falsi fratres. [Cassiod.] Et tot hominum perditio sine dolore esse non potest. Et ideo pro eis orat, de quibus subdit, [Aug.] *et odio iniquo oderunt me*, diligentem se. Sed ab eis,

VERS. 21. — « Custodi animam meam et erue « me ; non erubescam quoniam speravi in te. »

[Gl. int., Cassiod.] Custodi animam meam. Servando in his bonis quæ habui, nec decliner ad

A imitationem eorum [Aug.] *et erue me* a perplexitate qua mihi miscentur. Erue dico, et fac, ut *non erubescam*, si forte insurgunt contra me. Et debes *quoniam speravi in te*, non me. Vel ita : Non erubescam, [Alcuin., Cassiod.] quasi dicat : Dico erue, et si non propter aliud, vel, id est saltem ideo, ut non erubescam de hoc, quoniam speravi in te, id est ne cedat mihi erubescentiæ quod speravi in te. Et ideo erue, quia facti

VERS. 22. — « Innocentes et recti adhæserunt « mihi, quia sustinui te. »

[Aug.] *Innocentes et recti*. Bona operatione per tribulationes *adhæserunt mihi*, id est non solum corporis præsentia miscentur, sed etiam consensione cordis. [Aug., Cassiod.] Mali quidem tolerati B sunt, et non adhæserunt mente, sed recti corde mihi adhæserunt. [Aug.] Et hoc ideo, *quia* non defeci a bono, sequens illos. Sed, *quia sustinui te*, exspectans ventilationem ultimæ messis tuæ, id est judicium. Et tu, o.

VERS. 23. — « Libera, Deus, Israel, ex omnibus « tribulationibus suis. »

Deus libera Israel, id est eos qui sunt Israel, [Aug.] id est populum quem ad tuam visionem præparasti. Libera, dico, *ex omnibus tribulationibus suis* quæ foris, vel intus sunt.

COLLATIO IN PSALMUM XXIV : « AD TE, DOMINE, « LEVAVI. »

VERS. 2. — *Neque irrideant me inimici mei*. Hebræi אל יעלצו אויבי לי AL IAALZU OIEBAI LI, ne læten- C tur mihi, hoc est de me, inimici mei. Manifestum est cacodæmonem non posse revera in se lætari, cum ejus perpetua damnatio, sit abyssus tristitiæ indicibilis ; sed ejus gaudium dicitur per effectum, quando nos decipit incautos. Gaudere igitur ipsum de nobis, est nobis illudere, et ejus irrisio, est fallax deceptio, quomodo declaraverunt LXX, non recendetes a veritate Hebraica.

VERS. 6. — *Et misericordiarum tuarum, quæ a sæculo sunt*. In Græco ὅτι, id est quia a sæculo sunt. In Hebræo etiam כי ID EST, *quia*. Et ad eumdem modum legit Augustinus in enarratione hujus psalmi. Quare videtur vitio librariorum esse positum *quæ*, pro *quia*, quanquam nihil prorsus incommodatur sententiæ. Unde translator ad Campensem sic reddidit, *memor sis misericordiæ et bonitatis tuæ quibus ab æterno uteris ;* et Paraphrasis, *revoca in memoriam, Domine, clementiam et benignitatem tuam, quibus superioribus sæculis, tam liberaliter* D *usus es erga tuos*.

VERS. 7. — *Delicta juventutis meæ, et ignorantias meas ne memineris*. In eo quod dicitur *ignorantias*, videtur repugnare significationi vocabuli Hebraici, videlicet פשע PESSA, quod deformatur a themate פשע PASSA. Idque significat ex certa malitia peccare et rebellare : quod nemo non advertit opponi ignorantiæ. Sed est quædam ignorantia quæ a theologis dicitur affectata, juxta illud psal. XXXV : *Noluit intelligere ut bene ageret*. Et hæc est periculosissima. Verumtamen Hieron. ad Cyprianum, interpretatur de communi ignoratione dicens : *Delicta juventutis meæ et ign.*, etc. Et iterum, *delicta quis intelligit ? Et ab occultis meis munda me, Domine, et ab alienis parc.*, etc. Aliena enim nobis sunt vitia, quæ sæpe voluntate, interdum ignorantia et errore committimus. Et tamen cum non sit voluntas in crimine, error in culpa est.

52 VERS. 14. — *Firmamentum est Dominus timentibus eum* : Hieronymus et cæteri Hebraicantes, dicunt *secretum Deum*, etc. סוד יהוה SOD ADONAI. Et si aliquantula sit distantia verborum, eodem tamen intelligentiæ conspirant. Nam סוד SOD est arcanum consilium quod si das infirmis, eos stabilis et corroboras. Adde quod יסד JASAD apud Hebr. extra A controversiam significat *fundat*. Et quia, ait Munsterus, non minus requirendum est consilium in omni opere, quam fundamentum in ædificio, ob id etiam significat consilium inire. Quid ergo vetat סוד SOD, notare *fundamentum* seu *firmamentum*, cum verbum a quo potest deflecti, significet *firmat* ? Quædam levicula scientes prætermittimus.

PSALMUS XXV.

PSALMI TITULUS : « PSALMUS DAVID. »

Judica me, *Domine*, Titulus : *Psalmus David*. [Aug.] Per David non accipitur hic Christus mediator Dei et hominum; sed vir perfectus, [Gl. int.] qui petit in futuro separari a malis, loco, a quibus in præsenti sejungitur merito. Et est sensus : *Psalmus* iste tribuitur *David*, [Cassiod. Alcuin.] id est perfecto viro qui hic loquitur. Intentio hæc est. Psalmus iste monet vitari consortia iniquorum, et jungi justis, quia ex convictu mores formatur. Modus. Bipartitus est psalmus. [Cassiod.] Primo vir justus se dicit non habere hic partem cum iniquis, et petit discerni ab eis in futuro. Secundo petit ne malis in judicio misceatur, ibi, *Domine dilexi*. Et nota differentiam inter primam et secundam partem. In prima enim parum de judicio, et multum de innocentia sua agit; in secunda de utroque : pene pariter tangit, et in prima, prius de judicio, post de innocentia sua agit; in secunda econverso. [Aug.] Videns ergo vir iste sanctus nunc bonos cum malis grana cum paleis, ita ut pauca vel nulla videantur, grana, sicut Elias, se solum relictum putavit (*III Reg.* XIX), orat in futuro localiter dividi, sic dicens : O,

VERS. 1. — « Judica me, Domine, quoniam ego « in innocentia mea ingressus sum; et in Domino « sperans non infirmabor. »

Domine judica me, [Aug.] id est discerne me a malis, loco, qui simul sunt in Ecclesia nobiscum modo, ne simul eamus in ignem æternum. Quod autem dicit, judica. [Cassiod.] Non est præsumptio justi, sed certitudo misericordiæ Dei, quod ibi ostendit, ubi ait, in Domino sperans. Deinde subdit : Non infirmabor, sicut et Apostolus, non ex arrogantia, sed ex spei confidentia ait : *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi justus judex* (*II Tim.* IV, 8). Deinde meritum ostendens subdit *quoniam ego*, etc., [Aug.] quasi dicat : Dico, judica, quare ? ideo, scilicet quia post misericordiam quam mihi prærogasti, habeo innocentiæ meæ meritum, cujus viam custodivi. Hoc est quoniam *sum ingressus* viam morum. [Gl. int.] Vel, inter peccatores *innocentia mea* [Alcuin.] non angelorum. Sed qualis est hominum innocentia? [Gl. int.] hoc autem dicere non est elatio, sed non ingrati confessio. [Aug.] Et licet sim innocens et justus, non tamen sic in me, sed in Deo sperabo. *Et in Domino sperans non infirmabor*, id est non titubabo inter peccatores. [Aug., Gl. int.] Aliter, scilicet nisi speraret in Domino, inter malos titubaret, qui etsi caB dunt, iste stat; qui non in eis, sed in Domino sperat. Vel, non movebor, alia littera, localiter, inter peccatores. [Aug.] sed permanebo inter eos corpore, non mente, quod quidam nolunt facere, ut boni videantur. Qui vero quasi boni nolunt inter malos esse, schismatici sunt, et pejores sunt illis et ut paleæ jam ante ipsam ventilationem a vento superbiæ rapiuntur.

VERS. 2. — « Proba me, Domine, et tenta me : « ure renes meos et cor meum. »

Proba quasi dicat : Dixi quod innocens et justus sum; sed quia delicta nullus intelligit, ne quid occultorum meorum lateat me, *proba me, Domine, et tenta me*, id est tentationibus proba me [Aug.] id est judica me probatum, non tibi, quia omnia noC sti, sed mihi et hominibus, ne quid delicti remaneat. [Cassiod.] Ideo dicit, tenta, quia nisi tentaret negligentes essemus. [Alcuin.] Et nota quod tentat Deus, tentat homo, tentat diabolus, sed aliter Deus, aliter homo, aliter diabolus. Tentat enim Deus ut erudiat, tentat homo, ut discat quod nescit, tentat diabolus ut seducat. [Cassiod.] Dei ergo tentatio probatio est, qualiter tentavit Deus Abraham. [Alcuin.] Attende quod hic perfectus vir precatur tribulationes, ne quis de eis murmuret. Unde subdit, *et ure* igne tribulationis, scilicet, *renes meos et cor meum*.[Aug.] Adhibe purgatorium medicinale tribulationis delectationibus meis, ne quid mali delectet me et cogitationibus, ne quid mali cogitem. Cor namque pro cogitationibus, renes, pro delectationibus posuit.

D VERS. 3. — « Quoniam misericordia tua ante « oculos meos est; et complacui in veritate tua. »

Quoniam misericordia, quasi dicat : Ideo dico, Ure *quoniam misericordia tua ante oculos meos est* [Aug.] id est non merita mea, sed misericordiam tuam, quæ talem me fecit. Attendo ne illo igne consumar. Vel ita, proba me, Domine, et tenta me (61), id est prius vires meas inspice, et tunc ut ferre valeo tentari permitte, et, Ure renes meos, id est meas delectationes, igne verbi tui, de quo Dominus ait, *ignem veni mittere in terram* (*Luc.* XII) : [Aug.] Hoc igne delectationes urit, bonas inflammando, malas absumendo. Et ure cor meum, id est cogitationes bonas illustrando, malas consumendo. Ure calore sancti Spiritus, a quo nemo se abscon-

(61) Ex Greg. lib. II Mor., cap. 11.

dit. Quoniam misericordiam, quasi dicat : Peto ne sinas me tentari supra vires, quod utique facies, quoniam misericordia tua ante o culos meos est, id est misericordiam tuam toto corde intueor, quæ non sinit tentari supra vires. Vel ita junge, quasi dicat : Ideo dico, ure, quoniam ipsa ustio est, misericordia tua ante oculos meos, id est nihi videtur misericordia, non asperitas, quia in ea Deum sibi misericordem cognoscit [Aug., Gl. int.] *Et complacui* mihi intus ubi vides : non timeo si displiceam, ubi homines vident. Complacui, dico, *in veritate tua,* id est delectant me bona tua, et placent. Et dici hoc a simili. Ita enim sibi intus complacet, quasi quis sepulcrum in speculo videat. Et attende quod non ait placui, sed complacui. Cui enim displicet mendacium suum, et placet veritas Dei, placet ipse sibi cum illa, et in illa.

VERS. 4. — « Non sedi cum consilio vanitatis ; « et cum iniqua gerentibus non introibo. »

Non sedi. [Alcuin.] quasi dicat : Complacui in veritate, et vere, quia *non sedi*, et odivi, quod est vitare mala : et lavabo manus meas, quod est agere recta. Et hoc est, non sedi *cum consilio vanitatis*, [Aug.] id est cor non apposui, non consensi, etsi intravi corpore. Sedere est consentire cum his qui ibi sedent. Quod si præsens es, et hoc non feceris, non ibi sedisti. Si absens feceris, sedisti ibi corde, quamvis non corpore. Ideo ait, non sedi cum consilio vel concilio vanitatis, id est cor meum non apposui illis qui provident beati fieri in transitoriis, quæ causa est omnium iniquarum, id est iniquitatum. Ac si diceret : Tractatum iniquorum vitavi, facta etiam nec incœpi. Unde subdit *et cum iniqua gerentibus non introibo*, [Cassiod] id est conscientiam operis eorum non habeo, id est nec etiam incipiam cum eis agere iniqua, etsi inter eos sim. Et quia non satis est vitasse, addit :

VERS. 5. — « Odivi ecclesiam malignantium ; « Et cum impiis non sedebo. »

Odivi ecclesiam. Quasi dicat. Non tantum vitavi consilium vanitatis, sed etiam ipsam *ecclesiam malignantium* [Aug.] id est congregationem malorum, quæ fit ut veniatur ad consilium vanitatis, odivi. Et si de nobis sunt corpore non mente, numero, non merito, nomine non numine. *Et cum impiis non sedebo*, id est placitum non habebo [Cassiod.] Distingue inter vanos, et malignantes, et impios. Vani sunt qui de caducis rebus et transitoriis laborant. Impii sunt hæretici, qui Scripturas sacras pervertunt. Illi superflua quærunt, hi venenosa, ut quasi diversis errorum telis vulnerent corda [Alcuin]. Malignantes sunt qui proximis mala agunt.

VERS. 6. — « Lavabo inter innocentes manus meas « et circumdabo altare tuum, Domine.»

Lavabo. Ostenso quomodo vitet mala, subdit quomodo faciat recta. Quasi dicat : Non consentiam impiis, sed potius *lavabo manus meas,* [Hier.] id est pœnitendo et confitendo faciam munda opera mea. [Aug.) Ego dico conversans *inter innocentes*

A mente semper, et corpore sæpe, *et o Domine,* altare tuum, [Alcuin.] id est mentem meam, vel fidem, ubi Deo vota offerentur, [Hier.] quia non est locus veri sacrificii extra Catholicam Ecclesiam, id est extra fidem catholicæ Ecclesiæ *circumdabo*, [Alcuin.] id est virtutibus ornabo, [Hier.] ideo inter innocentes conversabor.

VERS. 7. — « Ut audiam vocem laudis ; et enar- « rem universa mirabilia tua. »

[Aug.] *Ut* ego *audiam* ab eis *vocem laudis,* id est discam qua voce sis laudandus, scilicet quomodo te laudem, non me, ut scilicet, non ex ipso bono de me præsumam, sed de te, qui dedisti. [Rem.] Ille ergo intelligit qualiter est laudandus Deus, qui bonum suum Deo [Alcuin.] non sibi tribuit. Vel, ut audiam

B vocem laudis, id est vocem Spiritus sancti, qui docet laudare te, [Aug.] *et* cum didicero *enarrem*, id est exponam aliis *universa mirabilia tua*, non mea. Vel ita, ut per altare, cœlestis Jerusalem accipiatur, quod altare non amplectitur, nisi qui lavat manus inter innocentes. Nam multi hoc altare visibile tangunt indigni, et tolerat Deus pati injuriam ad tempus sacramenta sua, sed nunquid sic erit Jerusalem cœlestis ? Non, non enim quomodo nunc reciperis cum malis intra parietes istos Ecclesiæ, ita reciperis cum malis in Jerusalem cœlestem, id est in sinum Abrahæ. Ideo dicit iste, lavabo manus, id est opera, quibus lotis, circumdabo altare tuum Domine, id est amplexabor meo desiderio et spe, et in futuro etiam re [Hier. Cassiod.]. Sublimia tua,

C scilicet altare cœleste, quo sacerdos noster Christus pro nobis introivit. Circumdabo dico, ut audiam vocem laudis tuæ, quæ cantatur ab angelis, [Alcuin.] scilicet Sanctus, sanctus, sanctus, etc. Vel, ut audiam vocem laudis tuæ, id est vocem qua dices in futuro : Venite, benedicti Patris mei, etc. *(Matth.* XV). Et enarrem hic, universa mirabilia tua. Hæc non mutantur.

PARS. II. VERS. 8. — « Domine, dilexi decorem « domus tuæ : et locum habitationis gloriæ tuæ. »

Domine dilexi. [Cassiod. Alcuin.] Secunda pars, ubi petit ne malis in judicio misceatur, quia non eis sed domui Dei concordat, quasi dicat : Lavabo manus, circumdabo altare, et hoc ideo faciam, quia

D dilexi, o Domine *decorem domus tuæ*, [Hier.] id est dilexi me facere decoram domum tibi, et locum habitationis gloriæ tuæ, [Alcuin.] id est locum in quo gloriose habites, ut de gloria et essentia Deitatis aliquid capiam. Vel ita : Domus Dei ecclesia est ; decor hujus domus sunt sancti, et iidem sunt locus habitationis gloriæ tuæ. [Aug.] Et est, dilexi decorem domus tuæ, qui es in sanctis, et si adhuc. Ecclesia habet malos, id est dilexi bonos, qui sunt in Ecclesia, quorum vita et doctrina ipsa Ecclesia est decora. Et locum habitationis, decor domus est locus habitationis gloriæ, id est sancti qui sunt decor Ecclesiæ, et sunt locus habitationis gloriæ, quia non suam, sed gloriam Dei quærunt. Et hoc est. Et dilexi locum habitationis gloriæ tuæ, id est

illos in quibus habitans glorificaris, ut non sibi, sed tibi detur gloria. Et ideo non simpliciter dicit, locum habitationis, sed addit, gloriæ tuæ, scilicet ubi habitat gloria tua. Vel ita, dilexi decorem domus tuæ, [Cassiod.] id est bonos actus quibus decoratur domus tua, secundum illud : *Sic luceant opera vestra coram hominibus, ut glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est* (*Matth.* v). Et locum habitationis gloriæ tuæ, id est arcanum pectoris, ubi est sedes piarum cogitationum. Et quia ita me habui, ergo hæc retribue mihi :

53 Vers. 9 — « Ne perdas cum impiis, Deus, « animam meam ; et cum viris sanguinum vitam « meam. »

[Aug., Cassiod.] *Ne perdas*, in futuro, o Deus, *animam meam* quæ dilexit decorem domus tuæ *cum impiis* qui te oderunt, quibus hic mente, non communico, etsi corpore. Ergo etsi modo simul esse pateris bonos et malos, ne simul perdas in futuro (19). In area pro palea non videntur a longe grana ; sic et opinio est, abundante iniquitate multorum, nullum esse bonum, quæ etiam fuit in Elia, quando dixit : *Domine, relictus sum solus* (*III Reg.* xix), sed non nocebit bonis in futuro malorum commistio, quia non errat Deus in judicio, sed singulis juxta merita reddet. *Et ne perdas vitam meam cum viris sanguinum*, [Cassiod.] scilicet, qui carnaliter vivunt, et proximum oderunt. Et ita impii et viri sanguinum, illi accipiuntur, qui contra duo præcepta charitatis agunt, et sic donum Dei, quantum in se est dehonestant atque maculant. [Aug.] Nam duobus præceptis dilectionis, scilicet Dei et proximi domus Dei decoratur.

Vers. 10. — « In quorum manibus iniquitates « sunt ; dextera eorum repleta est muneribus. »

In quorum. Ostendit qui sint impii et viri sanguinum, hi *in quorum manibus iniquitates sunt*, [Aug.] id est quorum opera sunt iniqua, *et dextera eorum repleta est muneribus* id est si quid boni agunt, pro muneribus faciunt, pecuniæ, vel laudis humanæ vel timoris, quo timent divitem offendere ; vel injustæ misericordiæ, dum quis ne reprehendatur, eo quod contra pauperem fecerit opressit justitiam, et protulit contra veritatem sententiam, parcens pauperi in mala causa ; vel ita, quasi munus accepit a paupere, quod non arguitur contra pauperem fecisse. Sed beatus est qui excutit manus ab omni munere. Munera enim excæcant oculos, et vim aucto-

A ritatis inclinant (*Deut.* xvi). Unde per Isaiam Dominus ait: *væ vobis qui justificatis impium pro muneribus* (*Isa.* xxxiii). Vel, dextra, id est ratio, eorum repleta est muneribus, id est præsentibus bonis remunerata est, quasi dicat : Quod eis datum est ad obtinendam salutem æternam, convertunt ad accipienda sæculi dona, æstimantes quæstum esse pietatem (*I Tim.* vi).

Vers. 11. — « Ego autem in innocentia mea in- « gressus sum ; redime me, et miserere mei. »

Ego autem, [Cassiod.] quasi dicat : In muneribus sunt ditati. Ego autem, contra *in innocentia mea ingressus sum*, id est divitiis innocentiæ et spiritualibus thesauris ditatus sum. Et ideo ait *redime me*. Videt iste pretium sanguinis Christi, quo mundus redimi-
B tur. Et ideo ait : redime me, [Aug.] id est valeat mihi ad remunerationem, vel ad perfectionem liberationis pretium tanti sanguinis, *et miserere mei*, id est non deserat me misericordia tua in hujus vitæ periculis ; sed in omnibus me comitetur, quod debes. *Enim*, id est quia.

Vers. 12. — « Pes enim meus stetit in directo ; « in ecclesiis benedicam te, Domine. »

Pes meus, [Aug., Alcuin.] etsi undique scandalis concussus, *stetit in directo*, id est dilectio mea et affectio, quæ facile labi solet, non recessit a justitia tua. [Cassiod., Alcuin.] Sed stetit immobilis contra omnia scandala, tendens ultra, et persistens in directo. In hoc ostendit se diligere Deum. [Aug.] Deinde subjicit de dilectione proximi, subdens, *in eccle-*
C *siis*. [Cassiod.] Quasi dicat : ideo etiam redime me, quia si redimis, o *Domine benedicam te*, non me. In ecclesiis, pluraliter dicit, quia multæ sunt in mundo. [Aug.] Quasi dicat : Dilectioni tuæ adjungo dilectionem proximi, quia non occultabo eis quos vocasti benedictionem tuam, ut per me benedicaris ab illis, qui in eo exemplo atque doctrina informantur ad benedicendum. Benedicere enim Dominum in ecclesiis, est sic vivere, ut per mores cujusque benedicatur Deus. Qui enim benedicit Domino, lin guis non factis, non benedicit vere.

COLLATIO IN PSALMUM XXV : JUDICA ME, DOMINE. »

Vers. 3.—*Complacui in veritate tua*. Heb. התהלכתי HITHALLACHTHI, id est *ambulavi*. Metaphoram erudite explicuerunt interpretes. Ambulare enim cum
D Deo, quid aptius sonat, quam illi in studiosa conversatione placere ? Sicut Genesis v, *Enoch ambulavit cum Deo*.

PSALMUS XXVI.

PSALMI TITULUS : « IN FINEM PSALMUS DAVID, PRIUSQUAM LINIRETUR. »

Dominus illuminatio mea. Titulus. *In finem psalmus David priusquam liniretur*. [Hier.] Titulus iste sumptus est de historia libri Regum, ubi legitur David ter fuisse inunctus. Primo in Bethlæem a Samuele in domo patris sui Esai, non utique in regem, sed in signum futuri regni (*I Reg.* xvi). Et ab illa die directus est in eum spiritus Domini. Secundo inunctus est in Hebron in regem mortuo Saüle, et

(19) Ex Aug., in præfat. 2 enarrat. ejusdem ps.

regnavit super tribum. Juda (*II Reg.* II). Occiso autem Hisboset filio Saül, qui super alias tribus regnabat, tertio inunctus est ibidem, ut regnaret super universum Israel. (*II Reg.* V). Et ascendens in Jerusalem, in pace regnavit. Sed duæ extremæ reputantur pro una. [Alcuin.] Post primam unctionem David hostes habuit. Post secundam in pace regnavit. Huic historiæ alludit titulus. Sed quia omnia in figura contingebant illis (*I Cor.* X), sciendum quod olim duæ personæ ungebantur, [Aug.] rex scilicet et sacerdos, in quibus significabatur unus Christus rex et sacerdos : Rex, quia nos regit et ducit ; sacerdos. quia pro nobis interpellat, et sacrificium Deo obtulit, non aliud quam seipsum. Nos vero sumus corpus Christi, et in eo Christus sumus, quia omnes ungimur de ejus plenitudine unctionis, a qua dicitur Christus. Dicitur enim a chrismate Christus. Et ideo Christum accipientes omnes, in illo et Christi, et Christus simus, quia quodam modo totus Christus caput est et corpus. Et sicut David prius fuit unctus in signo, deinde bis in regem, atque illæ duæ unctiones pro una reputantur, ita et nos prius inungimur, hic in signo futuri regni, dum Spiritus sancti gratiam in baptismo et in aliis sacramentis percipimus (*Rom.* VI) ; secundo autem in futuro inungemur in reges, quando libertatem gloriæ filiorum Dei, et redemptionem corporis nostri recipiemus. Et sicut David post primam unctionem hostes habuit, post secundam in pace regnavit ; [Alcuin.] ita et nos post sacramentalem unctionem sub hostibus laboramus et gemimus adoptionem filiorum exspectantes (*Rom.* VIII). Post secundam quiescemus. Et sicut David bis in regem unctus est, ita et unctio glorificationis nostræ qua in reges ungemur, gemina est stola, scilicet animæ et corporis. Sed hæ duæ quasi pro una reputantur. [Aug.] Nobis ergo modo est unctio in sacramento, quo præfiguratur quid futuri sumus. Et ideo dicitur, *priusquam liniretur*. Et est sensus tituli : [Gl. int.] *psalmus* iste, dirigens nos *in finem* futuræ consummationis, attribuitur *David*, id est cuilibet fideli. Psalmus dico, agens de hoc quod est, *priusquam liniretur*, secunda, id est de eo quod est ante perfectam unctionem antequam hostes habuit. [Aug.] Unde in sacramento, id est in sacramentali unctione iste fidelis gemens et laborans, ut in re gaudeat ; hic loquitur quiddam ineffabile se desiderare, ostendens pro quo omnia tolerat. Intentio. Monet ne quis post primam unctionem torpeat, sed ad secundam se diligenter paret. Modus. Bipartitus est psalmus, [Alcuin.] Prius agit de prima unctione, per quam certificatur secunda. [Cassiod.] Secundo dicit quis labor et gemitus sit ante secundam, ut possit haberi, ibi *Exaudi, Domine*. [Aug.] Fidelis ergo prima inunctione inunctus, tanquam tyro Christi ait :

VERS. 1. — « Dominus illuminatio mea et salus « mea : quem timebo ? »

A [Gl int.] *Dominus* habitans in me, est *illuminatio mea*, [Aug.] vel lux mea, contra tenebras ignorantiæ meæ. [Hier.] Non ego mihi sum lux, sed ipse qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan.* I). *Et* ipse est *salus mea* contra infirmitatem, [Aug.] ut jam possim resistere peccato. [Gl. int.] Et est ac si diceret, Dominus et notitiam suam dedit et salutem, *quem* ergo *timebo ?* nullum, quia nullus potest contra eum. Et

VERS. 2. — « Dominus protector vitæ meæ ; a « quo trepidabo ? »

Dominus est *protector vitæ meæ*, [Alcuin.] id est dat mihi vitam virtutum, [Aug.] quam et protegit, dum omnes impetus et insidias repellit, [Cassiod.] sine cujus protectione omnia dona ejus perduntur. B Non ergo satis est dare, nisi etiam et protegat. Ideo non ait dator, sed, protector vitæ meæ. Vel quia Dominus protegit, ergo *a quo* homine, vel a quo, id est a qua re, *trepidabo*, id est quem vel quid trepidabo ? [Aug.] quasi dicat : nec aliquem nec aliquid. Ad potentissimum enim omnium omnipotentem pertineo, qui illuminat, salvat et protegit. Ideo nullum timeo, præter ipsum, ambulans in lumine gratiæ firmus. Vel de futuro possunt hi duo versus accipi, et in primo quidem versu notat sabbatismum animæ ; in secundo sabbatismum corporis, in cujus rei figura, ut prædictum est, præcesserunt duæ extremæ unctiones David (20). Hoc idem quoque significavit in tabernaculo Domini unius cubiti tabula secta per medium, in occidentalis lateris angulis posita, quæ duos parietes tabernaculi hinc inde excipiebat, atque C cum fronte occidentali jungebat, quia fideles de utroque populo sperant se habituros geminam glorificationem post occasum corporis : propterea perseverant constanter in bono usque in finem. Et hoc est, Dominus erit illuminatio mea, vel lux mea, post hanc vitam, et salus mea, secundum animam quam glorificabit et illuminabit, ut videat Deum facie ad faciem. Quem ergo tunc timebo ? Quasi dicat nullum. Quis enim est quem timeat anima in qua habitat Deus ! Deinde subdit de sabbatismo corporis. Et Dominus est protector vitæ meæ, [Aug.] id est proteget me vita immortalitatis. A quo ergo trepidabo ? quem trepidet caro cum induerit incorruptionem ? Nullum.

VERS. 3, — « Dum appropiant super me nocen- D « tes, ut edant carnes meas. »

Dum appropiant. Hic ostendit quare non timeat, et jungitur hæc littera cum præcedenti, secundum primam sententiam, sic quasi dicat : nec aliquem nec aliquid timebo, quia qui persequuntur me, scilicet *nocentes* et inimici mei cadunt, nec tollunt nisi carnes ; illis finitis, ero spiritus, id est spiritualis. Et hoc est quod ait, dum appropiant, etc. Secundum aliam sententiam de futuro sic junge, Dominus proteget me in futuro, [Aug.] et vere, quia jam hoc facit, quod, nocentes cadunt. Et hoc est quod ait,

(20) Ex Beda in Exod. XVI. Quodve fuerit aliqua tabula per medium habetur ex Joseph., lib. III Antiquit., cap. 7.

dum appropiant, etc. Ordo verborum talis ; nocentes, voto suo scilicet, et si non effectu, infirmati sunt, et ceciderunt ; et hoc, dum appropiant. [Gl. int.] Bene hoc dicit, quia jam in se ipso eos sentit. Appropiant dico, *super me*, [Aug.] scilicet ut se mihi præferant insultantes : quod vertit Deus in melius, *ut* scilicet maledico dente, non me sicut volebant, sed carnalia desideria consumant. Unde subdit, *ut edant carnes meas*. Et est hic ut effectivum vel consecutivum, non affectivum, quia non ipsi hoc affectu appropiant, sed de illis consilio Dei efficitur, ut non animam lædant, sed carnes edant, id est carnales concupiscentias perimant.

Vers. 4. — « Qui tribulant me inimici mei, ipsi « infirmati sunt et ceciderunt. »

Qui tribulant me. [Gl. int.] Quasi dicat non solum qui videntur amici blandis volentes decipere cadunt, sed etiam manifesti *inimici mei*, qui ex odio aperto tribulant me *ipsi infirmati sunt, et ceciderunt*, [Aug.] in eo quod male defendebant, ut **54** jam credant meliora. [Hier., Alcuin.] Dum enim Christus carnem accipit, inimici nutantes facti sunt in his quæ prius defendebant. Et post, ceciderunt, id est colla sua fidei subdiderunt. Et accipitur in bono. Vel in malo potest accipi : ipsi infirmati sunt, id est debilitati, paulatim, et ceciderunt, [Alcuin.] id est ad ruinam animæ pervenerunt. Vel ita, ut eosdem per nocentes et inimicos accipiamus, hoc modo ; nocentes, scilicet inimici mei qui tribulant me, etc. Hoc non mutatur, ea intentione, id est fine et desiderio, ut edant carnes meas, [Cassiod.] id est ut delectentur in morte mea carnali. Crudelitas inimicorum hic notatur, qui carnes lacerant, animas lædere non valentes. Ideo non sunt timendi, secundunt illud : *nolite timere eos qui corpus occidunt* (*Matth.* x). [Hier.] Quid ergo nobis faciunt mali ? possunt auferre spem ? possunt tollere quod dat omnipotens ? [Aug.] Si auferri potest datum, vincitur dator. Sed sicut non vincitur qui dat, sic non aufertur quod donat. Non ergo timeamus nisi Dominum. Quidquid alius fremat, quidquid alius superbiat contra nos, non timeamus. Et, dum mali appropiant, ipsi infirmati sunt, et ceciderunt. Ergo accepta tanta fiducia.

Vers. 5. — « Si consistant adversum me castra ; non timebit cor meum. »

Si deinceps *consistant adversum me castra*, [Aug., Cassiod., Gl. int.] id est contradicentium conspiratio, hostium molimina, *cor meum*, [Aug.] id est ratio restituta, *non timebit* ut ad eos transfugiam. Et etiam

Vers. 6. — « Si exsurgat adversum me prælium « in hoc ego sperabo. »

Si prælium, [Aug., Cassiod.] id est persecutio sæculi, scilicet conflictus persequentium, *exsurgat*, [Gl. int.] scilicet subito, vel in immensum crescat *adversum me*, [Cassiod.] ego cui Deus protector est *in hoc* prælio *sperabo* in Domino, [Alcuin.] scilicet,

A spem victoriæ habebo in Domino, et spem remunerationis æternæ. Et merito quia

Vers. 7. — « Unam petii a Domino, hanc re« quiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus « diebus vitæ meæ. »

Unam petii, etc. [Aug.] Vel in hoc, id est in hac una petitione, quam cogito, Ego sperabo, id est figam spem meam, *unam* enim petii. Cum autem deberet dicere neutraliter, unum petii, dixit, unam petii, utens adjectivo feminino pro substantivo, secutus usum vulgaris locutionis qua solemus dicere, duas habes, non duo, et unam tibi dabo, non unum. [Hier.] Hoc modo, inquit, unam, scilicet rem, id est ipsum Deum, *petii* a Domino. [Cassiod.] Mali quidem multiplicia quærunt, ego tamen unam.

B Et *hanc requiram* ideo, *ut omnibus diebus vitæ meæ habitem in domo Domini*, [Aug.] scilicet in præsenti Ecclesia, id est ut quandiu vivo nulla adversitas me excludat ab unitate fidelium, qui unitatem et veritatem Dominicæ fidei, per orbem terrarum tenent, sed in ea semper permaneam. Et

Vers. 8. — Ut videam voluntatem Domini : et « visitem templum ejus. »

[Cassiod.] *Ut videam voluntatem Domini* quam videt qui precepta intelligit. Et est, ut videam voluntatem Domini, id est præcepta ejus spiritualiter intelligam, *et visitem* mente, et si non oculis corporis, *templum ejus* [Alcuin.] id est corpus Christi quod est templum divinitatis. Vel visitem templum ejus, [Hier.] id est, me faciam templum ejus, qui

C non requiescit nisi super humilem et quietum (*Isa.* lxvi). Quod potero, quoniam abscondit me in tabernaculo, etc.

Vel ita : *unam petii* duasi dicat : Unam petitionem *a Domino* petii, et *hanc requiram omnibus diebus vitæ meæ*. Et quæ sit illa petitio, ex ponit, [Aug.] scilicet *Ut inhabitem in domo Domini* non manu facta, scilicet in cœlesti Jerusalem, ubi nihil mali est. Ad hoc volo ibi esse, *ut* ibi *videam voluntatem Domini*, sicut est. [Alcuin.] Ibi enim voluntas Domini in homine plenius fit quam hic. Unde dicitur : *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo et in terra* (*Matth.* vi,) id est, sicut in angelis fit et in sanctis qui nunc tecum sunt, ita fiat et in aliis hominibus, ut in nullo a tua voluntate, sicut modo fit, dissentiant. *Et visitem*,

D id est cum desiderio et frequentia videam, *templum ejus*, id est Jerusalem cœlestem, scilicet conventum cœlestis curiæ, vel humanam Christi naturam, in qua velut in templo habitat Divinitas. Quod hac fiducia peto, *quoniam abscondit me*, etc. Vel ita, unam petii. Et accipit unam et domum pro eodem, scilicet pro cœlesti Jerusalem. Ait ergo, unam petii a Domino, et hanc requiram. [Aug.] Hæc una est domus æterna, in qua semper maneatur, [Alcuin,] ubi sunt æterni dies, de quibus dicitur, *Et anni tui non deficient*. Unde subdit, ut inhabitem in domo Domini non manu facta. Omnibus diebus vitæ meæ, in est æternaliter. Cur ubi ? *Ut* contempler delectationem Domini. [Aug[Alia littera, id est eo fine.

ut demum appareat mihi spes desiderabilis, quam facie ad faciem videam, quod est verum bonum. Et ut protegar a templo sancto ejus, id est induar immortalitate effectus templum ejus. Alia littera habet ; *Et protegat templum ejus*, vel *proteget templum ejus*, quæ non variat præcedentem sensum, sed confirmat hoc modo : ideo habitare volo semper in domo, ut contempler delectationem Domini, id est fruar contemplatione ipsius summi boni, incommutabilis, æterni, a quo omnia bona sunt ut securius fruar deliciis. Et ut nulla me molestia contingat, nullaque suggestio avertat, proteget ipse me templum ejus. Non solum ergo contemplari volo ipsum, sed etiam ut me templum suum protegat, dando impassibilitatem. Alterum horum pertinet ad glorificationem mentis, alterum ad claritatem corporis. Ibi perfectio gaudii est, hic incorruptio sanitatis : Quæ duo etiam in primis versibus psalmi distinximus. Ideo autem hæc mihi in finem præstat.

VERS. 9. — « Quoniam abscondit me in tabernaculo « suo in die malorum ; protexit me in abscondito « tabernaculi sui. »

Quoniam abscondit. [Aug.] Et ideo non temere peto unam etsi peccator sim *abscondit me* dico in tabernaculo suo, id est dispensatione incarnati Verbi, [Cassiod.) ibi abscondit me ne viderer a quærentibus me inimicis, ut figuraliter David cum fugeret Saülem, abscondit se in latibulis ne videretur (*I Reg.* XXIV). [Aug. Hier.] Tabernaculum autem deitatis es caro Christi, in qua debellavit aereas potestates, in qua per fidem et spem me occultavit ne mihi noceant mala sæculi. Unde apostolus ait : *Nunc vita vestra abscondita est cum Christo in Deo* (*Col.* III), [Aug.] *quia nunc per fidem et spem* occulturum jam sumus cum Christo in conspectu Dei. Abscondit dico *in die malorum* hominum, id est in die præsenti, quo mali florent. Vel, in die malorum, [Gl. int.] id est tempore tentationum, quibus mortalis vita mea subjacet [Aug.] ibi sunt dies vitæ meæ. [Gl. int.] *et protexit* me ne læderer, *in abscondito tabernaculi sui* [Cassiod.] id est in secreto divinitatis, ubi semper est animus justi. Et

VERS. 10. — « In petra exaltavit me : et nunc « exaltavit caput meum super inimicos meos. »

In petra exaltavit me. [Aug.] A simili imperatorum superiora loca suis militibus providentium, hoc dicit : ita et Dominus, in petra, id est infirmitate virtutum. Vel in Christo *exaltavit me* secundum promotionem qua de virtute in virtutem progredi, et quasi extra homines me fecit. *Et nunc* dicit propheta respiciens ad tempus suum, in est ante tempus incarnationis, *exaltavit caput meum* [Cassiod.] id est, mentem *super inimicos meos,* id est super vitiosos appetitus. Vel, nunc, scilicet dum dies malorum est. Et ideo magis mirum, exaltavit caput meum super inimicos meos, id est ita illustravit mentem meam, ut prævideam damnationem malorum futuram. Deinde pro his beneficiis gaudium suum subdit, unde

A item certus est, id est per hoc gaudium ostendit se certum de secunda unctione sicut per prædicta. Non enim gauderet nisi certus esset. Subdit verum gaudium dicens :

VERS. 11. — « Circuivi et immolavi in tabernaculo « ejus, hostiam vociferationis ; cantabo et psalmum « dicam Domino. »

Circuivi, quasi dicat : Prædicta fecit mihi Dominus, et post hæc omnia circuivi, id est omnia beneficia memoriæ dando pertractavi *et* non ingratus *immolavi in tabernaculo ejus*, [Aug.] id est ecclesia toto orbe diffusa *hostiam vociferationis* vel jubilationis, id est laudis ineffabilis, ut deficiente sermone sola jubilatio restet, et de reliquo *cantabo* Domino, scilicet B fecunditate contemplationis, *et psalmum dicam*, id est opus manifestabo. [Aug., Cassiod.] Et est sensus : corde lætabor Domino, et opere et verbis gloriam Dei prædicabo, et factis.

Aliter ab illo loco, *Protexit me in abscondito tabernaculi sui*. [Aug.] Ita dicit, in abscondito, quasi dicat Multæ sunt partes ejus, scilicet forinsecæ et penetrale, quod utique ita est. Nos enim sumus quasi forinseci, qui per adoptionem sumus filii. Ipse sacerdos Christus, est absconditum tabernaculum, in quo vita nostra abscondita est. Corpus ergo etiam et caput, id est tota Ecclesia, unum tabernaculum est, cujus penetrale Christus est, quem mox vocat petram, cum ait : *In petra*. Et est sensus : protexit me in abscondito tabernaculi sui, id est in Christo, C in petra, id est in eodem Christo, exaltavit me et nunc, [Gl. int.] id est in præsenti antequam veniam ad domum, exaltavit caput meum, id est Christum, super inimicos meos. Etsi enim adhuc patior, Christus supra est, qui est pignus nostræ exaltationis. Vel, protexit me in absc. tabern. sui, id est in corde credenti ad justitiam. Et ut palam fieret ad salutem, quod credidi, in petra exaltavit me, id est in sua firmitate fecit eminere confessionem meam. Et nunc, in hac vita, ubi corpus mortuum est propter peccatum, exaltavit caput meum, id est mentem, super inimicos meos, id est vitia, quia mens mea servit legi Dei, non est captiva sub lege peccati. Et ego non ingratus, quasi materiam laudandi Deum quærens, circuivi, id est circumspexi animo omnia creata, et universa dicunt, Deus me D fecit ; me cuncta delectant, in quibus artifex commendatur : undique resonant omnia conditorem. Et ipsæ species creaturarum quasi quædam voces sunt creatorem laudantium. Et in his tanta laus Dei invenitur, quæ verbis non potest dici. Unde subdit, *et immolavi in tabernaculo ejus*, id est Ecclesia catholica, hostiam jubilationis, id est ineffabilis laudis. Jubilus enim gaudium vel laus est, quod verbis explicari non valet, sequentia non mutantur. Vel, circuivi, id est consideravi fidem orbis terrarum in qua caput est exaltatum, super inimicos meos, quod est honor Ecclesiæ in eo exaltatæ. Et, in ipso tabernaculo ejus, id est in Ecclesia toto orbe diffusa, immolavi hostiam vociferationis vel

jubilationis, id est inneffabiliter laudavi Dominum· Vel, circuivi id est consideravi orbem credentem, idem sensus cum præcedenti, sed mutatur quod sequitur. [Aug.] Accipitur enim per tabernaculum Christi incarnatio et passio, in qua diabolum expugnavit. Et hoc est, *in tabernaculo ejus*, id est meo, quod Dominus pro nobis humiliatus est, dum illud attendo. *Immolavit hostiam vociferationis*, id est gaudens laudavi eum, tali enim hostia delectatur. Vel, *circuivi*, a simili boni militis hoc dicit, qui sollicite castra custodit, nec ubi sit aditus hosti. Sic, iste ait, circuivi, quasi dicat : Quia se mihi præbuit ducem, ego me illi præbeo militem, ut pro eo certem contra hostes, caute servando mœnia mentis meæ. Et in tabernaculo ejus, id est in Ecclesia, immolavi, etc. Non mutantur. Vel, circuivi, id est mentem meam exquisivi, ut omnes voluntates ejus implerem. Reliqua non mutantur. Vel, circuivi. [Hier.] id est exempla præcedentium sanctorum circumspexi, quibus informarem vitam meam. Et ibi ineffabilem laudem inveni. Unde subdit, et immolavi in tabernaculo ejus, etc. Non mutantur.

PARS II. VERS. 12. — « Exaudi, Domine, vocem « meam qua clamavi ad te : miserere mei et exaudi « me. »

Exaudi. [Cassiod., Alcuin.] Secunda pars, ubi ostenditur quis labor, quis gemitus, et oratio fit ante secundam unctionem, ut possit haberi : quam et sibi spiritu prophetiæ promittit ibi, *credo videre*, [Aug.] quasi dicat : In futuro habebo unam, cum dilectionem Dei contemplabor, cum in corruptione protegar, ante autem **55** quam gaudeatur in illa una, est gemitus miserorum, et oratio indigentium. Et ideo ego inter alios gemens et orans, clamo, o *Domine, exaudi*. [Alcuin.] Vel ita jungitur littera per omnia prædicta : certus petii unam, et adhuc petam. [Aug., Gl. int.] Et tu, o Domine, exaudi *vocem* meam interiorem *qua clamavi ad te* forti intentione pro illa una ; *et miserere mei*, ut cum merito meo misericordia tua sit, qua in illa una sim, *et exaudi me*. [Cassiod.] De illa una preces inculcat, cum ait, exaudi, miserere mei, quia quanto plus accepit, tanto ardentius appetit : desiderio enim non est finis et satietas.

VERS. 13. — « Tibi dixit cor meum : exquisivit « te facies mea ; faciem tuam, Domine, requiram. »

Tibi dixit. [Cassiod., Alcuin.] Quasi dicat : Ideo exaudi, quia *cor meum dixit tibi*, id est desiderium cordis quod Deo loquitur. Vel ratio a te docta tibi confabulatur de illa una, non aliud quam doces, pertractat. [Aug.] Vel desiderat, nec me ostentavi hominibus, sed in corde ubi tu solus audis, dixi, quid? hoc, scilicet, *exquisivit te*, non aliquid extra te, *facies mea*, id est præsentia mea tuam exquisivit. [Alcuin.] Vel pulchritudo mea qua sum notabilis exquisivit tuam, quæ est una, de qua supra, ut contempler delectationem Domini, *faciem tuam*, [Aug., Cassiod.] quasi dicat : Exquisivi, et o *Domine, faciem tuam requiram*, id est huic inquisitioni perseveranter instabo. Ut autem inveniam quod quæro, tu Domine.

VERS. 14. — « Ne avertas faciem tuam a me- » ne declines in ira a servo tuo. »

Ne avertas in futuro *faciem tuam a me*, quia non est in manu mea obtinere quod peto, et *ne declines* in futuro *in ira a servo tuo*, [Aug.] ne te quærens in malum incurram. Tu es enim una quam peto, nil aliud volo habere nec timeo perdere nisi unam. Vehementer iste vir sanctus fixit desiderium et petitionem suam in hac una ; aliud non petit, una sufficit ei. Alius petit hæc bona temporalia a Deo et de datis gaudet ; hic non nisi una. Alius habens hæc bona timet iratum, ne tollat ea ; iste non putat iram nisi si avertit vultum suum Deus ab eo. Etiam si quid in eo vindicet, nil divinius poterat dicere. Vel de præsenti potest hoc accipi *ne declines*, quasi dicat : Oro ne avertas faciem in futuro : propter quod interim, ne declines in ira a servo tuo. Non simpliciter dixit, ne declines, sed addit, in ira, a quibusdam enim declinat in ira, a quibusdam non in ira. Non in ira declinat, quando a peccatis faciem avertit, ut ea deleat, non ab ipso peccante, ut eum perdat : in ira declinat, quando peccanti non indulget. [Alcuin.] Vel non in ira declinat, cum labi aliquem sinit, ut cautior et fortior surgat. Secundum quod, sic expone : Ne declines a me, servo tuo, id est ne me labi sinas, in ira, ita quod æternaliter punias, sed ut nostra infirmitas cautior fiat. Ne declines, dico, sed.

VERS. 15. — « Adjutor meus esto, ne derelin- « quas me : neque despicias me, Deus salutaris « meus. »

Adjutor meus esto, [Aug.] quia ego quamvis liber et in via positus mihi non sufficio. Quando enim inveniam te, nisi adjuves me? sine te deficiam. Et ideo precor et hoc, [Gl. int.] id est in hac via *ne derelinquas me*, [Aug.] quasi dicat : Incœptum ne intermittas. Jam in via me posuisti, sed aberrabo si me relinquis. Voluntatem liberam mihi dedisti, sed sine te nihil est conatus meus ; *neque despicias me*, id est non contemnas quod ego mortalis te æternum audeo quærere, quia tu es *Deus* qui me creasti ; et *salutaris meus*, qui sanas plagam peccati, quasi dicat : Frustra creasti, et recreasti si mortales despicis, quod non debes, quia non mea propria, sed parentalis culpa est, qua in hanc mortalitatem decidi. Et hoc est quod ait :

VERS. 16. — « Quoniam pater meus et mater « mea derelinquerunt me : Dominus autem assum- « psit me. »

Quoniam pater meus, [Alcuin.] scilicet Adam, *et mater mea*, scilicet Eva, *dereliquerunt me*, id est huic miseriæ me exposuerunt peccando : *Dominus autem* accepta carne *assumpsit me* ad immortalitatem. [Hier.] Hoc ad litteram potest convenire David, qui cum esset fratrum minimus, et a parentibus contemptus, a Domino per Samuelem est electus (*I Reg.* XVI). Mystice quoque potest accipi hoc, pa-

ter malus fuit regnum sæculi, vel diabolus. Mater, civitas sæculi, scilicet Babylonia, id est societas impiorum, quasi dicat : Ideo non despicias, quoniam pater meus, scilicet regnum sæculi, vel diabolus, et mater mea, scilicet civitas sæculi, unde natus sum, dereliquerunt me quærentem te, et contemnentem, se cum id quod quæro dare non possent. Dominus autem assumpsit me, qui potest dare mihi quod quæro, et modo necessaria. Ecce magna humilitas, qua fecit iste se parvulum Deo ; ipsum fecit sibi Patrem et matrem. Pater est, quia condidit, quia vocat, quia jubet, quia regit. Mater est, quia fovet, quia nutrit, quia lactat, quia continet. Ideo dicit, Dominus assumpsit me, scilicet ad regendum, ad nutriendum, tanquam pater et mater.

VERS. 17. — « Legem pone mihi, Domine, in « via tua ; et dirige me in semita recta propter ini- « micos meos. »

Legem. [Aug.] Quasi dicat : Quoniam ad te tendo, igitur *mihi* tendenti ad te et jam in via posito, o *Domine pone legem*, id est da correctionem quæ non sinat aberrare. Ideo, pone legem, ne aberrantem disciplina tua deserat. Hoc susceptus potest dicere, pone mihi, dico, posito *in via tua*, id est in Christo, in quo est lex cum misericordia, quæ est via, veritas et vita (*Joan.* XIV). Ipse est sapientia, de qua scriptum est : *Legem et misericordiam in lingua portat* (*Prov.* XXXI, juxta LXX). Si enim offenderis in lege, ipse qui pro te sanguinem effudit, confitenti tibi ignoscit. Deinde de misericordia subdit, dicens *et dirige me* ulterius *in semita recta*, id est in rectitudine angustiarum, quoniam non sufficit inchoare, cum inimici donec perveniatur, non quiescant. Unde subdit, *propter inimicos meos*, qui insidiari non cessant. Nota quod duo dicit, scilicet legem pone, et dirige. Illud ad præceptum pertinet, quia in præcepto est correctio ; hoc ad misericordiam pertinet, per quam fit directio in melius. Et

VERS. 18. — « Ne tradideris me in animas « tribulantium me ; quoniam insurrexerunt in me « testes iniqui : et mentita est iniquitas sibi. »

Ne tradideris me in animas tribulantium, [Aug.] id est ne sinas eos satiari de malis meis ut consentiam eis, et si carnem meam das in manus eorum. Unde in Job dicitur : *Terra data est* in manus impii (*Job.* IX), id est caro tradita est in manus peccatoris. Trade ergo, si placet, carnem meam in manus tribulantium ; sed non animam meam in animas eorum tradas. Devoret caro carnem, terra terram, anima tibi illæsa servetur. Et quasi quis quæreret, Quare hoc dicis ? respondet : Ecce quare, *quoniam insurrexerunt in me testes iniqui*, id est mihi de me falsa dicentes, ut moveant et revocent me a te, quasi ab hominibus gloriam quæram. Sed hoc modo traderer in animas eorum, si essem falsus cum eis, et si humanam captarem gloriam ; *et mentita est iniquitas sibi*, non mihi, id est suo mendacio delectata est. Sed me non movit, unde major merces est mihi in cœlo. Vel, mentita est iniquitas sibi, [Hier.] id est ad damnum suum : Omne enim peccatum in suum redit auctorem. [Cassiod.] Hoc quoque secundum historiam potest dici ex persona David, sic : Ne tradas me in animas tribulantium me, scilicet Saül, et adjutorium ejus. Quoniam insurrexerunt in me testes iniqui, ut Doeg Idumæus, et alii accusatores David (*I Reg.* XXI). Et mentita est iniquitas sibi, ut dum dixerunt, sacerdotem Abimelech consilia dedisse David contra Saülem, et Dominum consuluisse pro eo (*ibid.*). Mentita est, dico, sibi, id est ad damnum suum, quia falsi fuerunt.

VERS. 19. — « Credo videre bona Domini in « terra viventium. »

Credo videre. [Aug.] Hic redit ad illam unam ad quam suspirat, quasi dicat : Tot pericula, tot labores me undique pulsant, et ego inter hæc pericula et difficultates, Deo dirigente, credo videre *bona Domini*, qui et hæc mala prior passus est, et post glorificatus est secundum illud : *De torrente in via bibet*, etc. (*Psal.* CIX.) [Alcuin.] Et ego post linguas mordentium et detrahentium, credo videre bona Domini, quæ sunt vera et æterna. [Aug.] Illi suadent beatitudinem in terra ista, quæ est morientium ; sed illa bona quæ exspecto sunt *in terra viventium*, ubi nullus locus falsitatis est.

VERS. 20. — « Exspecta Dominum, viriliter age ; « confortetur cor tuum, et sustine Dominum. »

Expecta Dominum, [Alcuin.] quasi dicat : Sicut ego certus sum de illa una : ita ut quicunque linitus es, exspecta Dominum, [Aug.] secure qui non fallit, omnipotens promisit, certus promisit, verax promisit, qui mentiri non potest. Vel ita junge litteram, quasi dicat : Credo videre bona Domini. Sed etsi tardum est hoc amanti, exspecta Dominum, [Aug., Cassiod.] non fallacem, et ut consequaris, non remisse agas, sed *viriliter* vel fortiter age, id est tolera ustionem rerum viriliter, et ustionem cordis fortiter ; unde subdit : *et confortetur cor tuum*, [Gl. int.] scilicet ne lasseris, *et* si mala eveniant, *sustine Dominum* perseveranter, non triduo, sed usque in finem. [Cassiod.] Distingue inter, exspecta Dominum, et, sustine Dominum. Exspecta Dominum, id est illud quod credis et speras de Domino ; sustine Dominum, id est illud quod pateris pro Domino et a Domino. Et pro eodom accipit, sustine Dominum, et exspecta Dominum, ut sit repetitio ad confirmationem : quasi dicat : Viriliter age et confortare, et sic sustine Dominum. [Aug.] Non negatum putes, quod nondum accipis : si differtur, non aufertur. Ideoque non desperatione deficias, quia dictum est, sustine Dominum. Sustinendo quippe habebis eum quem sustinebis. Aliud exspecta, aliud desidera, si melius, si majus, si suavius inveneris. Sed quia Dominus solus bonus est et suavis universis (*Psal.* CXLIV), ipsum sustine et desidera, ne sis inter eos quibus dicitur : *Væ his qui perdiderunt sustinentiam* (*Eccli.* II).

COLLATIO IN PSALMUM XXVI : « DOMINUS ILLUMINATIO MEA. »

VERS. 8. — *Ut videam voluntatem Domini*. Apparet vitio scriptoris positum esse voluntatem, pro voluptate, maxime cum particulæ sint valde affines. Accedit plurimum quod Græce legitur τερπνότητα, id est *voluptatem*, magistro omnium consensu, id quod prorsus corroborat lectio et interpretatio Aug., *ut contempler delectationem Domini*. Et Hieron. juxta Heb. vertit *pulchritudinem* seu *jucunditatem*. Verumtamen quum radix Hebraica נותי NAAM significet *pulchrum fuit, et placuit*, potest utrumque recte dici, *Ut videam voluntatem et voluptatem*. Nam et commentarius Hieron. in hunc locum interpretatur, *ut videam dilectionem*, juxta quod scribitur I Joan. III, *Videbimus eum sicuti est*. Nisi dixeris simile mendum esse in Hier. *dilectionem* pro *delectationem*. Denique ad sensum nil refert.

VERS. 11. — *Circuivi et immolavi*. Principium hujus versiculi, in Hebr, translationibus, respicit finem præcedentis sententiæ, *nunc exaltavit caput meum super inimicos meos, qui in circuitu meo sunt*. Probabile est autem interpretes legisse סבוהי SABBOTI, id est *circuivi*, ubi alii legunt סביבותי SEBIROTAI, id est *circuitus*, et subaudierunt præpositionem, in, ut *in circuitibus meis*, ad verbum.

VERS. 13. — *Tibi dixit cor meum, exquisivit*, etc. Juxta Heb. Hierony. legit, *quæsivit vultus meus*, sine pronomine te. Et licet non reprobet alteram lectionem, tamen ad Suniam et Fretellam, magis A recipit istam. Unum autem certum est Hieron. fuisse usum exemplari diverso ab his hebraicis quæ exstant, propterea quod habent בקשו BAQQUESSU, id est *inquirite*. Et ita transferunt Neoterici, *inquirite faciem meam*, si codex Hier. habuerit בקש BIQQUESCH, tum est *quæsivit* ut legunt LXX, addentes pronomen te, ἐξεζητήσεως, intelligentiæ causa. Sic est illud psal. XVIII : *Ab occultis meis munda me*. Pronomen *meis*, non est in Hebr. quod tamen debere subaudiri palam est quod et indicat Munsterus, in sua versione. In Græcis codicibus reperimus additum κύριον ζητήσω, id est *Dominum requiram*. Cæterum Aug. cum psalmodia Romana legit, *quæsivi vultum tuum, vultum tuum, Domine, requiram*. Certe varietas sermonum, spiritus unitate concordat.

56 VERS. 8. — *Mentita est iniquitas sibi*. In Hebr. ponitur in loco pronominis, sibi, particula B pertinens ad sequentem versum, videlicet, לולא LULE, id est *nisi*. Et quia sensus erat obscurus, addidit Munsterus de suo, *defecissem*, inquit, *si non credidissem me visurum bona Domini*. Hanc voculam non apparet Hier. legisse, qui postquam terminat usum præcedentem in aperto mendacio, statim secutus ait : « Ego autem credo, etc. LXX vero non est alienum a ratione legisse simpliciter לו LO, id est *sibi*, vel bis לו לו LO LO ad majorem expressionem, et non לולא LULE, ut nunc habent codices. Probavimus autem supra etiam ex Munstero, quod לא per aleph, quandoque ponitur pro LO לו sine aleph. »

PSALMUS XXVII.

PSALMI TITULUS : « PSALMUS HUIC DAVID. »

Ad te, Domine, clamabo. Titulus. *Psalmus huic David*. [Alcuin.] Per David aliquando intelligitur caput, id est Christus, aliquando corpus, id est Ecclesia : interdum utrumque simul, id est totus Christus. [Cassiod.] Ubi autem in titulo additur, huic, vel ipsi, Christus intelligitur, sicut hic. Et est sensus : *Psalmus* iste, attribuitur *huic David*, id est Christo, qui loquitur in hoc psalmo. Et est psalmus iste tertius eorum qui breviter agunt de passione Christi et resurrectione, [Alcuin.] ubi proponitur Christus, etsi adeo dignus, non in se confidere, sed totum a Deo petere, quod est utile exemplum justis. Intentio. [Cassiod.] Monet eos adversa tolerare, qui volunt cum Christo regnare. Modus. Bipartitus est. Primo, ponitur oratio tempore passionis habita. Secundo, auditus de resurrectione sua, gratias agit, ibi, *benedictus*, etc. [Alcuin.] Christus utique secundum quod homo proponens se exemplum justis, humiliter ad Patrem ait, O

VERS. 1. — « Ad te, Domine, clamabo : Deus « meus, ne sileas a me, nequando taceas a me, et « assimilabor descendentibus in lacum. »

Domine Deus meus, [Gl. int.] ego homo *clamabo* vel clamavi, *ad te*. [Aug.] Et tu, o *Deus, ne sileas a me*, id est ne unitatem Verbi tui separes ab eo quod homo sum ; *nequando taceas a me*. [Alcuin.] Hoc non est in Hebr., sed est additum a LXX, quod Hier. obelo ante posito quasi jugulandum notavit. Mirum est quod dicat non haberi in Hebr. et esse C jugulatum a Hier., quia et legitur, et Hier. vertit juxta Hebræum. Verum est tamen quod Romanum psalterium non legit. Hebræus sic habet, עד השחת ideoque prosequi debes, quasi interpositum non sit, *et assimilabor*, quasi dicat : Dico ne sileas. [Hier.] Et id est quia si silueris, assimilabor *descendentibus in lacum*, [Aug.] id est in miseriam hujus vitæ. Ex eo enim quod verbum mihi semper unitur, non sum talis homo quales cæteri, qui nascuntur in profunda miseria sæculi. Ubi, quasi sileas, non agnoscitur verbum tuum. [Alcuin.] Vel potest utrumque convenienter legi, ne sileas, et nequando taceas, quod LXX non sine causa addiderunt. Intellexerunt enim illa una oratione, scilicet ne sileas, Christum duo petiisse. scilicet D ut in passione clarificaret eum Pater, protegendo, et in resurrectione a morte resuscitando. Hæc igitur duo distinxerunt diversis verbis, [Gl. int.] et in primo quidem petit clarificari in resurrectione : in secundo vero, in passione. Et est, ne sileas a me, in resurrectione. Sed responde mihi annuendo, id est resuscitando. Et non tantum hoc, sed nequando, id est nec ad horam, taceas a me, sed et hic [Hier.] id est in passione clarifica, protegendo ; et post in resurrectione, pro qua ante oravit. Deinde causam subdit, quasi dicat : Ideo ne sileas, quia, si silueris, assimilabor descendentibus in lacum, id est in infernum, id est illis qui in inferno detinentur.

VERS. 2. — « Exaudi, Domine, vocem orationis « meæ, dum oro ad te, dum extollo manus meas ad « templum sanctum tuum. »

Exaudi : [Cassiod.] quasi dicat : Ne sileas, sed *exaudi, Domine vocem deprecationis meæ*. Hoc ideo *dum* id est, quia *oro ad te*, [Aug.] quod fecit Christus ante traditionem pro credituris. [Hier.] Et etiam ideo *dum* id est quia *extollo manus meas*, ad litteram, in cruce. Et hoc, non pro culpa mea, sed ad constituendum *templum sanctum tuum*, [Gl. int.] id est ut tibi Ecclesiam constituam. Quasi dicat : Hoc facio ad salutem eorum, qui fiunt templum tuum. Vel extollo manus meas, id est opera non deprimo, ad templum sanctum tuum, hoc non mutatur. [Cassiod.] Vel ad litteram, extollo manus meas ad templum sanctum tuum, quod est in Hierusalem, hoc dicit secundum morem Judæorum quibus præceptum est ut ubicunque essent ad illam partem orarent, ubi Jerusalem esse scirent; quod et Jesus legem implens fecit. Vel in oratione, manus levo ad templum, id est ad cœlum, quæ est consuetudo fidelium, quia inde auxilium speramus.

VERS. 3. — « Ne simul tradas me cum peccato« ribus, et cum operantibus iniquitatem ne perdas « me. »

Ne simul. Quasi dicat. Dico exaudi *ne tradas me* in mortem, simul *cum peccatoribus*, [Gl. int.] id est, ea intentione qua illi. Quasi dicat : Et si tradis me in mortem, non eo voto facias quo illi, quia illi sunt peccatores, tu veritas. *Et ne perdas me* damnando velut reum *cum operantibus iniquitatem*, id est illi sicut intendunt, quia ipse operantur iniquitatem, id est mortem meam, et quia loquuntur pacem dolose. Unde subdit :

VERS. 4. — « Qui loquuntur pacem cum proximo « suo; mala autem in cordibus eorum. »

[Aug.] *Qui loquuntur pacem* dicentes : *Scimus quia a Deo venisti, magister* (*Joan.* III). Loquuntur, dico, *cum proximo suo*, id est mecum qui sum proximus eorum per carnem, et etiam per impensam misericordiæ, quia non pertransivi videns vulneratum a latronibus sicut sacerdos et levita, sed ut vere proximus appropiavi, ut in eum facerem misericordiam : *mala autem*. Quasi dicat, loquuntur bona et pacem labiis; mala autem *sunt*, id est odium, *in cordibus eorum*. Et ideo.

VERS. 5. — « Da illis secundum opera eorum, « et secundum nequitiam adiventionum ipso« rum. »

Da illis secundum opera eorum, [Cassiod., Alcuin.] id est secundum quod intenderunt, non secundum quod inde provenit. Et est hoc prædicere, non optare. [Aug., Rem.] Vel optat justitiam Dei in hoc servari, quia hoc et justum est, ac si dicat : Justitiæ tuæ, Domine, consentio, quæ mihi placet, et si eorum pœna non delecter. *Et secundum nequitiam adiventionum ipsorum* da illis. [Gl. int.] Mala enim fecerunt, et mala adinvenerunt, dicentes quod seductor essem, et non Deus (*Matth.* XXIII). [Aug.] Alia littera habet, secundum malignitatem affectionum ipsorum, quia mala affectantes bona invenire non possunt. Nec variatur sensus a priori. Et repetit ut notet pertinaciam malignitatis eorum dicens :

VERS. 6. — « Secundum opera manuum eorum tribue illis, redde retributionem eorum ipsis. »

Retribue illis secundum opera manuum eorum. [Aug.] Et si aliis prosit ad salutem quod fecerunt, tamen *secundum opera manuum tuarum tribue illis*, id est secundum voluntatem operum ipsorum. Opera manuum dicit ideo, quia in eis studiosi fuerunt, quia ceperunt, crucifixerunt linguis, et si non manibus, instinctu, et si non actu quæ inter opera eorum sunt pessima. Hoc ideo dicit, ne se per alios excusent. [Cassiod.] Adhuc de pœna eorum addit dicens *redde retributionem eorum ipsis*. [Aug.] Quia mala pro bonis reddunt mihi. Et hoc redde eis, ut sicut fallaciam mihi pro veritate reddebant, ita fallacia eorum ipsos fallat. Et hoc eis accidisse manifestum est.

VERS. 7. — « Quoniam non intellexerunt opera « Domini, et in opera manuum ejus destrues illos, « et non ædificabis eos. »

Quoniam non intellexerunt opera Domini. Vel in opera Domini, scilicet Verbum factum esse hominem. [Aug.] Hæc est nimirum ipsa retributio eorum, ut quem malivolo animo tentaverunt, non cognoscerent esse Deum, quo consilio incarnatum Pater misit; *et* non intellexerunt *in opera manuum ejus* visibilia, id est nec ipsis visibilibus operibus moti sunt, quæ porrecta sunt usque ad oculos eorum, per quæ ad invisibilia ducerentur, sed non intellexerunt. Et ideo *destrue illos*, vel destrues, ut nihil mihi noceant, nec prius ecclesiæ meæ *et non ædificabis eos*, postea, ut solebas olim post captivitates, sed de hac captivitate non reducentur. [Alcuin.] Vel ita, quoniam reddit causam quare retribuendum sit eis, quasi dicat : Et merito reddet, quoniam et si deessent opera quæ fecerunt, hoc sufficeret damnationi eorum, quod ipsi non intellexerunt per legem et prophetas, quibus perstricti sunt, opera Domini, id est quæ invisibilia operatur Deus per me. Et in opera manuum ejus, [Cassiod.] id est nec etiam visibilia quæ Deus per me operatur, intellexerunt. Et ideo, destrues illos, et non ædificabis eos, id est non sic destrues, ut in melius ædifices, sicut Paulum et multos alios destruxisti ut faceres meliores, secundum illud Jeremiæ : *Misi te ut evellas, et dissipes, et destruas, et disperdas, et ædifices et plantes* (*Jer.* I). [Gl. int.] Vel, destrue illos, et non ædificabis eos, id est excæcabis eos, non ad horam, sed usque in finem.

PARS II. — VERS. 8. — « Benedictus Dominus, « quoniam exaudivit vocem deprecationis meæ. »

Benedictus. [Cassiod.] Secunda pars, ubi Christus auditus de resurrectione gratias agit, subdens de salute credentium. Quasi dicat : Non ex diffidentia oro, *quoniam Dominus exaudivit vocem deprecationis meæ*, unde ipse benedictus sit. Exaudivit dico ita quod.

VERS. 9. — Dominus adjutor meus, et protector meus, et in ipso speravit cor meum, et adjutus sum. »

Dominus est *adjutor meus* [Aug.] id est mei, tanta patientis *et protector meus*, id est mei, in immortalitatem resurgentis, *et in ipso speravit cor meum, et adjutus sum.*

VERS. 10. — « Et refloruit caro mea, et ex voluntate mea confitebor ei. »

Et refloruit Quasi dicat : Adjutus sum *et* sic quod *refloruit caro mea*, immunitate peccati, [Gl. int.] quæ in Adam defloruit per peccatum. Florem ergo quem in primo homine amisit, in me recuperavit, qui sine vitio et peccato conceptus sum, et natus de Spiritu sancto. Vel, caro mea refloruit, B id est iterum in resurrectione floruit, scilicet cum resurrexit, (Cassiod.) quæ prius immunitate floruit in conceptione. Unde jam metu mortis consumpto, *confitebor ei, et* hoc *ex voluntate mea* [Aug.] id est confitebuntur *ei* mei, in quibus ego sum. Et hoc non timoris necessitate, ut sub lege, sed libera voluntate cum lege.

VERS. 11. — « Dominus fortitudo plebis suæ : et « protector salvationum Christi sui est. »

Dominus fortitudo. Hic subdit de salute credentium. Quasi dicat : Et merito confitebuntur. (Cassiod.) quia Dominus, ipse idem qui est adjutor meus et protector, [Alcuin.] est fortitudo in pugna contra diabolum. *Plebis suæ* [Aug.] scilicet quæ in eo confidit. Non ergo fortem se putet plebs, ut C suam præsumat constituere justitiam, sed justitiæ Dei se subjiciat. *Et ipse est protector salvationum Christi sui*, [Gl. int.] id est illos quos Christus ad salutem elegit, protegit, hic in lucta, ne lædantur a diabolo. Vel de futuro potest hoc accipi, [Aug.] quasi dicat in pugna est ipse fortitudo suorum. Et post pugnam, est protector salvationum Christi sui, id est salvos factos per Christum suum immortalitate proteget. Quod ego jam resuscitatus, jam reflorente carne mea, interpello et oro, sic : O

VERS. 12.— « Salvum fac populum tuum, Domine, « et benedic hæreditati tuæ ; et rege eos, et extolle « illlos usque in æternum. »

[Gl. int.] *Domine* Pater, *salvum fac* a malis D
157 sæculi *populum tuum*, Gl. int.] qui et meus est, quia omnia mea tua sunt, *et benedic hæreditati tuæ*, (Aug.) id est auge virtutibus et numero hæreditatem tuam, (Gl. int., Aug.) quæ est et mea, quia dixisti, *Dabo tibi gentes*, etc. (*Psal.* II.) Ecce quanta est spes credentium cum pro eis orat passus, pro eis judex et advocatus *Et rege eos* in hac temporali vita, [Alcuin.] ne declinent ad prava, *et extolle illos*, [Aug.] a terrenis *usque in æternum*, id est ad appetenda æterna. Vel, extolle intellectu, scilicet Scripturarum et bono opere. Et hoc, usque in æternum, id est per totum hoc sæculum, usque in finem. Vel, extolle illos usque in æter-

A num [Cassiod.] Hinc tolle eos usque in æternum, id est in æternam vitam.

COLLATIO IN PSALMUM. XXVII : « AD TE, DOMINE, CLAMABO. »

VERS. 1. — *Nequando taceas a me, et assimilabor*, etc. Hic Fab. et Cæcus Burgensis lacerant editionem Græcam. et Latinam, quasi faciat oppositum sensum, ad intelligentiam Prophetæ, qui, ut volunt, veretur ne assimiletur mortuis et desperatis, si Deus non respondeat, id est, exaudiat orationem ejus, et lectio nostra videtur affirmare quod fugiendum est. Hanc tamen sequitur Aug. Pellic. et Pratensis. Sentiunt ergo Faber et Cæcus pro incolumitate et grammatices et sententiæ ita debere legi : *nequando taceas a me, et assimiler descendentibus in lacum*, ne si dicatur, Et assimilabor, affirmatio intelligatur contra veritatem. Si vidissent explanationem Hier. in hunc locum, non damnassent Græcam contextionem καὶ ὁμοιωθήσομαι. Imo vero ad verbum respondet Heb. ונמשלתי VENIMSSALTI, *et assimilabor.* Sic ergo intelligit Hier. *Nequando taceas a me, quod si silueris, ero similis pereuntibus.* Quæ expositio luce clarior evadit, et amplius patet supra in enarratione.

VERS. 3. — *Cum operantibus iniquitatem ne perdas me.* Extrema particula *ne perdas me*, non habetur in Heb. sed subaudiebatur ex præcedenti clausula, *ne simul tradas me cum peccatoribus.* Et multa comperimus a LXX viris non otiose addita Hebraicæ lectioni, inquit Amb. lib III. Hexameron. Verbi gratia psalm. XX, *cogitaverunt consilia, quæ non potuerunt*, etiam LXX addiderunt haud inepte particulam *stabilire*, quæ non erat in Heb. quod et Munsterus fecit. Fortasse quod in eodem versu præcessit, *ne simul tradas me*, LXX errore scriptoris positum est, pro, *ne simul trahas me.* Græci enim legunt μὴ συνελκύσῃς με, Hebræi תשמכני אל AL TISMECHENI, ac Munsterus dixit, *ne traxeris me.* Hiero. tamen et Pratensis habent, *ne tradas me*, nisi suspiceris eamdem esse mendam, denique sensus idem est.

VERS. 7 — *Destrues eos, et non ædificabis eos.* Codices Heb. habent tertiam personam, *destruet illos, et non ædificabit.* Et tamen Hier. et LXX legunt in secunda persona. Si enim dixeris יהרסם IEHERSEM, id est *destruet eos.* Si vero TEHERSEM תהרסם id est *destrues.* Nec opus erat id admonere, nisi quia solent nonnulli clamitare : Non sic habetur in Heb.

VERS. 10. — *Et refloruit caro mea.* Hebr. dicunt *exsultavit*, aut *gavisum est cor meum* יעלז לבי IAALOZ LIBRI. Cæterum עלז ALAZ haud incongrue significat *florescere*, præsertim cum hoc respiciat resurretionem Christi ad immortalitatem. Etenim, psal. XCV, *gaudebunt campi* Heb. יעלז שדי IAALOZ SADAI, *gaudium autem campi*, quidnam sonat, quam herbarum et florum vernationem ac virorem ? LXX quo emphasim et pondus gaudii indicarent, posuerunt effectum, nempe exaltationem carnis præ cordis lætitia, quando in Christo deitatis majestas, in resurrectione ad corpus abunde redundat. Animus enim gaudens ætatem floridam facit, Proverb. XVIII, maxime cum proxime præcesserat, *in ipso speravit cor meum, et adjutus sum.* LXX Spiritu sancto, ut creditur afflati, subjunxerunt aptissime de carnis resurrectione, et refloruit caro mea, statimque iterum sequitur de gaudio cordis, et ex voluntate mea, sine cantico meo, ut volunt Heb. confitebor illi, ut gloria corporis, quasi in medio posita, circumamiciatur incorruptionis triumpho. Non enim ignorabant quod dictum erat, psal. XV, *caro mea requiescet in spe.*

VERS. 11. — *Dominus fortitudo plebis suæ* He-

bræi nunc legunt, עז למו OZ LAMO, id est *fortitudo ipsis*, seu *ipsorum*. Unde conspicuum est LXX legisse עמו AMMO pro LAMO, id est suæ. Hier. legit עז לי OZ LI, quia vertit *fortitudo mea*. Sanctus עז לו OZ LO, quia transtulit *fortitudo ejus*. Unde facile adducor etiam LXX habuisse aliud vocabulum satis vicinum cordi, de quo paulo ante discussimus, ubi ponebant *carnem*. Et id possemus indicare, si opus

A foret, sub vestimenti significatu, לבושי LEBUSSI, *vestimentum meum*, quo significatur caro. Philip. II, quia hic licet in voce utrumque respondeant AMO et LAMO, in Scriptura tamen est major discrepantia ; et, tamen cernis alterum loco alterius aperte poni, ut haud dubie colligatur constans argumentum, quod sæpe causamur, exemplaria olim fuisse diversa.

PSALMUS XXVIII.

PSALMI TITULUS. « PSALMUS « DAVID IN CONSUMMATIONE TABERNACULI. »

Afferte Domino. Titulus. *Psalmus David in consummatione tabernaculi*. In libro Regum legitur, quod tempore Heli sacerdotis dimicaverunt filii Israel contra Philisthæos, et victi sunt ab eis (*I Reg*. IV). Duo quoque filii Heli, scilicet Ophni et Phinees, in prælio occubuerunt, et arca Domini capta est a Philisthæis, et translata est in Azotum. Posueruntque eam Philisthæi juxta idolum Dagon. In crastino autem invenerunt Dagon ante arcam prostratum, et erexerunt. Et similiter secundum in crastino invenerunt prostratum, quem iterum erexerunt. Et in tertio, invenerunt iterum ante arcam prostratum, absciso capite et palmis manuum (21) Fuit autem in regionibus Philisthæorum arca septem mensibus, et percussi sunt plaga vehementi. Ebullierunt enim mures de terra, et demoliebantur eos atque corrodebant extales eorum proeminentes. Hac igitur plaga percussi et compulsi, tandem retulerunt arcam in Gabaa, atque pro peccati plaga sananda, miserunt cum arca juxta numerum provinciarum quinque anos, et totidem mures aureos. Cum autem David prospere regnaret, mortuo Saül et filio ejus Hisboseth, tulit arcam de Gabaa, et detulit in Jerusalem. Qua reducta fecit ei tabernaculum, et obtulit holocausta. [Hier.] Ad quod juxta litteram videtur hic hortari alios hostias afferre, sed potius de significato tabernaculo, id est Ecclesia, agitur hic. [Hier., Alcuin.] Sicut enim arca a Philisthæis reducta fuit, cui David tabernaculum extendit, sic Christus a jure diaboli Ecclesiam reduxit, eique dona gratiæ contulit. De cujus perfectione hic loquitur Propheta, scilicet quod donis septem Spiritus sancti eam replet Christus, et in eis confirmat ; et sic promovet, et post remunerabit. Et est sensus tituli : *Psalmus* iste, convenit *David* prophetæ, qui hic loquitur, habitus *in consummatione tabernaculi*, [Aug.] id est, agens de perfectione Ecclesiæ in hoc sæculo, ubi contra diabolum in ea militatur. Et ideo tabernaculum dicitur [Cassiod.] quemadmodum secundum futurum statum dicitur domus, quia in ea quiescetur. Intentio. [Alcuin., Cassiod.] Monet ut fideles tali se offerant consummatori. Modus. Tripartitus est psalmus. Prius, monet fideles sacrificia offerre. Secundo, agit de constitutione Ecclesiæ, enumerans septem dona Spiritus sancti, ibi, *vox Domini super aquas*. Tertio, dicit quid constitutæ fiat Ecclesiæ, ibi *Dominus diluvium*. Monens ergo Propheta fideles afferre spiri-
B tuales hostias Deo, ait, [Gl. int.] o *filii Dei*, non iræ vel perditionis.

VERS. 1. — « Afferte Domino, filii Dei, afferte Do- « mino filios arietum, »

[Hier., Aug.] *Afferte Domino*, vos ipsos in fide, et operibus bonis. In hac serie ostendit cui, et qui, et quid, et quomodo, et ubi, et quare offerre debeant. Cui ? scilicet, *Domino ;* qui ? *filii Dei ;* quid ? *filios arietum*, quomodo ? afferte Domino gloriam et honorem ; ubi ? In atrio sancto ; quare ? Vox Domini. Dicto ergo qui et qui debeant offerre, subdit, quid : Afferte Domino filios arietum, [Aug., Gl. int.] id est, vosmetipsos non corruptos erroribus, quos per Evangelium genuerunt apostoli, duces gregum atque custodes ; qui sollicita diligentia custodiunt gregem,
C quia non deest impugnatio ab hæreticis. Ideo ait afferte, vos scilicet Domino filios arietum, [Cassiod., Alcuin.] id est, ut filios apostolorum, quos imitari debetis. Qui dicuntur arietes, quia duobus cornibus, id est utriusque Testamenti auctoritatibus prævaluerunt contra hæreticos, et superstitiones et idola quasi dura fronte diruerunt. [Alcuin.] Inde est quod mitra pontificalis duo habet cornua, quia omnis scriba doctus in regno cœlorum, de thesauro cordis sui profert nova et vetera (*Matth*. XIII). Et septima mansio filiorum Israel venientium de Ægypto, fuit Elim ubi erant duodecim fontes, et septuaginta palmæ (*Exod*. XV), quod tam nomine quam loci qualitate ordinem apostolicum significat. Interpretatur enim Elim *arietes*. Hi sunt apostoli, gregum fidelium
D duces ; duodecim fontes, duodecim sunt apostoli, primo a Domino electi, de quibus emanat aqua viva saliens in vitam æternam (*Joan*. IV). Septuaginta palmæ sunt alii septuaginta duo discipuli in Evangelio Lucæ designati, et ad prædicandum missi, qui palmam victoriæ Christi toti mundo nuntiaverunt. Et sciendum quod per Dominum tota Trinitas hic accipitur, id est Pater, et Filius, et Spiritus sanctus.

VERS. 2. — « Afferte Domino gloriam et honorem, « afferte Domino gloriam nomini ejus : adorate Do- « minum in atrio sancto ejus. »

Afferte Domino [Aug.] scilicet Trinitati, *gloriam et*

(21) Justa LXX interp. ad secundam erectionem Dagon.

honorem ut per opera nostra bona glorificetur Deus, et honoretur. Et repetit, *afferte Domino gloriam*, ita quod etiam *nomini ejus* afferatis, ut scilicet gloriose per vos innotescat Deus per orbem. [Hier.] Deo enim nihil ex nobis accedit, sed quantum ad alios qui inde proficiunt. Dicit ut afferamus Domino gloriam et nomini ejus. Vel per Dominum, in hac serie Christus intelligi potest. Quamvis enim indivisa sit trium personarum essentia, [Cassiod.] diversa tamen Scripturarum loca diversis aptantur personis, sicut hic, Dominum accepimus Christum, qui Ecclesiam virtutibus confirmat. Huic ergo Domino, id est Christo, afferte, vos, o filii Dei, afferte vos huic Domino, filios arietum. Non mutatur verborum sensus. [Gl. int.] Deinde quomodo afferre debeant, subdit, afferte Domino, Christo, gloriam, ut prædicetis quod ipse æqualis est Patri ; et honorem, quia ipse est qui imperium habet in rebus. Afferte Domino, Christo, gloriam, ita quod et nomini ejus, ut gloriose per orbem innotescat. [Aug.] Deinde ostendit ubi afferre debeant, dicens, *Adorate Dominum in atrio sancto ejus*, vel in aula sancta ejus, [Aug., Gl. int.] id est in dilatato et sanctificato corde, quia ex charitate est omnis sanctitas.

PARS II. VERS 3. — « Vox Domini super aquas, « Deus majestatis intonuit : Dominus super aquas « multas. »

Vox Domini. [Cassiod.] Secunda pars, ubi agit de constitutione Ecclesiæ, in qua septem virtutes Spiritus sancti cum magno præconio enumerat. Incipit autem ab imo, id est a spiritu timoris, et ascendit usque ad supremum, scilicet ad spiritum sapientiæ. [Greg.] Isaias autem econverso eadem enumerans, a summo ad imum descendit, dicens : *Et requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis*, et *replebit eum spiritus timoris Domini*. Ideo descendendo Isaias enumerat quia agit de Christi incarnatione, in qua se exinanivit formam servi accipiens, vel assumendo ; hic autem ab imo ascendit ad summum, quia agit de Ecclesiæ constitutione, quæ a timore, qui est initium sapientiæ, incipit, et ad majora paulatim conscendit. Et ostendit hic quare sit Domino offerendum, quasi dicat, Ideo afferte, quia vox Domini, [Aug., Gl. int.] id est Christi, est facta *super aquas*, id est super Judæos, qui erant in **58** fluxu sæculi *super aquas maris*, [Aug.] id est super populos gentium. Qualiter vero sit facta illa vox ostendit cum ait : Dominus *Deus majestatis intonuit*, id est Christus, qui est Rex gloriæ, de nube carnis terribiliter pœnitentiam prædicavit, et intus mentes hominum terruit. [Alcuin]. Quod est dicere, prædicatio Christi spiritum timoris dedit Judæis et gentibus ; nec intonare Christus destitit, donec Christus daret virtutem, id est pietatem. Et hoc est quod subdit.

VERS. 4. — « Vox Domini in virtute ; vox Domini « in magnificentia. »

Vox Domini, [Alcuin.] id est prædicatio Christi, A facta est *in virtute*, id est, pietatem dedit, quæ timori comparata, id est respectu timoris dicitur virtus. Est enim pietas cultus erga Deum, quem exhibent postquam Deum offendere timent. Addit etiam Deus magnificentiam, id est scientiam, quæ est tertia gratia, quæ magnificos facit, ut qui est in cultu Dei, sciat quomodo se agat in præsenti. Et hoc est quod subdit, *vox Domini* est facta *in magnificentia*, id est prædicatio Christi spiritum scientiæ dedit, quo scimus conversari recte in medio nationis hujus pravæ et perversæ (*Philipp*. II). Hæc etiam

VERS. 5. — « Vox Domini confringentis cedros ; « et confringet Dominus cedros Libani. »

Vox Domini, est *confringentis cedros*, [Aug., B Alcuin.] id est Dominus confringet per pœnitentiam et humilitatem *cedros*, id est, altos de gentibus, *et confringet cedros Libani, Dominus*, id est altos de Judæis, quos tempore ultimi introitus quando reliquiæ salvæ fient (*Rom*. II,) ita franget et humiliabit ut quælibet adversa non refugiant pati. Quod est dicere : Dabit spiritum fortitudinis gentibus et Judæis, ut sint fortes in iis, quæ spiritu scientiæ cognoscunt. [Cassiod.] Per cedrum autem bene superbia intelligitur, quia cedrus altissima arbor est, maxime in Libano, ubi sunt magis proceræ cedri. Hæc arbor non succisa inutilis est, in sua radice manens non facit utiles fructus : sic superbia quæ peccatum nobis intulit, in sua radice manens, inutiles parit fructus ; ea succisa, succrescunt fructus gratiæ.

C VERS. 6. — « Et comminuet eas tanquam vitulum « Libani ; et dilectus quemadmodum filius unicor« nium. »

Et succisa atque confracta in eis superbia, *comminuet*, [Aug., Cassiod., Alcuin] id est humiliabit *eas tanquam vitulum*. In Libano monte pascuali, vituli ad sacrificia nutriebantur, quia mons ille ferax est herbarum, et irriguis fontibus, et consitus arboribus. Huic comparantur qui de superbia humiliati sunt, et tanquam vitulus parati sunt pro Christo mori, comminuet ergo eas tanquam vitulum Libani, id est humiliabit eos adeo, ut immolentur pro Christo, si sit opus. Ex quia dixerat, comminuet, et confringet, et non dixerat quis, hic determinat, *et dilectus*, scilicet hoc faciet, id est Christus superbiam comminuet. D De quo Pater : Hic est Filius meus dilectus (*Matth*. III), qui est *quemadmodum filius unicornium*, [Hier., Alcuin.] id est, filius Judæorum secundum carnem, qui in una lege superbiunt, ideoque dicuntur unicornes. Vel ita, et dilectus, quasi dicat : Illi confringentur et comminuentur, et quid mirum, si illi comminuentur ? Non est mirum. Et dilectus enim, id est Christus, comminuetur, id est humiliabitur usque ad mortem. Et hoc, quemadmodum filius unicornium, id est secundum quod ipse est filius Judæorum, id est secundum quod ipse est homo. Aliter enim cum sit Deus non videtur posse comminui. Deinde subdit de spiritu consilii, dicens :

VERS. 7. — « Vox Domini intercidentis flammam

« ignis ; vox Domini concutientis desertum, et commovebit Dominus desertum Cades. »

Vox Domini intercidentis flammam ignis. [Alcuin.] Ignis est fomes peccati. Flamma quæ inde exit, est consensus actus, et consuetudo. Sed hanc flammam Dominus non quidem exstinguit, sed interrumpit et intercidit, dato spiritu consilii, ne veniat usque ad consensum, vel usque ad actum, vel ad consuetudinem. Hoc fortibus convenit, ne si otiosi sint, erumpat flamma ab igne. Deinde subdit de spiritu intellectus, dicens, *vox Domini concutientis desertum*, [Aug.] id est commoventis gentiles ad fidem. Desertum vocat gentes, ideo, quia sine lege, sine Deo, sine prophetis fuerant, *et commovebit Dominus desertum Cades*, [Cassiod., Alcuin.] id est Judæos. Cades ad litteram locus est, ubi aqua de petra data est quod et modo fit et ibi, ab litteram, et spiritualiter hodie in Ecclesia, quando etiam dura corda ad fidem convertuntur, quæ emanant aquas vivas. Interpretatur autem Cades *sanctum legis*, desertum ergo Cades, [Aug.] id est a sancto legis Judæi sunt deserti, qui non habent sanctum legis, id est spiritualem legis intellectum. Sed hos et gentiles Dominus commovet et concutit, ut agricola sterilem terram ut fructificet, id est dat intellectum, ut Scripturas et secundum anagogen percipiant, quod fit in mente bene pacata consilio. Per hunc autem intellectum Scripturarum provebit usque ad Spiritum sapientiæ, et facit eos cervos qui conscendant in montem sapientiæ, quæ est de divina essentia. Et hoc est quod subdit :

VERS. 8. — « Vox Domini præparantis cervos, et « revelabit condensa ; et in templo ejus omnes dicent « gloriam. »

Vox Domini, [Hier.] id est prædicatio Christi ; est *præparantis cervos*, [Alcuin., Hier., Aug.] id est tribuit spiritum sapientiæ quibusdam, qui superant et repellunt venenosas linguas hæreticorum. [Cassiod.] Et ideo cervis comparantur. [Alcuin., Aug.] Et hoc non solum gentibus præstat, sed et Judæis in ultimo *revelabit*, ea quæ de deitate sunt *condensa*. Aperiet enim eis opacitates librorum, et umbracula mysteriorum, ubi libere pascantur [Alcuin.] Attende quod a timore incipiens usque ad sapientiam conscendit. Cum omnibus enim his gradibus donorum timor castus scilicet sociatur, qui etiam a perfecta charitate foras non mittitur.

Potest etiam hæc series legi sine præsignata VII donorum distinctione, hoc modo : *Vox Domini*, id est prædicatio Christi, *super aquas*, id est super populos. [Aug.] Non enim fit hic distinctio inter Judæos et gentiles. Deinde qualiter sit facta subdit, *Deus majestatis*, id est Christus, *intonuit*, id est de nube carnis terribiliter pœnitentiam prædicavit. Et per hoc, *Dominus*, id est Christus habitat, *super aquas multas*, id est populos multos. Ipse enim Christus postquam vocem misit populis, et perterruit eos, convertit eos in se, et habitat in eis per fidem, spem, et charitatem ; et accepit eosdem per aquas, et per aquas multas. Et *vox Domini*, id est

A Christi jam in ipsis habitantis est, *in virtute*, id est potentes faciens eos. Et *vox Domini*, est, *in magnificentia*, miraculorum, vel operum, id est faciens in eis miracula, vel opera. Et, *vox Domini*, *est*, *confringentis cedros*, id est prædicatio Christi per contritionem cordis, est humilians superbos. *Et confringet Dominus*, per pœnitentiam, *cedros Libani*, id est elatos nitore terrenæ nobilitatis. [Alcuin.] Libanus autem interpretatur *candidatio*, quo significatur candor sæculi, quo nitentes et elatos Dominus confundet, et confringet per ignobilia mundi, quæ elegit (*II Cor.* I.) [Aug.] Et ablata superbia et altitudine illorum, *comminuet* eos cedros, id est elatos sæculi opibus, *tanquam vituli*, id est deponet, et humiliabit eos ad imitationem humilitatis suæ, qui ut vitulus

B ad victimam crucis ductus est, per nobiles sæculi, significatos per Libanum. Unde Propheta : *Astiterunt reges terræ, et principes*, etc. (*Psal.* II). Et non mirum si illi comminuentur ; nam. Et ipse, *dilectus*, id est Christus Patris unicus, comminuit se, id est exinanivit se nobilitate sua. Et factus est homo. *Quemadmodum filius unicornium*, id est sicut filius Judæorum ignorantium justitiam Dei, et superbe jactantium tanquam singularem suam justitiam. Et, *vox Domini*, est, *intercidentis flammam ignis*, id est, transeuntis sine ulla læsione sua, per ardorem concitatissimum persequentium. Vel dividentis furentem iram illorum, ut alii convertantur, alii non. Atque ita intercidit tumultum illorum, ut alios in suam charitatem traheret, alios in malitia sua relinqueret. *Vox Domini concutientis desertum*, id est commoventis ad

C fidem gentes, quæ erant sine Deo, sine lege et prophetis. *Et* tunc *commovebit Dominus desertum Cades*, id est celebrari faciet sanctum Scripturarum suarum, quod a Judæis non intelligentibus deserebatur, id est intelligibilia faciet verba legis. *Vox Domini*, est , *præparantis cervos*, id est perficientis eos, qui superant et repellunt venenatas linguas. Et, *revelabit eis*, condensa, id est opacitates librorum, et umbracula mysteriorum, ubi libere pascantur. [Alcuin]. Et in templo ejus, Hucusque ostendit quomodo VII donis consummat Christus Ecclesiam ; hic dicit quid in ea fiat, et vocat hoc templum, quod in titulo tabernaculum. Quasi dicat : Ita perfecit Christus Ecclesiam, *et* omnes, qui sunt in templo ejus sic consummato, *dicent gloriam*. Vel, omnis dicet, alia

D littera, gloriam. [Aûg., Alcuin.] Unusquisque enim laudat Dominum pro suo dono. Qui ergo non dicet gloriam, non est vere in templo, quare date gloriam.

PARS III. VERS. 9. — « Dominus diluvium inhabitare facit ; et sedebit Dominus rex in æternum. »

Dominus diluvium. [Alcuin.] Tertia pars, ubi dicit quid constitutæ Ecclesiæ fiat. Quasi dicat : Ideo date gloriam, quia *Dominus facit* hic templum, [Aug., Hier., Alcuin.] id est sanctos in Ecclesia, quasi in arca Noe constitutos, *inhabitare diluvium* hujus sæculi, id est faciet eos habitare illæsos inter fluentes et submersores, ut arcam Noe servavit inter fluctus et aquarum inundationes. [Rem.] Vel Dominus facit

diluvium, id est illos malos qui alios in peccatum submergebant, inhabitare hoc templum, scilicet Ecclesiam, quia etiam illos tales ad unitatem Ecclesiæ sanctæ convertit. Vel secundum aliam litteram, Dominus diluvium inhabitat, [Cassiod.] id est aquas baptismi, quæ crimina purgant mundi, sicut per diluvium purgatus est mundus. *Et sedebit*. Ostendit quomodo consummat Christus Ecclesiam, hic qualiter promovet. Quasi dicat : Et deinde in eo templo *sedebit Dominus rex in æternum*, [Aug., Alcuin.] id est regnans in eis æternum, id est potens et regens eos, usquequo æternitas veniat. Et vere reget, quia

VERS. 10. — « Dominus virtutem populo suo dabit : Dominus benedicet populo suo in pace. »

Dominus dabit virtutem populo suo. [Aug.] Contra hujus mundi procellas et turbines dimicanti, quia non est pax in hoc sæculo. Deinde subdit de remuneratione. Et, Dominus tandem, *benedicet populo suo in pace*, æterna, in seipso pacem illis dans. Unde ipse in Evangelio ait : *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis* (*Joan*. XIV).

COLLATIO IN PSALMUM XXVIII : « AFFERTE DOMINO FILII DEI. »

VERS. 1. — *Afferte Domino, filii Dei, afferte Domino filios arietum*. Quidam reddunt duntaxat posteriorem partem, afferte Domino filios arietum, cujusmodi sunt Hieronymus et Sanctes. Alii vero tantum priorem partem, *afferte Domino, filii deorum*, id est, ut volunt, procerum, principum, fortium. In Heb. habetur בני אלים BENE ELIM. Elim autem significat Deum, angelos, principes arietes, fortes. Et interpretes nostri duplici clausula utrumque complexi sunt et reddiderunt.

VERS. 2. — In atrio sancto ejus. Heb. BEHADRATH. Si he, id est h, aspiratio fuerit radicalis, interpretatio est *in decore*, seu *magnificentia*, juxta quod habet Hieronymus et novatores. Si autem fuerit servilis, ut eorum more loquar, et inclinetur a themate, significabit *mansionem*, ob idque atrium, quomodo acceperunt interpretes, quanquam non sit necesse in hujusmodi plus æquo laborare, quando atrium Dei, sit ejusdem magnifica gloria. Et versu 4 ipsius psalmi, interpretes eamdem voculam verterint.

VERS. 6. — *Et comminuet eos vel eas tanquam vitulum* **59** *Libani*. Quoniam Hebræi destituuntur terminatione distincta casuum, ideo Hieronymus vertit nominandi casu, et Sanctes, *vitulus*, ut referatur ad Christum, qui fuit vitulus in passionis humilitate, ut superbiam nostram comminueret. Alii Hebraicantes transferunt quarto casu more nostro, sed figunt diastolen in particula *vitulum*, aut *Libanum* referunt ad sequentia, quod et facit Hieronymus. Differunt tamen, quia ponit in nominativo quod alii præter Sanctem, in accusativo. Et sic potest esse diversitas dubia in casibus, ita in pausarum sectione. Unde Paraphrasis Campensis, *et subsilire faciet instar vituli Libanum*. In eo autem quod dicimus *et comminuet eos*, novatores vertunt *saltare faciet*. Sed quia Hieronymus transtulit juxta Hebræos *disperget eas*, consentit Nebiensis, non puto eos semper assecutos plenam significationem vocabulorum. Translator ad Campensem dixit, *instar tauri conculcabit Libanum*. Nihil tandem vetat quin eodem sensus conspiret. Vox enim Domini, id est, Christi prædicatio, comminuit gentes, dum corda

A eorum emollivit, et ad se immolandum per internum dolorem induxit. Quæ spiritualis immolatio per vitulum intelligitur. Cor vero sic mundatum, quomodo non exaltaret in Deum suum et Christo concrucifixum non gloriaretur in carnis mortificatione, et veri vituli passione. In eodem. *Et dilectus quemadmodum filius unicornium*. Heb. ושריון כמו בן ראמים VESSIRION IZEMO BEN REMIM, id est : *Et sirion sicut filius aut filium* (juxta exigentiam) *unicornium aut rhinocerotis*. Utrumque enim potest haberi ex Hebræo. Et interdum Hieronymus hoc aut altero vertit modo, SIRION aut SARION quando est nomen proprium significat *montem*, qui animal dicitur Hermon. Potest autem incinari a verbo שור, SCHOR, quod est *cantare, contemplari, munus offerre*, quæ omnia competunt dilecto, qui est prædicandus et muneribus afficiendus. LXX videntur ad id respexisse.

B VERS. 7. — *Vos Domini concutientis desertum*. Quidam vertunt *parturire faciens desertum*; et Sanctes addidit de suo, *parturire faciens feras deserti*; alii, *tremescit desertum*, quod est idem cum nostra lectione, et diversitas nascitur, et multiplicitate particulæ Hebraicæ חול HOL, vel חולל quæ significat *tremefacere, concipere, parturire*, et pleraque alia. Intelligentia tamen facile potest concinnari.

VERS. 8. — *Vox Domini præparantis cervos*. Hieronymus, *vox Domini obstetricans cervis*, seu ut alii volunt, *parturire faciens cervas*, vel *tremefecit cervos*. Jam dictum est quod vox חולל HOLEL, quæ hic ponitur, est multum æquivoca. Unus accipit hanc significantiam, alius aliam. Faber et Cæcus non sine stomacho contendunt debere potius legi *cervas*, quam *cervos* qui non parturiunt. Ad quod dicimus verum esse, si vertendum foret *parturire faciet*. Sed si vertimus *præparare*, non abest si reddas *cervos*, cum
C איל AIAL sit utrisque commune, etiamsi pro cervis forte dicendum foret אילים AIALIM in masculino. Vox autem Domini præparat cervos, quando homines suis meritis reddit diligentes, et impigros instar cervorum velocitate decantatorum.

VERS. 9. — *Dominus diluvium inhabitare facit*. Ex hoc loco calumnia eliditur, qua quispiam cavillator posset forsan insimulare nos, qui sæpius merito causamur ambiguitatem vocabuli, ob quam pro lectione Latina instruimus apologiam, et ostendere conamur interpretes nostros aliam secutos fuisse significantiam, et si Hieronymus secus vertat, ut satisfaceret Sophronio, adversus Judæos, quibuscum erat ei frequens concertatio. Nam divus Hieronymus respondens Suniæ et Fretellæ, de hoc versiculo quærentibus, adhuc scribit modum : « *Dominus diluvium inhabitare facit*, pro quo vos legisse dicitis, κύριος τὸν κατακλυσμὸν κατοικεῖ, id est, *Dominus diluvium inhabitat* : quorum prius pertinet
D ad gratiam credentium, secundum ad ejus in quo credunt, habitaculum. Sed quia ישב IASSAB verbum ambiguum est, et potest utrumque sonare, nam *sessio* et *habitatio* dicitur, et in ipso psalmo, de gratia baptismatis dicitur, *vox Domini super aquas multas, et vox Domini præparantis cervos : et revelabit condensa, et in templo ejus omnis dicet gloriam*; de ipsis sentiri volumus, qui glorificant Dominum, et interpretati sumus, *Dominus diluvium inhabitare facit*. » Hæc D. Hieronymus. Quibus non obsistentibus juxta Hebræos vertit, *Dominus diluvium inhabitat*, et Neoterici Hebraicantes, *super diluvium sedet*, vel *sedit*. Quod Fabrum fefellit dicentem : « Rectius ex Heb. dici videtur *inhabitat*, quam *inhabitare facit*, siquidem ipse per se dignatur mentes purificatas, et alluvione aquarum sanctificatas inhabitare. »

PSALMUS XXIX.

PSALMI TITULUS : « PSALMUS CANTICI IN DEDICATIONE DOMUS DAVID. »

Exaltabo te. Titulus. *Psalmus cantici in dedicatione domus David.* Non legitur David se fecisse, vel dedicasse aliquam domum Domino. De spirituali itaque domo hoc accipiendum est. [Alcuin.] Totus enim Christus, id est sponsus et sponsa, una domus Dei est, quia et in capite Christo plenitudo divinæ gratiæ habitavit, et de plenitudine ejus nos omnes accepimus (*Joan.* I). Hæc autem domus quantum ad caput et membra fabricata est et dedicata; quantum ad Christum fabricata est in ejus conceptione; [Cassiod.] dedicata vero, in ejus resurrectione, quando resurgens a mortuis, immortalitatis gratia confirmatus est. Quantum vero ad Ecclesiam, quotidie fabricatur, dum in hac vita laborat. [Hier.] Dedicabitur autem in futuro, quando sancti resurgentes a mortuis, stabunt in magna constantia fulgentes sicut sol. [Alcuin.] Dicitur autem hæc domus etiam tabernaculum, sicut in præcedentis psalmi titulo. Tabernaculum dicitur secundum præsentem statum, quando in ea militatur. Quia tabernaculum proprie belli est, domus vero dicitur secundum statum futurum, quando in ea quiescetur, ut in hujus psalmi titulo dicitur. Supra enim agit de consummatione tabernaculi tempore belli; hic autem est *psalmus cantici*, [Aug.] il est, lætitiæ habitæ *in dedicatione domus David*, id est pro dedicatione domus Christi, quæ dedicatio modo in capite facta est; post futura, quæ in membris. Inde ergo lætitia est, quia domus dedicatur, id est confirmatur. Quæ in æterna pace manebit innovato corpore, non tantum Christi, sed et totius Ecclesiæ. Vel loquitur Christus totus, in hoc psalmo, [Alcuin.] quia verba psalmi hujus quædam capiti, quædam corpori conveniunt, quædam utrique. Et est iste psalmus brevis de passione et resurrectione Christi, ut passio non terreat, quos spes resurrectionis lætificat. (22) Intentio. Monet per spem dedicationis jam in Christo factæ fideles ad laudem. Modus. Tripartitus est psalmus. Primo, agit Christus de sua dedicatione, jubens sanctos idem sperantes laudes dicere. Secundo, dicit quomodo dedicationem meruit, ibi, *ego autem*. Tertio, quomodo eam acceperit ibi, *audivit Dominus*. Christus ergo secundum quod homo gratias agens Deo, pro sua dedicatione, ait : O

VERS. 1. — « Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me, delectasti inimicos meos super me. »

Domine, exaltabo te, [Aug.] id est altitudinem tuam laudabo. Ideo *quoniam suscepisti me* in resurrectione, dedicando me gloria impassibilitatis. Hoc modo dicitur ex persona fundamenti, id est Christi capitis, quod jam dedicatum est. Postea vero, id est

(22) Ex Cass. in conclusione psalmi.

A in futuro dicetur ex persona universæ domus, cum in communi resurrectione fuerit dedicata. Item ex persona capitis subdit *nec delectasti,* vel jucundasti. Alia littera : *inimicos meos super me,* id est non permisisti inimicos meos, Judæos scilicet et dæmones delectari, vel jucundari super me.

VERS. 2. — « Domine Deus meus, clamavi ad te : et sanasti me. »

Domine Deus meus, clamavi ad te, et sanasti me. [Aug.] Non videntur hæc esse verba Christi, scilicet nec jucundasti, et clamavi. Alterum quippe videtur falsum, alterum impossibile : falsum quippe videtur quod inimici non sint jucundati super eum, cum in Evangelio legatur flagellatus fuisse, colaphizatus, crucifixus. Item contrarium, imo impossibile
B videtur quod Christus clamet et oret, cum sit omnipotens Deus, qui fidelium vota implet, per quem et omnia naturalia facta sunt. Sed sciendum quod Christus nec Deus tantum nec homo tantum est, Sicut diversi hæretici dogmatizaverunt. Sed verus Deus est, et verus homo. Nec duo tamen, sed unus est Christus, qui non secundum quod Deus est, sed ex eo quod homo est, est infirmus. Et ex hoc etiam orat pro nobis, et mediator inter Deum Trinitatem, id est Patrem et Filium et Spiritum sanctum, et homines peccatores. Habens cum utroque convenientiam. In eo enim quod infirmus, propinquat nobis. In eo vero quod non iniquus est, jungit nos Deo. In hoc tamen etiam quod homo est, præest nobis ut caput, in quo sunt omnes sensus in cæteris membris. Non est ergo incongruum, vel im-
C possibile eum secundum hominem quem suscepit orare, quia ipse est qui oratur, secundum deitatem. Et super hunc quidem jucundati sunt inimici in cruce : sic et super suos jucundatur in passionibus, sed non in dedicatione, vel super eum, vel super suos. Ideoque verum est quod ait, *nec delectasti*, vel jucundasti inimicos meos super me, id est non permisisti eos jucundari super me, in dedicatione, scilicet, etsi ante. Deinde ponit susceptionem, dicens, Domine Deus meus, clamavi ad te, in passione. Et sanasti me, in resurrectione, quia jam non gero ægrum corpus, sed gloriosum et immortale. Et o

VERS. 3. — Domine, eduxisti ab inferno animam meam; salvasti me a descendentibus in
D lacum. »

Domine, eduxisti ab inferno animam meam. Hoc expositione non indiget. [Aug., Hier.] Manifestum est enim Christi animam cum animabus sanctorum de inferno eductam a Deo; *et salvasti me a descendentibus in lacum*, [Aug.] id est ab his persequentibus, qui descendunt in sæculi profunditatem. Lacus enim est profunditas sæculi, scilicet abundantia luxuriæ

et nequitiæ. Qui ergo libidinibus se immergunt et terrenis desideriis, ipsi descendunt in lacum. Tales Christum persecuti sunt, sed ab his salvatus est in resurrectione, ne amplius cum eis sit. Vel, Salvasti me a descendentibus in lacum, id est, a conditione profundæ cæcitatis, quia immunis a peccato et corruptibilis carnis, quia impassibilis. Vel, salva me a descendentibus in lacum, [Hier.] id est de lacu inferni, ubi animæ peccatorum sunt, ne sicut illi præceps caderem in mortem.

Vers. 4. — « Psallite, Domino, sancti ejus; et « confitemini memoriæ sanctitatis ejus.

Psallite [Aug.] Post canticum sequitur psalmus. Et vox Ecclesiæ vel prophetæ est hic attendentis hæc futura in membris, quæ præcesserunt in capite unde, exsultat, et alios exsultare monet. Quasi dicat : Quia resurrexit caput nostrum, ergo hoc sperate membra cætera ; quod videtis factum in capite, hoc sperate quod credidistis in capite, quod idem promissum est nobis. Has ergo promissiones habentes *psallite Domino* opere, o vos *sancti ejus*. [Gl. int., Hier.] *Vel* totum potest dici in persona Ecclesiæ loquentis ad Christum sic : *Exaltabo te, Domine*, id est altitudinem tuam gloriose laudabo : ideo, *quoniam suscepisti me*, in dedicatione, id est, suscipies in futuro in re, et jam in spe, suscepisti. *Nec delectasti*, vel jucundasti inimicos meos super me, [Aug.] id est, non jucundabis eos tunc *super me*, qui per orbem variis persecutionibus me conati sunt opprimere. Quia tunc non jucundabuntur inimici super nos, ut modo. Deinde exponit susceptionem dicens : [Gl. int.] *Domine, Deus meus, clamavi ad te*, hic, *Et sanasti me*, jam in spe, et in futuro sanabis in re. Et o *Domine, eduxisti ab inferno animam meam*, [Hier.] quia et animas justorum, qui ibi detinebantur eduxit, et alios a peccatis liberans ne illuc mitterentur
60 fecit. Unde subdit, Et, *salvasti me a descendentibus in lacum* inferni. Ergo *psallite Domino*, [Hier.] bene operando, *sancti ejus, et confitemini memoriæ sanctitatis ejus*, [Aug.] id est laudate eum, quia memor fuit sanctificare vos, id est quia sanctitatis qua vos sanctificavit, non est oblitus hoc toto tempore, quod desiderio nostro nimis longum esset. Vos autem eratis ejus obliti, sed ipse vos non est oblitus. Vel, confitemini memoriæ sanctitatis ejus, [Cassiod., Gl. int.] id est laudate eum, quia ex bonitate sua et sanctitate, memor fuit nostri. Ideo psallite et confitemini

Vers. 5. — « Quoniam ira in indignatione ejus, « et vita in voluntate ejus. »

Quoniam ira, [Aug.] id est, vindicta qua vindicavit in vos primum peccatum, quod morte solvistis, fuit *in indignatione ejus*, id est in comminatione ejus contempta, qua dixerat primis parentibus : *Qua die comedetis, morte moriemini* (*Gen.* II). [Aug., Gl. int.] Illi vero tetigerunt et mortui sunt, et ejecti de paradiso. Ergo quod abjecit homines, pro peccato est, sed tamen est spes ; *et*, id est quia *vita* est *in voluntate ejus*, [Aug.] id est vitam æternam non

A viribus vel meritis nostris, sed quia voluit, dedit, ad quam per vos non rediretis, [Gl. int.] sed ipse vos reduxit, et gratis salvos nos fecit, non enim digni eramus. Quo est enim peccator dignus, nisi supplicio? sed ipse impios per fidem justificavit, eisque vitam donavit.

Vers. 6.— « Ad vesperum demorabitur fletus ; et « ad matutinum lætitia. »

Ad *vesperum*, etc. [Aug.] Duobus prædictis, duo alia reddit hoc modo, Quia ira est in indignatione ejus, ideo *ad vesperum demorabitur fletus*. Et quia vita est in voluntate ejus, ideo *ad matutinum* erit *lætitia*. Persequere ordinem litteræ, et verborum expositionem sic : Ira processit ex ejus indignatione, et illa ira non est brevis, imo longa. Quia,
B fletus id est omnimoda hominis miseria, tam culpæ quam pœnæ, incipiens, ad vesperum, Adæ tam temporis quam pectoris, demorabitur, usque ad matutinum. Vespera enim est quando sol in occasum declinat, quo tempore Adam peccavit, et lux inde solis, id est Christus, qui est sol justitiæ, et lumen pectorum ab eo occidit, vergente tunc in occasum sole temporis. Unde in Genesi : *Cum deambularet Dominus in paradiso ad auram post meridiem, timuit Adam, et abscondit se.* (*Gen.* III) Jam ille peccator tegebat se inter ligna paradisi, nolebat videre faciem Dei, ad quam gaudere consueverat. Occiderat illi sol justitiæ, non gaudebat ad præsentiam Dei. Inde inchoata est omnis vita ista mortalis, dies versus est in noctem, lætitia in fletum.
C Defle ergo, genus humanum, quia nasceris de Adam. Ex Adam enim facti sumus omnes, et quotquot procreaverunt filios, et procreaturi sunt, ex duo et ipsi creati sunt. Vespere itaque cœpit post meridiem, ubi lux sapientiæ a peccante homine recessit, quando et morte damnatus est. Et ex tunc durat fletus, et durabit, quandiu in laboribus et tentationibus populus Dei exspectat diem Domini, scilicet matutinum. Et hoc est fletus, id est universa miseria hominis, incipiens ad vesperum Adæ, quo peccavit, et lux interior ab eo recessit. Demorabitur, [Gl. int.] id est diu et in multis morabitur ; diu, quia non mox est tota restitutio tradito Domino, et in multis, quia omnes ex eo nascimur in peccato et pœna. Demorabitur, dico, usque ad matutinum,
D [Aug.] id est usque ad diem Domini, quo resurrectio nostra futura est : quæ in matutina Christi resurrectione præfloruit ; et tunc, scilicet in matutino, erit nobis lætitia perennis, quia tunc absterget Dominus omnem lacrymam ab oculis sanctorum (*Apoc.* XXI).

Aliter secundum moralem intellectum. [Aug.] Dicitur enim matutinum, vel mane, ortus fidei et charitatis, scilicet cum lux gratiæ oritur fideli, quæ occidit peccanti, per quam in anima resurgimus, secundum illud : *Exurge a mortuis, et illuminabit tibi Christus* (*Ephes.* V). Pro qua resurrectione designanda, Dominus mane surrexit, idem promittens nobis per suam resurrectionem, quæ est efficiens

causa resurrectionis, et animæ in præsenti, et corporis in futuro. (23) Christus enim cujus actio nostra est instructio, non sine mysterii celebris ratione in hoc vespere quo peccavit Adam, sepeliri voluit, et mane resurgere, et hoc mane tertiæ diei. [Aug.] Vespere est sepultus, ut ostenderet se mori non pro sua culpa, sed pro nobis, qui vespere sumus sepulti in paradiso, id est per peccatum Adæ commissum. Vespere in paradiso sepulti sumus in culpa et in pœna. Mane surrexit, ut nos mane surgamus, quod est quando lux gratiæ oritur homini in mente. Mane tertii diei resurrexit, ita et nos surgimus die tertio, id est in tempore gratiæ quod est post tempus ante legem, et sub lege. Quod ergo triduo illo ostendit caput tuum in se, hoc triduo sæculi ostendetur in te. Si enim sæculum cogites, unus dies est ante legem, secundus sub lege, tertius sub gratia. Et hoc est *fletus* incipiens, *ad vesperum demorabitur*. Hoc non mutatur, usque *ad matutinum*, id est, quousque oriatur lux fidei per Christi matutinam resurrectionem, et tunc erit lætitia. Vel, *ad vesperum demorabitur fletus*, [Hier., Cassiod.] quia passo et sepulto Domino apostoli et mulieres in fletu et gemitu morabantur ; *et ad matutinum* fuit, *lætitia*, quia mane venientes ad sepulcrum gloriam resurrectionis acceperunt. Et dictum est mulieribus : *Ite, nuntiate fratribus meis, ut eant in Galilæam, ibi me videbunt* (*Matth.* XXVIII). Vespere fleverunt mortuum ; mane exsultaverunt ad resurrectionem.

PARS II. VERS. « — « Ego autem dixi in abundan« tia mea : Non movebor in æternum. »

Ego autem. [Alcuin., Gl. int.] Secunda pars ubi dicit Christus quomodo ante dedicationem egerit, et eam meruerit. Quasi dicat : Ex Adam male moto est fletus, *ego autem in abundantia mea*, [Cassiod.] id est confidentia deitatis, cujus plenitudino habitat in me, [Gl. int.] dixi hoc, *non movebor in æternum* a Deo, a quo Adam motus est. Et sicut ego dixi, tu,

VERS. 8. — « Domine, in voluntate tua præstitisti « decori meo virtutem. »

Domine, [Gl. int.] fecisti quia *prætitisti* mihi decorem, scilicet quia immunis a peccato. Et illi *decori meo præstitisti virtutem*, scilicet quia et miracula fecit. [Cassiod.] Hoc non de humana natura habui, sed *in voluntate*, id est ex voluntate *tua* scilicet ex te, quod inde probatur, quia

VERS. 9. — « Avertisti faciem tuam a me, et factus « sum conturbatus. »

Avertisti faciem tuam a me exponendo me passioni *et factus sum conturbatus*, id est te adverso, turbatur carnis meæ infirmitas. Unde cœpit Jesus pavere et tædere (*Marc.* XIV). Unde ergo præsumit homo, cum audiat Christum de se talia dicentem ?

VERS. 10.— « Ad te, Domine, clamabo, et ad Deum meum deprecabor. »

Ad te, Domine, [Gl. int.] quasi dicat : Avertisti fa-

A ciem tuam in passione, et tunc dixi, *clamavi ad te, Domine*, De gloria immortalitatis adhibenda, *et ad Dominum* meum deprecabor de mortalitate tollenda, dicens :

VERS. 11.— Quæ utilitas in sanguine meo, dum « descendo in corruptionem ? »

Quæ utilitas, etc. Possunt hæc etiam accipi ex persona membrorum, ego autem. Et ostenditur causa quare fletus demoretur. [Aug.] quasi dicat : Vespere est fletus, sed hoc ex culpa mea, quia ego ille populus qui ab initio loquebar in Adam existens, *in abundantia mea*, id est dum mihi in paradiso esset abundantia, jam nullam patiens egestatem, *dixi* hoc, scilicet : *Non movebor in æternum*, ab hoc
B bono, in quo sufficientia erat illi, quia Deo fruebatur. Hoc autem dixi tibi credens diabolo dicenti : *Non morte moriemini, sed eritis sicut dii, scientes bona et mala* (*Gen.* III). Sed quia Deus erat ablaturus superbo quod dederat humili, sequitur : *Domine, in voluntate*. Quasi dicat : In paradiso erat mihi abundantia, sed hæc abundantia, o Domine, erat ex te, non ex me, quia, *in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem*, id est non ex me bonus eram et fortis, sed ex te. Quod ut ostenderes, *avertisti faciem tuam a me*, id est foris misisti me de paradiso; *et factus sum conturbatus*, sed jam hic positus, *clamabo*. Et hoc est, *ad te, Domine*, clamabo, in paradiso non clamabas, sed laudabas, non gemebas, sed fruebaris. Foris vero positus geme, et clama, quia propinquat tribulatio, qui deservit su-
C perbientem. *Deus enim superbis resistit, humilibus dat gratiam* (*Jac.* IV). Deinde ex persona Domini, scilicet ipsius fundamenti nostri, *quæ utilitas, in sang., etc.* [Aug.] Aliter ab illo loco, *avertisti* quasi *præstitisti mihi decorem et virtutem*. Quod ex eo didici, quod ex me, scilicet a peccante homine, *avertisti* aliquando *faciem tuam*, id est lumen tuæ notitiæ. Unde conturbatio hominis processit, quod ita ait, *et factus sum conturbatus*, recedente a me lumine tuæ notitiæ. Quod tempus conturbationis et miseriæ meæ, recolens, et in eo positus audio vocem capitis mei pro me morituri, et in passione dicentis : *Ad te, Domine, clamavi*, de gloria. *Et ad Deum meum deprecabor*, de immortalitate, dicens, *quæ utilitas* erit *in sanguine meo*,
D [Aug., Gl. int.] id est, in effusione sanguinis mei, qui sine culpa mea effusus est, *dum descendo*, quasi per quosdam gradus malorum, *in corruptionem ?* Quasi dicat nullam. Si enim statim non resurgo, corruptumque fuerit corpus, nemini annuntiabo, nullum lucrabor, et ita peribit confessio, quod ita ait :

VERS. 12. — « Nunquid confitebitur tibi pulvis, « aut annuntiabit veritatem tuam ? »

Nunquid pulvis, [Aug.] id est, turba impiorum quam mea resurrectione justificabo *confitebitur tibi* laudes, vel peccata *aut annuntiabit* ad salutem cæ-

(23) Ex primo Dial. lib. Greg., cap. 9.

terorum *veritatem tuam*. [Alcuin.] Quasi dicat : Non his verbis necessitatem ostendit, per quam non sinat eum Pater descendere in corruptionem. Vel ita quasi dicat : Vere nulla utilitas erit, si corpus corrumpitur, quia si pulvis remaneo, nunquid confitebitur tibi aliquis, aut annuntiabit veritatem tuam? quasi dicat : Non fiet tibi confessio, vel annuntiatio. [Aug.] Et sciendum quia gemina est confessio aut peccati, aut laudis. Nunquam ergo sine ea simus. Quando male est nobis in tribulationibus, confiteamur peccata nostra ; quando nobis bene est, in exsultatione lætitiæ confiteamur laudem.

PARS III. VERS. 13. — « Audivit Dominus, et misertus est mei ; Dominus factus est adjutor « meus. »

Audivit Dominus. [Cassiod., Alcuin.] Tertia pars ubi dicit quomodo dedicationem acceperit. Quasi dicat : Deprecatus sum et me deprecantem *audivit Dominus et misertus est mei* ita quod *Dominus factus est adjutor meus*, [Aug.] quia non dedit sanctum suum videre corruptionem *(Psal.* XV), sed me dedicavit gloria immortalitatis. Deinde loquens ad ipsum Patrem ait :

VERS. 14. — « Convertisti planctum meum in « gaudium mihi ; concidisti saccum meum, et cir-« cumdedisti me lætitia. »

Convertisti. [Hier.] Quasi dicat : Factus es adjutor meus, ita, scilicet quia *convertisti planctum meum* quo dixi : *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Matth.* XXVI) *in gaudium* resurrectionis. [Gl. int.] Vel, convertisti planctum meum in gaudium, id est dolentes de me apostolos gaudere fecisti. Ideo quia *concidisti saccum meum et cir.*, etc., [Cassiod., Alcuin.] Saccus est vestis aspera in usum laboris, vel tempore tristitiæ ut Ninivitis, qui induti saccis, pœnitentiam egerunt. Hæc est caro humana quam Christus suscepit, quæ scissa est moriendo et prodiit frumentum, id est munus gloriosæ resurrectionis. Vel deitas apparuit, unde subdit, *et circumdedisti me lætitia*, vel saccus est pœna peccati. Saccus enim fit de capris et hædis ; [Aug.] et capræ et hædi significant peccatores, quia pro peccatis in lege offerebantur. Saccus ergo est immortalitas quam de peccatoribus Christus traxit, vel accepit. Assumpsit enim saccum, sed non meritum sacci, id est peccatum, quod est causa mortis. Hoc sacco mortalitatis, divinitas tanquam frumentum occultabatur. Unde alibi : *Dum mihi molesti essent induebar cilicio* (*Psal.* XXXIV), id est, sacco mortalitatis, ut quod intus erat non videtur. Hic saccus, [Aug.] Alcuin.] id est hæc mortalitas, in resurrectione conscissa est. Id est destructa. Qua conscissa, prolata est divinitas, id est manifestata, quæ ante erat occulta, sicut saccus integer celat quod intus est ; scissus aperit, et hoc est concidisti saccum meum, id est mortalitatem carnis destruxisti in resurrectione. Et circumdedisti me lætitia, [Aug.] id est gloria immortalitatis.

VERS. 15. — « Ut cantet gloria mea et non com-« pungar, Domine Deus meus, in æternum confitebor « tibi. »

Ut ipsa *gloria mea cantet tibi*, [Aug.] id est sit causa quare lauderis a me, et a meis *et* vere circumdedisti me lætitia, quia jam non compungar, id est jam ulterius non moriar, quia Christus semel passus est, et amplius non moritur. Et jam in fine, *Domine Deus meus, in æternum confitebor tibi,* id est laudabo te. Vel possunt esse verba Ecclesiæ ab illo loco, *convertisti*. Non mutatur vox propter unitatem capitis et corporis. Quasi dicat : Fundamentum meum dedicatum est, id est Christus gloria immortalitatis est confirmatus, quem primogenitum a mortuis ego Ecclesia consecuta, jam spe et in futuro postea re, nunc in dedicatione domus tuæ, quæ in capite meo præcessit. Dico *convertisti planctum meum*, qui est de peccatis. *Et gaudium mihi*, quod est de absolutione, quia *concidisti saccum meum*, id est velum peccatorum, et tristitiam mortalitatis ; *et circumdedisti me lætitia*, id est cinxisti me stola prima, id est immortali lætitia, *ut cantet tibi gloria mea*, jam non plangat humilitas. *Et* id est quia, jam *non compungar*, conscientia peccati vel timore mortis, vel timore judicii. Et, o *Domine Deus meus, in æternum confitebor tibi*. Hæc est gloria mea, ut *in æternum* confitear tibi, quod nihil mihi est ex me, sed ex te omnia, qui est Deus omnia in omnibus.

COLLATIO IN PSALMUM XXIX : « EXALTABO TE, DOMINE, QUONIAM. »

VERS. 5. — *Quoniam ira in indignatione ejus*. Heb. כי רגע באפו KI REGA BEAPPO Hieronymus, ad momentum ira ejus, vel momentanea est ira ejus. Interpretes acceperunt per metathesim גער GEAR, id est *ira, increpatio,* pro רגע, quod et interdum fieri satis subindicat nominatim in hac radice Munsterus in suo lexico.

VERS. 8. — *Præstitisti decori meo virtutem*. Hieronymus et Hebr. *monti meo virtutem* sive *fortitudinem*. Ubi perspicuum est interpretes legisse הדרי HADRI loco הררי HARRI, daleth pro res, in quibus litteris est propinqua affinitas, vel minima distinctio.

VERS. 13. — *Audivit Dominus, et misertus est mei*. Hebr. *audi, Domine, et miserere mei*. Sententia constat integra utrobique. Non est tamen difficile legere שמע SCHAMA, id est *audivit,* pro שמע SCHEMA, id est *audi*, præsertim ubi non affiguntur puncta, lectio est omnino indifferens. Consimiliter חנני HANNANI pro חנני HONNENI, id est *misertus est*, pro *miserere*. Oportebat ad ista connivere, nisi perpenderem quosdam cacozelia litteræ æstuare.

VERS. 15. — *Ut cantet tibi gloria mea, et non compungar*. Hebr. לא ידם LO IIDDOM ; id est *non taceat*, vel *non tacebit*. Similiter habebatur psalmo IV. Silentium autem cordis, est secreta compunctio, quam solus Deus audit in abscondito, in gloria vero cessat omne lamentum, et peccati mordax recordatio. Accepisse apparet LXX, in prima persona לא אדם LO EDDOM, vel simpliciter in participio לא דום Denique, dividendo, *non compungatur gloria*, nihil distat ab eo quod est hominem, jam in felicitate illa requiescentem, esse extra omnem aleam compunctionis. Adde quod Sanctes in suo Thesauro

docet gloriam in Hebræo sumi quandoque pro anima deinde manifestius est quandoque usurpari pro toto homine,igitur, *ut cantet tibi gloria mea*, hoc est, *ut* A *cantem*, et *te laudem*, mox facile cohærebit, *et non compungar.*

PSALMUS XXX.

PSALMI TITULUS : « IN FINEM PSALMUS DAVID PRO EXSTASI. »

In te, Domine speravi. Titulus : *In finem. Psalmus David pro exstasi* Exstasis, ἔκστασις Græce,latine dicitur *excessus*, [Aug.] qui est mentis,qui fit duobus modis. Vel pavore terrenorum, vel mente rapta ad superna, et inferiorum oblita, quæ communium negotiorum curam pertractat. In hoc autem psalmo exstasis maxime accipitur pavor de persecutione populi Dei omnium gentium, et defectu fidei per orbem terrarum perturbati. [Alcuin.] Hic enim describitur humiliatio Christi, sanctorumque martyrum. Unde sequitur exaltatio. (66) Et exprimit hic psalmus imbecillitatem humanitatis, et beneficia Dei; ut videns se homo non superbiat, et misericordiam Dei videns non timeat. Et est sensus tituli : *psalmus* iste dirigens nos *in finem,* [Aug.] id est in Christum, est *David* qui hic loquitur in persona Christi vel sua, vel Ecclesiæ. Habitus pro *exstasi*, id est agens de excessu mentis, qui fit quando mens pavet terrena. Intentio : Monet ne quis de se præsumat, sed de Dei misericordia. Modus : Tripartitus est. [Cassiod.] Contra pavore præmittitur spes, et oratio cum certitudine liberationis et gaudio. Secundo enumerat quot et quanta conturbant. Contra quæ est oratio, ibi *miserere mei*. Tertio dicit quæ sint bona Dei contra mala, ibi, *quam magna*. [Aug.] Et sciendum quod verba psalmi hujus quædam capiti, quædam membris, quædam Prophetæ conveniunt. Et primo quidem loquitur Redemptor, deinde redempti gratias agentes, de sua liberatione, ibi, *redemisti*. Inde ipsi iidem diu de perturbatione sua agentes, *miserere mei*, etc. Prophetæ autem vox interponitur propter finem et in finem, ibi, *quam magna, et* ibi, *diligite Dominum*. In hac tamen tanta varietate non mutatur vox, sed caput et membra eadem voce utuntur, dicendo, *ego me mihi*, quod fit propter nimiam unitatem capitis et corporis, id est Christi et Ecclesiæ, sponsi et sponsæ, quam facit charitas. Sicut enim lingua omnium membrorum suscipit vocem, dicens : *Pro pede calcas me ;* non dicit, calcas pedem, et pro manu vulneras me, non ait vulneras manum meam. Sic Christus membrorum utitur verbis, non incongrue, non se dividens a verbis nostris. [Aug.] Qui enim dignatus est pro nobis homo fieri, et forma servi vestiri, non dedignatur nos transfigurari in se. Quod utique facit pluribus modis, scilicet dum vel aliquid facit vel dicit ad informationem membrorum, ut quando jejunavit et oravit et tentatus est (*Matth.* IV). Vel quando in persona membrorum loquitur, vel de membris in sua persona, ut *Saule, Saule, quid me persequeris* ? (*Act.* IX.) Vel quando aliquid in se esse ostendit quod non habet ex natura suæ conditionis, sed misericorditer assumpsit, de corruptione nostræ infirmitatis, ut cum dicit se tristari vel pavere, et hujusmodi. Qui ergo sic nos transfiguravit in se, non dedignatur loqui verbis nostris ut, et nos loquamur suis. Hæc est divina commutatio, et divina sunt hæc commercia, celebrata in hoc mundo a negotiatore cœlesti. Venit enim cœlestis negotiator accipere contumelias, dare honores; haurire dolorem, dare salutem; subire mortem, donare vitam. Moritur ergo ex nostro, id est ex carne nostra, quam habebat, non in se, sed in nobis pavebat. Quod enim paves, tuum est ; B quod speras, donum Dei est. Paves, ut te agnoscas ; speras, ut divinam misericordiam glorifices, quæ te in pavore consolatur. Loquitur ergo hic Christus in propheta et in membris. Et si enim hoc psalmo quædam dicantur quæ capiti non valeant congruere ; Christus tamen loquitur, quia in membris suis Christus est. Quasi enim una persona et sponsus et sponsa, id Christus et Ecclesia. Unde Isaias, hanc unitatem commendans ait : *Sicut sponso alligavit mihi mitram, et sicut sponsam ornavit me ornamentis (Isa.* LXI). Se dicit sponsum, et se sponsum, propter excellentissimam unitatem capitis et corporis, quam etiam notavit Dominus, cum de conjugio loqueretur per Adam ; *propter hoc*, inquit, *relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una* (*Gen.* II). C Quod exponens Apostolus dicit : *Hoc magnum sacramentum esse in Christo, et in Ecclesia* (*Ephes.* V). Quia ergo sponsus et sponsa sunt duo in carne una, merito hæc duo sunt in voce una. [Hier.] Incipit ergo ex persona capitis, dicentis ad Patrem sic :

VERS. 1. — « In te, Domine, speravi, non confundar in æternum ; in justitia tua libera me. »

In te, Domine Pater, *speravi* secundum quod homo, non confundar in æternum, [Aug.] id est nunquam confundar, dum mihi ut homini simili cæteris insultatur, [Cassiod.] *in justitia tua libera me,* de morte resuscitando.

VERS. 2. — « Inclina ad me aurem tuam; accelera ut eruas me. »

Inclina ad me aurem tuam, [Aug.] id est proxima mihi humili, et *accelera* in faciendis, (Alcuin.) D id est, in his quæ facienda sunt, in solvendis animabus de inferno et hujusmodi. Et *ut eruas me*, a morte tertia die resuscitando. Non differas usque in communem resurrectionem, vel in finem mundi segregare me a peccatoribus quod ut sit,

(66) Ex Cass. in conclusione psalmi.

Vers. 3. — « Esto mihi in Deum protectorem, « et in domum refugii, ut salvum me facias. »

Esto mihi in Deum protectorem, [Alcuin.] id est esto mihi, o Deus, tantus protector, quantum decet esse Deum, et *in domum refugii, ut salvum me facias*, [Aug.] id est, esto mihi quasi domus ad quam refugiens salvus fiam. Ideo te, et non alium quæro.

Vers. 4. — « Quoniam fortitudo mea et refugium « meum es tu ; et propter nomen tuum deduces me, « et enutries me. »

[Gl. int.] *Quoniam* tu *fortitudo mea* ad tolerandos peccatores, vel persecutores (Aug.) *et* tu es *refugium meum*, (Cassiod.) ad relinquendos eos in fine malorum, qui scilicet finis est per mortem, et *propter nomen tuum*, (Aug.) id est ut per me innotescas omnibus gentibus; *deduces me*, vel dux mihi eris, Alia littera, id est per omnia sequar voluntatem tuam *et enutries me*, id est paulatin aggregando mihi sanctos, adimplebis corpus meum. (Gl. int.) Et etiam de passionibus me erues, quod ita ait :

Vers. 5. — « Educes me de laqueo quem abs« conderunt mihi, quoniam tu es protector meus. »

Educes me de laqueo quem absconderunt mihi, (Cassiod.) id est de morte levabis me ad superna, ut frustra sint Judæorum consilia : *educes* dico *quoniam tu es protector meus* contra quem nulla potest adversitas. Unde jam in passione clamante :

Vers. 6. — « In manus tuas commendo spiritum « meum ; redemisti me, Domine Deus veritatis. »

In manus tuas commendo spiritum meum, (Aug.) id est potestati tuæ commendo cito recepturus. Nota eum hic loqui qui in passione eadem verba protulit. Ex his enim verbis quæ in cruce Christus dixit, admonet se in hoc psalmo locutum esse ; deinde populus fidelis passione Christi redemptus, et de resurrectione capitis lætus, dicit gratias agens ; *Redemisti me, domine Deus veritatis*, non fallens in promissione, quia facis quod promisisti.

Possunt etiam præcedentia accipi ex persona ejusdem populi, id est Ecclesiæ, quæ in exstasi pavens, a spe tamen incipit, ita dicens : *O Domine, speravi in te*, non in me. Pavor enim non est isti sine spe. Si enim est conturbatio, non deest divina consolatio. Et ideo, *non confundar in æternum*. Illam enim confusionem perhorresco, quæ est in æternum. Est enim quædam confusio temporalis, quæ est ad horam, quæ quidem prodest, scilicet perturbatio animi, respicientis peccata sua, et respectione horrentis, et horrore erubescentis, et rubore corrigentis. Tali enim confusione vult iste confundi, sed non aternæ : a qua liberari precatur, subdens : *in tua justitia libera me;*
62 id est, in ea justitia quam das mihi, libera me, (Gl. int.) quia meam non invenis nisi superbam et falsam. Unde dicitur : *Ignorantes Dei justitiam, et suam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti* (*Rom.* x). [Aug.] Si ergo attendas ad justitiam meam, damnas me. Hominis justitia est, qua suis viribus putat se justificari, non quærens gratis salvari. Quis est qui salvatur gratis? In quo non
A invenit Salvator quid coronet, sed quid damnet. Non invenit merita bonorum, sed merita suppliciorum, si ageret tanquam districte, damnaretur peccator. Et si hoc ageret, quem liberaret? nullum. Omnes enim peccatores invenit solus sine peccato in mundum veniens. Gratia ergo Dei per Jesum Christum liberat. Quare gratia? quia gratis datur. Quare gratis datur? quia merita tua non præcesserunt, sed beneficia Dei prævenerunt. Ideo ait in justitia tua libera me, id est ideo me liberet quia me justificat, id est ex impio facit pium, ex iniquo justum, de cæco videntem. *Inclina ad me aurem tuam*, id est misericordiam tuam. Hoc fecit Deus, quando Filium misit. Quæ enim major misericordia, quam ut unicum Filium daret pro nobis? Ecce hic
B oratio, sicut in principio psalmi, præmissa est spes : *Accelera ut eruas me*, id est a malis. Accelera dicit, ut notet quod non est diu illud quod finitur, et quod tibi tardum est et longum, in oculis Dei breve est. Adhuc orando dicit : *Esto mihi in Deum protectorem*, id est protege me, ut decet te Deum meum, et *esto mihi in domum refugii*, quia refugio ad te cum periclitor. Sunt alii qui fugiunt a te, cum tamen latere te non possunt, sed quocunque divertant, Deum iratum inveniunt. Unde alibi : *Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam?* (*Psal.* (CXXXVIII.) Nihil ergo restat, nisi ad te fugere, non a te cujus oculis omnia nuda sunt. Attende ordinem orationis. (Alcuin.) Quomodo ascendit? Dixit enim, justitiam da, a peccatis erue, protege. Hic dicit : Esto domus
C refugii. (Cassiod.) Domus refugii est Ecclesia, in qua sunt salvi homines, ut in arca Noe salvi fuerunt. Et est : Esto mihi in domum refugii, id est esto mihi refugium in domo Ecclesiæ, ita *ut salvum me facias*. Ideo te non alium quæro, *quoniam* tu non alius es, *fortitudo mea et refugium meum*. Hoc expositione non indiget. *Et propter nomen tuum*, (Aug.) non propter meritum meum; non quia sim dignus, sed ut tu glorificeris, *deduces me*, vel, dux mihi eris, ne aberrem a te, et *enutries me*, ut validus sim ad capiendam escam, qua pascis angelos. Hic enim lacte nos nutrivit, qui nobis cœlestem cibum promisit, et usus est materna misericordia. Mater enim lactans parvulum, escam cui mandendæ infans idoneus non est, per carnem trajicit, et lac infundit parvulo, hoc idem accipienti,
D quod accepturus erat ad mensam, sic Dominus sapientiam suam qua pascuntur angeli, ut lac nobis faceret carne indutus venit ad nos, (Alcuin) ut grandi cibo angelorum in lac converso, alamur parvuli, ut tandem eodem reficiamur validi. Et attende quod hic affirmat liberationem, de qua etiam subdit, *educes me de laqueo*. (Aug.) Laqueum vocat insidias et tentationem diaboli, qui per duas portas tentat, scilicet cupiditatis et timoris. Per cupiditatis portam tentavit primo Christum tribus modis scilicet gula, avaritia et vana gloria. Quam portam cum invenisset clausam, postea tentavit eumdem, per timorem passionis, et ita per easdem

portas tentat omnes sanctos. Unde totum corpus Christi dicat, educes me de laqueo *quem absconderunt mihi;* vel muscipula, quam occultaverunt mihi, id est de insidiis quas occulte tendunt mihi diabolus et sui. Ideo educes, *quoniam tu es protector meus*, Et vere, quia tu, domine Deus veritatis *redemisti me*, in Christo clamante : *In manus tuas commendo spiritum meum* (*Luc.* XXIII). Deinde sequitur ex persona ejusdem populi.

VERS. 7. — « Odisti observantes vanitates super-« vacue. »

Odisti, etc. Quasi dicat : Me redemisti, [Aug.] sed *odisti* quidem *observantes vanitates*, id est falsam beatitudinem sæculi, quæ non tantum vacue, sed et *supervacue* observatur, [Aug., Gl. int.] cum et pro vita male quis agit appetendo vanitatem, et tamen eamdem vitam perdit.

VERS. 8. — « Ego autem in Domino speravi, ex-« sultabo et lætabor in misericordia tua. »

Ego autem qui non observo vana *in Domino speravi*, [Aug.] si speras in pecunia, vel in honore et sublimitate aliqua humanæ potestatis, sive in aliquo homine potente, observas vanitatem. In his enim omnibus cum speras, aut tu exspiras, et ea hic dimittis ; aut cum vivis omnia pereunt, et in spe tua deficis. Unde Isaias : *Omnis caro fenum, et omnis gloria ejus quasi flos terræ. Aruit fenum, et flos ejus decidit ; verbum autem Domini manet in æternum* (*Isa.* XL). Ideo ait, speravi in Domino, qui non est vanitas, sed veritas et vita. Et ideo, *exsultabo et lætabor in misericordia tua*, [Aug., Gl. int.] quæ non fallit, non in mea justitia. [Cassiod.] Distingue inter exsultabo et lætabor : exsultare est cum magna alacritate animi gaudere ; lætari temperata animi affectione gaudere. [Alcuin.] Et attende quod hic agit de gaudio, quod habet ex eo quod sperat in Domino, qui odit vanos.

VERS. 9. — « Quoniam respexisti humilitatem « meam, salvasti de necessitatibus animam meam. »

Quoniam respexisti. [Gl. int.] Exponit misericordiam, quasi dicat : In hoc apparet misericordia tua *quoniam respexisti humilitatem meam*, qua me vanitati in spe subjecisti. Et accipit humilitatem, (Alcuin.) et pro infirmitate, et pro ipsa virtute humilitatis, et *salvasti*, quasi dicat, et quia placet humilitas, ideo, salvasti *de necessitatibus* animam meam. (Gl. int.) Necessitates sunt infinitæ, scilicet nescire cor alterius, suspicari non bene de amico fideli, vel bene de infideli, nescire qualis cras eris, nolle mori et tamen mori, sequi veteres consuetudines. Unde Apostolus : *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* (*Rom.* VII.) Qui sic humilis est, (Alcuin.) salvatur in præsenti ex parte, in futuro plenarie. Vel, salvasti me a descendentibus in lacum, legalis timoris, scilicet ut charitate libera serviat, et victis necessitatibus.

VERS. 10. — « Nec conclusisti me in manibus « inimici ; statuisti in loco spatioso pedes meos. »

Nec conclusisti me, (Aug.) ita ut non respirarem A in libertatem *in manibus inimici*, id est, in potestate diaboli, cupiditate vitæ illaqueantis et morte terrentis, a cujus manibus liberantur qui bene vivunt, et bene moriuntur. Qui autem male, concluduntur hic, ut cum illo in fine damnentur. Et, *statuisti in loco spatioso pedes meos*, id est ab angustiis timoris in libertatem deduxisti charitatem meam, et hoc in resurrectione Christi, simili promissa mihi. Jam enim facilem mihi fecisti justitiam, quæ aliquando difficilis fuit ; certe angusta via est laboranti, lata est amanti eadem quæ angusta est, lata fit. Vel potest dici ex persona Christi : *Ego autem in Domino speravi, exaltabo et lætabor in tua misericordia, quoniam respexisti humilitatem meam.* Hæc de Christo patent, qui etiam subdit : *Salvasti me a descen-* B *dentibus in lacum*, (Cassiod.) id est a peccatis, quibus homo se exsolvere nequit, *nec conclusisti me in manibus inimici*, (Gl. int.) id est, in potestate diaboli, qui non habet in me quidquam. Et *statuisti pedes meos*, id est affectus, *in loco spatioso* (Cassiod.) id est in patria virtutum, id est in charitate quæ est locus spatiosus, et regio beatorum, id est locus liber a potestate diaboli. Sed quia caro est infirma, et urgent mala, subdit ex persona membrorum.

PARS. II. VERS. 11. — « Miserere mei, Domine, « quoniam tribulor ; conturbatus est in ira oculus « meus, anima mea, et venter meus. »

Miserere mei : (Alcuin.) Secunda pars in qua jam C enarratur pavor, id est quot et quanta mala perturbant, contra quæ est et oratio. Quasi dicat : Statuisti in loco spatioso pedes meos, (Aug., Gl. int.) sed econtra sunt mali incutientes mihi pavorem : unde precor, *miserere mei*, *Domine*, et necesse est *quoniam tribulor*, non dico morior, (Aug.) sed *tribulor* : quia de morte jam non terreor sed de cruciatibus, et de malorum excessibus. Mirum videtur quod hic ait, tribulor, cum de manu inimici liberatus paulo ante gaudebat, quodam infuso sibi a largitore dono Dei, et dicebat : Statuisti in loco spatioso pedes meos. Sed sciendum quod secundum alia membra ejusdem corporis, quod est Ecclesia, ibi loquebatur secundum alia hujusmodi. Aliis enim est locus spatiosus ex liberationis gratulatione, aliis ex tribulatione et angustia, secundum quos D ait ; quoniam tribulor a Deo, quod, *oculus meus*, rationis *conturbatus est in ira*, [Cassiod.] id est propter iram, et furorem persequentium. In ira enim persecutorum, turbatur oculus meus, id est ratio *et anima mea*, [Alcuin.] id est, sensualitas *et venter meus*, id est caro mea. Vel per oculum et animam significantur doctores spirituales, quorum doctrina alii vident, eorumque exemplo alii vivunt. Per ventrem intelliguntur infirmi. Et, conturbatus est oculus meus in ira, id est hi per quos alii vident. Et, anima mea, id est ii quorum exemplo alii vivunt ; et venter meus, id est debiles : hos omnes ponit ut ab omnibus gradibus quæratur Deus. Hinc est turbatio et metus.

Vers. 12. — « Quoniam defecit in dolore vita « mea, et anni mei in gemitibus. »

Quoniam defecit vita temporalis *in dolore* tormentorum, (Gl. int.) quasi dicat : Per longas et graves passiones ad mortem perducta est præsens vita *et anni mei,* (Cassiod.) id est, longa vita durans ad pœnas. Sunt *in gemitibus*, non morte tolluntur.

Vers. 13. — « Infirmata est in paupertate virtus « mea, et ossa mea conturbata sunt. »

Infirmata est virtus mea, vel infirmatus est vigor meus, alia littera, *in paupertate* vel egestate. Alia littera, (Aug.) egeo enim sanitate corporis, nec parcitur cruciatibus, egeo resolutione, et parcitur morti, et in hoc infirmata est virtus mea, id est fiducia mea, *et ossa mea conturbata sunt*, id est firmitas mea conturbata est. Vel de ira Dei agit, (Cassiod.) qui iratus exponit sanctos quandoque magnis tribulationibus. Quasi dicat : Adeo tribulor, quod oculus meus, (Hier.) id est intellectus, quo te, o Deus contemplabar, conturbatus est in ira tua et anima mea et venter meus. (Aug.) Iratus enim turbasti oculum quem habebam in te. Et, animam, id est sensualitatem, et, ventrem, (Alcuin.) id est memoriam qua tenebam quid pro me pertuleris, et quid mihi promiseris. (Cassiod.) Intellectus enim turbatur, et animus confunditur, quando pericula formidantur quibus Deus sanctos exponit. Et, venter turbatur, id est memoria, quæ notitias rerum, quasi venter escas recipit. Hæc memoria, habens in se reposita promissa Dei, turbatur imminentibus periculis. Inde est turbatio et metus. Quoniam vita mea, (Aug.) id est, confessio fidei, et tui nominis, o Deus, defecit in dolore tormentorum ; et anni mei, (Cassiod.) id est, tempora quæ hic diutius ago, sunt, in gemitibus. non in claris vocibus. Et virtus mea, scilicet virtus animi infirmata est, ita ut tædeat etiam vivere, (Alcuin.) et hoc in paupertate vel egestate, id est in indigentia plenitudinis, (Cassiod.) quia humana fragilitas nil boni habet in se. Et ossa mea conturbata sunt, id est fortitudo corporis conturbata est. Per hoc ostenditur quod nec in anima, nec in corpore ulla potest esse hominis præsumptio. Vel de ira sua propria agit hic sanctus vir. Ira enim alia est justa, alia iniqua, quia alia est per vitium, alia per zelum. Ira justa est, (Aug.) qua irascitur quis suis et alienis peccatis, videns homines confitentes Deum, ore, et negantes moribus, renuntiantes sæculo verbis et non factis, et videns fratres fratribus insidiantes, osculum dantes, et fidem non servantes, quales genuit iste existens tanquam granum inter paleas, et quasi lilium inter spinas, quibus condolet, et irascitur ex charitate. Unde alibi : *Zelus domus tuæ comedit me, et opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me* (*Psal.* LXVIII). Et Solomon ait : *Melior est manifesta correctio, quam amor absconditus* (*Prov.* XXIII), quia melior est ira et aspera increpatio viri sancti apta, quam adulatoris assentatio lenis veritatem occultans. Unde : *Oleum peccatoris*

A *non impinguet caput meum* (*Psal.* CXL). Unde alibi : *Meliora sunt vulnera* **63** *diligentis, quam fraudulenta oscula odientis* (*Prov.* XXIII). Et alibi : Mel distillat de labiis meretricis. In labiis vero sanctorum mors est, vel gladius, quo peccantes feriunt quasi irati bona est hæc ira. Iniqua autem est illa, quæ transit in odium. Unde Apostolus : *Sol non occidat super iracundiam vestram (Ephes.* IV). [Aug.] Super illam occidit sol, quæ habet odium fratris, hæc oculum exstinguit. [Alcuin.] Ira enim per vitium oculum mentis excæcat. Ira enim per zelum turbat, quia et hæc concussa mente contemplationem dissipat, quæ non est nisi in quieta mente; sed inde post paululum plus proficit ad videndum Deum, ut collirium oculis appositum, prius perturbat
B visum, sed post clariorem reddit. De hac ira agit iste, dicens : Conturbatus est oculus meus interior in ira, id est propter iram meam. Et anima mea, id est sensualitas. Et venter meus, id est omnia interiora mea. [Aug.] Irascitur enim iste peccatis palearum, non tamen odit, in quo exstingueretur oculus. Venter pro interioribus ponitur, quæ turbantur, quando nec corripi possunt impii, quibus non clamat clare, sed intus ingemiscit, dicens : Quoniam defecit, quasi dicat : Ideo turbatus est oculus, quoniam vita mea defecit in dolore, vita perfectorum et profectus aliorum. Unde Apostolus : *Nunc vivimus, si vos statis in Domino* (*I Thes.* III). Et item : *Cupio dissolvi et esse cum Christo ; manere autem in carne, necessarium est propter vos* (*Philipp.* III). Cum autem videt aliquis ex dispensatione
C sua, et ex laboribus suis, et prædicatione sua non proficere homines, dolet et ait, defecit in dolore vita mea, videns non proficere eos quibus prædicat : et anni mei, id est tempora quæ hic ago, et non in claris vocibus, sed, in gemitibus sunt, quia abundat iniquitas multorum. Et virtus mea infirmata est in paupertate, vel egestate, quia refrigescit charitas multorum, et ossa mea conturbata sunt, id est fortes etiam pro peccantibus turbati sunt.

Vers. 14. — Super omnes inimicos meos factus « sum opprobrium vicinis meis valde, et timor notis « meis. »

Super omnes. Item hæc Ecclesiæ vox est, [Aug.] id est populi fidelis, qui ait, *factus sum opprobrium*
D *super inimicos meos*, id est, super omnes iniquos qui torquentur pro sceleribus suis usque ad confessionem. Horum opprobrium supero, cujus confessionem, non mors, sed cruciatus sequitur. Quibus autem fiat opprobrium determinat, dicens *vicinis meis*, id est, his qui jam proximi sunt fidei meæ, et *timor notis meis*, id est, ipsis notis timorem incussi, exemplo horribilis tribulationis. Vel ita : Factus sum opprobrium valde, et hoc pro his inimicis, qui sunt, super omnes inimicos meos, id est qui sunt deteriores omnibus aliis inimicis meis. Inimici sunt pagani et Judæi, sed omnibus pejores sunt falsi Christiani, pejus enim paganis et Judæis vivunt mali Christiani, quos propheta Ezechiel comparat sar-

mentis (*Ezech.* xv). Hac enim invite prævalent silvestribus lignis, quia ferunt fructum, præcisa solus ignis exspectat, cum de illis faber aliquid facere non possit. Vitis Christus est, qui ait : *Ego sum vitis vera, et vos palmites (Joan.* xv). In hac vite manentes fideles, fructum salutis ferunt ; excisi vero, incendio ignis æterni sunt apti, cum de paganis et Judæis aliquid adhuc fieri possit. Cum enim illud quod nodosum et curvum, et corticosum est in eis dolabitur et deplanabitur, potuerint venire in usum spiritualis fabricæ, sicut ligna silvatica structuris ædificiorum sunt apta. Mali Christani sunt malæ ficus. malæ valde ; sicut et vere boni, sunt ficus bonæ, bonæ valde : de quibus in Jeremia legitur : *Quid tu vides, Jeremia ?* Qui ait : Calathos ficuum ego video, *ficus bonas, bonas valde* ; *et ficus malas, malas valde* (*Jer.* xxiv). De malis ait Petrus : *Facta sunt illis posteriora deteriora prioribus. Melius enim illis erat non cognoscere viam justitiæ, quam congnoscentibus retro flecti* (*II Petr.* ii). [Aug.] Sunt enim quasi canis reversus ad vomitum suum, et quasi sus lota in volutabro luti. Deinde quibus factum sit opprobrium, subdit, vicinis meis, scilicet factus sum opprobrium, id est, jam volentibus credere, qui deterriti sunt, mala vita falsorum Christianorum gravantium navem, id est Ecclesiam. Hæc est navis Petri, quæ multitudine piscium gravabatur, ita ut pene submergeretur. Isti sunt mali homines in Ecclesia abundantes, pro quibus timent et noti, ne omnes tales sint : et veniunt in suspicione mala prope omnes boni. Dicitur enim, qualis vir erat ille ? Quomodo cecidit ? quomodo inventus est in illa turpitudine ? in illo scelere ? in illo facto malo ? Putas non tales sunt omnes ? Sunt utique. Ideo subdit : Et timor factus sum notis meis. Eosdem dicit notos, quos dixerat vicinos.

Vers. 15. — « Qui videbant me foras, fugerunt « a me ; oblivioni datus sum tanquam mortuus a « corde. »

Qui videbant me. [Aug.] id est, qui non intelligebant invisibilem spem meam, *foras fugerunt a me*, id est, in exteriora et invisibilia ista fugerunt a spe invisibilium, et a fide catholica in hæreses et schismata declinaverunt. Hoc maxime gemendum est et dolendum, quod illi etiam qui noverunt quid sit Ecclesia foras, fugerunt faciendo schismata et hæreses. Et *oblivioni datus sum*, vel oblitus sum, tanquam mortuus a corde, id est sic in oblivionem eis veni, et sic obliti sunt me illi, quasi a corde eorum mortuus sim. Et

Vers. 16. — « Factus sum tanquam vas perditum, « quoniam audivi vituperationem multorum commo- « rantium in circuitu. »

Factus sum tanquam vas perditum [Aug., Gl.int.] id est, visus sum mihi periisse, usibus Domini vivens, et nullum lucri faciens, vel acquisitos non retinens : Hoc ideo dico, *quoniam audivi*, et tacui, *multorum commorantium in circuitu vituperationem*. [Aug.] Multi enim me vituperant, sequentes circuitum temporalium rerum et nolentes reverti in patriam mecum. Vituperantur enim pro malis Christianis omnes boni a circumeuntibus, et nunquam intrantibus ad veritatem. Multi enim mala dicunt in malos Christianos, quæ maledicta perveniunt ad omnes Christianos. Quasi enim maledicit vel reprehendit, non separat, non discernit bonos a malis, vel malos a bonis. Non dicit, ecce quæ faciunt mali ; sed ecce quæ faciunt Christiani. Illi tamen ista dicunt qui circumeunt et non intrant. Quare circumeunt et non intrant ? quia rotam temporis amant, non intrant ad veritatem, quia non amant æternitatem temporalibus dediti, tanquam rota constricti : de quibus alibi : *Pone principes eorum ut rotam* (*Psal.* lxxxii). Et alibi : *In circuitu impii ambulant* (*Psal.* xi), qui tales nos fideles vituperando a veritate et ab Ecclesia ejicere volunt. Unde subdit :

Vers. 17. — « In eo dum convenirent simul adver- « sum me, accipere animam meam consiliati sunt. »

In eo [Aug.] scilicet vituperio *dum convenirent adversum me,* [Cassiod.] et hoc *simul* omnes, non pauci, graviusque est quod consilio geritur plurimorum. Dum, inquam, convenirent *consiliati sunt accipere animam meam,* [Aug.] id est facere ut consentiret eis anima mea, quam ne mors liberet, consilium fecerunt, quo mori non sinerent. Sed ego quid contra feci ? Quod consilium inveni ? Ecce,

Vers. — « Ego autem in te speravi, Domine ; « dixi : Deus meus es tu, in manibus tuis sortes meæ. »

Ego autem in te speravi, [Aug.] quasi dicat illi ita, *ego autem* inter hæc opprobria, inter hæc scandala, inter istas seditiones [Cassiod., Aug.] sciens quia potestas talium nulla est, *in te, Domine*, *speravi,* non in homine. Nihil salubrius, nihil securius est quam sperare in Domino, quia, *maledictus omnis qui spem suam ponit in homine.* [Hier.] Si enim attendis hominem, et ex illo vis pendere spem tuam adhuc lacte nutriri vis, et fies mammotreptus, quales dicuntur pueri qui diu sugunt, quod non decet. Idoneus ergo esto ad mensam, ubi validiori cibo pascaris. Ideo forte permisit te Deus incidere in malum hominem quem bonum putabas, ut in ubere quasi materno amaritudinem invenires, et ea offensione repellereris, et ad cibum validiorem, id est, ad Deum invitareris. Faciunt enim nutrices hæc mammotreptis, ut aliqua amara ponant in papillis suis, quibus offensi parvuli ab ubere resiliant et ad mensam veniant. Dic ergo tanquam grandiusculus, *ego* autem in te, Domine, speravi. In hoc nemo fallitur, in aliis invitandis sæpe fallimur. Et, *dixi*, Domino, *tu*, non homo quisquam *Deus meus es* quia non mutabilis es. Vel, non enim proficis, vel deficis, ut homo non proficis, quia perfectus ; non deficis, quia æternus. Vel, Deus meus es, id est Salvator meus, et nonne salvum me facies, qui modo emendas ? quasi dicat facies utique, et *in manibus tuis,* non hominum, id est in potestate tua, atque notitia tua sunt *sortes meæ*, id est causa et ordo electionis hominibus oc-

cultus. Non enim video cur me elegisti de impiis. Et hæ sortes sunt meæ, quasi dicat; et si justus et occultus ordo electionis apud te est, ego tamen quem hoc latet, ad tunicam domini inconsutilem, id est ad unitatem. Ecclesiæ sorte perveni, id est gratia electionis. Ad litteram, sors non est aliquid mali, sed res in humana dubitatione divinam indicans voluntatem. Nam et sortes miserunt apostoli, quando Judas tradito Domino periit, et tunc quæri cœpit, quis in locum ejus ordinaretur; et electi sunt duo judicio humano, sed electus est de illis duobus unus judicio divino; de duobus consultus est Deus quemnam illorum ipse vellet, et cecidit sors super Mathiam. Sors ergo hic accipitur quantum existimo ego, gratia Dei, quæ sine meritis quos vult eligit. Et hoc est, in manibus tuis sunt sortes meæ, id est gratuita mea electio, quia Dei voluntate et justitia occulta venit electio mea. Vel, secundum aliam litteram, in manibus tuis, id est, in potestate tua. [Cassiod.] Sunt tempora vitæ, quia quando vis vivimus vel morimur. Et ideo,

VERS. 19. — « Eripe me de manu inimicorum « meorum, et a persequentibus me. »

Eripe me de manibus inimicorum meorum, (Aug.) id est diaboli et ministrorum ejus, qui nobis invident regnum cœlorum. Unde ejecti sunt qui nos persequuntur. Unde subdit, *et a persequentibus me*, maxime illi persequuntur Ecclesiam, qui cum sint Christiani, nolunt bene vivere. Per hos enim opprobrium habet Ecclesia, et ab his inimicitias sustinet, quando corripiuntur, quando male vivere non permittuntur. Inter quos iste gemens ait:

VERS. 20. — « Illustra faciem tuam super servum « tuum; salvum me fac in misericordia tua, Domine: « non confundar, quoniam invocavi te. »

Illustra faciem tuam super servum tuum, (Aug.) id est, notum fac hominibus, qui putant me negligi, quod facies tua super me intendat, et quod ego tibi serviam, cum confusio sit modo permistis malis cum bonis, ac si diceret: Appareat quid ad te pertinet, cum modo sit confusio. Unde in alio psalmo ait; *Discerne causam meam de gente non sancta* (*Psal.* XLII), ne tamen justificare se videatur, subdit, et *salvum me fac o Domine*, non in mea justitia, non in meritis meis, sed *in misericordia tua*. Non quia ego dignus sim, sed quia tu misericors es, noli me audire, secundum judiciariam severitatem, (Aug.) sed secundum misericordissimam bonitatem. Et, *non confundar*, id est non erubescam insultantibus mihi malis, ex eo *quoniam*, id est quod *invocavi te* non aliud. Vel causa est, quare non confundar, quasi dicat: Ideo non confundar, quoniam invocavi te, proprie quod non mali. Invocas enim Dominum, quando in te vocas Deum, quando eum in domum cordis tui invitas, quod prius necesse est mundari ab universis sordibus et fraudibus, aliter enim non vere invocas. Si enim invocas Deum, ut det tibi lucrum, lucrum invocas, non Deum. Gratis ergo Deum iuvoca avare, ut te impleat ipse Deus. Nunquid sine

A auro et argento non vis illum venire ad te? Quid ergo de his quæ facit tibi Deus sufficit, cui Deus ipse non sufficit? Merito ergo hic rogat, non confundar quoniam invocavi te. Invoca ergo Deum si vis non confundi.

VERS. 21. — « Erubescant impii, et deducantur « in infernum: muta fiant labia dolosa. »

64 *Erubescant*, [Cassiod.] quasi dicat: Præcor ut non confundar, potius erubescant *impii* qui lapides invocant *et deducantur in infernum*, id est in umbris infernalibus socientur, talem confusionem timebat iste. (Aug.) Et *labia dolosa*, quæ hic garrula sunt, dum non timent judicium, *muta fiant* in pœnis, ut potius dicant: *Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam*, etc. (*Sap.*) Labia dico,

B VERS. 22. — « Quæ loquuntur adversus justum « iniquitatem, in superbia et in abusione. »

Quæ loquuntur adversus justum, (Gl. int.) id est, contra Christum, vel etiam contra suos. (Cassiod.) Attende quod apte opponit justo *iniquitatem*. Loquuntur dico, *in superbia* quia creatura contra Creatorem extollitur, *et in abusione*, (Alcuin) id est, perverso usum beneficiorum Dei. Præter usum namque quo de beneficiis solent homines esse grati, fecerunt, cum eum qui propter eos venit crucifixerunt. Vel, secundum aliam litteram, loquuntur iniquitatem in superbia et contemptu, (Aug., Gl. int.) id est, superbientes et contemnentes Christum, quasi purum hominem crucifixum, cum ipsi floreant in mundo, contra quos ex Propheta clamabat dicens: Quam magna, etc.

C (Cassiod.) Possunt etiam hæc ex persona Christi accipi ab illo loco, *Super omnes inimicos meos*. Et dicit Christus secundum quod homo, *factus sum opprobrium super omnes inimicos meos*, id est apud omnes inimicos meos; et factus sum etiam opprobrium *vicinis meis valde, et timor notis meis*. Et fit distinctio, ibi, *opprobrium*. Vel ita, *factus sum opprobrium super omnes inimicos meos*, id est, in majori opprobrio habitus sum, quam illi qui erant digni eo, ut quando Judæi elegerunt Barrabbam et Christum refecerunt. Et quibus factus sit opprobrium subdit dicens, vicinis meis valde, id est parentibus meis, vel jam credituris. Et timor notis meis, id est familiaribus meis. Et, *qui videbant me foras*, id est qui me purum hominem putabant, ut exterius videbar, *fugerunt a me*, sicut apostoli:

D qui videntes Christum comprehendi in passione eo relicto aufugerunt. (Cassiod., Alcuin.) Et oblivioni datus sum, vel excidi tanquam mortuus a corde eorum, id est a mente illorum excidi ut mortuus, cujus memoria cum corpore sepelitur, de cujus reparatione desperatur. *Et factus sum tanquam vas perditum*, (Cassiod.) quia mortuus Jesus abjiciendus putabatur. Et hoc ideo, *quoniam audivi et tacui vituperationem multorum commorantium in circuitu* erroris ut illi qui legem carnaliter et non spiritualiter intelligunt, vel qui punctum veritatis in me non attingunt. *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent* (*I Cor.* II). (Aug.) Vel in circuitu, id est in appetitu temporalium. Et in eo,

vituperio, *dum convenirent simul*, id est omnes, *Accipere adversum me animam meam consiliati sunt*, [Cassiod.] id est, facere ut eis consentiret anima mea. Ego autem sciens quia potestas talium nulla est, *in te, Domine, speravi*. Et, *dixi, Deus meus es tu, in manibus tuis sortes meæ*, vel *tempora* vitæ, hoc non mutatur. *Eripe me*, quasi dicat : In te speravi, ut autem eripe me *de manu inimicorum meorum*, et a persequentibus me, scilicet de manu Judæorum et dæmonum. Et *illustra faciem tuam super servum tuum*, id est manifestam fac benevolentiam tuam super me, ut sicut de moriente desperant, ita de resurgente confidant. Unde subdit, *et salvum me fac in misericordia tua, Domine*, resuscitando me ; *et non confundar, quoniam invocavi te*. Hoc non mutatur. Impii vero Judæi et alii non credentes, *erubescant et deducantur in infernum*, [Aug.] post hanc vitam, et hic interim, *labia dolosa*, quæ de me fingunt falsa, *muta fiant*, manifestatis sacramentis tuis scilicet, passionis, resurrectionis, redemptionis humanæ. Labia dico, *quæ loquuntur iniquitatem adversum* justum, scilicet *me*, et hoc, *in superbia et in abusione*, sicut ante hoc expone. Ista ergo cernens et admirans Propheta exclamat :

PARS III. VERS. 25. — « Quam magna multitudo « dulcedinis tuæ, Domine : quam abscondisti timen- « tibus te. »

Quam magna. [Alcuin.] Tertia pars, ubi dicit quæ bona Dei sunt, contra prædicta mala, quæ leniant ipsa mala, quasi dicat : Illi loquuntur adversum justum, et superbiunt. Sed, o Domine, quam magna est *multitudo dulcedinis tuæ*, [Cassiod.] id est, quam multis modis copiosa est dulcedo tua, qua corrigis, parcis, promittis, [Aug.] qua etiam eos quos emendas multum amas, quam tamen impius non sentit, qui palatum cordis perdidit, de febre iniquitatis, sed ne securi negligentius agant, abscondisti eis dulcedinem tui amoris, quibus utile est timere te. Hoc est quod subdit, *quam*, scilicet dulcedinem tuam *abscondisti*, [Cassiod.] id est, occultasti ut plus desideretur, in futuro vero patebit. Abscondisti dico, *timentibus te*, id est tuis, ad hoc ut timeant te. Vel abscondisti timentibus te, scilicet illis servasti, illis non negasti, [Aug.] ut soli ad eam perveniant, ut soli eam habeant, non communem impiis. Hanc autem dulcedinem.

VERS. 24. — « Perfecisti eis qui sperant in te, in « conspectu filiorum hominum. »

Perfecisti, [Hier.] id est, perficies, non substrahens *eis* qui non tantum timent, sed *et sperant in te*, scilicet qui usque in finem exspectant. Sperant dico, *in conspectu filiorum hominum*, [Aug.] id est qui ite sperant, ut non erubescant de spe sua et fide, sed coram hominibus confiteantur. Unde Dominus in Evangelio : *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo* (*Matth.* IV). Vel ita, perfecisti hanc dulcedinem sperantibus, et hoc quidem est, in conspectu filiorum hominum, id est hoc non latet eos, qui non se-

A cundum Adam, sed secundum Filium hominis vivunt, et si multi inde dubitant.

VERS. 25. — « Abscondes eos in abscondito fa- « ciei tuæ, a conturbatione hominum. »

Abscondes eos, quasi dicat : Ita est eis dulcedo perfecta, quia abscondes eos, ne videantur ab impiis *in abscondito faciei tuæ*, [Gl. int., Cassiod.] id est notitiæ tuæ, scilicet ut te videant per speciem, qui modo lates : abscondes dico, *A conturbatione hominum*, id est dum mali homines turbabuntur damnati . [Aug., Cassiod.] Vel, a conturbatione hominum, ut ipsi jam nullam humanam conturbationem patiantur. De præsenti etiam potest hoc accipi, quia etiam modo tribulati et opprobriis hominum vexati, mente intrantes ad vultum Dei, non
B turbantur. Proteges, quia prædicta in futuro promiserat, ne promissio tamen futura turbaret, hic de præsenti agit.

VERS. 26.— « Proteges eos in tabernaculo tuo ; a « contradictione linguarum. »

Proteges, [Aug.] quasi dicat : In futuro abscondes, et hic interim dum peregrinantur, dum maledictæ linguæ obstrepunt, negantes futura, *proteges eos* ne eis noceatur, *in tabernaculo tuo*, scilicet in tabernaculo fidei earum rerum, quas pro nobis Dominus gessit et pertulit, id est, in Ecclesia catholica, quæ est tabernaculum fidei. Tabernaculum enim, habitatio est militum positorum in expeditione ; domus habitatio est quiescentium. Pugnet ergo in expeditione peregrinus, et protectus in ta-
C bernaculo ; gloriosus quiescat in domo cœli, non manu facta. Sed a quibus proteges ? ecce, *a contraditione linguarum*, scilicet omnium schismatum et hæresum. Diversæ enim hæreses et schismata personant, quæ contradicunt veridicæ Christianæ doctrinæ. Ideo tu curre ad tabernaculum Dei, Ecclesiam catholicam tene, a regula veritatis non discedere. [Cassiod., Alcuin.] Benedictus, plenitudinem beneficii in laude conclusit, comparans illud suæ imbecillitati, et loquitur Propheta, vel populus fidelis, quasi dicat : quid ultra dicam ? nil restat nisi laudare deum. Et,

VERS. 27. — « Benedictus Dominus, quoniam mi- « rificavit misericordiam suam mihi : in civitate mu- « nita. »

D *Benedictus* sit *Dominus*, id est laudatus, [Aug.] *quoniam* post emendationem persecutionum *mirificavit misericordiam suam mihi*, id est, mirabilem fecit omnibus misericordiam suam, non tantum in Jerusalem, sed *in civitate munita* vel circumstantiæ. Alia littera, id est in toto orbe terrarum. Misso enim Spiritu sancto, totum mundum replevit, qui dicitur civitas circumstantiæ, quia circumstabat Judæam, in qua populus Dei erat. Quasi dicat : In medio gentium, ibi dicebantur laudes Deo, ibi sacrificia offerebantur, ibi prophetia non cessabat : modo vero in omnibus gentibus circumstantibus est populus Dei, in quibus effusa est misericordia, prius in illa Jerusalem. Quasi dicat : In vase un-

guentum Christi tenebatur; sed nunc tanquam de fracto vase unguentum per mundum diffusum est. Unde in Canticis : *Unguentum effusum est nomen tuum* (*Cant.* I), quia apostoli Spiritu sancto inuncti, magnalia Dei ubique prædicaverunt, et de Jerusalem, fugati quasi ligna ardentia igne divino totam silvam mundi fervore spiritus incenderunt, et lumine veritatis impleverunt. Item et idem mundus bene dicitur civitas munita, quia sapientia carnis, et philosophica traditione armatus erat contra Deum. [Cassiod.] Vel mirificavit Deus Pater misericordiam suam, id est incarnationem Verbi, in civitate circumstantiæ, id est in Jerusalem [Aug.] quæ est in medio gentium, quasi templum fidei. Unde circumjectis gentibus veritas fluxit, quia ubi Christus docuit, passus est, resurrexit, et cætera sacramenta complevit. Loquitur hic populus fidelis, qui ante loquebatur, comparans Dei beneficium suæ imbecillitati, quasi dicat : Mirificavit Dominus misericordiam suam.

VERS. 28. — « Ego autem dixi in excessu mentis meæ : Projectus sum a facie oculorum tuorum. »

Ego autem. Populus fidelis superius loquens *dixi in excessu* vel exstasi *mentis meæ*, et in pavore meo cum in me sævirent horribiliter gentes; qui pavor dicitur excessus, [Alcuin.] quia a ratione excedit timendo, *projectus sum* secundum pœnam et secundum culpam, *a facie oculorum tuorum*. [Aug.] Si enim me respiceres, non ista pati sineres; si in facie tua essem, non ita timerem. Sed dicitur in alio psalmo : Si *dicebam, motus est pes meus, misericordia tua, Domine, adjuvabat me* (*Psal.* XCIII). Unde et hic subdit,

VERS. 29. — « Ideo exaudisti vocem orationis meæ : dum clamarem ad te. »

Ideo exaudisti, etc., quasi dicat : Quia confessus sum meum lapsum, quia non superbus exstiti, sed cor meum accusavi, quia in tribulatione titubans ad te clamavi, [Gl. int.] ideo non me timentem et pusillanimem abjecisti, sed *exaudisti vocem orationis meæ*, [Aug.] modum ponens emendationi, ostendens me ad te pertinere. Et hoc fecisti indilate, scilicet *dum clamarem*, id est nimis intenderem *ad te*, clamor enim fit ad Deum, non voce, sed corde, quia multi silentes labiis clamaverunt, multi ore strepentes, corde averso nihil impetrare potuerunt. Clama ergo intus, ubi Deus audit. Attende ergo hoc totum in Petro, in quo nostri timoris typus præcessit, qui videns Dominum ambulantem super aquas, putavit esse phantasma, cui Dominus ait : *Ego sum, noli timere*. Confidit Petrus et dixit : *Domine, si tu es, jube me venire ad te super aquas* (*Matth.* XIV), quasi dicat : Hinc probo si tu es, si in verbo tuo potero quod potes. Et ait, *veni*, et ad verbum jubentis facta est potestas audientis. Descendit enim et cœpit ut intrepidus tanquam in illo sperans. Videns autem ventum validum venientem, timuit; et cum cœpisset mergi clamavit dicens :

A Pereo. Hoc est quod iste ait : Ego dixi in excessu mentis meæ, projectus sum a facie oculorum tuorum. Et hoc est quod in alio psalmo dicitur : *Dicebam motus est pes meus* (*Psal.* XCIII), Jesus autem porrigens Petro manum, levavit eum. Hoc est quod hic subditur, ideo exaudisti vocem orationis meæ. Hoc idem est quod in alio psalmo dicitur : *Misericordia tua adjuvabat me (Psal.* XCIII). Vel excessum mentis hic dicit, qui fit quando mens rapitur ad superna. Unde recognoscit hujus peregrinationis miseriam. Rapta enim mente sursum, vidit iste altitudinem Dei, [Hier., Alcuin.] ex qua sensit, dum est in hac vita, se esse projectum valde longe a contemplatione luminis Dei. Et quia hoc humiliter plangit, et amissum in primo parente bonum sibi
B reddi precatur, ideo exauditur a Deo. Unde subdit; ideo exaudisti vocem orationis meæ, dum clamarem ad **65** te. [Aug.] Hic est conclusio hortatoria. Hic enim hortatur iterum Propheta, quasi dicat pro his prædictis.

VERS. 30. — « Diligite Dominum, omnes sancti ejus, quoniam veritatem requiret Dominus; et retribuet abundanter facientibus superbiam. »

Diliget Dominum. [Aug.] Vel hic loquitur populus fidelis, qui prædicta expertus jam vos hortatur, quasi dicat, tribulatus sum, clamavi, timui, non sum confusus; [Cassiod.] ita et vos exaudiemini si dilexeritis Deum. Et ideo, diligite Dominum, auctorem tanti beneficii, [Aug.] o vos omnes *sancti ejus* quorum est diligere Deum, qui non amant mundum,
C neque quæ in mundo sunt (*Joan.* IV). [Alcuin.] Amicus enim hujus mundi, constituitur inimicus Dei. [Aug.] Disce ergo non diligere mundum, ut discas diligere Deum. Averte, ut convertaris : funde, ut implearis. Ideo diligite, *quoniam Dominus requiret veritatem*. [Gl. int.] Veritas est, ut creatura serviat Creatori. Hanc in futuro requiret Dominus, etiam a sanctis, quando vix justus salvabitur. [Aug.] *Et si vix justus salvabitur, impius et peccator ubi parebunt?* (*I Petr.* IV.) *Et* tunc *retribuet abundanter facientibus superbiam*, [Cassiod.] sæviendo contra eos qui eum contemnunt, faciendo contra jussa Dei, [Aug.] id est, tribuet his qui abundanter faciunt superbiam, qui nec convicti convertuntur, quia multum superbiunt. [Cassiod.] Omnibus etiam abun-
D danter faciunt superbiam, qui non cito pœnitent de quolibet criminali peccato. Superbia enim ponitur pro omni vitio, quia radix est omnium vitiorum. Hic etiam in præsenti aliquibus aliquando retribuet Dominus, ut superbos humiliet, [Aug.] quod ideo fit, quia si nulli hoc faceret, non videretur vigilare divina providentia; si omnibus hoc faceret, non servaretur divina patientia. Ut ergo patiens et justus appareat aliquibus, et non omnibus, hic retribuit.

VERS. 31. — « Viriliter agite et confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in Domino. »

Viriliter agite, et confortetur, etc., [Gl. int.] quasi dicat : Retribuet in futuro. Interim ergo

[Cassiod.] Viriliter agite, ne sit otiosa dilectio [Aug.] sed indesinenter bona operentur, ut bonum sine defectu operantes suo tempore sine defectu metatis, [Cassiod.] *et* si gravia occurrant, quæ supra dixi *confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in Domino.* In hoc versu exprimitur virtus et intentio psalmi totius, ne carnis fragilitas timeat tot mala sæculi.

COLLATIO IN PSALMUM XXX : « IN TE, DOMINE, « SPERAVI, NON CONFUNDAR IN ÆTERNUM. »

VERS. 4. — *Deduces me et enutries me.* Idem Hieron. et Campensis, sed Sanctes, Pratensis, Munsterus, et interpretes pro Cajetano. *duces et deduces me*, vertunt, quia tamen similem particulam psalm. XXI versiculo, *super aquas refectionis educavit me*, Hieron. transtulit, *enutrivit me ;* et quadrantius respondet ad gratiam Christi, quæ enutrit nos ut fortes simus, ut commentatus est in hunc locum. Præstabat non mutare LXX versionem, et si sensus possit conciliari. Pellicanus verbum Hebraicum, quod hic habetur per he id est per aspirationem tenuem, legit per fortem aspirationem, quia traduxit, *quasi hæreditatem possidebis me.* תנחלני TENACHALENI, pro תנהלני TENAHALENI. Et videtur magis accedere ad rationem educationis.

VERS. 6. — *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum.* Hebr. habent אפקיד APHQUID, et LXX παραθήσομαι, id est *commendabo*, per futurum tempus. Apparet Christum Dominum, dum in cruce penderet, tempus mutasse. Licet Græci codices, in Evangelio Lucæ XXIII, habeant futurum, quos crediderim mendosos, eo quod veteres adducunt evangelistam per præsens. Hieronymus 3 adversus Pelagianos, et in commentario hujus loci ; Aug. contra sermonem Arianorum, cap. 9 et 10, et in enarratione psalmi ; Ambr. in locum Lucæ indicatum. ac rursus in eumdem Theophylactus, nisi fallat codex. Simile fecit Apostolus, Ephes. IV, qui respicens rei factæ adimpletionem, quod dixerat psal.: *Accepit dona in hominibus*, posuit ἔδωκε δόματα, *dedit dona.* Translatio tamen ad Campensem habet per præsens. Nec est insolitum apud Hebr. futurum fungi vice præsentis. Unde Munsterus vertit, *commendo spiritum meum.*

VERS. 15. — *Qui videbant me, foras fugerunt a me.* Faber et Cæcus volunt emendari lectionem Latinam, ut particula *foras*, non jungatur ad *fugerunt*, sed ad verbum *videbant*, et dicatur Latinius, *foris videbant*, quia Hier. dixit, *videbant me in plateis.* Hier. tamen in commentariis, et August. referunt ad verbum *fugerunt*, ut liquet ex interpretatione. Et Campensis dicit, *foras fugerunt relicto me solo.* Nec obest quod ad dictionem בחוץ BAHUTZ, ponitur notula distinctionis, quia in psalterio, teste Campensi, non habet vim distinguendi.

VERS. 16. — *Audivi vituperationem multorum commorantium in circuitu.* Sanctes , Pratensis, Munsterus, interpretes pro Cajetano, *vituperationem* seu *infamiam multorum*, pavor aut pavorem circumquaque, ut pro illo quod est commorantium, ponant *pavorem.* Hier., juxta Hebr. sic reddit, *congregationem in circuitu ;* Pellicanus, *quæ perambulat in circuitu.* Vocabulum Heb. מגור MAGOR signat modo *mansionem*, modo *pavorem* a themate גור GOR, id est *commoratus est, timuit.* Male igitur et gratis novatores recedunt a Latina editione, si ex contemptu fecerint.

VERS. 18. — *In manibus tuis sortes meæ.* Hebr. עתותי ITTOTAI, id est *tempora mea.* Eodem recidit sensus ; sors enim nostra, id est electio est in potestate Dei abscondita, tempus autem ex sui ratione, innuit quid Deus disponat, aut ordinet. Unde translatio, ad Campensem, *in manu tua facta mea sunt.*

VERS. 21. — *Erubescant impii, et deducantur in infernum.* Hebr. ידמו לשאול IIDEMU LISSEOL, *taceant in fovea*, id est inferno. Sanctes tamen vertit, *excidentur in inferno.* Quantum ad rem ipsam pertinet, perpusillum est. Esto fortasse quod דום DOM non significet *deduxit*, tamen silere ad infernum, est nullam habere causam defensionis, quin peccator ad infernum mittatur ac deducatur. Et ita taciturnitas illa justa est damnatio, cui non habeas quod respondeas, juxta Matth. XXII : *At ille obmutuit.* Et translator ad Campensem habet, *in foveam consopiantur ;* et Munsterus, *compescantur.*

Quæ loquuntur adversus justum iniquitatem. Hebr. עתק ATHAQ. alias signat *rem gravem* et *duram*, alias *veterem*, eoque in versione Hier. juxta alterum exemplar habet *vetera*, juxta alterum *dura.* Et posteriorem modum sequuntur Pratensis, Sanctes, Munsterus, et interpretes pro Cajetano. Pellicanus dicit *vetustum.* Quomodo autem vetustas et gravitas proprie dicantur de peccato, Scriptura nusquam non ostendit, et quid per ea intelligi deberet, LXX concinne in suo interpretamento aperuerunt.

VERS. 25.— *A conturbatione hominum*, מרכסי איש MERUCESC IS. Hieron. *a duritia viri*, Sanctes, Pratensis, interpretes pro Cajetano. Pellicanus, *ab elationibus*, seu *superbiis viri*, id est hominum, inquit Sanctes in suo Thesauro, qui etiam expositionem rabbinorum refert. Rabbi Salomon, *a conjunctionibus* seu *societatibus impiorum.* Thargum, *ab exercitibus potentium ;* Rabbi Himmaniel, *a duritiis et fortitudinibus viri.* Munsterus propinquius ad LXX, *ab irritationibus cujuscunque.* Conturbatio autem hominum ista omnia complectitur.

VERS. 28. — *Ego dixi in excessu mentis meæ.* Hier.. *in stupore meo.* Plures vertunt *in præcipitatione mea*, seu *dum festinarem ;* Pellicanus utrumque ponit, et *præcipitationem*, et *pavorem.* In hoc nihil aliud dicimus, quam quod Hier. respondet ad Suniam et Fretellam : « Ego autem dixi in *excessu mentis meæ*, pro quo in Latinis codicibus legebatur, *in pavore meo.* Et nos juxta Græcum transtulimus ἐν τῇ ἐκστάσεί μου, id est in *excessu mentis meæ.* Aliter enim Latinus sermo ἔκστασιν exprimere non potest nisi *mentis excessum.* Aliter in Hebraico me legisse noveram, *in stupore et admiratione mea.* » Hæc ille. Sed translatio ad Campensem, *in desperatione mea ;* ipse Campensis, *in anxietate summa.*

VERS. 30. — *Quoniam veritatem Dominus requiret.* Hebr. אמונים נוצר EMUNIM NOTZER, *fideles* seu *veritates custodit.* Sed quorum pacto custodit veritates Dominus, nisi examinando vitam veracem districte in extremo judicio ? Unde veritates custodit qui semper quomodo serventur requirit, ut nihil non examinatum relinquat, vel minutulam cogitationem : quæ si quid sinistri habuerit, adamussim, et ad veritatis regulam expendetur : a judice vero, quem latere nihil potest.

PSALMUS XXXI.

PSALMI TITULUS : « INTELLECTUS DAVID. »

Beati quorum remissæ sunt iniquitates. Titulus, *intellectus David.* [Aug.] Psalmus iste agit de gratia et misericordia Dei, qua Christiani sumus. Unde Apost. in Epistola ad Romanos, ex hoc psalmo argumentum gratiæ sumit, contra illos qui de operibus

legis gloriantur, et merita sua jactant, dicens, beatitudinem esse illius hominis, cui Deus accepto fert justitiam (*Rom.* III), sicut ait Propheta : *Beati quorum*, etc. [Alcuin.] Et agit iste Psalmus maxime contra vitia hominum, qui vel peccata sua nesciunt, vel agnita defendunt et merita jactant ; [Aug.] econtra docens ut peccatores nos agnoscamus, et peccata accusemus, et bona gratiæ Dei attribuamus (67). Contra vita ergo hominum hic psalmus opponitur, ne quis putet Deo absconditum, quod in conscientia habet occultum. Et est sensus tituli : [Gl.int.] Hic est *intellectus David*, id est, pœnitentis, in cujus persona hic loquitur David, [Cassiod.] id est hic docetur quid intelligere debeas, si vere pœnitens es, vel pœnitere vis. [Aug.] Primo, intelligas te peccatorem esse, post si cœperis bonum facere, ne viribus tuis tribuas, verbo te justificans, sed gratiæ Dei, ut non sit dolus in corde. Et est iste psalmus secundus pœnitentialium, diversus a primo. In primo enim pœnitens timore judicii plorat. In isto peccata quæ tacuerat, graviter afflictus cogitur confiteri.

Intentio. Monet ad pœnitentiam. [Cassiod., Alcuin.] Modus. Quatuor sunt partes : primo, dicit initium boni esse per indulgentiam Dei, se vero sequentem illud vitium hominum fuisse miserum, sed per misericordiam Dei conversum fuisse ad verum intellectum, ad quem opportunius expertus casum alios deceptos revocat, in quo et stantes confirmat. Secundo agit de confessione, unde est venia, ibi, *delictum meum cognitum.* [Cassiod.] Tertio pœnitentiam commendat, ibi, *pro hac orabit.* Quarto, ponitur lætus finis, ubi dicitur Deus dare intellectum, ibi, *intellectum tibi dabo.* Gratiam itaque commendans Propheta initium boni per indulgentiam Dei esse ostendit, dicens :

VERS. 1. — « Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. »

Beati quorum remissæ sunt iniquitates. [Aug.] Non dicit in quibus non invenit peccatum, nam in omnibus invenit, sed quibus remittuntur. Nihil boni fecisti et datur remissio peccatorum. Tibi debebat vindictam ex culpa tua, dat indulgentiam ex gratia sua. Malis enim operibus tuis debetur damnatio, sicut bonis operibus debetur regnum cœlorum. Si reddatur ergo tibi quod debetur, puniendus es, non tibi reddit Deus debitam pœnam, sed donat et indebitam gratiam. Nemo ergo jactet opera sua ante fidem, nemo sit piger in operibus bonis accepta fide. Dat enim Deus indulgentiam impiis, et eos justificat ex fide. Incipitur **66** ergo justificatio fidei per indulgentiam. [Alcuin.] Iniquitates autem dicit, fomitem peccati, scilicet concupiscibilitatem, quæ ante baptismum non tantum pœna, sed et culpa est, non utique actualis sed et originalis ; post baptismum vero pœna est et non culpa (68). In baptismo enim dele-
A tur originale peccatum : non ut non sit, sed ut peccatum ultra non sit. Ideoque congrue dicit : *Beati quorum remissæ sunt iniquitates*, id est, mitigatæ per gratiam, ut non regnent in mortali corpore (*Rom.* VI). Cujus rei causa est, quod in baptismo tecta sunt peccata. Unde subdit, *et quorum peccata*, scilicet originalia, et si qua sunt actualia, *tecta sunt,* [Aug,] id est, cooperta et abolita. Si enim Deus texit peccata, noluit advertere. Si noluit advertere, noluit animadvertere, id est punire ; noluit agnoscere, sed ignoscere. Non ergo dicit tecta peccata, tanquam ibi sint et vivant, sed ita deleta ut Deus non videat, id est puniat æternaliter. Videre enim Dei est peccata punire. Unde alibi : *Averte faciem tuam a peccatis meis* (*Psal.* L). Et dicitur hoc a simili. [Gl. int.] Ita
B enim teguntur peccata in baptismo, sicut Ægyptii insequentes Israel, tecti sunt in mari Rubro (*Exod.* XIV). Ne hoc sufficit quod in baptismo tegantur peccata, nisi inde caveatur ab eo quod Deus imputat, id est a criminali. Unde subdit :

VERS. 2. — « Beatus vir cui non imputa vit Dominus peccatum : nec est in spiritu ejus dolus. »

Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum, qui sibi cavet a criminali peccato, quod imputatur ad pœnam æternam. [Cassiod.] Vel et si remissis iniquitatibus et tectis peccatis sit aliquod levius peccatum, ut Job et Nathanaeli, quos laudat Dominus, non *imputavit Dominus peccatum* (69). Vel iniquitatem dicit peccata quæ ante fidem vel baptismum sunt ; peccata, quæ post fidem vel baptismum sunt.
C Et est, *beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata*, id est quibus Deus peccata ante fidem remittit. Non enim per se beati sunt, in quibus tegit peccata post fidem, ne in judicio revelentur. Et sic non imputabitur eis peccatum aliquod ad pœnam. [Alcuin.] Unde subdit : *Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum*, aliis enim qui gravia habent Deus imputat, aliis per misericordiam non imputat et si habent aliqua, his scilicet qui non justos se prædicant cum sint mali, sed se agnoscentes satisfaciunt. Unde ait, *nec est in spiritu ejus dolus*, [Aug., Cassiod.] hic ostendit cui non imputet, illi, scilicet, in quo non est dolus. Quia se accusat cum sit peccator, corde tenet quod ore fatetur. Dolus est, ut cum sit peccator, justum
D qui se prædicet. Qui vero se occusat, dolo caret : talis erat Nathanael, de quo Dominus dixil : *Ecce verus Israelita, in quo dolus non est* (*Joan.* I) ; et publicanus ille humilis, qui dicebat : *Propitius esto, Deus, mihi peccatori* (*Luc.* XVIII).

VERS. 3. — « Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea : dum clamarem tota die. »

Quoniam tacui. [Hier.] Quasi dicat : Hoc modo profiteor, sed olim *quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea* ; vel ita junge : Hic est beatus in cujus spiritu non est dolus, [Aug.] quia ego non confitens Deo

(67) Ex Cassiod. in 3 vers. hujus psal.

(68) Ex Aug., lib. I, De nupt. et conc. cap. 25.

(69) Ex Hier. in c. *Ose.* VIII.

olim, veni in peccatum. Et hoc est quod ait, quoniam tacui, quod non esset tacendum, scilicet confessionem peccati. Inveteraverunt ossa mea, id est interior fortitudo defecit, si contra fecisset, innovaretur virtus robusta in Domino. Si enim clamassem peccata, inveniretur in se infirmus ; sed fieret in Domino firmus. Nunc autem perverse tacuit peccata, et clamavit merita. Unde subdit : *Dum clamarem tota die.* Dixi enim quod non esse dicendum de justitia mea, ergo non est contrarium quod ait, tacui dum clamarem. Tacuit enim quædam, non tacuit quædam ; tacuit unde proficeret, non tacuit unde deficeret ; tacuit confessionem, clamavit de meritis præsumptionem. Sana membra medico ostendebat, vulnerata tegebat. Ideo non fuit curatus, non fuit sanatus, sed inveteratus, id est remansit in vetustate, quia confitendo non amavit novitatem. Qui enim non vult confiteri peccata, laborat sine causa in defensione peccatorum, in quo cum jactet merita, amplius deficit ejus fortitudo. Exaggerat enim culpam, dum defendit : propellit gratiam, dum merita jactat. Ergo etiam si non sit sibi quis conscius, non tamen justum se prædicet, quia *delicta quis intelligit* (*Psal.* XVIII) ? aut, *quis gloriatur castum se habere cor ?* (*Prov.* XX.) Qui dicit se peccatum non habere, mendax est (*Joan.* I). Unde Apostolus : *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justus sum* (*I Cor.* IV). Et Salomon : *Est justus qui perit in sua justitia* (*Eccli* VII). Ille, scilicet, qui præsumit de justitia, ut pharisæus, qui dicebat : *Non sum sicut cæteri homines*, etc. (*Luc.* VIII). Vel ita, tacui, voce peccatum, dum clamarem tota die, affectu me fore peccatorem, quia pœna peccati vel interior excæcatio me peccatorem ostendebat.

VERS. 4. — « Quoniam die ac nocte gravata est « super me manus tua ; conversus sum in ærumna « mea, dum configitur spina. »

Quoniam die. Quasi dicat : Peccata tacens et merita jactans *inveteravi,* sed, o Domine, quoniam *manus tua gravata est super me* ad humiliandum me superbum, [Aug.] quia vindicta tua me tetigit, et hoc *die ac nocte*, id est assidue, *conversus sum in ærumna mea,* id est cognovi me miserum, *dum confringitur*, vel configitur *spina*, id est, dum compuncta est conscientia. Tunc enim sensi dolorem, et inveni meam infirmitatem. [Cassiod.] Vel cognovi me miserum ; dum confringitur spina (70) scilicet quæ totum corpus erigit, scilicet superbia, quæ fracta non ejicit ad interitum, sed erigit ad salutem. Vel ita lege litteram, quasi dicat : Clamavi et tacui, quod non debui, et ideo, manus tua gravata est super me die ac nocte, non mutatur sensus horum verborum, quasi dicat : Me assidue percussisti, et non immerito, quoniam conversus sum in ærumna mea, [Aug.] id est factus sum miser. Et vere est ærumna mea et miseria, dum, id est quia, spina, id est peccatum configitur, id est usque ad consensum, et consuetudinem, et opus ducitur [Alcuin.] De his spinis dictum est primo homini peccanti : *Terra tua germinabit tibi spinas et tribulos* (*Gen.* III). Et alibi : *Spinæ et tribuli nascuntur in manibus temulenti* (*Prov.* XVI). Vel spina, id est ratio ; confringitur, id est fracta ad terrena curvatur, quæ sursum erigi debet, sicut spina dorsi hominem erigit.

PARS II. Διάψαλμα. VERS. 5 — « Delictum meum « cognitum tibi feci ; et injustitiam meam non abs« condi. »

Delictum meum, etc. [Cassiod., Alcuin.] Secunda pars, ubi commendatur confessio peccati, unde venia est, sicut supra dixit, quod de tectione inveteratio processit (71). Quasi dicat : Conversus sum in ærumna, puncta est conscientia mea, et sic ego *feci* per me *cognitum tibi* confitendo, scilicet delictum meum, scilicet quod commisi facienda, scilicet quod tacui peccata ; *et injustitiam meam,* scilicet quod non facienda feci, id est quod clamavi merita, *non abscondi,* [Aug., Gl. int.] id est, non operui, sed aperui, ut operires tu ; detexi, ut tegeres tu. Nam quando homo detegit, Deus tegit : cum homo tegit, Deus denudat ; si homo agnoscit, Deus ignoscit.

VERS. 6. — « Dixi : Confitebor adversum me injus« titiam meam Domino ; et tu remisisti impietatem « peccati mei. »

Dixi : Confitebor, [Gl. int.] quasi dicat, feci cognitum, et vere. Dixi enim prius, [Alcuin.] id est, deliberavi apud me, hoc, scilicet, quod ego *confitebor* vel pronuntiabo, *injustitiam meam Domino,* agens *adversum me* injustitiam, [Gl. int.] id est agens contria priora. Prius enim tacueram, modo pronuntiabo. Vel ita, confitebor injustitiam meam Domino. [Aug.] dicens eam esse adversum me, id est mihi eam dando, non Deo vel naturæ, quod iterum est dare Deo ; modo ergo confitebor adversum me, [Gl. int.] qui prius contra Deum. [Aug.] Multi enim confitentur iniquitatem suam, sed adversus Deum. Quando enim inveniuntur in peccatis, dicunt : Non hoc feci, aut non est hoc peccatum, sed Deus voluit. Alii dicunt : Fatum mihi fecit, stellæ mihi fecerunt. Et ita per circuitum volunt pervenire ad Deum accusandum, non de compendio ad Deum placandum. Stellas enim ipse fecit et ordinavit. Et ita per eas volunt ostendere quod Deus fecit ut peccarent. Dicant ergo illi potius : *Domine, miserere mei, et sana animam meam, quia peccavi tibi* (*Psal.* XL). Ita clamet æger ad medicum, et dicat : Cum libero arbitrio creavit me Deus : ideoque si peccavi, ego peccavi non fatum, non fortuna, non diabolus me coegit : sed ego persuadenti consensi. *Et tu remisisti,* [Gl. int.] quasi dicat, ita dixi, et ita proposui. Et tu remisisti etiam *impietatem* peccati mei, quæ est quod tacere decrevi culpam, et male clamavi merita. Magna pietas Dei hic ostenditur, [Cassiod.]

(70) In Psalt. Rom. legitur *confringitur.*

(71) Ex Greg. in expositione VII psal. pœnitent. et ex Cassiod.

ut scilicet ad solam promissionem dimiserit peccatum. Votum enim pro operatione judicatur. [Aug.] Magnum est ergo quod ait, dixi : Confitebor vel pronuntiabo, alia littera. Nondum pronuntiat, promittit se pronuntiaturum. Et Deus jam dimittit, quia hoc ipsum dicere, scilicet pronuntiabo vel confitebor, quodammodo pronuntiare est, non ore, sed corde ; nondum est vox in ore, ut homo audiat confessionem, et Deus audit.

PARS III. Διάψαλμα. VERS. 7. — « Pro hac orabit « ad te omnis sanctus in tempore opportuno. »

Pro hac orabit. [Cassiod.] Tertia pars, ubi plenitudinem commendans omnibus sanctis dicit eam esse communem, quam variæ sectæ respuunt : contra quas ad Deum refugit, [Alcuin.] quasi dicat, remisisti impietatem peccati mei. [Aug.] Et, pro hac, remissione facta, *orabit ad te omnis sanctus.* Inde enim est sanctus, et inde oratur, quia dimisisti, quia aliter non esset sanctus, nec adoraret, quia omnes sunt peccatores, et egent gloria Dei. Et quando orabit? *In tempore opportuno.* Tempus opportunum est tempus gratiæ, quod novum tibi manifestatum est et gratia Christi revelata est (*Rom.* III). De quo Apostolus : *Quando venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege essent redimeret* (*Galat.* IV). Unde redimeret? a diabolo, a perditione, a peccatis, ab onere legis, quæ eos premebat, et reos convincebat ; non juvabat spinam peccati, ostendens, non consumens. [Alcuin.] Et ita quasi coegit eos clamare ad gratiam et ad medicum, gratia autem sanat.

VERS. 8. — « Verumtamen in diluvio aquarum « multarum, ad eum non approximabunt. »

Verumtamen. [Alcuin.] Quasi dicat : Licet sanctus oret, licet tempus opportunum sit, [Aug.] verumtamen illi qui sunt *in diluvio aquarum multarum,* id est defluentes in carnalibus concupiscentiis. Vel qui sunt in diluvio aquarum multarum, [Alcuin.] id est qui sunt in erroribus diversarum sectarum, et in multiplicitate vanarum doctrinarum, ut philosophi qui libero arbitrio, et Judæi, qui carnalibus observantiis salutem ascribunt, [Aug.] et alii qui fato vel fortunæ peccata, vel aliis hujusmodi imputant, cum una sit doctrina Dei, quæ est de humiliatione cordis et confessione peccati. Ii, inquam, omnes *non approximabunt ad eum,* id est, ad Deum, mutat enim hic personam, ut sæpe facit, ut ibi : *Domini est salus, et super populum tuum benedictio tua* (*Psal.* III). Non enim appropriant ad Deum qui sunt in diluvio variarum doctrinarum, ut qui dicunt, fatum me peccare fecit, vel fortuna, quæ omnia regit, vel gens tenebrarum, quæ Deo rebellat. Diversæ sunt hæ aquæ et amaræ ; sed illa est vera et dulcis aqua, quæ de intimo fonte puræ veritatis emanat : hæc est aqua confessionis peccatorum, et humiliationis cordis, vitæ hominis salutaris abjicientis se, et nihil de se præsumentis, et nil suæ potentiæ superbiæque tribuentis. Hæc aqua ab illo emanat, qui cum esset altus, pro nobis factus est humilis, id est a Christo. Vel, non approximabunt ad eum, id est ad sanctum, illi tales secundum imitationem. Sed in hoc diluvio quod undique perstrepit.

VERS. 9. — « Tu es refugium meum a tribula« tione quæ circumdedit me : exsultatio mea, erue « me a circumdantibus me. »

Tu es refugium, etc. [Greg.] Ego enim ens in hoc 67 diluvio, ambulans in hoc sæculo, non audio tales, sed ad te refugio. [Hier.] Vel ita, pro hac, scilicet impietate tollenda, orabit ad te omnis sanctus, quia nullus est sine peccato. Etiam orabit dico, in tempore opportuno, in hac vita ubi licet. Verumtamen, quasi dicat, dico, sanctus orat, in quo notatur habere peccata, sed tamen in diluvio aquarum multarum, id est dum pœnæ et angustiæ inundabunt in judicio, [Alcuin.] ipsæ pœnæ non approximabunt ad eum, sanctum, sicut nec aquæ ad Noe in diluvio appropinquaverunt (*Gen.* VII), *tu es,* quasi dicat, sanctus orabit, dicens ita, o Domine, tu es *refugium meum* non mea vis, vel alius Deus : sed, tu solus, es refugium meum, [Aug.] *a tribulatione* hujus sæculi, vel peccatorum, *quæ circumdedit me,* et tu es *exsultatio mea.* Gaudeo enim spe futuri boni quod promittis, et quod parcis. Et ideo, o tu Domine, *erue me a circumdantibus me,* quia quamvis gaudeam in spe, tamen adhuc sum in malis.

PARS IV. Διάψαλμα. VERS. 10. — « Intellectum tibi « dabo, et instruam te in via hac qua gradieris : fir« mabo super te oculos meos. »

Intellectum tibi, etc. [Alcuin.] Quarta pars, ubi ostenditur lætus finis. Et dicitur quod Deus dat intellectum. Unde iste alios hortatur ad idem quasi dicat : Tu, erue me, qui promisisti mihi hoc, intellectum tibi dabo. [Cassiod.] Vel respondet Christus pœnitenti qui petierat erui ; cui respondetur a Domino : Intellectum tibi dabo, [Aug.] ut scilicet te cognoscat et scias. Quod omnia sunt ex gratia, et gaudeas in spe. Ecce quare dicitur psalmus intelligentiæ, sicut titulus monstrat, quia scilicet hic dicitur dari intellectus pœnitenti, [Alcuin.] ne putetur supplicans negligi, teste Deo, *et instruam te* ne aberres quasi dicat inermem gladio. [Aug., Cassiod.] Et hoc *in via hac* scilicet Dei *qua gradieris* non errore, non ut hæreas ibi *firmabo super te oculos* ne quis tibi noceat, id est non auferam a te postea oculos *meos,* [Aug.] quia tu semper levas oculos tuos ad me, [Cassiod.] jam justificatus. Ecce quanta est gloria pœnitentis.

VERS. 11. — « Nolite fieri sicut equus et mulus « quibus non est intellectus. »

Nolite fieri, etc. [Aug.] Accepto intellectu convertit se iste pœnitens ad superbos peccata defendentes, et ostendit nobis quid sit intellectus. [Alcuin.] Quasi dicat : Ita Dominus mihi fecit : ergo o vos quos invito, *nolite fieri sicut equus,* non dicit sicut bos qui est humilis, sed equus, qui erecta cervice incedit, per quem significantur superbi : sicut per mu-

lum stolidi et pigri. Et est, nolite fieri sicut equus et mulus, id est superbi et stolidi, quia talibus non est intellectus. [Hier.] Vel per equum et mulum, duo populi intelliguntur. Per equum intelligitur gentilis indomitus; per mulum Judæus piger ad credendum. Et est, nolite fieri sicut equus et mulus, id est nolite fieri sicut gentiles, vel sicut Judæi, *quibus non est intellectus*. Quid enim tales patiuntur? Ecce, in camo, etc. Vel ita, nolite fieri sicut equus. Equus sine discretione sessorem, mulus quælibet onera accipit. [Cassiod.] Et ita neutri est intellectus, vel illi sessorum, vel huic onerum.

Prohibet ergo homines a diabolo insideri et vitiis onerari, alioquin equus freno, mulus camo arceatur. Et est, *nolite fieri sicut equus et mulus*, id est nolite diabolum sessorem recipere, vel onus vitiorum subire, quia talibus non est intellectus, sicut equo et mulo. Unde subdit, *quibus non est intellectus:* [Aug.] quod si noluit acquiescere, o Deus, fac eis quod mihi fecisti, dicit pœnitens, scilicet,

VERS. 12. — « In camo et freno maxillas eorum « constringe, qui non approximant ad te. »

In camo et freno, id est in majori et minori tribulatione *constringe*, vel confringe, [Alcuin.] vel confringes, id est reconde et coarcta *maxillas eorum*, id est jactantiam de viribus suis et meritis. [Aug.] Si enim non habes Christum sessorem, os quo jactas merita, et taces peccata, confringetur. Si ergo non vis confringi os tuum, noli esse sicut equus et mulus, sed sicut bos qui cognovit possessorem suum (*Isa.* I). Vel, in camo et freno maxillas eorum, quibus mandunt. Confringe, [Cassiod.] id est parcius da victualia, ut saltem necessitate coacti redeant sicut animalia donec viam teneant, frena patiuntur et flagella. Maxillas eorum, dico, *qui non approximabunt ad te* humiliando se, quia sunt quidam qui si peccant carnis imbecillitate, tamen a piis precibus non recedunt.

Possunt etiam hæc esse verba Christi : *Nolite*, etc., qui supra pœnitenti respondit dicens : *Intellectum*, etc., et hoc ad alios loquitur, monens eos ad idem, dicens, *Nolite*, etc. Postea verba ad Patrem convertit, dum ait, *constringe*, etc. Nec mutatur verborum sententia.

VERS. 13. — « Multa flagella peccatoris, speran- « tem autem in Domino misericordia circumda- « bit. »

Multa etiam cum freno sunt *flagella peccatoris*. [Aug., Alcuin.] Ecce post frenum adduntur flagella ad domandum, ne sit de illis impunitis quibus modo datur vaga licentia suæ viæ : sic iste supra se dixit domitum, ubi ait : *Gravata est super*, etc. [Aug., Hier.] Non est ergo mirum si adhibito freno sequuntur flagella. Indomitum enim animal iste esse cupiebat : nec Dei voluntate, sed proprio motu se regere volebat, et effrenis in luxuriam prolabi. Ideoque domatur freno et flagello; atque utinam perdometur! Videndum est enim ne nimium resistendo, indomitus relinqui mereatur et ire in va-

A gam viam quæ ducit ad mortem. Vel de futuro potest hoc accipi sic : Hic constringes, et in futuro. [Hier. et Alcuin.] Multa, erunt, flagella peccatoris. Vel de præsenti simul et de futuro potest accipi, sic : Nolite fieri sicut equus et mulus, quia, multa sunt flagella peccatoris, hic et in futuro; *sperante autem in Domino*, [Gl. int.] qui omnia gratis dat *circumdabit* undique, [Cassiod.] ne sit locus hosti *misericordia*, [Aug.] quæ est in consolationibus. Lex vero in flagellis, Evangelium in consolatione. Et quia misericordia circumdat, ergo vos olim impii et superbi.

VERS. 14. — « Lætamini in Domino et exsultate, « justi, et gloriamini, omnes recti corde. »

Lætamini in Domino, [Gl. int.] qui prius in vobis
B lætabamini, *et exsultate in Domino*, quia jam *justi* estis, non meritis vestris, sed gratia qui prius eratis peccatores. Distingue. Lætari est tacita suavitate gaudere; exsultare, est concitati animi fervore gaudere, *et gloriamini* quod estis ei subditi, et hoc facite etiam in tribulationibus, [Aug.] *omnes* vos, qui estis *recti corde*, id est non resistentes Deo. Pravi corde sunt qui dicunt Deum vel non esse, vel non justum esse, vel non regere hæc, cum videant malos florere et bonos pati. Recti corde sunt qui dirigunt cor secundum voluntatem Dei, quam suæ præponunt, ut et Christus docuit, dicens, *Non sicut ego volo, sed*, etc. (*Matth.* XXVI), transfigurans in se suos, ut et ibi : *Saule, Saule, quid me persequeris?* (*Act.*, IX.)

C COLLATIO IN PSALMUM XXXI : « BEATI QUORUM. »

VERS. 2. — *Nec est in spiritu ejus dolus*. Latina editio, et si fere sequatur Græca exemplaria quæ habemus, non tamen constanter, quia hic legimus, οὐδέ ἐστιν ἐν τῷ στόματι αὐτοῦ δόλος, id est *nec est in ore ejus dolus*, quod Hier. ad Suniam et Fretellam, indicavit esse Symmachi solius, alioquin et LXX Interpretes, et Theodotio, et quinta et sexta editio, et Aquila et ipsum Hebr., *In spiritu ejus*, habent. Sunt et aliquot alia loca in Græcis quæ discrepant a Latinis.

VERS. 4. — *Conversus sum in ærumna mea*. Omnes recentiores hic relinquunt lectionem Vulgatam, simul et Hier. juxta Hebr. quia vertunt *succum meum humorem* vel *virorem*, pro *ærumna mea*, aut *miseria*. Clarissimum evadit, quod Hier., et LXX acceperunt lamed, litteram servilem ut vocant, alii autem ut est radicalis לשדי LESSADDI, quia לשד LAS-
D SAD, est *humor*. Si vero deduxeris a themate שדד SCHADAD, id est *vastavit*, significat miseriam, et lamed erit nota ablat. aut accusativi, *in ærumna*, aut ad *ærumnam meam*. Et quia sic acceperit Hier. non solum liquet ex ejus versione juxta Hebr., verum etiam ejus tractatione ad Suniam et Fretellam, cujus verba subtexo : « *Conversus sum in ærumna mea*, in Græco *mea*, non esse suggeritis, ἐστράφην εἰς ταλαιπωρίαν, ἐν τῷ ἐμπαγῆναί μοι ἄκανθαν, id est *conversus sum in ærumna, dum configitur mihi spina*, quod ex Hebr. et translatione Theodotionis additum est; et in Hebr. legitur לשדי LESSADDI, » ubi vides Hier. asserere in Hebr. *ad ærumnam* addi *meam*, propter iod in fine particulæ illius. Si autem accepisset lamed, tanquam radicale, nec vertisset, nec indicasset ad id significati addi affixum pronomen.

Dum configitur spina. Hiør. transtulit, *cum exardesceret* alii in *siccitates æstatis*. Varietas orta est, quia ad verbum potest interpretari, *in gladiis spinæ*, quod LXX haud inepte dixerunt, *dum configitur spina*. Siquidem חרבון HARBON, vel חרב HEREB, est *siccitas* vel *gladius*, et קוץ QUAHTZ seu קיץ QUOTZ potest esse anceps ad *æstatem* et *spinam*. Secundam acceptionem respexerunt LXX.

VERS. 7. — *Tu es refugium meum a tribulatione quæ circumdedit me*. Pro circumdedit, vertunt *custodies* תצרני TITZRENI, a radice נצר NATZAR, sonat, *custodies me*, cum aliis tamen punctis a themate צור TZOR, interim poterit significare, *circumdabis me*, vel in feminino, *circumdabit me* תצרני TETZURENI. De punctorum autem ratione, eorumque adinventione, satis superque in præfatione dictum est. Translator ad Campensem stat a nobis. Vertit enim, *tu es refugium meum a tribulatione quæ circumdederat me*.

Exsultatio mea erue me a circundantibus me. Hier. *Laus mea salvans circumdabis me*. Alii transferunt, *canticis* vel *clamoribus liberati* aut *liberationis circumdabis me*. Versiones istæ eodem tendunt. Hier. tamen et interpretes pro Cajetano legerunt, רני RONI, quia dicunt *exsultatio*, aut *laus mea*, ubi cæteri legunt רני RONE. Deinde פרט PALLET sonat *libera*, *liberandi* aut *liberationis*. Sed פולט POLET, id est *salvans*, quomodo apparet intellexisse Hier. etiam si neoterici vellent esse neutrius generis, potiusque ; dicendum מפלת MEPHALLET.

VERS. 10. — *Firmabo super te oculos meos*. Hier. *Cogitabo de te oculo meo*. Reliqui, *renuam* aut *consulam tibi oculo meo* ; quæ proxima sunt, et pari intelligentia, referuntur ad Dei custodiam et providentiam erga peccatorem conversum, ne deinceps relabatur : quod est Dei consilium firmissimum. Et translatio ad Campens. habet, *figam in te oculos meos*.

VERS. 11. — *Gloriamini omnes recti corde*. Est satis intolerabile quod Sanctes et interpretes pro Cajetano verterint, *laudate omnes rectos*, per accusativum, cum nulla ratione ne minima quidem cogebantur id facere. Unde Hier. addidit *eum*, *laudate eum*, *omnes recti corde*, quasi admonens ne quis referret hanc laudem ad rectos, sed ad Deum qui facit rectos. Suspicor tamen in contextu Sanctis, librariorum vitio esse accusativum, cum in Thesauro suo vertat per nominativum. Versio etiam in Cajetano facile reduceretur ad sensum lectionis Latinæ, quando dicit, *facite laudare omnes rectos cordis*.

PSALMUS XXXII.

PSALMI TITULUS : « IN FINEM PSALMUS DAVID. »

[Cassiod.] *Exsultate, justi, in Domino*. Titulus. *In finem, psalmus David*. Titulus iste patet, hic autem Prophetam misericordiam et potentiam Dei commendat, et facta ejus enumerat, agens de operibus creationis et recreationis, ut timeatur potentia, qua creat, et ametur misericordia qua recreat. Intentio. Ad laudem invitat ostendens qui et quem, et quomodo, et quare laudare debeant. Modus, Tripartitus est psalmus. Primo justos vel rectos laudare monet. Secundo, beatum dicit illum qui ad cultum Dei pervenit, ibi, *beata gens*. Tertio, quid de prædictis sentiat, subdit, ibi, *anima nostra*. Ostendens ergo Propheta qui laudare debeant, justos ad laudem monet, dicens, o

VERS. 1. — « Exsultate, justi, in Domino, rectos « decet collaudatio. »

Justi, exsultate etiam in adversis, non in 68 vobis, [Aug.] non in sæculo quod perit, sicut injusti faciunt, quorum exsultatio finitur cum sæculo ; sed *in Domino* in quo nihil displicet eis. Placet autem Deo, cui placet Deus, quo permanente permanebit justorum exsultatio. Et quia exsultare in illo non possumus nisi laudando, inquit, *rectos decet collaudatio*. Laudat qui rectus est, id est subditus Deo aliter est distortus, curvus laudat Deum quando sibi bene est ; blasphemat, quando male ; rectus vero semper, id est in prosperis et in adversis, ut Job ; recti ergo sunt qui dirigunt cor suum secundum voluntatem Dei, quæ est regula et præponunt voluntatem melioris suæ voluntati, id est voluntatem omnipotentis Dei voluntati infirmi, voluntatem Dei voluntati hominis. Quantum enim distat Deus ab homine, tantum voluntas Dei a voluntate hominis. Unde hominem gerens Christus, et regulam proponens nobis, et docens, et præstans nobis vivere, ostendit nobis privatam quamdam hominis voluntatem, in qua suam et nostram figuravit, qui caput nostrum est, et ad eum sicut membra pertinemus. *Pater*, inquit, *si fieri potest*, *transeat a me calix iste* (*Matth.* XXVI). Hæc humana voluntas erat proprium aliquid, et tanquam privatum volens. Sed quia rectum vult hominem esse, et ad illum dirigit, qui semper est rectus, subdit : *Non quod ego volo, sed quod tu vis, Pater* (*Ibid.*), ac si diceret homini : Vide te in me, quia potest aliquid proprium velle, quamvis Deus aliud velit, conceditur hoc humanæ fragilitati scilicet aliquid proprium velle, sed statim cogita quid sit supra te, id est Deus, illum supra te, te infra ; illum Creatorem, te creaturam cogita ; illum Dominum, te servum ; illum Omnipotentem, te infirmum : subjiciesque tuam voluntatem ejus voluntati, erisque rectus. [Cassiod.] Ideoque ait, rectos decet collaudatio, non dicit laudatio, sed collaudatio, propter unitatem Ecclesiæ.

VERS. 2. — « Confitemini Domino in cithara ; in « psalterio decem chordarum psallite ei. »

Confitemini. Dixit, qui et quem laudare debeant, hic dicit qualiter, hoc modo, scilicet laudandus est. *Confitemini Domino in cithara*. Cithara ab inferiori sonat, et ex terra est. [Aug.] Unde laudare debemus id est terrena prosperitas et adversitas, quæ ab eo sunt nobis. Et est, confitemini Domino in cithara, id est laudate Dominum, sive abundent prospera ; sive occurrant adversa, *et in psalterio decem chordarum psallite ei* vel illi. Psalterium a superiori reddit sonum, et est decachordum, per quod significatur doctrina cœlestis quæ de sursum est, et ad cœlum te vocat, quæ in decem præceptis breviter ostensa est. Et est, psallite illi in psalterio de-

cem chordarum, id est laudate eum dum attenditis A quæ superiora vobis dedit scilicet cœlestem doctrinam. Vel per citharam intelligitur caro, quæ est inferior natura hominis. [Hier.] Per psalterium intelligitur charitas, quæ continetur in duobus mandatis dilectionis Dei et proximi, ad quem pertinent decem mandata legis, tria in prima tabula ad Deum, septem in secunda ad proximum. Et est, confitemini in Domino et cithara, [Aug.] id est exhibete corpora vestra hostiam vivam mortificando carnem cum vitiis et concupiscentiis. Et, psallite illi in psalterio decem chordarum, id est serviant membra vestra charitati, ubi tria et septem præcepta complentur, in quibus tota lex pendet et prophetæ. [Alcuin.] Et quia non sufficit nisi abundet justitia vestra plusquam Scribarum et Pharisæorum, B subdit.

Vers. 3. — « Cantate ei canticum novum ; bene « psallite ei in vociferatione. »

Cantate ei, [Aug.] non tantum lingua, sed vita *canticum novum*, scilicet canticum gratiæ, canticum fidei et charitatis, [Cassiod.] canticum de incarnatione, de qua mundus exsultat, de qua et angeli cantaverunt. Hoc est canticum novum, quod novus attulit homo. Novus enim rex, nova lex. *Nova ecce facta sunt omnia. (Apoc.* xxi.) [Hier., Aug.] Hoc canticum non cantant, nisi homines novi, renovati per gratiam, pertinentes ad Novum Testamentum. Cantate ergo ei canticum novum, et exuite vetustatem et induite novitatem, quia non nisi ad novos pertinet Novum Testamentum. [Cassiod.] Et C *bene*, non male, *psallite ei* bonis operibus. Si quæris quomodo bene, ecce, psallite ei *in vociferatione*, vel jubilatione, id est in lætitia vel exsultatione ineffabili, ut non possit dici verbis quod intelligitur, et de quo gaudetur, [Aug.] hoc decet ineffabilem, quem fari non vales, et tacere non debes. Nil ergo restat nisi ut jubiles, id est ut gaudeas corde, et si non verbis, et immensa latitudo gaudiorum metas non habeat syllabarum.

Vers. 4. — « Quia rectum est verbum domini ; et « omnia opera ejus in fide. »

Quia rectum est. [Alcuin.] Hic dicit cur si laudandus, supra modum laudandi exposuit; nunc causam, id est cur laudandus sit Deus. Quasi dicat : D Ideo laudare debetis, *quia verbum Domini rectum est*, [Aug.] id est promissio ejus vera est in omnibus et nullum fallit. Unde et fidelis dicitur Deus (*I Cor*. x ; *Joan*. ii), sed aliter homo fidelis dicitur. Fidelis enim est Deus, dans homini quod promisit, fidelis est homo credens promittenti Deo, ex promisso vero, Deus est nobis debitor, non ex commisso, quia nihil ei commendavimus, ut debitorem teneamus, cum ab illo habeamus omnia quibus gaudemus. Teneamus ergo fidelissimum debitorem, quia tenemus fidelissimum promissorem; *Et omnia opera ejus in fide* sunt, id est fidelia. Nihil non promittit, et non reddit, quia,

Vers. 5. — « Diligit misericordiam et judicium : « misericordia Domini plena est terra. »

Diligit misericordiam, [Aug.] quæ est in promittendo *et judicium* quod est in reddendo. Vel per verbum intelligitur lex Dei, scilicet lex Evangelii. [Gl. int.] Quasi dicat. Ideo laudate, quia est rectum verbum Domini, [Aug.] id est recta est lex Dei, vel, rectus est sermo Domini, scilicet ad faciendos vos rectos quod per vos fieri non potestis ; rectus est ergo in se, et rectus in effectu. Et omnia opera ejus sunt in fide, [Cassiod.] quia non nisi in fidelibus operatur ad salutem. Unde in Evangelio : *Fides tua te salvum fecit* (*Luc*. vii). Vel ita : Verbum Domini rectum est, hoc non mutatur. Et, omnia opera ejus, subaudi, sunt recta. Hic distingue, [Alcuin.] id est quæcumque præcepit operari, sunt recta in se, quod patet positis, in fide. Vel omnia opera quæ diligit et æternaliter remunerat, ex fide procedunt : quæ fides quia a Deo est, et omnia opera, bona sunt a Deo. Hoc ideo dicit, ne quis putet se meritis operum ad fidem venisse, cum in fide sint omnia opera quæ Deus diligit, id est remunerat. Ideoque laudate, qui non modo prædicta facit; sed etiam, diligit, quia sæpe facit misericordiam quæ est hæc, [Aug., Alcuin.] id est ex dilectione nostri facit misericordiam, quam nunc prærogat in via, vocando et justificando. Et judicium, quod erit in futuro, quod exiget prærogata, quia et ibi bonis et malis secundum merita retribuet, cum usura exigens talenta nobis credita (*Matth*. xxv). Vide quia Dominus diligit misericordiam et judicium, et tu quoque utrumque servare debes, quia utrumque ad te pertinet : alioqui non argueret Pharisæos Dominus dicens : *Relinquitis graviora legis*, scilicet *misericordiam et judicium* (*Matth*. xxiii). Cave ergo ne amisso judicio sis pauperi in mala causa misericors, quia et tibi Deus tuus : *Non accipias personam pauperis in judicio* (*Exod*. xiii), ut malam ejus causam foveas, et iniquitatem ejus contegas. Cujus si parcis saccello, percutis cor, quia remanet iniquum, et ideo fit nequior, quia justum sibi favere videt. *Misericordia Domini*, quasi dicat, vere misericordiam diligit, quia misericordia Domini *plena est terra*, ubique enim peccata dimittuntur hominibus, ubique Evangelium prædicatur. Ideo ait, misericordia Domini, plena est terra. Terram dicit, non cœli, quia cœli non indigent misericordia, ubi nulla est miseria. In terra hominis abundat miseria et superabundat Domini misericordia. Miseria hominis et misericordia Domini, plena est terra ; non cœli, qui non indigent misericordia, indigent tamen regente Domino. Omnia enim indigent Domino, et misera et felicia, quia sine illo miser non sublevatur, felix non regitur ergo et cœli indigent Domino. Non enim propriam firmitatem sibi ipsi præstiterunt, sed

Vers. 6. — « Verbo Domini cœli firmati sunt, et « spiritu oris ejus omnis virtus eorum. »

Firmati sunt cæli [Aug.] non a se, sed *verbo*

Domini, id est Filio Patris, *et spiritu oris ejus*, id A est Spiritu sancto, qui procedit a Filio, qui est os Patris, est solidata *virtus eorum*, et *omnis*, non pars tantum quia nihil a se habuerunt, quasi a Deo fieret supplementum. Nota unum esse opus Verbi, id est Filii et Spiritus sancti. Idem est enim, omnis virtus eorum, et quod firmati sunt. Hoc ergo facit Filius et Spiritus sanctus. Sed nunquid sine Patre? imo vero Pater per Verbum, et per Spiritum sanctum operatur. Trinitas ergo hæc, unus Deus est.

VERS. 7. — « Congregans sicut in utre aquas maris; ponens in thesauris abyssos. »

Congregans. Adhuc exsequitur de operibus naturalibus ad potentiam pertinentibus, [Hier.] dicens : et ipse est *congregans aquas maris sicut in utre*, ad litteram littoribus mare claudit. Et est, *ponens in thesauris suis abyssos*, secundum illud : *Qui producit ventos de thesauris suis* (*Psal.* CXXXIV). Ergo

VERS. 8. — « Timeat Dominum omnis terra, ab eo autem commoveantur omnes inhabitantes orbem. »

Timeat Dominum omnis terra, [Aug.] id est peccator, ut desinat peccare; et si non amore, saltem timore. Vel mystice possunt accipi terra, cœli, etc. [Hier., Aug.] quasi dicat : vere misericordiam diligit, quia *terra*, id est Ecclesia ubique terrarum, *plena est misericordia Domini*, [Aug.] quia ubique Ecclesiæ Evangelium prædicatur, remissio peccatorum præstatur, salus ubique annuntiatur. Sed quomodo hoc? quia *cœli*, id est apostoli, qui nos conpluunt doctrinis, ut seges Ecclesiæ per totum mundum pullulet, *Verbo Domini*, id est sapientia Patris, *firmati sunt*, id est plene instructi sunt, cum eo etiam corporaliter conversando, qui est verbum Patris, qui interiori inspiratione et exteriori prædicatione eos docuit. *Et* post, *virtus eorum*, quam habebant, est roborata, *spiritu oris ejus*, id est Spiritu Filii, a quo data erat, et non pars, sed omnis, et doctrina eorum et miracula a Spiritu sancto data sunt et confirmata, a quo adeo confirmata sunt, ut cum fiducia inter lupos irent, et cum essent inter eos viverent. Unde tantam virtutem acceperunt, nisi ab eo qui eos misit? *Ecce* inquit, *mitto vos sicut oves in medio luporum* (*Matth.* X). Vide quos mittit, et quo mittit. Oves utique mittit, et in medium luporum eas mittit. Unus lupus si mittatur in medium innumerabilium ovium, quæ ei resistent? Quid non turbat? Omnes devorat, nisi forte quod cito satiatur. Misit vero Christus infirmos inter sævos, qui eos tenuerunt et tradiderunt potestatibus, atque pressuras intulerunt : sed virtute non sua, sed Spiritus in eis loquentis non defecerunt, sed oves lupos vicerunt; et mundum lupis plenum, ovibus impleverunt. Sæviebat tunc mare persequentium ingentibus fluctibus, sitiebat terra cœlum Dei, modo vero per passionem illorum qui aciem ruperunt glorificatum est nomen Christi, et elevatum est super capita tumentium gurgitum. Unde salsa maris aqua, quæ remansit in Christianis, modo sævire non audet; occultum vero murmur rugit in eis, et intra mortalem pellem fremit conclusa salsugo. Unde subdit, *congregans*, etc., quasi dicat : Virtus apostolorum firmata est Spiritu Dei, et ea firmata, postea etiam Dominus est congregans aquas, etc.; quia si postea amaritudo est tecta in pelle, mortalis pestis contegit amaram cogitationen. Modo enim pelli suæ mali timentes, tenent intus mala, quæ non audent emittere, de quibus profert Dominus : Unde vos emendet qui secreta omnium novit corda. Unde subdit : *ponens abyssos*, id est valde malos, *in thesauris suis*, quia tribuit eis ad tempus potestatem qua ea faciant et dicant quibus boni erudiuntur. Et quia adhuc est aqua in utre licet inclusa, ergo *timeat Dominum omnis terra*, non sit secura et torpens B lætitia; et si gaudet de misericordia, qua plena est terra, timeat ne sit superba lætitia. Ideo, quia aqua est in utre, et in thesauris abyssi. Vel ita, congregans, quasi dicat : firmavit cœlos, id est apostolos, et per cœlos firmatos est *congregans aquas maris sicut in utre*, [Cassiod., Alcuin.] id est congregat et consolidat fluctuantes populos in unitate fidei, spei, et charitatis; id est in Ecclesia, in qua est caro mortua. Et etiam *abyssos*, id est profundos tenebris vitiorum, est *ponens in thesauris*, [Alcuin.] id est ponit inter eos qui sunt thesaurus, de quibus alios ditat sapientia. Talis fuit Paulus, qui de abysso factus est thesaurus, id est de persecutore apostolus, de cristallo bucella. Et ideo, timeat Dominum, etc., id est Ecclesia de mari, id est de fluctuanti populo, facta. Vel, thesauris, sapientiæ et scientiæ suæ, C [Cassiod.] id est Scripturis ejus, sapientiam ejus continentibus, pones abyssos, id est profundas altitudines, ut probet quis pietatis studio scripturas **69** inquirat. [Hier., Alcuin.] Vel ita, congregans, quasi dicat, cœli, id est apostoli, firmati sunt verbo Dei, et non modo est ipse potens super hos quos diligit et firmat; sed est etiam *congregans aquas maris sicut in utre*, id est manifestos Ecclesiæ persecutores habet sicut in utre, quia nil nisi permissi faciunt, et ponit sibi eos in thesauris, ut ex eis donet milites suos, dum sinit eos flagellare filios quos recipit. Ergo non eos, sed Dominum timeat omnis terra.

Et differt hæc sententia a secunda, quia ibi per aquas maris agit de Christianis malis, et hæreticis, D hic vero de manifestis persecutoribus, ut sunt Judæi et gentes. Vel ita : Ipse est, *congregans aquas maris sicut in utre*, id est congregat populos sæculi, in confessione mortificati peccati, ne libere defluant. Et est *ponens in thesauris abyssos*, quia eis occulta sua servat ad divitias, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit (*I Cor.* II). Ergo *timeat Dominum*, non aliud *omnis terra*. Id est omnis homo. Dico timeat, imo, *commoveatur*, quasi manu misericordiæ Dei. [Alcuin.] Et dicitur hoc a simili dormientis, qui commovetur ut evigilet, ita et gratia Dei movet ut vigilent, timori admiscendo amorem : quasi dicat : [Gl. int.] *Omnes* profecto, *inhabitantes orbem*, scili-

cet universam Ecclesiam, id est omnes in perfectione cæterorum fidelium stantes. *Commoveantur* dico, non ab alio, sed ab eo tantum. [Cassiod.] Hoc ideo dicit, quia et a diabolo aliquid commovetur ; sed quod a Deo, utiliter commovetur : quod a diabolo, inutiliter. [Aug.] Ab eo ergo commoveantur, non terroribus hominum, vel cujusquam creaturæ, scilicet leonis, serpentis, diaboli et hujusmodi : si hæc sæviunt, Deum time, non ista, quia sub eo sunt omnia. Quid autem de omnibus his timendum est ? nihil.

VERS. 9. — « Quoniam ipse dixit, et facta sunt : « ipse mandavit, et creata sunt. »

Quoniam ipse dixit et acta sunt, [Aug.] quasi dicat : Ideo nihil possunt, nisi quod permittit : cupiditatem nocendi per te habes ; potestatem autem nocendi si ille non dat, non habes, quia non est potestas nisi a Deo (*Rom.* III), sed est mala cupiditas quæ non est a Deo : sed illa nihil nocet si ille non permittit a quo est omnis potestas. Ideo Deus homo stans ante hominem, ait : *Non haberes in me potestatem, nisi datum tibi esset desuper (Joan.* XIX). Homo enim non habet tantam potestatem, nisi cum acceperit desuper. . Nec etiam ipse diabolus, vel unam oviculam potuit tollere sancto viro Job, nisi prius diceret : *Mitte manum tuam*, (*Job.* I), hoc est, do potestatem. Ideo eruditus ipse Job non ait : *Dominus dedit*, et diabolus abstulit : sed, *Dominus dedit*, et *Dominus abstulit* (*ibid.*). Ab eo ergo commoveantur omnes. Ideo ab eo, quia non ea quæ timeant alius fecit, sed ipse solus creavit. Quoniam ipse dixit. [Gl. int.] id est voluit, et facta sunt, id est formata de informi materia; ipse mandavit [Alcuin.], id est verbo suo præcepit, et creata sunt informia de nihilo. Et notat in his verbis creationem rerum et formationem. Vel notat creationem et formationem simul et recreationem. Creationem et formationem, primo, cum ait : ipse dixit et facta sunt, id est creata et formata. Deinde recreationem cum ait : ipse mandavit, legem [Cassiod.] scilicet per prophetas. Et creata sunt, id est creati sunt fideles per eam in bonis operibus.

VERS. 10. — « Dominus dissipat consilia gen- « tium, reprobat autem cogitationes populorum : et « reprobat consilia principium. »

Dominus dissipat [Cassiod., Alcuin.], quasi dicat : Non tantum malos, quando vult nocere permittit, sed malos quando vult nocere, cessare facit. Et hoc est quod ait : Dominus dissipat, ne habeant effectum *consilia* contra se facta, et contra suos. Consilia dico, *gentium*, [Aug.] id est Judæorum, qui non ejus, sed suum quærunt regnum. Et non solum dissipat, sed etiam *reprobat cogitationes populorum*, id est Judæorum qui cogitant de terrenis. Etsi enim multa machinarentur Judæi ut tollerent nomen Christianum de terra, tamen crevit Ecclesia. Vel distingue inter gentes et populos, ut per gentes intelligas gentilem populum, per populos, Judaicum. Et est, dissipat consilia gentium, id est gentilis po- A puli, [Cassiod.] dum indololatriam destruxit. Reprobat autem cogitationes populorum, [Aug.] id est Judæorum, quorum etsi sit completa voluntas occidendo Christum, tamen in resurrectione est reprobata ; *et reprobat consilia* etiam *principum*, id est tyrannorum ejus sæculi, vel dæmonum qui talibus populis quærunt dominari.

VERS. 11. — « Consilium autem Domini in æter- « num manet ; cogitationes cordis ejus in genera- « tione et in generationem. »

Consilium autem Domini, [Aug.] quasi dicat : Illorum consilia reprobat ; sed consilium Domini, quo beatum non facit nisi subditum sibi, *manet in æternum*, [Cassiod.] quia nullo dissolvitur tempore. Et *cogitationes cordis ejus*, [Aug.] id est cogitationes B sapientiæ ejus, sunt *in generatione et generationem*, id est non sunt mutabiles, sed æternæ. Vel, consilium Domini manet in æternum. [Cassiod.] Incarnationis arcanum, in quo consulit homini, manet in æternum, ad æternam salutem obtinendam nobis valet. Et cogitationes cordis ejus sunt in generatione et generationem, [Aug.] id est prædestinatio ejus immutabilis est, in qua omnia reposita sunt : quæ et sic permanent ut prævisa sunt.

VERS. 12. — « Beata gens, cujus est Dominus Deus « ejus ; populus quem elegit in hæreditatem sibi. »

Beata gens. [Cassiod.] Secunda pars, in qua dicit beatum illum qui ad cultum Dei pervenit, quod fit temporibus Christianis, in quibus gentes conversæ C sunt. Hi sunt justi et recti, quos decet laudatio. Quasi dicat : Consilium Domini in æternum manet, hoc est consilium Dei, quod *beata est gens*, etc., id est quod solum illud beatificat, qui ei obedit. Vel ita continua : et quia consilium Domini est in æternum, ergo hæc sola gens de omnibus gentibus est beata, *cujus Dominus est Deus ejus*, [Aug.] id est quæ sibi dominum non elegit, nisi Deum suum, de quo vivit, quem colit. Et ita Deus est ejus possessio et hæreditas, neque, hoc est a se, sed a Deo est electa, ut ipsa sit Dei hæreditas, et inde beata. Unde subdit : et beatus est *populus quem elegit Dominus in hæreditatem sibi*, quam colit, ut possidendo eam, non sinat esse incultam et miseram. Ecce egens possidet Deum, et eadem possidetur ab eo ; et ita Deus est possessor, et possessio : posses- D sio, quia ex eo vivimus tanquam de pane nostro : possessor, quia excolit nos, ut terram suam, et prava exstirpat, et in utroque non Deus, sed homo proficit. Beata est enim gens, de Deo possessione ; beatus est populus de Deo possessore ; quia non est homo beatus nisi per illud, quod eo melius est, quo se ipse homo melior sit. Si ergo melior te vis esse, quære quod te melius est, et inde efficieris melior te, et beatus. Illud autem non quæras extra te, quia in teipso est quod quæris si beatus esse cupis. Non illud quæras in corpore tuo, sed in ipso animo tuo quære quid sit melius, quia beatitudo omnis in animo tuo est, quia animus naturaliter est capax beatitudinis, valens ea frui, et per illuminationem gratiæ, quæ sit vera

beatitudo intelligit, eamque meretur : per cujus illuminationem meretur etiam corpus ei subjectum incorruptionem, ut fiat inferioris reparatio, id est corporis per meliorem, id est per animum. Fit enim corpus melius et gloriosum per animum, qui est melior corpore, et nunquam est homo beatus, per id quod est eo inferius. Ergo per nihil terrenum, nec etiam per æquale, ut per angelos quibus æquabitur humana natura, cum fuerit incorruptubilis facta, sed per id quo melius est animo, quod supra ipsum est. Hic est Deus qui eum fecit, et ipse est beatitudo. Ipsum visurus, ipsum habiturus es, erige ergo te ad illum, quem, cum volueris, habebis, quia ad te venit reformator animi tui, qui ante erat ejus formator. Nec fit animus per corpus melior, sed per justum animum fiet corpus immortale. Justus vero est animus ex Deo, cujus imago est in eo per quam similis est angelis. Deus ergo hominis summum bonum est.

VERS. 13. — « De cœlo respexit Dominus; vidit omnes filios hominum. »

[Aug.] *De cœlo* ostendit quomodo elegit Deus populum in hæreditatem, ita, scilicet, de cœlo, id est de Christo homine, *Dominus respexit* in adventu Filii, [Cassiod.] *et vidit* misericorditer non peccata a quibus avertit faciem, [Aug.] sed omnes filios hominum, id est omnes qui in novam vitam volunt renasci, pertinentes ad filium hominis. Et

VERS. 14. — « De præparato habitaculo suo, respexit super omnes qui habitant terram. »

De pœparato habitaculo suo. [Aug.] Id est de habitaculo susceptionis humanæ, quod sibi Deus præparavit, [Alcuin.] quia non nisi præparante Patre factum est. Vel præparato, [Cassiod.] id est præviso ad salutem mundi; *respexit* Deus, [Aug.] id est misericorditer vidit, *super omnes*, ut præsit, illis ad regendum eos *qui habitant terram*, id est per omnes terras. Vel, qui habitant terram, id est carnem excolendo eam respexit. Et vere, quia ipse est.

VERS. 15. — « Qui finxit sigillatim corda eorum; qui intelligit omnia opera eorum. »

Qui finxit, [Aug.] id est, manu gratiæ formavit. Et *sigillatim corda eorum*, singulis singula quædam dana dans, quia corda singulorum propria dona tribuit. [Gl. int.] Unde tamen unitas corporis, id est Ecclesiæ fiat et ipse est *qui intelligit omnia opera eorum*, id est, scit quomodo unusquisque utatur eis donis. Vel per cœlum et habitaculum possunt intelligi sancti angeli. Et hoc est, de cœlo, [Aug., Alcuin.] id est, de anima justa et mente angelica, respexit Dominus misericorditer. Et vidit omnes filios hominum. Hoc non mutatur. De præparato habitaculo. Habitaculum Dei sunt angeli, et omnes quos mittit ad prædicandum, et præcipue apostoli doctrina et gratia sancti Spiritus præparati ad vocationem aliorum qua misertus est omnium. Et hoc est, de præparato habitaculo suo, de angelis et omnibus quos mittit; respexit super omnes qui habitant terram, id est misertus est omnium terram carnis excolentium, quos per eos vocavit, ad vitam, et non solum per eos vocavit, sed etiam ipse est qui finxit sigillatim, id est singula corda eorum, [Cassiod.] id est, qui inspiravit eis omnem bonam voluntatem eorum : et ipse est qui intelligit, [Aug.] id est secretius et interius videt omnia opera eorum, quo fine fiant, quia apud illum intellectus sunt opera eorum, id est ita noscit intentiones eorum operum, sicut opera ipsa. Val ad litteram, finxit corda, [Hier.] id est creavit animas, sigillatim, id est singulas per se ex nihilo, non ex Adam, ut quidam dicunt, putantes animam esse ex anima. Et ipse est qui intelligit omnia opera ejus, id est insimul omnes animas agnoscit, et earum actus.

VERS. 16 — « Non salvatur rex per multam virtutem, et gigas non salvabitur in multitudine virtutis suæ. »

Non salvatur. [Alcuin.] Dixit spiritualia esse a Deo, hic subdid quod etiam corporalia a Deo sunt, scilicet corporalis salus, et alia quæ continentur in his tribus, scilicet in potentia, in fortitudine corporis, et in divitiis. Quæ tria notat per tria verba quæ ponit, scilicet rex, gigas, equus. Quasi dicat : Non modo Deus spiritualia dat, sed etiam exteriorem salutem. Nemo enim habet nisi ab eo, quia potens ut rex. Non salvatur, corporali salute, *per multam* virtutem, id est potentiam suam, *gigas*, id est superbus aliquis, extollens se contra Deum, et fortis viribus corporis ut gigas, *non salvabitur in multitudine virtutis suæ*, nec etiam dives salvabitur in divitiis suis, quod in equo notatur. Unde subdit :

VERS. 17. — « Fallax equus ad salutem; in abundantia autem virtutis suæ non salvabitur. »

Fallax equus. [Aug.] Equus est animal in cujus velocitate et virtute confiditur, per quem figurate quælibet amplitudo sæculi accipitur, unde superbitur : sed quanto in ea altius erigeris, tanto gravius cadis. [Cassiod.] Ideoque congrue equus humana felicitas dicitur, quæ homines vehit, et dum nimis properat cadit, ut equus, et sessorem perdit. Lege litteram, et ab inferiori assume autem [*f.* altiorem], quasi dicat : Non modo in potentia vel viribus non est salus, sed etiam equus fallax ad salutem, id est superba potentia mundanæ felicitatis fallit et mentitur homini de salute exteriori. Nam sessor ejus *non salvatur in mult. virt. suæ*, [Hier.] id est insessor ejus non salvatur per eam. Et equus est corpus hominis, quod quantumcunque sit speciosum et formatum bene, tamen fallax 7O est ad salutem, spiritualem, vel corporalem. Vel ita : Non salvatur, agit hic de spiritualibus. Sicut enim supra dixit, quomodo fiant justi a Deo per gratiam, ita et hic dicit quod plus quam facti sunt, abeodem adjuvantur, et in bono conservantur. Quasi sic dicat : Fiunt justi, sed nec, facti, sua virtute salvantur, quia, non salvatur rex, etc. Vel ita continua, quandoquidem bona voluntas, et omnia bona sunt a Deo. [Aug.] Ergo quicunque, rex scilicet, qui carnem suam regit, mortificans vitia, concupiscentias ejus, non salvatur per multam

virtutem suam, id est si virtute sua præsumit, imputans sibi et non Deo, quia non consequetur præmium ex sua virtute. Et gigas, scilicet quisquis militat contra diabolum, vel concupiscentiam suam, non salvabitur in multitudine virtutis suæ, id est si fortitudini suæ tribuit, et non Deo : fallax, quasi dicat : non salvabitur in virtute sua, sed potius si ascendit in equum, id est in superbam opinionem, quasi sua virtute salvetur, fallitur; quia equus, id est superba opinio, est fallax ad salutem; fallitur enim quisquis qui per se vel per hominem putat salvari, quia non salvabitur : etiam si sit non dico in parte, sed, in abundantia virtutis suæ, ita ut eam sibi tribuat. Unde ergo salvi ?

VERS. 18. — « Ecce oculi Domini super metuentes eum, et in eis qui sperant super misericordia « ejus. »

Ecce oculi Domini. Vel ita junge : in sua virtute nullus salvatur, [Cassiod.] sed *ecce* unde est salus : *Oculi Domini,* id est dilectio Dei, scilicet respectus deitatis, quæ protegit, sunt *super metuentes eum,* non super de se præsumentes, *et in eis qui sperant,* non in virtutibus suis, vel meritis, *sed in misericordia ejus.* Nota quod timere Deum et sperare semper conjuncta sunt. Ad hoc autem sunt oculi Domini super timentes et sperantes,

VERS. 19. — « Ut eruat a morte animas eorum, « et alat eos in fame. »

Ut tandem *eruat a morte animas eorum,* dans eis vitam æternam, *et* hic interim *alat eos* verbo et æterna veritate, qui sunt *in fame* justitiæ, id est, esuriunt et sitiunt justitiam. [Cassiod.] Hæc sunt duo vota fidelis, quæ hic notantur, scilicet, ut in judicio eripiatur a morte æterna : et hic spiritualibus alatur, ubi est indigentia bonorum. Vel de præsenti totum accipitur, ut eruat a morte, hic, animas eorum, et non corpora; et alat eos in fame. Hæc non mutantur.

PARS. II. VERS. 20. — « Anima nostra sustinet « Dominum, quoniam adjutor et protector noster est. »

Anima nostra. [Alcuin.] Tertia pars, ubi ostendit quid de prædictis sentiat. Et est hic quasi conclusio prædictorum. [Aug.] Quasi dicat : Modo alit nos in fame, ut autem post perfecte saginetur, *anima nostra* escis incorruptibilibus *sustinet Dominum.* Vel ita continua, eruat a morte, hoc exspectans anima nostra sustinet Dominum : vel ita dico, eruat animam : nam ideo [anima nostra interim sustinet Dominum, id est patiens est. Et potest sustinere *quoniam ipse est adjutor noster,* dum conamur ad Deum *et protector,* dum hosti resistimus.

VERS. 21. — « Quia in eo lætabitur cor nostrum, « et in nomine sancto ejus speravimus. »

Quia in eo, etc. [Gl. int.] Quasi dicat ideo sustinendum *quia cor nostrum lætabitur,* tunc plene *in eo,* [Aug.] non in nobis, ubi est inopia ; *et speravimus* nunc nos venturos ad Deum in futuro, non meritis nostris, sed *in nomine sancto ejus,* id est

A quia nobis absentibus per fidem misit nomem suum, id est Filium. Deinde subdit orationem :

VERS. 22. — « Fiat misericordia tua, domine, « super nos, quemadmodum speravimus in te. »

Fiat misericordia tua. Quasi dicat : Et sicut speravimus *fiat misericordia tua, Domine super nos,* id est, per misericordiam tuam impleatur in nobis, scilicet ut in futuro lætemur in te. Quo merito ? Ecce *quemadmodum speravimus in te,* spes enim non confundit. Vel ita : [Cassiod.] quia in eo, quia dixerat nos sustinere, ne quis mussitet de patientia, subjicit munus, scilicet quod lætatur hic in Domino ; quasi dicat ideo sustinendum, quia cor nostrum, dum sustinemus, lætabitur in eo, [Aug.] non in nobis ubi magnia inopia est sine illo ; et B speravimus in nomine sancto ejus, [Cassiod.] scilicet in nomine Christi, quem patienter Propheta lætus venturum sustinuit. Per hoc autem quod speravimus notat continuum tempus spei, qua antiqui justi adventum Christi desideraverunt, donec venit : quia non est fas desinere a spe, donec impleatur. Sequitur : Fiat, quasi dicat : sicut speravimus, ita fiat misericordia tua, Domine super nos. Christi incarnationem impleri desiderat Propheta, ut perfectus possit esse. Quo merito ? Quemadmodum, quasi ita fiat, et per hoc fiat, quia speravimus non in alio, sed in te. Hoc ideo dicit, ut omnis superstitio et pravitas excludatur.

COLLATIO IN PSALMUM XXXII : « EXSULTATE, JUSTI. »

VERS. 7.—*Congregans sicut in utre aquas maris.* C Qui legunt נד NED, vertunt *sicut acervum vel cumulum.* Qui vero נאוד NOD, transferunt *utrem,* quomodo Hieronymus et LXX assonat Nebiensis, nec magni interest ad sensum, quemadmodum IX versu Hebræi dicunt *ipse præcepit et stetit,* ubi dicimus, *ipse mandavit et creata sunt,* eodem enim conspirat intelligentia, diverso loquendi modo. Quo innuitur citra Dei potentiam nil posse consistere, mox enim Deo manum subtrahente suam, omnia in nihilum redigenda forent

VERS. 15.—*Qui finxit sigillatim corda eorum,* יחד JAHAD Hebraicantes vertunt pariter *aut simul,* quod dicimus *sigillatim.* Sed quia particula Hebraica est ambigua, ad singularitatem et ad paritatem, seu (si sic loqui permittitur) ad simultatem congruentius traduxerunt LXX interpretes, ne viderentur accedere ad duos errores. Priorem, qui postea tribuitur Origeni et Priscilianistis, affirmantibus animas fuisse ante corporis infusionem : alterum, cujus auctorem D fuisse Tertullianum scribit Augustinus in lib. De hæres, ad qnod vult Deum capite 86 : « Is error erat ex anima patris, velut corpus ex corpore, generari animam filii. Ubi autem audis LXX dicere sigillatim vel singulatim finxit corda, nil fulcimenti ex hoc loco relinquunt hujusmodi amentiæ. » Nebiensis stat a nobis.

VERS. 17.—*In abundantia virtutis suæ non salvabitur.* Hæbræi habent active, *non salvabit.* Et Munsterus addit de suo, *quemquam.* Faber irridet nostram lectionem, quasi ea innuat equum beatitudinis incapacem, non salvari, quod dictum esset Propheta indignum, cum nullus vel obtusissimus philosophorum unquam id ignoraverit. Monet igitur ad evitandum hoc incommodum, ut psalamus deinceps, *in abundantia virtutis suæ non salvabit.* Eamdem farinam conspersit Cæcus Burgensis. O lepidum caput, non intelligis equum accipi metapho-

rice, juxta sententiam Augustini, pro qualibet hujus sæculi amplitudine atque superba dignitate! Quæ certe quanto celsior, eo periculosior est. Quantum vero ad rationem Hebraismi, sunt omnino eædem litteræ, in activa et passiva significatione ימוט ימלט Et potes legere JEMALLET aut JEMULLAT, prius active, posterius passive

PSALMUS XXXIII.

PSALMI TITULUS : « PSALMUS DAVID CUM MUTAVIT VULTUM SUUM CORAM ABIMELECH ET DIMISIT EUM, ET ABIIT. »

Benedicam Dominum. Titulus *Psalmus David cum mutavit vultum suum coram Abimelech, et dimisit eum, et abiit,* (Aug.) Titulus iste attentos facit, et pulsantes desiderat. Et est tractus de historia libri Regum, ubi scriptum est quod cum fugeret David Saulem persecutorem suum, contulit se ad Achis regem Gech, id est cujusdam gentis vicinæ regno Judæorum, ibique latitabat ut persecutorem Saul evitaret. Suggestum est autem illi regni quod illum apud se haberet, qui magnam receperat gloriam in populo Judæorum. Et dictum est illi : *Iste est David cui chorum fecerunt mulieres Israelitæ, dicentes : Saul percussit mille, et David decem millia* (*I Reg.* XXI). Quibus auditis David sensit invidiam, et timuit regem. Cum enim propter hanc gloriam invidere cœperit illi Saul, valde metuendum erat David ne et ille rex ad quem confugerat vellet opprimere eum quem posset de vicino hostem habere, si salvum servaret. (Hier.) Ad quem etiam Saul nuntios miserat, quibus Achis traderet David, ut ad se ducerent eum, quem volebat occidere; sed misericordia Dei providente, et viam evadendi monstrante, per figurationem furoris evasit. (Aug.) Mutavit enim vultum suum coram Achis, et affectabat et tympanizabat ad ostia civitatis, etiam ferebatur manibus suis, et procidebat ad ostia portæ, et salivæ decurrebant super barbam ejus. Quem cum vidisset rex Achis, ait servis : Ut quid mihi istum abreptitium adduxistis? Nunquid intraturus est domum meam? Et sic illum dimisit, projiciens illum, et abiit inde David incolumis. (*I Reg.* XXI.) Ad hanc historiam videtur pertinere titulus : nec discordat, nisi quod qui hic dicitur Abimelech, idem proprie Achis vocabatur, sicut in historia legitur. (Alcuin.) Sed Esdras propter sacramentum nomen mutavit, nec putetur sola historia narrari. *Omnia enim in figura contingebant illis,* (*I Cor.* X. (Aug.) Sciendum ergo quod David Christum, et vultus mutatio mutationem veteris sacrificii in novum significat. (Alcuin.) Vetus autem sacrificium dicitur vultus, quia indicabat voluntatem Dei, in signo. Abimelech interpretatur *patris mei regnum* (*Luc.* I,) et significat Judæos, qui erant regnum patris sui, scilicet David, qui fuit pater Christi, secundum carnem, juxta illud : *Et dabit illi Deus sedem David patris sui.* (Aug.) Ecclesia est regnum non David patris sui, sed Dei Patris. Achis vero interpretatur *quomodo est,* per quod significantur tardi illi discipuli, quibus cum diceret Dominus : *Nisi manducaveritis carnem meam, et biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam, in vobis* (*Joan.* VI) ; æstimaverunt illi quod particulatim carnem daret ad manducandum, dicentes : *Quomodo hic potes nobis carnem suam dare ad manducandum? Durus est hic sermo* (*ibid.*). In hac quoque mutatione vultus affectabat Christus, id est affectu compassionis plenus erat, quia compassus est nobis usque ad mortem, et tympanizabat, quia extensus in cruce sicut corium in ligno. Et hoc ad ostia civitatis, id est ad corda Deo clausa, ut ea per crucem aperiret, ferebatur manibus suis, quod non ad litteram potest accipi ; sed tunc manibus ferebatur, cum corpus et sanguinem suum in Cœna apostolis porrexit, in quo humilitatem hominibus commendavit. Salivæ decurrebant in barbam, id est verba infantilia, et infirma dicentis : *Hoc est corpus meum* (*Matth.* XXVI), tegebant virtutem ejus, quæ per barbam intelligitur. Et per hæc omnia procidebat ad ostia portæ, id est humiliabat se ad initium fidei nostræ ; ostium enim portæ initium est fidei, unde incipit Ecclesia, et pervenit ad speciem.

Et est sensus tituli : [Gl. int.] Psalmus iste attribuitur David, id est Christo, quia loquitur et in eo Christianus. Verba enim hujus psalmi, et membris et capiti conveniunt. Psalmus dico agens de hoc quod fecit, *cum mutavit vultum suum,* [Aug.] id est, vetus sacrificium in novum, quam mutationem in Cœna ostendit, dum in Cœna corpus suum et sanguinem discipulis docens humilitatem commendavit. Mutavit dico *coram Abimelech,* id est coram Judæis, *et dimisit eum,* David Abimelech, id est Christus dimisit Judæos, *et abiit* ad gentes, ita etiam coram Achis mutavit, id est coram ignaris discipulis. Et Achis, vel Abimelech, dimisit eum, David. Et abiit, id est illi ignari discipuli dimiserunt Christum, pro mutato sacrificio, et abierunt retro. Vel Christus abiit ab illorum cordibus ; ad litteram, et patet de David. Quod mutavit vultum suum coram Abimelech, et Abimelech dimisit eum, et David abiit incolumis. Et est iste psalmus secundus eorum qui per imperfectum scribuntur alphabetum. Intentio. [Cassiod.] Monet ad novum sacrificium accedere 71 mente, non pede. [Cassiod.] Modus. Quatuor sunt partitiones : Prius Propheta summatim laudem præmittit, monens mansuetos ad idem. Secundo, ad communionem novi sacrificii fideles hortatur, ibi, *accedite.* Tertio, incipientes monet a quibus abstineant, ibi, *venite.* Quarto, agit de retributionibus bonorum et malorum, ibi, *oculi Domini.* A laude itaque incipiens, ait Christus, et in eo Christianus.

VERS. 1. — « Benedicam Dominum in omni tempore : semper laus ejus in ore meo. »

Benedicam, (Hier.) id est laudabo, *Dominum* (Aug.) corde, ore, opere; et hoc non tantum in prosperis, (Gl. int.) sed *in omni tempore*, prosperitatis et adversitatis, quod non tempore prioris vultus, id est veteris sacrificii fiebat, quando carnales pro carnalibus serviebant.

Nota quod hunc versiculum cantat Ecclesia in sexta, qua hora passus est Christus, et levatus in cruce ; et sol fervet, quia Christi passio ex fervore charitatis prodiens, nobis causa est et materia laudandi Dominum dilectione intentissima, (Cassiod.) *et laus ejus* erit *in ore meo* ut alios instruam. (Aug.) Et hoc *semper*, quia omnia quæ cogitat vel dicit, sine culpa sunt ; et ita laus Dei semper in eo est. Sed quia hoc nequit nisi humilis humilitatem commendas, subdit : et

VERS. 2. — « In Domino laudabitur anima mea; « audiant mansueti, et lætentur.»

Anima mea laudabitur, (Cassiod.) hic non in me, vel in exterioribus, (Aug.) sed in *Domino* : sua enim laus est prædicatio Domini sui, ut bonus famulus de bona fama domini gloriatur. (Gl. int.) Qui in Domino non vult laudari, non est mansuetus, sed superbus. Vel de futuro potest accipi, quasi dicat: benedicam, unde in futuro, in Domino laudabitur anima mea, hoc autem *audiant mansueti*, (Cassiod.) non docti, non jejunantes, quia sunt superbi; (Aug.) sed mansueti, qui temperantiam habent omnium rerum, qui sunt leni animo, qui enim non mansuetus est irascitur. (Gl. int.) Audiant dico et non tristentur de hac mutatione, sed *lætentur*, quia res jucunda est animæ. [Cassiod.] Et quia spiritualis gratia non vult sola facere quod multis proficit : ideo vocat alios, dicens : Et, o vos mansueti,

VERS. 3. — « Magnificate Dominum mecum; et « exaltemus nomen ejus in idipsum. »

Magnificate Dominum. (Aug.) Ex fervore charitatis hoc dicit Magnificate dico *mecum*, non enim arcta res est, omnibus ipse sufficit, *et exaltemus* omnes *nomen ejus in idipsum*, id est in unum, ut ab omnibus fiat unum. (Cassiod.) Ut omnes invitatos traheret, dicit quæ bona sibi inde evenerunt, subdens :

VERS. 4. — « Exquisivi Dominum, et exaudivit « me ; et ex omnibus tribulationibus meis eripuit « me. »

(Aug.) *Exquisivi* intus munda conscientia, non aurum, non aliud, sed *Dominum* ipsum *et exaudivit me*, per quod patet quod qui non auditur, ipsum non quæsivit, *et ex omnibus tribulationibus meis* : hoc deo dicit, quod post mundum cor, et mundam conscientiam restant tribulationes ; sed ex omnibus, dicit iste sanctus, *eripuit me*, id est futuro eripiet, cum mortale hoc induerit immortalitatem. (Cassiod.) Ideo dici ex omnibus universaliter, quia non possunt dici particulariter, id est singillatim. quanta

A impetravit, id est de quantis eripi impetraverit, qui non aliud quam Deum quæsivit.

PARS II. VERS. 5. — « Accedite ad eum, et illu« minamini ; et facies vestræ non confundentur. »

Accedite. [Cassiod.] Secunda pars, præmissis laudibus jam particulatim de novo vultu admonet sanctos, (Alcuin) quos ad communionem veri sacrificii hortatur, (Cassiod.) quasi dicat : Dico magnificate, et si in primis injucundum videtur, *accedite* proprius *ad eum*. Hortatur alios dicens, quod ipse probavit. (Aug.) Vel ita junge, dico, magnificate : et quo ordine ? (Alcuin.) Ecce. Accedite ad eum, (Aug.) fide inhærendo et duobus pedibus geminæ charitatis currendo; et percipiendo illum, *illuminamini*, ne fiatis cæci sicut Judæi, qui de Crucifixo tenebrati
B sunt : nos manducando Crucifixum et bibendo, illuminamur. Et post lumen *facies vestræ*, (Cassiod.) id est mentes, *non confundentur* in futuro judicio, et non frustrabuntur mente, decepti enim erubescunt, vos autem impetrabitis. Vel hic etiam in præsenti, mentes vestræ, non confundentur, in adversis. (Aug.) Quidquid enim hic fiat justo, non erubescit, quia etsi apud homines judicatur inferior inimico, tamen semper est superior apud Deum. Superbus vero in adversis erubescit, quia ad Dominum non accessit. (Gl. int.) Vel si accesseritis fide, mentes vestræ non confundentur, sicut eorum qui cum audissent Christum daturum carnem suam ad manducandum, dixerunt : *Durus est hic sermo* (*Joan.* VI), et confusi retro abierunt.

C VERS. 6. — « Iste pauper clamavit, et Dominus « exaudivit eum ; et ex omnibus tribulationibus ejus « salvavit eum. »

Iste pauper, (Hier.) quasi dicat : Vere accedentes non confundentur, quia *iste pauper*, id est spiritualis pauper, scilicet ego David, vel Christus, vel Ecclesia *clamavit, et Dominus exaudivit eum*. (Aug.) Hic ostendit quomodo exaudiaris, scilicet si fueris pauper spiritu ; dives non auditur. Sed hoc modo fit exauditio, scilicet si quis pauper sit spiritualis : (Cassiod.) hinc est qui accedit ad Deum et illuminatur : nec erubescit, quia quando clamat, liberatur ab omnibus augustiis sæculi, dum jam transit ad Deum, *et de omnibus tribulationibus ejus salvavit eum*, in obitu transeuntem ad se. Sed quomodo
D hoc ? Ecce :

VERS. 7. — « Immittet angelus Domini in circuitu « timentium eum, et eripiet eos. »

Immittet angelus Domini. Vel ita continua. (Alcuin.) Dico accedite, et sicut iste pauper clamavit et exauditus est, eodem modo *angelus Domini*, (Aug.) id est Christus, qui est angelus magni consilii, vel, aliquis angelus de cœlo, qui est Ecclesiæ vallum (Hier.) vel homo, qui est minister volutatis Dei, *immittet* (Cassiod.) id est, immissionem faciet *in circuitu* pure, *timentium eum*, ut muniat hic eos ; *et* in futuro *eripiet eos*. (Alcuin.) Alii interpretes qui concordant huic sensui transtulerunt sic : *circumdat angelus Domini in gyro timentium eum*. (Aug.) Ali

qui vero mendosi codices habent : immittit angelum Dominus, etc.

VERS. 8. — « Gustate et videte, quoniam suavis » est Dominus; beatus vir qui sperat in eo. »

Gustate. [Aug.] Hic aperte agit de sacramento quod ferebatur manibus. [Gl. int] Quasi dicat : Non solum accedite, ut credatis, sed *gustate* carnem et sanguinem Christi, *et sic videte*, [Cassiod.] id est intelligite *quoniam suavis est Deus,* [Alcuin.] id est dulcis cibus, qui est vita sumenti, pellens omnes molestias in futuro. [Cassiod.] Deus enim vita est, et veritas. [Aug.] Et quia Deus est vita, et caro, quam sibi univit, est vivificatrix. Sic autem hæc nondum intelligis, regnat in te Achis, id est ignorantia, et abiit a te David, id est Christus, veritas. *Beatus*, etc., quasi dicat : dico gustate, et sperate in eo quod gustatis, quia beatus erit *vir qui sperat in eo* quod gustat ; per hoc sperate, id est vitam æternam, in futuro. Vel ita : beatus, quasi dicat suavis est Dominus, et sperate in eo, quia beatus est, etiam nunc, vir qui operat in eo ; miser qui sperat in se, vel in aliis hominibus. [Gl. int.] Sed qui sperat in eo, jam beatus est, quia eum jam habet in spe qui est omne bonum. Quia vult omnes sollicitos esse, addit : Et, o vos,

VERS. 9. — « Timete Dominum, omnes sancti « ejus, quoniam non est inopia timentibus eum. »

[Gl. int.] *Omnes sancti ejus, timete Dominum,* [Cassiod.] ut qui stat, videat ne cadat. [Hier.] Et addit *omnes*, ut nullus, licet bene meritus, abhoc desistat, non securitatem præsumat. Ideo, *timete* Dominum, quoniam non est inopia temporalium *timentibus eum.* Alii aliquo indigent, sed non sui, quibus ipse ait : *Primum quærite regnum Dei et hæc omnia adjicientur vobis (Matt.* VI). [Aug] Pascebat Dominus contemnentem se, et deseret timentem se ? ne ergo deseras Deum, ne famem patiaris. Multi enim ideo deserunt Deum, ne inopes sint. [Alcuin.] Sed promittit, non superflua sed necessaria, quia timentibus Deum nihil deest, sed

VERS. 10. — « Divites eguerunt et esurierunt : « inquirentes autem Dominum non minuentur omni « bono. »

Divites sæculi, [Gl. int.] id est superbi, *eguerunt et esurierunt*, qui etiam pane temporali egent, et inediam patiuntur interdum. Vel potius de spiritualibus bonis hic accipiendum est. [Csssiod.] Quasi dicat : Ideo timete, quoniam non est inopia, spiritualis, et veri boni, timentibus eum ; sed divites sæculi, scilicet superbi, eguerunt bonis interioribus : Non enim putare debes hoc dici de terrenis quæ nullius pretii sunt, sed de spiritualibus. [Aug.] Respice enim multos divites iniquos mori in divitiis suis, nec factos fuisse pauperes cum viverent ; sed inter magnas copias divitiarum usque ad ultimum vitæ perduci, et exspirare in lectis eburneis circumfluente familia, et magnificam celebrari pompam funeris, ac pompato funere ad tumulum deduci a suis. Ne ergo te fallat hic Scriptura : de spirituali-

A bus hic accipe quod ait : divites eguerunt, [Cassiod.] quia fidem non habent quæ est substantia sperandarum rerum *(Hebr.* XI). Et esurierunt, (Alcuin.) quia corpore Domini non satiantur. Quid enim habent, qui Deum non habent ? Vel, divites eguerunt, id est carebunt in futuro summo bono, id est Deo, licet esuriant, id est desiderent. (Gl. int.) Unde subdit, et tamen esurierunt, id est desideraverunt, dote naturæ. *Inquirentes autem* (Cassiod.) Quasi dicat : divites eguerunt, sed, inquirentes, id est toto studio quærentes, *Dominum*, non aliud, non minuetur omni bono, id est sine minutione habebunt bonum quod est omne bonum, quia in Deo sunt omnia bona, quia omnium auctor est et plena sufficientia.

B PARS III, διάψαλμα, VERS. 11. — « Venite, filii, « audite me, timorem Domini docebo vos. »

Venite. (Cassiod.) Tertia pars. Tractatis supra Ecclesiæ sacramentis, admonet jam eos, quasi qui extra sunt, id est incipientes qui prima fidei rudimenta accipiunt, a quibus abstineant. Quasi dicat : Dico timete, ut autem sciatis timere, o *filii*, scilicet discentes. Mos enim propheticus est, discipulos vocare filios. *Venite*, (Hier.) fide *audite me*, id est discite a me, et ne nomen timoris horreatur, addit, *docebo* vos filios, (Cassiod., Gl. int.) quos non docerem nisi rem utilem, scilicet *timorem Domini*, qui est initium sapientiæ, (Hier., Gl. int.) Quasi dicat : Discite timorem, et debetis, quia in hoc est vita, quod ita ait :

C VERS. 12. — « Quis est homo qui vult vitam ? di« ligit dies videre bonos ? »

Quis est homo qui vult vitam æternam ? et *qui diligit videre dies bonos* qui nunquam sunt in hoc sæculo ? (Aug.) Hoc omnes fatentur se velle, bonam rem volunt, sed non in regione ejus quærunt illam. Velut si aliquem justum quæreres, sed non in patria ubi habitaret, diceretur tibi : Bonum virum et magnum quæris, sed noli quærere hic, ubi non invenies eum : ita quæramus et nos vitam, sed non hic. Et quasi dicat aliquis : quare hoc quæris ? respondet :

VERS. 13. — « Prohibe linguam tuam a malo, et « labia tua ne loquantur dolum. »

Prohibe linguam, ostendens quomodo debent ti-
D mere. (Alcuin.) Quasi dicat : tu quicunque es, qui vitam æternam cupis, hoc modo time, scilicet *prohibe linguam tuam,* de qua Salomon ait in Proverbiis : *Mors et vita in manibus linguæ* (*Prov.* XVIII), *a malo* omni, [Hier.] ne mala loquaris aperte *prohibe labia tua ne loquantur dolum,* id est ne bona dolose loquantur. (Gl. int.) Nota quod dicit prius cohibe linguam quam labia, (Cassiod.) quia cum loqui volumus ante commovemus **72** linguam et post labia linguæ motum sequuntur.

VERS. 14. — « Diverte a malo et fac bonum, in« quire pacem, et persequere eam. »

Diverte a malo et fac bonum, (Aug.) id est nulli noceas facto. Et quia hoc non sufficit, addit, *et fac*

bonum. Parum enim est ut non exspolies vestitum, A sed vesti nudum. Si non exspoliaveris, declinasti a malo; sed non facies bonum, nisi nudum vestieris, et peregrinum in domo tua susceperis. (Cassiod.) Duo ergo bona sunt, diverte a malo et fac bonum. Illud vitat culpam; hoc meretur palmam.

Et nota quod est quidam declinandi a malo modus, quo tantum pœna vitatur; et est quidam quo etiam vita acquiritur. Si enim quis nulla occasione provocatus ad malum, a malo opere declinat, vitavit utique pœnam quam incurrisset, si illud amisisset. Si vero ab inimico invisibili vel visibili provocatus vel læsus malum non reddit, vel malo non consentit, a malo declinavit, et palmam promeruit. Vel ita: Diverte a malo, (Hier.) id est destrue vitia in te; et fac bonum, id est ædifica virtutes; et sic inquire B pacem, (Cassiod.) id est desidera, ut pax sit spiritui tuo cum carne. Ideo autem dicit inquire, quia hic nunquam est justo plena pax cum corpore suo, sed semper pugna est cum vitiis. Ideo præcipit hic pacem semper inquiri, etsi hic plene. haberi non possit. Unde subdit: Et persequere eam fugientem, id est persevera inquirendo. Aliter enim in futuro non capietur. Vel, inquire pacem, (Aug.) id est Deum ipsum, qui est pax nostra. Et quia hic non habebis, persequere eam in cœlum quo præcessit.

PARS IV. VERS. 15. — « Oculi Domini super ju-« stos; et aures ejus in preces eorum. »

Oculi Domini. (Cassiod.) Quarta pars, ubi agit de tribulationibus bonorum et malorum, ne in peri- C culis justus aliqua dubietate mollescat. Quasi dicat: Dico diverte a malo, inquire pacem, et ne ex infirmitate tua dissidas, quia *oculi Domini*, (Aug.) id est respectus misericordiæ Dei, sunt *super justos*, etsi ut medicus secat et urit, per quod videtur non exaudire, sed hoc facit ut sanet, et pariat in sempiternum: *et aures ejus* sunt *in preces eorum*, ut quod petunt det, (Gl. int.) scilicet gratiam pro gratia. Et nota quod non ait ad preces; sed in preces, (Cassiod.) in quo notatur celeritas audiendi dum in ipsis auditor habitat. (Aug.) Sed forte dicit malus: Secure facio mala, quia non super me sunt oculi Domini; ad justos Deus attendit, me non videt. Ideo subdit:

VERS. 16. — « Vultus autem Domini super fa-« cientes mala, ut perdat de terra memoriam eo- D « rum. »

Vultus autem. (Cassiod.) Quasi dicat: Justos respicit Deus, sed nec malus putet se nesciri, quia *vultus Domini*, id est cognitio Dei, est *super facientes mala*; non tamen respicit eos misericorditer, scilicet ut exaudiat, sed cognoscit ut puniat. Unde subdit: *ut perdat de terra* viventium *memoriam eorum*, (Alcuin.) scilicet ut nec mentio, id est intercessio, fiat pro eis inter bonos. Adeo placet eis justitia Dei. Unde Evangelio ait Abraham ad divitem: *Chaos firmatum est inter nos et vos* (*Luc.* XVI), ut boni non possint transire ad eos cum passione aliqua propter confusionem peccatorum quæ admiserunt. Et vere oculi Domini super justos, quia

VERS. 17. — « Clamaverunt justi, et Dominus « exaudivit eos; et ex omnibus tribulationibus eo-« rum liberavit eos. »

Justi antiqui, [Gl. int.] sicut Abraham et cæteri, *clamaverunt* pro liberatione sua *ad* Dominum, *et Dominus*, id est Christus, *exaudivit eos* in sua resurrectione; *et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos*, quando captivam duxit captivitatem (*Ephes.* IV,) vel corporaliter liberavit, [Aug.] ut tres pueros in camino flamma lædere non potuit, in quorum laudibus ignes friguerunt; sic et alios liberavit.

VERS. 18. — « Juxta est Dominus his qui tribulato sunt corde, et humiles spiritu salvabit. »

Juxta est Dominus. [Alcuin.] Quasi dicat: Sicut in Veteri Testamento exaudivit Dominus justos, sic etiam et in Novo Testamento *juxta est Dominus his qui tribulato sunt corde*, non omnibus tribulatis corpore, sed tribulatis corde, scilicet qui terunt duritiam cordis, *et humiles spiritu*, non verbis salvabit: quod necesse est, quia

VERS. 19. — « Multæ tribulationes justorum; et « de omnibus his liberabit eos Dominus. »

Multæ tribulationes. Vel de modernis justis potest accipi, et de spirituali liberatione qua liberati sunt, [Cassiod.] non ut tribulationes non sentirent, sed ut fortiter tolerando non succumberent. Et hoc est, clamaverunt justi, et Dominus exaudivit eos: [Aug., Alcuin.] sic exaudivit, quod liberavit eos, non corporaliter, sed dando eis patientiam. Et hoc est quod subdit, et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos, saltem spiritualiter. Et vere liberavit; nam pronus est ad hoc. Et hoc est quod ait, juxta est Dominus, vel allusio est ad hoc quod dixerat, clamaverunt, quasi dicat illi: Clamaverunt, et Dominus juxta est his qui tribulato sunt corde. [Aug.] Altus quidem est Dominus, sed vicinatur humili, et non se erigenti. Unde subdit: Et humiles spiritu salvabit, hoc non mutatur. *Multæ tribulationes*, quasi dicat: Humiles salvabit, non utique sic ut nihil patiantur, quia tribulationes *justorum* (Cassiod.) multæ sunt, quia a diabolo et invidis hominibus, et a seipsis. Qui ergo non patitur non est justus, quia multæ sunt tribulationes justorum: (Aug.) econtra pauciores iniquorum, *et de omnibus his liberavit eos Dominus* in futuro. Dominus, potens liberator: interim vero

VERS. 20. — « Custodit Dominus omnia ossa eo-« rum; unum ex his non conteretur. »

Dominus custodit omnia ossa eorum id est firmamenta fidei, scilicet patientiam et alias virtutes; et *unum ex his non conteretur*, (Aug.) id est nec etiam patientia peribit: quod signatum est in agno paschali, de quo dicitur in Exodo: *Os non frangetis ex eo* (*Exod.* XII): quod impletum est in Domino nostro Jesu Christo, cujus crura non sunt fracta in cruce, et impletur in sanctis suis, quorum patien-

tia in tribulationibus exercetur, sed non vincitur.

VERS. 21. — « Mors peccatorum pessima; et qui « oderunt justum delinquent. »

Mors peccatorum, quasi dicat : Justos custodit Dominus, et liberabit, [Aug.] sed *mors peccatorum* non solum est mala, sed et *pessima*, quia rapit ad gehennam. Etsi enim in divitiis, et odoribus et lamentis hominum finiatur, tamen pessima est, quia in peccatis est et ad infernum trahit. Et dicit hoc contra illud quod de bonis dixerat, liberabit, eos. Et quia omnes sunt peccatores, determinat quorum peccatorum mors est pessima, dicens : *et qui oderunt*, etc. Et quasi quis diceret : Quorum peccatorum mors est pessima ? respondetur : Non omnium, quia omnes sunt peccatores; sed eorum qui oderunt *justum*, id est Christum, qui justificat, per quem qui non reconciliatur, perit; illi enim *delinquent*, id est Dominum derelinquent, odiendo bonum, et est contra illud quod supra dixit de bonis, scilicet custodit Dominus omnia ossa eorum.

VERS. 22. — « Redimet Dominus animas servo- « rum suorum; et non delinquent omnes qui spe- « rant in eo. »

Redimet Dominus. [Cassiod.] Quasi dicat : Mors peccatorum est pessima, sed *redimet Dominus* pretio mortis *animas*, non libertorum, id est eorum qui de servis Dei facti sunt liberi sui, sed *servorum suorum* sibi obedentium, et *omnes qui sperant in eo*, quamvis sine peccato non sint, tamen *non delinquent*, [Rem.] id est non peccabunt ad mortem. Iste est enim modus justitiæ humanæ, ut vita mortalis quantumlibet proficiens quia sine peccato esse non potest, in hoc non delinquat id est per hoc

A mortale delictum caveat, dum, id est quia sperat in eo in quo est remissio peccatorum.

COLLATIO IN PSALMUM XXXIII : « BENEDICAM DOMINUM. »

In titulo. Vultum tuum. Hieronymus, *os suum*, Sanctes, *verbum suum*; Munsterus, *eloquium suum*; interpretes pro Cajetano *sensum suum*; Pratensis, *gustum suum*. Munsterus indicat juxta opinionem quorumdam significari *visionem*, vel *consilium*. Pellicanus etiam docet posse accipi pro ritu et more. Denique quid et quomodo debeat intelligi, clare habes, I Reg. XXI, ne inter tantam varietatem fluctues.

Accedite ad eum et illuminamini. Hieromynus, *respicite ad eum et confluite*; Pratensis, *respexerunt ad eum et cucurrerunt;* Munsterus, Sanctes, et interpretes pro Cajetano, *respexerunt ad eum, illuminati sunt*. In primis quod Hieronymus et LXX verterunt per imperativum sub secunda persona : quod B cæteri novatores per indicativum, et sub tertia persona. Id effectum est propter affinitatem personarum utriusque modi præsertim si non subscribanrur puncta. Nam הביטו HABBITU, id est *respicite*. Et quia iste respectus est ad Deum accessus per conversionem, *gratiam fidem contemplationem* convenienter dixerunt, *accedite*, si autem legeris הביטו HIBBITU, id est respexerunt. Cæterum particula נהרו NAHARU a radice אור OR, ut vult Ra. kimhi, indicante Munstero in scholiis, est *illuminati sunt*, ut sit he pro aleph. Si autem a themate נהר NAHAR significat *currite* sive *confluite*, ut vertit Hieronymus et Pratensis. Utramque acceptionem insinuat Pellicanus. Nebiensis et Chaldæus interpres stant a nobis, *respicite ad eum, et illuminamini*.

VERS. 10.— *Divites eguerunt et esurierunt.* Hebr. כפירים KEPHIRIM, id est leunculi, vel leones, quæ nominis ratio nemini magis quadrat quam divitibus hujus sæculi, qui superbe sapiunt, et pauperum bona instar leonum, rabide et violenter diripiunt. C Ob id haud absurde leones mutaverunt in divites. Hinc translator ad Campensen *violenti egebunt et esurient*, vertit. Et huc alludit canticum deiparæ Virginis : *Esurientes implevit bonis et divites dimisit inanes* (*Luc.* I).

PSALMUS XXXIV.

PSALMI TITULUS : « IN FINEM PSALMUS IPSI DAVID. »

Judica Domine. Titulus. *In finem, psalmus ipsi David*. [Aug.] Per David qui interpretatur *manu fortis*, vel *desiderabilis aspectu*, intelligitur Christus, qui vincendo diabolum est manu fortis : vitam æternam promittendo, est visu desiderabilis. Quid enim fortius illa manu, quæ hostem stravit, non armata ; sed in ligno clavis transfixa ? Quid desiderabilius eo, in quem angeli desiderant prospicere ? quem et martyres non videntes voluerunt mori, ut ad illum videndum mererentur pervenire ? Ipse ergo vere desiderabilis est, dum vitam promittit, quod in hoc psalmo agitur. Hic enim Christus invocat Deum contra tribulatores capitis et corporis, et per tribulationes omnibus vitam promittit. Et est sensus : *Psalmus* iste dirigens nos *in finem* attribuitur *ipsi David*, id est Christo, qui hic loquitur, nunc in persona sua, nunc in persona corporis. [Cassiod.] Et est iste psalmus secundus eorum qui late agunt de passione Christi. Intentio. Monet ut adversa feramus. Modus. Tripartitus est psalmus.

Primo incipit ab oratione, pro utraque parte orans, id est pro se, et pro adversariis cum commemoratione culpæ eorum. Secundo præmittens de spe boni et gaudio, narrat quam maligne erga Christum fecerint, ibi, *anima autem*. Tertio de fructu passionis agit, promittens confessionem totius Ecclesiæ, ibi, *confitebor tibi*. Incipiens itaque ab oratione in per-
D sona sua et suorum membrorum, ait : O

73 VERS. 1. — « Judica, Domine, nocentes me, « expugna impugnantes me. »

Domine, Judica, [Cassiod.] condemna *nocentes me* voto; et *expugna*, [Aug.] id est vince, *impugnantes me* actu. Ecce Deus pro nobis pugnat. *Si Deus pro nobis, quis contra nos ?* (*Rom.* XIII.)

VERS. 2. — « Apprehende arma et scutum; et ex- « surge in adjutorium mihi. »

Apprehende. [Gl. int.] Hoc prius ex persona membrorum legitur. Quasi dicat : Dico, expugna, sed quomodo hoc ages ? *Apprehende* pro me *arma et scutum*. Magnum spectaculum est videre Deum armatum pro te. [Aug.] Qui habet arma et scutum ar-

mis hostes percutit, scuto nos protegit. Sed quid est scutum Dei, et quæ sunt arma ejus? Scutum est protectio bonæ voluntatis Dei, qua nos defendit. Unde alibi : *Ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos* (*Psal.* v). Arma Dei nos sumus, quia ut nos ab eo, ita ipse armatur de nobis, quibus percutit inimicos. Et est, apprehende arma et scutum, [Cassiod.] id est ita adjuva et muni nos tua bona voluntate, ut et inimicos percutiamus, et ab eorum jaculis protegamur. Vel arma Dei dicit animam justi, vel Christi [Alcuin.] qua hostes debellavit, quæ nil agit, nisi Deus pugnet de ea. Ideo ait, apprehende arma et scutum, id est animam Christi sic rege et defende, ut per eam adversarios debelles, et nos protegas. *Et exurge in adjutorium mihi.* [Aug.] Dicit Deus dormire, dum nos dormimus; et exsurgere, dum nos vigilamus et excitamur. Unde alibi : *Exsurge, quare obdormis, Domine?* (*Psal.* XLIII) Unde in Evangelio legitur quod dormiebat Jesus in navi, et tunc fluctuabat navis (*Matth.* VIII) : si vigilaret, non fluctuaret. Navis cor tuum est, aliquando ergo dormit Deus in navi, id est fides in corde tuo tepescit; et tunc fluctuat navis. Observa naufragium, et excita Christum dormientem, id est fidem : quæ si vigilaverit fiet tranquillitas. Recedent enim tentationes omnes, aut certe nihil valebunt, quando Christus, id est fides tua, vigilaverit in corde tuo. Dic ergo : Exsurge, id est innotesce, appare, sentire in adjutorium mihi, et in alios.

VERS. 3. — « Effunde frameam, et conclude adversus eos qui persequuntur me : dic animæ meæ : « Salus tua ego sum. »

Effunde frameam, [Hier.] id est multiplica vindictam, *et adversus eos quis persequuntur me,* id est visibiles et invisibiles hostes, conclude, id est fac conclusionem, ne evagentur tibi nocendo. [Aug.] Vel framea idem est quod arma, id est anima justi. Hæc framea effunditur, dum abundantibus justis vita bona coruscat. Unde et concluditur hostis, non habens de nobis male loqui. Et quia suggerunt invisibiles hostes animæ meæ, non est salus ipsi in Deo ejus. Tu contra eos *dic animæ meæ* in re ipsa, ut audiam in te, quid? *salus tua ego sum,* utroque modo, scilicet in præsenti et in futuro, in temporalibus et æternis, ut præter te nullum quæram. Vel in propria persona dicit Christus, apprehende arma quasi inimicos judica. [Alcuin.] Pro me autem fac quod oro, scilicet apprehende arma, id est fac me habere arma, scilicet doctrinam et miracula. Et scutum, id est constantiam,*et exsurge in adjutorium mihi,* id est fac me uti acceptis, scilicet armis et scuto. Et effunde frameam, et conclude adversus eos qui persequuntur me, id est qui modo sum in obscuro clarifica, ita evidenter ut concludas et convincas inimicos, ne habeant quid oblatrent; et dic animæ meæ, ita ut omnes sciant : Salus tua ego sum.

VERS. 4. — « Confundantur et revereantur quærentes animam meam. »

Confundantur et revereantur. Hic prædicit mala inimicorum. [Aug.] Et est prophetia, non optatio. Quasi dicat : Salva animam meam, ita ut quærentes eam perdere confundantur. Et hoc est quod subdit, confundantur et revereantur, id est timeant pœnas, quærentes animam meam perdere non imitari. Et

VERS. 5. — « Avertantur retrorsum et confundantur cogitantes mihi mala. »

[Hier.] *Avertantur* a Deo, ut sint *retrorsum; et confundantur* mortifera confusione *cogitantes mihi mala.* Vel potius de convertendis dicit hoc, pro quibus orat. [Aug.] Quasi dicat : Animam meam salva, et confundantur, etiam salubriter ad pœnitentiam; et revereantur, id est timeant pœnas quærentes animam meam. Et avertantur retrorsum, id est sequantur et non præcedant; non dent consilium, sed accipiant. Petrus enim præcedendo, Satanas sequendo discipulus fuit. Et confundantur salubriter cogitantes mihi mala, id est sequentes jam deliberabunt bona; pertinaces autem in malitia.

VERS. 6. — « Fiant tanquam pulvis ante faciem « venti, et angelus Domini coarctans eos. »

Fiant tanquam, etc. [Aug.] Prophetia hic est qua prædicit mala iniquorum; non optatio, ut optet sic evenire. Vel propheta in spiritu Dei eo modo ea dicit quo Deus facit ea, id est fieri sinit certo judicio, justo et sancto, atque tranquillo, non pertubata ira, non animo exercendarum inimicitiarum, sed justitia vitiorum puniendorum. Quam propheta servari optat ei quod congaudet, non delectatus malo creaturæ. Verumtamen et sic prophetia est. Ait ergo : [Aug., Gl. int.] *Fiant tanquam pulvis ante faciem venti,* id est tentationis, id est facile cedant tentationi, vel suggestioni etiam minimæ, quasi non exspectent. Faciem venti, id est præsentiam gravioris tentationis, sed antecedant minori *et angelus Domini,* scilicet malus, sit *coarctans eos,* scilicet affligens eos cum ipsa suggestione. Et siquando per rationem resistant.

VERS. 7. — « Fiat via illorum tenebræ et lubricum; et angelus Domini persequens eos. »

*Fiat via illorum,*id est ratio,*tenebræ et lubricum,* id est obscura et lubricosa, id est inconstans. [Cassiod., Aug.] Vel tenebræ, id est ignorantia, et lubricum, id est luxuria; fiat via illorum, ut in his vitiis tanquam in barathrum mortis descendant. Horrenda via est hæc, quis non horreat lubricum et tenebras? Quis non caveat ibi figere pedes? Sunt ista duo mala magna et pœnæ hominum. *Et angelus Domini* sit *persequens eos,* qui non sinat eos stare, donec luceat ante pedes. Hoc dicit a simili illus qui in tenebris et lubrico facile impellitur, cum non viderit ubi pedem moveat. Vel hoc forte facit ut exspectet, donec luceat. [Gl. int.] Sed hos non sinit angelus Domini stare, donec lux gratiæ oriatur eis, sed in varia mala præcipitat.

VERS. 8. — « Quoniam gratis absconderunt mihi « interitum laquei sui; supervacue exprobraverunt « animam meam. »

Quoniam gratis. Hic commemorat culpam inimicorum. Et quasi quis quæreret : Quo merito sunt tanta mala eis ? respondet : Audi quo merito. [Aug.] Quoniam gratis, quia eis non nocui, *absconderunt* Judæi, ut putabant, cum eorum tamen corda cognoscerem *mihi* Christo *interitum laquei sui*, [Gl. int.] id est consilia et insidias, quibus me occiderent ; sed tamen fuit eis in interitum laqueus suus, et non mihi. Ille enim laqueus non morientis, [Cassiod.] sed peccantis erit interitus. [Aug.] Unde alia editio habet, *absconderunt* mihi muscipulam corruptionis suæ, et *exprobraverunt*, id est accusaverunt *animam meam* : et hoc *supervacue*, id est inutiliter, falsa scilicet dicentes, non probantes. Et ideo

VERS. 9. — « Veniat illi laqueus quem ignorat, « et captio quam abscondit apprehendat eum ; et in « laqueum cadat, in ipsum. »

Veniat illi laqueus quem ignorat, [Aug.] ipse suus laqueus teneat illos. Ecce digna retributio. Nil enim justius quam illa evenire quæ absconderunt. Inde enim decipiuntur, unde decipere voluerunt ; inde nocetur eis, unde nocere voluerunt. Unde subdit, *et captio quam abscondit apprehendat eum*, ut funiculis suorum peccatorum constringantur, quæ contulerunt occulte tractantes quomodo caperent Christum et pertimerent, *et in laqueum cadat*, non in alium, sed *in ipsum*, qui mihi tetenderunt, tanquam si quisquam veneni calicem præparet alicui, et oblitus biberet. Ita factum est Judæis, qui laqueum paraverunt ipsi Christo : in quem inciderunt. Nemo enim malus est, qui non prius sibi noceat. Sic enim putato malitiam esse, quomodo ignem. Si incendere vis aliquid, illud quod admoves igni, prius ardet : nisi ardeat, non incendit aliud. Verbi gratia, cum faculam apponis igni, prius ardet ut aliud possit incendere : ita ergo malitia procedit ex te, et quem vastat antequam te, quo profundit ramum, lædit ; ubi radicem habet, non lædit. Equidem dico, quod malitia tua ut alteri non noceat, fieri potest ; ut autem tibi non noceat, non potest. Vel secundum aliam litteram, *in laqueum cadat in ipsum*, neutraliter, [Hier., Gl. int.] id est ex hoc ipso quod mihi parant laqueum, cadant interius. Vel de pœna exteriori potest accipi, qua puniti sunt Judæi, pro peccato mortis Christi, hoc modo : Veniat illi laqueus captivitatis, quem ignorat, et captio quam abscondit mihi apprehendat eum, id est similiter capiatur a Tito et Vespasiano, ex improviso, sicut me ceperunt ; et in laqueum mortis cadat in ipsum, scilicet quem mihi paraverunt. Eodem modo interficiantur, sicut me interficiunt. Et ita evenit. Quidam enim fuerunt capti, et quidam interfecti. Vel in bono potest accipi laqueus, et captio. [Cassiod., Gl. int.] Et dicit hæc optando bonum eis de morte Christi provenire. Quasi dicat : Paraverunt mihi mortem, et ex ea veniat ille laqueus quem ignorat, id est laqueus veritatis quam peccator ignorat, astringat eos, cujus nexu diabolo adhærentes, Deo adhæreant et captio quam abscondit, [Cassiod., Alcuin.] id est abscondita captio, mors Christi, apprehendat eum, non suis sceleribus relinquatur. Et in laqueum cadat, bonum, quo a malis cohibeant. Et hoc in ipso, id est ex ipsa morte

PARS II. VERS. 10. — Anima autem mea exul« tabit in Domino, et delectabitur super salutari « suo. »

Anima mea, etc. [Alcuin.] Secunda pars ubi præmissa spe boni et gaudio enarrat quam maligne erga benignum agunt. Et loquitur hic prius Christus, quasi dicat : Hæc prædicta illis fient, *anima autem mea exsultabit*, ut quæ audit salus tua ego sum, exsultabit, dico *in Domino*, non quærens alias extrinsecus divitias, non quærens circumfluere voluptatibus bonisque terrenis, sed ipsum solum sibi proponens, quo nil suavius est : non deficit, qui omnia fecit. Ipsum ergo pete et in illo habebis omnia, *et delectabitur*, quasi dicat, anima autem mea exsultabit in Domino. Unde hoc sequitur, quod etiam delectabitur *in salutari suo*, [Gl. int.] id est super salvatione sua, quæ facta est ei in resurrectione. Qua scilicet resurrectione

VERS. 11. — « Omnia ossa mea dicent : Domine, « quis similis tui ? »

Omnia ossa mea, [Hier.] id est discipuli mei roborati sunt, et *dicent*, gratias agentes : *Domine*, etc. Et hoc dicent illi qui sunt ossa mea, id est firmi. Etsi enim caro cedat ; tamen ossa, [Aug.] id est justi, verbis laudant. Carnes enim, [Alcuin.] id est carnales et infirmi non habent verba laudis et confessionis, quia infirma apud te silent penitus, sed fortia te magnum laudant et timent. Vel ex persona Ecclesiæ potest dici : [Aug.] *Anima autem mea exsultabit in Domino*, non mutatur. *Et delectabitur super salutari*, etc., id est Christo, de quo alibi dicitur : *Quoniam viderunt oculi mei salutare tuum* (*Luc.* II). *Et omnia ossa mea dicent*, id est omnis fortitudo mentis meæ dicet, [Aug.] quia hoc alius dicere nequit, scilicet quod sequitur, scilicet : O *Domine*, *quis similis* sit *tibi*, vel *tui* ? nullus. Nihil enim in diis vel creaturis simile est illi, [Aug.] quia ipse solus eripuit hominem de manu forti. Unde subdit : Tu es

VERS. 12. — « Eripiens inopem de manu fortio« rum ejus ; egenum et pauperem a diripientibus « eum. »

Eripiens incarnationem Verbi *in opere*, [Cassiod.] id est genus humanum, *de manu fortiorum ejus*, id est diaboli qui tenebat eum ; sed manu fortis alligavit diabolum, [Aug.] qui erat fortior homine, quem ipse vicit *egenum et pauperem a diripientibus eum*, id est a diabolo et membris ejus. Idem accipitur per inopem, egenum et pauperem, [Cassiod.] scilicet genus humanum, quod est quasi unus inops, et egenus et pauper : Inops, quia mortalis ; egenus, quia in sudore vultus sui quærit panem (*Gen.* II) ; pauper, quia de pura sapientia dejectus, tenuem et umbratilem habet rationem.

74 VERS. 13. — « Surgentes testes iniqui, quæ « ignorabam interrogabant me. »

Surgentes testes iniqui. [Cassiod.] Dictis calamitatibus hominis, ne ipse Christus ab his alienus videatur, passionem suam exponit, quasi dicat : Non modo alii calamitates passi sunt, sed etiam ego, quia *surgentes*, quasi subito et immoderate *testes iniqui*, iniqui, quia contra æquum testabantur, *interrogabant me*, non convincebant ea, scilicet *quæ ignorabam* actu, peccata sunt ea quæ Christus ignoravit facere, sicut usu dicitur de aliquo : Non novit benefacere, quia non benefacit [Aug.] Ita et Christus, qui est cognitor iniquitatum quas judicat, dicitur ignorare peccatum, non quasi non videndo, et non judicando, sed non committendo. Alienum est enim ab opere, et a conscientia ejus. Et ideo dicit, ignorabam, quo modo ars dicitur nescire vitium, quod tamen per artem cognitum devitatur, Ideo ait : Quæ ignorabam interrogabant me, quasi dicat : De iniquitatibus interrogabant me cum vincere volebant, sed non poterant, [Gl. [int.] quia ego sum ars ipsa, in qua quisque non discit nisi facere bonum. Et cum venissem salvare eos et curassem infirmos eorum pro iis bonis

VERS. 14. — « Retribuebant mihi mala pro bonis, « sterilitatem animæ meæ. »

Retribuebant mihi mala pro bonis, scilicet *sterilitatem animæ meæ* : cum ego attulissem fecunditatem, [Aug.] ipsi retribuebant sterilitatem. Ego attuli vitam, ipsi mortem retribuerunt ; ego honores, ipsi contumelias ; ego medicinam, ipsi vulnera. Hanc sterilitatem in ficu maledixit Dominus, ubi cum quæreret non invenit, folia erant in ea et fructus non erant (*Marc.* XI), id est verba erant in Synagoga, et facta non erant. Vide enim in verbis numerositatem, et in factis sterilitatem. Ait enim Apostolus : *Qui prædicas non furandum, furaris*, etc, (*Rom.* II.)

VERS. 15. — « Ego autem, cum mihi molesti es- « sent, induebar cilicio. »

Ego autem. Quasi dicat : Illi ita ; *ego autem cum mihi molesti essent*, [Aug.] et cum sævirent in me, *induebar cilicio*, id est sub carne mortali latebam secundum divinitatem, quia non exercui potentiam, ideo ignotus eis fui. Caro enim Christi dicitur cilicium, propter similitudinem carnis peccati. Cilicium enim fit de pilis caprarum, quæ in veteri lege offerebantur pro peccatis. Et etiam

VERS. 16 — « Humiliabam in jejunio animam « meam et oratio mea in sinu meo convertetur. »

Humiliabam, id est affligebam *animam meam in jejunio.* [Aug.] Quale fuit illud Christi jejunium, corporale an spituale ? Manducare quidem volebat Christus, quando poma in arbore quærebat ; bibere etiam volebat, quando mulieri Samaritanæ dixit : *Da mihi bibere* (*Joan.* IV). Sed non de hac siti, non de hoc jejunio hic agitur, sed de alio jejunio in illo significato. Esurivit enim et sitivit Christus salutem nostram, bona nostra. Jejunabat ergo, quia nulla bona opera in Judæis invenit, et apostoli eum fugerant et in turba se absconderant ;

A et Petrus qui se usque ad mortem perseveraturum promiserat, jam ter negaverat : vix invenit unum latronem quem in cruce gustavit. Ideoque in hujus rei memoria passionis die arctissimum jejunium observat sancta Ecclesia. *Et oratio mea*, quasi dicat : Humiliabam me in jejunio et etiam orabam, et oratio mea *convertetur in sinu meo* vel meum, [Aug.] id est non alium orabam, quam illum qui mihi personaliter unitus est, dicit Christus secundum quod homo, secundum quod orat ; sed oratio ad sinum convertitur, id est ad verbum in quo erat Pater. Sinus enim est secretum in quo orare jubemur, ubi oravit Susanna (*Dan.* XIII). Secretum vero Christi est divinitas ad quam orat humanitas. [Aug]. Christus enim secundum quod Verbum est non orat,
B sed exaudit. Et non sibi subvenire quærit, sed omnibus subvenit cum Patre. Et est, oratio mea in sinu meo convertetur, id est in me ipso homo interpellat divinitatem. Vel, oratio mea convertetur in sinu meo ; vel, verbum meum, [Gl. int.] id est non proderit nisi his qui sunt prædestinati, qui sunt familiares futuri, et sani, in sinu sanctæ Ecclesiæ, a quo exierant leprosi facti, ut manus Moysi, quæ extra sinum apparebat leprosa, sana in sinu est facta (*Exod.* IV).

VERS. 17. — « Quasi proximum et quasi fratrem « nostrum, sic complecebam ; quasi lugens et con- « tristatus, sic humiliabar. »

Quasi proximum, etc. [Cassiod.] Casus pro casu ponitur, accusativus pro ablativo. Et est : et si mihi
C molesti essent Judæi, ego tamen *sic complacebam* mihi in eis, *quasi proximum et quasi fratrem nostrum*, id est quasi de proximo et quasi de fratre nostro. Ita mihi complacebam in eis, id est de eorum affinitate gaudebam, qui me insequebantur. [Gl. int.] Ecce gratia pro odio ; beneficium pro læsione. Vel, complacebam Patri meo habendo eos, subaudi sic, quasi proximum et quasi fratrem nostrum. Et cum hæc omnia facerem, [Cassiod., Alcuin.] tamen nolebant converti ; et cum nollent converti, ego *sic humiliabar*, id est dolebam *quasi* pater *lugens* filium, *contristatus* de morte filii. Alii interpretes dicunt, *quasi lugens mater incurvabar super eos*. Vel in persona membrorum potest dici : *Et oratio*, quasi dicat : Humiliabam animam, dicit Christus in persona membrorum, et etiam orabam pro Judæis, et oratio *mea in sinu meo con-*
D *vertetur*, [Hier.] id etsi eis non profuerit, ego tamen non sum frustratus mea mercede, ut Dominus dicit in Evangelio : *In quamcunque domum intraveritis, dicite : Pax huic domui ; et si illi qui in ea sunt non receperint, pax vestra in sinu vestro et ad vos revertetur vel reducetur* (*Matth.* X), id est, [Cassiod.] si non eis, tamen vobis proderit. Ita ejus oratio, qua in membris oravit, a Judæis non accepta ad eum rediit quasi proximum. Item hic loquitur in membris, in quibus sunt quidam valde proximi Deo, qui criminali macula nunquam sunt polluti ; alii sunt qui per peccatum longe sunt. Illis ergo gaudium est, istis luctus et tristitia. De illis qui proximi sunt prius agit, ponens casum pro casu. Et hoc est, ego sic

complacebam, Deo, *quasi proximum et quasi fratrem nostrum*, id est quasi proximo et fratri. Hoc dicere convenit propinquanti ad Deum, gaudenti, qui placet Deo, quasi fratri et proximo : cui non appropinquatur locis, sed actionibus. [Aug.] Deo enim, qui ubique est, et nullo continetur loco non ut per loca appropinquamus, vel ab illo removemur ; sed propinquare illi est similem ei fieri, longinquare ab illo dissimilem illi fieri, ut cum videris duas res prope similes, dicis : Propinqua hæc est illi ; et quando dissimiles, quamvis uno loco, una manu teneantur, tamen dicis : Longe est hæc species, vel res ab illa. Et sicut qui similis et gaudet, ita qui dissimilis est gemit. Unde iste subdit, *quasi lugens et contristatus sic*, etc. Hoc convenit non longinquo, ut sic proximet.

VERS. 18. — « Et adversum me lætati sunt, et « convenerunt ; congregata sunt super me flagella, « et ignoravi. »

Et adversum me. [Cassiod.] Loquitur hic Christus exponens quam impie egerint Judæi contra ipsum, quasi dicat : Ego tristabar de perditione eorum, et ipsi *adversum me lætati sunt*, [Aug., Cassiod.] quasi dicat : Illi sunt læti, ego tristis ; cum enim pie contristor. Judæi impie lætantur : *Et convenerunt* in concilium, et *congragata super me sunt flagella*, [Gl. int.] id est tormenta parabant, *et ignoravi* secundum opinionem eorum. Vel ignoraverunt alia littera, [Cassiod.] scilicet cui facerent, et cur, vel quod in eos essent reditura.

VERS. 19. — « Dissipati sunt nec compuncti : ten- « taverunt me, subsannaverent me subsannatione, « frenduerunt super me dentibus suis. »

Dissipati sunt, [Cassiod.] id est dissoluti, vel stupefacti visis miraculis in passione, *nec* tamen præ duritia cordium *compuncti sunt* per pœnitentiam. Vel, dissipati, [Alcuin.] id est dispersi sunt per totum orbem a Romanis. Nec tamen, compuncti sunt, id est non pœnituerunt. Vel dissipati sunt, id est divisi : Alii enim dicunt quod bonus est, alii non ; sed seducit turbas (*Joan.* VII). Nec compuncti sunt, et *tentaverunt me*, dicentes : *Dic nobis si tu es Christus Filius Dei vivi* (*Matth.* XXVII) et subsannaverunt me, [Aug.] dicentes : *Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere (ibid.)*. Subannaverunt, dico *subsannatione* : Hoc genus locutionis, scilicet ubi est geminatio, ponitur, cum res copiose facta videtur ut dicitur : Ut benedicens benedicam te, et gaudens gaudebo. Et *frenduerunt super me dentibus suis,* [Cassiod., Alcuin.] ut feræ mos sævitiæ est, quod quando ratio deficit dentibus frendit, et quod vult tacens ostendit. [Aug.] Hec autem quæ capti in cruce referuntur facta hic, corpori ubique fiunt. Hæc autem in oratione finit, subdens :

VERS. 20. — « Domine, quando respicies ? resti- « tue animam meam a malignitate eorum, a leoni- « bus unicam meam. »

Domine, etc, Quasi dicat : Hic mihi faciunt mali, dicit Christus, sed, o *Domine*, quando respicies, ut me resuscites ? [Cassiod.] Quasi dicat : Ne diu differas, sed *restitue animam meam* corpori die tertio animam dico erutam *a malignitate eorum*, et a *leonibus*, id est a potestatibus sævientibus, erue *unicam meam*, id est Ecclesiam, vel carnem meam, quæ sine peccato fuit. Vel ex persona nostra dicit quibus tardum est : Domine, quando respicies ? [Aug.] id est quando videbimus vindictam de eis qui nobis insultant, quando illam viduam judex tædio victus exaudiet, cum judex noster non tædio, sed amore differt salutem nostram, ratione, non inopia, ut scilicet magis desideremus et numerus omnium nostrum impleatur usque in finem ; et tamen nos ex desiderio dicimus : Domine, quando respicies ? restitue animam meam, etc., id est Ecclesiam.

PARS III. VERS. 21. — « Confitebor tibi in eccle- « sia magna, in populo gravi laudabo te. »

Confitebor. Tertia pars [Cassiod., Alcuin.] Jam de fructu passionis agit, et permittit confessionem totius Ecclesiæ. Inde peccatur cum commemoratione culpæ suæ confusione persecutorum, et exsultatione fidelium. Quasi dicat : [Gl. int.] Dico, restitue, et si hoc feceris *confitebor tibi in Ecclesia*, hæc est unica. Et addit *magna*, quia est de omnibus gentibus ; et *in populo gravi*, quem scilicet non aufert ventus tentationis, *laudabo te* in omni multitudine, [Aug.] scilicet granorum et palearum confessio est, laus in gravibus est et granis, non in palea. Palea volat, frumentum remanet, quia grave est. Bona est hæc gravitas, longe distans ab illa de qua alibi : *Uusquoque gravi corde ?* (*Psal.* IV.) Hæc confirmat, illa deprimit, et in profundum submergit, scilicet sæculi, unde subjecti non sunt quasi plumbum in aquis vehementibus. Et ego confitear illi,

VERS. 22. — « Non supergaudeant mihi qui ad « versantur mihi inique, qui oderunt me gratis, et « annunt oculis

Qui adversantur mihi inique, non supergaudeant mihi. Insultant enim de palea mea *qui* etiam *oderunt me,* [Gl. int.] quod non omnes adversi faciunt ; et *gratis,* quia eis non nocui. Repetit hic Christus de passione sua, [Hier.] ut de pœna eorum addat. Dico adversantur et odiunt, *et* tamen *annuunt oculis,* [Aug.] sicut hypocritæ et simili, pronuntiantes vultu quod in corde non habent. [Cassiod.] Vel, annunt oculis, quando vicissim se tacitis nutibus admonent ad decipiendum et tentandum. Et vere annuunt mihi ut hypocritæ.

VERS. 23. — « Quoniam mihi quidem pacifice « loquebantur ; et iracundia terræ loquentes, do- « los cogitabant. »

Quoniam mihi quidem pacifice loquebantur, dicentes : *Scimus quia verax es, magister, et in veritate viam Dei doces. Licet dare tributum Cæsari, an non?* (*Matth.* XXII.) [Aug.] Hi sunt annuentes qui talia loquebantur, et ipsi *loquentes* taliter, [Cassiod.] id est dum loquerentur pacifice, *cogitabant dolos.* Et hoc *in iracundia,* id est exitialiter. Cogitat enim quis dolum, qui non vult occidere, quæ iracundia erat

terræ. [Gl. int.] id est pro terra, scilicet ne perderent locum et gentem.

VERS. 24. — « Et dilataverunt super me os « suum ; dixerunt : Euge, euge, viderunt oculi « nostri. »

Et ipsi qui prius erant annuentes et dolos cogitantes, post aperte *dilataverunt* 75 *super me os suum,* libera et aperta voce mortem inclamantes : *Crucifige, crucifige eum* (*Luc.* XXIII). Et in ipsa morte *dixerunt : Euge, euge,* bene est nobis ; *viderunt oculi nostri* de te quod voluimus, quod desiderabamus. Vel, dixerunt insultando, euge, euge. [Aug.] Vox irrisoria est et insultatoria ; jam viderunt oculi nostri facta tua, et mirabilia tua. Hic est Christus, et si ipse est Christus rex Israel, descendat de cruce, et credimus ei (*Matth.* XXVII).

VERS. 25. — « Vidisti, Domine, ne sileas; Domine, « ne discedas a me. »

Vidisti. Quasi dicat illi ita : [Gl. int.] Sed, o tu *Domine, vidisti,* obedientiam meam et iniquitatem illorum. [Cassiod.] Hoc dicitur, quando in memoriam revocare volumus aliquid. Ac si diceret : Vidisti quam crudeles sunt illi, et quam patiens ego. Et ideo *ne sileas,* [Aug.] id est ne differas dare sententiam, [Hier.] sed judicia ; *Domine* , ne discedas a me, in passione, sed, o

VERS. 26. — « Exsurge et intende judicio meo ; « Deus meus, et Dominus meus, in causam meam. »

Domine, [Cassiod., Gl. int.] qui videris jacere, *exsurge* ad reddendum mihi et adversariis, *et intende judicium,* vel *judicio, meum,* vel *meo,* [Alcuin.] reddendo mihi nomen, quod est super omne nomen, ut ego intensus sum, et merito *intende in causam meam* [Aug.] passionis scilicet et mortis, scilicet quod pro redemptione humani generis patior et morior. Tu dico, intende, qui es *Deus meus et Dominus meus,* vel ex persona membrorum dicit : Domine ne discedas a me, donec veniat judicium, sicut promisisti mihi : *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVII). Sed exsurge, Domine, in auxilium meum, et ad remunerandum. Et intende judicio meo, quod tribulatus sum, quod laboribus et doloribus cruciatus sum. Sed quia et ista multa mali patiuntur, addit, intende in causam meam, pro qua patior. Pœna enim similis est sceleratis et bonis, sed non causa ; martyrem facit itaque non pœna, sed causa. Ideo

VERS. 27. — « Judicia me secundum justitiam « tuam, Domine Deus meus ; et non supergau- « deant mihi. »

Domine, judica me, [Gl. int., Aug.] quem illi judicant injuste, non secundum pœnam, sed *secundum justitiam tuam,* quam mihi dedisti. Vel, meam, quæ in me est. Hæc est causa mea, [Aug.] judica, dico, o *Domine,* tu qui es *Deus meus,* et secundum hoc me judicia, scilicet quo tu es Deus meus. [Gl. int.] Dico ut me judices secundum justitiam tuam,

(72) Ex Isidor., in cap. Exod XXXII.

A et secundum eamdem justitiam judica illos qui me persequuntur ; *et non supergaudeant mihi,* [Cassiod.] id est magis defleant quam gaudeant implesse mala sua.

VERS. 28. — « Non dicant in cordibus suis. « Euge, euge animæ nostræ ; nec dicant : Devora- « bimus eum. »

Non dicant in cordibus suis, [Gl. int.] et si in ore : *euge, euge,* est *animæ nostræ,* [Aug.] id est bene est nobis, quia fecimus quod voluimus. Sensus talis est : Ostende eis quia nihil fecerunt, et ut non gaudeant, *nec dicant : devorabimus eum,* [Gl. int.] ut non resurgeret, sed potius

VERS. 29. — « Erubescant et revereantur simul

B « qui gratulantur malis meis. »

Erubescant in clarificatione resurrectionis meæ *et revereantur,* id est simul omnes timeant pœnas *qui gratulantur malis meis,* [Hier.] non solum facientes. Vel de membris, vel in membris hoc dicit, non dicant : et agit de persecutoribus Ecclesiæ, ut sunt Judæi et gentes, quasi dicat, non gaudeant ; et ut hoc sit, ne dicant, devorabimus eum, vel, absorbebimus eum. [Aug.] Justum devorant illi qui sunt incorporati malis. Sicut enim illi reviviscunt quos mactat vel manducat Petrus, ita illi absorbentur, qui in corpus malorum transformantur. Erubescant. Quasi dicat : illi non dicant hoc, sed potius erubescant de peccatis ut nos absorbeamus eos, ut Israel absorpsit vitulum comminutum, quem Aaron in ignem conflavit. Moyses vero de

C monte descendens in ignem misit, et confudit formam, et deinde comminuit, et misit in aquam, et dedit populo bibere (*Exod.* XXXII). Quo significatur corpus impiorum (72) cujus malitiæ characterem sancti prædicatores confundant igne cœlesti, et per aquam baptismi mundatum in societatem Ecclesiæ trajiciunt. Quod ut fiat hic precatur dicens : Erubescant. [Cassiod.] Qui erubescit actus suos, propria æstimatione damnat, sed quia potest erubescere qui non habet reverentiam, ideo addit : et revereantur simul, ut conversionem notet, quia reverentia est timor Domini cum amore. Et quos erubescere velit, addit, qui gratulantur malis meis. Deinde quod dixerat evidentius determinat dicens :

VERS. 30. — « Induantur confusione et reveren-

D « tia, qui maligna loquuntur super me. »

Induantur plene *confusione,* vel pudore, [Cassiod.] quasi cilicia pœnitentiæ et veste lugubri *et reverentia :* pudor est contra audaciam quam habuerunt furentes ; reverentia, contra impudentiam falsitatis. Hoc debent habere, ut his illa curent. Vel in malo potest accipi, induantur, quasi dicat, erubescant hic ad salutem ; et revereantur. Quod si noluerint, [Hier.] induantur tandem in inferno confusione mala ; et reverentia, illi scilicet, *qui maligna,* vel magna, id est superba, *loquuntur super me.*

VERS. 31. — « Exsultent et lætentur qui volunt justitiam meam, et dicant : Semper magnificetur » Dominus, qui volunt pacem servi ejus. »

Exultent [Cassiod.] In spe magna fidelium finit, sicut alii psalmi de passione. Quasi dicat : Illi erubescant et confundantur, *exsultent* autem *et lætentur qui volunt* non suam justitiam statuere. [Gl. int.] sed *justitiam meam* imitari *et* qui ex ea *volunt pacem servi ejus*, [Hier.] id est Christi, [Gl. int.] id est pacem meam, quam veni mittere in terram ad Deum et ad proximum; et exsultantes *dicant* : *Semper magnificetur Dominus*, id est ita usque in finem sæculi magnificetur, sicut jam est magnificatus in conversione quorumdam. Multum distat inter hos lætantes et prædictos. Illi enim maledicunt : Euge, euge animæ suæ, [Cassiod.] quæ lætitia cito fugit; isti vero non animæ suæ hoc dicunt, sed vota ad Deum convertunt, et in ejus laudibus, non in se, suam lætitiam ponunt, quæ est perpetua.

VERS. 32. — « Et lingua mea meditabitur justi» tiam tuam, tota die laudem tuam. »

Et lingua. Quasi dicat : Confitebor, laudabo, *et lingua mea meditabitur justitiam tuam* : meditatio cordis est non linguæ, sed ita Christi vox consonat cordi, ut quod est cordis detur ori, cum ait, lingua mea meditabitur justitiam tuam. Lingua ejus meditata est justitiam Dei, [Cassiod.] quando Novum Testamentum populis prædicavit. Et *tota die laudem tuam*, [Aug.] quia in omnibus verbis et factis Deum laudavit. Tota die enim laudat qui bene omnia agit. Non desinit laudare qui non desinit bene agere; non desinit bene agere qui non desinit justus esse. Omnia ergo bona age, et Dominum laudasti tota die Vel lingua interior, [Hier.] scilicet lingua mentis et non corporis; mea, id est meorum fidelium, dixit Christus, meditabitur justitiam tuam. Unde alibi : *Lex tua meditatio mea* est. [Alcuin.] Vel lingua, Christi accipiuntur prædicatores, per quos alios docet. Quasi dicat : Hoc fiat quod dixi, et lingua mea meditabitur justitiam tuam, id est prædicatores mei ex studio annuntiabunt te justum, qui promissa implesti; et tota die laudem tuam, id est omnia annuntiabunt universaliter in quibus laudandus es.

COLLATIO IN PSALMUM XXXIV : « JUDICA, DOMINE, NOCENTES ME. »

VERS. 3. — *Effunde frameam*. Ferme omnes præter Hieronymum vertunt *lanceam*. Non alio quidem declinat sensus, et framea est lancea. Poterant igitur patres suos sequi. Translatio ad Campensem, habet *stringe mucronem*; et Nebiensis, *arma capesce*.

VERS. 8. — *Exprobraverunt animam meam*. Hieronymus cum aliis, *foderunt animæ meæ*. Sed חפר HAPHAR ambiguum est, ut constat etiam ex eodem psalmo, versu 5, etiam si sit ibi neutrum. Sententia tamen hic non est aliena, nec obest si LXX active acceperunt חפרו HAPHERU.

VERS. 2. — *Eripiens inopem de manu fortiorum ejus*. Faber et Cæcus contendunt propter commodi-

A tatem locutionis Latinæ legendum *fortiorum* eorum. Verum jam admonuimus ecclesiasticum ritum recepisse in aliquibus Græcanicam forman, ut est illud I Corinth. XIII : *Major horum est charitas*, pro *major ex his*, si Latinis auribus purgatius velis loqui, nisi acceperis comparativum loco superlativi, quod est usitatum interdum Latinis. Ista erant negligenda, ni sugillatores tanquam grande piaculum censerent. Denique tradit divus Augustinus in psalmum LXXXII, vers. 4, quod quandoque interpres transfert locutionem Græcam, quæ Latinis inusitata est.

VERS. 13. — *Ego autem cum mihi molesti essent*. Hebraicantes Neoterici, *Cum ægrotarent*, *aut ægrotantibus ipsis*. Vocabulum Heb. בלותם BAHALOTHAM potest accipi propter men, id est *m* finale, et formam infiniti, sub neutra autem passiva significatione. Suffragatur Hieronymus juxta Hebr., qui ad hunc modum reddidit, *cum informarer ab eis*, et ita

B *cum mihi molesti essent*, licet altera sententia habet sensum conversum.

VERS. 14. — *Quasi proximum, quasi fratrem nostrum sic complacebam*. Hieronymus, *quasi ad amicum, quasi ad fratrem meum sic ambulabam*; Sanctes, *sicut pro amico, sicut pro fratre meo ambulabam*; Pratensis et interpretes pro Cajetano, *quasi* vel *sicut socius, sicut frater meus ambulavi*; Pellicanus, *sicut amicus, sicut frater æquum me conversatione mea exhibui*; Munsterus, *perinde ac si amicus, atque ac si frater meus fuisset quilibet eorum, sic incessi*. In Hebr. sunt tantum quatuor vocabula, ברע כאח לי התהלכתי BEREA KEAH LI HITHHALACHTI, Primum significat amicum, secundum fratrem, tertium est pronomen primæ personæ, quod potest respicere particulam præcedentem, aut sequentem, ultimum significat ambulare. Quod recte Interpretes LXX acceperunt pro *complacere*, figurate. Quis

C enim dicitur ambulare in via mandatorum Dei, quando sibi ea perplacent : quo tropo sæpius Scriptura utitur, tantum movet locutio quæ videtur inepta, *fratrem meum complacebam*. Nil tamen incommodi sensit Augustinus in enarratione, qui toties repetit id lectionis ; videtur enim subaudire infinitivum esse, sic, *complacebam*, id est gaudebam Deo proximum esse, id est propinquare. Ex cujus interpretatione, ut habes in Expositione, liquido constat, elidi taxationem Fabri et Cæci, repudiantium quod dicitur *fratrem nostrum*, et recipientium meum, quod non communicamus aliqua propinquitate Patri, quem Christus hic alloquitur. Quod tamen sonat dicendo fratrem *nostrum*, non autem dicendo *meum*, ob societatem naturæ humanæ, qua nobis copulatur. Hoc totum ratiocinium corruit, si Augustini explanationem revolveris, præter hoc quod dicitur subaudiri præpositionem *ad*.

Quasi lugens et contristatus. Hebr. pro *contrista-*

D *tus* ponunt *matrem*, EM אם, id est *mater*. Et quia destituuntur casuum variatione, Hieron., interpretes pro Cajetano, Pellican, et Nebiensis vertunt nominandi casu, *quasi lugens mater*, intelligendò filium. E diverso Sanctes, Pratensis, Campensis referunt luctum ad filium, sub àccusandi casu, *quasi lugens matrem*, scilicet filius. Et Chaldæus Paraphrastes, *sicut lugens et tristis de matre sua*. Ob id Munsterus transtulit, *juxta luctum matris*, quo posset utrolibet accipi. Interpretes legerunt IM, אם *pro* אם EM, quandoquidem nulla est prorsus distinctio litterarum, et potest hoc aut illud legi citra punctationem. Et dixerunt, *et contristatus*, non curantes magis ad verbum reddere, *cum contristatione humiliabar*. Sanctes pro *contristato* ponit *pullatum*; interpres pro Cajetano, *atrum*; Pratensis, *nigerrimum*, Interpretes secuti sunt metaphoram, cum nigritudo symbolum sit tri-

stitiæ. Unde Hieronymus dixit, *tristis;* et Munsterus, *mæstus*.

VERS. 18. — *Et adversum me lætati sunt.* Hieron. *in infirmitate seu adversa valetudine mea;* ut vult Munsterus, Sanctes, et Pellican. *in claudicatione mea;* Pratensis, *cum attritus essem.* צלע TZELA' Hebraice notat nonnunquam *latus* et *costam*, ut habetur, Gen. II, de costa Adæ; alias vero, *fracturam, plagam, claudicationem.* Igitur, *adversus latus*
76 *meum,* non dissonat ab eo quod est *adversum me.* Nec etiam aliæ versiones longe sunt.

VERS. 15. — *Congregata sunt adversum me flagella.* Quod vertunt Hieron, et interpretes pro Cajetano, *pro flagellis percutientes* nihil interest ad sensum, quem Sanctis translatio convertit, *congregaverunt se adversum me percussi;* Pratensis et Pellicanus *claudi;* Munsterus, *abjecti;* Chaldæus, *impii.* נכים NECHIM inclinatur a radice נכה NACHA, id est *percussit, debilitavit* Eoque interpretes recte sensum expresserunt.

VERS. 16. — *Dissipati sunt nec compuncti.* Hier., *scindentes, et non tacentes.* Cui satis accedunt pro Cajetano interpretes, *sciderunt et non tacuerunt.* Sic et Pellicanus, Munsterus, *distenderunt os suum, et non tacuerunt.* Cui accinit Sanctes, *cachinnaverunt et non tacuerunt.* Pratensis, aperuerunt et Heb. קרע QUARA, significat scidit, *rupit, aperuit.* Et metaphorice, teste Sancte ex rabi David, *cachinnatus est,* ac si loquacitate carnem scinderet. Juxta germanam significantiam acceperunt LXX et neutraliter. Secundam vero particulam, metaphorice, sicut alii, sæpe solent ipsam vertere לא דמו LO DAMU, *non tacuerunt.* Judæi enim multis angustiis attriti, non cessant blasphemare, nec ullis flagellis compunguntur. Silentium autem in corde, compunctio est.

Tentaverunt me, subsannaverunt me subsannatione. Hier., *in simulatione verborum fictorum;* Pellicanus, *cum simulatoribus deridentium coctionem;* Pratensis, *cum simulatoribus derisionum esculentorum;* Sanctes, *cum impiis subsannatoribus, qui indulgent ventri;* Munsterus, *cum assentatoribus erant garruli subsannatores;* interpretes pro Cajetano, *blanditiis derisionem vaniloquii.* Hebræus habet, בחנפי לעגי מעוג BEANPHE LAAGE MAOG. Primum vocabulum significat *simulare et personas accipere,* quod maxime quadrat Scribis Pharisæis et Herodianis, Christum Dominum tentantibus, Matth. XXII, ut caperent eum in sermone : *Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces, et non est tibi cura de aliquo, non enim respicis personam hominum,* etc. Ac videntur legisse Interpretes LXX, בחנפי BEAHANPHI, id est *cum simulatoribus seu hipocritis meis.* Clarius tamen extulerunt sub verbo, *tentaverunt me.* Duo alia vocabula extra omnem controversiam significant subsannationem, licet ultimum etiam quædam alia notet. Non erat igitur ut isti novatores lectionem Latinam labefactarent, si tamen eo animo secus verterant, in præsenti versu, ad id, *dissipati sunt nec compuncti.* Mirum quod blaterant Faber et Cæcus adversus LXX, (qui tamen, attestante Hier. præfato in libros Paralipomenon, Spiritu sancto pleni fuerunt) eos insimulantes magnæ temeritatis, qui audaciuscule everterunt sensum Spiritus sancti, et suum reddiderunt. « Quomodo enim, inquiunt, si *dissipati sunt,* continuo subnectitur, *non compuncti tentaverunt me, subsannaverunt me subsannatione, frenduerunt super me dentibus suis?* Antecedentia enim et frequentia adversantur. » Frigida est hæc ratiocinatio, quandoquidem in verbis prophetarum familiare

A est præteritum accipere loco futuri, ut est illud quod sequitur, tanquam causa vindictæ, *Tentaverunt me,* etc. Expositio enim Magistri ostendit eorum tela nulla esse, simul et Hieron. *Dissipati sunt,* inquit, *a vinculo charitatis.*

VERS. 17. — *Domine, quando aspicies?* Ut sit oratio tribulati tempus præstolantis, quo desiderat citius liberari. Hebr. habent כמה CAMMAH, id est quantum vel quandiu, aut quando aspicies, sicque respiceret magnitudinem irrisionum et persecutionum, quas afflictus requireret aut finem accipere, aut saltem imminui. Et utrumque apte refertur ad personam Christi hominis, Judæorum blasphemias exsecrantis, et eorum perditionem commiserantis, nihilominus justam vindictam expetentis. Et cum vocula Hebraica sit anceps, non debuit Faber editioni nostræ oblatrare.

B 20. — *Quoniam mihi quidem pacifice loquebantur.* Negationem habent Hebr. quæ facit oppositum sensum, nempe, *non pacem loquentur :* et quem reddidit Hier., juxta Hebr. Sed non dubito quin LXX legerint, LI לי pro לא LO, prius autem significat *mihi,* sicut Job XIII. Hebr. legunt negationem, *non sperabo;* et nos legimus *ipsi,* vel *in ipso sperabo.* At insultant Faber et Cæcus, qui fit ut pacem loquantur, et continuo subnectatur, *dilataverunt super me os suum, et dixerunt : Vah, vah, viderunt oculi nostri.* Ista sunt verba odii, non pacis. Commentarius diluit plenissime istam quæstionem.

In iracundia terræ loquentes. Hier. et Nebiensis, *in rapina.* Alii vertunt, *super mansuetos* seu *humiles terræ,* etc. Polysemasia particulæ רֶגַע REGA, aut רֶגַע parit varietatem.

VERS. 24. — *Viderunt oculi nostri.* Nescio quod
C moverit interpretes pro Cajetano, ut verterent, *viderunt oculos nostros,* per accusativum. Et id non solum, sed ipse Cajetanus in sua Expositione secutus est. Omnes autem alii transferunt per nominandi casum, juxta intelligentiam in commentario traditam.

VERS. 24. — *Judica me secundum justitiam tuam.* Vel hic Faber errat toto cœlo. Ex Hebr. inquit, non tuam, sed meam dicitur. Nam Hebr. legitur כצדקך CETZIDQUECA *secundum justitiam tuam,* sicque reddit Hieron. Fuit ille falsus mendoso codice.

VERS. 25. — Bis legimus, *Euge euge,* sicut versu 24 codex Fabri in versione Hier. habet repetitum; noster semel duntaxat, quemadmodum nunc legimus in Hebr. Potuerunt haud absone LXX iterare ad emphasim. Faber et Cæcus contendunt debere dici *vah, vah,* propter evangelicum contextum, quia euge
D est interjectio gaudentis ubi vah est insultantis. Non intellexerunt autem voculam Hebraicam אח AH dupliciter accipi. Quod si a fronte accesserit *he, i, h,* aspiratio tenuis, sic, האח HEAH, plerumque accipitur pro *euge,* quemadmodum in Hebr. legimus hoc loco.

VERS. 31. — *Semper magnificetur Dominus, qui volunt pacem servi ejus.* Hebr. *qui vult pacem servi* ejus, ut referatur ad Patrem, cujus fuit beneplacitum salvare Christum suum. Frequenter admonuimus affinitatem vocularum in causa esse ut numerus nunc hic nunc ille inveniatur. Nam החפצי et, החפץ tantum differunt per iod a fine. Et prius potest esse plurale, alterum est singulare. Hoc ita punctatur הֶחָפֵץ HEHAPHETZ. Illud sic, הַחֲפֵצֵי HAHAPHETZE.

PSALMUS XXXV.

PSALMI TITULUS : IN FINEM SERVO DOMINI, PSALMUS DAVID. »

Dixit injustus. Titulus : *In finem servo Domini, psalmus David.* [Alcuin.] Psalmus iste agit de errore quorumdam dicentium omnia mala esse ex vitio naturæ et creationis nostræ ; bona vero esse ex libero arbitrio. Quod destruit hic Propheta, dicens mala omnia esse ex nobis, bona vero a Deo per gratiam. Unde et in titulo recte servus Domini dicitur fidelis, qui in hoc psalmo loquitur, quia bona a Deo, mala sibi attribuit. Et est *psalmus* iste tendens *in finem* attribuit *David,* id est fideli alicui, qui loquitur in hoc psalmo, *servo Domini,* scilicet de Deo recte sentienti, quia bona Deo, mala sibi attribuit. [Cassiod.] Vel per David, hic intelligitur Christus, quo dicitur servus Domini, id est usquequam Patri obediens. Cui etiam verba psalmi hujus conveniunt. Et est *psalmus* iste tendens *in finem.* Attribuitur *David,* id est Christo *servo* Domini, id est Deo Patri usquequam obedienti. Intentio. Monet ut mala nobis, bona Deo attribuamus. Modus. Bipartitus est psalmus. [Alcuin.] Primo asserit mala esse ex homine. Secundo, dicit bona esse a Deo per misericordiam ibi, *Dominus in cælo,* etc. [Cassiod.] Et notandum quod sunt duo genera peccantium, quia vel ex infirmitate carnis non possunt sequi jussa legis. Unde in libro Sapientiæ dicitur : *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem* (*Sap.* IX). Vel blasphemi sunt, scilicet qui ex voluntate et libere peccant, quasi dicat, hæc Deus non curet. Inde, id est de talibus est quod dicit psalmus.

VERS. 1 — « Dixit injustus ut delinquat in se« metipso : non est timor Dei ante oculos ejus. »

Dixit injustus, etc. [Aug.] Et est hic descriptio viri iniqui. Quasi dicat : *Injustus,* id est genus iniquorum, *dixit,* id est deliberavit, in semetipso, scilicet, apud se et non in publico ; quasi dicat, proposuit in se ubi homo non videt. Quid ? *ut derelinquat,* id est libere peccet. Dico in semetipso, ubi si Deus videt non curat, quia *non est timor Domini ante oculos ejus* : homines timent ne publice profiteantur iniquitatem. Deum non timent, quasi dicat, Deus non requirat, vel curet. Vel ita junge, injustus dixit, etc. Ut delinquat. Unde hoc ei ? quia non est timor Domini ante oculos ejus.

VERS. 2. — « Quoniam dolose egit in cons« pectu ejus, ut inveniatur iniquitas ejus ad « odium. »

Quoniam in conspectu ejus, [Aug.] scilicet Dei, cujus timor non est ante oculos ejus ; *dolose egit,* id est in corde suo egit dolose, quia non nescit, imo scit, Deum esse ibi, id est in corde videre, et tamen malum vult ; in hoc dolose agit, *ut inveniret iniquitatem suam et odisset.* Alia littera, id est de hoc dolose egit, quod iniquitatem suam cum dolo quærens, A noluit vere invenire et odisse. Multi enim inquirunt iniquitates suas, sed cum dolo, nolentes eas vere invenire et odisse : qui cum eas agnoscunt, non dimittunt, sed defendunt. Quod si sincere quærerent, invenirent et odirent. Latet ergo illos vere, sed nolentes contra se faciunt, nolentes vere intelligere, cum tamen quærant nec excusentur de ignorantia.

Aliter ab illo loco *quoniam dolose,* etc., quasi dicat : [Cassiod]. *Non est timor, quoniam dolose egit in conspectu ejus,* scilicet Dei, id est noluit studere legi Dei, *ut inveniatur iniquitas ejus ad odium,* id est ut per eam legem inveniret iniquitatem suam et odiret, quasi per ignorantiam excusari possit. Aliter totum ; quasi dicat : Dicunt mali se delinquere, vel fato vel constellatione vel necessitate provi-
B dentiæ ; [Alcuin.] sed potius *dixit,* id est deliberavit *in semetipso,* id est ex propria voluntate, nihil eum impulit, *ut delinquat,* id est ut derelinquat ad id quod creatus est. Et per hoc est *injustus,* et sic patet quod *non est timor Dei,* actu, *ante oculos ejus,* id est ante eum, qui timor omnibus imminet, quia omnes fatentur Deum timere, sed in actu non ostendunt. Non est timor Dei *ante oculos ejus, quoniam dolose egit,* id est carni obedit non Deo, cum aliud ratio insinuet quod est *in conspectu ejus,* scilicet Dei, quasi dicat, quod videt Deus, et si non alius. Vel, *in conspectu ejus,* scilicet injusti, quasi dicat quod videt ipse injustus, a Deo scit ; *ut inveniatur,* ab ipso eodem *iniquitas ejus ad odium,* id est quod iniquitas sua habenda est odio apud Deum et omnes
C bonos, non odivit tamen eam.

VERS. 3. — « Verba oris ejus iniquitas et dolus ; « noluit intelligere ut bene ageret. »

Verba oris ejus. [Alcuin.] Hic ostendit per partes iniquitatem, scilicet in verbis, in cogitationibus, in operibus malis. Et hoc est, verba oris ejus, sunt *iniquitas et dolus,* id est iniqua et dolosa, vel aperte mala. Vel si bona cum dolo, cogitatio quoque ejus cum posset esse bona de bonis, est de iniquis. Et hoc est, *noluit* intelligere, non nego eum posse, sed dico nolle, quid ? *ut bene ageret.* Non dico eum nolle intelligere quod non potuit, sed quod potuit. Et ita perniciosius agit contra seipsum, qui quod potest intelligere, non vult. [Aug.] Sunt enim quædam et quæ si volunt intelligere homines non possunt, ut *in principio erat Verbum* (*Joan.* I), sed si non potuit in-
D telligere ?? in principio erat Verbum potuit, tamen intelligere ut bene ageret, sed noluit et ita veniam non habet. [Cassiod.] Imprudentiæ enim aliquando datur venia, voluntati malæ semper pœna. Noluit intelligere, sed potius

VERS. 4. — « Iniquitatem meditatus est in cubili « suo ; astitit omni viæ non bonæ, malitiam autem « non odivit. »

Iniquitatem meditatus est in cubili suo, [Aug.] id est in corde, in quo sibi complacet, in quo mundo,

id est si mundum esset, quiesceret. Ubi præcipit Dominus orare, clauso ostio mentis importunis cogitationibus (*Matth*, VI), ut scilicet nihil extrinsecum a Deo petamus : quod si petimus, ostium cordis patet, turba malarum cogitationum videt atque subintrat. Unde Salomon : ***Muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti.*** (*Eccle.* X, 1), id est importunæ cogitationes sibi succedentes exterminant dulcedinem puræ orationis. Hanc turbam amovit Dominus, quando filiam archisynagogi in domo suscitavit (*Matth.* XIX). Et Moses legem accepturus, et cum Domino locuturus, relictis turbis in inferioribus montis, verticem ascendit (*Exod.* XIX). Isboseth quoque filius Saulis ab hostibus, ancilla ostiaria non bene custodiente ostium, occisus est (*II Reg.* IV). [Aug.] Hoc est ergo hic, ***in cubili suo***, quod supra dixit, ***in semetipso***, id est in corde, ubi velut in cubili quiescunt mundo corde. Si ergo extra est tumultus, vel, id est saltem, in cubili sit quies, quæ erit, si sit ibi bona conjux, scilicet Dei sapientia, et pura conscientia : quod si ibi sit mala uxor, nec ibi est quies, et ita nusquam. Sunt namque tria quæ non sinunt hominem in domo quiescere, scilicet fumus, stillicidium et mala uxor. Fumus, sunt peccata, quæ ex concupiscentia nata mentem obtenebrant ; stillicidium, peccata quæ aliunde profluunt ; mala conjux, est sapientia carnis, quæ inimica est Deo ; vel mala conscientia, quæ rationi repugnat. Si quem ergo sua vel aliena inquietaverint vitia, confugiat ad cubile, ibique si bonam receperit conjugem, quiescet ; si malam, turbatur amplius. ***Astitit.*** Quasi dicat ; Mala sunt verba, et cogitationes, et etiam opera sunt mala. Et hoc est, astitit, quasi dicat, cum studio et mora, scilicet perseveranter ***omni viæ non bonæ*** [Aug.] id est pronus fuit iniqua operari, ***malitiam autem non odivit***, sed dilexit. Ecce summa mali. Qui enim non potest penitus carere malitia, debet vel, id est saltem odisse, quam quidem Deus odit, ut mente serviat legi Dei : quod iste non fecit qui invenit et scivit esse mala, sed tamen non odivit.

PARS. II. VERS. 5. — Domine, in cœlo misericordia tua , et veritas tua usque ad nubes. »

Domine, in cœlo misericordia tua. [Alcuin.] Hic est secunda pars, ubi dicit bona esse a Deo per misericordiam. Quasi dicat : Mala sunt ex homine, sed bona sunt ex Dei misericordia. Et hoc est, sed, o Domine in cœlo, id est in iis qui sunt cœlum, id est arcana scientes, est misericordia tua, et quod ipsi iidem sunt nubes, est a te. Et hoc est, ***et viritas tua*** venit ***usque ad nubes.*** [Aug.] Nubes sunt doctores.

VERS. 6 — « Justitia tua sicut montes Dei ; judicia « tua abyssus multa. »

Justitia tua sicut montes Dei, id est justi tui, qui sunt montes Dei spirituales, comparantur montibus realibus, [Aug] quia luce veri solis ante alios illustrantur. [Hier., Alcuin.] Et sicut hos elegis qui sunt montes et nubes, ita alios reprobas et ita ***judicia tua***, scilicet quod horum misereris, et hos excæcas, sunt ***abyssus multa***, id est nulli penitus

A sunt scrutabilia. Et licet hos erigas, alios reprobes tamen utrosque salvas. Et hoc est :

VERS. 7. — « Homines et jumenta salvabis, Do« mine, quemadmodum multiplicasti misericordiam « tuam, Deus. »

Homines et jumenta, id est electos et reprobos ***salvabis Domine***, [Alcuin.] hos corporaliter tantum, scilicet reprobos ; illos etiam spiritualiter, id est, electos, in quo magna apparet misericordia. Unde admirando dicit, ***quemadmodum***, etc. Aliter junge litteram, [Cassiod.] ibi ***homines***, judicia tua sunt incomprehensibilia, quia homines, [Hier.] id est rationabiles ; ***et jumenta***, id est irrationabiles salvabis, Domine. Non mutatur sensus. Salvabis quemadmo-
B dum ***multiplicasti misericordiam tuam Deus.*** Secundum hanc lectionem sic procede in sequentem versum, quasi dicat : Homines et jumenta salvabis, sed præter jumenta, id est præter salutem temporalem, quæ jumentis, id est reprobis datur. Filii hominum, etc.

Aliter totum ab illo loco, ***Domine, in cœlo.*** [Aug.] Quasi dicat : Mala sunt ab homine, sed bona et spiritualia et temporalia sunt a Deo. De spiritualibus docet primo, post de temporalibus. Et hoc est, mala ab homine, sed, o ***Domine, misericordia tua***, scilicet quam sanctis das, est ***in cœlo***, id est cœlestis, non terrena, ut ista temporalis, quæ communis est bonis et malis. Sed quomodo homo agnosceret misericordiam cœlestem nisi ei Deus nuntiaret ? Nuntiat vero
C missa veritate usque ad nubes. Et hoc est, ***veritas tua***, venit ***usque ad nubes***, id est prædicatores, per quos tonat Deus comminationibus, coruscat miraculis, pluit doctrinis. Et ideo recte dicuntur nubes. Unde : ***Qui sunt isti qui ut nubes volant, et quasi columbæ ad fenestras suas ?*** (*Isa.* LX.) Et alibi : ***Mandabo nubibus meis ne pluant super eam imbrem*** (*Isa.* V). Et est sensus : Veritas tua usque ad nubes venit, id est veritatem tuam nubibus, et per nubes omnibus aliis præstas, per quam cœlestem misericordiam tuam intelligant. Et ipsi iidem nubes qui sunt ***justitia tua***, id est per justitiam tuam, qua implentur. Sunt ***montes Dei***, non sæculi. Montes sæculi sunt, Arius, Maximianus, Donatus, Sabellius et alii hæretici per quos unusquisque ducens navem, naufragium faceret. Et bene doctores etiam montes
D dicuntur, quos prius sol justitiæ, id est Christus, luce sapientiæ vestit, quæ post de eis, et si non ab eis, ab infima vallium, id est in inferiorum corda descendit. Ideo dico de eis, et si non ab eis ; ministri enim sunt doctrinæ, non auctores, sed illuminati per justitiam fiunt montes, et per ***judicia tua***, fiunt alii ***abyssus***, id est profundi in peccatis, et est hæc abyssus ***multa***, quia isti tales sunt multi, montes vero pauci. ***Homines.*** Ostendit supra spiritualia bona esse a Deo, hic temporalia esse ab eodem dicit. Quasi dicat : Non solum spiritualia, sed etiam temporalia sunt a Deo, quia, ***homines et jumenta***, id est, carnales qui hæc amant, cum jumentis, ***salvabis Domine***, sicut jumenta temporaliter tantum. Quasi

dicat : Qui utrosque fecit, utrosque temporaliter salvat, quia et temporalia sunt a Deo, quæ eis communiter dat, et dicit homines carnales tantum. Jumenta, accipit ad litteram, *salvabis* quemadmodum *multiplicasti misericordiam tuam, Deus.*

VERS. 8. — « Filii autem hominum in tegmine « alarum tuarum, sperabunt in te. »

Filii autem hominum. [Aug.] Quasi dicat : Homines, scilicet carnales, salvabis corporaliter tantum, cum jumentis, sed filii hominum, id est boni, *sperabunt*, id est supra homines dicuntur, qui sunt secundum Adam, id est qui portant imaginem veteris hominis : hic filii hominum dicuntur, qui sunt secundum Christum, id est qui imaginem Christi portant. Tamen filii hominum, generaliter homines dicuntur, *in tegmine alarum tuarum*, [Aug.] a simili avis hoc dicit. Et dicit alas. [Hier.] Vetus et Novum Testamentum. Et est, in tegmine alarum tuarum, [Gl. int.] id est in protectione Veteris et Novi Testamenti, *sperabunt* futura bona, cum illi qui sunt secundum Adam præsentibus gaudeant, hi qui secundum Christum sunt, sperant misericordiam quæ in cœlo est, per nubes annuntiata.

VERS. 9. — « Inebriabuntur ab ubertate domus « tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos. »

Inebriabuntur. [Aug.] A simili loquitur, quia non potest res exprimi, sed per hoc simile innuit, ut per hoc pleni gratia mentem carnalis affectionis perdant, ne suos carnaliter jam cognoscant patres, filios, amicos. Unde Dominus in Evangelio : *Qui non oderit patrem et matrem, aut fratres, sive sorores propter me, non est me dignus* (*Matth.* x). Et hæc inebriatio est *ab ubertate domus tuæ* præsentis scilicet Ecclesiæ. *Et torrente voluptatis tuæ*, [Cassiod.] id est Spiritu sancto, *potabis eos*, [Aug.] quasi dicat : Impetus erit gratiæ et misericordiæ ad eos inebriandos. [Alcuin.] Vel torrens voluptatis dicitur voluntas Dei in homine, rumpens omnia obstacula. Et est, torrente voluptatis, etc., id est voluntas tua quasi torrens in homine omnia rumpet obstacula. Vel, torrens voluptatis tuæ dicitur sapientia Christi, quia subita est et rapida. [Cassiod.] Et est, torrente voluptatis tuæ, id est sapientia tua potabis eos. Vel de futuro potest accipi sic : Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, [Aug.] futuræ Jerusalem, [Alcuin.] tunc enim in re ebrii erunt, id est pleni, qui modo sperant. Et, torrente voluptatis, id est delectationis, tuæ, quæ dicitur torrens, non ideo ut sit transitoria beatitudo, sed copiosa, potabis eos, et poteris.

VERS. 10. — « Quoniam apud te est fons vitæ, et « in lumine tuo videbimus lumen. »

Quoniam apud te, (Aug.) o Christe, *est fons vitæ*, id est initium omnis boni, *et in lumine tuo*, o Christe, *videbimus lumen*, quia per ejus prædicationem videmus nunc lumen Patris, et Spiritus sancti. Et ideo, prætende misericordiam tuam, ut in hoc sæculo tutius eatur. Vel ita, ut ad Patrem dirigatur sermo ab illo loco, *quoniam apud te*, quasi dicat : Potabis, et vere, quia apud te, o Pater, *est fons vitæ*, id est Christus, qui idem est lumen. Unde sequitur, *et in lumine tuo*, id est per Christum, [Hier.] qui est lumen de lumine, *videbimus lumen*, [Aug.] in futuro, id est Patrem. Et nota quod idem qui est fons, eslumen : fons quia satiat ; lumen, quia illuminat. Interim autem.

VERS. 11. — « Prætende misericordiam tuam « scientibus te, et justitiam tuam his qui recto sunt « corde. »

Prætende misericordiam tuam scientibus te, recte credentibus scilicet, (Aug., Gl. int.) quod bona a te, mala a se, *et justitiam tuam* scilicet vitæ rectitudinem, *his qui recto sunt corde*, qui dirigunt se ad voluntatem Dei, [Cassiod.] non eam curvant a se ut in omnibus, [Aug.] scilicet prosperis et adversis, laudent Deum.

VERS. 12. — « Non veniat mihi pes superbiæ, et « manus peccatoris non moveat me. »

Non veniat. [Aug.] Quasi dicat : Spero, inebrior, et pro his *non veniat mihi pes superbiæ*, [Cassiod.] id est superba affectio, quæ est pes quo itur a Deo, id est receditur. [Aug.] Hoc est quod in alio psalmo dicit : *Ab occultis meis munda me* (*Psal.* XVIII). *Et manus*, id est impulsio *peccatoris*, id est diaboli, *non moveat me*, hoc est quod alibi dicit. *Et ab alienis parce servo tuo (ibid.)*. Et ita facit nobis sicut iste petit. (Gl. int.) Nam et mala quæ a nobis vel a diabolo sunt amovet Deus. Et nota rectum ordinem. Prius enim dicit : Non veniat superbia ; et post, manus peccatoris non moveat me, quia si superbus es, cito te movet operatio male suadentis, aliter non Ideo timeo non veniat mihi pes superbiæ, quia

VERS. 13. — « Ibi ceciderunt qui operantur ini- « quitatem ; expulsi sunt, et non poterunt stare. »

Ibi ceciderunt, [Aug.] id est in pede superbiæ *ceciderunt.* [Gl. int.] Quasi dicat : De alto, *qui operantur* adhuc *iniquitatem*, (Aug.) scilicet diabolus et primus homo [Gl. int.] *expulsi sunt* a paradiso, diabolus primo, et postea homo ; *nec potuerunt stare* vi sua. Vel de philosophis potest accipi hoc, sic : [Aug.] Ideo *non veniat pes*, quia, ibi, id est in pede *superbiæ ceciderunt*, quia cum cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt (*Rom.* I), *qui operantur iniquitatem*, juxta illud : *Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum*, etc. (*Ibid.*) *Expulsi sunt nec potuerunt stare*, hoc non mutatur.

78 COLLATIO IN PSALMUM XXXV : « DIXIT INJUSTUS. »

VERS. 2. — *Quoniam dolose egit in conspectu ejus, ut inveniatur iniquitas ejus ad odium.* Infinitivus Hebraicus positus loco gerundivi Latini, et respondens ad id quod dictum est, *ut inveniatur*, effecit ut possit verti active aut passive למצא LIMTZO *ad inveniendum*, id est, ut vertit Hieron., *inveniret iniquitatem*, scilicet Deus ad odiendum. Pratensis etiam vertit active. Sanctes quidem activum posuit, et addidit de suo, ad alium sensum convertens sic, *ut inveniat iniquitatem suam, ut odio habeat bonum.* Nam propter reciprocum pronomen, necesse erat intelligentiam referri ad malitiam peccantis qui sibi blanditur de peccato. Apud Hebræos autem hujusmodi affixa seu pronomina, juxta quod res expostulat, possunt facere reciprocationem, aut simplicem relationem : quod et fit apud Græcos. Ob idque

Augustinus legit, *ut inveniret iniquitatem suam et odisset*, secundum quod habes in glossa expositionem. Græce enim legitur τοῦ εὑρεῖν τὴν ἀνομίαν αὐτοῦ, A καὶ μισῆσαι. Munsterus non dissidet a LXX : *Quousque*, ait, *inveniatur iniquitas ejus odio digna*. Succinit Pellicanus et Campensis paraphrasis.

PSALMUS XXXVI.

PSALMI TITULUS : « PSALMUS DAVID. »

Noli æmulari. Titulus *Psalmus David*. [Alcuin.] Psalmus iste tertius est eorum qui per alphabetum imperfectum describuntur, et est totus de correctione morum. Est enim psalmus iste, quasi vestis Christi, et potio corporis ejus, vestis scilicet quæ totum corpus ejus operiat præceptis, et protegat contra adversa, et quasi sinu consilii foveat. [Aug.] Potio contra infirmos, qui murmurant de flore malorum et labore bonorum, quasi omnia casu agantur, quorum errorem curat psalmus velut salubre antidotum, docens omnia, et hæc inferiora divina providentia gubernari, et non casu agi. Intentio. [Alcuin.] Monet ut spreto mundo Deo adhereamus, Modus. Tripartitus est psalmus. [Cassiod.] Primo, monet Ecclesia, in cujus persona loquitur Propheta, ne quis malignantes imitetur, sed quidquid boni speratur, a Domino postuletur, qui profutura dat et æterna. Secundo dicit malos super bonos invidia torqueri, ibi, *observabit peccator*. Tertio, tractat justum hic nunquam deseri, præmia bonorum et pœnas malorum commiscens, cum interjectis adhortationibus, ibi, *junior fui*, etc. Dehortans ergo Ecclesia ab immutatione malignantium, ait :

VERS. 1. — « Noli æmulari in malignantibus ; neque zelaveris facientes iniquitatem. »

Noli, [Gl. int.] o tu infirme, qui hoc soles, *æmulari*, [Hier.] id est indignari, *in malignantibus* [Gl. int.] id est in consideratione malignantium, quia florent. *Neque zelaveris*, [Hier.] id est non ames nec imiteris *facientes iniquitatem*, [Gl. int.] quia bonos premunt. Cur ?

VERS. 2. — « Quoniam tanquam fenum velociter arescent, et quemadmodum olera herbarum cito decident. »

Quoniam tanquam fenum [Aug., Gl. int.] quod hodie floret, et cras in clibanum mittitur, *velociter arescent* mali, id est et cito decident mali, *et quemadmodum olera herbarum* vel prati. Alia littera, [Aug.] vilia quæ non habent altam radicem. Et ideo hieme virent, æstate arent. Et accipitur pro eodem fenum et olera, quibus recte comparantur mali, qui hieme florent, æstate autem arescent. Modo ergo hiems est, æstas judicii dies, ubi mali non virentes *decident*, atque arescent, quia non habent radicem in alta per charitatem. Econtra altæ radicis arbor per charitatem modo est arida, quia nondum apparuit quod erimus ; tunc gloriosa, quia tunc nos circumvestiet dignitas florum, et ubertas fructuum locupletabit. Hoc autem et si longum videatur patienti, cito est Deo. Junge ergo te Deo et tibi cito erit. Et est dies illa incognita, quia tanquam fur veniet, secundum illud : *De die autem illo nemo scit, neque Filius, neque angelus, neque homo* (*Matth.* XXIV). Sed quomodo dicitur Filius nescire, qui omnia novit quæ Pater ? Ut dicitur dies lætus, quia lætos facit, et frigus pigrum, quia pigros reddit. Sic dicitur Filius nescire vel scire nobis, quibus missus est magister quæ scire vel nescire nos facit : scit itaque sibi, non nobis. [Cassiod.] Aliter per fenum intelliguntur nobiles, qui in temporalibus proficiunt facile. Per
B olera quæ non hortorum sunt, sed herbarum, id est vilissima quæ per agros sponte nascuntur, intelliguntur mediocres ; sed et illi cito *arescent*, id est nobiles ; et hi, id est mediocres, *decident*, et hoc cur ? *Quoniam illi qui sunt tanquam fenum* id est nobiles, *velociter arescent*, et illi qui sunt *quemadmodum olera herbarum*, id est mediocres, *decident*. Illi ita ; tu vero

VERS. 3. — « Spera in Domino, et fac bonitatem ; et inhabita terram, et pasceris in divitiis ejus. »

Spera in Domino, illi in vanis. [Aug.] Spes enim est introitus fidei, initium salutis, [Cassiod.] quia per spem intratur ad videndum illud quod creditur : et sperare in Deo, initio fidei docemur, *et fac bonitatem* quia *fides sine operibus mortua est*, [Aug.] illi contra malitiam faciunt ; *et inhabita terram* ne
C bona facias extra Ecclesiam, [Aug., Cassiod., Hier.] *et pasceris* usque ad saturitatem et suavitatem in *divitiis ejus* terræ, quæ sunt ipse Deus, vel in Scripturis sacris. Et

VERS. 4. — « Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui. »

Delectare in Domino. [Aug.] Ecce divitiæ terræ. *delectare in Domino*, scilicet ita ut suavis sit tibi ejus delectatio vel recordatio, [Cassiod.] et ut ames quem times, spreta mundi jucunditate, *et dabit tibi petitiones cordis tui*, id est rationis, non carnis. Et ut det

VERS. 5. — « Revela Domino viam tuam, et spera in eo ; et ipse faciet. »

Revela Domino viam tuam, [Aug.] id est indica
D ei quid pateris in carnem, id est carnis corruptionem, et quod velis inde liberari, *et spera in eo, et ipse* qui potest *faciet*, quasi dicat, et gratia Dei te liberabit de corpore mortis hujus. Vel ita ab illo loco, *spera in Domino*, æterna, quæ sunt in Domino. Et ut speres, fac bonitatem, id est bona : quæ ut facias, excole terram. Alia littera, Evam, [Alcuin.] scilicet corpus, ne germinet spinas et tribulos. Et sic *pasceris in divitiis ejus*, id est virtutibus ejus. Unde non in te, sed in Domino *delectare*, id est delecteris : quod si est, *dabit tibi petitiones cordis tui*, id est æterna, quæ petit ratio. Hæc quidem prædicta

justis dico; quod si peccator es, *revela Domino viam tuam*, id est confitere peccata. Et sic item, *spera in eo*, id est bona quæ sunt in Domino, *et ipse faciet*, id est dabit. Quid?

VERS. 6. — « Et educet quasi lumen justitiam « tuam ; et judicium tuum tanquam meridiem : sub- « ditus esto Domino, et ora eum. »

Et educet de tenebris sæculi *justitiam tuam* [Cassiod.] id est fidem, quæ hic est quasi sub modio, *quasi lumen*, [Aug.] id est ad lucem judicii, ubi omnia palam erunt. Modo enim abscondita est justitia, id est fides qua juste operaris, quia nondum vides quod credis ; *et judicium tuum* quod judicas et eligis sequi quod non vides, quod modo a malis irridetur. Educes *tanquam meridiem*, non solum ut lumen, sed ut clarum lumen. Interim vero debes hoc facere, scilicet *subditus esto Domino*, id est obedi præceptis ejus, *et ora eum*, donec det promissa [Cassiod.] Ecce bona regula, ut bona faciamus, et semper rogemus.

VERS. 7. — « Noli æmulari in eo qui prospera- « tur in via sua, in homine faciente injustitias. »

Noli. [Gl. int.] Hic exponit unde solet nasci indignatio. *Noli æmulari in eo qui prosperatur in via sua*, [Aug.] et non Dei, in qua tu es. In via prosperatur iste sed in perventione, id est cum ad finem pervenerit, erit infelix ; tibi justo econtra. Et ideo, noli æmulari in eo qui prosperatur, scilicet *In homine faciente injustitias*. Sed tu

VERS. 8. — « Desine ab ira, et derelinque furo- « rem ; noli æmulari ut maligneris. »

Desine ab ira, [Aug.] id est ne turbetur oculus tuus ira. Vide veritatem,, id est Christum multa passum, nunquam prosperatum, nec tamem iratum. Ideoque non irascaris de flore malorum, quia inde irasci et indignari, est contra Deum murmurare, et prope blasphemare; *et derelinque furorem*.[Cassiod.] Nota differentiam inter iram, et furorem. Ira subita est, furor diutius durat ; sed utraque deserenda sunt, per quæ peccatur. [Aug.] Hoc dicitur ei qui adhuc infirmus tumet, cur non bona sibi dantur, quæ etiam mali habent. Et *noli æmulari ut maligneris*, id est ut voluntarie sis malus, imitando eum qui maligne faciendo ad tempus floret. Vel ita ab illo loco, *noli æmulari*, quasi dicat, ora eum, et, *noli* autem, *æmulari in eo qui prosperatur in via sua*, id est ne moveat te a perseverantia, prosperitas malorum, *neque in homine faciente injustitias*, id est si faciunt justis iniqua : quod et si tibi aliqua faciunt, *desine ab ira*, id est ne sis iratus. Quod et si grandia faciunt, *derelinque furorem*, id est, ne furiosus sis, præsertim, *noli æmulari ut maligneris*, id est, ut eodem modo sis malignus.

VERS. 9. — Quoniam qui malignantur extermi- « nabuntur ; sustinentes autem Dominum ipsi hæ- « reditabunt terram. »

Quoniam qui malignantur, [Gl. int.] id est qui mali sunt, et si modo florent, *exterminabuntur* in futuro, id est extra terminos terræ viventium damnabuntur ;

A *sustinentes autem*, [Cassiod., Gl. int.] scilicet qui adversa ferunt, et præsentia despiciunt, propter *Dominum*, qui non fallit et omnia potest, *ipsi hæreditabunt terram* viventium,sed quandiu ferendum? [Aug.] cito erit quod infirmo diu videtur. Et hoc est :

VERS. 10. — « Et adhuc pusillum et non erit pec- « cator ; et quæres locum ejus, et non invenies. »

Et adhuc , Quasi dicat : Jam sustinuisti, *et adhuc* restat *pusillum*, id est parum. [Gl. int.] Ne ergo tædeat te, *et non erit peccator*, pro quo gemis, id est non erit dominium peccatoris, qui nunc vivit pio, id est ad utilitatem pii, quem purgat pusillum, est usque ad finem vitæ cujusque, quando liberantur sancti. [Aug.] Post istam tamen vitam parvam, nondum eris ubi erunt sancti, quibus dicetur :
B Venite, benedicti Patris mei (*Matth.* XXV), id est non habebis geminam stolam, quam habebunt sancti in resurrectione, sed poteris esse in illa requie, in qua dives superbus et sterilis vidit Lazarum ulcerosum et pauperem (*Luc.* XVI), in qua requie securus exspectes diem judicii, quando recepto corpore angelis æquaberis. Sed quomodo Lazarus erat in requie, cum nondum esset missa hostia? [Alcuin.] in spe ex toto ; in re, partim, quia nec ignem materialem, nec vermen conscientiæ corrodentis sentiebat. *Et quæres*. Quasi dicat. Sic non erit peccator, quia quæres *locum ejus et non invenies*, id est si quæreres non invenires, [Aug.] quia non habebit tunc usum quem modo habet, cum eo utatur Deus ad probandum justum ; flagellum nempe facit Deus de malis sibi quo castiget filios.

C

VERS. 11. — « Mansueti autem hæreditabunt « terram ; et delectabuntur in multitudine pacis. »

Mansueti autem, [Cassiod.] non quicunque sustinentes, sed qui patienter tolerant, *Hæreditabunt terram* viventium, et quid ibi eis? [Aug.] *Delectabuntur in multitudine pacis*. Mali in exteris delectantur ; tibi, o juste, omnia pax.

79 PARS II. VERS. 12 — « Observabit peccator « justum ; et stridebit super eum dentibus suis. »

Observabit peccator justum. [Cassiod.] Secunda pars. Dicto quod boni non debent æmulari malos, subdit hic malos super bonos invidia torqueri, quod non sunt eis similes. Et ideo pudor est eos id est malos æmulari, quasi dicat : Tunc pax eis, sed modo est
D bellum, quia *peccator observabit*, quasi dicat, occultis insidiis *justum*, ut eum alliciat. Ideo observabit, quia dum videt justum, credit se accusari ab eo ; si vero non potest allicere, *stridebit super eum dentibus suis*, ut furens bellua. [Aug.] Quasi dicat : Quem non potest subvertere, conatur occidere.

VERS. 13. — « Dominus autem irridebit eum, « quoniam prospicit quod veniet dies ejus. »

Dominus autem irridebit eum, [Gl. int.] id est irrisibilem videt, et videre suos facit. Sicut ergo Deus, sicut et nos videntes malos perituros irrideamus, [Cassiod.] et præsentes grandis consolatio est ista. De hoc irridebit, *quoniam prospicit*, [Aug.] quod ipse peccator non videt, *quod veniat* vide et tu

hoc cum Deo, *dies ejus* quo retribuetur ei. Semper enim vindicatur in impium, aut hic aut in futuro, si se convertit, vindicatur in eum hic, ut in Paulo, qui divina voce prostratus resipuit; si non convertit se, vindicabitur in eum in futuro. [Alcuin.] Si neque blanditiis neque minis aget, pœna aggreditur. Unde subdit;

VERS. 14. — « Gladium evaginaverunt peccatores; « intenderunt arcum suum. »

Gladium etiam *evaginaverunt peccatores*. [Aug.] Ecce aperta impugnatio. [Alcuin.] Si vero nec sic proficit, insidiatur dolis, quando bene loquendo, mala intendit. Et hoc est, *intenderunt arcum suum*, [Aug.] id est, dolos. Ecce occulta impugnatio, quæ sit per insidias: postea reddit singula singulis. Quasi dicat: Arcum suum intenderunt.

VERS. 15. — « Ut decipiant pauperem et inopem: « ut tricident rectos corde. »

Ut decipiant pauperem, [Gl. int.] qui sibi non sufficit, *et inopem* qui nec habet spem ab alio. Gladium evaginaverunt *ut trucident rectos corde*, [Cassiod.] ut martyres, sed

VERS. 16. — « Gladius eorum intret in corda ipso- « rum; et arcus eorum confringatur. »

Gladius eorum intret in corda ipsorum, unde venerat, [Cassiod., Gl. int.] quasi dicat, occidendo in corpore, se occiderat in mente, quod non nocet sanctis, sed potius dolus eorum fit inanis, ut in sequenti dicitur. *Gladius eorum intret in corda ipsorum* et sic fit, [Aug.] Tibi enim nocent, o juste extra: sibi vero intus, et ita insaniunt quasi eum per corpus suum mittat gladium, ut cedat tunicam alterius. *Et arcus eorum confringatur*, id est insidiæ frustrentur, ne noceant justo, qui et si spolietur dicat:

VERS. 17. — « Melius est modicum justo, super di- « vitias peccatorum multas. »

Melius est modicum justo, etc. Vel ita junge litteram. Ita impius justo, [Gl. int.] tamen *Melius est modicum justo* quod habet *super divitias peccatorum multas*, id est quia et si modo prospere malis, non tamen sic semper erit. [Alcuin.] Et nota quod paulo ante de malitia peccatorum et sustinentia bonorun egit; hic de divitiis illorum et paupertate horum. Vere melius,

VERS. 18. — « Quoniam brachia peccatorum con- « terentur; confirmat autem justos Dominus. »

Quoniam brachia, id est potentia *peccatorum conterentnr*, [Aug.] justos autem confirmat Dominus in adversis per spèm, per exempla, et maxime per exemplum crucis suæ. Crux enim finita est in pœna, manet in gloria, a locis enim suppliciorum transit ad frontes imperatorum. Qui tantum honorem dedit suis pœnis, quid faciet fidelibus suis?

VERS. 19. — « Novit Dominus dies immaculato- « rum; et hæreditas eorum in æternum erit. »

Novit. [Aug.] Quasi dicat: Quomodo confirmat? A quia, *novit Dominus*, homo non potest scire, *dies immaculatorum*, et si miseri videntur ignaris, scit Deus quid eis serviet. Vel novit, [Hier.] id est approbat Dominus dies immaculatorum, id est vitam immaculatorum, *et hæreditas eorum*, [Gl. int.] quæ pro diebus immaculatis dabitur, *in æternum erit*.

VERS. 20. « Non confundetur in tempore malo, « et in diebus famis saturabuntur, quia peccatores « peribunt. »

Non confundentur. [Aug.] Confunditur ille qui sperat in homine, se, vel alio. Unde: *Maledictus qui ponit carnem brachium* (*Jer*. XVII). Si *in tempore malo*, id est tribulationis præsentis, in qua potius gloriantur, *et in diebus famis* qui modo sunt quando non est plena refectio, et est multa miseria, *saturabuntur* in spe, et vere, *quia peccatores peribunt* B tantum qui ablatis exterioribus nihil habent intus, extra tribulantur et intra. Nam.

VERS. 21. — « Inimici vero Domini mox ut ho- « norificati fuerint et exaltati, deficientes quemad- « modum fumus deficient. »

Inimici Domini vero, [Hier., Gl. int.] id est in veritate, *mox ut honorificati fuerint* honoribus et potentia, *et exaltati* gloria *deficientes* in interiori, et penitus ab omni virtute *quemadmodum fumus deficient*. [Aug.] Fumus quanto plus extenditur, tanto plus evanescit, ita mali. Nam quanto gradus altior est, tanto casus gravior. Vel ita ab illo loco. *Non confundentur in tempore* (*Psal*. XXIV). Et legitur partim de præsenti, partim de futuro, sic *non confundentur in tempore malo* (*ibid*.), id est futuri judicii. (Cassiod.] C Et in diebus famis, id est in hac vita, quæ est dies famis, quando boni esuriunt et sitiunt justitiam (*Matth*. V). Saturabuntur; per Scripturas et exempla, et per Domini promissiones. His duobus alia duo postea opponit, agens de malis, [Cassiod.] scilicet *peccatores peribunt*, contra hoc quod dixerat, *non confundentur*, et *inimici vero*, contra hoc quod dixerat, *saturabuntur*. Sic boni non confundentur in futuro, quia peccatores tantum, peribunt in judicio, boni saturabuntur hic, sed *inimici Domini mox*, id est, quam statim *honorificati fuerint et exaltati deficientes*, id est, quam statim in altum conscendunt, tam statim a veritate cadunt, nec est in textu *ut* (73). Ipsi dico, deficientes, ut nec judicium boni remaneat. Et hoc *quemadmodum fumus*, quia quanto plus ele- D vantur, tanto citius cadunt ut fumus. [Hier.] Vel ita ut primus versus, totus de futuro, secundus de præsenti legatur, sic: *Non confundentur in tempore malo*, id est judicii, *et in diebus famis*, scilicet quando mali esurient, in futuro. *saturabuntur*. Quia tunc, *peccatores peribunt*, et non solum tunc, sed etiam interim, *inimici Domini mox honorificati*, etc. Hoc non mutatur. Ideo hæc malis, quia

VERS. 22. — « Mutuabitur peccator et non solvet; « justus autem miseretur et tribuet. »

Mutuabitur peccator et non solvet. [Aug.] Hic ac-

(73) Græcus tamen innuit, *ut*, esse de textu ἅμα τὸ δοξασθῆναι αὐτούς.

cipit corpus et mentem et cætera, a Deo, et non agit gratias. Vel, mutuabitur peccator, [Cassiod.] id est audit verbum Dei, *et non solvet*, id est non reddit operibus, quod auditu percepit, quasi, dicat, non refert lucrum, [Aug.] *Justus autem miseretur et tribuet* de his quæ accipit a Deo. [Cassiod.] Et nota quia prius movetur misericordia erga non habentes deinde tribuet. Præcedit ergo misericordia in affectu, et largitas sequitur in effectu. Et ideo prius dixit, miseretur, et postea tribuet. [Aug.] Semper est aliquid quod det, saltem orationem, ideo miseretur et dat, quia scit quod benedicentes Dominum hæreditabunt terram, et maledicentes disperibunt. Et hoc est.

Vers. 23. — « Quia benedicentes ei hæreditabunt « terram, maledicentes autem ei disperibunt. »

Quia benedicentes ei, [Cassiod., Gl. int.] scilicet in omnibus gratias agentes, et jussa sequentes, *hæreditabunt terram* viventium; *maledicentes autem ei* turpi vita de quibus dicitur. *Nomen Dei per vos blasphematur inter gentes* (*Rom.* II), *disperibunt* etiam cum benedicentes fiunt, pereunt in malo, secundum illud, *Convertere impium et non erit*. Ideo est benedicendum, quia

Vers. 24. — « Apud Dominum gressus hominis « dirigentur, et viam ejus volet. »

Gressus hominis, [Cassiod.] qui per se erant tortuosi, quia in peccatis nati sunt homines, *dirigentur* vel dirigetur *apud Dominum*, [Gl. int.] id est a Domino. Dicitur hoc a simili regis vel reipublicæ disponentis. [Hier.] Gressus dicit opera et effectus; *et* per hoc *viam ejus* Dei, et si dura sit *volet* homo. [Aug.] Via terræ non est dura; sed tamen plena latronibus sed via Domini tuta, etsi dura. Vel, viam ejus, [Alcuin.] id est hominis, volet Deus. In qua via Dei,

Vers. 35· — « Cum ceciderit, non collidetur, quia « Dominus supponit manum suam. »

Cum ceciderit, [Cassiod.] id est adversa erit passus corpore, *non collidetur* mente. [Hier.] Vel si cadit peccando venialiter, non frangitur per crimina, *quia Dominus supponit*, [Gl. int.] a simili hoc dicit *manum suam*, id est auxilium.

Pars III. Vers. 26. — « Junior fui, etenim senui; « et non vidi justum derelictum, nec semen ejus « quærens panem. »

Junior fui, etc. Tertia pars. [Cassiod.] Tractat hic justum nunquam deseri, præmia bonorum et pœnas malorum commiscens cum interjectis adhortationibus. Quasi dicat: Supponit manum, nam *junior fui, etenim senui*. [Alcuin.] Ecclesia hic loquitur quasi unus homo, qui fuit puer in Abel; in prophetis, in patriarchis, juvenis; in tempore martyrum, quasi senex; in senecta uberi, in fine mundi, quasi in decrepita ætate erit. Has quatuor ætates non distinguit hic propheta, duas tantum ponens, juventutem et senectutem, et ponit juventutem pro pueritia. [Aug., Cassiod.] Ecclesia enim quasi unus homo in primis temporibus junior fuit, quando initia legis naturalis in Adam suscepit; jam in fine sæculi se-

A nuit in senecta uberi, cum in honorabili ætate Christum suscepit per omnes gentes dilatata; *et* his ætatibus *non vidi justum derelictum* a Deo, *nec semen ejus* [Cassiod., Gl. int.] Id est opera vel imitatores, *quærens panem* spiritualem, (Aug.) id est indigere pane verbi, quia verbum Dei semper cum eo est. Vere non, quia

Vers. 27. — « Tota die miseretur et commodat « et semen illius in benedictione erit. »

Tota die. Vel sic junge litteram. Quia non eget, et ideo, *tota die miseretur* affectu misericordiæ, *et* postea *commodat* terrena ut æterna capiat. [Aug.] Vel miseretur admonendo, et commodat docendo. (Cassiod., Gl. int.) Dicitur enim hoc, vel de eleemosyna actuali, quæ a misericordia incipit, et postea
B manum aperit. (Cassiod.) Vel de spiritualibus; *et semen illius* quod seminat ut metat, (Aug.) id est opera bona, vel imitatores *erit in benedictione*, (Gl. int.) id est multiplicatione, (Aug.) quia cum exsultatione veniet portans manipulos suos (*Psal.* CXXV). Et ideo, tu quicunque es,

Vers. 28. — « Declina a malo, et fac bonum: et « inhabita in sæculum sæculi. »

Declina a malo et fac bonum, (Aug.) id est, ne cui noceas, sed benefac. Prius dicit, declina a malo; postea, fac bonum, quia malus repente non potest bona appetere. (Cassiod.) Nemo enim repente fit pulcher. Neque putes te perdidisse, potius per hoc vives. Et hoc est *inhabita* terram viventium. (Aug.) in *sæculum sæculi*, (Gl. int.) ecce merces. Declina
C a malo et fac bonum.

Vers. 29. — « Quia Dominus amat judicium; et « non derelinquet sanctos suos; **80** in æternum « conservabuntur. »

Quia Dominus amat judicium, (Aug.) quo permittit sanctos affligi: nam et si sinit sanctos pati, juste tamen judicat. (Cassiod.) Et quia Dominus amat judicium, ideo et tu ama ut tuis bonis gaudeas. *Et non derelinquet sanctos suos*; (Gl. int.) et si sinit affligi, non tamen deserit eos. Vel Dominus amat judicium, (Cassiod.) id est discretos qui discernunt bonum a malo. Et non derelinquet sanctos suos quia *in æternum conservabuntur*, et si hic morientur. Contra

D Vers. 30. — « Injusti punientur; et semen im- « piorum peribit. »

Injusti punientur propter prava opera. *Et semen impiorum*, (Gl. int.) id est opera, *peribit*, id est non ferent fructum, quia sine fructu beatitudinis erunt. Vel, semen impiorum peribit, (Aug.) id est imitatores eorum peribunt cum eis, sicut econtra semen justi in benedictione erit.

Vers. 31. — « Justi autem hæreditabunt terram; « et inhabitabunt in sæculum sæculi super eam. »

(Aug.) *Justi autem hæreditabunt terram viventium*, quæ est æterna. Unde sequitur, *et inhabitabunt in sæculum sæculi super eam*. Merito hæc justo, quia

VERS. 32. — « Os justi meditabitur sapientiam, « et lingua ejus loquetur judicium. »

Os cordis *justi meditabitur sapientiam,* [Gl. int.] quæ est de ipso Deo et æternis, *et lingua ejus loquetur* instructioni aliorum *judicium,* id est quid Deus præcipit tenere et fugere. (Aug.) Sed ne putes de illis esse de quibus dicitur : *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me* (*Matth.* xv).

VERS. 33. — « Lex Dei ejus in corde ipsius ; et « non supplantabuntur gressus ejus. »

Lex Dei ejus, (Gl. int.) id est præcepta Dei, est *in corde ipsius,* quasi dicat, cor consonat linguæ, et quid illi prodest ? *Non supplantabuntur gressus ejus.* (Cassiod.) Supplantare est plantis foveam insidiarum prætendere. Et est sensns ; (Aug.) verbum in corde liberat a laqueis peccatorum. Non supplantabuntur tamen.

VERS. 34. — « Considerat peccator justum ; et « quærit mortificare eum. »

Considerat peccator justum, (Aug.) id est, insidiatur, quia justus gravis est ei ad videndum : quia dissimilis est aliis vita ejus. Et ideo, *quærit mortificare eum.*

VERS. 35. — « Dominus autem non derelinquet « eum in manibus ejus ; nec damnabit eum, cum « judicabitur illi. »

Dominus autem non derelinquet eum in manibus ejus, (Aug.) id est in potestate ejus, secundnm animam, ut ei consentiat. Ut enim ait Job : *Terra tradita est in manus impii* (*Job* IX) id est caro, in quam sævire potest ; sed animam invictam educit Deus, ne cedat eis. *Nec damnabit eum* Dominus justum, (Gl. int.) et si ab homine hic damnetur ; *cum judicabitur* justus in futuro, id est cum judicium fiet de illo ante tribunal Christi ; quod judicium fiet illi justo, id est ad commodum illius. Ecce consolatio justi. Vel ita, non damnabit Dominus, eum, id est non permittet justum damnari, cum judicabitur ab impio : quod judicium fiet illi impio, (Alcuin.) id est ad malum ejus. (Aug.) Et quia Dominus ita facit justo, ergo nunc

VERS. 36. — « Exspecta Dominum, et custodi « viam ejus ; et exaltabit te ut hæreditate capias « terram, cum perierint peccatores, videbis. »

Exspecta Dominum, et si diu pateris in exspectando, *custodi viam ejus,* id est præcepta ; et quid inde mihi ? *exaltabit te* meritis, (Cassiod.) quia non nisi exaltatus cœlestem potest habere patriam. Unde subdit, *ut hæreditate,* quasi dicat, ita exaltabit, ut hæreditate, id est firmiter *capias terram* viventium, (Gl. int.) et si modo nescis quod promittit, in experientia postea disces. Unde subdit, *cum perierint peccatores videbis* in re quod modo credis de præmiis bonorum et pœnis malorum. Dupliciter notat gaudia bonorum : primum, quia tunc sentient in quantis sint jucunditatibus, inde quia videbunt pœnas impiorum (Cassiod.) Unde gratior est beatitudo liberatis ab hujusmodi malo. Vel videbis hic in præsenti oculo fidei. (Aug.) Quo qui caret, delectatur felicitate impiorum. Peribuntne ? utique, quia.

VERS. 37. — « Vidi impium superexaltatum, et « elevatum sicut cedros Libani. »

Vidi impium. [Cassiod.] Hoc dicitur contra hoc quod putabatur Deo non displicere, qui hic utitur prosperitate ; *super,* id est ultra modum, *exaltatum* in honoribus, *et elevatum sicut cedros Libani.* A simili dicit. [Gl. int.] Est enim Libanus mons in quo sunt altæ cedri, quæ a vento dejiciuntur. Et interpretatur *candidatio,* per quod significatur candor sæculi hujus ; et est elevatum super cedros Libani, id est in candore sæculi, qui cito dejicitur.

VERS. 38. — « Et transivi, et ecce non erat ; « quæsivi eum, et non est inventus locus ejus. »

Et transivi ad novissima ejus, [Aug.] transivit qui præsentiam non attendit, sed novissima. Unde alibi : *Hoc labor est ante me, donec intrem in sanctuarium Dei,* etc. (*Psal.* LXXII.) *Et Ecce non erat* potens, quia *non est inventus locus ejus.* Unde sequitur : *Et quæsivi eum,* si ibi impius vivat pio, id est ad utilitatem pii. *Et non est inventus locus ejus,* regnandi. Vel ita ab illo loco vidi impium super humiles esse exaltatum et elevatum super alia littera, cedros Libani, [Cassiod.] id est super altos, ut altis celsior sit. Et transivi, mundum meliori conversatione ad Deum tendens, factus verus Hebræus. Bonus est iste transitus : Hæc *est mutatio dexteræ Excelsi* (*Psal.* LXXVI.) Unde : *Transeamus usque in Bethlehem, videamus hoc verbum quod factum est* (*Luc.* II). Et transiens vidi hoc : Ecce non erat, quasi dicat, vidi nihil posse, cum nihil sint omnia in quibus gloriatur homo . Et quæsivi eum, id est in memoriam reduxi, quia tunc magis dolent boni de impiis, quod ab eis sunt separati, cum in melius immutantur. Et non est inventus locus ejus. [Cassiod.] Locus malorum mundus est, qui et dissolvetur. Potest tamen et de diabolo totum accipi, cui religato, nocendi locus ablatus est ; jam ex parte, in futuro ex toto. Unde Jeremias clamat : *Perdix congregavit quæ non peperit, fecit divitias non cum judicio, in dimidio dierum suorum derelinquent eum, et in novissimis ejus reperietur insipiens* (*Jer.* XVII). Et Joel : *Eum qui ab aquilone est fugabo a vobis* (*Joel.* II). Et hoc est, vidi impium. id est diabolum super alios exaltatum, hoc maxime ante Christi adventum tempore, ante legem, et sub lege, cum homines velut gregem post se trahebat ; sed tertio tempore, scilicet gratiæ, et tertio die, scilicet resurrectionis Christi, humiliatus est superbus, et retro conversus per fortiorem vasa ejus diripientem (*Luc.* XI). Inde est quæ in rogationibus draco duobus primis diebus antecedit crucem plena cauda. In tertio, sequitur eadem evacuata. Et elevatum super cedros Libani, id est super altos. Sequentia non mutantur de prima lectione.

VERS. 39. — « Custodi innocentiam, et vide « æquitatem, quoniam sunt reliquiæ homini pacifico. »

Custodi. [Gl. int.] Quasi dicat : Quia ita impiis, ergo eis sitis dissimiles. Et hoc est, custodi, (Aug.) ne extorqueat a te *innocentiam*, non terrena ; postea custodi, (Gl. int.) et si graveris, intelliges hoc esse æquum. Et hoc est, *et vide æquitatem.* (Cassiod.) Vel aliter secundum aliam litteram, *custodi veritatem*, hæc est alia littera, ne scilicet in mundanis curam habeas. Et *vide directionem*, alia littera, ut non iniquus putetur Deus, (Aug.) qui favet impiis et justos affligit. Quasi dicat : (Gl. int.) Quæcunque vult Deus, te velle, velis tu, quia aliter curvus es. Vel, custodi innocentiam, quantum ad Deum ; et vide æquitatem, quantum ad proximum. (Aug.) Et ne putes quod finitus sit homo, attende novissima, et videbis *quoniam sunt reliquiæ homini pacifico ;* post hanc vitam remanet ei bonum ; non periit omnino, sed vivit. (Aug.) Reliquiæ sunt bona quæ post hanc vitam relinquuntur bonis, id est æterna, vel memoria bona post obitum. (Cassiod.) Hæc autem sunt homini pacifico. Pacificus est qui inter discordantes pacem servat et facit. (Cassiod.) Et nota cui hæc virtus est ; loco beati ponitur. Unde : *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur* (*Matth.* v). Sed econtra,

Vers. 40. — « Injusti autem disperibunt, simul, « reliquiæ impiorum interibunt. »

Injusti autem disperibunt simul, (Aug. vel) *in idipsum.* Alia littera, id est, in æternum. Vel omnes simul, in unum, *et reliquiæ impiorum*, id est terrena, *interibunt*. Vel sic distingue : (Alcuin.) Injusti disperibunt, et simul, cum eis reliquiæ impiorum interibunt, scilicet terrena.

Vers. 41. — « Salus autem justorum a Domino » et protector eorum in tempore tribulationis. »

Salus autem. (Gl. int.) Quasi dicat : Hæc omnia justis, totum est tamen a Domino. Et colligit summatim. Et hoc est salus, quod dicat : Custodi innocentiam, vide æquitatem, (Cassiod.) quod non est tamen nisi per Deum, qui salus *justorum a Domino* est, (Gl. int.) non aliunde, *et protector eorum* est, si quis impugnat *in tempore tribulationis*.

Vers. 42. — « Et adjuvabit eos Dominus, et libe- « rabit eos ; et eruet eos a peccatoribus ; et salva- « bit eos quia speraverunt in eo. »

Adjuvabit eos Dominus, (Gl. int) id est cooperabitur eis, *et liberabit eos Dominus* a labore vineæ, in futuro, vel de præsenti : liberabit eos Dominus, id est faciet liberos et securos, ac si nullus contrarius ; *et eruet eos*, (Cassiod.) ne fides eorum pervertatur *a peccatoribus*, quasi dicat, servat illæsos a contrarietate sæculi, *et salvabit eos* in futuro, non quia non peccaverunt, sed *quia speraverunt in eo*.

COLLATIO IN PSALMUM XXXVI : « NOLI ÆMULARI. »

Vers. 1. — « *Noli æmulari in malignantibus*. Quod Sanctes et interpretes pro Cajetano, transtulerunt, *ne misceas te, gratis fecerunt*, quia radix תחר TAHAR anceps est. Hier. et Pratensis dicunt, *noli contendere*, quod respicit intelligentiam nostræ editionis, ne videlicet quis commoveatur, irritetur, suc- A censeat, contendat, quod via impiorum prosperatur. Hieron. in Commentariis utramque significantiam vocis Hebraicæ complexus est. « Multas, inquit, habet æmulatio interpretationes, quæ loco suo debent vel intelligi, vel exponi. Nam hic dicit : *Noli particeps esse malignis*, nec ad zelum, nec ad invidiam, quia zelus ira est, secundum illud quod Dominus per prophetam ait : *In indignatione mala zelatus sum Sion* (*Zach.* viii). » Hæc ille. Potest etiam intelligi, ne quis efficiatur similis malignantibus, id quod attingunt Chaldæus Paraphrastes ac Nebiensis.

Vers. 3. — *Pasceris in divitiis ejus.* Quidam vertunt, *pascere fide*, seu *veritate*, veluti Hier. ; quidam, *pasce fidem* vel *veritatem*, quemadmodum facit Pratensis et Sanctes. Sed quia in Hebr. subaudiebatur pronomen *te*, sicut est *pasce te veritate*, ob id recte dicebatur, *pascere* vel *pasceris fide* vel *veritate*. Cæterum cum particula אמונה EMUNAH, quam inter- B pretantur *veritatem*, descendat a radice, אמן AMAN, quæ interdum significat *nutrire*, ut probatur Thren. iv, haud incongrue LXX dixerunt *divitias*, quibus homo nutritur, simul et fidem qua vivit justus vocat Apost. divitias mundi, Rom. ii. Quod si delictum eorum divitiæ sunt mundi, et diminutio eorum divitiæ gentium, quanto magis plenitudo eorum ? Omnibus modis consentit Nebiensis in adnotationibus. Hebr., ait, verbum æque *fidem* sicut *divitias* significat. Quo datur intelligi divitias in hoc mundo esse fidem Dei. Qui enim fide caret, pauperrimus et miser est. Stapulensis 81 et Cæcus, interpretem in jus vocant, qui secundum rationem Latini sermonis dicere debuisset *pascere*, per imperativum, eo quod præcessit, *inhabita terram*, et conjunctio habeat similes modos. Respondemus tamen interpretem plerumque loqui more Græco, qui in non paucis receptus est in usu Ecclesiæ, *ut vado piscari* (*Joan.* xxi). Exigit nihilominus regula consuetudinis C Romanæ, ut dicamus, *ad piscandum*, vel *piscatum :* atqui Græci ad hunc habent modum, κατασκήνου τὴν γῆν καὶ ποιμανθήσῃ. Nec video insolitum esse Latinis auribus quod conjunctio *et* requirat compares modos, quando significat consequentiam rei, sicut hic, *spera in Deo, et fac bonitatem, et inhabita terram*. Et certe ex his consequens est, quod pasceris in divitiis ejus.

Vers. 5. — *Subditus esto Domino, et ora eum.* Hebr. דום ליהוה והתחולל לו DOM LAIDONAI VEHITHHOLEL LO, id est *tace Domino, et exspecta eum*. Verum eodem recurrit sensus. Quid enim est silentium illud de quo hic intelligitur, nisi obedientia perfecta erga Deum, citra ullam murmurationem, aut detractationem ? Quod autem vertunt interpretes, *ora eum*, palam est ipsos legisse he, aspirationem tenuem, pro, chet, aspiratione forti, התחולל HITHHOLEL, id est *lauda* quanquam et aliam habet D significantiam. Eæ autem aspirationes non statim discernuntur.

Vers. 15. — *Ut trucident rectos corde.* Hebr. ישרי דרך IISSRE DAREC, id est *justos via*, quam interpretes spiritualiter acceperunt, ut oportuit, *pro corde*. Via enim spiritualis affectus est cordis. Unde solet pes accipi in Scripturis pro affectu interno, ut est idem Joan. xiii : *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet* (*Joan.* xiii), et Munsterus non omnino male transtulit, *qui rectæ sunt conversationis*. Unde Hieronymus ad Suniam et Fretellam : « dum interpretationis κακοζηλίαν sequimur, omnem decorem translationis amittimus. »

Vers. 17. — *Melius est modicum justo, super divitias peccatorum multas.* Munsterus, Pratensis, Pellicanus, interpretes pro Cajetano, extremam particulam *multas*, referunt ad *peccatores*, non ad *divi-*

tias, hoc modo : *Super divitias impiorum magnatum aut multorum*, quod non oportuit. Nam Hieronymus aliter vertit juxta, Hebr. « Quam, inquit, divitiæ peccatorum multæ. » Accedunt Chaldæus et Nebiensis, a quibus non dissident Sanctes et Paraphrasis Campensis. Utcunque forsan tolerandum est, quando receditur a Vulgata editione, ubi lectio Hebraica longo intervallo videtur distare, sed ubi est ambigua vel proxima, æquo censori placere nequit.

VERS. 21. — *Inimici vero Domini mox ut honorificati fuerint et exaltati, deficientes quemadmodum fumus deficient*. Hieron. *Inimici Domini gloriantes ut monocerotes, consumentur sicut fumus consumetur* ; Munsterus, *inimici Domini sicut optimum quod est in agnis consumentur, cum fumo disperibunt* ; Sanctes, *inimici Domini erunt sicut pretiosi agni, defecerunt*, etc.; Pratensis, *velut adeps agnorum defecerunt*. Et ad eumdem modum cæteri Hebraicantes. Hujusmodi versiones discrepant a nostra editione in duobus vocabulis videlicet, *honorificati* et *exaltati*, ubi in Hebr. respondent alia duo כיקר KIQUAR, et כרים CARIM. Primum ad verbum si anxie reddas, sonat *secundum quod pretium* aut *gloria*. Ob id rectissime converterunt interpretes, *ut honorificati fuerunt* ; et Hieronymus, *gloriantes*, propter vitandam κακοζηλίαν translationis. Secundum vocabulum, CARIM potest componi a רם RAM, quod est *excelsum*, vel a רים REM, quod est *unicornis*, quomodo accepit procul dubio Hieronymus, et ad editionis Latinæ sensum plane conspirat. Est enim monoceros, seu unicornis animal indomabile. Et inimici Domini in gloria et superbia humana putant se insuperabiles. Porro quod alii verterunt *sicut adeps agnorum*, vel *pretiosum agnorum*, id effectum est, propterea quod acceperunt litteram, כ, essentialem et non subsidiariam, cujus differentiam agnoscunt Hebraismi candidati. Siquidem כרים CARIM accipiendo primam litteram, quæ sit de essentia dictionis; et non ut faciat compositionem sunt *agni*, et יקר ICQUAR, ut prædictum est significat *pretium*. Estque sensus secundum eos ; sicut adeps agnorum super altare superpositus illico inflammatur, sic inimici Domini deficient cum fumo.

VERS. 23. — *Quia benedicentes ei hæreditabunt terram, maledicentes autem disperibunt*. Hieronymus et alii legunt passive : *Qui benedicti fuerint ab eo, hæreditabunt terram, et qui maledicti interibunt*. Campensis tamen legit active, quod et vertit Nebiensis in activa et passiva significatione. Nulla est distantia pœnitus litterarum. Puncta addita faciunt distinctionem, de quibus fusius in prologo, imo nec nunc in synagogis suis Judæi legunt Biblia,

A cum apicum ascriptione, מברכיו potest legi מברכיו MEBORACAU vel מברכיו MEBARACAU. Perpusillum tamen refert, quatenus spectat ad intelligentiam, cum benedicentes Domino, ab ipso identidem benedicantur ; et a Domino benedicti, rursus ipsi benedicant.

VERS. 25. — *Cum ceciderit non collidetur, quia Dominus supponit manum suam*. Quia Hebr. proprie carent pronomine reciproco, scilicet *suo*, pronomine indiscriminatim utuntur juxta rationem, et consequentiam sermonis. Ob id potest verti, *supponit manum suam*, nempe Deus ; aut *sustentat manum ejus*, videlicet justi, ne labatur. Eodem tamen prorsus conspirat sensus.

VERS. 37. — *Vidi impium superexaltatum et elevatum sicut cedros Libani*. Hieronymus, *sicut indigenam virentem*. Alii, sicut laurum vel arborem frondosam, אזרה EZRAH est ambiguum. Significat indigenam. Exod. XII, ut habet Hier. Hebr. autem
B ut dicit Munsterus in scholio, accipiunt pro arbore semper viridi et succulenta, qualis est laurus, buxus, cedrus, et similes. Et metaphoricos significat secundum Ra. Da. *virum* qui floret, et omnibus conspicuus est sua nobilitate, et prosapia, quem Hieron. vocat indigenam, id est civem, qui dicitur arbor viridis. Sicut enim arbor viridis nota est ob illius pulchritudinem et virorem, ita civis notus est omnibus quis sit et cujus familiæ. Cernis quod sermonum varietas spiritus unitate concordet.

VERS. 38. — *Transivi et ecce non erat*. Hieron. Prantensis, Pellicanus, Campensis, Nebiensis legunt cum LXX sub prima persona; Munsterus, Sanctes, et interpretes pro Cajetano, *transivit*, sub tertia. Eodem sane recidit sententia, et volebamus præterire, sed par est sæpius admonere de diversitate exemplarium, aut lectionum, ne videamur divinare. Et certe mox subjungitur citra controversiam prima persona, *quæsivi*, etc.

C VERS. 39.— *Quoniam sunt reliquiæ homini pacifico*. Hebr. אחרית לאיש שלום AHARITH LEISCH SCHALOM. Primum verbum significat novissimum ; secundum significat virum, qui accipitur pro unoquoque, et ponitur nota dativi ; tertium significat pacem. Igitur vertit Hier. *ad extremum viro pax* ; Sanctes alludens ad id quod novissime redditur homini, ait, *quia merces unicuique pax* ; Munsterus *novissimum quidquid dabitur, tali viro est pax*; Pratensis paulo secius, *novissimum viro pacis*. Eodem tendunt quo LXX, qui illud extremum quod hominem manet, vocant reliquias, eo quod post mortem, nil relinquitur homini justo, præter innocentiam, simplicitatem et conscientiæ pacem. Unde Chaldæus, *finis hominis pax*.

PSALMUS XXXVII.

PSALMI TITULUS : « PSALMUS DAVID IN REMEMORATIONE SABBATI. »

Domine, ne in furore. Titulus. *Psalmus David in rememoratione*. [Cassiod.] Psalmus iste tertius est in ordine pœnitentialium, docens ut peccatum quod prorsus fugere nequimus semper in memoria habeamus, non ad faciendum, sed ut ab ejus frequentia saltem nos temperemus. Et hoc est, *psalmus* iste est *David*, id est pœnitentis, habitus *in rememoratione*, id est docens nos memoriam peccati habere, ut caveamus. Vel in rememoratione *Sabbati*. [Aug.] Sabbatum est requies æternitatis, quam habere desiderat, et perdere formidat. Iste itaque pœnitens in malis positus pejus timens, et tamen lugens Sabbati æterni recordatur, quo timet pri-

D vari peccati conscius, desiderat frui graviter afflictus. [Cassiod.] Hic enim pœnitentem inducit multis modis cruciatum, ita ut ipsum Job qui carnis incentiva et ingentia vicit supplicia, videatur proponere tironibus in exemplum ut cruciatus grate amplectantur, minores quidem meritis, id est quam ipsi meruerunt, per quos ab æterna pœna liberantur. Et hoc est : psalmus iste est David, id est pœnitentis, habitus in rememoratione Sabbati, id est agens de recordatione Sabbati, quod pœnitens desiderat, Intentio. Monet ad pœnitentiam. Modus. Quatuor sunt partitiones. Primum captat misericordiam per pœnas summatim dictas. Secundo, ponitur narratio in qua enumerantur miseriæ, *ibi putruerunt et corruptæ sunt*. Tertio, quia inter tot

mala speravit in Domino, affirmat [illegible] audiendum, cum commemoratione emendationis, [illegible] *quoniam in te, Domine, speravi.* Q[illegible] exse[illegible]va conclusio de salute ponitur, ut certa sit spes imitantibus. Sic est in omnibus pœnitentialibus, ibi, *ne derelinquas me, Domine Deus meus, ne,* etc. Ab oratione ergo et lacrymis incipiens, ait :

VERS. 1. — « Domine, ne in furore tuo arguas « me, neque ; in ira tua corripias me. »

Domine, ne in furore tuo, [Aug.] vel indignatione tua. Alia littera, *arguas me*, id est ne sim inter eos quibus in judicio dices : *Esurivi, et non dedistis mihi manducare. Ite, maledicti, in ignem æternum* (*Matth.* XXV). *Neque in ira tua corripias me*, vel emendes me ; alia littera, id est ne inter eos sim qui per ignem emendati salvabuntur ; sed hic emenda, quia tunc gravior ignis. Et accipitur hic ira et furor pro eodem, id est pro judicii die quo malis videbit Deus irasci. Vel ita : [Cassiod.] Rogat ut non iratus judex inferat tormenta ad peremptionem, sed misericors ad correctionem. Et est, o Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me, (Hier.) argue me ita, ut pœna sit misericordia ad correctionem, non ab ira ad ultionem.

VERS. 2. — « Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt « mihi, et confirmasti super me manum tuam. »

Quoniam sagittæ tuæ, etc. [Aug.] Numerat hic pœnitens mala quæ patitur, ut quia sunt multa, satis sint, id est sufficiant Deo, ne pejora patiantur, quasi dicat. Ne arguas in furore, quia sufficere tibi possunt quæ patior. Et hoc est, quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi. Sagittæ sunt vindictæ Dei, scilicet dolores animi et corporis, quia sicut sagittæ intenduntur et infiguntur, ita vindictæ intensæ fuerunt in Adam per comminationem, qua Deus ei comminabatur Adæ dicens : *In quacunque die comederis, morte morieris* (*Gen.* II). Et quia comedit, infixæ sunt etiam nobis per pœnam et culpam. Ille enim hujus miseriæ fuit origo, nos propago. Infixæ sunt, et non ad horam ; sed *confirmasti* diu, scilicet ut sint usque ; in finem sæculi, et in multis partibus, scilicet in carne, et in anima, et in eisdem multis modis, ut ostendetur in sequenti. [Cassiod., Gl. int.] Confirmasti dico, *super me manum tuam*, id est vindictam. Captat hic misericordiam a potestate judicis. Eo usque confirmasti, quod

VERS. 3. — « Non est sanitas in carne mea a « facie iræ tuæ ; non est pax ossibus meis, a facie « peccatorum meorum. »

82 *Non est sanitas in carne mea.* [Aug.] Porta enim mortale corpus tot miseriis subditum, quod et sanum cum dicitur, non vere sanum est, quod eviter potest lædi. Unde hic dicit, *non est sanitas in carne mea a facie iræ tuæ*, [Cassiod.] id est, ab instantia vindictæ in Adam exercitæ. Captat hic ab infirma persona sua, quæ vindicta non est injusta, [Aug.] quia est pro peccatis. Et hoc est, *non est pax*

A *ossibus meis*. Accipit ossa pro carne, et exponit quod dixerat, aliud dicens, scilicet *a facie peccatorum meorum*, quasi dicat, hujus rei causa sunt peccata mea.

VERS. 4. — « Quoniam iniquitates meæ super« gressæ sunt caput meum ; et sicut onus grave « gravatæ sunt super me. »

Quoniam iniquitates. Repetit quod dixerat, apertius exponens, *quoniam* iniquitates meæ supergressæ sunt ; vel, sustulerunt *caput meum ;* hoc est quod ante dixerat, *a facie peccatorum meorum*. Ideo *sicut onus grave* vel fascis gravis, *gravatæ sunt super me :* hoc est quod ante dixerat, non est pax ossibus meis. Et est sensus : Quoniam iniquitates meæ su-

B pergressæ sunt caput meum, sicut onus grave, etc. ; [Aug.] id est quia iniquitas elevavit caput superbi contra Deum, Deus gravavit eum mole pœnarum, ut fasce, et compressit ne jam erigatur. Etiam nota quod congrue dicit iniquitates super se gravatas, quia iniquitates quæ leves sunt et dulces, dum fiunt afflictionibus onerantur, id est onerosæ et graves fiunt. (Gl. int.) Vel ita ab illo loco, *non est pax*, ubi ostendit afflictionem animæ post ostensam infirmitatem carnis. Et est, *non est sanitas in carne mea*. Et etiam, *non est pax ossibus meis*, id est nec rationi est pax, quia caro impugnat. Et hoc, *a facie peccatorum meorum*, id est ab instantia cogitationum et suggestionum mearum. Non est pax, quia peccatum regnat in mortali corpore (*Rom.* VI). Et hoc est quod dicit, *quoniam iniquitates meæ supergressæ*

C *sunt caput meum*, id est rationem. Cætera non mutantur. [Cassiod.] Aliter totum ab illo loco : *Quoniam sagittæ*, et dicit sagittas verba Dei, quæ penetrant corda hominum, et infigunt vulnus amoris, non livoris. Unde sponsa in Canticis ait : *Vulnerata sum charitate*. Hæc infixa cordi pœnitentis, faciunt eum recordari Sabbati æterni. Quasi dicat : Ne arguas *quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi*, id est verba tua cordi meo infixa sunt, quæ faciunt me recordari Sabbati. Et quia nondum habet quod amat, gemit. Unde sequitur : *Et confirmasti super me manum tuam*, scilicet vindictam, quia quod amo non habeo. Et ita, *non est sanitas in carne mea*, id est cognosco non esse salutem carnis, comparatione futuri. Non est sanitas, et hoc, *a facie iræ tuæ* futu-

D ræ, (Cassiod.) id est, quia prævidi faciem iræ, id est quia minaris ne videam iram, timore futuræ iræ sic terretur iste ut non sit sanitas in carne, more verecundi famuli, qui futuris flagellis affligitur. *Et non est pax ossibus meis*, quasi dicat, gravis dolor ad interiora usque pervenit. Et hoc, *a facie peccatorum meorum*, quia sanctus super pœnas corporis affligitur peccatis, putans se graviora mereri ; *quoniam iniquitates meæ*, etc. Quasi dicat : Nec injuste passus sum, sed peccatis imputo, per quidquid melius captat. Et hoc est, *quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt*, etc. Hæc non mutantur.

PARS. II. VERS. 5. — « Putruerunt et corruptæ « sunt cicatrices meæ a facie insipientiæ meæ. »

Putruerunt, etc. [Cassiod.] Secunda pars, ubi est narratio, in qua enumerantur miseriæ. Quasi dicat: Iniquitates sunt supergressæ caput meum, quia *cicatrices meæ*, [Gl. int.] id est plagæ peccatorum, per baptismum sanatæ *computruerunt*, cum jam peccato iterum consentitur *et corruptæ sunt*, dum ad actum perducitur (74). Et hoc totum *a facie insipientiæ meæ*, id est per stultitiam meam, quia non sum usus viribus in baptismo receptis: quod mihi, non Deo imputo. Et hoc idem quod supra dixerat, a facie peccatorum meorum. [Gl. int.] Aliter, cicatrices meæ, vel livores mei. Alia littera, [Cassiod.] id est peccata mea *computruerunt*, [Aug.] aliis per exemplum. Et putruerunt, alia littera. Mihi ipsi patet quia non est iste sanus, quia cicatrices habet, quæ putruerunt aliis, et fetent sibi, ut ab eis aversi odoremus Sabbatum æternum et gemamus currentes cum sponsa post odorem unguentorum; *a facie insipientiæ meæ*, non mutatur.

Vers. 6. — « Miser factus sum et curvatus sum « usque in finem; tota die contristatus ingrediebar. »

Miser factus sum. [Alcuin.] Dixit qualiter iniquitates supergressæ, hic dicit quomodo aggravatæ. Quasi dicat: Quia putruerunt, ideo *miser factus sum*, [Aug.] id est miseriis afflictus sum, *et curvatus sum*, ab elatione, quia omnis qui se exaltat, humiliabitur (*Luc* xviii), a Deo iste incurvatus est, ut non possit se erigere, sicut curva mulier quam invenit Dominus decem et octo annis curvam, quam invenit Dominus decem et octo annis curvam, quam erexit. Vel, incurvatus sum, [Aug.] id est terrenis deditus. Unde et miser factus sum, id est tristis. Miser factus, et hoc *usque in finem*, id est usque in mortem, *et tota die*, id est tota vita, scilicet jugiter *contristatus*, quia Sabbati memor quo carebam; sed non desperans *ingrediebar*, vel ambulabam, (Cassiod.) viam hujus vitæ. Contristatus sum, ideo,

Vers. 13. — « Quoniam lumbi mei impleti sunt « illusionibus; et non est sanitas in carne mea. »

Quoniam lumbi mei impleti sunt. (Aug.) Vel anima mea impleta est *illusionibus*, et quoniam *non est sanitas in carne mea*. Et ita non est in toto homine, unde sit plena lætitia, donec anima exuatur illusionibus, et corpus induatur sanitate. Illusiones animæ infinitæ sunt, quæ aliquando vix orare sinunt, imagines corporum occurrunt, et transis de hac in illam; venit oblivio, recordaris hoc pro illo. Et hujusmodi. Hæ pellentur cum videbimus veritatem ut est. Unde Apostolus: *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* (*Rom.* vii.) *Gratia Dei*. Vel ita: (Hier., Gl. int.) ut per lumbos accipiamus carnalitatem, id est sensualitatem, quæ a diabolo fatigatur et corpus affligitur. Quasi dicat: Non solum mea infirmitate pecco, sed et diabolo, (Cassiod.) id est per diabolum, qui corpus affligit et animam fatigat variis imaginationibus. Et hoc est quoniam lumbi mei, vel anima mea, id est carnalitas mea,

A impleta est illusionibus diabolicis. Et per hoc interim: Non est sanitas in carne mea, quam diabolus affligit, sicut et supra, per saggitas, non erat in ea sanitas.

Vers. 12. — Afflictus sum et humiliatus sum ni- « mis, rugiebam a gemitu cordis mei. »

Afflictus sum. [Cassiod.] Duobus præmissis duo reddit, non est sanitas in carne, quia *afflictus sum* corpore, anima impletur illusionibus *et*, id est quia *humiliatus sum* animo, ut nihil in me sit liberum a pœna; *nimis*, quia undique est calamitas. Vel ita: [Gl. int.] Contristatus sum et afflictus per pœnitentiam et humiliatus sum nimis, humilitate pœnitendi, *rugiebam a gemitu cordis mei*, [Alcuin.] gemitus corde, rugitus voce fieri solet. Iste vero rugit

B a gemitu, non in voce. Et est rugiebam, [Gl. int.] id est cum magno desiderio quærebam animæ refectionem. [Cassiod.] A simili leonis et aliarum belluarum, quibus se comparat ut fortior ostendatur gemitus. Et ille rugitus erat a gemitu. Ecce virtus patientiæ ostenditur quod in gemitum non in verba prorumpit. Et est sensus: [Aug.] Desiderabam Sabbatum et quærebam, quod quia non obtinebam, gemebam. Et ille gemitus erat cordis mei, [Hier.] id est rationis. Est enim gemitus carnis et gemitus mentis. Omnis gemitus qui de exterioribus est, carnis est; qui vero pro Sabbato est, quod caro non obtinet, cordis est.

Vers. 9. — « Domine, ante te omne desiderium « meum; et gemitus meus a te non est absconditus. »

C *Domine ante te*. Quasi dicat: Rugiebam a gemitu cordis mei, [Aug.] quem gemitum non novit homo. Sed, *o Domine, ante te* qui vides cor, est *omne desiderium meum*. Si desiderium est ante Deum, ergo et gemitus qui cum eo est. Desiderium vero est oratio nec unquam desinit orare, qui non desinit amare. Charitas enim amor est. Vel ita: [Gl. int.] Omne desiderium meum, o Domine, est ante te, id est nihil desidero nisi esse ante te. Et est ante te, omne desiderium meum, [Casiod.] id est tale est quod meretur esse ante te, quia pro peccatis gemo. Et ideo, *gemitus meus a te*, [Aug., Alcuin.] et non ab hominibus, *non est absconditus*, sed exauditus, quia pius est pro liberatione animæ, non pro terrenis, sed pro cœlestibus. Alios gemitus non curat Deus.

D Vers. 10. — « Cor meum conturbatum est, de- « reliquit me virtus mea, et lumen oculorum meo- « rum, et ipsum non est mecum. »

Cor meum. Hic exponit dolores animi. *Cor meum conturbatum est in me*. [Cassiod.] Quasi dicat: Inde dolor et gemitus, quia *cor meum conturbatum est in me*. [Aug.] Pavor undique incutitur et sollicitudo. Et hoc ideo, quia *dereliquit me virtus mea*, quam habui ante peccatum. Si virtus illa mansisset, nihil terreret. Cur et hæc virtus reliquit? [Aug.] quia *et ipsum lumen oculorum meorum non est mecum*, id

(74) Ex Greg. in expositione septem psalmorum.

est lumen quod Deus est, non est mecum, ex quo Adam ad umbram fugit, timens a facie Dei. Hoc lumen nemo videt in præsenti per speciem, quia etsi jam Christiani sunt, nondum tamen vident, nec in futuro visuri sunt. Vel ita : [Cassiod.] Cor meum conturbatum est in me, id est mens mea succubuit passionibus, quia virtus mea, id est virtus patientiæ, reliquit me; et lumen oculorum meorum non est mecum, id est, ratio imperturbata, quam non habet secum pro ingentibus molestiis.

VERS. 11. — « Amici mei et proximi mei adversum « me appropinquaverunt et steterunt. »

Amici mei. [Aug.] Hactenus confessus est quæ patitur a se intus : nunc dicit quæ a foris patitur, ab his inter quos vivit. Unde alibi dicitur : *Ab occultis meis munda me, et ab alienis parce servo tuo* (*Psal.* XVIII). Et ideo, quia in persona capitis, exponens ejus passionem, non dividens vocem suam a capite. Ut enim caput dicit peccata nostra, sua, sic nos passiones ejus, quæ hic ponuntur, dicamus nostras, quia una vox totius est. Et hæc etiam cuique versanti inter homines conveniunt. Ait ergo in persona capitis, *amici mei,* ficti, *et proximi mei,* scilicet cognati, Judæi, *adversum me appropinquaverunt* crucifigentes, et consiliis ac dolis, [Greg.] et *steterunt* perseveranter.

VERS. 12. — Et qui juxta me erant de longe steterunt; et vim faciebant qui quærebant animam « meam. »

Et qui juxta me erant, [Aug.] scilicet apostoli, *de longe steterunt* timentes mori, *et vim faciebant,* id est crucifigebant *qui quærebant animam meam* tollere, non imitari.

VERS. 13. — « Et qui inquirebant mala mihi, « locuti sunt vanitates; et dolos tota die medita- « bantur. »

Et qui inquirebant mala mihi, [Aug.] quia non inveniebant crimina, *locuti sunt vanitates,* id est finxerunt falsa, *et dolos,* id est fallacias *tota die meditabantur* ; quot falsa testimonia dixerunt ante crucem, et post resurrectionem corruptis custodibus ? De quibus Isaias dicit : *Ponam malos pro sepultura ejus* (*Isa.* LIII). Corrupti namque pecunia, mendacium seminaverunt dicentes : *Nobis dormientibus venerunt discipuli ejus, et tulerunt eum* (*Matth.* XXVIII).

VERS. 14. — « Ego autem tanquam surdus « non audiebam; et sicut mutus non aperiens os « suum. »

Ego *autem tanquam surdus non audiebam,* [Aug.] non respondebam, quasi non audirem. *Et sicut mutus non aperiens os suum.* Et non solum non audiebam, sed etiam

VERS. 15. — « Et factus sum sicut homo non « **83** audiens, et non habens in ore suo redargu- « tiones. »

Et factus sum sicut homo non audiens, [Aug.] id est factus sum quasi non possem audire, *et non habens in ore suo redargutiones.* Illa contra illos ta-

A cebat, quasi non esset, unde illos argueret, quod ante fecerat : sed implendum erat illud : *Sicut ovis coram tondente se, sic non aperuit os suum* (*Isa.* LIII). Quoniam in te, Domine, speravi. Quasi dicat : Ideo tacui in passione, quoniam in te, Domine, speravi; tu exaudies me, Domine Deus meus. Si bona conscientia est, nihil est timendum, nec in aliquo hæsitandum. Quia dixi, Item hic caput loquitur de infirmis pedibus, id est membris, sicut ante de seipso loquebatur, quia cum sit in cœlo, non deserit quæ in terra habet. Quasi dicat : Ideo audies, quia dixi : Nequando supergaudeant mihi, id est meis, inimici mei, ut eis prævaleant; ad hoc enim laborant. Et, id est quia, dum pedes mei, id est infirma membra mea, commoventur, aliquando in aliquod peccatum,
B scilicet super me magna locuti sunt inimici mei, id est insurgunt nequissimæ linguæ inimicorum, cum potius fuisset miserandum.

[Cassiod.] Aliter ab illo loco, *Amici mei,* dicit hæc pœnitens graviter afflictus, ita ut ipse Job videatur ista verba proferre : *Amici mei et proximi mei.* His duobus solatiis gaudet humanitas, sed hi sunt cumulus passionum. Unde sequitur : *Adversum me appropinquaverunt et steterunt,* exprobrando, ita venit super me plaga et defeci. *Et qui juxta me erant de longe steterunt,* ut et ipsa uxor. Unde ipse ait : *Halitum meum exhorruit uxor mea* (*Job* XIX). *Et vim faciebant qui quærebant animam meam,* id est diabolus cum ministris suis, qui quanto magis moliuntur mortem animæ, tanto magis vident aliquem stare.
C *Et qui inquirebant mala mihi,* ut uxor, et amici, *locuti sunt vanitates,* quia consulentes corpori, animæ contraria suggerunt, scilicet ut loqueretur contra Deum. *Dolos tota die meditabantur. Ego autem tanquam surdus* ad iniquitatem consulentium, *non audiebam. Et factus sum sicut mutus non aperiens os suum.* Mutus dicit et non aperiens os; quia et si mutus clare non loquitur, saltem balbutiendo murmurat. Hic quoque pœnitens nihil asperum, nihil contra Deum dixit. Et nota quod contra iniquas cogitationes tacet iste qui supra contra dolores corporis rugiebat. *Et factus sum sicut homo non audiens,* per hoc existens, homo [Alcuin.], id est rationalis, quasi dicat : assimilatus sum dissimulanti audire convicia sua, in quo homo est, id est rationalis ne per hoc cadat in pejus ; *et non habens in*
D *ore suo redargutiones,* sic tacui quasi non esset quod juste redderem. Ecce magna virtus audire noxia, et non reddere contra.

PARS. III VERS. 16. — « Quoniam in te, Domi- « ne, speravi; tu exaudies, Deus meus. »

Quoniam in te Domine, speravi. [Cassiod.]. Tertia pars, in qua affirmat se audiendum, cum commemoratione emendationis, quia inter tot mala speravit in Domino. Quasi dicat : Hæc mihi faciunt, sed *speravi.* Salutaris medicina est in malis sperare, non deficere. *in te Domine,* qui mutas tristia in læta, Repete : Et quoniam in te Domine, speravi, *tu exaudies me, Domine Deus meus.* Ideo audies,

VERS. 17. — « Quia dixi : Nequando supergaudeant mihi inimici mei, et dum commoventur « pedes mei, super me magna locuti sunt. »

Quia dixi : Nequando supergaudeant inimici mei. [Aug.] Inter mala maxime cavet sanctus ne de lapsu ejus insultet inimicus. Hoc dixi, et tamen hoc evenit forsitan ad emendationem. Et hoc est, *dum commoventur pedes mei*, id est actus mei. [Cassiod.] Et dum hoc fit *super me magna locuti sunt* si commoventur aliquando humana infirmitate, irrident impii, unde dolent pii. Et ideo etiam exaudies.

VERS. 18. — « Quoniam ego in flagella paratus « sum ; et dolor meus in conspectu meo semper »

Quoniam ego paratus sum, [Aug.] sciens me deliquisse, *in flagella*, quasi dicat, ad hoc natus sum, ut flagella feram, Flagellat enim Deus omnem filium quem recipit (*Hebr.* XII). Et ideo, non exsultent inimici ; et dolor meus est *in conspectu meo semper*. [Aug., Cassiod.] Inde dolet, quia deliquit, impius se defendit, justus contra se irascitur.

VERS. 19. — Quoniam iniquitatem meam annun« tiabo ; et cogitabo pro peccato meo. »

Quoniam iniquitatem. [Aug.] Quasi dicat : Unde dolor ? non de flagello, quod est medicina, sed de peccati vulnere, nisi enim doleret, non se sic accusaret. Et hoc est *quoniam iniquitatem meam, annuntiabo, id est confitebor*. Et quia non sufficit confiteri, addit *et cogitabo*, id est sollicitus ero, et sedule agam *pro peccato meo* sanando. Duo modi sunt perfectæ pœnitentiæ, confessio et emendatio, quæ fit per fletus et eleemosynas, et hujusmodi quæ hic notantur.

VERS. 20. « Inimici autem mei vivunt, et confir« mati sunt, super me, et multiplicati sunt qui ode« runt me inique.

Inimici autem mei, [Cassiod.] tua permissione ad probationem mei missi, *vivunt*, [Aug.] id est, fruuntur mundo, quia bene eis in sæculo est, ubi laboro et rugio *et confirmati sunt* in mendaciis. Vel *confortati.* Alia littera *sunt super me* [Gl. int.] in persecutione (quod gravius est). Et hoc valet ad impetrandum ; et non sunt pauci, sed *multiplicati sunt,* id est quotidie plures fiunt (quod gravissimum est) *qui oderunt me inique*, [Aug.] dando mala pro bonis. Unde sequitur :

PARS. IV. VERS. 21. — « Qui retribuit mala pro « bonis detrahebant mihi, quoniam sequebar boni« tatem. »

Qui etiam *retribuunt mala pro nobis detrahebant mihi*, cur ? (Aug.) *quoniam sequebar bonitatem*, ideo dixit mala pro bonis.

PARS. IV. VERS. 22. — « Ne derelinquas me, Do« mine Deus meus ; ne discesseris a me. »

Ne derelinquas me. [Cassiod.] Quarta pars, ubi est exsultativa conclusio, ut certa spes sit imitantibus, quasi dicat : Prædicta mala mihi ingerunt, (Greg.) sed quia hæc mala homini sunt intolerabilia, *ne derelinquas me ;* vel ita conjungitur littera : (Cassiod.) Hic pœnitens de præteritis absolutus cum gratiarum actione profitens Deum salutis suæ auctorem, lætus exclamat, ne jam relinquatur, dicens : Ne derelinquas me, *Domine*, Deus meus [Greg.], quia gravis est offensio post veniam. Et si ad horam relinquis, *ne discesseris* penitus *a me*, sed potius

VERS. 23. — « Intende in adjutorium meum, Do« mine, Deus salutis meæ. »

Intende in adjutorium meum, (Cassiod.) dum pugno contra hostem, *Domine, Deus salutis meæ*, dator æterne. (Aug.) Aliter, ne derelinquas me, ut sint verba Christi. Hæc enim dicimus in illo qui pro nobis interpellat, id est in persona Christi dicentis : *Ne derelinquas me, Domine, Deus meus.* Sed cum hic dicat, ne derelinquas, ne discesseris, quomodo ergo supra clamabat : *Ut quid me dereliquisti ?* (*Joan.* XIX.) Hoc enim quod hic dicitur, illi clamori videtur contrarium, sed non est. Ibi enim vox est veteris hominis, qui cum eo crucifixus est, id est ibi loquebatur in persona Ecclesiæ, quæ est vetus in culpa et pœna, cujus vetustas in Christi cruce consumpta est. Hic autem loquitur in persona sua propria, *intende in adjutorium meum, Domine Deus salutis meæ*, [Cassiod.] quia et animam meam servavit, et a passionibus corpus et animam liberavit.

COLLATIO IN PSALMUM XXXVII : « DOMINE, NE IN FURORE. »

VERS. 7. — *Lumbi mei impleti sunt illusionibus*. Munsterus vertit *femora* pro *lumbis*. Pratensis, Sanctes, Campensis in paraphrasi, *ilia* seu *intestina*. Nescio tamen quo ingenio. Licet enim et id significet vocula Hebraica כסלי CESALAI, simul etiam et lumbos notat, ut transferunt Hieronymus, Pellicanus, interpretes pro Cajetano. Chaldæus et Nebiensis. Quod autem pro *illusionibus*, Hieronymus, dicit *ignominia ;* Pellicanus *vilitate*, alii *ardore* seu *combustione*. Facile est accommodare expositioni contextus. Sed et Chaldæus est nobiscum.

VERS, 11. — *Amici mei et proximi mei, adversum me appropinquaverunt*. Hebr. *chari mei et amici mei, contra lepram meam*, vel *e regione plagæ meæ steterunt* נגע NEGA nomen, significat *scabiosam plagam*, et נגעי NIGEI, *plagam meam,* quomodo acceperunt Hebræi. נגע NAGA vero verbum significat *accedere* et *percutere*, ac נגעו NAEU *appropinquaverunt*, legendo vau pro iod et punctis neglectis. Quod quam facile sit apud Hebræos in confesso est

PSALMUS XXXVIII.

PSALMI TITULUS : « IN FINEM CANTICUM DAVID PRO IDITHUN. »

Dixi. Titulus. *In finem canticum David pro Idithun*. Legitur in Paralipomenon quod arca Domini reducta a Philisthæis, David ante eam constituit cantores quatuor millia, et totidem janitores, quibus

præfecit filios Core, cantoribus vero præposuit ducentos octoginta et octo viros, inter quos fuerunt Asaph, Eman, Ethan et Idithun, quorum nomina Esdras frequenter posuit in titulis, tum pro honore mysterii, tum propter nominum interpretationes, per quas subjectorum psalmorum intellectus panduntur, sicut hujus psalmi aperitur sensus. Per hoc nomen Idithun, quod interpretatur *transiliens eos*, id est remanentes in mundo, hærentesque terrenis, de quo transiliente agitur hic. Docet enim psalmus iste a dilectione sæculi ad Dei legem, et inde ad æternitatem mente transilire. Et quia hoc jocundum est menti, et si grave sit carni, ideo bene in titulo apponitur *canticum*. Et est sensus : Canticum istud dicitur canticum, quia hic est mentio de æterna beatitudine, pro qua jucundum est menti transilire, et si grave sit carni, dirigens nos *in finem*, id est in consummationem est *David* prophetæ. Et est *Pro Idithun*, [Gl. int.] id est, de transiliente. Intentio. [Cassiod.] Monet hic psalmus inter blasphemos et iniquos linguæ continentiam servare, certamina et rixas comprimere. Hoc enim silentium multum est utile. Modus. Tripartitus est psalmus primo agit de continentia linguæ inter blasphemos et contumeliosos. Unde et optat noscere finem, ubi hæc non sunt mala. Secundo dixit quomodo omnes sunt sub vanitate et casu. Unde apponit se exspectare Dominum petens liberari, ibi, *verumtamen in imagine*. Tertio inter tot mala sæculi petit sibi Deum adesse, et peccata dimitti, ut prospero fine exeat, ibi, *exaudi orationem meam*. [Aug.] Transilitor autem iste, terrenis abdicans illecebris, de bona opinione semper contrahit invidiam iniquorum et calumniam. Unde deliberat inter malos tacere, ne quid dicat male, ita incipiens :

VERS. 1. — « Dixi : Custodiam vias meas, ut non « delinquam in lingua mea. »

Dixi, [Cassiod.] id est, in corde deliberavi, ubi sapientes prius deliberant, quam loquantur. Ideo prius deliberat quia grave hoc est quod incipit. Quid sit illud exponendo subdit : *Custodiam*. Hoc dicit [Aug.], quia forsan lapsus jam fuerat in lingua, *vias*, id est actiones et verba. Vias dico jam *meas*, [Cassiod.] id est bonas. [Hier.] Ideo custodiam *ut non delinquam* per fatua vel otiosa **84** *in lingua* quod est difficile. [Aug.] Non enim frustra est lingua in udo quia facile labitur. Perfectus est ergo vir qui non peccat in lingua *(Jac.* III). Lingua dico jam *mea*, [Gl. int.] id est mei juris.

VERS. 2. — « Posui ori meo custodiam, cum « consisteret peccator adversum me. »

Posui ori meo, [Aug.] quasi dicat postquam transivi terrenas delectationes, et ea verbis bonis contraho invidiam et calumniam, sufficit mihi intelligentia coram Deo, ne loquendo dem aditum calumniosis, in quo sæpe fit perturbatio, ut dicantur non dicenda, contra quod melius remedium est silentium. Unde hic ait, *posui ori meo custodiam*, quasi dicat, dixi : Custodiam et posui ori meo custodiam, ne incongrua exirent. Posui, custodiam, non propter studiosos, et audire paratos, sed *cum consisteret*, scilicet cum mora, quasi dicat, hoc feci cum maxime opus esset. *Peccator*, scilicet qui non percipit ea quæ sunt spiritus Dei, et calumniatur : hujusmodi, turgidis calumniosis litigiosis, nil dicendum est, ut et agnus, scilicet Christus sine voce coram tondente se siluit, qui etiam audire paratis multa discipulis, postea dicenda reticuit. Consisteret dico *adversum me*, quærens calumniam, a quo transiliente peccator decipitur per silentium, non valens eum verbis tenere. Unde sequitur :

VERS. 3. — « Obmutui, et humiliatus sum : et « silui a bonis, et dolor meus renovatus est. »

Obmutui, [Hier.] quasi dicat : Posui custodiam, usque eo quod *obmutui*, id est penitus tacui, *et humiliatus sum*. Hoc dicit ut purum intelligas silentium, non dolosum. Vel humiliatus sum, [Hier.] id est improperia ab eis sustinui, [Cassiod.] *et silui a bonis* annuntiandis. Vel a bonis hominibus, pro porcis et canibus, quibus sanctum non est dandum, neque margarita mittenda (*Matth.* VII). Tacuit ergo bonis ne doceret contemnentem, qui causam contentionis quærit, [Aug.] *et* ita *dolor* meus, quem passus est in loquendo, a quo quievit in silentio, *renovatus est*. Inde est ei dolor, quia negat conservis cibaria verbi. Et ideo

VERS. 4. — « Concaluit cor meum intra me : et « in meditatione mea exardescet ignis. »

Cor meum concaluit intra me, [Cassiod.] id est ex omni parte caluit igne Dei, id est amore cœlestium. Et hoc *intra me*, [Alcuin.] id est in ratione, ut de cœlestibus cogitaret. Et nota quia prius intra cogitavit, quam extra exiret, loquendo vel concaluit intra me, [Cassiod.] id est interna gratia Spiritus sancti ; *et in meditatione mea*, id est in consilio. Hoc dicit ne insanus videretur æstus ejus *exardescet ignis* dilectionis.

VERS. 5. — « Locutus sum in lingua mea : No- « tum fac mihi, Domine, finem meum. »

Locutus sum. [Cassiod.] Dixit se intus cogitasse. [Alcuin.] Hic dicit se extra esse locutum, quasi dicat postquam intra me cogitavi, etiam *in lingua mea*, id est transilientium *locutus sum*, [Aug.] non auditori erudiendo, [Cassiod.] sed exauditori Deo, a quo intus audio quod est malis invitus silui, sed Domino locutus sum, æstu charitatis agente. Quid locutus sum ? istud scilicet *notum fac mihi, Domine finem meum*, [Aug.] id est Christum, qui est finis noster, id est consummatio ad justitiam in præsenti, et in futuro ad coronam.

VERS. 6. — « Et numerum dierum meorum quis « est, ut sciam quid desit mihi. »

Ut etiam fac notum *numerum dierum meorum quis est*, (Aug.) quem volebat scire non desiderio hujus vitæ, (Cassiod.) sed desiderio Christi ut appareat si ejus adventum poterit videre, quem antiqui Patres magno desiderio cupierunt videre. Unde : *Multi reges et prophetæ voluerunt videre quem vos videtis*, etc. (*Luc.* X). Inde Simeon ille senex clamabat *pu-*

tas, videbo? etc. *(Luc.* II.) Inde etiam ante natale Domini illæ antiphonæ cantantur in persona antiquorum Patrum, (Cassiod.) scilicet, *O Adonai, O Sapientia*, etc. (Aug., Alcuin.) Ideo volo scire numerum, *ut sciam quid desit mihi* ad vitam, ante Christi adventum, ante quem multum deest ad vitam, quia ante eum sunt veteres dies Adæ, qui ducunt ad mortem, et non nova generatio quæ ducit ad vitam. Unde sequitur :

VERS. 7. — « Ecce mensurabiles posuisti dies « meos, et substantia mea tanquam nihilum ante « te. »

Ecce. (Gl. int.) Quasi dicat : An deest aliquid? utique ; quia *ecce dies meos*, vel veteres, (Cassiod.) id est breves et inanes *posuisti pedes meos, et substantia mea*, quæ Adam peccante damnata est *tanquam nihilum* est ex se, quia cito transit, et quandiu est, nihil est, (Cassiod.) actus quidem boni aliquid sunt, quia vitam conferunt. Nihil est dico, et hoc *ante te* qui vere vides, [Cassiod.] quasi dicat : Et si actus transilientis aliquid sunt, substantia tamen nihil est ante Deum.

VERS. 8. — « Verumtamen universa vanitas : om« nis homo vivens. »

Verumtamen. [Cassiod.] Videns iste adventum Christi, quem petierat videre, et nondum habens bonum æternum, redit ad infirmitatem suam, quam habet inter virtutes, dicens : Magna sunt quæ diximus et credimus, sed tamen nondum est illud æternum ; sed *universa* sunt *vanitas* pro mutabilitate. Et quia mutabilia et transitoria sunt, ecce iste desiderans æterna, exprobrat humanæ vitæ cui subest. Quod ideo dicit, ne quis putet sanctos a tentationibus alienos. (Gl. int.) Et ad hanc vanitatem pertinet *homo*, non Deus, non Spiritus *omnis*, (Hier.) id est et bonus et malus. Si enim malus est, in sæcularibus vanus est. Si vero bonus, ei cum Christo volenti esse vana est hæc vita. Homo dico *vivens* in hoc mundo.

Aliter totum ab illo loco, *obmutui*, vel, obsurdui. Et dicit iste transiliens se tacuisse, bona, dum timet ne loquatur mala. Ego silui, (Aug.) id est tacui etiam bona conversis, dum timeo ne loquar mala. Et quia non erogo pauperibns talentum mihi creditum, non committit mihi dives Dominus. Et hoc est, obsurdui. Alia littera, id est cœpi a Deo jam non audire ; positus enim est inter divitem Deum, et pauperem hominem. Intercurrit transiliens inter Deum et hominem, ut a Deo accipiat, et homini distribuat Domini sui pecuniam. Sed dum timet esse prodigus et dissipator fit avarus dispensator, aliis non erogando *(Matth.* XXV). Et ideo subtrahitur ei a Domino, hoc iste confitetur se passum, docens nos cavere hoc non imitari. (Aug.) Si autem piger iste damnatur, quia non erogat, quid ille patietur, qui per luxuriam consumit? Et sic *humiliatus sum a Deo*, non humiliavi me. Et ita, *dolor meus renovatus est*, dolet tacuisse dicenda ; quia vidit mala, ideo tacuit etiam bona et bonis, unde, scilicet quia tacuit. Zelus domus Dei comedit eum

A *(Psal.* LX), id est amor proximorum quibus tacuit angit eum. Unde sequitur : *concaluit cor meum intra me*. Cœpit inquietum esse cor, videns hinc inde esse pericula. *Et in meditatione mea exardescet ignis*, id est æstuatio, dum in utroque video esse pericula, et in hac fluctuatione dicendi et tacendi inter fluctuosos et calumniosos, et audire paratos in hoc æstu *locutus sum in lingua mea*, id est, quæsivi meliorem locum, ubi hæc non patiar, scilicet finem, id est vitam æternam. Et hoc est : *Notum fac mihi, Domine, finem meum*, [Gl. int.] quasi dicat : Etsi multa transivi, restat adhuc finis ubi non sunt scandala ; *et numerum :* Ecce quasi noto fine plus desiderat et omnia transilit ; desiderat enim de fine perfectius cognoscere. Et hoc est, *fac mihi notum numerum*

B *dierum meorum*. [Aug.] Hic est numerus sine numero, qui numerus dierum est vere, et non transit. Numerus vero dierum qui modo sunt, non est vere transilienti; hærenti autem esse videtur. *Ut sciam quid*, id est quantum *desit* hic in præsenti, *mihi;* unde humilior est homo, qui hæc novit. *Ecce mensurabiles* quasi dicat noto fine, et diebus qui sunt, attendit ad hæc temporalia quæ relinquit, et comparat invicem. Quasi dicat aliquis : Cur dixisti illos dies esse tanquam et isti temporales dies non sint? Quid enim de istis diebus transitoriis sentis? [Gl. int.] Ecce mensurabiles posuisti dies meos, qui dederas immensurabiles, si homo perstitisset. Vel, veteres, alia littera : [Aug.] *Posuisti dies meos*, quia corrumpuntur corpora peccato et pœna. *Et substantia mea tanquam nihilum est ante te*, id est qui vidit nihil

C esse hanc substantiam, ante te videt, ubi oculi tui sunt, videt, non ubi humani, id est tuæ visioni concordat. [Alcuin.] *Vel substantia mea tanquam nihilum est ante te*, id est contuitu illius, quæ ante erit. [Aug.] Verumtamen, quasi dicat, quamvis tanta transilivi, quamvis æternis inhio, verumtamen, dum hic vivo, ubi tot scandala sunt, ubi tentatio est, *universa vanitas* est *omnis homo vivens*, et transiliens, et hærens, id est ad universam vanitatem adhuc pertinent, quia omnia sub sole sunt vanitas, sub sole est omne visibile. Invisibilia autem non sunt sub sole, id est fides, spes, charitas. Hic habet Idithun ultra solem, cujus conversatio in cœlis est (*Philip.* III). Vel ita, licet mensurabiles sint dies, licet substantia nihil sit, verumtamen *universa vanitas* est *om-*

D *nis homo vivens*, id est universa vanitas est in rationabili creatura, quæ secundum diversos universam vanitatem appetit, de hoc gemit iste, sicut in superna, id est supernorum amorem inardescit. Vel ita, licet substantia nihil sit, verumtamen omnis homo vivens, [Gl. int.] quasi jucunde in mundo, cui servit, est universa vanitas, ipsa vanitas est, non modo vanus. Et dicitur hoc per exaggerationem.

PARS II. Διάψαλμα. VERS. 9. — « Verumtamen in « imagine pertransit homo ; sed et frustra contur« batur. »

Verumtamen. [Cassiod.] Secunda pars est hic, ubi dicit quomodo omnes sub vanitate et casu sint. Un-

de opponit se exspectare Dominum, et petit liberari, quasi dicat : Quamvis ita studeat homo vanitati, *verumtamen homo pertransit*, [Alcuin.] id est cito transit *in imagine*, id est comparabiliter imagini speculi, quæ cito vanescit. Unde Job : *Homo quasi flos egreditur et conteritur, et fugit*, etc. (*Job* XIII). Vel ita : Licet studeat vanitati, tamen pertransit homo. Hoc non mutatur. Ipse dico positus in imagine Dei, id est in ratione et ita mirum, quod hoc non retrahit eum a vanitate *sed frustra*, quasi dicat : Homo positus est in imagine Dei, sed tamen *conturbatur*, [Cassiod.] id est a puritate mentis in actibus sæculi deducitur, quia cum labore et miseria terrena appetit. Et hoc frustra, id est inutiliter, quia omnia transeunt. Aliter secundum aliam litteram, quæ est : *Quanquam in imagine ambulet homo, tamen vane turbatur*. Et est : Homo est vanitas, [Aug.] tamen ambulat in imagine Dei. Et quanquam in imagine, scilicet Dei, id est in ratione, ambulet homo, quæ est ultra solem et veritas, quia invisibilia et vera bona appetit ; tamen turbatur vane, id est in vanis desideriis, [Cassiod.] scilicet de victu et veste, et hujusmodi.

VERS. 10. — « Thesaurizat, et ignorat cui congregabit ea. »

Thesaurizat, [Aug.] quasi dicat : Inde est vana conturbatio, quia *thesaurizat*. [Cassiod]. Ecce de cæteris vitiis elegit propheta avaritiam ad ostendendum quod intendit. Ipsa enim est radix omnium malorum, *et ignorat cui congregabit ea*. [Aug.] Nescit enim si filius possidebit qui et transit.

VERS. 11. — « Et nunc quæ est exspectatio « mea ? nonne Dominus ? et substantia mea apud « te est. »

Et nunc quæ est [Aug.] Visa hac vanitate a qua transilivit et respiciens veritatem ad quam se extendit, quasi in medio positus ait ergo : *Et nunc* postquam tanta transilui *quæ est* exspectatio mea, id est finis meus, unde supra dixit : Notum fac mihi, Domine. finem meum, exspectatio dicit, [Cassiod.] quia nemo hic perfectus est *nonne Dominus* qui est super omnia ? id est Christus, quasi dicat : Mea exspectatio est exspectatio primi adventus Christi, vel secundi. Quæ dicitur exspectatio, quia cum mora est, et quia interim multa sustinet *et substantia mea* quasi dicat : Vere, o tu Domine, es exspectatio, id est quia substantia mea *apud te* considerata, [Alcuin.] id est secundum quod erit in futuro, quando etiam impassibilis et immortalis *est* ; vel ita : Substantia mea apud te est, id est quia prævideo substantiam meam dicit David, apud te futuram per unionem personæ, est, vel ita substantiam dicit, non illam actualem ab Adam contractam, sed bonæ conscientiæ **85** possessionem. Et hoc est substantia mea, non illa vetus Adæ, sed puræ conscientiæ possessio, qua interior homo sustentatur et pascitur. Est apud te, non in sæculis nostris ; [Aug.] sed ante Deum cui placet. Vel ita : Substantia mea apud te est, id est ad te tendens, jam incipit aliquantulum esse. Sed

A quia nemo sine peccato est, quantumcunque transilierit, peto,

VERS. 12. — « Ab omnibus iniquitatibus meis « erue me ; opprobrium insipienti dedisti me. »

Erue me ab omnibus iniquitatibus meis. [Aug.] Vel sic continua : Te exspecto, ideo *erue me ab omnibus iniquitatibus meis* quia multæ sunt, etiam justo. Ab omnibus, dico, scilicet non solum ab eis quæ transilivi, ne revolvar in ea, sed ab omnibus omnino, ita sentire non impedit perfectionem, sed facit. Imperfectus enim est homo, qui nondum accepit, quod optat ; perfectus tamen quia scit hoc ipsum quod desit sibi. *Opprobrium insipienti*, quasi dicat : Et quia sic ago, opprobrium, etc., vel sic junge, ideo debes eruere, quia *dedisti me opprobrium insipienti*

B [Cassiod.] id est stulto. Stultus qui remanet in vanitate, quos bonis moribus esse cognoscit, irridet : contra quem.

VERS. 13. — « Obmutui, et non aperui os meum, « quoniam tu fecisti ; amove a me plagas tuas, »

Obmutui. [Alcuin.] Habitus opprobrio, tacui ; non egi contentiose contra eos, *et non aperui os meum*, id est non egi murmure contra Deum. Et hoc a te, *quoniam tu fecisti me* talem, dans mihi patientiam, et quia talis, *amove a me plagas tuas*. [Gl. int.] Vel sic junge, erue ab iniquitate peccati, et etiam amove a me plagas, id est passionem et mortem : quod potes, quia fecisti eas. [Cassiod. Et hoc est quod sequitur : *tuas*, id est a te factas. Et necesse est ut amoveas, quia defeci. Et hoc est :

C VERS. 14. — « A fortitudine manus tuæ ego defecit « in increpationibus ; propter inquitatem corripuisti « hominem. »

A fortitudine enim *manus tuæ*, [Alcuin.] id est forti potentia tua *ego defeci* in hoc *in increpatione*, quibus humanum genus increpuisti : quod tamen ex merito nostro est, quia est *propter iniquitatem* nostram. Dico increpationibus, quæ tamen sunt ad correctionem, quia per eas *corripuisti hominem*. Aliter enim iniquitas incurata permaneret [Cassiod.]

Aliter ab illo loco ; *obmutui*, et legitur ibi alia littera, videlicet obsurdui, [Hier.] quasi dicat : Dedisti me opprobrium insipienti, ad cujus convicia, *ego obsurdui et non aperui os meum*, (Gl. in.) id est nec conatus sum loqui, quia frustra loquerer,

D cum illi sint incorrigibles, et quam tu fecisti. *Amove a me plagas tuas*, (Aug.) id est flagella tua, id est quia fecisti me, noli me exterminare, tantum cede ut proficiam, non ut deficiam, tantum tonde ut producar, non ut comminuar. Quasi dicat : Ille qui creavit, ille recreet. *A fortitudine*, quasi *plagas amove*. Plagas dico, graviter illatas. A fortitudine *manus tuæ* (Cassiod.) *ego defeci in arguitionibus*, alia littera, (Aug.) id est *cum arguis me defici*. Arguere autem tuum est propter iniquitatem erudire : Unde sequitur : *Propter iniquitatem*. Quasi dicat : Quia defeci, arguis ; sed non sine causa est quod defeci et infirmus sum, imo *propter iniquitatem*. Et in hoc, *erudisti hominem*. Alia littera, *non*

damnasti, quasi tua argutio, et pœna est et gratia. Unde alibi, *qui fingis dolorem in præcepto* (*Psal.* XCIII) ; id est formas dolorem meum, quem intulisti. Dolor enim alius informis, alius formatus : Informis, qui non emendat hominem ; formatus vero est, qui eruditionis formam præstat ; et talis dolor est præceptum, id est vicem et imaginem præcepti habet, quia docet a malis exire.

VERS. 15. — « Et tabescere fecisti sicut araneam « animam ejus ; verumtamem vane conturbatur om» nis homo. »

Et tabescere : Eruditionis modum ostendit, [Alcuin.] quasi dicat : Adeo corripuisti hominem, quia *fecisti tabescere animam ejus,* id est siccatam ab humore virtutum et cognitionis Dei, *sicut araneam,* quæ texit inanem telam : sic et iste inaniter laborat in congregatione temporalium; vel sicut araneam, quia sicut aranea egestione viscerum, unde telam texit moritur. [Cassiod.] ita et bono, dum extrahit a se iniquitatem, moritur. Vel in bono potest accipi. Aranea enim corpus tenue habet, nec in terra sed in alto stat, telas egestione viscerum texit ; sic anima hominis conversi et afflicti deserit terrena, stans in alto cœlestis conversationis, et subtiles operationes perficit, timore Dei tabefacta, id est humiliata [Aug.] Vel ita comparatur homo araneæ, quia sicut aranea, tabidum quiddam est in infirmum, sic anima hominis infirmitate et humilitate eruditur, ut non de se præsumat, qui displicuit fortitudine et superbia. Et hoc est : ita erudisti, quia tabescere fecisti animam ejus sicut araneam, id est fecisti ut anima tabesceret, id est infirma fieret, per humilitatem deposita superbia, quasi aranea, qua nihil est tabidius, quæ leniter tacta digito deficit ; hæc infirmitas bona est, sicut superba fortitudo, ante erat vitium. *Verumtamen vane conturbatur omnis homo,* [Cassiod.] quasi dicat. Licet homo sit correctus licet increpetur, licet tabefiat, verumtamem omnis homo vivens in incerto, [Aug.] vane conturbatur, id est humana infirmitate vanis rebus confunditur. [Cassiod.] Ab hac vanitate nemo excipitur, nisi qui Deum pura mente contemplatur.

PARS. III. Διάψαλμα. VERS. 16. — « Exaudi ora« tionem meam, Domine, et deprecationem meam ; « auribus percipe lacrymas meas. »

Exaudi. Et est hic diapsalma. [Cassiod.] Tertia pars ubi inter tot mala sæculi petit sibi Deum adesse, et peccata dimitti, ut prospero fine exeat, quasi universa vanitas sint. [Aug.] Inter hæc ergo positus transiliens, jam in superioribus spe agens, inquit, *exaudi.* Vel ita continuat. [Alcuin.] Hæc sunt vana, sed quia ego ista nec peto, nec pro eis tristor, exaudi, Domine. Quanto plura vovit iste, tanto plus supplicat. *Orationem meam* oratio est, quando vota Deo pandimus *et deprecationem meam.* [Cassiod.] Deprecatio est frequens supplicatio, ab imo cordis. Sed ne putes eum tantum verbis orare, addit et *Lacrymas,* quæ violentæ sunt in precibus ad movendam misericordiam. Et hoc est, quod sequitur, *auribus percipe* lacrymas meas, [Aug.] licet enim tot transilivit, iste, habet tamen quod fleat, quia abest quod desiderat, quia crebrescunt scandala, abundat iniquitas, refrigescit charitas (*Matth.* XXIV).

VERS. 17. — « Ne sileas ; quoniam advena ego « sum apud te et peregrinus, sicut omnes patres « mei. »

Ne sileas. [Aug.] Quasi dicat : Oro, deprecor, o Domine, *ne sileas,* id est fac ut audiam te, [Cassiod.] quia occulte loquitur Deus in corde fidelis : *Salus tua ego sum* (*Luc.* II), quam vocem iste optat, Vel, ne sileas id est dic mihi : *Remissa sunt tibi peccata tua,* vel, ne sileas in futuro, id est dic mihi : *Venite, benedicti,* etc. (*Matth.* XXV). Ne sileas, *quoniam ego* jam sum apud te spe, [Aug.] sed adhuc *advena* vel inquilinus, id est non habens sic sedem, quia hinc transiturus ad æterna, ubi non ero inquilinus ; *et* sum *peregrinus,* subaudi apud te, quia quidam sunt peregrini cum diabolo, id est mali quidam vero cum Deo, cum quo sunt spe non re, quandiu enim sumus in corpore, peregrinamur a Domino (*II Cor.* V) *sicut omnes patres mei,* qui migraverunt ad vitam. Constat ergo idem de me (Cassiod.] Vel ita : Ne sileas, quoniam ego sum advena apud te, id est non in diaboli civitate maneo, sed in tua sum receptus, de Babylonia ad Hierusalem sum translatus, meum regnum pro tuo desero. Et peregrinus, non eligens mihi sedem hic: quia ibi mihi patria, non hic. Sicut omnes patres mei : hoc dicit, ne quis ab hac conditione putetur exceptus.

VERS. 18. — « Remitte mihi, ut refrigerer prius« quam abeam ; et amplius non ero. »

Remitte. [Cassiod.] Hic sibi petit dimitti ut certus ad judicium perveniat, [Aug.] quasi dicat : Et quia migraturus sum restat hoc petere, remitte, etc, Vel ita junge : Quia sum apud te, ideo, remitte mihi qui curis uror, *ut refrigerer* per misericordiam, quia habet æstus vitiorum, unde dicit : *Dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimittimus.,* etc. (*Matth.* VI). Refrigerer, dico, *priusquam* ab hac vita *abeam,* [Aug.] ne cum peccatis eam. Dico remitte, et alioquin, id est, si non remittis ut refrigerer, ego ibo de hac vita ; *et* jam *non ero amplius* in vero esse quod est cum Deo.

COLLATIO IN PSALMUM XXXVIII : « DIXI : CUSTODIAM. »

VERS. 3. — *Obmutui et humiliatus sum.* Pro secunda particula in Hebr. legitur, דומיה DUMIIAH et vertunt *silentium,* ut sit, *obmutui silentio.* Quia vero radix דמה DAMAH aut דמה DIMACH, præter alia significat *oppressit,* non absurde dixerunt LXX *humiliatus sum,* pro *obmutui humiliatione.*

VERS. 7. — *In meditatione mea exardescet ignis.* Hic philosophatur Faber, quod ex Hebr. aptius ad vehementiam dicitur, *in meditatione mea succensus sum igni* cum tamen ad ipsissimam litteram, (ut ita loquar), Hebraice nunc habeatur בהגגי תבער אש BAAGIGI TIBEAR ESCH, *in meditatione mea exardescet ignis.* Nec obstat quod Hieronymus negligens cacozeliam translationis verterit ad eum modum quem legit Faber. Ignorabat tamen Hieronymus se talem habiturum prophetam, nisi legerit Hieronymus sub

prima persona אבער EBEAR, cujusmodi sæpe numero deprehendimus factitatum.

VERS. 6. — *Ut sciam quid desit mihi.* Subscribit omnino Hieronymus. Cæteri transferunt, *quam brevis temporis ego.* Palam est חדל HADAL significare *desiit* et הדל HADEL significare חלד HELED, id est *durationem*, transpositis litteris lamed et dalet. Unde nisi Septuaginta dixissent τί ὑστερῶ ἐγὼ poterat suspicari vitio scribæ factum esse, desit a *deesse*, pro *desiit*, a *desino*. Verum dies nostros breviter desinere, et nos illis velociter currere, satis consonant et conveniunt. Et Chaldæus ac Nebiensis dixerunt, *ut sciam quando deficiam.*

VERS. 11. — *Opprobrium insipienti dedisti me.* Hebræi legunt, ut apparet, contrarium sensum, *opprobrium stulto ne ponas me* אל תשימני AL TESIMENI : videtur repugnantia in verborum sono; sed ubi desiderium introspexeris peccatoris, ad Deum conversi, afflagitantis toto affectu ab omnibus iniquitatibus eripi, ob quas sensit se traditum insipientis cacodæmonis opprobrio, invenies quod confiteatur se ante pœnitudinem remordente conscientiæ stimulo insipienti datum, id Deo permittente, ut tyrannide inimici cognita, resipisceret, et deinceps Deum precaretur, ne ad vomitum redeundo, tradatur rursus opprobrium insipienti, et diabolicis illusionibus, ut in summa sit dicere : *Ab omnibus iniquitatibus meis erue me;* et Deo ante omnia idipsum deprecari, quia *propter peccata mea, juste insipienti opprobrium dedisti me.* Sed, bone Deus, si deinceps me præserves a peccato, secure potero dicere : *Opprobrium stulto ne ponas me.* Quod si videar tibi Scriptura torquere repugnantem, simile proferam ex Hieronymo in libello De optimo genere interpretandi; et in Commentario ad cap. Isa. VIII. In priori quidem multis argumentis volens demonstrare, boni interpretis officium : ut apertissime doceat verum translatorem non debere dormitanti litteræ servire, et putida verborum cacozelia torqueri, inter alia adducit testimonium LXX, Isa. VIII, quod videtur ex diametro pugnare Hebraicæ veritati, apostolo Paulo itidem et Petro. « Namque apostolus Paulus ad Romanos nono, exemplum sumens de Isaia : *Ecce*, inquit, *ponam in Sion lapidem offensionis, et petram scandali*, discordat a translatione Veteris et tamen cum Hebraica veritate concordat. In Septuaginta enim contrarius sensus est : *Non ut lapidi* **86** *offensionis occurretis, nec ut petræ ruinæ*, cum apostolus quoque Petrus Hebræis Pauloque consentiens, ita posuerit : *Incredulis autem lapis offensionis et petra scandali* (*I Pet.* II). Ex quibus universis perspicuum est apostolos et evangelistas interpretatione veterum Scripturarum sensum quæsisse, non verba; nec magnopere de ordine sermonibusque curasse, dum intellectui res pateret. » Hæc Hieronymus. Ubi pervides in LXX esse negationem, et in Hebraica veritate esse affirmationem, quæ sunt contradictoria. Tamen quæ hic non conciliavit, in commentariis ad cap. Isa. VIII, ad concordiam reduxit : Ait enim : « Unde præcipitur eis ut Dominum audiant, et ipsum solum timeant. Si enim in ipso confisi fuerint, habebunt eum in

A sanctificationem, et non impingent quasi in lapidem scandali, et quasi in petram ruinæ. De hoc loco et Apostolus sumit testimonium, quod Christus Judæis factus sit in scandalum, gentibus autem in stultitiam (*I Cor.* I). Et rursum : *Israel sectando legem justitiæ, in legem justitiæ non pervenit. Quare? Quia non ex fide, sed quasi ex operibus legis, offenderant in lapidem offensionis : sicut scriptum est : Ecce ponam in Sion lapidem offensionis, et petram scandali. Omnis qui credit in eo non confundetur* (*Rom.* IX). En cernis ista duo pugnare : *Erit vobis in lapidem offensionis, et petram scandali : Et non ut lapidi offensionis occurretis, neque et petræ ruinæ.* Sed quando intelligitur, *si in ipso confisi fueritis, non ut lapidi offensionis occurretis*, jam omnia concordant. Ita ad propositum nostrum : Si ab iniquitatibus meis eripuerit me Dominus, non est quod tradar in opprobrium insipienti. Si vero peccata amplector, consequens est ut tra-
B dar in opprobrium insipienti. » Denique cum negatio et Dei nomen nihil distent, si nude scribantur, cui non potuerunt LXX legere אל EL, id est Deus, et non אל, AL, id est *non*, ut sit : *Opprobrium Deus insipienti dedisti me*, quanquam Deus non exprimatur.

VERS. 16. — *Et tabescere fecisti sicut araneam animam ejus.* Hieronymus et ferme cæteri, pro *aranea* ponunt *tineam* sensu haud alieno, licet dictiuncula עש ASCH significet quoque *araneam* sive *araneum*, ut vertit Pellicanus, et versio ex Chaldæo habet. Sed quid est quod ubi habemus *animam ejus*, alii dicunt *desideratum, desiderabilia, pretiosum?* Munsterus nonnihil de suo addidit, *expetibile robur ejus.* Certe si perpenderimus animæ dignitatem, et quanti eam facere debeamus, non est quod aucuperis litteras et syllabas, dum sententiam tenes. Secus dicunt Chaldæus Paraphrastes et Nebiensis :
C Hic, *carnem ejus;* ille, *cujus corpus fractum est.* Verum sequamur LXX, si unitatem diligimus.

Vane conturbatur omnis homo. Nec in Græco, nec in Hebræo legitur *conturbatur.* Et tradit Hieronymus ad Suniam et Fretellam esse de editione quam vocat κοινὴν additum fuisse sub veru in LXX. Nec tamen continuo colligas eradendam esse, meminisseque debemus quod in eodem tractatu dicit : « Et quæso vos, ut hujusmodi ineptias et superfluas contentiones, ubi nulla est sensus mutatio, declinetis. »

VERS. 18. — *Remitte mihi, ut refrigerer.* Hieronymus : *parce mihi ut rideam.* Cæteri, *avertere a me* seu *desine* aut *declina, et roborabor.* De primo, concordia inter *remittere, parcere*, et id genus, claret. De secundo, *ridere, roborari*, non longe sunt a *refrigerio :* quod sub aliis verbis dicit Munsterus, *desine a me*, ut vires recuperem, et si vocula He-
D braica בלג BALAG significet *confortare, ridere, refrigerare*, juxta vocabularium academiæ Complutensis. Quasi vero non consolidatur corroboraturque in homine in uno, qui, remisso crimine, gratiæ cœlestis oleo et refrigerio divinæ misericordiæ gaudet.

PSALMUS XXXIX.

PSALMI TITULUS : « IN FINEM PSALMUS DAVID. »

Exspectans expectavi Dominum. Titulus *In finem psalmus David.* Finis in titulis psalmorum diversis modis accipitur. Aliquando enim Christum significat, aliquando plenitudinem temporis, aliquando Novum Testamentum, aliquando passionem vel resurrectionem Christi. Hic autem pro Novo Testamento accipitur, quod consumat in quod Vetus Testamentum mutatum esse ostenditur, quod Ecclesia longo tempore exspectavit, desiderans Christum, et cum eo Novum Testamentum, in qua exspectatione multa a diabolo sustinuit, occulte et manifeste, a quibus etiam post Christi adventum, et novæ legis perceptionem, penitus immunis non fuit, diaboli insidias omnino non declinans, et aperte et occulte nocentis. [Aug.] Est enim diabolus leo

et draco; leo, cum aperte sævit, ut fecit tempore martyrum, ubi opus est patientia; draco, cum occulte insidiatur, cum scandala movet et tentationes, sicut nunc facit, ubi opus est vigilantia, et magis timendus est cum fallit ut draco, quam cum sævit ut leo. Illic enim cogit, hic docet negare Christum. Inter hæc tamen exspectare non desiit, quousque utrumque recipit. Et est sensus tituli : *Psalmus* iste dirigens nos *in finem*, [Gl. int.] id est in Novum Testamentum consummans, quia agit de mutatione Veteris Testamenti in Novum; attribuitur *David*, id est Christo, qui salvat : quod non facit lex, nec dii gentium, [Gl. int.] qui loquitur in hoc psalmo ex membris, id est ex persona membrorum. Intentio. [Hier.] Monet, relictis cæremoniis legis et idololatriæ superstitione, ad Novum Testamentum accedere. Modus. [Cassiod., Alcuin.] Bipartitus est psalmus. Primo inducit Ecclesiam exspectasse Deum et accepisse eum et ab eo Novum Testamentum, quod et multi secuturi sunt. Unde percutit omnes superstitiones, et invitat ad mirabilia Dei. [Cassiod.] Secundo exponit mirabilia quæ sunt incarnatio, justitia prædicationis, liberatio hominum ab iniquitatibus, confusio inimicorum : lætitia sperantium, ibi, *annuntiavi*. Et quia difficile erat Judæos a consuetis cæremoniis, et gentes ab idololatria revocare ad novum Testamentum, ideo utitur auctoritate antiquorum Patrum, dicens :

VERS. 1. — « Exspectans exspectavi Dominum; « et intendit mihi. »

Exspectans exspectavi. [Cassiod.] Hac geminatione plus intelligitur quam simpliciter diceretur. Exspectat enim qui etiam ingratus est; sed exspectans exspectat qui mitis et cum desiderio exspectat. Et est *exspectans exspectavi*, [Hier.] id est mitis, et cum desiderio exspectavi assidue in Abraham et in aliis patriarchis, atque in promissione prophetarum. [Alcuin.] Ecce auctoritas ab antiquis. Quid? non legem, per quam abundat iniquitas vel delictum; non hominem, [Aug.] qui potest fallere et falli, et qui mecum indiget; non aliud; sed *Dominum* qui salvare potest. Et quid ille? *Et intendit*, non avertit se; sed *intendit mihi*, id est ad utilitatem meam, scilicet ut prodesset. Non dicit intendit me, ut etiam malos intendit, sed non malis. Et est, Dominus fuit intentus et benevolus eis. Postea subdit quomodo intendit, scilicet exaudiendo eos et educendo. Et hoc est :

VERS. 2. — « Et exaudivit preces meas, et eduxit « me de lacu miseriæ, et de luto fæcis. »

Et exaudivit. [Hier.] Qui prophetis se abdidit *preces meas*, a quibus exspectans non cessat. Et quid fecit? *Et eduxit me de lacu miseriæ*, [Aug.] id est de profundo carnalium concupiscentiarum, *de luto fæcis* vel limi, id est de malis operibus, quæ pedes affectuum inquinant, et retinent, et sunt vilia ut fæx, comparatione vini. Vel lacus sunt tenebræ iniquitatum, id est infidelitatis et ignorantiæ; lutum, est carnalis concupiscentia. Et est, et eduxit me

A de lacu miseriæ et de luto fæcis, id est de profundo iniquitatis, et ex carnalibus concupiscentiis. [Gl. int.] Vel per lacum miseriæ et lutum fæcis accipitur infernus, unde eduxit captivos justos, qui ibi tenebantur. Et est, eduxit me de lacu miseriæ, etc.; id est de inferno.

VERS. 3. — « Et statuit supra petram pedes meos, « et direxit gressus meos. »

Et statuit, [Aug.] ut jam ambulem proficiendo *supra petram*, id est Christum, *pedes meos*, [Hier.] id est sensus meos, qui prius cum diabolo erant. [Cassiod.] Nota quia dupliciter dat Deus profutura. Primum educit de miseria sæculi, quæ est lacus et lutum fæcis. Deinde supra petram statuit, cum in præceptis Christi ambulamus, peccata sicut lutum
B laci fetent, et mergunt, petra contra illud lutum est. [Hier.] In lacu vero et luto peccatorum sunt gentes idola colentes, vel omnes terrena amantes, *et direxit*, ne retro aspicerem *gressus meos*, id est operum meorum. Uxor namque Lot aspiciens retro, versa est in statuam salis, et nemo mittens manum suam ad aratrum, et aspiciens retro, aptus erit regno Dei.

VERS. 4. — « Et immisit in os meum canticum « novum, carmen Deo nostro. »

Et immisit, quasi dicat : statuit, direxit; *et sic immisit* prædicationem Novi Testamenti, scilicet *canticum novum*, id est lætitiam de nova gratia, non vetus de lege Moysi. Cantabant enim homines Veteris Testamenti vetus canticum, scilicet oculum pro
C oculo, dentem pro dente, animam pro anima (*Deut.* XI); ad inferos quoque descendebant, occlusa eis regni janua, prohibente cherubim aditum paradisi, in cujus manu erat ignea romphæa (*Gen.* III). [Aug.] Sed homines novæ legis cantant canticum novum, quod homo novus attulit. Novus enim rex, nova lex, nova ecce facta sunt omnia (*Apoc.* XXI). [Hier.] Novus ergo populus, nova cantat de incarnatione Domini, de resurrectione et ascensione, et hujusmodi. Unde in his præcipue solemnitatibus ministri Ecclesiæ induti albis vel sericis ornamentis cantant et legunt, ut novum canticum nemo nisi innovatus cantare præsumat. Canticum, dico, scilicet *carmen* vel hymnum, quod carmen placet *Deo*, [Hier.] quasi dicat : Non est turpe carmen, non theatrale, sed est
D per Novum Testamentum. Deo, inquam *nostro* placet, non alienis diis, [Cassiod.] sed Deo qui noster est per cultum non aliorum.

VERS. 5. — « Videbunt multi et timebunt : et sperabunt in Domino. »

Videbunt, [Aug.] quasi dicat : Hoc quod de prioribus dixit, videbunt multi populi posteri, id est videbunt venisse prædictum Christum, [Hier.] quem priores exspectarunt. [Cassiod.] Vel videbunt multi mirabilia in tempore incarnationis facta. Vel ita : Videbunt multi, [Aug.] sequentes, id est imitando præcedentem populum patriarcharum et prophetarum : *et timebunt* jam sequi malas vias, quia peccatores se intelligent, [Hier.] et facti Christiani *sperabunt* re-

missionem peccatorum *in Domino*, non in præcedentibus, [Aug.] scilicet patriarchis et prophetis, quia solus Deus peccata dimittit. Et

Vers. 6. — « Beatus vir cujus est nomen Domini « spes ejus ; et non respexit in vanitates et insanias « falsas. »

Beatus vir, cujus est nomen Domini spes ejus. Nomen dicit, quod est Salvator. Et est sensus : *Beatus est vir cujus est spes nomen Domini*, id est qui non temporalia sperat ab eo, sed illud quod ejus nomen indicat, [Aug.] scilicet salutem, id est qui ipsum Deum, non aliud ab eo sperat. Et superabundat *ejus*. In Hebræo enim sæpe duplicantur hoc modo genitivi. [Alcuin.] Vel tta ut non abundet *ejus : Beatus vir cujus est nomen Domini.* [Aug.] Hic distingue, id est in quo est laus Dei, ut ab eo solo credat salutem unde et spes ejus est, id est inde est ei spes vitæ. Et, post *non respexit in vanitates*, quo, id est ad quas vanitates plures eunt. [Hier.] Vana sunt terrena, *et non respexit in insanias falsas*.[Cassiod.] Insaniæ sunt iræ, rixæ. Vel insaniæ falsæ sunt idola, quæ fallunt a veritate. Insania ergo mendax est, [Aug.] quia non est quod putatur ; salus verax : Vel insaniæ sunt in spectaculis fallacibus histrionum theatrorum, et in 87 aliis voluptatibus. [Aug.] Ideo enim pluraliter dixit ut accipiatur de omnibus ad voluptatem pertinentibus. Et hoc est, non respexit insanias falsas, quæ sunt in voluptatibus sæculi hujus. [Aug.] Qui vero ista non respicit, habet quod miretur et spectet, quia

Vers. 7. — « Multa fecisti, tu Domine Deus « meus, mirabilia tua ; et cogitationibus tuis non est « quis similis sit tibi. »

[Aug.] *Multa* enim *fecisti*, etc. Vel ita continua. [Cassiod.] Hæc sunt falsa, sed opera tua sunt mirabilia, scilicet cœlum, terra. Hic elidit superstitiones. [Aug.] Et hoc est, *multa fecisti, tu Domine Deus, mirabilia tua* et in corporalibus et in spiritualibus. In corporalibus, et cœlum, terram, et Petrum ambulare super aquas (*Matth.* XIV) ; quod fuit in signo spiritualis miraculi hujus, scilicet quod nos in sæculo, id est in fluctibus sæculi sicco pede ambulare facis. Majus ergo facis quam histrio. Ille enim didicit ambulare in fune ; tu vero facis ambulare supra mare ; *et* hæc fecisti *cogitationibus tuis*, [Gl. int.] id est non alieno consilio, sed tua sapientia. Unde quis consiliarius ejus fuit ? *Et non est qui similis sit tibi :* in illis omnibus nulli auctores artium.

Pars II. Vers. 8. — » Annuntiavi et locutus sum ; « multiplicati sunt super numerum. »

Annuntiavi. Secunda pars. [Alcuin.] Ecce quæ sunt mirabilia, scilicet incarnatio, justitia prædicationis, liberatio hominum ab iniquitatibus, confusio inimicorum, lætitia sperantium. Et nota quia in prima parte rudes et incompositi præparati sunt, ut libenter suscipiant verba Christi. [Aug.] Christus enim loquitur hæc, quæ in secunda parte continentur, partim in capite, id est in persona sua, et partim in membris. Quasi dicat : Multa fecisti mirabi-

A lia, et hæc mirabilia ego *annuntiavi*, dicit Christus, etc. Vel ita continua : Quæ sunt illa mirabilia ? ecce vide mirabilia Dei, annuntiavi prius per prophetas, *et* post *locutus sum* [Cassiod.] egomet, et *multiplicati sunt* mali *super numerum* salvandorum : [Aug.] certus quidem numerus est Jerusalem, id est pædestinatorum, sed super hunc numerum sunt admistæ paleæ, [Gl.int.] id est mali : *Multi enim sunt vocati, pauci vero electi* (*Matth.* XIX). Vel multiplicati sunt super numerum, [Cassiod.] id est super hoc quod aliquis numerare possit. Vel, sic locutus sum, et me loquente, multiplicati sunt super numerum, id est plures quam olim crediderunt.

Vers. 9. — « Sacrificium et oblationem noluisti ;
B « aures autem perfecisti mihi. »

Sacrificium. Quasi dicat : Quæ fuit necessitas loquendi, cum sufficerent legalia ? quia *sacrificium*, quod de animalibus fiebat *et oblationem*, quæ erat de aliis rebus ut de simila, et thure et oleo, *noluisti* ulterius, postquam veritas est exhibita. [Aug.] Ut enim venit res, noluit Deus illa legalia quæ erant quasi verba promittentia : tandiu est promissor donec det. Ut dedit, mutat verbum, non dicit : Dabo, sed : Dedi. Ipso ergo veniente, noluit ea quæ erant ejus figura. Unde in Natali Domini cantatur missa de promissione, scilicet : *Lux fulgebit*, nec repetitur postea de promissionis exhibitione, scilicet : *Puer natus est*, etc. quod iteratur postea. Ecce verborum mutatio. Ibi enim est de futuro promissio, hic de jam nato gratiarum actio. Unde et prophetia ante
C Epistolam eadem die cantatur, ut fit basis sub columna in tabernaculo Domini. Si quis autem dicat adhuc apud Judæos durare illa legalia, quia circumciduntur et quædam hujusmodi faciunt, non est verum. Ablata sunt enim ex maxima parte. Non enim habent regem, neque sacerdotem, neque unctionem, neque ephod, neque cheraphin. [Aug.] Quædam etiam manserunt illis quæ celebrant, ne omnino sine signo remanerent ; sicut enim posuit Deus signum Cain, ut nemo occideret eum. (Erat enim vagus et profugus super terram, et tremebundus capite), ita manet Judæus cum signo circumcisionis, et aliis hujusmodi, et nondum est occisus, habens signum suum. Sed maledictus est Cain a terra, quæ excepit sanguinem fratris sui, quem ille
D effudit. Unde Dominus dixit : *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra (Gen.* IV), id est Judæus maledictus est ab Ecclesia, quæ excepit sanguinem Christi, quem effudit Judæus : et de hac terra clamat ille sanguis ad Deum, dum quotidie in Ecclesia pro hominis expiatione Deo offertur. Sed Judæus qui fudit, surdus non audit spiritualiter. Et hæc sunt mirabilia Dei et cogitationes, quibus nemo est similis. *Aures autem*, vel corpus, quasi dicat : Illa noluisti, sed corpus *perfecisti mihi*, [Alcuin.] id est perfectum dedisti, scilicet sine peccato. Propter hoc illa noluit. Vel, aures perfecisti, id est perfecte fecisti me intelligere quid velles. Vel, secundum aliam litteram, scilicet *corpus autem aptasti mihi.*

Ita ponit Apostolus, in Epistola ad Hebræos, id est corpus aptum ad offerendum mihi dedisti.

VERS. 10. — « Holocaustum et pro peccato non « postulasti : tunc dixi : Ecce venio. »

Holocaustum. [Aug.] Hic exponit priorem versum, et dicit *holocaustum*, quod prius sacrificium *pro peccato*, quod supra oblationem, et secundum hoc est una dictio, pro peccato; proprie tamen holocaustum dicitur quod totum comburebatur; holos enim Græce, Latine *totum;* cauma, id est *incendium ;* inde holocaustum,id est *totum incensum* pro peccato, ut de hirco a Pompeio, id est emissario, qui cum peccatis populi, in desertum mittebatur. Vel ita ut sint duæ dictiones pro peccato. Et est, holocaustum et, id est etiam pro peccato, id est quod pro peccato fiebat, et erat majus et dignius in lege, ut de vitula rufa (*Num*. x), *non postulasti tunc dixi*, quasi quia hæc noluisti, et corpus aptasti, tunc dixi : *Ecce* statim *venio*, [Cassiod.] quia tempus est ut veniant promissa, quia auferuntur promittentia. [Aug.] Cum ergo sacrificia cessent, constat Christum venisse. Venio, quia

VERS. 11. — « In capite libri scriptum est de me : « Ut facerem voluntatem tuam, Deus meus, volui, « et legem tuam in medio cordis mei. »

Ut faciam voluntatem tuam, [Aug.] quia ita *scriptum est de me in capite* hujus *libri* psalmorum, scilicet vel sic scriptum est de me, id est præfinitum, in capite libri, [Alcuin.] id est apud Deum Patrem, qui est caput mei, dicit Christus, qui sum liber humani generis, in quo quisque legere debet, id est qui sum forma justitiæ hominibus. Quid scriptum est ? [Gl.int.] *ut faciam voluntatem tuam* omnino obediens, me offerens. Et, o *Deus meus* ego *volui* istud. (Aug.) Hoc est quod in primo psalmo dicitur; sed in lege Domini facere voluntatem ejus ; *et legem tuam volui in medio cordis*, (Gl. int.) id est in plenitudine cordis mei. (Aug.) Unde et in eodem psalmo dicit : *Et in lege ejus meditabitur die ac nocte*.

VERS. 12. — « Annuntiavi justitiam tuam in ec« clesia magna ; ecce labia mea non prohibebo ; « Domine, tu scisti. »

Annuntiavi. Hæc dicit Christus in membris, [Aug.] id est in persona membrorum, quasi dicat, prius per me locutus sum, post etiam in membris *annuntiavi* aliis *justitiam* esse *tuam*, (Gl. int.) id est quod a te est justitia. Et hoc feci *in ecclesia magna,* (Aug.) scilicet quæ est in toto orbe terrarum, non parva ut fuit prius ; et siquid insurget, timor non prohibet loqui. Et hac est *ecce non prohibebo labia mea* loqui, quasi non habeam in solo corde ut timore taceam. Hoc dicit contra timorem mundanum, *Domine*. Quasi dicat : Et sine simulatione id etiam id agam, quia, Domine, *tu scisti* cor meum. Quasi dicat : Labia sonant hominibus, sed, tu Domine, nosti cor meum. Hoc dicit ne in solis labiis esset annuntiatio, quia *corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*. (Alcuin.) Et dicit hoc

A contra simulationem. Vel sic, non prohibebo, et, o Domine, tu scisti, id est tu es testis quod timor non prohibet loqui. Vel sic, non prohibeho, et hoc per te est, quia tu, Domine, scisti, id est ita prædestinasti futurum, et ad hoc non sum piger, quia

VERS. 13. — « Justitiam tuam non abscondi in « corde meo, veritatem tuam et salutare tuum « dixi. »

Non abscondi in corde meo, [Cassiod.) quando potui prodesse aliis, *justitiam tuam,* vel meam, (Aug.) id est fidem confessus sum, non celato timore, quasi satis sit in corde tenere (Gl. int.) Et dicitur hic contra segnitiem carnis, non abscondi, sed *veritatem tuam*, (Alcuin.) id est promissorum exhibitionem, *et salutare tuum*, id est salvationem tuam
B *dixi*, vel veritatem tuam et salutare tuum, (Aug.) id est Christum, dixi, (Gl. int.) id est prædicavi, nec propter multos consiliantes dimisi. Et hoc est

VERS. 14. — « Non abscondi misericordiam tuam « et veritatem tuam a concilio multo. »

Non abscondi misericordiam tuam, (Aug.) qua ipse peccata dimittit. *Et veritatem tuam* qua ipse retribuit præmia *a concilio multo*, id est propter multos conciliantes.

VERS. 15. — « Tu autem, Domine, ne longe facias « miserationes tuas a me, misericordia tua et ve« ritas tua semper susceperunt me. »

Tu autem, Domine, quia non celavi misericordiam tuam et veritatem tuam, *tu, Domine, ne longe facias*, ne sint sine effectu *miserationes tuæ a me*, (Gl. int.)
C id est noli removere misericordias tuas a sauciis membris tuis, quia *misericordia tua et veritas tua*, (Aug.) scilicet a primo justo, *susceperunt me*. Ne ergo sit inane quod cœpisti. (Rem.) Distingue quod ait *misericordia et veritas susceperunt*,(Aug.) misericordia me suscepit, quia non auderem converti, nisi securus essem de remissione, quasi dicat : Bonus es, et amo te. Veritas suscepit, quia non perseverarem, nisi securus de præmio, quasi dicat : Justus es, et timeo te. Et est sensus : Misericordia tua et veritas susceperunt me, id est amor et timor perducunt me ad te. Quasi dicat : Hæc semper suscipiunt, et semper aspicio. Et opus est,

VERS. 16. — « Quoniam circumdederunt me « mala quorum non est numerus ; conprehenderunt
D « me iniquitates meæ, et non potui ut viderem. »

Quoniam circumdederunt me mala, (Cassiod.) id est peccata *quorum non est numerus* apud homines, quia sunt peccata a nobis et ab alienis (Aug.) Quid ergo si cesset misericordia ? (Gl. int.) Vel circumdederunt me mala, id est pœnæ. Et *comprehenderunt me* ipso actu *iniquitates meæ*, (Aug.) quibus pressus oculus non potest videre, sed mundato corde videbit homo Deum. Unde sequitur : *Et non potui* facere, subaudi *ut viderem*. Quasi dicat : Adeo comprehenderunt me, ut nec per conatum possem te videre, nam

VERS. 17. — « Multiplicatæ sunt super capillos « capitis mei, et cor meum dereliquit me. »

Multiplicatæ sunt iniquitates *super capillos capitis mei*. [Alcuin.] Id est ut superent eos qui sunt capilli capitis, [Aug.] id est fideles qui in Christo sunt radicati, quem et bene vivendo ornant. Vel ad litteram comparative dicitur : Et est, multiplicatæ sunt super capillos capitis mei, id est innumerabiliter. Cave ergo si vitasti gravia, ut adulterium et homicidium, ne obruaris arena minorum peccatorum : minima quidem videntur, sed multa sunt. [Cassiod.] Bene autem in comparatione delictorum capilli dicti sunt. Nam ideo sacerdotes in Veteri Testamento radebandur, ut sic carnis vitia deposuisse viderentur, *et cor meum,* id est ratio *dereliquit me,* quia profutura non appetit. Vel, cor meum dereliquit me, [Aug.] id est cor non agnoscit se, ut cum Petrus dixit : *Non te negabo (Matth.* XXV). Et nota quod ait, dereliquit. Non enim naturaliter fuit in homine hæc cæcitas ; [Gl. int.] sed per peccatum a primo parente cæci sumus, qui in nos transfudit pœnam et culpam. Ergo.

18. — VERS. « Complaceat tibi, Domine, ut eruas « me ; Domine, ad adjuvandum me respice. »

Domine, complaceat,[Cassiod.] id est communiter placeat Trinitati *tibi* uni Deo. Dicendo enim, tibi, singulariter unitatem essentiæ notat : dicendo complaceat, trinitatem personarum. Complaceat dico *ut eruas me* a malis. [Aug.] Et nota quod ait, complaceat, non diffidens de potentia Dei, si adsit voluntas. Quasi dicat : Si tu vis, potes, *Domine,* [illegible] *ad adjuvandum me respice* in boni cooperatione, [Cassiod.] quasi dicat, respice pœnitentes in dolore suo. Respectus autem Dei, auxilium nostrum est.

VERS. 19. — « Confundantur et revereantur simul, « qui quærunt animam meam, ut auferant eam. »

Confundantur. [Cassiod.] Loquitur hic Christus, quasi dicat : Me respice : contra autem *confundantur* mirabili operatione mirabilium, *et revereantur simul* resurrectionis gloria. [Aug.] Et ita factum est, Gavisi enim sunt cum posuit animam, sed confusi, cum eam recepit, *qui quærunt animam meam,* non ut ea fruantur, sed *ut auferant eam* interficiendo me.

VERS. 20. — « Convertantur retrorsum et reve- « reantur qui volunt mihi mala. »

Convertantur etiam *retrorsum,* [Aug.] id est humiles sequantur, qui superbe peribant. Hoc Christus de membris dicit in bono *et revereantur,* non solum qui dicunt vel faciunt, sed *qui volunt mihi mala,* id est qui cum benedicunt, tamen mala volunt.

VERS. 21. — « Ferant confestim confusionem « suam, qui dicunt mihi : Euge, euge. »

Ferant, ut pondus immensum, *confusionem suam confestim* [Cassiod.] ne diutius ingravetur malum eorum, *qui dicunt mihi* adulatorie : *Euge, euge,* id est qui applaudunt mihi, quasi bono animo. [Aug.] Nota duo genera hostium, qui maxime sunt cavendi. Nam et qui bona dicit malo animo : unde supra dixit : *Qui volunt mihi mala ;* et qui mala dicit A dolose laudando : unde hic dicit : *Qui dicunt mihi : euge, euge.* Uterque malus est et cavendus.

VERS. 22, 23. — « Exsultent et lætentur super te « omnes quærentes te, et dicant semper : Magnificetur « Dominus, qui diligunt salutare tuum. »

Exsultent [Cassiod.] quasi dicat : Illi confundantur; econtra exsultent *et lætentur super te* fundati *omnes quærentes te,* [Aug.] scilicet, non me, sed in me te glorificantes, *et dicant : Magnificetur Dominus* [Gl. int.] scilicet in membris suis, qui in se grandescere non potest. [Cassiod.] Hæc est eorum exsultatio. Hæc enim professio in æternum gaudentes effecit Christianos. Magnificetur, [Aug.] dico *semper,* quia si peccator homo est, ad pœnitentiam vocat ; si justus, ad coronam. [Cassiod.] Et ne quilibet hoc dicant, B sed *qui diligunt salutare tuum,* id est me.

VERS. 24. — « Ego autem mendicus sum et pau- « per : Dominus sollicitus est mei. »

Ego autem. [Cassiod.] Hoc dicit Christus de se ex forma servi, ne quis gloriam prædictæ lætitiæ sibi arroget. Illi ita dicant, Ego autem, cui dicebant : Euge, euge, de me hoc dico, scilicet quod *mendicus sum* secundum quod homo. Mendicus est, qui ab alio petit, *et pauper* qui sibi non sufficit ; sed *Dominus sollicitus est mei,* id est habet curam mei. Vel ita : [Aug.] Ego autem, ut de membris agatur, quasi dicat : hoc dicant de te semper : Magnificetur Dominus, etc. De se autem hoc dicant : Ego autem mendicus et pauper, id est non est quod in me laudetur, ex me egenus sum et pauper, ut publicanus qui non audebat oculos levare ad cœlum cum quo dico : C *Propitius esto mihi peccatori* (*Luc.* XVIII.) Non sum dives, quia non superbus ut Pharisæus qui dicebat : *Non sum sicut cæteri hominum,* etc. (*ibid.*) sed, Dominus sollicitus est mei.

VERS. 25. — « Adjutor meus et protector meus « tu es : Deus meus, ne tardaveris. »

Adjutor meus, [Aug.] Hic orat totum corpus Christi, unus mendicus cum Christo, et unus pauper. Quasi dicat : Ego sum pauper, et, o Domine, adjutor meus *et protector meus tu es,* [Gl. int.] quasi dicat, de hoc constat. Hoc vero quod sequitur peto, *Deus meus, ne tardaveris,* [Aug.] id est fac ne diu simus in malis, sed cito fini, maxime in tempore Antichristi, quando erit tanta tribulatio, ut etiam si fieri potest, moveantur electi (*Matth.* XXIV). Unde : D *Nisi breviati fuissent dies illi, non salvaretur omnis caro,* et tunc erit *væ prægnantibus et nutrientibus* (*ibid.*) ; vel de præsenti potest accipi hoc sic : Deus meus, ne tardaveris modo nobis auxiliari, quia et modo est væ prægnantibus, id est concipientibus desideria alienarum rerum, et latrantibus, id est qui jam quæsita nutriunt.

COLLATIO IN PSALMUM XXXIX : « EXSPECTANS EXSPECTAVI DOMINUM. »

VERS. 6. — *Beatus vir, cujus est nomen Domini spes ejus.* Hebr. *Beatus vir qui posuit Dominum spem suam.* Perpusillum quidem interest ad sententiam, tamen notum est LXX legisse שם SCHEM, id est *nomen,* ubi alii legunt שם SAM, id est *posuit.*

VERS. 7. — *Multa fecisti, Domine Deus meus, mirabilia tua, et cogitationibus tuis; non est qui similis sit tibi.* Hieronymus : *et cogitationes tuas pro nobis, non invenio ordinem coram te*; Pellicanus : et *cogitationes tuas ad nos, non est qui pertinguat ad te*; Pratensis : *et cogitationes tuæ erga nos, non est comparatio tibi*; Nebiensis : *non est proportio ad te*; Sanctes : *et cogitationes tuas pro nobis non est ordinare tibi*; Munsterus : *sicut et cogitationes tuæ quæ sunt erga nos, et nemo est qui ea*, subaudi mirabilia, *ordinet ad te*; interpretes pro Cajetano, captivæ litteræ, plus æquo, suo more inhærentes, *multa fecisti, tu Domine Deus meus, separata tua, et cogitationes tuas nobis, non æstimando ad te.* Hebræum pressius est. Ob id paraphrasis potest circuire hunc aut illum sensum, nostrum tamen satis est vindicare. Nam Campensis dicit : *cogitationes quibus sedulo curas nos, tam sunt multæ et mirabiles, ut nemo hominum intelligere queat, quantum tibi debeat pro illis.* Sed Chaldæus brevius et aliter : *Non est*, inquit, *possibile ordinare laudem tuam.* Primum ומחשבתיך UMACHSSEBOTHECA, quod potest verti *et cogitationes tuæ*, aut *tuas*, aut *tuis cogitationibus*, juxta diversum respectum. Deinde אלינו ELENU, id est *ad nos*, *erga nos*, vel *pro nobis*, juxta exigentiam. Item אין ערוך EN AROC, id est *sine comparatione*, perinde quasi diceres : cogitationes tuæ si comparentur ad nos vel nostras, nullam habent æquationem seu proportionem : quem sensum aperte sonat lectio nostra, *cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi.* Hinc translator ad Campensem, *consilia tua apud nos exemplo carent.*

VERS 8. — *Annuntiavi et locutus sum; multiplicati sunt super numerum.* Hieronymus, *si narrare voluero, et numerare, plura sunt quæ ut narrari queant.* Alii eodem tendunt. Hebræus sic habet, אגידה ואדברה עצמו מספר AGUIDAH VAADABERAH ATZMU MISSAPER. Quod est etiam ad verbum, *narrabo*, et *loquar, multiplicati*, aut *multiplicata sunt*, (indiscriminatim potest dici) *super numerum*, vel *a numerando*, ut nostra editio referat multiplicationem ad homines. Aliorum versiones, *ad mirabilia Dei.* Quod novissimum probant Faber et Cæcus, eatenus autem quatenus damnent Latinam editionem incongruitatis et depravatæ intelligentiæ. Talium censorum nænias temerarias plane refellit expositio. Hier. in eumdem versiculum, cui et accedit August. *Multiplicati sunt super numerum*, Judæi in malitia sua. Vel *super numerum*, hoc est peccatores super numerum, et foris super numerum sunt, quia non sunt digni numerari in numero justorum. Non enim secundum hanc interpretationem, multiplicati, respicit mirabilia quæ in præcedenti versu erant, sed id quod proxime præmittitur. Annuntiavi, etc. Quod

A aperte tradit Hier. ibidem dicens : Hinc ipse Dominus ad patrem ita exorsus est, dicens : *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum* (*Matth.* III). Postea ostendit quod nihilominus multi super numerum remanserint increduli. Scio tamen alteram sententiam habere dignitatem sui sensus. Utraque igitur sana est. De varia versuum partitione hic et alicubi semel et iterum pertractatum est causis redditis.

Aures autem perfecisti mihi. LXX vertunt σῶμα, id est corpus, et idem citat Apost. Hebr. X. Eadem est intelligentia. Nam ex perfecta obedientia, quæ convenientissime per aures intelligitur, Christus corpus habuit mortale, ut per partem totum intelligas, et per eam quæ pondus rei afferret, quod Hebr. etiam dicunt אזנים כרית לי OZNAIM CARITHA LI, *aures fodisti* aut *aptasti mihi.*

VERS. 11. — *In capite libri scriptum est de me,* B Hebr. במגלת ספר BIMGILLATH SEPHER, id est in volumine libri. Prior dictio proprie significat chartam complicatilem. Unde LXX verterunt in capite, quasi a primo folio, mox ut liber cœperit volui, invenies scriptum de me, atque idipsum amplius clarescit ex Hieron, et August. explanationibus, a quibus petere poteris, quanquam si opus foret, ostendere possemus ex Hebr. particulam illam non absone accipi quoque pro capite, propterea quod ab eadem pene radice desumitur significatio capitis et voluminis, videlicet גלל GALAL, id est *gyravit*, *voluit*, *complicuit*. Nam גלגלת cranium testamque capitis significat, et aliquando pro toto capite, ob sphæricam figuram, accipitur.

VERS. 18. — *Ad adjuvandum me respice.* Hieron. et alii vertunt festina. Nam Hebr. dicitur חושה TUSCHAB, et tamen ipse Hieron. probat quod LXX dixerunt, *respice*, satisfaciens enim Suniæ et Fretellæ quod in Græco legissent σπεῦσον, id est festina, re- C spondit. Sed apud LXX πρόσχες scriptum est. Unde, prudens lector, perspicere potest quod si antiqua magis conveniant cum Hebraïca veritate, quam cum LXX non statim consequens esse, ut debeant eradi; præsertim ubi damnum non est in sensu.

VERS. 21. — *Ferant confestim confusionem suam.* Neoterici Hebraïcatores pro *confestim* dicunt *mercedem*, ut sit, *desolentur propter mercedem pudoris* sive *confusionis.* Hoc tamen gratis faciunt, quia עקב EQUEB est ambiguum ad *calcaneum*, *finem*, et *præmium.* Et ita super calcaneum seu finem recte intelligitur velociter aut confestim, quomodo acceperunt LXX. Ad quod alludit versio Hier. : *pereant post confusionem suam.* Hinc et interpretes pro Cajetano transtulerunt, *destituuntur super calce confusionis suæ.* Tandem utcunque legas, sententia videtur eodem respicere.

PSALMUS XL.

PSALMI TITULUS : « IN FINEM PSALMUS DAVID (*vel sicut Hieronymus transfert* :) IN FINEM INTELLECTUS FILIIS CORE. »

Beatus qui intelligit. Titulus. *In finem psalmus David*, vel sicut Hier. transfert *in finem intellectus filiis Core.* Ista sententiola *vel sicut Hier. transfert*, etc., est adjectitia. Nam alium codicem manu descriptum vidimus in quo non habetur, cum etiam ipse Hier. neque tomo VIII, neque in versione juxta Hebr. talem titulum ponat. Consimiliter nec LXX; sed hic titulus habetur in Haymone : unde forsan quispiam posuit Hier., loco Haymonis. Idem habetur mendum in glosa ordin. Core sicut legitur,

D in lib. Numeri XVI, cum Dathan et Abiron movit seditionem contra Mosen et Aaron. Unde Dathan et Abiron cum omni familia sua vivi absorpti sunt a terra. Core vero, et cum eo CCL, qui thuribula acceperant, ut adolerent incensum in conspectu Domini, divino igne perempti sunt, quia officium Aaron et filiorum ejus sibi usurpaverant (*Num.* XXVI). Fuerunt autem quidam filii Core qui patris nequitiam non sunt imitati. Unde et postea a David in ministerium domus Domini sunt assumpti, et a Domino æterno gaudio benedicti. Propter quod etiam in titulis psalmorum sæpe fit mentio eorum, maxime tamen propter nominis interpretationem,

89 ex qua spiritualis intelligentia psalmi accipitur ut hic. [Hier.] Core enim interpretatur *calvaria*, qui fuit locus Dominicæ passionis. Unde per calvariam, Christi passio intelligitur. Legitur id in tomo IV in quadam expositione psalmi XLI, quæ non tribuitur Hieronymo; hoc etiam divus Augustinus in titulo sequentis psalmi, et idem habet Hieronymus infra psalm. LXXXIV. Filii ergo calvariæ sunt filii passionis, filii crucis, qui in cruce Domini nostri Jesu Christi gloriantur cum Apostolo dicente : *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi* (*Gal.* VI). Et his talibus hujus psalmi intellectus attribuitur, qui credunt Christum, et si pauperem et mortuum esse, tamen verum Deum. Et hoc est, *intellectus* psalmi hujus, tendens *in finem*, id est in Christum, attribuitur *filiis* Core, id est filiis crucis. Intentio. Monet ut si Christus et pauper et passus, credatur tamen Deus. [Cassiod.] Modus. Tripartitus est psalmus. Primo propheta intelligentem *super egenum et pauperem*, divina laude concelebrat. Secundo Christus de sua passione agit, quæ secundum egenum fuit, ibi : *Inimici mei*, etc. Tertio agit de resurrectione, quæ est gloria egeni ad confirmandam spem fidelium, ibi : *Tu autem Domine*. Et notandum quia in hoc psalmo vox est totius Christi, id est capitis et corporis, quasi unius hominis. Quædam enim verba hujus psalmi, capiti conveniunt, quædam membris, quædam prophetæ. [Hier.] Prius Propheta loquitur a se in persona sua. Postea inducit Christum loquentem, et in membris et in se; in membris, ibi : *Ego dixi*; in se, ibi : *Inimici mei*, etc., ait ergo Propheta :

VERS. 1. — « Beatus qui intelligit super egenum « et pauperem; in die mala liberabit eum Domi« nus. »

Beatus qui intelligit, [Aug.] quasi dicat : Irridetur qui pauperem mortuum colit, sed *beatus* est in æternis *qui intelligit* Christum, et si videt eum egenum esse *super egenum et pauperem*, [Hier.] quia et Deus est, qui sic credit hominem ut etiam intelligat eumdem Deum esse. Potest etiam hoc accipi de membris Christi. [Aug.] Intendendum quippe est super egentes, ut eis detur, quod et ad eum pertinet. Et hoc est : *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem*. Et nota quod non ait, qui dat, sed qui intelligit, ut etiam non petentibus detur. [Cassiod.] Qui enim petenti dat, bene facit quidem; qui vero tacentem intelligit, beatus sine dubio est. Unde beatus qui præoccupat vocem petituri; *in die* exponit hic beatitudinem : in die *mala*, id est judicii, *liberabit eum Dominus*.

VERS. 2 — « Dominus conservet eum, et vivificet « eum et beatum faciat eum in terra; et non tradat « eum in animam inimicorum ejus. »

Dominus conservet eum et vivificet, [Aug.] bene optat hic Propheta intelligenti super egenum et pauperem, quod est certa promissio; (Cassiod.) quasi dicat : In futuro liberabit, interim autem, A Dominus conservet eum, inter mala sæculi, (Hier.) ne ab hoc intellectu cadat; sed in hoc manentem vivificet. Unde sequitur *vivificet eum*, (Aug.) in futura vita, vel hic per justificationem. Et ne putent sibi tantum in futuro dari, et hic negligi, subdit, *et beatum faciat eum in terra*, id est in hac vita. Et bene in præsenti et in futuro promittit bona, (Gl. int.) quia pietas promissionem habet vitæ quæ nunc est et futuræ; *et non tradat eum id animam*, id est in voluntatem, et si in manus *inimicorum ejus*, (Aug.) id est diaboli et ministrorum ejus.

VERS. 3. — « Dominus opem ferat illi super lectum « doloris ejus; universum stratum ejus versasti in « infirmitate ejus. »

B *Dominus opem*. (Cassiod.) Ne putes hic beatum habere requiem, dolores ejus mitigari precatur, ne hominis infirmitas duris superetur. Quasi dicat : Non tradat eum, sed potius *Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus*. Quasi dicat : Lectus quietis, sunt ista bona temporalia, sed Deus facit hæc doloribus plena, ne in eis spes habeatur. Et ideo hic dicit, super lectum doloris ejus. (Aug.) Cur ergo, Deo opem ferente, tanta patiuntur? convertens iste sermonem ad Deum, exponit consilium medicinæ ejus dicens : *Universum stratum*, quasi dicat : Bene dixi, lectum doloris universum stratum ejus, hominis, id est mundanam felicitatem, *versasti in infirmitate ejus*, id est provide convertisti in angustias ejus. Stratum enim est aliquod terrenum, quod infirmus, licet bonus, sibi eligit in quo C pauset, ut uxor, filii et cætera licita, cum laborem mentis in Deum extensæ non possit assidue tolerare, sed Deus volens nos non habere amorem nisi æternæ vitæ, his delectationibus miscet amara, et vertit in infirmitatem nostram, ne via qua peregrinamur a Domino, stabulum ubi Samaritanus mandat vulneratum curandum qui incidit in latrones (*Luc.* X), amemus pro domo æternæ habitationis. [Cassiod.] His autem trepidus iste misericordiam petit, quia qui se peccasse sciebat, his jure tradi timebat. Unde subdit :

VERS. 4. — « Ego dixi : Domine, miserere, mei : « sana animam meam, quia peccavi tibi. »

Ego dixi. Quasi dicat : Versasti, sed *ego* sciens me peccasse *dixi; Domine, miserere mei*. [Aug.] D Hoc dicit Christus caput in membris. Miserere ita : *Sana* per flagella *animam meam*, quoniam nullo modo excuso peccatum, sed accuso dicens : *Quia peccavi tibi*, non accuso fortunam, non dico : Hoc mihi facit fatum; non dico : Adulterum me fecit Venus, et latronem Mars, et avarum Saturnus. Nota quia versiculus iste cantatur in Tertia, quia fide et operatione Trinitatis sanatur anima a peccato. [Cassiod.] Sed ne famuli Dei his afflicti ideo videantur a Deo deserti, cum ipse Dominus talia pertulerit, unde dicit : *Inimici mei dixerunt*, Et dicit hoc Christus in se. Vel aliter ab illo loco, *Dominus opem ferat illi*. [Aug.] Et dicitur lectus doloris, caro in qua peccatum est, in quo pius ge-

mit tanquam paralyticus in lecto, impius gaudet. Et est, *non tradat*, sed potius, *super lectum doloris ejus*, id est super infirmitatem carnis, quæ gravat animam. [Hier.] Dominus opem ferat illi, ut quasi sanatus paralyticus portet lectum imperando, carni non serviendo. Sed unde dolor? quia universum stratum ejus. [Alcuin.] Universum stratum dicit vegetationem et sensualitatem, quæ in paradiso erat subjecta rationi, et lectus lætitiæ et quietis, vel propter peccatum versavit Deus per contrarium, ut modo impugnet et dolores inferat. Et hoc est, *universum stratum ejus versasti*, id est, sensualitatem rationi repugnare permisisti. Et hoc in infirmitate ejus, hominis, [Alcuin.] id est quando Adam infirmatus est prævaricando. [Aug.] Sciens autem homo se pati hoc propter peccata, convertat se et dicat : *Ego dixi, Domine miserere mei, sana animam meam quia peccavi tibi.*

PARS. II. VERS. 5. — « Inimici mei dixerunt mala « mihi : Quando morietur et peribit nomen ejus ? »

Inimici mei. [Csssiod.] Secunda pars, ubi Deus agit ipse de passione sua, quæ secundum egenum fuit. Quasi dicat : *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem.* Sed, inimici mei, quando viderunt paupulum post Jesum ire, *dixerunt mala*, [Aug.] id est falsa *mihi*, hæc scilicet, *quando morietur*, et hoc dicunt, quia seditiosus erat eis, et gravis ad videndum (*Sap.* II). Timebant etiam ne ipsi perderent locum et gentem ; *et peribit nomen ejus*, ut non sit de eo fama. Et nota quod dicunt morietur, et peribit nomen ejus quia, videntes eum mori, scient se in eo falso sperasse populum, ut illi maledicunt. Hæc specialiter dicta sunt de Christo, sed et de membris dici possunt. Nam hodie fit tribulatio, ut nomen Christi, exstinguatur, sed per mortem suam et suorum magis crevit Ecclesia. Unde : *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet ; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert* (*Joan.* XII). Et alibi : *Singulariter sum ego, donec transeam* (*Psal.* CXLVIII).

VERS. 6 — « Et si ingrediebatur ut videret, vana « loquebatur ; cor ejus congregavit iniquitatem « sibi. »

Et *si ingrediebatur*. [Alcuin.] Quasi dicat : Non solum aperti inimici ; sed etiam qui simulabant se amicos esse dixerunt mala. (Aug.) Et hoc est, et si ingrediebatur, aliquis ut Judas, quod erat *ut videret*, id est exploraret, sic et de subintroductis falsis fratribus ait Apostolus : *Qui subintroierunt explorare libertatem nostram* (*Gal.* II), *vana* id est ficta, *loquebatur*, et *cor ejus congregavit iniquitatem*, (Gl. int.) parans calumniam, quam ibi deberet deponere. Et hoc *sibi*, (Aug.) id est malum suum, quia sibi nocet, mihi non. Et quia intravit ut videret.

VERS. 7. — « Egrediebatur foras ; et loquebatur « in idipsum. »

(Cassiod., Gl. int.) *Egrediebatur* a sinu veritatis, vel de amicitia quam simulabat, *foras*, id est ad contrarios, vel ut fieret apertus inimicus. (Cas-

A siod.] Ecce malus est ingressus, et malus agressus *Et loquebatur in idipsum*, [Gl. int.] scilicet vanitatis, id est falsa et vana.

VERS. 8.—« Adversum me susurrabant omnes ini- « mici mei, adversum me cogitabant mala mihi. »

Adversum me, [Cassiod.] Quasi dicat : Non modo ingredientes, sed et *omnes inimici mei*, cum soleant pauci esse actores scelerum, *adversum me susurrabant*, in auribus invicem murmurando. Non enim audent consilia detegere, qui socii sunt in scelere. [Aug.] Vel ita distingue litteram : *Egrediebatur foras et loquebatur*. Hic distingue, nec mutatur sensus ; *in idipsum*, in uno consilio : *Omnes inimici mei adversum me susurrabant, et adversum me cogitabant mala mihi.* (Gl. int.) Si quis amplius B alio inveniret, mala dico mihi, (Aug.) secundum quod intendunt, cum potius sibi mala essent tandem.

VERS. 6. — « Verbum iniquum constituerunt ad- « versum me : nunquid qui dormit non adjiciet ut « resurgat ? »

Verbum iniquum constituerunt adversum me, (Cassiod.) scilicet *expedit ut unus moriatur pro populo* (*Joan.* XI), etc. *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris* (*Joan.* XIX). Isti sunt mali coloni, qui occisis servis deliberant occidere filium patrisfamilias, dicentes : *Occidamus eum, et habebimus hæreditatem ejus* (*Matth.* XXI). Ipsi ita, (Aug.) sed *nunquid* qui habet potestatem ponendi animam suam, nonne habet et resumendi eam ? (*Joan.* X.) Et hoc est, C *nunquid qui dormit*, non quidem mortuus est necessitate, vel invitus ut putatis, sed sponte dormit, cito evigilaturus, *non adjiciet ut resurgat*. Et nota quod ait, dormit, quia sicut de latere dormientis Adæ, qui erat forma futuri, assumpta est costa, de qua formata est Eva, ita dormivit Christus somno mortis, ut de latere dormientis, de quo profluxerunt sanguis et aqua, quæ sunt nostræ redemptionis sacramenta, formetur ei sponsa Ecclesia.

VERS. 10. — « Etenim homo pacis meæ, in quo « speravi ; qui edebat panes meos magnificavit su- « per me supplantationem. »

Etenim. (Cassiod.) Quasi dicat : Et unde dormitio illa ? ex traditore. *Etenim homo* vel ita junge, *verbum iniquum constituerunt*, quia etiam *homo* D *qui intingit mecum manum in paropside* (*Matth.* XXVI), (Alcuin.) per quem eis illa opportunitas datur crucifigendi me. Et hoc est, etenim homo *pacis meæ*, scilicet Judas. (Aug.) Ecce prophetia de osculo quo tradidit eum. *In quo speravi*, ut visum est. Vel, speravi, secundum quod merueram. (Cassiod.) Vel, in quo speravi, in membris, (Gl. int.) quia alii fratres sperabant in illum aliquid, quia talis videbatur ut cæteri : (Aug.) sic esurire in pauperibus dicit Christus se, et *qui edebat panes meos* (*Joan.* XIII). Ecce prophetia de buccella qua eum Dominus designavit. (Cassiod.) Vel, edebat panes meos, id est, doctrinam cum aliis *magnificavit*, id est magnificam fecit *super me supplantationem*, 90

id est deceptionem. [Aug.] Vel secundum litteram, A *ampliavit super me calcaneum*, id est erexit pedem ut me conculcaret.

PARS. III. VERS. 11. — « Tu autem, Domine, miserere mei et resuscita me ; et retribuam eis. »

Tu autem, Domine, miserere mei. [Cassiod.] Tertia pars, ubi agit de resurrectione quæ est gloria egeni ad confirmandam spem fidelium. Quasi dicat : Illi ita ; *tu autem, Domine, miserere mei,* [Aug.] qui sum egenus et pauper. Nota quia Christus petit, ut homo, qui, ut Deus, facit quod petit. Miserere, *et* in hoc *resuscita me, et retribuam eis* in præsenti, ut dispergantur in futuro, ut damnentur. Quod enim dispersi sunt per mundum, ad admonitionem est, nondum ad damnationem : quod vere facies.

VERS. 12. — « In hoc cognovi quoniam voluisti B me quoniam non gaudebit inimicus meus super me. »

In hoc cognovi quoniam, [Gl. int.] id, est quod semper placui tibi, *cognovi quoniam non gaudebit inimicus meus super me,* [Aug.] id est quod me resuscitabis, unde non gaudebunt. Gavisi sunt enim de morte, sed erubuerunt de resurrectione. Vel ita, in hoc cognovi quoniam non gaudebit inimicus meus super me, [Cassiod.] id est quoniam resuscitasti me. Cognovi quoniam voluisti me, id est diligis me. In hoc enim quod resuscitat, apparet Patris dilectio.

VERS. 13. — « Me autem propter innocentiam suscepisti, et confirmasti me in conspectu tuo in æternum. »

Me autem [Alcuin.] Hic affirmat quod oravit ; *me* C *autem propter innocentiam,* [Aug.] id est quia sine peccato sum,*suscepisti* in resurrectione. [Hier.] *Et confirmasti me* gloria impassibilitatis [Cassiod.] Unde dicitur : *Mors illi non dominabitur* (*Rom.* VI). Confirmasti, etiam dando nomen, quod est super omne nomen (*Philip.* II). Confirmasti, dico, *in conspectu tuo in æternum.* [Aug.] In conspectu hominum et ad tempus, me infirmasti prius.

VERS. 14. — « Benedictus Dominus Deus Israel a sæculo et in sæculum : Fiat, fiat. »

Benedictus Dominus. [Cassiod.] Hic est laudativa conclusio, exposita passione et resurrectione. Quasi dicat : Suscepisti, confirmasti, unde laus tibi. [Gl. int.] Et hoc est, benedictus, sit *Dominus* cui debetur dulia (75). *Deus,* cui debetur latria. Deus dico, D *Israel,* id est videntium se, qui non sunt Judæi, sed nos qui sumus minor filius, id est minor populus, non fide sed tempore, cui servit major, scilicet populus Judaicus, major tempore. [Aug.] Judæi enim sunt capsarii nostri, qui nobis codices portant ; nos autem Israel. Aliter putassent pagani ficta quæ dicuntur de Christo et de Ecclesia, sed vincuntur testimonio inimicorum. Benedictus dico, *a sæculo et in sæculum,* [Cassiod.] id est, ex quo omnia cœpta sunt administrari usque in sæculum futurum, ubi jam omnia æterna sunt. *Fiat*, *fiat*. Geminatio ista ostendit hoc ab omnibus esse faciendum. [Hier.] Pro *Fiat, fiat,* in Hebræo scribitur, *amen, amen* quod Aquila *vere,* id est *fideliter* transtulit. Hic dicit Hieronymus primum librum Psalterii finiri.

COLLATIO IN PSALMUM XL : « BEATUS QUI INTELLIGIT SUPER EGENUM ET PAUPEREM. »

VERS. 1. — *Super egenum et pauperem.* In Hebr. tantum habetur, *Super pauperem.* Sed LXX potuerunt addere *egenum,* si potuit Munsterus addere : *Beatus qui prospicit oppresso infirmitate,* ad vehementiam significantiæ vocabuli דל DAL.

VERS. 7. — *Egrediebatur foras et loquebatur in idipsum.* Novissimam particulam referunt Hebr. ad sequentem versum, *in idipsum,* id est *simul adversum me susurrabant.* Quod amplexatur Faber, aliam distinctionem quasi irridens : « Quis enim, ait, hic sensus esset, *egrediebatur foras et loquebatur simul?* » Si Stapulensis advertisset tropum loquendi Scripturæ, quæ sub uno plures comprehendit, non tam inimico animo, invectus fuisset in lectionem Latinam. Unde textus D. Augus. et psalmodia Romana habent in plurali, quanquam sequantur lectionem Hebraicam. In Hebr. tamen *ingredi, egredi, loqui,* leguntur singulariter. Inlelliguntur quidem de inimicis Christi, sed singulariter et peculiariter de Juda proditore. Quare Munsterus, in præcedenti versu, *et si ingrediebatur ut videret,* vertit *et si veniat* supple aliquis eorum, *ut videat*. Quomodo autem Judas proditionem apud sese tractaverit, ut verum sit quod loqueretur in idipsum, Evangelium aperte testatur : *Cum diabolus misisset in cor Judæ,* etc. (*Joan.* XIII). Cæterum aliquoties admonuimus partitiones versuum sæpius variare, sed et diastolas, quod etiam liquet ex præcedenti versiculo. Quidam enim jungunt cor ad præcedentia, quidam ad sequentia, *et si ingrediebatur ut videret vana loquebatur cor ejus.* Vel sic, *cor ejus congregabit iniquitatem sibi.* Secundam lectionem sequitur Magister.

VERS. 9. — *Nunquid qui dormit non adjiciet ut resurgat ?* LXX per interrogationem, epithasim rei excitant, ubi Hebræi simplici dictione legentes quasi frigent, *qui dormivit non adjiciet ut resurgat,* ut sint verba Judæorum, Christi resurrectionem negantium. Prior sententia est exprobrativa perfidiæ eorum.

PSALMUS XLI.

PSALMI TITULUS : « IN FINEM INTELLECTUS, *vel* INTELLECTU FILIIS CORE. »

Quemadmodum, etc. Titulus *In finem intellectus, vel intellectu filiis Core.* Core, sicut supra diximus, *calvaria* interpretatur (76), qui fuit locus Dominicæ passionis quæ in Calvaria facta est. Filii ergo Core, sunt filii calvi, id est Christi in calvo Eliseo præsignati. Dum Eliseus ascenderet de Jericho in Bethel egressi sunt de Bethel XLII pueri, irridentes Eliseum, et dicentes : *Ascende, calve, ascende,*

(75) Hic accipitur dulia ut in psal. VIII annotatum est.
(76) Hier. in psalm. XXXIII.

calve ! Tunc jussit Eliseus duos ursos exire de saltu, a quibus pueri interfecti sunt (*IV Reg.* II) : ita et Christus, cum ascenderet in Bethel (77), id est cum carne assumpta veniret ad Synagogam, quæ prius erat *domus Dei*, quod sonat Bethel, irrisus est a parvulis : *Ascende, calve*, clamantibus, id est Judæis puerili fatuitate clamantibus : *Tolle, tolle, crucifige eum !* (*Joan.* XIX.) qui devorantur a duobus ursis (78), id est a diabolo et angelis ejus, vel a Tito et Vespasiano, quos Deus ad destructionem Judæorum misit XLII anno post Christi resurrectionem, sicut illi pueri quadraginta duo fuerunt a duabus bestiis devorati. [Aug.] Filii ergo Core sunt qui trophæum Christi, id est signum crucis in fronte cordis et corporis susceperunt, quibus attribuitur psalmus iste. Et est sensus tituli : *Intellectus* hujus psalmi dirigens nos *in finem*, id est in Christum, convenit *filiis* CORE, id est crucis quæ in Calvaria fuit. Vel secundum aliam litteram, quæ est in intellectu, et subauditur psalmus, [Hier.] ita psalmus iste dirigens nos in finem, convenit filiis Core, id est Christi, in intellectu, id est ut spiritualiter intelligant. Convenit enim hic psalmus omni Christiano, qui flamma divinæ charitatis accenditur, de qua re, id est de charitate Dei, hic psalmus primus est (79). Sequuntur autem alii duo, scilicet octogesimus tertius et centesimus tricesimus tertius. (Hier.) Et est psalmus iste contra tristitias sæculi, ne nos a Deo retrahant, ubi est vox fidelis Deum desiderantis, qui degerat in vitiis, et ad fontem baptismi tendit (80) ; vel qui exhaustis vitiis ad contemplationem Dei ascendit, qui exquisito cervi exemplo desiderium suum ostendit, cui obviat malorum insultatio. Sed ne tristitia sæculi, animum in desperationem traheret, vel tædium, postea consolatur animam suam. Intentio. Monet ne sæculi tristitiæ quemquam retrahant a sancto desiderio. (Cassiod.) Modus. Bipartitus est psalmus. Primo, omne desiderium hujus fidelis dicitur esse ad Deum. Secundo agit de perturbationibus, [Aug.] contra quas ratio confortat sensualitatem spe Dei, ibi, *quare tristis es*, etc. Ostendens ergo desiderium suum, ait :

VERS. 11. — « Quemadmodum desiderat cervus « ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad « te, Deus. »

Quemadmodum desiderat cervus. [Aug., Alcuin., Hier., Gl. int.] Et convenit hæc vox catechumenis, et etiam omnibus fidelibus adhuc peregrinantibus. Quemadmodum desiderat cervus. Ecce exquisita cervi similitudo. Nam cum secundum multas alias proprietates, cervus fideli conferatur, ob hanc velut excellentiorem et expressiorem, hic in comparationem adducitur. Cervus enim senio gravatus, excrescentibus pilis atque cornibus, serpentem trahit. Quo tracto naribus veneno æstuat, unde fontem

A ad bibendum ardentissime desiderat. Quo hausto, cornua et pilos deponit : quod fideli recte convenit, et catechumeno et perfecto, sed diverso modo. Catechumeno enim hæc de cervo adaptatur ita similitudo, quia sicut cervus tracto serpente æstuans fontem quærit, ut æstum exstinguat, ita catechumenus veneno vitiorum a terra contractorum, se æstuare agnoscens, fontem baptismi quærit et desiderat, ubi vitiorum pilos atque superbiæ cornua deponit, et sic rejuvenescit factus novus homo. [Hier., Aug., Cassiod., Gl. int., Aug.] Perfecto autem hoc modo convenit, quia sicut cervus trahit serpentem, et tractum interimit, quo interempto, fontem causa bibendi quærit : ita fidelis consumptis in se vitiis et peccatis, fontem contemplationis

B desiderat, ubi reficiatur. Uterque tamen et perfectus et catechumenus, ad eumdem tendit fontem, scilicet Christum, qui est fons aquarum viventium. Et hoc est, quemadmodum cervus, tracto serpente, desiderat, venire *ad fontes aquarum*, ut rejuvenescat, *ita desiderat anima mea ad te Deus*, dicit catechumenus. Vel ita, ut perfecto conveniat, quemadmodum cervus, perempto serpente, desiderat venire ad fontes aquarum, ita consumptis vitiis, desiderat ardenti desiderio, amplius quam ante anima mea, venire ad te, Deus.

Nota quod quia hic agitur de catechumenis fontem baptismi petentibus, ideo hic psalmus in Sabbato Paschæ et Pentecostes cantatur, cum sacramentum baptismi celebratur. Quia vero etiam de

C perfectuis Deum videre cupientibus agitur, ideo in exsequiis mortuorum cantatur. Quod enim ante desideraverant, tunc habent.

VERS. 2. « Sitivit anima mea ad Deum fontem « vivum ; quando veniam et apparebo ante faciem « Dei ? »

Sitivit. [Aug., Hier., Cassiod., Hier., Aug., Hier., Aug.] Hic determinat desiderium suum quia poterat cervus desiderare fontem, intellige, causa bibendi, vel lavandi. Et ostendit quia maxime causa bibendi fontem desiderat, quasi dicat, desiderat anima mea ad te. *Sitivit*, inquam, et olim, non modo primum, *anima mea ad Deum fontem*, vel fortem, id est Christum, qui est fons aquarum irriguus, unde omnia bona fluunt ; *vivum* non ad mortua simulacra gentium.

D Et quid sitivit ? venire et apparere. Et hoc est, *quando veniam*. Quasi dicat : *Cupio dissolvi* (*Philip.* I), quia sitio in peregrinatione, sitio in cursu, satiabor in adventu ; sed *quando veniam ?* hoc ideo ait, quia quod citius est Deo, tardum est hominis desiderio, *et apparebo*, quia et tunc et nos apparebimus, qui modo latemus *ante faciem Dei*, quia tunc *videbimus eum sicuti est* (*Joan.* III). Talis autem cervus, dum currit patitur insultantes.

VERS. 3. — « Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes

(77) Aug. in psalm. XLIV.

(78) Hier. ubi supra.

(79) Cassiod. LXXXIV, et videtur aptius quando scribit *filiis Core* psalm. CXXXIII, *canticum graduum*.

(80) Cassiod. in conclusione psal.

« die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie : Ubi est A
« Deus tuus ? »

Fuerunt mihi lacrymæ meæ. [Gl. int., Aug., Cassiod., Aug.] Quasi dicat : In futuro apparebo ; in via autem, fuerunt mihi lacrymæ meæ *die*, id est in prosperis, quæ iste despicit ; *ac nocte*, id est in adversis : et hæ lacrymæ non fuerunt mihi amaritudo, vel peremptio, sed *panes*, id est refectio, quia afflictionibus eruditur Christianus. Causa vero harum **91** lacrymarum, id est insultatio jugis pravorum. Unde sequitur, *dum dicitur*, quasi dicat, inde sunt lacrymæ, dum, id est quia dicitur *mihi quotidie* cum eorum Deus digito ostenditur, *ubi est Deus tuus ?*

VERS. 4. — « Hæc recordatus sum et effudi in B
« me animam meam, quoniam transibo in locum
« tabernaculi, usque ad domum Dei. »

Hæc recordatus sum, vel meditatus sum. [Aug.] Quasi dicat : Ipsi quærunt, ubi est Deus tuus ? et dum hæc quærunt, ego etiam sum meditatus, per omnia visibilia. Hæc, scilicet , ubi est Deus meus quasi visibilia mundi per fenestras sensuum collustravi, ut per ea invisibilem Creatorem cognoscerem, et non tantum per illa visibilia, sed etiam per ipsam animam meam quæsivi Deum, ut per ea, scilicet exteriora, et animam meam, invisibilia Dei inveniam. Et hoc est, *et effudi animam meam*, id est ad attingendum et intelligendum Deum, dilatavi animam meam, quia relictis illis exterioribus instrumentis sensuum corporalium subjacentibus, ad C seipsum rediit animus meus, et cœpit se contemplari ut videat se in se, ut noverit se apud se, ut intelligat an aliquid tale sit Deus ipsius. Ecce intellectus tituli. Sed quia nec in exterioribus, nec in anima Deum invenit, quia hæc variabilia invariabilis Deus excedit, addit, *super me*, quasi dicat, dilatavi animam meam, ad intelligendum super seipsam. Si enim anima in se maneret, se non excedens Deum non videret, qui ultra est. Sed quare hoc fecit ? *quoniam* hoc modo *transito*, vel ingrediar *in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei*. Tabernaculum Dei in terra fideles sunt, in quibus iste jam multa miratur, scilicet quod in corpore non regnet peccatum, sed potius arma justitiæ, et quod anima obedit Deo, et tolerat aspera, et tendit in altum, et hujusmodi. Transit D etiam hæc, et pervenit mente usque ad domum Dei cœlestem, et stupet. Et hoc est, ideo *effudi*, quoniam hoc modo *transibo*, vel ingrediar per collustrationem et contemplationem. [Cassiod., Aug.] *In locum tabernaculi admirabilis*, id est in præsentem Ecclesiam, quæ est quædam imago et species futuræ Jerusalem, quæ, dum videtur, amplius illa desideratur, et amplius in ista gemit. Ideo dicit ingrediar in locum tabernaculi, quia extra locum tabernaculi hujus aliquis quærens Deum, errat. Ego dico perveniens mente usque ad domum Dei, non captus desideriis sæculi. Quomodo ad secretum domus Dei pervenis ?

VERS. 5. — « In voce exsultationis et confessio-
« nis, sonus epulantis. »

In voce exsultationis. [Aug., Hier., Aug., Alcuin.] De æterna enim festivitate sonat, nescio quid canorum et dulce cordi ejus, unde rapitur sicut cervus ad fontes aquarum, et mulcetur ; *et confessionis*, id est laudis æternæ, quæ ab angelis Deo decantatur, unde sonat ei mira suavitas. Et dicitur hoc a simili festa colentium, quibus mos erat ante domos symphonias constituere. Dico, in voce exsultationis et confessionis, id est *sonus epulantis*, id est sonantium et epulantium, id est de æterna refectione gaudentium, vel, quæ confessio est sonus epulantis sed non mutatur sensus.

[Hier., Alcuin.] Aliter ab illo loco ; *hæc recordatus sum*. Quasi dicat : Ita mihi improperant, et hæc improperia, *recordatus sum et effudi animam meam*, id est lætatus sum præ gaudio, liquefacta est anima mea. Et hoc, *in me*, non extra gestit, sed in se compuncta revertitur. Compunctio enim alia est lætitiæ, alia est doloris. Quare ita gaudebam ? *Quoniam transibo ad locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei*, id est quia cogito quod, et si Deum modo visibiliter non videam, tamen per Ecclesiam, in qua sunt admirabiles sancti, ad Jerusalem cœlestem perveniam. Ego dico, existens *in voce exsultationis et confessionis sonus epulantis*, id est captus suavitate laudis angelicæ, quæ suscipitur mente.

PARS. II. VERS. 6. — « Quare tristis es, anima
« mea ? et quare conturbas me ? »

Quare tristis es, etc. [Cassiod., Aug., Alcuin., Gl. int.] Secunda pars, ubi agit de conturbationibus, contra quas ratio confortat animam sensualem spe Dei. Quasi dicat : Transivi hinc usque ad domum Dei, sed quia perstrepit mundus et caro gravat animam, comparans hæc tristia illis jocundis, ait : Quare tristis es ? Quasi dicat : Quia transivi usque ad domum, ergo, o *anima mea*, cum jocunda videas, cum de Deo non dubites quæ præsentis, quare tristis es ? *et quare conturbas me ?* Quasi dicat : Rationem si investigas, nil est mundo quare hoc debeas.

VERS. 7. — « Spera in Deo, quoniam adhuc con-
« fitebor illi ; salutare vultus mei, et Deus meus. »

Spera in Deo, etc. [Aug., Cassiod., Aug., Cassiod., Aug., Cassiod.] Quasi dicat : Ne dicat anima, ideo conturbo te, quia ibi non sum, quo per transitum rapta sum ; quia et hic gravor, inquit, potius, spera interim in Deo. Ecce salutare remedium, spera, *quoniam adhuc*, et si non modo plene, tamen in futuro *confitebor illi* in re, nondum enim ex omni parte sum salvus, sed confitebor in spe, quid ? quod ipse est *salutare*, etc, Vel ita spera et sperare potes, quoniam adhuc in præsenti confitebor illi, id est de peccatis pœnitentiam agam, ut tibi non obsistam. Illi, inquam, confitebor qui est salutare, a quo, scilicet, non a me, salus mihi. Salutare dico, *vultus mei*, id est ex forma nostra quam

assumpsit ; qui est etiam *Deus meus*, id est Creator A meus.

VERS. 8. — « Ad me ipsum anima mea conturbata est ; propterea memor ero tui de terra Jordanis et Hermoniim a monte modico. »

Ad meipsum. [Alcuin., Cassiod., Alcuin., Cassiod., Aug., Cassiod., Aug.] Iste conversus ad Deum dicit ex se conturbationes esse ; ex Deo autem finem earum. Unde in eo est ei spes. Et hoc est, *ad meipsum* vel a meipso *anima mea conturbata est*. Quasi dicat : Anima mea est tristis, sed ad meipsum, vel a meipso anima mea conturbata est. Ad me conturbatur anima quæ ad Deum reficitur. Non est mihi firmitas, vel spes in me : ideo nunquam præsumam de me, sed sperabo in Deo. Ecce qui supra corrigebat animam ad conditionem hominis reversus, dicit hic animam a se conturbari : quæ, nisi carnis vitia essent, tranquilla permaneret. Ecce ex qua diversitate constat homo : *Propterea*, quasi dicat, quia ad me conturbatur anima. Propterea, id est propter conturbationes animæ, *memor ero tui*, id est festino ad te, qui excludis omnia mala. Ecce remedium quo evadant tribulationes. Unde vero, id est pro quibus sit memor Dei, subdit, *de terra Jordanis*. In Jordane qui interpretatur *descensio*, Dominus baptisma consecravit, in quo humiliati lavantur, et fiunt terra fructifera, quæ reddit fructum tricesimum, sexagesimum, centesimum. Descende ergo ut eleveris. Et est, memor ero tui de terra Jordanis, id est de baptismo, ubi est peccatorum remissio, id est quia in baptismo peccata remisisti, et humiliasti, et terram fructiferam me fecisti. Horum memor malis non turbatur, *et* memor ero tui de terra *Hermoniim*, scilicet *a monte modicc*. Hermon parvus mons est juxta Jordanem, et interpretatur *anathematizatio*. Anathematiza te ergo, displicendo tibi, ut placeas Deo, anathematiza etiam diabolum, abrenuntiando ei. Et est sensus : Memor ero tui de Hermoniim a monte modico, id est quia fecisti me mihi displicere, et diabolo abrenuntiare, et in virtutibus altum et tamen humilem, quia non in superbis, sed in humilibus memoria Dei est. Et nota congruam verborum conjunctionem, scilicet Jordanis et Hermoniim a monte modico. Nemo enim currit ad remissionem quasi ad Jordanem, nisi qui sibi displicet, et qui sibi fatetur se peccatorem : quod notat Hermoniim, et nemo confitetur se peccatorem, nisi se humiliet : quod notatur in medico.

VERS. 9. — « Abyssus abyssum invocat, in voce cataractarum tuarum. »

Abyssus. [Hier., Alcuin.] Quasi dicat : Decet ut sim memor ; nam ad hoc *abyssus abyssum invocat*, id est Evangelium et lex in hoc concordant, et hæc invocatio fit *in voce cataractarum tuarum*, id est per doctrinam prophetarum et apostolorum, a quibus fluenta Dei manant. Unde benedicuntur cataractæ. Ad litteram enim cataractæ sunt ostia fluviorum, unde aqua fluit. Et ideo etiam, memor ero tui, quia

VERS. 10. — « Omnia excelsa tua et fluctus tui super me transierunt. »

Omnia excelsa tua et fluctus tui quæ erant *super me*, [Alcuin.] id est major et minor pœna, quæ superabat me, sic *transierunt*, id est transibunt. Præteritum pro futuro ponit prophetica certitudine. Ideo etiam memor ero tui, quia

VERS 11. — « In die mandavit Dominus misericordiam suam, et nocte canticum ejus. »

In die, [Alcuin., Aug., Hier.] id est in prosperis *mandavit dominus misericordiam suam*, id est præcepit Deus ferre mala, quod est misericordia, qua flagellat omnem filium quem recipit, *et* in *nocte*, id est in adversis, mandavit *canticum ejus*, id est præcepit B exsultare in ipso Christo. Unde Apostolus : In tribulationibus gaudentes, et propter hæc omnia oro in adversis (*Rom*. XII). Et hoc est, *apud me oratio*. Vel ita ab illo loco, *abyssus*. Iste memor Dei, admirans quomodo omnia invitent ad Deum etiam homines, alter alterum, dicit Deo : Quasi debeo esse memor, quia, *abyssus abyssum invocat*, id est homo hominem ad Deum vocat, dum aliquid veritatis prædicat : qui homo abyssus dicitur, quia neutrius illorum, scilicet vocantis, vel vocati, cor sciri potest : profundum est enim et inscrutabile cor hominis (*Jer*. XVII). Unde, *accedet homo ad cor altum*, (*Psalm*. LXIII), et alibi : Homo est, et quis cognoscet eum ? vocat homo hominem. Et hoc, non in sua voce, sed cataractarum tuarum, id est in voce C Spiritus sancti, ei divinitus immissa de quo profluunt aquæ salientes in vitam æternam (*Joan*. IV). Vel, abyssus dicit duo judicia Dei, id est primum et secundum, quibus iste terretur : Unde alibi : *A judiciis enim tuis timui* (*Psal*. CXX). Quasi dicat : Turbata est anima mea, et humiliatus sum, quia abyssus, id est judicium quod intulit Deus homini peccanti, unde est nobis hic labor et mors, invocat abyssum, id est ostendit aliud judicium, quo mali damnabuntur. Si enim ita severe eum punivit, quid in pœnitentibus in futuro faciet ? Hoc timuit iste, dicens ad me : *anima mea turbata est*. Et ideo humilis est, quia timet judicia. Hæc duo judicia turbant istum, et hoc, *in voce cataractarum tuarum*, id est per doctrinam tuorum prædicatorum, hæc hominibus denuntiantium : quod inde patet, quia D *omnia excelsa tua*, vel, omnes suspensiones tuæ, alia littera, id est futura mala quæ minaris : *et fluctus tui*, scilicet dolores quos sentio ; jam in re *transierunt super me*, id est modo me premunt. Quorum alterum de primo, alterum de futuro judicio mihi est ; sed quo crebriora sunt mala ; eo dulcior erit misericordia, quia *in die*, id est in prosperis, *mandavit Dominus misericordiam suam*, id est docet misericordiam suam, hanc scilicet quæ liberat de tribulatione. In quieto enim tempore discitur lex Domini, qui promittit misericordiam liberationis ; sed non declarat illam misericordiam, id est fructum ejus, nisi in nocte adversitatis. Unde hic dicit, in *nocte*, id est in adversis. *Declaravit*,

alia littera, id est in adversis fructus ejus declaratur, tunc enim subvenit, et verum probat Deus, quod die mandavit. Unde speciosa misericordia Dei in tempore tribulationis. Sicut nubes pluviæ in tempore siccitatis. Ergo ut formica in prosperis debemus discere et colligere, unde vivamus in adversitate ; formica enim per æstatem colligit, quod per hiemem ei prosit, ita tu in prosperis disce misericordiam. Hoc, id est misericordia Dei, finit conturbationes.

VERS. 12. — « Apud me oratio Dei vitæ meæ ; « dicam Deo : Susceptor meus es. »

Apud me. [Aug., Cassiod.] Quasi dicat : Et cum undique sint mala, quid ergo agis in hac peregrinatione ? dico tibi : *Oratio* est mihi in his conturbationibus. Et hæc oratio est apud me, id est intus habeo quod offeram, non de longinquo afferam Deo **92** thura et aromata, non de grege vitulum vel arietem, in me est unde Deum placem, non extra me quæro. Quæ oratio fit *Deo vitæ meæ*, id est qui dat vitam. Oratio autem sine eleemosyna et jejunio inanis est. Justitia enim hominis est in hac vita jejunium. Eleemosyna et oratio, quæ his duabus aliis volat ad Deum. *Dicam Deo meo :* Susceptor meus es, quia per baptismum suscepisti me, in patria tua collocandum ergo.

VERS. 73. — « Quare oblitus es mei ? et quare « constristatus incedo, dum affligit me inimicus ? »

Quare oblitus es mei ? [Cassiod., Aug.] dum differt promissa. Et hic est labor, oblitus videtur, et est, Quare *oblitus es mei ?* Quare nunc pateris me his miseriis vexari ? Videbat iste quæ sit dulcedo patriæ, et pericula mundi horrebat. *Et quare contristatus*, secundum sensum carnis, quæ horret has difficultates, *incedo* ad te, ideo contristatus, *dum*, id est quia *affligit me* tentando, tribulando, *inimicus*, scilicet diabolus. Quasi dicat : *Tristis incedo, dum* abundante iniquitate refrigescit charitas multorum (*Matt*. XXIV).

VERS. 14. — « Dum confringuntur ossa mea, ex« probraverunt mihi qui tribulant me inimici mei. »

Dum confringuntur [Aug., Cassiod.] Quasi dicat : Ita *affligit me inimicus*, *dum*, id est quia *confringuntur ossa mea*, quia etiam fortes Ecclesiæ cedunt scandalis ; nam quasi ossa franguntur, dum virtus patientiæ affligitur et tepescit quod irrident mali. *Et* etiam *exprobraverunt mihi qui tribulant me inimici mei*. Hoc modo exprobraverunt.

VERS. 15. — « Dum dicunt mihi per singulos dies : « ubi est Deus tuus ? »

Dum dicunt mihi per singulos dies. [Aug., Cassiod., Aug., Alcuin.] Hoc maxime in tentationibus Ecclesiæ dicitur fidelibus, Quid dicunt ? *Ubi est Deus tuus ?* Hæc est exprobratio illa, ubi est Deus tuus ? quasi vel nullus est, vel de te non curat ; et si curat, liberet te, si potest. Ipsi ita. Sed tamen

VERS. 16. — « Quare tristis es anima mea ? et « quare conturbas me ? »

Quare tristis es, *anima mea* [Aug.] Vel ita continuat : Hæc *mihi dicunt*, et quia propter hæc *anima mea turbata est ad me*, quid ei suadeam, nisi quod et supra, scilicet, *Quare tristis es anima mea ? et quare conturbas me ?* Repetita confortatio est contra tribulationes frequentes. Sed ne dicas : Ideo turbor, quia hic mala patior potius.

VERS. 17. — « Spera in Deo, quoniam adhuc con« fitebor illi ; salutare vultus mei, et Deus meus. »

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi [Gl. int., Aug.] in futuro, vel nunc. Quid ? quod ipse est. *Salutare vultus mei et Deus meus*. Dicit hic ipsam confessionem, et repetit spei confirmationem.

COLLATIO IN PSALMUM XLI : « QUEMADMODUM. »

VERS. 1. — *Quemadmodum desiderat cervus*, etc. Hier. vertit, *sicut areola præparata ad irrigationes aquarum*. Cæteri conspirant in nostram editionem, licet in verbis paulo dissentiant. Igitur cum איל AIAL possit anceps esse ad cervum seu cervam, et planitiem, licet aliquam ponant differentiam punctorum : quæ, ut in prologo est probatum, non legit D. Hier, ipse alteram secutus est significantiam et legit איל AIIL. Similiter ubi legimus תערוג TAAROG, id est vociferabitur ut cervus, quod interpretamur anhelat seu desiderat, ut etiam ponatur, nullo reclamante, futurum loco præsentis, Hier. accepit pro ערוגה ARUGAH, et significat *lineam plantationum*, ad quam D. Hier. allusit. Nam areola plantationum sitiens, et arida apte accommodatur animæ Deum summe desideranti.

VERS. 2. — *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum*. Potest videri vitio librariorum, positum *fontem*, pro *fortem*, ut sentit Lyranus ob affinitatem vocularum maxime cum bis continuo legatur in Hebr. לאלהים לאל LELOHIM LEEL quod significat *Deum* et *fortem*, ut etiam vertit D. Hier. ; et Græce habetur ἰσχυρὸν, id est *fortem*. Certe ut scribit D. Hier. ad Suniam et Fretellam, si quid scriptorum est errore mutatum, non debemus stulta contentione defendere. Mihi tamen rem altius pensitanti, visum est non esse necessarium ut dicamus lapsum esse commutatæ dictionis, ut fit ex vicinitate syllabarum. Sed primo Latina lectio, semel duntaxat Deum habebat. *Sitivit anima mea ad Deum vivum*, quemadmodum adhuc visitur in psalmodia Rom. et in contextu Aug. Postea ex sermonis et sententiæ congruitate, non est improbabile a Latinis additum fuisse *fontem*, nihil cogitantibus de forti, quasi alterum pro altero ponerent, quin potius ad prioris versiculi accomodarent colligationem. Nam ante sextingentos annos, Haymo legit et interpretatur *fontem*. *Sitivit anima mea ad Deum habendum, Deum* dico *fontem*, quia ipse est origo totius boni. Similiter D. Aug. lib. uno Soliloquiorum, seu quilibet alius, cap. 35, postquam recensuit versiculum, statim exclamat ; « O fons vitæ, vena aquarum viventium, quando veniam ad aquas dulcedinis tuæ ? » Amplius quisquis tandem fuerit qui edidit enarrationem in hunc psalm. tom. IV id est Operum D. Hier. ; posteaquam explanavit tres fontes convenire, Pater et Filius et Spiritus sanctus ; mox descendens ad secundum versiculum, interpretatur *fontem vivum*, ipsum baptisma. Ex quibus apparet abunde lectionem hanc fuisse longo usu receptam : cui sua auctoritas tribuenda est, maxime propter euphoniam. Nam in quibusdam similia cognoscimus factitata ab ipsis Latinis consonantiæ gratia, quæ tamen non reprobantur. Siquidem Sunia et Fretella quæsierant ex Hier. cur, in psalm. XXXIX, Latini dicerent ; *Et legem tuam in medio cordis mei*, pro quo in Græco comperisse dicebant Καὶ τὸν νόμον σου ἐν μέσῳ τῆς

κοιλίας μου, id est *legem tuam in medio ventris mei*, quod in Hebr. scriptum est, בתוך מעי BETHOC MEAI respondet. Sed propter euphoniam apud Latinos in corde translatum est, et tamen non debemus subtrahere quod verum est. Hæc ille, et satis propinqua sunt καρδίας et κοιλίας. Insuper divus August. tractans rationem tituli psalmi LI, in quo habetur Achimelec pro Abimelec, quem errorem obrepsisse dicit Hieronymus, ex similitudine litterarum, כ CAPH, et ב BETH, apud Hebr. noluit immutari, asserens in hoc esse mysterium. Si quis autem non fuerit contentus, sed omnino contendat debere psalli in Ecclesia, ad Deum fortem vivum, saltem satisfaciat illi Aug. lib. II De doctr. Christ. cap. 13, in eo quod magis desideraret emendationem. Sed quid dicit? « Illud etiam quod jam auferre non possumus de ore cantantium populorum : *Super ipsum floriet sanctificatio mea*, nihil profecto sententiæ detrahit. Auditor tamen peritior mallet hoc corrigi, ut non *floriet*, sed *florebit* diceretur; nec quidquam impedit correctionem, nisi consuetudo cantantium. Ista ergo facile contemni possunt, si quis ea cavere noluerit : quæ sano intellectui nihil detrahunt. » Hæc divus Augustinus. Item ipse Hier. in epistola quæ fertur ad quemdam rusticum citat juxta Vulgatam lectionem, idque in editione Frobeniana, tum priori, tum posteriori, quam prædicant elaboratissimam. Rursusque in typis novissime Lutetiæ excusis. Denique nisi reclamarent quæ habemus Græca, facile quis conjectaret legi אל EL, pro אד ED, quod, Gen. II, translator noster vertit *fontem*, conjectationem augeret quod præciso vertice litteræ lamed, relinquitur littera daleth, id quod interim videmus factitatum in libris impressis. Exemplum accipe ob oculos, ל recide summum apicem, remanet tibi littera ד daleth. Verum unusquisque suo fruatur judicio.

VERS. 4. — *Transibo in locum tabernaculi*. Pratensis, Sanctes, Munsterus, interpretes pro Cajetano, pro eo quod est *in locum tabernaculi*, ponunt *in numero* vel *in numerum*. Hieron, et Pellicanus sunt nobiscum. Hic vertit operimentum, ille umbraculum. Siquidem סך SAC est indifferens ad umbraculum vel numerum, unde Chaldæus habet *in umbraculis*. Sed magis urget quod mox sequitur, *admirabilis usque ad domum Dei*, pro admirabilis. Hieron. dixit *tacebo*. Ubi videtur אדדם EDDADEM deA flexisse a דום DOM, id est *tacuit*, et duplicasse daleth. Interpretes videntur consimile fecisse, nisi quod legerunt RES, id est *r*, loco daleth, ob affinitatem litterarum, quia רם RAM est *sublimis*, eoque mirabilis, ut sit ארדם ERAREM. Cæteri Hebraicantes vertunt *incedam* aut quid simile, et inclinant a radice בדד NADAD, deficiente pe, num, ut eorum more loquar, juxta indicium illius conjugationis; deinde subjungit cum eis, ut littera men, id est, *m*, sit affixa, non essentialis, ut vocant. Chaldæus paraphrastes satis accedit ad sensum nostræ lectionis, nempe *solus deambulans in castris justorum*.

VERS 5.— *In voce exsultationis et confessionis sonus epulantis*. Hier.; *multitudinis festa celebrantis;* Pratensis, *copia magna populi tripudiantis*. Conciliare poteris hoc modo המון חוגג HAMON HOGEG. Prior dictio interdum significat *sonitum*, interdum *multitudinem*; et verbum חגג HAGAG proprie significat *festa celebrare cum epulis et gaudiis*. Sed apparet B lectionem Latinam mendosam esse, in qua videtur legi corrupte *sonus* in nominativo, loco *sonitus* aut *soni* in genitivo : quod liquet ex Græco ἤχου, et contextu August., versione quoque Hier. quæ habet *multitudinis, gignendi causa*. Verum hoc non est necesse ex Hebr., quia potest esse nominativi, genitivi, accusativi juxta exigentiam. Nam Sanctes sic vertit, *et confessionis multitudo tripudians*; interpretes pro Cajetano, itidem; Munsterus, *in voce exsultationis et confessionis deducens*, inquam, *turbam festinantem*.

VERS. 7. — *Salutare vultus mei*. Hebræus legi פניו PANAU, id est *vultus ejus*. Interpretes legerunt פני PANAI, sicut in duobus versibus ultimis hujus psalmi, et sequentis, qui sunt omnino similes, quod mox sequitur; ET *Deus meus*, juxta lectionem Latinam pertinet ad finem hujus versiculi; juxta lectionem Hebræam, ad exordium sequentis. De ratione C diversitatis aliquoties discussum est.

VERS. 10. — *Omnia excelsa tua et fluctus*. Pro primo vocabulo Hier., posuit *gurgites;* et Nebiensis similiter cum Chaldæo. quibus accedunt Sanctes et Pratensis, qui dicunt inundationes seu undas. Cæteri vertunt *confractiones* seu *illusiones*. Aug. habet *suspensiones*, quas interpretatur *comminationes Dei*. Particula Hebr. משבר MISSBAR ambigua est. Ex cujus ambiguitate non est difficile translationes ad unum redigere.

PSALMUS XLII.

PSALMI TITULUS : « IN FINEM PSALMUS DAVID. »

Judica me. Titulus. *In finem psalmus David*. [Aug., Cassiod.] Per David hic intelligitur Ecclesia, quæ est corpus Christi, quod hic gemit inter zizania, id est inter malos, habens cum eis multa communia, scilicet nasci, mori, prospera et adversa, pacem, bellum, salutem, pestem, cum quibus tamen non habet communem causam meritorum. Et ideo petit in futuro ab eis separari. Et est *psalmus* iste, tendens *in finem;* est *David*, id est corporis Christi, quod hic loquitur. Et est iste psalmus contra pressuras sæculi, ne et ipsæ retrahant nos a Deo. Intentio. Monet ne in pressuris deficiamus. Modus. Bipartitus est psalmus. Primo conqueritur de conjunctione malorum, et precatur separari. Secundo agit de lætitia finali, id est quæ erit in fine, pro qua laudat in tribulatione. Ibi, *et introibo*. Videns ergo nunc bonos cum malis, corpore volens ab eis separari, nunc animo, in futuro etiam loco exclamat : o

VERS. 1. — « Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta; ab homine iniquo et doloso erue me. »

Deus, judica me, in futuro separando a malis. [Aug., Cassiod.] Iste videns misericordiam, non D timet judicium. Ideo ait, *judica*. Quasi dicat : Non timeo judicium, quia novi misericordiam tuam, non metuo ultorem, quia agnosco indultorem; timere possem, si districte mecum ageres. Sed *non in-*
93 *tres in judicium cum servo tuo, Domine* (*Psal.* CXLII), misericordia tua mihi opus est. Nam si judicium vel justitiam exhibueris sine misericordia, quo ibo? Si *iniquitates observaveris, quis sustinebit?* (*Psal.* CXXIX.) In misericordia ergo tua sperandum est, et humili confessioni instandum, unde judicii metus tollitur, vel mitigatur, ut metum pene superet spes gloriæ, omnis tamen homo judicium horret. Quid enim facet virgula deserti ubi concutitur cedrus paradisi? *Et* hic interim *discerne*, si non lo-

cum, saltem *causam meam*, id est mea merita, quæ sunt causa vitæ; *de gente non sancta*, cum qua est mihi par infirmitas, sed dispar conscientia et desiderium, scilicet *ad homine iniquo et doloso* : hæc est gens non sancta. Iniquus est qui aperte mala facit. Dolosus qui occulte. *Erue me* hic in præsenti, ne ab eis corrumpar. Vel de futuro totum accipi potest, sic : *Judica me Deus*, hæc dicendo, non petit peccata sua discuti : quod periculosum est, quia astra non sunt munda in conspectu ejus, et in angelis reperit pravitatem (*Job* XXIV), sed causam suæ retributionis quærit ab impiis separari, ut hædis positis ad sinistram ipse cum electis sit in dextera. Unde addit : *Et discerne causam meam de gente non sancta*, quod exponondo subdit, scilicet *ab homine doloso et iniquo erue me* in judicio, gens non sancta, est iniquus et dolosus, a quibus in judicio separatur.

VERS. 2. — « Quia tu es, Deus, fortitudo mea : « quare me repulisti? et quare tristis incedo, dum « affligit me inimicus? »

Quia tu es. (Cassiod., Aug., Cassiod., Aug.) Quasi dicat : Erue, *quia tu es, Deus, fortitudo mea*; non mihi arrogo fortitudinem, qua opus est inter hæc scandala. *Quare* ergo *me repulisti* secundum quod videtur. Miratur cum Deus sit ejus fortitudo, quare modo videtur repelli, desiderans enim putat se repulsum, quia non statim habet quod optat : *Et quare tristis* : ideo tristis, quia et si non vincitur, vel id est saltem periclitatur, id est pericula patitur; *incedo*, causam tristitiæ quærit iste, quæ est peccatum, sicut causa lætitiæ est justitia. Unde Isaias ait : *Omnem flatum ego feci, propter peccatum, modicum quid contristavi illum* (*Isa.* LVII). Sic enim, id est pro peccato punit Deus, ideo tristis *dum*, id est, qui *affligit me* tentationibus hic in præsenti, quod non ibi faciet, id est in futuro *inimicus*. Ut autem excludatur inimicus.

VERS. 3. — « Emitte lucem tuam et veritatem; ipsa « me deduxerunt et adduxerunt in montem sanctum « tuum et in tabernacula tua. »

Emitte ad judicandum. (Cassiod., Aug.) Hoc ideo orat, quia Christo veniente ad judicium tolletur omnis tristitia sanctis; *lucem tuam et veritatem tuam*, id est Christum. Lux enim mundi et veritas Patris est Christus, qui veniens in primo adventu, modo discernit causam meritorum, et in secundo, eruet iniquo et doloso, quia mittet angelos separatores, qui separabunt triticum a paleis et a zizaniis, ut colligant de regno ejus omnia scandala (*Matth.* XIII). Emitte : et ita erit, quia certi jam pignus habemus, quia jam *ipsa*, id est lux et veritas, *me deduxerunt* a peccatis, *et adduxerunt in montem sanctum tuum*, id est in Ecclesiam præsentem, quæ eadem est et tabernaculum. Unde sequitur, *et in tabernacula tua* quæ sunt peregrinantium et militantium; quandiu enim sumus in corpore peregrinamur a Domino adversus diabolum militantes (*II Cor.* V).

A PARS II. VERS. 4. — « Et introibo ad altare Dei, « ad Deum qui lætificat juventutem meam. »

Et introibo. [Cassiod., Alcuin., Aug.] Secunda pars, ubi agit de lætitia finali, pro qua laudat Deum in tribulatione, quod supra tristis erat. Unde et se confortat. Quasi dicat : Deduxisti me in tabernacula, ubi non positi hoc speramus quod etiam introibo de monte sancto ejus, scilicet de sancta Ecclesia, *ad altare Dei*, scilicet ad illud invisibile altare cœlesti Jerusalem, quo non accedit aliquis injustus; qui vero accedit, sumitur in holocaustum, divino igne totus accensus, ad quod introibo. Sicut pontifex ad Sancta sanctorum solus intrabat

[Alcuin., Aug.] Nota quod altare missam celebraturus sacerdos ascendens, ait : *Introibo*, etc. B Desiderio enim et amore superioris et invisibilis altaris, hoc visibile cum modestia adire debet, æterna non caduca petiturus, ut Christi celsitudinem humilis sequatur. Quod sit illud altare, exponit dicens *ad Deum*, scilicet *qui lætificat juventutem meam*, id est novitatem, qui ante contristavit vetustatem. Et ideo

VERS. 5. — « Confitebor tibi in cithara, Deus « Deus meus : quare tristis es, anima mea, et quare « conturbas me? »

Confitebor tibi in cithara. [Aug., Cassiod., Aug., Cassiod.] Cithara ab inferiori sonat, sicut psalterium a superiori. Qui ergo præcepta Dei facit, et non patitur, in psalterio confitetur. Qui vero facit et patitur, quod est ex inferiori natura, in cithara confitetur. C Et est sensus : Confitebor tibi in cithara, *Deus Deus meus*, id est gratias agam tibi in tribulatione. Unde supra dixit, *tristis incedo*. Ecce iste supra tristis de malis sæculi, de bono intellectu sibi gaudium facit; sed *quare tristis*, etc. Vel ita junge : Quia confitebor, ergo, *quare tristis est anima mea?* Hoc dicit, quia vult eam erigere ad meliora; vel forsan quia non potest vitare omnia peccata, timet. Difficile enim purgata vita invenitur, cum ille judicat qui novit ad liquidum et purum judicare, quia et si probabilis jam vita est inter homines ut non habeant quid jam reprehendant, juste invenit tamen in homine quid reprehendat Deus : quod nec ille ipse qui judicandus est, forte videt. Hæc timens anima conturbatur. Unde subdit : *Et quare conturbas me?* rationem? frequenter et vehementer persuadet D tristitiam hujus sæculi fugiendam, quæ patientiam et charitatem, et spem exstinguit, et totam vitam confundit potius.

VERS. 6. — « Spera in Deo, quoniam adhuc con- « fitebor illi; salutare vultus mei, et Deus meus. »

Spera in Deo, non in te. [Aug., Gl. int., Aug.] Quid enim es in te? quid enim es de te? ille sit sanitas in te, qui suscepit vulnera propter te. Et potes sperare, *quoniam adhuc confitebor illi*. Quid illi confiteberis? hoc, tu es *salutare vultus mei* quia tu me sanabis, *et Deus meus*, quia creasti. Æger ad te loquor, agnosco medicum vel morbum, non me jacto

sanum. Unde alibi : *Ego dixi* : Domine, *miserere mei, sana animam meam*, etc. (*Psal.* XL.) Hæc vox, fratres, tuta est, sed vigilate in operibus bonis, tangite psalterium obediendo, et tangite citharam passiones tolerando, frange esurienti panem tuum. Et, inquit Isaias, ne putes sufficere jejunium sine eleemosyna et oratione (*Isa.* LVIII). Jejunium te castigat, sed alterum non reficit; fructuosæ erunt angustiæ tuæ si alteri præstiteris latitudinem. Aliis ergo da quod tibi denegasti. Quam multos enim pauperes saginare potest intermissum hodie prandium! Ita ergo jejuna, ut alio manducante, prandisse te gaudeas : *Hilarem enim datorem diligit Deus.* (*I Cor.* XI) Si panem dederis tristis, et panem et meritum perdidisti. Ergo ex animo fac, insta orationibus. Quam

A celeriter accipiuntur orationes bene operantium! Et hæc est justitia hominis in hac vita jejunium, eleemosyna et oratio. Vis orationem tuam volare ad Deum, fac illi duas alas, jejunium et eleemosynam, quibus volet ad Deum; tales nos inveniat ut securos inveniat lux et veritas Dei, cum venerit liberare nos a morte, qui jam venit pro nobis subire mortem.

COLLATIO IN PSALMUM XLII : « JUDICA ME, DEUS. »

VERS. 4.— *Qui lætificat juventutem meam.* Hebr. dicunt גילי GILI, id est *exsultationem*. Sed exsultatio hominis est ipsa juventus, quæ suapte natura propensa est ad ea quæ gaudia afferunt. Et quia interpretes novitatem insinuare volebant, congruentius id fecerunt per juventutem.

PSALMUS XLIII.

PSALMI TITULUS : « IN FINEM PSALMUS FILIIS CORE AD INTELLECTUM. »

Deus auribus nostris [Cassiod., Alcuin. Aug., Alcuin., Cassiod., Aug.] *In finem psalmus filiis Core ad intellectum.* Sciendum est quod in veteri testamento multis et abundanter contulit Deus bona temporalia, tanquam rudibus et ad serviendum alliciendis, et paucos affligi permisit. In novo autem testamento Ecclesia paucis fidelium flores mundialium rerum apponit, et multis subtrahit et affligi permittit, castigans eos tanquam filios, ut sint filii Core, id est passionis, et discant alia bona esse quærenda, quæ non sunt communia malis, id est spiritualia et æterna, quæ figurantur per temporalia quæ populo rudi data sunt. Unde in titulo bene ponitur *ad intellectum.* Et est sensus tituli : *Psalmus* iste, dirigens nos *in finem*, scilicet in Christum; cantatur vel attribuitur *filiis Core*, id est passionis, id est sanctis martyribus quorum vox est hic, *ad intellectum*, id est ut intelligant cur martyres Deus videtur relinquere, subtrahendo temporalia, et affligi permittendo, cum Patres antiquos juverit in manu valida, et eis apposuerit temporalia : quod ideo facit Deus, id est ad temporalia non audit, ut ab eo desiderentur æterna, et hæc non amentur. Hoc ergo intelligentes ne sic quærant sibi fieri, sicut rudibus factum est, illis concessit prospera Deus ut crederent, istis adversa infert ut futura quærant. Sed sciant per temporalia illorum figurari sua spiritualia. Et est iste psalmus confortatio infirmorum. Intentio. Monet ad contemptum terrenorum, et ad appetitum cœlestium. Modus. Tripartitus est psalmus. Primo, distinguit beneficia Dei, ostendens quæ incipientibus data sunt in mundo, quæ perfectis dabuntur in cœlo. Secundo enumerat mala quæ hic ferunt boni, ibi, *nunc autem.* Tertio, precatur auxilium, ut afflictis tempore resurrectionis Christus subveniat, ibi, *exurge quare.* Propheta ergo in persona martyrum, ut magis sit

B mirum relinqui præsentes sanctos, recolit præterita, dicens :

VERS. 1. — « Deus, auribus nostris audivimus; « patres nostri annuntiaverunt nobis. »

Deus. [Cassiod., Gl. int.] Primum dicit Deus, quod facere solet aliquis lætus, vel graviter afflictus, *auribus nostris audivimus*, id est discretione rationis intelleximus, cum patres docerent nos. Ideo dicit, audivimus, ut major fides sit rei, ne putetur ambigua. A quibus audistis *patres*, non juvenes, ut videantur veri, *nostri*, qui suis non nisi certa dicerent, *annuntiaverunt nobis*, id est retulerunt, quid?

VERS. 2. — « Opus quod operatus es in diebus » eorum, et in diebus antiquis. »

C *Opus quod operatus es.* [Cassiod., Aug.] Etsi semper operetur Deus, tamen operari dicitur, quando aliquod signum novitatis ostendit. Ideo dicit hic, opus quod operatus es, ut est eductio de Ægypto, et in terram promissionis inductio, *in diebus eorum*, scilicet *in diebus antiquis.* Operatus es opus hoc, scilicet

VERS. 3. — « Manus tua gentes disperdidit; et « plantasti eos, afflixisti populos et expulisti eos. »

Manus vel opus, quod operatus es in diebus eorum. Hoc non mutatur. [Gl. int., Cassiod., Aug.] Et etiam quod operatus es in diebus antiquis, sicut est creatio cœli et terræ, quæ omnia spiritualiter implentur in nobis. Manus. Exsequitur opus quod fecit 94 in diebus patrum. Manus *tua*, id est potestas *disperdidit* morte, et aliis modis, *gentes* terD ræ promissionis, scilicet Amorrhæum, Hevæum, Ethæum, et alios, *et plantasti eos*, scilicet patres. Et hoc non facile *afflixisti populos*, qui ibi erant, qui aliter non crederent, quia fortes erant; *et expulisti eos* a terra promissionis. Tu fecisti hæc.

VERS. 4. — « Nec enim in gladio suo possede- « runt terram; et brachium eorum non salvavit « eos. »

Nec enim ipsi *in gladio suo possederunt terram.* [Aug., Cassiod.] Hoc ideo dicit, quia forsitan putarentur fortes; *et brachium,* id est robur, *eorum non salvavit eos,* quasi dicat : Nec per se habuerunt terram, nec per se sunt salvati.

VERS. 5. — « Sed dextera tua, et brachium tuum, « et illuminatio vultus tui, quoniam complacuisti in « eis. »

Sed dextera, [Aug., Cassiod., Aug., Cassiod., Alcuin.] id est potentia *tua* salvavit eos, *et brachium tuum,* id est filius, *et illuminatio vultus tui,* id est propitiatio præsentiæ tuæ. Ideo enim talibus signis eis affuit Deus, ut præsens intelligeretur, quia nobis hic non ostendit præsentiam suam, nisi effectu miraculi : præsentiam quippe ejus facie ad faciem videre nequimus. Et hæc non merito suo, sed *quoniam complacuisti in eis,* aliis, id est sic egesti cum eis, ut aliis placeres in eis, ut qui eos attenderet diceret : Deus cum illis est. Vel secundum aliam litteram, quæ est, *complacuit tibi in illis,* id est placuit tibi, ut illis solis hæc faceres. Aliter ab illo loco, *sed dextera tua,* id est bonus successus, quem eis dedisti; *et brachium tuum,* id est fortitudo, quam eis dedisti ; *et illuminatio vultus tui,* id est sapiens consilium tuum a te eis datum, *salvavit eos.* Quod tota fecisti, *quoniam complacuisti in eis,* id est ex benevolentia tua.

VERS. 6. — « Tu es ipse rex meus et Deus meus, « qui mandas salutes Jacob. »

Tu ipse, [Aug., Cassiod., Aug.], quæ hæc illis fecisti *es rex meus,* qui soles me regere, *et Deus meus,* qui soles subvenire. Ideo dicit Deus, ne dubites de Deo Christo, id est quin Christus de quo loquatur sit Deus. Et nota quod idem Deus noster est et illorum. Tempora enim variata sunt; auctor vero non mutatur. Tu dico *qui mandas,* quasi dicat, per alium non per te, *salutes* corporales, *Jacob,* id est illis antiquis. Per creaturam enim subjectam, visus es illis, non per te, id est per tui essentiam, quod servatur in resurrectione justis.

VERS. 7. — « In te inimicos nostros ventilabi« mus cornu; et in nomine tuo spernemus insur« gentes in nobis. »

In te inimicos, [Cassiod., Aug., Gl. int., Aug., Cassiod., Gl. int.] quasi dicat : Quæ illis tunc temporaliter fecisti, hæc nobis in judicio spiritualiter facies, unde afflicti se consolantur et resumunt animum. Et hoc est *in te inimicos nostros,* quasi dicat : Sicut illos juvisti, eodem modo et nos. In te inimicos nostros *ventilabimus* sicut paleam a granis separantes *cornu,* id est fortitudine ; *et in nomine tuo,* id est, per hoc quod dicimur de tuo regno, *spernemus* in futuro, quia non valebunt nos lædere mali spiritus *insurgentes* nunc *in nobis.* Benedico in te.

VERS. 8. — « Non enim in arcu meo sperabo ; et « gladius meus non salvabit me. »

Non enim, etc. (Aug., Cassiod.) Vel merito hæc nobis facies. *Non enim in arcu meo sperabo,* ut nec patres speraverunt in suo, *et gladius meus non salvabit.* Arcus qui minus valet in bello, minor virtus hominis intelligitur. Gladius qui in bello plus valere creditur, major virtus hominis est. Iste vero in neutro sperat.

VERS. 9. — « Salvasti enim nos de affligentibus « nos ; et obedientes nos confudisti. »

Salvasti enim nos, [Aug., Cassiod.] id est, salvabis, præteritum pro futuro ponit. Adeo enim certum est, quasi factum sit, ut quod fuit non potest non fuisse, *de affligentibus nos,* id est ab immundis spiritibus, qui hic affligunt, *et odientes nos confudisti,* id est confundes, quando damnabuntur. Et tunc

VERS. 10. — « In Deo laudabimur tota die, et in « nomine tuo confitebimur in sæcula. »

In Deo laudabimur .[Cassiod., Aug., Cassiod., Aug., Alcuin.] Non arrogant isti sibi de gloria per futura quæ miscet. Nota et præterita dicta pro futuris accipienda. Laudabimur dico *tota die,* id est, in perpetuitate quæ non est interpolata noctibus, sed tota dies est, *et confitebimur,* id est laudabimus te, quæ est gloria eorum, *in sæcula,* id est sine fine, unde, *in sæcula sæculorum laudabunt te* (*Psal.* VIII). Et hoc *in nomine tuo,* quod est Jesus, scilicet *Salvator,* scilicet quia ex omnibus eruisti me. Vel ita ab illo loco, *salvasti enim,* et legitur hoc de præsenti. Quasi dicat : *Gladius meus non salvabit me,* sed tu, quia in hoc sæculo, *salvasti nos de affligentibus nos,* ne nos traherent post se ; *et odientes nos confudisti,* id est eos qui nos odiunt, pudere fecisti. Et ideo tunc, *in Deo laudabimur tota die, et in nomine tuo confitebimur in sæcula.* Hæc non mutantur.

PARS. II. VERS. 11. — « Nunc autem repulisti et « confudisti nos ; et non egredieris, Deus, in virtu« tibus nostris. »

Nunc autem. [Cassiod., Aug., Cassiod., Aug.. Cassiod., Aug.] Secunda pars ubi enumerat mala quæ hic ferunt boni, non tamen obliti Dei, Quasi dicat : Hæc vere futura sunt, et illa a patribus audita, *nunc autem,* scilicet in medio temporis, quod est inter illorum præteritum et nostrum futurum, *repulisti nos.* Hæc dicunt quia differtur promissio, dum hic iniqui habentur opprobrio ; *et confudisti nos,* non in conscientia, sed in facie hominum. Et nota quod exaggerat hic mala sua, ut benevolentia judicis impetret. Hoc ideo fecit Deus, ut doceret hæc spernere, et æterna quærere. Hoc est intellectus tituli, ad quem mittuntur filii Core. Et ideo etiam fecit ut appareat an gratis colatur Deus, a quo gratis est homo salvatus. Non est pro terrenis colendus Deus. Et quia similia his in æternum sit daturus, sed pro terrenis. Sed cogites æterna carnaliter, forte dices : Ideo colo eum, quia dabit mihi villam. Non tamen temporaliter corruptam adhuc geris mentem. Amore enim casto non colis, eam mercedem non vis habere in futuro sæculo quam hic necesse est relinquas, mutare vis voluptatem carnalem, non amputare. Noli ergo talia sperare a Deo danda, qualia hic jubet contemnere. Hæc sperabant Judæi,

qui in futuro hæc tempora multiplicata sibi exspectant reddi, ut Jerusalem aurea, et hujusmodi. Qui vero ita Deum colit, laudabilis non est, sicut non laudatur in illo jejunium, qui ad luxuriosam cœnam servat ventrem suum. Hoc est enim jejunium non continentiæ, sed luxuriæ. Gratis itaque Deus coli debet, non propter aliud ab eo; *et non egredieris* Deus evidenter. Non egredieris dico ulterius, o Deus, sicut olim Judæis faciebas, *in virtutibus*, id est, in exercitibus *nostris*. Et per hoc invalidi sumus contra inimicos.

VERS. 12. — « Avertisti nos retrorsum post ini« micos nostros; et qui oderunt nos, diripiebant « sibi. »

Avertisti. [Aug., Gl. int.] Exsequitur qualiter confusi et repulsi fuerunt. *Avertisti nos retrorsum post inimicos nostros*, quia illic victores et nos victi; et dicit hoc pro deficientibus a fide. Unde sequitur: *Et qui oderunt nos diripiebant sibi*, id est ad castra iniquitatis suæ attrahebant.

VERS. 13. — « Dedisti nos tanquam oves esca« rum, et in gentibus dispersisti nos. »

Dedisti. [Cassiod., Gl. int., Aug., Cassiod., Alcuin.] Hoc dicit quia omnia potestate Dei fiunt, id est quam Deus dat *tanquam oves escarum* non fetus, id est quæ ad escas sunt, non ad fetus spiritualium operum, plangit eos qui sic sunt passi ut in corpus gentium verterentur, quasi ab eis manducati; *et in gentibus dispersisti*. Vel ita ab illo loco. *Avertisti*, et agit de persistentibus, qui tamen furori persecutorum fugiendo quandoque cedunt. Et hoc est: *Avertisti nos retrorsum post inimicos nostros*. Averti est hostem fugere, secundum illud: *Si vos persecuti fuerint in unam civitatem, fugite in aliam* (*Matth*. X). *Et qui oderunt nos, diripiebant sibi*. Hoc fugatis contingit, ut cadant in prædam, quia hostibus nequeunt resistere. *Dedisti nos*, persistentes in fide, *tanquam oves escarum*. Hoc diversi martyres notantur, id est diversa martyrum genera, alii enim fuerunt esca feris, alii traditi gentibus in servitutem. Unde dicit, tanquam oves escarum, ubi notatur quorumdam mactatio. *Et in gentibus dispersit nos*. Hic persecutio notatur.

VERS. 14. — « Vendidisti populum tuum sine pre« tio; et non fuit multitudo in commutationibus eo« rum. »

Vendidisti populum tuum, [Aug., Cassiod., Alcuin.] id est martyres dum dantur alienigenis, et hoc *sine pretio*. Videmus enim quos dedisti, sed non quos accepisti, quia nullus acquiritur: quod fit ad probationem vel ad correctionem. Unde sequitur: *Et non fuit multitudo in commutationibus eorum*, quia vel nullus pro eis acquiritur. Vel si quis quærat, pauci tamen sunt. Vel secundum aliam litteram, scilicet (81) *et non fuit multitudo in jubilationibus eorum*, quia tempore persecutionis non congregabantur, ut jubilarent Deo, ut fit in pace.

VERS. 15. — « Posuisti nos opprobrium vicinis « nostris, subsannationem et derisum his qui sunt in circuitu nostro. »

Posuisti, [Gl. int., Cassiod., Gl. int., Cassiod., Gl. int.. Cassiod.] quasi dicat: Præter dura etiam turpia patimur, quia *posuisti nos*, quasi fixos in hoc *opprobrium vicinis nostris*, jam jam convertendis. Gravis afflictio est, quæ a vicinis ingeritur, quia non transitorie dicitur, quod a circumstantibus irrogatur, et posuisti nos *subsannationem*, quæ fit contracto naso, vel contemptum. Alia littera, *et derisum* qui fit ore. Derisus vox confusa lætitiæ, insultationem immoderata hilaritate denuntians. Contemptus est, abjecta vilitas *his qui in circuitu nostro sunt*, et nunquam nobiscum sunt.

VERS. — 16. « Posuisti nos in similitudinem genti« bus; commotionem capitis in populis. »

Posuisti nos gentibus in similitudinem [Aug., Cassiod., Aug.] ut de nobis formam maledictionis super alios sumant dicentes: Sic pereas ut Laurentius et hujusmodi. Vel posuisti nos, id est apposuisti *in gentibus in similitudinem* Christi. In similitudinem Christi appositi sunt gentibus, quando eos comparibus pœnis effecerunt, et posuisti nos *in populis commotionem capitis*, id est ad insultandum nobis, ut et Christo insultaverunt in passione, moventes capita sua.

VERS. 17. — « Tota die verecundia mea contra « me est, et confusio faciei meæ cooperuit me. »

Tota die verecundia mea contra me est, vel coram me est. [Cassiod., Gl. int., Cassiod., Gl. int., Cassiod.] Gravis verecundia ostenditur, quæ permanet tota die. Et hæc erat contra sanctos, vel coram sanctis, id est ante oculos sanctorum, quando quos impios sciebant sibi insultare videbant, vel contra se dicit esse, id est contra hoc quod bonus erat, quia non fecerat unde verecundari deberet. Describens autem verecundiam subdit: *Et confusio faciei meæ cooperuit me*. Quodam enim pallio confusionis vultum dicit opertum, dum nube sanguinea facies inflammata rutilat. Sed cum dicit, cooperuit me, non vultum, non solum vultus, sed etiam totius corporis indicavit horrorem. Et hæc confusio procedit

VERS. 18. — « A voce exprobrantis et obloquen« tis, a facie inimici et persequentis. »

A voce exprobrantis, [Aug., Cassiod.] id est insultantis **95** *et obloquentis*, id est crimen imponentis. Exprobrare enim est in faciem maledicere; obloqui est absenti detrahere, et dolose mordere. Quis autem sit exprobrans et obloquens subdit, *a facie*, id est ab instantia *inimici* odio habentis, *et persequentis* in actu. Et

VERS. 19. — « Hæc omnia venerunt super nos, nec « obliti sumus te; et inique non egimus in testa« mento tuo. »

Hæc omnia, [Cassiod., Alcuin., Aug., Cassiod., Aug., Gl. int.] quasi dicat: Non separatim, sed si-

(81) August. accepit ἀλάλαγμα ab ἀλαλάζω, id est jubilo, non ab ἀλάττω, id est, muto.

mul *venerunt super nos*, quia non erant in nobis, per culpam. Venerunt dico, ut fera vel torrens; *nec obliti sumus te*, quia intelligimus gratis colendum te propter te. Ecce quanta firmitas nartyrum. *Et inique*. Quasi dicat : Quomodo non obligati sumus? quia *inique non egimus in testamento tuo*, id est in lege, cujus præcepta servamus. Vel in testamento tuo, id est in pacto quod pepigimus tecum in baptismo.

VERS. 20. — « Et non recessit retro cor nostrum ; « et declinasti semitas nostras a via tua. »

Et cor nostrum, [Gl. int., Cassiod., Alcuin., Aug.] id est ratio nostra *non recessit*, ita quod *retro* iret, scilicet desperando de bonitate Dei. Et si enim aliquando descendit a contemplatione veritatis, non tamen retroit. Et ideo non dixit simpliciter, *non recessit;* sed abdidit, *retro*. Et dum sic in angusta via ambulamus, tu *declinasti*, id est tulisti, *semitas nostras a via tua*. Semitæ enim nostræ erant in prosperitatibus, et voluptatibus sæculi. Sed tulisti eas de via tua, et ostendisti arctam viam tuam, quæ ducit ad vitam. Ideo declinasti,

VERS. 21. — « Quoniam humiliasti nos in loco « afflictionis ; et cooperuit nos umbra mortis. »

Quoniam humiliasti nos in loco afflictionis, [Gl. int., Hier., Alcuin., Gl. int., Aug.] id est in mundo unde nascitur compunctio et pœnitudo. Exaltabis autem in loca fortitudinis, scilicet in futuro. Vel ita : *Et declinasti semitas nostras a via tua*, id est, opera nostra de lege tua pendere fecisti, alia non mutantur. Vel ita, ut legatur, et non declinasti, id est non permisisti declinare et deviare semitas nostras, id est opera ; a via tua, id est a lege. Ideo non declinasti, quoniam humiliasti nos in loco afflictionis, hoc non mutatur. *Et cooperuit nos umbra mortis*, id est homines per ignorantiam veritatis morientes, et alios ad suæ mortis tenebras trahentes. Vel hæc mortalitas umbra mortis est. Vera autem mors est damnatio cum diabolo.

VERS. 22. — « Si obliti sumus nomen Dei nostri ; « et si expandimus manus nostras ad Deum alie« num. »

Si obliti sumus. [Aug., Cassiod., Gl. int.] Ecce iste est intellectus filiorum Core, qui propter hæc omnia mala non obliviscuntur Deum, scientes quia Deus requiret ista. Quasi dicat : Non sumus obliti te, quia si obliti sumus, etc. Vel sic junge, *non sumus obliti*, sed si sumus obliti *nomen Dei, et si expandimus manus nostras*. Ad litteram. Descriptio orantis ostenditur, qui tensis manibus crucem efficit, quam fronte recepit. Vel per manus opera intelliguntur. Et est : *Si expandimus manus nostras ad Deum alienum*, id est si nos cum operibus idolo vovimus

VERS. 23. — « Nonne Deus requiret ista? ipse « enim novit abscondita cordis. »

Nonne Deus requiret ista, [Cassiod., Aug.] scilicet manifesta faciet. Quasi dicat : Grave est apud Deum

A in sua religione peccare, quod pondere acutæ pronuntiationis ostenditur. Vere hæc manifesta requiret, quia etiam occulta *ipse enim novit abscondita cordis*. Quo, scilicet corde, magis religio geritur, quam devotione corporis. Et nota quod ait novit. Noscere dicitur Deus, quod te facit noscere. Unde Abrahæ ait : *Nunc cognovi quod timeas Dominum* (*Gen.* XXII), id est te et alios cognoscere feci. Novit ergo Deus quomodo requirit, id est ita noscere dicitur, quomodo requirere, scilicet non modo pro se, sed etiam pro te, scilicet quando facit, ut tu invenias te, et ut ei gratias agas qui fecit te, ut in Petro actum est, qui probavit quid posset. Et

VERS. 24. — « Quoniam propter te mortifica-
B « mur tota die ; æstimati sumus sicut oves occi« sionis. »

Quoniam propter te. [Aug., Cassiod., Aug., Cassiod., Alcuin.] Quasi dicat : Quæ sunt illa abscondita? ecce *quoniam mortificamur tota die* longis passionibus. Et hoc propter te, non pro criminibus nostris, sed ut fides tua gentibus augeatur, et hoc quod pro te mortificamur, et de illis absconditis. Quod enim morimur, videt homo ; sed causam non nisi Deus. *Æstimati sumus sicut oves occisionis*, id est sine aliqua reluctatione sumus occisi. Vel ita lege litteram versus hujus. *Quoniam propter te :* Hactenus dixerunt quod non sunt obliti, hic petunt perseverare, quod non sumus obliti. Et ut perseveremus, *Exsurge*, et debes. *Quoniam propter te mor-*
C *tificamur tota die ; æstimati sumus sicut oves occisionis*. Non mutatur sensus horum verborum.

PARS. III. VERS. 25. — « Exsurge, quare ob« dormis, Domine? exsurge ; et ne repellas in fi« nem. »

Exsurge. [Cassiod., Alcuin., Gl. int., Cassiod., Alcuin., Gl. int., Cassiod.] Tertia pars ubi precatur auxilium, ut hic afflictis tempore resurrectionis subveniat, quasi dicat : Non tanta patimur, sed ut non deficiamus, exsurge, id est conforta stantes. Ideo dico exsurge, quia *obdormis, Domine*, id est negligere videris. Hoc videtur dum differt quod exspectatur. Et *quare ?* hoc etsi nescimus, tu scis quare. Nam vel pro culpa est, vel pro utilitate. Quod si pro culpa est, utinam abesset ! si vero pro
D utilitate, utinam adesset ! Et *exsurge* reducendo deficientes, *et ne repellas in finem*. Et si hic repellis, non in finem hoc facias.

VERS. 26. — « Quare faciem tuam avertis? obli« visceris inopiæ nostræ, et tribulationis nostræ ? »

Quare. [Alcuin., Gl. int.] Duobus prædictis duo alia reddit, quasi dicat : Quosdam repellis, quia *faciem tuam vertis*, id est cognitionem tuam eis subtrahis, obdormis quibusdam qui gemunt de malis, quia *obliviscerís inopiæ nostræ*, id est non das spiritum fortitudinis sine quo inopes sumus, *et tribulationis nostræ*, quia eam non mitigas. Et hoc, quare? Quasi dicat : Nos nescimus, sed inquiramus, quia non nisi juste et pie facis. Et nota quia

hoc dicere non est quærela, sed pia supplicatio puri cordis.

VERS. 27. — « Quoniam humiliata est in pulvere « anima nostra ; conglutinatus est in terra venter « noster. »

Quoniam. [Alcuin.] Avertis faciem tuam, quoniam, subtracta cognitione tua, *anima nostra humiliata est in pulvere,* id est in cogitatione mundanorum, quæ pulveri comparanda sunt. *Ed venter noster,* id est sensualitas, *conglutinatus sst in terra,* id est terrenis inhæret. Et cum ita sit necesse, id est cum ita indigeamus auxilio.

VERS. 28 — « Exsurge, Domine, adjuva nos ; et « redime nos propter nomen tuum. »

Exsurge, [Alcuin., Hier.] id est fac nos surgere a terrenis ad cœlestia ; *et adjuva nos* erectos, *et redime nos,* id est libera nos adjutos ut sine metu simus ; et hoc totum *propter nomen tuum,* id est gratis, non pro merito nostro.

[Cassiod., Alcuin. , Cassiod. , Aug. , Cassiod.] Vel ita ab illo loco, *quoniam humiliata.* Sancti martyres quorum hic vox est, supra oraverant, et licet Deus exaudire differat, tamen post moram auditionis non desperant, sed continuant orationem, et cinere super se asperso animam peccatorum memoria cruciant, secundum morem pœnitentium. Cinis namque et cilicium sunt arma pœnitentium. Unde tempore quadragesimali cinis aspergitur super capita pœnitentium ob humilitatem, et fragilis conditionis memoriam. Et hoc est, non debes oblivisci, *quoniam anima nostra humiliata est in pulvere,* id est cinere supra nos sparso, ad pœnitentiam compuncti sumus. Et *conglutinatus est in terra venter noster,* id est adhæsit terræ venter, ut fit prostratis, qui tota corporis effusione tenduntur. Hoc autem dicendo summam humilitatem ostendit. Qui enim genua terræ affligit, habet quo plus humilietur. Qui vero sic humiliatur ut etiam venter hæreat terræ, non habet ultra quo plus humilietur. Exprimit ergo iste nimiam humiliationem, ut quia venit ad summum, jam adsit Dei miseratio. Vel ita, ideo ne obliviscaris, *quoniam anima nostra humiliata est in pulvere,* id est pro his qui sunt pulvis, quasi non solum pro nobis oremus, sed et pro his qui facile cedunt illicitis moribus, et hærent terrenis : et *conglutinatus est in terra venter noster,* id est carnales hæserunt terrenis, et pro his humiliamur et oramus. Exsurge, *Domine, adjuva nos,* hic sine dormitionis verbo ponitur, exsurge, quod pertinet ad Christi resurrectionem, in qua est spes omnium fidelium, in qua humana destruitur captivitas, per quam etiam sumus adjuti et liberati. Quasi dicat : Quia ita humiliati sumus, exsurge a morte, o Domine Christe, et per hoc, adjuva nos, *et redime nos a captivitate.* Et hoc propter nomen tuum.

[Aug., Cassiod., Aug.] Aliter totum ab illo loco, *Exsurge quare,* ubi sancti martyres precatur ut Christus resurgat per fidem in gentibus, quia et sciunt Christum non dormire, et sibi resurrexisse. Precantur tamen resurgere per fidem, non sibi, sed gentibus quæ putant mortuum. Si enim et illi crederent resurrexisse, credentes in eum non persequerentur ; sed et ipsi crederent. Quasi dicat : *Tota die mortificamur,* et ut hæc finiantur, *exsurge,* per fidem in gentibus, quia, tu, o Domine, *obdormis,* non nobis sed gentibus, quæ non credunt. Et hoc, *Quare ? Exsurge,* repetit ex effectu. *Et ne repellas in finem.* Si enim surgit Christus in gentibus, cessat persecutio. *Quare* enim *avertis faciem tuam ?* Quasi dicat : Non assis sicut videris, dum differs subvenire. Et *quare oblivisceris,* quasi oblitus sis nostri, *inopiæ nostræ,* cui consuevisti subvenire, *et tribulationis nostræ,* cujus semper est clemens inspector. Ideo ne obliviscaris, *quoniam anima nostra humiliata est,* ut te invocemus in auxilium, *in pulvere,* id est inter manus pulveris ; pulvis enim nos persequitur, id est mali, de quibus dicitur : *Non sic impii non sic, sed tanquam pulvis quem projicit ventus a facie terræ* (*Psal.* I). *Et conglutinatus est in terra venter noster,* plangit hic eos qui sunt venter, id est carnales, et hæserunt, id est consenserunt iniquis. Sed ut hæc finiantur, *exsurge,* gentibus per fidem, quibus a persecutione cessantibus etiam qui terræ hæserant eruti et pœnitentes, redduntur corpori Christi, unde sequitur, et sic *adjuva nos et redime nos* de manu gentium, *propter nomen tuum,* non propter meritum nostrum.

COLLATIO IN PSALMUM XLIII : « DEUS, AURIBUS NOSTRIS AUDIVIMUS. »

VERS. 10. — *In Deo laudabimur.* Hieronymus, *in Deo gaudebimus.* In Hebr. est verbum præteriti temporis, הללנו HILLALNU, id est *laudavimus.* Sanctes et Munsterus accipiunt pro præsenti, id est *gloriamur.* Sed cum rectius intelligatur de futura gloria, juxta Augustinum, LXX Interpretes et Hieronymus verterunt per futurum ; illi tamen in passiva significatione הללנו HULLLANU, ubi prorsus nulla est distinctio, citra punctorum ascriptionem. Verum cum Deum laudare magis pertineat ad illam gloriam quam laudari, posset videri mendum scriptoris, *laudabimur* pro *laudabimus,* nisi reclamaret id quod præcedit, *in Deo,* alioqui dicendum erat *Deum,* si versum fuisset *laudabimus.* Quin etiam Græcus habet futurum passivum ἐπαινεθησόμεθα, ,at universa in Deum referuntur, quæ in Deum dicuntur fieri. Omnis enim laus nostra ab illo procedit, qni sanctis verbis dicturus est suavissimum, omnique laude superius : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum* (*Matth.* XXV). Adde quod nihil aliud est dicere, *in Deo laudari,* et *in Deo gloriari,* aut eodem penitus prætendunt.

VERS. 20. — *Et non recessit cor nostrum, et declinasti* **96** *semitas nostras a via tua.* Et in Hebræo et Græco, et in Latina editione, subauditur in secunda sententia, *et declinasti,* negatio quæ præcesserat, ut nihil agant Scapulensis et Cæcus, qui arbitrantur bis negationem esse expressam in Hebræo. Quod falsum est, sed debet repeti. Quare non est mirum, si clamaverint oppositum sensum Hebræo nos legere, licet divus Augustinus affirmative interpretetur, tamen *semitas* accepit in malam partem, quæ cum negatione accipiendæ forent in bonam, ut eodem et conspiret intelligentia.

VERS. 21. — *Humiliasti nos in loco afflictionis.* Heb. תנים TANNIM, id est *draconum,* LXX apte figuratam locutionem explicuerunt.

PSALMUS XLIV.

PSALMI TITULUS : « IN FINEM PRO HIS QUI COMMUTABUNTUR FILIIS CORE AD INTELLECTUM, CANTICUM PRO DILECTO. »

Eructavit cor meum titulus : *In finem pro his qui commutabuntur filiis Core ad intellectum canticum pro dilecto.* [Aug., Cassiod., Gl. int., Aug.] Agitur hic de sanctis nuptiis sponsi et sponsæ, id est Christi et Ecclesiæ, scilicet regis et plebis, Salvatoris et salvandorum. Unde et hoc carmen dicitur epithalamium, id est laus thalami, quia laus sponsi et sponsæ hic cantatur. Solent enim in nuptiis ad honorem sponsi et sponsæ quædam carmina cantari, quæ dicuntur epithalamia, id est *laudes thalami*. Similia cantat in his nuptiis Propheta. In nuptiis namque istis prophetæ, apostoli, et omnes sancti tympanis, citharis, et aliis modis cum exsultatione sancta conclamant : unde pascitur auditor. Harum nuptiarum copulam in thalamo Virginis fecit Dei gratia, quando Verbum caro factum est, et humana natura divinæ unitæ, et sponso sponsa, nunc charitate, post etiam immortalitate conjuncta. Et est sensus tituli : Psalmus hic subaudi, tendens *in fine,* id est in consummationem, scriptus est *filiis Core,* id est Christi, *ad intellectum,* tanti mysterii, tanti decoris, scilicet conjunctionis Christi et Ecclesiæ. Et est *canticum* (82). Quia hic est exsultatio pro æternis. [Aug., Cassiod., Aug., Cassiod.] Psalmus dico habitus *pro his qui commutabuntur* de veteri homine in novum, et *pro dilecto* Christo, de quo Pater : *Hic est Filius meus dilectus* (*Matth.* III). Hic enim describit per quem commutabuntur. Laus sponsi et sponsæ hic cantatur. Vel ita, ut non subaudiatur psalmus, sic : Canticum, istud tendens, in finem, id est in Christum. Vel in consummationem æternæ beatitudinis habitum, *pro his qui commutabuntur,* id est pro commutandis, et pro dilecto, id est commutante, scilicet sponso et sponsa, scribitur, filiis Core ad intellectum, id est, ut intelligant et venerentur tantum mysterium. Intentione monet ad laudem sponsi et sponsæ. Modus. Tripartitus est psalmus. Primo Propheta cœlestibus epulis saginatus, præconia Dei se eructaturum promittit. Secundo incipit de laude sponsi, laudans eum quadriformiter, a forma, a potestate, a judicio, ab ornatu, ibi, speciosus. Tertio, laus sponsæ cantatur submissius. Item quadriformiter, a forma, a gloria, ab amicabus, a prole, ibi *audi filia*. Propheta ergo, quasi ad has nuptias intromitti desiderans, ut sibi aperiatur se velle sponso cantare, ait :

VERS. 1. — « Eructavit cor meum verbum bonum; « dico ego opera mea regi. »

Cor meum, [Cass.] id est mens mea plena intus *eructavit* (83), quasi de pleno *verbum bonum,* id est hymnum Deo. Sicut qui blasphemat, ma- A lum verbum eructat, [Aug., Hier., Cassiod.] intus enim Propheta satis laudem Deo eructat, et illum hymnum regi cantare volebat. Unde sequitur : *Ego dico,* id est dicere gestio *opera mea regi,* id est ad laudem ejus, quia ex eo habeo, opera dicit hunc psalmum. Hanc enim operationem quam mente conceperat, regi dicere gestiebat. Ne vero eum aliquid a se putes dicere, calamo scribæ se comparat, a Spiritu enim sancto regitur. Et hoc est

VERS. 2. — « Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis. »

Lingua mea est *calamus scribæ,* id est Spiritus sancti, *velociter scribentis.* [Hier., Cassiod., Aug.] Quia dixit, et facta sunt (*Psal.* XXXII). Vel ideo dicit, velociter scribentis, ut notetur virtus prophe- B tiæ, quæ non sub cruciatu humano cogitat, quod de arcano Divinitatis aliis divulgat. Vel calamo comparat, ut per hoc intelligat scripsisse quæ dicit. Et est lingua mea calamus scribæ (84), quia quod dico et scribo, velociter scribentis, quia cito ventura sunt quæ scribo.

PARS. II. VERS. 3. — « Speciosus forma præ filiis « hominum, diffusa est gratia in labiis tuis : pro- « pterea benedixit te Deus in æternum. »

Speciosus. [Cassiod., Hier., Aug., Alcuin.] Secunda pars, ubi incipit de laude sponsi quam promiserat, prius laudans eum a forma. Quasi ergo intromissus ad sponsum, de laude ejus cantat, *speciosus* es *forma,* quia immunis a peccato *præ filiis hominum.* Est utique homo, et cum ipse sit homo, C non est tamen ut quilibet homo. Et ideo ut eum a suo genere commendaret, non ait hic, præ angelis, quos etiam excellit; sed dicit, præ filiis hominum, contra illos qui putantes eum purum hominem, dicunt in Isaia propheta : *Vidimus eum non habentem speciem neque decorem* (*Isa.* LIII). Et quia non sufficit pulchritudo sine sapientia et eloquentia, addit : Et *diffusa est gratia in labiis tuis,* quia lex per Moysem quidem data est, sed per Jesum Christum gratia et veritas facta est (*Joan.* I), quæ gratia peccata solvit. In labiis dicit, quia eo loquente, mundus gratiam reconciliationis accepit. *Propterea,* quæ a principio psalmi usque huc dicta sunt, in persona Propheta leguntur, sicut et sequentia. Augustinus tamen et Hieronymus (85) dicunt quod quidam pu- D tant personam Patris hæc dicere, licet magis superstitiose quam vere, non considerantes textum totum, ubi sunt quædam quæ non conveniunt Patri; arbitrantur autem illi, ex persona Patris hæc intelligi sic : Commendat Pater Christum, secundum utramque naturam ; et prius secundum divinam naturam, dicens : *Cor meum eructavit verbum bonum,* quasi non de extrinseco conjugio genui, sed de corde, sicut homo generat consilium suum de corde,

(82) Hieron. ad Principiam virginem.

(83) Hier. ad Principiam.

(84) Hier. in Comment.

(85) Hier., tom III ad Damasum De duobus filiis.

antequam sit quod facturus est, consilium est. Consilium vero Patris, Filius est, quem ante omnia creata ex se Pater genuit. [Alcuin., Cassiod.] Et est sensus: *Cor meum eructavit verbum bonum*, id est, ex plenitudine mea, et secreta essentia genui Verbum, id est Filium, qui dicitur Verbum, quia per eum Pater notus est, quod Verbum dicitur bonum, quia Dei Filius in natura sui solus bonus est cum Patre et Spiritu sancto. Unde nemo bonus nisi solus Deus (*Marc.* x). Est etiam bonum hoc Verbum, quia per eum omnia bona facta sunt. Sequitur : *Dico*, id est verbum profero. Idem hic dicit, quod prius dixerat ; sed addit : *Opera mea regi*, ubi ipso Verbo omnia opera Dei esse dicit. Unde alibi : *Quod factum est*, scilicet in tempore, *in ipso vita erat* (*Joan.* I) ; ut nihil sit in opere, quod prius non fuerit in consilio. Et est sensus : Dico ego opera mea regi, id est Verbum æternaliter gigno, cum quo et in quo omnia dispono antequam sint in opere. De hoc verbo alibi dicitur : *Semel locutus est Deus* , etc. (*Psal.* LXI). Item verbum vocat et linguam dicens : *Lingua mea*, quasi dicat : Non solum dispono omnia cum eo, sed etiam per eum loquor. Et hoc est, ipse est lingua mea, hic est etiam *calamus* mei *scribæ*, apta comparatio est. Ut enim scriba nil sine calamo, nec calamus sine scriba operatur, sic cooperatur Pater et Filius. Et nota quia non sono, qui transit, comparat verbum, sed scripto, quod manet ; ut ostendat Filium coæternum Patri. Scribæ dico, *velociter scribentis*, quia non unum post aliud, sed omnia simul in uno verbo æterno Pater disposuit. Speciosus, supra Pater commendavit Filium, secundum divinam naturam, hic secundum humanam. Quasi dicat : Genitus est Filius secundum quod Deus de mea essentia, et ipse secundum quod homo est, *Speciosus forma præ filiis hominum*, et *diffusa est gratia in labiis tuis*. Hæc non mutantur. *Propterea benedixit te*, Priora dixit Propheta ex persona Dei Patris, hæc ex sua ; accommodatius enim videtur hoc accipi ex persona Prophetæ, quam ex persona Patris et mutationes personarum repentinæ, et omnino ex improviso inveniuntur in sanctis Scripturarum libris. Dicit ergo Propheta in sua persona : Propterea, id est propter gratiam, qua regnum cœlorum datur, cum olim terra daretur, benedixit te hominem, *Deus in æternum*, dando tibi regnum, cujus regni non erit finis.

VERS. 4. — « Accingere gladio tuo super femur « tuum, potentissime. »

Accingere. [Hier., Aug., Hier., Cassiod.] Hic laudat eum a potestate. Quasi dicat : Et, tu talis, *accingere*, a simili pugnaturi. Accingimur enim pugnaturi, præcingimur ministraturi, succingimur ituri, *gladio tuo* quo ipse dividit etiam filium a patre, et nurum a socru (*Luc.* XII), id est verbo Dei, quo hostes stravit, sicut Samson mandibula asini inimicos superavit. De hoc gladio dicit Dominus in Evangelio : *Non veni pacem mittere. sed gladium* (*Matth.* x). *super femur tuum*, id

A est super carnem. Femur enim humanæ propaginis est seminarium, per quod congrue caro accipitur, o *potentissime*, subdit, ut etiam secundum carnem, quæ per femur accipitur, reverendum habeas. Potentissime dico :

VERS. 5. — « Specie tua et pulchritudine tua, in« tende prospere, procede, et regna. »

Specie tua et pulchritudine tua. Cassiod., Hier., Aug., Cassiod.] Hic distingue, id est secundum humanitatem et divinitatem. Species enim refertur ad humanitatem, in qua mundo apparuit ; pulchritudo ad deitatem, qua omnia decora sunt. *Intende*, id est hominem pereuntem miseratus respice. Vel ita. Et accipitur pro eodem species et pulchritudo, scilicet pro justitia Dei. Quasi dicat : *Accingere*, et accinB ctus, *intende*, id est hominem misericorditer respice. Et hoc, *specie tua* et *pulchritudine tua*, id est ex justitia tua, qua speciosus es et pulcher, *prospere*, id est liberans homines, *procede* de utero Virginis, ut sponsus de thalamo. Vel, prospere, procede, scilicet ab his victis, et alios vincendos ; *et regna*, id est, in fide hominum tuam potentiam ostende, qui semper in te regnavisti. Dico procede et regna. Et hoc :

VERS. 6. — « Propter veritatem et mansuetudi« nem et justitiam ; et deducet te mirabiliter dextera « tua. »

Propter veritatem, [Hier., Aug., Cassiod., Alcuin., Aug.] id est, propter hoc quia per te et per tuos veC ritatem doces, quæ falsitatem nostram destruit ; *et* propter *mansuetudinem*, id est quia mansuetus es, ferendo malos, ut et quando pro inimicis oravit, et adulteræ dixit : *Nec ego te condemnabo* (*Joan.* VIII), sic et sui. *Et* propter *justitiam*, quia justitiam vitæ ostendit, *et* hoc totum ideo *quia deducet te* inoffense per cursus totius vitæ, vel de populo ad populum, *mirabiliter*, quia omnes mirabuntur, vel quia miracula faciet *dextera tua*, id est potentia verbi. Aliter ab illo : *Prospere procede et regna*. Vel ita, prospere procede et regna, id est ita prospere procede, ut regnes per fidem in gentibus, quod jam factum est. Et hoc propter veritatem promissionum implendam, et jam sunt impletæ promissiones. Et propter mansuetudinem implendam in te et in tuis : et ita factum et, quia passi sunt martyres, unde regnum D crevit, ut et ipse prior passus est. Et propter justitiam implendam, et ita erit, quia veniet ut judicet secundum opera cujusque. Et hoc potes, quia *deducet te mirabiliter dextera tua*. Hoc non mutatur. Et

VERS. 7. — « Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te « cadent ; in corda inimicorum regis. »

Sagittæ tuæ sunt *acutæ*, [Aug., Cassiod., Aug.] id est verba tua, quæ corda hominum penetrant, et **97** velociter quo vult, perveniunt, et longe dirigunt. Et nota quia supra gladius positus est, qui prope ferit : hic sagitta, quæ eminus, et sic incomprehensibilis potentia Christi ostenditur. Et *populi* per eas sagittas vulnerati, *sub te cadent in corde*, vel

corda. Ubi se erigebant contra Christum, ibi cadunt ante eum. Corda dico *inimicorum* regis, id est inimicorum tuorum, qui es magnus rex, ut scilicet de inimicis sint amici, sicut Saulus, prius erectus contra Christum, cœlitus emissa sagitta corde percussus est, et cecidit per humilitatem dicens : *Domine, quid me jubes facere?* (*Act.* IX.) Vel ita, populi inimicorum regis, id est multi de inimicis tuis, sub te cadent, id est supponent se tibi. Et hoc, in corde, id est ex ratione, vel voluntate. Hoc est quod titulus dixit, *pro his qui commutabuntur et filiis Core*.

VERS. 8. — « Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi ; virga directionis virga regni tui. »

Sedes tua. [Aug., Cassiod.] Hic a judicio commendat Christum. Sedes enim ad judicium pertinet. Quasi dicat : Benedixit te Deus in æternum, quia *sedes tua*, scilicet sedes *regni*, id est judiciaria et regalis potestas, o *Deus*, est in sæculum sæculi, quia quidquid constituit, non mutatur, quod te decet, quia *virga*, id est sceptrum et gubernatio, *regni tui* est virga *directionis*, quæ distortos dirigit. Hæc est regula divinæ æquitatis, quæ vere recta est et nunquam curvatur. Hæc justos regit, iniquos percutit. Nemo ergo sibi de misericordia Christi multum blandiatur, quia virga directionis est ei, si alios regit, alios conterit : regit spirituales, conterit carnales, sic dilige misericordem, ut velis esse veracem. Vere est virga directionis, quia..

VERS. 9. — « Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem : propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ, præ consortibus tuis. »

Dilexisti justitiam. [Aug., Cassiod., Aug., Cassiod., Alcuin.] Quia non solum in te justus es, sed in aliis diligis justitiam ; *et odisti* non homines, sed *iniquitatem*. Aliter perfecte non diligitur justitia, nisi odiatur iniquitas. Si ergo homo iniquitatem in se odit, cum Deo facit. Odit Deus iniquitatem, oderis et tu, ut unam rem ambo oderitis. Eris enim Deo amicus, si displiceat in teipso iniquitas tua, et placeat creatura ipsius. *Propterea*, scilicet ut diligeres justitiam et odisti iniquitatem, *unxit te*. Vel sic continua. Propterea, scilicet quia dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem, reddita sunt tibi hæc præmia, scilicet unxit, secundum hominem, te, o *Deus*, Fili, *Deus tuus*, scilicet Pater, id est, fecit te regem, dando tibi nomen, quod est super omne nomen (*Phil.* II.) [Aug., Cassiod., Hier.] Et nota quod ait : Unxit te Deus, cum tamen divinitas ungi non indiguerit ; sed hoc dicit, quia homo ille Deus est, qui secundum quod homo unctus est, secundum quod Deus ungens. Bis ponitur Deus pro Patre et Filio, et in Græco aperte alter vocativus est, alter nominativus est. Iste vero unctus est ille lapis, id est per illum lapidem significatus, quem Jacob unxit erigens in titulum, et effundens oleum desuper (*Gen.* XXVIII). Per hoc autem quod dicit eum unctum, regem et sacerdotem eum esse significat, in cujus figura in Veteri Testamento re-

A ges et sacerdotes ungebantur (*I Reg.* XVI ; *Exod.* XXXIV). Unxit dico *oleo* spirituali. Oleo dico *lætitiæ* pro puritate conscientiæ et plenitudine gratiæ. Et hoc *præ consortibus tuis*, id est apostolis et aliis sanctis, in quos ab eo unctio gratiæ efflueret. Ei namque spiritus non est datus ad mensuram (*Joan.* III), in quo habitat plenitudo divinitatis corporaliter (*Coloss.* II), et de plenitudine ejus nos omnes accepimus (*Joan.* I).

VERS. 10. — « Myrrha et gutta et casia a vestimentis tuis a domibus eburneis, ex quibus delectaverunt te filiæ regum in honore tuo. »

Myrrha et gutta. [Cassiod., Aug., Cassiod., Aug., Alcuin., Cassiod., Hier., Gl. int.] Hic laudat Propheta sponsum ab uxore et ornatu, et prius ab B ornatu, quasi dicat : Non modo hæc prædicta habes ; sed etiam *myrrha et gutta et casia* spirabunt *a vestimentis tuis*. Boni odores virtutum his aromatibus signantur. Unde Apostolus ait : *Christi bonus odor sumus Deo* (*II Cor.* II). Qui odores bene adhibentur nuptiali gaudio ut in nuptis solet fieri. Est autem gutta, quæ et amoniaca dicitur. Casia quæ et fistula dicitur. Per quæ significantur diversa virtutum odoramenta. Myrrha, quæ est amara species, vermes arcens, est carnis amaritudo, quæ pellit vermes malorum desideriorum et malæ conscientiæ, et servat a putredine vitiorum. Gutta pellit omnes inflaturas et tumores, id est humilitas, quæ curat duritias cordium. Casia in aquosis locis nascitur, et crescit in immensum et reddit odo-C rem : hæc est fides quæ per baptismum crescit. Vestis autem Christi, a qua hæc fluunt, Ecclesia est, quam Christus sanguine abluit a macula, extendit in cruce a ruga duplicitatis. Et est sensus : myrrha, scilicet carnis mortificatio ; et gutta, scilicet humilitas ; et casia, scilicet fides, spirabunt aliis per bonum exemplum, a vestimentis tuis, id est a sanctis tuis, ab Ecclesia tua. *A domibus*. [Rem., Cassiod., Hier., Aug., Cassiod., Aug.] Eosdem dicit domos quos antea dixerat vestimenta, scilicet sanctos, qui tamen propter aliud vestimenta, propter aliud domus dicuntur, quæ ipsæ sunt eburneæ. Vestimenta Christi dicuntur, quia ornant ipsum vita et doctrina : domus, quia in eis habitat Christus ; eburneæ, quia ipsi sunt casti, ut elephas a quibusdam castum D animal dicitur. Ebur enim frigidæ naturæ est. Ideo in ebore castitas significatur : et sicut ebur prius obscurum limis et serris, vel sculpulis lucidum fit, ita et sancti perfectiones et attritiones diversorum suppliciorum elimati virtutum varietate fiunt lucidi. Et hoc est, dico a vestimentis tuis spirabunt hæc, scilicet a domibus, id est a cordibus sanctorum, in quibus habitat Deus ; eburneis, propter castitatem, vel virtutum decorem. Aliter ab illo loco, myrrha et gutta, et accipitur vestis corpus Christi, qua celatur deitas. Ab hoc venit myrrha, quia mortuus est pro omnibus hominibus ; gutta fluxit, quia duritiam cordium sua prædicatione solvit. Casia prodiit, id est redemptio per aquam baptismi. Et hoc

est. *Myrrha et gutta et casia*, spirabunt, *a vestimentis tuis*, id est a corpore Christi, quo quasi veste celatur deitas. Et non tantum a corpore Christi, hæc veniunt : sed etiam, *a domibus eburneis*, id est a sanctis. Hic non mutatur sensus. His odoribus filiæ regum terrenorum allectæ Christum sequuntur, post habito honore Patrum, et hoc est, a vestimentis tuis, spirant hæc odoramenta, *ex quibus* odoramentis virtutum *delectaverunt te*, id est, delectabilem te habuerunt *filiæ regum* terrenorum, ad litteram. Et hoc, *in honore tuo*, scilicet non curantes honorem Patrum, sed Christi. Et reges dicit apostolos, qui se et alios virtutibus regunt, quorum filiæ sunt omnes per eos in fide geniti, quos in honore Christi, non in suo genuerunt, a Christo enim Christiani, non a Petro Petrini, vel a Paulo Paulini dicuntur. Et est hoc tractum a veteri lege. In lege enim scriptum est : *Si mortuus fuerit frater sine semine, accipiat uxorem frater ejus vel alius propinquior de cognatione, ut suscitet semen, non sibi sed fratri suo et habeat natus nomen defuncti*, (*Deut.* xxv). Hoc spiritualiter Christo convenit, qui est primus frater et primogenitus in multis fratribus (*Rom.* viii), qui per Prophetam dicit : *Narrabo nomen tuum fratribus meis* (*Psal.* xxi). Et in Evangelio : *Vade, et dic fratribus meis Matth.* xxviii) qui mortuus est sine semine, quia pendens in cruce vix unum latronem solum comedit. Unde ait : *Singulariter sum ego, donec transeam* (*Psal.* cxl.) Et alibi : *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem* (*Rom.* x). Sed suscitatur ei semen a fratre, qui accipit uxorem ejus, id est ab apostolis, qui sponsam Christi, scilicet Ecclesiam regendam suscipiunt, qui non sunt sponsi, sed amici sponsi. *Qui enim habet sponsam sponsus, est* (*Joan* iii.), quorum prædicatione gentium multitudo intravit ad Christum. Et habet natus nomen defuncti, id est conversi ad fidem habent nomen Christi crucifixi, a quo Christiani dicuntur. Et hoc est, ex quibus, scilicet odoramentis, delectaverunt te filiæ regum, scilicet apostolorum. Filiæ dico, tamen, in honore tuo ; qui es primus frater, a quo nomen habent, cui gloriam quærunt.

Vers. 11. — « Astitit regina a dextris tuis in « vestitu deaurato, circumdata varietate »

Astitit. [Cassiod., Aug,, Gl. int,, Aug., Cassiod.] Hic ab uxore commendat sponsum. Quasi dicat : Tu talis es, et sponsa talis *astitit* etiam non timore curva, sed spe erecta, *regina*, quæ sub rege regit, scilicet sponsa Ecclesia, *a dextris tuis*, id est in æternis spe. Qui autem a sinistris est, ubi erunt hædi, non est regina, sed ancilla quæ de domo ejiciatur cum filio suo (*Gen.* xxi), quando dicetur : *Ite, maledicti, in ignem æternum* (*Matth.* xxv). Reginæ autem dicetur : *Venite, benedicti Patris mei, possidete*, etc. (*ibid.*). Astitit dico *in vestitu deaurato*, id est, in doctrina sapientiæ, *circumdata varietate*, id est omnibus linguis variata. Tamen vestis Catholicæ doctrinæ una est, quia sine scissura

A Unde sanctus Spiritus igneis et dispertitis linguis super apostolos descendit (*Act.* ii). Vel ita, ut per vestitum opera intelligantur, qui dicitur deauratus, non aureus. In auro intelligitur charitas. Quod vero aureum est, totum de auro est : quod est deauratum, aurum habet et aliud. Et est : *Astitit regina in vestitu* bonorum operum ; *deaurato*, non aureo, ne sola sit charitas, sed adsint cætera quæ charitas ornat. Ipsa dico *circumdata varietate* meritorum ; et si sit unitas in charitate, tamen auro, id est doctrina apostolorum, et cocco, id est in confessione martyrum, et gemmis, id est in puritate virginum, et purpura, id est lamento pœnitentium ornatur regina. Unde in Veteri Testamento cortinæ tabernaculi contextæ sunt de quatuor pretiosis coloribus, scilicet de bisso retorta et cocco bis tincto, hyacintho et purpura. (*Exod.* xxvi),

B

Pars iii. Vers. 12. — « Audi, filia, et vide ; et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, « et domum patris tui. »

Audi filia et vide. [Cassiod., Aug. ,Cassiod., Aug., Cassiod., Aug., Cassiod.] Tertia pars, ubi laus sponsæ cantatur, sed submissius, id est minus excellenter, quam supra laus sponsi. Et laudat eam quadriformiter, scilicet a forma, a gloria, ab adolescentulis, a prole. Alloquitur autem Propheta reginam tanquam unus de Patribus, id est de apostolis, quos supradixit Patres. Quasi dicat : Astitit regina a dextris tuis. Et, o regina, filia mea, id est mea prædicatione genita audi intus, *et vide*, Deum ipsum.

C

Quasi dicat : Judæi viderunt et occiderunt, tu audi Evangelium et credendo videbis Deum : hic per imaginem ; in futuro, per speciem. Vel, audi prophetias, quæ Incarnationem Christi prædixerunt. Et vide impletas, *et inclina aurem tuam*, ut humiliter audias. Parum enim est audire, nisi humiliter audiaris, *et obliviscere populum tuum*, scilicet populum Babyloniæ, unde venit Ecclesia, scilicet obliviscere ritus legis, vel idololatriæ, per quos servis regi Babylonis. *Et domum*, id est conversationem, et consortium *patris tui* diaboli, id est Babyloniam, quæ est contra Jerusalem. Et hæc est præcedentis expositio. Et sic fides decora.

Vers. 13. — « Et concupiscet rex decorem tuum,
D « quoniam ipse est Dominus Deus tuus, et adora« bunt eum. »

Et concupiscet rex decorem tuum quem ipse fecit in te. [Aug., Cassiod., Hier., Aug., Cassiod., Aug.] Hic laudat eam a forma. Concupiscet dico, quod est magnum, *quoniam ipse*, non prior patet, scilicet diabolus, *est*, non qualiscunque *rex*, sed *Dominus Deus tuus*, non modo sponsus ; *et adorabunt* omnes populi, de quibus facta es, *eum*, scilicet regem tuum.

Vers. 14. — « Et filiæ Tyri in muneribus ; vul« tum tuum deprecabuntur omnes divites plebis. »

Et etiam *filiæ Tyri*, [Aug., Hier., Aug., Cassiod., Aug.] id est gentium : a **98** parte totum. Per Ty-

rum enim vicinam Judæ, gentes designat Christo credituras. Unde mulier Chananæa a finibus illis egressa (*Matth.* xv), Ecclesiæ figura est. Hæ, inquam, filiæTyri, id est gentes venient ad illum regem tuum, *in muneribus*, scilicet, ut se offerant, vel ut eleemosynas faciant, quibus mercentur regnum cœlorum. Ideo ait, in muneribus, quia vult ut in cœlum thesaurizemus, largiendo temporalia. Filiæ Tyri, scilicet *omnes divites plebis*, nobiles, sapientes, et hujusmodi. Hæ sunt filiæ Tyri. Vel secundum interpretationem nominis : Tyrus enim interpretatur *angustia*. Et est, filiæ Tyri, id est angustiæ, scilicet peccatorum, id est gentes quæ sunt in angustia peccatorum, id muneribus venient, scilicet divites plebis omnes. Hæc non mutantur a priori sensu. Et hi adorando in muneribus *deprecabuntur vultum tuum*, o regina, id est conformitatem tuam, ne extra positi faciant sed in vultu sponsæ, id est unitate Ecclesiæ. Vultus namque Ecclesiæ prodest eleemosynas facientibus, ne extra nidum Ecclesiæ faciant, ut sit gloria Dei, et non sua.

VERS. 15. — « Omnis gloria filiæ regis ab intus ; « in fimbriis aureis, circumamicta varietatibus. »

Omnis gloria. [Cassiod., Aug., Hier., Aug., Cassiod., Gl. int., Hier.,] Hic est laus sponsæ a gloria, ut supra a potestate sponsi. Quasi dicat : Dico concupiscet rex decorem tuum : qui decor non est nisi intus, quia *omnis gloria ejus*, scilicet *filiæ regis*, est *ab intus*, vel *intrinsecus*, id est in conscientia tua. Sit ergo eleemosyna tua in occulto ubi Deus videt qui internam pulchritudinem amat quam videt. Vel, intrinsecus, id est non in circumcisione manufacta, sicut in veteri lege, sed in spiritualibus. Reginæ dico existentis *in fimbriis aureis*, id est in doctrina sapientiæ, quæ regina est *circumamicta varietatibus*, id est diversarum linguarum. Varietas linguarum decus est doctrinæ, sed non prodest, nisi sit intus gloria. Vel fimbriæ, quæ sunt finis vestis, significant finem mundi, vel hominis. Aureis dicit non deauratis, ut supra, sed *aureis*, quia in fine tota perfectio est, ubi invenitur charitas plena ; et est, gloria reginæ est, ab intus, et hæc gloria est, in fimbriis aureis, id est in fine sæculi. Vel cujusque hominis, quando perfecta erit charitas, quæ regina est, circumamicta varietatibus, virtutum vel gentium.

VERS. 16. — « Adducentur regi virgines post « eam ; proximæ ejus afferentur tibi. »

Adducentur. [Cassiod., Aug., Alcuin., Cassiod.] Hic laudat sponsam ab amicabus ut supra sponsum a judicio. Quasi dicat : Regina domum patris oblita venit ad regem. Et *post eam* primam quæ est generalis mater fidelium, *virgines*, id est pudicæ mentes, *adducentur* gratia Dei. Non enim a se hoc habent *regi*, et hæc virgines sunt *proximæ ejus* reginæ, id est non alienæ ab ea, sed ad eam pertinentes, et convertens verba ad regem ait : Et istæ *afferentur tibi*, o rex ! Nota verborum differentias, *adducentur*, opportuna prædicatione venientes ; *afferentur*, importuna prædicatione conversi. Vel ita ut per virgines robusti accipiantur, et per proximas infirmi. Et est : *Post eam*, reginam, *adducantur regi* virgines, ut robusti et fortes ; et *proximæ ejus*, scilicet viduæ et castæ, quæ sunt in gradu secundo, et alii infirmi quasi imbecillitate fatigati, *afferentur tibi*. Et nota quod prius unitas Ecclesiæ dicitur, cum dicit, *eam* ; post enumeratio partium est distincta, cum dicitur, *virgines*, et *proximæ*, addit :

VERS. 17.— « Afferentur in lætitia et exsultatione ; « adducentur in templum regis. »

Afferentur, [Cassiod., Aug.] etiam ministeriis angelorum, *in lætitia et exsultatione*, quia sexus ille fragilis vicit graves passiones corporis, quo *adducentur* tanquam viri lapides, *in templum regis*, non solum ad conspectum, sed in penetralibus regis, id est in Jerusalem futuram. Vel, in templum regis, id est in Ecclesiam præsentem. Non est satis quod sunt virgines, nisi adducantur in hoc templum, quia sunt et hæreticæ virgines extra hoc templum, cujus junctura est charitas.

VERS. 18. — « Pro patribus tuis nati sunt tibi « filii : constitues eos principes super omnem ter« ram. »

Pro patribus. [Cassiod., Hier., Aug.] Hic dicit quanto incremento sponsa profecerit, et a prole commendat. Quasi dicat : Adducentur ; nam *pro patribus tuis*, scilicet pro antiquis patribus, idolorum cultoribus *nati sunt tibi filii*, id est apostoli, principes prædicationis. Vel post prophetas apostoli, et post apostolos et pro apostolis episcopi et alii, quos Ecclesia genuit, et in sede constituit. Unde sequitur : *Constitues eos principes super omnem terram*. Non in uno loco Ecclesiæ.

VERS. 19. — « Memores erunt nominis tui in « omni generatione et generationem. »

Memores erum nominis tui, Domine. [Hier., Cassiod.] Vel, *memor ero*, alia littera, secundum quam populus Christianus loquitur sic : Constitues eos principes, et per eorum prædicationem *memor ero nominis tuis, Domine*, id est Christianus populus qui in eorum prædicationibus per omnes successiones perseverat. Vel, memores erunt ipsi principes, nominis tui, Domine, *in omni generatione et generationem*.

VERS. 20. — « Propterea populi confitebuntur tibi « in æternum, et in sæculum sæculi. »

Propterea. [Hier., Aug., Alcuin.] Quia constitues eos principes, *populi* una confessione *confitebuntur tibi* peccata vel laudes ; hæc confessio unitatis valet. Et ideo Deo placet ; et hoc *in æternum* præsentis sæculi, *in sæculum sæculi*, id est in futuro, ubi est æterna laus. Notandum quod psalmus iste, in natali Domini cantatur, quia agit de laude sponsi et sponsæ, et de nuptiis Christi et Ecclesiæ, quarum desponsatio facta est in Verbi incarnatione. Cantatur etiam in festo beatæ Virginis, quia quæ de Ecclesia generali hic dicuntur, ad Mariam specialiter referri possunt. Cantatur etiam pro virgi-

nibus, quia dicitur ibi, *adducentur regi virgines;* et pro apostolis, quia ibi dicitur *nati sunt tibi filii.*

COLLATIO IN PSALMUM XLIV : « ERUCTAVIT. » etc.

Titulus, apud Septuaginta : *Pro his qui commutabuntur*, ὑπὲρ τῶν ἀλλοιωθησομένων. Hebr. על שושנים AL SCHOSCHANIM SUPER LILIA, vel PRO LILIIS, per quæ congruenter intelliguntur virgines, maximæ Christus sponsus et Ecclesia sponsa. Per virginitatem vero, homines efficiuntur pares angelis. Et ita commutabuntur, cum mortale hoc induerit immortalitatem. In cœlo neque nubent, neque nubentur; sed erunt sicut angeli Dei in cœlo (*Matt.* XXII). Unde D. Hieronymus testatur se hunc psalmum voluisse exponere Principiæ virgini, eo quod invenerit in titulo, *Lilia et flores*, quæ pertinent ad virginitatis decus immortale.

VERS. 4. — Versu 4, 5 et 6, aliter distingunt Hebraicantes. Ob id perturbatur intelligentia ultro citroque conversa; et hic ponit hunc casum alter alterum juxta quod magis arridet. Nos sequamur Patres nostros.

VERS. 5. — Ubi legimus, *intende*, Hebr. rursum repetunt. Et *in decore tuo* והדרך VAHADARECA. Interpretes legerunt caph finale; essentiale, non subsidiarium, in verbo quod vocant HIPHIL, a themate דרך DARACH, id est *incessit.* Unde הדריך HIDRIC direxit, intendit, in imperativo הדרך HADREC. *Intende*, quomodo videntur accepisse interpretes. Deinde, *prospere procede.* Quam significantiam unica particula signat צלח. Mox sequitur רכב RECAB, id est *equita.* Cujus emphasim Septuaginta intelligentes, concinne dixerunt, *regna*, sive *triumpha.*

VERS. 7. — *Sagittæ tuæ acutæ populi sub te cadet in corda inimicorum regis.* Quid hic, non oblaterant Faber et Cæcus? Contendunt enim ablativum, *corde*, debere legi; et respicere vocabulum *acuta*, ac non referri ad verbum *cadent;* et id quod est medium dici per parenthesin hoc modo : *Sagittæ tuæ acutæ populi sub te cadent in corde inimicorum regis.* Ista philosophia non est nobis necessaria. Quid enim senserit Augustinus luculenter habes in Glossa. Ideo Sanctes ut ostenderet respicere verbum, *cadent*, ipsum repetiit, licet semel duntaxat ponatur in Hebræo : *Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent, in cor inimicorum regis cadent;* et Munsterus, *defigentur;* Chaldæus, *transmittentur in corda odientium regem.* Nec obest quod in Hebræo et Græco ponatur singulariter. In Græco quidem ἐν καρδίᾳ, *in corde*, in Hebræo בלב BELEB, quod est indifferenter *in corde* vel *in cor.* « Siquidem, ut dicit Hieronymus ad Principiam, Hebraica interpretatio distat in verbis, non distat in sensu. Mox subnectit hunc versiculum, in quo alias legebatur, *potentissime, sagittæ tuæ acutæ, potentissimæ, populi sub te cadent inimicorum regis.* In Hebraico, absque *potentissime.* Reliqua similiter. » Hæc ille.

VERS. 9. *Propterea unxit te Deus, Deus tuus.* Oportet Augustinum usum fuisse aliis codicibus Græcis, quam quos vidimus. Nam prius nomen, *Deus*, accepit sub vocandi casu ex Græco, recta interpretatione; quam omnino habet Hieronymus ad Principiam virginem. Secundum autem, *Deus*, sub nominativo. Verum, inquit Augustinus, in Latino putatur idem casus nominis repetitus. In Græco autem evidentissima distinctio est. Et tamen codices nostri legunt ὁ Θεὸς, ὁ Θεός σου, adeo ut demiretur D. Hier. ad Principiam, cur Aquila in superieri versiculo, *thronus tuus*, Deus, verterit Θεέ, et in subsequenti Θεὸς repetitum, quanquam in nostris exemplaribus, nunc habetur in utroque versu. Ex quo clarum desumitur argumentum codices variasse. Ubi etiam non videtur silentio prætereundum quod Hieronymus dicit se potuisse Θεὲ propter intelli-

A gentiam. Quod Latina consuetudo non recipit, ne quis putet perverse Deum dilecti et amantissimi regis bis Patrem nominari.

VERS. 11.— *Astitit regina a dextris tuis, in vestitu deaurato, circ. variet.* Duo vocabula finis versus, non habent Hebr. Græci tamen nunc, et Latini, legunt ad vehementiam sententiæ; et expressiorem significantiam particularum. Siquidem prior significat *notam, auri massam* : et eam sane insignem כתם CETHEM. Secunda est *aurum gemmatum*, sive ut vult Hieron. *diadema.* Quæ omnia satis indicant variegatam pulchritudinem. Utramque vero lectionem recenset Hieronymus, et interpretatur ad Principiam virginem : *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato.* Quodque sequitur *circumdata varietate*, excepta editione Vulgata nullus interpretum transtulit. In Hebraico, *stetit conjunx in dextera tua in diademate aureo.* Ubi nos *conjugem* vertimus, ibi apud Hebræos legitur שגל SCHEGAL pro quo Aquila

B συγκοίτην, id est *concubinam;* Symmachus et quinta editio παλλακήν, id est *pellicem.* LXX, Theodotion, et Sexta edit., *reginam* interpretati sunt. Deinde ubi ego posui, *in diademate aureo*, Symmachus transtulit, *in auro primo.* Aquila, quinta et sexta Editio, *in tinctura*, vel *in auro ophir*, quæ filiæ regum sunt, et in sponsi parantur amplexus. Per myrrham guttam et casiam et domos eburneas delectant eum, cujus thronus in sæculum sæculi est. Quæ autem jam super petram Christum stabili radice fundata est catholica Ecclesia, una columba perfecta et proxima stat a dextris, et nihil in se sinistrum habet. Stat *in vestibus deauratis*, de sermonibus Scripturarum ad sensum transiens, et cunctis plena virtutibus. Sive ut nos transtulimus, *in diademate aureo.* Est enim regina, regnantis cum rege, cujus filias possumus intelligere, et in commune credentium animas, et proprie virginum choros. Ophir genus auri est, vel a loco Indiæ, vel a

C colore nomine indito. Septem quoque apud Hebr. auri **99** vocabula sunt. *Uxorem* quoque et *concubinam* intelligimus de cantico Salomonis, quæ sine sponso suo vel marito dormire non potest. » Hæc Hieronymus.

VERS. 13. — *Et adorabunt eum.* Hebræi, *adora eum*, quia legunt, והשתחוני VEHISSTAANI cum iod in fine, LXX sine iod, sed cum geminato vau

VERS. 14.— *Filia Tyri in muneribus.* Hieronymus juxta Hæbreos, *Filiæ fortis.* Unde videtur sentire ad Principiam virginem, quod error sit in lingua Latina aut Græca propter ambiguitatem vocabuli, ea tamen lege, ut errorem vocet æquivocationem. Nam mystice et suaviter, hanc cum legimus et psallimus, pariter interpretatur et disserit, cujus verba non piguit subscribere, *filiæ Tyri in muneribus*, etc. Verbum Hebraicum צר quod in Ezechiele juxta Septuaginta legimus, interpretari potest, et *Tyrus*, et *tribulatio*, et *fortissimus*, sive *fortissima*, et *silex*,

D id est lapis durissimus. Unde in præsenti loco error ortus est. Aquila enim et Septuaginta et Theodotion, et quinta editio, *Tyrum* interpretati sunt. Sexta verbum Hebraicum צר TZOR posuit; Symmachus κράτιστον, id est *fortissimam.* Nos idipsum ad Deum retulimus, ut illa cui supra dixerat, *audi, filia et vide*, filia fortissimi nuncupetur, aut certe ipsa fortissima sit, quia imitata est fortem Patrem, cujus vultum in diversis muneribus deprecabuntur divites plebis. Divites in cunctis operibus bonis et scientia, sive qui divites putantur in hoc sæculo sapientes hujus mundi, et philosophorum disciplinis eruditi. Vel, quod melius est, qui antea divites fuerant, habentes eloquia Dei, et testamenta et prophetas, id est, de populo Israel. Ut enim ante Salvatoris adventum, hi qui de Tyro erant, hoc est de populo gentium, et proselyti esse cupiebant, deprecabantur divitem populum Israel, et per eos introducebantur in templum. Sic post adventum Domini,

quicunque ex Israel credere voluerint, divites quondam familiaritate et protectione Dei, venient ad filiam Tyri, et offerentes varia dona virtutum, et confessionis in Christum, deprecabuntur eam, ut salutem quam perdiderunt in Judea inveniant in gentibus. » Hæc ille. Cæterum editio Latina, quæ legit plurative, *filiæ Tyri*, respicit finem superioris versus ; videlicet, *adorabunt eum*, juxta explanationem et Hieronymi et Augustini in Commentariis. Quod si voluissent Stapulensis et Cæcus, non adeo momordissent lectionem Vulgatam, ceu interturbatam et confusam : imo vero ineptam. Quis enim sic loqueretur, *filiæ Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur*, quin potius ut ratio Latinitatis exigit, *vultum vestrum?* Hallucinantur autem in texendo ordine, nec officit quod Hebraice et Græce unice dicatur filia Tyri quasi vocandi casu, cum sit mentio de Ecclesia, quæ est una, et plures, diversa consideratione ; et varius respectus coordinationis dictionum efficit multiplicitatem interpretationum. Nusquam tamen est indigna intelligentia.

VERS. 15. — *Omnis gloria ejus filiæ regis.* Pronomen *ejus*, additum est ex psalmodia Romana vel ex aliis editionibus, quæ multæ fuerint. Et potuit hoc contingere fortasse, eo quod si legatur per punctum quod dicunt mappic in littera, he, id est, in aspiratione, quæ ponitur in fine dictionis כבידה KEBUDACH id est *gloria ejus*. Quod si non ascribebantur puncta, ut probabilius est, facilius poterat verti *ejus*.

VERS. 19. — *Memores erunt nominis tui, Domine.* Sic legimus ex editione Romana. Nam et Hebræi habent (quod et contestatur Hieronymus ad Principiam) אזכירה AZKIRAH, id est *recordabor*. Quia tamen est futurum verbi quod dicunt HIPHIL, haud incongrue verti posset, *recordari faciam*. Quod quam quadret apostolis, quibus spiritus Christi Jesu suggessit omnia quæcunque dixerant, nemo non videt. Itaque *memores nominis ejus* erant, Deo inspirante, et memoriam priorum refricante et confirmante.

PSALMUS XLV.

PSALMI TITULUS : « IN FINEM PSALMUS DAVID PRO ARCANIS. »

Deus noster refugium. [Hier., Alcuin., Aug., Alcuin., Aug., Cassiod.] Titulus : *In finem psalmus David pro arcanis.* Psalmus iste agit de arcanis divinæ dispositionis, quæ sunt, quod si Deus homo, quod salus promissa utrique populo, quod cæcitas ex parte contigit in Israel, ut plenitudo gentium intraret, quod apostoli transierunt ad gentes, quod nimia pax fuit in terra, tempore Dominicæ nativitatis. Unde Isaias : *Conflabunt gladios suos in vomeres et lanceas suas in falces* (*Isa.* II). Et est sensus : *Psalmus* iste tendens *in finem*, id est in Christum, est *David*, id est alicujus fidelis de Judæa, ut sit certius testimonium. Psalmus dico habitus, *pro arcanis*, id est agens de manifestatione arcanorum. Vel secundum aliam translationem, quæ habet : *In fine psalmus, filiis Core pro arcanis.* Filii Core sunt filii crucis, qui de arcanis, id est de adventu Christi et aliis prædictis loquitur. Et est, psalmus hic tendens in finem attribuitur filiis Core, qui hic loquuntur. Psalmus dico, habitus, pro arcanis. Intentione monet ad fidem. Modus. Tripartitus est psalmus. Primo, in adventu Domini omnis spes habenda ostenditur, et in transitu apostolorum ad gentes. Secundo dicit quod Ecclesia fundatur in Christo, cui gentes et regna subjiciuntur, ibi, *fluminus impetus.* Tertio narrat magnalia tempore Incarnationis facta, ibi, *venite et videte.* Propheta ergo in Christi adventu, videns multas exsurgere tribulationes contra eas præmittens consolationem in persona filiorum Core, vel alicujus fidelis de Judæa, ait :

VERS. 1. — « Deus noster refugium et virtus, adjutor in tribulationibus quæ invenerunt nos nimis. »

Deus noster refugium. [Gl. int., Aug., Alcuin., Cassiod.] Quasi dicat : Alii dii non sunt refugium, sed *Deus noster*, id est nobis communis carne assumpta *est refugium*, dum de periculo liberat, *et virtus.* Hoc ideo addit, quia est refugium ubi plus timetur : quo si quis aliquando ad hæc confugerit, magis infirmatur. Hic vero confirmatur, ideo ad te fugiendum, quia es *adjutor in tribulationibus*, quia juvas vincere eas. Et non solum in aliis vincendis es adjutor, sed etiam in iis quæ sunt *nimis*, id est in conscientia, quæ enim intus sunt a nobis nimis sunt. Nulla enim hic major est tribulatio, quam delictorum conscientia ; sed et hic adjuvat Deus noster, quia peccata dimittit. Et hæ tribulationes *invenerunt nos*, non nos eas, ut per nos pœniteremus, ubi tamen et ille rogandus est, sed ipsæ tribulationes invenerunt nos aliis monentibus pœnitere. Aliquando ergo homo invenit tribulationem peccatorum, quando sine admonitione alicujus considerat sua errata, et sic pœnitet, dicens : *Tribulationem et dolorem inveni* (*Psal.* XIV). Aliquando tribulatio invenit hominem, quando alterius persuasione pœnitet, cognoscens peccatum : utrobique autem rogandus est Deus. Vel ita, ut per tribulationes accipiamus pœnas, et legitur littera seriatim sic : Adjutor est in tribulationibus ; quæ tribulationes invenerunt nos. Nos enim fugiebamus eas. Vel, invenerunt nos, expositos eis per Adam. Invenerunt dico nimis, quia hic perimus sub mole pœnarum. Tanto potentior est ille qui liberat.

VERS. 2. — « Propterea non timebimus, dum turbabitur terra ; et transferentur montes in cor maris. »

Propterea. [Cassiod., Aug.] Quia talis est securitas *non timebimus* nos qui montibus, id est apostolis, consentimus : timeant contrarii, *dum conturbabitur* de novitate miraculi in adventu Christi *terra ;* id est Judæa, quasi arida, sine idololatria, amaritudine gentium circumdata tanquam mari terra, *et transferentur montes*, id est apostoli, secundum illud : *Quia repulistis verbum Dei, ecce convertimus ad gentes* (*Act.* XIII). *In cor maris*, id est in finem gentium, quia gentes credunt eis. Vel, mare est hoc sæculum ; cor maris, immanitas gentium. Ad gen-

tes enim immanes et barbaras transierunt, in qua translatione.

Vers. 3 — « Sonuerunt et turbatæ sunt aquæ eorum; conturbati sunt montes in fortitudinem « ejus. »

Sonuerunt contradicentes *et turbatæ aquæ eorum* vel *ejus*, alia littera, id est maris. [Aug., Gl. int., Alcuin., Gl. int.] Conturbati sunt etiam *montes*, id est potestates sæculi, *in fortitudine ejus*, id est Dei qui est refugium et virtus. Vel ita ab illo loco, *sonuerunt*, quasi transferrentur montes, in qua translatione, *sonuerunt montes*, ipsi apostoli prædicando, *et turbatæ sunt aquæ eorum;* ad sensum fit relatio, non ad vocem, id est aquæ maris, scilicet populi gentium, vel doctrinæ eorum, quæ infatuatæ coruscante doctrina Salvatoris, unde : *Absorpti sunt, juncti petræ judices eorum* (*Psal.* CXL). Hæc est virga Moysi, quæ devoravit virgas magorum Pharaonis. *Stultam enim fecit Deus sapientiam hujus mundi. Ubi sapiens, ubi scriba? ubi inquisitor hujus sæculi?* (*I Cor.* I.) Unde Abdias propheta : *Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo* (*Abd.* VIII). Conturbati sunt montes, id est exterius apostoli turbati sunt; in fortitudine ejus-id est in nimia persecutione ejus, maris.

Pars II. Διαψαλμα. Vers. 4.— « Fluminis impetus « lætificat civitatem Dei; sanctificavit tabernaculum « suum Altissimus. »

Fluminis impetus, [Cassiod., Aug., Cassiod.] Secunda pars, ubi dicit Ecclesia in Christo fundatur, cui gentes et regna subjiciuntur. Quasi dicat : Ita sævit mare, sed inter hos fluctus et sonitus non timent, qui ad illud refugium fugerunt, quia *fluminis impetus*, id est Spirttus sancti inundatio, *lætificat civitatem Dei*, scilicet Ecclesiam. Et *sanctificavit tabernaculum suum*, id est Ecclesiam vel corpus; quod assumpsit de Virgine *Altissimus*. Et

Vers. 5. — « Deus in medio ejus non commovebi- « tur ; adjuvabit eam Deus mane diluculo. »

Deus manet *in medio ejus* civitatis, (Aug., Cassiod., Alcuin., Cassiod.) quia æque omnibus consulit, non accipit personas. Quomodo quod in medio est paria habet spatia ad omnes fines, ita Deus medius esse dicitur, æqualiter omnibus consulens. Et ideo *non commovebitur* illa civitas, unde portæ inferi non prævalebunt adversus eam (*Matth.* XVI) ; *adjuvabit eam Deus* in labore sæculi *mane*, id est in ipso boni operis principio. Et hoc *diluculo*, id est per illuminationem sancti Spiritus, qui est lux quasi diei. Vel alia littera, *adjuvabit eam Deus vultu suo*, id est præsentia Incarnationis. Vel vultu suo, id est demonstratione auxilii sui, id est cum adjuvando se indicat. Et sic

Vers. 6. — « Conturbatæ sunt gentes, et inclinata « sunt regna ; dedit vocem suam, mota est terra. »

Conturbatæ sunt gentes [Aug., Cassiod., Aug., Cassiod.] salubriter. *Et* etiam *regna inclinata sunt*, ut adorent, non erecta per superbiam, quia *dedit;* non ait protulit, sed dedit, quasi magnum præmium

A *vocem suam*, id est prædicationem, quando tonuit de nubibus, id est prædicatoribus, qui dicuntur nubes et montes. Montes propter altitudinem et firmitatem ; nubes propter pluviam et ubertatem. Unde *terra mota est*, id est terrenus tremit metu judicis. Quis dedit vocem ?

Vers. 7. — « Dominus virtutum nobiscum ; sus- « ceptor noster Deus Jacob. »

Dominus virtutum cœlestium, [Hier., Cassiod., Aug., Cassiod.] qui est nobiscum **100** carne assumpta, ac si diceret : Emmanuel, proprium nomen supponendo. (Emmanuel enim interpretatur *nobiscum Deus*.) In his verbis breviter diffinit quid sit Christus, dum dicit, Dominus virtutum, *nobiscum*. Quasi dicat : Qui misit olim angelos, jam ipse venit. Et
B est nobiscum, et per hoc *susceptor* est. Nulla ergo terreat infirmitas *noster* non nisi filiorum crucis. Ipse dico, *Deus Jacob*, id est significatorum per Jacob. Quasi dicat : Qui tanta nobis dabit, quanta dedit Jacob ; non enim tantum illius Deus.

Pars III. Διαψαλμα. Vers. 8. — « Venite et videte « opera Domini, quæ posuit prodigia super terram : « auferens bella usque ad finem terræ. »

Venite et *videte*. [Cassiod., Aug., Alcuin., Hier., Aug., Hier., Cassiod.] Tertia pars, ubi narrat magnalia tempore Incarnationis facta. Quasi dicat : Quid fecit susceptor ? magna opera, et venite fide, et videte, id est intelligete *opera Domini*. Vel ita continua, quia nobiscum est et susceptor, ergo venite fide, quasi dicat : Jam securus vos invito.
C Et videte, id est intelligite opera Domini, quæ tempore Incarnationis fecit, ut de pace nimia. Et hujusmodi *quæ posuit super* totam *terram*, et illa opera erant prodigia, quia aliquid portendebant. Quid ? hoc scilicet pro ipse est, *auferens bella* spiritualia, scilicet bella malæ voluntatis, *usque ad finem terræ*. Hoc jam factum est in quibusdam non repugnantibus Deo, quia per Christi adventum idololatria et superstitio totius orbis periit. Et hoc signicabat illa pax actualis, quæ toto mundo tempore Dominicæ nativitatis fuit. Unde tunc primum decantatum est ab angelis canticum pacis : *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* I). Natus quippe erat ille qui est pax, qui facit utraque unum (*Ephes.* II), qui ait : *Pacem meam do vobis,*
D *pacem relinquo vobis* (*Joan.* IV). Vere aufert bella, quia

Vers. 9. — « Arcum conteret, et confringet arma ; « et scuta comburet igni. »

Arcum, [Aug.] id est insidias *conteret, et confringet arma*, id est publicam impugnationem, *et scuta*, id est vanæ præsumptionis protectionem. Unde ait Job : *Cucurrit adversus Deum, in crassa cervice scuti sui* (*Job.* XV). *Comburet igni* Spiritus sancti, ut armemur evangelicis armis, quæ describit Apostolus.

Vers. 10. — « Vacate, et videte quoniam ego « sum Deus ; exaltabor in gentibus et exaltabor in « terra. »

Vacate et videte. [Aug., Cass., Hier., Rem., Aug.] Quasi dicat : Dedit vocem. Quam ? Vacate ab armis diaboli, scilicet a vitiis, a tumultibus contentiosis, ut attendatis infirmitatem vestram. Infirmaris enim de te, id est infirmari debes ut fortis sis de Deo. Vel ita ab illo loco, *Venite*, et est ibi vox Domini ; et agit de his ad litteram, quæ in adventu Christi acta sunt. Quasi dicat : Dedit vocem. Et est illa vox : *Venite et videte opera Domini*, horum verborum non mutatur sensus. *Quæ posuit super terram*, quasi signa ad convocandum errantem populum ad viam veritatis, quæ erant prodigia, quasi porrodicia id est futuræ novitatis indicia, ut de partu Virginis, et de stella, et de pace nimia, et de cæteris ; *auferens*. Ecce opera et prodigia, quod ipse est, auferens *bella* ad litteram, *usque ad finem terræ*, qua tunc temporis pro præsentia ejus orbis pacatus fuit, quia *arcum conteret et confringet arma*, et *scuta comburet igni*, hæc omnia in adventu Christi ad litteram fuerunt ; secundum illud : *Conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces* (*Isa* II). Si ergo combusta sunt arma, *vacate*, o homines, a bellis, non habentes unde pugnetis. *Et videte*, id est intelligite *quoniam ego sum Deus*, non ille qui vos deludebat ; non etiam vos ipsi, sed ego qui feci et reficio vos. Non ergo de vestris operibus extollamini, quia *exaltabor in gentibus* quando convertentur ad fidem, *et* postquam plenitudo gentium intraverit (*Rom.* XI), *exaltabor in terra*, id est in Judæa. Gentes sunt mare propter idololatriam. Ergo licet dicere quod

VERS. 11. — « Dominus virtutum nobiscum ; susceptor noster Deus Jacob. »

Dominus virtutum nobiscum est, et *susceptor noster* est *Deus Jacob*, scilicet qui facit vincere Christianum populum per Jacob signatum, licet sit posterior.

COLLATIO IN PSALMUM XLV « DEUS NOSTER, » etc.

Titulus a LXX, Pellicano et Pratensi, *pro occultis* interpretatur. Hieron. et interpres pro Cajetano, *pro juventutibus* et *pro juvenculis* transtulerunt. Munsterus et Sanctes dictionem Hebraicam reliquerunt עלמות ALAMOTH, quasi sit instrumentum musicum. Hebr. est anceps עלם ALAM, significat *abscondit*, et עלמות ALMUTH *adolescentiam*, licet varientur pun-

A ctorum notulæ quando scribuntur. Et ad secundum significatum alludit D. Hieron. Sensus tamen eodem recidit ; tractat enim psalmus de initio nascentis Ecclesiæ, quasi de ejus juventa, occultis et internis Spiritus sancti incrementis roborata.

VERS. 1. — *Deus, noster refugium.* Faber affirmat ex Hebr. debere dici, Deus, nostrum refugium, quia dicit Hier. Deus nostra spes. In Hebr. habetur לנו LANU, id est *nobis ;* quod potest respicere aut Deum, aut spem, ad sensum exigui momenti.

In tribulationibus quæ invenerunt nos nimis. נמצא NIMITZA potest esse futurum, quomodo accepit Sanctes, reddens *inveniemus*; scilicet auxilium validum in Deo, ut verbum illud non respiciat tribulationes. Vel potest esse NIPHAL quod vocant, et tunc significat *juventus* ut possis referre ad Deum, vel ad tribulationes supplendo relativum, ut fit passim Hebræis. Quasi diceres : In tribulationibus, quibus
B inventum est valde. Sed ut clarior esset sententia, dixerunt LXX, *quæ invenerunt nos nimis*, vel *quibus inventi sumus nimis*, singularis loco pluralis : quod non est extraneum. Hebr. au מאד MEOD, quod significat vehementiam, teneat locum quasi substantivi, ut intelligas in tribulationibus inventam, vehementiam : hoc est quæ nos vehementer premunt. Sive ergo vertas, quod Deus est nostrum auxilium, et valde opportunum in tribulationibus ut plures reddunt, sive quod sit adjutor in tribulationibus quæ nimis nos angunt, utrobique digna et sana est intelligentia.

VERS. 4. — *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.* Interpretes, ut apparet, legerunt verbaliter קדש QUIDESCH, id est *sanctificavit*, et משכנו MISSCHANO, id est *tabernaculum suum*. Nam Hebr. nunc legunt קדש משכני עליון QUEDOSCH MISSKENE ELION, id est *sanctum tabernaculum Altissimi*. Ut sensus sit :
C *Fluminis impetus* seu *divisiones ;* vel *rivuli lætificant sanctum*, subaudi locum, juxta Munsterum, *tabernaculorum Altissimi.*

VERS. 8. — *Quæ posuit prodigia super terram.* Hieronymus, *solitudines*, sive, ut alii volunt, *desolationes in terra*. Dictio in Hebr. est anceps a radice שמם SCHAMEM, *desolatus est*, vel שמם SCHAMAM, *admiratus est*. Illa tamen prodigia sunt *solitudines terræ*, id est terrenorum affectuum, quos Christus adventu suo proculcavit, ejiciendo principem hujus mundi foras.

VERS. 9. — *Scuta comburet igni.* עגלות AGALOTH, *plaustra* vertunt. Quia vero עגל AGAL, significat *rotundum*, et tradunt particulam hic positam notare plaustra, ob rotunditatem, cur non simili ratione, poterunt LXX vertere scuta, quæ etiamnum in orbem ducuntur ? Maxime utrumque reddideris, innuitur apparatus bellicus, quem indicant aut plaustra, aut scuta.

PSALMUS XLVI.

PSALMI TITULUS : IN FINEM PSALMUS DAVID PRO FILIIS CORE. »

Omnes gentes. [Aug., Gl. int., Hier., Cassiod., Hier.] Titulus. *In finem, psalmus David pro filiis Core.* Gentes quas in præcedenti psalmo vocavit ad fidem jam conversas, in hoc psalmo invitat ad laudem. Vel hæ sunt filii Core, id est filii passionis. Et est sensus. *Psalmus* iste, est *David* prophetæ, qui hic loquitur in voce apostolorum, habitus *pro filiis Core*, id est pro conversis gentibus dirigendis, in finem, id est in Christi laudem. Intentio. Monet ad laudem. Modus. Bipartitus est psalmus. Primo gentes ad

D quas gratias transivit, invitat ad laudem Dei. Secundo ascensio et regnum Dei describitur. Unde monet instanter psallere, ibi, *ascendit Deus in jubilo*. In voce ergo apostolorum gentes ad laudem monens ait :

VERS. 1. — « Omnes gentes, plaudite manibus ; « jubilate Deo in voce exsultationis. »

Omnes gentes. [Aug.] Quasi dicat : Et si insultent pueri, scilicet Judæi, dicentes : *Ascende, calve* (*IV Reg.* II). Vos, omnes gentes, ad quas transivit gratia, non modo Judæi, *plaudite manibus*, id est gaudete bonis operibus, *jubilate Deo in voce exsultatio-*

nis. Quasi dicat : Concordet manus, et lingua illa operetur. Hæc confiteatur. Unde in levitico, caput turturis jubetur retorqueri ad ascellas (*Levit*. v). Nostra editio habet ad pennulas.

VERS. 2. — « Quoniam Dominus excelsus terri-« bilis ; rex magnus super omnem terram. »

Quoniam [Cassiod., Aug., Alcuin., Aug., Cassiod., Alcuin.] Hæ sunt causæ jubilandi et plaudendi : *quoniam Dominus* quem irriserunt pueri, est *excelsus*, id est potens, quos vult, *et terribilis* ascendendo cœlum, qui prius despicabilis apparuit. Vel, terribilis quia judicaturus in potestate, et *rex magnus*, quia suos regit, *super omnem terram*, non tantum super Judæos. Quod ostensum est in titulo crucis superposito, tribus linguis inscripto.

VERS. 3. — « Subjecit populos nobis ; et gentes « sub pedibus nostris. »

Subjecit populos nobis. [Cassiod., Aug., Cassiod., Rem.] Loquitur in persona Ecclesiæ. Quasi dicat : Et ideo etiam plaudite, quia subjecit populos nobis, id est universali Ecclesiæ. Hoc enim dicere communiter omnibus fidelibus convenit, quibus omnes extrinseci sunt. Quanti enim modo currunt ad Ecclesiam nondum Christiani rogantes auxilium Ecclesiæ ? Subveniri sibi temporaliter volunt, et si in æternum nobiscum regnare adhuc nolunt. *Et gentes sub pedibus nostris*. Sic enim exaltata est Ecclesia, ut omnes nondum credentes sub pedibus habeat, quia Ecclesiæ auxilium quærunt, atque temporaliter ei serviunt. Vel in persona apostolorum dicentium sic : Subjecit nobis, apostolis qui de Judæa sumus, populos gentium. Passi enim a suis, honorantur a gentibus. Et gentes sub pedibus nostris, id est sub prædicatione nostra. Per pedes prædicatores accipe, quibus populi subjecti sunt. Vel ita in persona eorumdem apostolorum ; Deus subjecit sibi populos, id est Judæos, nobis, associandos, et gentes, id est gentiles credentes, sub pedibus nostris, id est sub prædicatione nostra, cui obediunt, et

VERS. 4. — « Elegit nobis hæreditatem suam ; « speciem Jacob, quem dilexit. »

Elegit, [Cassiod., Alcuin., Aug.] non merito nostro, sed sua gratia, dicit Ecclesia, scilicet dare *nobis* ; et si ad Judæos venerit *hæreditatem suam*, id est vitam æternam, quam hæreditatem *speciem*, id est pulchritudinem *Jacob*, id est posterioris populi, quam pulchritudinem. Vel *quem* Jacob *dilexit*. Cœlestis hæreditas pulchritudo **101** est Christiani populi, in qua speciosus erit, fulgens cicut sol, qui nunc est abjectus. Vel in persona apostolorum sic, elegit dare nobis hæreditatem suam, multorum populorum, ut colamus eam, gladio prædicationis cordaeorum ferientes, et malitiam destruentes. Quam speciem Jacob, id est similes Jacob, vel significatos a Jacob, scilicet qui terrena dant pro cœlestibus, ut Jacob fecit, qui dedit edulium lentis pro primogenitis Esau (*Gen*. XXVII), quod fuit ex gratia, quia eum dilexit, Esau reprobato (*Malach*. I). Unde hic sequitur, quem dilexit.

A PARS. II. Διάψαλμα. VERS. 5. — « Ascendit Deus « in jubilo ; et Dominus in voce tubæ. »

Ascendit, [Cassiod., Alcuin., Aug., Cassiod.,] Secunda pars, ubi ascensio, et regnum Dei describitur, unde instanter monet psallere, quasi dicat : Nobis subjecit, et potuit, quia *ascendit Deus*, id est Christus *in jubilo*, quia gaudium admirantium apostolorum non poterat exponi. Est enim jubilus ineffabile gaudium quod nec taceri potest, nec exprimi valet, quod Ecclesia præsentat in præcipuis solemnitatibus, circa eamdem vocem varias formando melodias, ut in natali Domini cantatur. Tanquam sponsus, quasi non valens exprimere meritis hilaritatem sentiens de se. Sicut Jeremias qui ait *A, a, a, Domine Deus, puer sum, nescio loqui* (*Jer*. I). Et
B Moyses postquam cœpit loqui cum Domino, dicit se esse factum tardioris et imperitioris linguæ (*Exod*. IV), qui omni Ægyptiorum sapientia eruditus fuerat. Nam cum quis accedit ad intelligendum et loquendum de verbo, quod erat in principio (*Joan*. I) apud patrem, mens deficit, vox silet. *Et Dominus in voce tubæ*. Ibi enim audita est vox tubæ, id est vox manifesta angelorum clamantium : *Viri Galilæi, quid hic statis aspicientes in cœlum*, etc. (*Act*. I), Quod ideo factum est ut mundus firmius crederet. Quod tales præcones, scilicet apostoli et angeli confirmarent. Ergo

VERS. 6. — « Psallite Deo nostro, psallite : psal-« lite regi nostro, psallite. »

Psallite Deo nostro, [Cassiod., Aug., Cassiod.]
C id est operibus laudate eum, quem ut hominem irriserunt alieni, sed est et Deus. *Psallite* assidue *regi nostro*, id est Christo, *psallite*. Valde est salutare quod jam crebro repetitur. Ideo psallite.

VERS. 7. — « Quoniam rex omnis terræ Deus ; « psallite sapienter. »

Quoniam, [Cassiod., Aug., Cassiod., Aug.] ipse est *Deus*, qui creat, et *rex* creata gubernans. Rex dico jam *omnis terræ*, quia ab omni terra agnoscitur. Non est tantum partis terræ, ut Jupiter Cretæ, et Mars Thraciæ ; *psallite* dico, sapienter, Docet hic quomodo sit psallendum, scilicet sapienter, olim sine sensu psallebant, dum collebant lapides. Nemo sapienter facit, quod non intelligit. Et
D debetis psallere, quia

VERS. 8. — « Regnabit Deus super gentes ; Deus « sedet super sedem sanctam suam. »

Regnabit vel regnavit, *Deus*, [Cassiod., Aug., Hier.] quasi dicat : Qui humilem contemnunt, saltem potestati ejus succumbant. Regnabit dico, *super gentes*, omnes qui olim super unam gentem Judæorum ; modo impleta est hæc prophetia ; *Deus sedet super sedem sanctam suam*, id est, super cœlos ad dexteram Patris regnans per sæcula. Vel sedes sancta, sunt throni virtutes et sancti. Et est super sedem sanctam suam, id est super angelos et justas animas. Quomodo regnabit ? quia etiam

VERS. 9. — « Principes populorum congregati

« sunt cum Deo Abraham ; quoniam dii fortes terræ « vehementer elevati sunt. »

Principes omnium *populorum* [Aug., Hier., Alcuin.] non unius proprii tantum, id est primitivi omnium gentium, *congregati sunt*, id est, convenerunt credendo *cum Deo Abraham*, id est in Christo, qui est Deus Abrahæ, qui habet filios de lapidibus (*Matth.* III). Quasi dicat : Expulsis Judæi gentes ab oriente et ab occidente venientes, in filios Abrahæ succedunt habentes promissionem (*Matth.* VIII). Unde sequitur, *quoniam dii ;* quasi dicat ideo congregati sunt : Quoniam dii *fortes terræ*, id est Judæi præsumentes de se terra, *vehementer elevati sunt*, id est valde superbierunt. Quasi dicat : Fracti sunt rami, ut humilis oleaster inseratur (*Rom.* XI). Vel ita : ideo congregati, quoniam dii terræ, id est apostoli, fortes, quos neque mors neque vita separabit a charitate Christi (*Rom.* VIII), vehementer elevati sunt doctrina et miraculis.

COLLATIO IN PSALMUM XLVI : « OMNES GENTES, » etc.

VERS. 4.—*Elegit nobis hæreditatem suam* נחלתינו NAHALATENU, id est *hæreditatem nostram*, juxta Hebr. quod videmus. Vel נחלתנו NAHALATENNU cum puncticulo dages, id est hæreditatem ejus, seu suam secundum LXX. Nec perinde refert ad sententiam. Nam hæreditas est Dei efficienter et in causa, et est nostra etiam dono.

VERS. 9. — *Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham.* Hier. et plerique alii, principes populorum congregati sunt, supple, *ut sint, populus Dei Abraham.* Vel ut Munsterus vult, adjunguntur populo Dei Abraham. Ubi perspicue cernitur LXX *pro populo* legisse præpositionem *cum*, propterea quod in Hebr. duæ litterulæ, scilicet aim, et men sine accessionne notularum pro legentis arbitrio, possunt fadere præpositionem *cum*, aut nomen *populus* hoc modo, עם, si legas im, id est *cum* quomodo posuerunt LXX עם IM; si legas am, id est *populus* עם AM, quemadmodum alii intelligunt.

Quoniam dii fortes terræ vehementer elevati sunt. Hieronymus, *quoniam dii scuta terræ vehementer elevati sunt;* Sanctes, *quoniam Dei sunt scuta terræ, vehementer elevatus est;* Pellicanus, *Deo sunt protectores terræ valde elevatus est;* Munsterus, quo dilucidiorem faceret sententiam quam concipiebat, addidit de suo sic, *eo quod Dei sit velut scuto protegere terram, qui valde exaltatus est.* Quod si ad verbum reddas Hebræum, dicere poteris *quoniam diis scutis terræ valde elevatis*, quod qui subobscurum erat, clariorem merito reddiderunt sensum LXX, *quoniam dii fortes terræ vehementer elevati sunt.* Accedit satis Nebiensis, *dii scuta terræ vehementer elevati sunt.* Græci tamen codices habent τοῦ Θεοῦ οἱκραταιοί hoc est, *dii fortes.*

PSALMUS XLVII.

PSALMI TITULUS : « PSALMUS *sive* LAUS CANTICI FILIORUM *vel* FILIIS CORE, SECUNDA SABBATI. »

Magnus Dominus et laudabilis nimis. [Aug., Alcuin., Cassiod.] Titulus : *Psalmus, vel laus cantici filiorum* vel *filiis Core, secunda Sabbati.* Sicut legitur in Genesi : Primo die fecit Deus lucem, et discrevit a tenebris, rebus confusis atque informibus formas accipientibus (*Gen.* VII) : sic Dominico die qui primus fuit in prima rerum conditione Christum a mortuis suscitavit, et lucem immortalitatis discrevit a tenebris mortalitatis. Secunda Sabbati, id est secundo die, fecit Deus firmamentum. Ita tempore post Christi resurrectionem Ecclesiam fecit, scilicet corpus capiti, quæ est firmata post Christi resurrectionem supra firmam petram, a qua dimoveri non potest. Unde Apostolus : *Quæ est columna et firmamentum veritatis* (*I Tim.* III), de qua hic cantatur filiis Core. Et est sensus tituli : *Psalmus* iste, vel *laus cantici* est. Et est *filiorum Core* vel cantatur *filiis Core.* Psalmus dico habitus *secunda Sabbati*, qua factum est firmamentum, id est cœlum, id est agens de Ecclesia, quæ post Christi resurrectionem est confirmata, quam vocat civitatem. Et commendat hanc civitatem et dominum civitatis. Quinque autem modis commendat civitatem, scilicet a dignitate conditoris, a situ, ab amplitudine, a benignitate regi, a stabilitate æterna. Intentio. Monet ut omnes eam amplificent. Modus. Bipartitus est psalmus. Primo, agit de fundatione civitatis, quam commendative describit. Secundum agit gratias de adventu Christi ; monet de gradibus Ecclesiæ distribuendis, per quos Salvator possit agnoscis, ibi, *suscepimus, Deus.* Propheta ergo primo commendans civitatem a dignitate conditoris dicit :

VERS. 1. — « Magnus Dominus et laudabilis nimis ; in civitate Dei nostri in monte sancto « ejus. »

Magnus Dominus [Aug., Cassiod., Alcuin.] qui prius humilis fuit, est magnus, quia omnia potenter fecit. *Et laudabilis*, quia pulchre et mire fecit *nimis*, sine termino et fine. Ubi laudabilis ? *In civitate Dei nostri*, non in Babylonia, quæ est civitas malorum. In malis enim blasphematur Deus, quæ civitas est sita *in monte sancto ejus.* Non potest abscondi hæc civitas (*Matth.* V), omnibus diffamata est. Hic est mons ille qui, ut ait Daniel, fuit parvus lapis præcisus de monte sine manibus, qui crevit in montem magnum postea, et implevit omnem terram (*Dan.* II), id est Christus de gente Judæorum sine virili semine natus, super quem fundata est Ecclesia. Ne autem putes hanc civitatem non ubique esse, addit :

VERS. 2. — « Fundatur exsultatione universæ « terræ ; mons Sion, latera aquilonis civitas regis « magni. »

Fundatur exsultatione. [Hier., Alcuin., Cassiod., Aug.] Quasi dicat : Quæ civitas *fundatur exsultatione universæ terræ.* Quæ enim prius maledictionibus subjecta, sterilitatis opprobrio dolebat, nunc prole fecunda ubique exsultat. Et commendatur hic ab amplitudine. Vel secundum aliam litteram, scilicet : Fundatur exsultatione universæ terræ. Quasi

dicat : Dominus est magnus. Dominus dico, Fundatur exsultatione universæ terræ, cui sensui concordat alia translatio; alii enim transferunt sic : Dilatans exsultationes universæ terræ. Ipse est Christus qui per universam Ecclesiam gaudia dilatat. *Mons Sion*, etc., per partes ostendit quod dixerat, per montem Sion, Judæos significat ; per latera aquilonis, gentes quæ adhærent diabolo, qui per ventum frigidum et durum aquilonem significatur. Ipse namque ait : *Ascendam in cœlum et ponam sedem meam ad aquilonem et ore similis Altissimo* (*Isai.* XIV). Unde in canticis : *Surge, aquilo, et veni, auster* (*Cant.* IV). Unde Jeremias : *Ab aquilone pandetur omne malum super faciem terræ* (*Jer.* I).[Hier., Cassiod., Aug.] Quasi dicat : Vere universa terra fundatur, qui mons Sion, id est, Judæi, et *latera aquilonis*, id est gentes. Quicunque enim alicui hærent latera ejus dicuntur. Unde solemus ita loqui, bonus homo est, sed prava latera habet, scilicet maligni sunt, qui ei juncti sunti. Ita gentes erant diaboli latera. Hæc, inquam, sunt *civitas regis magni*, id est Dei. Alii reges non sunt magni. Et est sensus : Duo parietes convenerunt in lapidem angularum, qui fecit utraque unum (*Ephes.* III), ut esset unum ovile et unus pastor (*Joan.* X). Et

VERS. 3. — « Deus in domibus ejus cognoscetur, « cum suscipiet eam. »

Deus etiam *cognoscetur in domibus ejus*, civitatis, [Gl. int., Hier., Aug., Cassiod. Gl. int.] domibus dicit pluraliter, quia jam sunt plures domos in ea civitate. Multi enim sunt Ecclesiarum ordines, unatamen Ecclesia. Dico cognoscetur, sed hoc per gratiam suscipientis, et hoc est, *cum suscipiet* ut medicus *eam* curandam. Vel de futuro potest legi, secundum aliam litteram, sic : Deus cognoscetur, in futuro. In gradibus ejus, id est secundum gradus meritorum, quia in singulis distinctim dabit cognitionem sui. Cum suscipiet eam, in æterna **102**
beatitudine. Hic commendatur a benignitate regis.

VERS. 4. — « Quoniam ecce reges terræ congre« gati sunt; convenerunt in unum. »

Quoniam ecce reges. [Aug.] Hæc sunt latera Aquilonis. Quasi dicat : Vere latera aquilonis sunt civitas Dei, *quoniam ecce reges terræ congregati sunt* cum cæteris fidelibus in unitate fidei. *Convenerunt* in lapidem angularem et hoc *in unum*, id est in unitatem fidei et morum. In hac unitate non est locus hæreticis per partes pravi dogmatis concisis, qui dicunt : *Ecce his est Christus, ecce illic* (*Matth.* XXIV). Et sic,

VERS. 5. — « Ipsi videntes sic admirati sunt : « conturbati sunt, commoti sunt, tremor apprehen« dit eos. »

Ipsi facti sunt *videntes*, [Aug., Cassiod., Hier., Aug.] et *sic*, scilicet videntes. *admirati sunt* de gloria et miraculis Christi ; et post admirationem gloria et miraculorum Christi, *conturbati sunt* pro peccatis, *et commoti sunt*, id est ad bona mutati, *tremor apprehendit eos* pro conscientia delictorum. Tantus erat illis pavor, quod etiam corpore tremebant.

VERS. 6. — « Ibi dolores ut parturientis ; in spi« ritu vehementi conteres naves Tharsis. »

Ibi, [Aug., Alcuin., Aug., Cassiod., Alcuin., Cassiod.] id est in illa conturbatione fuerunt *dolores* pœnitentiæ. Dolores dico, *ut parturientis*, id est graves, sed utiles, quia inde fructus provenit. Unde Isaias : *A timore tuo, Domine, concepimus et parturivimus spiritum salutis* (*Isai.* XXVII). Quomodo totum fiet ? quia *in spiritu vehementi*, id est per spiritum sanctum, vel in forti timore tui judicaturi. *Conteres naves Tharsis*, id est evertes superbiam gentium. Cilicia namque regio a Tharso metropoli sua Tharsis dicitur : per hanc gentes accipiuntur ; a parte totum. Vel Tharsis est Carthago, quæ navibus olim floruit ad mercandum, quibus superbia gentium signatur, quæ in incertis divitiarum, velut in flatibus venti confidit. Sed jam firma sedes est in Sion, non in mari. Ibi enim stabiliri debemus, non perflari omni vento doctrinæ (*Ephes*, IV). Et nota quod ait *conteres ;* hoc enim dicit a simili naufragantium. Vel juxta interpretationem nominis. Interpretatur enim Tharsis *exploratio gaudii*. Naves ergo Tharsis sunt discursores, in diversis mundi gaudia explorantes. Hos conteret Dominus, ut ab his desistant. *Aliter* ab illo loco, *cum suscipiet eam*, quasi dicat : *Deus cognoscetur in domibus*, et hoc, *cum suscipiet eam* civitatem tutandam, et quid opus est, ut tueatur eam ? Valde opus est, *quoniam ecce reges terræ*, gentium ad litteram, *congregati sunt et convenerunt in unum*, contra hanc civitatem, ut tollerent eam ; sed postea, *ipsi videntes*, per fidem, *sic*, scilicet quod tam digna est hæc civitas, *admirati sunt ;* et post admirationem, *conturbati sunt*. Hoc et reliqua quæ sequuntur non mutantur a lectione priori. Aliter, et agitur ad litteram de Herode, et historia Dominicæ nativitatis exponitur. Quasi dicat : Vere *suscipiet*, quia per incarnationem quæ vere fiet *quoniam ecce reges*, id est principes Judæorum, *congregati sunt*, ab Herode suscitante ab eis locum Dominicæ nativitatis. *Et ipsi convenerunt in unum*, concorditer dicendo in Bethlehem Judæ (*Matth.* II), secundum Scripturas. *Ipsi videntes* sic ut in prophetia legerant fieri (*Mich.* V), *admirati sunt* de tanta gloria, et non leviter vel otiose ; sed *conturbati sunt* pro peccatis, et *commoti*, ad fidem, et tantus fuit pavor, ut corpus tremeret ; unde sequitur : *Tremor apprehendit eos ; ibi dolores ut parturientis*, id est pœnitentia, quia ipsi videntes ita conturbati sunt ad pœnitentiam sed *in spiritu vehementi*, Herodis, *conteres naves Tharsis*, qui naves in Tharso Ciliciæ, quæ magos per aliam viam revertentes, transposuisse in patriam suam credebantur, confracta sunt ab Herode.

VERS. 7. — « Sicut audivimus sic vidimus in ci« vitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri : Deus « fundavit eam in æternum. »

Sicut audivimus. [Cassiod., Aug., Alcuin., Aug.,

Decursis omnibus quæ tempore incarnationis acta sunt, concludit, quasi dicat : Et quia ita est, ergo sicut audivimus, in promissionibus propheticis, sicut est illud : *Adorabunt eum omnes gentes, et omnes reges servient ei* (*Psal.* XCVII) ; et illud : *In semine tuo benedicentur omnes gentes* (*Gen.* XXIII). *Sic vidimus* in exhibitione. Omnes enim reges, omnes gentes adorant Christum, Christus regnat ad dexteram Patris *in civitate*, in Ecclesia, *Domini virtutum*, quia ibi custodes angelos deputat. Repetit idem dicens : *In civitate*, id est in catholica Ecclesia *Dei nostri* dicit, ne sibi hoc nomen conventus hæreticorum usurpet. Quicunque est in hac civitate, audit et videt ; qui vero extra est, cæcus est. Ne autem putetur hæc civitas temporalis, addit *Deus* ipse *fundavit* stabiliter *eam* civitatem. Ne ergo timeas nequando cadat firmamentum. Fundavit eam, dico *in æternum*, non ad horam, ut prius tabernaculum Moysi (*Exod.* XXVI).

PARS II. VERS. 8. — « Suscepimus Deus misericordiam tuam, in medio templi tui. »

Suscepimus. [Cassiod., Alcuin., Aug.] Secunda pars, ubi agens gratias de adventu Christi, monet de gradibus Ecclesiæ distribuendis, per quos Salvator possit agnosci. Sic continua quo ordine fundata est hæc civitas ? *Ecce suscepimus*, etc., vel ita : quid audivimus et vidimus ? *Ecce suscepimus*, etc., vel ita : *Fundavit*, et vere, quia, o *Deus*, suscepimus nos boni qui sumus grana inter paleas, lilium inter spinas, amica inter filias (*Cant.* II), quid suscepimus ? *misericordiam tuam*. Non solum sacramenta, sed et rem sacramentorum. Nam sacramentis grana et paleæ communicant, rem vero sacramentorum, soli boni percipiunt. Ubi suscepimus ? *in medio templi tui*, id est populi non suscipientis misericordiam, id est in medio palearum, quæ per sacramenta quibus communicant, populus Dei sunt et templum. De quibus Apostolus dicit : *Habentes formam pietatis ; virtutem vero ejus abnegantes* (*II Tim.* III), qui populus palearum multus est, ita ut nulla videantur esse grana ; sed tamen nonnulla sunt, quia

VERS. 9. — « Secundum nomen tuum, Deus, sic et laus tua in fines terræ ; justitia plena est dextera tua. »

Secundum quod est *nomen tuum*, o *Deus*, *sic* est, *et laus tua in fines terræ* [Aug., Cassiod., Alcuin., Cassiod., Gl. int.] Per hoc ostenditur, non in arcto fundata civitas. Vel ita, et agit de actuali susceptione Christi, qua susceptus fuit a Simeone et aliis, quando in templo est præsentatus (*Luc.* II). Et est, *suscepimus, Deus, misericordiam tuam*, id est Filium tuum, *in medio templi tui*, quod erat in Hierusalem, per hoc gravius accusantur, qui contemnut eum, qui in medio eorum est conspectus, et per hoc notatur incarnatio Christi, qui secundum quod homo in templo est præsentatus. Vel ita : Et agit de susceptione Christi per fidem, qua ab omnibus credentibus suscipitur. Suscepimus, fide, o Deus, misericordiam tuam, id est Filium tuum, in medio templi tui, id est in communi populi tui. [Cassiod., Aug., Cassiod., Aug.] Et quia hoc est *secundum nomen tuum*, o *Deus*, quod ubique diffusum est, quia nullus est qui huic nomini se non subjiciat, et si nesciat cultum. Secundum ergo nomen tuum, id est sic ut reverentia tui nominis dilatetur. *Sic et laus tua*, quæ non est nisi in sanctis vera, dilatata est, *in fines terræ*, id est in Ecclesia quæ toto orbe diffusa est, laus tibi datur. Non enim desunt qui te laudent per omnes terras, quia *dextera tua*, id est propitiatio *plena est justitia*, id est justificavit multos, qui omnes laudant. Vel dextera tua, id est æterna beatitudo, in qua parte justi locantur, est plena justitia, id est justis, quia multi sunt justi qui stabunt in dexteram. Unde,

VERS. 10. — « Lætetur mons Sion et exsultent filiæ Judæ, propter judicia tua, Domine. »

Lætetur mons Sion, [Gl. int., Aug., Hier.] id est Judæa, quæ primos radios fidei accepit ; *et exsultent filiæ Judæ*, scilicet confessionis, id est gentes a Juda, id est ab apostolis genitæ per confessionem. Et hoc *proter judicia tua, Domine*, quibus cæcitas contigit in Israel, ut plenitudo gentium subintraret (*Rom.* XI). Et o vos, gentes,

VERS. 11. — « Circumdate Sion, et complectimini eam ; narrate in turribus ejus. »

Circumdate Sion, [Aug., Cassiod., Aug., Cassiod., Aug., Hier., Cassiod.] electos de Judæis. Circumdate dico, non scandalis sed *complectimini eam* brachiis charitatis. Vel ita ab illo loco, *lætetur mons*, et intelligitur mons Sion Ecclesia generalis. Sion enim interpretatur *speculatio*. Et hoc est, *lætetur mons Sion*, scilicet quæ est in speculatione populi. Et, *exsultent filiæ Judæ*, id est Christi, scilicet sanctæ feminæ ; per Judam, genus earum ostenditur, propter Christum qui fuit de Juda, et hæ exsultant, ut in utroque sexu Ecclesia sit. Causa vero lætitiæ sunt judicia Dei : unde sequitur *Propter judicia tua, Domine*. Quasi dicat : Lætetur mons Sion et exsultet. Et hoc, propter judicia tua, Domine, futura, ubi se sciunt ad beatitudinem futuram. Quasi dicat : Et si laborent modo justi inter spinas, tamen exsultent propter hoc, quia non errat Deus in judicando, sed discernet omnia grana a paleis. Concrete ergo nati, discrete vivant, non temere modo judicent : eorum est modo colligere, Dei vero est sperare, nunc merito, in futuro præmio. Illi qui intus sunt lætentur et exsultent ; vos autem reprobi, in quorum medio suscipitur misericordia, qui extra estis, rem sacramentorum non habentes, *circumdate Sion*, non scandalis, sed honores exhibendo ; *et complectimini* charitate *eam*, Sion, id est bonos, et vos prædicatores, *narrate*, id est prædicate aliis laudes ejus. Et hoc *in turribus ejus*, id est in altitudine munitionum ejus, id est in concordia apostolorum qui sunt turres hujus civitatis. Sicut enim in actuali civitate, turres sunt ad munitionem, et ad providendos hostium incursus, et ad loquendum exteris : ita in hac civitate bene sunt turres apostolicæ, quæ sunt muni-

tiones contra hæreticos : et altitudines, de quibus exteris est loquendum, ut possint exteri audire. Ne vero per lætitiam remissi lentescant, in virtute Ecclesiæ monet corda ponere. Unde subdit :

VERS. 12. — « Ponite corda vestra in virtute ejus ; « et distribuite domos ejus, ut enarretis in progenie « altera. »

Ponite corda vestra. [Aug., Gl. int., Aug., Cassiod.] Quasi dicat : Narrate, non ut habeatis pietatis formam, et virtutem ejus negetis : sed, ponite corda vestra, non modo ora *in virtute ejus*, id est in charitate (*II Tim.* III). Virtus enim civitatis est charitas, quam nihil vincit. Unde Salomon : *dilectio fortis est ut mors* (*Can* VIII). *Et*, habita charitate, *distribuite*, id est distinguite, *domos ejus*, domum, scilicet a domo, quæ habet formam tantum ; et quæ cum forma habet pietatem, et nolite confundere, quasi unum sint. Quasi dicat : Si charitatem habueritis, non temere judicabitis, et videbitis malos non obesse bonis. Vel ita : Distribuite domos ejus, scilicet domos circumcisionis et præputii (*Gal.* II), ut Paulus eat in gentes, alii in circumcisionem, dispensationem quidem diviserunt, sed charitatem junxerunt. Hoc magis convenit, id est hæc sententia melius litteræ congruit. Unde subdit, *ut* sic, o prædicatores, *enarratis in progenie altera*, id est usque ad posteros. Vel ita secundum aliam litteram : *Et distribuite gradus ejus*, id est officia distincta ordinatione disponite, scilicet presbyteros, diaconos, et hujusmodi. Ut per eos *enarretis magnalia Dei in progenie altera*, scilicet Christiano populo, qui est secundus ab Hebræo, quem primum elegit Deus.

VERS. 13. — « Quoniam hic est Deus, Deus noster « in æternum, et in sæculum sæsuli ; ipse reget nos « in sæcula. »

Quoniam hic est. [Cassiod., Aug., Cassiod., Aug.] Hic ostendit quid narrandum est, brevis est sententia, sed quæ omnia concludit. Quasi dicat : Enarretis hoc, scilicet quoniam hic, scilicet **103** Christus præsens, in terris visus, et cum hominibus conversatus est (*Baruch.* III) ; *Deus, Deus noster* et si in homine latet, et hoc *in æternum* non ad tempus, ut falsi dii. Hoc dicit contra eos qui temporales homines deos faciebant. *Et* pro, id est *in sæculum sæculi*, et *ipse reget nos* ne cadamus, quia rex est Christus ; est enim Deus et rex noster, quia Deus est, protegit ne moriamur ; quia rex est, regit ne cadamus. Et hoc *in sæcula*, id est sine fine.

COLLATIO IN PSALM. XLVII : « MAGNUS DOMINUS, » etc.

In titulo mystice addiderunt LXX, *secunda Sabbati*. Firmamentum enim factum est secundo die, per quod intelligitur Ecclesia, de qua nobilissime tractat psalmus.

VERS. 2. — *Fundatur exsultatione universæ terræ*. Hic mire variant translatores. Hieron., *specioso germine, gaudio universæ terræ* ; Sanctes, *pulcher termino, gaudium universæ terræ* ; Pratensis, *formosa nympha, lætitia totius terræ* ; Munsterus, *pulcher locus, et gaudium universæ terræ* ; interpretes pro Cajetano, *pulchra sponsa lætificans terram* ; Paraphrasis Campensis, *elegans regio, gaudio universæ terræ* ; translator ad eumdem, *speciosa nympha est, et decus universæ terræ*; Chaldæus, *pulcher ut sponsus, gaudium omnium habitatorum terræ*; Nebiensis, *pulcherrimo frutice, lætificans omnem terram*. Quo divertemus in tanta diversitate ? pugnent quantum volent. Notum est ortam esse hujusmodi varietatem ex particula Hebraica נוף NOPH, quæ multiplex est, ad *levare*, *germen*, ad *sponsam* ad *regionem*, ad *favum mellis*. Primam significantiam acceperunt LXX, *levatur exsultatione universæ terræ* ; quod non potest fieri solide sine fundamento. Omnes tamen versiones in unum possunt reduci. Etenim sancta Ecclesia, supra firmam petram stabilita, frondet vernantibus ramis ; florescit fragrantibus rosis, et est regio spiritualis, sponsa tandem Christi formosissima.

VERS. 4. — *Quoniam ecce reges terræ congregati sunt*. Nec in LXX, nec in Hebr. legitur *terræ*. Et Hieronymus scribit ad Suniam et Fretellam se de veteribus Latinorum codicibus sustulisse. Sunia et Fretella legebant pro *terræ ejus*. Psalmodia Romana et contextus Augustini habent *terræ*. Quod cum receptum sit in usu Ecclesiæ, non est jugulandum : imo ipse Hieronymus interpretatur in commentariis *reges terræ*, id est principes sæculi, ac in Græcis codicibus quos licuit videre, legimus οἱ βασιλεῖς τῆς γῆς.

VERS. 6. — In *spiritu vehementi*. Hieronymus, *in vento uredinis* ; alii, *in vento orientali* ; Chaldæus et Pratensis, *vento noto* ; et translator ad Campensem, *noti procella*. Sed ventus orientalis, qui dicitur Eurus, vel Vulturnus, est calidus et siccus, ob idque urens et vehemens.

VERS. 11. — *Narrate in turribus ejus*. Quoniam ספר SAPHAR, est indifferens ad *narrare* et *numerare*. Priorem significantiam LXX respicientes subaudierunt propositionem *in*. Alias vertunt *numerate terras ejus*, utrobique digna intelligentia.

VERS. 13. — « *Distribuite domos ejus*. פסגו PASEGU, id est *roborate* vel *exaltate*, quomodo vertunt Neoterici Hebraicantes. Hieronymus et LXX videntur legisse פלגו PALEGU, quia LXX reddunt *distribuite*, illæ *separatæ*. Ad sensum exigua est distantia, sicut quod nos dicimus domos, ponunt palatia, ארמנותיה ARMENOTHEHA. Denique non est improbabile quin primum vocabulum significet *distribuere*, ut refert lexicon academiæ Complutensis. Et Nebiensis vertit *separate*.

VERS. 13. — *Ipse reget nos in sæcula*. עלמות ALMUTH, id est *usque ad mortem*, vel *super mortem* vel *in morte*, ut reddunt Hieronymus, Munsterus, Sanctes, et paraphrasis Campensis. Sed Pellicanus et interpretes pro Cajetano, *æternaliter* ; translatio ad Campensem, *in sempiternum*. Cæterum *usque ad mortem*, id genus locutionis, satis indicat æternam Dei providentiam circa sanctos suos : Pratensis vertit *per juventutem* ; Chaldæus et Nebiensis, similiter, ut almuth sit unica dictio ; sic enim juventutem significat, per quam intelligit Rab. Salom. teste Lyra *suavitatem*, metaphoricos, ut intelligas Deum ducere nos suaviter, quemadmodum puer bonæ indolis, a prudenti patre, dulciter et humaniter tractatur.

PSALMUS XLVIII.

PSALMI TITULUS : « IN FINEM FILIIS CORE, PSALMUS DAVID. »

Audite hæc, omnes gentes. [Alcuin., Aug., Hier., Cassiod., Aug.] Titulus : *In finem filiis Core psalmus David.* Agit hic Propheta de amatoribus hujus mundi, ostendens eos cum gloria sua perituros; et de Christo redemptore, non illorum, sed contemptorum mundi, redarguens eos, illos qui colunt Deum, ut hic eis bene sit : qui murmurant vel blasphemant Deum, quia mali florent, et ipsi premuntur, quasi Deus hæc ignoret, vel non curet, ne ipse laboret videndo, vel corrigendo. Contra hos loquitur hic Propheta filiis Core. Et est sensus : *Psalmus* iste, *David* tendens *in finem*, id est in Christum, cantatur *filiis Core.* Intentio. Monet, ut dejectus in mundo, non appretietur elatos. Modus. Quatuor sunt partitiones. Primo attentos facit ad nova, et ad ingentia quæ dicturus est. Secundo incipit prosequi illa, dicens quod Christus non redimet improbos, ibi, *cur timebo.* Tertio quæ impiis et justis reddenda sunt, ibi, *sicut oves.* Quarto admonet ne timeantur potentes, qui omnia cum luce relinquunt, ibi, *ne timueris.* Primo ergo reddens attentos, ait :

VERS. 1. — « Audite hæc, omnes gentes; auribus « percipite, omnes qui habitatis orbem. »

Audite hæc quæ dicturus sum. [Aug.] Hic attentos facit *omnes gentes*, id est omnes iniqui. Hæc jam hodie quæ hic dicuntur, per recitatores audiuntur. Videmus enim hunc psalmum, qui ante non recitabatur nisi in una gente Judæorum, nunc recitari per totum orbem terrarum, scilicet per omnes Ecclesias, *et auribus* audiendi *percipite.* Quasi dicat : Non transeuntes audiatis *omnes qui habitatis orbem*, id est, omnes justi, qui sunt domini, non servi rerum : habitant enim orbem, qui non tenentur ab orbe, nec ejus erroribus implicantur. Postea quod dixerat exponit, dicens :

VERS. 2. — « Quique terrigenæ et filii hominum; « simul in unum dives et pauper. »

Quique terrigenæ. [Cassiod., Aug.] accipientes per terrigenas, iniquos, et per filios hominum, justos. Vel ita, ut per gentes et inhabitantes communiter omnes homines accipiat, sic : Audite hæc omnes gentes, nullum excipio, quia non accipit Deus personas, omnibus præsto est ipse, et generale beneficium est incarnatio, et ut manifestius fiat quod dixit, addit, *auribus* audiendi, *percipite*, *omnes qui habitatis orbem. Quique*, etc. Exponit hic per partes quos ante vocaverat terrigenæ, id est, iniqui : terrigenæ sunt qui vitia terrena sequuntur, quasi geniti a terra : hi sunt in parte Adæ, qui fuit homo, non filius hominis. *Et filii hominum*, audite, id est justi, qui sunt in sorte Christi, qui fuit filius hominis, cujus gestavit imaginem (*II Cor.* XV). Post ea addit. *Quique*, scilicet *terrigenæ, et filii hominum*, ad utrumque enim refertur. Ac si dicat : Nulli sermonem subtraho, audiat hæres terræ propter judicium, id est unde judicetur ut sic timeat, et justus propter regnum, id est unde regnet, ut sic diligat. Postea sequitur brevis explicatio justorum, cum subditur, *dives et pauper*, dives refertur ad terrigenas, pauper ad filios hominum, etc. Dives, id est terrigena et pauper, id est Filius hominis, audite, qui estis *simul in unum*, id est non separati usque ad messem, quandoquidem non simul eritis, quando separabuntur zizania a tritico (*Matth.* XIII), oves ab hædis (*Matth.* XXV). Audiant ergo nunc, simul in unum, id est non separatim, et pascantur simul agni et hædi donec veniat, qui segreget alios ad sinistram, alios ad dextram (*ibid.*)

VERS. 3. — « Os meum loquetur sapientiam; et « meditatio cordis mei prudentiam. »

Os meum. [Cassiod., Aug., Cassiod.] Commendat dicenda, quasi dicat : Ideo audite, quia *os meum loquetur sapientiam*, id est Christum. Sapientia ad divinas res pertinet. Et ne putes eum solo ore, et non ex corde loqui, addit, *et meditatio cordis mei loquetur prudentiam*, scilicet de moribus, quod est in futuro providere. Prudentia enim ad instruendos mores pertinet. In his duobus omnis sermo divinus indicatur, nec hoc a me, sed.

VERS. 4. — « Inclinabo in parabolam aurem meam; « aperiam in psalterio propositionem meam. »

Inclinabo aurem meam in parabolam, [Hier., Alcuin., Hier., Aug., Hier., Aug.] id est humiliabo me veritati intus loquenti, quæ docet me loqui per parabolas, ne omnibus pateat. Vel, inclinabo aurem meam in parabolam, id est humiliabo me veritati, quæ per parabolas et ænigmata me docet. Videmus enim nunc per speculum in ænigmate (*I Cor.* XIII). Quidquid enim modo videmus per ænigma est. *Et aperiam in psalterio*, id est factis ostendam *propositionem meam*, id est quid mihi præ omnibus propono, id est æternam beatitudinem. Et est sensus, Factis ostendam quod dico.

PARS. II. VERS. 5. — « Cur timebo in die mala? « iniquitas calcanei mei circumdabit me. »

Cur timebo? [Cassiod., Alcuin., Aug.] Secunda pars, ubi incipit narrare quæ supra promisit, dicens quod Christus non redimet impios. Hic Propheta in sua persona generalem agens causam, quærit causam damnationis et timoris malorum, quæ est iniquitas. Et hoc est, *cur timebo in die mala*, id est in die judicii? quæ dicitur dies, quia tunc omnia aperta erunt; et mala, quantum ad injustos, qui tunc damnabuntur. Ecce cur timebo, quia, *iniquitas*, etc., id est, pro iniquitate timebo, quam vitare possum. Mors quam timent homines, separatio est animæ a carne. Mors autem vera quam non timent, separatio est animæ a Deo. Utraque vero diaboli persuasione propinata est homini.

Quasi dicat : Non est quod timeam, id est quod timere me oporteat, si volo, cum iniquitatem, quæ est causa timoris, vitare in mea sit potestate : pro qua tantum timebitur in die novissima, quæ erit damnatis mala, non justis. Juste ergo punietur quicunque non vitat, cum possit; et hoc est, ideo timebo quia iniquitas *calcanei mei circumdabit me*. Alludit verbis quæ in Genesi Dominus serpenti dixit : *Inimicitias ponam inter te et mulierem : ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus* (*Gen.* III). In singulis nostrum est hæc mulier, et vir ejus. Eva enim caro nostra est, quæ seducit virum, id est rationem, per quam carnem labitur homo, qui lapsus per calcaneum hic significatur, quem observat diabolus, ut dejiciat. Vel per calcaneum, finis vitæ intelligitur, cui diabolus maxime insidiatur; per caput serpentis initium diabolicæ suggestionis. Hinc dicitur : *Illa observabit caput tuum*, o serpens, (86) [Aug.] id est initium suggestionis, ne veniat delectatio. Et tu ejus calcaneum observabis, id est lapsum carnis, vel **104** finem vitæ, ut insidieris. Et hoc est, iniquitas calcanei, id est quæ mihi est ex lapsu carnis, quem observat diabolus. Observat enim diabolus quando labaris, ut dejiciat te; tu observa caput ejus, id est initium suggestionis. Vel, iniquitas calcanei mei, quæ mihi erit in fine, circumdabit me, id est opprimet me, et faciet me timere.

VERS. 6. — « Qui confidunt in virtute sua, et in « multitudine divitiarum suarum gloriantur. »

Qui confidunt. [Aug., Alcuin., Cassiod., Aug.] Hi sunt quos circumdabit iniquitas calcanei, scilicet, *qui confidunt in virtute* corporis vel animi, in divitiis vel amicis, in quibus summa omnium terrenorum concluditur. Quasi dicat : Timor est de iniquitate; iniquitas vero de terrenis, in quibus adeo stulti sunt, quia alii sunt. Qui confidunt in virtute *sua*, id est præsumunt in virtute sua corporali, vel ingenii, et alii, quia *gloriantur in multitudine divitiarum suarum*, id est qui gloriantur in divitiis multis, unde superbiunt. Unde enim inflatur homo magis, quam de divitiis? Et nota quia post intrinseca quæ nomine virtutis significatur, ponit exteriora quæ intelligit per divitias. Et alii sunt qui confidunt in amicis, hoc subintelligendum est; sed frustra, quia

VERS. 7. — « Frater non redimit, redimet homo; « et non dabit Deo placationem suam. »

Frater, [Aug., Aug., Alcuin., Cassiod., Hier., Aug.] ad litteram, *non redimit* eum. Et vere *non*, quia, an *redimet* eum *homo* purus? Quasi dicat : Non, quia *non dabit* frater, vel alius homo, *deo placationem suam*, id est unde Deus placetur. Vel ita ab illo loco, *qui confidunt*. Quasi dicat : Ideo timendum est iniquitate circumdato, quod per partes iniquitatis exponit, scilicet quem circumdet iniquitas, cum ait, *qui confidunt et gloriantur*, etc., quia eos

A scilicet *Qui confidunt in virtute sua, et in multitudine divitiarum suarum gloriantur,* hoc non mutatur. Frater, id est Christus, sub admiratione pronuntiandum, qui est primogenitus in multis fratribus (*Rom.* VI), et qui post resurrectionem dixit : *Vade, et dic fratribus meis* (*Joan.* XXI). Ille, inquam, tantus frater, non redimit : et si ille frater, id est Christus non redimit, redimet homo, qui sauciavit? Quasi dicat, nullus homo redempturus est. Qui ergo in hoc fratre confidit, non timebit in die mala, ut alii. Ideo non redimet homo, quia non dabit homo Deo placationem suam, id est unde placetur.

VERS. 8. — « Et pretium redemptionis animæ « suæ; et laboravit in æternum, et vivet adhuc in « finem. »

B *Et* non dabit *pretium redemptionis animæ suæ*, [Cassiod., Aug., Hier., Alcuin.] id est unde redimatur anima hominis, quia nulla oblatio potest compensari pretio Christi. Vel ideo, frater, id est Christus, non redimet talem, quia iste talis, qui confidit in virtute, vel divitiis, vel amicis, non dabit Deo placationem suam, id est qua flectat Deum pro peccatis; et non dabit Deo, pretium redemptionis animæ suæ, id est eleemosynas, quibus redimat animam; *et* ideo hic talis *laborabit in æternum*. Labor non finietur, vita finietur. *Vivet* tamen *adhuc in finem*, id est, post finem vitæ; vivet secundum animam, quia non peribit anima cum corpore, sed dolori reservabitur, usquequo accepto corpore utrumque crucietur. Ideo laborabit, quia

C VERS. 9. — « Non videbit interitum cum viderit « sapientes morientes; simul insipiens et stultus « peribunt. »

Non videbit interitum, [Aug., Alcuin.] id est non intelliget quod sit verus interitus. Et hoc, *cum viderit sapientes morientes*, id est quia vident æque mori bonos et malos. Dicit enim : Si sapiens qui pie coluit Deum mortuus est, et non potest evadere, cur sequerer eum? Faciam mihi bene dum vivo, et ita nescit iste, quid sit verus interitus, qui ei eminet æternus, tamen sapiens transit ad vitam, sed *insipiens*, id est qui sibi non prospicit in futuro; *et stultus*, scilicet qui nescit in quo malo nunc sit. Vel, insipiens, qui non attendit mala præsentia vel futura, et stultus, qui, si attendit, non cavet, *simul*
D *peribunt*.

VERS. 10. — « Et relinquent alienis divitias suas; « et sepulcra eorum domus illorum in æternum. »

Et relinquent divitias, [Alcuin., Aug., Gl. int., Aug.] propter quas fecerunt mala. Divitias dico, *suas*, quæ non sunt secundum Deum, *alienis* : et si filiis relinquant, alienis tamen, quia alieni sunt, qui nihil prosunt; *et sepulcra eorum* sunt *domus illorum*, qui palatia ædificaverunt *in æternum* hujus sæculi. Quasi dicat : In sepulcris manent, non in palatiis quæ exstruxerunt. Vel ita : et sepulcra eorum, secundum opinionem suam, sunt domus illorum in

(86) August., ad vers. 14 hujus Psalmi.

æternum, sunt, id est putant quod sepulcra eorum quæ construunt quasi domos æternas ad memoriam, semper sint domus sibi quamvis in inferno magis maneant.

VERS. 11. — « Tabernacula eorum in progenie « et progenie; vocaverunt nomina sua in terris « suis. »

Tabernacula etiam *eorum,* [Aug., Gl. int., Aug.] in quibus ad tempus sunt, id est domos quas hæreticis relinquunt, putant esse duraturas *in progenie* filiorum *et progenie* nepotum. Et deinceps, *et vocaverunt nomina sua,* id est hoc quærunt, ut invocentur nomina eorum a domibus illorum : quod tamen, non est magnum, quia hæc invocatio tantum fuit, *in terris suis,* id est in provinciis suis, non apud exteros fama eorum pervenit. Vel ita secundum aliam litteram, scilicet, *invocabant nomen eorum in terris ipsorum.* Hæc faciunt hæredes, qui ad sepulcra mortuorum inebriant se in memoriam eorum, sed nec gutta pervenit ad linguam in inferno ardentis. Ventri itaque suo serviunt, nons spiritibus defunctorum : ad spiritus enim defunctorum nihil pervenit, nisi quod fecerunt dum viverent. Et tam in hoc quam in cæteris,

VERS. 12. — « Homo cum in honore esset, non « intellexit; comparatus est jumentis insipientibus, « et similis factus est illis. »

Homo non intellexit, [Aug.,Alcuin.,Aug.,Alcuin., Gl. int.] id est non intelligibiliter egit, dum sepulcra quasi æterna exstruit, et nomina sua facit invocari, cum potius æterna deberet quærere, *cum* tamen *in honore esset,* id est ad imaginem Dei factus,non quidem viribus, sed rationis intellectu. Vel ita : quasi dicat : Ita studet homo vanis, et inde non est accusandus Deus, sed homo, quia, homo cum esset in honore, id est ad imaginem Dei factus, *non intellexit* suam dignitatem, scilicet quod intellectu præest homo jumentis, non viribus. Quasi dicat : Non intelligibiliter egit, sed *comparatus est* amissa ratione *jumentis insipientibus,* id est non in alia re, sed in insipientia. Et merito *et,* id est quia *similis factus est illis* vitio suo, non natura; illis, id est jumentis.

VERS. 13. — « Hæc via illorum scandalum ipsis; « et postea in ore suo complacebunt. »

Hæc via. [Cassiod., Aug.] Hic jam omnia dicta in unum colligit. Hæc via, quasi dicat : Ita agunt illi. Et hæc via, id est vita, quæ dicitur via, quia ducit ad mortem. Via dico, *illorum,* non Dei, est *scandalum,* id est stimulus et dolor, non securitas, quia de suis actibus torquentur *ipsis,* id est malis. Non ita sit tibi, ut tales putes esset beatos. Vita malorum scandalum est. Unde Habacuc : *Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ; turbabuntur pelles terræ Madian.* (*Habac.* III), (87). Æthiopes nigri dæmones sunt, animos seductorum nigredine peccatorum et vitiorum caligine offuscantes. Unde : A *Dedisti eum escam populis Æthiopum* (*Psal.* LXXIII). Horum tentoria et tabernacula sunt mali, qui de divitiis vel honoribus laborant, sicut boni æterna quærentes sunt templum Spiritus sancti (*I Cor.* III). Idem etiam sunt pelles terræ, quia terram amant, non cœlum; non dant terrena pro æternis, sicut Job ait : *Pellem propelle, et omnia quæ habet homo, dabit pro anima sua* (*Job* II). Pellem propelle, et omnia quæ habet homo, scilicet terrenitatis et mortalitatis pellem deformem pro pelle gloriosa. Vidi ergo quod turbabuntur tentoria Æthiopiæ, scilicet pelles terræ, et hoc pro iniquitate sua. Per quid turbabuntur? [Hier., Alcuin.. Aug.] Madian, id est ex judicio cujus metu et nunc et in futuro cruciabuntur. *Et postea in ore suo complacebunt* aliis, id est B alios secum perdunt; vel *in ore suo,* ubi simulatio est, complacebunt, quia sua mala palliant. Et ideo illis placent, non in corde, sed in ore. Vel, *benedicent,* alia littera quasi dicat : Cum tales sunt ut non quærant nisi bona temporalia, fiunt etiam hypocritæ, et labiis benedicent Deum, non corde, Audientes enim de æterna vita, de contemptu mundi non curant, sed ne erubescant vel corripiantur, ore benedicunt Deum, et pejores sunt apertis malis, et fiunt posteriora prioribus deteriora. Vel benedicunt Deum, implendo desideria. Hic est nos peccantium. Cum enim vota implent, Deo gratias agunt, sed in ore suo hoc faciunt, juxta illud : *Populus hic, labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me* (*Matth.* XV).

C PARS. III. Διάψαλμα. VERS. 14. — « Sicut oves in « inferno positi sunt; mors depascet eos. »

Sicut oves. [Cassiod., Aug., Gl. int., Aug., Alcuin., Cassiod., Alcuin.] Tertia pars, ubi dicit quæ justis et impiis reddenda sint. Quasi dicat : Illi ita se jactant, sed *positi sunt* illi, qui sola præsentia attendunt, jam *in inferno* mente, ut justi mente in cœlo faciunt. Ipsi dico existentes, sicut oves, scilicet ignavi, *et mors,* id est diabolus, pastor est eis; alia littera, ut Christus vita, ita diabolus est mors, qui pastor est illis, ut ovibus quas trahit ad pascua mortis. Vel ita se jactant, sed mihi jam constat quod positi sunt, id est quod ponentur, post hanc vitam, in inferno sicut oves : oves enim amissa lana manent, sic in istis, sine consumptione substantiæ, D pœna invenit quod cruciet. Et mors *depascet eos,* Hoc dicitur a simili jumentorum, quæ non radicitus vellunt herbas, sed summitates carpunt, unde iterum herbæ nascuntur ad pastum, sic et illi morte depasti reviviscunt, quia non deficiunt. Vel depascet eos, id est de pascua ad pascuam, id est de pœna ad pœnam ducet.

VERS. 15. — « Et dominabuntur eorum justi in « matutino; et auxilium eorum veterascet in inferno « a gloria eorum. »

Et justi dominabuntur eorum. [Cassiod., Hier., Aug., Cassiod., Aug., Cassiod.] id est præemine-

(87) Hier. in commentariis Habacuc. III, lib. II.

bunt eis et judicabunt eos *in matutino*, id est in resurrectione, quando omnia erunt aperta, quia modo est nox, dum non apparent merita justorum, et quasi felicitas nominatur impiorum; *et auxilium eorum*, quod hic habebant in gloria sæculi, quod erat *a gloria eorum*, id est a virtute sua, pecunia, amicis, *veterascent* a simili panni, *in inferno*. Vel, auxilium eorum veterascet in inferno : et hoc, a gloria eorum, id est juxta quantitatem gloriæ eorum; quia quantum aliquis malus visus est habere gloriam inter homines, tantum in inferno corruptionem patietur. Vel ita distingue, secundum aliam litteram, auxilium eorum veterascet in inferno, hic distingue : a gloria eorum, vel sua expulsi sunt, hæc est alia littera. Ipsa ita, sed ego non. Et hoc est.

VERS. 16. — « Verumtamen Deus redimet animam meam de manu inferi, cum acceperit me. »

Verumtamen Deus redimet animam meam. [Cassiod.] Ut terror prædictorum prosternit malos, ita spes redemptionis relevat bonos. Redimet dico, *de manu inferi*, id est potestate diaboli, qui ante adventum Christi animas tenebat, *cum acceperit me*, id est carnem ex me.

PARS. VI. Διάψαλμα. VERS. 17. — « Ne timueris « cum dives factus **105** fuerit homo; et cum « multiplicata fuerit gloria domus ejus. »

Ne timueris. [Cassiod., Aug., Cassiod.] Quarta pars, ubi est admonitio ne timeantur potentes in sæculo, qui omnia cum luce relinquunt. Cur enim hæc peccatoribus sunt permissa, communis quærela est. Quasi dicat : Quia sic peribunt mali, et Deus redimet suos. Ergo ne timueris esse bonus, *cum dives factus fuerit homo*, in quo videris frustra tibi laborasse, qui justus es, et tamen pauper. Non est magnum quod dives est; hoc enim abjecti habent : Postea subjungit quod majus est, dicens : *Et cum multiplicata fuerit gloria* quæ est in honoribus sæculi. Gloria dico, non tantum ejus, sed et *domus ejus*, quia non solus ipse, sed etiam omnes qui ad eum pertinent, honorantur; et hoc etiam dicit pro nihilo esse ducendum. Ideo ne timueris,

VERS. 18. — « Quoniam cum interierit, non sumet omnia; neque descendet cum eo gloria ejus. »

Quoniam cum interierit, non sumet omnia, [Aug., Cassiod.] hic possessa*; *neque descendet gloria ejus* ad inferos *cum eo*, quia in abyssum cadet, ideo ait, descendet. Et ideo descendet.

VERS. 19. — « Quia anima ejus in vita ipsius benedicetur; confitebitur tibi, cum benefeceris ei. »

Quia anima ejus [Cassiod., Aug., Cass., Aug,] sensualis, non ratio *benedicetur*, id est exaltabitur; *in vita ipsius*, quia quandiu vixit, sibi benefecit : in morte torquebitur anima. Vel, benedicetur, non utique de bono actu, sed de deliciis. Benedicetur, enim favore luxuriantium, qui inter epulas pastoribus bene optant. Ideo etiam descendet, quia *confitebitur tibi*, id est laudabit te, o Deus, *cum benefeceris ei*, id est solummodo in prosperis : bla-

A sphemat in adversis; despecta vero confessio est, quam prosperitas facit; sed illa est magni meriti, quam non tollit vis doloris. Nec sufficit ei propria iniquitas, imo etiam

VERS. 20. — « Introibit usque in progenies patrum « suorum; usque in æternum non videbit lumen. »

Introibit usque in progenies patrum suorum, (Aug., Hier.) id est imitabitur antiquos patres iniquos, et ideo *non videbit lumen*. Qui enim patres pessimos imitantur, eorum societate damnandi sunt. Non videbit dico *usque in æternum*, quia etiam hic in tenebris interioribus est, et postea exteriores patietur (*Matth.*, XXII). Sed quare hoc? quia,

VERS. 21. — Homo cum in honore esset, non in« tellixit; comparatus est jumentis insipientibus,
B « et similis factus est illis. »

Homo cum in honore esset non intellexit. (Aug., Cassiod.) Quasi dicat : Non est inde accusandus Deus, sed homo. Et ideo *comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis*. Iterat hic deformitatem hominis, ut malus a malo quiescat.

COLLATIO IN PSALMUM XLVIII : « AUDITE, » etc.

VERS. 1. — *Omnes qui habitatis orbem*. Hier., *habitatores occidentis*; Pratensis et Pellicanus, pro *orbe*, vertunt *tempus* et *ævum*; Sanctes, et cæteri, *orbem*, cum LXX. Cæterum cum simus temporarii et mortales, et dictio חלד HELED significet tempus in hoc sæculo, in quo occidimus, non læditur sententia. Et rabbi Emmanuel dicit mundum generabilem et corruptibilem, idque Hier. apposite innuit per occidentem.

VERS. 7 et 8. — *Frater non redimit, redimet ho-*
C *mo; non dabit Deo placationem suam et pretium redemptionis animæ suæ*. Ut repetatur negatio mox præcedens, et secunda clausula, redimet homo? legatur admirative vel interrogative secundum Aug. Nostra editio ferme ad verbum respondet Hebræo אח לא פדה יפדה איש ACH LO PHADOH IIPHDOH ISCH. Hier. aliter vertit, *fratem redimens, non redimet vir, nec dabit Deo propitiationem pro eo*. Et pretium redemptionis animæ eorum, ubi commutat ordine præpostero negationem priorem, quæ in Hebræo retrahitur ad priorem particulam. Consimiliter Munsterus, diversam tamen habens translationem, *at frater redimendo, redimere non potest quemcunque, nec dare potest Deo redemptionem ejus; pretiosa est enim redemptio animæ eorum*; Pratensis, *frater non redimens redimet virum; et non dabit Deo redemptionem ejus, et erit pretiosa redemptio animæ eorum*; Pellicanus, *frater non redimendo, redimet virum*, etc.; Nebiensis, *fratrem nequa-*
D *quam redemptione redimet vir*. Hic etiam refert quorumdam Hebræorum opinionem, qui sentiunt אח AH, id est *fratem*, pro אחד EHAD, id est *unus* positum, ut sit sensus : *Unus non redimit, redimat quisque*, vel *redimant singuli*; Sanctes, *fratrem non redimendo, redimet quispiam*, etc. Interpretes pro Cajetano, *fratrem non redimendo, redimet vir*, etc. Translatio ad Campensem, *nemo fratrem suum ulla ratione potest redimere, nec pro eo rationem Deo dare*. In tot versionum ambagibus, non est quod quis discrutiet, cum ecclesiastica lectio satis sit clara, et veritati Hebraicæ proxime respondens.

VERS. 8. — *Et laborabit in æternum*. Hier et Hæbraismo hærentes, oppositum sensum reddere videntur : sed *quiescet* seu *desinet in æternum* cum *labor* et *quies* pugnent, quem locum impetiverunt hostiliter Fab. et Cæcus. Secundum Aug. intelligitur de eo, qui dum viveret, confidebat in virtute

sua, et in multitudine divitiarum gloriabatur. At ubi reddenda fuerit ratio coram tribunali judicis post finitam vitam, nil invenit quo redimeret animam suam, et ideo laborabit in æternum, vitaque ejus voluptaria, quam in deliciis duxerat, finem invenit, et jam damnaturi adjudicatus; cessabit a gaudiis illis, quibus inebriatus fuit, nec miseriam deinceps vitare poterit, aut pœnitentiæ locum invenire. Ac proponit exemplum spectabile divitis epulationis, et ulcerosi Lazari, qui vicem in morte mutarunt. Hic laboraverat in finem, et vivet in æternum : ille vixerat in finem, laborabit in æternum. Ex quibus perspicis quemadmodum accipiendum sit *labore*, et *desinere* in æternum.

VERS. 10. — *Sepulcra eorum domus illorum in æternum.* Hieronymus, *interiora sua, domos suas in sæculo,* ut referantur ad verbum quod præcessit, *relinquent :* Pellicanus, Pratensis, Sanctes, pro Cajetano interpretes, *intimum illorum, domus eorum in sæculum ;* Munsterus, *et tamen cogitatio eorum est, quod domus suæ maneant in æternum.* Particula Hebraica קרב QUEREB, cum significat medium et omne intimum, facile potest accommodari ad sepulcrum, ad cogitationem aut quodlibet, quod quadraret proposito. Nobiscum sunt Chaldæus et Nebiensis. Quomodo autem debeat intelligi sensus, habes in enarratione versiculi.

VERS. 12. — *Homo, cum in honore esset, non intellexit.* In fine psalmi repetitur idem versus, ubi legerunt לא יבין LO IABIN, id est *non intelliget*, seu *non intellexit*, ut sit futurum loco præteriti, aut præsentis juxta versionem Munsteri. In præsenti loco legitur לא ילין LO IALIN, id est non commorabitur seu pernoctabit. Iabin et ialin non longe distant, eoque valde probabile est, interpretes utrobique legisse iabin, quanquam eo pacto possit conciliari intelligentia, quasi dicas : Homo conditus est in honore, dotatus ratione, at, proh dolor ! in illa non est commoratus, quia cito prævaricatus est, feminæ, non rationis consilio voluntatem suam credens ac permittens.

Similis factus est illis. Pratensis et Munsterus vertunt *quæ*, scilicet jumenta, *exterminata sunt* vel *interierunt*. Hieronymus dicit nobiscum, *et exæquatus est ;* Sanctes et alii, *similes sunt*, vel bestiæ *exæquatæ sunt* videlicet hominibus, in eumdem sensum habet. Nebiensis, *assimilatus est jumentis mutis*. נדמו NIDMU descendit a radice דמה DAMAH, quæ est anceps ad exterminare et assimilare : unde varietas profecta est.

VERS. 13. — ואחריהם בפיהם ירצו VEAHAREHEM BEPHIHEM IIRTZU, id est *postea* vel *posteri eorum*, *in ore suo*, aut *eorum*, vel *secundum ipsa*, *complacebunt* vel *current*. Propter multiplicitatem significantiæ particularum et acceptionis earum, hic vertit hoc modo, ille diverso, alius alio. Nusquam sensus deviat a veritate sanæ intelligentiæ, dum non damnetur lectio recepta in usu Ecclesiæ, quæ aliis merito præferri debet, ne fluctuemus per abrupta. Et manifestum est ירצו IIRTZU esse futurum verbi רצה RATZAH, id est *voluit, complacuit.* Quia si esset a themate רוץ, id est *cucurrit*, legeretur ירוצו IARUTZU, etiamsi prius vocabulum nonnunquam pro *ambulare* sumatur.

VERS. 14. — *Et dominabuntur eorum justi.* Hieron. ad Suniam et Fretellam, hic docet, sicut et in plerisque aliis locis, interpretis esse non verbum de verbo, sed sensum de sensu exprimere. Itaque scribit : « *Pro justis,* οἱ εὐθεῖς, id est *rectos* in Græco vos legisse dicitis, sed hoc propter euphoniam, ita in Latinum versum est. Alioqui et in eo loco, ubi scriptum legimus, *ecce scriptum est in lib.* εὐθέων, *justorum* intelligimus librum, et non debemus sic verbum de verbo exprimere, ut dum syllabas sequimur, perdamus intelligentiam. » Hæc ille.

VERS. 15. — *Et auxilium eorum veterascet in inferno.* Hieronymus, *et figura eorum conteretur in inferno ;* Pratensis, *et fortitudinem eorum consumet fovea ;* Pellicanus, *et robur eorum ad consumptionem.* Deinde infernum refert ad id quod sequitur. Sanctes, *figura eorum, ut veterescat, egredietur ad foveam ;* Munsterus, *forma eorum erit in defectionem in sepulcro, in quod migrat quisque,* etc.; interpretes pro Cajetano, *figura eorum ad consumendum foveam ;* Translator ad Campensem, *thesaurus istorum veterascet.* Hebraice sic habetur לבלות שאול וצורם VETZURAM LEBALLOTH SCHEOL. Prima particula est valde anceps ad *auxilium, robur, figuram* et pleraque alia. Secunda particula est infinitivi modi, quæ debet exponi per gerundivum. Tertia significat *foveam, sepulcrum, infernum.* Et quia Hebr. destituuntur casuum variatione, unus refert ad præcedentia, alius ad sequentia : ac ne oratio sit manca, hic subaudit quod magis sibi videtur accommodum ; accipiendo verbum passive aut active ; alius aliud quid commentatur. Nostra lectio et Hier. versio, propinquius accedunt ad veritatem Hebraicam, juxta diversam significantiam primæ voculæ. Alii confundunt lectorem, etsi ad eumdem scopum fortasse tendant.

A gloria eorum. Græcus addit ἐξώθησαν, id est *expulsi sunt*, idque legitur in Psalmodia Romana. Non tamen habetur in Hebr. nec in editione Vulgata. Hebr. מזבל לו MIZZEBUL LO. Quod si ad verbum reddas, id est *ab habitaculo sibi ;* Hier., *post habitaculum suum ;* Pratensis, *pro habitaculo suo :* Sanctes, *ab habitaculo quod erat sibi ;* Munsterus, *de habitaculo suo ;* Pellicanus *infernus habitaculum eorum.* Latina Psalmodia satis respondet Hebr., nisi quod pro *habitaculo*, ponit *gloriam*. Sed si accipias habitaculum pro corpore, in cujus solius cura demorantur ac gloriantur sæculi homines, recte loco *habitaculi*, dixerunt *gloriam*, quæ in inferno veterascet, ut eo sit major ignominia et despectio, quo amplior eorum sæcularis fuerit gloria.

VERS. 19. — *Confitebitur tibi cum benefeceris ei.* Hier. ex Hebr., *laudabunt te cum benefeceris tibi.* Ad eumdem modum cæteri, ut sensus sit, impios laudare eos qui ad sui imitationem animæ suæ benefaciunt, id est voluptatibus vitæ vacant. Cæterum littera caph finalis, paulo distat a vau, ob idque potuerunt exemplaria variare לך vel לו LAC vel LO, id est *tibi* vel *ei*. Quantum vero spectat ad quædam plurative dicta ex Hebr. quæ unice efferimus exigui est momenti, cum sensus constet.

106 VERS. 21. — *Similis factus est illis.* De hoc supra dictum est vers. 12. Sed monet, quod in illo Hieronymus vertit *exæquatus ;* hic *silebitur*. Ergo hic deflectit נדמו NIDMU a radice דום DOM, id est *silere*. Secus tamen efferendum esset ad rationem grammatices, nisi dicas quod דמה DAMAH etiam silere designet, id quod testatur Sanctes in suo Thesauro.

PSALMUS XLIX.

PSALMI TITULUS : « PSALMUS ASAPH. »

Deus deorum. [Cassiod.] Titulus : *Psalmus Asaph.* Sicut supra diximus, Asaph cum aliis multis præfectus fuit cantoribus in tabernaculo Domini, de quo in titulis psalmorum plerumque fit mentio, tum pro officii reverentia, tum pro nominis interpreta-

tione. Asaph enim Hebraice, Latine *congregatio*, Græce *synagoga* interpretatur, quæ secundum partem fidelem hic loquitur quæ Christum exspectavit, per quam magis confutantur increduli Judæi, cujus voce propter certius testimonium utitur hic Propheta agens de mutatione legalium sacrificiorum, in sacrificium laudis, sicut supra egit de mutatione eorumdem in sacrificium corporis et sanguinis Dominici; agit etiam de utroque adventu Christi; per primum blandiens, per secundum terrens. Et est sensus tituli : *Psalmus* iste attribuitur *Asaph*, id est synagogæ fideli, in cujus persona loquitur hic Propheta. Intentione monet, ne quis ad jam terminata sacrificia redeat. Modus. Tripartitus est psalmus. Asaph vocem Dei inducturus, in secunda parte de mutatione sacrificiorum, prius, id est in prima parte, agit de utroque adventu ejus, per primum invitans, per secundum terrens. Secundo vox Christi inducitur, monentis ut relictis sacrificiis pecudum fiat sacrificium laudis, ibi, *audi, populus meus*. Tertio, dicit a quibus sacrificium velit, ubi peccatori suæ nequitiæ imputantur, ibi, *peccatori autem*, etc. Ne quis autem mediocriter de incarnatione æstimet, potentia incarnati prædicetur, ut incredulitas omnis tollatur, cum ait :

VERS. 1. — « Deus deorum Dominus locutus est, « et vocavit terram. »

Deus, [Aug.] scilicet Verbum caro factum, qui est factor *deorum*, id est qui homines deificat, dedit enim potestatem filios Dei fieri his qui credunt in nomine ejus (*Joan.* I); qui est etiam *Dominus* dominantium, *locutus est* per se, etiam per præcones qui olim multifaria in prophetis loquebatur. Nota quia tribus modis Deus dicitur substantialiter vel naturaliter, ut Deus, Trinitas, scilicet Pater, Filius Spiritus sanctus adoptative, sicut dicuntur sancti, qui per gratiam adoptionis dii sunt nuncupative, ut idola et dæmones : *Et vocavit*. Antequam dicat, quid locutus sit, dicit quid loquendo fecit, quasi dicat : Dico : Locutus est. Et loquendo hoc fecit, *vocavit terram*, non unam tantum, sed eam omnem quæ est,

VERS. 2. — « A solis ortu usque ad occasum ; ex « Sion species decoris ejus. »

A solis ortu usque ad occasum, [Gl. int., Aug.] missis testibus usque ad ultimum terræ. Non ergo solam Africam vocavit, ut ait Donatus, non illam separavit, quia nullas reliquit partes, quas sua vocatione non vocavit; tantam vocavit, quantam fabricavit. Unde autem cœpit? *ex Sion*, id est a Jerusalem, quia inde cœpit annuntiari *species decoris ejus*, id est speciosus decor ejus, quia speciosus fuit præ filiis hominum. Quasi dicat : Qui omnes gentes vocavit, a Jerusalem incœpit, quia inde exeuntes apostoli speciem decoris Christi toto orbe nuntiaverunt. Unde Isaias : *De Sion exibit lex et verbum Domini de Jerusalem* (*Isa.* II). Ex Sion namque Evangelii decus cœpit. Inde speciosus forma præ filiis hominum cœpit annuntiari, quia ibi datus est Spiritus sanctus apostolis, ut essent testes in Jerusalem et in tota terra. Dica locutus est Deus; et vocavit, qui etsi tunc occultus foret, pro similitudine carnis peccati; et est adhuc ad dexteram Patris sedens, tamen

VERS. 3. — « Deus manifeste veniet; Deus no- « ster, et non silebit. »

Manifeste veniet ad judicium, [Aug.] quia Deus est. *Deus* es Deus, inquam, non quilibet, sed *noster*, qui verus est Deus ; *et non silebit* in judicio, ut modo cum et flagella sunt admonitio, modo enim exspectat ad pœnitentiam.

VERS. 4. — « Ignis in conspectu ejus exardescet, « et in circuitu ejus tempestas valida. »

Ignis in conspectu. [Cassiod., Aug., Alcuin., Aug., Cassiod.] Hic ostendit qualiter veniet ad judicium *ignis* materialis, vel malæ conscientiæ ; *exardescet*, timeat ergo palea se arsuram, id est torquebit impios. Exardescet, dico, *in conspectu ejus*, id est, cum conspicient judicantem. Vel, secundum aliam litteram, *ignis ante eum præibit*. Ignis iste materialis erit, quo comburetur facies mundi hujus, et mali comburentur; boni vero purgabuntur. Pœna ergo terreat, quos præmia non invitant. *Et in circuitu ejus tempestas valida*, tempestas hæc, judicatio Dei est, quæ non ventis fiet, sed potentia Dei, per quam fiet ut ejus sententia area ventiletur, et grana a paleis secernantur. Quæ judicatio tempestas dicitur, quia improvisa veniet, et festinanter rapiet quos ignis exuret. [Aug., Cassiod., Aug., Gl. int.] Et hæc erit *in circuitu ejus*, id est in sanctis, et in angelis, qui dicuntur esse circuitus ejus, quia cum ipso justi sedentes judicabunt, et angeli messores bonos a malis separarunt (*Matth.* XIII). Et est, tempestas, id est judicatio et sententia æquitatis, quæ dicitur tempestas. A simili, quia improvisa veniet, et subito rapiet, valida, quia separabit bonos, et a malis erit; in circuitu ejus, id est in sanctis et in angelis. Ejus enim in circuitu sunt angeli separatores et sancti. Veniens autem ad judicium.

VERS. 5. — « Advocavit cœlum desursum, et « terram, discernere populum suum. »

Advocavit, [Hier., Aug., Hier., Gl. int., Cassiod., Aug., Cassiod.] id est advocavit *cœlum*, id est omnes perfectos secum judicaturos *desursum* sessuros, scilicet super duodecim sedes, ut judicent duodecim tribus Israel; *et terram* advocabit, id est omnes judicantes. Ad quid? *Discernere populum suum*, ut cœlum cum illo discernat, populum suum, ante suo. Cœlum enim cum illo terram discernit. In judicio enim alii tantum judicabunt, quos hic dicit cœlum ; alii judicabuntur, quos hic dicit terram. Sed de his aliis salvabuntur, quos hic dicit populum suum : de damnandis tacet. Vel ita ut per cœlum omnes justos salvandos accipiamus. Per terram, omnes peccatores damnandos; et legitur, desursum sic : Dominus veniens *desursum*, id est a Patre, *advocavit*, id est advocabit, *cœlum*, id est

omnes justos *et terram*, id est peccatores. Ad quid? *dicernere populum suum*, id est ut dividat malos a bonis. Nota quod primo omnes mistos communiter vocavit. A solis ortu usque ad occasum. Tunc autem vocabit ut discernat. Simul enim zizania cum tritico crescunt, nec sinit ea eradicari paterfamilias (*Matth.* XIII). Petrus quoque missis in mare retibus pisces magnos et parvos conclusit, et usque ad littus traxit, dum pene frangeretur rete (*Luc.* V). Et in Evangelio : Paterfamilias misit servos ad exitus viarum vocare ad nuptias quoscunque reperirent (*Matth.* XXII).

VERS. 6. — « Congregate illi sanctos ejus, qui « ordinant testamentum ejus super sacrificia. »

Congregate. [Aug., Hier., Aug., Alcuin., Cassiod.] Videns Propheta futura quasi præsentia, hortatur angelos congregantes et applaudit. Quasi dicat : Et quia ita erit, ergo, o angeli messores, *congregate illi sanctos ejus, qui ordinant testamentum ejus*, id est novum, *super sacrificia*, id est super vetus testamentum. Vel qui ordinant testamentum ejus, id est qui cogitant de promissis ejus. Super sacrificia, id est super illa quæ operantur, quæ sunt sacrificia Deo. Quasi dicat : Qui dicunt : *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam* (*Rom.* VIII). Vel qui ordinant testamentum ejus super sacrificia, id est qui dicunt post laborem sequi denarium. Vel qui ordinant testamentum ejus super sacrificia, id est qui pluris prætii habent opera charitatis quam sacrificia pecudum.

VERS. 7. — « Et annuntiabunt cœli justitiam « ejus, quoniam Deus judex est.

Et annuntiabunt. [Gl. int., Aug.] Quasi dicat : Veniet manifestus et judicabit : et hanc *justitiam ejus annuntiabunt cœli*, id est apostoli, toti mundo. Hoc jam impletum cernimus. Jam enim cœli annuntiaverunt nobis hanc justitiam Dei, quod quidam erunt ad dexteram, quidam ad sinistram. Nullum granum erit tunc cum palea, et si nunc permista, quoniam Deus qui non fallitur, judex est, id est discernens.

PARS. II. VERS. 8. — « Audi, populus meus, et lo- « quar Israel, et testificabor tibi : Deus, Deus tuus « ego sum. »

Audi, populus meus. [Cassiod., Hier., Aug., Hier., Gl. int.] Secunda pars ubi et vox Christi monentis ut, relictis sacrificiis, pecudum, fiat sacrificium laudis : hic dedit quid Deus deorum locutus est. Quasi dicat : Deus locutus est. Quæ locutus est? hæc, scilicet *audi* aure, scilicet cordis, tu qui es *populus meus*. Ostendit in eodem verbo, qui et quare debeat audire. Quasi dicat : Si populus meus es, audi. Et si audis *loquar tibi*. Aliter, scilicet si non audis et si loquar, non tibi loquar. Repetit sub alio verbo, dicens : Audi, *Israel*, id est sicut Israel, id est vir videns Deum. Quasi dicat : Si es Israel, id est si me vides, audire me non negligis ; *et testificabor tibi*, id est per scripturas, et per miracula ostendam tibi, [Cassiod., Hier., Aug., Gl. int., Aug.] hoc scilicet

A quod *ego sum Deus* ille generalis, qui est omnium Deus per potentiam, et sum *Deus tuus* proprie, et familiarius, quia te habeo servum ; et quia in prophetis tibi promissus sum. Ideo dicit *sum*, quia esse proprium est Deitatis. Unde : *Ego sum qui sum, et qui est misit me ad vos* (*Exod*, III). Et nota quod prius dicit simpliciter, *sum Deus*. Et postea dicit, *sum Deus tuus*. Quasi dicat : Et si non sum Deus tuus, tamen sum Deus : bono meo sum Deus ; malo tuo non sum Deus tuus. Et ego ipse

VERS. 9. — « Non in sacrificiis tuis arguam te ; « holocausta autem tua in conspectu meo sunt « semper. »

In sacrificiis tuis, [Aug., Aug., Alcuin., Aug.] non exhibitis, *non arguam te*, quia non quæro animalia
B in sacrificium : hæc nolo, sed *holocausta tua*, id est quæ sunt tui juris *semper*, non ad tempus, sunt *in conspectu meo*, id est mihi placent, illa volo. Holocausta dicit, animam igne charitatis inflammatam totam. Unde alibi : *Sacrificium Deo spiritus contribulatus* (*Psal.* L). In quo psalmo dicit animalia nolle in sacrificium vel holocaustum. Si anima inflammatur et membra in suum usum rapit, ne serviant cupiditati. Inde in Levitico præcipitur, ut adipem cum renunculis offerant (*Levit.* III) ; quibus interna charitas signatur. Sed ne putes hæc holocausta esse de animalibus, subdit :

VERS. 10. — « Non accipiam de domo tua vitulos ; « neque de geegibus tuis hircos. »

Non accipiam de domo tua vitulos. Quasi dicat :
C Non arguam si non feceris ; et si feceris *non accipiam vitulos* in sacrificium. Vitulos dico qui sunt *de domo tua*, [Alcuin., Aug.] quasi significatos vitulos et spirituales acciperem, non illos, de domo tua. Unde propheta : *Reddemus Deo vitulos labiorum nostrorum* (*Ose.* IV). Hoc dicendo prænuntiat novum testamentum, ubi omnia significativa sacrificia cessant, *neque de gregibus tuis hircos*. Ideo a te non accipiam.

VERS. 11. « Quoniam meæ sunt omnes feræ « silvarum, jumenta in montibus et boves. »

Quoniam meæ sunt. [Aug.] Quasi dicat : Quia non sunt tua, sed mea, cur ergo quæram a te quod meum est qui creavi? Et hoc est *quoniam meæ sunt omnes feræ silvarum*, id est mea sunt, quæ non pos-
D sides, scilicet indomita. Et etiam *jumenta*, **107** quæ pascis *in montibus et boves*. Quasi dicat : Mea sunt etiam domita quæ tu nutris et possides. Vel secundum aliam litteram, *equi silvestres et boves, etiam volatilia sunt mea, quia*,

VERS. 12. — « Cognovi omnia volatilia cœli, et « pulchritudo agri mecum est. »

Cognovi, [Aug., Gl. int.] ab æterno quod nullus homo fecit *omnia volatilia cœli* quæ et quot sunt Quasi dicat : Et volatilia mea sunt. *Et pulchritudo agri*, id est ubertas omnium in terra gignentium, *mecum est*, id est mihi servit. Vel mecum est, quia ego ubique sum. Unde in propheta : *Cœlum et terram ego impleo* (*Jer.* XXIII). Vel, mecum est, quia

apud me nihil præterit, nihil futurum est, cum illo sunt omnia futura, et ei non detrahuntur jam præterita ; cum illo sunt omnia cognitione quadam ineffabili sapientiæ Dei. Et ideo

VERS. 12. — « Si esuriero, non dicam tibi ; meus « est enim orbis terræ, et plenitudo ejus. »

Si esuriero. [Aug., Hier.] Quod nunquam fit ; sed dicitur ad convincendum parvulum sensu. *Non dicam tibi*, ut pascas me. Quasi dicat : Si hæc datis, forsitan esurire putatis, quod est insania, *meus est enim orbis terræ*, ergo ne quæras quod mihi des, qui sine labore habeo quod volo, *et plenitudo ejus*, id est omnes creaturæ, sed

VERS. 14. — « Nunquid manducabo carnes tau« rorum ? aut sanguinem hircorum potabo ? »

Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo ? [Aug., Cassiod., Aug.] Quasi dicat : Non in sacrificiis, sed in pauperibus hæc volo. Mystice his similitudinibus figurat Ecclesiam. Feræ sunt gentes, jumenta in montibus sunt simplices in culmine fidei, boves sunt apostoli et prophetæ, volatilia sunt supernæ angelorum virtutes, pulchritudo gentes conversæ, quæ sunt decus terræ, id est Ecclesiæ. Esurit Dominus salutem omnium hominum, et de omnibus satiatur. Carnes vero taurorum non vult in sacrificiis, sed in pauperibus.

VERS. 15. — « Immola Deo sacrificium laudis, et « redde Altissimo vota tua. »

Immola Deo. [Cassiod.] Reprobato veteri ritu, de se quasi de alio loquens, quid sibi faciamus, indicat. Quasi dicat : Hæc nolo, sed *immola Deo*, non dicit mihi, sed de se, ut de alio loquitur post cum ait : *Peccatori autem dixit Deus*, non dixit, ego ; *sacrificium laudis* quod in te ipse est, scilicet ut gratias de omnibus. Ecce quid exigit, *et redde* item itemque *altissimo vota tua* quæ in te sunt, non extra te.

VERS. 16. — « Et invoca me in die tribulationis ; « eruam te et honorificabis me. »

Et tunc *invoca me.* [Aug., Gl. int.] Non enim debes præsumere de viribus tuis *in die tribulationis*, id est adversitatis, quæ ideo datur ut homo invocet. Vel nostra tribulatio proprie est timore salutis, non carnalium ; *et eruam te*, ne deficias. Ecce præmium oblationis. *Et* sic *honorificabis me*, ut jam non discedas a me. Vel honorificabis me, id est apud alios causa honoris eris mihi.

PARS. III. VERS. 17. — « Peccatori autem dixit « Deus : Quare tu enarras justitias meas, et assumis « testamentum meum per os tuum ? »

Peccatori. [Cassiod.] Tertia pars a quibus sacrificium velit, hic dicit, ubi peccatori suæ nequitiæ imputantur, quia laudem quærit Deus, ne putet turpis hanc sibi imperari. Prohibet ne lingua præsumat laudare, cui obviat prava conscientia ; non tamen interdicitur laus conversis ad pœnitentiam, sed oblitis Deum, ut inferius ait. Quasi dicat : Immola Deo sacrificium laudis ; sed vide ne cantes bene et vivas male, quia *peccatori* dixit Deus : Quare tu enarras justitias meas ? Ne ergo securus sit, quasi

A hoc solo salvetur, quod bene docuit. Vel ita continua : Hæc populo suo dixit, sed non suo, id est peccatori dixit Deus, hoc contra prædicantem dicitur, securus tamen sit ille qui audit, a quocunque audiat bona, secundum illud : *Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt nolite facere* (*Matth.* XXIII). Hoc inquam, dixit : Quare tu enarras justitias meas, cum opere non impleas, id est quare communi sermone, scilicet ad populum profers aliquid de mea majestate ? *Et assumis*, id est indevotus præsumis *testamentum meum* sanctum, *per os tuum* pollutum, aliis prædicare ? [Aug., Cassiod., Alcuin.] Quasi dicat : Nec sancta verba os pollutum præsumat docere. Vel os hæretici ; non enim lectio negatur corrigendis. Unde Apostolus ait : *Castigo corpus meum*
B *et in servitutem redigo illud, ne forte cum aliis prædicaverim reprobus efficiar* (*I Cor.* XIX). Non igitur scelerati se misceant divinis sermonibus. Ideo in Veteri Testamento erat labrum æneum, in introitu tabernaculi, ubi sacerdotes lavabant manus, ingressuri tabernaculum, et egressuri. Unde : *Mundamini, qui fertis vasa Domini* (*Isa* LII).

VERS. 18. — « Tu vero odisti disciplinam ; et pro« jecisti sermones meos retrorsum. »

Tu vero. Quasi dicat : Ore bene dicis, sed factis negas. Et hoc est : *Tu vero odisti disciplinam*, quia si corrigo, murmuras ; laudas, quando parco ; murmuras, quando castigo ; *projecisti sermones meos retrorsum.* [Aug.] id est quæ dicis post te ponis. Ne videas, et ne dicas te non fecisse, quia

C VERS. 19. — « Si videbas furem, currebas cum « eo ; et cum adulteris portionem tuam ponebas. »

Si videbas furem. [Aug., Cassiod., Alcuin., Aug.] ad litteram *currebas cum eo*, assentiendo, laudando, *et cum adulteris portionem tuam ponebas* aliquo consensu. In his enim duobus omnia notat crimina, a patre totum. Vel sic : Si videbas furem, sani intellectus Scripturæ, currebas eum eo, assentiendo, et cum adulteris, scilicet qui ponunt falsum intellectum in Scripturis, portionem tuam ponebas aliquo consensu, id est astipulator facti eras. Et

VERS. 20. — « Os tuum abundavit malitia ; et lin« gua tua concinnabat dolos. »

Os tuum abundavit malitia, [Aug., Cassiod,] quia non solum non reprehendit, vel tacet ; sed etiam
D laudat, et si malum sciat esse ut sit dolus. Unde sequitur : *Et lingua tua concinnabat dolos.* Accusat conscientiam et linguam. Concinnabat, dicit, quia mos est decipientis sic falsa componere, ut lepore verborum blandiatur. Et hoc facit iste, etiam contra fratrem. Unde sequitur :

VERS. 21. — « Sedens adversus fratrem tuum lo« quebaris, et adversus filium matris tuæ ponebas « scandalum : hæc fecisti, et tacui. »

Sedens. [Cassiod,, Aug., Cassiod., Aug.] Quasi dicat : Cum otio ita tibi placet. Non enim casu alii derogat, sed studio. Quod enim transiens aut stans facit, non cum voluntate facit. Sed tu *sedens loquebaris adversus fratrem tuum*, id est omnem hominem,

quia omnis homo est frater conditione primæ nativitatis; *et adversus filium matris tuæ*, id est sanctæ Ecclesiæ, cui charitate jungimur, *ponebas* insidiose *scandalum*, id est hæreses. Et alia, quibus innocens capiatur. Vel ita: *sedens adversus fratrem tuum, detrahebas*. Alia littera: Frater hic accipitur, aliquis bene ambulans, et bene docens: cui dum detrahit aliquis doctus, ponit scandalum infirmo, qui dicitur hic filius matris. Et est, sedens, quasi dicat: Cum studio, adversus fratrem tuum, bene docentem, et ambulantem detrahebas. Et dum hoc facis, adversus filium matris tuæ, id est aliquem infirmum, qui adhuc indiget lacte, id est minori doctrina, ponebas scandalum. Dum enim detrahit qui doctus videtur fratri forsan bene docenti, vel bene ambulanti, ponit scandalum infirmo, qui nescit judicaret. Et ideo filius matris dicitur, lacte scilicet egens Ecclesiæ, nondum patris ad mensam accedans, cujus pane pascatur, id est validioris doctrinæ cibo. Et ideo, ignarus est judicandi. *Hæc* prædicta *fecisti*, o inique, *et tacui*, id est distuli pœnam, exspectans ad pœnitentiam, sed tu vertis ad impunitatem.

VERS. 22. — « Existimasti inique quod ero tui « similis, arguam te, et statuam contra faciem « tuam. »

Existimasti. [Aug.] Quasi dicat: Tacui, unde *existimasti*, o *inique, quod ero tui similis*, consentiendo malis, quia placere mihi putas mala, quem non credis ultorem; sed ego *arguam te, et* arguendo *statuam* te *contra faciem tuam*, id est ostendam te tibi, et displicebis tibi, quod et modo faceres, si te videres. Mihi vero placeres si te videres. Quasi dicat: Quod post dorsum posuisti ante faciem tuam ponam, ut scias quod male egisti et fœditatem tuam videas, ut erubescas. Et quia ita dixit Dominus, ergo vos

VERS. 23. — « Intelligite hæc, qui obliviscimini « Deum, nequando rapiat et non sit qui eripiat. »

Qui obliviscimini Deum, [Aug., Gl. int., Alcuin. Cassiod.] cui nemo potest resistere, id est qui me Deum esse non creditis, *intelligite* quod dixi, scilicet quod laudem volo, sed non a peccatore. Nemo dicat sibi non prædictum. Ideo, intelligente, *nequando rapiat* Deus, id est ego ad pœnam, *et non sit qui eripiat*. Quando diabolus rapit, Deus eripit. Cum Deus rapit, nemo valet liberare. Hoc scilicet intelligite, quod

VERS. 24. — « Sacrificium laudis honorificabit me, « et illic iter quo ostendam illi salutare Dei. »

Sacrificium. [Cassiod, Alcuin., Aug., Alcuin.] Non quod scelerati canunt, sed *sacrificium laudis*, non animalium, *honorificabit me*. Nemo offert hoc sacrificium et malus est, quia nemo laudat, nisi bonus, quia si laudat, et bene vivit; Nemo enim laudat, si bene dicit et male vivit; nec qui bene vivit, si sibi dat, vel si super alium se extollit, cui potius irrogare deberet quod habet. Quiescat ergo a malis, et offerat sacrificium laudis, *et illic*, id est in sacrificio laudis. Est *iter*, quia hoc sacrificium est via ad Deum. Hæc est scala Jacob, qua angeli descendunt et

A ascendunt, id est fideles ascendunt ad laudem divinitatis, et descendunt ad laudem humanitatis, in Christo, *quo* itinere *ostendam illi*, id est laudanti *salutare Dei*, id est me. Salutare Dei Christus est, qui cum gratia venit, quem non novit, qui alii quam gratiæ aliquid tribuit. .

COLLATIO IN PSALMUM XLIX : « DEUS DEORUM. »

VERS. 6. — *Congregate illi sanctos ejus*. Hebr. *congregate mihi*. Sed facilis lapsus in לי LI, vel לו LO, id est *mihi* vel *illi*, utrobique constante sententia. Item in חסידי HASIDAI, et חסידיו, id est *sanctos meos, sanctos ejus*.

VERS. 9. — *Non in sacrificiis tuis arguam te, holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper*. Sanctes, et Munsterus, et interpretes pro Cajetano, sic verterunt, ut repetatur in secunda clausula negatio præcedens, quasi holocausta veteris ritus non sint in conspectu Dei, quia non placent amplius illa.
B Sensus est pius, tamen non sic accipiunt cæteri. Quomodo autem debeat intelligi affirmando, pete ex glossa superiori. Vel, illa holocausta sunt in conspectu meo, quia illis non indigeo. Translator ad Campensem, legit per interrogationem: *Num sacrificiorum causa redargui te, aut jugis holocausti coram me offerendi?* Chaldæus Paraphrastes tradit longe diversum sensum, *non propter sacrificia tua, quæ non sacrificasti mihi in captivitate, ego corripio te, sed propter holocaustomata, quæ sacrificaverunt patres tui coram me jugiter*.

VERS. 11. — *Jumenta in montibus et boves*. Hieronymus et alii præter Pellicanum, pro *bobus*, dicunt *mille*, Nam si dixeris אלף ALEPH, id est mille. Si אלוף ALLUPH, id cst bos, quomodo apparet LXX accepisse, et ubi non sunt notulæ punctorum, pro voluntate legentis, et juxta commoditatem **108** sententiæ hoc aut illud intelligitur.

VERS. 12. — *Cognovi omnia volatilia cœli*. Hebr.
C הרים HARIM, id est montium, per quos licet intelligere cœlum aereum, nisi quod fortasse LXX acceperunt litteram he servilem, ut dicunt, et deinde rim a themate רם RAM, id est altus, excelsus. Quasi diceres, *volatilia excelsi*, quod est cœlum. Unde Chaldæus, *quæ volant in aera cælorum*.

Pulchritudo agri mecum est. Hieronymus, *universitas agri*. Pratensis, Sanctes, Munsterus, et Campensis, *fera* vel *feræ agri*. Pellicanus, *amœnitas agri* cum LXX. Interpretes pro Cajetano, *mobile agrorum*. זיז ZIZ duo habet significata. Prius idem quod *splendor, apparitio*, eoque apte verterunt *pulchritudinem*. Secundum est nomen generale bestiarum sylvestrium, ob idque Hieronymus vertit *universitas agri*, quasi utrumque complexus. Alii secuti sunt aliam significationem. Translator ad Campensem habet, *aviculæ agri me non latent*.

VERS. 21. — *Sedens adversus fratrem tuum loquebaris*. Plerumque submonuimus ex Hieronymo, bonum
D interpretem, non debere se captivum reddere, ut plus æquo serviat litteræ, quod et in præsenti loco, docuit Suniam et Fretellam ipse Hieronymus dicens: In Græco legisse vos dicitis, κατελάλεις, et putatis non bene versum, quia diximus, *adversus fratrem tuum loquebaris*: et debuisse nos dicere, *adversus, fratrem tuum detrahebas*. Quod vitiosum esse, et in lingua nostra non stare, etiam stultis patet. Nec ignoramus quod καταλαλία dicatur detractio, quam si voluerimus ponere, non possumus dicere, *adversus fratrem tuum detrahebas; sed de fratre tuo detrahebas*. Quod si fecerimus, rursum contentiosus calumniator inquiret, quare non diximus κατὰ τοῦ ἀδελφοῦ σου, hoc est *adversus fratrem tuum*. Hæc superflua sunt, et non debemus putida nos verborum interpretatione torquere, cum damnum non sit in sensibus, quia unaquæque lingua,

(ut ante diximus) suis proprietatibus loquitur.

Vers. 24.—*Illic iter quo ostendam illi salutare Dei.* Hieronymus, *qui ordinat viam, ostendam illi salutare Dei.* Sanctes, *Ponenti viam Dei coram se, ostendam salutem Dei.* Sic et alii in eumdem sensum, præter Pellicanum : qui nobiscum habet *illic iter.* Diversitas orta est ex duplici lectione unius voculæ habentis tantum duas litteras שם. Si enim

A super priorem, videlicet ש, posueris punctum, quod vocant smol, id est sinistrum hoc modo שׂם sam, significat *ponere, collocare.* Si autem per jamin, id est, punctum in dextro cornu שׁם scham significat *illic,* quomodo acceperunt LXX et Pellicanus. Consentit translatio ad Campensem, *hoc via ostendam ei salutem Dei.*

PSALMUS L.

Psalmi titulus : « Psalmus David cum venit ad eum Natham propheta, quando intravit ad Bersabee. »

Miserere mei, Deus. Titulus. *Psalmus David, cum venit ad eum Natham propheta, quando* vel *quoniam intravit ad Bersabee.* Legitur in libro Regum (*II Reg.* xi, etc.), quod David prospere regnans, atque in suo palatio sedens, vidit Bersabee uxorem Uriæ, lavantem se, et concupivit eam, et ad se vocatam cognovit. Comperto autem quod per eum esset facta gravida, revocavit ab expeditione Uriam, si forte ad uxorem intraret, ut ejus concubitu gravida crederetur. Urias autem noluit dum in castris populus Domini laboraret. Scripsit ergo rex duci exercitus sui Joab, ut Uriam poneret in illa parte prælii ubi occideretur. Hac epistola suæ mortis accepta, Urias dedit Joab, qui ita fecit sicut præceperat David, et occubuit Urias. Sic ergo David cum adulterii culpam celasset, Natham propheta immissus a Deo intravit ad eum, et quæsivit ab eo judicium de divite, qui, cum haberet centum oves, vicino pauperi solam quam habebat oviculam rapuit. Cum autem judicaret David hunc esse dignum morte. Respondit Nathan : Sic et tu fecisti, qui cum haberes multas uxores et concubinas, unam quam habebat Urias rapuisti. Ad vocem ergo prophetæ Davit pœnituit, et in conspectu omnium contestans peccatum suum, se reum abjecit. Et hoc est quod ait titulus : *Psalmus* iste attribuitur *David* prophetæ. Psalmus dico, agens de pœnitentia et humilitate quam habuit David, *cum venit ad eum Natham propheta,* missus a Deo ad arguendum eum, qui similitudinem de ove pauperis proposuit. Venit dico, ut argueret eum de peccato, quod fecit, *quando intravit ad Bersabee.* Vel, redargueret eum de hoc, quoniam intravit ad Bersabee. [Aug., Cassiod., Aug.] Vicit pax prosperitatis, quem bella non vicerunt. David autem hic apponitur in exemplum non cadendi, non prosperitatis otia affectandi, sed si cecideris resurgendi. Et ne desperes de peccati immanitate, cum videas David post reatum homicidii et adulterii, per pœnitentiæ humilitatem, Deo placuisse. Nam arguente eum Nathan propheta, rex non erubuit peccatum publice confiteri. Non se excusavit, ut solet homo, et a se pœnas exegit, quas vix ferret aliquis coactus. In conspectu omnium reum se abjecit cujus judicium ab omnibus timebatur. Unde hic specialiter humilitas ostenditur, quæ adeo pœnitentibus valet. Inde est quod hic pœnitentialis psalmus plus aliis frequentatur in Ecclesia (88), quia hic magis humilitas ostenditur, et quia hoc est temperatum supplicationis genus, quod etiam implere infirmi possunt quia hic nihil difficile dicitur ut in aliis : *Lavabo per singulas noctes lectum* (*Psal.* vi) ; et *Gravata est super me manus tua* (*Psal.* xxxi); *Putruerunt et corruptæ cicatrices meæ* (*Psal.* xxxvii) ; et *Cinerem tanquam panem manducabam* (*Psal.* ci) ; *De profundis clamavi (Psal.* cxxix) ; *Persecutus est inimicus animam meam* (*Psal.* cxlii). Sed hic a pio petit misericordiam. Alibi ergo districtiora fortioribus ; hic temperata providit infirmis. Forsan ideo dicet, *docebo iniquos vias tuas, et impii ad te convertentur,* quia prævidit per hunc psalmum plures petituros veniam. Et est iste psalmus quartus in ordine pœnitentialium, et in ordine psalmorum, quinquagesimus est, pro modo jubilei, quia hic est psalmus remissionis. Jubileus quippe annus in lege quinquagesimus erat, in quo omnibus debita remittebantur et possessiones alienatæ restituebantur (*Levit.* xxv). [Alcuin., Cassiod., Alcuin.] Unde jubileus initians, vel remittens dicebatur. Ita per pœnitentialem humilitatem, de qua hic agitur, plena his præstatur peccatorum remissio. Intentio : Monet ad pœnitentiam. Modus : Quinque sunt partitiones. Prima pars est deprecatio, ubi captat a persona judicis per misericordiam et justitiam qua punire deberet, nisi quia iste satisfacit, quod est a sua persona captare. Secundo ex auctoritate Dei manifestantis confidentia ablutionis ostenditur, ibi, *incerta,* etc. Tertio ex confidentia securus petit dilectionem, omnium peccatorum et plenam restitutionem, ibi, *averte faciem tuam.* Quarto dicit quid restitutus persolvat, ibi, *docebo.* Quinto de ædificatione Jerusalem prophetat, ibi, *benigne fac Domine.* David ergo non excusans peccatum, sed publice confitens, ait :

Vers. 1. — « Miserere mei, Deus, secundum « magnam misericordiam tuam. »

Miserere mei, Deus. [Cassiod., Hier., Aug., Cassiod.] Hoc dicens locum aufert judicio, id est dicussioni, quia factum conceditur, *secundum magnam misericordiam tuam* naturalem, cujus misericordia est divina natura. Quasi dicat : Ad tuam misericordiam confugio, ut gravibus vulneribus ciriacam

(88) Cassiod in conclus. psalmi hujus.

remissionis infundas. Misericordiam dico magnam, A quia magna est miseria mea, et ideo magnam exigit medicinam; de gravi enim peccato desperandum esset, nisi esset magna misericordia, quæ non potest diffiniri quanta sit. Bene ergo dicit, magnam, quæ de cœlo Deum deposuit, corpore induit, ut pateretur et moreretur, per quam credebat iste se facile absolvi, per quam sciebat genus humanum liberari. Quid ergo non poterat dare, cum secundum se rogatur Deus ignoscere?

VERS. 2. — « Et secundum multitudinem mise« rationum tuarum dele iniquitatem meam. »

Et miserere mei *secundum multitudinem miserationum tuarum* (89), ab initio sæculi exhibitarum, id est secundum multitudinem factorum tuorum, quæ superat magnitudinem quamlibet peccatorum. B [Cassiod., Greg., Cassiod., Gl. int.] Ecce per misericordiam et miserationem petit iste. Et est misericordia in natura, miseratio in effectu. Quomodo vero misereri velit, ostendit, *dele* ut nullum remaneat peccati vestigium, *iniquitatem meam* contra proximum commissam : quem modum delendi velit, ostendit : postea subdit :

VERS. 3. — « Amplius lava me ab iniquitate « mea; et a peccato meo munda me. »

Lava me ab iniquitate [Cassiod., Gl. int., Aug., Alcuin., Hier., Cassiod.] qua peccavi contra Uriam. Lava dicit, quia videbat per spiritum ablutionem baptismi, ubi plena ablutio et remissio, et taliter ablui petit. Et *lava me a peccatis meis, quod in me fuit carnis voluptate.* Lava dico, *amplius* C quam ab actu peccati, quia plus peccavi quam actu, qua scienter, et ex voluntate utrumque feci. Tu ergo, *amplius lava,* ut non modo culpam operis, sed etiam reatum voluntatis abstergas. Vel, amplius lava, quam petere intelligam; lava dico, et *munda me,* scilicet sic lava, ut mundes me; lavantur enim quædam, quæ tamen non sunt pura.

VERS. 4. — « Quoniam iniquitatem meam ego co« gnosco, et peccatum meum contra me est semper. »

Quoniam iniquitatem, [Aug., Cassiod., Aug.] cujus misericordiam petit ut ignoscat, quia scit justum ut peccata puniat, subdit, quoniam iniquitatem. Posset enim ei dici : *Petis per misericordiam peccatum deleri,* quid ergo erit? Per misericordiam peribit justitia ut hoc sit impunitum? non, quia D ego punio; et hoc est : Tu ideo ne punias, *quoniam iniquitatem meam ego cognosco.* Quasi dicat : Ignosce, quia ego cognosco, non dissimulo, *et peccatum meum contra est me semper.* Sibi fecit iste quod Deus in judicio faciet. Unde supra : *Arguam te, et statuam contra faciem tuam* (*Psal.* XLIX). Vel secundum aliam litteram, *et peccatum meum contra me est semper,* non habet peccatum post tergum, ut prius habuit cum negligeret, post tergum enim peccatum habuit, cum rex sententiam in divitem, qui rapuit ovem pauperis, dedit, oblitus sui.

VERS. 5. — « Tibi soli peccavi, et malum coram « te feci, ut justificeris in sermonibus tuis, et vin« cas cum judicaris. »

Tibi soli. [Gl. int., Cassiod.] Dico munda, et merito te oro ut munde, quia *peccavi* in me carnis voluptate, sed *tibi soli,* quia rex est omnibus superior, et ideo a Deo tantum, qui est major eo, puniendus est. Si quis de populo erraverit; et Deo peccat et regi. Rex vero non habet hominem qui sua facta dijudicet. Ideo ait : Tibi soli peccavi, *et malum,* commissum in proximum, *coram te feci.* Hoc dicit, quia ubique scit Deum esse. Unde se arguit, quia eo præsente non erubuit. Tibi soli peccavi, quia a Deo justus est, ut *justificeris,* id est ut justus et verax inveniaris, *in sermonibus tuis,* id est in cibis quæ dixisti, cujus verba non transeunt, sed implentur. Unde : *Cœlum et terra transibunt verba autem mea non transibunt* (*Luc.* XXI), et adeo justus es, *ut vincas,* id est superes in justitia, alios, *cum judicaris,* id est cum mihi et aliis in judicio compararis. Deus enim tantæ justitiæ est, ut se cum homine velit judicari. Unde in Isaia : *Judicate inter me et vineam meam* (*Isa.* VI), et postea quasi sub judice causam suam exponens, ait : Popule meus **109** *quid feci tibi, aut quid molestus fuit tibi? Responde mihi* (*ibid.*) Ergo contra eum quem ex pastore regem fecit, talem habet justitiam, ut vincat, si inter se et eum judicetur. [Aug., Hier., Aug.] Vel ita ab illo loco, *tibi soli,* Christo nullum peccatum habenti, in præscientiam, id est in spiritu prophetiæ dicit David. Tibi soli, quasi dicat, ideo dico tibi munda, quia, peccavi in me, tibi soli, quia tu solus sine peccato es. Et ideo justus punitor. Ille enim juste punit, qui non habet in se quod in illo puniatur. Ille est justus reprehensor, qui non habet in se quod reprehendatur. Hic est inter homines solus Christus, de quo Isaias : *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus* (*Isa.* LIII). Et malum in proximum coram te feci, id est in tui præsentia. Tibi soli peccavi, qui adeo justus es, ut justificeris, id est solus verax inveniaris; in sermonibus tuis, quia solus in omnibus unum potuit dicere homo Deus, unde *Deus verax omnis, homo mendax* (*Rom.* III). Vel adeo justus es, ut vincas omnes injustitias; superas enim omnes homines, omnes judices; et qui se putat justum esse, coram te injustus est. In cujus conspectu astra non sunt munda (*Job.* XXV); qui in angelis tuis reperis pravitatem (*Job.* IV). Tu ergo solus juste judicas, cum, id est quamvis injuste judicaris, id est injuste judicatus sis a Pilato et a Judæis. [Aug., Gl. int., Greg.] Vel ita : et adeo justus es, ut vincas diabolum, et mortem, et Judæos, cum judicaris in judicio quo judicatus es; videt enim futurum judicem justum, a peccatoribus judicandum, et in eo judicio vincentem qui ascendit super occasum; occidendo enim victor

(89) E. Greg. in psalmis pœnitent.

factus est. Unde : *Ero mors tua, o mors* (*Ose.* XIII). Vel ita ab illo loco : *Ut justificeris in sermonibus tuis*, etc. Ostendit esse veracem Patrem in promissione qua promiserat Christum ex stirpe David nasciturum, quod quidam propter peccata David Deum non implere dicebant ; contra quos David dicit loquens ad Deum Patrem, Ideo munda, ut me mundato justificeris, id est verax reperiaris, in sermonibus tuis, qui sunt de promissione Christi, quam mihi fecisti. Et vincas, id est ostendas illos mendaces, cum judicaris, ab eis, non facere quod promisisti. Vel ita : Agit contra illos qui dicebant Deum David non indulgere, eo quod tam graviter Deum offenderat. Precatur ergo David ut parcat, ut sic impleat quod promisit de venia ingemiscentis, dicens : *Quacunque hora peccator ingemuerit, omnium iniquitatum ejus non recordabor* (*Ezech.* XVIII). Quasi dicat, ideo munda, ut justificeris in sermonibus tuis qui sunt de promissione veniæ ingemiscentis ut vincas, id est convincas eos, cum judicaris, ab eis non parcere mihi.

VERS. 6. — « Ecce enim in iniquitatibus conce- « ptus sum, et in peccatis concepit me mater « mea. »

Ecce enim. [Aug., Gl. int., Aug., Cassiod.. Aug. Dixit Christum justum et in justitia alios vincere ; sed ne putetur eos vincere tantum qui grandia commiserunt, et non eos qui ex quo nati sunt, nihil tale commiserunt. Personnam totius humani generis in se ostendens subdit : *Ecce enim.* Quasi dicat : Vere vincis. Ecce enim. Vel ita continua : Peccavi et non mirum, quia ecce *conceptus sum in iniquitatibus* originalibus et actualibus, id est ita conceptus sum, quod et macula originalis peccati teneor, et ad actualia pronus existo. In iniquitatibus se conceptum dicit, non quia peccatum sit misceri conjugibus, cum sit causa prolis ; sed ideo quia quod fit, id est concipitur de carne pœnali fit ; et quod de corpore mortuo per peccatum seminatur, cum vinculo peccati originalis nascitur ; et mortis temporalis et æternæ. Non igitur se conceptum in iniquitatibus dicit, eo quod de adulterio sit natus, imo de sancto Jesse, et conjuge ipsius sed ideo quia in omnibus trahitur iniquitas ex Adam, et vinculum mortis. Nemo enim nascitur, nisi trahens pœnam et trahens meritum pœnæ, nisi tu quid de Spiritu sancto conceptus es. Ergo etiam in his imputas peccata, qui nullum actuale peccatum commiserunt. In omnibus enim sunt vincula peccati, propago mortis ; tu Deus vincis, qui de Spiritu sancto es conceptus. Advertenda est humilitas pœnitentis, qui omnia confitetur a parentibus traducta, unde minuitur invidia peccati : si a radice peccator est, id est quia a radice se peccatorem confitetur, et tam humilis confessio tot peccatorum misericordiam pii commovet judicis ; de uno arguitur, et omnia confitetur. *Et in peccatis* libidinis *concepit me*, vel aluit me in utero *mater mea*, id est, concupiscentia libidinis quæ peccatum est, nisi excusetur per bona conjugii.

A Nam hoc opus castum in conjunge, non habet culpam, sed origo peccati in prole secum trahit debitam pœnam. Ideo ita fateor me pecasse, quia

VERS. 7. — « Ecce enim veritatem dilexisti : in- « certa et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi. »

Ecce in evidenti *veritatem dilexisti.* [Gl. int., Aug., Cassiod., Alcuin.] Quasi dicat : Non in te culpam refundo, sed veritatem profiteor, quam diligis. Hic pœnitens, quia in confitendo dixit in veritatem quam Deus super sacrificia quærit supplicat sibi subveniri. Vel ita : Ideo ita punio peccatum meum, quia, ecce in manifesto, veritatem dilexisti, qua peccatum punias, licet sis pius indultor. Sic enim misericordiam dat Deus, ut servet veritatem, ut nec peccata ejus sint B impunita cui ignoscit. Ignoscit enim seipsum punienti. Misericordia ergo est quod homo liberatur, veritas est quod punietur peccatum. *Incerta* secunda pars secundum quosdam, ubi ex auctoritate Dei manifestantis occulta ostenditur confidentia ablutionis. Quasi dicat : Oro ut mihi parcas, quia jam incerta *et occulta sapientiæ tuæ*, id est adventum Filii tui, qui aliis incertus, aliis occultus erat, *manifestati mihi*, per spiritum prophetiæ. [Cassiod., Hier., Aug.] Per hoc enim prophetiam notat, qua ei revelatum est, ut sciret quod Deus Filium haberet, et de suo semine nasceretur, unde sibi a peccato magis erat cavendum. Vel ita : Incerta et occulta sapientiæ tuæ, id est cognitionis tuæ, id est quæ de cognitione tua aliis sunt occulta manifestasti mihi. C Vel incerta et occulta sapientiæ tuæ, id est remissionis peccatorum mihi per sapientiam revelatæ, manifestasti mihi. Per Nathan prophetam, qui dixit mihi pœnitenti ; *transtulit a te Dominus peccatum tuum* (*II Reg.* XII). Incerta autem et occulta sunt, quod talibus ignoscit Deus. Sub hac incertudine Ninivitæ pœnituerunt, dicentes : *Quis scit si convertatur et ignoscat Deus ?* (*Jonas* III.) Sed hoc novit David, dicente sibi confitenti Nathan propheta : *Dimisum est tibi peccatum tuum* (*II Reg.* XII). Ideo confidenter inquit :

VERS. 8 — « Asperges me hyssopo, et mundabor ; « lavabis me et super nivem dealbabor. »

Asperges me [Cassiod., Aug., Hier.,. Cassiod., Aug., Aug.] Hic secundum quosdam auctores, se- D cunda partitio hujus psalmi dicitur esse, quæ est confidentia misericordiæ Dei, quæ multum est utilis ne subrepat desperatio, quæ omnibus peccatis est gravior. Quasi dicat : incerta et occulta manifestasti mihi : et ita certus sum quod *asperges me, Domine, hyssopo*, id est sanguine Christi, et charitatis humilitate, scilicet ut radice charitatis sim fixus in Christo. Hyssopus enim herba est humilis, sed medicinalis, cujus radix petræ hærere dicitur, ita homo hac in mysterio aspersus fit humilis radice charitatis, fixus in humili Christo, et sic mundatur. Dicitur hæc herba etiam purgare pulmones, in quibus est inflatio : sic humilitas, superbiam depellit. *Et* sic *mundabor* et supponit qualiter. *Lavabis me* aqua

baptismi, id est sicut in baptismo lavabis fideles tempore gratiæ. Vel, mundabis me. Alia littera *et dealbabor super nivem*, id est incomparabiliter. Vel ideo dicit, super nivem, ut notet se esse vestem Domini : et ideo sine macula et ruga, quia testimenta Christi in transfiguratione Domini facta sunt alba sicut nix, per quæ sancti significantur. Unde : *Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis* (*Gal.* v). Quorum si fuerint peccata ut vermiculus, velut nix dealbabuntur (*Isa.* I). Et hoc est, et dealbabor super nivem, id est ut sim vestis Domini sine macula et ruga. Unde et in monte vestis Christi fulsit sicut nix. Et sic ego audiam et,

VERS. 9. — « Auditui meo dabis gaudium et lætitiam, et exsultabunt ossa humiliata. »

Auditui meo dabis gaudium. [Aug., Cassiod., Hier., Aug.] Nota istum humilem esse, quasi dicat : Audiam te humilis, non loquar contra te superbus defendendo culpam. Et huic *auditui meo dabis gaudium* de absolutione peccati, dicendo : *Dimissum est tibi peccatum tuum* (*II Reg.* XII). *Et lætitiam* de æternis, quæ promittis mihi. Qui enim humilis audit et discit, intus gaudet de veritate. Unde amicus sponsi stat et audit : stat, non cadit loquendo ; et gaudet gaudio, propter vocem sponsi. *Et* quia jam humilis sum *exsultabunt ossa*, id est interiora mea, *humiliata*, quia sunt sine fastu, non habent tumorem; tumor enim infusa repellit.

PARS. III. VERS. 10. — « Averte faciem tuam a peccatis meis ; et omnes iniquitates meas dele. »

Adverte. [Cassiod., Aug., Hier., Aug.] Tertia pars, ubi confidentia securus petit deletionem omnium peccatorum, et plenam restitutionem. Quasi dicat : Ossa sunt humiliata. Et ideo, *averte a peccatis meis* non a me, *faciem tuam*, quia ea ante faciem meam habeo. Si enim homo advertit peccatum, Deus avertit faciem ne puniat. Adverte ergo peccatum, ut avertat Deus : ne advertendo, ipse animadvertat, qui est virga vigiliarum. Unde ad Jerem. dicitur : *Quid tu vides Jeremia ? virgam vigiliarum ego video* (*Jer.* I). Virga vigiliarum Deus est, qui vigilat super populum suum ad puniendum, si ille dormit ad confitendum ; dormit vero, si ille vigilat. Dico averte et avertendo *dele* de notitia tua *omnes iniquitates meas*, plus præsumit iste, quam de illo grandi peccato homicidii et adulterii, et hoc per magnam misericordiam Dei. De duobus culpatus, prudenter pro omnibus orat. Dico dele, et deletis malis.

VERS. 11. — « Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis. »

Crea in me, Deus, cor mundum, quasi novum aliquid. [Aug., Cassiod.] Sed quia et ante peccatum innocens fuerat, addit *et innova spiritum* meum faciendo *rectum*, quia curva erat spiritus mei rectitudo :

A ad terrena. Rectus est spiritus, cum ei Deus est bonus per omnia, ut et David postea fuit, etiam in adversis. Et non tantum in spiritu me innova : sed etiam *in visceribus meis*, unde adulterium exiit. [90) In renibus enim sedes est voluptatis. Unde de diabolo dicitur : Cujus virtus est in lumbis, et in umbilico ventris (*Job.* XL). Ideo in utriusque partibus, anima scilicet et carne, remedium curationis petit, quia in eis peccavit. Sic desiderat expiari, ut videatur nil tale ultra velle committere.

VERS. 12. — « Ne projicias me facie tua ; et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me. »

Ne projicias me. [Cassiod., Aug.] Quasi dicat : A peccatis faciem averte, sed *ne projicias me a facie tua* unde lumen et sanitas venit, eujus faciem amitteret timet, ejus faciem invocat, *et Spiritum sanctum tuum*, id est gratiam Spiritus sancti *ne auferas a me*. Auferas dicit, quia jam habet donum Spiritus : qui confitetur et pœnitet, quia non potest esse confessio peccati, et punitio in homine, ex seipso. Cum enim quisque sibi irascitur, et displicet, sine dono Spiritus sancti non est. Vel spiritum prophetiæ, qui sibi omnibus pretiosior est rebus, solum peto non auferri tacens **110** de cæteris, ne auferas Spiritum, et per eum,

B

VERS. 13. — « Redde mihi lætitiam salutaris tui ; et spiritu principali confirma me. »

Redde mihi, [Aug., Hier.] quia peccando amisi *lætitiam salutaris tui*, id est Christi, per cujus venturi fidem, priores salvati sunt, ut nos per fidem factæ rei salvamur ; tempora variata sunt, non fides, *et spiritu principali*, id est Spiritu sancto, id est per gratiam Spiritus sancti, qua ignovisti mihi *confirma me*. Non solum non auferas, sed etiam confirma. Vel ita : Per hoc quod ter dicit spiritum, notant quidam Trinitatem hic in Deo, qui est spiritus, non corpus ; spiritum rectum Filium dicunt ; Spiritum sanctum suo nomine intelligunt ; per spiritum principalem, Patrem accipiunt

C

PARS IV. VERS. 14.— « Docebo iniquos vias tuas, et impii ad te convertentur. »

Docebo. [Alcuin., Aug., Cassiod., Gl. int., Cassiod.] Quarta pars, ubi dicit quid restitutus persolvat ; prius plorans, jam fit doctor. Dico confirma me in gratia quia ignovisti, et confirmatus non ero ingratus, sed *docebo* vel exemplo, quia dum sibi parcitur, aliis spes datur : vel verbo, postea magnalia Dei prædicavit ; *iniquos* qui in fide manentes peccant ; *vias tuas*, id est misericordiam et veritatem. Quos dixerat iniquos, postea eosdem dicit impios subdens, *et impii*, ut ego sum. Vel, impii sunt, qui penitus sine Deo sunt, id est infideles et impii, inquam, *ad te convertentur.* Ecce quæstuosus de prædicatione fructus, scilicet quod impii ad te convertuntur : hoc dicere non est elatio, sed providentia, quia per ista verba multi orantes soluti sunt. Docebo, quod ut possim.

D

VERS. 15. — « Libera me de sanguinibus, Deus

(90) Greg. Homil. 13 Evang.

« Deus salutis meæ ; et exsultabit lingua mea justi- « tiam tuam. »

Libera me de sanguinibus Deus, Deus. [Aug., Cassiod.] Omnes novimus Latine non dici sanguines, sed sanguinem, sed etsi minus Latine dicatur pluraliter quam singulariter, tamen magis proprie pluraliter dixit, innuens multa peccata ex origine carnis peccati trahi, id est ex carne per originale peccatum corrupta. Unde : *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt* (*I Cor.* xv), id est peccata quæ de carnis et sanguinis corruptione veniunt. Et hoc est, *libera me de sanguinibus, o Deus*, id est de carnalibus peccatis quæ multa sunt, ut jam ab his desinam. Vel ita : Libera me de sanguinibus, id est ab omni corruptione pœnæ et culpæ, et da incorruptionem, quod implebitur in futuro. Unde sequitur : Deus, Deus, dator *salutis meæ*, quæ salus erit in incorruptione, cum hoc mortale induet immortalitatem : modo jam est in specie. *Et* sic *exsultabit lingua mea*, id est cum exsultatione annuntiabit *justitiam tuam*. Alioquin nisi prius mundatus fuero, timeo quod supradictum est : Quare tu enarras justitias meas. Nota quod justitiam laudat, cum pietati vel misericordiæ potuis debet gratia agere, sed justitiæ fuit confitentem suscipere. Et hæ duæ res semper judicio Domini adjunctæ sunt, nec in te dubito, quia, o

Vers. 16. — « Domine, labia mea aperies : et os « meum annuntiabit laudem tuam. »

Domine, labia mea aperies, [Cassiod., Aug., Cassiod.] propter peccata clausa, *et os meum* etiam cordis arcanum, *annuntiabit laudem tuam,* scilicet quod me creasti, quod peccantem non reliquisti, quod confiteri monuisti, quod mandasti. Hoc obtendo, quia non vis sacrificia pecudum.

Vers. 17. — « Quoniam si voluisses sacrificium, « dedissem utique, holocaustis non delectabe- « ris. »

Quoniam si voluisses sacrificium, Aug., Cassiod., Hier.] quod illo tempore pro expiatione pendebatur, *dedissem utique.* Videbat propheta tempus gratiæ, quo hæc figurativa cessarent. Si voluisses, *dedissem,* sed *non delectaberis* sacrificiis nec etiam *holocaustis* quæ sunt digniora, quæ adventu Christi respuuntur. Quid ergo offerendum ? non pecudes, non circum, sed

Vers. 18. « Sacrificium Deo spiritus contribu- « latus ; cor contritum et humiliatum, Deus, non « despicies. »

Sacrificium peccatorum, [Gl. ini., Aug., Cassiod.] quod placet *Deo* est *spiritus contribulatus,* in quo datur spes veniæ convertendis, si pœnitere velint. Lætus lascivus spiritus obligat hominem peccato, sed spiritus contritus est sacrificium, quo peccata solventur. Sequitur hujus sacrificii promissio, o Deus, *non despicies cor contritum* pœnitentia. Spernit Deus taurum et hircum, etc. Quæ tempus habuerunt, dum aliquid promitterent futurum ; *et humiliatum* Deo confitendo, non elatum peccatum ex-

A cusando. Prius dicit contritum, et post humiliatum : quia non potest humiliari, nisi prius contritum sit.

Pars v. Vers. 19. — « Benigne fac, Domine, in « bona voluntate tua, Sion, ut ædificentur muri Je- « rusalem. »

Benigne fac. [Cassiod., Alcuin., Aug., Gl. int., Aug., Greg.] Quinta pars, jam gaudens de ædificatione Jerusalem, id est Ecclesiæ : propheta in qua sacrificium justitiæ fiat. Quasi dicat : Sacrificium est tibi spiritus contritus, quod sacrificium ut tibi fiat, o *Domine, benigne fac Sion,* id est Ecclesiæ. Supra unus precabatur, scilicet prophetia, proseipso. Ecce jam est hic typus et imago Ecclesiæ,

B quæ figuratur per Sion, pro qua precatur hic Propheta in sua vel Ecclesiæ persona, dicens huic Sion, id est spirituali Sion, scilicet Ecclesiæ, quæ aliquid speculatur quod sperat. Benigne fac, id est, mitte Filium, et dimitte peccata. Et hoc, in bona voluntate tua, non sibi tribuat aliqua merita, *ut ædificentur muri Jerusalem,* per primum hominem destructi, id est munimenta immortalitatis nostræ quæ dabitur in futuro, constituantur in fide, spe et charitate. Hæc sunt bona merita per quæ nobis defendetur immortalitas in futuro, quo modo consummari precatur, et

Vers. 20. — « Tunc acceptabis sacrificium justi- « tiæ oblationes et holocausta ; tunc imponent super « altare tuum vitulos. »

C *Tunc,* [Aug., Gl. int., Aug., Alcuin., Cassiod., Hier., Cassiod.] scilicet cum ædificati fuerint multi, scilicet in futuro *acceptabis,* id est, acceptum tibi erit *sacrificium justitiæ,* laudis : modo offertur tibi sacrificium pro iniquitate, cor contritum. Sed tunc solius laudis, quod est sacrificium justitiæ. Et tunc acceptabis *oblationes et holocausta,* id est sanctos, qui erunt holocausta, ita ut divinus ignis eos totos absumat, id est fervor charitatis, et sic levetur holocaustum, ut fiat spirituales, ut absorbeatur mors in victoria. *Tunc imponent* angeli messores *vitulos,* id est novos populos innocentia, scilicet novæ ætatis colla libera a jugo legis, et peccati *super altare tuum,* id est cœlestem Jerusalem. Vel ita, et legitur de præsenti : Dico ædificetur Jerusalem, et cum Ecclesiam construxeris, tunc acceptabis sacrificium

D justitiæ, id est justitia erit tibi sacrificium, et tunc acceptabis oblationes et holocausta, id est minores sancti, qui per oblationes intelliguntur ; et perfecti, qui per holocausta tibi offerentur, tunc imponent, sacerdotes, vitulos, id est innocentes, et adultos, sine jugo peccati. Super altare tuum, id est fidem. Vel, vituli sunt prædicatores, qui orbem mugitibus prædicationis implent, qui a majoribus, ut ab apostolis imponuntur super altare Ecclesiæ. Et est ; tunc imponent, scilicet majores prælati, vitulos, id est prædicatores. Super altare tuum, id est Ecclesiam. Vel vituli sunt qui se Deo offerunt in sacrificium, id est martyres. Et est imponent, seipsos vitulos, super altare tuum, id est seipsos offerent tibi. Vel

ita ut accipiatur sacrificium justitiæ. Passio Filii, id est Christi, oblationes et holocausta, ad fideles pertinent. Et est, tunc acceptabis sacrificium justitiæ, id est tibi erit accepta passio Christi et acceptabis, oblationes et holocausta, id est fideles, pro tuo nomine patientes, tibi erunt grati. Reliqua non mutantur.

COLLATIO IN PSALMUM L : « MISERERE, » ETC,

VERS. 1. — *Misesere mei*, Deus *secundum magnam misericordiam tuam*. Additum est a LXX, *magnam*, quo insinuetur pondus rei. Imo in quibusdam codicibus legitur in plurali, *secundum misericordias tuas* Plurale autem emphasim habet כחסדיך QHEHASDECA. Unde Hieronymus libro secundo adversus Jovinianum : « David postea tentatur a diabolo, et post peccatum pœnitens loquitur : *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam*. Magnum peccatum magna vult deleri misericordia. »

VERS. 5. — *Et vincas cum judicaris*. Dubium est, in Heb., Græco et Latino, an verbum *judicaris* accipiatur active, an passive ? quia Græce et Hebraice ponitur infinitivus. Quod si ad verbum transferas in *judicare* seu *judicando te* ἐν τῷ κρίνεσθαί σε בשפטך BESSOPHTECA. Hieronymus juxta Hebræos, sine ambiguo passive reddidit, *cum judicaberis*. Explanatio quoque ejus, in hunc versiculum, idipsum declarat. Amplius caput Isa. XXIII commentatus hoc citat modo, *Et vincas cum fueris judicatus*. Tamen ipse Hieronymus, libro II adversus Jovinianum, sub activa significatione interpretatur. « Suspicor, ait, te aliquando ut hominem fuisse mentitum ; omnis enim homo mendax, ut sit solus Deus verax, et justificetur in sermonibus suis, et vincat cum judicaverit. » Sic et active accipiunt Neoterici translatores, præter Pellicanum. Paraphrasis Campens, itidem videtur sumpsisse passive, ait, *æquissimus judicaberis*. Sed utrumque quadrat. Nempe quo Deus appareat justus, cum judicatur a perfidis hæreticis non remittere peccata pœnitentibus ; aut, ut interpretatur Ambrosius in cap. Luc. IX. Quod peccemus, tantum venit nobis tribuendum : omnia quæ per se sunt justa, Deo. Ait enim : Miseretur ergo Dominus, ne quis deficiat in via. Si quis ergo defecerit, non per Dominum Jesum, sed per se deficit : nec habes quod ascribas Domino, qui vincit cum judicatur. Quid enim dicas ei, qui in te contulit omnia firmamenta virtutum ? Nonne ipse te genuit ? Nonne ipse te pavit ? Cibus ejus virtus est, cibus ejus fortitudo est. Sed si tu negligentia tua virtutem quam acceperas perdidisti, non alimentorum cœlestium, sed tuæ mentis tibi præsidia defuerunt. » Hæc ille. Jam quod ad justissimum, in quo non potest peccatum habere locum, spectet proprie judicare, hoc est punire peccata et peccatores palam est. Cæterum ubi habemus, *et vincas*, Hebraicantes (præter Hieronymum) vertunt, *purus sis* aut *mundus appareas* תזכה TIZKEH, Hieronymus dicit *nobiscum vincas*. Et certe A זכה ZICAH si vocabulario editionis Hispanicæ credimus, interdum significat *vincere*. Quin et Munsterus idipsum attestatur secundum auctorem Aruc, id est dictionarii Chaldaici, utut fuerit, non longe discrepat eodem sensu. Victoria enim judicis supra reum est ut si purus ab eo crimine, in quod animadvertere debet. Quod quam proxime Deo, qui est ipsa justitia congruat nemo ambigit.

VERS. 6. — *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum et in peccatis concepit me mater mea*. Frigidum est satis quod Faber et Cæcus contendunt melius legi *iniquitate* et *peccato* singulariter, ob noxam originalem. Debuissent enim attendere David assumere personam generis humani, et peccatorum omnium radicem. Deinde quod philosophantur, ex Hebr. melius legi, *Peperit me mater mea*, ut David expressius ostendat suam humiliationem, per hoc quod non est sanctificatus in utero, veluti Jeremias, et Joannes Baptista, nihil agunt, quia dictio Hebraica יהם B IAHAM proprie significat *calefacere* et concipere.

111 VERS. 7. — *Ecce enim veritatem dilexisti, incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi*. Neoterici traductores aliter distinguentes, aliter etiam vertunt. *Ecce enim veritatem dilexisti in intentionibus* vel *renibus*, vel *interioribus*, *et in occulto sapientiam mihi notam facies*. Hieronymus juxta Hebræos est nobiscum, *ecce enim veritatem diligis, absconditum et arcanum manifestasti mihi*. Particula Hebraica טחוות TUHOTH significat *renes*, *viscera* ; ac teste Munstero, capitur pro puris cogitationibus et affectibus. Hæc autem sunt nobis incerta et abscondita, ut interpretes reddiderunt secundum intelligentiam, non verba. Unde Hieronymus ad Suniam et Fretellam : « Noluimus immutare quod ab antiquis legebatur ; et idem sensus erat, quanquam ad alium locum hoc dicit. »

VERS. 15. — *Ei spiritu principali confirma me*. Hieronymus, *spiritu potenti confirma me* ; Pellica- C nus, *spiritu libertatis sustentabis me* ; Pratensis, *spiritu munifico* ; sic et Munsterus, etc. Sanctes, *spiritus voluntarius confirmet me*. Interpretes pro Cajetano, *spiritu spontaneo*, etc. Cæterum נדיב NADIB, significat *principem munificum, liberalem*, ut in eamdem redeant sententiam. Unde paraphrasis Campensis, *principe illo spiritu muni me* ; Nebiensis *spiritu nobili*, etc. ; Chaldæus, *spiritus propheticus confortabit me*.

VERS. 17. — *Quoniam si voluisses sacrificium dedissem*. Heb. legit קי לא תחפיץ זבח ואתנה KI LO TACHPOTZ ZEBAH VELTENACH. Quod si anxie reddas, *non vis* seu *non dabis sacrificium et dabo*, sensus est obscurus, nisi legeris per interrogationem, ut facit Sanctes : *Et dabo* ? Unde quo dilucidior esset sensus apposite verterunt interpretes. Sic et Hieronymus, *non enim vis ut victimam feriam*. Sic et Nebiensis. Quod exprimens Munsterus, extulit D hoc modo : *Nam non desideras sacrificium, alioquin darem*. Translatio ad Campensem, nobiscum est, *quoniam si amares victimam, redderem*.

PSALMUS LI.

PSALMI TITULUS : « IN FINEM INTELLECTUS DAVID, CUM VENIT DOEG IDUMÆUS, ET ANNUNTIAVIT SAUL, ET DIXIT : VENIT DAVID IN DOMUM ABIMELECH. »

Quid gloriaris in malitia. Titulus : *In finem intellectus David, cum venisset Doeg Idumæus, et annuntiavit Saul et dixit : Venit David in domum Abimelech*. Legitur in libro Regum quod David fugiens a facie Saul, venit in Nobe civitatem ad Abimelech sacerdotem, a quo quæsivit panes et gladium. Cui dedit panes propositionis et gladium Goliæ, et misit David ad Achis regem Geth. Quandovero Abimelech dedit David gladium et panes, intererat Doeg Idumæus, potentissimus pastorum Saul. Cum autem Saul quadam die conquereretur quod nullus nuntiaret sibi. David, dixit Doeg : *Vidi filium Isai in Nobe apud Abimelech, qui pro eo Dominum con-*

suluit, et dedit ei cibaria, et gladium Goliæ (*I Reg.* XXII). Præcepit ergo Saul emissariis, ut interficerent Abimelech, et omnes sacerdotes qui erant in Nobe. Illis autem nolentibus extendere manus in sacerdotes Domini, ait Saul ad Doeg : *Irrue in sacerdotes : et irruit Doeg, et trucidavit octoginta quinque viros vestitos Ephoth* (*ibid.*). Viros quoque qui erant in Nobe, et mulieres et parvulos, et animalia occidit, solus Abiathar filius Achimelech evasit et fugit ad David. [Aug., Hier., Aug., Hier., Aug.] Hanc historiam tangit iste titulus, nec discrepat a veritate historiæ, nisi quia in libro Regum legitur *Achimelech*, cum hujus psalmi titulus habeat *Abimelech*. Hieronymus quoque dicit in Hebræo esse Achimelech. Ita enim dictus est sacerdos ille, sed propter similitudinem litterarum, scilicet beth et caph, quæ modico apice differunt, variatur Abimelech. Vel forsan sicut supra in præcedenti populo titulus habet, non coram Achis, sed *coram Abimelech* (*Psal.* XXXIII), mutato nomine, ut non res historiæ prosequaris, sed mysterium, ita et hic. Mysterium ergo prosequentes, prius nominum interpretationes, deinde mysticas eorumdem significationes attendamus. Abimelech interpretatur ergo *patris mei regnum*, et significat Judæos. Domus Abimelech regnum est Judæorum, quod Pater instituit; Doeg, *motus ;* Idumæus, *terrenus* ab Edom, quo nomine vocatus est Esau. Saul petitio, et significat mortem, quam homo peccans verbis et manibus appetiit, sicut populus a Domino Saulem regem extorsit (*I Reg.* XVIII). David *manu fortis*, vel *desiderabilis aspectu* (*Gen.* XXII). (Aug., Cassiod., Alcuin., Cassiod.) Doeg prodidit David ; et sacerdotes occidit, non David. Sicut aries immolatus fuit pro Isaac, non Isaac, ubi, id est in quo utroque facto effuso sanguine, resurrectio Christi et vita significata est, id est significatum est quod Christus, et si secundum hominem sanguinem funderet et pateretur, quod significat arietis immolatio, et sacerdotum occisio ; tamen secundum deitatem impassibilis et illæsus vivebat, quod significat David evasio. Doeg Idumæus, id est motus et terrenus, est genus malorum hominum, terrenum quod movetur, non perseverat in æternum. David rex comedit panes propositionis, quos non licet edere, nisi solis sacerdotibus (*Levit.* XXIV), figuravit non solum personam regis, sed etiam sacerdotis. Est ergo David Christus, et corpus ejus ; hic autem mista sunt terrenum regnum, et cœleste, id est boni, qui sunt regnum Dei, et mali qui sunt regnum diaboli. De his duobus generibus hominum, agit hic psalmus ; et non est oratio pro malis, sed prophetia, qua dicitur quid sit eis futurum. Et est sensus tituli : *Intellectus David* prophetæ mittens nos *in finem*. Hic ostenditur quid habuit de hoc quod factum est, *cum venisset Doeg*, id est motus, *Idumæus*, id est terrenus, id est genus malorum ; *et nuntiasset Sauli*, quia prodidit Christum morti. Quid? *Venit David*, id est Christus, *in domum Abimelech*, id est ad Judæos, quia tunc proditus est morti Christus, cum
A venit ad regnum Patris, id est regnum Judæorum quod Pater instituit. Et hoc in illa historia figuratum est. Aliter Doeg Idumæus adversarius David, qui interpretatur *motus* et *terrenus*, significat Antichristum, qui totum orbem movebit, qui veniet per signa et miracula ante adventum judicii ; et auxilium a Saule, id est a diabolo petens, nuntiabit David venisse in domum Abimelech, id est Christum venisse ad Ecclesiam, quæ est regnum Dei Patris. Et est sensus : Intellectus David, prophetæ, tendens in finem. Hic aperitur habitus de hoc quod factum est : Cum venisset Doeg Idumæus, id est Antichristus ; et nuntiasset Sauli, id est diabolo. Venit David, id est Christus, in domum Abimelech, id est ad Ecclesiam : et utitur præterito pro futuro.
B Intentio : Roborat fideles contra Antichristum, et ejus complices. Modus. Quatuor sunt partitiones. Prima est invectio Doeg, ut fideles roboret. Secundo agit de celeri fine iniqui, ibi, *propterea Deus destruet te in finem*. Tertio pro dejectione ejus ponitur irrisio, ibi, *videbunt*. Quarto dicit quomodo contra eum bonus se habeat, ibi, *ego autem*. Propheta ergo invectionem faciens contra Doeg, dicit, o tu Doeg,

VERS. 1. — « Quid gloriaris in malitia, qui potens « es in iniquitate?

Qui potens es in iniquitate, [Aug.] quod minimum est, *quid gloriaris in malitia*? quasi dicat, in bono gloriandum est, quod magnum est. Quæ vero sit
C iniquitas hæc, exponit subdens :

VERS. 2. — « Tota die injustitiam cogitavit lingua « tua ; sicut novacula acuta fecisti dolum. »

Tota die, [Aug., Hier., Aug., Gl. int., Aug., Cassiod., Alcuin.] id est sine intermissione. Ecce iniquitas. *Lingua tua cogitavit injustitiam*, id est meditatio mali est in lingua, in qua ostenditur levis mens, præceps dictio, quia non ante cogitat quam loquatur. Unde Salomon ait : *In ore stultorum est cor eorum* (*Eccli.* II). Iste talis, si non potest facere, loquitur malum ; sed si et hoc nequit, saltem cogitat, ut quando aliquid mali abest a manibus, a corde non absit. Quid vero efficiat subdit, *fecisti dolum sicut novacula acuta*, id est ita expedite, sic-
D ut novacula acuta, cito et facile radit. Vel sicut novacula superfluos et inutiles pilos radit, ita mali sanctis capillos radunt, id est inutilia et superflua rapiunt, scilicet mala desideria et bona præsentia, quæ sancti contemnunt, cum ipsa vita, ut sint filii Core, quibus dicitur : *Nolite timere eos qui occidunt corpus ; animam autem non possunt occidere* (*Matth.* X). Et est : Fecisti dolum sicut novacula acuta, quia inutilia rapit, et animum purgat. Vel, Fecisti dolum sicut novacula acuta, quæ dum promittit innovationem, incidit ; ita et ille dolosus, id est Antichristus, suis promittit beatitudinem, et occidit.

VERS. 3. — « Dilexisti malitiam super beni-

« gnitatem ; iniquitatem magis, quam loqui æqui-
« tatem. »

Dilexisti. [Cassiod., Aug., Cassiod.] Quasi dicat : Non tantum fecisti, sed etiam *dilexisti malitiam,* non deserit malum qui diligit *super benignitatem,* quia et si benignitas quandoque tangit animum ejus, refugit. Et nota quod ait dilexisti malitiam super benignitatem. Quasi dicat : Utrumque habes ante te ; sed hoc, id est malitiam eligis perverse ; et ita facis, quasi leves aquam super oleum, et terram super cœlum, sed cum his, id est ad similitudinem horum cadis inferius, quia sicut ista suo pondere deorsum feruntur, sic tu benignitati præferens malitiam ruis in profundum, quia talentum plumbi super quod sedet iniquitas, ut Zacharias propheta ait (*Zach.* v), amplexaris. Dilexisti etiam *loqui iniquitatem magis quam æquitatem,* quasi nec mala tegis verbis decoris, sed

VERS. 4. — « Dilexisti omnia verba præcipitatio-
« nis tuæ, lingua dolosa. »

Dilexisti omnia verba præcipitationis, [Hier., Gl. int., Aug.] tuæ et aliorum. Dico dilexisti, tu qui es *lingua dolosa,* id est linguosus et dolosus. Vel sic, dilexisti omnia verba præcipitationis. Hæc sunt verba præcipitationis, scilicet, lingua dolosa, id est dolosa verba fallaciæ ministra, aliud in corde gestantium, aliud ore promentium.

PARS. II. VERS. 5. — « Propterea Deus destruet
« te in finem ; evellet te, et emigrabit te de ta-
« bernaculo tuo, et radicem tuam de terra viven-
« tium. »

Propterea. [Cassiod., Gl. int., Aug., Cassiod.] Secunda pars, ubi agit de celeri fine iniqui. Quasi dicat : Hæc dilexisti, *propterea Deus destruet te in finem,* et si non modo, quia prius *evellet te,* id est dignitatem auferet et post emigrabit, id est faciet te transferre *de tabernaculo tuo,* id est de hac vana gloria, in qua ad tempus es. Vel, de tabernaculo suo. Alia littera, etiam accipit tabernaculum præsentem Ecclesiam, ubi modo est Doeg Idumæus cum David cui insidiatur, id est paleæ cum granis, servi cum filiis, qui non manebunt in domo in æternum (*Joan.* VIII). Et hoc est. *Et emigrabit te,* id est emigrare faciet te, *de tabernaculo suo,* id est de præsenti Ecclesia, ubi sunt paleæ cum granis. Quasi dicat : modo es in tabernaculo, sed servus non manet in domo in æternum ; modo si qua bona facit servus, mercedem suam recipit ; *et radicem tuam* evellet *de terra viventium,* id est de beatitudine sanctorum. Radix nostra charitas est, qua radicati sumus in terra viventium : de qua radix hujus, id est voluntas eradicatur, quia non est altius fixa per charitatem, sed est **112** in arida petra et sterili, supra quam jactata semina aruerunt, quia non habebant humorem (*Luc.* VIII). Ecce Doeg, id est motus, unde loquitur titulus. Hic est enim pulvis quem projicit ventus a facie terræ. Vel radix mali, est cupiditas, quæ non parit fructum in terra viventium. Vel specialiter loquitur de Antichristo, A cujus radix sunt ministri ejus, qui cum eo nihil habebunt, cum sanctis.

PARS III. VERS. 6. — « Videbunt justi et timebunt, et
« super eum ridebunt, et dicent : Ecce homo qui
« non posuit Deum adjutorem suum. »

Videbunt. [Cassiod., Gl, int., Aug., Gl. int., Aug., Gl. int.] Tertia pars ubi pro dejectione ejus a sanctis irrisio facta ostenditur. Quasi dicat : Hæc patientur mali sed non sine fructu piorum, quia, *videbunt,* modo *justi,* id est, vident nunc quid malis eventurum sit in finem ; *et timebunt,* id est timent sibi ne et ipsi cadant, *et* in futuro *super eum ridebunt,* id est irrisione dignum indicabunt. Hic vero flent, nunc enim ambulant, ut Petrus ait : *Intendentes ad propheticum sermonem, quasi ad lucernam* B *in nocte, donec dies luceat, et Lucifer oriatur in cordibus nostri* (*II Petr.* I), id est Christus appareat, qui est lux nostra. Et ideo timendum est, modo, quia in nocte agitur. Tunc vero erit dies, et ideo tunc *ridebunt super eum,* quia non erit tunc locus correctionis, *et dicent : Ecce homo,* non Deus, *Qui non posuit Deum adjutorem suum,* sed se deum fecit : Quasi dicat : Non speravit in Deo, sed in divitiis. Unde sequitur :

VERS. 7. — « Sed speravit in multitudine divitia-
« rum suarum ; et prævaluit in vanitate sua. »

Sed speravit in multitudine divitiarum suarum. [Aug., Cassiod., Alcuin.] Non dicit, habuit divitias, quia habet aliquis qui non amat, et ardet avaritia, etiam qui non habet, *et prævaluit in vanitate* C *sua,* quia nihil est vanius eo qui putat plus valere minimum quam Deum. Vel de antichristo specialiter agitur. Et prævaluit in vanitate sua, quia plus omnibus malis fideles decipiet.

PARS IV. VERS. 8. — « Ego autem sicut oliva fruc-
« tifera in domo Dei, speravi in misericordia Dei in
« æternum, et in sæculum sæculi. »

Ego autem. [Cassiod., Aug.] Quarta pars, ubi dicit quomodo contra eum se bonus habeat. Et nota quia hucusque fuit vituperatio illius partis. Hic vero est laus contrariæ partis. Ecce perfecta demonstratio Quid dicat : Mali sperant in divitiis, ego autem, dicit populus fidelis, qui sum *in domo Dei,* id est Ecclesia, *sicut oliva,* quæ hieme et æstate viret, *fructifera,* de cujus D germine Christus est. Populus Dei est ista oliva, de qua fracti sunt superbi rami, id est Judæi, et insertus est humilis oleaster de gentibus. (*Rom.* XI). Ego, inquam, qui sum oliva. *Speravi* in misericordia Dei, ille scilicet, Doeg in divitiis. Misericordia Dei dico, duratura *in æternum.* Quod autem dixit in æternum, repetit. *Et,* pro id est *in sæculum sæculi,* ut repetendo confirmet quam fundatus est in amore regni cœlorum. Vel ita, Speravi in misericordia Dei, non ad terrena adipiscenda, sed ad ea quæ sunt, in æternum, et in sæculum sæculi, id est æterna. Et

VERS. 9. — « Confitebor tibi in sæculum, quia fe-
« cisti ; et exspectabo nomen tuum, quoniam bo-

« num est in conspectu sanctorum tuorum. » *Confitebor tibi in sæculum.* [Aug., Gl. int., Cassiod., Aug.] Id est laudabo te in sæculum, *quia fecisti* prædicta, scilicet quod sum oliva, quod speravi in misericordia Dei in æternum, *et exspectabo,* non ero præproperus; *nomen tuum,* id est rem nominis tui, quod est Jesus, scilicet quod tunc salvabor. Ideo exspectabo nomen tuum, *quoniam bonum est.* Jucundum est nomen, sed non nisi gustanti; amarum vero est sæculum. Dico bonum est, sed *in conspectu sanctorum tuorum,* tantum, non in conspectu impiorum, qui non gustant amando.

COLLATIO IN PSALMUM LI : « QUID GLORIARIS, » etc.

VERS. 1. — *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?* Hieronymus et Hebr. reddunt pene oppositum sensum in secunda sententia, ad eum modum : Hieronymus, *potens misericordia Dei, tota die*, ut exordium sequentis versus, respiciat finem præcedentis. Neoterici Hebraicatores. figunt diastolem in particula potens. *Quid gloriaris in malitia, o potens? Misericordia* sive *pietas Dei mecum est*, supple per totum diem. Pietas autem et iniquitas, quid non compugnant? Sed sciendum apud Hebr. idem vocabulum חסד HESED, notare et *pietatem*, et *vitium*. Dehinc ubi legunt nunc, ante hæc verba *tota die,* אֵל EL, id est *Dei*, referendo ad pietatem quæ præcedebat, LXX legerunt אֶל EL, id ést *ad* quasi dicas, *ad totum diem*, alias *tota die*. Ubi nulla est discrepantia prorsus in litteris. Punctulus et is tertius distantiam facit. Et ob variam lectionem, necesse erat hanc aut illam sequi distinctio- A nem ad præcedentia et sequentia; et verbum ambiguum, altero et altero reddere significatu. Et translator ad Campensem accepit *et*, non pro *Deo*, sed pro *gigante*. *O*, inquit, *facinorose gigas.*

VERS. 4. — *Dilexisti omnia verba præcipitationis.* Hieronymus, *ad devorandum.* Sive ut transferunt interpretes pro Cajetano, *verba glutitionis;* Pratensis, *depressionis,* Sanctes, *omnia verba dissipata.* בלע BALA juxta Hebr. significat *devoravit, deglutivit* : et qui præcipitanter loquitur, quasi verba devorat. Item *corripit, diruit, perdidit,* in secunda conjugatione. Hinc בלע BELA, *corruptio, præcipitatio.* Eodem tum demum recurrit intelligentia. Nam Matth. XII : *Ex abundantia cordis os loquitur.* Et quando quispiam corde perverso exardescit proximo incommodare, ore nefario quam potest præcipitantissime expromit quod gestat in corde maligno, ad subvertendum. Quare mox subtexitur. B Lingua dolosa לשון מרמה LESCHON MIRMAH, quod potest reddi septimo aut vocante casu ex Hebr., licet apud LXX legatur γλῶσσαν δολίαν *linguam dolosam*, ut respiciat verbum præcedens, *dilexisti,* aut intelligatur præpositio, κατὰ per linguam dolosam, quemadmodum in translatione Romana, *in lingua dolosa.* Et certe Chaldæo respondens interpretatio est prorsus cum nostra lectione.

VERS. 7. — *Prævaluit in vanitate sua.* Hier., *in insidiis suis.* Et ad eum modum Nebiensis : *Reliqui dicunt in pravitate sua.* Vocabulum הות HAUATH, juxta Hebræorum traditionem, significat *corruptelam* et *pravitatem,* ac *malitiam cordis* et *operis.* Ad sensum parvi refert. Chaldæus autem dicit, *in pecunia sua;* in quam sperare quam vanum sit docet *evangelium.*

PSALMUS LII.

PSALMI TITULUS : « IN FINEM INTELLECTUS DAVID, PRO AMALECH, *vel* PRO MAELETH. »

Dixit insipiens. Titulus. *In finem intellectus David pro Amalech.* In libro Regum legitur quod David fugiens a facie Saul abiit cum sexcentis viris ad Achis regem Geth, qui dedit ei civitatem Sicelech, quam David absente Amalechitæ invaserunt, et succenderunt, captivas quoque duxerunt uxores ejus, et aliorum, et filios et filias. Quod cum accepisset David, revertens de exercitu regis Achis, insecutus est eos atque percussit, reduxitque; omnia quæ rapuerant (*I Reg.* XXVII XXX). [Rem., Alcuin., Aug., Cassiod., Aug., Cassiod.] Hanc historiam tangit iste titulus. Amalechitæ vero, qui interpretantur *populus lingens terram,* significant Antichristum et suos, terrena amantes, qui in fine mundi pro viribus vastabit ecclesiam. Sed David, id est Christus, vere manu fortis, eamdem liberabit percussis Amalechitis, id est Antichristo et suis. Et est sensus, hic est. *Intellectus David* prophetæ, dirigens nos *in finem,* id est in Christum, quem habuit *pro Amalech,* id est de Amalechitis, qui vastaverunt Sichelech, per quos intellexit membra Antichristi Ecclesiam vastatura, quæ hic confutantur. Vel secundum aliam litteram, quam ponit Aug., scilicet *pro Maeleth.* Maeleth vero interpretatur *dolens,* vel *parturiens* : et significat Ecclesiam, quæ dolet refrigente charitate multorum, et parturit, donec Christus formetur in illis (*Gal.* IV). Pro hac, C scilicet parturiente, agit hic Propheta de malis, minando illis et increpando, inter quos gemit parturiens. Et est sensus; hic est, intellectus David prophetæ tendens *in fine* habitus pro Maeleth, id est pro parturiente, vel dolente, quæ est Ecclesia, pro qua increpantur hic homines inter quo gemit. Et notandum quod supra idem psalmus quantum ad verborum superficiem præcessit. Sed differt ab isto, tam titulo quam materia, quia ibi de incarnatione Domini; hic de adventu judicii agitur. Intentio Prophetæ est Ecclesiam contra malos roborare et consolari, quæ consolatio in fine psalmi ostenditur. Modus tripartitus est psalmus. Prima pars est increpatio malorum. Secunda, comminatio per finem, ibi, *nonne.* Tertio, dicit quod salus sit parturienti, D ibi, *quis dabit.* Primo ergo increpans malos et improperans, ait :

VERS. 1. — « Dixit insipiens in corde suo : Non est « Deus. »

Dixit insipiens. [Aug., Cassiod., Aug., Alcuin., Aug.] Inter hoc insipientes dolendum est, licet enim singulariter dicatur, tamen plures intelliguntur. *Insipiens.* Ergo, id est omnis qui male vivit, *dixit,* quia Deus audit, etsi non homo, ut quod dicitur, auditur *in corde suo,* et si aure non audet. Quid dixit? *Non est Deus.* Qui enim putat Deo placere mala, non eum putat esse Deum. Vel qui dicit eum omnibus pacere. Idem namque Deo est esse Deum, et

esse justum, quia justitia in Deo Deus est. Qui ergo negat eum esse justum, negat esse Deum. Eum vero negat esse justum, quia ei putat placere mala, vel non punire. Hic est cui supra dictum est: *Æstimasti quod ero tui similis* (*Psal.* XLIX). Ille dicit: Non est Deus. Vel insipiens, id est Judæus, dixit in corde suo, id est studio deliberatæ malitiæ: Hic homo non est Deus. Idem hodie mali dicunt: Cur ita? quia

VERS. 2. — « Corrupti sunt et abominabiles facti « sunt in iniquitatibus suis : non est qui faciat bo- « num est usque ad unum. »

Corrupti sunt. [Gl. int., Hier.] Vel ita continua, hoc dicunt illi, et ideo corrupti sunt ab omni vi rationis, *et* (quod deterius est) *abominabiles facti sunt* omnes qui dicunt : Non est Deus. Et hoc *in iniquitatibus suis*, adeo quod non est de illis *qui faciat bonum*. Sed

VERS. 3. — « Deus de cœlo prospexit super filios « hominum, ut videat si est intelligens aut requi- « rens Deum. »

Deus de cœlo, [Gl. int., Aug., Gl. int., Alcuin.] mittendo Filium suum, *prospexit super filios hominum*, id est misertus est eorum qui deberent esse filii hominum, portando imaginem novi hominis (*I Cor.* XV). Vel de cœlo, id est per sanctas animas, prospexit super filios hominum, id est admonuit *ut videat*, id est videri faciat, *si est* aliquis *intelligens* cognitione, *aut requirens Deum* opere. Vel sic, si est intelligens, aut si non intelligit, si saltem, et requirens intelligere Deum. Dico quod prospexit, sed

113 VERS. 4. — « Omnes declinaverunt simul « inutiles facti sunt ; non est qui faciat bonum, non « est usque ad unum. »

Omnes declinaverunt. [Aug., Hier., Gl. int., Aug., Cassiod.] Quasi prospiciendo hoc inveni, et *simul* cum ipsa declinatione *inutiles facti sunt* sibi et aliis. Unde *non est qui faciat* ex se, scilicet ductus ratione *bonum*, et quasi ex dolore repetit, *non est usque ad unum*, id est nec unus. Si vel, id est saltem unum exciperet, diceret præter unum. Notatur hic congruus ordo, prius declinant, tunc inutiles : inde, non est qui faciat bonum.

PARS. II. VERS. 5. — « Nonne scient omnes qui ope- « rantur iniquitatem ; qui devorant plebem meam « ut cibum panis ? »

Nonne scient. [Cassiod., Aug., Cassiod., Aug., Alcuin.] Secunda pars, ubi est comminatio malorum per tinem. Minatur enim illis iste qui loquitur pro parturiente. Quasi dicat : Illi dicunt : Non est Deus. Sed *nonne scient omnes* in futuro, qui modo scire nolunt, *qui operantur iniquitatem*, et *qui plebem meam*, quæ parturit et dolet, *devorant*, volentes eam consumere. Devorant dico, *ut cibum panis*, id est assidue. Nonne, inquam, hi omnes, scient, quoniam Deus vere est. Quasi dicat : Scient utique pœnarum experimento. Et merito hoc eis, quia hi

A VERS. 6. — « Deum non invocaverunt ; illic tre- « pidaverunt timore, ubi non fuit timor. »

Deum non invocaverunt. [Aug.] Hoc quisque invocat quod vult habere. Hoc dicendo, consolatur gementes, ne imitentur prosperantes, quia tales Deum non invocaverunt, unde cito perituri sunt. Unde sequitur : Et ideo, *Illic trepidaverunt timore ubi non fuit timor*, id est de terrenis timent, de quibus non esset timendum ; sed non de his ubi esset timendum, id est de æternis, sicut et Judæi qui Deum occiderunt, ne perderent locum et gentem (*Joan.* XI). Quare hoc?

VERS. 7. — « Quoniam Deus dissipavit ossa eo- « rum qui hominibus placent ; confusi sunt, quo- « niam Deus sprevit eos. »

B *Quoniam Deus dissipavit ossa eorum*, [Gl. int., Aug., Cassiod., Aug., Alcuin.] id est interiora bona *qui hominibus placent*, id est placere quærunt. Os vero illius, id est Christi, nemo confregit, qui hominibus placere noluit, contractis ossibus duorum, qui cum eo fuerunt crucifixi (*Joan.* XIX). Boni sibi displicent, cum carnem castigant; mali sibi placent. *Confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos.* Hoc specialiter ad litteram de Judæis, quia locum perdiderunt pro quo Christum occiderunt. Vel de omnibus generaliter malis. Et ponit præteritum pro futuro. Confusi sunt, id est confundentur quia a regno Dei separabuntur. Quoniam sprevit eos, id est spernet, sed Israel salvabitur. Unde sequitur :

PARS III. VERS. 8. — « Quis dabit ex Sion salu- C « tare Israel ; cum converterit Dominus captivita- « tem plebis suæ, exsultabit Jacob et lætabitur « Israel. »

Quis dabit ex Sion. [Cassiod., Aug.] Tertia pars, ubi dicit quod salus erit parturienti Ecclesiæ. Quasi dicat : Dixistis non est Deus, sed, o vos stulti, *quis* procedens *ex Sion*, id est de Judæis, *dabit salutare Israel*. Nonne hic solus cui dixisti, non est Deus? Utique iste solus dabit, tunc *cum averterit Dominus*, qui modo inter manus vestras tenetur captivus, *captivitatem plebis suæ*, et tunc *Jacob* verus, id est Christianus populus, cui major serviet (*Gen* XXV). D *exsultabit* hic, quia hæc intelligit *et* ipse idem factus *Israel lætabitur* in futuro, quia ipse cognoscet perfecte.

COLLATIO IN PSALMUM LII : « DIXIT INSIPIENS, » etc.

Titulum על מחלת AL MAHALATH, Hieron., interpretatur *chorum*, alii *hæreditatem*. Quidam *musicum instrumentum*, Munsterus dicit incertum esse Hebr. quid significet. Legitur Græce ὑπὲρ Μαελέθ. Unde in Latinis codicibus videtur mendose legi, *pro Amaleth*, loco, *pro Maeleth*, idque potuit nonnullos decipere. Ipsa proinde Aug. interpretatio, Maeleth, id est *parturiens*, a radice Hebræa חלל HALAL, ostendit exemplaria typis excussa esse corrupta, quandoquidem habent *pro amaleth*, in titulo, cui interpretamentum subjectum reclamat *pro parturiente*.

VERS 4. — *Simul inutiles facti sunt.* נאלחו NEELAHU, id est *putruerunt, corrupti sunt* ; Hieronym. *adhæserunt*. Nam radix אלח ALAH, dicitur per metathesim, id est transpositionem litterarum, teste

Rab. Da. Kimhi in libro radicum, pro חלע HALA, quod significat *oppressit, attenuatus est*. Hinc חלאתה HELEATHAH, id est *rubigo*, secundum Hieronymum ; et illa metallo adhæret, ut corrumpat et exedat. Sic impii per mutuam malitiæ communicationem sese perdunt et corrumpunt, ut coram Deo feteant.

VERS 7. — *Quoniam Deus dissipavit ossa eorum, qui hominibus placent*. Hieronymus vertit, *ossa cir-* A *cumdantium te* ; Pratensis, Sanctes, Munsterus, et interpretes pro Cajetano, ad eumdem sensum. Hebræus : legitur, חנך HONAC, a radice חנה HANAH, id est *obsedit, castrametatus est*. Ergo apparet LXX legisse חנן HONEN, id est *gratificatis* et periphrasi usi sunt, quo claresceret sensus : ac dixerunt, *qui hominibus placent*. Pellicanus legit ut littera caph in fine sit essentialis, non accidentaria, quia vertit ossa dedicationis, a themate חנך. id est *dedicavit*.

PSALMUS LIII.

PSALMI TITULUS : « IN FINEM IN CARMINIBUS VEL HYMNIS INTELLECTUS DAVID, CUM VENISSENT ZIPHÆI AD SAUL, ET NUNTIASSENT SAUL : NONNE DAVID ABSCONDITUS EST APUD NOS ?

Deus in nomine tuo. Titulus : *In finem in carminibus vel hymnis intellectus. David, cum venissent Ziphæi ad Saul, et nuntiassent Saul : Nonne David absconditus est apud nos ?* In libro Regum legitur quod David fugiens a facie Saul, venit in desertum Ziph, et ibi latuit. Tunc Ziphæi venerunt ad Saul dicentes : Ecce David latitat apud nos, descende, ut tradamus eum in manus tuas, et descendit Saul. Quod cum nuntiatum esset David, recessit inde et fugit ad tutissima loca Engaddi, ubi latens in spelunca, evasit, et ita non profuit Ziphæis sua proditio, et David non nocuit. Ibi enim datus est Saul in manu David in spelunca ; ad quam cum divertisset Saul causa purgandi ventrem, David præcidit oram chlamidis ejus, ostendens se nolle occidere eum cum posset (*I Reg*. XXIII, XXIV). De hac historia sumitur titulus, de qua tamen non agit psalmus, imo de significato ejus. Ziphæi enim interpretantur *florentes*, et significant illos, qui hic florent in præsenti, et quasi virent copia temporalium, quorum gloria est ut flos feni (*Isa*. XLI). [Aug., Cassiod., Aug., Cassiod., Aug.] quod hodie floret et cras in clibanum mittitur. Inter hos latet David, id est sancti mortui mundo, quorum vita abscondita est cum Christo in Deo (*Coloss*. III). Hos produnt Ziphæi Saul cum ad regnum mortis trahere moliuntur. Horum flos, atque pax, non est amanda, quia transit ut fenum, quod David in illo facto intellexit. Et hoc est, hic ostenditur *intellectus David* prophetæ, vel alicujus viri spiritualis, qui intelligit florem malorum transiturum, quia vir insipiens non cognoscit, scilicet quomodo interit flos sæculi. Intellectus dico, quem habuit de hoc quod fuit, *cum venissent Ziphæi ad Saul*. Ad litteram, Ziphæi ad Saul venerunt, quibus non profuit sua proditio, et David non nocuit. Ibi enim, ut jam diximus, datus est Saul in manum David in speluncam. Hi sunt per quos figurantur florentes in mundo, de quibus hic agitur. *Et nuntiassent Saul : Nonne David absconditus est apud nos ?* Modo latet David, id est hi, quorum vita abscondita est cum Christo, inter florentes hujus sæculi, inter quos sunt viles et abjecti, quos produnt Saul, dum laborant eos trahere ad regnum mortis. Et iste intellectus est *in carminibus* vel *hymnis*, id est in laudibus, quia hoc intelligens, scit etiam quod in adversis laudandus est Deus et hoc scit ille qui dirigit aciem mentis *in finem*, id est in novissima, non præsentia. Intentio. Monet etiam in adversis laudare Deum. Modus. Bipartitus est psalmus. Primo sunt verba Ecclesiæ orantis, et latentis inter Ziphæos, cujus bonum intus est, et merces occulta. Secundo dicit quid sibi et Ziphæis faciat Deus. Unde B laudes solvit, ibi, *ecce enim*. Orans ergo Ecclesia inter Ziphæos latens, ait : O

VERS. 1. — « Deus, in nomine tuo salvum me fac ; « et in virtute tua judica me. »

Deus salvum me fac, [Cassiod., Hier., Aug.] in mundo. Et hoc, *in nomine tuo*, quod mundo prædicatum est : Quasi alii aliis petunt liberari, ego, in nomine tuo, in illo scilicet nomine humilitatis, quod est salvatio. Hic salva me, id est imple in me rem nominis tui et post non timebo judicari in virtute. Unde sequitur : *Et in virtute tua*, id est in futuro judicio, ubi virtus tua apparebit, *judica me*, id est secerne mea Ziphæis, ut arescente feno eorum et flore decidente, flos meus qui est in atriis domus Domini, in æternum permaneat.

C VERS. 2. — « Deus, exaudi orationem meam ; au« ribus percipe verba oris mei. »

Deus, exaudi. [Cassiod., Aug., Cassiod., Aug.] Item. Deus nomen potentiæ repetit, ne tardet auxilium. Et, o *Deus, exaudi orationem meam*, quia non peto florem Ziphæorum a te, *et auribus percipe*, id est menti reconde *verba oris mei*, quia et verbis cor indicatur. Ea ergo percipe tu ; Ziphæi etsi audiunt, non ea intelligunt, qui non nisi temporaliter cognoverunt.

VERS. 3. — « Quoniam alieni insurrexerunt ad« versum me ; et fortes quæsierunt animam meam, « et non proposuerunt Deum ante conspectum « suum. »

Quoniam alieni. [Cassiod., Aug., Cassiod.] Hæc est causa orationis, et loquitur Ecclesia. Quasi dicat : D Ideo suo, quoniam alieni, id est mali, *insurrexerunt adversum me et fortes*, id est persecutores, *quæsierunt animam meam et non proposuerunt Deum ante conspectum suum*, quia putant Deum nescire quod agunt, qui nihil nisi sæculum conspiciunt, quomodo sit nummus super nummum, quomodo augeantur greges et opes. Vel in sua persona loquitur David. Quasi dicat : Ideo oro, quoniam alieni, id est Ziphæi insurrexerint adversum me. Sed non videtur quod Ziphæi alieni essent a David, qui erant de eadem tribu (*Josue* XV). Ziph namque viculus erat, qui pertinebat

ad tribum Judæ. Unde, id est de qua tribu erat David, sed alieni erant flore malitiæ, qui prodiderunt eum, non tribu vel loco. Et fortes, id est Saul et ministri. Quæsierunt animam meam, et non proposuerunt Deum ante conspectum suum. Hoc non mutatur.

PARS II. Διάψαλμα. VERS 4. — « Ecce enim Deus « adjuvat me et Dominus susceptor est animæ meæ. »

Ecce enim Deus, [Cassiod., Gl. int., Aug., Cassiod., Aug.] Secunda pars, ubi dicit quid sibi et Ziphæis faciat Deus. Unde solvit laudes. **114** Quasi dicat: Non proposuerunt Deum ante oculos, quod per hoc pater, quia *ecce Deus adjuvat me* intus ubi nemo videt, ubi est gloria nostra non in flore extra. Quod tamen ipsi nesciunt inter quos lateo, sed hoc quod me adjuvat viderent, si Deum ante oculos ponerent. Adjuvat ergo me laborantem ferre quæ ingerunt. Adjuvet ita *et*, id est quia *Dominus susceptor est animæ meæ*, et si corpus deserit. Vel ita, quod avertit, mala inimicis meis, disperdetque in veritate sua eos qui florent in felicitate sæculi. Et hoc dicit loquens ad Deum.

VERS. 5. — « Averte mala inimicis meis; et in « veritate tua disperde illos. »

Averte, [Gl. int., Aug., Cassiod.] Et prædicit, non optat. Et hoc est: Deus, *averte*, id est avertes, *mala inimicis meis*, id est a me vertes in illos, *et in veritate tua disperde illos*. Quasi dicat: Florent ad tempus, pereant in æternum, id est florent falsis bonis, sed pereunt veris pœnis, et est prophetia, non optatio. Vel secundum aliam litteram, quæ est, *et in virtute tua disperde illos*, quos in tua infirmitate tolerasti. Vel pro convertendis precatur, et hæc est hostia quam pro sua liberatione Deo solvit, dicens: O Domine, averte mala ad inimicis meis, et disperde illos, a prioris intentione ponendos. In veritate tua, id est ut ad veritatem tuam veniant. Et inde.

VERS. 6. — « Voluntarie sacrificabo tibi; et « confitebor nomini tuo, Domine, quoniam bonum « est. »

Sacrificabo tibi [Aug.] sacrificium laudis, non pecora, *et voluntarie*, quia gratis amo quod laudo, quia propter se laudo, non propter aliud quod ab eo velim. Qui propter aliud laudat, ex necessitate laudat; si illud haberet, non laudaret. Mihi autem et quæ dedit, propter dantem placent; *et confitebor nomini tuo, Domine*, id est laudabo, *quoniam bonum est*, nil melius illo nomine invenio. Hoc est gratis confiteri, scilicet confiteri ideo, quoniam bonum est, non quia dat temporalia. Ideo confitebor bono nomini tuo.

VERS. 7. — « Quoniam ex omni tribulatione eri« puisti me; et super inimicos meos despexit oculus « meus. »

Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me. [Aug.] In hoc probavit bonum nomen, si aliter sciret, tribulatio ei necessario non fuisset, *et super inimicos meos* florentes *oculus meus* sursum tendens, *despexit* mente rapta ad Deum, videt quod omnis flos est ut fenum.

COLLATIO IN PSALMUM LIII « DEUS, » etc.

VERS. 5. — *Averte mala inimicis meis*. Hic locus existimatur mendosus a Fabro et Cæco, imo et pugnare cum sensu vero, qui statim ostenditur, quando subditur continuo, *disperde illos*. Ob id, ut volunt, dicendum fuit: *adverte mala inimicis meis*, præsertim cum dicat Hieronymus ex Heb: *Redde malum insidiatoribus meis*. ישוב IASSIB, teste Sancte in Thesauro suo. Post Kimhi scribitur cum vau, et legitur cum iod, quia potest esse in verbo quod vocant CAL, vel in HIPHIL, quod significat *convertit* vel *avertit*. Convertit quidem mala in inimicos meos, et avertit a me mala quæ inferat inimicis meis. Quæ sententia magis exprimit Dei misericordiam et justitiam. Misericordiam erga David liberatum, justitiam contra Ziphæos, qui dolose eum perdere voluerant. Quod autem dicimus per secundam personam et imperativum, id nil sensum lædit.

VERS. 7. — *Inimicos meos despexit oculus meus*. Heb. dicunt simpliciter, *vidit oculus meus inimicos meos*. Illud autem videre, docte dixerunt interpretes despicere. Unde Sanctes periphrasi usus est, *et in hostibus meis quod volui, vidit oculus meus*. Consimiliter Munsterus, et translatio ad Campensem habet *ut hostes meos oculus meus despiciat*.

PSALMUS LIV.

PSALMI TITULUS: « IN FINEM IN CARMINIBUS *vel* HYMNIS, INTELLECTUS DAVID. »

Exaudi, Deus, *orationem meam*, Titulus: *In finem in carnibus vel hymnis intellectus David*. [Aug., Alcuin., Cassiod., Aug., Cassiod.] Per David hic intelligitur Ecclesia, quæ summopere advertere debet, in quo malo nunc est, a quo liberari optat, plangens inter mala sæculi, quia non est in præsenti incolatu locus gaudii, sed mœroris. Et hoc est: Hic ostenditur *intellectus David*, id est Ecclesiæ, id est quid intelligere debeat. Magna enim cura debet intelligere Ecclesia, in quo malo nunc est. Unde liberari optat; plangit enim inter mala sæculi, qui intelligit, quia hæc regio non est gaudii, sed mœroris, et alius non intelligit. Et iste intellectus est *in carminibus* vel *hymnis*, id est laudibus, ut hic intelligens, semper Deum laudat, sive erudiat nos in adversis, sive consoletur lætis: quod fit si dirigitur mentis acies *in finem*, id est in Christum. Vel in consummationem futuram, et loquitur per totum hunc psalmum Ecclesia, sive in persona sua, sive Christi. Quando in persona sua loquitur, ut homo pusillanimus in tempestate positus, qui dum fluctuat et mergitur in fluctibus sæculi, tanquam Petrus in mari (*Matth.* XIV), clamat ad Jesum, decernens in sua infirmitate, a tot scandalis se separari, ne et illis non prosit et sibi noceat, a simili David, qui pro molestiis civium fugit in solitudinem. Quando

autem in persona Christi loquitur, integra proprietas servilis formæ in Christo describitur, ut detur nobis exemplum humilitatis, cum Christus adeo altus tantum sit humilitatus. Et secundum hoc iste psalmus tertius est eorum qui de passione et resurrectione Christi latius agunt.

[Aug., Cassiod.] Intentio. Monet Ecclesiam attendere mala sua, atque inter ea plangere. Modus : Tripartitus est psalmus. Prima pars est oratio præmissa, contra mala sæculi vel fluctus. Secunda, iste pusillanimus jam in solitudine salvus, sperat auxilium Dei et imprecatur civibus, ibi *exspectabam*. Tertia affirmat quid sibi et illis fiat alternatim procedendo, ibi, *ego autem*. Laborans ergo Ecclesia inter fluctus sæculi orat, dicens :

VERS. 1. — « Exaudi, Deus, orationem meam : et « ne despexeris deprecationem meam; intende mihi, « et exaudi me. »

Exaudi, Deus, orationem meam. [Aug., Cassiod.] Hæc sunt verba tribulati optantis liberari. Et post, *ne despexeris deprecationem meam*, ut fit illis, quorum oratio impleta, post despicitur, quia non est de æternis. Et si enim Deus det temporalia alicui petenti, ejus tamen oratio ei non est accepta, quia caret debito fine. *Intende mihi et exaudi me*. Quid enim tibi est? Ecce.

VERS. 2. — « Contristatus sum in exercitatione « mea; et conturbatus sum a voce inimici, et a tri« bulatione peccatoris. »

Contristatus sum in exercitatione mea, [Aug.] id est in his quæ mali ingerunt, quod postea dicet aperte, per quos malos exercetur, omnis nempe malus vivit, vel ut corrigatur vel ut per eum bonus exerceatur. Et *conturbatus sum* in mari sæculi, a vento valido tribulationum. Sicut Petrus videns ventum validum venientem, timuit (*Matth.*) XIV); sic iste turbatus est in ipsa pugna, qua exercetur inter malos, dum et inimicos vult diligere, quorum correctionem amat, et abundante eorum malitia incipit odisse. Et ita incipit in fluctibus mergi, unde, conturbatus sum *a voce inimici, et a tribulatione peccatoris*. Hæc est exercitatio, in quia tristabatur, quæ turbat oculum mentis ira quasi festuca, non tamen exstinguit odio velut trabe. Postea reddit singula singulis, ostendens qualiter sit tribulatus a voce inimici, et a tribulatione peccatoris. Quasi dicat : A voce inimici turbatus sum.

VERS. 3. — « Quoniam declinaverunt in me ini« quitates; et in ira molesti erant mihi. »

Quoniam ipsi declinaverunt in me iniquitates [Gl. int., Cass., Gl. int., Cassiod.] quæ æorum erant. Ideo dicit. Declinaverunt, quia impetus malitiæ eorum est quasi fluminis cursus, a tribulatione peccatoris, *et*, id est quia *in ira*, id est in furore suo, non merito meo, *molesti erant mihi*, sed ruinosi sibi. Et per hoc.

VERS. 4. — « Cor meum conturbatum est in me, « et formido mortis cecidit super me. »

Cor conturbatum est in me. [Aug.] Hoc est quod

A alibi dicitur : *Turbatus est præ ira oculus meus* (*Psal.* VI). Unde sequitur metus mortis. Mors animæ odium est, ut vita, dilectio. Und subdit, *et formido mortis cecidit super me*, quia

VERS. 5. — « Timor et tremor venerunt super « me; et contexerunt me tenebræ. »

[Hier., Aug.] *Timor* animi, *et tremor* corporis *venerunt super me, et contexerunt me tenebræ*. Tenebræ sunt mali homines, qui persequuntur Ecclesiam, et qui contegunt ipsam odio, quia qui odit fratrem suum, est in tenebris (*I Joan.* II). Sed in hac infirmitate quid ait?

«VERS. 6. — « Et dixi : Quis dabit mihi pennas

B « sicut columbæ, et volabo, et requiescam? »

Et dixi : Quis dabit? [Aug.] Videns iste undique mala esse, et se malis non proficere, malos vero sibi officere, deliberat quid agat, et vult ad tempus separari ab his scandalis, ne peccata infirmis augeat, manens inter ea. Unde et petit pennas virtutum, quibus possit avolare in solitudinem et in altum contemplationis conscendere. Has autem pennas virtutum non habenti dat Deus; habenti vero interdum dat prælatus Ecclesiæ, dum solvit ligatas. Habent enim quidam has pennas, sed ligatas, cura et officio postorali, quibus non valent uti ad volandum in solitudinem, nisi prius solvantur. Ergo et qui solvit ligatas, pennas dat quæ non erant ad usum, nec suæ habentis. His pennis Isaac ornatus exibat in cam-

C pum meditari (*Gen.* XXIV), et Maria sedebat secus pedes Domini, intendens quæ dicebantur ab eo, dum soror circa plurima turbaretur (*Luc.* X). Has igitur volens iste ait, *et dixi : Quis dabit mihi pennas* virtutum, *et* eis habitis *volabo* in solitudinem; *et* ibi, *requiescam* in contemplatione. Solitudinem optat iste. Dabit mihi, dico *sicut columbæ* non sicut corvo. Corvus enim de arca emissus, postea non rediit; columba vero emissa, ferens ramum olivæ rediit (*Gen.* VIII). Columba a molestiis quærit avolare, sed dilectionem non amittit, et semper gemit, sic et bonus vult se separare corpore ad his quibus non potest prodesse, sed non amore, amans eorum correctionem, et dolens prævaricationis ruinam; pie namque vivit in Christo. Ad cujus viscera pertinet id quod ait Apostolus : *Quis infirmatur, et ego*

D *non infirmor? aut quis scandalizatur et ego non uror?* (*I Cor.* XI) et sic aliorum mala sunt ei quasi persecutio, sicut Lot in Sodomis erat cruciatus, mala vita Sodomorum (*Gen.* XIX), unde optat fugere et manere in deserto, pro turba tribulationum et scandalorum, sed aliquando ligatur non visco cupiditatis, sed cura et officio pastorali, ut deserere non possit, nisi solvatur. Quod si non solvitur, tunc dicat : *Cupio dissolvi, et esse cum Christo* (*Philip.* I); sed manere necesse est propter nos, et sic ei meritum ex desiderio. Aliter optat iste mortem per quam separetur a malis, et ait per simile : *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo et requiescam*,

115 id est quis dabit mihi pennas, ut dis-

solvar, et sic avolem ab eis, et cum Christo quiescam ?

VERS. 7. — « Ecce elongavi fugiens; et mansi « in solitudine. »

Ecce elongavi fugiens, petiit iste pennas, et habuit, sed non eo modo quo petiit, scilicet ut avolaret ab eis corpore, sed morum dissimilitudine, melius fecit ei Deus quam petierat, [Aug.] quem sic gratia confirmavit, ut inter malos corpore existens, ipse proficiat, et si non illi, et charitas bonorum non rumpatur. Et hoc est, Dixi : Quis dabit mihi pennas,et habui,quia *ecce fugiens elongavi me* a malis, non loco, ne rumpatur charitas bonorum, et ne perdatur exercitium malorum, quos Deus admiscet, sicut et Judam apostolis (91). Fugiens se elongat, qui a turba desideriorum terrenorum in altam Dei contemplationem se sublevat. Sequitur, *et mansi in solitudine*, [Aug.] mentis, ubi nullus est cum eo nisi Deus, ubi quies (92). Manet enim in solitudine, qui perseverat in remota mentis intentione.

Aliter totum a principio psalmi, et legitur in persona Christi, in quo describitur servilis forma, ait ergo Christus secundum quod homo ; *Exaudi, Deus, orationem meam, et ne despexeris deprecationem meam ; intende mihi*, [Gl. int., Cassiod., Hier.] quia sum in quem intendas ; *et exaudi me*, dignum. Quid enim tibi est ? *Contristatus sum*, humana infirmitate, *in exercitatione mea*, uno nomine vita Christi exponitur, qui nullo otio ab incœpto remissus est. In quo tristis ? quia perfidi non referunt fructum. *Et conturbatus sum a voce inimici*, qui me Samaritanum et dæmonium habentem dicebant (*Joan.* VIII). *Et a tribulatione peccatoris*. [Gl. in., Hier., Alcuin., Cassiod., Hier., Cassiod,] Et non meo merito, sed suo malo. *Quoniam declinaverunt iniquitates*, quia mala sua mihi imponebant ; *et in ira sua molesti erant mihi*, sed ruinosi sibi. Et per hoc, *cor meum conturbatum est*, lege carnis turbatur animus ; et hoc, *in me*, non exiit a me, id est, non necessitate vel merito meo, turbatus sum, sed solva voluntate. *Et formido mortis cecidit*, ut pondus, *super me*. Vel *cedidit super me*,quia ibi perit in quo nihil habet juris. Unde : *Ero mors tua ; o mors* (*Ose.* XIII). *Et timor*, animi, *et tremor*, corporis, *venerunt super me*. Proprietas mortis est, ut eam primo timeamus, inde contremiscamus. *Et contexit me tenebra*, alia littera, id est mors secuta est. Et in hac conturbatione positus, dixi : *Quis dabit mihi*, nisi tu, Domine Pater, *pennas sicut columbæ, et volabo et requiscam ?* id est, ut avolem a Judæis infidelibus, et quiescam in gentibus credentibus. [Alcuin., Hier., Cassiod.] Ut enim columba emissa inveniens lutosa, ad arcam reversa est, sic Christus lutosa inveniens corda Judæorum avolavit ad gentes. Unde sequitur : *Ecce elongavi fugiens*, a Judæis, *et mansi in solitudine*, gentium. Unde Isaias : *Lætetur desertum, et floreat tanquam lilium* (*Isa.* XXXV). Et alibi : *Lætare, sterilis quæ non paris*, etc. (*Isa.* LIV). Illud etiam ad litteram tangit quod vitabat persequentes, ut occasionem iræ demeret ; et manebat in desertis orans, in quo docebat nos in secreto conscientiæ quiescere, cum a malis premimur.

PARS II. Διάψαλμα. VERS. 8. — « Exspectabam « eum qui salvum me fecit ; a pusillanimitate spi« ritus et tempestate. »

Exspectabam eum.[Cassiod., Alcuin., Aug.; Cassiod., Gl. int]. Secunda pars, ubi jam in solitudine salvus, sperat auxilium Dei, et imprecatur civibus, et proceditur prius de prima lectione, quæ est in persona Ecclesiæ hoc modo ; quasi dicat : Mansi in solitudine mentis, ubi quies est. Sed quia extra tribulatio est, *exspectabam eum qui salvum me fecit*. Salvat nos Christus, dum excitatur in nobis, id est dum fides ejus in nobis inardescit, et dum videmus quæ pro nobis tulerit ut et Petrus liberatus est, cum excitavit eum dormientem, dicens : *Domine, perimus* (*Matth.* VIII). Et tu ergo si navicula cordis turbatur in fluctibus, excita Christum, id est fidem Christi in te, et salvaris. Unde me salvavit ? *a pusillanimitate spiritus*, qua supra dixit se turbatum, *et tempestate*, id est seditionibus. Hæc tempestas in qua Petrus clamabat : Me salvasti ; illos autem qui se extulerunt, o

VERS. 9. — Præcipita, Domine, divide linguas « eorum, quoniam vidi iniquitatem et contradictio« nem in civitate. »

Domine, præcipita, [Cassiod., Aug., Alcuin.] ne muniant cogitationes suas machinando, id est quasi quadam machina ; *et linguas eorum* qui male conspiraverunt in turre superbiæ ædificanda, *divide*, ne sit superba unitas, ne malitia habeat effectum. Horum figura fuerunt illi qui moverunt pedes suos ab Oriente, et venerunt in terram Sennaar ædificare turrim contra Dominum, quæ pertingeret usque ad cœlum, ut sic nomen eorum celebraretur. Sed ibi confusa est lingua eorum, ne efficerent quod volebant (*Gen.* X, XI), ita petit iste de malis fieri. Ideo divide, *quoniam vidi iniquitatem*, id est perfidiam eorum, qui non credunt, *et contradictionem*, quia contra mysteria Christi agunt, *in civitate* Babylonia, quæ turrim superbiæ ædificat. Quia hæc vidi, ideo fugi in solitudinem. Hæc est civitas de qua dicit Dominus per prophetam. Ego Deus, et non homo, et civitatem non ingredior (*Ose.* XI). Est alia civitas, quam inhabita Deus. De qua dicitur : *Non potest abscondi civitas supra montem posita* (*Matth.* V). Et hæc,

VERS. 10. — « Die ac nocte circumdabit eam su« pra muros ejus iniquitas ; et labor in medio ejus « et injustitia. »

Iniquitas, [Aug., Gl. int., Aug., Gl. int.] non ad horam, sed *die ac nocte*, id est assidue, *circum-*

(91) Greg., lib. IV Moral., cap 35.

(92) Greg. ubi supra.

dabit eam, scilicet Babyloniam. Hæc turbare solent justum, ut vellet avolare. Iniquitas dico, existens *super muros ejus* civitatis, id est principes ejus, qui sunt munimenta civitatis, qui arca circumeunte tanquam muri Jericho cadent septimo die (*Josue* VI), id est in judicio erit, quando post hanc vitam quæ septem diebus, agitur singulorum merita discutiet Christus. *Et labor est in medio ejus*, id est in communi plebe. Ideo labor in medio, *et*, id est quia, *injustitia*, id est iniquitas. Quies autem est in humilitate. Ecce in majoribus et in minoribus est iniquitas. Vel, labor est in oppressionibus aliorum ; et injustitia in judiciis faciendis. Et hoc est, in medio ejus, a simili, quasi in ea tota.

VERS. 11. — « Et non defecit de plateis ejus, usura » et dolus. »

Et non defecit, [Gl. int., Aug., Hier., Cassiod.] quia semper durat *usura*, quia plus exigit in injuria, vel in qualibet re, quam acceperit : non dimittit ut sibi dimittatur. *Et dolus*, quia alios decipiunt *de plateis ejus* non absconduntur saltem, quia mala sunt, sed publice fiunt. Quasi dicat : In aperto lucrati sunt, et deceperunt ; quod utrumque lex prohibet.

VERS. 12. — « Quoniam si inimicus meus male« dixisset mihi, sustinuissem utique. »

Quoniam si inimicus. [Aug., Gl. int., Cassiod.] Hucusque de apertis inimicis egit, nunc de occultis agit Ecclesia. Quasi dicat : Ita fac in civitate, scilicet præcipita, et divide linguas, quia in ea sunt, non tantum inimici aperti, imo etiam occulti, qui magis nocent. Quoniam si inimicus meus, aliquis manifestus, *maledixisset mihi* virgis, *sustinuissem utique*, quia non inopinatum malum esset.

VERS. 13. — « Et si is qui oderat me super me « magna locutus fuisset ; abscondissem me forsitan « ab eo. »

Et si is qui oderat me, manifeste *super me magna locutus fuisset*, [Aug., Cassiod.] id est superbe insultaret, magnificaret se super me, et minaretur mihi quidquid posset, *abscondissem me* inter eos qui intus sunt mecum, scilicet in Ecclesia, *ab eo* qui foris est. Abscondissem dico, *forsitan*. Vel, utique, alia littera quam alii ponunt. Notatur hic magna patientia hujus, ita enim daret locum verbis, ut se absconderet ne videret adversarium illum tolerasse.

VERS. 14. — « Tu vero homo unanimis ; dux « meus et notus meus. »

Tu vero homo unanimis, [Aug., Gl. int.] olim qui aliquando bonum consilium dedisti, et *dux meus* qui aliquando bene monuisti, *et notus meus* qui in eadem Ecclesia mecum fuisti. Tu, inquam, talis non es tolerandus. Et cum intus sint mali, quod ergo restat, nisi solitudo ? Nulla enim pestis efficacior ad nocendum, quam familiaris inimicus. Unde : *Inimici hominis domestici ejus* (*Matth.* X). Et alibi : *ab*

A *ea quæ dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui* (*Mich.* VII).

VERS. 15. — « Qui simul mecum dulces capiebas « cibos ; in domo Dei ambulavimus cum consen« su. »

Qui simul, [Aug.] cum aliis *mecum* conversans in Ecclesias, *dulces capiebas cibos* spirituales. Unde : *Gustate et videte quoniam suavis est Dominus* (*Psal.* XXXIII). Et *ambulavimus cum consensu in domo Dei*, id est in Ecclesia. Sed quia modo extra es, non corpore sed mente : ideo dissensio est inter nos.

[Cassiod., Alcuin., Hier., Cassiod., Hier., Gl. int., Alcuin., Cassiod.] Aliter totum ab illo loco legitur B in persona Christi : *Exspectabam eum*. Quasi dicat : Mansi in solitudine. Et ibi etiam *exspectabam eum*, scilicet Deum Patrem. Quasi dicat : In solitudine non ex me securus, præsidium patris sustinui ; *qui salvum me fecit a pusillanimitate spiritus*, ne cederem malis in passione *et tempestate*, ne irascerer. Sequitur : *præcipita, Domine, divide linguas eorum*, id est dispergantur divisis linguis. Vel agit Christus specialiter de Judæis, qui multis seditionibus et schismatibus involuti sunt : ex quo dixerunt : *Non habemus regem nisi Cæsarem* (*Joan.* XIX). Quare hæc fiant, subdit, *Quoniam vidi iniquitatem et contradictionem*, hoc non mutatur. *In civitate*, Jerusalem ; et non ad horam, imo, *Die ac nocte iniquitas circumdabit eam*, Jerusalem. Iniquitas, dico, existens, C *supra muros ejus, et labor in medio ejus et injustitia*. Hæc non mutantur. *Et non defecit de plateis ejus*, Jerusalem, *usura et dolus*. Nec hoc mutatur. *Quoniam si inimicus*, hic Christus loquitur specialiter contra Judam, et est hic exprobratio Judæ, vel contra quemlibet virum Judaicum, sibi familiariter inimicantem. Quasi dicat : Ita fac in civitate Jerusalem, quia ibi familiares inimicos habeo, qui sunt intolerabiles. Et hoc est, id est quoniam si inimicus *meus*, manifestus, *mala fecisset mihi, sustinuissem utique*. *Et si is qui oderat me*, id est qui de me nullam notitiam habuit, *super me magna locutus fuisset*, *abscondissem me forsitan ab eo*, id est non vindicassem. *Tu vero homo*, Judaice, *unanimis*, cui tradita sunt eloquia Dei (*Rom.* III), *dux meus*, quia feci te ducem super populum meum, *et notus meus*, D quia de eadem gente mecum, cur scilicet me occidere quæris ? *Qui simul mecum dulces capiebas cibos*, id est legis instituta, quæ tibi exponebam ; et, *in domo Dei*, id est templo Jerusalem, *ambulavimus cum consensu*. Vel specialiter contra Judam loquitur dicens : *Tu vero homo*, scilicet Juda, *unanimis*, quia inter apostolos fuit, *dux meus*, quia ad castella et vicos præmissus *et notus meus*, quia præscivit eum traditorem, scilicet, cur me tradis, *qui simul mecum dulces capiebas cibos* ? corporales, scilicet bucellam : qui soli, scilicet corporales cibi, iniquo poterant esse dulces. Solet autem vis iniquitatis comessationibus mitescere. Unde huic gravior culpa est. *Et in domo Dei*, id est in templo Jerusalem,

ambulavimus cum consensu corporalis conversationis, quia in ejus collegio Judas erat.

VERS. 16. — « Veniat mors super illos ; et descendant in infernum viventes. »

Veniat mors. [Alcuin., Cassiod., Hier., Aug., Alcuin.] Sicut supra apertis inimicis, ita hic occultis imprecatur, et ne putaretur esse unus de quo agebat, pœnam communicat Judæis, id est communiter Judæis cum aliis imprecatur. Et tangit initium schismatis, quando, scilicet Dathan et Abiron moverunt seditionem adversus Mosem et Aaron, sicut in Numeris legitur, quos vivos terra absorbuit, cum tabernaculis et omni substantia eorum. Chore quoque et cum eo ducenti quinquaginta illorum, sequentes malitiam, arripuerunt thuribula, ut adolerent incensum, in conspectu Domini, qui divino igne consumpti sunt, qui etiam populo quatuordecim millia septingentos vastavit (*Num.* XVI). Et ideo, venit nova mors super eos. Ita iste imprecatur malis, et loquitur in eadem voce Christus et Ecclesia. Quasi dicat : Quia tales sunt, ideo, *veniat mors* nova *super* **116** *illos*, ut super illos, scilicet Dathan et Abiron, qui initium schismatis fuerunt, et superbi se separaverunt, venit nova mors ; aperuit enim terra se, et vivos absorbuit. Unde et hic quasi exponendo subdit, *et descendant in infernum*, id est in voraginem terrenæ cupidatis. Descendant dico, *viventes*, id est scienter peccantes, scientes quia pereunt. Et tamen pereuntes hiatu terrenæ cupiditatis absorbeantur. Hæc est nova mors, et agit communiter de majoribus et minoribus. Vel ita ut distinguas inter majores et minores, sicut in illo schismate fuit. Duces enim absorpti sunt a terra, populus vero sequens fuit igne vastatus, ita hic divisum imprecatur auctoribus mali, et fautoribus, dicens : *Veniat mors super illos*, id est super minores qui consentiunt majoribus veniat ignis consumptionis, ut super populum ignis de cœlo venit ; *et descendant*, majores qui sunt auctores mali, *in infernum* terrenæ cupiditatis *viventes*, id est scienter peccantes, ut duces illorum terra absorbuit. Illi enim, id est minores, consenserunt, et scuti sunt, et studio consentionis accensi, a ducibus suis recedere noluerunt. Et ideo venit ardor consumptionis, super ardorem dissensionis ; duces vero absorpti sunt a terra. Ita hi scienter peccantes descendunt. Et merito hoc eis,

VERS. 17. — « Quoniam nequitiæ in habitaculis eorum ; in medio eorum. »

Quoniam nequitiæ sunt *in habitaculis*, vel in hospitiis *eorum*, [Aug., Cassiod., Alcuin.] id est in hac vita, ubi peregrini sunt et transeunt. Non enim semper hic mansuri sunt, cur ego sic instant ? Et hæc nequitiæ sunt *in medio eorum*, id est in corde. Ideo dicit in hospitiis esse nequitias, quia alienæ sunt, non naturales, sed in hospitio susceptæ, quasi adventitiæ. Vel prius sunt nequitiæ, in habitaculis eorum, id est in occulto, scilicet et postea ; in medio eorum, id est in communi et aperto.

A PARS. III. VERS. 18. — « Ergo autem ad Dominum clamavi, et Dominus salvavit me. »

Ego autem [Cassiod., Aug., Cassiod.] Tertia pars, ubi affirmat quid sibi et illis fiat alternatim procedendo. Et loquitur hic corpus Christi, id est Ecclesia. Illi ita peribunt, *Ego autem ad Dominum clamavi* in conturbatione exercitationis meæ *et Dominus salvavit*, vel salvabit *me* : quod consequens erat. Et ego, ut non ingratus,

VERS. 19. — « Vespere, et mane, et meridie narrabo et annuntiabo ; et exaudiet vocem meam. »

Vespere, [Aug., Hier., Aug.] id est de præteritis, *narrabo et mane*, id est de futuris *annuntiabo et meridie* qui non vergit solem ad occasum, id est in B sempiternis, quæ semper manent *exaudies vocem meam* : in hac sententia singula singulis redduntur, et tria tempora distinguuntur. Vel ita, ut sine distinctione temporem redduntur singula singulis : vespere enim fuit Dominus in cruce ; mane, in resurrectione ; meridie, in ascensione. Ait ergo, vespere narrabo, patientiam morientis in vespere narro. Et mane annuntiabo, id est annuntio vitam resurrectionis mane factæ. Et exaudiet vocem meam, in meridie, id est sedens a dexteram Patris, ubi interpellat pro nobis, ad quam ascendit in meridie. Ecce quanta consolatio isti est a tempestate, contra malos qui sunt foris et intus, id est in aperto et occulto. Sic et nos inter malos cum isto oremus, plangamus, securi dicamus ;

C VERS. 20. — « Redimet in pace animam meam ab his qui appropinquant mihi, quoniam inter multos erant mecum. »

Redime in pace. [Gl. int., Aug., Hier., Alcuin., Aug.] Quasi dicat : Ita exaudiet, quia *redimet animam meam* collocandam *in pace* æterna. Hæc contra illos qui non amant pacem, ideo anima mea in pace, quia amavi pacem. Redimet dico *ab his qui appropinquant mihi*, id est a Christianis fictis, qui magis decipiunt quam aperti idololatræ. Appropinquant ergo nomine, non numine ; corpore, non mente ; numero, non merito. Et vere appropinquant, *quoniam inter multos erant mecum*. Vel in multis sacramentis, scilicet et in baptismo, in evangelii lectione, in festis et hujusmodi ; sed in paucis non erant mecum : D in omnibus sacramentis mecum, sed non in fide, spe et charitate, sine qua nihil sunt omnia. Vel inter multos erant mecum, sive in multis, id est in paleis, quæ multæ sunt. Erant mecum, non in granis, quæ pauca sunt, id est non cum paucis electis mecum erant. Erant enim de multitudine vocatorum, non de paucitate electorum (*Matth.*, XXII). Et bene ait, mecum ; nam et prope est palea tritico ; de uno enim semine nascuntur, in uno agro radicantur, de una pluvia nutriuntur : sub eodem messore colliguntur, eadem trituratione utuntur, eamdem ventilationem exspectant, sed non in unum horreum intrant : ita et illi sunt mecum, in multis sacramentis, vel paleis.

VERS. 21. — « Exaudiet Deus et humiliabit illo « qui est ante sæcula. »

Exaudiet. [Gl. int., Aug.] Dico exaudiet me, et non solum exaudiet me orantem, pro me exaltando: sed etiam, exaudiet *me Deus*, oratem pro humiliandis inimicis, *et*, id est quia, afflictione *humiliabit illos* qui confidunt in duce, qui heri cœpit. Humiliabit dico, ille, *qui est ante sæcula*, quia in principio erant Verbum (*Joan.* I), quod eis non videtur, quia in tempore Christus natus est de Virgine. Et merito humiliabit.

VERS. 22. — « Non enim est illis commutatio; et « non timuerunt Deum, extendit manum suam in « retribuendo. »

Non enim est illis commutatio perversi sensus, [Aug., Cassiod., Gl. int.] sed permanent in perversitate; in schismate moriuntur, quia non mutantur in melius, sed in pejus: nec cum hic sunt, nec in resurrectione, quia sensus perfidorum incommutabilis est. *Et non timuerunt Deum,* hoc remedio convertitur homo, scilicet quia timet Deum, et pro his pœna sequitur, non aliud tamen. Unde sequitur: *Extendit manus suas,* simili ferire volentis, qui manus elevat ut gravius impingat: et hoc *in retribuendo,* id est, ut retribuat eis.

VERS. 23. — « Contaminaverunt testamentum « ejus; divisi sunt ab ira vultus ejus, appropinqua- « vit cor illius. »

Contaminaverunt, [Aug., Hier., Gl. int., Aug., Alcuin., Aug.] et non satis fuit eis, non timere nec mutari. Sed etiam *Contaminaverunt testamentum* promissionis ejus, quod ipse Dominus dixit Abrahæ: *In semine tuo benedicentur omnes gentes* (*Gen.* XXII), quod polluit qui contradicit. Vel, contaminaverunt testamentum *ejus,* id est perverterunt Scripturas. Vel quantum ad se, contaminaverunt Scripturas, dum contraria agunt. Et ideo, *divisi sunt* per hæreses, *ab ira vultus ejus,* vel præ ira, hoc est ab ipso irato, qui tradidit eos in desideria cordis eorum (*Rom.* I). *Et appropinquaverunt.* Quasi dicat: Et quia illi contaminaverunt, et quia illi armantur et divisi sunt, ideo armantur amplius justi, et liberantur infirmi, qui curam habent in Deum. Et hoc est, illi contaminaverunt. Et per hoc, *cor illius*, id est secreta voluntas Dei, quæ in Scripturis continetur, *appropinquavit* suis fidelibus, ut scilicet intelligamus ejus voluntatem, qua illis præcisis a Catholica fidet, compungit bonos, et boni magis excitantur qui probati sunt; intelligitur in Scripturis, quæ latebat Dei voluntas. Unde alibi: *Congregatio taurorum in vaccis populorum, ut excludantur* id est emineant et appareant, *qui probati sunt argento* divini eloquii (*Psal.* LXVII).

VERS. 24. — « Molliti sunt sermones ejus super « oleum, et ipsi sunt jacula. »

Molliti. [Aug.] Vere appropinquabit, quia super oleum *molliti sunt sermones ejus*, Dei, *super oleum,* quia obscura quæ in Scripturis sunt dura exposita molliuntur, et usque ad ossa penetrant. Unde se-

A quitur: *Et ipsi sermones sunt jacula,* quia molliti non perdunt virtutes, sed evangelistæ eis armantur et feriunt corda hominum ad amorem pacis, et a perplexis hæreticorum quæstionibus liberant infirmos. Dico, molliti sunt sermones, sed si tibi puero qui lacte minoris doctrinæ nutriris, adhuc duri sunt, ne irascaris uberibus Ecclesiæ, sed

VERS. 25. — « Jacta super Dominum curam tuam, « et ipse te enutriet; et non dabit in æternum flu- « ctuationem justo. »

Jacta curam tuam in Dominum, [Aug., Cassiod., Aug., Cassiod., Alcuin.] vel in Deum, non in alium qui saxum est navi, non portus fluctuanti in sæculo; *et ipse te enutriet* lacte simplicis sensus, donec proficias ad panem validioris intelligentiæ prove-
B ctus.

Salubre consilium est jactare curam in Dominum, qui nutrit. Cura sæculi, ut vermis noster nos consumit. Sed si cura in Domino jactatur, nutrit. Unde Salomon: *Sicut vermis ligno et tinea vestimento, ita viri tristitia nocet cordi* (*Prov.* XXV). Jacta in Dominum curam, tanquam in portum, quia non *dabit fluctuationem justo in æternum.* Et sic verba fluctuationis fuerunt; contristatus sum in exacerbatione mea, et conturbatus. Aliter totum in persona Christi ab illo loco: *Ego autem ad Deum clamavi,* dixit Christus, et Dominus Pater, *salvavit,* id est salvabit me. Et quia salvabit, ideo, *vespere,* quo capiar, *et mane,* quo judicatus ero, *et meridie,* quo crucifixus ero; *narrabo,* præterita opera; *et annum*
C *citabo,* virtutes et opera quæ faciet; *et* ideo, *exaudiet vocem meam.* [Cassiod., Alcuin., Aug., Gl. int., Cassiod., Alcuin.] Vel ita, ut reddantur nominibus verba; narrare enim ad vesperum pertinet, quo omnia dixit quæ Judas disponebat. Nuntiare pertinet ad mane, quando nixit Pilato: *In hoc natus sum ut, testimonium perhibeam veritati,* etc. (*Joan.* XVIII). Exaudiet, pertinet, ad meridien, quando emisit Spiritum. Ecce quanta mysteria brevites dicuntur. Vel ita, distingue litteram. *Dominus salvabit me vespere in mane,* hic distingue litteram. Unde ego non ingratus, *narrabo et annuntiabo, et ipse, exaudiet vocem meam. Redimet in pace animam meam.* Redimet dico, *ab his qui appropinquant mihi,* id est qui ficte laudant me, dicentes: *Scimus quia verax es,* etc.
D (*Marc.* XII). *Quoniam inter multos erant mecum,* id est non cum paucis electis, et non solum pro me exaudiet, sed etiam pro illis. *Exaudiet me Deus qui est ante sæcula. Humiliabit illos* de superbia ut credant. *Vel, humiliabit,* ut tollant locum et gentem (*Joan.* XI), et merito. [Cassiod., Alcuin., Cassiod.] *Non enim est illis commutatio, et non timuerunt Deum, extendit manum suum in retribuendo.* Hæc non mutantur. Et quia tales divisi sunt, *ab ira vultus ejus,* id est ipsi iratus dividet in futuro eos a granis. Ira enim est vindicta judicii qua dividuntur boni a malis, ut grana a paleis. Et tunc, *cor illius appropinquabit,* id est voluntas Dei per prophetas et apostolos nuntiata, omnibus nota erit. Vel cor Dei

sunt justi, qui secreta Dei sui noverunt. Hi appropinquabunt Deo, cum illi dividuntur. Ideo hæc illis, quia *molliti sunt sermones ejus super oleum*, vel *mollierunt* alia littera, adulando, *et ipsi* tamen sermones, *sunt jacula*, dum dicunt : *Reus est mortis (Matth.* XXVI). Et quia tales sunt, ergo non in eos, sed *in Domino jacta curam tuam, et ipse te enutriet. Et non dabit in æternum fluctuationem justo.* Hæc non mutantur.

VERS. 26. — « Tu vero Deus, deduces eos in puteum interitus. »

Tu vero. [Aug., Cassiod., Gl. int., Aug.] Hi tunc non fluctuabunt, sed impiis qui contaminaverunt testamentum, quid erit ? Impii in puteum gehennæ deducentur. Et hoc est, *tu vero Deus, deduces eos.* Hinc est finis contaminationis *in puteum interitus,* id est in tenebras submersionis, nec differetur, quia

VERS. 27. — « Viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos ; ergo autem sperabo in te, « Domine. »

Viri sanguinum, [Aug., Cassiod., Aug.] qui occidunt animas aliquando et corpora. *Et dolosi* in seductione, *non dimidiabunt dies suos*, id est voluntarios, non a Deo constitutos, et non perficient quantum putant 1 1 7, sed intra tempus peribunt, quia sperant. Vel ita, ideo deduces in puteum, quia, non dimidiabunt dies suos (93), ut si quos egerunt in malo reliquos agant in bono, redimentes tempus (*Ephes.* V), sed omnes continuant in malo. [Alcuin., Aug.] Alii enim non incipiunt dies bonos, sed in malis continue perseverant, alii dimidiant, alii implent dies bonos, quia alii moriuntur in Egypto, alii in deserto, alii in terra sancta. In Ægypto moriuntur qui in tenebris vitiorum usque ad finem vitæ conversantur. In deserto qui de confusione peccati exeuntes, errata per pœnitentiam emendant. Implent dies, qui sine crimine in opere justitiæ usque ad finem vitæ perseverant. Hæc tria genera hominum figurata sunt per ea quæ scripta sunt in volumine Ezechielis ostensa, ubi scripta erant hæc tria : *Carmen*, lamentum, et vel, dictum est prophetæ, ut devoraret volumen, id est in mentis intelligentiam trajiceret horum trium mysteria (*Ezech.* II.) Carmen cantant, qui peccatorum lapsum non senserunt. Lamentum quia peccatis per lamentum pœnitentiæ resurgunt. Væ qui peccant et non pœnitent. Illi non dimidiabunt. *Ego autem sperabo in te, Domine.* Quod non illi, et ideo non perveniam ad æternum diem.

COLLATIO IN PSALMUM LIV : « EXAUDI, etc.»

VERS. 5. — *Et contexerunt me tenebræ.* Hier. *caligo*. Alii vertunt *horrorem* vel *tremorem* פלצות *pallatzuth*. Sed quia jam præcesserat in superiori, *timor et tremor venerunt super me*, bene intellexerunt LXX et Hier. In sequenti, *tenebras*, ex eo quod in morte tam spirituali quam corporali lux deficiat, quæ tamen vel solo nomine horribilis est.

VERS. 8. — *Exspectabam eum qui salvum me fecit.*

אחישה מפלם לי Hebr. AHISSAH MIPHLAT LI. Quod si ad verbum reddas, *faciam festinare salvationem mihi* : quod et fit per spem certam in eum. Haud

A absone reddita est sententia, *exspectabam*, etc.

A pusillanimitate spiritus et tempestate. Pratensis, *a spiritu vehementi et tempestate* : Sanctes, *a veno qui suscitatur a turbine* : Pellicanus et interpretes pro Cajetano, simili modo. Munsterus, *propter ventum turbinis et tempestatis*. Quantum ad sensum nulla est distantia. Volui tamen recensere istorum versiones, quia in Hebr. nulla interponitur conjunctio, et aliqui eorum subaudiri voluerunt, alii minime. Translator ad Campensem seipsum sequitur, *ad evadendum vento ocius rapido ac tempestate*. Quid autem senserit Hieronym. Habes ad Suniam et Fretellam. « In Græco invenisse vos dicitis ἀπὸ ὀλιγοψυχίας, quod proprie pusillanimitas dicitur. Sed sciendum quod pro ὀλιγοψυχία, Aquilla et Symmachus et Theodotion, et quinta editio in terpretati sunt ἀπὸ πνεύματος, id est *a spiritu*. Et in Hebr. scriptum est מרוה MERUAH. Omnisque sensus ita apud eos legitur, *Festinabo ut salver a spiritu tempestatis et* B *turbinis*.

VERS. 14. — *Tu vero homo unanimis.* Sic etiam Hieron. Sanctes, *secundum æqualitatem meam* : Pellicanus et Pratensis, *secundum ordinem meum*. In verbis est discrepantia, conspirat sensus. Unde interpretes pro Cajetano dicunt, *Sicut æstimatio mea* : Munsterus, *sed tu homo, eras juxta æstimationem cordis mei* : Nebiensis, *homo valoris mei* ; Chaldæus, *similis mihi*, translator ad Campensem, *sed tu , o collega commilito*. Unico verbo tria aut quatuor interpretes complexi sunt. Non video quo genio isti moveantur, si ex contemptu lectionis ecclesiasticæ faciant : quod nolo mihi persuadere in omnibus.

VERS. 15. — *Qui simul mecum dulces capiebas cibos*. Hieronymus, *qui simul habuimus dulce secretum*. Ac cæteri Hæbraicantes consimiliter. LXX legisse videntur : סוך soc, pro סוך ; secundum significat *consilium secretum* ; alterum *unctionem*, quæ accipitur pro *refectione* et *pulmento*. Ut est illud IV C Reg. IV : *Nisi parum olei quo ungar*, id est aliquantulum reficiar. Licet tantum habetur in Hebræo, *vas olei*. LXX tamen habent ὃ ἀλείψομαι ἔλαιον. Neque vero dulce secretum abest a familiari convictu, ut eodem recidat sensus.

Ambulamus cum consensu. Hieronymus, *in terrore* ; cæteri *catervatim* aut *conjunctim* aut quid simile. Particula רגש REGESCH est anceps ad *strepitum* et *collectionem*, unde oritur perversitas. Chaldæus habet *cum festinatione*.

VERS. 19. — *Narrabo et annuntiabo*. Pellicanus, *et inquietus oro* ; Munsterus, *et importunus oro* ; Pratensis, *strepitum faciam* ; Sanctes, *tumultuabor;* Hieronymus tamen, interpretes pro Cajetano, et Nebiensis, *et resonabo*. Quod est certe annuntiare. Idque spectat ad futurum juxta enarrationem המה HAMAH varium est. Et Chaldæus dicit, *clamabo*.

VERS. 20. — *Redimet in pace animam meam ab his qui appropinquam mihi*. Prætensis, Sanctes, D Munsterus. Campensis pro eo quod est in secunda clausula, vertunt a prælio quod est contra me, vel quid simile. Dictio Hebræa קרוב QUAROB, vel קרב QUERAB, ambigua est ad *prælium* et *vicinum*. Unde Hieronymus, interpretes pro Cajetano, Pellicanus, et Nebiensis sunt nobiscum. Eodem tamen tendit intelligentia.

Quoniam inter multos erant mecum. Hunc versiculum censent. Stapulensis et Cæcus eo modo lectum, esse contrarium veritati Hebraicæ. Quare ? Quia vertit Hieronymus ex Hebræo, *multi enim fuerunt adversum me*. Certe non est quod succenseant nostræ lectioni. עמדי IMMADI potest utrolibet accipi. Hinc Pellicanus, Munsterus, Sanctes, interpretes pro Cajetano, vertunt, *mecum*.

VERS. 22. — *Extendit manum suam in retribuendo*. Hier., *ad pacifica sua*, reliqui Hebraicantes eodem tendunt. Interpretes respexerunt thema שלם SCHIL-

(93) Greg., lib. V. Moral., cap. 28.

LEM, id est *retribuit*. Alii vero radicem שלב SCHLAM, id est *pacificus fuit*.

VERS. 23. — *Devisi sunt ab ira vultus ejus* חלכו מחמאות פיו HALCU MAHAMAOTH PIU. D. Hier., *Nitidius butyrc os ejus*; Pellicanus, *molles fuerunt super butyrum ore suo*; Pratensis, *molle fuit super butyrum ore suo*. Cæteri consimili modo. Hanc varietatem pepererunt ambiguitates vocularum Hebraicarum. Nam חלק HALAQ, interdum significat *divisum est*, quomodo acceperunt interpretes, quamdoque *blandiri*, *lenire*, *mollificare*, quomodo accipiunt alii. Cæterum הלך HALAQ eisdem litteris una puncti notula distinctis, notat interdum *glandum*. Deinde חמאה HEMEAH, id est *butyrum*. Sed חמת HEMAH, et in constructione המות HAMATH, id est *furor*, plurative חמות HEMOTH LXX videntur legisse *secundum*, ubi cæteri alterum.

Appropinquavit cor illius. Pratensis, *intimum cordis ejus*; Sanctes et Neoterici translatores, *bellum aut pugnat cor ejus*. קרב QUARAB, id est *appropinquavit*. קרב QUERAB *prælium*. קרק QUEREB, intimum alius aliud sequitur. Unde in quibusdam exemplaribus Hieronymi legunt, *pugnat cor ejus*; in aleis, *appropinquat cor ejus*.

VERS. 25. — *Jacta super Dominum curam tuam*. יחבך IEHABCA, id est *quod dedit tibi*. Hinc Hieron. vertit *charitatem tuam*, quam imprimis curare debemus. Rom. III: *Plenitudo legis est dilectio*. Alii vertunt *onus*, sive *pondus tuum*, id est ut Deus ferat te. Qui sensus non abest a nostro. Et translator ad Campensem habet, *commenda curam tui*. Sanctes in Thesauro suo refert quod Ra. Da. exponit, *projice super Dominum quod dedit tibi usque ad hunc diem. Projice super illum quod opus habes; et ipse educabit te*: quemadmodum hactenus facit; hæc ille. Et addit, nesciunt, inquit, magistri nostri quid esset, יהבך IEHABECHA. Audierunt mulierem harabam dicentem viro suo, שקול יהביך SCHAQUOL IEHABIC, *libera pondus tuum*. Quod certe demiror mulierculam nosse, et rabinos ignorasse.

PSALMUS LV.

PSALMI TITULUS : « IN FINEM PRO POPULO QUI A SANCTIS LONGE FACTUS EST, IN TITULI INSCRIPTIONE IPSI DAVID, CUM TENUERUNT EUM ALLOPHYLI IN GETH. »

Miserere mei Deus. Titulus : *in finem pro populo qui a sanctis longe factus est, in tituli inscriptione ipsi David, cum tenerent eum Allophyli in Geth*. [Cassiod., Aug., Cassiod., Aug.] Titulus iste, partim assumptus est de Evangelio, partim de Veteri Testamento. In Evangelio namque legitur, quod crucifixo Domino supra posuit titulum Pilatus, Hebraice, Græce et Latine, quem cum quidam Judæorum vellent delere, dicentes : *Noli scribere : Jesus Nazaremus rex Judæorum, sed quia hic dixit : Ego sum rex Judæorum. Respondit Pilatus : Quod scripsi scripsi* (*Joan*. XIX), quia prophetatum erat per Spiritum sanctum in titulis aliorum psalmorum : *Ne corrumpas tituli inscriptionem*, qua Christus rex monstrabatur : hoc de Evangelio est. Legitur autem in libro Regum quod David fugiens ad Saulem venit ad Achis regem Geth, quæ est civitas Allophylorum, ubi legitur fuisse peregrinus, sed non retentus (*I Reg*. XXI). Per David ergo hic intelligitur Christus ex ejus semine natus, quem olim in se, et nunc in membris tenent Allophyli, id est alienigenæ, scilicet persecutores nominis Christiani; *in Geth*, id est in torculari, scilicet in press uris tribulationum quæ dicuntur torcular, quia utiles sunt, per ea enim merita sanctorum augentur, et vinum justitiæ emanat. Et sunt iidem Allophyli et populus qui a sanctis longe factus est. Et est sensus tituli : Psalmus iste tendens *in finem*, id est in ipsum Jesum *pro populo* salvando. Vel pro populo, id est contra populum, scilicet *qui a sanctis longe factus est*, appropinquant autem eis, scilicet sanctis, qui Christum recipiunt *in tituli inscriptione*. Populus qui a sanctis longe fit, in tituli inscriptione, cui contradicit, tam Judæus quam omnis qui non vult habere regem Christum; et ipsi iidem sunt qui tribulent Ecclesiam, id est Allophyli. Tituli inscriptione dico, facta *ipsi David*, id est Christo. Non mutata secundum rei veritatem, sed tamen secundum voluntatem Judæorum. Ipsi David, id est Christo; voluerunt enim mutare, sed non factum. [Gl. int., Aug., Cassiod.] Tituli enim inscriptio, etsi populus instaret, non est deleta, quia prophetatum est in alio psalmo : *Ne corrumpas tituli inscriptionem*. Populus qui longe a sanctis fit, sunt persecutores qui Ecclesiam calcant sicut uvas, ut vinum justitiæ exeat. Nota quod hucusque est de Evangelio : quod vero sequitur, scilicet *cum tenuerunt*, etc., est de Veteri Testamento, quasi dicat : Longe factus est populus a sanctis, *cum*, id est quia, *Allophyli*, id est alienigenæ, scilicet persecutores, *tenuerunt eum*, scilicet Christum in capite et in membris, *in Geth*, id est in torculari. Legitur ad litteram David in illa civitate peregrinus fuisse, sed non retentus, sed Christus ex ejus semine natus, non solum olim in se, sed etiam adhuc in corpore suo tenetur, in pressuris quæ utiles sunt, ut uva ante torcular integra est, sed nihil inde emanat, cum premitur sterilis non est, quia vinum exit. Intentio Prophetæ est confirmare Ecclesiam contra persecutores. Modus. Tripartitus est psalmus. Primo orat Ecclesia, velut uva ab Allophylis pressa, summatim tangens tribulationes, in quibus sit, per spem Dei finit se non timere, id est in fine primæ partis dicit se non timere. Secundo enumerat mala quæ sustinendo fit et inimicorum conversio, ibi, *tota die*. Tertio jam de malis sæculi libera, in futura beatitudine, vel etiam hic laudem se cantare promittit, ibi, *in me*. Ecclesia ergo tanquam uva pressa in torculari clamat, o

118 VERS. 1. — « Miserere mei, Deus, quoniam conculcavit me homo; tota die impugnans tribulavit me. »

Deus, miserere mei, [Aug., Cassiod.] ne deficiam in conculcatione. Quare clamas? *quoniam homo*, scilicet qui longe factus est a sanctis, et non solum homo,

sed etiam diabolus, de quo in Evangelio dicitur: A *Inimicus homo hoc fecit* (*Matth.* XIII). *Conculcavit, me*, sicut uvam in torculari, ut vinum exeat; idem repetit apertius. *Impugnans* homo visibiliter, vel diabolus, invisibiliter, unde periculosior est. *Tribulavit me tota die*, id est toto tempore. Nullus enim vivit in Christo sine tribulatione.

VERS. 2. — « Conculcaverunt me inimici mei « tota die, quoniam multi bellantes adversum me. »

Conculcaverunt me. [Gl. int., Aug., Cassiod. Aug., Alcuin., Gl. int.] Et hoc merito non quidem meo faciunt, sed quia sunt *inimici mei*, qui scilicet longe sunt a sanctis. Hi sunt membra diaboli. Et isti *conculcaverunt me*, quasi pedibus uvam. *Tota die* dico miserere, et necesse est ut miserearis, *quoniam multi bellantes* steterunt *adversum* B *me*, et ipsi iidem sum alti. Non diu tamen, sed die.

VERS. 3. — « Ab altitudine diei timebo; ego vero « in te sperabo. »

Ab altitudine, [Alcuin., Gl. int., Cassod., Aug.] sed *timebo ego ab altitudine diei*, id est ab altitudine illorum qui me conculcant, qui alti sunt, sed non diu, sed die timebo a potentia ejus ad horam datam, quasi non altitudo diei mundus est, id est mundana altitudo, ubi est superbiæ timor. Ut autem gravior esse ostendatur tribulatio, dicit se a superbis conculcari. Non timebo, sed potius *ego sperabo in te*, in quo nulli speranti timendum est. Vel aliter potest legi et distingui littera manente eodem sensu. Quasi dicat: *Conculcaverunt inimici qui multi sunt*. Sed *quoniam multi bellantes*, sunt, *adversum me*, *timebo ab altitudine diei?* non. Sed C *sperabo in te*. Vel ita secundum aliam litteram: *Conculcaverunt me inimici mei tota die ab altitudine diei*. Hic distingue, *quoniam multi qui debellant me, timebunt; ego vero in te sperabo*. Hæc littera sic exponitur: Conculcaverunt me inimici mei tota die. Et hoc, ab altitudine diei, quia diem, id est Christum in altum lucentem non cognoverunt. Christus enim dies est. Hujus diei horæ sunt duodecim apostoli. Unde ipse Dominus ait: *Nonne duodecim horæ sunt diei?* (*Joan.* XI.) Hujus diei altitudinem inimici non potuerunt attingere. Unde in passione Christi et tenebræ factæ sunt (*Matth.* XXVII). Vel, conculcaverunt me ab altitudine diei, id est quia alti sunt, qui conculcant, licet ad horam, scilicet die non diu, sed non sunt timendi, quoniam multi qui debellant me, D non timebunt, cum dies eorum transierit, scilicet finito tempore altitudinis suæ. Ego vero non dico: Non timebo ne videar de me præsumere per stultam arrogantiam; sed, sperabo in te, quod est causa non timendi. Non timet aliquis duritia cordis, vel superbia, qui est similis stupido. Stupor enim est qui non sentit, non sanitas. Et nota tres esse afflictiones corporis, scilicet sanitatem, stuporem, immortalitatem. In stupore non dolet corpus, sed nec in immortalitate. Sed in stupore non dolet, quia non sentit; in immortalitate, quia plene firmatum est. Sanitas vero, si molestatur, dolorem habet; sed non ideo putet stupidus se viciniorem esse immortalitati eo qui sanus est. Ita et tres sunt affectiones animæ, scilicet provida cautela, stulta arrogantia, gloria secura. Stulta arrogantia similis est stupori. Quando quis de se præsumens, nec timet, nec cavet. Iste ergo ne per stultam arrogantiam videretur similis stupido, non ait, non timebo, sed sperabo in te.

VERS. 4. — « In Deo laudabo sermones meos, « in Deo speravi; non timebo quid faciat mihi « caro. »

Laudabo sermones meos in Deo, [Aug.] et tribuens quod bene loquor, quia ab ipso habeo. Sermones dico *meos*, quia accepi. Quasi dicat: Et Dei sunt quia dat, et mei sunt, quia accipio. Dixi sperabo, sed et ante, id est jampridem *speravi in Deo*. Ideo *non timebo* spe futuri. Non timet iste qui videns mala sæculi futuri superius formidans, orabat. Non timebo, dico *quid faciat mihi caro*, quia si calcat, vinum exit de calcatura.

PARS II. VERS. 5. — « Tota die verba mea exsecrabantur; adversum me omnes cogitationes eorum « in malum. »

Tota die. [Cassiod., Aug.] Secunda pars, ubi enumerat mala, quæ sustinendo fit inimicorum conversio. Unde et per spem Dei concludit se non timere, sicut prius fecerat. Dico, non timebo quid faciat mihi caro. Quid enim caro facit? *Tota die verba mea exsecrabantur*, et si a Deo sint. Et *omnes cogitationes eorum* existentes *in malum*, quia nil boni tractant, sunt *adversum me*. Cum enim verba respuuntur, persona dicentis non est immunis ab injuria. Si panem ipsum abominantur, vasculo in quo ministratur, quomodo parcunt?

VERS. 6. — « Inhabitabunt et abscondent; ipsi « calcaneum meum observabunt. »

Inhabitabunt, [Aug., Cassiod.] vel incolunt. Alia littera. Quasi dicat: Cogitationes eorum sunt in malum, et hæc absconsæ. Et hoc est, incolent *et abscondent*, id est quia peregrini sunt in hoc mundo, ubi non est nisi peregrinatio et incolatus, ubi nullus videt cor alterius, quidquid mali cogitant absconsum est. Vel ita, et agit de fictis fratribus, qui latenter subintrant, ut noceant. Quasi dicat: Quidam aperte impugnant, sed ex iis aliqui longe sunt a sanctis, qui, scilicet ficti, inhabitabunt, vel incolent, id est ficte subintrabunt, et abscondent dolos, quia non audent palam contraire. Et ii pejus nocent, quam mali, ut et Judas qui diabolus erat (*Joan.* VI.) Electus est cum aliis undecim, et ad tempus incoluit. Elegit eum qui noverat non ad opus probationis, ut cæteros, sed ad opus tentationis, ut daret tibi nescienti quos eligas, solatium ut coleres sicut ille. Si enim falsa de te dicunt, cœlum non auferunt, nec isti nocent. Et *ipsi* tales *observabunt calcaneum meum*, id est pedem ad lapsum, ut calumnientur. Aucupantur enim verba omnia, quærentes alicubi laqueos, et nodosas facere calumnias, quibus tamen ipsi prius capiuntur ut pereant, quam alios capiant ut perdant. Vel, observabunt

calcaneum meum, id est finem vitæ, quod secundum finem judicamur. Ideo diabolus insidiatur calcaneo.

VERS. 7. — « Sicut sustinerunt animam meam, « pro nihilo salvos facies illos : in ira populos con« fringes. »

Sicut sustinuerunt. [Rem. Aug.] Quasi dicat : Hoc agunt *sicut*, utpote illi qui *sustinuerunt animam meam*, tanquam grave pondus, id est utpote illi quibus gravis sum ad videndum. Unde in libro Sapientiæ: *Opprimamus virum justum ; gravis enim nobis est ad videndum* (*Sap.* II). Illi tales sunt, sed tamen *salvos facies illos*, o Domine. Et hoc *pro nihilo*. Vel ita secundum aliam litteram, quæ est, *sicut sustinuerunt animam meam pro nihilo salvos facies*. Et loquitur hic Ecclesia Christo, dicens : Anima mea sustinuit foris latrones intus absconditentes et, sicut ego sustinui, sic, tu Christe, salvos facies illos, id est tu sustine et ora pro illis, et salvi erunt. Salvos facies, dico, et hoc, *pro nihilo*, quia nullus tibi inde labor quasi nihil tibi sit, quia si desperati sunt, verbo eos curas. Vel, pro nihilo salvos facies illos, quasi pro nullis eorum meritis, sed gratis, per pietatem. Vel, per hoc salvabis, quia *confringes*. Vel, deduces *populos in ira*, scilicet dum per flagella Dei resipiscant, quia scilicet terres tribulationibus, et sic deducis eos ad te. Est enim ira consummationis, qua filii flagellantur ad correctionem. Et ira consumptionis, qua mali puniuntur ad peremptionem. Vel, confringes populos in ira, id est dum iram Dei futuram prævident.

VERS. 8. — « Deus, vitam meam annuntiavi tibi ; « posuisti lacrymas meas in conspectu tuo. »

Deus vitam meam. [Alcuin., Cassiod., Aug., Cassiod.] Nota quod triplex est vita hominis, scilicet naturæ qua vivimus, spiramus ; vita gratiæ qua in Christo vivimus ; vita peccati quæ in vitiis agitur. Duæ sunt a Deo quæ bonæ sunt, scilicet vita naturæ et gratiæ. Tertia est ab homine, quæ mala est. Has omnes Deo annuntiare debemus, et primo de vita peccati. Vides qualiter Deo sit annuntiada. Quasi dicat : Confringes populos, et ego ad institutionem eorum, annuntiavi tibi vitam meam, quæ mala semper fuit. Vitam Deo nuntiat, qui peccata Deo confitetur, non Deum docens, sed se damnans, ut sic solvatur. Vel de vita naturæ et gratiæ accipitur sic. Quasi dicat : Illos confringes, ego autem ut non ingratus, annuntiavi tibi, o Deus, id est attribui, vitam meam, naturæ et gratiæ, quia ut vivam tu fecisti. Ideo tibi vitam meam annuntio, non mihi, ut alii id sequantur. Lucris enim Dei prodest, ut alios invites ad accipiendam vitam, quam accepisti, ut qui vivit jam non sibi vivat, sed ei qui pro omnibus mortuus est (*II Cor.* V) ; ita ego. Et tu *posuisti lacrymas meas in conspectu tuo*, id est sicut erant in promissione tua, id est exaudisti me deprecantem sicut promiseras te exauditurum flentem, inveni te misericordem in promittendo, veracem in reddendo. Attende quam piæ lacrymæ sunt quæ pro- A inimicis orant. Et ideo acceptæ sunt Deo sicut ipse promisit. Vel sic distingue litteram, Posuisti lacrymas meas in conspectu tuo : hic distingue, manente eadem sententia.

VERS. 9. — « Sicut *et* in promissione tua ; tunc « convertentur inimici mei retrorsum. »

Sicut et in promissione tua, etc. [Gl. int., Aug.] Quasi dicat : Salvos facies et confringes, *sicut* est, *et in promissione tua*, quia promisisti Abrahæ : *In semine tuo benedicentur omnes gentes* (*Gen.* XXII). Et *tunc* scilicet quando confringes, *inimici mei convertentur* a suo errore, ita ut sint *retrorsum*, id est sequantur qui præire volebant. Et

VERS. 10. — « In quacunque die invocavero te ; ecce cognovi quoniam Deus meus es. »

B *In quacunque die*, [Cassiod., Aug.] scilicet sive in pueritia, sive in media ætate, sive in fine vitæ *invocavero te*, non aliud quærens quam te, *ecce cognovi quoniam Deus meus es*. Ecce magnæ divitiæ. Quantumlibet avarus sis, sufficit tibi Deus ; etenim avaritia terram quærebat possidere totam. Adde et cœlum. Adde, quod plus est, qui fecit cœlum et terram. Et est sensus, ac si diceret : Quandocunque invocavero te, audies me. In quo mira Dei clementia advertitur, quæ quodlibet tempus nostræ conversionis exspectat, quandocunque rogatur, se indulget. Et nota quod ait : Deus meus es. Quasi dicat : Et si omnium Deus meus proprie, qui mihi subvenis, quem colo, quem amo, alii sunt alieni. Et ideo

VERS. 11. — « In Deo laudabo verbum, in Do-
C « mino laudabo sermonem ; in Deo speravi, non timebo quid faciat mihi homo. »

Laudabo verbum. [Aug., Hier., Cassiod., Alcuin., Cassiod.] id est, doctrinam in Deo ei attribuendo. Idem dicit quod supra dixerat. Et *sermonem*, id est quidquid supra loquar, *laudabo in Domino*, id est attribuam, et si quid urget, *speravi in Domino*. Et ideo, *non timebo*, etc. Vel ita, *in Deo* Patre, laudabo Verbum, id est Filium, quia quidquid de Patre, et de Filio dicitur secundum substantiam, et de Spiritu sancto, hoc de potentia Verbi dicitur, qua est coæternum et consubstantiale Patri. Postea de humanitate ejus subdit, in Domino, id est in Christo, qui Verbum caro factum est : laudabo sermonem, id est prædicationes, quibus regulam vivendi, et sa-
D lutem mundo dedit. Hæc duo prædicat iste, scilicet potentiam Verbi, et humanitatem Christi. Vel ita, ut trinitas notetur personarum per tria verba quæ ponit, in Deo Patre laudabo Verbum, **119** id est Filium ; in Domino, et Spiritu sancto, laudabo sermonem, id est Filium, quia quidquid secundum substantiam dicam de una persona, et de reliquis. Et si quid urget, in Deo speravi, mundana contemno. Et ideo, non timebo *quid faciat mihi homo*, quia etsi quæ extra sunt, eripit, non quæ intus, quia nihil nisi mundana eripit. Idem est finis hujus partis qui et primæ.

PARS III. VERS. 12. — « In me sunt, Deus, vota « tua : quæ reddam laudationes tibi. »

In me sunt, [Cassiod., Aug., Cassiod., Alcuin.] Tertia pars, ubi Ecclesia jam de malis sæculis libera, in futura beatitudine, vel etiam hic laudem Dei cantaturam se dicit. Quasi dicat : Non timebo, quia *vota tua, o Deus, sunt in me*. Intus sunt quæ a nobis nunquam recedunt. Non extra quæro quod offeram, quia de arca cordis, de cellario conscientiæ exit totum quod charitate accendendum est. Quæ vota sunt *laudationes*. Vel vota dico, laudationis *tibi* alia littera. *Quæ vota reddam ibi*, in æternitate, vel etiam hic. Ideo laudabo hic,

VERS. 13. — « Quoniam eripuisti animam meam « de morte, et pedes meos de lapsu ; ut placeam co- « ram Deo in lumine viventium. »

Quoniam eripuisti animam meam de morte, [Aug., Hier., Cassiod.] quia per me eram mortuus. Per te est vita quam tibi enuntio ; *et pedes meos de lapsu*. Alia translatio habet : *Oculos meos a lacrymis, pedes meos a lapsu*. Hic in spe ad hoc eripuisti *ut placeam coram Deo*, non coram alienis, scilicet Allophylis, qui longe sunt a sanctis, qui non habent lumen, unde videant. Ego dico existens *in lumine viventium*. In lumine est qui gratis Deum amat, quod nemo scit, nec etiam diabolus nisi solus Deus. Vel de futuro potest accipi, sic : Ideo laudabo in futuro, quia eripuisti, id est eripies animam meam de morte æterna, et oculos meos a lacrymis, et pedes a lapsu, ut placeam coram Deo in lumine viventium. Hoc in futuro, ubi nec anima peccando moritur, nec oculi flent mala, nec pedes labuntur : quod non est hic, ubi etiam perfecte Deo placet. Unde addit : Ut placeam Deo in lumine viventium æternaliter.

COLLATIO IN PSALMUM LV : « MISERERE, » etc.

Titulus sic habet apud LXX, *in finem pro populo*, etc., ut habes in magistro. Hebr., *victori super columbam mutam*, vel *pro columba muta in remotis*, vel *longinquorum* aut *elongationum* ; aut Hieronymo, eo quod procul abierit, *David insigne* מכתם MICHTAM. Hieronymus vertit *simplex et humilis* de quo supra dictum est psalmo XV. Quantum vero ad id quod est in Hebr. *pro columba muta elongationum*, vèl poterat verti *pro elongationibus*, vel *pro his qui elongantur a columba muta*, et prior versio accipietur in bonam partem, scilicet pro Christo aut populo Christiano, qui intus servat innocentiam ; ac ponit fiduciam suam in remotis, hoc est in cœlis ; altera intelligetur in malam partem, contra Judæos qui se elongaverunt a columba muta, hoc est a simplicitate quæ est in Christo Jesu, conantes destruere *insigne David* ; hoc est *tituli inscriptionem*. Dicebant enim : *Noli scribere, rex Judæorum* (*Joan.* XIX). Et hoc modo videntur LXX intellexisse. Reliqua explicantur in glossa.

VERS. 3. — *Ab altitudine diei timebo* ; *ego vero in te sperabo*. Principium tertii versus apud nos, est apud Heb. finis secundi versus, juxta distinctionem exemplarium, quibus utimur. Sed מרום MAROM, particula diverso accepta modo, fuit in causa ut LXX acciperent ac si littera men esset præpositio *ab*, quod est Hebr. notissimum. Id etiam fecit Pellicanus, quando vertit *ab excelso*. Cæteri litteram men volunt esse heemanticam, ut vocant, hoc est notam nominis derivativi, ob idque traducunt, *Altisime, o excelse*, vel *in excelso*. Novissimum ponit Sanctes, contrario sensu ad versionem aliorum, *multi bellantes*

A *pro me, in excelso*. Nam opponitur isti, *multi bellantes contra me, o Excelse*. Nebiensis vertit, *contra me excelsum*. Nec debet nos interturbare varietas distinctionis in versuum sectione, quæ passim relinquit pendere sententiam a sequentibus, præsertim in carmine. Jamque si *dies* pertineat ad tertii versus continuationem, gignendi casum exigit juxta LXX. Si autem ad principium versus spectet, quia non habet præpositionem, nec terminationis inflexionem, vertunt, *diem timebo*, vel *per diem* seu *in die*, aut *quacunque die timebo*. Munsterus, *licet per diem timerem*, de suo addidit. Porro sensum nostræ lectionis apertius tradit Hieronymus ad Suniam et Fretellam, docens esse in Græco additam negationem, *non timebo* οὐ φοβηθήσομαι. Et est ordo ; *quoniam multi dimicant adversum me, sed tuum excelsum lumen timebo*.

VERS. 4. — *In Deo laudabo sermones meos*. In Hebr. *verbum ejus*. Sed passim occurrit iod pro vau
B et e diverso capi ob litterarum affinitatem דברו DEBARO, *verbum ejus* דברי DEBARI, *Verbum meum*, דפרי DEBARAI. *Verba mea*.

VERS. 5. — *Tota die verba mea exsecrabantur*. Hic Faber toto cœlo errat, qui ausus est affirmare pro nomen *mea*, superfluere, cum manifestissime in Hebr. lebatur hoc versiculo דברי DEBARAI. Stapulensis falsus fuit, eo quod in contextu versionis Hieron. non invenerit. Est tamen certum Hieronymum, pronomen primitivum, cœpisse loco possessivi, quia vertit, sermonibus me affligebant. Alii Hebraicantes sequuntur LXX. Translatio tamen ad Campensem dicit, *omni tempore affligunt res meas*.

VERS. 7. — *Sicut sustinuerunt animam meam, pro nihilo salvos facies eos*. Pratensis, *cum exspectaverunt animam meam, propter iniquitatem liberatio illis* ; interpretes pro Cajetano, *sicut exspectaverunt animam meam, super iniquitate evasio ipsis* ; Pellicanus consimiliter ; Sanctes, Munsterus, Cam-
C pensis interrogative vel admirative legunt secundam partem, *cum exspectant animam meam, propter iniquitatem eritne illis evasio ?* Verum prima particula totius versus potest dicere, sicut, aut, cum כאשר CAASSER. Jamque interpretando priori modo, sensus lectionis. Latinæ erit, *sicut sustinuerunt*, vel ut alii ponunt *exspectaverunt animam meam*, nempe persequendo, *sic pro nihilo salvos facies illos*. Hoc est, ut vertit Hieronymus, *quia nullus salvus in illis*. Cæterum ubi dicimus, *pro nihilo*, et Hieronymus *nullus* ; allii habent *propter iniquitatem*. Unde cogebantur sub interrogatione intelligere. Varietas autem contigit quod און AUEN significat *vanitatem* et *iniquitatem*. Ac LXX, sicut et Hieronymus, priorem acceptionem respexerunt. Quasi dicas : *Super aut pro vano, Salvator eorum* : id est *vana est salus eorum et nulla*. Augustinus tamen in bonam partem exposuit, *pro vano aut pro nihilo*, id est *gratis*.

In ira populos confringes. Præsentem locum ta-
D xare videtur Hieronymus ad Suniam et Fretellam, quasi lectio Latina depravata sit. Imo et Græca. Ait enim, *in ira populos confringes*. Pro quo in Græco legitur ἐν ὀργῇ λαοὺς κατάξεις, id est *confringes*. Et apud Latinos, *pro eo quod est dejicies*, id est καταβαλεῖς, male error obtinet κατάξεις, id est *confringes*. Nam et in Hebr. הורד IHORED, habetur quod nos possumus dicere *depone*. Et Symmachus interpretatus est κατασεῖσαι. Sed sciendum interdum Hieronymum dicere errorem in verbis ; in sensu non item, quod ubi est, noluit mutare consuetudinem interpretum, ut paulo ante dicebat : « Noluimus igitur immutare, quod ab antiquis legebatur, quod idem sensus erat. » Ac passim idipsum inculcat, ut Suniæ et Fretellæ alio loco : « Ubicunque sensus idem est, veterum interpretum consuetudinem mutare noluimus, ne nimia novitate lectoris studium terreremus. »

Vers. 8. — *Deus vitam meam annuntiavi tibi.* Hieronymus, *secretiora mea numerasti;* Pratensis, *discursus meos numerasti;* Sanctes, *migrationes;* Pellicanus, *anxietatem meam numerasti;* alii, *evagationem meam* seu *peregrinationem*, etc. Vocula Hebraica נוד NOD, significat *migrationem, commotionem, evagationem:* quæ omnia tam apposite quadrant vitæ nostræ mortali ac periculosæ, ut haud perperam LXX, per eorum ipsorum rationem, vitam intellexerint, putidæ litteræ servientes minime; nam ceu peregrini et advenæ, in hoc sæculo civitatem non habemus permanentem, sed futuram inquirimus (*Hebr.* XIII). Job quoque XIII: *Homo nunquam in eodem statu permanet.* Quod vero Hieronymus posuit *secretum* pro *vita* aut *vagatione*, idipsum factum est, propterea quod legerit סודי SODI pro נודי NODI, id est *secretum meum.* Id quod et indicaverit Sanctes, in suo Thesauro. De eo quod legimus *annuntiavi*, ubi alii dicunt *numerasti*, nullo impendio conciliatur, quandoquidem ספר SAPHAR utrumque signat, et prima ac secunda persona; si non scribantur puncta paulo pacto distant communiter non in voce ספרת SAPHARTA aut SAPHARTI, et in prima persona, additur litterula minima iod, ubi est nunc paragoge, he. Utrobique tandem suum habebit sensum lectio.

Posuisti lacrymas meas in conspectu tuo. Recentiores translatores dicunt pro, *in conspectu tuo, in utre tuo.* Haud improbabile ostenditur LXX legisse נאדך NEGDECA pro נגדך NODECA. Prius significat *conspectum tuum*, alterum *utrem tuum.* Argumentum confirmat Hieronymus juxta Hebr. qui est cum LXX, nisi velis dicere ipsos metaphoram reddidisse explanatam, quæ dabatur intelligi per utrem in quo

A quidpiam asservatur custodiendum. Et lacrymas nostras Deus reservat, ut pro gemitibus, quos pro peccatis expiandis emittimus, mercedem reddat. Ob idque dicuntur *in conspectu ejus*, quia illi placent ex corde.

Vers. 9. — *Sicut et in promissione tua.* Hebr. legunt per interrogationem: *Nonne in numeratione tua*, aut *narratione tua*, aut *libro tuo?* supple, hæc annotata sunt, ut vult Munsterus. Nullum est damnum in sensu, et plane legas more LXX. Et liber Dei est ejus promissio, quæ etiam declaratur in Scripturis. Nebiensis vertit utique, *in libro tuo;* et Chaldæus, *utique in rationibus tuis.* Hieronymus sine interrogandi figura dixit absolute. Sed non in narratione tua, quod obscurius est. Quid enim sibi vult *numerasti lacrymam meam*, sed non in narratione tua? nisi forsan alludat ad illud apostoli Rom. VIII: *Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenar-*
B *rabilibus.*

Vers. 12. — *In me, Deus, sunt vota tua, quæ reddam laudationes tibi.* Græce legitur et in psalmodia Romana, αἰνέσεως *laudationis.* In Hebr. tamen plurative habetur תודות TODOTH, *laudationes* seu *gratiarum actiones.* Non video tamen cur obelo debeat transfigi relativum *quæ*, in nostra lectione, ut decernunt Faber et Cæcus. Non est enim contra consuetudinem Latini sermonis, quod per appositionem dicantur *vota, laudationes*, vel *gratiarum actiones.* Ne interim dicam quod in transferendis alienis sermonibus nonnihil detrahendum est proprietati linguæ Latinæi in sacris potissimum, in quibus singula verba, juxta Hieronymum, de optimo genere singula mysteria sunt.

PSALMUS LVI.

PSALMI TITULUS: « IN FINEM NE DISPERDAS *vel* CORRUMPAS DAVID IN TITULI INSCRIPTIONEM, CUM FUGERET DAVID A FACIE SAUL IN SPELUNCAM. »

Miserere mei, Deus. Titulus. *In finem, ne disperdas vel corrumpas David in tituli inscriptionem, cum fugeret David a facie Saul in speluncam.* Legitur in libro Regum quod David fugiens a facie Saul, venit ad tutissima loca Engaddi, ubi absconditus in spelunca latuit (*I Reg.* XXIV). Hanc historiam tangit
120 titulus, sed hoc ab historia nos retrahit quod de tituli inscriptione dicit. [Aug., Cassiod.] Nullus enim titulus legitur fuisse inscriptus David quem Saul vellet corrumpere, sed Christo qui de David natus est, inscriptus est titulus, quem populus Judæorum voluit corrumpere, sed quia per Spiritum sanctum, scilicet scriptum erat: *Ne corrumpas*, ait Pilatus, *Quod scripsi, scripsi* (*Joan.* XIX), cujus spelunca caro vel sepulcrum, accipitur, ubi latuit Christus absconditus, vel incognitus Judæis. Hoc ergo Propheta, per Spiritum sanctum futurum prævidens ait: *Ne corrumpas.* Et est sensus: *Psalmus* iste dirigens nos *in finem*, id est in Christum. Hoc ait *ne*, tu Pilate, vel tu quicunque *disperdas* vel *corrumpas David*, id est *Christum, in tituli inscriptione*, id est negando Christum esse regem. Quod tituli inscriptio confirmabat, tituli inscriptione dico mutata secundnm voluntatem Judæorum *cum fugeret*, id est quia fugit *a facie Saul*, id est a cognitione Judæorum, *in speluncam* carnis, scilicet cum in carne tectus nesciretur. *Si enim cognovissent,*

C *nunquam Dominum gloriæ crucifixissent* (*I Cor.* II). Vel mutare voluerunt, *cum fugeret*, id est quia fugit, *a facie Saul*, id est a cognitione Judæorum, *in speluncam*, id est in sepulcro. Tectus, quia cum a cruce vel sepulcro non eripitur, non putatur Dei Filius. Et agit iste psalmus breviter de Christi passione et resurrectione, ubi Christus secundum quod homo orat de passione ita humilis, ut unus de fidelibus ita clamare putetur. Intentio. Monet ne quis titulo crucis contradicat, sed Christum regem esse credat. Modus. Tripartitus est psalmus. Primo Propheta loquens in persona Domini, quia Dominus in eo loquitur, quasi inter mala exclamat, et prædicit liberationem. Secundo per quid fit liberatus, et de quibus dicit, tibi *misit Dominus.* Tertio post re-
D surrectionem laudes pronuntiat, ibi *paratum.* Christus ergo secundum quod homo orans ad Patrem, dicit.

Vers. 1. — « Miserere mei, Deus, miserere mei: « quoniam in te confidit anima mea. »

Miserere mei, Deus. [Aug., Cassiod., Aug.] Hoc Christus Patri dicit ex nostro, docens nos orare, qui cum Patre miseretur nostri. Et repetit *mei miserere.* Repetitio geminata periculum ostendit magnum. Ideo miserere, *quoniam in te confidit anima mea.* Hæc est causa quare debeat obtinere. Hic jam vox corporis adjungitur capiti, et loquens in persona membrorum, et sua, quomodo possit liberari, dicit.

Vers. 2. — « Et in umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas. »

Et in umora alarum tuarum, [Cassiod., Aug., Gl. int.] id est in munimine maternæ pietatis tuæ, *sperabo :* hoc et in membris jugiter facit. Sperabo, dico, *donec transeat iniquitas* quod in fine penitus in membris complebitur. Usque in finem sæculi namque nec iniquitas deerit premens, nec justitia patiens. Dico, sperabo, et non ero otiosus, imo

VERS. 3. — « Clamabo ad Deum altissimum, « Deum qui benefecit mihi. »

Clamabo ad Deum altissimum, [Aug.] id est Deum qui altissimus est, sed si est altissimus, quomodo audiet te clamantem : experientia præstat fiduciam. Deum dico *qui benefecit mihi*, quasi expertus sum per hoc quia benefecit, quod et clamantem audiet. Si enim impios quæsivit qui eum non quærebant, et pro impiis mori voluit, clamantes quomodo non audiet ?

VERS. 4. — « Misit de cœlo, et liberavit me ; de- « dit in opprobrium conculcantes me. »

Misit [Hier., Alcuin., Cassiod., Aug., Cassiod.] Hoc prius in persona Ecclesiæ sic benefecit. Ita bene *quia misit* Pater Verbum *de cœlo*, id est de occulta essentia sua, et de secreta cognitione angelorum. Et per hoc *liberavit*, id est liberabit me. Quasi dicat : Quia jam misit Verbum, jam certum est, quasi jam sit, quod liberavit, id est liberabit, *et dedit*, id est dabit *in opprobrium conculcantes me*. Vel ita, in persona capitis, ita benefecit, quia, misit mihi de cœlo auxilium, et per hoc quia misit mihi de cœlo auxilium, liberavit me, suscitando, exaltando. *Et conculcantes me*, scilicet qui mortuo insultaverunt, dedit in opprobrium, dispersos ubique, et maxime dum vident ejus resurrectionem adorari, quem putabant se exstinxisse.

PARS II. Διαψαλμα. VERS. 5. — « Misit Deus mi- « sericordiam suam et veritatem suam, et eripuit « animam meam de medio catulorum leonum ; dor- « mivi conturbatus. »

Misit de cœlo [Cassiod., Alcuin., Aug., Hier., Aug., Alcuin.] Secunda pars, ubi jam declarat quid misit, et de quibus eripuit. Et loquitur in persona membrorum. Quasi dicat : Misit de cœlo. Quid autem *misit ?* Misit, inquam, Deus Pater *misericordiam suam*, id est Christum, Verbum Patris, in quo misericorditer nobiscum egit Deus, quia Christus nobis compatitur et ex misericordia et pro nobis mortuus est. Et ideo dicitur, misericordiam *et veritatem suam*, id est Christum, qui retribuit secundum merita, et ex veritate surrexit ad justificandum nos, ut prædixerat. In quo etiam promissiones implentur. Et ideo dicitur veritas : utraque enim in eo continentur, nec una sine altera. Si enim sola fuisset misericordia, licentia nobis esset peccandi. Si vero sola fuisset veritas, non potuisset homo sustinere. *Et eripuit*, hoc capite dicit, quia misi Verbum, ad hoc utique misit. Et, id est quia, eripuit *animam meam*, ecce ipse se resuscitavit. Christus enim loquitur et de misso loquitur, ergo de se. Unde eripuit ? *De medio catulorum* A *leonum*, id est populi a principibus seducti. Quid enim passus ? Ecce *dormivi* alta quiete facile excitandus, sicut dormiens. David ad litteram non dormivit in spelunca, sed Christus dormivit in morte. Unde manifestum est hoc de Christo accipiendum esse. Dormivi dico, et *conturbatus* non utique me turbabo in ratione, sed illis turbantibus sua opinione. Vel conturbatus fui, secundum carnem passionis timore et angustia. Unde : *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Matth.* XXVI). Et alibi : *Cœpit Jesus pavere et tædere (Marc.* XIV). Qui turbaverunt ?

VERS. 6. — « Filii hominum, dentes eorum arma « et sagittæ ; et lingua eorum gladius acutus. »

Filii hominum, [Gl. int., Alcuin., Gl. int., Cassiod., B Aug., Cassiod.] id est Judæi qui deberent esse filii hominum. Rectus ordo verborum est : *Filii hominum laqueum paraverunt*, sed interserit qualiter turbaverint, dicens, *dentes*, id est irrisiones ipsorum, fuerunt *arma*, quantum ad consilia ; *et sagittæ*, quantum ad verba. Non ergo se excusent Judæi, quia etsi manus inermes, os armatum est. Unde subdit : *Et lingua eorum gladius acutus*. Dum clamant : *Crucifige, crucifige (Luc.* XXIII). Voces enim illæ, scilicet crucifige, et hujusmodi citam fecerunt mortem, ut gladius acutus.

VERS. 7. — « Exaltare super cœlos, Deus ; et in « omnem terram gloria tua. »

Exaltare, [Alcuin., Aug., Cassiod.] verba Christi ad Patrem. Quasi dicat : Illi ita, sed, o *Deus* Pater, C *exaltare super cœlos*, id est fac in me quod altus videaris, super angelos, id est fac me requiescere, resurgere et ascendere. Et per hoc in omnem terram *gloria tua* dilatabitur. Gloria tua, id est omnes habitatores terræ te glorificabunt. Vel ex persona Prophetæ loquentis ad Christum, hæc accipiuntur. Superiora Dominus locutus est, Propheta quidem, sed in persona Domini. Et merito, quia Dominus in Propheta loquitur, quando etiam ex sua persona loquitur Propheta, Dominus per eum loquitur qui ei dictat. Propheta ergo per Spiritum sanctum visis injuriis Christi, visoque quod in resurrectionem inanes facti sunt Judæi, gaudens exclamat, o Christe, qui videris tantum homo in cruce pendens, exaltare, ut appareas Deus, exaltare, ut qui pen- D dens in cruce, in majestate cum Patre regnare cognoscaris. Non enim quantum ad se, sed quantum ad homines exaltatur. Exaltare dico, super cœlos. Ad litteram, quoniam sedet ad dexteram Patris, ut judicet Judæos in terra. Et super cœlos, id est etiam spirituales, quia angelos habet subditos, ut sic etiam *in omnem terram gloria tua* dilatetur, id est ubique extendatur, quod modo completum est, quia totus mundus ei subjectus est.

VERS. 8. — « Laqueum paraverunt pedibus meis, « et incurvaverunt animam meam. »

Laqueum paraverunt, [Alcuin., Cassiod., Aug., Gl. int.] postquam interposuit de sua exaltatione, cœptam narrationem exsequitur. Filii hominum

paraverunt laqueum, quasi latenter *pedibus meis*. Pedes Domini sunt increpationes malorum et promissiones fidelium, quibus quasi pedibus incedebat, cum malos increpabat, et bonis præmia promittebat, quibus dolos paraverunt Judæi, ut de adultere quam adduxerunt ante eum, volentes eum quasi necessaria complexione circumvenire, ut vel contrarium legis tenerent, si diceret dimittendam, quam lex præcipiebat lapidari; vel deriderent eum, quasi mendacem, si eam morti adjudicaret, qui mansuetudinem prædicabat (*Joan.* VIII). *Et incurvaverunt animam meam*, dum eis compatiens sterilis est, ab eis. Vel curvaverunt animam meam, id est voluerunt quasi de cœlo me ad inferiora deprimere. Laqueum paraverunt, sed non me nesciente.

VERS. 9. — « Foderunt ante faciem meam foveam; et inciderunt in eam. »

Foderunt foveam, [Cassiod., Gl. int., Aug.] id est, sententiam mortis inclamantes; *ante faciem meam*, quia sciebat totum quod moliebantur. Hoc factum est dum in eum dixerunt: *Reus est mortis* (*Matth.* XXVI). Et hæc agendo, non mihi, sed sibi nocuerunt. Unde sequitur: *Et inciderunt in eam*, in confossa, id est cauteriata et obscura conscientia cæcati.

PARS III. Διαψαλμα. VERS. 10. — « Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum; cantabo et psalmum dicam. »

Paratum. [Cassiod., Aug., Alcuin., Cassiod., Gl. int.] Tertia pars, ubi post resurrectionem laudes promittit. Quasi dicat: Iste parat foveam, sed *cor meum, o Deus* est *paratum* ad tolerantiam, ideo ille incidit; ego cantabo. Et repetit ad confirmationem, *paratum est cor meum*, quasi ita multum. Vel, paratum, cor meum, ad agendas gratias. Et quia gratiæ aguntur verbo et opere, repetit, paratum cor meum, ut alterum ad opus, alterum ad verbum referatur. Et qualiter? *cantabo et psalmum dicam*, id est verbis gratias agam, et operibus, quæ duo prædictæ geminationi reddidit, quia ad utrumque paratus. Postea aggratulando carnem alloquitur dicens: O

VERS. 11. — « Exsurge, gloria mea, exsurge, psalterium et cithara, exsurgam diluculo. »

Gloria mea, [Cassiod., Aug.] id est o caro mea, quæ est causa gloriæ meæ, *exsurge*, id est potenter, quasi ad miraculum faciendum, aggratulatio est, quia certus est unde idem repetit affirmando, aliud addens, subdit: *Exsurge, psalterium et cithara*. Psalterium a superiori reddit sonum, cithara ab inferiori. Per psalterium et citharam, una caro Christi intelligitur, et duo factorum genera. Una ergo caro Christi surrexit; cum ea, duo organa surrexerunt. In carne enim Christi duo genera sunt factorum, scilicet miracula quæ per psalterium; et passiones, quæ per citharam signantur: et hæc surrexerunt, quia utraque in gentibus prædicantur. Surrexit ergo psalterium et cithara, et confitebitur Domino. Et hoc est, exsurge, psalterium, id est caro, divina operans. *Et exsurge cithara*, id est caro

A humana patiens. Exsurge dico, quia certus sum etiam de hora, nam *exsurgam diluculo*, hora resurrectionis Christi hæc est. Vel, exsurge diluculo, alia littera. Et sic.

VERS. 12. — « Confitebor tibi in populis, Domine, psalmum dicam tibi in gentibus. »

Confitebor tibi. [Cassiod.] Hæc dicit Christus in membris, id est laudabo te *in populis, Domine*, **121** *et psalmum dicam tibi*, id est cœlestem actum persolvam tibi *in gentibus*, id est inter gentes. Ostenditur hic causa confessionis et psalmi. Quasi dicat: Ideo confitebor, et psallam.

VERS. 13. — « Quoniam magnificata est usque ad cœlos misericordia tua; et usque ad nubes veritas tua. »

B *Quoniam magnificata est misericordia usque ad cœlos*. [Cassiod., Aug.] id est, quia humanitas Filii ad litteram, usque ad cœlos perducta est; *et veritas tua* venit *usque ad nubes*, id est usque ad prædicatores. Nubes sunt prophetæ et alii doctores qui impleti imbre Spiritus sancti, alios compluunt doctrinis. Unde: *Qui sunt hi qui ut nubes volant* (*Isa.* LX). Et alibi: *Mandabo nubibus meis ne pluant super eos imbrem* (*Isa.* V). Vel ita, ut per cœlos angeli accipiantur, per nubes prædicatores, quia cœli supra nubes sunt, in quibus cœlis sedes est angelorum. Et ideo per cœlos bene angeli accipiuntur. Nubes sunt inferiores cœlis, id est homines prædicatores qui inferiores angelis, qui adhuc in caliginosa carne sunt, qui habent lumen scientiæ in se, sed occultum de quibus Dominus coruscat miraculis, to-

C nat minis, pluit doctrinis. Magis ergo pertinet veritas ad cœlos id est ad angelos, et ad nubes misericordia, quam ad angelos misericordia, et ad nubes, id est ad prædicatores, veritas, quia angeli sine caligine vident speciem veritatis; nec ibi opus est misericordia, ubi non est miseria. Sed tamen in hoc congrue dicitur, ut veritas ad nubes, misericordia ad angelos referatur, quia veritas, id est cognitio veritatis, quæ præpollet in angelis, descendit etiam ad homines, nec ea Deus fraudavit nos ad quos veritas ipsa operta carne a Patre genita venit. Rursus angeli videntur misericordia non indigere; sed etsi angeli non egent misericordia, tamen dum homines miseri per misericordiam in resurrectione fient angelis pares, usque ad cœlos, id est angelos,

D misericordia Dei ascendit. Agentes ergo gratias dicamus cum Propheta, qui supra idem dixit,

VERS. 14. — « Exaltare super cœlos, Deus; et super omnem terram gloria tua. »

Exaltare super cœlos Deus. Iterat quod ante dictum erat, fidem nostram confirmans *et super omnem terram gloria tua*.

COLLATIO IN PSALMUM LVI: « MISERERE MEI, DEUS, » etc.

De ratione tituli in superiori dictum est, et in psalmum XV.

VERS. 2. — *Donec transeat iniquitas*. Hebr. הוות HAUOTH, Hieronymus et Nebiensis, *donec transeant insidiæ*; Pratensis, *pravitas*, Munsterus, *ty-*

rannis; Pellicamus *pravitatum immensitas*; Campensis, *scelerum colluvies*; Translator ad eumdem, *Donec prætereat malitia*; Sanctes, *Contritiones*; Chaldæus, *tumultus*. Et hi omnes sub nominandi casu. Soli interpretes pro Cajetano, casu accusante verterunt. *Donec transibit anima mea*, supple *confractiones*. Denique hæc non ita magno concilientur impendio.

VERS. 3. — *Ad Deum qui benefecit mihi*. Hieronymus, *ultorem meum*; Pellicanus, *Deum facientem consummationem super me*; Interpretes pro Cajetano, *Deum complentem super me*; Pratensis, *retribuentem super me*; Sanctes, *retribuentem mihi*; Munsterus, *qui transfigit causam mihi impendentem*; Paraphrasis Campensis, *qui perficiet quæ cœpit in me*. In Hebr. sunt vocabula duo duntaxat גמר עלי GOMER ALAI. Prius significat *consummare*, et *perficere*, *reddere* et *retribuere*. Unde Ra. Da. teste ipso Sancte, exponit *reddentem misericordiam*: et id procul dubio sit, quando vindictam exercet in cacodæmones et inimicos animarum nostrarum, quod est nobis benefacere, et causam nostram agere. Certe nostra lectio nil abest a veritate Hebraica. Ob id volumus varias versiones recensere, ne quis putet in quamlibet incidens, aliud in Hebræo haberi, quam simpliciter legimus. Quidam enim sibi permittunt longam circuitionem vertendo, et vix apiculum sinunt addi dilucidioris sensus causa in editione Vulgata.

VERS. 4. — *Misit de cælo et liberavit me, dedit in opprobrium conculcantes me*. Secunda clausula nempe *dedit in opprobrium conculcantes me*; in Hebræo, habet solum duo verba חרף שאפי HEREPH SOAPH. Prius significat *probris affecit*, alterum *conculcantem vel devorantem me*. Ob id poterant jungi ambo ad priorem sententiam, et referri ad verbum *liberavit*, proxime præcedens; vel per se distingui.
A Quam ob causam necesse fuit quibusdam vel aliquid ad sensum subaudire, vel simpliciter relinquere lectorem suspensum. Unde Pratensis, *salvabit me ex opprobrio absorbentis me*; Sanctes, *a probro deglutiri volentis me*; Munsterus, *ab opprobrio devorante me*. Ad istud autem phrasis Hebraica minus cogebat. Nam Hieronymus ad hunc reddidit modum, *exprobrabit conculcantibus me*; Nebiensis, *exprobrabit absorbenti me*; Pellicanus, *opprobrando conculcatorem meum*; Paraphrasis Campensis, *infamem faciet eum, qui conculcare conatur me*. Sed quid aliud editio Vulgata! *Dedit in opprobrium conculcantes me*; Et Chaldæus, *confudit conculcantes me*. Sufficiebat igitur nostra lectio ne veniat in contemptum si modo quis velit eam interturbare.

VERS. 5. — *Eripuit animam meam de medio catulorum leonum, dormivi conturbatus*. Hieronymus, *anima mea in medio leonum dormivit ferocientium*; Pratensis, *in medio inflammantium*;
B Pellicanus, *in medio eorum, qui comburunt filios hominum*: ut exordium sequentis versus respiciat *comburunt*, quemadmodum et vult Munsterus, *ego jaceo inter flamma succensos filios hominum*; Sanctes, *jaceo inter ardentes*. Septuaginta voluerunt explicare figuratam locutionem jacendi *inter leones ferocientes*, juxta quod vertit Hieronymus, vel *ardentes*, juxta alios. Quod quam Christo juxta dispensationem hominis congruat, nemo nescit qui illud Joan. XII intelligit; *nunc anima mea turbata est*, etc. Et quomodo in sepulcro turbabatur inter custodes, habes in Augustino. Deinde in sequentibus, *filii hominum*, etc. Recte habet suum locum, ut gratis attrahatur ad superiora. Tamen ibi Septuaginta indicarunt subaudiri verbum *eripuit*, sicut et Hebraicantes crebrius faciunt, quando eis commodum videtur. Id quod passim occurret legenti nostras collationes.

PSALMUS LVII.

PSALMI TITULUS: « IN FINEM NE CORRUMPAS VEL DISPERDAS DAVID IN TITULI INSCRIPTIONE. »

Si *vere utique justitiam*. Titulus: *In finem, ne corrumpas vel disperdas David in tituli inscriptione*. [Aug., Cassiod.] Commendat hic Propheta homini justitiam monens vere eum loqui justitiam; eos quoque et maxime Judæos redarguens, qui non vere justitiam loquuntur. Judæi enim qui ante dixerant: *Magister, scimus quia verax es, et a Deo venisti (Matth.* XXII), mortem ejus inclamaverunt, et regnum ejus abjuraverunt, dicentes: *Non habemus regem nisi Cæsarem* (*Joan.* XIX). Qui hic redarguuntur. Et est sensus tituli: *Psalmus* hic dirigens nos *in finem*. Hic agit *ne*, tu Pilate, vel Judæe, *disperdas* vel *corrumpas David in tituli inscriptione*, id est, ne neges Christum regem quem titulus dicit. Intentio: Monet ne quis regno Christi contradicat. Modus: Tripartitus est psalmus. Prima pars est exprobratio Judæorum, ne nos similia faciamus. Secundo quæ eis sit retributio dicit, ibi, *Deus conteret dentes*. Tertio ostenditur correctio justorum de ultione iniquorum, ibi, *lætabitur justus*. Christus ergo loquens contra Judæos ait, o

VERS. 1. — « Si vere utique justitiam loquimini, « recte judicate, filii hominum. »

Filii hominum. [Gl. int., Aug.] Id est prophetarum, vos *utique loquimini justitiam* labiis, quasi lo-
C qui constat, quia omnibus est facile loqui justitiam, quibus Veritas scripsit in corde: *Quod tibi non vis fieri, alii ne feceris*; et iteravit in tabulis, quia non legebant in corde, ut voce forinsecus admota redirent prævaricatores ad cor, et intus invenirent quod extra legerent. Dico loquimini justitiam, sed si vere loquimini justitiam, ut sit justitia non labiorum, sed factorum, id est, si est in corde quod in ore. Ergo, recta vel *recte judicate*. In factis cognoscantur labia. Si enim aliter agis quam loqueris, bona loqueris; sed mala judicas. Sic enim agis, quomodo judicas. Interrogatus quid sid melius aurum an fides, præponis auro fidem. Amicus venit, et nullo teste aurum tibi commendavit, decessit et mortuus est: hic hæredem filium reliquit, qui ignorat quid
D tibi Pater commendavit. Tecum cogita alii similiter commendasse nulli dixisse filium reliquisse: quod ei velles a tuo amico præstari? Responde. Quid tibi respondet cogitatio? hoc judica cum filio amici. Ante locutus es meliorem esse fidem; sed aliud jubet avaritia qua cogitas aurum negare amici tui hæredi. Ante locutus es meliorem esse fidem intus, et in judicio tuo dixisti, vel duxisti melius aurum. Non sic judicasti ut locutus es. Vere locutus es, falsa judicasti. Veritas videt omnes loqui justitiam, ne dicantur injusti; et omnibus clamat: Si vere justitiam loquimini, si non false, si non aliud in labiis, aliud in corde, recta vel recte judicate;

filii hominum. Auro et cæteris temporalibus fidem A præponite, et alia hujusmodi. Aliter enim estis hypocritæ. Si dicitis : Magister, verax es, ne judicetis mortem meam, quia rex vester sum, ut titulus ait. Judæi vero sic de Christo judicaverunt, ut ficte de eo locuti probentur, verbis suis accusentur. Ideo sic moneo, ut recte scilicet judicetis, quia vobis est iniquitas in corde et in ore, et in manu. Et hoc est,

VERS 2. — « Etenim in corde iniquitates operamini in terra; injustitias manus vestræ concinnant. »

Etenim operamini iniquitates in corde. [Cassiod., Gl. int., Cassiod., Aug., Cassiod,, Aug.] Non possunt recte judicare, quibus iu corde et in manu est iniquitas. Operamini dico *in terra*, id est B quia me terram, id est hominem conspicitis. Vel quia terram, id est terrena amatis,*et manus vestræ concinnant*, quasi ex multis partibus adunantes injustitias.Quasi dicat : Opera vestra pravæ cogitationi concordant, quia manus sequitur cor. Si tamen manus desit, non ideo sine culpa es quia quidquid vis, et non potes, Deus factum imputat. Est autem concinnatio, ex multis partibus adunata perversitas. Vel secundum aliam litteram, *injustitiam manus vestræ connectunt*, scilicet, aliud peccatum alii adjungunt. Unde Isaias : Væ *his qui trahunt peccata sicut restem longam* (*Isa*. V). Et bene peccata resti comparantur. Peccatis enim quisque constringitur, quæ tanquam vincula ligant hominem. Unde in fine dicitur : *Ligate illi manus et pedes*,etc.(*Matth*. XXII.) Quia pro peccatis commissis cogitatione et C opere peccatorum damnabitur, sed etiam interim eisdem cæditur. Unde Dominus flagello de funiculis vel resticulis facto cecidit vendentes et ementes de templo : Ecce iniqui sunt et corde et ·122 manu. Unde hoc eis? quia

VERS. 3. — « Alienati sunt peccatores a vulva; « erraverunt ab utero, locuti sunt falsa. »

Alienati sunt peccatores a veritate. [Aug.]Et ipsi dico peccatores *a vulva* matris, id est ab ipsa origine, non quia ex tunc peccaverunt, sed quia præcognovit Deus ab utero illos futuros peccatores, ut Rebeccæ ait, cum adhuc prægnans esset : *Major serviet minori* (*Gen*. XXV). Quod subsequenter exponit, *erraverunt ab utero*, id est errare præsciti D sunt ab utero, et sicut prævisum est accidit, quia *locuti sunt falsa*, Ecce iniquitas in ore, et non solum non faciunt bona, sed nec audire volunt quia

VERS. 4. — « Furor illis secundum similitudinem « serpentis ; sicut aspidis surdæ, et obturantis aures « suas. »

Furor illis, etc. [Aug.] Vel ita ab illo loco, *alienati sunt*. Et accipitur vulva vel uterus, charitas Ecclesiæ in qua conversi concipiuntur et nascuntur,dum fidei rudimenta suscipiunt, et paulatim nutriuntur, donec in eis formata veritate ad lucem gerantur. Et nota sicut carnalis mater in sobole carnali quinque ; in vicissitudines observat et tempora, ita et in spirituali educatione, sancta Ecclesia eadem custodit. Prius enim puer concipitur, id est in utero nascitur; secundo in utero alitur ; tertio, ad lucem emittitur ; quarto, matris manibus gestatur, ut crescat; quinto, ablactatur, ut ad mensam patris accedat, ut sic validiori cibo alatur. Ita quos sancta educat Ecclesia, prius quasi in utero nascuntur, id est concipiuntur, dum rudimenta Christianæ fidei suscipiunt in catechismo et exorcismo. Prius quasi in utero aluntur, dum vel rudimentis plenius informantur. Tertio, per baptismum et aliorum sacramentorum perceptionem et intelligentiam, quasi ad lucem jam in eis formata veritate generantur. Quarto, quasi manibus Ecclesiæ portantur, et lacte nutriuntur, vel aluntur, dum simpliciori Ecclesiæ doctrina imbuuntur, donec a lacte simplicis sensus accedant ad mensam Patris, ut valido vescantur cibo, scilicet pane angelorum, id est, *in principio erat Verbum* (*Joan*. I) : quæ etiam in sacramentis celebrandis hodie observantur. Dum enim quarta feria quartæ septimanæ militiæ Christianæ agonistæ Christi vocantur, quasi in utero nascuntur. Inde usque ad Sabbatum paschale, quasi in utero aluntur. In Sabbato per baptismum quasi ad lucem congenerantur : inde quasi manibus portantur, et lacte nutriuntur, donec in die Pentecostes, virtute Paracleti de alto induantur : quo allatis variis linguis magnalia Dei loquuntur *(Act*. II). Unde Abraham convivium magnum ablactato Isaac fecit (*Gen*. XXI), quod non ante fecerat in circumcisione et in aliis, quia tunc parvulus erat. Unde inter Pascha et Pentecosten nulla difficilia indicuntur, scilicet ut jejunium et intempestæ noctis vigiliæ, quia soror nostra parva est, et ubera non habet (*Cant*. VIII), et Christus diluculo surrexit. Isti vero vel non concipiuntur in utero, vel non nascuntur ex utero. Et hoc est, alienati sunt peccatores a vulva Ecclesiæ, quæ conversos concipit, et natos jam in se, et si nondum natos ex se nutrit, donec formetur in eis veritas, et tunc perfectos pariat. Hi autem concepti, quia per impatientam, antequam formentur, quatiuntur viscera matris, contradicendo doctrinæ veritatis, abortivi excutiuntur. Ergo generet te mater ne abjiciat. Et tu esto patiens usquequo certa sit in te doctrina veritatis. Si autem impatiens concusseris latera matris, te excutit foras, sed magis tuo malo quam suo. Sequitur : [Cassiod., Gl. int., Cassiod., Aug.] *Erraverunt ab utero*, quia contraria matri secuti sunt. Et ideo quia errant a ventre in quo est veritas, *locuti sunt falsa*. De hoc vero sunt inexcusabiles, quia nolunt veritati credere. Et hoc est, *Furor est illis secundum similitudinem serpentis*, quia ira obstinatorum irrevocabilis est. Cujus serpentis ? *Sicut aspidis surdæ*. Unde surda? ecce *et obturantis aures suas*, terra et cauda. Dicitur enim alteram aurem terræ affigere, alteram cauda obstruere, ne vocem incantantis audiat : sic isti, ne audiant verat obturant aures suas audiendi terra et cauda, id est præteritis et præsentibus peccatis.

Terra sunt præsentia, quibus homo delectatur; **cauda**, præterita peccata. Et notandum quia non laudatur a Scriptura, undecunque datur similitudo ut de iniquo judice, qui rogantem viduant exaudivit, quem Dominus non commendat (*Luc.* XVIII). Ita et hic.

VERS. 5. — « Quæ non exaudiet vocem incan« tantium: et venefici incantantis sapienter. »

Quæ aspis, quia obturat aures *non exaudiet vocem incantantium* ut ad lucem reducatur, *et venefici incantantis sapienter*, quantum ad artem suam. [Aug., Alcuin., Aug., Alcuin,] Ita et isti non audiunt vocem Christi et apostolorum, qui sunt incantatores aures sapientes, ut ad lucem exeant. Vel secundum aliam litteram; *medicamenti medicati a sapiente.* Qualis sit vox incantatorum, his verbis ostenditur. Est enim medicamentum confectum. Medicamenvero conjectum est omnia præcepta legis et prophetarum. Omnia præcepta medicamentum erant ante adventum Christi, sed non medicatum, quia nemo eo curabatur; sed adventu Christi medicatum est qui implevit legem et prophetas. Ligno enim posito in Marach, dulcorata est aqua, ut possent bibere filii Israel, ante non valentes gustare præ nimia amaritudine. (*Exod.* XV). Hæc est legis amaritudo, quæ gratia Evangelii dulcorata est. Et quod in sacramentis legalibus latebat, in lucem positum est, demonstrata est nobis civitas constituta super montem, quæ abscondi non potest (*Matth.* V), id est Ecclesia et lucerna posita super candelabrum, id est doctrina veritatis est in manifesto. Ubi enim latebat Ecclesia Christi, et veritas Christi? Nonne ipse est mons, qui crevit ex minimo lapide, et implevit faciem terræ? Nonne isti est serpens in ligno suspensus, quem intuendo percussi a serpentibus sanantur. Hic est ergo sapiens a quo medicatur medicamentum.

PARS II. VERS. 6.— « Deus conteret dentes eorum « in ore ipsorum; molas leonum confringet Domi« nus. »

Deus conteret. [Cassiod., Aug.,] Secunda pars ubi dici, quæ eis sit retributio. Quasi dicat: Illi ita contemnunt, sed *Deus conteret dentes*, id est dolosa verba, *eorum*, quibus est furor, ut aspidis Et hoc *in ore ipsorum*, quia verbis suis sapiet eos. Ore enim suo contra se dicunt quos aspidi comparabant leonibus, et jam comparat subdens, *molas leonum*, id est inclamationes mortis, quas Judæi fecerunt, *confringet Dominus*, ne ad effectum veniant. Nota quod aspides erant Judæi, dum insidiose tentabant; leones, dum mortem inclamaverunt. Horum molæ fractæ sunt, quando surrexit; quod apertius exponit subdens, qui tales et si modo torrentes, tamen

VERS. 7. — « Ad nihilum devenient tanquam aqua « decurrens: intendit arcum suum donec infirmen« tur. »

Ad nihilum devenient tanquam aqua decurrens. [Cassiod.] Ecce hic etiam torrentibus comparantur, quia sonantes ad saxa superbiæ improvisi sunt,

A et præcipites. Sed cito transeunt, tot malis comparantur. Illi ita decurrunt, sed econtra *intendit* Deus per misericordiam,ad salutem eorum, *arcum suum*, id est minas quibus terret, *donec infirmentur*, id est dum convertantur, ut Saulus infirmatus est, audiens: *Quid me persequiris?* (*Act.* IX.) Qui hoc clamabat de cœlo arcum tendebat. Multi ergo infirmati sunt ipsius intensione arcus perterriti. Sed quid non infirmati patientur? ecce.

VERS. 8 — « Sicut cera quæ fluit, auferentur; « supercecidit ignis, et non viderunt solem. »

Sicut cera quæ fluit auferentur, [Aug., Alcuin., Aug.] id est ignem concupiscentiarum peribunt: ut enim ignis vestem, sic libido consumit animam. Vel ita. Deus intendit arcum suum, id est vindic-
B tam, donec intus et extra infirmentur; et accipitur in malo, et *auferantur* a conspectu Dei, missi in gehennam; vel auferantur, hic in præsenti, a terra sua, sicut cera quæ filuit, supercecidit ignis, etc. Sciendum quod inter primum peccatum, quod est superbia, et ultimam pœnam, quæ est ignis æternus, quædam media sunt, quæ et peccata sunt et pœnæ de quibus ait, supercecidit ignis scilicet superbiæ, vel concupicentiæ et iræ.Et ideo *non viderunt solem*, scilicet justitiæ, de quo in libro Sapientiæ dicunt mali: *Erravimus a via veritatis, et sol justitiæ non illuxit nobis* (*Sap.* V). Hic legitur prius secundum aliam litteram, quæ est

VERS. 9. — « Priusquam intelligerent spinæ vestræ « rhamnum, sicut viventes, sic in ira absorbet eos. »

Priusquam producat spinas vestras rhamnus,sicut
C *viventes sic in ira absorbet eos.* [Aug., Alcuin.] Ibi per rhamnum accipiuntur peccata, per spinas punctio æternæ damnationis. Rhamnus est enim herba prius mollis, sed quæ post vertitur in spinas: sic et peccata modo delectant, sed post pungunt. Et hoc quod dicit, supercecidit ignis, vitiorum. Et ille ignis *absorbet eos*, id est devorat eos *sicut viventes*, id est dum adhuc vivunt. Nec simpliciter dicit, viventes, sed addit: sicut quia non vera, sed falsa est impiorum vita. Videntur vivere, et non vivunt. Addit *sicut in ira*. Non simplieiter dicit, in ira, Deus tranquillus judicat. Vel quia modo non est ira comparatione futuræ vitæ. Absorbet dico, *Priusquam producat spinas vestras rhamnus*, convertit sermonem ad eos, id est, priusquam voluptatum tor-
D menta procedant. Dum enim adhuc vivunt, ignis vitiorum qui supercecidit in ira Dei, devorat eos et occultat rhamnum, id est rhamni spinam, id est peccati punctionem extremam, ne modo videatur. Vel secundum litteram nostram accipiuntur peccata etiam per spinam; per rhamnum, extrema damnatio. Et est *priusquam spinæ vestræ*, id est peccata, *intelligant rhamnum*, id est acutam damnationem, etiam extremo ignis vitiorum, absorbet eos, id est devorat eos sicut viventes. Sic in ira absorbet eos. Hoc non mutatur.

PARS III. VERS. 10. — « Lætabitur justus, cum « viderit vindictam, manus suas lavabit in sanguine « peccatoris. »

Lætabitur justus. [Cassiod.. Aug.] Tertia pars, ubi ostenditur correctio justorum de ultione iniquorum. Quasi dicat : Malos absorbet ignis. Hæc autem non est sine fructu bonorum. Quasi dicat, justus qui fidem habet, et si aliquid in eo lavandum est, *lætabitur justus;* et si molestiis pressus *cum viderit vindictam* hanc præsentem, non tamen gaudet, pro pœna eorum, sed quia non in illa est, sed *manus suas*, id est opera *lavabit in sanguine peccatoris*, id est in pœna et morte peccatoris, quam videt. Unde Salomon : *Stulto pereunte, sapiens astutior erit* (*Prov.* XIX).

VERS. 11. — « Et dicet homo : Si utique est fructus « justo ; utique est Deus judicans eos in terra. »

Et dicet, [Cassiod., Gl. int., Alcuin., Aug.] id est tractabit apud se *homo*, id est rationalis, quod non ex casu hoc eis contigit, sed pro vindicta peccati. Hoc enim dicet *utique Deus est judicans eos*, id est malos, *in terra*, etiam ista, ubi florere videntur. Quod probat a contrario *si*, id est quia, *utique est* etiam hic *justo fructus*, licet hic presso. Ac si diceret: Sicut justo judicio Dei fit **123** ut justus amplius justificetur, ita eodem juste permittitur ut sordidus magis sordescat (*Apoc.* XXII). Vel ita secundum aliam litteram, quam ponit Augustinus, quæ est ; *Et dicet homo.* Ergo est fructus justo. Ergo est Deus, judicans eos in terra, et infert ex duobus præmissis. Dixit enim malos hic absorberi et justum lavari. Et hoc est, dicet homo rationalis, quia justus lavat manus suas. Ergo et hoc est, fructus justo hic. Et qui ignis absorbet malos, ergo Deus judicans eos in terra, etiam ista, ubi florere videntur.

COLLATIO IN PSALMUM LVII : « SI VERE UTIQUE JUSTITIAM, » etc.

VERS. 1. — *Si vere utique justitiam loquimini.* Hic est una particula in Hebr : nempe אלם ELEM, quæ modo significat *collectionem*, modo *certe*, aliquando *mutum*. Unde Pratensis vertit, *an certe mutam justitiam loquimini ?* Sanctes, Munsterus, pro *utique* posuerunt, *o congregatio, o concilium.* Hieronymus, Nebiensis, Pellicanus, interpretes pro Cajetano dixerunt, *vere utique.* Chaldæus consentit. Et quanquam sententia aliorum sit digna, tamen, si velimus sic confundere omnia, nunquam erit finis.

VERS. 2. — *Furor illis secundum similitudinem serpentis.* Sanctes, Munsterus, Chaldæus, interpretes pro Cajetano, et Campens. pro *furore*, ponunt *venenum.* Hieronymus, Nebiensis, Pratensis, Pellicanus, translator ad Campensem, ipsum ponunt *furorem* instar LXX, quia dictio Hebr. חמת HAMATH, ambigua est.

VERS. 5.— *Quæ non exaudiet vocem incantatium, et venefici incantantis sapienter.* Versiones satis conspirant. Pratensis, *ut non audiat vocem incantantium, venefici incantantis incantationes docti;* Munsterus, *quæ renuit audire vocem incantantium, atque magi qui eruditus est magicas artes.* Cæteri consimiliter. Hieronymus, *ut non audiat vocem murmurantium, nec incantantis incantationis callidas.* Augustinus usus est alia editione, quia contextus ejus habet simul et interpretatio : *Et medicamenti medicati a sapiente.* Nam Græcus aliter legit φαρμακοῦτε φαρμακευομένη παρὰ σοφοῦ, id est *incantata a venefico sapiente, et venefici, quæ incantatur a sapiente.*

VERS. 7. — *Ad nihilum devenient tanquam aqua decurrens.* Sic Hieronymus et Nebiensis, *dissolvantur quasi aquæ quæ defluunt.* In Hebr. pro eo quod est *decurrens* sunt duæ particulæ יתהלכו למו ITHHALCU LAMO, ad verbum *ibunt sibi.* Et certe LXX, et Hieronymus recte interpretati sunt. Alli aliud volunt. Munsterus, *atque pertranseant in seipsis ;* Pratensis, *velut aqua abeant sibi ;* Sanctes, *ambulabunt sibiipsis ;* Pellicanus, *abeant sibiipsis* ; Paraphrasis Campens. melius concordat cum LXX et Hieronymo, *diffluant sicut aqua natura labiles.* Videntur enim aliæ translationes, nescio quid diversi sensus prætendere, ad verbum forsan hithpael aspicientes, quod juxta Eliam aliquando fictionem quamdam vel opinionem significat, id est qui sibi videatur recte ambulare.

Intendit arcum suum donec infirmentur. Consentit Hieronymus, *intendit arcum suum donec conterantur*, ut verbum *intendit*, respiciat Deum. Pratensis, Sanctes, Munsterus, Campens. vertunt pluralitive. et referunt ad sagittas, *dirigent sagittas suas, sint ac si essent excisæ*, vel *an si confringantur ;* Munsterus, *dum intendunt sagittas suas, exterminentur.* Et hac ratione sensum convertunt ; quod non possum satis mirari, cum manifestum sit in Hebr. voluminibus legi unice verbum *intendit* ידרך IIDOC. Si liceat ad hunc modum lucere in scripturis, erunt tandem tot sensus quot capita. Quod nolim in cujusquam injuriam dici.

VERS. 8. — *Sicut cera quæ fluit auferentur.* Hieronymus, *quasi vermis tabefactus pertranseant ;* Sanctes, *sicut limax qui liquefit pergens ;* Pratensis, *velut coclea quæ liquæfit perget ;* Munsterus, *instar limacis defluentis quisquis eorum abeat.* Et item cæteri. Hebr. שבלול תמס SCABELUL TEMES. Septuaginta verbi relinquentes corticem, attenderunt vigilenter quid per hanc similitudinem insinuaretur, nempe impiorum exterminium, quod per liquefactionem apposite significatur, et cujuslibet rei fuerit, seu vermis, sive ceræ, aut id genus, nihil detrahitur sensui. Jamque sæpius inculcatum est illud Hieronym. aut simile quidpiam. Dum interpretationis κακοζῆλιαν sequimur, omnem decorem translationis amittimus ; et hanc esse relativam boni interpret., ut idioma alterius linguæ, suæ linguæ exprimat proprietate. Hujus rei habes argumentum. I Reg. XXIV : Hebræi dicunt *tegere pedes suos*, et vertimus *ad purgendum ventrem* להסך רגליו LAHASEC RAGLAU, *ad tegendum pedes suos.* Et, Judic. III, מסיך רגליו MESIC RAGLAU, *tegens pedes suos.* Editio nostra habet *purgans alvum.* Proinde dum non sit damnum in sensu, tropi Hebraici veniunt exponendi : licet oporteat discedere a sonis verborum.

Supercecidit ignis et non viderunt solem. Hieron. *quasi abortivum mulieris.* Consimiliter et cæteri, *abortivum* vel *talpa, quæ non vident solem.* Et si eodem tendat sensus, nemque quod ubi ignis vindictæ divinæ, aut concupiscentiæ ceciderit, impius ad nihilum redigitur. Tamen potest esse varia lectio in Hebræo. Siquidem vocula Hebraica citra notulas punctorum נפל potest legi נפל NEPHEL, id est *abortivum*, vel נפל NAPHAL, id est *cecidit.* Et אש ESCH simpliciter, id est *ignis.* Vel אשת ESCHETH, hoc est *mulier* vel *talpa.*

VERS. 9.—*Priusquam intelligerent spinæ vestræ rhamnum.* Omnes concordant præter Sanctem et Munsterum, qui ita vertunt, *priusquam sentiant lebetes vestri*, vel *ollæ vestræ ignem rhamni.* Hebr. סירותיכם SIROTECHEM anceps est.

Sicut viventes, sic in ira absorbet eos. Videtur satis intolerabile, quod Sanctes et Munsterus hic verterunt : ille, *sicut caro cruda, sic ira ut turbo perdet eos ;* hic, *sicut crudem quid, sic, furor exagitat eum.* Opinior, subaudierunt בשר BASAR. Nam בשר חי BASAR HAI est *caro cruda recens.* Quod quare fecerint non liquet. Credo si quidpiam simile reperirent in Sep-

tuaginta, quasi sacrilegii insimularent. Nihil enim adigebantur ex Hebraismo quantumlibet plano id facere. Unde Hieronymus vertit, *quasi viventes, quasi in ira tempestas rapiet eos*. Et ad eumdem modum cæteri, verbis paululum immutatis, perseverante sententia. Certum et Sanctem et Munsterum, ex Ra. Da. mutuasse.

VERS. 10. — *Manus suas lavabit in sanguine pec-* A *catoris*. Hebr. פעמיו PEAMAU, id est *pedes suos*, vel *gressus*. Sed פעם PAAM, valde multiplex est. Significat autem interdum *fortificare*, ut Judic. XIII, ubi habemus, *Spiritus Domini esse cum eo*. Hæbræi dicunt, *ad roborandum eum* לפעמו LEPHAAMO. Porro fortitudo et opera in Scripturis, passim intelliguntur per manus.

PSALMUS LVIII.

PSALMI TITULUS : « IN FINEM NE CORRUMPAS, *vel* DISPERDAS DAVID IN TITULI INSCRIPTIONE, QUANDO MISIT SAUL ET CUSTODIVIT DOMUM EJUS, UT INTERFICERET EUM. »

Eripe me de inimicis meis, Deus meus. Titulus : *In fine ne corrumpas, vel disperdas David in tituli inscriptione, quando misit Saul et custodivit domum ejus, ut interficeret eum*. Legitur in libro Regum quod Saul quærens interficere David, misit satellites suos, ut custodirent domum David, ut eum mane exeuntem occiderent. Quod cum præscisset uxor sua Michol filia Saul, nocte deposuit eum per fenestram, et sic evasit (*I Reg*. XIX). [Aug., Cassiod., Aug.] Huic historiæ alludit titulus, de qua tamen non agit psalm., sed de significato ejus. David enim Christum significat ; domus ejus sepulcrum Christi ; Saul regem Judæorum ; regnum Judæorum, qui miserunt custodire sepulcrum. Sed non videtur convenire quod dicitur, scilicet ut Saul *interficeret eum*. Jam utique interfectus erat. Christus, quando miserunt. Quærebant autem eum interficere, non corporaliter, sed spiritualiter, id est nomen et famam ejus exstinguere gentibus, ne crederent in eum : quod tamen efficere non valuerunt. Vivit enim rex super Judæos et gentes. Hoc et Spiritus sanctus per Prophetam prædicit hic. Et est sensus : *Psalmus* iste tendens *in finem*, id est in Christum. Hoc agit, *ne*, tu Pilate, vel Judæe, *corrumpas* vel *disperdas David in tituli inscriptione*. Hoc idem supradixerat in aliis titulis. Frustra ergo tentat aliquis disperdere, quod toties divina prohibet auctoritas. Cum autem Pilatus dixit : *Quod scripsi, scripsi* (*Joan*. XIX), impletum est quod hic dicitur, scilicet ne corrumpas, vel disperdas David in tituli inscriptione. Non ideo corrumpas. *Quando* quia *misit Saul*, id est regnum Judæorum, *et custodivit domum ejus*, id est sepulcrum Christi, *ut interficeret eum*, id est nomen et famam ejus tolleret, ne crederetur in eum. A quibus frustratis hic liberatus ostenditur, et famam habere in omnibus gentibus. Et loquitur hic integer Christus, scilicet caput et corpus. Intentio : Monet ut nemo Christo contradicat. Modus : Tripartitus est psalmus, Primo orat liberari ascendendo ab imis ad alta. Orat etiam pro salute gentium. Secundo confirmat salutem gentium. Et orat salutem Judæorum, ibi, *convertentur*. Tertio affirmatur salus Judæorum, et utroque pariete collecto, grates aguntur, ibi, *convertentur*. Totus itaque Christus, quasi ab inimicis obsessus, clamat dicens :

VERS. 1. — « Eripe me de inimicis meis, Deus « meus ; et ab insurgentibus in me libera me. »

Eripe me de inimicis meis, Deus meus. [Aug., Cassiod.. Aug., Hier., Cassiod.] Factum est hoc in B carne Christi, fiet et in membris, dum vero qui sine macula est, hoc petit. Quod necessario exspectamus ostendit. Neque enim cessant inimici nostri, diabolus et angeli ejus, insurgere quotidie super nos, et illudere velle infirmitati et fragilitati nostræ, et deceptionibus, suggestionibus, tentationibus quibuscunque laqueis irretire, cum adhuc in terra vivimus. Et nota quod quatuor sunt genera adversariorum, quæ hic distinguuntur, scilicet inimici qui nocendi votum habent, nec tamen hoc ardenter appetunt ; insurgentes qui jam commoti et animo parati sunt ; operantes, qui jam dura mente scelus opere complent ; viri sanguinum, qui non solum contumelias ingerunt, sed etiam fundunt sanguinem : quod fecerunt Judæi qui Christum prius, post etiam apostolos occiderunt. De iis ergo ait, *eripe me de inimicis meis*, qui me C odio habent *Deus meus, et libera me ab insurgentibus in me*, qui verbis nocent.

VERS. 2. — « Eripe me de operantibus iniquita« tem ; et de viris sanguinum salva me. »

Eripe me de operantibus iniquitatem, [Gl. int., Aug.] scilicet qui colaphizant, etc. et hujusmodi ; *et salva me de viris sanguinum*, scilicet qui justum, id est Christum occiderunt, post et suos.

VERS. 3. — « Quia ecce ceperunt animam meam : « irruerunt in me fortes. »

Quia ecce ceperunt animam. [Cassiod., Gl. int., Cassiod., Aug.] Loquitur hic Christus in persona sua. Quasi dicat : Eripe, salva. Quid enim illi tibi faciunt ? utique mala, *quia ecce ceperunt animam meam*, scilicet vitam corporalem, quia *irruerunt* D cum impetu *in me* humilem *fortes* in temporalibus, scilicet abundantes, qui non ponunt Deum adjutorem suum, sed sperantes in divitiis prævaluerunt in vanitate sua. **124** Vel fortes etiam sunt superbi qui præsumunt de justitia sua, qui insultant Christo conviventi cum peccatoribus, quibus non est opus medicus ; sed eum occiderunt tanquam justi reum : sed tamen non est in eo iniquitas. Et hoc est, irruerunt in me fortes, id est de justitia superbi, quasi in reum, sed in me peccatum non invenerunt. Unde subdit :

VERS. 4. — « Neque iniquitas mea, neque pecca« tum meum, Domine : sine iniquitate cucurri et « direxi. »

Neque tamen *iniquitas mea*, [Aug., Cassiod., Hier., Aug., Alcuin.] quam in eos fecerim, causa fuit quare irruerunt. *neque peccatum meum*, quod in me sit aliquomodo. Vel, neque iniquitas mea, id est malevolentia fuit causa, neque peccatum meum, operis, *Domine*, sed *sine iniquitate cucurri* viam hujus mundi. Unde alibi : *Exsultavit ut gigas ad currendam viam* (*Psal.* XVIII). *Et direxi* distortos quantum in me est. Vel, secundum aliam litteram. *Et dirigebar ad te*. Et Ideo

VERS. 5. — « Exsurge in occursum meum, et « vide ; et tu, Domine Deus virtutum, Deus Israel. »

Exsurge, [Aug., Alcuin., Aug.] qui dormire videris, id est adjuva me. Exsurge dico, *in occursum meum*, quasi curro ad te mœrendo, et tu occurre mihi, et redde pro merito. *Et vide*, id est fac videri quomodo ad te curro, et alios dirigo, ne pravum putent quod rectum est, et sequantur. Vel ita, exsurge in occursum meum et vide, id est innotesce, et fac videri quod exsurgis in occursum meum, id est quod tibi æqualis sim. Occurrere enim non nisi de æqualibus dicitur, Christus enim non desiit esse æqualis Patri, licet pro nobis factus sit infirmus, qui seipsum exinanivit formam servi accipiendo (*Philip.* II). Ude in Evangelio se gallinæ comparat, dicens : *Jerusalem, Jerusalem, quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti* (*Matth.* XXIII). Nulla enim avis adeo videtur infirmata propter pullos, quemadmodum gallina, cujus vox raucescit, fit hispidum totum corpus, deponuntur alæ, laxantur plumæ. Et ea est materna pietas, vel charitas, quæ invenitur infirmitas. Sic et Christus propter nos infirmatus est, ut nostram tolleret infirmitatem ; sed in ea tamen infirmitate occurrit æqualis Patri. Ita enim assumpsit quod non erat, ut non amitteret quod erat. Ita ergo se exinanivit, quod dignitatem quam habebat cum Patre, nobis non demonstravit. In ipsa ergo infirmitate agnoscendus est Patri æqualis, non visione corporali, sed fide, ut quod videre nondum potuimus, saltem credamus ; et dum hoc credimus in nobis, ad Patrem ascendit. Unde Mariæ Magdalenæ, cui primo post resurrectionem apparuit ait : *Noli me tangere* : *nondum enim ascendi ad Patrem* (*Joan.* XX). Quid est hoc, noli me tangere ? Nonne postea mulieres redeuntes a monumento adoraverunt eum, et pedes ejus tenuerunt ? (*Matth.* XXVIII.) Sed hic agit de tactu mentis, non corporis, id est non solum credas quod vides, ne hæreat nimis humanitati meæ aspectus tuus quasi tactus tuus. Hoc ideo dico, quod nondum ascendi ad Patrem meum, utique in corde tuo, quia nondum, postquam vidisti me mori, credis me Patri æqualem Attende quibus gradibus ascendit. Cœpit enim ab infirmitate, et paulatim ascendens ad gloriam resurrectionis, et ad Patris æqualitatem pervenit. Deinde sequitur oratio pro gentibus convertendis, cum ait, *et tu, Domine, Deus virtutum* cœlestium, *Deus Israel*, scilicet qui videris Deus unius gentis, quæ te colit,

VERS. 6. — « Intende ad visitandas omnes gentes, « non miserearis omnibus qui operantur iniqui« tatem. »

Intende ad visitandas omnes gentes, [Aug., Gl. int., Cassiod.] quia infirmæ sunt omnes ut omnes congregentur ad nuptias. (*Matth.* XXII) Dico, intende, et tamen *non miserearis omnibus qui operantur iniquitatem*, ita ut relinquas peccata impunita, sed persequere, puni, converte. Et ita facit, quia nulla peccata relinquit impunita, quia vel homo pœnitens, vel Deus judex punit. Vel ita, est quædam iniquitas, quam qui facit, ejus non miseretur Deus ad salutem. Hæc est defensio peccatorum, quando defendit homo quod Deus odit. Unde : *Est peccatum ad mortem, non pro eo dico ut quis oret* (*I Joan.* V). Et est, non miserearis omnibus qui operantur iniquitatem, id est, illud peccatum quod est ad mortem,pro quo non est orandum. Vel ita, visita omnes gentes : et tamen, non miserearis omnibus Judæis et si quibusdam.

PARS. II. Διάψαλμα. VERS. 7. — « Convertentur ad « vesperam, et famem patientur ut canes ; et cir« cuibunt civitatem. »

Convertentur. [Cassiod., Gl. int., Cassiod.] Secunda pars, ubi orata salus affirmatur gentium, et oratur salus Judæorum. Dico, intende, et vere intendes, quia *convertentur* gentes ab idolis, *ad vesperam*, id est in ultima ætate sæculi. *Et famem* convertendi alios, *patientur*, qui dolebunt, si non poterunt convertere, *ut canes*, scilicet latrando contra hostes, *et circuibunt civitatem*, id est munient Ecclesiam contra hæreticas impugnationes. Et

VERS. 8. — « Ecce loquentur in ore suo, et gla« dius in labiis eorum, quoniam quis audivit ? »

Ecce, [Cassiod., Gl. int., Aug., Gl. int., Aug.] scilicet in manifesto, *loquentur in ore suo*, ad informationem fidelium et hæreticorum impressionem, *et gladius* Spiritus sancti, quod est verbum Dei. Vel *mors*. alia littera, quod idem est ; illo quippe gladio occidunt malos, ut vivant, boni percutiunt, ut sanent, erit *in labiis eorum*, et vere *quoniam qui audivit* talia, alia littera, qualia scilicet prædicabunt ? nullus. Ita omnes mirabuntur. Vel ita secundum litteram nostram. Ideo frequens prædicatio est in labiis, quoniam quis audivit eos ? quasi pauci audient eos.

VERS. 9. — « Et tu, Domine, deridebis eos ; et ad « nihilum deduces omnes gentes. »

Et [Cassiod., Aug.] eos qui non audient, *tu, Domine, deridebis* in futuro. Et *omnes gentes*, quæ te non venerantur, *ad nihilum deduces* tunc. Vel ita ab illo loco, *convertentur*. Hic agit de Judæis, sic dixi, non miserearis, omnibus Judæis, quibusdam vero misereberis tu, quia *convertentur ad vesperam*, id est serius post ascensionem, et missum Spiritum, quod antequam crucifigerent debuerunt facere ; *et famem* convertendi alios, *patientur ut canes*. Gentes ante dicebantur canes pro immunditia, sed et Judæi se canes, id est peccatores, cognoscunt, ut mulier Chananæa, quæ se humiliter recognoscens, ait : *Nam et catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa*

dominorum suorum (*Matth.* XV). Esuriebat panem cœlestem. Ita et isti quia se canes agnoscunt, esuriunt et bene agunt. Male vero, qui saturati putativa sua justitia dicunt cum pharisæo : *Jejuno bis in Sabbato* (*Luc.* XVIII). *Circuibunt*, evangelizando, *civitatem*, scilicet circumstantiæ, id est mundum qui circumstat undique ; Judæam, ubi hæc dicebantur. *Ecce loquentur in ore suo*, id est stomachabuntur, et irascentur adversus pigros ad fidem, dicentes : Non mirum si stomachamur et irascimur, *quoniam quis* de Judæis, *audivit* nos, id est, quis de Judæis credidit auditui nostro ? quasi dicat : Judæi non credunt nisi pauci. Et licet Judæi non credant, tamen per credentes Judæos annuntiatur gentibus. Unde ait : *Et gladius*, vel *mors*, est *in labiis eorum*. Hic est gladius bis acutus, utroque incidens testamento, quo mactat Petrus reptilia sibi in disco ostensa, quando dictum est ei, *Surge, Petre, macta et manduca* (*Act.* X). *Et tu, Domine*, quasi ipsi loquuntur contra pigros. Et tu, Domine, *deridebis* eos, id est pro nihilo habebis eos, dicentes, quis audivit, quare deridebis ? quia *ad nihilum deduces*, pro nihilo habebis, convertere, *omnes gentes*, id est facile convertes, quia facile erit tibi facere ut credant in te omnes gentes. Ac si dicat : Omnes gentes Christianæ futuræ sunt. Et dicitis, quis audivit, hoc prius in persona Ecclesiæ : sic illi sunt fortes de se præsumentes. Ego autem

VERS. 10. — « Fortitudinem meam ad te custodiam, quia Deus susceptor meus es ; Deus meus, misericordia ejus præveniet me. »

Fortitudinem meam ad te custodiam, [Aug., Gl. int., Aug.] id est non a te recedam de me præsumens. Illi enim fortes ideo ceciderunt, quia ad te non custodierunt fortitudinem suam, et merito ad te custodiam, *quia, Deus susceptor meus es*, quia de imo meo in altum suum me suscepit ; *Deus meus*. Deinde mutans personam subdit, Deus meus, est spiritualiter, quia *misericordia ejus præveniet me* ; nihil attuli cur misereretur, nullus enim meretur dona Dei. Et quod misericordia est quæ prævenit me,

VERS. 11. — « Deus ostendet mihi super inimicos meos, ne occidas eos ; nequando obliviscantur populi mei. »

Deus ostendet mihi super inimicos meos, vel *inimicis meis*, [Aug., Alcuin., Gl. int.] id est, per inimicos meos, id est quantam circa me habuit misericordiam demonstravit mihi in illis circa quos non habuit, quia de eadem massa aliud in honorem, aliud in contumeliam fecit. Unde Apostolus : *Sustinuit vasa iræ apta in interitum in multa patientia, ut notas faceret divitias suas in vasa misericordiæ* (*Rom.* IX). Rogat autem statim Ecclesia pro ipsis inimicis dicens : O Deus, *ne occidas eos*, etsi peccata eorum, scilicet ne obliviscantur legis tuæ. Alia littera, hoc esset eos occidi, scilicet oblivisci legis Domini, ipsa est vera mors in profundum iræ peccati. Vel ita in persona Christi ab illo loco, *fortitudinem*. Et agit de Judæis. Quasi dicat : Irruerunt in me fortes, scilicet Judæi, quos et si possem perdere, tamen, *fortitudinem meam custodiam ad te*, id est secundum dispositionem tuam. Et si enim possem disperdere Judæos, tamen permitto vivere, servans fortitudinem meam ad te, id est ad tuam dispositionem. Quod debeo, quia *Deus ostendit mihi*, consideranti, *super inimicos meos*. Quid de his agendum sit cujus consilio acquiescere debeo, *quia* Deus est, *susceptor meus*, et *Deus meus*, et *misericordia ejus prævenie me*, quia Christum prævenit præ consortibus suis (*Psal.* XLIV), cui sine mensura dedit spiritum (*Joan.* III). Et iste Deus, repete, ostendit mihi super inimicos meos, id est Judæos, quid de eis sit agendum. [Cassiod., Aug., Cassiod., Alcuin.] Quid tibi agendum de eis ostendit, cum pro eis orarem, ut non occidantur, et cum hæc deberet dicere, non verbo, sed actu ostendit. Orat pro eis ad Patrem : O Deus Pater, *ne occidas eos*, hoc specialiter de Judæis potest accipi. Hoc est quod Pater ei ostendit, ne occidas eos. Precatur, ne Judæi funditus pereant. Dispersi quidem sunt, ut ad conversionem provocentur. Vel ut Ecclesia ab inimicis testimonia veteris legis habeat. Ideo pro eis orat, dicens : Ne occidas eos, qui me occiderunt, sed maneat gens Judæorum cum signo circumcisionis Sabbati paschæ, ut Cain signum habuit, ut eum nemo occideret (*Gen.* IV). Ita et gens illa habens signum suum non est occisa, quia necessaria est credentibus, et in ipsis præcisis ostenditur, etiam quæ sit misericordia insertis. Ideo ne occidas, *nequando populi*, et si non modo *obliviscantur mei*, si non testes legis, mortis Christi sint. Nec occidas, sed

VERS. 12. — « Disperge illos in virtute tua ; et depone eos, protector meus Domine. »

Disperge per omnes gentes *illos*, [Aug , Cassiod., Aug., Alcuin., Aug.] scilicet Judæos, qui portant codices nobis. Et hoc *in virtute tua*, quia tu fortis es, non ipsi, *et depone*, vel *deduc*, alia littera, *eos*, id est eos non deseras, sed deduc, conservando, in quo es *protector meus*, *Domine*, id est in quo me proteges, ut scilicet de eis habeam testimonium. Vel secundum litteram nostram, et depone eos, ut sint opprobrium omnibus. Vel, depone eos, in eo quod mali sunt, ut boni surgant, ut in Paulo actum **125** est, quia non surgeret Paulus, nisi prius caderet Saulus (*Act.* IX). Tu, inquam, depone qui es protector meus, Domine. Obscura est littera. Hæc obscura enim sunt quæ hic dicuntur, et timeo ne bene insinuentur. Quasi dicat : Non eos occidas, sed

VERS. 13. — « Delictum oris eorum sermonem labiorum ipsorum ; et comprehendantur in superbia sua. »

Delictum oris eorum occide, [Aug., Gl. int., Aug] id est dimitte, et ipsum *labiorum ipsorum sermonem* occide, id est, inexpletum effice, ut resuscitatum paveant, quem perdere voluerunt, et quem in terra contempserunt, in cœlo ab omnibus gentibus adorari mirentur. Vel ita depone eos, et etiam delictum oris eorum, scilicet delictum cogitationis depone, et sermonem labiorum ipsorum, id est deli-

ctum verbi, *et* sic *comprehendantur* conversi *in superba sua*. Comprehenditur aliquis in superbia sua, cum immanitatem peccati sui attendens, videt se superbe egisse, quia et frustra hoc quidam Judæorum conversi noverunt, scilicet quia factum eorum in irritum venit, et peccatum remansit super eos. Et sic comprehensi sunt in superbia sua. Et hoc est, et comprehendantur in superbia sua, in qua visi sunt prævalere, id est sciant se superbe egisse et inaniter, quia frustra irruerunt fortes : non enim vitam, sed mortem occiderunt. Mors quippe in moriente exstincta est, et vita in resurgente die tertio resurrexit. Et ita invenerunt se nihil damnasse, et nihil fecisse, et de magnitudine peccati plus humilitati sunt, et ea humilitate plus consummantur, id est perficiuntur. Nihil enim sic impedit perfectionem ut superbia. Superbiæ autem comes est invidia, nec fieri potest ut superbus non invideat. Unde et diabolus qui superbia corruit, homini invidit. Facimus ergo, id est magnitudo considerata facinoris, attulit superbiam, ut Paulo angelus Satanæ (*II Cor.* XII). Facinus vero delevit venia.

VERS. 14. — « Et de exsecratione et mendacio « annuntiabuntur in consummatione; in ira con- « summationis et non erunt. »

Et de exsecratione. [Gl. int., Hier., Cassiod., Gl. int., Aug.] Quasi dicat. Comprehensi sunt in superbia; et sic de exsecratione, in qua sunt Judæi inter gentes. Vel quod Christum exsecrabatur. *Et de mendacio*, quo perveterunt Scripturas, *annuntiabuntur* ab apostolis et aliis in exemplum esse. *In consummatione*, vel annuntiabuntur consummationes, alia littera, id est prædicabitur ab apostolis, ubi abundavit delictum exsecrationis et mendacii, super abundavit et gratia perfectionis (*Rom.* v), et pertinuit ad medicinam humilitatis et infirmitatis hominis. Vel ita secundum aliam litteram, *et de maledicto*, scilicet quod putatis maledictum pendentem in ligno (*Deut.* XXI); *et de mendacio*, quod scilicet dedistis pecuniam custodibus ut mentirentur (*Matth.* XXVIII), *annuntiabuntur in consummatione*, id est ideo magis perficiuntur, quia in his deprehensi sunt. Et hoc totum factum est *in ira consummationis*, id est in vindictam Dei qua consummat. Est enim ira, id est vindicat Dei consummationis, qua aliquando vindicat Deus ut perficiat ; et est consumptionis, ut cum dicet : *Ite, maledicti, in ignem æternum* (*Matth.* XXV). Dico comprehenduntur in superbia sua, et ita *non erunt* homines in superbia sua in qua comprehensi sunt.

VERS. 15. — « Et scient quia Deus dominabitur « Jacob, et finium terræ. »

Et tunc *scient quia Deus dominabitur Jacob*, [Aug.] id est Judæorum, et finium terræ, id est gentium, quas ut canes contempserunt. Antea enim sibi justi videbantur Judæi, sed ostenditur eis quod non sine Christo, qui dominatur Jacob, et deposita superbia sciunt se pares gentibus, quia omnes peccaverunt.

PARS. III. Διαψαλμα. VERS. 16. — « Convertentur A « ad vesperam et famem patientur ut canes ; et cir- « cuibunt civitatem. »

Convertentur. [Cassiod., Aug., Cassiod., Aug.] Tertia pars, ubi affirmatur salus Judæorum, et utroque pariete collecto grates aguntur. Quasi dicat : Comprehendantur in superbia sua. Et sic *convertentur* plenarie *ad vesperam*, id est in fine mundi. Vel convertentur, et si ad vesperam, id est post interfectionem Christi, quod antea debuissent ; *et famem patientur ut canes*, id est ut peccatores, non ut oves, cognoscentes se infirmos, ut sani fiant, nemo enim insanabilior est eo qui sanus sibi videtur : qui vero infirmos se agnoscunt, sanantur. Unde, *multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt* (*Psal.* XV.) *Et circuibunt civitatem*, B sicut supra. Et

VERS. 17. — « Ipsi dispergentur ad manducan- « dum ; si vero non fuerint saturati, et murmura- bunt. »

Ipsi, [Cassiod., Aug., Gl. int., Alcuin., Aug.] jam digni, *dispergentur* utique *ad manducandum* ut alios lucrentur. *Si vero non fuerint saturati* fidem populorum *et murmurabunt* tunc, ut olim in deserto murmuraverunt. Vel, et murmurabunt, id est dolebunt, et non tantum dispergentur. Vel, et murmurabunt, contra pigros, id est increpabunt alios nolentes credere. Ideo vero dicit, et murmurabunt, quia et supra murmur eorum dixit dicentium : Quoniam quis audivit ?

VERS. 18. — « Ego autem cantabo fortitudinem C « tuam ; et exaltabo mane misericordiam tuam. »

Ego autem [Aug., Gl. int., Cassiod., Hier.] Concluditur hic psalmus, ubi utroque pariete in angulari lapide conjuncto, jam tota Ecclesia gaudet. Quasi dicat : Longe erat prius uterque paries, sed *ego*, jam tota Ecclesia, *cantabo fortitudinem tuam*, qua gentes erigis, et Judæos humilias. *Et mane*, scilicet transactis tentationibus, cum nox sæculi transierit, quando jam latronum insidias, scilicet diaboli et angelorum ejus non expavescemus, quando ipsum Dei Verbum tanquam solem contemplabimur. Hoc, inquam, mane *exaltabo* ut Christus mane surrexit. Unde : *Ad vesperam demorabitur fletus, et ad matutinum lætitia* (*Psal.* XXIX.) Apostoli enim ad vesperam fleverunt mortuum, mane ad resurgentem exultaverunt. Et exultabo, dico, suscipiens *miseri-* D *cordiam tuam*, quæ erit in remunerationem. Vel, exsultabo mane Dominicæ dici, suscipiens misericordiam tuam, id est Christi resurrectionem. Exsultabo.

VERS. 19. — « Quia factus es susceptor meus et « refugium meum, in die tribulationis meæ. »

Quia factus es susceptor meus, Gl. int., Cassiod.] dum Ecclesia sublevatur de imo in altum ; *et refugium meum in die tribulationis meæ*, quando scilicet gratum est. Et, o Deus, qui es

VERS. 20. — « Adjutor meus, tibi psallam, quia « Deus susceptor meus es ; Deus meus, misericordia « mea. »

Adjutor meus, [Gl. int., Aug.] id est cooperator, *tibi psallam*, id est operabor, non tantum cantabo.

quia tu Deus, susceptor meus es. Magnum est quod A Deus susceptor es, et tu idem *Deus meus, misericordia mea*, per omnia, quia totum gratis das, cum multa dixit, non tamen omnia sed in hoc uno omnia comprehendit, quia totum est ex dono Dei. Ideo iste impletus bonis ejus, non invenit quid vocaret eum, nisi misericordiam suam.

COLLATIO IN PSALMUM LVIII : « ERIPE ME DE INIMICIS MEIS, » etc.

VERS. 4. — *Sine iniquitate cucurri et direxi.* Hebr. בלי עון ירוצון ויכוננו BELI AVON IERUTZUN VIICONANU, id est *sine iniquitate cucurrerunt aut current, et dirigentur sive præparabuntur.* Quod si referas ad David aut Christum, subaudiendum erit, *opera mea cucurrerunt sine iniquitate.* Ob idque LXX, quo apertior esset sensus, verterunt singulariter sub prima persona. Durum enim esset referre ad satellites qui circumdederunt David, aut perfidos Judæos adversus Christum sævientes. Quomodo enim sine iniquitate? Propterea Hieronymus signavit distinctionem hic, *non inique egi*, per verbum, deinde addidit; *et illi currunt et præparantur* subscribit Nebiensis; at Munsterus propter absurditatem sensus, coatus est adjicere pronomen *mea*, aut subaudire, *absque iniquitate mea, concurrunt et disponunt se.* Id quod et fecit Chaldæus, ut iniquitatis destitutio respiciat David aut justum; cujus innocentia, licet perfecta, nihil effecit quominus maligni hostiliter persequerentur, nulla æquitatis habita ratione.

VERS. 7. — *Famem patientur ut canes.* Hebr. יהמו ככלב ICHEMU CACALEB, *tumultuabuntur* vel *vociferabuntur*, aut *latrabunt*, secundum Hieronymum; sed emphasim ipsam accommodatis verbis expresserunt interpretes LXX, *canis famescens quo non discurrit, quando non latrat?* Quod et manifestius demonstratur versu 17 hujus psalmi. Post similem enim versiculum in subjectis dicitur : *Si non fuerint saturati murmurabunt.*

VERS. 10. — *Fortitudinem meam ad custodiam.* Ita Hieronymus. Hebr. nunc legunt עזו UZO, id est *fortitudinem ejus*, quod est durius, loco עזי UZI, id est fortitudinem meam. Et indicavimus aliquoties fluxam esse migrationem, vau in iod, et contra accommodatius tamen quadrare *fortitudinem meam*, quam *fortitudinem ejus*, puto liquere. Unde translator ad Campensem, *robur meum tibi acceptum fero;* et Chaldæus paraphrastes, *fortitudo mea te observabo.* Nebiensis vertit, *fortitudo eorum te observabo.* Ac interpretatur sermonem esse defectivum et admirativum. Quasi dicat : Propter immensam eorum fortitudinem te observabo.

Deus meus, misericordia ejus præveniet me. Ex hoc loco præter infinitos colligitur codices variasse etiam in Hebræo. Nam Sunia et Fretella primo legerant, *Deus meus, voluntas ejus præveniet me.* Quibus respondens Hieron. ait, pro quo in Græco scriptum est ἔλεος αὐτοῦ προφθάσει με, id est, *misericordia ejus præveniet me.* Quod et verius est. Sed in Hebr. scriptum est : *Dei mei misericordia præveniet me.* Et tamen aliter nunc videmus in Hebræis exemplaribus. Quædam enim sic habent אלהי חסדי ELOHE HASDI, alia אלהי הסדד ELOHE HASDO. Eoque Munsterus et Sanctes dixerunt, *Deus misericordiæ*, seu *pietatis meæ.* Chaldæus, *Deus bonitas mea;* Nebiensis, *Deus misericordia mea;* cæteri, *Deus misericordia sua præveniet me;* et interpretes pro Cajetano, extra locutionem consuetam, *Deus gratiæ suæ præveniet me*, translator ad Campensem, *Deus bonitas, tua convertit me.* Et tamen hic est versiculis quem cavillantur Faber et Cæcus. Ad sententiam denique parvi refert.

VERS. 11. — *Nequando obliviscantur populi mei.* De hoc versiculo dicamus quod scribit Hiero. ad Suniam et Fretellam, *Nequando obliviscantur populum tuum.* Pro quo in Græco scriptum est μή ποτε ἐπιλάθωνται τοῦ νόμου σου, id est, *ne obliviscantur legis tuæ.* Sed in LXX et in Hebr. non habetur *populi tui*, sed *populi mei*, et a nobis ita versum est. Hæc ille. Ubi videtur accipere populi mei, sub gignendi casu, quanquam alii accipiant sub recto. Unde ad tollendam ambiguitatem, verterunt; *nequando obliviscatur populus meus.* In Hebr. tamen verbum *oblivisci* ponitur plurative ישכחו HSCHKEHU, in explanatione magistri, quasi contexitur *mei*, ut sit pronomen primitivum, et respiciat Deum. Jamque sciendum Græca volumina, August. et psalmodiam Romanam habere *legis tuæ.* Unde argumento est germanam LXX lectionem, non hic esse perpetuo.

VERS. 13. — *Delictum oris eorum, sermonem la-* B *biorum* **126** *ipsorum.* Ne sententia maneat in suspenso, aliquid subaudiendum est pro commoditate intelligentis. Sanctes et Munsterus supplent præpositionem, *propter peccatum oris eorum*, etc., sed Hieronymus præpositionem *in*, *in peccato oris sui.* Interpretes nostri hos casus revocant ad verbum quod præcesserat, nempe, *depone*, etc. In Græco tamen leguntur in nominativo casu. Quæ universa non ita magno negotio conspirant.

VERS. 14. — Hic versus patitur aliam distinctionem in nostra editione, ab ea quæ est in Hebr. Siquidem in particula *annuntiabuntur*, Hebræi faciunt finem versus. Et si legant *annuntiabunt*, seu *narrabunt* active יספרו IESAPERU, LXX legerunt, ut apparet, passive יספרו IESUPERU. In hujusmodi facilis est collapsus, præsertim si non ascribuntur puncta, dein כלה CALLEH, usurparunt infinitivum vice nominis, quod non est insuetum Hebræis : alii C verbaliter in imperativo, *consume.* Quod effectum est ut LXX copularint verbo *annuntiabuntur*, id quod est *in consummatione.*

VERS. 15. — *Et scient quia Deus dominabitur Jacob, et finium terræ.* Hieronymus ad Suniam et Fretellam, me suspendit admiratione de ordine hujus versiculi, pro quo ait : In Græco scriptum est, καὶ γνώσονται ὅτι ὁ θεὸς δεσπόσει τοῦ Ιακώβ, καὶ τῶν περάτων τῆς γῆς, id est, *et noscent quoniam Deus dominabitur Jacob et finium terræ.* Sed *et*, conjunctio addita est, et ordo est : Scient quia Deus Jacob dominabitur finium terræ. Verum in Hebræo sic legitur, וידעו כי אלהים משל ביעקב לאפסי הארץ VEIJEDEU KI ELOHIN MOSCHEL BIIAACOB LEAPHSE HAARETZ. Ubi internomen Dei ponitur participium Hebraicum, *dominans.* Et rursus in vocabulo, Jacob, additur signum præpositionis, ut ne dicam quod si Jacob esset genitivus sub statu constructionis, non diceretur D elohim, sed elohe. Et ipse Hieronymus, juxta Hebræum, ita transtulerit, *et scient quoniam Deus dominabitur Jacob et finium terræ.* Consimiliter cæteri omnes vel *usque ad fines terræ.* Proinde suboleo sic Hieronymum probasse unam lectionem, ut non improbaret alteram, maxime in Græco.

VERS. 18. — *Murmurabunt.* Pratensis et Nebiensis, dormient; Munsterus et interpretes pro Cajetano, *pernoctabunt.* LON לין vel LAN לן est anceps. Eoque Hieronymus, Sanctes, Pellicanus accedunt LXX. Nec perinde accommodum est sententiæ, quod si non sint saturati debeant dormire : imo vero potius contrarium quadraret, etiamsi sensum possent commentari suum.

PSALMUS LIX.

PSALMI TITULUS : « IN FINEM PRO HIS QUI COMMUTABUNTUR IN TITULI INSCRIPTIONE IPSI DAVID IN DOCTRINAM, CUM SUCCENDIT MESOPOTANIAM SYRIÆ *vel* SYRIAM SOBAL, ET CUM CONVERTIT JOAB, ET PERCUSSIT EDOM IN VALLE SALINARUM DUODECIM MILLIA. »

Deus repulisti. Titulus : *In finem pro his qui commutabuntur in tituli inscriptione ipsi David in doctrinam*, *cum succendit Mesopotamiam Syriæ* vel *Syriam Sobal, et cum convertit Jacob, et percussit Edom in valle Salinarum duodecim millia.* In verbis dierum legitur, id est in Paralipomenon, et in libro Regum, quod Naas rege Ammonitarum mortuo, misit David nuntios ad consolandum filium ejus Amon, cui sugesserunt principes sui, vel ejus, quod causa explorandi David misisset eos. Ideo decalvavit Amon pueros David, rasitque comam capitis, et præcidit tunicas eorum a natibus usque ad pedes, et sic dimisit eos. Deinde videns Amon, et populus ejus quod injuriam fecisset David, conduxit undecunque exercitum, currus et equites de Mesopotamia et Syria, et aliis locis. Quod cum audisset David, misit Joab principem militiæ contra eos in prælium, et fugavit eos in ore gladii (*I Par.* XIX ; *II Reg.* X). Legitur in libro Regum, quod cum David post mortem Saulis prospere regnaret, percussit Adezer regem Sobal, quæ est pars Syriæ, et facta est Syria tributaria David. Capta vero Syria, percussit de Edom duodecim millia. Cumque reverteretur posuit in Idumæa custodes, et facta est Idumæa serviens ei sub tributo (*II Reg.* VIII.) [Aug.] Has historias tangit titulus iste, sed quia in historia non legitur quod David convertit Joab, vel quod in prædictis vastationibus aliquid succenderit, superficie historiæ relicta, sicut in plerisque aliis fit, ad spiritualem dirigimur intelligentiam, quæ ex interpretationibus nominum sumitur. Interpretatur enim Mesopotamia *elevata vocatio,* Syria *sublimis*, Sobal *vana vetustas,* Joab *inimicus,* Edom *terrenus.* His omnibus figurantur elati magnitudine terrenæ vanitatis, quos omnes Christus igne charitatis, quem in terra dignatus est mittere, accendit in convertit Joab inimicum vel diabolum in fugam, vel hominem ad fidem. Et percussit Edom, id est terrenos. ut vivant cœlestes. Et est sensus : Psalmus iste, dirigens nos *in finem*, id est in Christum, agit *pro his*, id est de his *qui commutabuntur*, de veteri vita in novam, *in inscriptione tituli,* suscepta per fidem, id est qui commutabuntur in regnum Christi. Inscriptione dico facta *ipsi David,* id est Christo. Vel sic, *qui commutabuntur ita in regnum, de veteri vita in novam.* In inscriptione tituli, per fidem,

A id est qui commutabuntur in regnum Christi, inscriptione dico, facta *ipsi David*, id est Christo. Vel sic, *qui commutabuntur inscriptione tituli.* Hic distingue, id est in regnum Christi mutabuntur. Dico non sibi, sed *ipsi David*, id est Christo, ut ei vivant, mutabuntur eundo *in doctrinam* ejus. Oportet enim in doctrinam ejus transire eum qui vult ejus titulum habere. Sed quomodo mutaret, nisi ignem mitteret in terram ? (*Luc.* XII) nullo modo. Ideo subdit, *cum succendit Mesopotamiam*, et cum hos omnes ad litteram debellavit David. Quod vero dicit has provincias succendisse, hoc non historialiter accipi potest, sed pro significatione dicitur, pro qua solet ab historia recedere. Quasi dicat : *Com-*
B *mutabuntur*. Pro hoc enim, id est quia *succendit* igne Dei Mesopotamiam *Syriæ* vel *Syriam*. In Mesopotamiam est elevata vocatio, scilicet totus mundus, vocatione sancta apostolorum elevatus, quem Christus igne charitatis succendit. Syria *sublimis* interpretatur, sed quæ prius erat sublimis altitudine vana, incensa humiliatur, ut melius exaltetur. Et Syriam *Sobal*. Sobal, *vana vetustas*, quæ intenditur ut movetur. Et est sensus : Succendit eos prius sublimes, ut humilientur ; et vanos et veteres, ut fiant novi. *Et convertit Joab*, id est inimicum qui est diabolus, vel homo ; si diabolus, in fugam ; si homo, ad fidem convertitur. *Et percussit* gladio spiritus, et verbo Dei, *Edom* id est terrenam vitam. Percutitur enim terrenus, occiditur ut
C vivat cœlestis. Et cum percussit Edom, percussit *duodecim millia in valle Salinarum* (94). Duodecim millia perfectus est numerus, cui deputatur numerus apostolorum, qui de quatuor mundi partibus fideles ad Trinitatem vocant. Ergo duodecim millia est totus mundus percussus. Vallis est humilitas. Salinæ saporem sapientiæ significant. Hæc duo ideo bene junguntur, quia multi vane et vetuste humiliantur pro terrenis passi. Passi sunt et hæretici, scilicet bonum est humiliari sapienter, id est pro Domino. Et est sensus : Percussit duodecim millia, id est omnes de quatuor partibus mundi, ad fidem sanctæ Trinitatis per apostolicam doctrinam vocatos. Et hoc, in valle Salinarum, id est in humilitate sapienti et discreta.

D Intentio : Docet beatam esse contritionem sæculi, per quam probat commutandos ad æterna. Modus : [Cassiod., Aug.] Tripartitus est psalmus. Primo, referuntur persecutiones factæ, pro pœnis æternis vitandis. Secundo agit de liberatione, quam precatur et affirmat, ibi, *ut liberentur*. Propheta ergo, in voce percussorum in melius mutatorum ait : O

(94) II Reg. VIII, ponuntur XVIII millia. Sic et I Paralip. XVIII. Recurrendum igitur ad mysticum sensum, ut facit Aug.

VERS. 1. — « Deus, repulisti nos, et destruxisti « nos ; iratus es, et misertus es nobis. »

Deus (95) *repulisti* a malis, *nos* qui mali eramus, *et destruxisti nos*, male ædificatos, ut erigeres in bonum ædificium. Hæc est civitas trinomia, quæ prius dicta est Jerus, postea Salem, inde Jerusalem. Jerus *conculcata* ; Salem, *pax* : Jerusalem *visio pacis* interpretatur (96). Prius in nobis conculcantur vitia, inde in pace justitia ædificium bonorum operum construit; deinde ad visionem pacis ineffabilis rapiemur. [Alcuin., Aug., Alcuin.] Hæc tria notantur hic, per hoc quod dicit, destruxisti nos, *misertus es nobis* ; unde Dominus : *Ecce hodie et cras dæmonia ejicio, et sanitates perficio, et die tertio consummor* (*Luc.* XIII). Hæc sunt Pascha, Pentecostes, et Scenopegia. Et hi sunt tres dies Dominicæ passionis, id est pœnitentia, justitia, gloria; *iratus es, et es misertus nobis.* Non enim misereris, nisi irasceris. Ira est vetustas, ut pereat; misericordia innovat hominem interiorem, et si exterior, corrumpitur (*I Cor.* IV). Vel ita, Deus repulisti nos, in Adam, a te; et destruxisti nos ab immortalitate, quia iratus es nobis pro peccatis; et tamen misertus es nobis per Filium, sic. Quia

VERS. 2. — « Commovisti terram et conturbasti eam; sana contritiones ejus, quia commota « est. »

Commovisti terram, [Aug., Gl. int., Aug.] ab errore ad pœnitentiam, vibrato gladio spiritus, cum dixisti : *Pœnitemini, et credite Evangelio; appropinquabit enim regnum cœlorum* (*Marc.* I). *Et conturbasti eam* ad pœnitentiam, conscientia peccatorum accusante. Sicut ergo cœpisti, perfice, scilicet *sana contritiones ejus,* scilicet passionem et mortem, *quia commota est.* Aliter non est digna sanari, nisi commota sit. Sana, et necesse est, quia

VERS. 3. — « Ostendisti populo tuo dura ; potasti « nos vino compunctionis. »

Ostendisti dura, [Alcuin., Aug., Alcuin., Aug.] id est temporis miserias, quæ nobis per charitatem sunt delectabiles, et si per infirmitatem carnis graves, *populo* jam *tuo*, postquam vicistis ; et si enim non mutatur, non mox est æternus. Mutato namque homine in melius, sequitur quidquid in libro Jesu filii Syrach dicitur : *Fili, accedens ad servitutem Dei sta in justitia, et timore, et præpara animam tuam ad tentationem* (*Eccli.* II). Prior labor est peccata vincere, ut muteris ; secundus est pro eo quod mutatus es ferre adversa usque in finem. *Et potasti nos vino*, non illo in quo est luxuria ; sed *compunctionis*, id est tribulationis, qua purgatur patiens, ut vulnus scilicet purgatur vino. Vino scilicet spirituali potasti nos, unde non vitia, sed compunctio nascitur. Non enim est peremptio perdens, sed medicina urens. Et quare hoc facis? quia per hoc

VERS. 4. — « Dedisti metuentibus te significatio« nem, ut fugiant a facie arcus. »

Dedisti metuentibus te significationem. [Aug., Alcuin., Cassiod.] Per præsentem tribulationem significasti illis qui metuunt, *ut fugiant a facie arcus*, id est, ab impugnatione futuræ vindictæ, scilicet judicii futuri. Iste arcus quasi extensus, jam minatur, sed nondum ferit, quia judicium nos terret, sed non damnat; cujus nobis sit significatio per præsentia, quia si hic tam aspere punit nos Deus. quid in futuro judicio faciet? Bene autem judicium arcus dicitur, quia arcus quanto plus retro tenditur, tanto impetuosius sagitta in priora fertur : ita et judicium quanto magis differtur, tanto gravius venturum est. Vel significatio accipitur vexillum crucis, quod pro signo **127** nobis datur, ut sequamur Christi passiones, per quod evademus faciem arcus, quia si socii passionum sumus et resurrectionis erimus (*II Cor.* I). Et est, dedist metuentibus te significationem, id est vexillum crucis ad imitandum, ut per hoc fugiant a facie arcus, id est judicii. Vel, dedisti metuentibus te significationem, id est Scripturas, ut per eas fugiant a facie arcus.

PARS. II. Διάψαλμα. VERS. 5.— « Ut liberentur di« lecti tui, salvum fac populum tuum, et exaudi « me. »

Ut liberentur. [Cassiod., Gl. int., Aug.] Secunda pars, ubi agit de liberatione quam precatur et affirmat, pro qua gratæ sunt percussiones. Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant. Et *ut* in futuro *liberentur* ab ærumnis sæculi. *Salvum me fac* dicit generalis justus, collocando *in dextera tua*, ubi est vera salus. Quasi dicat : Fac ut stemus ad dexteram tuam, de temporali salute, fiat ut vis. Saporem iste habet de valle Salinarum, qui æterna petit. De his semper auditur justus, ut de terrenis non nisi utiliter. Et exaudi me, quia jam peto quod dare vis. Et necesse est hoc, quia

VERS. 6. — « Deus locutus est in sancto suo, læ« tabor et partibor Sichimam ; et convallem taber« naculorum metibor. »

Deus locutus est in sancto suo, [Aug.] id est in Christo promisit salutem. Dixit sancto, Unde salus. Unde scilicet? quia, Deus locutus est, fiet istud, quod ego *lætabor*. Non verba Dei dicit, sed quæ consequenter ex verbis Dei veniunt. Vox est Ecclesiæ ista, scilicet lætabor. Vel ita, in hac fiducia oro, quia Deus locutus est in sancto suo, id est in Christo promisit. Quid? quod ego lætebor, id est facerem quod lætitiæ mihi cedat, sic, quia, *partibor*, vel dividam, *sichimam*. Sichima locus ubi Jacob rediens a Laban, fecit tabernacula propter oves et armenta, et vocavit Sochot, id est *tabernacula*, ubi etiam abscondit idola, quæ habebat de Syria, ubi diu peregrinatus fuerat, infodiens ea subter terebinthum (*Gen.* XXXIII). Secundum historiam ergo per Sichi-

(95) Ex Hier. in epitaphio Paulæ et alibi.

(96) Ex Hier. De nominib. Hebr.

mam significat gentes, quæ divisæ sunt, quia non omnium fides est. Alii enim credunt, alii non. Secundum interpretationem vero, Sichima sunt humeri qui dividuntur, id est onera quæ sic partiuntur, ut alios peccata gravent, alii leve jugum Christi ferant (*Matth.* XI) ; et secundum hoc, per Sichimam accipiuntur generaliter omnia onera Christi, bona et mala, id est Christi et diaboli. [Cassiod., Aug., Gl. int., Aug.] Vel per Sichimam, accipiuntur tantum boni humeri, id est onus Christi quod pro viribus Ecclesia distribuit singulis ; *Et convallem tabernaculorum metibor*. Convallis tabernaculorum propter oves Jacob, Judæos significat, qui etiam dividuntur, quia alii credunt, alii non. Et est, convallem tabernaculorum metibor, id est de Judæis non paucos habebo. Vel quia tabernacula militantium sunt, per convallem tabernaculorum intelliguntur omnes Deo militantes. Et est, convallem metibor, id est Deo humiliter militantes, metibor, cum mensura prædestinatorum. Galaad est mons, ubi comprehendit Laban Jacob fugientem, cum omnibus quæ acquisierat Jacob in Mesopotamia, ibique post jurgia et rixas pacificati sunt, et fœdus amicitiæ inierunt ; collectisque lapidibus fecerunt tumulum, et comederunt super eum, quem vocavit Laban, Tumulus testis ; et Jacob, Acervus testimonii. Dixitque Laban ad Jacob : *Tumulus iste testis erit inter me et te : si autem ego transibo illum pergens ad te, aut tu præterieris malum mihi cogitans* (*Gen.* XXXI). Ideo appellatus est Galaad, id est Tumulus testis, vel Acervus testimonii, per quod intelliguntur martyres, in quibus acervus testimonii est, dum inter omnia opprobria Christiani nominis Christum constanter confiterentur.

VERS. 7. — « Meus est Galaad, et meus est Ma- « nasses; et Ephraim fortitudo capitis mei. »

Meus est Galaad, [Aug., Cassiod., Aug., Alcuin., Aug.] id est meus est acervus testimonii, scilicet mei sunt martyres veri, *et meus est Manasses*. Manasses fuit primogenitus Joseph, qui hoc nomine vocavit eum dicens : *Oblivisci me fecit Deus laborum meorum, et domus patris mei* (*Gen.* XLI). Ideo interpretatur *oblitus* : per quod significantur fideles, qui sunt prioris confusionis obliti, quia jam honor est Christianum nomen. Unde Apostolus : *Non enim erubescimus evangelium* (*Rom.* I). Vel, Manasses, omnis ille est qui oblitus prioris vitæ, in anteriora cum Apostolo se extendit (*Philip.* III). Vel per Manassem intelligitur Ecclesia gentium, quæ prius sterilis maledictioni et opprobrio subjacebat ; sed modo, cum parit, jam oblita est opprobriorum et ignominiæ. Unde Isaias : *Lætare, sterilis quæ non paris, quia plures sunt filii desertæ quam ejus quæ habet virum* (*Isai.* XXXIV). Confusionis adolescentiæ tuæ oblivisceris, et opprobrii viduitatis tuæ non recordaberis. *Et meus est Ephraim*. Ephraim fuit alter filius Joseph, quem sic vocavit, dicens : *Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ* (*Gen.* XLI). Ideo interpretatur *fructificatio*, quam facit granum fructificans. Unde sequitur : Meus est Ephraim, id est fructificatio. Et hæc fructificatio est *fortitudo capitis mei*, id est Christi, dicit Ecclesia. Granum enim moriens, virtutem in se habuit ut fructum faceret (*Jean.* XII).

VERS. 8. — « Juda rex meus ; Moab olla spei « meæ. »

Juda, [Hier., Aug., Alcuin.] id est Christus, *rex meus*. De Juda enim natus est Christus, ideo per eum hic bene significatur. Unde Jacob ei benedicens, in figura Christi ait : *Juda, te laudabunt fratres tui*, etc. (*Gen.* XLIX). *Moab olla spei meæ*. Moab populus quidam est, qui descendit a Moab, quem genuit major filia Loth, abutens patre ebrio, per quem intelligitur omnis abutens lege. Sicut enim filiæ male utentes patre genuerunt Moabitas, sic qui male utitur lege, generat mala opera, ut qui bene, bona. A male autem utentibus lege oritur olla, id est tribulatio Ecclesiæ. Hæc est olla fervens ab aquilone, id est a diabolo. Unde Jeremias : *Ollam succensam ego video, et faciem ejus a facie aquilonis* (*Jer.* I). Unde alibi idem Jeremias : *Ab aquilone pandetur omne malum* (*ibid.*) id est a diabolo qui dixit : *Ponam sedem meam ad aquilonem, et ero similis Altissimo* (*Isai.* XIV). Ab illo ergo tribulationem olla ebullit in Ecclesia ; sed Christo duce olla iniquitatis ardens facta est, spei non consumptionis, quia tribulatio operatur patientiam ; patientia vero probationem ; probatio vero spem (*Rom.* V), cum charitatis flamma in cordibus diffusa ardet contra ollam iniquitatis. Et est sensus ; Juda, id est Christus est rex meus. Quod regente, Moab, id est abutens lege est colla, quia infert tribulationem. Et hæc tribulatio est spei meæ, quia facit me plenius sperare, non deficere. Vel Moab ponitur pro gentibus, id est per Moab gentes intelliguntur. Per ollam intelligitur refectio. De gentibus vero, quidam sunt conversi, et hi usti sunt tribulatione ; alii non sunt conversi, qui alios urunt tribulatione. Utrique vero, scilicet urentes et usti sunt olla, id est refectio Christi et Ecclesiæ, quia de ustis consolatur, de urentibus proficit. Et est sensus : Moab, id est gentes, scilicet vel urentes alios tribulatione ; vel usti sunt olla, id est refectio spei meæ, unde mihi spes vitæ est. Loquitur Ecclesia :

VERS. 9. — « In Idumæam extendam calceamen- « tum meum ; mihi alienigenæ subditi sunt. »

In Idumæam. [Cassiod., Gl. int., Aug., Hier.] Quasi dicat : Dixi : Lætabor, dividam quia *extendam calceamentum meum*, id est Evangelium, quo munitur vita gradientium in mundo. Vel, calceamentum id est humanitatem Christi, in qua latuit deitas. Vel per calceamentum, quod fit de mortuo animali, intelligitur passio Christi, quam prædicando extendam usque in Idumæam, quæ interpretaur *terrena*, id est usque ad terrenos. Quasi dicat : Et si ebulliat mundus scandalis, tamen usque ad terrenæ vitæ homines, extendam calceamentum meum. Et sic *subditi sunt mihi alienigenæ*, vel Allophyli, qui ad

genus meum pertinent. Multi enim Christum adorant, qui non sunt regnaturi cum eo, id est ficti Christiani. Vel per alienigenas intelligit gentes, quæ prius alienæ erant, sed modo subditæ. Et est, alienigenæ, id est gentiles prius alienigenæ, subditi sunt, modo, mihi. Unde : *vocabo non plebem meam*, etc. *(Ose.* II). Dico extendam, sed.

VERS. 10. — « Quis deducet me in civitatem mu« nitam ? quis deducet me usque in Idumæam ? »

Quis deducet me in civitatem munitam, [Aug., Cassiod.] vel circumstantiæ ? alia littera, nisi Deus, id est in gentes circumfusas Judææ mediæ. Hæc civitas circumstantiæ est orbis terrarum, quæ alibi dicitur rota. Unde : *Vox tonitrui tui in rota (Psal.* LXXVI), id est in gentilitate. Quis deducet me in Idumæam, ut regnem, scilicet in terrenis, qui etiam de me non sunt, nec de me proficere volunt. Vel ita, quis deducet me in civitatem munitam ? id est, in futuram Jerusalem, nisi tu Deus. Et, quis deducet me usque in Idumæam ? id est usque ad terrenos, ad quos deduci desiderat, ut de eis impleto numero prædestinatorum, simul cum eis ad beatitudinem veniret. Dico, quis deducet.

VERS. 11. — « Nonne tu Deus, qui repulisti nos ; « et non egredieris Deus in virtutibus nostris. »

Nonne tu Deus, deduces *qui repulisti nos,* [Aug.] quia sinis tribulari. Hoc est quod in principio psalmi dixit. *Et* qui, o Deus, *non egredieris in virtutibus nostris.* Non contra eos apparebis qui dicunt : Ubi est Deus deorum, ut olim fecisti patribus, non ostendens potentiam tuam, qualem ostendisti in David, in Mose, in Jesu Nave, quibus gentes cesserunt, et magna strage facta terram promissam obtinuerunt. Sed nobis intus operaberis, et sic melius deduces, quia sic videntur non pro temporali vita pugnare, sed pro futura. Et quia deduces, ergo

VERS. 12. — « Da nobis auxilium de tribulatione, « quia vana salus hominis. »

Da nobis auxilium. [Gl. int., Aug.] Vel sic continua : Non egredieris, sed nec est curandum, quia sic majus est auxilium Dei, scilicet dum intus juvat. Et ideo, o Deus, da nobis auxilium *de tribulatione,* inde subveni, unde putaris deserere. Hoc quæro, non temporalem salutem, *et* id est, quia *vana est* temporalis *salus hominis.* Hæc est vana vetustas, scilicet Sobal. Salus hominis est vana, sed nos

VERS. 13. — « In Deo faciemus virtutem ; et ipse « ad nihilum deducet tribulantes nos. »

Faciemus virtutem, [Cassiod., Aug., Cassiod., Gl. int.] vincendo diabolum *in Deo* non in gladio, non extra, sed intus, quia Deus erit exercitus et

A victoria nostra. Unde subdit : *Et ipse deducet tribulantes nos,* et si nullius momenti simus, *ad nihilum* delendo, scilicet de libro vitæ, ubi ipsi scripti videntur sibi. Vel, deducet ad nihilum, in nostra reputatione, ut scilicet pro nihilo habeamus.

128 COLLATIO IN PSALMUM LIX : « DEUS REPULISTI NOS, » ETC.

VERS. 1. — *Misertus es nobis.* Pratensis et Pellicanus oppositum reddiderunt sensum. Hic, *circuisti nos,* vertit, quasi Deus noluit habitare in medio nostri. Ille apertius, *deficies a nobis.* Translator ad Campensem, *aversaris.* Sed omnes alii concordant nobiscum, *reverteris ad nos,* vel *convertisti nos.* Idque sonat misericordiam, et respondet Hebræo תשובב *convertisti.* Pergamus sequi proprium cerebrum ; dabimus sine mente somnum.

VERS. 3. — *Potasti nos vino compunctionis.* Idque
B accipitur in bonam partem. Hi autem qui vertunt *veneni,* aut *vino lethali,* in malum usurpant. Hieronymus non abest a notro sensu, quando dicit, *vino consopiente ;* quem sequitur Sanctes ; Pratensis, *vino anxifico :* Munsterus in Scholio, et Sanctes in Thesauro docent תרעלה TARELAH ab auctoribus varie exponi.

VERS. 4. — *Ut fugiant a facie arcus.* Pratensis, Nebiensis, Sanctes, Pellicanus, *ut eleventur* seu exaltentur : Munsterus, *ut triompharent ;* interpretes pro Cajetano, *ad insignitos esse.* Hebr. habetur, להתניסס LEHITHNOSES. Sed נסס NASAS, significat etiam *fugere,* ut testatur quoque Munsterus, et Hieronymus ita vertit, quamquam et illud *elevari,* possit accommodari ad citam fugam. Deinde magis movere posset, quod ubi dicimus, *a facie arcus,* Hebr. dicunt מפני קשט MIPENE QUOSCHET, id est *a facie veritatis,* quod est *propter veritatem,* ut nunc
C vertunt. Jam luce clarius apparet LXX, quos ad verbum sequitur Hieronymus, juxta Hebræum accepisse litteram thet, pro littera tau : quæ interdum sunt commutabiles. Nam perspicuum est קשת QUESCHETH Hebræis esse arcum ; imo vero haud diffitetur Munsterus in suo Lexico priorem particulam quoschet magis esse in usu Chaldæis quam Hebræis.

VERS. 8. — *Moab olla spei meæ.* Hieronymus, *lavacri mei.* Et ad eumdem modum reliqui. רחצי QA HATZI, id est ablutionis meæ. Sed adnotandum hanc particulam significare fiduciam Chaldaice, Dan. III, indicante Munstero. Quod vero Chaldæa lingua magna ex parte Hebrææ confinis sit, neminem puto latere. Et sicut in בר BAR factum est, quo uterentur Hebræi, quod tamen magis est in usu Chaldæis quam Hebræis, *pro filio :* Sic et in hoc vocabulo potuit fieri pro hoc significatu.

VERS. 8. — *Mihi alienigenæ subditi sunt.* Hic
D ponitur in Heb. quoddam vocabulum indifferens ad sociare, sive fœdus inire et jubilare. התרעעי HITHROAI. Unde Hieron. vertit, *mihi Philisthæa sociata est.* Accedit Nebiensis, Pellicanus, *fœdus ineas ;* Campensis, *amicitiam meam ambi.* Quomodo autem ea respondeant subjectioni, arbitror liquere. Alii juxta aliam notationem transtulerunt, *jubila* vel *clange.*

PSALMUS LX.

PSALMI TITULUS : « IN FINEM IN HYMNIS, PSALMUS DAVID. »

Exaudi, Deus. Titulus : *in finem in hymnis, psalmus David.* [Aug., Cassiod., Aug.] In hoc psalmo vox est Ecclesiæ laborantis in terra, quasi vox unius hominis, sed tamen non est unus homo, quia a finibus terræ clamat : quæ, et si laboret inter impedimenta sæculi, Deum tamen laudare non desi-

nit. Et hoc est, *psalmus* iste, dirigens nos *in finem*, id est in Christum, est *in hymnis*, id est in laudibus exhibitis *David*, id est Christo. Intentio : Monet ad laudem. Modus : Bipartitus est psalmus. Primo Ecclesia undique pressa orat, et se perseveraturam, et per quid, indicat. Secundo jam audita de hæreditate habenda affirmat, unde laudes promittit, ibi, *quoniam tu, Deus*. Ecclesia ergo de toto orbe quasi unus homo clamat :

VERS. 1. — « Exaudi, Deus, deprecationem « meam ; intende orationi meæ. »

Exaudi, Deus, *deprecationem meam*, [Gl. int.] deprecatio est, quæ assidua est, et hominibus etiam offertur, non tamen Deo. *Intende orationi meæ*. Oratio est, quæ Deo pure offertur. Ideo intende, quia

VERS. 2. — « A finibus terræ ad te clamavi, dum « anxiaretur cor meum ; in petra exaltasti me. »

Clamavi ad te a finibus terræ, [Aug.] id est undique ab universo orbe terrarum, quia Ecclesia usque ad terminos terræ diffusa est. Quare clamas ? Ecce clamavi, *dum anxiaretur cor meum*, id est clamavi in anxietate. Cum enim anxius clamatur, scilicet in tentationibus, quæ utique ad profectum sunt. Nemo enim sibi innotescit, nisi tentatus ; nec potest coronari, nisi vicerit ; nec vincere, nisi certaverit ; nec certare, nisi inimicos et tentationes habuerit. Deinde sequitur clamoris exauditio, *in petra*, etc. Quasi dicat : Anxiatur cor, sed non ideo vincor, quia in petra, in est Christo, de qua ipse dicit : *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* (*Matth.* XVI), *exaltasti me*, de imo vitiorum. Per istius exemplum magna spes audiendi præstatur aliis. Exaltasti, et exaltatum.

VERS. 3. — « Deduxisti me, quia factus es spes « mea ; turris fortitudinis a facie inimici. »

Deduxisti me, per te viam, ad te veritatem et vitam. Qualiter deducis ? *quia factus es spes mea* qui sperantes exaltas. Aliter enim non esset nobis dux, nisi esset nobis spes factus. Speramus quod nos non perdet, propter quos suum Filium tradidit. Et tu es *turris fortitudinis*, quia suos defendit contra omnia scandala, dum cogitat homo quod ipse prior est passus, et quo fine passus. *Turris*, inquam, defensio suorum est *a facie inimici*, id est diaboli, qui circuit quærens quem devoret (*I Petr.* V). Tu es turris et ego hac turre munitus,

VERS. 4. — « Inhabitabo in tabernaculo tuo in « sæcula ; protegar in velamento alarum tuarum. »

Inhabitabo, [Aug., Cassiod.] vel inquilinus ero, alia littera, id est mansionarius ad horam *in tabernaculo tuo*. Quidquid agat inimicus de beneficiis Dei confidit iste, ut contra pericula mundi, in tabernaculo Dei perseveret tutus. Et hoc *in sæcula*, scilicet usque dum peragantur sæcula, ut semper natos suos colligat Ecclesia. Nota quia non est unus homo usque in sæcula, sed una est Ecclesia, quæ usque ad finem mundi accolit in terra, et nunquam eradicatur per adversa, quæ a finibus terræ clamat, cui dicitur : Quæ spes tibi est inter tot mala ?

A utique certa, quia et si multi contra me sint, *protegar* contra æstus sæculi *in velamento alarum tuarum*, id est in munimine misericordiæ et potentiæ tuæ, quæ alis comparantur, quia nec onerant, et omnem avertunt læsionem. Vel ita junge litteram, ut reddas singula singulis eodem sensu manente, quia exaltasti in petra et deduxisti. Ideo inhabitabo, vel inquilinus ero in tabernaculo tuo in sæculum. Et quia tu es turris fortitudinis, ideo protegar in velamento alarum tuarum.

PARS II. Διάψαλμα. VERS. 5. — « Quoniam, tu Deus « meus, exaudisti orationem meam ; dedisti hæreditatem timentibus nomen tuum. »

Quoniam tu es Deus, etc. [Cassiod., Aug., Cas-B siod., Alcuin., Gl. int.] Secunda pars, ubi jam audita Ecclesia de hæreditate habita vel habenda, affirmat unde promittit laudes. Quasi dicat : A finibus terræ ad te clamavi. Et, *tu, Deus, exaudisti orationem meam*, de qua incepit in principio psalmi. Et vere *quoniam dedisti hæreditatem timentibus*, id est futurum regnum. Ideo dicit, dedisti, præteritum quia jam in quibusdam cœptum est. Vel præteritum pro futuro ponit, pro nimia certitudine. Et est, dedisti, non dicam dabis, adeo enim certus sum quasi jam esset, hæreditatem quibuscunque timentibus *nomen tuum*. Non est enim distinctio, quia in omni gente quicunque timet Deum, hic acceptus est illi (*Act.* X).

VERS. 6. — « Dies super dies regis adjicies ; annos C « ejus usque in diem generationis et generationis. »

Dies super dies. [Gl. int., Alcuin., Aug., Alcuin., Aug.] Hic ostendit hæreditatem quæ sit in rege Christo, quia eadem est in milite. Hæredes quidem Dei erimus, cohæredes vero Christi. Dum itaque dicit, quæ sit hæreditas regis, significat etiam quæ sit militis. Quasi dicat : Dedisti hæreditatem, quam ? quam quidem habet ipse rex. Et ipse quam habet ? Ecce tu *adjicies* regi *dies* æternos *super* temporales *dies regis*. Per hoc æternitatem Christi significat, qui est rex noster. Christo namque regi dedit Pater dies sine fine, super istos dies quibus in præsenti regnat Ecclesia, ut non solum in his diebus regnet in Ecclesia, sed et regnent cum illo sancti in æternum. Deinde aliis verbis idem repetit dicens : Et adjicies, *annos* super annos *ejus*, quibus in præsenti D nobiscum est. Nota quia æternitas Domini multis vocatur nominibus. Quidquid enim vis, dicis de æternitate, anni dies, unus dies, quia quidquid dicis minus est, sed aliquid necesse est dici, ut sit unde cogites quod dici non potest. Vel ita : Et dicit dies regis, id est Christi, dies bonorum, quos hic egerunt imitando eum, et eosdem dicit annos, quia hic alii aliis diutius vixerunt. Et est, dabit hæreditatem hanc, scilicet quia super dies regis, id est Christi, quos hic egerunt in bono, adjicies eis dies ejus, quibus vivit Deo. Et quia vixerunt hic aliqui diutius, addit, annos ejus. Quasi dicat : Tu adjicies, eis, annos ejus, quibus ipse vivit Deo, super annos, id est super longiorem quorumdam vitam. Et hi dies,

et anni sunt *usque in diem generationis* hujus præsentis, *et futuræ generationis*, id est sunt unus dies, qui unus dies continet et transcendit sæcula præsentis et futuræ generationis. Hic dies est æternitas. Dico adjicies annos, et dies regis, quod magnum est, quia rex ille

VERS. 7. — « Permanet in æternum in conspectu « Dei misericordiam et veritatem ejus quis requi« ret ? »

Permanet in æternum. [Cassiod., Aug., Gl. int., Aug., Alcuin., Hier.] Sic et illi permanebunt. Ecce hic ostendit quæ sit illa æternitas, cum dicit, permanet in æternum. Hæc est altera generatio, scilicet æterna. Dico permanet *in conspectu Dei*, ubi præsto est ad miserandum omnibus. Propter quid ibi manet ? propter *misericordiam* hic exhibendam nobis, *et veritatem* in futuro implendam. Sed, misericordiam et veritatem *ejus quis requiret ei* ? alia littera, id est ad hoc, ut in his imitetur eum, quasi dicat : pauci. Ideo addidit ei, ut non quæreret aliquis discere in libris hæc, et post sibi vivat, non illi. Misericordia ejus est, quia non meritis, sed bonitate peccata dimittit, et vitam promittit. Veritas, quia non fallit, sed reddidit quod promisit. Misericordiam sequi debemus circa infirmos, et etiam inimicos ; veritatem servare debemus, non peccando, ut ita sit homo justus. Vel ita, et est hic conclusio psalmi, et quia hæreditatem regis habebit miles, ergo misericordiam et veritatem ejus quis requiret in æterna vita ? quasi dicat, nullus. In æterno enim ita erit sufficiens beatitudo, ut nullus quærat ibi misericordiam, ubi nullus erit miser ; nullus quærit ibi veritatem, ubi omnes Deum videbunt. Unde Dominus in Evangelio : *In illa die non rogabitis me quidquam* (*Joan.* XVI). Et quia tunc erit, ideo quidquid alii faciant, ego

129 VERS. 8. — Sic psalmum dicam nomini « tuo in sæculum sæculi, ut reddam vota mea de « die in diem. »

Sic psalmum dicam nomini tuo, [Gl. int., Cassiod., Hier., Aug.,] id est sic operabor ad honorem tuum, ita quicunque requirit, exemplo meo faciat. Et hoc *in sæculum sæculi*, id est quandiu hoc sæculum durat, quia non ad tempus hoc est agendum. Sic, inquam, psallam, *ut reddam vota mea de die in diem*, id est ut quod voveo, reddam assidue. Vel ita, ut

A partim de futuro, partim de præsenti accipiatur. Sic psalmum dicam nomini tuo in sæculum sæculi; id est sic psallam tibi laudibus in æternitate, *ut*, hic in præsenti, reddam tibi vota mea bonorum operum, donec veniam de die præsenti in diem futurum. Si ergo vis in æternum psallere, redde vota in isto die, donec pervenias ad illum diem. Hic ergo vota, ibi laudes hilares reddam. Unde post omnia in officiis ecclesiasticis dicitur : *Benedicamus Domino*, quia de omnibus bonis, quæ in præsenti agimus, Deum in futuro perenniter laudabimus. A pueris autem dicitur, quia tunc angelicæ puritatis erimus consortes. Nullus enim in regno cœlorum, nisi parvulus intrabit (*Marc.* x).

COLLATIO IN PSALMUM LX : « EXAUDI, DEUS, » ETC.

B VERS. 2. — *In petra exaltasti me*. In Hebræo potest esse anceps sensus, בצור ירום ממני תנחני BETZUR IARUM MIMENNI TANEHENI. Nam prima particula tzur, significat *petram* et *fortem* ; quare diversa ratione potest accipi in bonum vel in malum, intelligendo, per *petram*, Christum vel ejus auxilium ; vel, per *fortem*, diabolum seu adversarium ; aut aliquod grave incommodum. Itaque secundo modo capit Hieronymus, *cum fortis elevabitur adversum me, tu eris ductor meus*, retrahendo exordium sequentis versus, ad finem præcedentis, ubi legimus, *deduxisti me*. Alii priorem modum respiciunt, et relativum subaudiunt, *in petram, quæ altior me est, duc me*. LXX duas dictiones sine relativo subintellecto pariter copularunt. Et quomodocunque dicas, constanter celebratur Dei potentia, et præsens auxilium.

C VERS. 6. — *Misericordiam ejus et veritatem quis requiret* חסד ואמת מן ינצרהו HESED VEEMETH MAN IINTZERUHU, *misericordiam et veritatem præpara*, subaudi, quæ, ut volunt, servabunt eum. Hieronymus tamen plane dixit omissa particula, MAN, cum alii vertunt, *præpara, misericordia et veritas servabunt eum*. Translator ad Campensem, *bonitas et fides custodient eum* Ad vero LXX, MAN מן legisse conjicitur מי MI, id est *quis* ; vel Chaldaice, MAN, id est *quis*. Qui transtulerunt *præpara*, deflexerunt a radice מנה MINNAH, id est *præparavit*. Pronomen autem affixum, quod legitur in verbo conservabunt, posuerunt LXX, ut copularetur ad particulam אמת EMETH, id est veritatem, ut sit, *veritatem ejus quis servabit*, ob idque, quis requiret ? Vel subauditum est in medio, pronomen ejus. Nam contextus Augustini habet, *misericordiam et veritatem ejus quis requiret ei* ? Et ultimum est omissum a LXX. Psalmodia Romana legit, *quis requiret eorum*.

PSALMUS LXI.

PSALMI TITULUS : « IN FINEM PRO IDITHUM, PSALMUS DAVID. »

Nonne Deo subjecta erit anima mea ? [Aug., Cassiod., Aug.] Titulus : *In finem pro Idithum, psalmus David*. Sicut supra diximus, Idithum præfectus fuit cum quibusdam aliis cantoribus in tabernaculo Domini (*I Par.* XVI), de quibus in titulis psalmorum plerumque fit mentio (*Psal.* XXXVIII), tum pro officii dignitate, tum pro nominum interpretationibus, per quas subjectorum psalmorum intelligentiæ

D declarantur, ut hic ponitur Idithum, quod interpretatur *transiliens eos*, scilicet remanentes in mundo, et hærentes terrenis. De hoc transiliente agit hic Propheta, qui a terrenis ad cœlestia mente transilivit, monens pigros, illuc sequi, et laudans Domini locum quo transiliendo pervenit Ita enim iste transiliens super aliquid est, ut sub aliquod sit. Et est sensus : *Psalmus* iste est *David* prophetæ, qui hic loquitur in persona transilientis. Psalmus dico habitus *pro Idithum*, id est agens de transiliente.

Transiliente, dico, *in finem*, id est in Christum. Intentio. Monet ut, spretis caducis his, æterna speremus.

Modus : Tripartitus est psalmus. Primo, transiliens invidis respondet volentibus decipere. Secundo se subjici hortatur, et monet reliquos ad idem, ibi, *verumtamen Deo subjecta*. Tertio errantes exprobrat, et monet in Deo non in caducis confidere, quæ est intentio psalmi, ibi, *verumtamen vani*. Transiliens autem iste, videns tot impedimenta sibi occurrentia, Deo se subdit, qui est altior eo, et inferioribus se, quasi de alto respondet increpando.

Vers. 1. — Nonne Deo subjecta erit anima mea ? « ab ipso enim est salutare meum. »

Nonne Deo. [Aug., Cassiod.] Quasi dicat : Et si agitis ut movear, et si multa transilio, tamen *anima mea* semper *erit subjecta Deo*, nil præter eum cupiens. Hoc ideo dicit, ne transiliendo sit elatus, quia, *qui se exaltat humiliabitur* (*Luc.* XVIII). Et, Nonne subjecta erit ? erit quidem, quia *ab ipso*, scilicet a Deo Patre est, *salutare meum*, id est Filius qui est auctor salutis meæ. Vere auctor.

Vers. 2. — « Nam et ipse Deus meus et salutaris « meus ; susceptor meus, non movebor amplius. »

Nam et ipse est *Deus meus*. [Cassiod., Aug., Gl. int., Hier., Cassiod.] Hoc dicit, ne minor Patre putetur. Vel ita, ut non fiat distinctio personarum. Vere erit subjecta, quia ab ipso Deo, est salutare meum, id est salvatio mea. Quasi dicat : Scio quis supra me sit. Et vere. Nam et ipse, qui est Deus omnium per potentiam, est meus quadam proprietate, scilicet per gratiam, *et* est *salutaris meus*, id est redemptor per Incarnationem, *et susceptor meus* ad gloriam. Vel, *adjutor meus*, alia littera, scilicet in laboribus sæculi, et ideo, *non movebor*. [Aug., Cassiod., Aug.] Quasi dicat : Vos agitis ut movear, sed in velamento alarum ejus munitus, non movebor ab eo *amplius*, qui in Adam quidem motus fui. Vel, non movebor amplius, ut prius motus fui carnis infirmitate. Et dicit hic idem quod in alio psalmo. Quod enim dicit hic : *Nonne Deo subjecta erit anima mea* ; hoc est quod alibi dicitur : *Non veniat mihi pes superbiæ* [*Psal.* XXXV). Quod vero hic dicitur : *Non movebor amplius*, hoc est quod ibi dicitur : *Et manus peccatoris non moveat me*.

Vers. 3. — « Quousque irruitis in hominem, interficitis universi vos, tanquam parieti inclinato « et maceriæ depulsæ ? »

Quousque ? [Aug., Gl. int., Aug.] Quasi de turre, id est de arce contemplationis loquitur imis, id est hærentibus terræ. Quasi dicat : Et quia non movebor, ergo, quousque *irruitis*, ut flumen vel fera, *in hominem* ? non utique in animam, sed in carnem, quia in corpore vobis data est potestas, non in anima. Unde Job : *Terra data est in manus impii* (*Job.* XI). Nota quod ait, quousque, etc. A sanguine enim Abel hic inceperunt (*Matth.* XXIII). Sed nunquid illi pertinebant ad hominem qui hic loquitur ?
A utique pertinebant ad hunc hominem generalem, id est ad Ecclesiam, quæ hoc dicit quod et alibi ait : *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores, prolongaverunt iniquitatem suam* (*Psal.* CXXVIII). Hæc autem unum est cum capite suo Christo, qui est caput omnium fidelium. Hoc ergo dicit : Quousque irruitis in hominem, quasi a sanguine Abel, quia ad caput pertinent membra, quæ ante caput prodierunt ? Sed nunquid prodierunt aliqua ante caput ? utique, quia caput dicit in alio psalmo mater Sion (*Psal.* LXXXVI). Unde diceret mater mea Sion, nisi aliqui præcessissent, de quibus natus esset ? mater dicit, sed hoc dicit homo in ea natus, id est hoc dicit caput, secundum quod est homo in ea natus, non secundum quod est fundator ejus Altissimus.
B Irruitis, [Cassiod., Aug., Cassiod., Hier., Aug.] et non leviter, sed *interficitis* innocentem, scilicet, alia littera, irruitis, *tanquam dejecturi eum*. *Vos* dico incumbentes ei *tanquam parieti inclinato et maceriæ*, quia putatis quod sine defensore sit, et quia facile corruit ut inclinatus paries, qui etiam non impulsus caderet ; et quasi maceria, quæ est constructio saxorum sine ligamine cœmenti, ut sit circa hortos et vineas. Et ne de ipsa novitate firmam putes, addit, *depulsæ* vel impulsæ, vel aliis manentibus. Ita legitur illud, secundum litteram nostram, interficitis, *universi vos*. [Hier., Aug.] Quasi dicat : Irruitis in hominem, sed non est vobis irruendum, quia irruendo in hominem, interficitis vos ipsos, universi, etiam consentientes. Vel ita, secundum aliam litteram, *quousque apponitis super hominem*.
C Idem sensus est cum præcedenti. Apponunt enim mala super hominem, id est super Ecclesiam, onera passionum, ut usque in finem impleat quisque fidelis in corpore suo quod deest passionum Christi (*Coloss.* I). Deinde quasi irridendo subdit, interficitis omnes vos, alia littera quasi dicat : Vos omnes interficitis hominem illum, quantum ad hominem ; sed non omnes unum, sed omnes Ecclesiam. Sed, quia Deus susceptor, non movebor, ut supra dictum est, *tanquam parieti inclinato et maceriæ depulsæ*. Hoc non mutatur. Nil possunt contra me persecutores.

Vers. 4. — « Verumtamen pretium meum cogi« taverunt repellere ; cucurri in siti ; ore suo bene-
D « dicebant, et corde suo maledicebant. »

Verumtamen ficti et occulti *cogitaverunt repellere*, [Aug., Cassiod., Aug.] quia latet venenum in corde et si non audent proferre ; *pretium meum* repellere, id est Christum, ne homines colerent eum. Vel beatitudinem æternam mihi tollere cogitaverunt. Vel secundum aliam litteram, *honorem cogitaverunt repellere*, id est Christum. Quia enim non possunt exstinguere nomen Christi, inhonorant exaltatum verum Joseph. Et nota diversa genera hostium. Irruunt enim persecutores violenti, cogitant repellere hæretici et ficti. Illi ita. Ego tamen salutem illorum sitiebam. Et hoc est, *cucurri in siti*, quia, etsi semper eos bibit, semper sitit ultra ; sed ipsi *ore suo*

benedicebant. Quia nequeunt per aperta mala, tentant per blanda eum seducere, *et corde suo*, ubi cogitaverunt repellere, *maledicebant*. Hos sitiebat iste. Sciendum est hic significari duas spirituales civitates, unam malorum, quæ dicitur Babylonia, quæ incipit a Cain; altera bonorum, quæ dicitur Jerusalem, quæ incipit ab Abel. Illius rex, diabolus: istius rex Christus. Cives Babyloniæ sunt irruentes, et repellere pretium cogitantes; cives vero Jerusalem, sunt sitientes, et eos usque in finem potantes. Hæ duæ civitates permistæ sunt corpore, sed divisæ mente. Civitas malorum significata est per illam civitatem quam prius Cain ædificavit, ubi non erat ante civitas, quam vocavit Enoch, id est *dedicatio*, quia mali temporalibus se dedicant, dum in hac vita quæ ante est, radicem cordis plantant, quia prius est quod animale est. Civitas autem bonorum significata est per Jerusalem, quæ post ædificata fuit, non ibi ubi prius non erat civitas, sed ubi fuit Jebus, unde Jebusæus. Fuit namque trinomia, scilicet Jebus, Salem et Jerusalem. Jebus autem interpretatur *conculcata*, ubi congrue **130** Salem, seu Jerusalem, illa eversa, ædificatur: quia ex veteri homine everso atque conculcato fit novus homo. Corporalis autem commistio utriusque civitatis facit ut res Babyloniæ ministrent, qui sunt de Jerusalem, id est boni aliquando; et res Jerusalem illi qui sunt de Babylonia, id est mali, verbi gratia, ut tres pueri in Babylonia, et mali regnantes in Jerusalem. De illa dicitur a Deo: *Ego Deus et non homo, et civitatem non ingredior* (*Ose.* XI). De hac Propheta ait: *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei* (*Psal.* LXXXVI).

PARS II. Διάψαλμα. VERS. 5. — « Verumtamen « Deo subjecta esto, anima mea, quoniam ab ipso « patientia mea. »

Verumtamen. [Cassiod., Aug., Cassiod., Aug.) Secunda pars, ubi item se, id est animam suam subjici Deo hortatur. Quasi dicat: Illi ita. *Verumtamen* quidquid illi faciant, *Deo subjecta esto, anima mea.* Hæc repetitio menti nostræ robur infigit. Et debes subjici, *quoniam patientia mea*, quam habeo inter tanta scandala, *est ab ipso*. Homo enim per se hæc non toleraret. A quo ipso est? ecce a Deo. Et vere,

VERS. 6. — « Quia ipse Deus meus et salvator « meus; adjutor meus non emigrabo. »

Quia ipse est Deus meus. [Aug.. Cassiod.] Ergo vocat me. *Et salvator meus*, ergo justificat me. *Adjutor meus*; ergo glorificat me. Et *non emigrabo*. Inde ubi glorificor, ab inquilinatu migrabo; de domo cœlesti non emigrabo. Vel secundum aliam litteram, scilicet *non ero transfuga*. Sic, et quia adjutor es, ideo, non ero transfuga ab hac fidei firmitate, quia

VERS. 7. — « In Deo salutare meum, et gloria « mea: Deus auxilii mei, et spes mea in Deo est. »

In Deo est *salutare meum*, [Cassiod., Aug.] id est salus mea, non ut in diis gentium mors. Et non

A solum salvus ero in Deo, id est justus ex impio; sed etiam *gloria mea* erit in Deo: hic, et in futuro, id est gloriosus ero in eo. Et vere, quia ipse est *Deus auxilii mei*. Vel ita, ut de futuro accipiatur totum: In Deo est salutare meum in futuro, ut non modo salvus ero, imo et gloria mea erit in futuro: tunc salvus et gloriosus ero in eo. Et modo quid? ipse Deus, adjutor meus est in certamine. Hoc dicit ne quid sibi deputet homo. Et *spes mea in Deo est*, donec veniatur ad perfectum, scilicet ad illam glorificationem, ubi justi fulgebunt sicut sol in regno Patris (*Matth.* XIII).

VERS. 8. — « Sperate in eo omnis congregatio « populi, effundite coram illo corda vestra: Deus « adjutor noster in æternum. »

B *Sperate*, [Cassiod., Aug., Gl. int.] sua fide vulgata monet omnes qui superstitionibus laborant, sperate in Domino. Quasi dicat: Spes mea in Deo est. Quo exemplo *sperate in eo*. Quasi dicat: Imitamini me Idithum, omnis congregatio populi. Quasi dicat: Sitis unum, et sic sperare poteritis. Quomodo sperandum est? *effundite coram illo corda vestra*, [Aug., Alcuin., Aug.] id est pravas cogitationes vestras confitendo peccata, sperando bona, deprecando veniam, plorando ruinam. Per lacrymas enim cor effunditur. Effundite ergo, nolite intus retinere virus peccati. Hæc effusio significatur in tunsione pectorum. Dum enim pœnitentes extrinsecus pectora tundunt, quantum peccati conscientia anima pungat, monstratur. Unde: *Punge oculum,*
C *et producit lacrymam: Punge cor, et producit scientiam* (*Eccli.* XXII). Et item, in hac vero pectorum tunsione sonus est. Quo figuratur sonus et clamor confessionis peccatorum. Effundite dico, et non perit quod effunditis, quia *Deus est adjutor in æternum*. Quid ergo timeas inter malos?

PARS III. Διάψαλμα. VERS. 9.—« Verumtamen vani « filii hominum in stateris, ut decipiant ipsi de va« nitate in idipsum. »

Verumtamen. [Cassiod., Aug., Gl. int., Hier., Alcuin.] Tertia pars, ubi errantes exprobrat et monet in Deo, non in caducis confidere: quod psalmus intendit. Quasi dicat: Illi irruunt et occidunt; *verumtamen*, vos boni, quasi in alto positi, misereamini eorum quos prius timebatis, et ex charitate
D dicite: *Vani* sunt *filii hominum*. Vel ita continua: ego sic monui, scilicet sperate, effundite. Verumtamen vani, etc. Vel ita junge; Deus est adjutor noster. Et licet sic operetur nobis Deus, verumtamen filii hominum, scilicet Evæ et Adæ, sunt vani, in se terrena petentes, et *mendaces* sunt *filii hominum in stateris*, id est in rectitudine Scripturarum, quia pervertunt Scripturas, quibus probent falsa. Vel, mendaces sunt in stateris, [Cassiod., Hier., Aug., Cassiod.] id est iniquis ponderibus, quibus ementes decipiunt. Unde Salomon: *Pondus et pondus, mensura et mensura*, minor, scilicet qua vendas; et major, qua emas. *Utrumque abominabile est apud Deum* (*Prov.* XX), et item: *Statera dolosa abo-*

minabilis est Deo; *et ponaus æquum, voluntas ejus.* (*Prov.* XX). De utraque sententia simul proceditur hoc modo : Ad quid hoc agunt ? *ut decipiant* alios, *ipsi* dico existentes *in idipsum*, scilicet in unum *de vanitate*. Etsi enim varii sunt in suis perversis studiis, de vanitate tamen in unum sunt. Unde vulpes, quas colligavit Samsom ad succendendum messes alienigenarum, in posterioribus conveniebant, facies vero diversas habebant. (*Judic.* XV). Hæretici enim vulpibus similes in pravitate erroris conveniunt ; sed contraria tradentes, et adversus seipsos dimicantes, victoriam Ecclesiæ faciunt. Vel ita, et agit de hypocritis, qui aliud sunt, et aliud videri volunt. Et hoc est filii hominum sunt mendaces quia falso examine fallunt intuentes, quia justi videri volunt, cum sint mendaces. Et hoc est quod subditur : Mendaces, dico, sunt in stateris, id est in libra justitiæ, per quod facilius decipiunt, ut ipsi de vanitate decepti, decipiant alios in idipsum, id est per hoc ipsum quod creduntur æqui.

VERS. 10. — « Nolite sperare in iniquitate, et « rapinas nolite concupiscere ; divitiæ si affluant, « nolite cor apponere. »

Nolite. [Aug., Cassiod., Alcuin., Cassiod.] Hic sitiens convertit se ad eos, quasi dicat ; Spes mea est in Deo, sed o vos filii hominum, *nolite sperare in iniquitate*, sed sicut spes mea in Deo est, ita sit vestra, *et nolite*, vos. qui non habetis, quasi ex necessitate sitis rapturi, *concupiscere rapinas*, ubi potius rapit vos diabolus. O lucra damnosa ! Invenis pecuniam, perdis justitiam. Præda enim quam vis rapere in muscipula est ; tenes alienum, et teneris a diabolo. Et est sensus : Nec speretis, nec cupiatis quæ congregata aliis rapiantur. Ne vero solis pauperibus hoc dicere videatur, subdit : Et, o vos qui habetis, *divitiæ si affluant*, id est si exundant, tanquam de pleno fonte currant. *Nolite cor apponere*, id est nolite sperare in incerto divitiarum (*I Tim.* VI). Hoc divitibus dicitur. Ille ergo qui non habet, non ambiat ; qui habet non superbiat. Et notandum quod non dicit nolite habere, sed cor apponere. Non enim damnat divitias, unde mereamur cœlum, sed cor appositum, quod scilicet non expendit, sed recondit.

VERS. 11. — « Semel locutus est Deus ; duo hæc « audivi, quia potestas Dei est, et tibi, Domine, « misericordia, quia tu reddes unicuique juxta opera « sua. »

Semel locutus est Deus, etc. Duo dixit, scilicet nolite cor apponere, et sperare, quibus alia duo reddit, reddens causam prædictorum. Quasi dicat : [Alcuin., Cassiod., Aug.] Nolite cor apponere, cur ? *Quia potestas* vindicandi *est Dei*, scilicet Filii. Dixit, sperate. Cur sperandum ? Quia *tibi, Domine, est misericordia* remunerandi, in quo potestas et misericordia apparet, *ecce quia tu reddes unicuique* juxta opera sua. Per hoc apparet hæc de Christo dici, quia *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio* (*Joan.* V). Unde hoc scis ? quia semel, id est æternaliter, locutus est Deus, id est disposuit omnia, inter quæ omnia hæc duo audivi, quia potestas, etc. Vel ita, secundum seriem litteræ ; Sperate in Deo, quia semel locutus est Deus, ubi *duo hæc audivi*. Contrarium videtur Deum semel loqui, et duo audiri. Quid est etiam quod legitur in Apostolo : *Multifariam multisque modis olim Deus locutus est* (*Hebr.* I), sed inter homines multis modis loquitur Deus, apud se semel, quia unicum Verbum genuit, per quod omnia facta sunt, et in quo simul omnia disposita sunt, inter quæ omnia hæc duo quæ hic opus est dici, audivit, cum et multa alia audivit quæ hic memorari non est opus. Illa duo sunt potestas et misericordia, de quibus sunt omnes Scripturæ, propter quæ duo lex et prophetæ sunt, propter quæ ipse Christus missus est et apostoli. Potestas ergo timeatur, misericordia ametur, nec pro misericordia potestas contemnatur, nec pro potestate de misericordia desperetur. Et hoc est, sperate in Deo, quia Deus semel locutus est, id est Verbum æternaliter genuit, in quo omnia fecit atque disposuit. Hoc est illud Verbum de quo pastores dixerunt : *Transeamus usque Bethlehem, et videamus hoc Verbum quod factum est* (*Luc.* II). Quod non tantum ineffabile est, verum etiam nomen ejus quod scribebatur in lamina aurea summi pontificis (*Exod.* XXVIII), et erat tetragammaton, id est (97) quatuor litterarum quæ sunt iod, he, vau, heth, id est *principium passionis vitæ istius*. Nomen autem ex his litteris constans, ut quidam tradunt, est ia. ia. vel, ie, ie, quod dicitur *ineffabile*, quia, cum cætera nomina Domini rem ineffabilem significent, (98) hoc ineffabiliorem rem designat, juxta litterarum interpretationes. Quasi dicat : Iste cujus, hoc est nomen est principium vitæ per Adam amissæ : et hoc per humilitatem passionis. Quid autem mirabilius quam quod patiendo, moriendo a morte nos liberavit ? Ineffabilis est ergo Verbi generatio, cujus etiam nomen est ineffabile et iste tamen aliquid inde capiens dicit, *semel locutus est Deus*, id est, æternaliter Verbum genuit, in quo omnia disposuit. Hoc vidit iste elevatus super omnia, etiam transcendens angelos, et ad liquidum perveniens, ubi unus unum genuit. Inter quæ omnia, *duo hæc audivi*, in alto quo transilivi, quasi non a me dico hoc, sed audivi, raptus ad Verbum unigenitum, quæ ? *Quia potestas Dei est*, id est Filii, qui non tantum in se potestatem habet, verum etiam aliis confert, quia non est potestas cuicunque nisi a Deo æquo, et si te lateat æquitas, *Et tibi, Domine, misericordia, quia tu reddes unicuique juxta opera sua.*

(97) Ex Beda in Exod. XXVIII, si non fallit glos ordinaria.

(98) Vide Hieron. in epistola ad Marcellam, De X Dei nominibus et in psal. ad Damasum cujus principium est ; Et *factum est no.*, etc. ; et item in cap. Ezech. XVI, ad illud : *Et coronam decoris in capite tuo.*

Hæc non mutantur. [Aug.] Apud illum potestas, apud illum misericordia. Pertinet ad ejus potestatem damnare iniquos. Treme ergo ejus potestatem. Diabolus ergo quædam potestas est, plerumquę tamen vult nocere, et non potest, quia potestas ista sub potestate est; tantum enim impellit parietem inclinatum, quantum accipit potestatem; quoniam qui dat tentatori potestatem, ipse tentato præbet misericordiam. Non est potestas nisi a Deo. Noli dicere quare dat tantam potestatem diabolo, ut non det econtra potestatem? Qui dat potestatem, habet æquitatem. Noli ergo timere inimicum. Tantum facit quantum acceperit potestatem.

COLLATIO IN PSALMUM LXI: « NONNE DEO SUBJECTA, » ETC.

VERS. 1. — *Nonne Deo subjecta erit anima mea.* Nonnulli vertunt, *silet anima mea;* alii, *respicit anima mea;* quidam, *exspectat anima mea.* Quæ omnia apte innuunt pacem conscientiæ, et perfectam animæ obedientiam erga Deum. Hic translator ad Campensem habet, *Deum unice observabit anima mea.* דומיה נפשי.

VERS. 3. — *Interficitis, universi vos.* LXX et Hieronymus legerunt *active.* Siquidem Sanctes suo Thesauro indicat quosdam legere תרצחו THERATZEHU in verbo piel, id est *interficietis.* Alios autem תרצחו in paul, id est *interibitis* passive. Quod et Neoterici quidem sequuntur versores, ne interim dicam inversores. Campensis tamen et 𝕴𝕺𝕴 Paraphrasis et translatio habent activum. Similiter Chaldæus *perpetrabitis homicidia.*

Tanquam parieti inclinato et maceriæ depulsæ. Si legas sub recto casu *tanquam paries inclinatus, et maceria depulsa,* poteris subaudire verbum substantivum *eritis* vel *sitis.* In nostra lectione, intelligitur verbum *incumbite* vel quid simile, ut colligitur ex interpretatione Augustini, ne suo more elidant ecclesiasticam psalmodiam Faber et Cæcus.

VERS. 4. — *Pretium meum cogitaverunt repellere.* Hieronymus, *partem ejus,* si legas, משאתי MASEATI, id est *munus meum* vel *pars mea;* si משאתו MASEATO, est *munus ejus, pars ejus,* juxta Hieronymum. Ubi autem legeris משאתו MISEETO, significat *ab exaltatione,* quomodo neoterici Hebraicatores usurpant, et varie reddunt, inturbantes nunc huc, nunc illuc; Pratensis, *propter exaltationem ejus inierunt consilium, ut expellant;* Sanctes, *a magnitudine ipsius Dei consuluerunt expellere alter alterum,* ne ipse Deus quem exaltet consultant moliunturque impellere; Pellicanus, *ab elevatione inierunt consilium ad expellendum;* interpretes pro Cajetano, *a celsitudine ipsius,* supple *viri, consuluerunt ad impellendum;* Paraphrasis Campensis, *quod videbant illum auxilio Dei crescere, hoc ut impedirent stulti invito consilio, subvertere illum conabamur;* Translator, *duntaxat initis consilium de statu ejus ad dejiciendum;* Nebiensis, *pro exaltatione sua ut pellerent;* Paraphrastes Chaldæus, *in die bonæ operationis conciliantur ut impingant.*

Cucurri in siti, ירצו כזב IIRTZU CAZAB, id est *placuerunt in mendacio,* vel *voluerunt mendacium.* רצה RATZAH, usurpatur et pro *complacere* et pro *currere.* Secundum significatum attenderunt LXX, quanquam non ad verbum omnino. Deinde כזב CAZAB signat quidem mendacium. Interdum tamen sonat *scaturiginem negatem aquam.* Præsertim præposito aleph, ut in Jerem. XV, ubi legimus: *Facta est mihi quasi mendacium aquarum.* Et hanc acceptionem respexerunt interpretes ut apparet.

VERS. 7. — *Deus auxilii mei, et spes mea in Deo est.* Hic pudet referre insultationem Cæci post Fabrum adversus interpretes, quod hic sensus non perinde quadret: *Deus auxilii est in Deo,* quem tamen series illius versiculi deducere videtur. Sed ex Hebræo dicendum, *robur* sive *petra fortitudinis meæ, et spes mea in Deo est.* Hebr. צור TZUR, id est *petra fortis, et est Deus:* qui dicitur *Deus auxilii,* id est *Deus adjutor.* Ergo quæ ineptitudo, *Deus est adjutor meus; et spes mea in Deo est?* ubi est incommoditas orationis quæ vos offendit?

VERS. 8. — *Sperate in eo, omnis congregatio populi.* Hebr. *sperate in eo omni tempore, populi.* Et in Hebr. particula *populi* sic posita est, ut dubium sit an referatur ad præcedentia, an ad sequentia: et, juxta exigentiam constructionis et commoditatem sententiæ, potest verti aut singulariter aut pluraliter, et hoc vel illo caso. Et haud scio an interpretes legerint עדת ADATH, id est *congregatio* pro עת ETH, id est *tempore.* Nam unica litterula distant, quanquam populus omnis ætatis sive temporis haud longe absit ab omni congregatione.

VERS. 9. — *Mendaces filii hominum in stateris, ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum.* Hebr. כזב בני־איש במאזנים לעלות המה מהבל יחד CAZAB BENE ISCH BEMOZNAIM LAALOTZ HEMAH MEHEBEL IAHAD, *mendaces filii viri in stateris ad ascendendum.* Quod Hieronymus interpretatur: *in stateris dolosis,* siquidem in ascensu steræ tum solet fieri fraudulentia. מהבל יחד MEHEBEL IAHAD, *de vanitate simul,* vel *in idipsum.* Hierony. sic explicat, *fraudulenter simul;* Pratensis, *ipsi magis vanitas simul;* Sanctes, *in stateris si ascendant, leviores sunt vanitate simul.* Itidem; cæteri Hebraicantes recens nati. Et id effectum est quod littera, *men,* nunc est præposito *a* vel *ab* vel *de,* nunc nota comparativi, quo carent Hebræi. Sufficit quod editio nostra non dissideat a veritate Hebraica.

VERS 10. — *Nolite sperare in iniquitate, et rapinas nolite concupiscere.* Hebr. copulant בגזל BEGAZEL, id est *in rapina,* verbo proxime præcedenti, *nolite sperare in iniquitate,* sine *calumnia et rapina.* LXX jungunt subsequenti et videntur legisse cheth pro he, id est aspirationem fortem loco tenuis; cum paulo distent תחבלו TECHEBALU loco תהבלו TEHEBALU. Prius nonnunquam significat *eniti, parturire* eoque *concupiscere,* præsertim in conjugatione quam dicunt piel; alterum *evanescere,* ut sit, *nolite vani fieri,* Quod Hieronymus vertit, *ne frustremini.* Chaldæus est nobiscum quantum ad significantiam verbi, modo non fallat versio.

VERS, 11. — *Semel locutus est Deus;* duo *hæc audivi.* Et ad eumdem modum Hieronymus, Pellicanus et interpretes pro Cajetano. Satis accedit Nebiensis, Sed Pratensis et Sanctes, *bis hæc audivi:* Munsterus, *una vice locutus est atque secundo, quod et audivi;* Campensis, *unum quiddam locutus est Deus, sed sæpenumero illud audivi;* Translator, *semel locutus est Deus, quod ego iterum atque iterum audivi.* Pro cerebro hominum omnia confunduntur, quando hebraismus ad id minus adigit. Paraphrasis Chaldæa, sic interpretatur, *legem unam locutus est Deus, et bis illam audivimus de ore Moyse.*

PSALMUS LXII.

PSALMUS DAVID CUM ESSET IN DESERTO IDUMÆÆ.

Deus, Deus meus. Titulus: *Psalmus David cum esset in deserto Idumææ.* Sicut legitur in libro Regum David fugiens a facie Saul abscondit se in de-

serto Idumæorum, de quo non agit psalmus, sed de significato. [Alcuin., Aug., Cassiod.] Per David enim intelligitur Ecclesia, quæ ariditate sæculi, velut in deserto sitit, et misericordiam a Deo piis precibus expetit, donec æterna capiat, docens nos suo exemplo bene conversari in medio hujus pravæ et perversæ nationis. Et est sensus : *Psalmus* iste attribuitur *David*, id est Ecclesiæ, quæ hic loquitur. Psalmus dico habitus de hoc quod sustinuit, *cum esset in deserto Idumææ*, id est in deserto hujus sæculi, ubi sunt. Et accipitur psalmus iste ex persona capitis et membrorum. Vox enim ipsius nostra est, et nostra ipsius. Intentio monet recte conversari in medio pravæ nationis. Modus : Bipartitus est psalmus. Primo, dicit Ecclesia quomodo se habeat in deserto hujus sæculi, scilicet sponsa Deum videre desiderat, quem et laudat, et id amplius agere optat. Secundo exponit bona malaque utriusque partis, ibi, *sic memor fui*. Ecclesia ergo necessitatibus hujus vitæ æstuans ait : O

VERS. 1. — « Deus, Deus meus, ad te de luce « vigilo. »

Deus, [Alcuin., Aug., Cassiod., Aug.] communis omnium per potentiam, qui es *Deus meus* quodam modo specialiori, scilicet per cultum et sanctum desiderium. Vide affectum piæ deprecationis, per hanc geminationem, *vigilo ad te de luce*, vel *diluculo*, alia littera, id est matutinali hora ad litteram, quando resurrexit Christus, scilicet ut tunc eum laudet Ecclesia, quando exemplo suæ resurrectionis eam ad resurgendum animavit. Inde est quod psalmus iste in matutinis laudibus cantatur. Vel ita secundum moralem sensum, ubi per lucem lux gratiæ intelligitur, quæ nos vigilare facit ad Deum. Alius enim vigilat ad Deum, scilicet qui vere Dei memor est ; alius dormit ad Deum, scilicet qui Deum obliviscitur ; alius dormit mundo, vel ad mundum, dum mundi obliviscitur ; alius vigilat ad mundum amans ipsum. Ideo dicit iste, vigilo ad te, dum scilicet mundo dormio, non amans quæ mundi sunt, sed te solum desiderans. Econtra ad Deum dormit, qui Deum obliviscitur, terrenis deditus. Vigilo dico, et hoc, de luce, quia suboritur mihi lux gratiæ. Non enim vigilares, nisi lux oriretur quæ te excitaret. Dico vigilo, ad te, et sitio anima et corpore. Et hoc est, et

VERS. 2. — « Sitivit in te anima mea ; quam « multipliciter tibi caro mea. »

Anima mea sitivit. [Aug.] Multis de causis, unum et beatum esse quod est *in te*. Alii alia desiderant, sed anima mea, non nisi ad te. Anima sitivit multis de causis, sed de pluribus sitivit caro. Et hoc est *quam multipliciter*, id est pro multiplici defectu, sitivit *tibi*, non alii rei, *caro mea*, quæ plus eget. Patitur enim multos defectus, mutat etiam ætates, quæ etiam resurrectionem sitit, quia et ei promittitur resurrectio quam desiderat, quomodo animæ nostræ beatitudo. Vel de præsenti sic : quam multipliciter sitivit tibi pro præsentibus caro mea. Sitit enim et hic caro Domini, dum ab eo quærit necessaria, hic ; deinde subdit ubi sitiat.

VERS. 3. — « In terra deserta, invia, et inaquosa, « sic in sancto apparui tibi, ut viderem virtutem « tuam et gloriam tuam. »

In terra deserta. [Aug., Cassiod., Aug.] Hic sitiendum est. Hoc sæculum est desertum, hoc est Idumæa. Unde titulus agit, quod bene dicitur terra deserta, ubi scilicet nullus sanctorum habitat. Addit *et invia*, quia non est ibi via, unde exeas, *et inaquosa*, quia, dum moraris, non est ibi aqua. Malum est hoc desertum, horribile et timendum ; sed tamen Deus hic fecit tibi viam, scilicet Christum, qui est via, veritas et vita (*Joan.* XIV), et misit aquam verbi sui, Spiritu sancto implens prædicatores, ut fieret in eis fons aquæ salientis in vitam æternam (*Joan.* IV) : *sic in sancto*. Quasi dicat : Sitivit anima mea et caro, et sic, tunc apparui tibi : in sancto desiderio, id est per sanctum desiderium. Nisi enim quis prius deficiat in malo, nunquam pervenit ad bonum, quod Deus est. Et apparui tibi, non dico, ut videres me, quia omnia vides ; sed *ut viderem virtutem tuam et gloriam tuam*, id est Christum. Quasi dicat : Vidisti me, ut viderem te. Nemo enim videt Deum, nisi prius Deus appareat, id est a Deo videatur. Sol enim luce sua facit nos videre, ita et Deus. Ergo in sancto desiderio appareamus Deo, ut ipse appareat nobis. Cui ergo non appareat Deus, sit in sancto desiderio ; et apparebit ei Christi majestas et æqualitas, quam cum Patre habet, etsi homo fuit. Ideo hæc omnia sic ago,

VERS. 4. — « Quoniam melior est misericordia « tua super vitas ; labia mea laudabunt te. »

Quoniam melior est misericordia tua, [Aug., Alcuin., Aug.] id est vita gratiæ, quæ per misericordiam non per merita datur *super vitas* humanas, etsi longæ et prosperæ sint : quæ multæ sunt, ut vita militis, agricolæ et cæterorum. Melius est quod das correctis, quam quod eligunt perversi. *Labia mea*. Post beneficia Dei laudem promittit, quasi dicat : quia misericordia tua est super vitas, ideo labia mea *laudabunt te* ad proximum, de quo etiam sollicitor. Nisi præveniret me misericordia tua, non possem laudare te. Et sic labiis laudo.

VERS. 5. — « Sic benedicam te in vita mea ; et « in nomine tuo levabo manus meas. »

Sic etiam *benedicam te* jam *in vita mea*, [Aug., Cassiod., Alcuin,] scilicet quam mihi donasti. Non in illa quam mihi elegi. Vel ita : Quia misericordia tua est super vitas, sic, id est ideo benedicam te in vita mea, id est bene vivendo. Vel ita, per misericordiam tuam laudabo te, et, sicut dedisti mihi per misericordiam laudare te, sic benedicam te in vita mea, id est misericordiæ tuæ tribuam vitam meam, in qua te laudabo. *Et in nomine tuo*, id est ad honorem tuum *levabo manus meas* in precibus, ad litteram. Levabo, etiam in bona opera, ut Christus suas in cruce pro nobis levabit, ut manus nostræ, tam corporis quam bonæ operationis, extendantur

ad Deum. In nomine Dei nempe levat manus qui bonis operibus insistens tensis manibus in figura crucis Deum orat. Unde Apostolus: *Levantes puras manus in oratione sine ira et disceptatione (I Tim.* II). In hujus rei figuram præcessit **132** quod Moyses fecisse in Exodo legitur, qui, dum in oratione levaret manus ad Dominum, populus Dei vincebat Amalec; dum vero deponebat manus, superabatur Israel (*Exod.* XIII), quia, dum aliquis bona opera operatur pro cœlestibus, vincit Amalec, id est dæmonum turbam, sanguinem nostræ perditionis lingentem; dum autem deponit manus, id est pro terrenis operatur, vincitur ab Amalec.

VERS. 6. — « Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea, et labiis exsultationis laudabit os « meum. »

Sicut adipe, etc. [Aug., Hier., Cassiod., Aug.] Hoc est quod petitur levatis in oratione manibus. Quasi dicat: Levabo manus, et hoc petam: Utinam *anima mea repleatur sicut adipe et pinguedine*. Hæc ad litteram olim placebant Deo in sacrificiis. Adeps in intestinis, pinguedo est in carne. Sub horum velamine quædam spiritualia optat. Per adipem enim intelligitur sapientia, quæ in abscondito est, quæ est pinguedo animæ, sine qua anima macrescit, vel ita exilis est, ut in bonis operibus cito deficiat. Per pinguedinem intelligitur fortitudo spiritus, vel pia alacritas. Et ideo apposuit, *sicut*, non dixit simpliciter, adipe et pinguedine. [Cassiod., Aug., Hier., Gl. int., Aug.] Et est, anima mea repleatur sicut adipe et pinguedine, scilicet scientia et pia alacritate, vel fortitudine spiritus repleatur hic, ubi sitis est, et oratio levatis manibus; cum sitis transierit et oratio, tunc succedet laudatio. Unde subdit, *et labiis*. Quasi dicat: Dico impleatur anima, et sic *laudabit* te *os meum labiis exsultationis*, pro pura conscientia, cujus comes est exsultatio. Vel, secundum aliam litteram, *et labiis exsultationis laudabo nomen tuum*. Idem sensus. Sicca enim labia laudare non possunt. Vel ita, ut totum de futuro accipiatur, et accipitur pro eodem adeps et pinguedo, scilicet pro æterna jucunditate. Et est, *repleatur anima mea sicut adipe et pinguedine*, id est, felici jucunditate, quæ erit in æterna saturitate; *et* tunc, *labiis exsultationis laudabit nomen tuum.*

PARS II. VERS. 7. — « Si memor fui tui super « stratum meum, in matutinis meditabor in te, quia « fuisti adjutor meus. »

Si memor. [Cassiod., Aug., Cassiod., Aug., Cassiod.] Secunda pars, ubi exponuntur bona et mala utriusque partis, scilicet contra difficultates sæculi, quas hic patitur. Dicit securitatem suam esse ex Deo, in qua memor est ejus, memorans inimicos perituros, et regem cum sanctis lætaturum. Quasi dicat: Laudabit te os meum, quia et in stratu, et mane *memor fui tui super stratum meum*, id est in quiete prosperitatis, ne ipsa dissolveret, et faceret oblivisci Deum. Et si memor fui tui in quiete, tunc *in matutinis* quoque, id est bonis actibus, *meditabor* A *in te*, scilicet, per mane actus accipiuntur, quia mane quisque incipit bene operari. Et bene ait, si in stratu, et in mane. Si enim non es memor in quiete nec in actione. Si vero in otio, tunc et in operatione. Ne in ea deficiat, ideo addit, ostendens quare non deficiat, et sit memor, *quia fuisti adjutor meus*. Nisi enim adjuvet Deus hic, bona implere non possumus. Vel ita juxta moralem sensum, et convenit in parte cum præcedenti sententia. Quasi dicat: Laudabo, si, id est quia memor fui tui super stratum meum. Per stratum in quo quiescimus prospera accipe, in quibus iste est memor Dei, quod vix homo facit. Et meditabor in te in matutinis, id est luce gratiæ mihi illucescente. In nocte enim mala fiunt; sed Christo monstrante, tanquam in luce, B bona debemus facere. Nemo autem in mane operatur, nisi qui in Christo operatur. Ergo in matutinis, id est in luce Christi, meditabor in te, ut supra dixit, de luce vigilo ad te, ut filius lucis, id est Christi, ad auctorem lucis vigilet, id est Deum. Ideo in te, quia fuisti adjutor meus, in periculis Idumææ.

VERS. 8. — « Et in velamento alarum tuarum « exsultabo, adhæsit anima mea post te, me suscepit « dextera tua. »

Et si quid occurrerit *exsultabo* in bonis operibus, *in velamento alarum tuarum*, id est in protectione tua, quia pullus sum. Et ideo, si non protegis, milvus rapit. Ideo exsultabo, quia *adhæsit* charitate, *anima mea* post te, id est ita adhæsit tibi charitate, ut C te præ se diligeret. [Alcuin.] Vel post te, scilicet ut sequatur te, nolens præire, ut Petrus voluit (*Matth.* XVI). Ideo exsultabo, ideo adhæsit, quia *me suscepit* alis tegendum, a periculis *dextera tua*, id est propitiatio tua.

VERS. 9. — « Ipsi vero in vanum quæsierunt ani« mam meam, introibunt in inferiora terræ, tra« dentur in manus gladii, partes vulpium erunt. »

Ipsi vero, [Gl. int., Aug., Cassiod., Aug.] quasi notabiles, *in vanum*, quia evasi, *quæsierunt animam meam*. Vel hoc in persona totius Christi, id est capitis et corporis, dicitur. Quasi dicat: Ideo exsultabo, quia me totum Christum suscepit dextera tua, id est sapientia tua, verbum tuum. In Christo enim homine sapientia Dei est, et nos in illo sumus, et D cum illo assumpti sed diverso modo: ille, per unionem personæ; nos, per adoptionem. Et ideo, in vanum vero, id est in vanitate, quæsierunt animam meam, in qua omnes vivunt. Hæc est anima Christi, quia nil fecerunt animæ Deo connexæ, quærentes eam perdere. Ipsi, scilicet quilibet persecutores, et maxime Judæi in malitia notabiles, qui in capite et in apostolis, animam nostram quæsierunt. Et ideo *introibunt*, animo et desiderio, *in inferiora terræ*, id est in terrenitatem. [Cassiod., Aug., Hier., Aug.] Timuerunt enim perdere terram, et ideo occiderunt Jesum, et ierunt sub terram, quæ eis proposita dominata est; non ad cœlos vecti, a terra sorbentur. Malæ cogitationes eorum, quia de terra sunt natæ,

in ima terræ, quasi in cœnum vergunt. Et tamen accidit eis quod timuerunt, quia et post terram perdiderunt. Unde sequitur : *Tradentur,* etc., quia expugnati sunt ab hostibus. Vel, introibunt in inferiora terræ, id est in infernum, et propterea tradentur hic *in manus gladii,* id est potestatem Titi et Vespasiani, *et partes vulpium erunt,* id est principum sæculi, qui vulpibus comparantur, ut Dominus dicit de Herode : *Dicite vulpi illi,* etc. (*Luc.* XIII.) Partes horum inquam erunt Judæi, quia Christum regem noluerunt habere, dicentes : *Non habemus regem nisi Cæsarem* (*Joan.* XIX). [Cassiod., Gl. int.] Agnum rejecerunt, vulpem tenuerunt. Vel per vulpes, dolosi intelliguntur. Partes ergo vulpium sunt, dum se dolosis prava voluntate conjungunt. Vel, partes vulpium, id est dæmonum erunt.

VERS. 10. — « Rex vero lætabitur in Deo, laudabuntur omnes qui jurant in eo ; quia obstructum est os loquentium iniquia. »

Rex vero, [Aug., Cassiod., Aug., Cassiod.] id est Christus, qui vere est rex quem rejecerunt Judæi, *lætabitur,* etsi visi sunt superasse, *in Deo* Patre. Unde : *Ego in Patre, et Pater in me est* (*Joan.* XIV). Et *laudabuntur,* id est laudabiles erunt, qui Christum non vulpem elegerunt, *omnes qui jurant in eo,* id est qui ei pollicentur et vovent bonam vitam. Et nota quod ait, jurant in eo, non dicit per eum, ne per eum imperare videatur juramentum ; sed ait qui jurant in eo, promittendo ei obsequium. Post causam lætitiæ subdit, *quia obstructum est,* vel *oppilatum est,* id est obstruetur in judicio, ubi omnis iniquitas victa obmutescet, *os loquentium iniqua,* id est, Judæorum et paganorum, quia ipsi tunc destruentur, non Christiani. Nota quia in his duobus versibus confert bona et mala diversarum partium.

A COLLATIO IN PSALMUM LXII : « DEUS, DEUS MEUS, » ETC.

VERS. 1. — *Ad te de luce vigilo.* Quare Nebiensis, Pratensis, Sanctes et interpretes pro Cajetano, simpliciter et nude dixerunt, *quæram te ?* cum שחר SCIHAR, significat *mane quærere* et Hieronymus ita reddidit, *de luce consurgam ad te ?* Munsterus, *quæram te mane.* Consimiliter Campensis et Pellicanus. Chaldæus, *Præveniam in mane coram te.* Translator ad Campensem, dixit, *ad te maturo.* Si odio lectionis Latinæ fecerint (quod non credimus), ostenderet se habere speciem contradictionis.

VERS. 2. — *Quam multipliciter tibi caro mea.* Est evidens interpretes accepisse כמה CAMAH, ut sit dictio composita, id est *quoties,* sive *multipliciter.* Nam, si fuerit verbum כמה CAMACH, id est *concupivit,* quomodo verterunt alii, *concupiscit caro mea.*

VERS. 3. — « *Sic in sancto apparui tibi.* Hebr. חזיתיך HAZITICA, id est *vidi te,* sive *contemplatus* B *sum te.* Sed minimo negotio conciliatur sensus. Et translator ad Campens, habet, *perinde appareo coram te,* videlicet in sacra æde.

VERS. 7. — *Sic memor fui tui,* etc. Fortasse posset videri mendum esse, *sic,* pro *si,* quia Græce legitur εἰ. Et Sanctes, Nebiensis, Pellicanus et interpretes pro Cajetano vertunt, *Si memor,* aut *si recordatus.* Verum particula Hebræa אם IM, sæpiuscule sonat *vere* et *certe.* Ergo et *sic.* Hinc Pratensis posuit *certe memor ;* et Munsterus, *annon tui recordatus sum,* per interrogationem, quæ exigit responsionem confirmatoriam. Hieronym. neque *si,* neque *sic* vertit, sed simpliciter *recordatus tui.* Magister cum Augustino legit, *si,* ut tamen exponat per *quia,* non per conditionem. Et certe docet Budæus in Commentariis Græcæ linguæ, quandoque εἰ accipi pro δή.

VERS. 9. — « *In vanum quæsierunt animam meam.* לשואה LESCHOAH, id est, *in desolationem,* quod cir- C cumlocutione reddidit Hieronymus, *quæsierunt interficere animam meam.* Editio quidem nostra non negat quin perfidi quæsierunt animam ejus perdere, sed simul explicuit frustratos esse conatus eorum. Nec tamen vanitas illa incongrue notatur per dictionem Hebraicam. Nam quæ major vastitas et desolatio, quam vanum aut vanitas ?

PSALMUS LXIII.

PSALMI TITULUS : « IN FINEM PSALMUS DAVID. »

Exaudi, Deus. Titulus : *In finem psalmus David.* [Cassiod., Aug.] Psalmus iste breviter agit de passione Christi et resurrectione, ubi totus Christus loquitur, scilicet caput et corpus. Ut enim caput nostrum, ita et non in tribulatione, rogamus. Et est *psalmus* iste dirigens nos *in finem,* id est in Christum, attribuitur *David,* id est Christo, qui hic loquitur, adjuncta sibi voce corporis. Intentio : Monet in passionibus sperare in Domino. Modus : Bipartitus est psalmus. Primo enumerat quæ tulerit, et quomodo se habuerit contra hæc, ut in passionibus speremus in Domino. Secundo Judæorum pravitatem irridet, ibi, *sagittæ.* Totus itaque Christus in passione orat, dicens :

VERS. 1. — — « Exaudi, Deus, orationem meam, cum deprecor ; a timore inimici, eripe animam meam. »

Exaudi, Deus, orationem, cum tribulor; alia littera. [Cassiod., Alcuin., Gl. int.] In hoc, audi *eripe* animam meam non quidem, non ut moriar, sed *a timore inimici,* scilicet ut eos non timeam, qui tantum corpus occidere possunt ; sed te, qui corpus et animam D potes occidere et perdere. Hoc modo eripitur iste, etiam cum occiditur. Non enim hominem timet, vel cedit. Vel ita secundum litteram nostram, et distinguitur littera aliter, exaudi, Deus, orationem meam, ut me exaltes ; et eripe animam meam a timore inimici, et si non a timore mortis, quia omnis homo horret mortem, cum, id est quia, deprecor, id est totis viribus precor. Dico eripe : quod erit, quia

133 VERS. 2. — « Protexisti me a conventu malignantium, a multitudine operantium iniquitatem. »

Protexisti me a conventu, [Aug., Cassiod., Aug.] id est a consilio *malignantium,* ut conciliis Judæorum, *et a multitudine operantium,* actu *iniquitatem,* ut

eum occiderent, qui eis tot bona fecerat; hoc quod hic dicitur, scilicet protexisti, in capite factum, nec minus quod et membra experiuntur. Hoc exemplo reliqui firmantur.

VERS. 3. — « Quia exacuerunt ut gladium linguas « suas, intenderunt arcum rem amaram, ut sagittent « in occultis immaculatum. »

Quia, vel, *exacuerunt*. [Aug., Alcuin., Aug.] Quasi dicat : quid enim illi fecerunt tibi? utique mala, *quia exacuerunt*, vel ita continua : Qui sunt malignantes et operantes? Quia exacuerunt *linguas suas ut gladius*. Aperte inclamando mortem, et ita si non manibus, linguis occiderunt; et loquitur hic Christus; et *intenderunt arcum*, id est dolos. Arcus enim occulte, gladius aperte ferit *rem amaram*, licet verba sint dulcia; gestant enim mel in ore, aculeum in dorso. [Cassiod., Aug.] Quasi dicat : occultas insidias paraverunt, scilicet ut per discipulum traderetur, quod est res amara ut conviva sit proditor. Ad quid intenderunt *ut sagittent in occultis*, quantum ad suam opinionem, per discipulum et hujusmodi, omnia facientes, ut nil fecisse viderentur. Quem? *immaculatum*. Ideo esset eis timendum. Magnas iniquitas Judæorum hic ostenditur. Et ideo inexcusabiles sunt, intenderunt arcum, et sic perficient, quia

VERS. 4. — Subito sagittabunt eum, et non time« bunt; firmaverunt sibi sermonem nequam. »

Subito. [Aug.] Vel *repente*, id est insidiose, quasi inopinati, quasi non prævisi *sagittabunt eum* quasi nescientem, ut eis videtur, qui se credunt Deum fallere. Quasi dicat : Scelus implebunt, et inde *non timebunt*, o cor durum, occidere velle hominem, qui mortuos suscitabat : et inde non timere. Ideo non timent, quia *firmaverunt* obstinatione, non veritate. Nullomodo. Nec etiam per judicem obmittere volentes qui multa egit, ut refrenarentur, nec miraculis moti fuerunt *sermonem nequam;* vel malignum, ut : *reus est mortis* (*Matth.* XXVI); vel : *Expedit ut unus moriatur pro populo* (*Joan.* II). Et hoc *sibi* id est ad malum suum, non Domino, cui non nocuerunt, sed sibi, cum dicunt : *Sanguis ejus super nos, et super filios nostros* (*Matth.* XXV). Deinde exponit qualiter arcum intenderunt.

VERS. 5. — « Narraverunt ut absconderent la« queos; dixerunt : « Quis videbit eos? »

Narraverunt, [Gl. int., Cassiod., Gl. inter., Aug.] vel, *disposuerunt*, prius apud se, postea cum discipulo, *ut absconderent laqueos*, ita dicentes : Si discipulus tradit, si Romani crucifigunt, quid ad nos? Iste est mos malorum. Qui enim dolum parat, putat fallere. Unde sequitur : *Dixerunt : Quis videbit eos*, scilicet laqueos, id est : Quis poterit cavere. Putabant enim eum latere quem occidebant. Ideo putabant eum non videre, quia

VERS. 6. — « Scrutati sunt iniquitates; defecerunt « scrutantes scrutinio. »

Scrutati sunt iniquitates [Cassiod., Aug.] Scilicet quomodo accusarent justum per falsos testes, vel A quomodo eum perderent, et ne mundus post eum iret. Dicebant enim : Per discipulum tradatur, a judice occidatur. Vel ita : Nihil ad nos scrutati sunt, sed ipsi scrutantes *defecerunt* in *scrutinio*, id est pravo suo consilio. Vel ita : Scrutati sunt iniquitates ipsi dico *scrutantes* scrutinia, id est acerba et occulta consilia, sed quando acutius cogitant, tanto plus defecerunt a veritate et æquitate; et in tenebras merguntur, quia Deum non vident, et ideo putant se non videri a Deo.

VERS. 7. — « Accedet homo ad cor altum; et « exaltabitur Deus. »

Accedet homo ad cor altum, vel, et cor altum. [Cassiod., Aug.] Quasi dicat : Qui scrutatur iniqua, deficit; sed econtra *homo* scrutans bonum, *accedet ad cor altum*, id est ad cordis intellectum altum, B ut qui res divinas perquirit, quod est ad cor altum ire; et ibi non deficit, sed crescit. Et eo pervenit, ut ab eo summus et omnipotens Deus esse credatur. Unde sequitur : *Et exaltabitur Deus*, scilicet in corde ejus. Deus enim non in se, sed in corde hominis grandescit; vel ita scrutati sunt, sed frustra, quia homo, Christus, qui non pateretur, nisi homo esset, accedet sponte ad passionem. Et, cor altum erat ei, id est secretum cor, quia hoc faciebat secundum altum consilium objiciens illis hominem, id est formam humanam, in qua sævirent servans intus Deum, id est. Dei formam cujus potentia suscitaretur. Et exalbitur Deus in resurrectione. Quasi dicat : occiditur ut homo in passione et ipse idem C exaltatur ut Deus in resurrectione. Vel ita continua, non mutata sententia : Quia Christus cognoscebat laqueos eorum, cur ergo prævaluerunt? Quia voluit. Et hoc est, quia accedet homo, Christus, etc.

PARS. II. VERS. 8. — « Sagittæ parvulorum factæ « sunt plagæ eorum; et infirmatæ sunt contra eos « linguæ eorum. »

Sagittæ parvulorum. [Cassiod., Aug.] Secunda pars, ubi enumeratam Judæorum pravitatem irridet, qui magis turbati sunt annuntiata resurrectione. Justi vero lætati. Quasi dicat : Scrutati sunt, sed *plagæ eorum factæ sunt* sicut *sagittæ parvulorum*, id est nil nocuerunt, ut cannæ puerorum *et linguæ eorum*. Quibus dixerunt custodibus, dicite : *Nobis dormientibus venerunt discipuli ejus et furati* D *sunt eum* (*Matth.*, XXVIII), infirmatæ sunt contra eos, id est ad verecundiam eorum. Si enim dormiebant, quomodo videre potuerunt? Si vero nihil viderunt, quomodo testes fuerunt? Contra se ergo mentiendo locuti sunt. Vel, linguæ eorum *contra eos infirmatæ sunt* virtute resurrectionis meæ in omnibus quæ contra me dixerunt. Hic patet quod firmaverunt sibi sermonem nequam. Dico exaltabitur Deus, et, Deo exaltato, et visis miraculis

VERS. 9. — « Conturbati sunt omnes qui videbant « eos; et timuit omnis homo. »

Conturbati sunt omnes qui videbant eos confusos, [Aug.] id est qui intelligebant eos defecisse, alii de illis turbantur, et ipsi tamen non pœnitent. Con-

turbati fuerunt illi qui salutis suæ consilium quærentes dixerunt : *Quid faciemus, viri fratres?* (*Act.* II.) *Et timuit* Deum *omnis homo,* id est utens ratione. Qui ergo non timuit, non fuit homo, id est ratione usus; sed, si timet homo Deum, non eum terreat homo quin annuntiet, sicut apostoli, quibus comminabantur principes sacerdotum, dicentes ne prædicarent in nomine Jesu, non ideo destiterunt prædicare (*Act.* V).

VERS. 10. — « Et annuntiaverunt opera Dei; et « facta ejus intellexerunt. »

Et annuntiaverunt. [Aug.] Prædicatores eruti a timore inimici, sed timentes Deum, *opera Dei,* id est resurrectionem et ascensionem, etc., *et intellexerunt facta ejus,* esse divina, non hominis scilicet. Cur passus? cur non descendit de cruce? quia moriendum erat et resurgendum. Quod tunc non fuit intellectum.

VERS. 11. — « Lætabitur justus in Domino, et « sperabit in eo; et laudabuntur omnes recti corde. »

Lætabitur. [Cassiod., Aug., Cassiod.] Hic ostenditur promissio justorum, et est conclusio ex prædictis. Quasi dicat : Resurrexit Christus, et inde *lætabitur justus in Domino,* jam non tristis est justus, sicut fuit crucifixo Domino; sed lætatur et sperat, quia omnia sunt manifesta; *et sperabit in eo,* et in futuro, quando perversi damnabuntur, *laudabuntur,* vel exaltabuntur *recti corde* quibus per omnia placet Deus, *omnes :* hoc adit, ne putet de solis apostolis hoc dici.

COLLATIO IN PSALMUM LXIII : « EXAUDI, DEUS, ORATIONEM, » ETC.

VERS. 2. — « *A conventu malignantium.* Hebr. מסוד MISSOD, id est *a secreto, a consilio.* Non alio sensus tendit, quia maligni Judæi quoties congregaverint Synagogam suam, ut consultarent de morte Domini, ex Evangeliis plus satis notum evadit.

A multitudine operantium iniquitatem. מרגשת MERIGSCATH, quod vertunt *a tumultu,* sive *fremitu.* Et certe tumultus operantium iniquitatem, non aliter gravius fit, quam in commotione populi. Imo vero ad verbum significat *multitudinem.* Siquidem רגש RAGASCH est interdum, *collegit.* Et interpretes pro Cajetano posuerunt, *a conventu.*

VERS. 6. — « *Defecerunt scrutantes scrutinio.* Neoterici translatores contrarium tradunt sensum. Nempe *perfecerunt scrutando quod excogitatum est,* תמנו חפש מחפש TAMNU HEPHES MEHUPAS. Sed Hieronymus omnino in hac parte consonat nobis, quia תמת TAMAM, et perficere et deficere seu consumi signat.

VERS. 7. — *Accedet homo ad cor altum.* Hieronymus, *cogitationibus singulorum et corde profundo;* Sanctes et Munsterus, *intimum cujusque et cor profundum.* Interpretes pro Cajetano, *medio viri et corde profundo, in ventre viri et corde acuto.* Quæ omnia longe distant a lectione Vulgata. Jam vero

A וקרב citra notularum distinctionem potest legi וקרב VEQUARAB. Idque significat *et accedet.* Aut legeretur איש VEQUEREB, et significabit *intimum, cogitationem internam.* Rursus איש ISCH, proprie *vir,* tamen solet accipi pro *unoquoque, ad cor altum,* apparet esse librarii vitium pro *et cor altum.* Nam Hebraicæ ולב עמוק VELEB AMOQ, et Græce καὶ καρδία, *et cor.* Ob id magister utramque lectionem recenset. Tamen constat ex Augustino esse ad cor altum. Tamen constat ex Augustino esse ad cor altum. Ait enim : « Accessit homo ad ipsa consilia, accessit ad omnes illas passiones. Accessit homo ad cor altum, cor secretum; objiciens aspectibus humanis hominem, servans intus Deum; et cætera itidem persequitur. » Accedit et divus Hilarius. Hunc psalmum interpretatus, cum ad hunc pervenit locum, præter hoc quod contextus ejus non semel habet *accedet homo ad cor altum,* sic
B edisserit : « Per virum doctrina Dei eruditum, et in altum humilitatem cordis sui erigentem, hæc divinæ operationis præconia proferentur. » Non est improbabile differentiam ex eo contigisse, quod *cardia* in Græco potest esse nominativi aut dativi casus eodem sono, sed distantia iota subscripti καρδία vel καρδίᾳ. Denique neutra lectio sensum variat, *homo* et *cor altum,* id est homo alti cordis. Quod et sensisse videtur Hilarius ubi supra, ceu neutram rejiciens; sed utramque probans pronuntiationem. « Cognita enim, inquit, scrutantium defectione, et accedente homine cordis alti, magnificentia divinæ bonitatis hæc agnoscitur. » Hæc Hilarius.

Et exaltabitur Deus. Hier. cum cæteris Hebraicantibus, *sagittabit illos Deus;* LXX acceperunt futurum וירם a radice רום, id est *exaltatus est* ut sit וירם VAIAROM. Alii autem ceperunt litteram *mem* finalem, ut sit subsidiaria et accidentaria a themate ירה IARAH, *sagittavit.*

C VERS. 8. — *Sagittæ parvulorum plagæ sunt eorum.* Hebr. nectunt superioribus in longe diversum, et dicunt *jaculo repentino, sagittabit eos jaculo repentino,* vel ut habet Nebiensis, *jaculum repentinum erunt percutiones eorum.* Ad eum quoque modum reddidit Hier. Sed duæ dictiones sunt, quæ proxima affinitate sese contingunt פתאום PITHOA, et פתים PETHAIM. Dissident pene duntaxat ipsis punctulis, et IOD et VAU in sese solent migrare. Rursus aleph, quæ non est in secunda particula (ut solemne est Hebræis) clauditur in voce magna, quam vocitant CAMETZ. Porro PITHON significat *repente,* PETHAIM autem *parvulos.*

VERS. 9. — *Conturbati sunt omnes qui videbant eos.* Quidam dicunt, *fugient omnes* vel *elongabunt se;* alii *commovebuntur,* quod est *conturbabuntur :* aut per præteritum, *conturbati sunt.* Hujusmodi enim tempora passim agunt mutuam alterum alterius vicem. Sed et ותנודדו IITHNODEDU alterutram
D refert **134** significantiam alioqui confinem.

Et timuit omnis homo. Seu pluralitive, *timuerunt omnes homines,* quomodo Hieronymus, Sanctes, Chaldæus, Nebiensis et interpretes pro Cajetano. Munsterus autem, Pellicanus et et Campensis posuerunt *videbunt.* ויראו VAUREU, si derivetur a themate ראה RAAH, id est *videbunt;* si a radice ירא IARE, significat *timuerunt,* nisi quis velit superstitiose se alligare punctorum observantiæ.

PSALMUS LXIV.

PSALMI TITULUS : (99) « IN FINEM PSALMUS DAVID. CANTICUM JEREMIÆ ET AGGÆI, *vel* EZECHIELIS DE VERBO PEREGRINATIONIS, *vel* DE POPULO TRANSMIGRATIONIS CUM INCIPERENT PROFICISCI. »

Te decet hymmus Titulus : *In finem psalmus David. Canticum Jeremiæ et Aggæi,* vel *Ezechielis de verbo peregrinationis,* vel *de populo transmigrationis, cum inciperent proficisci.* Sicut legitur in historiis Veteris Testamenti, Nabuchodonosor rex Babyloniorum filios Israel captivavit, eosque eversa Jerusalem

(99) Hic titulus est additus a Græcis, docente Spiritu sancto, ut credere fas est.

in Babyloniam transtulit, in qua captivitate LXX annis detenti sunt (*IV Reg.* XXV). Cujus captivitatis causa ad litteram fuit verbum quod dictum est in aula Nabuchodonosor, ubi, cum dicerentur omnes gentes deberi ei subjici, dictum est quod Judæi rebelles erant, et ideo eos captivavit. Ideo dicitur in titulo de verbo peregrinationis [Aug.] Hanc autem captivitatem Jeremias futuram prædixit, et præsentem vidit (*Jer.* XXV et XXIV), et præteritam quadruplici alphabeto in Threnis deploravit. Prophetavit etiam Jeremias post LXX annos rediturum populum in Jerusalem. Inter captivos vero erant quidam prophetæ, scilicet Aggæus, Ezechiel, et alii qui de Babylonia reditum intellexerunt in Jerusalem et prædixerunt atque cum aliis completis LXX annis captivitatis, permittente Cyro rege Persarum, Jerusalem eorum quidam redierunt: atque Aggæo et aliis prophetis exhortantibus restitutum est templum. Huic historiæ alludit titulus. Sed, quoniam in figura nostri omnia contingebant illis (*I Cor.* X), hæc potius ad nos spiritualiter sunt referenda. Sciendum itaque est duas esse spirituales civitates in præsenti: unam malorum quæ incœpit a Cain, et dicitur Babylonia; alteram bonorum, quæ cœpit ab Abel, et dicitur Jerusalem. Illius cives facit cupiditas, Jerusalem cives facit charitas. Quæ licet sint mistæ corpore, separatæ sunt mente, quarum una peregrinatur in altera, et captiva tenetur. Quandiu enim sumus in hoc corpore, peregrinamur a Domino (*II Cor.* V), qui de Babylonia ad Jerusalem suspiramus [Gl. int.] id est de sæculo et corpore peccati ad cœlum. Hujus autem peregrinationis et suspirii nostri causa fuit, verbum quod dixit diabolus primis parentibus: *Eritis sicut dii* (*Gen.* III.). [Aug.] De hac tamen captivitate incipit redire, qui incipit amare. Charitas enim ad reditum movet pedem; et sicut filii Israel completis LXX annis sub Jesu sacerdote magno redierunt, ita et nos Christo duce, qui in septuagesima septima generatione secundum Lucam natus est (*Luc.* III), redire incipimus, donec in futuro consummato hujus vitæ septenario, hædis positis in sinistra, nos in dextera Dei collocemur. Hanc spiritualem reversionem intellexerunt prophetæ prædicti figurari in illa actuali et pro ista exsultaverunt maxime. Unde in titulo ponitur canticum. Et est sensus: *Psalmus* iste dirigens nos *in finem*, id est in consummationem, est *David*, et est *canticum*, id est exsultatio, quæ est vox redeuntis populi. Et hoc canticum est *de populo transmigrationis*, id est qui transmigravit de cœlo ad terram, de perfectione ad miseriam vel confusionem. Vel *De verbo peregrinationis*, [Gl. int., Aug., Alcuin., Aug., Cassiod.] id est de populo peregrinante per illud verbum, *eritis sicut dii*. Canticum dico habitum, tunc *cum inciperent* mente *proficisci* de Babylonia hujus mundi. Quasi dicat: Non inde est canticum, quia peregrinati sunt, sed quia redire incipiunt. Incipit autem exire qui incipit amare. Charitas facit civem Jerusalem; cupiditas Babylonis. Et si ergo corpore permisti, desiderio sunt separati. Et

A hoc canticum est *Jeremiæ et Aggei*. Vel *Ezechielis* ad litteram. Jeremias interpretatur *excelsus*, et signat illos qui dicunt: *Nostra conversatio in cœlis est*. Aggæus *festus* Dei, et significat illos qui sunt spe gaudentes, qui in reliquiis cogitationum diem festum agunt Domino. Ezechiel *roboravit me Deus*, et significat illos qui sunt roborati in Domino. Horum talium est canticum hoc. Vel ad litteram, canticum est illorum prophetarum qui prophetaverunt reditum in Jerusalem, in quo intellexerunt spiritualem liberationem, de qua potissimum gaudebant. Intentio prophetæ est nos consolari in hoc exsilio, ne quis desperet, qua certificat reditum, et per quem fiat, et qua divitiæ sint reversis. Modus. Bipartitus est psalmus. Primo affirmat reditum et precatur, B secundo laudes Dei et virtutes describit, ibi *spes omnium*. In voce ergo revertentium, Propheta lætus cantat, dicens:

VERS. 1. — « Te decet hymnus, Deus, in Sion; et « tibi reddetur votum in Jerusalem. »

Te decet hymnus. [Alcuin.] Et quia de septuagesima mentionem fecimus, sciendum est tres septuagesimas in sancta Ecclesia memorari, unam significatam, et duas significantes quarum una in figura præcessit, scilicet septuagesima captivitatis Judaicæ, altera in repræsentatione observatur ab Ecclesia, quæ incipit a *circumdederunt me*, et terminatur in Sabbato in Albis, quam observat Ecclesia in repræsentatione spiritualis nostræ captivitatis, qua captivi sumus, dum in corpore a Domino peregrinaC mur, quam eamdem figuravit septuagesima Judæorum et sicut Judæi ante finem LXX annorum licentiam et facultatem revertendi habuerunt, Cyro permittente, et eisdem LXX completis plene redierunt, Jesu duce: ita et nobis, ante finem septenarii hujus peregrinationis, per Christum libertas redeundi est præstita, cujus morte redempti sumus, jam secundum animas et spe liberati. Sed completo septenario hujus vitæ plene liberi erimus, utroque homine gloriosi. Unde et Ecclesia miserias nostri incolatus et labores, a *circumdederunt me* usque ad Sabbatum paschale incipiens, exponens canticum lætitiæ subticet, scilicet *Alleluia*, et *Gloria in excelsis Deo* et hujusmodi. In Sabbato vero paschali jam adepta per Christi passionem facultate redeundi, et ita spe gaudens, cantat Alleluia. Sed, quia adhuc mole corD ruptæ carnis premitur, latronumque insidias patitur, post alleluia restat tractus, *Laudate*, quia adhuc longis trahendi sumus laboribus, et sequenti hebdomada graduale cum alleluia cantamus, laboriosa via gradientes. Et ideo dolentes in re, sed gaudentes in spe. In Sabbato vero in Albis quasi finita septuagesima hujus captivitatis duo alleluia cantamus, plene læti, pro gemina nostræ glorificationis stola, qua in futuro glorificabimur. Nunc vero quasi ex parte liberati, et spe læti, quasi de Babylone redeuntes cantamus; O *Deus*, *te decet hymnus* quem cantat, qui vere Deum amat. Ubi? *In Sion*, id est in cœlesti patria, ubi modo sumus spe. [Aug.] Et ideo cantamus non in Babylone, ubi suspendimus organa.

Et est sensus : Illos decet laudare te qui vel mente, vel re sunt in Sion. Non enim est speciosa laus in ore peccatoris (*Eccli.* xv). *Et votum*, id est anima et corpus mortale, *reddetur tibi in Jerusalem*, id est in cœlesti patria. Hic in præsenti vovemus bene operando et cogitando, ibi reddemus pro utroque Deum laudando. Nota quod patria cœlestis est Sion, eadem est Jerusalem. Et vere reddetur, quia

VERS. 2. — « Exaudi orationem meam ; ad te omnis caro veniet. »

Omnis caro, [Aug., Cassiod.] id est homo ex omni genere, scilicet pauperes, divites, viri, feminæ, docti, indocti, pueri, senes, *veniet ad te*, qui primitias de carne nostra tulisti, id est carnem immunem a peccato assumpsisti. Hæc etiam est decima decimæ, quæ summo sacerdoti in veteri lege a minoribus dabatur (*Num.* XVIII). Hæc etiam est nubes levis super quam ascendit Dominus ut ingrederetur Ægyptum (*Isa.* XIX). Ad te ergo velut ad corpus aquilæ congregabuntur cæteri (*Matth.* XXIV), ut compleatur holocaustum. Et, quia reduces alios, reduc et me, cum eis. Hoc est, *exaudi orationem meam*, ut cum aliis me reducas. Vel ita : Et accipitur per Sion, præsens Ecclesia ; per Jerusalem, cœlestis. Unde Isaias : *Vivit Dominus cujus ignis est in Sion, et caminus in* Jerusalem (*Isa.* XXXI). Hic enim charitas Dei est velut ignis, in futuro tanquam caminus. Et hoc est : O *Deus, hymnus decet te*, non deos gentium, et non nisi *in Sion*, quæ interpretatur *speculatio*, id est nisi in contemplatione, id est in fide. *Et tibi*, de bonis operibus, *reddetur votum*, id est laus, *in Jerusalem* cœlesti, quod illi solvebant, post prælia Marti et cæteris diis in hunc modum. Et jam nunc *exaudi*, hic, *orationem meam*, ut ibi parcas, quo omnes venturos scio, ut referat unusquisque propria corporis (*II Cor.* v). Ecce prius facit iste quod a cæteris faciendum dicit, Deum, scilicet invocat et laudat. Ad te omnis. Quasi dicat : Qua spe hæc oras ? Quia ad te veniet omnis caro, non solum anima, sed omnis etiam malus homo. Et necesse est ut audias, quia

VERS. 3. — « Verba iniquorum prævaluerunt super nos ; et impietatibus nostris tu propitiaberis. »

Verba iniquorum, [Alcuin., Cassiod., Alcuin., Aug.] id est diaboli et primitivorum parentum, id est Adæ et Evæ, *prævaluerunt*, ut mare mergens *super nos*, id est projecerunt nos in hoc exsilium. Vel ita, dico exaudi, licet simus indigni. Verba, quidem iniquorum, id est mali ritus, et mores parentum nostrorum, prævaluerunt super nos, quia nos nati in terra secuti sumus mores gentilium parentum nostrorum, qui, ut ætate, ita auctoritate præstant pueris. Pagani enim ritus suos filiis suis suaserunt, sed contra *tu*, o Fili, Verbum Dei, *propitiaberis* in hostia Christi hominis *impietatibus nostris*, quibus propitiatur quando ignoscit, et veniam dat. Et ideo non opprimunt nos verba iniquorum. Propitiatio ista fit per sacrificium quod sacerdos Christus obtulit. Idem est ergo sacerdos et hostia. Dico propitiaberis, et

A VERS. 4. — « Beatus quem elegisti et assumpsisti ; inhabitabit in atriis tuis. »

Beatus est omnis ille *quem* tu *elegisti*, [Cassiod., Aug., Cassiod., Aug.] per gratiam a massa perditorum. Unde : *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* (*Joan.* xv). Et assumpsisti in sortem tuam, id est in æternam requiem. Christus enim quemcunque beatum assumpsit in adoptionem filii. Quare beatus ? quia *inhabitabit*, non movendus, *in atriis tuis*, scilicet Jerusalem, cui cantant qui incipiunt exire de Babylonia. Et nos reversi,

VERS. 5. — « Replebimur in bonis domus tuæ ; sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate. »

Replebimur, etc. [Aug., Alcuin., Hier., Cassiod.] Vel ita ab illo loco, *Beatus*. Quasi dicat : Propitia-
B beris, et hoc per beatum virum. *Beatus* enim est homo, *quem tu elegisti*, id est quo indutus es in tempore, qui eras in principio Verbum : *et assumpsisti*, in unitatem personæ, id est ipsius hominis tibi naturam uniendo, non personam. Naturam quippe hominis assumpsit, pro quo dicitur hominem assumpsisse, non personam. Qui talis *inhabitavit in atriis tuis*, id est in tuo concessu : Et per eum *replebitur* in bonis gratiarum, quæ bona sunt *domus tuæ*, id est præsentis Ecclesiæ, quæ diversis munerum spiritualium exuberat bonis. Quæ sunt illa bona ? bona illa sunt sanctitas in se, et æquitas ad proximum. Et hoc est *templum tuum*, scilicet hominis justi, id est Ecclesia. Ipsa enim domus est, templum Dei *est sanctum* in se. Et *mirabile in*
C *æquitate*. Quantum ad proximum. Vel ita de futuro, replebimur **135** in bonis domus tuæ, id est futuræ Jerusalem, quæ non possunt dici. Quanta sunt illa bona ? Ecce templum tuum, cœleste *est sanctum et mirabile*, [Aug., Hier., Cassiod.] non in exterioribus, ut domus terræ, quæ columnis et marmoribus nitet, sed *in æquitate*, vel *in justitia*, alia littera, quæ interiori oculo pulchrior est et admirabilior : quam modo debemus esurire, ut ea satiemur. Vel domus et templum caro Christi intelligitur, cujus boni replemur, quia de plenitudine ejus omnes accepimus (*Joan.* I). Et hoc templum est, sanctum. Unde quod nascetur ex te sanctum Domini vocabitur (*Luc.* I). Et, mirabile in æquitate, cum unicuique digna retribuet. Cui et dicit :

D PARS II. VERS. 6. — « Exaudi nos, Deus salutaris noster, spes omnium finium terræ, et in mari longe. »

Exaudi nos. etc., [Gl. int., Cassiod., Aug., Cassiod., Aug.] quasi dicat : Quibus bonis ut repleamur, *Exaudi nos*. Tanto ante Incarnationem petit exaudiri : o *Deus* qui es *salutaris noster*, scilicet Jesus. Ecce de quo supra dixit : *Ad te omnis caro veniet. Spes omnium*. Secunda pars ubi laudes Dei et virtutes describit. Quasi dicat : Exaudi nos, tu dico qui es spes non modo Judææ, vel Africæ, sed *omnium finium terræ*. Ecce unde supra dixit : *Omnis caro ad te veniet*, etc. *et* etiam eorum est spes qui sunt *in mari longe*, id est in insulis, ad litteram. Vel ita, ut per mare, sæcu-

lum accipiatur. Et est : Tu es spes omnium qui sunt longe a patria. Ideo longe, quia sunt in mari, id est in sæculo. Mare enim dicitur in figura sæculi hujus amari falsitate, et tempestuosi procellis tentationum, ubi pisces invicem se devorant. Deinde subdit per quid sit spes omnium. Quasi per hoc est tu spes omnium, quia es

VERS. 7. — « Præparans montes in virtute tua ; « accinctus potentia ; qui conturbas profundum ma- « ris sonum fluctuum ejus. »

Præparans, [Cassiod., Aug., Cassiod., Aug,] ad agendum scilicet adversus competentes, *montes,* id est prædicatores, quos prædicare misit, et hoc *in virtute tua,* non ipsorum, quia per eos fecit miracula. Quomodo præparavit ? per hoc præparasti, quia *accinctus* es *potentia,* id est Deitate, quia humanitas Verbi majestate præcincta est, ut quod homo ex se non habuit, Deitas daret : *Qui conturbas,* Ecce quid per illos montes paratos fecit Deus. Qui conturbas ad pœnitentiam *profundum maris,* quasi non superficiem, sed corda in peccatis profundius mersa, et conturbas ad pœnitentiam *sonum fluctuum ejus,* id est sonantes contradictione, et fluctuantes persecutione. Postea repetit idem apertius.

VERS. 8. — « Turbabuntur gentes, et timebunt « qui habitant terminos a signis tuis ; exitus matu- « tini et vespere delectabis. »

Turbabuntur gentes, etc. [Aug.] Vel ita ab illo loco : *Accinctus,* Et legitur alia littera, quam ponit Augustinus, scilicet *circumcinctus potentatu tuo,* hoc modo tu præparas montes, qui es circumcinctus, id est undique cinctus a simili potentum, potentatu tuo, id est omnibus credentibus. Christus enim in medio Ecclesiæ est, undique cinctus, quia omnes communiter illum habemus, qui in eum credimus ; sed quia fides non est a nobis, sed ab eo potentatu suo, cinctus dicitur (100), hoc est candelabrum in tabernaculo Domini, habens tria brachia hinc, et tria inde, et in singulis per tria loca scyphos, sphæras et lilia, quia omnes sancti, quotquot ante adventum Christi, vel post fuerunt, in tribus ordinibus fidelium fuerunt, scilicet conjugatis et continentibus et rectoribus, in Christo radicantur. Unde : *Qui præcedebant* et *qui sequebantur clamabant, dicentes : Hosanna in excelsis* (*Matt.* XXI). Dico præparans montes. Et inde mare sæculi commotum est, et cœpit sanctos conturbare et persequi. Et hoc est, qui conturbas, ad persecutionem sanctorum ; profundum maris, id est corda principium, et etiam omnium impiorum, unde omnis commotio est [Cassiod., Aug., Cassiod., Aug.] Hæc turbata sunt cum viderent deos suos, et spes suas ad nihilum venire. *Et sonum fluctuum ejus, quis suffert ?* alia littera. Nullus ex se, sed ex Deo, qui præparat montes in virtute sua. Unde magis turbabuntur, dum istos plus diis suis valere cernunt. Unde sequitur : *Et turbabuntur gentes.* Primo non turbatis montibus. Montes enim inconcussi manserunt, sed gentes turbabuntur primo ; *et timebunt* etiam *qui habitant terminos* terræ. Jam enim Christiani timentur ubique. Unde timebunt ? *A signis tuis* id est miraculis, quæ per apostolos facta sunt, non solum prædicatione. Primo turbabuntur, et post *exitus matutini et vespere delectabis,* id est fortes facies in prosperis et in adversis. Mane enim est prosperitas, quia lætum est mane post tristitiam noctis. Vespere est adversitas. In his duobus tentatur homo, sed datur ei exire inde, ne capiatur lucris : cui Deus sunt divitiæ, ne etiam adversis terreatur, pro quo passus est Deus. Et est sensus : exitus matutini et vespere, id est prosperitatis et adversitatis ; delectabis, id est delectabiles facies jam in hac vita. Si enim non delectet hominem ipse exitus, non laborat inde exire, sed capitur lucris. Cui non place promissio Christi, et terret adversis quem non delectat ille qui pro eo voluit pati, ut faceret exitum ei. Qualiter hoc factum sit, subdit, quasi dicat : Quomodo facies hoc ? quia

VERS. 9. — « Visitasti terram et inebriasti eam ; « multiplicasti locupletare eam. »

Visitasti terram, [Aug., Alcuin., Cassiod.] id est misisti nubes, quæ compluerunt terram, *et,* earum prædicatione et doctrina, *inebriasti eam,* terram. Vel ita : Per prædicatores hoc facies. Nam intus doces eos, quibus prædicant ; et hoc est : visitasti terram, id est homines tuo adventu ; et inebriasti eos, interius Spiritu sancto, *et multiplicasti locupletare eam,* vel ditare eam, id est multimodis donis honorasti eam. Unde ditare aquis fluminis ? Et hoc est :

VERS. 10. — Flumen Dei repletum est aquis ; « parasti cibum illorum. quoniam ita est præpa- « ratio ejus. »

Flumen Dei, [Aug.] id est populus Dei prior, fideles scilicet, qui fuerunt in primitiva Ecclesia profundi ad recipiendum, *repletum est aquis,* id est donis Spiritus sancti, unde alii potentur et rigentur juxta illud : *Qui crediderit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ* (*Joan.* VII). Tu enim *parasti cibum illorum,* id est panem vitæ et intellectus Scripturarum. Bene dico parasti, *quoniam præparatio ejus* fluminis ita est, ut per misericordiam des, non quia meruerunt. Parasti, et, o Domine, inebriasti, donis Spiritus sancti, scilicet summos

VERS. 11. — « Rivos ejus inebria, multiplica « genimina ejus ; in stillicidiis ejus lætabitur ger- « minans. »

Rivos ejus fluminis, [Cassiod., Aug., Cassiod.] id est doctores. Quasi dicat : primitivi inebrientur. Vel, *sulcos ejus inebrians,* alia littera, idem sensus. Et *multiplica genimina ejus,* id est da imitatores provectos, a rivis generatos, quasi ex credentibus alii credant. *Et germinans,* scilicet rudis qui incipit, *in stillicidiis ejus* fluminis, id est in guttis doctrinæ ejus, *lætabitur,* quia inde proficit. Parvulis enim stillantur

(100) Ex Beda seu Alcuin. in Exod. XXV.

quædam, licet minora, quid per singula? *Benedices coronæ*. Vel ita illo loco: ab *Flumen Dei*, et per flumen intelligitur Dei misericordia. Unde multiplicasti ditare? ecce, *flumen Dei*, id est misericordia Dei, quæ pleno fluvio comparatur, *repletum est aquis*, id est repleta est refectione singulorum. Omnibus enim sufficiens expendi non potest. Post potum subdit de cibo spirituali, id est corpore Christi dicens: *Parasti etiam cibum illorum*, scilicet escam salutis. Vel hoc totum de sacra communione accipi potest, quando corpore ejus pascimur et sanguine potamur. Et est, *flumen Dei repletum est aquis*, et misericordia Dei potum sanguinis plene nobis ministrat. Parasti etiam cibum illorum, id est cibum Dominicæ carnis illis parasti. Et ne quid casu fieri putaretur, subdit, vere parasti, *quoniam ita est præparatio ejus* cibi, sicut a Deo disponit; sine quo nihil ibi fit. Et, o Domine, *rivos ejus*, id est apostolos et alios qui de flumine misericordiæ Dei biberunt, *inebrians*, ut sibi et aliis sufficiant, *multiplica genimina ejus*, ut per successiones prædicatio non deficiat. Idem sensus cum priori. *In stillicidiis ejus lætabitur germinans*. Nec hoc mutatur. Et vere facies quia

Vers. 12. — « Benedices coronæ anni benignitatis tuæ; et campi tui replebuntur ubertate. »

Benedices coronæ anni benignitatis tuæ, [Alcuin., Aug., Cassiod., Aug.] id est multitudini fidelium acquisitæ anno benignitatis tuæ, id est circulo qui est ab adventu Christi usque ad finem sæculi, id est tempore gratiæ, quo seminasti semen verbi, et crescit quod seminatur. Corona ergo anni benignitatis est totus mundus, ubi est Ecclesia et circulus ab adventu Christi, usque ad finem sæculi. Et dicitur corona, quia gloria victoriæ est vincenti diabolum. Et hæc corona, dicitur benignitatis Dei, ne quis glorietur de meritis suis. *Et campi tui*, id est homines æquitate pectoris et æqualitate justitiæ pleni, id est justi, *replebuntur ubertate* bonorum, vel imitatorum.

Vers. 13. — « Pinguescent speciosa deserti, et exsultatione colles accingentur. »

Pinguescent etiam *speciosa deserti*, [Aug., Cassiod., Aug., Cas.] id est gentilitatis. Desertum namque sunt omnes gentes, quibus nullus propheta missus. Hæ pinguedinem receperunt, quando apostoli ad eas venerunt, per quos decoræ factæ sunt. Ubi ergo prophetæ non sonuerunt, acceptus est Dominus prophetarum. *Et colles*, id est quos Deus erigit per humilitatem, quia Deus erigit humiles, *accingentur*, id est confortabuntur ad prædicandum aliis. Et hoc *in exsultatione*, quia veniunt ad regnum, et

Vers. 14.— « Induti sunt arietes ovium, et valles abundabunt frumento: clamabunt, etenim hymnum dicent. »

Arietes ovium, [Aug., Cassiod., Aug., Alcuin.] id est apostoli, duces gregis, *induti sunt* exsultatione, quia gaudent de fructibus suis. Vel, induti sunt veste nuptiali; id est charitate. *Et valles*, id est humiles populi, *abundabunt frumento*, id est fruge boni

A operis, quia multum fructum afferunt; *et clamabunt*, non in blasphemia adversus Deum, sed in hymno; *etenim hymnum dicent*. Et propter hoc abundabunt frumento.

Psalmus iste cantatur in exsequiis fidelium defunctorum, quia agit de reditu Babyloniæ hujus mundi ad patriam cœlestem, ad quam sancti in obitu de carne educti feliciter migrant, simplam stolam statim recipientes, donec in resurrectione stola geminæ beatitudinis glorificentur.

COLLATIO IN PSALMUM LXIV: « TE DECET, » ETC.

Vers. 1 — *Te decet hymnus, Deus, in Sion*. Hieron., *tibi silentium laus*, etc. Quem sequuntur Nebiensis, Pellicanus et Sanctes, *tibi silet laus*, etc.; Munsterus interpres pro Cajetano, et Campens., B *me exspectat laus, Deus*; Translator, *Tibi tribuitur laus*: Pratensis est cum nostra lectione. *Te decet laus*, דמיה DUMIIAH est homonynum ad *silentium*, *exspectationem* et *decentiam*. Diversa verba, idem spiritus. Quo agnoscimus omnem laudem ad Dei magnificentiam spectare: et ad quam universa lingua silet. Eccli. XLIII: *Exaltate eum quantum potestis, major est omni laude*. Cæterum *tibi reddetur votum in Jerusalem*. Jerusalem additum est a LXX, explicatioris intelligentiæ gratia, haud inepte.

Vers. 5. — *Sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate*. Hieronymus vertit, *sanctificatione templi tui*; Sanctes, *Sancti templi tui*; Pratensis, *sancto*
136 *templi tui*; Pellican., *sanctuario templi tui*; interpretes pro Cajetano, *sanctitate templi tui*. Sic Chaldæus. Munsterus, *in loco sancto templi tui*. היכרך קדש QUEDOSCH vel QUADOSCH HECALECA. Rationem secundæ pronuntiationis respexerunt LXX, eoque annexuerunt sequenti clausulæ in eodem versu. Se-
C quendo vero alteram pronuntiationem, fit pausa et finis versus, in eo quod est, *in sanctitate templi tui*. Mox sequitur exordium alterius versiculi, *terribilis*, Hier.; *terribiliter*, Pratensi; *in terribilibus*, ipsi Sancti; *terribilia*, quibusdam aliis. Unusquisque vertit quod sibi videtur magis accommodum.

Vers. 6. — *Et in mari longe*. Faber et Cæcus incessunt interpretem, qui debuisset dicere cum Hieronymo, *et maris longinqui*. Alias non vitatur incommoditas locutionis, nec inepta copulatio constructionis. In Hebr. ad litteræ κακοξήλιαν diceremus, *et maris longinquorum*, וים רחוקים VEIAM REHOQUIM, id est *eorum qui remoti degunt in mari*, ut etiam exponit glossa, id est eorum qui sunt longe in insulis. Ubi est nunc absurditas sermonis?

Vers. 7.— *Qui conturbas profundum maris*. Hieronymus et alii, *compescens sonitum marium*, adeo
D ut videatur contraria sententia, licet utrumque sit Dei et conturbare et compescere, quando vult, tempestatem maris. Cæterum apparet LXX legisse tzade loco schin. Quæ litteræ non ita multo distant in prolatione. Et he, pro chet, ubi scriptio proxima est, ut sit forsan מצבה MATZBEH, id est *faciens intumescere*, pro משביה MASCHBIA. Est autem canon apud Hebr. quod litteræ ejusdem exitus aut instrumenti permutantur. Nec est præterea infrequens Hebræis idem verbum contraria significare, ut ברך BEREC, *benedixit et maledixit*, קדש QUIDDESCH, *sanctificavit* et *profanavit*. Et in radice de qua loquimur adducit Sanctes LXX.

Vers. 9. — *Turbabuntur gentes*. Hebr. לאמים והמון VEHAAMON LEUMIIM. Hieronym. Pratensis, et Sanctes *reddunt multitudinem gentium et populorum*, ut respondeat superiori verbo *compescit*. Cæ-

terum המון HAMON, sigificat et *fremitum, tumultum*, ut pariter verterunt Munsterus, Pellicanus, Nebiensis, interpretes pro Cajetano, et Campensis, adeoque transferre poterat, reddendo verbum verbo; *et fremitus ad gentes*. Quod LXX extulerunt haud absone, *turbabuntur gentes*.

Exitus matutini et vespere delectabis. Sanctes per versionem suam nimis pressam, non reliquit locum intelligentiæ : quæ latius multo patet ex Hebræo. Transtulit enim pro *egressibus matutinis et vespertinis* (qui expresse habentur in Hebræo) *stellas matutinas et vespertinas*, ubi cogitur lector strictim accipere : quod inter tales angustias non est inclusum, ubi tum erit interpretatio illa D. August. *de egressu matutino*, hoc est prosperitate; *et vespertino*, hoc est adversitate, cum tamen Hebr. dicunt, מוצאי MOTZAE, id est *exitus*.

VERS. 10. — *Parasti cibum illorum*. Hebr. dicunt, *frumentum eorum*, דגנם DEGANAM. Poterat et istud præteriri, eo quod utriusque integer perseverat sensus, tamen leviter attingendum fuit, ut semper meminerimus quod sæpe inculcatum est, sensum de sensu a perito interprete maxime exprimendum esse : id quod et eruditi magno consensu prædicant.

VERS. 11. — *Multiplica genimina ejus*. Hieronym. *multiplica fruges ejus*; Pratensis, *æqua cumulos ejus*; Sanctes, *descendere fac in lineas ejus*; Munsterus, *demittis pluviam in valliculas ejus*; Pellicanus, *comprime glebas ejus*; interpretes pro Cajetano, *deprime cumulos ejus*; paraphrasis Campensis, *glebas ejus occa*. Ad idem et translator Chaldæus, *compesces aves ejus*; Nebiensis, *depone areolas ejus*; נחת גדודיה NAHETH GEDUDEHA. Versa, reversa quantum voles, non alio tandem pervenies, quam quo te ducebant interpretes. Nempe ut ex abundantia gratiæ divinæ crescat magis ac magis lucrum animarum per successiones generationum.

VERS. 11 et 12. — *In stillicidiis ejus lætabitur*. Hier. et Nebiensis, *pluviis irriga eam*; Pratensis, *imbribus lubricam fac eam*; alii, *imbribus* vel *stellis liquefac* aut *mollem redde eam*. Sensus non mutatur. Nam terra fertilis dicitur translatitie lætari, ut est illud :

Quid faciat lætas segetes, etc.

(VIRG., *Georg.*, lib. I, vers. 1.)

Sed quod mox sequitur, *germinans*, Hebr. copulant particulæ exordii proximi versus, quem aliter distingunt. Sic enim dicunt : *Et germini ejus benedic*, ubi nos *germinans*, nectimus ad id quod est

A *lætabitur*, facientes finem versiculi : deinde incipimus, *benedices coronæ*. Jam si legimus. צמחה TZIMEHAH, id est *germen ejus*. Si autem dicimus צימחה TZOMEAH, id est *germinans*, deinde *benedices coronæ*, Hebræi incipiunt versum, *coronasti*, relicto *benedices*, ut dictum est, ad finem præcedentis versiculi. Porro עטרת sine punctis vocalibus potest pronuntiari עטרת ATERETH, et tum est *corona*, vel עטרת ITTARTA, id est *coronasti*. Proinde ad variæ lectionis rationem, oportuit congruam adaptare versiculorum sectionem. Nec tamen usquam læditur sensus, et verba alia sunt, aut alio modo posita. Unde Hieronym. sic expressit mentem Prophetæ, *volvetur annus in bonitate tua*.

VERS. 12. — *Campi tui replebuntur ubertate*. Hieronymus, *vestigia tua rorabunt pinguedine*. Vel, ut volunt Pratensis, Pellicanus et interpretes pro Cajetano, *vestigia tua*, seu *viæ tuæ*; Chaldæus, *conculcationes itineris tui stillabunt pinguedinem*;
B translator ad Campensem, *orbitæ currus tui pinguedine stillant*; Sanctes pro *vestigiis* aut *campis* vertit *cœlos*; Nebiensis et Munsterus, *nubes*. Sed מעגל MAAGAL proprie est *semita, callis*, ut metaphorica locutio sic explicetur, *tanta erit ubertas, ut citius passus tui terant frugum exuberantem copiam, quam calces terram*. Sanctes accepit cœlos a rotunditate, quia radix unde flectitur nomen illud, nempe עגול AGOL, *rotundum* significat. Quod autem vertunt *stillant*, aut *rorant pinguedinem*, quid aliud sonat quam proventus affluentiam?

VERS. 13. — *Pinguescent speciosa deserti*. Pratensis, Munsterus, interpretes pro Cajetano, et paraphrasis Campensis, transferunt *habitacula deserti*. נאות NEOTH, si aleph ponatur vice vau sic, נוות NEUOTH, ut volunt aliqui, teste Munstero in lexico, interpretantur *habitacula*. Si vero inclinetur a themate נאוה NAUCH, id est *pulcher fuit*, tunc sunt loca amœna et pascuosa arva; sive loca ubi pascuntur
C jumenta. Ob id Hieronym. ad eum reddidit modum, *pinquescent pascuæ deserti*. Concinnit Nebiensis. Pellicanus, *irrorabuntur speciosa deserti*. Sanctes. *stillaverunt in campestribus deserti*. Translator ad Campensem, *speciosa pascua*. Ubique digna intelligentia.

VERS. 14. — *Induti sunt arietes ovium*. Hieron. vertit, *vestientur agnis greges*. Notum est Hebræos destitui casuum inflexione, id quod crebro parit diversum regiminis statum, atque recentiores Hebraismi professores vertunt, *vestient planities pecora*, aut *campi vestientur gregibus*. Cæterum כרים CARIM est æquivocum ad *arietes* et *campos*. Paraphrastes Chaldæus alium dat sensum, sicut et passim facit, *ascendent arietes super pecora*.

PSALMUS LXV.

PSALMI TITULUS : « IN FINEM CANTICUM PSALMI RESURRECTIONIS. »

Jubilate Deo, omnis terra. Titulus : *In finem canticum psalmi resurrectionis*. [Aug., Cassiod.] Judæi ex legis justitia sperabant sibi bona temporalia, et resurrectionem beatæ vitæ, licet in ea non intelligerent esse alia bona, quam hic. Unde non poterant respondere quæstioni Saducæorum de septemvira muliere quærentium cujus de septem esset in resurrectione (*Matth.* XXII). Postea cœpit etiam gentibus promitti resurrectio, credentibus in Christum qui resurrexit. Inde est psalmus iste contra superbiam et præsumptionem Judæorum, et pro fide gentium ad eamdem spem resurrectionis vocatorum, ut quo præcessit celsitudo capitis, sequa-
D tur humilitas gregis. Unde bene in titulo apponitur canticum. Et est sensus : *Canticum* istud, dirigens nos *in finem*, id est Christum, vel consummationem futuræ beatitudinis, est *resurrectionis*, quia hic est exsultatio de resurrectione capitis quæ præcessit, et corporis quæ futura est. Et est hoc canticum *psalmi*, quia pro resurrectione monet bene operari. Intentio : Monet ad jubilum et psalmum pro spe resurrectionis. Modus : Quatuor sunt partitiones. Primo monet omnes de resurrectione Christi gaudere, quæ omnibus dat vitam. Secundo incipientes invitat ad opera Dei consideranda, ut una fides jungat quos unum præmium exspectat, ibi *venite* et *videte*. Tertio monet gentes benedicere Deum, qui licet probet tribulationibus, tamen ducit ad re-

gnum, ibi, *benedicete, gentes*. Quarto item monet jam non rudes, sed devotos, exemplo suæ liberationis amplius confidere in Domino, ibi, *venite et audite*. Ecclesia ergo spe resurrectionis læta, universos ad canticum et psalmum invitans, ait, o

VERS. 1. — « Jubilate Deo, omnis terra, psal-« mum dicite nomini ejus ; date gloriam laudi ejus. »

Omnis terra, [Aug.] non solum Judæa, *jubilate Deo* ineffabili affectu pro gaudio resurrectionis. Est enim jubilus gaudium ineffabile, quod nec taceri nec exprimi potest. Hoc Deo fit, qui illud percipit. Et *psalmum dicite* ipso opere, ita quod homines audiant, id est percipiant. Et hoc effabili affectu. Fit enim psalmus opere, et hoc hominibus fit qui noscunt. Et hoc *nomini ejus* non vestro, ut quæratis gloriam vestram. Et *date gloriam laudi ejus*, non industriæ vestræ, quia infirma, et ea quæ non sunt elegit Deus, ne quis in se glorietur sed in Domino (*I Cor.* I). Non ergo faciatis ut Judæi, qui meritis suis dant justitiam, et gentibus invident gratiam. Dico jubilate, date gloriam. Et

VERS. 2. — « Dicite Deo : Quam terribilia sunt « opera tua, Domine ; in multitudine virtutis tuæ « mentientur tibi inimici tui. »

Dicite Deo, o *Domine*, *quam terribilia sunt opera tua !* [Cassiod., Aug., Hier., Aug.] Breviter mysteria Incarnationis dicit. Ea enim sunt opera terribilia, scilicet quod Deus factus est homo, quod passus, quod mortuus et hujusmodi, quæ dici possent amabilia ; sed terribilia dicit, ut timeas. Si enim gaudes propter prædicta, et time ne quod datum est humili, auferatur superbo, sicut factum est Judæis. Ne ergo insultes fractis ramis, sed time ne forte nec tibi parcat (*Rom.* II). Terribilia sunt opera tua, et hæc opera sunt *in multitudine virtutis tuæ* ; id est multa sunt et magna secundum virtutem tuam, sed licet sint multa opera, tamen *mentientur inimici tui tibi*. Vel ita, et agit de operibus et mirabilibus factis in Ægyptiis et filiis Israel. O Domine, quam terribilia, id est metuenda, sunt opera tua, de filiis Israel et Ægyptiis, quæ sunt facta, in multitudine virtutis tuæ, quæ tunc apparuit ! Et tamen, mentientur tibi inimici tui, visa virtute, quando viderunt in Ægypto virtutes, et signa in mari Rubro. Mentiti sunt, quando dixerunt : *omnia quæ præceperit nobis Deus faciemus et audiemus* (*Exod.* XXIV). Vel ita, et aliter distinguitur littera : Quam terribilia sunt opera tua, Domine. Hic distinguitur littera. Non mutatur horum verborum sensus. In multitudine virtutis tuæ mentiuntur inimici tui. Quasi dicat : Opera sunt terribilia. Quæ opera ? Mentiuntur tibi inimici tui, et hoc, in multitudine virtutis tuæ, id est ad hoc mentientur tibi inimici tui, ut appareat potentia virtutis tuæ, quæ maxime apparuit in resurrectione, quam hic innuit, ad quam exclusis mendacibus Judæis adhibeutur gentes. Ex mendacio ergo Judæorum qui dixerunt : *Nobis dormientibus furati sunt eum discipuli* (*Matth.* XXVIII) ; qui et prius in multis fuerant

A mentiti, dicentes : *In Beelzebud* **137** *ejicit dæmonia* (*Luc.* XI), multa fit tua potentia. Solent mentiri inimici cujusquam, ut potentiam ejus minuant, tibi autem econtra accidit, quia minus appareret potentia tua, si non mentirentur tibi inimici tui. Maxima potentia Christi, secundum hominem in resurrectione, unde psalmus intitulatur, apparuit. Unde hoc proprium signum potentiæ, scilicet resurrectionem commendat Dominus de similitudine Jonæ, dicens : *Sicut fuit Jonas in ventre cetæ*, etc. (*Matth.* XII.) Item : *Solvite templum hoc*, etc. (*Joan.* II.) Quo signo nihil est potentius. Fecerunt enim sancti, imo Deus in eis fecit multa miracula, et homines resuscitare, et mortuos resurgere, item morituros ; sed nullus in vitam æternam surrexit. Ad B commendationem ergo hujus potentiæ valuit mendacium Judæorum, quo ad crucem eum perduxerunt, ut sic resurgeret. Valuit et mendacium falsorum testium de solvendo templo ; quibus creditum est, et damnatur Christus (*Matth.* XXVI). Sed resurrexit, et illi falsi sunt. Accesserunt etiam mendacio, custodes sepulcri, qui probati sunt falsi. Auctus est et numerus mendacium, ut augeatur merces credentium. Mentiti sunt, et contra mendaces apparuit Christus veracibus. Illis ergo relictis in mendacio.

VERS. 3. — « Omnis terra adoret te et psallat « tibi ; psalmum dicat nomini tuo. »

Te [Hier., Cassiod., Aug.] cujus potentiæ mentiti sunt, *adoret* fide *omnis terra*, loco eorum substituta, C *et psallat tibi* opere, *et psalmum dicat* aliis, id est aliorum instructioni. Et hoc *nomini tuo*, o Altissime, qui paulo ante humillimus eras inter mendaces.

PARS. II. VERS. 4. — « Venite et videte opera Dei, terribilis in consiliis super filios hominum. »

Venite et videte. [Cassiod., Aug.] Secunda pars, ubi incipientes ad opera Dei consideranda invitat, ut una fides jungat, quos unum præmium exspectat, ubi exponens illa opera, aperte dicit resurrectionem pertinere ad gentes, repressis Judæis. Quasi dicat : Inimici sunt mentiti. Et o gentes, relinquite mendaces Judæos. Et, *venite*, confitentes peccata, *et videte*, id est cognoscite, *opera Dei* in quibus est terribilis, quia *terribilis* est *in consiliis* habitis *super* D *filios hominum*, id est super Judæos. Filii hominum habuerunt consilia perdendi eum ; ille habuit consilium excæcandi superbos, ut post humiliarentur, et salvandi humiles. Et quid fecit ? ecce hoc fecit consilio suo : ipse est

VERS. 5. — « Qui convertit mare in aridam, in « flumine pertransibunt pede ; ibi lætabimur in « ipso. »

Qui convertit mare, [Aug., Alcuin., Aug.] id est mundum amarum *in aridam*, scilicet ut sitiat aquam dulcem : et illi qui conversi sunt in aridam *in flumine pertransibunt pede*. Flumen est mortalitas sæculi, ubi alii veniunt, alii succedunt. Omnis qui de terra natus est, oportet ut cedat nascituro, et

omnis ordo iste relabentium rerum, quasi quidam fluvius ; sed qui in Christum credit, transit pede, id est facile humilis transit, et tutius transit, non in equo superbiæ quærit transire. Et est : Conversi in aridam, pertransibunt pede, id est facile, in flumine, id est in labenti mundo. Licet enim eis remissa sint peccata, tamen in decursu immortalitatis adhuc sunt. Non enim mox immortales. Et *ibi* scilicet, cum flumen transierimus, jam non mortales *lætabimur in ipso* Deo, non in nobis, quando ipse erit omnia in omnibus (*I. Cor.* xv). In quo ipso lætabimur ? in eo,

Vers. 6. — « Qui dominatur in virtute sua, in « æternum oculi ejus super gentes respiciunt ; qui « exasperant non exaltentur in semetipsis. »

Qui dominatur, etc. [Cassiod., Hier., Cassiod., Aug.] Vel ita sine distinctione, junge litteram, *ibi lætabimur in ipso qui dominatur in virtute sua.* Idem sensus est : Aliter totum ab illo loco, *venite.* Quasi dicat : Terribilia sunt opera, quæ ut sciatis, *venite*, vos longinqui, *et videte*, id est agnoscite, *opera* Dei, in quibus est terribilis, quia *terribilis* est, *in consiliis*, habitis, *super filios hominum.* Et agit de actualibus operibus olim factis in populo Israel : quæ sunt ea opera subdit, *ipse est qui convertit mare* Rubrum *in aridam* ad litteram : et in flumine Jordane, *pertransibunt pede* sicco, filii Israel, et *ibi* in operibus illis *lætabimur*, et hoc *in idipsum*, alia littera, id est *in eorum significatis.* Non enim in illis operibus propter ipsa, sed propter eorum sacramenta, id est significata lætamur. Cum ergo dicit in idipsum, jam sacramenta illorum operum ostendit, id est significata, in quibus lætantur Christiani. Maris namque transitus baptismum significat fluminis, quod mundus sine periculo potest transiri. Et in his lætantur Christiani. Et ipse est qui dominatur in virtute sua, *in æternum*, quod non homo. Nobis enim quæ virtus est ? Num æterna ? si æterna esset virtus nostra, non lapsi essemus, non cecidissemus in peccatum ; sed in eo erimus fortes, si ejus participes simus. Et hoc non solum Judæis prestat, quia *oculi ejus super gentes respiciunt*, id est illuminat gentes, ne prædictas promissiones putetis inanes. [Cassiod., Aug., Cassiod.] Unde Judæi, *qui exasperant* Deum vel *provocant in iram*, alia littera, *non exaltentur in semetipsis*, id est in genere et in carnalibus observantiis, non exaltentur pro lege, quasi plus illis debeatur. Omnes enim peccaverunt, sed in se humiles exaltentur in Christo. Nota quod qui Deum provocat solet exaltari in se peccata sua volens defendere, quod prohibet hic.

Pars III. Διάψαλμα. Vers. 7. — « Benedicite, « gentes, Deum nostrum, et auditam facite vocem « laudis ejus. »

Benedicite, gentes. [Cassiod., Aug., Alcuin., Cassiod., Aug.] Tertia pars, ubi monet gentes benedicere Deum, qui licet probet persecutionibus, tamen tentationibus ducit ad regnum. Hæc enim vi-
A dentur obviare promissæ resurrectioni. Quasi dicat : Oculi ejus super gentes respiciunt. Et quia nos illuminavit, o gentes *benedicite Deum nostrum*, in quo benedicimini. Unde : *In semine tuo benedicentur omnes gentes* (*Gen.* xxii) ; *et* aliis *auditam facite* palam, ut qui diligit Deum, diligat et proximum, ei annuntiando quidquid utile est, *vocem laudis ejus*, scilicet quam dicit Pater de Filio : Hic est Filius meus dilectus (*Matth.* iii), ac si diceret : Non vos ipsos, sed eum laudetis, cujus gratia sumus quod sumus. Ejus laudis dico vocem

Vers. 8. — « Qui posuit animam meam ad vitam, « et non dedit in commotionem pedes meos. »

Qui posuit animam meam ad vitam, [Aug.] quæ in morte erat in se, sed in eo vivit. Hic enumerat
B quibus causis prædicari debeat. Posuit animam meam ad vitam, et postea opus est ut perseveret in finem. Et hoc dedit, *et non dedit in commotionem pedes meos.* » Quæ enim causa commotionis est tibi, ecce

Vers. 9. — « Quoniam probasti nos, Deus, igne « nos examinasti sicut examinatur argentum. »

Quoniam probasti nos Deus, [Alcuin., Cassiod., Aug.] vel ita continua, non dedisti in commotionem, *quoniam probasti nos, Deus*, non in præceps dedisti, sed probasti adversis. *Et igne* charitatis, qui non sinit sentire tormenta. Vel igne tribulationibus *nos examinasti*, non in cinerem vertisti, sed sordes abstulisti, nobis ignem adhibendo. Examinasti dico, *sicut examinatur argentum*, non sicut fenum, quod
C omnino comburitur. Et

Vers. 10. — » Induxisti nos in laqueum, posuisti « tribulationes in dorso nostro ; imposuisti homines « super capita nostra. »

Induxisti nos in laqueum, [Aug., Cassiod., Aug., Cassiod., Aug.] id est in catenas, non ut capti moreremur, sed ut inde liberati experiremur. Laqueus iste non decipit, sed probat, *et posuisti tribulationes*, id est flagella, *in dorso nostro*, ut male erecti per superbiam, ad humilitatem curvemur. Et *imposuisti* quia ejus voluntate fieri permittitur, *homines*, scilicet occisores, *super capita nostra* ; patimur enim superiores quos novimus esse pejores. Tu hæc omnia fecisti, et nos

D Vers. 11. — « Transivimus per ignem et aquam ; « et eduxisti nos in refrigerium. »

Transivimus per ignem et aquam, [Gl. int., Aug., Cassiod., Aug.] id est per adversa et suavia. A simili alicujus, nec æstu nec pluvia, a via cessantis, ita et nos, nec prosperis, nec adversis tardamur, quæ per ignem et aquam signantur. Ignis namque urit, id est adversitas ; aqua corrumpit, id est prosperitas. Et attende congruum ordinem. Prius enim ignem, et postea aquam ponit. Vas enim igne solidatum aquam non timet ; si vero solidatum igne non fuerit, tanquam lutum aqua solvetur : sic et tu igne adversitatis excoctus, prosperitatis aqua non dissolveris. Inde est quod in sacramentis Ecclesiæ,

scilicet in catechizando et in exorcizando prius adhibetur ignis, unde spiritus immundus clamat : Ardeo. Post venitur ad aquam baptismi, ab aqua in refrigerium. Quod autem in sacramentis, hoc in tentationibus nobis fit. Si enim igne adversitatis coctus non crepas, nec prosperitatis aqua dissolveris, in refrigerium transis. Vel ad litteram. Per hæc elementa mors martyrum sæpe adimpleta est. *Et eduxisti* spe *nos*, post æstum tribulationum, *in refrigerium*, id est in requiem æternam, ubi est ignis optabilis, qui totum quod in nobis fragile est absumit, ut nihil nostrum remaneat, sed absorbeatur mors in victoria. Unde subdit : Et

VERS. 12. — « Introibo in domum tuam in holo« caustis ; reddam tibi vota mea quæ distinxerunt « labia mea. »

Introibo, [Cassiod., Alcuin., Aug., Alcuin..] tandem in re, *in domum tuam* futuram. Ecce refrigerium : Ecce hic dicit quæ bona Dei sint contra præcedentia mala. Introibo, *in holocaustis*, id est ut me offeram conspectui tuo. Vel in holocaustis bonorum operum prius in præsenti exhibitis, et tunc, scilicet cum introibo, *reddam tibi* cum angelis *vota mea*, id est laudum, quæ hic voveo, id est promitto, *quæ* vota *distinxerunt labia mea*. Non reddit qui non distinguit ; distinguit ille qui dicit se nihil esse, Deum omnia, et se Deo egere, non illum se. Vel ita : Introibo in domum tuam futuram ; et interim hic reddam tibi vota mea, scilicet meipsum. Quæ vota distinxerunt labia mea, id est quæ ratio mea omnibus prætulit. Cain recte obtulit, sed non recte divisit (*Gen.* IV), quia creaturam Creatori obtulit, sed se, quod charius est, subtraxit. Dico, reddam vota mea, quæ distinxerunt labia mea.

VERS. 13. — « Et locutum est os meum in tribu« latione mea. »

Et quæ *locutum est os meum*, [Gl. int., Alcuin.] id est cor meum, id est promisit *in tribulatione mea*, quia spe dulcis est tribulatio. Vel, quæ locutum est os meum, id est quæ hominibus manifestavi prævalere omnibus aliis votis, in tribulatione mea, non victus tribulatione. Et quid locutum est ? ecce ?

VERS. 14. — « Holocausta medullata offeram tibi « cum incenso arietum ; offeram tibi boves cum « hircis. »

Holocausta. [Aug., Hier., Cassiod., Aug., Alcuin.] Vel ita continua : Introibo in holocaustis, quia, dum vixero, *offeram tibi holocausta* mea, id est meipsum cum medulla intimi amoris. Intus enim charitas mihi est, non in superficie, ut est illis qui hominibus placent. Et hæc offeram tibi, *cum incenso arietum*, id est cum oratione apostolorum, qui sunt duces gregis, quia Deo placet quod traditione eorum fit. Vel secundum aliam litteram, quæ est : *Cum incenso et arietibus*. Et est : *Offeram tibi holocaustum cum incenso*, quod est oratio, quasi dicat, cum oratione. Et hoc faciam cum arietibus, id est cum apostolis, quia duces gregis, maxime orant

138 pro grege. Et *offeram tibi boves*, scilicet do-

A ctores, qui in vinea Domini operantur, *cum hircis*, id est cum peccatoribus qui peccata eleemosynis redimunt. Si enim triturantes offeruntur, non tamen remanent peccatores ; sed per pœnitentiam sanati, offeruntur et ipsi non per se, sed potius adjuncti bobus, quia fecerunt eos sibi amicos de mammona iniquitatis. Vel ita : *Holocausta offeram tibi boves cum incenso arietum*, alia littera, id est cum incensione et destructione bestialitatis ac repugnantiæ Vel, offeram tibi boves, id est cervicositatem, cum hircis, id est cum petulantia, hæc in me mactando vitia.

PARS IV. Διάψαλμα. VERS. 15.— « Venite, audite, « et narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecit « animæ meæ. »

B *Venite*. [Cassiod., Gl. int,, Aug.] Quarta pars, ubi jam expositis omnibus, item monet non jam rudes, sed devotos, ut suæ liberationes exemplo amplius confidant in Domino, benedicens eum de exauditione. Quasi dicat : Ita ego facio, et, o vos gentes *omnes, venite* fide, et *audite* mente, *et narrabo*. Vos dico *qui timetis Deum*. Si enim Deum non timetis, non narrabo, nec vos audietis, quia timor Dei aures aperit. Narrabo *quanta fecit animæ meæ*. Si vultis, eadem faciet animæ vestræ. Deinde exponens quanta fecit animæ suæ, subdit :

VERS. 16. — « Ad ipsum ore meo clamavi, et « exaltavi sub lingua mea. »

Ad ipsum ore meo clamavi. [Aug., Cassiod.] Quasi dicat : Hoc fecit animæ meæ, ut clamarem ad ipsum, C cum gentes ad idola muta clament. *Et* hoc fecit quod *exaltavi sub lingua mea*, id est quod intus habeo, extra loquor. Et est sensus : Clamavi et exaltavi id est ipsum publice prædicavi, et in secreto confessus sum quod in ore, hoc in corde habeo. Inde holocausta sunt medullata : his duobus perfectus est Christianus. Et hoc fecit, quod

VERS. 17. — « Iniquitatem si aspexi in corde meo, « non exaudiet Dominus. »

Iniquitatem non *aspexi in corde meo*. [Aug., Alcuin.] Quia *si iniquitatem aspexi in corde meo*, non ideo dicit hoc quod non suggeratur ei, sed non amatur, id est non dilexi iniquitatem in corde meo. Multi enim apud se amant quod in aliis damnant, erubescentes forte propter homines. Si, inquam, D aspexi iniquitatem in corde meo, *non exaudiet* me *Dominus*, quia sic, id est non ascipiendo iniquitatem, puritas orationis auditur, et non aliter. Et nota quod ait, in corde meo. Suum enim cor est, quando non est perversum. Ecce proponit iste meritum, ut discant alii prius laborare quam præmium quærant. Inde de præmio subdit :

VERS. 18. — « Propterea exaudivit Deus ; et at« tendit voci deprecationis meæ. »

Exaudivit. [Cassiod., Aug] Quasi dicat : Quia iniquitatem non aspexi, *propterea exaudivit me Deus, et attendit voci deprecationis meæ*. Ecce vicissitudo ; intendentem intendit Deus, hæc bona fecit Deus animæ meæ. Unde

VERS. 19. — « Benedictus Deus, qui non amovit orationem meam et misericordiam suam a me. »

Benedictus sit *Deus*, [Aug., Cassiod.] quia sic perveni spe ad resurrectionem, *qui non amovit orationem meam et misericordiam suam a me*, sed perseveranter facit orare, ut non in oratione tepescam, et perseveranter miseretur. Si non amota est oratio, securus esto, quod nec misericordia, quæ si differt quod dandum est, non aufert. Hæc enim duo connexa sunt : si non suspenditur oratio, non protelatur misericordia.

COLLATIO IN PSALMUM LXV : « JUBILATE DEO, » ETC.

VERS. 4. — *Terribilis in consiliis super filios hominum.* Sanctes dicit, *terribile opus* ; Pratensis, Munsterus, et interpretes pro Cajetano, *terribilis opere.* נורא עלילה NORA ALILAH. Prior particula potest referri ad Deum, aut ad opus, ut si variat structura, sensu perseverante. Rursus עלילה ALILAH non simpliciter importat opus, sed est adinventio studiosa ; eoque apposite *versum est consilium.* Et Chaldæus habet, *auctor adinventionum*. Hinc Hier. *terribilia consilia*, quem sequuntur Pellicanus et Campensis.

VERS. 6. — *Qui dominatur in virtute sua in æternum.* Faber et Cæcus tradunt hic non agi de æterna Dei potestate, sed temporali dominatu, suum judicium formantes ex versione Hieron., *qui dominatur in fortitudine sua sæculo.* Quasi dicat : Qui suo imperio hunc gubernat mundum. Atqui vocula Hebræa עֹלם OLAM, quæ hic habetur, haud improprie significat perpetuitatem, et maxime cum littera vau. Quod autem ex diametro pugnent adversus Hieronymum, certum est ex ipsissimo, ut ita loquar, clare demonstrare. Is interpretatus illud ad Gal. I : *Ut eriperet nos de præsenti sæculo malo*, in hunc modum disserit. Quærendum quoque quid sit inter sæculum et sæculum sæculi, sive sæcula sæculorum ; et ubi pro brevi temporis spatio, ubi pro æternitate ponatur, quia in Hebræo sæculum, id est עֹלם OLAM, ubi vau ו litteram positam habuerit, æternitatem significat. Ubi vero sine vau ו scribitur, annum quinquagesimum, quem jubilem vocant. Ob hanc causam, et ille Hebræus qui propter uxorem et liberos amans dominum suum aure pertusa servitio subjugatur, servire jubetur in sæculum, hoc est usque ad annum quinquagesimum. Hactenus Hieronymus.

VERS. 10. — *Induxisti nos in laqueum.* Hier. et

A Nebiensis vertunt *obsidionem*. Alii translatores nobis consonant, sed Hieronymus accepit מצודה METZUDAH, a radice מצד MATZAD, quod est obsedit. Alioqui a themate ציד TZOD, laqueum proprie significat.

Posuisti tribulationes in dorso nostro. Hieronymus alludens ad flagella, posuit *stridorem*. Sic et Nebiensis : alii *catenam* ; nonnulli *angustiam in lumbis nostris*. Nec alio declinat res ipsa.

Imposuisti homines super capita nostra. הרכבה HIRCABTA, id est *æquitare fecisti*, ut efferunt Sanctes, Nebiensis. et pro Cajetano interpretes. Hieronymus et alii Neoterici agnoscentes locutionem figuratam stant a nobis. Unde translator ad Campensem, *imponis velut jumento*, etc.

VERS. 11. — *Eduxisti nos in refrigerium.* Quomodo et Hieronymus, Pellicanus et Campensis, Sanctes, *in terram irriguam*, sic Cajetani doctores ; Pratensis, *abundantiam* ; Munsterus, *in locum uberem* ;
B Nebiensis, *saturitatem* ; Chaldæus, *latitudinem*. Sed hæc quid sonant, quam opulentam requiem, per refrigerii symbolum insinuatam ? Et translator ad Campensem dicit, *refrigerium*.

VERS. 14. — *Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum.* Hieronymus ad Suniam et Fretellam docet male haberi in Græco *cum incenso et arietibus*, μετὰ θυμιάματος καὶ κριῶν, quia Hebr. עם קטרת אלים IN QUETORETH ELIM.

VERS. 16. — *Exsultavi sub lingua mea.* Hebr. habet, ורוממ VEROMAM, hoc est, auctore Hieronymo, *exaltavi.* Vel ut alii volunt, *exaltatus est*, videlicet a me, *eoque exaltavi.* Et Græce legitur, ὕψωσα. Unde nolo stulta contentione defendere typographorum depravationem. Et apparet antiqua exemplaria habuisse *exaltavi*, cum glosa marginalis ascribat alias *exaltavi.* Unum tamen scio, quod, quantum
C ad sensum rei pertinet, *exsultare* quandoque usurpari pro *exaltare* sive *laudare*. Quod ne diffidas, Chaldæus interpretatur, *laus ejus sub lingua mea.* Rursus psalm. LVIII, versu 19 : *Ego autem cantabo fortitudinem tuam, et exsultabo mane misericordiam tuam.* Græce ponitur ἀγαλλιάσομαι, et non ὑψώσω, ne quis putet esse aberratum in *exsultabo* pro *exaltabo*, quanquam sententia eo tendat : quam Hebræi dicunt illic, *laudabo* ארננם ARANNEM. Proinde si *exsultare* sit cum *exsultare, laudare*, ut est illud psalm. L : *Exsultabit lingua mea justitiam tuam* : ἀγαλλιάσεται ἡ γλῶσσά μου τὴν δικαιοσύνην σου, nihil video periculi, si legamus, *exaltavi sub lingua mea*, quanquam ad verbum rectius esset *exaltavi.* Nec tamen velim contentionibus deservire.

PSALMUS LXVI.

PSALMI TITULUS : « IN FINEM IN HYMNIS, PSALMUS CANTICI DAVID. »

Deus misereatur nostri. Titulus : *In finem in hymnis, psalmus cantici David.* [Cassiod., Gl. int,. Cassiod.] Post canticum resurrectionis, suam Propheta subdit deprecationem, orans ut benedicti ad Dei cognitionem ducantur et prophetans benedictionem omnium gentium per adventum Christi, unde monet eum laudare. Et est sensus tituli : *Psalmus* iste, qui monet ad bene operandum, est *cantici*, quia hic est exsultatio de benedictione, et mittens nos *in finem*, id est in Christum. Et est *in hymnis*, id est in laudibus exhibendis, *David*, id est Christo. Intentio : Monet ad laudem. Modus : Tripartitus est
D psalmus. Primo precatur benedici, ut habeatur notitia Salvatoris. Secundo hortatur confiteri pro directione et judicio, ibi, *confiteantur*. Tertio eadem admonitio ponitur, sed ad aliud tendens, ibi, *confiteantur*. Et quia in præcedenti psalmo monuerat nos benedicere Deum, quod non possumus, nisi ipse prior benedicat nos. Ideo hic precatur benedici dicens :

VERS. 1. — « Deus misereatur nostri et benedicat nobis, illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri. »

Deus misereatur nostri et benedicat nobis. [Aug., Cassiod., Alcuin., Aug.] Prior enim in nobis est benedictio Dei, quæ est quasi pluvia, terram nostræ

mentis irrigans. Inde nos benedicimus eum, quod est quasi fructus, et in utroque nos crescimus, non ipse. Dicat ergo desiderans pluviam Dominicæ benedictionis : *Deus misereatur nostri* prius, *et* post *benedicat nobis*. Prius enim miseratur Deus erranti, reducendo ad viam. Postea benedicit, bonis augendo ; benedicit enim Creator creaturæ, multiplicando numero et merito. Benedicit creatura Creatori, corde, voce et opere laudando, et omne bonum quod habet ei ascribendo. Sed quia multi volunt benedici copia rerum temporalium, scilicet prole et aliis hujusmodi, quæ quidem omnia sunt a Deo, sed communia sunt bonis et malis, addit quod proprium est justis, *illuminet vultum suum*, etc. Hæc est benedictio dexteræ, quæ tantum bonorum est. Illa est benedictio sinistræ, quæ communis est bonis et malis. Si enim solis bonis Deus daret bona sæculi, putaret malus propter hæc colendum esse Deum. Quod si solis malis daret, timeret infirmus ad Deum converti, ne hæc deessent sibi, quem nutrit prius agricola, non subtrahendo ista. Dat ergo bonis, ut consolentur intrantes ; dat et malis, ut discant boni quærere alia non communia malis. Tollit ea bonis, ut probent se fortes sicut Job ; tollit ea malis, ut infirmus non timeat perdere quæ perdit, et malus cui nihil remanet intus. Hic vero si persistat, habet intus quo se consoletur. Aliter enim erit utrobique vacuus. Ecce cur ista dantur. [Cassiod., Aug., Cassiod.] Vel tolluntur communiter bonis et malis. Iste ergo benedictionem dexteræ desiderans, ait : Illuminet. Quasi dicat : Ita benedicat, ut illuminet vultum suum super nos, id est ostendat Deus Pater vultum suum nobis, scilicet claritatem Filii sui, qui est vultus Patris. Illuminet nos, ut ab eo capiamus lucem, quia nemo potest eum videre, nisi qui claritate vel charitate ejus perfusus **139** est. Non ideo dicitur illuminet vultum suum, quod vultus ejus, qui est lumen de lumine, sit sine lumine, sed ideo ut id quod est reveletur super nos. Et ideo dicit non simpliciter, illuminet vultum suum, sed addit, super nos. Vel ita, ut per vultum accipiatur imago Dei quam nobis impressit, id est ratio. Et est, vultum suum impressum super nos, id est imaginem suam, scilicet rationem animæ nostræ impressam. Illuminet sapientia, ne ipsa sit in tenebris, ut sciamus nos factos ad imaginem Dei, et si a nobis deformata est, ab ipso reformetur. Et misereatur nostri, ecce unde incepit. Misericordia enim incipit, misericordia nos conservat. Illuminet ad hoc,

VERS. 2. — « Ut cognoscamus in terra viam tuam, « in omnibus gentibus salutare tuum. »

Ut cognoscamus, [Aug.] o Deus, *viam tuam*, id est quæ ad te ducit, id est quo et qua eamus, quod in tenebris fieri non potest, id est Christum, *in terra*, id est in hac vita, sicut in cœlo est. In qua terra? scilicet *in omnibus gentibus*. Quam vitam? *salutare tuum*, id est Christum.

PARS II. VERS. 3. — « Confiteantur tibi populi, « Deus : confiteantur tibi populi omnes. »

Confiteantur. [Cassiod., Aug.] Secunda pars, ubi post notitiam hortatur confiteri Deo, pro directione et judicio. Quasi dicat : Et quia cognoscitur Christus in gentibus, quæ viam invenerunt, *confiteantur tibi*, etc, Vel ita continua : Dico cognoscamus, et cum cognoverint, o *Deus, confiteantur tibi populi*, id est se accusent et te laudent. Et non tantum populi terræ unius, sed *omnes populi confiteantur tibi*, ne dicatur Ecclesia non ubique diffusa, et si confitentur.

VERS. 4. — « Lætentur et exsultent gentes, quo« niam judicas populos in æquitate, et gentes in terra « dirigis. »

Lætentur, [Aug., Cassiod., Aug.] quia hæc confessio non ducit ad pœnam, quia qui jam confessi sunt, non timent futura judicia, tanquam ibi damnandi, quibus Christus est advocatus, indultor, non vindex, non ultor ; *et exsultent gentes*, quia bonus est, cui confessio fit. Nam et confessus liberat, et superbos damnat. Unde consequenter subdit, convertens sermonem ad ipsum ; *quoniam judicas*, id est judicabis in judicio futuro, *populos in æquitate*. Et æquitas illa non est timenda bonis, quia modo dirigit illos. Unde subdit : *Et gentes in terra dirigis* ad bona.

PARS III. VERS. 5. — « Confiteantur tibi populi, « Deus, confiteantur tibi populi omnes : terra dedit « fructum suum. »

Confiteantur. [Cassiod., Aug., Cassiod., Hier.] Tertia pars, ubi eadem admonitio ponitur, sed ad aliud tendens, ad hoc scilicet, quod terra dedit ructum, ut etsi idem initium sit, sensus tamen ad diversa tendat. Gaudens igitur ait : *Confiteantur tibi populi, Deus, confiteantur tibi populi omnes*. Repetit eadem quæ supra dixerat in exhortando, adjiciens aliam rem, scilicet de fructu terræ, et frequentato verbo postulat nos benedici. Unde sequitur, *terra dedit*. Quasi dicat : Ideo confiteantur, quia terra dedit *fructum suum*, id est Maria genuit Christum, hæc terra de nostro limo, de nostro luto, de Adam dedit florem primum, qui ait : *Ego flos campi* et *lilium convallium* (*Cant.* II). Iste ergo flos fructus factus est, ut illum ederemus, ut carnem ejus manducaremus. Iste ergo fructus est virgo de Virgine, Dominus de ancilla, Deus ex homine, filius ex matre, fructus de terra. Et in hoc fructu, et in hoc semine

VERS. 6. — « Benedicat nos Deus, Deus noster ; « benedicat nos Deus ; et metuant eum omnes fines « terræ. »

Benedicat nos Deus. [Hier., Aug., Gl. int., Aug., Hier., Aug.. Cassiod.] Vel ita : Terra, id est homo. Christus dedit fructum suum, id est reperationem, benedictionem. Unde : Benedicat nos Deus. Vel ita, ut pro terra accipiatur Ecclesia, quæ prius spinis plena erat, sed accessit vocatio divinæ majestatis, et sic protulit fructum bonum, scilicet tricesimum, sexagesimum et centesimum. Et hoc est terra, quæ prius spinas germinabat, id est Ecclesia ; de-

dit confitendo, fructum suum, id est bona opera : in Jerusalem dedit primo, jam fructum, quia primo ibi compluta dato Spritu, ibi facta sunt miracula, linguis omnium sunt locuti, conversi omnia sua distribuebant pauperibus, sed non illa sola, quæ est in Jerusalem hoc debet, imo, benedicat nos Deus, etiam, etc. Vel ita continua : *Terra dedit fructum*, sed non nisi per benedicentem Deum, ideo ut fructum demus, *benedicat* etiam *nos Deus* Pater, *Deus* Filius, *noster*, non gentium, *benedicat nos* etiam atque etiam multiplicet *Deus* Spiritus sanctus ; per hoc enim quod ter dicitur *Deus*, notatur trinitas personarum ; per hoc quod dicit *eum*, et non eos notatur unitas. Unde sequitur : *Et metuant eum.* Quasi dicat : Ad quid valet benedictio ? ad metum. Et ideo *omnes fines terræ* metuant eum, quia veniet judex, qui prius humilis. Agnoscamus humilem, ut non expavescamus excelsum. Ecce metus Dei inter alia beneficia postulatur, ut credita caute custodiantur, timor Dei incipit et consummat. Qui timere novit, amare non desinit.

Psalmus iste in matutinis laudibus illi psalmo adjungitur, qui tertio loco cantatur, quia in hoc psalmo benedictio Trinitatis imploratur, cujus una eademque est sine diversitate essentia. In psalmo quoque illo, scilicet *Deus, Deus meus, ad te de luce vi-* A *gilo*, sitis atque ariditas exponitur. In isto vero Dominicæ benedictionis pluvia ad recificiendam sitim postulatur, ideoque conjunctim cantatur.

COLLATIO IN PSALMUM LXVI : « DEUS MISEREATUR NOSTRI, » ETC.

VERS. 1. — Clausula in fine resumpta : *Et misereatur nostri* est addititia ad ferventiorem affectum excitandum, quod licere LXX interpretibus non est insolitum certo consilio, etsi nobis ignoto. Nam video sæpius alios nonnullos appendices subtexere, qui aut diversum faciunt sensum, aut certe alio distrahunt. Verbi causa, psalm. XXXV legimus : *Non veniat mihi pes superbiæ.* Munsterus dicit : *Non veniat mihi pes superbus hostium.* Et in alio psalmo præcedenti : *Retribuebant sterilitatem animæ meæ.* Munsterus : *Conati sunt privare me anima mea.* Rursus psal. XLV : *Vacate et vinete.* Idem : *Dimittite co-* B *natum vestrum et scitote*, etc.

VERS. 6. — Ultimum versum dirimunt Hebræi in duos versiculos, quantum ad distinctionem scriptionis ; sed quatenus ad sententiam attinet, opportet esse unum : alias distinctim insinuaretur Trinitatis mysterium cum unitate essentiæ, quod non perinde arridet ac quadrat : ad quod tamen nos mittit ex hoc loco Hieronymus : « Videte mysterium Trinitatis in uno versiculo comprehensum. » Id vero annotatum sit, ne quis putet semper faciendam esse sententiarum distinctionem, juxta partitionem versuum. Et causam ex parte in superioribus reddidimus.

PSALMUS LXVII.

PSALMI TITULUS : « IN FINEM PSALMUS CANTICI DAVID. »

Exsurgat Deus, etc. Titulus : *In finem psalmus cantici David.* [Alcuin., Cassiod.] Agit hic propheta de exaltatione Christi et Ecclesiæ. Hic et in futuro, et inimicorum dejectione atque ruina, ut malos terreat, bonos lætificet. Unde monet et titulo et psalmo psallere Deo et exsultare. Et est sensus : Iste *psalmus cantici* dirigens nos *in finem*, id est in Christum, est *David prophetæ*, qui hic agit de exaltatione Christi et suorum, et adversariorum ruina, modum suæ locutionis formans ab eo quod Mosi et filiis Israel contra hostes dimicantibus olim contingebat. Elevata quippe arca Domini, hostes suos superabant, atque in elevatione arcæ verbis his similibus Moses usus fuisse dicitur : Exsurgat Deus, etc. (*Josue* VI.) Arca vero Christum significat, in D quo omnes sunt thesauri sapientiæ et scientiæ Dei absconditi (*Coloss.* II), cujus resurrectionem per quam disperguntur inimici, hic orat Propheta. Intentio : Monet ut omnes Deo cantent. Modus : Sex sunt partitiones. Primo, resurgente Christo quasi elevata arca, quid bonis malisque futurum sit, hic et in futuro dicit, ut illos terreat, hos lætificet. Secundo agit de verbo Evangelii, ibi, *Deus, cum egredereris.* Tertio agit de donationibus Christi ascendentis, ibi, *dum discernit.* Quarto exponit Dei operationes, ibi, *Deus noster.* Quinto precatur et affirmat ut Ecclesia dilatetur et confirmetur, ibi, *in* C *ecclesiis.* Sexto dicit quod veniet Christus ad judicium, qui ascendit, ibi, *psallite.* Propheta ergo precans Christum per resurrectionem exaltari, ait :

VERS. 1. — « Exsurgat Deus et dissipentur inimici ejus : et fugiant qui oderunt eum a facie « ejus. »

Exsurgat Deus, [Cassiod., Gl. int. Aug., Cassiod.] id est resurgat Christus a morte. Confidenter optat Propheta quod scit futurum ; *et dissipentur inimici ejus*, hic in resurrectione Christi, et post in futuro judicio. Hoc jam factum est quia surrexit Christus, et dispersi sunt Judæi per omnes gentes. *Et qui oderunt eum*, scilicet pertinaces in malo, *fugiant a facie ejus*, non loco, quia ubique præsens est, sed metu animi, scilicet timendo, non latendo. [Aug., Cassiod., Aug.] Et est sensus : Tollantur animi metu et voluntate a præsentia ejus, scilicet Dei, qui ubique præsens est, et est grave maledictum, et horrenda increpatio, ut velint et conentur quod nullatenus fieri potest. Vel ita : Et agit de præsentia Dei, qua in sanctis venit. Unde : *Amodo videbitis Filium hominis venientem in nubibus cœli* (*Matth.* XXVI). Et est : Fugiant a facie ejus, id est a præsentia ejus, scilicet Dei, non ab ea quam non vident, quia ubique est, sed a præsentia ejus qua venit in nubibus (*Apoc.* I), id est in præconibus, id est timeant a præsentia sanctorum.

VERS. 2. — « Sicut defecit fumus deficiant ; sicut

« fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a A « facie Dei. »

Deficiant sicut fumus defecit. [Cassiod.. Aug., Hier.] Fumus ex flamma procedens vanescit ascensu, ita ex flamma nequitiæ fumifera producunt et ipsa elatione deficiunt. Extulerunt namque se ignibus odiorum, et insultantes crucifixo ; et inde mox evanuerunt, et in futuro. *Sic pereant peccatores a facie Dei, sicut cera fluit*, id est annihilatur *a facie ignis*. In judicio enim a facie Dei tollentur mali, qui erit ignis ad pœnam impiorum et lumen justorum. Vel de pœnitentibus dici potest in bono. Quasi dicat : Odientes fugiant et dissipentur ; sed alii sicut deficit fumus deficiant, non ut in nihilum reducantur, sed ut quiescant a peccatis suis. Et sic pereant peccatores in eo quod mali sunt, a B facie Dei, id est a præsentia gratiæ ejus. Sicut fluit cera a facie ignis, ut lacrymis pœnitentiæ, admoto igne Spiritus sancti, duritia eorum solvatur.

Vers. 3. — « Et justi epulentur et exsultent in « conspectu Dei : et delectentur in lætitia. »

Et econtra *justi epulentur*, [Aug., Cassiod., Aug., Cassiod.] id est jucundentur a contemplatione Dei hic et in futuro, scilicet qui in vinea laboraverunt, reficiantur in deliciis quæ sunt in conspectu Dei. *Et exsultent* vel modo, vel tunc, non tanquam coram hominibus per vanam jactantiam, sed *in conspectu Dei*, qui sine errore inspicit ; *et delectentur* in futuro *in lætitia :* jam non exsultent cum tremore, hoc posset eos delectare quod læti sunt, quia non C est finienda eorum lætitia, sicut mundi.

Vers. 4. — Cantate Deo, psalmum dicite nomini « ejus ; iter facite ei qui ascendit super occasum, « Dominus nomen illi. »

Cantate Deo. [Aug., Cassiod., Aug.] Convertit se ad eos, quibus tantam spem dedit. Vel hortatur eos. Quasi dicat : Resurrexit Dominus, et ideo cantate mente vivendo *Deo*, et *psalmum dicite nomini ejus*, id est recte operamini gloriæ ejus. Et sic *iter facite ei* in corda credentium. Vel corda vestra parate ut intret, quia impolluta via ejus. Et ideo iter facite, *qui ascendit super occasum*. Occasus **140** enim mortis, id est vitiorum et peccatorum, cedit illi super quem sol justitiæ oritur, quia non eum D excipit nova vita, nisi vetus occiderit. Vel, ascendit super occasum, [Isid.] quia resurgendo casum corporis vicit Morte quippe sua mortem nostram consumpsit, unde serpens Mosis serpentes magorum Pharaonis absorbuit (*Exod.* VII). [Cassiod., Aug.] Et ne dubites quis iste sit, quia *Dominus* est *nomen* essentiale *illi*, quem ut communem hominem Judæi occiderunt, qui essentialiter Dominus est. Quod si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent (*I Cor.* II). Unde ait Dominus duobus discipulis, quos misit in castellum : *Et si quis vobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus his opus habet* (*Matth.* XXI). Et etiam dum faciendo iter occurrunt tristia :

Vers. 5. — « Exsultate in conspectu ejus : turba- « buntur a facie ejus patris orphanorum, et judicis « viduarum. »

Exsultate, [Aug., Cassiod., Aug., Alcuin,, Aug.] non modo non deficiatis, *in conspectu ejus*, non hominum, id est in consideratione præmii futuri, quæ ærumnas mitigat. Ideo exsultate, quia qui vos turbant in conspectu hominum, *turbabuntur a facie ejus*. Cujus ejus ? *Patris orphanorum*. Quasi dicat : Non estis destituti ut putatur. Orphani sunt quibus mortuus est pater, scilicet mundus et diabolus, et mater concupiscentia : *et judicis viduarum*, scilicet spe sæculi carentium, quibus etiam error maritus moritur, in quibus talibus Deus habitat, quos colligit, quos trahit, quia de viduis et orphanis facit sibi templum, in quo est de quo subdit :

Vers. 6. — « Deus est in loco sancto suo, Deus, « qui inhabitare facit unius moris in domo. »

Deus est in loco sancto suo. [Aug.] In quo loco ? non extra nos, sed in nobis. *Deus* enim est *qui inhabitare facit* homines *unius moris in domo*, id est unanimes, unum sentientes (*Philipp.* II), colligit in unum. Iste est locus sanctus Dei non omnes qui sunt in domo, in qua sunt etiam vasa contumeliæ (*Rom.* IX). Ipse ergo sibi locum ædificat in quo maneat, qui non requiescit nisi super humilem et quietum (*Isa.* LXVI). Hunc autem locum gratia ædificat, non meritis. Unde subdit :

Vers. 7. — « Qui educit vinctos in fortitudine, « similiter eos qui exasperant, qui habitant in se- « pulcris. »

Qui educit vinctos, [Aug., Cassiod., Aug.] quia solvit vincula peccatorum. Unde alibi : *Dirupisti vincula mea* (*Psal.* CXV), *in fortitudine* sua, per quam fortes sunt qui ante non erant. Vel educit de inferno vinctos qui ibi tenebantur, ad cœlum, in fortitudine sua, qua fortem, id est diabolum, alligavit. *Similiter* educit *eos qui exasperant*, scilicet blasphemos in Deum. Vel, qui exasperant, persequendo bonos, et resistendo justitiæ, cum sint omnino mortui in operibus mortuis. Unde sequitur : *Qui habitant in sepulcris*, id est in carnalibus et fetidis, et mortuis operibus sepulti sunt, ut nec velint, nec possint ambulare. Vincti vero volunt, sed non possunt ; et hi tamen solvuntur per gratiam et illi suscitantur.

Pars II. Διάψαλμα. Vers. 8. — « Deus, cum egre- « dereris in conspectu populi tui ; cum pertransires « in deserto. »

Deus. [Cassiod., Aug.] Secunda pars, ubi agit de verbo Evangelii exhibito hominibus per egressum Christi, id est per incarnationem Christi. Quasi dicat : Vere educis, quia o *Deus, cum egredereris*, vel *egredieris*, alia littera, *in conspectu populi tui*, id est cum appareres hominibus per opera tua. Egreditur enim Deus cum apparet in operibus, sed non nisi his qui norunt ejus opera intueri, hi sunt populus ejus ; hæc scilicet quod vinctos solvit, quod mor-

tuos suscitat. Et *cum pertansires*, vel *pertransieris, in deserto*, vel *desertum*, id est ad gentes id est cum prædicaveris gentibus.

VERS. 9. — « Terra mota est : etenim cœli distillaverunt a facie Dei Sinai, a facie Dei Israel. »

Terra mota est, [Aug.] id est terreni ad fidem excitati sunt. Sed unde hoc? *etenim*, id est quia *cœli*, id est apostoli, *distillaverunt* pluviam, id est gratiam. Et hoc *a facie Dei*, id est non a se, sed a Deo, qui in illis est; *mons Sina a facie Dei Israel*, subaudi distillavit. Quasi dicat : Et præ aliis *mons Sinai*, alia littera, *distillavit a facie Dei Israel*, id est Paulus apostolus gentium, qui plus omnibus stillavit doctrinæ guttas (*Cor.* XV), qui bene significatur per montem Sina, quia prius fuit geminatus, vel generatus in servitutem ex lege, quæ fuit data in monte Sina, quia prius fuit geminatus, vel generatus in servitutem ex lege, quæ fuit data in monte Sina (*Galat.* IV). Vel ita secundum eamdem litteram, quæ est : *Mons Sina facie Dei Israel*, scilicet *distillavit*. Idem sunt cœli et montes, id est iidem, scilicet apostoli significantur per cœlos et montes. Nec tamen dicit montes, sed mons idem significans singulari numero quod plurali, sicut et alibi cum dicitur : *Cœli enarrant*, et *firmamentum annuntiat* (*Psal.* XVIII), idem significat per cœlos et firmamentum. Et est mons Sina, id est apostoli, a facie Dei Israel, distillaverunt. Quidam tamen libri Græci et Latini, qui non habent talem litteram, scilicet, *mons Sina a facie Dei Israel*, sed habent *a facie Dei Sina*, vel *Sinai a facie Dei Israel*. Et est sensus : Cœli, id est apostoli, distillaverunt a facie Dei. Cujus Dei? Dei Sinai, vel Sina, a facie Dei Israel, id est qui legem dedit populo Israel, quia qui dedit per Mosen legem qua terreret, dat et per apostolos benedictionem qua liberet.

Psalmodia Rom. legit, *Mons Sina* cum Augustino et Cassiodoro. LXX, quos sequimur, non habent *mons*; varietas videtur orta ex vocula Hebr. : זה ZEH, quod est pronomen demonstrativum, unde potuit intelligi, hic mons, vel hoc est in Sina, ut vertit Hieronymus, qui secundo loco semel solum repetit Dei, etsi in Hebræo nunc bis dicatur, *Dei, Dei Israel*. Quid distillaverunt?

VERS. 10. — « Pluviam voluntariam segregabis, Deus, hæreditati tuæ, et infirmata est ; tu vero perfecisti eam. »

Pluviam, id est doctrina, Spiritus sancti gratiam *voluntarium*, quæ sine meritis datur sola Dei voluntate : voluntarie quippe genuit nos verbo veritatis (*Jac.* I). Et hanc pluviam *segregabis*, vel segregasti, o *Deus, hæreditati tuæ*, [Aug.] scilicet fidelibus, in quos pluvia proflua irrigatione descendit; *et* illa hæreditas *infirmata est*, id est agnovit se nihil esse ex se. *Tu vero perfecisti eam*, quia virtus in infirmitate perficitur (*II Cor.* XII). Et,

VERS. 11. — « Animalia tua habitabunt in ea, parasti in dulcedine tua pauperi, Deus. »

Animalia tua, id est gentes mansuetæ, *habitabunt in ea*, hæreditate, id est erunt illa hæreditas.

[Aug.] Hæc omnia mystice leguntur, ita ut A diximus, sed secundum figuram, id est secundum historiam, a quibusdam sic accipitur : *Deus, cum egrederis in conspectu populi tui, et cum pertransires in deserto*, coram Israel in columna ignis et nubis (*Exod.* XIII), *terra mota est*, id est homines visis miraculis. *Etenim cœli distillaverunt* manna, scilicet *a facie Dei Sinai, a facie Dei Israel*, quia cœlitus datum est manna, quod subsequenter vocat pluviam, dicens : *Pluviam voluntariam*, quæ scilicet satisfaciebat voluntati Judæorum, *segregabis*, o *Deus, hæreditati tuæ*, quia soli Israel data est hæc pluvia. Israel autem infirmatus est fastidio illius cibi, desiderans carnes Ægypti. Unde sequitur : *Infirmata est, tu vero perfecisti eam*, quod ad litteram stare non potest, quia populus ille percussus B est a Deo, non perfectus. Per illa namque murmura atque fastidia ingens plaga secuta est. Omnes in eremo prostrati sunt, non introierunt terram promissionis, præter duos. Per hoc ergo mittit nos ad mysterium, quod primo exsecuti sumus. Vel forte ita etiam secundum historiam accipi potest, ut per montem Sina lex accipiatur, quæ in servitutem generat (*Galat.* IV). Et est : *O Deus, cum egredereris in conspectu populi tui*, in columna nubis in die, et ignis in nocte. Et *cum pertransires in deserto* litteram. Mons Sina, id est lex Moysi, quæ data est in monte Sina, *a facie Dei Israel distillavit*. Etenim, id est quia cœli distillaverunt ipsam legem, dum Dominus ad Mosem loqueretur. Unde *terra mota est*, quia turbantur homines legem implere non valentes. Et hæc lex est pluvia, C quam soli Israel dedit. Unde sequitur, *pluviam voluntariam*, id est legem quam populus desideravit, dicens : *Omnia quæcunque dixerit nobis Dominus, faciemus, et audiemus* (*Exod.* XXIV). Et alibi : *Non deest qui impleat, sed deest qui jubeat* (*Rom.* V). *Segregabis, Deus, hæreditati tuæ*, quia soli Israel data est; *et infirmata est*, vel lex vel hæreditas. Lex, quia minatur nec adjuvat, et ita infirmos facit. Hæreditas, id est populus infirmatus est, quia abundavit delictum data lege. *Tu vero*, o Deus, *perfecisti eam* vel legem per Spiritum sanctum datam, quo reserata sunt legis sacramenta; vel hæreditatem, id est populum, in quo post delictum superabundavit gratia. Unde alibi : *De exsecratione et mendacio annuntiabuntur in consummatione* (*Psal.* LVIII.) Et D *animalia tua*, tibi subdita, non sibi libera, id est gentes conversæ, *habitabunt in ea*, hæreditate vel lege.

[Cassiod.] *Aliter totum*, et legitur conjunctim secundum historiam, et secundum allegoriam in Patre. Quasi dicat : Vere, o Deus, educis, quia hoc præfiguratum est. O *Deus*, cum egredereris in *conspectu populi tui, et cum pertransires in deserto*, ad litteram : Egressus est Deus coram Israel, dum in columna nubis et ignis apparuit, et in deserto manna satiavit. Allegorice egressus est dum apparuit hominibus per humanitatem; vel, dum educit vinctos et suscitat sepultos; transiit in deserto, cum ad gentes venit; et tunc *terra mota est*,

quia tunc terrem videndo mirabilia tanta moti sunt. *Etenim cœli distillaverunt manna*, quia in modum stillicidii manna de cœlo descendit. Et hoc *a facie Dei*, cujus præsentia per columnam noscobatur. *Et mons Sina a facie Dei Israel fumavit*, alia littera, quando scilicet Moses ibi legem accepit. *Pluviam*, hoc est quod cœli distillaverunt pluviam, scilicet manna, *voluntariam*, scilicet quæ satisfaceret voluntati illius gentis avide comedendi, *segregabis, o Deus, hæreditati tuæ*, quia non aliis gentibus dedit quod tunc Judæis, *et infirmata est* hæreditas ad tempus, dum Christo non credit. *Tu vero, o Deus perfecisti eam*, hæreditatem, dum gentes ad supplementum admisit. Postea subdit : Unde perfecisti. *Animalia tua*, id est gentes quæ tuæ sunt, dum credunt, *habitabunt in ea*, hæreditate, in est in Ecclesia. Quæ vero sint illa animalia, et quomodo habitent, exponit. Quasi dicat : Quomodo hoc fiet ? [Aug., Cassiod., Aug.] Ecce, o *Deus, parasti* hoc *pauperi*, qui in se infirmus est, id est ad hoc prædestinasti pauperem, ut sit in tua hæreditate. Per hoc notat prædestinatos, qui ab origine mundi præparati sunt. Et hoc non in illius facultate, sed *in dulcedine tua*, non sæculi quæ amara est, sed in ea scilicet quam das. Dulcedo Dei est, qua fit bonum non timore pœnæ, sed amore et dilectione justitiæ. Per quos hoc fiet ? per evangelizantes, quibus

VERS. 12. — « Dominus dabit verbum evangeli-
« zantibus in virtute multa, »

Dominus dabit verbum [Aug.] Et hoc est : Dominus Pater, vel Christus, dabit verbum, scilicet et cibaria quibus pascantur animalia sua, *evangelizantibus*. Ecce quid operantur animalia, evangelizant, scilicet et hoc *in virtute multa*, scilicet in multa constantia fidei. Vel, virtute multa, scilicet miraculorum (101). Aliter secundum aliam litteram, *Dominus dabit virtutes multas evangelizandi verbum*. Quis Dominus ?

VERS. 13. — « Rex virtutum dilecti dilecti ; et
« speciei domus dividere spolia. »

Rex virtutum dilecti, [Aug., Hier., Aug.] scilicet unici Filii, id est Pater qui est rex virtutum Filii, quia ab eo regitur eique militat virtus, a quo datur, et accipit virtutes, miracula et virtutes mentis. Vel ita ut sit idem rex virtutum et dilectus, scilicet Christus. Et est : Quis Dominus? Rex virtutum dilecti, id est Christus rex virtutum tuarum, id est apostolorum suorum, et dicitur hoc more veteris Scripturæ, sicut legitur in Veteri Testamento : *Fecit Moses, sicut præcepit Dominus Mosi*. Vel ita : rex virtutum dilecti, qui est Pater angelicarum virtutum, quæ sunt et ipsius dilecti, quia eis imperat et ipse dilectus. Deinde repetit, *dilecti* (102), quod fit ad commendationem, sed non est hæc repetitio in omnibus libris, sed sive sit sive non, hic est sensus : dilecti, non solum ad alia, sed *et*, id est etiam,

A *dividere*, id est ad dividenda *spolia*, id est ereptos a diabolo, quos divisit, alios apostolos, alios prophetas faciendo. Spolia dico *speciei domus*, id est quæ dividendo fecit Ecclesiam speciosam. Vel ita : Dominus dabit verbum evangelizantibus, et etiam dabit eis dividere spolia speciei domus. Vel secundum hoc distinguitur præcedens littera, ita : Rex virtutum dilecti dilecti **141**. Hic distingue : Et speciei domus dividere spolia.

VERS. 14. — « Si dormiatis inter medios cleros
« pœnnæ columbæ deargentatæ ; et posteriora dorsi
« ejus in pallore auri. »

Si dormiatis inter medios cleros [Aug.] Prius singulorum verborum sententia est animadvertenda, deinde ordo constructionis verborum. Columba est
B Ecclesia, de qua dicitur in Canticis : *Una est columba mea* (*Cant.* II.) Hæc est deargentata, id est divinis eloquiis erudita. Per argentum enim figuratur divinum eloquium. Unde alibi : *Eloquia Domini argentum*, etc. (*Psal*, II). *Pennæ columbæ* sunt doctores Ecclesiæ, per quos exaltatur Ecclesia, et semper volat ad alta ; quorum prædicatione in cœlum fertur gloria Ecclesiæ. Vel pennæ sunt duo mandata charitatis, in quibus tota lex pendet et prophetæ (*Matth.* XXII.) *Posteriora dorsi ejus*, id est dorsum columbæ, quod est pars posterior, charitas est. Et dicitur hoc a simili. Posteriora namque dorsi sunt, ubi radices alarum figuntur, vel ubi portatur sarcina ; ita in charitate connectuntur alæ Ecclesiæ, id est duo præcepta charitatis, quæ sunt alæ Ecclesiæ,
C et ipsa charitas quæ in his impletur est per quam omnis sarcina mandatorum est levis, quia quidquid difficile est in præcepto, leve est amanti. Unde : *Onus meum leve est* (*Matth.* XI), scilicet per Spiritum sanctum, ex quo charitas ; per aurum intelligitur sapientia. Ibi ergo, id est in posterioribus dorsi est viror auri, id est vigor sapientiæ. Vigor autem sapientiæ est charitas , id est posteriora dorsi congrue charitas intelligitur, ratione similitudinis, non substantia proprietatis. [Cassiod., Aug.] Vel, posteriora hujus columbæ sunt ultima tempora Ecclesiæ scilicet quæ erunt in resurrectione communi vel in fine cujusque, quæ in specie auri splendebunt, quia postquam de mundo exit, super aurum, id est incomparabiliter lucet in charitate, quæ nun-
D quam excidit (*Cor.* XIII). Hic ergo argento propter eloquentiam comparatur ; ibi auro, propter plenitudinem charitatis. Quod autem ait *inter medios cleros*, sciendum est quod Latinæ linguæ esset dicere *inter cleros* , sed pro eo quod , *Dominus inter nos, inter me* et *vos*, Græcus habet *inter medium nostrum*, vel *inter medium meum et vestrum*. Hic ergo dicitur inter medios cleros, id est inter medium clerorum, quod dici solet in eis rebus quæ inter se solent habere consensum. Unde cum de signo circumcisionis Dominus loquitur ad Abraham, dicens : *Hoc erit testamentum inter me et te* (*Gen.* XVII), Græcus habet

(101) Cassiod. et psalmodia Rom.

(102) Repetitio *dilecti* non est in Græco.

inter medium meum et tuum, ad experimendum consensum. *Cleros* autem hic duo Testamenta dicit, per quæ datur hæreditas, quæ dicitur Græce *cleronomia*; cleros vero Græce, Latine dicitur, non testamentum sed *sors*, et *sortes*.In Veteri Testamento partes hæreditatis, scilicet terræ promissæ vocantur, quæ ex promissione Dei quasi ex sorte proveniunt. Bene ergo cleros dicit duo Testamenta, quia per ea datur hæreditas æterna. Dormire vero inter medios cleros est in auctoritate duorum Testamentorum requiescere, et pacifice acquiescere. Vel cleros ipsas hæreditates. Dominus unam terrenam Veteris Testamenti, alteram æternam Novi Testamenti, inter quas dormit qui terrenam jam non ardenter petit, et cœlestem patienter exspectat. Qui enim terrenæ adhuc inhiat, nunquam quiescit, sed cupiditatibus per multa agitatur; vel dormit inter has hæreditates qui usque ad finem vitæ perseverat in contemptu terrenorum et in ipse cœlestium. Ecce singulorum verborum explanatus est sensus; ordo autem constructionis, cum sit multiplex, vel a superioribus pendens infra primum versum continetur, vel usque in sequentem versum extenditur. Utrum vero hoc an illo modo commodius dicatur, ambiguum est. Nam quolibet horum sane dici potest. Convertens ergo verba ad eos de quibus fit species domus, ait sic: Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa. Dabit utique *si* vos, o *pennæ columbæ deargentatæ*, id est doctores Ecclesiæ divinis eloquiis eruditæ, *dormiatis inter medios cleros*, id est inter medium clerorum, id est requiescatis in auctoritatibus duorum Testamentorum, vel inter duas hæreditates, terrenam et cœlestem, illam non ardenter appetendo, istam patienter exspectando. Vel si usque ad mortem perseveretis in contemptu terrenorum et appetitu cœlestium. Vel ita ut in sequentem versum extendatur constructio, dilectus spolia dividit speciei domus. Et, o vos qui dividimini in spoliat speciei domus per diversa dona, si dormiatis inter medios cleros, tunc pennæ columbæ deargentatæ dealbabuntur.in Selmon, id est vos ipsi dealbabimini, qui estis pennæ. Vel ita, ut hic incœpta sententia, in sequenti finiatur: Si vos, o pennæ columbæ deargentatæ, dormiatis inter medios cleros, tunc nive dealbabuntur in Selmon alii, scilicet homines, qui per gratiam remissionem peccatorum accipiunt. Vel ita: O vos qui dividimini spolia speciei domus, si dormiatis inter medios cleros, vos eritis pennæ columbæ deargentatæ, hoc est in alta elevabimini, vel vobis erunt pennæ columbæ deargentatæ, id est duo mandata charitatis. Ecce his modis ordinatur littera. Utrum autem hoc vel illo, vel alio potius modo dici debeat, ambiguum est, sed ad singula bene sequitur. Et *posteriora dorsi ejus* erunt *in pallore* vel virore; alia littera, *auri*, id est charitas, quæ est vigor sapientiæ. Dorsum est Ecclesiæ prædicta similitudinis ratione. Vel, posteriora dorsi ejus, id est ultima Ecclesiæ, quæ erunt in communi resurrectione. [Cassiod.]Vel in fine cujusque erunt. In virore, vel in pallore auri, id est splendebunt in charitate super aurum, id est incomparabiliter.

PARS III. Διάψαλμα. VERS. 15. — « Dum discernit « cœlestis reges super eam; nive dealbabuntur in « Selmon, mons Dei, mons pinguis. »

Dum discernit. [Cassiod., Aug., Cassiod.] Tertia pars, ubi agit de donationibus Christi ascendentis, qui solus potest, et non alius. Quasi dicat: Si dormiatis, eritis pennæ; quasi dicat: non est nisi per discernentem, quia *dum cœlestis*, id est Christus, qui ascendit super omnes cœlos, *discernit,* dividens singulis gratiam prout vult, *reges,* id est rectores, *super eam,* columbam vel hæreditatem, id est dum gratia Spiritus sancti reges discernuntur, super Ecclesiam. Ipsi rectores vel alii homines, *dealbabuntur* per remissionem peccatorum, *nive,* id est incomparabiliter, *in Selmon,* id est in umbra gratiæ, quæ venit ex corpore Christi. Selmon enim interpretatur *umbra,* id est in gratia Spiritus sancti, quia non meritis suis discernuntur, sed spiritu obumbrante ab æstu carnis. Umbra enim gratiæ defensaculum nobis est contra incentiva vitiorum et carnalium concupiscentiarum, de qua ad virginem parituram angelus dicit: *Virtus Altissimi obumbrabit tibi* (*Luc.* I), id est umbram faciet tibi. Umbra autem fit corpore et lumine. Lumen est Verbum; caro Christi est corpus. Accessit lumen corpori, id est verbum carni: Verbum enim caro factum est (*Joan.* I), et in eum credentes hac umbra protegimur, quæ de corpore Christi emanat, de cujus plenitudine accepimus. Deinde commendationem montis subdit, dicens: Iste Selmon, id est iste in quo est plenitudo gratiæ, et unde umbra nobis fit est *mons Dei* positus in vertice montium, ad quem fluent omnes gentes (*Isa.* II), *et mons pinguis* vel uber, unde scilicet aquæ irriguæ et suaves fluunt. Et est

VERS. 16. — « Mons coagulatus, mons pinguis. « Ut quid suspicamini montes coagulatos? »

Mons coagulatus, [Aug., Hier.] propter parvulos quos lacte tenerioris doctrinæ nutrit; et *mons pinguis* fertilitate sua, propter maturos quos pane solidioris doctrinæ cibat. Hic est mons qui in Ezechiele vulnerat principem Tyri. *Ut quid suspicamini montes coagulatos?* vel *incaseatos,* alia littera.

VERS. 17. — « Mons in quo beneplacitum est Deo « habitare in ea; etenim Dominus habitabit in « finem. »

Mons, (Aug.] vel *monte,* alia littera, *in quo beneplacitum est Deo,* etc. Quasi dicat: Et quia talis est mons iste, ut quid ergo suspicamini alios montes coagulatos, vel incaseatos, esse hunc montem? Ideo hoc dicit, ne quis audeat eum cæteris comparare, quia alii dicebant eum Joannem esse, alii Eliam (*Matth.* XVI); quos increpat hic. Ne suspicemini. Iste enim solus est, in quo beneplacitum est Deo, id est verbo *habitare in eo,* per se; in aliis per ipsum inhabitat. Placuit, *etenim Dominus,* id est Verbum, *habitabit* eum, scilicet hominem Christum, usque *in finem,* quia personaliter unitus est ei, in quo habi-

tat omnis plenitudo divinitatis corporaliter (*Coloss.* II). Sic erat utique Verbum in carne, ut Verbum etiam caro factum solum diceretur, id est homo in unam solam Christi personam copularetur. Vel ita : Nullus est ut iste ; etenim, id est quia iste mons, scilicet Dominus, Christus, habitat, vel habitabit ; illos alios montes, ut aliquid sint, qui nihil sine eo sunt, usquequo ducat eos in finem, id est in se Deum contemplandum. Unde, scilicet quia inhabitat alios montes, ipsi fiunt

VERS. 18. — « Currus Dei decem millibus multi« plex millia lætantium ; Dominus in eis, in Sina, in « sancto. »

Currus Dei, [Cassiod., Aug.] portando Deum, et quia unanimes copulati charitate, quos ad ministerium suæ voluntatis moderatur Deus, quos manendo in eis et regendo ducit in se finem, ut currum ad destinatum locum : et ille currus est *multiplex decem millibus*, id est ex innumeris populis, ex magna multitudine sanctorum,qui sunt, *millia lætantium*, quia spe gaudent, donec perducantur in finem. Cur lætantur in fine ? quia jam *Dominus* est *in eis*, qui erit et finis consummationis *in Sinai* vel Sina, *in sancto* vel sancto, id est implendo mandato quod sanctum est. Quid enim prodest mandatum, nisi Dominus ibi sit, qui dat velle et operari ? (*Philip.* II.) Aliter enim est littera occidens (*II Cor.* III), sed Dominus per spiritum sanctum dat charitatem, qua impletur. Et ideo lætantur milia.

[Cassiod., Alcuin., Cassiod., Hier,] Vel ita ab illo loco : *Ut quid suspicamini montes coagulatos*, vel *incaseatos*, esse subaudis, sicut est mons iste ? ne suspicemini, quia *mons* iste est solus, *in quo beneplacitum est Deo*, Patri, *habitare in eo*, qui Patri placuit, ut in eo habitaret. Unde : *Ego in Patre, et Pater in me est* (*Joan.* XIV). *Placitum* est. Etenim Dominus habitat eum Christum, usque *in finem*, id est usque ad terminum, id est ad coæqualitatem majestatis suæ, qui est finis sine fine, et omnium plenitudo. Alii autem montes sunt *currus Dei*, per quos vehitur Deus in universum mundum. Et ille currus est *multiplex decem millibus*. Hoc non mutatur : quia Dominus est in eis, et hoc *in Sina sancto*, id est in impleto sancto mandato. Sina enim mons est, in quo data est lex, et interpretatur *mandatum*, in quo impleto requiescit Dominus, quia in sanctis mandatis impletis, Dei præsentia solet contueri. Vel ita : Dominus est in eis, id est in sanctis qui in Sina monte olim dedit legem, et ipse idem est in sancto, id est in Christo, qui est Sanctus sanctorum.

VERS. 19. — « Ascendisti in altum, cepisti ca« ptivitatem ; accepisti dona in hominibus. »

Ascendisti. [Aug., Cassiod., Aug.] Convertit verba ad ipsum Dominum. Sed quomodo hoc factum est ? Ecce. Ascendisti, o Christe, *in altum* loco et dignitate. Qui enim propter nos erudiendos descendit, ascendit in altum super omnes cœlos ad dexteram Patris. Et *cepisti*, priusquam ascenderes, *captivitatem*, id est eos qui apud inferos tenebantur

A captivi. Hæc sunt spolia, et est similitudo triumphi. Hoc de Christo exponit Apostolus (*Ephes.* IV). Vel cepisti captivitatem, id est homines qui sub diabolo erant captivi per peccatum, cepisti et captivasti feliciter. Unde captivi dicuntur, quia capti sunt, scilicet retibus Petri. Unde et Petro dicitur : *Ex hoc jam eris homines capiens* (*Luc.* V), sub leve jugum missi sunt. Unde in hoc curru sunt millia lætantium, non plorantium. [Gl. int., Aug.]. Et *accepisti* a Patre *dona in hominibus* suscipiendis. id est homines suscipiendo,id est homines accepisti dona. Vel, accepisti dona a Patre in hominibus, scilicet donanda susceptis hominibus, id est quæ donares his quos suscepisti. Vel, secundum aliam litteram, *dedisti*, secundum qnod Deus, *dona hominibus* : quod

B etiam fit in triumphis. Quæ littera cum in paucis reperiatur codicibus,Paulus **142** tamen apostolica auctoritate dicit : *Dedit dona hominibus*, secundum quod idem Filius Deus est cum Deo Patre, dedit mittens Spiritum sanctum, qui est Patris et Filii. Sed secundum quod Filius est in Ecclesia, accepit dona in membris, dum ipsa membra accipiunt cum quibus unum est juxta illud : *Quod uni ex minimis fecistis, et mihi fecistis* (*Matth.* XXIII). Dico cepisti, quod necesse erat.

VERS. 20. — « Etenim non credentes inhabitare « Dominum Deum. »

Etenim, [Hier., Aug.] id est quia erant *non credentes* Deum, scilicet Verbum, *inhabitare Dominum* Christum hominem. Vel ita continua : Accepisti

C dona in hominibus, etenim, id est quia acccepisti, etiam non credentes inhabitare Dominum. Isti sunt quos feliciter captivavit, et currum suum fecit. Unde Propheta plenus lætitia, hymnum eructat :

VERS. 21. — « Benedictus Dominus die quotidie, « prosperum iter faciet nobis Deus salutarium no« strorum. »

Benedictus, [Cassiod., Aug., Cassiod., Hier.] quasi dicat : Ascendit Christus in altum, et quo præcessit faciet nos sequi, unde *benedictus* sit *Dominus*. Ecce laus de triumpho, *die quotidie*, vel *de die in diem*, alia littera, quod idem valet, id est jugiter, quia quotidie captivat captivos usque in finem. Et quia currum illum ducit in finem, addit *prosperum iter* ad se eundi *faciet* nobis, quia talia

D fecit, id est faciet nobis cursum vitæ, qui vere prosper cum sit dux salutaris. Quis hoc faciet ? *Deus salutarium nostrum*, id est salvationum nostrarum, quia de pluribus periculis liberat, quia etiam non credentes ad fidem vocat.

PARS IV. Διάψαλμα. VERS. 22. — « Deus noster, « Deus salvos faciendi ; et Domini Domini exitus « mortis. »

Deus noster, etc. [Cassiod., Aug., Cassiod.] Quarta pars ubi exponit operationes Dei, quæ ex prædictis eveniunt, quæ sunt quassatio inimicorum, conversiones peccantium, martyria ab utroque sexu. Quasi dicat : Dico Deus salutarium, *Deus*, inquam, *noster* non cujuscunque est, *Deus salvos faciet*.

Commendat hic gratiam, quia nullus salvus, nisi per eum. Salvos facit, quos tamen non est mirum mori, cum *Domini Domini* fuerit *exitus mortis*, et hoc est, ipse est Deus salvos faciendi. Sed ne dicas, cur ergo morimur? potius patienter fer mortem, non indigneris si morieris, quia, et Domini Domini, qui sine peccato fuit, exitus, ab hac vita non alius fuit quam mortis, qua nos liberat. Voluntate tamen mortuus est, ne homo timeret mortem. Et licet sit auctor salutis, tamen et Domini Domini, etc. Idem sensus. Vel ita : Deus salvat, et ne queraris de morte. Sed spera, quia Christus inde exivit, et nobis inde exire dedit. Et hoc est, et Domini Domini est exitus mortis, id est resurrectio qua a morte exivit. Ne autem mala pertinacium credas impunita subdit :

VERS. 23. — « Verumtamen Deus confringet capita inimicorum suorum, verticem capilli perambulantium in delictis suis. »

Verumtamen. [Gl. int., Aug., Cassiod., Aug.] Quasi dicat : Etsi mortuus sit, vel licet salvator sit, *verumtamen Deus confringet*, vel conquassabit, vel hic ut humilientur : vel in futuro, ut in tartara trudantur; *capita*, id est superbiam *inimicorum suorum*. Vel auctores Judaicæ seditionis, vel auctores hæresium, scilicet hæresiarchas. *Et confringet verticem capitis*, id est superbam extollentiam hominum nimis se extollentium; *perambulantium*, [Gl. int., Aug.] id est perseverantium, vel de vitio in vitium ruentium, *in delictis suis*, in quibus saltem deberent humiliari, dicentes : *Deus, propitius esto mihi peccatori* (*Luc.* XVIII) sed et ibi superbiunt, et in multa ruunt, secundum illud : Insipiens cogitatio, quæ perduxit ad culpas. Vel, confringet verticem capilli, id est versutias inanium quæstionum. Sunt enim qui tales minutias calumniarum quærunt, ut etiam capillos perscrutari videantur. Verticem dico hominum perambulantium in delictis suis. Hoc non mutatur. Confringet capita, quia

VERS. 24. — « Dixit Dominus : Ex Basan convertam, convertam in profundum maris. »

Dominus dixit. [Gl. int., Aug.] Vel sic continua : Confringet Dominus capita Judæorum, ex gentibus etiam convertet multos, quia *Dominus dixit* : Ego *convertam* homines *ex Basan*, id est ex confusione peccatorum, quia confunditur de peccatis qui pro eis orat. Basan enim interpretatur *confusio*, vel Basan interpretatur *siccitas*. Et de siccitate, id est inopia, convertit Dominus, non eos qui se plenos justitiæ putant, cum sint inanes. Beati enim qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur (*Matth.* V). Anima sicca dicit : *Expandi manus meas ad te, anima mea sicut terra sine aqua tibi* (*Psal.* CXLII.) Anima plena dicit : *Non sum sicut cæteri hominum* (*Luc.* XVIII). *Et convertam* eos qui jacent in *profundum*, vel profundo, vel profundis *maris*, id est sæculi. Vel secundum aliam litteram, scilicet *convertar*, ad eos qui sunt ex Basan, quia convertitur Deus his qui confunduntur de peccato, A vel qui sicci imbrem gratiæ desiderant. Et secundum hoc sequitur : convertar in profundum maris, id est ad eos qui erant desperatissimi. Vel ita convertam eos, vel convertar ad eos.

Psalmodia Romana legit *convertar*, varietas videtur suborta, ex eo quod Hebraice אשיב ASCIB, potest accipi ex verbo, quod nominitant qual, et tum est *convertar*, aut ex conjugatione quam dicunt hiphil, et tum erit *convertam*, licet prius inveniatur fere per vau.

VERS. 25. — « Ut intinguatur pes tuus in sanguine, lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso. »

Ut intinguatur pes. [Aug., Alcuin., Aug.] Quod B tamen non Deus, sed Propheta dicit, conversus ad ipsum. Quasi dicat : Ita convertes, o Deus, vel converteris *ut intinguatur per tuus in sanguine*, id est ut qui prius erant inimici fiant pes tuus, prædicando te usque ad sanguinem, scilicet usque ad mortem ; et *lingua canum tuorum* fiet vel erit *ex inimicis*, quia per conversionem ex inimicis fient canes pro Domino latrantes contra hostes. Hi sunt boni canes, qui edunt de micis (*Matth.* XV). Canes laudabiles, non detestabiles. Unde non tantum dixit canum, sed canum tuorum, nec eorum dentes, sed lingua laudata est, quoniam utique non frustra, nec sine magno sacramento. Gedeon eos solos jussus est educere, qui fluminis aquam sicut canes lamberent, talesque non amplius quam trecenti in tanta multitudine inventi sunt (*Judic.* VII). In quo nu-C mero crucis signum est propter thau litteram, quæ in Græcis numerorum notis ccc significat. Illi ergo soli ad officium regiminis assumendi sunt, qui quod percipiunt aliis prædicant, et qui in manibus operum exsequuntur quod ore docent. Unde in Levitico : *Os turturis retorquetur ad ascellas* (*Levit.* I). Et quasi quis quærat : Unde tantum bonum est, ut ejus canes sint, cujus erant inimici? ait : *ab ipso*, id est ejus gratia, non a seipsis, vel *a teipso*, alia littera, id est a parte tua, o Deus. Idem sensus.

VERS. 26. — « Viderunt ingressus tuos, Deus : ingressus Dei mei, regis mei, qui est in sancto. »

Viderunt, etc. [Gl. int., Aug., Gl. int.] Quasi dicat : Intinguetur pes tuus, quia sic vident te præcessisse, o Deus. Et hoc est, *viderunt ingressus*, vel D gressus *tuos, Deus*. Vel, secundum aliam litteram, *visi sunt gressus tui, Deus*, quibus scilicet venisti in mundum. Hæc gratia latebat in Veteri Testamento ; modo patet, cum Filius missus annuntiatur in gentibus, cujus Dei gressus viderunt, *ingressus*, inquam *Dei mei* creatione, scilicet Verbi *regis mei* gubernatione, *qui* Deus *est in sancto* templo, id est in sanctis. [Aug.. Gl. int., Alcuin.] Vel, in sancto, corpore, licet perfidi non videant secundum quod corpus passus est. Et in hoc, scilicet in patiendo, vel credendo,

VERS. 27. — « Prævenerunt principes conjuncti psallentibus ; in medio juvencularum tympanistriarum. »

Principes, [Cassiod., Aug., Cassiod., Aug., Cassiod.] id est apostoli, *prævenerunt* eos, scilicet alios homines. Vel ita dico gressus Dei mei : ut autem isti gressus viderentur, principes, id est apostoli, prævenerunt te, o Deus, ad laudem, ut populi sequerentur. Et non ipsi soli venerunt, sed *conjuncti psallentibus,* id est illis qui laudes Dei sonant, bene operando ad gloriam Dei. Principes etiam sunt in *medio juvencularum tympanistriarum,* id est ministri sunt, et præpositi novarum Ecclesiarum Deum laudantium, carne domita, corio siccato ab humore peccati, et extenso a ruga duplicitatis. Fit enim tympanum de corio siccato et extenso. Vel ad litteram de sanctis feminis hoc accipe, ne sexum femineum excludas, quæ etiam ab eis, id est ab apostolis, formam laudandi et patiendi sumunt.

PARS V. Διάψαλμα. VERS. 28. — « In ecclesiis « benedicite Deo Domino ; de fontibus Israel. »

In ecclesiis. [Cassiod., Gl. int., Aug.] Quinta pars, ubi precatur et affirmat, ut hæc incœptio Ecclesiæ dilatetur et confirmetur, pro qua et hæretici destruantur. Quasi dicat : Et quia Dominus ita convertit, ergo, o vos conversi ex Basan, *benedicite Deo,* cui debetur latria, *Domino* cui exhibenda est dulia, et non alibi, nec in aliis conventiculis, sed *in ecclesiis.* Hæc sunt juvenculæ tympanistriæ, ne quis carnaliter choros luxuriæ cogitet. Ecclesiæ quippe sunt adolescentulæ, scilicet nova gratia decoratæ sunt etiam tympanistriæ, castigata scilicet carne, spiritualiter sonoræ. [Alcuin., Rem., Aug.] Benedicite, vos dico potati *de fontibus Israel,* id est de doctrina apostolorum, ut ad eorum imitationem prædicetis, quod Christus de Israel prius elegit ut faceret fontes aquæ vivæ salientis in vitam æternam (*Joan.* VII).

VERS. 29. — « Ibi Benjamin adolescentulus ; in « mentis excessu. »

Ibi, [Cassiod.] id est inter fontes, vel in Ecclesiis, vel in templo Jerusalem, est *Benjamin,* id est apostolus Paulus apostolorum novissimus, *adolescentulus,* id est novissime assumptus, qui fuit de tribu Benjamin (*Philipp.* III). Unde in Genesi : *Benjamin lupus rapax, mane comedet prædam, et vespere dividet spolia* (*Gen.* XLIX) (103). Hic est Paulus, qui mane suæ ætatis sanctos persecutus est, sed in vespera suæ conversionis, ad Deum, spolia diabolo erepta divisit per diversa officia. Et ipse est *in mentis excessu,* mente scilicet alienata a sensibus corporis, ut quando raptus fuit usque ad tertium cœlum. [Aug.] Vel, *in mentis pavore,* alia littera, expavescentibus scilicet omnibus tam magnum in ejus vocatione miraculum. Ibi etiam sunt

VERS. 30. — « Principes Juda, duces eorum, « principes Zabulon, et principes Nephthalim. »

Principes Juda, principes Zabulon, principes Nephthalim. [Aug., Gl. int.] Per hæc nomina tribuum Christum et apostolos indicat ; forsitan enim A ex his tribubus fuerunt apostoli. Et isti sunt *duces eorum* qui in Ecclesiis benedicunt Dominum. Sed magis placet sensus qui colligitur ex interpretatione nominum, quæ convenit Ecclesiæ : Judas enim interpretatur *confessio ;* Zabulon *habitaculum fortitudinis* ; Nephthalim *dilatatio,* quæ principibus Ecclesiæ conveniunt. In martyriis namque prima est confessio, pro qua quidquid accidit fortiter tolerandum est. In angustiis finitis latitudo sequitur in præmio. Et est : ibi sunt *principes Juda,* id est confessionis ; *principes Zabulon,* id est fortitudinis ; *principes Nephthalim,* id est dilatationis. Vel ita ut agatur de tribus virtutibus, quæ significantur per has nominum interpretationes : Quia confessio est in fide, fortitudo in spe, latitudo in charitate, quia B Deum et proximum diligunt. Et est, *Benedicite Deo de fontibus Israel,* quod decet quia ibi sunt, *principes Juda, pincipes Zabulon, principes Nephthalim,* id est principes fidei, spei et charitatis. Et hi sunt *duces eorum,* qui sunt in Ecclesiis ; et per hoc quisque eorum est *Benjamin,* id est *filius dexteræ adolescentulus,* deposita vetustate malitiæ, *in mentis excessu,* id est mente **143** sursum vecta, et per istos o

VERS. 31. — « Manda, Deus, virtuti tuæ ; confirma « hoc, Deus, quod operatus es, in nobis. »

Deus manda virtuti tuæ, [Gl. int., Cassiod., Aug., Alcuin.] id est notifica et commenda Christum Filium tuum nobis. Quasi dicat : Quod enuntio futurum, perfice, o *Deus, confirma* in gentibus *hoc quod operatus es in nobis* Judæis, id est fidem quam es operatus in nobis, confirma in gentibus. C Et ita facit, *commendat* enim *Deus charitatem suam in nobis, quoniam cum peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est* (*Rom.* V). Quod bene et confidenter orat. Cum enim pro nobis Christus mortuus sit, quomodo ergo non omnia cum illo Deus nobis donavit ? (*Rom.* VIII.) Hoc modo mandat Deus Christum suum. Nota verborum distinctionem, *manda,* docendo per prædicatores, *confirma,* juvando per gratiam. Vel ita secundum aliam litteram : *O Deus, manda virtuti tuæ,* id est fortibus tuis injunge ut te annuntient, et per eos *confirma,* etc. Vel, o Deus, Pater, manda opus tuum virtuti tuæ, id est Filio et Spiritui sancto, et per Filium et Spiritum sanctum, *confirma, Deus, hoc quod operatus es in nobis.* Hæc non mutatur. Quod vere facies, D quia.

VERS. 32. — « A templo tuo in Jerusalem, tibi offerent reges munera. »

Reges. [Gl. int., Aug., Alcuin., Remig., Aug.] Vel ita continua : Quod si faceris *reges* terræ, vel spirituales, *offerent tibi munera,* id est sacrificia laudis ; et hoc *a templo tuo* non aliunde, quod est *in Jerusalem* cœlesti, quæ est libera et mater nostra (*Galat.* IV), quæ est et templum a quo omne datum optimum descendit (*Jacob.* I), et pro quo fit omne bonum opus. Vel ita distingue, *operatus es in nobis,* incipiendo

(103) Ex Aug. in sermone conversionis Pauli ; et ex Remigio.

a templo tuo, quod est in Jerusalem, id est a Judæis, quod erit, quia *tibi offerent reges munera*. Sed quia huic laudi obstrepunt hæretici, subdit;

VERS. 33. — « Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum, ut excludant « eos qui probati sunt argento. »

Increpa feras arundinis, [Aug., Alcuin., Aug.] id est hæreticos qui dicuntur feræ, quia non intelligendo nocent. Feras dico *arundinis*, vel calami, quia Scripturas pervertunt, quæ calamo fiunt : vel quia sunt leves et instabiles ; vel quia sunt inter eos qui moventur omni vento doctrinæ (*Ephes.* IV). Ideo increpa, quia *congregatio taurorum*, id est superborum indomitæ cervicis hæreticorum, est *in vaccis populorum*, id est inter eos qui sunt seductibiles et leves, velut mulierculæ. Unde Apostolus : *Ex his sunt qui penetrant domos et captivas ducunt mulierculas* (*II Tim.* III). Stabiles vero et graves non valent seducere ; unde : *In populo gravi laudabo te* (*Psal.* XXXIV). Sed hoc non sine fructu piorum. Inde enim convenit *ut excludant eos*, id est emineant hi *qui probati sunt argento*, id est in eloquiis Dei, hoc est illud quod Apostolus ait : *Ut qui probati sunt manifesti fiant* (*II Cor.* V). Inde est quod in arte argentaria exclusores vocantur, qui de confusione massæ noverunt formam vasis exprimere. Vel ita expone intentionem hæreticorum ; ad hoc congregantur, ut excludant eos a vaccis, qui probati sunt argento, scilicet catholicos doctores. Increpa feras, dissipa etiam consentientes. Et hoc est :

VERS. 34. — « Dissipa gentes quæ bella volunt ; « venient legati ex Ægypto : Æthiopia præveniet « manus ejus Deo. »

Dissipa gentes, etc. [Alcuin., Gl. int., Rem., Aug.] Vel ita continua : Illi ita, sed ne grex tuus dissipetur *dissipa gentes*, id est hæreticos et alios eis consentientes, quos vocat gentes propter genera diversarum sectarum, ne ubi series successionis, confirmet errorem *quæ bella volunt*, quia non correctioni, sed contentioni student. Quod fiet, quia *legati*, id est præcones reconciliationis, *venient* ad Christum, dona ferentes *ex Ægypto*, id est ex tenebris gentium. Ægypti vel Æthiopiæ nomine, fidem omnium gentium significat a parte totum. Non ergo ex solis Judæis, sed de gentibus futuros præcones prophetat *Æthiopia*, id est gentilitas *præveniet manus ejus* Deo, id est vindicta ejus. Per confessionem præveniet, ne manentes in peccatis, puniantur.

VERS. 35. — « Regna terræ, cantate Deo ; psallite « Domino. »

Deo regna terræ, cantate, et secundum hoc est *Deo* [Aug., Cassiod., Alcuin., Cassiod.] In principio sequentis versus, vel magis in fine præcedentis versus, est *Deo ;* commendaturque fides qua sine præcedentibus operibus justificatur homo quæ post per dilectionem incipit operari (*Gal.* V). Est ergo sensus ; Æthiopia, id est gentilitas hærens Deo fide, id est credens Deo, præveniet manus, id est opera, ejus, id est Æthiopiæ (quod in Græco non est ambiguum), id est credendo in Deum præveniet opera sua, ut prius credat, postea operetur. Vel ita ut per Ægyptum Synagoga accipiatur, quam prævenit credendo Æthiopia, id est extrema pars gentium. Et est, venient legati ex Ægypto, id est ex Synagoga, quæ erat in tenebris ; et Æthiopia, id est extrema pars gentium, Deo, id est ad Deum veniens, præveniet manus ejus, Ægypti, id est legalia opera Synagogæ, quia per fidem justificabitur sine operibus legis. Vel secundum aliam litteram, quæ est : *Æthiopia*, scilicet gentilitas, nigra in peccatis, *festinet manus dare Deo*, id est subdere se Deo ; et est similitudo a victis, qui armis depositis manus dant victoribus, ne intereant *regna terræ*. Decursis omnibus quæ jam impleta cernimus, hortatur ad laudem Christi, et futurum ejus adventum prænuntiat. Quasi dicat : Et quia ita est ut diximus, ergo regna terræ, id est Ægyptus et Æthiopia, scilicet omne genus hominum, cantate Deo puritate mentis, *psallite* opere *Domino*.

PARS VI. — Διάψαλμα. VERS. 36. — « Psallite Deo, « qui ascendit super cœlum cœli, ad orientem. »

Psallite Deo. [Cassiod., Alcuin., Aug., Alcuin., Hier.] Sexta pars, ubi dicit quod Christus veniet ad judicium, qui ascendit ubi sanctos consummabit. Quasi dicat : Dico *psallite*, inquam, *Deo*, id est Christo, *qui ascendit* secundum quod homo. Nam secundum quod Deus, Patri est æqualis, *super cœlum cœli*, id est super omnes cœlos, ad dexteram Patris, scilicet super excelsiores creaturas ut nihil supra se haberet, nisi illum qui creavit eum. Unde ascendit? *ad orientem* vel *ab oriente ;* alia littera locum expressit, ubi resurrexit, et unde ascendit, quia Jerusalem, ubi resurrexit et ascendit, in oriente est. Vel, ascendit ad orientem nostræ illuminationis, id est ut lumen gratiæ nobis oriri faceret. Vel oriens intelligitur Verbum a Patre genitum, cujus virtute ascendit homo ille. Et est, ascendit ad orientem, id est virtute Verbi, et quia inde venturus est, ad judicandum, subdit, et,

VERS. 37. — « Ecce dabit voci suæ vocem virtu« tis ; date gloriam Deo super Israel ; magnificentia « ejus, et virtus ejus in nubibus. »

Ecce dabit in judicio *voci suæ*, [Aug.] vel vocem suam, *vocem virtutis*, id est efficaciam resuscitandi omnes mortuos, qui prius ut agnus sine voce coram tondente se siluit ; sed tunc veniet in voce tubæ. Dico psallite, et *date gloriam Deo*. Dico dabit vocem, et tunc *super Israel* Dei erit *magnificentia ejus* evidens, quia jam non erit commistio malorum cum bonis *et virtus ejus* erit *in nubibus*, quia non solus veniet ad judicium, sed cum senioribus populi, qui sunt nubes, quas ne aliter acciperes, addit, et

VERS. 38. — « Mirabilis Deus in sanctis suis ; « Deus Israel ipse dabit virtutem et fortitudinem « plebi suæ : benedictus Deus. »

Mirabilis Deus erit *in sanctis suis Deus Israel.*

[Aug.,Cassiod.] Tunc vere omnis bonus erit Israel, quia videbit Deum sicut est; *ipse dabit virtutem et fortitudinem* in carne, quæ etiam in resurrectione erit impassibilis. Unde Apostolus : Per virtutem resurrectionis ejus, et *plebi suæ* nunc infirma etiam, *dabit fortitudinem* qua novissima inimica destruetur mors (*I Cor.* xv). Vel de præsenti accipi potest illud, ipse dabit, magna promisit ; et ne quis desperet pro humana infirmitate, se ad tanta præmia pervenire subjicit , ipse dabit hic virtutem et fortitudinem plebi suæ. Ergo *benedictus* sit *Deus*.

COLLATIO IN PSALMUM LXVII : « EXSURGAT DEUS ET DISSIPENTUR, » etc.

VERS. 4. — *Iter facite ei qui ascendit super occasum*. Hebr. סלו לרכב בערבות SOLLU LAROCHEB BAARABOTH. Pro eo quod est *iter facite*, Sanctes, Munsterus, interpretes pro Cajetano, et paraphrasis Campensis, reddunt *exaltate eum ;* cum tamen vocula Hebræa citra controversiam designet quod legimus. Et Hieronymus, Pratensis, ac Pellicanus dixerunt, *præparate viam ;* et translator ad Camp., *iter muniunt ei ;* quod non aliam sonat intelligentiam in commentario. Deinde sequentia sic reddunt Hieronymus, *ascendenti per deserta*, et Pellicanus *in solitudinibus*. Pratensis reliquit vocabulum Hebræum araboth. Sanctes vertit, *qui ascendit super cœlos ;* interpretes pro Cajetano, et Nebiensis, *equitatem in cœlis*. Accedit Munsterus, *qui orbibus cœlorum velut equo incidet*. In Campensi bifariam, *qui sicut sol ad occasum ad nos devehitur*, et in paraphrasi, *qui pro vehiculo utitur nubibus*. Sola confusio hinc nascitur quod ערב EREB, in plurari ערבות ARABOTH est Hebræis homonymum et ambiguum. Siquidem interim designat *vesperam*, ut liquet ex Gen. I , alioqui *desertum* significat. Unde Hebræi volunt interdum denotare ultimam sphæram cæteras ambientem, quod stellis deserta sit. Igitur non est quod jam hæsites de editione Vulgata.

Dominus nomen illi. Hieronymus *in Domino nomen ejus :* Pellicanus, *cum Domino nomen ejus :* interpretes pro Cajetano, *in Deo nomine suo*, Sanctes, Pratensis et Munsterus, ipsam Hebraicam reliquerunt vocem JAH יה, in iah, *nomine ejus*. Meminit lector multoties inculcatum esse Hebræos carere casuum variatione. Sed cum hic ponatur beth, quæ littera nota est præpositionis *in*, vel *cum*, haud incongrue vertit Hieronymus, *in Domino nomen ejus :* quod non inepte dicimus aliter, *cum Dominus sit nomen ejus*, aut ut habent interpretes, *illi*. Campensis stat a nobis, *cui nomen est Domino*, vel *proprium nomen servator Deus*.

VERS. 5. *Turbabuntur a facie ejus*. Interpretes duos significatus ejusdem vocabuli simul reddiderunt. Nam לפניו LEPHANAU dicere potest, et *ad conspectum ejus*, et *ad furorem ejus*. Hinc verterunt, *exsultate in conspectu ejus : et turbabuntur a facie ejus*. Nec ultimam clausulam ponunt alii translatores, præter Pellicanum, nescio quo casu : qui postea quam scripsit exsultate coram eo, continuo subtexuit, *et pereunt inimici coram eo*. In commentariis nescio quam sequatur Hieronymus editionem, quando interpretatur *turbabuntur patres orphanorum, et judices viduarum*, Nam certum est plures fuisse editiones. Nempe Luciani, LXX, Aquilæ, Symmachi, Theodotionis. Fuerunt quinta et sexta.

VERS. 7. — *Qui educit vinctos in fortitudine*. Pratensis, Sanctes, Munsterus, paraphrasis Campensis, *in compedibus*. Pellicanus, Nebiensis et interpretes pro Cajetano, *in congruentiis*. Ad quod alludit textus in Campensi, *educit commode*. Atqui ipse Hieronymus stat a nobis. Certe tales erant compedes, ut non poterant dissolvi absque Dei manu fortissima et opportunissima.

Similiter eos qui exasperant qui habitant in sepulcris. Ut primam clausulam revoces ad verbum præcedens, qui educit, quia tamen in Hebræo potest etiam efferri casu nominandi. **144** Ob id alii vertunt, *increduli, rebelles*, aut *pertinaces*, qui non dissident ab *exasperantibus*. Sed quod subjectum est in sepulcris *in sicco* aut *siccitatibus* צחיחה TZEHIHAH, transferunt nec tamen quidquam præjudicat *sepulcris*, quæ non absurde figurantur per loca sterilia et siccitate emortua, cum etiam plena sint aridis ossibus mortuorum. Et si philosophandum sit, terra supremum siccitatis gradum obtinet.

VERS. 11. — *Animalia tua habitabunt in ea*. חיתך HAITHCA *animalia tua, nobis*, Hieronymo. Nebiensi et Pellicano, *vel congregatio tua* Pratensi, Munstero, Sancti, et interpretibus pro Cajetano. Campensis utrumque indicavit, ob particulæ homonymiam.

VERS. 12. — *Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa*. Varia distinctionis versiculorum et casuum positio, quæ in Hebræo sunt similis terminationis in causa fuit ut translatores, aliam et aliam servarent sermonis structuram. Hieronymus, *Domine, dabis sermonem annuntiatricibus fortitudinis plurimæ ;* Pellicanus, *Dominus dabit sermonem Evangeliorum virtutis multæ ;* Pratensis, *Dominus dabit sermonem annuntiatricum exercitus multi ;* Sanctes, *earum quæ annuntiant exercitus magnus ;* Munsterus, *annuntiatricum exercitus erat magnus ;* interpretes pro Cajetano, *Dominus dabit dictum annuntiatricum exercitus magni ;* Textus in Campensi longius a littera, *Domine, tu commendas his quæ de magno exercitu nuntiant mandatum ;* in paraphrasi secus, *Dominus suppeditabit efficacem sermonem annuntiatricibus potentiæ illius ;* Nebiensis, *Domine, dabis sermonem annuntiatricibus exercitus multi ;* paraphrasis Chaldea, *Deus dedit verba legis populo suo mediantibus Mose et Aaron, qui annuntiaverunt verbum Dei exercitui magno Israelis*. Itaque perpendis, lector optime, in quantam silvam ascendunt versiones, quando singulis quisque suum commentum pro mero arbitratu affert : tantum restat dicendum cur evangelizatrices, sive annuntiatrices plurative in Hebræo ponantur המבשרות HAMMEBASSROTH, in feminino genere. Abunde hunc modum explicat Hieronymus in Commentariis. In Hebræo habet quæ evangelizantur, hoc est mulieribus quæ evangelizabant apostolis, ubi dicitur : *Euntes dicite fratribus meis*, etc. (*Matth.* XXVIII), aut animas significat quæ crediderunt in Christo. Secundum autem LXX Interpretes ad apostolus dicitur. Quia Dominus dedit eis virtutem prædicandi evangelium,

VERS. 13. — *Rex virtutum dilecti dilecti*. Duæ radices Hebraicæ confusaneam, quasi nubem interpretationum effuderunt. Siquidem quod hic legimus ידדון ידדון IIDDODUN IIDDODUN , deducunt LXX, et Hieronymus a themate דוד DOD, id est *dilectus, confederatus*, frequens in Canticis. Ob quam causam traduxit Hieronymus, *reges fœderabuntur, fœderabuntur sub verbo*, ubi LXX *sub nomine ;* Pratensis et Sanctes et Campensis dicunt, *fugient, fugient*. Munsterus *fugientes elabebantur ;* Pellicanus, *profligabuntur, profligabuntur*. Hi omnes derivant a verbo נדד NADAD. Interpretes pro Cajetano, *movebuntur, movebuntur*. Nebiensis, *retrovertentur, retrovertentur*.

Et speciei domus dividere spolia. Quomodo debeat ordinari series sermonis, ut aptetur congruitas, declaratur in commentario. Alii enim vertunt recto casu, tamen quia anceps est vocula נות NEVATH. Hieronymus et Pellicanus cum Septuaginta vertunt, *pulchritudo domus*, seu *species*, *dividere*

spolia. Alii transferunt *habitatrix*, vel *habitaculum*, *hera* vel *familia domus*.

Vers. 14. — *Si dormiatis inter medios cleros*. Hebraice שפתים scephataim. Hieronymus, Nebiensis, Pellicanus, et interpretes pro Cajetano vertunt *terminos* sive *confinia*; quæ nihil abhorent a sensu nostro, nimirum quod sint duo Testamenta, aut Ecclesia militans et triumphans, ut expositum est. Verum cum etiam in vocabuli designet aliquoties ollas, ob id Sanctes, Munsterus, Pratensis et paraphrasis Campensis, interpretantur chytropodes. *Si jacueritis inter nigras tripodes, eritis sicut et alæ columbæ, quæ tegitur argenteis pennis*. Subaudiunt enim verbum substantivum *eritis*, ad commoditatem intelligentiæ, quasi esset: *Etiam si fueritis ea afflictione exerciti, ut quasi fuligine atrati videamini; postea tamen Dei beneficentia, novo quodam splendore lætitiæ fulgebitis ac perfruemini*. Jam nimis sibi tribuit editio in Campensi, *tunc quiescetis perinde ac flumen inter ripas; inter alas columbæ, supra argentum candidæ*, quanquam et ipsum verbum. Quandoque signet terminos fluviorum.

Posteriora dorsi ejus in pallore auri. Cum Hebr. אברת ebroth bifariam accipiatur, tum pro *dorso*, tum pro *alis* sive *plumis*. Interpretes, Hieronymus, et Pellicanus transtulerunt *posteriora* et *scapulas*, cæteri *plumas* aut *pennas*, et alæ sunt, supple *similes auro fulvo*, seu *distinctæ sunt virore*, vel *pallore auri*. Editio subjecta paraphrasi Campensis, utramque significantiam complecti videtur, quando ait, *cujus dorsum auri nitorem vincit, quæque in aere pendet*.

Vers. 15. — *Dum discernit cælestes reges super eam*. Munsterus, *cum dissiparet omnipotentes reges propter eam*. Consimiliter interpretes pro Cajetano, *frangente omnipotente reges in ea*. Atqui פרש paras, sonat quoque Hebræis *extendit, distribuit*. Itaque Hieronymus et cæteri Hebraicantes stant a LXX Interpretibus, aliquot verbis immutatis, sensu constante.

Nive dealbabuntur in Selmon. Quia hic *Selmon* videtur esse appellativum, non proprium nomen montis, de quo Jud. ix. Ideo quidam reliquerunt vocabulum ipsum, alii transtulerunt, *obscuritatem*. Nebiensis, *umbram mortis*. Subsecutus tamen Propheta videtur allusisse ad montem, quem voluit cæcus Burgensis poni sub auferendi casu, alioqui non vitabatur absurditas sermonis, nempe *in Selmon monte pingui*. Sed nullus auctor, aut Græcus, Hebræus, vel Latinus sic convertit, propterea quod non pendeat a superioribus, sed respiciat inferiora : nisi quod indicat Augustinus nonnullos codices habere in accusativo *montem* alios in recto, mons, propterea quod in Græco ὄρος est neutrius generis.

Ut quid suspicamini montes coagulatos? Faber et Cæcus impingunt in interpretem, quod debeat proferri *montes*, vocandi casu, quandoquidem vertit Hieronymus, *montes excelsi*. Augustinus tamen et legit et interpretatur *montes*, accusandi casu. Sed quid notius sit quam debeat iterari, Hebræos æqualiter declinare suos casus? Integrum est pro exigentia rei et syntaxeos, hoc aut illo casu efferre. Sed obviat quod Hieronymus ponit *contenditis*, alii *exsilietis*, alii *invidetis*. Ex quo perspicue constat, *montes* cum illis verbis non posse accipi, nisi vocativo casu תרצדון teratzedun ducitur a verbo רצד ratzad, quod trifariam exponitur apud Hebræos, *saltare, insidiari, exspectare*, maxime secundum quemdam rabbinum, a Sancte adductum. Hinc Pellicanus traduxit, *quare invidiose aspicitis montes elevationum?* quanquam videtur interpretari ex vocativo. In eo tamen quod dicit *aspicitis*, non distat a nostra lectione, nec Chaldæus *admiramini*. Porro quod quidam habent *montes gibberosos, montes elevationum, montes excelsos*, et nos legamus *montes coagulatos*, id est *incaseatos*, non est mirum, cum גבננים gabenunim, Hebræis hoc et illud sonet : unde

A Nebiensis, *montes coagularum*. Et quia semel Hieronymus verterat, *contenditis*, ut consisteret sententiæ contextura, addidit præpositionem *adversus*, ut sit, *contenditis adversus montem*, etc. Quod si non vis præpositionem subaudire, poteris cum Munstero dicere, *hic est mons*, etc., siquidem passim occurrit sermo Hebraicus tam pressus, ut ad sensus integritatem, aliquorum dignam subauditionem oporteat esse.

Vers. 18. — *Currus Dei decem millibus multiplex millia lætantium*. Translatores varie reddunt, eodem tamen conspirantes, nempe ut non sit numerus ministrorum Dei. Ob idque non fuit opus re minus necessaria onerare lectorem. Tamen adducam Hieronymum, *currus Dei innumerabilis, millia abundantium*.

Vers. 19. — *Accepisti dona in hominibus*. Hieronymus enarrans, cap. iv ad Ephes., docet cur Apostolus citans hunc ipsum locum, mutaverit *ac-*
B *cepisti* in *dedit*, cum in Hebr. legatur לקחת laquata, et Græco ἔλαβες. « Eleganter hic posuit *dedit dona in hominibus*, cum in psalterio scriptum sit *accepit dona in hominibus*. Verum ibi quia necdum factum erat, sed futurum promittebatur, propterea dicitur *accepisse*. Hic vero cum Apostolus scribit, quia jam dederat et in universo orbe Ecclesiæ fundatæ erant, idcirco non accepisse dicitur, sed *dedisse*. » Hactenus Hieronymus. Pellicanus tamen vertit, *docuisti dona in homine*, alludens ad vocabulum לקח lequach, hoc est *doctrina*.

Vers. 21. — *Prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum*. Hieronymus, *portabit nos*. Cui accinit Pellicanus, supportabit. Quod si ab omnipotente Deo portemur, qui non prosperi viæ nostræ accumulabitur. Quia tamen עמס amas significat *onerare* et *afferre*, particula quoque *salus* sub diversis casibus potest ascisci. Idcirco nascun-
C tur aliæ versiones pro voluntate hominum. Pratensis, *aggravabit nos Deus salutare nostra*; Sanctes, *afferet nobis Deus salutem nostram*; Pellicanus, *Deus salus nostra*; interpretes pro Cajetano, *onerabit Deus salutem nostram*; Munsterus, *oneret nos beneficiis suis*, qui *est Deus salutis nostræ*. Consonat Campensis. Universæ hujusmodi versiones dignam sonant intelligentiam. Sed quid opus est tanta confusione ex qua fortassis quibusdam infirmis vertatur in nauseam Vulgata editio?

Vers. 24. — *Convertam in profundum maris*. Hebr. ממצלות mimmezuloth, id est *de profundis maris*. Quæ videntur sibi adversari, *convertere in profundum*, et *restituere de profundis*. Verumtamen Hieronymus in Commentariis pro eodem habet hoc pacto, *convertam Basan populum meum, conversum in profundum maris*, id est de profundis vitiis, et peccatis sæculi istius, de commotione et fluctibus convertam populum meum.

D Vers. 25. — *Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso*. Istud ab ipso, quidam referunt ad sanguinem de quo superius in eodem versu dicebatur, *ut intingatur pes tuus in sanguine*, ut Munsterus hoc modo reddens, *lingua canum tuorum*, rubet ex hostibus propter ipsum sanguinem. Alii dant Deo : quod videtur facere Hieronymus, quando dixit, *a temetipso*, si tamen placet nobis Augustini edissertio, quia ipse Hieronymus in Commentariis reducit *ad sanguinem*, Sanctes mutat in plurale, nempe *ex ipsis inimicis*.

Vers. 26. — *Viderunt ingressus tuos, Deus*. Hieronymus ad Suniam et Fretellam castigat codicem Græcum, in quo erat ἐθεωρήθησαν, id est *visi sunt*, et quemadmodum exemplaria nostra nunc habent, pro ἐθεώρησαν, quod est, *viderunt*, et ita se invenisse in Septuaginta et in ἑξαπλοῖς confitetur, licet interim non neget consuetudinem obtinuisse ut habeatur ἐθεωρήθησαν.

VERS. 27. — *Prævenerunt principes.* Alii *cantores.* Nam שרים SCHARIM, cum puncto in dextro cornu, sunt *cantores*. At שרים SARIM, signato punctulo in sinistro cornu, id est *principes*, quo pacto pronuntiaverunt interpretes LXX, et verterunt interpretes pro Cajetano.

VERS. 28. — *De fontibus Israel.* Munsterus quod somniavit addere sive interserere voluit, *de origine cordis Israel*, cum in Hebr. nulla sit mentio *cordis*, nec ullus alius interpres attigerit quem viderim.

VERS. 29. — *In mentis excessu.* רדם RODEM, si ducatur a radice רדה RADAH, et littera mem, sit affixa, significat *dominari*. Eoque Pratensis, Sanctes, Munsterus et interpretes pro Cajetano traducunt, *dominans eis*, vel *dominator eorum*. Si autem idem vocabulum, inclinaveris a verbo primitivo רדם RADAM, ut mem sit radicale, *dormitare* sonat. Hinc Septuaginta dixerunt, *in mentis excessu*. Suffragantur Pellicanus, et paraphrasis Campensis. Hic dicit, *sopore corripitur*; ille, *in extasi*. Nec ab hoc sensu abhorret versio Hieronymi, continens eos, utpote *fontes* **145** *Israel*, de quibus supra, ut indicetur raptus apostoli Pauli, qui in ea extasi copiose hauserit fluenta divinæ sapientiæ.

VERS. 30. — *Principes Juda duces eorum.* Hebr. רגמתם RIGMATHAM, רגמה REGAMAH, est homonymum ad *purpuram, interitum, cœtum, congregationem*. Ob id varie reddunt varii. Hieronymus, *principes Juda in purpura sua*: Sanctes stat a nobis Pratensis, Nebiensis et Pellicanus, *interitus* sive *lapidatio eorum*. Campensis accedit Hieronymo, *ornamentum eorum*. Munsterus et interpretes pro Cajetano, *consilium* sive *admiratio eorum*.

VERS. 31. — *Manda Deus virtuti tuæ.* Hebræi legunt per præteritum et tertiam personam, *mandavit Deus tuus*, dehinc quod sequitur עזך UZECA. Ideo quia casus terminatione non distinguitur, ob id quidam vertunt *fortitudinem*: Hieronymus, *de fortitudine tua*; quidam alii, *fortitudinem pro te*; Campensis (quod est paraphrasticos), *robur addere tibi*. Jamque legendo verbum *mandavit*, sub tertia persona, respicitur fortitudo hominis, quæ a Deo donetur, aut stabiliatur. Sub secunda autem persona, ad virtutem Dei aspicitur, quæ est Christus, auctore Augustino. Atqui Hebræi sub eisdem prorsus litteris, præteritum et imperativum scribunt. Etenim צוה potest pronuntiari TZIRAH, quod est *præcepit*. Potest et TZAUEH proferri, hoc est *manda*, שוה. Et magnopere convenit imperativus, cum statim subjungatur idem modus in alia clausula, *robora Deus*, sive *confirma*, etc.

VERS. 32. — *A templo tuo quod est in Jerusalem.* Munsterus ob assumentum suum quod immiscuit, cogit et trahit lectorem ad suum cerebrum. Ait enim: *A templo tuo in Jerusalem prodeat robur tuum.* Ubi juxta mentem aliorum interpretum, extrito quod non est de Propheta additamento, datur intelligenti libera facultas extendendi ad id quod sequitur: *Tibi offerent reges munera.* Alioqui juxta Munsteri coactam versionem, hæreat superioribus necesse est. Illud animadvertendum posse accipi litteram מ subsidiariam mem, pro *in*, alioqui est nota ablativi. Siquidem plerique transferunt *in templo*, cum legatur in Hebræo מהיכלך ut interim meminerimus non otiose adnotatum quod dictum est vers. 24 hujus psalmi, ubi legimus, *in profundum maris*, et Hebraismo addicti dicebant, *de profundis maris*, idque non alia ratione quam quod præponebatur elementum mem.

VERS. 33. — *Increpa feras arundinis.* Hieronymus, Nebiensis, Pellicanus, Pratensis, interpretes pro Cajetano, subscribunt Septuaginta. Sanctes aliter, *increpa* sive *disperde congregationem calami* גער חית GEAR HAIATH. Munsterus multo distat, *dissi-*

A *pato cœtu eorum qui utuntur lanceis.* Cui Campensis consonat, *vasta multitudinem lancea armatam.* Editio in Campensi, peculiarem sibi somniavit sensum, *ages jumenta arundine*, quasi velit nobis insinuare quemdam pastorem, qui tantæ sit virtutis et clementiæ, ut ad nutum sine recalcitratione jumenta obtemperent. Sensus quidem pius est, haud scio tamen si suo loco. Sed ut ad rem revertamur, nunquam a memoria debet fugere, quod scribit Hieronymus adversus Ruffinum libro primo. Idque memini in superioribus, quanta silva apud Hæbræos ambiguorum nominum atque verborum, quæ res diversæ interpretationi materiam præbuit, dum unusquisque inter dubia quod sibi consequentius videtur transfert. Jam vocabulum קנה QUANEH apud Hebræos usurpatur pro *calamo*, et pro *congregatione*, et pro *lancea*.

B *Congregatio taurorum in vaccis populorum*, ut subaudias verbum *est*. Alias vertunt per accusativum, ut respondeat verbo superiori, *increpa*. Et quia אבירים ABBIRIM *fortes tauros* designat, nunc transferunt absolute *tauros*, nunc *fortes*. Cæterum Faber elevat suo more auctoritatem Vulgatæ editionis, quæ habet *vaccas* pro *vitulis*, id philosophatur rectius convenire, quod vituli sint petulantia lascivi, vaccæ non item, quin potius ignavæ et desidies. Utinam vidisset quod commentatur Hieronymus in eum locum! Certe interpretes haut incessisset. Verba Hieronymi audito: « Ipsos hæreticos significat, quia neminem possunt decipere, nisi simpliciores et parvos, hoc et vaccas minores, tauros enim non possunt decipere, hoc est magnos. » Quod eleganter etiam ponantur *vaccæ* edisserit Augustinus. Equidem scio in Hebr. legi *vitulos* עגלי EGLE. Sic tamen ut infirmitas et levitas populorum indicetur, quæ quatenus significetur per

C femininum notius est, quam ut diutius immoremur.

Ut excludant eos qui probati sunt argento. Hebr. מתרפס MITHRAPES. In prima particula mire sunt diversi translatores. Hieronymus pro eo quod est *excludant eos*, ponit *calcitrantium*, nempe vitulorum. Accedit Nebiensis. Interpretes pro Cajetano, *calcantem*, videlicet *congregationem*; Pratensis et Pellicanus, *optantem* seu *studentem*; Munsterus, *humiliabit se*, cui alludit Camp., *donec facti supplices, tributa pendeant*; Sanctes, *gloriantem*, vel *conculcatam incisionibus*. Non est animus persequi unamquamque versionem. Nam instituti nostri est pro virili contueri nostram editionem. Jamque una est interpretatio, quæ respondet lectioni Vulgatæ, modo verum sit quod exponit Augustinus hic usurpari *excludi* pro *apparere, eminere*. Si quidem sunt qui hoc modo vertunt, *gloriabundi in portionibus argenti*. Cæterum si accipias *excludere* in ma-

D lam partem, oporteret interpretes accepisse litteram, mem, finalem vice samec, quæ magnam habent cognationem. Idque probabile est, cum ea littera in fine dictionum significet *eos*, et legendo per samec hoc non esset. Illud quoque verum erit deducendo מתרפם MITHRAPAM, a radice רפה RAPHAH quod est interdum *dissolvit debilitavit*. Et si intelligatur hæreticos moliri, ut ad suum errorem trahant etiam eos qui peritiores sunt et primores in Dei Ecclesia, en quadrat quod infirmentur qui robustiores fuerant. Quantum ad secundam clausulam *qui probati sunt argento*, Hieronymus traduxit, *rotas argenteas*. Subscribit Nebiensis, Pratensis et Pellicanus, *numerationes fragmentorum argenti*. Sanctes, *cum incisionibus argenteis*. Consentiunt interpretes pro Cajetano et Munsterus. Editio in Campensi periphrasi usa est, intelligitque gentes opibus deditas. In Hebræo habetur ברצי כסף BERATZE CASEPH. Sed Hieronymus deducit רצי RA-

TZE a themate רוץ ROTZ, id est *currere*. Qui autem vertunt *fragmenta* a themate רצץ RATZATH, hoc est *fregit*. Idem est sensus, quod apostoli qui dicuntur rotæ, propter discursum velocem prædicationis evangelicæ, confracti sunt et probati tanquam aurum in fornace, per quos itidem intelliguntur, qui doctrinæ apostolicæ hærent usque ad mortem.

VERS. 34. — *Venient legati ex Ægypto*. Pratensis, Nebiensis, Sanctes, Munsterus, et Campensis non dissident a nobis, quia *legati*, *optimates*, *principes* חשמנים CHASSMANNIM. Sed Pellicanus et interpretes pro Cajetano dicunt, *pingues*, ut clarum sit eos legisse, he, pro chet, aspirationem tenuem, pro forti aspiratione השמנים a themate שמן SCHAMEN, id est *pinguefactus est*, et he, servilis sit littera. Hieronym. diversus est. Siquidem pro *legatis*, legit *velociter*. Suboleo quod unam dictionem usurparit, conflatam ex duabus חוש HOSCH, id est *festinavit*, et מנים MONIM, quod significat *partes temporis*.

Æthiopia præveniet manus ejus Deo. Certum est manus hic esse pluralis numeri ex Hebræo. ידיו IADAU, et accusativi casus, ex Greco quod χεῖρα, aut juxta alios codices χεῖρας. Sed dubium est quid referat pronomen *ejus* in latino; in Græco autem tollitur ambiguitas per femininum αὐτῆς.. In Hebræo vau est e diverso nota masculini generis, quanquam כוש KUSCS, id est Æthiopia non repugnat in masculino. Illud interim est manifestum, quod Augustinus, in Enarrationes, exposuerat *manus ejus*, scilicet *Dei*. Quod si versum esset *manus suas*, quemadmodum magis probat in sequentibus Augustinus, omnis scrupulus esset sublatus. Sed prior interpretatio, nullum haberet locum in hac

A parte. Certe Hieronymus simpliciter posuit *manus*, citra quodlibet pronomen. Eodem quoque interprete Origines, homilia 1 in Cantica, referre videtur pronomen *ejus* ad Synagogam, idque confirmat Scripturarum auctoritate. Et ad eumdem modum vertit Hieronymus illic, quo hic legimus et psallimus, et magister indicat sequenti versiculo.

VERS. 35, 36. — *Regna terræ cantate Deo, psallite Domino, psallite Deo*, etc. Tertia clausula nempe *psallite Deo*, exordium 36 versiculi, est adjectitia, ex veteri Psalterio, Hieronymo auctore ad Suniam et Fretellam, in hæc verba: *regna terræ cantate Deo, psallite Domino*. « Et dicitis hoc in isto versiculo non esse scriptum, *psallite Domino*, quoniam statim sequitur post diapsalma, *psallite Deo qui ascendit super cælum cæli ad orientem*, cum iste versiculus magis habere debeat juxta Hebraicam veritatem: *Cantate Deo, psallite Domino*. Et illud quod sequitur in principio alterius versus;
B *psallite Deo*, non sit in libris authenticis, sed obelo prænotatum. Ergo et vos legite magis ea quæ vera sunt, ne dum additum suscipitis, quod a Propheta scriptum est relinquatis. » Hactenus ille. Ex quibus perpenditur codices, quibus utebantur Sunia et Fretella secundam clausulam, *psallite Domino*, non habuisse, sed versiculum illum, finitum esse in ea sententia, *regna terræ cantate Deo*, et mox interpositum fuisse et diapsalma, ut alter versus initium sumeret ab hoc quod est, *psallite Deo*. Nunc vero id quod est additum legimus, non prætermittentes tamen Hebraicam veritatem.

Qui ascendit super cælum cæli ad orientem. Hieronymus cum plerisque aliis transtulit *a principio*. Sanctes et Pellicanus adhærent Septuaginta. Siquidem קדם QUEDEM, est ad utrumlibet.

PSALMUS LXVIII.

PSALMI TITULUS: « IN FINEM PRO HIS QUI COMMUTABUNTUR PSALMUS IPSI DAVID. »

Salvum me fac, Deus. Titulus: *In finem pro iis qui commutabuntur ipsi David*. [Aug., Cassiod., Aug., Cassiod.] Duæ sunt commutationes; una est de bono in malum, quia commutatus est Adam ex forma Dei in deterius in quo omnes moriuntur; altera de malo in bonum, qua commutantur fideles de malo in bonum, et de bono in melius per gratiam Christi, in quo omnes vivificantur, cujus commutationis causa est passio Christi. Per hanc enim ipse Christus transivit de mundo ad Patrem, in quo et nos transire fecit de morte ad vitam, de terra ad cœlum. Unde et ipse descendit ad eos qui ceciderant, ut eos sublevaret. Quod, id est, qui transitus, Hebraice dicitur Pascha. Unde in Exodo: Est enim Phase, id est *transitus Domini* (*Exod*. XII). Apud Græcos vero Pascha passionem significat, et est ordo tituli: *Psalmus* iste dirigens nos *in finem*, id est Christum, attribuitur ipsi *David*, id est Christo, qui hic loquitur, secundum caput et corpus agens pro his, id est de his, id est de causa commutationis eorum, scilicet de passione Christi, *qui commutabuntur* de malo in bonum, de timore ad securitatem, de mundo ad cœlum. Et est psalmus iste quartus eorum qui latius de passione et resurrectione Christi agunt. Intentio: Monet ad laudem pro facta commutatione. Modus: Quinque

C sunt partitiones, Primo precatur salvus fieri, quia multa patitur quantum ad se gratis, sed quæ alius rapuit, ipse solvit. Secundo quæ solverit exponit, ibi, *Deus tu scis*. Tertio pro dictis malis orationem opponit, ibi, *ego vero*. Quarto contra adversarios prophetat, ibi, *fiat mensa*. Quinto dispensationem incarnationis et sanctitatem propositi exponit ibi, *ego sum pauper*. Christus ergo **146** in passione clamat ad Patrem dicens: O

VERS. 1.— « Salvum me fac, Deus, quoniam in« traverunt aquæ usque ad animam meam. » *Deus salvum me fac*. [Aug.] Hæc est vox grani sinapis contempti, dum in horto obruitur, quod crescit in magnum olus. Et revera granum sinapis minimum est, et fuscum, et aspernabile prorsus, et
D de Christo dictum est: *Vidimus eum non habentem speciem neque decorem* (*Isa*. LIII), et tamen occupavit faciem terræ factus mons magnus. Quare clamas? *Quoniam aquæ*, id est seditio et motus populi, *intraverunt usque ad animam meam* tollendam, id est turbæ Judæorum prævaluerunt non tantum tenere et ligare, sed etiam occidere Christum. Hoc dicendo, sic clamando Christus transformat in se membra sua, id est membris suis dat formam clamandi, quibus amarus est transitus mortis, per quem Christo cohæremus. Et habet fel, et acetum, quod in passione Domino datum est. Ideo ergo clamat ut sui clament, ne cedant iniquitati timore mortis,

ultra quam non habent mali quid eis faciant, Et

VERS. 2 — « Infixus sum in limo profundi ; et « non est substantia. »

Infixus sum corpore. [Aug., Cassiod., Aug.] Quasi dicat. Tenuerunt me *in limo profundi*, id est Judaicæ iniquitatis. Limus est homo, et de limo terræ, sed non de profundo, id est de corrupto factus est, sed cadendo a justitia per originalia et actualia peccata factus est limus profundi, id est iniquitatis, cui persequenti qui non cedit, commutatur de limo in aurum. *Et non est substantia*. Substantia dicuntur divitiæ, quibus sustentatur homo. Et est, non est substantia, id est ad paupertatem veni. Unde in sequenti : *Pauper et dolens ego sum*, vel non est substantia. Hoc ad intelligendum est difficile aliqnanto, et indiget commendationis et expositionis aliquantulæ. Intelligitur substantia illud quod sum a Deo. Naturæ ipsæ substantiæ dicuntur, ut homo, pecus, cœlum, terra, et hujusmodi omnia ista substantiæ sunt, eo ipso quo sunt. Nam quæ nulla sunt, in substantia nihil omnino sunt. Substantia ergo aliquid est. Deus est quædam substantia. Unde etiam in fide catholica contra venena quorumdam hæreticorum sic ædificamur, ut dicamus Patrem et Filium et Spiritum sanctum unius esse substantiæ. Quidquid est Pater quod Deus est, hoc est Filius, hoc est Spiritus sanctus. Cum autem Pater est, non illud est quod est. Pater enim non ad se, sed ad Filium dicitur ; ad se autem Deus dicitur. Itaque eo quo vel quod Deus est, substantia est ; et quia ejusdem substantia est Filius, procul dubio et Filius est Deus. At vero quod Pater est, quia non substantiæ nomen est, sed refertur ad Filium, non sic dicimus Filium esse Patrem, quomodo dicimus Filium esse Deum. Quæris quid sit Pater ? respondetur Deus. Quæris quid sit Filius ? respondetur Deus. Quæris quid sit Pater et Filius ? respondetur Deus. De singulis interrogatus, Deum responde. De utroque interrogatus, Deum, non Deos responde. Non sic in hominibus. Quæris quid sit Abraham, respondetur homo. Quæris quid sit filius ejus Isaac, respondetur homo. Ejusdem substantiæ est Abraham et Isaac. Si vero quæris quid sit Abraham et Isaac, non homo, sed homines respondetur. Non sic in divinis. Tanta enim ibi est substantiæ societas, ut æqualitatem admittat, pluralitatem non admittat. Si ergo tibi dictum fuerit cum dicit Filium hoc esse quod Pater est, profecto Filius Pater est. Responde secundum substantiam, tibi dixi hoc esse Filium quod Pater est, et non secundum id quod ad aliud dicitur. Ad se enim Deus dicitur ; ad Patrem Filius dicitur. Rursumque Pater ad se Deus dicitur, ad Filium Pater dicitur : quo dicitur ad Filium, Pater non est Filius ; quo dicitur Filius ad Patrem, non est Pater ; quo dicitur Pater ad se, Filius ad se, hoc est Pater et Filius, id est Deus. Quid est ergo ? Infixus sum in limo profundi, et non est substantia. Substantia dicitur illud quod est quæque res a Deo. Fecit Deus hominem

A substantiam. Atque utinam maneret in eo quod Deus fecit ! Si enim maneret homo in eo quod Deus fecit, non in limo infixus esset, quem Deus genuit. Substantia dicitur illud quod a Deo facta est quæque res. Unde in Evangelio : *Omnia per ipsum facta sunt* (*Joan.* I), id est omnes naturæ, omnes substantiæ quæ laudant Deum, non quod omnia habeant sensum laudandi, sed quia bene cogitata laudem pariunt, et consideratione creaturæ, impletur cor ad eructandum hymnum Deo ; laudant etiam reptilia, sed non avaritia, invidia, etc., quæ non fecit Deus. Fecit ergo Deus hominem substantiam, scilicet naturaliter bonum, sed quia non in eo mansit, sed lapsus est in iniquitatem, quæ non est substantia, sed perversitas hominis. Non est

B substantia, id est qualis a Deo factus, in qua perversitate infixus est Filius hominis Dei, quia in iniquitate eorum infixus est. Non est in eis substantia, [Cassiod., Hier., Gl. int.] id est non inveni in eis quod feci, quia non a Deo sunt facti tales, sed accessit aliunde. Vel ita : Non est mihi substantia, id est virtus carnis, evadendi passionem. Vel non est mihi substantia, id est stabilitas vitæ, quia

VERS. 3. — « Veni in altitudinem maris ; et tempestas demersit me. »

Veni sponte *in altitudinem maris*, [Aug., Hier., Cassiod., Aug.] id est in qua nos naufragabamur, id est in profundum sæculi, et insani populi, *et tempestas*, id est seditio et transitorius impetus, scilicet voces inclamantium mortem, *demersit me* in mortem. Ecce Jonas a ceto absorptus, sed tertia

C die evomitus. Et licet illi ita facerent, tamen ego

VERS. 4. — « Laboravi clamans, raucæ factæ sunt « fauces meæ, defecerunt oculi mei, dum spero in « Deum meum. »

Laboravi clamans, [Aug., Cassiod., Aug.] admonendo eos, diu enim clamavit ; Væ *vobis Scribæ et Pharisæi* (*Matth.* XXIII) ; et : Væ mundo a scandalis (*Matth.* XVIII). Et in hoc laboravit, quia non recipiebatur. Clamans enim laborat qui non exauditur. Non laborat cujus votum impletur. Et *raucæ factæ sunt fauces meæ* hoc ad litteram in Evangelio non legitur, sed ut raucus factus est quantum ad illos, quia non est ab eis intellectus. *Defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum*. Alia littera, id est

D discipuli desperaverunt, ut oculi duorum discipulorum tenebantur, in via Christum non agnoscentium qui desperantes dixerunt : *Sperabamus quod esset redempturus Israel* (*Luc.* XXIV). Quibus extra factum est quod intra erat, id est cæcitas cordis facta est in oculis ; sed spem eis reddidit, quando cicatrices palpandas obtulit : quibus tactis Thomas ad spem rediit clamans : *Deus meus, et Dominus meus* (*Joan.* XX). Tetigit ergo formam servi, et cognovit formam Dei. Ideo in lege dictum est : *Non coquas hædum in lacte matris*, [Alcuin., Cassiod., Alcuin.] id est apostolis adhuc teneris et infirmis, non immittes passionem et mortem, quia tales perditi fuissent. Vel ita : Defecerunt oculi mei, id est

mortuus sum. Deinde subdit causam, dum spero A
in Deo meo, id est quia præstolor misericordiam, et non ex eo potentiam.

VERS. 5. — « Multiplicati sunt super capillos capitis mei qui oderunt me gratis. »

Multiplicati sunt super capillos, etc. [Alcuin., Aug., Alcuin., Aug.] Quod prius typice dixit, scilicet *aquæ limus, altitudo maris*, nunc in re aperte dicit : Illi *qui oderunt me gratis*, id est sine causa, *multiplicati sunt*, ut etiam discipulus cum eis esset, *super capillos capitis mei*, pro infinito ponit. Capillis capitis comparat inimicos, quia merito rasi sunt de Christo, quando in Calvaria crucifixus est Christus. Inde est quod Christus in passione exutus est vestibus suis, et aliis vestitus, et post suscepit suas, et altaria quoque discooperiuntur passionis B
tempore, et post instante resurrectione cooperiuntur, quia tempore passionis recesserunt Judæi a Christo, et etiam apostoli. Eo vero resurgente redierunt apostoli, sed non alii Judæi. Ideo aliis vestibus, scilicet gentibus indutus est ; sed in fine, per prædicationem Eliæ et Enoch, omnis Israel salvus fiet ; et tunc vestimenta sua recipiet. Idem enim significat translatio libri, qui prius ponitur in dextro latere altaris ; postea transfertur in lævum. Inde circa finem missæ refertur in dextrum. Vel per capillos boni intelliguntur : et hoc est, *multiplicati sunt super capillos capitis mei*, [Cassiod.] id est plures sunt his qui sunt ornatui, sicut capilli ornant caput. Numerosi sunt inimici, et etiam noxii. Unde subdit : Et

VERS. 6. — « Confortati sunt qui persecuti sunt me inimici mei injuste ; quæ non rapui, tunc exsolvebam. »

Confortati sunt inimici mei qui etiam *persecuti sunt me injuste*. [Aug.] Hoc est quod dixerat, *gratis*. Laus Christi, et martyrum est in causæ bonitate, non in pœnæ acerbitate. Causa enim facit martyrem non pœna. *Quæ non rapui tunc exsolvebam*. Quasi dicat : Non peccavi, et pœnas dedi. Rapuit enim Adam et Eva præsumens ut diabolus, de divinitate. Rapere voluerunt divinitatem, et perdiderunt felicitatem.

PARS II. VERS. 7. — « Deus, tu scis insipientiam meam ; et delicta mea a te non sunt abscondita.

Deus, tu scis. [Cassiod., Alcuin., Aug., Cassiod.] Secunda pars, ubi exponit quæ exsolverit, scilicet insipientiam et delicta suorum. Et quia pro aliis solvit, precatur exspectantes antiquos, et quærentes alios, scilicet modernos in se non frustari, cum tanta tam æquanimiter ferat. Quasi dicat : Non rapui, quia, o *Deus, tu scis insipientiam*. Hoc dicit Christus ex membris *meam*, id est meorum, id est scis quod ignari Dei sunt, *et delicta mea*, id est meorum, quæ suscepi ad delendum, non quæ admisi (fuit enim delictorum susceptor, sed non commissor) *a te non sunt abscondita*, de insipienta et delictis suorum hoc dicitur. Hi sunt qui commutantur in sapientes et justos.

VERS. 8. — « Non erubescant in me, qui exspectant te, Domine, Domine virtutum. »

Non erubescant. [Cassiod.] Hic ostendit quod supra de membris dixerat, quasi dicat : Et quia pro aliis solvi, ergo *non erubescant in me*, id est non frustrentur in me moriente, *qui exspectant te* cum desiderio, *Domine*, scilicet prophetæ et antiqui justi, qui exspectant quod oculis videre non potuerunt. Ne ergo aliter eveniat, quam Spiritus sanctus per eos prædixit, Domine, vel Deus *virtutum* cœlestium vel terrestrium, scilicet cui nihil impossibile est. Deinde precatur pro modernis quærentibus, dicens, Et

VERS. 9. — « Non confundantur super me qui quærunt te, Deus Israel. »

Non confundantur insultationibus *super me* morientem *qui quærebant te*, o *Deus Israel*, [Gl. int., Cassiod., Rem., Aug.] id est, videntium Deum. Hoc ideo dicit, ut qui deitatem ejus intueri non possunt, non seducantur infirmitate ejus carnali. Vel ita ab illo loco, *Deus tu scis*. Quasi dicat : Exsolvi, et hoc ideo, quia tibi placet ; et loquitur de se Christus, et hoc est, *Deus tu scis*, id est approbas *insipientiam meam*, id est quod de me, insipientia et stultitia videtur, id est irrisio, et mors quam patior, secundum illud : *Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus* (*I Cor.* I), quod in me irriserunt, qui sibi sapientes videbantur, sed tu scisti quare fiet. *Et delicta mea*, id est meorum, *a te non sunt abscondita*. Hoc non muta-
C tur. Et quia pro aliis solvi, ergo *qui exspectant te, Domine virtutum, non erubescant in me* morientem, id est non dicatur eis, ubi est Christus vester ? Ubi est qui dicebat : *Creditis in Deum, et in me credite* (*Joan.* XVI). Et agit de justis qui fuerunt post adventum Christi, de quibus etiam subdit *non confundantur* insultationibus, *qui quærent te, Deus Israel*, hoc non mutatur. Vel loquitur hic in persona Ecclesiæ, et orat Ecclesia ut non prematur hæreticorum scandalis, sic ut filii erubescant. Et est, *non erubescant in me*, id est in depressione mea, que *te exspectant*, etc., quæ non mutantur.

VERS. 10. — « Quoniam propter te sustinui opprobrium ; operuit confusio faciem meam. »

147 *Quoniam propter te*. [Cassiod., Aug., Gl.
D int., Cassiod., Aug.] Congregat in unum multa quæ pertulit ad invidiam in Judæos excitandam. Quasi dicat : Merito non confunduntur super me, *quoniam* ego *sustinui opprobrium* in conviciis, ut quod ipsi dicunt : *In Beelzebub ejicit dæmonia* (*Luc.* XI), potator vorax est (*Matth.* II), propter te non pro mea culpa, vel alia re. Quasi dicat : Non est magnum quod sustinui, sed quod propter te, et *operuit confusio faciem meam* consputatam. Hoc solet evenire in bono laceratis, qui solent tanto amplius ad tempus tristes effici, quanto in se cognoscunt iniqua confingi. Vel secundum aliam litteram et loquitur totus Christus, operuit, ut videbatur, faciem meam irreverentia, id est impudentia quam oportet nos

habere, inter eos quibus displicet Christus, ne erubescamus de eo, et

VERS. 11. — « Extraneus factus sum fratribus « meis : et peregrinus filiis matris meæ. »

Fratribus meis cognatione carnis *factus sum extraneus*, [Cassiod., Aug., Cassiod.] sicut Joseph suis, quia non credunt mihi ; *et peregrinus filiis matris meæ*, id est Synagogæ, vel *hospes*, alia littera, scilicet qui ad tempus in domum recipitur, non ut frater charissimus : Quasi dicat ego eram eis, peregrinus eis fui, cum dixerunt : Hunc nescimus unde sit (*Joan.* IX). Sed quare ?

VERS. 12. — « Quoniam zelus domus tuæ comedit me ; et opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me. »

Quoniam zelus domus tuæ, [Alcuin., Aug., Gl. int.] id est indignatio qua indignabar eis, pro domo tua. Vel, zelus, id est amor domus tuæ, *comedit me*, quia persecutus sum in eis, iniquitates eorum, dum flagellavi in templo male versantes, flagello de resticulis facto, ementes et vendentes ejiciendo, dicens : *Domus mea, domus orationis vocabitur* (*Matth.* XXI). Vel ita distingue, ideo hoc, quoniam zelus domus tuæ fuit mihi. Et ille zelus, comedit me, id est fuit mihi causa mortis. [Cassiod., Aug., Cassiod.] Quid istum zelum sequitur, adjungit : *Et opprobria exprobrantium* vel improperantium *tibi* olim in deserto, *ceciderunt* tandem *super me*, quia increpati convicia quasi tela super eum miserunt, ut : *Nonne hic est filius Joseph ?* (*Luc.* IV.) Improperantium tibi, ut quando dixerunt : *Nunquid poterit parare mensam in deserto ?* (*Psal.* LXXVII) et illud : *Isti sunt dii tui, Israel* (*Exod.* XXXII). Et ideo nunc eadem convicia dicit super se cadere, quæ olim exprobrabant, ut ex consuetudine impia, et non noviter videas eos hoc fecisse. Vel ita, opprobria nunc, exprobrantium tibi in me, quia quicunque exprobrant Christo etiam. Patri, ceciderunt super me, quia me invenerunt. Cadunt enim super nos mala, quando vitare non possumus. Ceciderunt ergo super Christum, id est effectum habuerunt.

VERS. 13. — « Et operui in jejunio animam meam ; « et factum est in opprobrium mihi. »

Et operui in jejunio, [Cassiod., Gl. int., Alcuin., Aug.] quasi quodam pallio tristitiæ *animam meam*, id est, voluntatem. Vel, operui animam meam, id est non exercui potentiam vindicando. Et hoc in jejunio salutis eorum, quia sicut esuriebat et sitiebat Christus eorum fidem et salutem, ita jejunium Christi fuit, quando defecerunt qui in eum crediderant. Et sicut in passione fel et acetum in potum oblatum cum gustasset noluit bibere : ita præelegit potius jejunare, quam fel vel acetum accipere, id est veteres et amaros qui non intrant in corpus ejus, *et* hoc est, quod ab eis jejunavi, id est non consensi eis, *factum est mihi in opprobrium* detractionis et irrisionis. Quasi dicat : Ideo insultant mihi quod patuit in sputis et colaphis et hujusmodi. Cur factum est in opprobrium ?

A VERS. 14. — « Et posui vestimentum meum cilicium, et factus sum illis in parabolam. »

Et, [Aug., Hier., Rem., Aug., Cassiod.] id est, quia *posui cilicium vestimentum meum*, id est opposui illis mortalem carnem in quam sævirent, et occului deitatem sacco. Cilicium enim est mortalis caro, quam Christus induit, ut de peccato damnaret peccatum. Cilicium est lugubris caro, ut quod flevit super Jerusalem et pro Lazaro. Vel ita illi sunt tales, *et* tamen ego *posui cilicium vestimentum meum*, id est eos asperos volui mihi vestimentum esse ; *et factus sum illis in parabolam* irrisoriam, id est in similitudinem maledicti, ut cuilibet maledicendo dicerent : Sic tibi contingat ut Christo crucifixo. Vel, factus sum illis in parabolam, quia per
B parabolas eos docebam. Unde : *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei ; cæteris autem in parabolis*, etc. (*Luc.* VIII). Et tunc

VERS. 15. — « Adversum me loquebantur qui sedebant in porta ; et in me psallebant qui bibebant « vinum. »

Adversum me. [Gl. int., Aug., Cassiod., Aug., Rem.] Vel ita continua : Qui tibi hoc fecerunt ? ecce *adversum me loquebantur qui sedebant in porta*, id est in publico. In porta sedent qui conventibus hominum sedula curiositate miscentur. Dicit ergo passionem suam Judæorum esse fabulam, ut nullus exciperetur, qui hujus locutionis alienus esset. Unde Cleophas ait : *Tu solus peregrinus es in Jerusalem et non cognovisti quæ facta sunt in illa his die-*
C *bus* (*Luc.* XXIV) ? Quasi dicat : Tu quia peregrinus es, forsitan ignoras, sed alii non. Quasi dicat : De me agebant in publicis conventibus, et in conviviis. Unde subdit, *et in me psallebant*, id est irrisio mea erat psalterium eis *qui bibebant*, cum ego essem jejunus, *vinum*, id est qui inebriabantur temporali voluptate. Ecce in eum convertitur cantus, qui prohibet vanos cantus. Vel, qui bibebant vinum erroris, impietatis et superbiæ, adversum me loquebantur qui sedebant in porta civitatis, [Hier., Cassiod.] ubi solent judices sedere ad judicandas causas, id est in publico judicio, sicut Scribæ et Pharisæi, habentes clavem scientiæ, sed nec intrantes, nec alios intrare sinentes (*Luc.* XI). Hi loquebantur adversum me, Et in me psallebant bene operando, qui bibe-
D bant vinum spirituale. In Deum nempe probabili opere psallunt qui vinum spirituale quod lætificat mentem bibunt.

PARS. III. VERS. 16. — « Ego vero orationem « meam ad te, Domine, tempus beneplaciti. Deus. »

Ego vero. [Cassiod., Gl, int., Aug., Cassiod.] Tertia pars, in qua prædictis malis opposita est oratio pro parte sua, id est Christus, ut discamus non rixas, sed orationes jurgiis opponere. Quasi dicat : Illi ita sæviunt contra me, *ego vero*, dum impii ita insultarent dirigebam, *ad te Domine, orationem meam*. Cum enim non corriguntur iniqui, nil restat nisi orare, etiam pro eis. Et quia ad te oro, ideo, exaudi me. Ideo exaudi, quia, o *Deus* nunc est

tempus beneplaciti, id est gratiæ et reconciliationis, per incarnationem. per sanguinem, per mortem, quia cum granum moritur, surgit fructus (*Joan.* XV). Unde Apostolus : *Ecce nunc tempus acceptabile*, etc. (*II Cor.* VI). Deinde quomodo hoc tempus provenerit exponit. Hoc tempus provenit

VERS. 17. — « In multitudine misericordiæ tuæ « exaudi me, in veritate salutis tuæ. »

In multitudine misericordiæ tuæ, [Aug., Cassiod., Aug.] id est in multa misericordia tua, quæ contra multitudinem iniquitatis nostræ est, hoc est quare dicitur tempus beneplaciti : ideo repete, *exaudi me in veritate salutis tuæ*, id est in perfecta resurrectione, ut salutem des in resurrectione, sicut per prophetas promisisti. Nota quod, cum præmisit de misericordia, subjungit de veritate, quia universæ viæ Domini sunt misericordia et veritas : misericordia est in dimittendo peccata, veritas in reddendo promissa.

VERS. 18. — « Eripe me de luto ut non infigar, « libera me ab his qui oderunt me, et de profundis « aquarum. »

Eripe. [Aug., Cassiod.] loquitur hic Christus ex infirmitate membrorum. Quasi dicat : In hoc audi : *Eripe me de luto*, cui supradixit se infixum corpore, non mente, *ut non infigar*. Vel, *inhæream*, alia littera, *mente*. Quasi dicat : Si tenetur corpus, non teneatur anima. Supra vero de se loquens dixit se infixum corpore in limo profundi ; hoc autem dicit ex infirmitate membrorum. Et est, eripe me de luto ut non infigar, vel, inhæream, id est de luteis desideriis, ne mente consentiam. *Libera me ab his qui oderunt me, et profundis aquarum*, ut malis non consentiam.

VERS. 19. — « Non me demergat tempestas aquæ, « neque absorbeat me profundum, neque urgeat su- « per me puteus os suum. »

Non me demergat. [Aug., Cassiod., Aug.] Secundum spiritum supra mersus fuit, secundum carnem *tempestas aquæ*, ut eam mente in profundum limi *neque absorbeat me profundum* peccatorum quod deglutit animas. Unde : *Cum peccator venerit in profundum vitiorum contemnet* (*Prov.* XVIII). Hæc pericula membris ejus imminent, pro quibus hæc dicit. Non absorbeat, sicut urgeat super me os suum. Et hoc est *neque puteus*, id est profunditas iniquitatis humanæ *urgeat*, id est claudat *os suum super me*. Et si cecidisti, non claudit super te puteus os suum, si tu non claudis os tuum ; sed confitere, et dic : *De profundis clamavi ad te, Domine* (*Psal.* CXXIX), et sic evadis. Claudit os suum super illum qui in profundo contemnit, a quo mortuo velut qui non sit perit confessio. Vel in persona capitis totum accipi potest sic, eripe me de luto, ut non infigar. [Aug., Gl. int., Cassiod., Hier., Rem.] Deinde exponit quod dixerat subdens : *Libera me*, in resurrectione, *ab his qui oderunt me*, hi sunt lutum ; *et de profundis aquarum*, id est, Judæis. Judæi enim malignitate consilii profundi sunt, et seditionibus tur- A bulenti. Unde subdit, *non me demergat*, irrecuperabiliter, *tempestas aquæ*, id est impetus Judæorum, *neque absorbeat me profundum*, id est infernus ; *neque urgeat*, id est claudat, *super me puteus*, id est infernus, *os suum*, id est non sic absorbeat me, ut urgeat.

VERS. 20. — « Exaudi me, Domine, quoniam be- « nigna est misericordia tua ; secundum multitudi- « nem miserationum tuarum respice in me. »

Exaudi me. [Cassiod., Aug., Cassiod.] periculis hominum expositis, item voce membrorum, precatur, dicens : *Exaudi me, Domine*. Hæc est causa audiendi, *quoniam benigna est* vel suavis *misericordia tua*, non quia merui. Tribulato suavis est misericordia, ut panis esurienti, quam suavitatem nobis B Dominus commendat de tribulatione immissa et dilatata liberatione. Venit enim tribulatio, et differt Deus subvenire, ut moveat desiderium. Et ita fit dulce auxilium, quod cum sit jam non est quo differat. *Et respice in me*, non in peccata mea *secundum multitudinem*, non peccatorum meorum, sed *miserationum tuarum*, quibus peccata, licet innumerosa, cedunt.

VERS. 21 — « Et ne avertas faciem tuam a puero « tuo ; quoniam tribulor, velociter exaudi me. »

Et ne avertas. [Cassiod., Aug.] Loquitur totus Christus. *Faciem tuam a puero tuo* Christo, de quo in propheta : *Ecce puer meus electus quem elegi* (*Isa.* XLII). Qui recte dicitur puer a puritate, propter peccati immuniatem. Vel, a puero tuo, id est quo- C libet sancto ; parvo, scilicet non superbo, a quo superbiam tollit disciplina tribulationis. Sed *velociter exaudi me*, non est quo differas, *quoniam tribulor*, præcessit afflictio mea, sequatur misericordia tua. Deinde sequitur ex voce capitis.

VERS. 22. — « Intende animæ meæ et libera eam ; « propter inimicos meos eripe me. »

Intende animæ meæ et libera eam propter inimicos meos, [Aug.] id est ut confundantur inimici, liberatione mea, vel ut convertantur. Miranda petitio es ista, nec cursim transilienda, quod causam suæ ereptionis constituit in confusione, vel conversione inimicorum, tanquam aliter non sit liberandus. Quod si neutrum illorum est, nunquid non est liberandus ? est utique. Sed ideo **148** hoc dicit, ut D notentur duæ liberationes, occulta et manifesta. Est enim quædam liberatio occulta in anima, quæ propter ipsos sanctos fit. Qualiter septem fratres, scilicet Machabæi, liberati sunt, qui igne consumpti sunt cum matre eos hortante, ut potius eligerent pro legibus Dei mori, quam contra eas hominibus consentire (*II Mach.* VII). Et est alia liberatio manifesta, quæ fit propter inimicos, vel puniendos, vel liberandos qualiter tres pueri de camino ignis liberati sunt ; unde ipse Nabuchodonosor conversus, Deum ipsorum quem ante contempserat, prædicavit (*Dan.* III.) Utramque ergo liberationem hic distinguens ait, intende animæ meæ ; hoc ad occultam liberationem animæ pertinet. Et libera eam, quod

id est quam liberationem tu solus scis. Deinde subdit de aperta dicens : Eripe me, manifeste in resurrectione, proper inimicos meos, hoc ad apertam liberationem pertinet, ut scilicet caro resurgat, et ascendens mittat spiritum. Unde, inimici conversi sunt, quibus non proderit, si solam animam liberaveris. Ideo eripe, quia

VERS. 23. — « Tu scis improperium meum et « confusionem meam ; et reverentiam meam. »

Tu scis improperium meum, [Cassiod., Aug.] Quod fit verbis, ut cum dicerent : *Blasphemavit* (*Matth.* XXVI). *Et confusionem meam* quæ ex improperio mihi est in passione, *et reverentiam*, vel *verecundiam meam*, alii interpretes dicunt *ignominiam*, ut alapas, flagella, et quod Pilato tanquam reus traditus est. Hæc omnia non pro suo reatu, sed pro nobis sustinuit, ut in talibus sustinendis nos instrueret. Ideo ad Patrem loquens, dicit : Tu scis improperium meum, et confusionem meam, et reverentiam meam, quia quare sint mihi ista tu nosti ; inimici vero non norunt. Et etiam ideo eripe me, quia

VERS. 24. — « In conspectu tuo sunt omnes qui « tribulant me ; improperium exspectavit cor meum « et miseriam. »

Omnes qui tribulant me, [Aug., Cassiod., Aug.] inimici mei, sunt *in conspectu tuo*, istam nescientes, scilicet quare ista patior. Et ideo non poterunt ipsi vel confundi, vel corrigi, nisi manifeste me eruas. Et ideo ait, propter inimicos meos. Vel ita hæc mihi inferunt, et hoc in tui præsentia, quod sic dicit, *in conspectu tuo sunt omnes qui tribulant me*, hoc dicendo invidiam excitat contra eos, ut tantum scelus præsente Deo committerent. Vel in persona membrorum totum, Deus tu scis improperium meum, vel *opprobrium meum ;* alia littera : Opprobrium est quod objicit inimicus, et confusionem meam. Confusio est quæ mordet conscientiam. Et verecundiam meam. Verecundia est, quando etiam frons ingenua pro falsis erubescit, hæc omnia sunt in corpore Christi, non in ipso. Objicitur enim Christianis nomen Christi crucifixi ; sed fortibus, Paulo gloria est qui dicit : *Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi* (*Gal.* VI). Et alibi : *Non enim erubesco Evangelium* (*Rom.* I). His ergo opprobrium tantum poterat objici, sed nec confusio erat sanæ menti, nec verecundia fronti. Sed cum objicitur quibusdam quod Christum occiderunt, compuncti sunt mala conscientia, et salubriter confusi atque conversi, ut possint dicere : *Tu cognovisti confusionem meam.* Quidam vero credunt, sed confiteri erubescunt, plus apud se valente lingua humana quam promissione divina : et hi tales commendantur Deo, non ut eos sic derelinquat, sed promissione divina adjuvando proficiat. *In conspectu tuo sunt omnes qui tribulant me* non mutatur *improperium.* Quasi dicat : Ipsi improperaverunt, non tamen ignoranti et nolenti, imo improperium eorum, quod præsciens evitare nollem,

A *exspectavit*, quia futura prævidit, et prædixit : et ad hoc venit *cor meum*, quia voluntate sustinuit, secundum illud : *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum* (*Luc.* XXII). *Et miseriam* quæ tamen magis erat crucifigentium, quam ipse miserans dixit : *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* (*Luc.* XXIII). Et sicut exspectavi et prædixi, ita impletum est quod sic dicit :

VERS. 25. — « Et sustinui qui simul contristaretur, et non fuit ; et qui consolaretur, et non « inveni. »

Et sustinui et non fuit, [Hier., Cassiod., Aug.] de tanta multitudine, de omnibus persecutoribus, *qui simul contristaretur,* sed læti scelus peregerunt : *Et non qui inveni consolaretur me.* Qui
B proficit solatur medicum, sed potius *dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto.* Hæc est consummatio passionis. Cum enim dixisset : *Sitio*, fel cum aceto obtulerunt (*Joan.* XIX), hoc facto mores suos amarissimos indicantes. Vel de discipulis et mulieribus potest accipi, qui et si contristati sunt, non tamen simul id est similiter. Et hoc est, et non fuit qui contristaretur simul. Contristati sunt discipuli et mulieres, quæ super eum flebant ; sed non simul ; carnaliter enim contristabantur de vita mortali, quæ erant mutanda morte, cum deberent tristari ; de cæcis, qui medicum occidebant : quod nemo tunc fecit. Et non inveni qui consolaretur me, proficiendo. Et quod non inveni simul tristes et consolantes, hoc fuit mihi fel, id est amarum,
C propter vetustatem eorum. Et hoc est :

VERS. 26. — « Et dederunt in escam meam fel ; « et in siti mea potaverunt me aceto. »

Et dederunt in escam meam fel amaritudinis *et in siti mea potaverunt me aceto.* Ad litteram. [Aug.] In Evangelio legitur ei oblatum fel, sed in potum, non in escam. Mystice ergo hoc dicitur, unde bene congruit quod non dixit, fel dederunt escam, quia jam Dominus escam acceperat, qui cum discipulis Pascha manducaverat, ubi sacramentum sui corporis demonstravit, quæ est esca dulcis, esca suavis, esca unitatis Christi : quam commendat Apostolus dicens : *Quia unus panis et unum corpus multi sumus* (*I Cor.* X). In hanc ergo escam, id est super escam suavem, quæ est esca unitatis Christi,
D injecerunt fel, id est amaritudinem, resistendo veritati, et contradicendo Evangelio, quod adhuc hodie facit contemptor sedentis in cœlo, et gravius peccat quam qui crucifixit ambulantem in terra. Sicut ergo tunc Judæi, ita etiam hodie dant bibendum amarum potum, qui male vivendo faciunt scandalum Ecclesiæ, et hæretici amaricantes. Gustavit autem Dominus docens nos gustare, id est pati tales, sed non bibit, quia tales non possunt in corpus recipi. Mystice ergo hoc prædicitur, sicut mystice in passione factum est. Et in siti mea, qua fidem eorum desideravi, potaverunt me aceto, id est veteri acredine, quia non nisi vetustatem in eis inveni.

PARS. IV. VERS. 27. — « Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum; et in retributiones, et in « scandalum. »

Fiat mensa eorum [Cassiod., Aug.] Quarta pars, ubi est prophetia contra adversarios. Quasi dicat : Illi potaverunt me aceto. Et mensa eorum fiat illis in laqueum, id est qualem laqueum mihi exhibuerunt dando mihi talem potum, talis laqueus sit illis, id est malitia eorum sit eis laqueus mortis. Et hoc, *coram ipsis*, quia videt malum esse, et tamen faciunt vivi descendentes in infernum. Unde : *Descendant in infernum viventes* (*Num.* XVI). Unde etiam illud : *Nisi quia Dominus erat in nobis forte vivos deglutissent nos* (*Psal.* CXXXV). Id est scientes se non debere consentire illis, et tamen consentiunt. *Et in retributiones*, angustiarum, quia sic retribuerunt mihi. *Et in scandalum*, id est offendiculum. Ipsi sunt sibi scandalum.

[Cassiod.] Aliter totum, mensa, sacra Scriptura est, quia sicut in mensa diversa fercula ad refectionem corporis ponuntur, ita in sacra Scriptura diversæ sententiæ ad saginam animarum. Unde in tabernaculo Domini post introitum erat mensa habens quatuor pedes, super quam erant duodecim panes de simila Deo propositi; atque super singulos erat patena aurea cum pugillo thuris (*Exod.* XXV; *Levit.* XXIV). Duodecim panes, duodecim sunt apostoli, atque eorum successores, qui theologicis paginis incumbere ac invigilare debent, ut sint parati reddere rationem de fide et spe (*I Petr.* III). Unde : *Labia sacerdotis custodiunt scientiam*, etc. (*Malach.* II). Hanc mensam habuerunt Judæi, dum mandata Dei coluerunt, sed postquam a fide jejuni sunt, hæc mensa coram ipsis gentibus data est, ut gravius dolerent. Et hoc est mensa, id est Scriptura *eorum*, quæ eis prolata est, *coram ipsi* gentibus data *fiat eis in laqueum*, id est in reprehensionem, ut qui littera legis alios astringebant, in ea obligati caderent. *Et in retributionem*, quia illis ablata et gentibus data, malorum fuit retributio, dum nolentes in ea epulari spiritualiter intelligendo, ab ea sunt exclusi, *et in scandalum*, quia deserentes pacis auctorem, rixas sibi et studia prava concitant. Et

VERS. 28. — « Obscurentur oculi eorum, ne videant; et dorsum eorum semper incurva. »

Obscurentur oculi eorum, [Cassiod., Aug., Cassiod.] id est mens, quia noluerunt intendere, *ne videant*, id est agnoscant verum solem. Quasi dicat : Quia sine causa non viderunt, fiat eis non videre. *Et dorsum et eorum*, id est mentem eorumdem, *semper incurva* ad terrena. Hoc consequens est obscuratis oculis; quia enim superna non vident, de inferioribus cogitant. Et nota hoc de illis prædici, qui non pœnitent. Vel per oculos intelliguntur majores, scilicet doctores; per dorsum minores. Et est, oculi eorum, scilicet doctores, qui præeunt, obscurentur ne videant, id est lumen scientiæ perdant; et dorsum eorum, id minores, semper incur-

A va. Cum enim lumen scientiæ perdunt qui præeunt, inclinantur sequentes ad portanda peccatorum onera, et ad appetenda terrena : et præterea exterius puniendi sunt hic et in futuro. Et hoc est :

VERS. 29. — « Effunde super eos iram tuam, et » furor iræ tuæ comprehendat eos. »

Effunde iram tuam, [Cassiod., Aug., Cassiod.] ut in morem fluminis sit copiosa *super eos*, ut obruat eos, *et furor iræ tuæ*, id est vindicta tua, *comprehendat eos*, quasi dicat, fugientes. Hic persequitur, ibi vero comprehendit, ut non liceat effugere. Furor ergo comprehendit, quando evenit illud quod timetur.

VERS. 30. — « Fiat habitatio eorum deserta; « et in tabernaculis eorum non sit qui inhabi-

B « tet. »

Fiat habitatio eorum deserta. [Aug., Cassiod., Aug.] Hoc jam in manifesto est. Sicut enim supra liberatio sua est ostensa, non solum occulta, cum dicit, *intende animæ meæ*, sed etiam aperta, cum dixit secundum corpus, *propter inimicos meos eripe me*. Ita hic primus calamitates prædicit occultas, quæ sunt in cæcitate eorum mentis, de quibus ante dixit, *obscurentur oculi eorum*, etc., et post apertas, unde modo subdit, *fiat habitatio eorum*, scilicet domus privatæ, ut factum est modo, cum perdiderunt locum in quo superbierunt; *et non sit* de numero eorum *qui inhabitet in tabernaculis eorum*, id est in templo et palatio regio. Nota quia ad hoc quod dicit de templo et palatio ponit inhabitare,

C quod fit devotæ mentis affectu, ad domos ponit, habitare, quod fit corporea mansione. Quare hoc eis ?

VERS. 31. — « Quoniam quem tu percussisti persecuti sunt; et super dolorem vulnerum meorum « addiderunt. »

Quoniam persecuti sunt quem tu, [Cassiod., Alcuin., Aug.] non sua culpa, *percussisti* passione, mortalitate, quæ est pœna humani generis pro redemptione et salute gentium. Quasi dicat : Quod Deus ad bonum fecit, hoc illi crudeli voto exercent ad malum. *Et super dolorem vulnerum meorum*, id est qui erat mihi pro proditione, et peccatis eorum, *addiderunt* inferre mihi mortem. Vel super dolorem vulnerum meorum, quæ mihi infixerunt lancea et

D clavis, addiderunt custodes sepulcri. Vel, super dolorem, id est pœnam vulnerum meorum, id est peccatorum, hoc dicit pro membris, addiderunt, persequendo, id est super **149** pœnam, quæ mihi est pro peccatis, addiderunt persecutiones. Et ideo

VERS. 32. — « Appone iniquitatem super ini- « quitatem eorum; et non intrent in justitiam « tuam. »

Appone iniquitatem [Cassiod., Aug., Rem., Gl. int.] Prædicit fieri, sicut justum, permitti a Deo, *super iniquitatem eorum*, id est vitium vitio. Iniquitas enim eorum fuit, ut hominem occiderent. Super hoc apposuit Deus, ut Filium suum occiderent, ut sicut servos præmissos occiderant, ita et ipsum hæ-

redem (*Matth.* xxi). Vel iniquos filios iniquis patribus apposuit, *ut non intrent in justitiam tuam,* id est in viam vitæ rectam, relicta justitia sua, quæ est ex lege. (*Rom.* x.) Et

Vers. 33. — « Deleantur de libro viventium, et cum « justis non scribantur. »

Deleantur de libro viventium, [Cassiod., Aug., Cassiod., Hier.] Liber est notitia Dei, qua prædestinavit ad vitam, quos præscivit conformes fieri imaginis Filii sui (*Rom.* viii).Non sic ergo accipiendum est, tanquam in hoc libro scribat aliquem Deus, quem postea deleat; sed ita accipiendum est; de libro viventium deleantur, secundum spem illorum, quia scriptos se putant, id est constet etiam ipsis, non illos ibi esse scriptos. Unde alibi: *Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis.* (*Psal.* xc) id est multi scandalizabuntur ex eorum numero, qui se sperabunt sessuros tecum, et staturos ad dexteram. Quod subsequenter exponit dicens : *Et cum justis non scribantur* secundum æquitatem tuam. Hoc tantum negat illis qui non sunt commutati, ut ait titulus. Vel sic distingue sub eodem sensu, deleantur de libro viventium veterum, id est Abraham, Isaac, et aliorum, et cum justis, novis scilicet apostolis et aliis modernis non scribantur.

Pars v. Vers. 34. — « Ego sum pauper et dolens : « salus tua, Deus, suscepit me. »

Ego sum pauper [Cassiod., Aug., Cassiod., Aug.]. Quinta pars, hic dispensationem incarnationis, et sanctitatem propositi exponit, dicens quis sit finis passionis. Quasi dicat : Illis ita, *ego* autem, totus Christus loquitur, *sum pauper*, id est humilis *et dolens* in passione, hoc secundum caput. Ipse enim pro omnibus doluit. Unde, dolores nostros ipse portavit (*Isa.* liii); quod nullus alius ideo dicit, ego ad discretionem, idem dicit corpus ejus, ego sum pauper, unde : *Beati pauperes* (*Matth.* v). Et dolens, unde : *Beati qui lugent* (*ibid.*). Ex voce capitis, *salus tua, Deus, suscepit me*, ut jam non sim pauper vel dolens.

Vers. 35. — « Laudabo nomen Dei cum cantico ; « et magnificabo eum in laude. »

Laudabo, [Cassiod., Gl. int.] in me et in membris, *nomen Dei cum cantico*, id est cum delectatione, quia et si omnia desunt, Deus tamen mecum est : *et* ad proximum *magnificabo eum in laude.*

Vers. 36. — « Et placebit Deo super vitu« lum novellum cornua producentem et ungu« las. »

Et [Aug., Cassiod.] hoc quod laudabo eum *placebit Deo super vitulum novellum*, qui offerebatur in lege, id est placebit plus omnibus legalibus, quia sacrificium laudis gratius erit quam sacrificium vituli. Laus enim puri cordis plus placebit quam mactatio pecudum. Vitulum dico, *producentem cornua et ungulas.* Ad litteram hæc.

A Vers. 37. — « Videant pauperes et lætentur ; « quærite Deum, et vivet anima vestra. »

Videant pauperes, [Cassiod., Alcuin.] scilicet quod oblatio jam est in mente, ubi pauper æquatur diviti, non in exterioribus rebus. *Et* inde *lætentur* et, o pauperes, hoc tantum intuitu Dei facite. Quod ita dicit : *Quærite Deum et vivet anima vestra* et si non corpus.

[Aug., Cassiod.,] Aliter, et accipitur illud de futuro : *Laudabo nomen Dei cum cantico et magnificabo eum in laude*, in futuro. *Et* laus illa *placebit Deo super vitulum novellum* pro peccatis. In lege offerebatur vitulus novellus (*Num.* xix), qui significabat novam gratiæ vitam secuturam. Et sicut vitulus adversarium cornibus ventilat et ungulis ter-

B ram excitat, ita nova vita cornua defensionis habet, quibus contradicentem hæreticum ventilet. Et munimina pedum, id est affectuum, tanquam ungulas habet, quibus aspera sæculi calcet, et eum qui non contradicit, sed tamen terrena abjecte sapit. Quasi dicat : Ungulis excitare debet, et super hunc vitulum novellum, id est super novam vitam, quæ est in præsenti, dicit Christus in membris. Placebit Deo laudatio mea cum angelis, ubi nec adversarius erit ventilandus nec piger de terra excitandus. Et nota quod ait *producentem*, quia fidelis dum virtute Dei quotidie augetur, *cornua et ungulas* producit. Hæc *videant*, id est credant, *pauperes*, ut saturari queant et *lætentur*, id est spe gaudeant. Et ut videatis, o vos pauperes, *quærite Deum*, id est escam

C mentis esurite et sitite, quia ipse est panis vivus, qui de cœlo descendit. (*Joan.* vi.) Et sic *vivet anima vestra*, et si non corpus quærite.

Vers. 38. — « Quoniam exaudivit paupe« res Dominus ; et vinctos suos non despexit. »

Quoniam exaudivit Dominus, [Gl. int., Aug., Cassiod., Gl. int.] omnibus temporibus, *pauperes*. Aliter non audiret. Ita et vos audiet, *et non despexit vinctos suos* mortalitate, qua Dominus offensus servos compedivit, sed inde clamantes audit. Has compedes onerat, qui ultra necessaria quærit ; sed sufficiat diei malitia sua (*Matth.* vi). Vel vinctos peccatis, suos, id est a se solvendos. Vel, vinctos suos, id est suis legibus astrictos, non despexit.

D Vers. 39. — « Laudent illud cœli et terra, mare « et omnia reptilia in eis. »

Laudent illum cœli [Alcuin., Rem.], quos prius simul, nunc sigillatim monet laudare, dicens : *Laudent illum cœli*, id est apostoli, *et terra*, id est Ecclesia Judæorum, *et mare*, id est gentes, *et omnia reptilia*, id est omnismodi homines monstruosi in peccatis, hærentes terrenis quæ sunt *in eis*, id est in terra et mari. [Cassiod., Aug., Hier., Cassiod.] Vel hoc totum ad litteram, laudent illum cœli et terra, mare, id est cœlestia, terrestria, natantia. Hæc laudant, dum ex eis laudatur Creator. Istæ sunt veræ divitiæ pauperis, scilicet videre creata, et inde laudare Creatorem, etc. Ac si diceret : cui omne

genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum (*Philipp.* II.) et ut perfecte omnia concludat, addit, et omnia reptilia, quæ, in eis sunt. Sic omnis creatura ad laudem Dei invitatur,

VERS. 40. — « Quoniam Deus salvam faciet Sion ; « et ædificabuntur civitates Judæ. »

Quoniam Deus. [Aug., Cassiod., Aug., Cassiod.] Quasi dicat : Cum hæc creata considerantur, laudatur Deus, sed est et aliud, unde laudandus Deus, *quoniam Deus salvam faciet Sion*, id est Ecclesiam salvam in æternum. Et si hic affligitur, *et* nunc *ædificabuntur* per orbem *civititates Judæ*, id est Ecclesiæ Christi, qui de Juda, quæ ædificantur per confessionem humilitatis, ut foris ab eis remaneant, qui confiteri erubescunt. Nota quia in spe fidelis populi finitur psalmus. Mira est constructio Ecclesiæ. Unde omnes creaturæ laudare monentur.

VERS. 41. — « Et inhabitabunt ibi ; et hæreditate « acquirent eam. »

Et [Cassiod.] pauperes scilicet, *inhabitabunt* constanti mente *ibi*, id est in ea Sion ; et acquirent eam hæræditate, vel hæreditatem, quando ad cœlestem Jerusalem pervenient. Qui? ecce :

VERS. 42. — « Et semen servorum ejus pos« sidebit eam ; et qui diligunt nomen ejus habi« tabunt in ea. »

Et semen servorum ejus [Aug., Cassiod., Aug.] id est imitatores fidei, vel boni actus, non modo acquirent, sed etiam *possidebit eam*, id est Jerusalem. Quid per singula? *et* omnes *qui diligunt nomen ejus habitabunt in ea.* Hi sunt semen servorum, non qui carne filii sunt, quia et servi dilexerunt nomen ejus. Quicunque ergo non diligunt nomen ejus, non se dicant semen servorum ejus ; et qui diligunt nomen ejus, non se negent semen servorum ejus. Ultimus versus superiorem exponit, ne putares hoc forte de Judæis dici.

COLLATIO IN PSALMUM LXVIII : « SALVUM ME FAC « DEUS, » etc.

De ratione tituli ; *Pro his qui commutabuntur*, cum tamen Hebræi dicant, *pro liliis* attactum est psalmo quadragesimo quarto.

VERS. 13. — *Operui in jejunio animam meam.* Hieronymus, *et flevi in jejunio animam meam.* Sactes et Munsterus nonnihil de suo admiscent, *et flevi, et afflixi*; sive *castigavi jejunio animam meam.* Atqui quod anima sit operta jejunio, quid aliud est, quam quod undique afflicta esurit, et sitit salutem, tametsi אבכה EBKEH potuerint inflectere LXX a themate בוך BUC, quod est perplexum esse et confundi, inter angustias concludi quod respondet ad animam obrutam tristitia, etiamsi forte efferendum foret ARUCAH אבוכה.

VERS. 16. — *Ego vero orationem meam ad te, Domine.* Faber et cæcus interpretem accusant quod extulerit accusativum, qui aliunde requirit verbum emendicatum, ut suis partibus consistat sermo, quod non fuisset necessarium si vertisset sub nominandi casu, veluti Hieronymus, *mea oratio ad te,*

A *Domine.* Illiud dicimus, quod tametsi usitatior sit oratio illa in recto casu, tamen cum pronomine primæ personæ, quod legitur haud dubie in Hebræo ista locutio, *ego oratio mea ad te, Domine*, fuisset magis extranea quam altera. *Ego orationem meam ad te, Domine,* quandoquidem pronomen satis suum verbum innuit, præsertim in tropo Hebræorum. Ob quam causam Munsterus hoc pacto reddidit, *ego orationem meam ad te effundo*, et Sanctes, *oratione mea converti me ad te?* Unde et ipse Hieron. omiserat pronomen, ob id quod in recto converterat ; sic enim habent Hebræi ואני תפלתי VAANI TEPHILLATRI. Jamque Augustinus legens, *ego autem oratio mea ad te, Domine*, quasi coactus est sic interpretari, *ego autem ad te eram orando.*

VERS. 21. — *Improperium expectavit cor meum et miseriam.* חרפה שברה HERPAH SCABERAH, hoc est *opprobrium, contrivit* videlicet *cor meum*, vel ad vitandam amphibologiam, opprobrio contritum
B est cor meum. Illud certo certius est LXX sumpsisse שברה vocabulum Hebraicum, ut prima littera proferatur per punctulum, quod vocatur smol in sinistro cornu, quia שבר SIBBER sonat exspectavit, etiam si non sit obscurum revocare ad concordiam, *contrivit* et *exspectavit*. Tamen nostra lectio significantius et aptius designat voluntariam Christi Domini passionem, ac minus coactam crucem quam altera utpote qui omnia præscissset. Deinde quod legimus *miseriam*, Hieronymus habet, *desperatus sum*, cui consonat Pellicanus. Alii exponunt *elangui* ואנושה VAANUSCHAH. Sed verbum est multiplex Hebræis. Illud unum posset movere, qui conveniat Christo desperatio. Certe desperatus erat Christus ab apostolis fugientibus, et a Judæis se purum hominem crucifigentibus. Alioqui potest esse ejus generis figurata locutio, cujus est ista vox Domini Jesu in cruce suspensi pro nostrorum peccatorum expiatione ; *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?*
C (*Matth*. XXVII.)

VERS. 23. — *In retributiones et in scandalum.* Propter homonymiam לשלומים LISCHLOMIM, sunt qui vertunt *retributiones*, ut Hieronymus et Sanctes sunt qui *pacifica* convertunt, veluti Pratensis et Munsterus, ut intelligas quæ ad pacem esse debuerant sint in offendiculum. Chaldeus interpretatur *sacrificia.*

VERS. 27. — *Super dolorem vulnerum meorum addiderunt* ואל מכאב חלליך יספרו VEEL MACHEOB HALALECA IESAPERU. Hieronymus sic reddidit, *et ut affligerent vulneratos tuos narrabant ;* Sanctes, *super dolorem vulneratorum tuorum narrabunt.* In eamdem sententiam conspirant **150** Pratensis et interpretes pro Cajetano. Pellicanus *et ad dolentem vulneratos tuos* obloquentur. Munsterus, *de dolore vulneratorum tuorum loquuntur.* Jam quia HA-
D LABECA indifferens esse potest ad *vulneratos* et *vulnera* juxta quod consequentius videbatur et colligantius, quæ præcedebant enunciata sunt, ut cohærerent huic aut illi versioni. Unde editio in Campensi, et paraphrasis, quod vulnera intelligerent ad eum modum reddunt, *et ad plagas quas inflixisti admetiuntur.* Vel sic, *et gravitatem vulnerum quibus tu vulneraveras me, aliis cum voluptate narrabant.* Porro quod legimus, *addiderunt*, respondet significatui verbi ספר SIPER, id est *numeravit* et *narravit*. Numerus autem accrescit per additionem, ut qui numerat, addat. Ergo sane dicunt LXX, *super dolorem vulnerum meorum addiderunt.*

VERS. 33. — *Vivet anima vestra.* Hebr, לבבכם LELABECHEM, hoc est *cor vestrum*. Attamen pro quatuor scriptum est ; *Omni custodia serva cor tuum ; ab ipso enim vita procedit.* Itaque merito sumitur cor pro anima, id quid et Hieronymus fecit in versione juxta Hebræum. Accedit et Campensis.

PSALMUS LXIX.

PSALMI TITULUS : « IN FINEM PSALMUS DAVID, IN REMEMORATIONE QUOD SALVUM FECIT EUM DOMINUS. »

Deus in adjutorium. Titulus *In finem psalmus David, in rememoratione quod salvum fecit eum Dominus.* [Cassiod.] Memoria duobus modis accipitur, vel cum memores peccatorum judicium Dei timemus, inde supra in psal. XXXVII egit : vel dum promissa bona corde retinemus, et securi sumus ; ut hic accipitur, quod ostenditur, ex eo quod subditur in titulo, *Quod salvum fecit eum dominus.* Et est sensus tituli : *Psalmus* iste, dirigens nos *in finem* id est in Christum, attribuitur *David,* id est Christo, omni justo, qui loquitur hic, habitus *in rememoratione,* id est agens de memoria, non utique peccatorum, sed hujus rei, *quod Dominus salvum fecit eum* spe et certitudine. Quasi dicat : Et si commutati sint, unde in titulo præcedentis psalmi agitur, non tamen glorientur in se, sed in Deo qui salvat. Et nota congrue fieri quod, sicut supra, Christus caput nostrum de sua passione egit et spem resurrectionis addidit similiter et membra ejus in hoc psalmo et passiones suas edicunt, et spem resurrectionis assumunt. [Aug., Cassiod.] Est igitur hic vox contribulatorum Christo, et martyrum inter passiones prædicantium : sed de capite Christo præsumentium cum illis est etiam vox omnis justi, cui ex charitate abundans iniquas, etiam Christianorum passio est, ut Lot corporalem passionem vel persecutionem a nullo sustinuit, sed a malis factis eorum, cui etiam non fuit dictum ut ubi non habitaret (*Gen.* XIX). Hanc autem persecutionem immittit diabolus multiformis. Est enim leo aperte sæviendo, et draco occulte insidiando. Est ergo persecutio justorum, vel a leone, in impetu ; vel a dracone, in insidiis : unde omnes una voce clamant ; *Deus in adjutorium meum,* etc. Intentio : Monet ut in Deo non in nobis gloriemur. Modus : Bipartitus est psalmus. Primo in persona omnium justorum petit se adjuvari, et malos erubescere. Secundo monet lætari bonos quos egenos Deus adjuvat et liberat, ibi, *exultent et lætentur.* In persona ergo omnium justorum, ait :

VERS. 1.— « Deus, in adjutorium meum intende : « Domine ad adjuvandum me festina. »

Deus [Cassiod., Aug., Cassiod., Alcuin.,] qui soles juvare *intende,* id est respice *in adjutorium meum* contra pericula. Semper enim egenus adjutorio Dei in hoc sæculo, et maxime in tribulatione. Adjuva, et cito. Et hoc est, *Domine, ad adjuvandum me festina.* Ita petit quasi si tardet misericordia, crescant tormenta. Et nota quia hinc omnis affirmatio est. Unde, non sunt timendæ tribulationes. Nota etiam quod hic versiculus ante omnes horas, id est in initio prædicitur : qui cum orare debemus, maxime tunc nititur tentare diabolus, ut muscæ morientes perdant suavitatem unguenti (*Eccle.* X).

A Contra ergo illius assultus, auxilium a Deo postulamus ante omnia. Et, o Domine,

VERS. 2. — « Confundantur et revereantur, qui « quærunt animam meam. »

Qui quærunt animam meam ad opprimendum [Aug., Cassiod.] scilicet trucidantes, *confundantur.* Confundi est de perversitate turbari, antequam confusionem defundunt peccata sua, vel facta ut gloriosi, sed post convertuntur. Unde subdit, *et revereantur* : revereri est timere, ne pro læsa justitia pœna sequatur.

VERS. 3. — « Avertantur retrorsum et erube« scant, qui volunt mihi mala. »

Avertantur retrorsum, [Aug.] non præcedant, sed sequantur ; non consilio suo vivant, sed sanctorum.
B *Et erubescant qui volunt* vel cogitant *mihi mala.* Nota quia diversa sunt tempora in Ecclesia. Primo fuit impetus persequentium unde supra dixit, *qui quærunt animam meam ;* modo remansit malevolentia cogitationum. Unde hic ait, *qui volunt*

VERS. 4. — « Avertantur statim erubescentes, qui « dicunt mihi : Euge, euge. »

Avertantur etiam *statim erubescentes, qui dicunt mihi : Euge, euge* [Cassiod., Aug.] irrisorie, vel adulatorie. Duo enim sunt genera persequentium, vituperantium et adulantium. Sicut enim igne aurum probatur, ita vir lingua adulantium (*Prov.* XXVII). Plus enim nocet lingua adulatoris, quam manus persecutoris, utrumque vituperatio et adulatio ignis est. Intrat hunc ignem, qui tentatur vituperio vel laude : exit integer, qui neutro capitur.
C Sicut Paulus, qui repulit dicentes :*Ego sum Pauli* (*I Cor.* I).

PARS II. VERS. 5.— « Exsultent et lætentur in te ; « et dicant semper : Magnificetur Dominus qui dili« gunt salutare tuum. »

Exsultent. [Cassiod., Aug., Cassiod., Aug.] Secunda pars, ubi monet lætari bonos quos egenos Deus adjuvat et liberat. His omnibus aversis et confusis, *exsultent et lætentur in te,* in quo sunt lux, non in alio, *omnes qui quærunt,* non homines, sed *te,* qui prior eos quæsisti ; *et dicant,* qui hoc non dicit, non quærit Deum. Quid? *semper magnificetur Dominus.* Nostro more dictum est, ubi quis laudibus crescit, quod non Deus, sed nos laudando proficimus. Non ergo in se, sed in nobis magnificatur.
D Dicant ergo : Semper magnificetur Dominus, quia peccatorem vocat, confitenti dat veniam, inde facit juste vivere, tandem glorificat. [Cassiod., Aug.] Vel ita distingue : Et dicant semper ; quid? Magnificetur Dominus. Hoc semper dicant quia nunquam debent cessare a laude ejus, qui hoc dicant, *qui diligunt salutare tuum,* quia ab illo salus eis, non a se.

VERS. 6. — « Ego vero egenus et pauper sum ; « Deus, adjuva me. »

Ego vero. [Aug., Alcuin, Cass., Aug., Cass.]

Quasi dicat : Ita hortaris alios, ut dicant : Magnificetur Dominus, *tu* ergo, quid facis? *ego vero*, quod hortor alios facio. Dico quod ego, etiam jam justus, *sum egenus* vel mendicus, id est petens, quia adhuc lex membrorum repugnat legi mentis meæ (*Rom.* VII), et esurio justitiam (*Matth.* V); ille vero dives, nullius eges lumen meum. Vel ita continua : Ipsi de Deo illud dicant, sed de se ita sensiant, ut dicat : Ego sum egenus, etc. Vel ita : Assumit iste sibi verba Dei, qui in præcedenti psalmo de se hæc eadem dixit. Quod illi qui quærunt animam meam sunt divites, sed ego sum egenus, id est petens, *et pauper sum*, id est insufficiens mihi, quia et mundanas copias non habet, et intus ubi est dives, semper ambit, desiderat, accipit. Sed o *Deus adjuva me* in mundi tribulationem. Ecce unde cœpit. Vel, *Deus adjuvat me*, alia littera. Et

VERS. 7. — « Adjutor meus et liberator meus es « tu Domine, ne moreris. »

Esto adjutor meus, [Gl. int., Aug.] ut vincam : Hoc semper dicendum est etiam justis. Vel sic, secundum aliam litteram. Ideo adjuva, quia *adjutor meus es tu, et liberator meus*, de tot nexibus curarum. Et ne A cedam, *tu*, non alia mihi spes est. Et ideo, *Domine, ne moreris*. Tardum ei videtur, quo magno desiderio quæritur; non tamen optat eum venire antequam statuit, sed patientiam quærit. Et est, Domine ne moreris, id est ne mihi tardius videatur, quod venturus es, quod fit per patientiam, qua qui caret, tardum ei videtur, et deflectitur ab eo, sicut et uxor Lot respexit retro, quæ facta est statua salis (*Gen.* XIX), ut te condiat. Exemplo enim tibi est ne respicias retro.

COLLATIO IN PSALMUM LXIX, « DEUS IN ADJUTORIUM MEUM INTENDE, » etc.

Titulus simpliciter in Hebræo ponebatur, ad recordandum להזכיר LEHAZKIR. Propterea non otiose explicuerunt LXX hujusmodi *recordationem vagam*, εἰς τὸ σωσαί με κύριον.

B VERS. 4. — « *Avertantur statim erubescentes.* Hoc in versiculo habetur quod vocula עקב EQUEB, quæ est ambigua ad vestigium et mercedem seu retributionem, quare Hieronimus vertit, *ab vestigium confusionis suæ*, id quod sonat statim, nimirum *super vestigium*, ut ad verbum legitur in Hebræo : tropus est indicans rem mox futuram. Etenim premere alterius calcaneum, quid est quam eum proxime sequi? Alii alteram acceptionem tenentes, transferunt digno sensu, *pro mercede confusionis suæ*, veluti quantum merentur pudefiant. »

PSALMUS LXX.

PSALMI TITULUS : « PSALMUS DAVID FILIORUM JONADAB, ET PRIORUM CAPTIVORUM. »

In te, Domine, speravi. Titulus : *Psalmus David* C *filiorum Jonadab, et priorum captivorum*. [Aug.] Psalmus iste de commendatione gratiæ est quæ fere singulis syllabis hic commendatur. Quiquid enim boni sumus misericordia Dei sumus. Quidquid ex nobis mali sumus, ut tota spes nostra in Deo sit, non in nostris viribus. Quod autem filiorum Jonadab mentio fit in titulo, sciendum quia Jonadab commendatur a Jeremia, qui filiis præcepit ne biberent vinum, nec in domibus, sed in tabernaculis habitarent (*Jer.* XXXV), cui illi obedierunt, quasi hoc Deus præciperet. Licet enim Deus hoc non præciperet, præceperat tamen ut filii obedirent parentibus; quod et debent, nisi patres aliquid contra Deum jusserint. Unde et Deus benedixit eis propter obedientiam, eosque per Jeremiam. Objicit filiis Israel, qui nolunt obedire Deo Patri spirituali, sicut illi patri carnali. Unde suadet Jeremias filiis Israel ut pareant se captivitati, nec resistant voluntati Dei. Inde ergo videtur sumptus titulus hujus psalmi. Cum ergo dixisset, *filiorum Jonadab subjecit, et eorum qui primi captivi ducti sunt*, non quia filii Jonadab captivi ducti sint, sed potius oppositi sunt filiis Israel, captivandis peccato inobedientiæ. Filii namque, Israel, captivati sunt primi et secundi et tertii, sed non de his sonat psalmus : potius de nobis qui captivamur in legem peccati, quæ est in membris (*Rom.* VII). Unde magis commendatur gratia liberatoris, qui sumus filii Jonadab, id est spontanei. Jonadab enim interpretatur *spontaneus Domini*, id est qui ex voluntate servit. Filii ergo Jonadab sunt filii obedientiæ, scilicet qui ex dilectione serviunt, et ipsi sunt captivi secundum legem carnis, sed cur primi captivi dicimur, jam elucet, quia per inobedientiam primi hominis, in quo omnes peccaverunt, captivi sumus; et in comparatione **1551** filiorum Jonadab omnis obedientia culpata est. Merito ergo primi captivi dicuntur, quia primus homo de terra terrenus, cui similes sumus. Secundus de cœlo cœlestis, a quo liberamur. Et est sensus tituli : *Psalmus* iste, *David* prophetæ est *filiorum Jonadab*, et priorum captivorum, id est filii spontanei, id est obedientiæ. Cantatur psalmus iste et his qui primi captivi ducti sunt, id est pertinentes ad primum hominem propter primum primi captivi, quia prius est quod animale est, propter secundum hominem, secundi redempti. His canta- D tur psalmus, ut discant per gratiam reverti, qui ex se mali sunt. [Cassiod.] Vel ita, ut per filios Jonadab omnes obedientes accipiamus, per primos captivos omnes inobedientes. Monemur enim in titulo devotionem habere filiorem Jonadab, non contumaciam Judæorum, qui captivi esse meruerunt, qua frequenter moniti noluerunt corrigi. Historia enim sic habet in libro regum (*IV Reg.* XVII, XXV). Igitur Judæi, pro lege Domini contempta, dediti sunt primæ et secundæ capivitati et tertiæ; sed ut corrigerentur antequam prima veniret, per prophetam prænuntiata est : illi vero consueta nequitia in obstinatione permanserunt, filii ergo Jonadab loco omnium obedientium, priores captivi loco omnium contumacium ponuntur. Et est sensus : [Gl.

int., Haym., Alcuin.] Psalmus iste David est filiorum Jonadab, id est obedientium, quibus cantatur ut perseverent; et priorum captivorum, id est inobedientium, quibus cantatur, ut desistant. Vel priores captivi sunt in hoc mundo, unde evadi potest; secundi captivi in inferno, unde non potest. Et est sensus; Psalmus iste David est, filiorum Jonadab, id est obedientiæ, et priorum captivorum, id est eorum qui prima captivitate tenentur, quæ est in hoc mundo. Vel priorum captivorum, id est eorum qui ante erant capti vitiis quam essent filii Christi. [Cassiod., Aug.] Loquitur autem hic generalis justus a principio mundi, usque ad finem, totam spem in Deo ponens, et gratiam Dei quæ gratis datur, summa intentione commendans, ne falso in nobis præsumamus, quæ est intentio psalmi. Modus: Tripartitus est psalmus. Primo petit ab omnibus malis liberari, et laude repleri. Secundo agit de gratia tempore senectutis et senii, ibi, *ne projicias me in tempore senectutis*. Tertio dicit cui personæ sit gratia, et quæ gratia, ibi, *Deus quis similis?* Generalis itaque justus, ex captivitate in qua natus est ex Adam, clamat ad Deum dicens, o

VERS. 1. — « In te, Domine, speravi non confundar in æternum; in justitia tua libera me, et eripe « me. »

Domine, in te speravi, non in me. [Aug., Gl. int., Aug., Cass., Aug., Cassiod.] Si enim spero in me, vel in mundanis, quæ caduca sunt, confundor. Ideo *non confundar in æternum*, etsi hic de peccato confundor non habens fructum in his in quibus erubesco. Non tamen confundar in æternum, id est in futuro. Vel ita : Ego jam in Adam confusus sum, sed in Christo non confundar in æternum. Ab Adam ergo recedendum est, et ad Christum accedendum. *Libera me* a periculis, *et eripe me* a potestate diaboli, *in justitia* non mea, quam si statuo, justitiæ Dei non sum subjectus (*Rom.* X), sed *tua*, id est quæ mihi est a te; non enim de me glorior, gratiam tuam non respuo. Vel in justitia tua, id est secundum quod justitia tua exigit. Justitia enim tua est, ut parcas oranti, quod est et misericordia. Et, o Domine, si sum indignus ego.

VERS. 2. — « Inclina ad me aurem tuam, et salva « me. »

Inclina ad me, [Cass., Aug.] jacentem, ægrum, *aurem tuam*, id est misericordiam; meritum enim non attingit ad illum. Hæc confessio humilitatis est. Qui enim hoc dicit, confitetur quia jacet veluti æger prostratus medico stanti; *et salva me* ab ægritudine quæ intus est. Unde alibi : *Ab occultis meis munda me* (*Psal.* XVIII). Et

VERS. 3. — « Esto mihi in Deum protectorem, et « in locum munitum, ut salvum me facias. »

Esto mihi in Deum protectorem, [Aug.] ne ad me perveniant jacula inimici. Ideo dico ut protegas, quia ego me protegere nequeo, et tu qui fuisti metus fugienti Adæ, jam esto mihi *in locum muni-*

A *tum*, vel refugii, ad quem qui refugit tutus est, quia sic in alto est, ut nihil timeat. Unde subdit, *ut salvum me facias*; in alio enim salvus esse non potero,

VERS. 4. — « Quoniam firmamentum meum, et « refugium meum es tu. »

Quoniam firmamentum [Aug., Cassiod.] duobus prædictis duo alia reddit. Quasi dicat : Esto mihi in Deum protectorem, et eris, *quoniam firmamentum meum es tu*, id est per te sum firmus contra omnes tentationes. Hoc refertur ad protectorem. Dico esto mihi in locum refugii et eris, *et*, id est quia *refugium meum es tu*, non aliud quia sicubi ero infirmatus ex me, ut adhuc captivus ad te refugio, quia quantumcunque firmus sum ex gratia, quandiu agitur in corpore peccati, semper timendum est. Et
B refertur hoc ad locum munitum.

VERS. 5. — « Deus meus, eripe me de manu peccatoris; et de manu contra legem agentis, et « iniqui. »

Deus meus, eripe me. [Gl. int., Aug.] Repetit quod supra dixerat, determinando a quibus postulet eripi. Quasi dicat : Quia in te speravi, ideo, *Deus meus, eripe me de manu*, id est de potestate, ne vi vel insidiis ducat ad peccatum, *peccatoris*, generaliter, ubi laborat iste jam a captivitate liberandus, id est ab exterioribus hostibus libera me. Unde alibi : *Ab alienis parce servo tuo* (*Psal.* XVIII) : Deinde peccatorem subdividit per partes, dicens : *Et de manu*, id est de potestate *contra legem agentis*, id est trangressoris, *et iniqui*, id est simpliciter sine
C lege peccantis. Duo enim sunt genera peccatorum : alii legem acceperunt, ut Judæi et Christiani; alii non, ut pagani. Ideo dico, eripe,

VERS. 6. — « Quoniam tu es patientia mea, Domine; Domine spes mea a juventute mea. »

Quoniam tu es patientia mea, Domine, [Aug., Cass., Aug.] quia non in me est ut eos patiar, sed a te : tu es patientia, quia tu es *spes mea, Domine, a juventute mea*, vel potius sic : Tu es patientia mea, et quia es patientia, ideo es spes mea, Domine, a juventute mea, id est a conversione mea. Vel quia in juventute idoneus est homo ad pugnam, dicit : Tu es spes mea a juventute mea, id est ex quo cœpi sperare in te et contra diabolum pugnare, non sperabam, tamen fuisti protector meus, qui
D salvum duxisti me ad tempus, quo discerem sperare in te. A juventute ergo es spes mea, id est ex quo me armasti fide, spe et charitate, et cæteris virtutibus, pugnaturum contra diabolum. Juvenis pugnat, sed cadit, nisi Deus sit spes ejus. Et non solum a juventute, sed etiam ab infantia profuisti mihi, quia

VERS. 7. — « In te confirmatus sum ex utero; « de ventre matris meæ tu es protector meus. »

In te confirmatus sum, [Cassiod.] non infirmatus *ex utero*, scilicet dum in utero Ecclesiæ rudimento fidei concipimur, post ex aqua et Spiritu sancto regeneramur. Unde subdit, ut natus exivi *de ventre matris meæ tu es protector meus*. Propter quæ,

VERS. 8. — « In te cantatio mea semper : tan-

« quam prodigium factus sum multis, et tu adjutor « fortis. »

In te, [Gl. int., Aug., Alcuin., Cassiod.] non in falsis diis est, *cantatio mea*, id est laus mea. Et hoc, *semper*, et in præsenti, dum per fidem ambulo, etiam in futuro dum per speciem videbo, quia nec tum æquatus angelis obliviscar gratiæ, quæ me liberavit. Vel ita : Tu es protector, et in te cantatio mea, id est delectationi est mihi in te esse. Et hoc, semper, ut continua sunt beneficia. Unde, *tanquam prodigium factus sum multis*. [Aug., Cassiod.[Vel ita continua, et in præsenti et in futuro laudabo. sed hic tempore spei, tempore gemitus, tanquam prodigium factus sum multis, qui mihi insultant, quia credo quod non video, et vias eorum respuo; sed tamen non timebo ; *et* id est quia *tu es adjutor fortis*, ut vincam, non modo protector. Et ideo hæc imputatio, vel impugnatio illorum est negligenda, ubi virtus Dei favet, contra quam nihil stat.

VERS. 9. — « Repleatur os meum laude, ut can« tem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam. »

Repleatur os meum laude. [Cassiod. Gl. int., Cassiod.] Dixit beneficia Dei, nunc petit ut gratias agere possit. Nam si Deus os non replet, non ardet desiderium. Quasi dicat : Quia es adjutor, ideo, Repleatur os meum laude, id est fac me ad proximum indesinenter te laudare. Vel ita continua : In te est cantatio mea. Et ideo, ut cantare possim, repleatur os meum laude *ut cantem gloriam tuam*. Gloria est laudatio ore multorum celebrata Et, *tota die*, [Aug., Cassiod.] id est sine intermissione : in prosperis, quia consolaris ; et in adversis, quia corrigis. Cantem *magnitudinen tuam*, quia antequam essem, fecisti ; cum essem, salutem dedisti ; cum peccassem, ignovisti ; conversum vivificasti, perseverantem coronasti. Nomine ergo magnitudinis omnia concludit.

PARS. II. VERS. 10. — « Ne projicias me in tem« pore senectutis ; cum defecerit virtus mea, ne « derelinquas me. »

Ne projicias me. [Cassiod., Rem., Aug.] Secunda pars, ubi agit de gratia senectutis et senii danda. Quasi dicat : Tu es spes mea a juventute mea. Tu etiam *ne projicias me in tempore senectutis* quando fessa virtus indiget plus juvari. Et quæ est senectus ? ecce, *cum defecerit virtus mea*, id est cum patientia pulsata mollescet, Deus, *ne derelinquas me*, quia tunc plus indiget juvari. Vel cum defecerit virtus mea, id est mei hominis, ut de me non præsumam, Deus, ne derelinquas me. Respondet hic tibi Deus, imo tunc erit virtus mea in te, cum tua defecerit, ut dicas cum Apostolo : *Cum infirmor, tunc potens sum* (*II Cor*. XII). Sed quare hoc dico ?

VERS. 11. — « Quia dixerunt inimici mei mala « mihi ; et qui custodiebant animam meam, consi« lium fecerunt in unum. »

Quia dixerunt inimici mei mala mihi, [Gl. int., Cassiod] id est disconfortaverunt me, *et qui custodiebant* studio decipiendi *animam meam*, id est qui mihi insidiabantur *consilium fecerunt in unum*. Gravior est enim fascis qui non dividitur, id est dixerunt communi consilio. Ipsi dico.

VERS. 12. — « Dicentes ; Deus dereliquit eum. « Persequimini et comprehendite eum, quia non « est qui eripiat. »

Dicentes, [Aug., Cassiod.] in corde, apud se : *Deus* ille, scilicet quem sibi Deum facit, *dereliquit eum* ; quem vident calamitatibus fatigatum, putant a Deo desertum. Ergo, *persequimini eum*, ut tardum; *et comprehendite eum*, ut invalidum, *quia non est qui eripiat* comprehensum. Ipsa ita, sed

VERS 13. — « Deus, ne elongeris a me : Deus « meus, in auxilium meum respice. »

Deus ne elongeris a me, [Cassiod.] ut gravioribus exponar, sed prope esto. Longe putat, dum tardat.

Deus meus in auxilium meum respice, quia scio me affligendum.

Vel hæc omnia possunt accipi ex persona Christi, ab illo loco. *Ne projicias me*. Unde et Hierony. totum hunc psalmum de Christo exponit. Ait ergo in persona Christi : *Ne projicias me in tempore senectutis*. [Aug., Cassiod.] Senectus etiam in Christo fuit, dum prodigium est factus, dum infirmatus in cruce est et irrisus : quod dicitur senectus, quia ex vetustate nostra assumpsit. Unde Apostolus : *Vetus homo noster simul crucifixus est cum illo* (*Rom*. VI). *Cum defecerit virtus mea*, scilicet humanitatis, *Deus ne derelinquas me*. Hoc ideo dico : *Quia dixerunt inimici mei mala mihi, et qui custodiebant* **152** *animam meam, consilium fecerunt in unum*. Dicitur hoc de Christo, qui inter manus inimicorum factus est infirmus, et quasi nihil posset comprehensus, qui talia habuit ex persona nostra. Unde et de membris ejus hoc potest accipi, ut ante diximus, *consilium fecerunt in unum, dicentes* : *Deus dereliquit eum*. Unde alibi dicit Christus : *Deus, Deus meus, quare me dereliquisti ?* (*Matth*. XXVII.) id est quare hi me derelictum putant ? malo utique suo. *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent* (*I Cor*. II). Ergo *persequimini et comprehendite eum, quia non est qui eripiat*. Sic deliberat quia ad oculum judicat. Illi ita, sed, *Deus, ne elongeris a me, Deus meus*, etc.

VERS. 14. — « Confundantur et deficiant detra« hentes animæ meæ ; operiantur confusione et pu« dore, qui quærunt mihi mala. »

Confundantur. [Gl. int., Cassiod.] Hoc prius ex persona Christi sic : Respice in auxilium meum, econtra, *confundantur*, te mihi subveniente. Et ita factum est, quia deposita Dei non mutantur. *Et deficiant*, me patiente, *detrahentes animæ meæ*, scilicet Judæi, qui rectis oblatrant : et ne resipiscant, *operiantur confusione et pudore*, quia defecerunt *qui quærunt mala mihi*, silicet Judæi.

VERS. 15. — « Ego autem semper sperabo; et « adjiciam super omnem laudem tuam. »

Ego autem semper sperabo, et adjiciam super om-

nem laudem tuam, [Aug. Hier., Aug.] præteritam, ut quæ tibi lex præcepit offerri in sacrificiis visibilibus, ego cum populo redempto deportem tibi in moribus. Vel, super omnem laudem tuam, aliorum, id est de aliis rebus tibi exhibitam, quia et si laudatur Deus in omnibus aliis, nondum in eo quod suscitavit carnem mortalem in vitam æternam, quæ laus est adjecta Deo per résurrectionem Christi. Adjectio ergo laudis est post creationem et gubernationem omnium rerum. Laus de incarnatione et resurrectione, quod sequentia docent.

Ex persona quoque Ecclesiæ hoc totum accipi potest sic; *Confundantur* contra hoc quod præsumunt de justitia sua et viribus suis, ut cognoscant peccata sua. Et est oratio pro malis, *et deficiant* a perversis viribus *detrahentes animæ meæ*, vel committentes animam meam, id est provocantes nos ut Deo resistamus; quod est committere bellum contra Deum, ut faciunt illi quibus non placet Deus in suis adversis; quod est eum habere injustum. [Cassiod. Aug., Cassiod., Aug.] Committitur etiam anima, si odit eos a quibus patitur, et *operiantur*, quasi velo verecundiæ, *confusione*, de mala conscientia peccatorum, *et pudore*, vel verecundia, propter modestiam, *qui quærunt mala mihi* : quod fecit uxor etiam ipsi Job : *Dic aliquid in Deum et morere (Job* II.*)* Et uxor Tobiæ : *Ubi sunt justitiæ tuæ?* (*Tob.* II.) Hoc dicebat ut displiceret illi Deus, qui eum fecerat cæcum. Et est, qui quærunt mala mihi, id est pravi suasores illi committunt animam, et quærunt mala. *Ego autem semper sperabo*, sicut illi desperant; *et adjiciam super omnem laudem tuam*. Id est super laudem perfectam quia omnis, id est perfecta esset laus tua, et nihil laudi deesset, si damnares peccantes, quia justitia esset, sed quia et hos liberas, adjiciam super omnem laudem tuam.

VERS. 16. — « Os meum annuntiabit justitiam « tuam ; tota die salutare tuum. »

Os meum. [Gl. int., Cassiod., Aug.] Hic loquitur Ecclesia. Quasi dicat : Hoc in me faciam, et non tantum in me laudabo ; sed etiam ad proximum. Et hoc est, *os meum annuntiabit* gentibus, *justitiam tuam*. Id est Christum, per quem impleta est justitia, sed ne aliter acciperes, addit *salutare tuum* et hoc *tota die*, id est in prosperis et in adversis, quia nec prospera nec adversa me retrahent a laude. Vel ita, Tota dies dicitur dies cum sua nocte, quia nox diei servit, non dies nocti. Nox vero, caro nostra est, dies justitia est. Quidquid ergo fit in carne, velut in nocte justitiæ, tanquam diei serviat, et quidquid fit ex præcepto Dei, non propter emolumenta carnis fiat, ne dies nocti serviat, sed propter justitiam, ut diei non serviat. Ergo annuntiabit salutare tuum tota die, id est ita ut quidquid in carne gero justitiæ serviat. Vel ita, inde additio laudi, quia, os meum annuntiabit justitiam esse tuam, non meam, quia justitia tua in me est, non mea. Et annuntiem salutare esse tuum, non meum, qui Domini, est salus, non hominis. Et hoc tota die hoc non mutatur, prædicabo salutare tuum, tota die.

VERS. 17. — « Quoniam non cognovi negotiatio- « nes, introibo in potentias Domini : Domine, me- « morabor justitiæ tuæ solius. »

Quoniam non cognovi negotiationes [Aug.] Alia littera : *Non feci nec approbavi ea quæ faciunt avidi negotiatores*. Nam avidus acquirendi, pro damno blasphemat, pro pretiis rerum mentitur, et pejerat : et ita, tota die non est in ore ejus laus Dei, sed hæc vitia sunt hominis, non artis quæ sine his vitiis agi potest, sicut et in omnibus artibus male agitur, non ex eis, sed ex hominibus. Ars enim nescit vitium, de alia ergo negotiatione hic dicit. Negotiatio Græce ab actu dicitur : Latine, a negotio. Negotiatores ergo actuosi sunt, scilicet Judæi et alii qui ab eo quod agunt, præsumunt; opera sua laudant. Et ideo non perveniunt ad gratiam, quæ hic commendatur ut nemo de se glorietur. Qui vero gloriatur tanquam negotiator de templo a Domino expellitur, qui ejecit vendentes et ementes de templo *(Joan.* II). Econtra requies est in Deo, qui justificat. Illi negotiatores potius sunt inquieti quam boni operatores. Unde et dicuntur negotiatores, quia negant otium, de quo dicitur : *Vacate et videte, quoniam suavis est Dominus* (*Psal.* 45.) Et est, *non cognovi negotiationes*, id est de actibus præsumentes, et ex operibus suis justitiam quærentes. Vel ita secundum litteram nostram. Ubi enim quidam codices habent *negotiationes*, alii habent *litteraturam*, quæ interpretum diversitas forte unum sensum ostendit, non errorem inducit. Quæramus ergo litteraturam, quam non cognovit iste in cujus ore semper est laus. Est quædam litteratura Judæorum. Judæi enim legem acceperant, quod non gentes qui gloriabantur, non de gratia, sed de littera, quæ convincit, non adjuvat; morbum detegit, sed non curat ; infirmos prodit, sed non sanat. Hæc est piscina, quæ in quinque porticibus habet multitudinem ægrorum languidorum exspectantium aquæ motum ; angelus autem Domini descendebat in piscinam, et movebatur aqua, et unus sanabatur (*Joan.* V). Quia lex Mosaica in quinque librorum porticibus ægros habet, nec sanat. Sed cum Angelus magni consilii (*Isa.* IX), id est Christus venit, turbatur aqua, id est Judæi crucifigunt, et sanatur unitas corporis Christi. Lex etiam est baculus Elisei per servum missus ad suscitandum mortuum, quo non surrexit mortuus. Venit ergo ipse Eliseus, et cum vivus esset Eliseus et adultus, contraxit magnitudinem suam et coaptavit se puero mortuo, et surrexit mortuus (*IV. Reg.* IV). Hic est Christus, qui per servum, scilicet Mosen, misit baculum, id est legem ad suscitandum mortuum in peccato; sed quia legis baculus non potuit vivificare, venit ipse Eliseus, id est Christus, et contraxit suam magnitudinem ad mortui parvitatem, quia semetipsum exinanivit, formam servi accipiendo (*Philip.* II), et coaptavit se mortuo, quia habitu inventus est ut homo (*ibid.*), et ita surrexit mortuus ; dum vero Eliseus misit baculum ad suscitandum filium hospitæ, nesciebat quid ageret, id est quid illo actu significaretur. Et

est sensus, quasi diceret : Quare annuntiabo salutare tuum ? Quoniam non cognovi litteraturam, id est non approbavi quemquam ex operibus legis justificari (*Rom.* III), sed reprobavi de littera legis præsumentes, a gratia resilientes, et figuras legis sectantes : et hi sunt negotiatores, qui opera sua extollunt. Et per hoc *introibo in potentiam*, id est in virtutem Christianam, quæ est *Domini*, non mea, ut qui de se gloriantur. Et, o *Domine*, tunc *memorabor justitiæ tuæ*, non legis mundanæ *solius*, quia nihil prorsus sum ex me. Ideo memorabor, quia, o

VERS. 18. — « Deus, docuisti me a juventute mea ; « et usque nunc pronuntiabo mirabilia tua. »

Deus docuisti, [Cassiod., Aug.] per libros, vel inspirando, quid eram et quid dederis justitiæ tuæ, ut memorarer justitiæ tuæ solius ; *Ex juventute mea*, id est ab initio fidei qua me innovasti, qui me feceras ; *et usque nunc*, id est etiam post fidem, quia sicut ab initio fidei, sic, post es necessarius, quia nec nunc per me quidquam possum. Et ego, ut non ingratus, *pronuntiabo mirabilia tua*, scilicet quod me regis, quod in via posuisti, quod me vivere facis, quem in anima suscitasti ; quod mirabile est. Quid enim mirabilius quam mortuos anima suscitare ? Suscitatus corpore vivit, etiam absente suscitatore, sicut Lazarus Christo corporaliter absente (*Joan.* II), quia vita corporis anima est ; sed anima suscitati non vivit sine Deo, qui est ejus vita. Hæc est ergo gratia mirabilis, ut suscitet mortuos. Et post sit nobiscum, ne moriamur, hoc est a juventute, etc. Et nunc, o Domine, sicut cœpisti, ita perfice. Et hoc est.

VERS. 19. — « Et usque in senectam et senium « Deus, ne derelinquas me. »

Et usque in senectam et senium, [Aug., Cassiod., Aug., Cassiod., Aug.] id est usque ad ultima mea, *Deus ne derelinquas me*, quia nisi usque ad ultimum meum gratia mecum sit, nihil ero. Vel distinguuntur hic quatuor tempora Ecclesiæ, velut quatutor ætates. Juventus enim Ecclesiæ fuit tempore martyrum, quando fortes erant. Progrediente vero tempore est nunc, id est per nunc. Significatur enim progrediens tempus, quod modo est, cum fides per Ecclesias proficit. Inde senecta, scilicet gravitas, quando incipiet frigescere charitas, cum tempora mundi decrescunt, post in fine sæculi erit senium, id est decrepitum, quando abundante iniquitate refrigescet charitas multorum (*Matth.* XXIV), cum Antichristus veniet, et vita optato fine claudetur. Hæc opus fuit dici in Scripturis propter illos qui dicunt quod ad parvum tempus sint Christiani. Contra quos Dominus dicit : *Vobiscum sum usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII). Quasi dicat : Memorabor justitiæ tuæ solius, quia tu Deus, docuisti me, sicut ante diximus ex juventute mea, id est ex tempore martyrum, quo dimicare cœpi : et usque nunc, id est ad progrediens tempus : quod modo est, per spatia temporum crevit doctrina, et ego doctus pronuntiabo mirabilia tua, scilicet quod de iniquo sum factus justus,

A scilicet idem quod prius. Et, quia a juventute doctus, prædicavi justitiam Dei, usque in senectam, quando incipiet frigescere fides, et usque in senium, id est in finem sæculi, Deus ne derelinquas me, id est nec in ætate matura, vel etiam jam finitima deseras me, ut non gaudeant illi qui dicunt : Ad tempus erunt Christiani, et ut ego usque ad finem laudes prædicem. Unde subdit :

VERS. 20. — « Donec annuntiem brachium tuum « generationi omni quæ ventura est. »

Donec annuntiem. [Cassiod., Aug.] Alii tantum notant hic tria tempora Ecclesiæ, vel ætates idem significantes per nunc et senectam. Donec annuntiem. Quasi dicat : Ne derelinquas me, donec annuntiem, *brachium tuum*, id est Christum, *generationi omni*, per successiones, *quæ ventura est* usque in finem sæculi.

B

VERS. 21. — « Potentiam tuam et justitiam tuam, » Deus, usque in altissima, quæ fecisti magnalia. »

Potentiam tuam. [Aug., Cassiod., Gl. int., Cassiod.] Hic ostendit quid præstitit brachium. Quasi dicat : Ne derelinquas, o *Deus*, donec annuntiem potentiam tuam liberandi, qua per incarnationem captivos liberas, *et justitiam tuam* puniendi, qua hominem peccantem justo judicio damnas. Ego dico ducens prædicationem meam, *usque in altissima*, super quæ est Filius Dei, id est usque ad hominem exaltatum super altissima, quia homo Deus sedet ad dexteram Patris, regnans cum eo. Dico, annuntiem potentiam et justitiam, *quæ* duo *fecisti magnalia*.
C Utrumque enim mirabile est per gratiam redimi hominem qui per justitiam damnatus erat : per justitiam enim Adam expulit a paradiso, per gratiam latronem accepit. Vel ita : *Ne derelinquas donec annuntiem potentiam*, qua homo potens est ad bonum esse, *tuam*, non hominis, quia nihil est **153** homo ex se, *et justitiam*, qua justus est homo esse, tuam, non hominis, o Deus, et ne putes quod solus homo egeat gratia, quia pervenit gratia tua, *usque in altissima quæ fecisti magnalia*, quia eos qui sunt in altissimis, id est omnes ordines cœlestes fecit Deus per gratiam, cum non essent, magnos, et quod juste et beate vivunt, et continet in eo quod sunt.

PARS III. VERS. 21. — « Deus, quis similis tibi ? »

Deus, quis similis tibi ? [Cassiod., Alcuin., Aug.]
D Tertia pars, ubi dicit cui personæ quæ gratia sit, scilicet captivæ, quæ est utraque resurrectio mentis et corporis. Unde promittit gratias. Quasi dicat : Tua potentia est in altissimis. Et cum hoc sit, o *Deus, quis similis tibi*, in natura vel potentia ? nullus, quia nil tibi simile. Et tamen homo stultus se extollit, et credit diabolo suggerenti : *Eritis sicut dii*. (*Gen.* III). Et inde captivus. Omnis enim Adam similis, dum perverse vult esse similis Deo, cadit in captivitatem. Unde clamet ad eum a quo cecidit : Deus, quis similis tibi ? Est autem alia similitudo bona, qua homo justus qui diligit inimicos et benefacit eis, similis est Deo, ad cujus similitudinem et imaginem factus est, *qui so-*

lem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos (*Matth.* v). Et hæc est similitudo obedientiæ, non superbiæ; imitationis, non æquiparationis. Est ergo bene similis Deo, qui credit Deum summum esse, et nullo egere; se vero, non per se, sed per eum esse. Qui vero per se vult esse ut Deus, a nullo est; perverse vult esse similis Deo, ut diabolus qui noluit sub eo esse et homo qui ut servus noluit teneri præcepto, sed voluit ut nullo sibi dominante esset quasi Deus, quæ est perversa similitudo. Præcepit quippe ei Deus nullo indigens, ne comederet de ligno scientiæ boni et mali (*Gen.* II), ad probandum quantum esset bonum obedientiæ. Arbor vero illa quidquid esset cujuscunque pomi, ideo dicta est lignum scientiæ boni vel mali, quia homo qui nollet bonum a malo discernere per præceptum, discreturus erat per mali experimentum, ut tangendo vetitum, inveniret supplicium. Bona quidem erat arbor in sui natura, et bonus ejus fructus, et sic nunquam perfectus [*f.* perfectius] potuit demonstrari bonum obedientiæ, quam prohibendo a bono, ut ex inobedientia palma. Si enim res mala esset quæ prohiberetur, videtur etiam sine prohibitione esse vitanda, nec ex sola inobedientia pœna secuta, sed ex re mala non vitata. Nunc vero cum arbor bona sit prohibita, solam obedientiam, palmam invenisse, et solam inobedientiam incurrisse pœnam manifestum est. Inde iste captivus clamat : Deus quis similis tibi ? nullus.

VERS. 22. — « Quantas ostendisti mihi tribulatio- « nes multas et malas, et conversus vivificasti me; « et de abyssis terræ iterum reduxisti me. »

Mihi autem volenti perverse simulari *quantas ostendisti*, [Aug., Cassiod., Aug.] id est juste immisisti *tribulationes*, id est passiones, et merito qui recedit ab eo quod bonum est ex se et beatitudo, miser est. Ostendisti, dicit, quia scit illas prodesse, utique *multas* quantitate, *et malas* qualitate. Ecce justitia in peccantibus. Sed hæc disciplina qua me flagellasti, admonitio fuit conversionis, non deserti captivi. Unde sequitur : *Et* tamen *conversus* [Cassiod., Aug., Cassiod., Aug.] dum me utique convertisti, *vivificasti me*. Ecce clementia in conversis. *Et de abyssis terræ*, id est de subversione peccati, *iterum* spe *reduxisti me*. Primo enim cum natura nostra Verbo Dei unita, propter nos surrexit, reducti sumus de abyssis terræ. Unde, dum credimus in eum, redimus in eum, et fit prima resurrectio animæ, quæ spe jam surrexit cum eo. Unde apostolus : *Si surrexistis cum Christo*, etc. (*Coloss.* III). Unde hic dicit : Iterum reduxisti me. Item secundo, iterum reducemur, quando corpore resurgemus; unde postea dicet, vel iterum, id est sæpe reduxisti me, et sic in jam reductis spe

VERS. 23. — « Multiplicasti magnificentiam tuam; « et conversus consolatus es me. »

Multiplicasti, [Cassiod., Aug., Cassiod., Aug.] quia per diversa subvenit Deus, *magnificentiam tuam*, A vel justitiam, scilicet flagella, quia nec filiis parcis a flagello. *Et conversus consolatus es me*, per Scripturas et præmia. Consolatus dicit quia et si districte castiget, tristes tamen esse non sinit. Unde generalis justus veritatem psallere confitetur. Nam et ego. Vel secundum quosdam talis littera est, ibi, *consolatus es me, et de abyssis terræ iterum reduxisti me*. Hæc reductio in futuro erit. Secundum corpus dico, consolatus es me : quod ab effectu ostendo.

VERS. 24. — « Nam et ego confitebor tibi in va- « sis psalmi veritatem tuam, Deus; psallam tibi in « cithara, Sanctus Israel. »

Nam et ego. [Cassiod., Gl. int., Aug.] Vel ita continua, secundum aliam litteram : Reduxisti me, *ego* autem *confitebor tibi in vasis psalmi* vel psalmorum. B Psalmi pulchre dicuntur vasa veritatis, quasi spiritualia dolia vinum Domini servantia. Et est, confitebor tibi, o *Deus, veritatem tuam*, id est quod vere Deus es, *et in vasis psalmi*, id est in decantatione psalmorum, qui sunt vasa veritatis; vel, in vasis psalmi, id est in vivificatione spiritus. Vas enim psalmi psalterium est, scilicet organum quod a sursum sonat, quo significatur spiritus, qui spe jam surrexit cum Christo; cithara ab inferiori, et significat corpus, quod etiam resurget. Unde subdit : Et *psallam tibi* opere, o tu qui es *Sanctus Israel in cithara*, id est in mortificatione carnis. [Gl. int., Cassiod., Rem., Gl. int.] Vel, confitebor tibi in vasis psalmi, id est in contemplativa vita, et psallam tibi in cithara, id est in exhibitione temporalium. Et hoc C faciam exsultando. Unde subdit :

VERS. 25. — « Exsultabunt labia mea, cum can- « tavero tibi; et anima mea, quam redemisti. »

Exsultabunt labia mea interiora, [Gl. int., Aug.] scilicet labia animæ, quæ jam reducta est primo iterum, *cum cantavero tibi*, id est cum laudabo te in prædicatione, *et anima mea quam redemisti*, quæ ipsis internis labiis exsultat, quibus tacite clamat ad Dominum. Nec solum anima redempta ad Deum exsultabit.

VERS. 26. — « Sed et lingua mea tota die medita- « bitur justitiam tuam; cum confusi et reveriti fue- « rint, qui quærunt mala mihi. »

Sed et lingua mea, [Aug., Cassiod.] scilicet corporis, quod reducetur secundo, iterum; *meditabi-* D *tur justitiam tuam tota die*, id est sine fine, in æternitate : Quando hæc exsultatio erit? *cum confusi et reveriti fuerint*, vel erubuerint, *qui quærunt mala mihi*, id est qui modo insultant, quod erit in fine, scilicet sæculi, quando videbunt oculis quæ nunquam crediderunt fieri. Tunc enim locus est sanctis securæ exsultationis, cum non licet impiis dominari.

COLLATIO IN PSALMUM LXX : « IN TE, DOMINE, » etc.

Nullus titulus præscribitur in Hebræo. Sed credendum est a LXX viris additum fuisse. Siquidem, ut scribit Hier. De optimo genere interpretandi, longum est nunc evolvere quanta de suo LXX addiderunt, quanta dimiserunt quæ in exemplaribus Eccle-

siæ obelis astericisque, distincta sunt. Quibus tamen auctoritatem dedit vetustas, eodem teste in caput Ezech. v. Quin et idem titulum hunc explanat ad Paulinum. De institutione monachi. Porro non est prætermittendum quod habet Aug., lib. XVIII De civitate Dei, c. 43. Quidquid est in Hebr. codicibus, et non est apud LXX. Interpretes, noluit per istos, sed per illos prophetas Dei spiritus dicere. Quidquid vero est apud LXX in Hebr. autem codicibus non est, per istos maluit quam per illos idem spiritus dicere, sic ostendens utrosque fuisse prophetas. Isto enim modo, alia per Isaiam, alia per Jeremiam, alia per alium atque alium prophetam; vel aliter eadem per hunc, ac per illum dixit, ut voluit. Quidquid porro apud utrosque invenitur, per utrosque dicere voluit, unus atque idem spiritus, sed ita, ut illi præcederent prophetando, isti sequerentur, prophetice illos interpretando. Hactenus D. Aug. Illud addam quod in Græco post titulum subtexitur. ἀνεπίγραφος παρ' ἑβραίοις.

VERS. 3. — « *Et in locum munitum.* Hebr. רבוא תמיד LABO TAMID, id est *ut ingrediar jugiter*, sive *ad quem veniam semper*. Atqui locus munitus, quidnam aliud sonat quam obtinere locum in quem, quoties opus fuerit, te tuto recipere possis? Id quod non male explicuit editio in Campensi, *es mihi robusta rupes, in quam semper confugio*. Videtur mutuatum a Chaldæo, *sis*, ait, *mihi rupes fortis ad refugium jugiter*. Deinde sicuti legimus *ut salvum me facias*, plusculum habent Hebræi, *præcepisti* seu *constituisti ut salves me*, צוית להושיעני TZIVITHA LEHOSSIENI. Sensus videtur auctior, nisi quod certa et indubitata protectionis munitio, idipsum includere diceretur.

VERS. 17. — *Quoniam non cognovi litteraturam*. Suffragatur et Hierony. Cæteri convertunt ex Hebr.: dicunt, *non cognovi numeros*: adeo ut Munsterus quo dilucidiorem faceret quem volebat sensum, de proprio admiscuerit non novi numeros beneficiorum Dei. Verum cum ספורות SEPHOROTH, tum scripturam sive litteraturam tum numerationes, adeoque negotiationes, quæ lucrosis numeris et rationibus exercentur, significet, materiam diversæ interpretationis tribuit. Qua de re sic habet Aug. in hunc versiculum. « Ubi alii codices habent negotiationem, ibi alii litteraturam, quomodo concordent, invenire A difficile est; et tamen interpretum diversitas, forte sensum ostendit, non errorem inducit. »

VERS. 20. — *Donec annuntiem brachium tuum, generationi omni quæ ventura est*. Sed Hebr. sic habet, ut possis figere pausulam in particula *generationi*, et legas, *donec annuntiem brachium tuum generationi* nempe præsenti, ut vult Munsterus. Deinde *omni quæ ventura est*, subaudias, *posteritati*. Quam lectionem et Hieronymus non repudiat. *Donec*, ait, *annuntiem brachium tuum generationi, cunctisque qui venturi sunt fortitudines tuas*. Certum est tamen quod in Hebr. continenter post generationem, sequatur nota signi universalis לדור לכל LEDOR LECAL, etiam si subnotetur membrum ut vocant, quod passim invenio interpretes minus observare.

VERS. 22. — *Quantas ostendisti mihi tribulationes multas et malas, et conversus vivificasti me: et* B *de abyssis terræ iterum reduxisti me*. Ter in tribus locis ponitur pronomen primæ personæ singularis numeri. In primo loco legit Hieron. quomodo nos. In duobus aliis pronomen habet primæ personæ pluralis numeri. Pratensis autem ubique ponit pronomen primæ personæ pluralis numeri. Similiter Nebiensis. Cæteri autem stant a nobis. Unde colligere licet exemplaria variare, aut iod vice vau usurpari, vel e diverso. Et revera vidi tres codices differentes. Unus habebat perpetuo vau cum punctulo hiric, alter semel iod, et bis vau, tertius ubique iod הראיתני HIREITANI vel HEREITANU, *ostendisti nobis* vel *mihi*; תחייני TEHAIENI vel TEHAIENU, *vivificabis nos aut me*; תעלני TAALENU vel TAALENI, *ascendere facies nos aut me*.

Hæc poterant esse otiosa cum nihil habeant momenti ad intelligentiam, nisi perspicerem quosdam forte, ut ita loquar, superstitiosos in venandis apiculis. Maxime autem hæc dicta sunt propter sequen- C tem versum, in quo legimus *multiplicasti magnificentiam tuam*, ibi habent Hebr. *magnificentiam*, sive *magnitudinem meam*. גדלתי GEDULLATHI, etiam si non sit tanta similitudinis proportio hic et ibi, attamen certo certius est gloriam Filii esse gloriam Patris, et contra, juxta illud Joan. XVII: *Et mea omnia tua sunt, et tua mea sunt*.

PSALMUS LXXI.

PSALMI TITULUS: « IN SALOMONEM. »

Deus judicium tuum. Titulus: *In Salomonem*. [Aug., Cassiod., Hier.] Salomon interpretatur *pacificus*, quod verissime atque optime illi congruit per quem Mediatorem Dei et hominum **154** (*I Tim.* II) ex inimicis accepta peccatorum remissione reconciliamur Deo (*Ephes.* II). Idem ipse est ille pacificus, qui fecit utraque unum, medium parietem maceriæ solvens, et ambos reconciliavit Deo, qui super pacem reconciliationis dabit pacem immortalitatis (*ibid.*). Unde: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis* (*Joan.* XIV). Et in hunc Salomonem, id est in hunc verum pacificum, dirigitur psalmus iste quartus, quia ipse commendatur hic, secundum utramque naturam. Et est psalmus iste quartus de duabus naturis Christi. Intentio: Monet ut Christum verum Deum et verum hominem regem credamus. Modus: Septem sunt partitiones. Primo agit de judicio optando illud dari Filio. Secundo agit de eodem affirmando quod optaverat, ibi, *judicabit* *pauperes*. Tertio dicit quis, et qualis anteveniet rex ille in futuro judicaturus, ibi, *descendet sicut pluvia*. Quarto agit de operibus ejus, ibi, *quia liberabit*. Quinto agit de honorificentia regis, ibi, *et vivet*. Sexto monet omnes laudes dicere ei, ibi, *sit nomen* D *ejus*. Septimo a sua parte laudat, ibi, *benedictus Dominus*. Propheta ergo ad Patrem loquens de Christo dicitur: O

VERS. 1. — « Deus, judicium tuum regi da, et « justitiam tuam filio regis. »

Deus Pater, da judicium tuum regi, id est Christo: [Gl. int., Aug., Hier., Aug., Cassiod.] Quasi dicat: Fiat quod prævideo futurum. Pater enim non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio (*Joan.* IX), non quia tota Trinitas simul judicet, sed quia solius Filii persona, secundum humanitatem, ab omnibus in judicio videbitur. Et ut suæ petitionis desiderium ostendat, per figuram epimonem, idem repetitur aliis verbis, dicens: *Et justitiam tuam*, id est justum judicium *da filio regis*, id est

tui, qui es rex. Et ideo non usurpat regnum, quia filius regis est ut diximus. Hic est epimone, id est crebra repetitio. Repetitiones autem eisdem vel aliis verbis factæ, multum commendant divina eloquia, quæ maxime sunt in psalmis, et in eo genere sermonis quo affectus animi est movendus. Dico, da judicium, ad quid?

Vers. 2. — « Judicare populum tuum in justitia, « et pauperes tuos in judicio. »

Judicare, [Aug., Cassiod.] id est ad judicandum *in justitia populum tuum*, qui et ejus est, scilicet ut decernat eum a non suis; *et pauperes tuos in judicio.* Isti sunt populus Dei, scilicet humiles, non superbi. Dicendo, tuum et tuos, ostendit omnia quæ sunt Patris esse Filii, et econverso.

Vers. 3. — « Suscipiant montes pacem populo, « et colles justitiam. »

Suscipiant [Gl. int., Aug., Cassiod., Aug.] Quasi dicat : Hæc da, sed prius præsciatur judicaturus per legatos. Et hoc est, *Montes*, id est majores, scilicet prophetæ et apostoli, qui cœlo altitudine proximant, *suscipiant pacem*, id est Christum. Pacem dico nuntiandam *populo* fideli, *et colles*, scilicet minores suscipiant *justitiam*, id est Christum. Vel ita, ut sit distinctio inter pacem et justitiam. Montes, scilicet majores, suscipiant pacem, humilitatis, populo, id est ad populum, ut non se efferant, id est extollant pro sua majoritate. Excellentes quippe in Ecclesia paci debent vigilanti intentione consulere, ne propter suos honores superbe agendo schismata faciant, unitatis compage dirupta. Et colles, id est minores imitando justitiam, ut servos non anteponant Domino, sed sic majores imitando et obediendo subsequantur, ut eis Christum semper anteponant. Vel, suscipiant montes, id est majores, pacem id est verbum reconciliationis, scilicet verbum Evangelii, ad hoc ut nuntient populo. Et colles, id est minores, justitiam, id est obedientiam, ut obediant doctrinæ veritatis.

Pars. ii. Vers. 4. — « Judicabit pauperes populi, « et salvos faciet filios pauperum, et humiliabit ca« lumniatorem. »

Judicabit. [Cassiod., Haym., Aug.] Secunda pars ubi item agit de eodem judicio affirmando futurum. Post optationem quippe virtute prophetiæ dicit quæ sunt adventu Domini præstanda. Quasi dicat : Da judicium, et vere dabis, quia *judicabit pauperes populi.* Vel aliter ut per montes et colles utrique prædicatores evangelicæ pacis, sive præcedentes, ut apostoli, sive sequentes, ut eorum vicarii, accipiantur : et distinguitur sic littera, montes, id est prædicatores præcedentes, et colles, id est prædicatores subsequentes, suscipiant pacem, id est Christum, nuntiandam populo. Deinde secundum aliam litteram sequitur : *Justi judicabunt pauperes populi.* Sed illi codices magis approbantur qui

A habent quod supra exposuimus, *judicabit pauperes populi,* id est eos qui pauperes sunt in populo, in quo boni et mali commisti sunt. Sic judicabit, *et,* id est quia *salvos faciet,* id est discretos ab iniquis *filios pauperum* : idem sunt qui et pauperes, sicut eadem civitas est Sion, et filia Sion. Vel distingue inter filios pauperum, et pauperes. Pauperes dicit Patres, scilicet prophetas et apostolos. Filios pauperum dicit eos qui sub eis proficiunt. Quos omnes sic judicabit Dominus, ut salvos faciat. E*t humiliabit* in præsenti *calumniatorem*, id est diabolum. Dum enim gratia sua vivat, ut gratis colat Deum homo, humiliatur diabolus qui dicit : Nunquid gratis colit Job Deum? (*Job.* i) Vel humiliatus est diabolus in Christi passione, quando per calumnias Judæorum cecidit, in quo nihil juris habuit, unde merito

B eos amisit, in quibus aliquid juris habere dignoscitur. [Cassiod.] Qui vere calumniator dicitur, quia innocentes in culpam trahere nititur, quod est calumniari. Hunc autem humiliavit Christus in passione, sed nondum penitus est exstinctus. Unde alibi : *Humiliasti sicut vulneratum superbum* (*Psal.* lxxxviii). Unde Jeremias : *Clamat perdix. Congregavit quæ non peperit, fecit divitias non cum judicio in dimidio dierum ejus derelinquet eas,* et in novissimis suis resurget insipientes (*Jer.* xvii). (105) Vel, in judicio futuro, humiliabit calumniatorem, id est, diabolum.

Vers. 5. — « Et permanebit cum sole et ante « lunam in generatione et generationem. »

C *Et permanebit.* [Aug., Cassiod., Aug.] Hic ostendit eum dignum qui judicet. Quasi dicat : Judicabit rex *et* ipse *permanebit cum sole*, id est quandiu tempora volvuntur, quæ per solem ideo accipiuntur, quia juxta cursum solis, mutantur et distinguuntur tempora. Non est autem ei magnum permanere cum sole, per quem omnia facta sunt, sed hic est prophetia, quod Christiani nominis religio semper sit duratura, contra illos qui dicunt Ecclesiam aliquando desituram. Permanebit ergo cum sole, id est quandiu tempora volvuntur permanebit in Ecclesia, et cum Ecclesia, quæ est corpus ejus. *Et ante lunam* potuit dicere cum sole et ante solem, id est cum temporibus, et ante tempora, ante quæ est æternum. Sed per lunam quæ crescit et decrescit, maluit de-

D signare incrementa et defectus mortalium. Et est sensus : Et ipse permanebit ante lunam, id est omnia mortalia sua immortalitate præcedit. Deinde exponit quid lunam dixerit. Lunam dico *generationis et generationum,* alia littera, id est permanet ante generationes generationum, quæ transeunt decessione et accessione mortalium. Vel ita, ut per solem accipiatur Deus Pater, cum quo permanet Filius, qui est quasi splendor et radius solis. Et est humiliabit, et vincet diabolum in passione. Et victo diabolo, permanebit splendor, id est Filius, cum sole, id est cum Patre, sedens ad dexteram Patris in

(105) Ex August. lib. De pastoribus, cap. 12.

æternum. Et hoc, ante lunam generationis et generationum, quia ipse est primogenitus ex mortuis, præcedens Ecclesiam, decessione et accessione hominum transeuntem. Vel generatio generationum dicitur, generatio futura, quia immortaliter generabimur. Et est lunam dico, generationis generationum, id est quæ immortaliter generabitur, in regeneratione. Vel secundum aliam litteram sic : Permanebit *in generationem et generationem;* vel *in sæculum sæculi;* vel, *in generationes generationum*, id est sine fine. Et est expositio præcedentis.

PARS. III. VERS. 6. — « Descendet sicut pluvia in « vellus, et sicut stillicidia stillantia super ter« ram. »

Descendet. [Cassiod., Gl. int.] Tertia pars. Ecce quis et qualis sit rex ille qui judicaturus est, quasi dicat : Quomodo incipiet hoc regnum ? Ecce incipiet a Judæis, et consummabitur in gentibus. Et hoc est *descendet sicut pluvia in vellus.* Alludit facto Gedeonis, quod in libro Judicum legitur, qui pugnaturus contra Madianitas petiit a Domino victoriæ signum tale, ut vellus ovis in area positum complueretur area remanente sicca ; et ita factum est. Postea petiit, ut area irrigaretur sicco vellere, et ita fuit (*Judic.* VI). In quo mystice significatum est, quod populus Judæorum prius irrogaretur gratia Christi, sicca area gentilitatis ; et postea complueretur gentilitas, sicco vellere Judæorum. Per vellus enim Judæa accipitur, quæ auctoritate doctrinæ exspolianda erat, ut ovis vellere. Vel quia pluviæ doctrinam detinebat, quam nolebat prædicari gentibus, ut vellus detinet pluviam. Ait ergo rex ille : Prius descendet in vellus sicut pluvia, id est, gratia Christi, descendet prius in populum Judæorum. Unde matrem sibi et apostolos elegit, sicca area totius orbis, sicut pluvia prius descendit in vellus Gedeonis. Et postea descendent *sicut stillicidia stillantia super terram*, id est super gentes sicco vellere Judæorum, sicut postea fuit compluta area Gedeonis sicco vellere. Ecce unde incipiet, et ubi consummabitur regnum et illud regnum sic erit utile, quia orietur, etc. [Gl. int., Cassiod., Hier.] Vel ita et agit de nativitate Christi qui ante dixerat de futuro judicio. Quasi dicat : Christus in futuro judicabit, et prius in humilitate et lenitate summa veniet. Et hoc est : *Descendet* in uterum Virginis, *sicut pluvia in vellus.* Christus enim quem nihil utique sustinere posset, si vellet manifestata potestate cognosci, voluit leniter in uterum Virginis sine aliquo strepitu, sicut pluvia in vellus descendere, ut magis ostenderet virtutem si eam temperasset. Et est congrua similitudo. Lana enim accipiendo aquam non rumpitur, sed integra manet ; sic et in Virgine integritas ante partum, in partu, post partum. Post illud idem alia similitudine comprobat, subdens : *Et descendet sicut stillicidia stillantia super terram*, quæ in modum roris summa lenitate descendunt. Quis ergo, post tam apertas similitudines, dubitet de partu Virginis. Deinde exsequitur, quæ ipse oriens attulit, quæ germina de stillicidiis pullularunt, dicens :

VERS. 7. — « Orietur in diebus ejus justitia « et abundantia pacis, donec auferatur luna. »

Orietur in diebus ejus justitia et abundantia pacis, donec auferatur luna ut non sit, [Aug.] id est pax erit donec morte destructa, jam non sit carnis mortalitas, quæ per lunam significatur, et per lunam significatur Ecclesia, et legitur alia littera, scilicet *extollatur*, alii enim interpretati sunt, *auferatur*, alii vero *extollatur*. Et est, donec *extollatur luna*, id est Ecclesia elevatur per gloriam resurrectionis.

VERS. 8. — « Et dominabitur a mari usque ad « mare ; et a flumine usque ad terminos orbis ter« rarum. »

Et dominabitur [Cassiod., Aug., Cassiod.] Hic ostendit quæ sit amplitudo regni. Quasi dicat : Sic utile est regnum, et sic latum, *et*, id est, quia *dominabitur a mari*, id est a quolibet fine terræ *usque a mare*, id est ad quemlibet finem terræ diffundetur, tam late dilatabitur Ecclesia, et *a flumine* Jordane dominabitur, ubi vox Patris super Christum insonuit : *Hic est Filius meus dilectus* (*Matth.* III). Inde ergo doctrina ejus cœpit, inde auctoritas Magistri dilatatur *usque ad terminos orbis terrarum*, prædicato Evangelio regni Christi. Inde regula baptismi per totum mundum manavit. Inde ergo dominabitur usque ad terminos orbis terrarum, circumquaque hoc est quod prius dixit, a mari usque ad mare. Nota quia paucis verbis magna docet sacramenta.

155 VERS. 9. — « Coram illo procident Æthio« pes : et inimici ejus terram lingent. »

Coram illo [Gl. int., Aug., Cassiod., Aug.] Quod universaliter dixerat, per partes ostendit, dicens : *Coram illo procident Æthiopes*, id est illum adorabunt Æthiopes, qui sunt in finibus terræ, et teterrimi, id est gentes, a parte totum ; *et inimici ejus*, scilicet pertinaces schismatici, qui invident gloriæ Christi, *legent terram*, in modum serpentis, cui dictum est : *Terram comedes* (*Gen.* III), id est, amabunt terrena, quæ sunt eorum esca pœnalis. Ve lingent terram, id est schismaticos homines amabunt, et suaves habebunt, quibus auctoribus contradicunt divinis eloquis.

VERS. 10. — « Reges Tharsis et insulæ munera « offerent ; reges Arabum et Saba dona adducent. »

Reges Tharsis. [Cassiod., Aug., Alcuin., Hier., Gl. int.] Tharsis interpretatur *contemplatio* in qua fixi sunt fideles, qui offerunt numera, dum devoto animo serviunt. Et est sensus : *Reges Tharsis*, id est fideles in contemplatione fixi, qui dicuntur reges, quia sunt dominatores vitiorum, et *insulæ*, id est, qui vitia mundi circumfluentia a se excludunt, *munera offerent*, id est seipsos, dum devote serviunt, *reges Arabum, et Saba.* Hæ patriæ diversis odoribus nares mulcent, et significat eos qui terrena delectatione se tractant molliter. Sed jam sunt

reges Arabum et Saba, quia hæc blandimenta subjiciunt rigidæ disciplinæ. Et hi *dona adducent*, id est alios secum in societatem Ecclesiæ adducent. Vel potest hoc accipi de malis regibus qui persequuntur et occidunt martyres. Et est, reges Arabum et Saba, id est persequentes nescientes, adducunt dona, dum immolando martyres adduxerunt eos. Vel juxta interpretationes nominum totum accipi potest. Tharsis enim interpretatur *exploratio gaudii*, Arabia, *humilis*, vel *campestris*; Saba *incensio*, vel *conversio*. Et est: *Reges Tharsis*, id est illi qui explorant verum gaudium; *et insulæ*, id est qui a se excludunt vitia, *offerent munera*, id est se et alios; et *reges Arabum*, id est humiles, vel justitia et æquitate pleni, et reges *Saba*, id est qui divino igne succensi sunt, vel conversi ad Deum, *adducent dona* id est se et alios. Vel historialiter potest accipi de regibus, qui venerunt adorare Christum cum muneribus qui fuerunt de his provinciis, cum quibus venerunt insulæ, id est, etiam extremi. Unde hic psalmus cantatur in festo Epiphaniæ. Quid per singula?

VERS. 11. — « Et adorabunt eum omnes reges; « omnes gentes servient ei. »

Et adorabunt eum omnes reges terræ, [Cassiod.] qui videntur adorandi. Hic ostendit quæ sit familia regis, *et omnes gentes*, quæ terrenos habent dominos *servient ei*, quia non est gens quæ, in parte populi sui, non adoret Auctorem.

PARS IV. VERS. 12. — « Quia liberabit pauperem « a potente, et pauperem cui non erat adjutor. »

Quia liberabit, [Cassiod.] Quarta pars, ubi agit de operibus ejus. Quasi dicat: Cur ei tantus honor? *quia liberabit*, vel, liberavit *pauperem*, id est populum credentium, in quo sunt et reges *a potente*, id est a diabolo, quem non sua virtus, sed peccata hominum potentem fecerunt; deinde repetit, ut determinet quem pauperem liberet dicens, *et pauperem* etiam *qui non erat adjutor*, quia homo justus vel angelus, vel lex, vel liberum arbitrium non poterat eum liberare, nisi tantum Leo de tribu Juda (*Apoc.* v). Et si liberat, non tamen peccata, pro quibus tenebantur, ei placent; sed

VERS. 13. — « Parcet pauperi et inopi; et animas « pauperum salvas faciet. »

Parcet, [Aug.] ex usuris redimendo, id est peccata dimittet. Cui? *Pauperi et inopi*, id est non de se confidenti, sed de gratia. Vel ita continua: Dico liberabit pauperem, et si liberatus pauper offendit, parcet pauperi et inopi: quod necesse est, quia omnes peccant et egent gloria Dei (*Rom.* III). *Et animas pauperum salvas faciet* ab iniquitate, id est dando eis gratiam ad faciendam justitiam, et ad vitandam iniquitatem. Duplex enim hic adjutorium gratiæ commendatur, scilicet et quod est in remissione peccatorum, cum ait: Parcet pauperi; et quod est in participatione justitiæ, cum addit, et animas pauperum salvas faciet. Deinde his duobus alia duo æquipollentia reddit, dicens:

VERS. 14. — » Ex usuris et iniquitate redimet « animas eorum; et honorabile nomen eorum co- « ram illo. »

Ex usuris, [Aug., Cassiod., Aug.] id est, a peccatis, *redimet animas eorum*, et hoc est quod supra dixit, parcet pauperi. Usuræ autem dicuntur peccata, quia plus mali invenitur in suppliciis quam commissum est in peccatis, ut verbi gratia, cum homicida tantum corpus hominis perimat; animæ vero nihil noceat, ipsius anima et corpus perdetur in gehenna. *Ex usuris* ergo *redimet* peccata dimittendo, quæ debebant ampliora supplicia. Et redimet pretio sanguinis, *animas eorum ex iniquitate*, scilicet juvando per gratiam ad faciendam justitiam. Eamdem itaque repetita sunt, quæ supradicta erant; nam parcendo redimet ab usuris; salvos autem faciendo, redimet ab iniquitate. Quod ergo supra est, *parcet pauperi* hoc est hic, *ex usuris redimet*. Quod vero ibi dicit *animas pauperum salvas faciet*, hoc est hic, *ex iniquitate redimet*. Vel ita, ut de futuro accipiatur illud, *animas pauperum salvas faciet*, in futuro scilicet, non modo parcet. Hic sequitur: ex usuris, id est pœnis æternis, et iniquitate, id est ipso peccato pro quo et pœna debebatur, redimet pretio sanguinis, animas eorum. *Et nomen eorum*, scilicet nomen Christianum, et si malis sit contemptibile, hic tamen erit *honorabile coram illo*. Quia in ejus regno ante ipsum victuri sunt. Vel secundum aliam litteram, scilicet *honorabile nomen eorum coram ipsis*, quia gratias reddent de beneficiis, dantes virtutem nomini ejus.

PARS V. VERS. 15. — Et vivet, et dabitur ei de « auro Arabiæ; et adorabunt de ipso semper; tota « die benedicent ei. »

Et vivet [Cassiod., Aug., Cassiod.] Quinta pars, ubi agit de honorificentia regis. Quasi dicat: Et si morte sua redemit pauperem, tamen *et vivet* sine fine, qui contemptus est moriens; *et dabitur ei de auro Arabiæ*, id est sapientes mundi in Christum credent. Per Arabiam enim gentes significabantur; per aurum, quod excellit inter metalla, sapientia quæ excellit inter doctrinas. *Et adorabunt semper de ipso* multiplicando, id est corpore ejus, vel *de ipso* consequendo, id est de ejus institutione, quia ipse orare docuit sic: *Adveniat regnum tuum*, etc. *Tota die*, id est toto tempore *benedicent ei* bona vita, et merito quia

VERS. 16. — « Erit firmamentum in terra in « summis montium, superextolletur super Libanum « fructus ejus; et florebunt de civitate sicut fenum « terræ. »

Erit firmamentum in summis montium. [Aug., Gl. int., Aug.] Summa montium sunt auctores Scripturarum, scilicet prophetæ et apostoli, quos firmat, quia omnia ab illis prædicta in illo sunt completa. Et hoc *in terra*, quia propter eos qui in terra sunt, omnia scripta sunt. Unde et ipse in terram venit ut ea impleret. Firmamentum ergo prophetarum est, quia quod prædixerunt implevit. Vel ita: Ipse erit

firmamentum, id est panis fidei confirmans cor, *in* A *summis montium*, id est in apostolis, et aliis sanctis. Et hoc est, in terra ista, quod mirum est, scilicet quod ita eos confirmat hic. Sequitur: *Et fructus ejus*, scilicet boni *superextolletur super Libanum*, id est ipse extollet suos super cedros Libani, ad litteram, quia si Libanus proceras cedros producit, Christus suos ad cœlum subvehit, vel juxta nominis interpretationem. Libanus enim interpretatur *candidatio*, et significat candorem et dignitatem hujus sæculi. Ergo *fructus ejus*, id est dilectores Christi, superextolletur, super Libanum, id est super candorem sæculi, quia omnia sæcularia contemnuntur. Vel, fructus ejus, id est charitas, superextolletur super Libanum, id est super omnia alia dona de qua Apostolus: *Adhuc eminentiorem viam vobis demonstro*, etc. (*I Cor.* XII.) *Et* illi qui sunt de civitate, scilicet Dei, id est de Ecclesia *florebunt* gratissime in futuro, *sicut fenum terræ* viret. [Cassiod., Aug.] Non enim ætas feni, sed viriditas sanctis comparatur, qui de ista civitate præsentis Ecclesiæ migrantes, in illa cœlesti beatitudine florebunt. Vel per fenum, fenum fructiferum, id est frumentum potest intelligi, sicut in Genesi feni nomine etiam frumentum intelligitur, cum ait: Jussit Deus producere terram omne lignum, et omne fenum (*Gen.* II), nec adjunxit, et omne frumentum, nomine feni illud complectens. Florebunt ergo sicut fenum terræ, scilicet fructiferum, ut est fenum frumenti. Vel quia ambigue posita est civitas, non enim addidit vel ejus vel Dei, civitas Cain intelligi potest, sicut ante de civitate Dei exposuimus, id est de Ecclesia. Duæ enim civitates sunt in præsenti, civitas Christi et civitas sæculi. Civitas Dei est Ecclesia, quæ ab Abel incœpit; civitas sæculi est Babylonia, quæ incœpit a Cain, quæ comparatur feno, secundum illud: *Omnis caro fenum* (*Isa.* XI). Omnis namque claritas civitatis quam cœpit ædificare Cain, est sicut flos feni, quod hodie floret, et cras in clibanum mittitur (*Matth.* VI). Et est sensus hujus et præcedentis loci talis: Fructus ejus, id est illud quod in æternum nobis promittitur, extolletur super Libanum, id est diffamabitur et commendabitur super omnia sæculi. Et ea quæ sunt de civitate, Cain scilicet, florebunt sicut fenum terræ, id est quidquid pro magno habetur in sæculo, comparabitur feno terræ.

PARS VI. VERS. 17. — « Sit nomen ejus benedictum in sæcula; ante solem permanet nomen « ejus. »

Sit nomen ejus. [Cassiod., Rem., Aug., Cassiod.] Sexta pars, ubi monet omnes laudes dicere ei, quia omnes in eo benedicentur. Quasi dicat: Et quia fructus ejus extolletur, et flos sæculi decidet, ergo *sit nomen ejus benedictum in sæcula*. Quasi dicat: Quia æternam dat gloriam, in æternum glorificetur; et *ante solem*, id est ante tempora, et ante omnem creaturam, id est æternum *permanet nomen ejus*, id est filius regis. Hoc dicit, ne putes temporalem Dei Filium.

VERS. 18. — « Et benedicentur in ipso omnes tri« bus terræ; omnes gentes magnificabunt eum. »

Et omnes tribus terræ benedicentur in ipso, [Aug.] ut Abrahæ promissum est: *In semine tuo benedicentur omnes tribus terræ* (*Gen.* XXII). Et ne duodecim tribus accipias tantum, addit *omnes gentes*, scilicet omnes benedicti, *magnificabunt eum*, magnum faciendo.

PARS VII. VERS 19. — « Benedictus Dominus Deus « Israel, qui facit mirabilia solus. »

Benedictus. [Aug., Alcuin.] Septima pars, ubi a sua parte laudat. Omnibus enim dictis, hymnum eructat. Quasi dicat: Quia in eo omnes benedicentur, *benedictus Dominus Deus Israel*. Nota hic esse exclamatoriam benedictionem cum admonitione et B prophetia, *qui facit mirabilia solus*; quia quicunque facit, ipse in illo facit.

VERS. 20 — « Et benedictum nomen majestatis « ejus in æternum; et replebitur majestate ejus « omnis terra: Fiat, fiat. »

Et benedictum sit *nomen*, [Gl. int., Cassiod., Aug., Cassiod.] id est, gloria *majestatis ejus*, quod est majus omnibus nominibus; vel, nomen majestatis, scilicet nomen Christianum, quod est de ipso Christo, et hoc *in æternum*, id est quandiu sæculum durat, et in sæculum sæculi, quod quidam interpretes addunt. *Et replebitur majestate*, vel, *gloria ejus*, alia littera, id est ipsius clarificatione *omnis terra*, scilicet sancti. *Fiat*, *fiat*. [Gl. int., Cassiod., Aug.] Ecce quasi subscriptio principis et concessio auC dientium. Magnificum vero est quod sic concludit; optantis est semel dicere fiat; sed nimium desiderantis est repetere. Quasi dicat: Quod jussisti, Domine, ita fiat, fiat, donec quod cœpit flumine perveniat usque ad **156** terminos orbis terræ.

Hieronymus. « Sciendum est quod LXXI psalmus secundi libri finis sit, unde et in extremo habet, *fiat*, *fiat*, pro quo in Hebræo dicitur, *amen*, *amen*. Et hoc diligentius observandum est, quod *defecerunt hymni David, filii Jesse*, ad finem LXXI psalmi pertineat. Id vero quod sequitur, *psalmus Asaph*, initium sit sequentis. »

COLLATIO IN PSALMUM LXXI: « DEUS JUDICIUM TUUM REGI DA, » etc.

VERS. 5. *Et permanebit cum sole*. Hebr. habent; D *timebunt te cum sole*. Hoc est interprete Hieron, quandiu erit sol. Quando hic timor debeat intelligi Christiani nominis religio, quæ nunquam desitura sit, convenienter id significatum est ex perpetua stabilitate. Sed cum legitur ייראוך ISRAUCA, haud scio num interpretes sumpserint caph servile, ut sic essentiale, et in verbo Chaldaico ירך IERAC, quod significat *prolongavit*.

Ante lunam. Faber causatur ut melius et divinius dicatur ultra lunam, quod demonstretur regnum Christi, desinente mundo, non desiturum; sed post consummationem sæculi, perpetuo duraturum. Atqui illud ante lunam, non perinde sonat. Cæterum vocabulum in Hebræo positum, proprie, *ante coram*, vel *in conspectu*, magno consensu Hebræorum designat לפני ירח LIPHNE IAREAH. Quod autem vertit Hieronymus *ultra lunam*, ad id quod conti-

nuo subdebatur *respexit*, nempe in generatione generationum, ut quid dixerit per lunam, Prophetam exponendo, adjungeret *in generatione et generationem*.

VERS. 6. — *Descendet sicut in vellus*. Sic Hieronymus, Sanctes et Nebiensis. At cum sacri et catholici doctores hunc pertractantes locum ad jucundam Gedeonis historiam mystica reducant allusione, ut sunt D. Hieronymus, Augustinus, Ambrosius in prologo primi lib. I De sancto Spiritu, Chrysostomus peculiari in hoc consecrata homilia, Arnobius et plerique alii doctissimi juxta ac sanctissimi, iniquum videtur quod quidem Neoterici Hebraicatores usque adeo suas contraxerunt versiones, ut nullum locum reliquerint mysterio velleris, de quo, Jud. VI; eoque indignius, quo magis poterant, sine ullo incommodo veritatis Hebraicæ, transferre aut *vellus*, aut generalius *tonsuram*. Nam id גז GEZ, nemine reclamante proprie significat. At vero Pratensis ad eum habet modum, *descendet sicut pluvia super herbam resecatam*, Munsterus, *in tonsuram graminis*; editio in Campensi, *sicut pluvia in dissectum fundum*; paraphrasis Campensis, *super frumentum demessum*. Longe secus LXX, καταβήσεται ὡς ὑετὸς ἐπὶ πόκον. Quorum auctoritas si in re sese prodente repudietur, quid tandem in locis Scripturæ obscuris, aut inquisitione examinandis?

VERS. 7. — *Orietur in diebus ejus justitia*. Hebræi legunt *justus* צדיק TZADIQ. Apparet Septuaginta legisse צדק TZEDEQ, id est *justitia*, non sine forsan accommodatiori congruentia. Cum enim jam ipse Christus summe justus ortus esset, quid restabat quam ut justitia in nobis germinaret? Quod si legeris *justus*, referendo ad fideles quod oportet, tamen necesse est justitiam præcedere, qua justi efficiamur. Ac mox clausula sequens *abundantia pacis*, idipsum insinuare videtur, ut primo sit gratia justificans, demum pax ipsa, quæ est gratia consummans et usquequam perficiens.

Donec auferatur luna. In Hebr. manifestum est עד בלי ירח AD BELI IAREAH, hoc est, *donec non sit luna*. Cur tamen in Latino quidam codices habuerint *tollatur* aut *extollatur*, quidam *auferatur*, docet Augustinus in hæc verba. « Id quod dictum est *tollatur*, alii interpretati sunt *auferatur*, alii vero *extollatur*, unum verbum Græcum, sicut unicuique visum est, transferentes, quod ibi positum et ἀνταναιρεθῇ. Sed qui dixerunt, *tollatur*, et qui dixerunt *auferatur*, non usque adeo dissonant. *Tollatur*, enim magis habet consuetudo ita dici, ut *auferatur*, et non sit, quam ita ut altius elevetur. *Auferat* vero prorsus aliter intelligi non potest, nisi ut perdatur, hoc est ut non sit; *extollatur* autem, nihil nisi ut altius elevetur. » Hactenus ille Certe Hieronymus in commentariis interpretatur, *Elevetur Ecclesia*.

VERS. 9. — *Coram illo procident Æthiopes*. Pellicanus vertit, *solitudinarios*: Sanctes, *habitatores, deserti*, ציים. Consentit et interpres pro Cajetano. Hoc ad concordiam reducit Munsterus in scholio, *capiuntur pro incolis solitudinis, quales sunt Æthiopes*. Nebiensis vertit *populi*. Chaldeus interpretatur *proceres*.

VERS. 12. — *Liberabit pauperem a potente*. Astipulatur Hieronymus, et interpres pro Cajetano. Recentiores transferunt *vociferantem* sive *clamantem*, pro *potente* משוע MESCHAUEA atqui שוע SCHOA, est commune *diviti*, *opulento*, *potenti*, et *clamanti*.

VERS. 14. — *Et honorabile nomen eorum coram illo*. Hebræi habent, *pretiosus sanguis eorum coram oculis ejus* וייקר דמם בעיניו VEIEQAR DAMAN BEENAN. Apparet Septuaginta legisse שמם SCHEMAM, id est *nomen eorum*. Non enim poterant ignorare quid foret DAMAM. Sed etsi daleth tenue foret Hæbræis sonaret ferme, ch, declinans ad prolationem schim.

VERS. 15. — *Et adorabunt de ipso semper*. Accedit et Hieronymus, ac illud, *de ipso*, respicit Christum. Alii traducunt *pro ipso*, id quod et a quibusdam ætate Augustini factitatum est, quod angustum inveniebat, qui conveniret, *adorabunt*, sive ut Hebr. habet, *orabunt pro ipso*, nempe Christo: quem tamen scrupulum sic diluere pergit. Quod habet Græcus περὶ αὐτοῦ, alii interpretati sunt *de ipso*, aliqui *pro ipsa*, vel *pro eo*. Quid est autem *de ipso*, nisi forte quod oramus dicentes: *Adveniat regnum tuum?* (*Matth.* VI.) *Pro eo* vero quomodo intelligatur, angustum est, nisi quia cum oratur pro Ecclesia, *pro ipso* oratur, quia corpus est ejus. De Christo quippe et Ecclesia præmissum est magnum sacramentum. *Erunt duo in carne una* (*Gen.* II]. Hæc Augustinus. Porro recentiores vertunt per singularem numerum, *orabit pro eo*, ut dicamus Christum Dominum orare semper pro eo paupere. Quia tamen Hieronymus vertit plurative, et verbum in Hebr. positum יתפלל ITHPALLEL, habet significationem passivam, consequentius videtur ut *pro eo* referatur ad Christum Dominum. Hinc Pellicanus hoc pacto reddidit, *orabitur per eum semper*. Quod respondet illi quod est, *adorabunt de ipso semper*. Consonat contextus e regione paraphrasis Campensis, *adoretur sine fine*.

VERS. 16. — *Erit firmamentum in terra in summis montium*, Heb. פסת בר PISSATH BAR. Hieron., *erit memorabile triticum in terra in capite montium*: Paulus Burgensis, ex Judæo Christianus, *erit placentula frumenti*. Qui etiam ut commendet tremendum illud sacro sanctæ eucharistiæ sacramentum, dicit thargum, hoc est translationem Chaldaicam pro eo quod habemus *in summis montium*, dicere *in capitibus sacerdotum*. Pratensis, *erit multiplicatio frumenti*. Sanctes, Munsterus et ferme alii dicunt, *erit pugillus frumenti*. Ubi Lyranus. « Videtur, » inquit, « translatio communis corrupta, et similitudine dictionum, habens *firmamentum* pro *frumentum*. » Bene dicit, Videtur quidem externe, ut ne asseveret. Nam Septuaginta clare habent στήριγμα, id est, *firmamentum*. Jam vero פסת PISSATH POLYSEMON est Hebræis. Proprie tamen exponitur, *pro robore refectionis*. Chaldæus enim סעיד לחמא SAID LAHAMA, interpretatur *firmamentum refectionis*, sive *panem substantificum*. Unde psalmus CIII: *Panis cor hominis confirmet*. Quod quam proxime respondeat omni sancto corporis Christi sacramento Christianæ religionis solidissimo fundamento, non est verbis humanis consequi.

Superextolletur super Libanum fructus, etc. Hebr. ירעש IIREASCH, recentiores interpretantur, *agitetur* aut *collidatur*; Nebiensis, *turgescet*, cum tamen Hieronymus, cum Septuaginta exponat *elevabitur*. Sed est allusio ad proceras arbores Libani, quæ, ob eminentiam et montis et lignorum, a vi ventorum inter se concutiuntur.

VERS. 17. — *Ante solem permanet nomen ejus*. Hebr. ינון שמו IINON SCHEMO, quod ad verbum posset reddi, *filiabitur nomen ejus*. Hoc est, interprete Hieronymo, *perseverabit nomen ejus*, sive. ut ait Munsterus *propagabitur nomen ejus*. Nec male arridet quod vertit Sanctes, *ante solem genitum fuit nomen ejus*. Hoc enim mire commendat generationem illam Filii Dei æternam atque incomprehensam.

VERS. 19. — *Benedictus Dominus Deus Israel*. Nescio quo casu factum fuerit ut nec Græci codices, nec Latini habeant nomen Deus, replicatum, *Benedictus Dominus Deus, Deus Israel*, quod aperte in Hebræo conspicitur; ut Trinitatis mysterium, plena laude judicetur. De quo scribit D. Hieronymus ad Suniam et Fretellam: Dicitis in Græco bis Deus, non haberi, cum et in Hebraico sit et apud Septuaginta, et manifestissime triplex Domini Dei Deique nuncupatio, mysterium sit Trinitatis. »

PSALMUS LXXII.

PSALMI TITULUS : « DEFECERUNT LAUDES VEL HYMNI DAVID FILII JESSE PSALMUS ASAPH. »

Quam bonus Deus Israel : [Aug.] Titulus : *Defecerunt laudes*, vel *hymni David filii Jesse psalmus Asaph.* [Aug.] Hymnus tria habet laudem et Dei, et cum cantico. Nisi enim hilariter cantetur, non est hymnus. Non autem cantat hilariter, qui non amat, sic : Si sit laus et non Dei, non est hymnus, et si sit Dei et non cum cantico, non est hymnus. Oportet ergo, ut sit hymnus, habere hæc tria, laudem et Dei, et canticum. In laude confitentis est prædicatio; in cantico amantis affectio. Præter solitum vero addit, *filii Jesse.* In titulis enim sæpe nomen David reperitur, sed nunquam additum *filii Jesse*, nisi hic, quod non inaniter factum est. David enim homo quidam, filius Jesse *(I Reg.* XVI), regnavit in Israel tempore Veteris Testamenti ; in quo Novum Testamentum erat, sed occultum, sicut Christus in David, et in Abraham erat, sed occultus : ut fructus in radice est, sed non apparet. Noverunt autem pauci prophetæ et Christum et Novum Testamentum esse in occulto ; et prænuntiaverunt utrumque revelandum. Illo ergo tempore, quod latebant spiritualia pro regno illo, ubi regnavit, homo ille filius Jesse et pro hujusmodi carnalibus, carnalis ille populus laudabat Deum, sed regno illo et cæteris temporalibus deficientibus defecit laus, non David filii Dei, sed *David filii Jesse,* id est carnalis populi. His autem carnalibus deficientibus quæ Deus subtraxit, ut quærerentur ea quæ occulta in illis tegebantur, loquitur Asaph, id est Synagoga, sed fidelis, quæ et ante pie coluit Deum ; licet propter terrena, quæ quidem a Deo quærebat, non a dæmonibus ut gentes. Attendens autem Asaph blasphemos his abundare pro quibus ante serviebat, cœpit nutare secundum quosdam de eodem populo, nesciens quid in his figuris lateret, quasi non esset aliquid melius quod Deus daret, sed admonitus Asaph per hæc sibi subtracta, quærere ea quæ non habebat cum malis communia, castigans se de errore, dicit : *Quam bonus Israel Deus.* Et est sensus tituli talis : Hic agitur de hoc quod *defecerunt laudes*, vel *hymni David* non Filii Dei, sed *filii Jesse*, id est judaici populi, qui per David regem significatur, cujus laus defecit, quia jam non dat Deus blanda ut pueris ad serviendum alliciendis ; et attribuit hic *psalmus Asaph,* [Alcuin.] id est synagogæ fideli, quæ hoc dicit, quæ jam sibi contra hoc quod prius agebat, testatur ut credibilius sit. Intentio : [Aug., Cassiod.] Monet ut non pro temporalibus, sed pro æternis Deum laudemus. Modus : quatuor sunt partitiones. Primo Asaph describens nequitiam malorum dicit se zelasse prospera eorum, inde tamen correctum, et correctus alios corrigit. Secundo exponens suum et aliorum errorem, dicit se inde reversum **157** ad melius consilium,

A ibi, *ideo convertentur.* Tertio aperit quid didicit in sanctuario Dei, ibi *verumtamen.* Quarto comparat præmium cœleste terrenæ voluntati suæ et se arguit, ibi, *quid enim.* Asaph ergo erroris sui recordans et inde pœnitens et se castigans, cum admiratione dicit :

VERS. 1. — « Quam bonus Israel Deus, his qui « recto sunt corde ! »

Quam bonus, [Gl. int., Aug.] id est jucundus est, *Deus Israel* quod non semper fuit visum mihi ; sed quibus ? *his qui recto sunt corde*, perversus perversis videtur.

VERS. 2. — « Mei autem pene moti sunt pedes ; « pene effusi sunt gressus mei. »

Mei autem. [Aug., Cassiod., Aug.] Quasi dicat :
B Modo fateor Deum bonum, sed prius cum non rectum cor esset mihi, *pene moti sunt pedes mei*, ad errandum, *pene effusi sunt gressus mei*, ad lapsum non omnino moti sunt pedes. Vel effusi sunt gressus, sed pene quia cœperam errare, sed non erraveram ; cœperam cadere, sed nondum cecideram. Et sunt idem pedes et gressus, scilicet affectus. Vel pedes, accipit pro arbitrio mentis, quod a veritate discrepabat. Gressus sunt actus mali, qui sunt effusi, id est præcipitati. Et dicit pene, quia cito rediit. Cur ergo moti sunt pedes ?

VERS. 3. — « Quia zelavi super iniquos, pacem « peccatorum videns. »

Quia ego intendens *super iniquos zelavi,* [Cassiod., Aug.] id est invidi eis, et graviter tuli : quid in eis zelavi ? Ecce ego dico *pacem* tempora-
C lem, fluxam, caducam *peccatorum*, quam solebam adeo petere pro qua et serviebam, *videns*, non intelligens, quia hæc pax videtur, sed non intelligitur, oculos eludit ; est enim fluxa atque caduca.

VERS. 4. — « Quia non est respectus morti eo- « rum ; et firmamentum in plaga eorum. »

Quia non est respectus. [Gl. int., Aug.] Exponit breviter quare eis sit data hæc pax, ideo, scilicet quia non est *declinatio mortis eorum,* alia littera, id est quia certa mors et æterna eos manet, quæ non declinat ab eis, nec ipsi ab ea, *et firmamentum est in plaga eorum,* id est flagellum eorum firmum est, non temporale, sed æternum, et ideo modo non sunt.

VERS. 5. — « In labore hominum non sunt, et
D « cum hominibus non flagellabuntur. »

In labore hominum, [Cassiod., Aug., Cassiod., Alcuin.] id est, sanctorum. Ideo enim modo cum sanctis non flagellantur, quia æternum eis supplicium præparatur. Vel ita secundum litteram nostram : Ideo eis hæc pax, quia non est respectus misericordiæ Dei morti eorum, id est quia non liberat eos a morte peccati. Et non est firmamentum, id est consolidatio in plaga eorum : mortem et plagam, dicit eorum peccata, quæ non respicit Deus ut sa-

net. Et est sensus : Non miseretur Deus eis, solidando plagas eorum. Vel ita : Non est respectus mortis eorum, hoc dicit a simili incurabilis, cui nihil prohibetur : ita et Deus videns illos incurabiles non retrahit eos a malis, sed tradit eos in desideria cordis eorum (*Rom.* I), alia non mutantur. Vel ita expone : Quam pacem habent mali. [Cassiod.] Quasi dicat : Vidi pacem peccatorum hanc, scilicet quia non est declinatio mortis eorum, id est non cito moriuntur, sed diu vivunt. Et non est firmamentum, vel flagellum in plaga eorum, quia et si aliquando eis plaga infertur, non firmatur, ut duret flagellum correctionis. Unde sequitur : *In labore hominum*, scilicet sanctorum, *non sunt* ab infirmitate et plagis velociter convalescunt, nunc sicut homines justi tribulationum quatiuntur flagellis. Unde subdit : Et *cum hominibus non flagellabuntur* ad correctionem, et quia sic eis modo prospere cedit,

VERS. 6. — « Ideo tenuit eos superbia; operti « sunt iniquitate et impietate sua. »

Ideo superbia tenuit eos [Cassiod., Aug., Cassiod.] quasi dicat, quibusdam manibus, ne evadant. Quod quidem pejus est, scilicet superbia teneri, quam quolibet modo superbire : unde ipsi sunt iniqui. Et hoc est, *operti sunt*, non dico amicti, ut vel liberum caput haberent, sed toti operti sunt, et undique ne resipiscant. Unde alia litterat habet : Circumamicti, *iniquitate* ad proximum, *et impietate sua*, quia contra Deum blasphæmi sunt. Et ita nec vident, nec videntur interiora eorum ; non videntur, quia ibi miseri sunt qui felices putantur ; non vident, quia contemptum nutrit resoluta securitas. Ut autem eorum culpam exaggeret, subdit :

VERS. 7. — « Prodiit quasi ex adipe iniquitas « eorum ; transierunt in affectum cordis. »

Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum. [Gl. int., Aug., Gl. int., Cassiod.] Quasi dicat : Iniqui sunt, et hæc *iniquitas eorum prodiit* in apertum, quasi *ex adipe*, id est ex abundantia, non ex macie necessitatis. Sunt enim quidam mali ex macie, id est ex necessitate ; alii ex abundantia : ut pauper egestate furatur ; dives ex cupiditate. Et isti tales *transierunt* viam rectam, modum hominum, quia non putant se pares hominibus, pauperes despicientes, cum tamen illos cum eis nudos suscipiat vita et putredo post mortem æque consumat. Ipsi dico tendentes *in affectum cordis*, scilicet facientes quod placet. Vel, transierunt, quasi dicat, a rectis semitis de vitiis in vitia ruentes, in affectum cordis implendum. Quasi dicat : Desiderio hoc agunt, non necessitate. Et ut gravius eos peccasse ostendat, quam si ex improviso egissent, subdit :

VERS. 8.— « Cogitaverunt et locuti sunt nequitiam; « iniquitatem in excelso locuti sunt. »

Cogitaverunt et locuti sunt nequitiam. [Aug., Cassiod.] Non satis fuit eis, quod intus habent nisi extra effundant et alios doceant. *Iniquitates locuti sunt* non cum timore, sed *in excelso,* id est pa-

A lam, id est in manifesto, in alto clare cunctis audientibus et superbe. Vel locuti sunt in excelsum, id est contra excelsum, id est contra Deum blasphemi sunt. Et

VERS. 8.— « Posuerunt in cœlum os suum ; et lin- « gua eorum transivit in terra. »

Posuerunt in cœlum os suum, [Alcuin., Gl. int., Aug., Hier., Cassiod.] id est ita loquuntur de cœlo et de altis, ac si dii essent. Ita enim vel minantur vel quælibet disponunt ac si eorum dignitas sit immortalis. Vel posuerunt in cœlum os suum, id est superba contra Deum loquuntur, quem blasphemant dicentes Deum vel nescire mala sua, vel non punire. *Et lingua eorum transivit in terra,* vel, super terram, [Aug., Hier] id est ultra mensurum

B humanitatis loquuntur, quasi immortales sint ; transeunt enim omnia terrena, quia non cogitant se homines posse mori cito ; sed transit lingua eorum humanam fragilitatem. Vel ita, lingua eorum transivit, vel *deambulavit,* alia littera, modum excedens, et si in terra sint, id est et si ipsi sint in terra, tamen modum transeunt. Vel ita, et lingua eorum, est in terra, id est locutio eorum facta terrena, transivit, id est defecit, quia præter rationem veritatis infirma est. Alia littera *deambulavit* hoc ex Hieronymo in versione juxta Hebræum תהלך TIHALAC, *ambulabit.*

PARS II. VERS. 9. — « Ideo convertetur populus « meus hic ; et dies pleni invenientur in eis. »

Ideo convertetur. [Aug., Cassiod., Alcuin., Aug.]

C Secunda pars, ubi exponens Asaph suum et aliorum errorem, de prosperitate impiorum provenientem, dicit se inde reversum ad melius consilium, et ut ipse inquireret veritatem rei, intrans in sanctuarium Dei. Quasi dicat : Quia hæc temporalia sunt iniquis ex quibus prædicta mala eveniunt, *ideo* hoc perpenso quod hæc mala ex prosperis eveniunt, *populus meus* quam a veritate deviavit *convertetur* ad eam, ut sic *hic*, id est in hac sententia, in qua modo sum. Vel convertetur huc, id est rediit ad Deum, ad veritatem. Sed quando convertetur? ecce : id est quando *dies pleni invenientur in eis*, id est quando veniet plenitudo temporis, etc., quo Filius missus est, qui hæc docuit contemnere, et æterna quærere. Dies namque pleni sunt, quibus Christus

D venit. Unde Apostolus : *Cum venit ergo plenitudo temporis*, etc. (*Gal.* IV). Hi ergo sunt in Judæis qui Christum noverunt. Vel populus meus convertetur ad veritatem, et sic dies pleni, [Hier., Alcuin.] id est perfecti et æterni invenientur in eis, in futuro, etsi modo non appareant.

VERS. 10. — « Et dixerunt : Quomodo scit Deus, « et si est scientia in Excelso ? »

Et dixerunt. [Cassiod., Aug.] Exponit hic Asaph qualiter populus suus errare cœperit. Quasi dicat : Unde convertetur populus ? Ecce *et*, id est quia *dixerunt* priusquam converterentur de hac tali cogitatione, de qua modo reversi sunt ad vera eligenda, *si*, id est an, *est scientia in Excelso*, id est in

Deo, scilicet scit Deus hæc, an non? Nondum dicit A nescit obfirmata mente, sed adhuc hæsitat, et prope est sanitati; et de tam gravi infirmitate vicinior est salus, sicut vicina sanitate magis æstuant ægri. Si quis autem respondeat : Scit. Iterum quærunt : Et quomodo scit Deus? Ita ut curet, an ita ut non curet hæc? Si quis vero quærat ab eis : Quare de hoc hæsitent? Respondent : Ideo videtur Deus nobis nescire, vel non curare ista, quia mali sunt felices.

VERS. 11. — « Ecce ipsi peccatores et abundan« tes in sæculo obtinuerunt divitias. »

Ecce enim *ipsi peccatores obtinuerunt* per violentiam in sæculo *divitias* [Rem., Aug.] *et* non parvas, sed *abundantes*. Quasi dicat : Ideo eram non peccator ut haberem divitias, sed econtra fieri video. B

VERS. 12. — « Et dixi : Ergo sine causa justifi« cavi cor meum; et lavi inter innocentes manus « meas. »

Et dixi : [Cassiod., Aug., Cassiod.] Adhuc ex persona dubitantis populi, hæc sequentia dicuntur : *Ergo*, quia illi non serviunt, et habent, *sine causa justificavi cor meum*. Fatuis cogitationibus se dicit illusum, ut cum hæc repudiaverit, melius nos curaverit : de quibus subdit : Et sine causa *lavi inter innocentes manus meas*, id est opera, non modo cogitationes.

VERS. 13. — « Et fui flagellatus tota die, et casti« gatio mea in matutinis. »

Et sine causa *fui flagellatus tota die*. [Aug., Hier.] Quasi dicat : Bene servio et flagellor; non servit C malus et honoratur *et* sine causa *castigatio mea* de perpetratis malis, fuit *in matutinis*, id est sedula et cita. In ea enim non differtur, illis vero vel sera, vel nulla est, vel in matutinis orationibus.

VERS. 14. — « Si dicebam : Narrabo sic ecce na« tionem filiorum tuorum reprobavi. »

Si dicebam. [Aug.] Ecce jam se reprimit iste auctoritate sanctorum, et jam vicina veritate deliberat sic : Et dicebam : Si, ego *narrabo*, id est astruam *sic*, scilicet quod Deus non curet ista, quod juste vivit quis frustra, *ecce reprobavi*, id est reliqui *nationem filiorum tuorum*, id est sanctorum patriarcharum et prophetarum. Omnes enim, scilicet Abrabam et cæteri, aliter docent : quibus cedere debeo. Non enim omnibus prudentior sum. [Cassiod.] Vel D secundum aliam litteram : Ubi enim habemus, *et castigatio mea in matutinis*, alia littera habet, *et index meus in matutino*, et est talis sensus, Usque huc Asaph in ancipiti causa suæ deliberationis dubitavit. Nunc dicit quo docente veritatem cognoverit. Quasi dicat : Ita hæsitando hæc dixi. Et in hac hæsitatione Christus, qui in matutino surrexit, fuit index meus : Ecce jam remedium, Christus est index, quia viam veritatis indicavit, et mane surgens spem nostram de mundo ad cœlum levavit. Et dicebam : Si narrabo sic. Hoc non mutatur, Ecce nationem filiorum tuorum *cui disposui*, [Aug.] vel *concinui*, alia littera, subaudis occurrit et obviat mihi, id est occurrit mihi prior prædicatio, quam Israelitis feci, scilicet ut Deum colerent qui omnia creavit, et omnibus secundum opera sua restituit; obviat mihi doctrina Patrum, cui congrui, cui accommodatus sum, sed ne ego reprobarem nationem Patrum, vel priori doctrinæ meæ contradicerem.

158 VERS. 16. — « Existimabam ut cognosce« rem hoc; labor est ante me. »

Existimabam vel cogitabam, vel *ut cognoscerem* vel, scirem hoc, vel, *suscepi cognoscere* alia littera *hoc*, [Alcuin., Cassiod.,] id est veritatem rei : quod non ante faciebat, dum dicebat Deum hæc non curare. Jam revocatur iste a lapsu, qui non præsumit se scientem contra sanctos. Habet enim jam primum gradum scientiæ. Primus gradus scientiæ est, dum quis scit se nescire quod prius videbatur scire.

[Cassiod., Alcuin.] Potest etiam totum aliter dici, ut populus ille stultus non dubitasse, sed contra Deum disputasse intelligatur, sic : Unde convertentur de hac tali cogitatione. Et, id est quia *dixerunt*, priusquam converterentur, *quomodo scit Deus?* quomodo dicitur scire quæ hic fiunt, qui non punit? quasi vel omnino nescit qui non curat humana; et vere, [Cassiod., Alcuin.,] quia, *si est scientia in excelso*, defectio est hic, tunc injustus est Deus, subaudis qui patitur malos, ideo videtur eis Deus nescire hæc, quia *ecce et ipsi peccatores, et abundantes* in sæculo, *obtinuerunt divitias*. Hoc non mutatur. Huic autem stulto populo confutando, respondet Asaph. Quasi dicat : Hæc dixerunt illi : Et eis confutandis *dixi* hoc : *Ergo* si ita est ut dicitis, quod injustus et inscius sit Deus, hæc inconvenientia sequuntur, quod *sine causa justificavi cor meum*, et sine causa *lavi inter innocentes manus meas*. Hoc non mutatur. Et : Sine causa *fui flagellatus tota die;* nec hoc mutatur. Et sine causa *castigatio mea in manibus*. *Si dicebam :* Hic ostendit aliud inconveniens, et incipit solvere quæstionem auctoritate sanctorum probatissima, ostendens aliter esse quam illi dicant. [Aug., Alcuin.] Et dicebam contra eos si ego *Narrabo*, id est astruam *sic* : *Ecce nationem filiorum tuorum*, id est doctrinam prophetarum et patriarcharum qui omnes Deum justum et omnia scientem docuerunt, *reprobavi*, id est reprobari judicavi, quod ipsa non est, et ita per inconvenientia hæc, patet Deum non esse injustum, vel nescium; *existimabam*, vel cogitabam. Quasi dicat : Per prædicta inconvenientia volo probare Deum non esse injustum, sed hoc qualiter sit modo cogito, nondum plene persolvo quomodo justus sit, et bonis mala, et malis bona det, mihi nondum perspicue planum est. Sed existimabam, vel cogitabam, *ut cognoscerem*, vel scirem *hoc*, id est, hujus rei veritatem, et hoc cognoscere, *labor est ante me*, [Aug., Alcuin., Aug.] id est laboriosa quæstio ante oculos meos. Quasi enim murus stat mihi in facie, quomodo Deus curet hæc et bene sit malis, et bonis male.

Vel labor est ante me, id est quantum ad ea quæ sunt ante me, id est quantum ad præsentia ; quæ si attendo ab hujus quæstionis labore non me expedio, vel labor, est ante me, id est major me, me superans ; et nisi Deus aperiat, labor est ante me, sed non ante Deum. Si ergo fuero ante Deum, nec mihi labor. Illum enim attendens, hujus quæstionis transgrediar murum, quod et facit, id est ad Deum intrat. Addit enim, labor est ante me.

Vers. 17. — « Donec intrem in sanctuarium « Dei, et intelligam in novissimis eorum. »

Donec intrem in sanctuarium Dei. [Alcuin., Alcuin., Cassiod., Aug.] Sanctuarium Dei Christus est, in quo sunt omnia consilia super filios hominum, qui ut Deus merita singulorum dignoscit. Et est donec mente in Christum intendam, qui hic prospera non habuit ; nunc vero regnat in æternum cum Patre. Vel sanctuarium Dei, dicit Sancta sanctorum, id est secretum divinæ dispensationis. Vel, sanctuarium Dei, dicitur lex divina quam aliquis contuens videt in judicio eos damnandos ; et quasi quis diceret : Quid tibi in eo sanctuario ? subdit, *et intelligam,* quasi de eo intendo oculo mentis in finem, ubi omnia secundum merita judicantur. Et hoc est, et non a me, sed in sanctuario positus, intelligam, per præsentia *in novissimis eorum,* ubi flos sæcularium arescit.

Pars. iii. Vers. 18. — « Verumtamen propter do« los posuisti eis ; dejecisti eos dum allevarentur. »

Verumtamen [Alcuin., Cassiod.] Tertia pars, Ecce quid didicit iste in sanctuario, scilicet malos nunc prosperis decipi ; postea in finem omnibus deserendos bonis a quo malo ipse liberatus est qui etiam terrena quæsivit, sed a Deo. Hic enim dicit etiam in hoc mundo malos non esse immunes et impunitos, quia et si felices sint, reatum gestant ; et frequentes ruinas incurrunt. [Alcuin., Aug., Alcuin., Aug.] Quasi dicat : Non modo in futuro male erit eis ; *veruntamen* sed et hic *posuisti eis* hunc florem temporalium, *propter dolos,* id est quia dolosi sunt et in ipso dolum patiuntur, fraudulenti sunt, faciendo fraudem generi humano, in omnibus nequitiis suis, et ipsi fraudem patiuntur, ut terrena eligant et æterna bona relinquant ; dum enim aliquid aliis dolo tollunt, animam suam perdunt ; alia littera habet, *juxta lubricum* posuisti eis : lubricum sunt, temporalia ubi cadunt qui amore sunt juxta, et est posuisti eis, id est positionem fecisti eis *juxta lubricum,* id est juxta temporalia, quasi modo dolosi fecisti eis, sub specie boni dans quæ sunt eis mala, sicut dolosus, dum alium dejicere vult, juxta lubricum ponit. Unde sequitur *Dejecisti eos* de alto. *Dum allevarentur,* id est in eo ipso quo allevantur, non dico postquam allevati sunt, quia talis elevatio casus est. Ita in præsenti est eis, sed in futuro.

Vers. 19. — « Quomodo facti sunt in desola« tionem ? subito defecerunt, perierunt propter ini« quitatem suam. »

Quomodo facti sunt [Aug., Cassiod.] Admiratur de eis videns novissima eorum, *in desolationem,* quia ab omnibus rebus deserti sunt in morte, quæ et repente venit eis. Unde subdit : *Subito* defecerunt sicut fumus deficit dum extollitur, et non communiter cum bonis moriuntur ; sed *perierunt* æternaliter *propter iniquitatem suam.* Ita defecerunt

Vers. 21. — « Velut somnium surgentium, Do« mine, in civitate tua imaginem ipsorum ad nihi« lum rediges. »

Velut somnium surgentium deficit. [Cassiod., Aug., Cassiod., Aug., Alcuin.] Vel, *somno exsurgentes,* alia littera, deficiunt, vel *somnium exsurgentis,* deficit qui in somno sibi dives videtur. Somniat habere thesauros et honores et hujusmodi, sed evigilans nihil habet ; sic isti dum de hac vita in qua cæci dormiunt evigilaverunt, nil nisi miseriam invenient. Et est apta comparatio. Nam quasi clausis oculis videmus bona, quæ mox apertis oculis non invenimus. In vita ergo ista somnium est, in morte vigilant scientes quidem. Sed ne modo videantur magna quæ eorum sunt, subdit : o *Domine,* tu *rediges ad nihilum imaginem ipsorum,* alia littera, id est effigies deformitatum, quas sibi faciunt in civitate Cain. Alius enim ferocitate factus est leo, alius avis levitate, alius aper libidinis sorde : Et hoc *in civitate tua,* id est in contuitu populi tui. [Hier., Alcuin., Aug., Alcuin.] Vel in civitate tua, id est dum de eis constituetur tua civitas. Vel in civitate tua, id est in cœlesti Jerusalem cum eis pulsantibus cœlestem regiam, dices : *Discedite a me, quia non novi vos.* (*Matth* vii.) Vel imaginem ipsorum dicit gloriam temporis, quæ non est vera, sed similitudo gloriæ. Et est, imaginem ipsorum, id est gloriam temporalem, quam ipsi quærunt, rediges ad nihilum in civitate tua, id est in cœlesti Jerusalem, quia cum deerit eis veritas supernæ civitatis, peribit etiam imago, quia nec similitudinem, retinebunt qui de æterna beatitudine nil habebunt. Et merito hoc facit Deus eis in sua cœlesti civitate, quia ipsi in sua terrena civitate imaginem Dei, scilicet rationem ad nihilum redegerunt. Unde omnes comparati sunt jumentis. Vel de hæreticis potest hoc accipi, quorum diversas imagines dives dicit diversas hæreses et personas hæresiarcharum, quas sibi in variis dogmatibus induerunt, quas rediget Deus ad nihilum, in civitate sua, scilicet in præsenti, vel in supercœlesti Ecclesia. Ideo perdes eos.

Vers. 22 : — « Quia inflammatum est cor meum, « et renes mei commutati sunt ; et ego ad nihilum « redactus sum, et nescivi. »

Quia per eos zelo invidiæ *inflammatum est cor meum,* [Cassiod.] id est invidi felicibus, *et renes mei,* quibus statur *commutati* vel resoluti *sunt,* id est constantia mentis meæ resoluta est ut prospera amarem. Gravis culpa, præbere aliis occasionem peccandi. *Et ego ad nihilum redactus sum,* vanis hærens, injurius Deo factus ; *et nescivi* me peccare. Magna et profunda ignorantia est nescire quod pecces.

Vers. 23. — « Ut jumentum factus sum apud « te, et ego semper tecum. »

Ut jumentum factus sum apud te. [Cassiod., Aug.] Apud Deum vice pecudum sunt, qui contra sancta sentiunt, *et* tamen in his errans, et nesciens judicia Dei *ego semper* fui *tecum* quodammodo, quia ab idolis alienus et tibi credens, et tu

VERS. 24. — « Tenuisti manum dexteram meam « et in voluntate tua deduxisti me ; et cum gloria « suscepisti me. »

Tenuisti manum dexteram meam. [Aug., Rem., Aug., Alcuin., Aug.]

Aliter totum ab illo loco : *Quia inflammatum est cor meum,* etc. Quasi dicat : Non illos tantum rediges ad nihilum, sed *et ego,* qui modo talia dico de divitibus, aliquando talia desideravi. Ideo tunc *ad nihilum redactus sum*, quando pene effusi sunt gressus mei, ut supra dixi. Non est ergo desperandum etiam de hujusmodi. Quod ideo factum est, quia *cor meum inflammatum est,* vel *delectatum*, alia littera, *terrenis,* et tunc *renes mei*, id est, carnales delectationes, *commutati sunt* in deterius,id est quando delectaveruut me terrena, renes mei mutati sunt. Et *nescivi*, hebui, scilicet hebes fui. Quid est quod dicit nescivi ? Ecce *ut pecus*, alia littera, *factus sum apud te*, cum terrena amans non novi æterna ; sed non recessi penitus a Deo, petens hæc temporalia a Deo, non a dæmonibus, unde subdit : *Et ego semper tecum.* Et quia, licet pecus, non recessi a Deo, *tenuisti manum*, etc. Vel ita totum potest dici, quia *inflammatum est cor meum.* Ecce conversio hujus Asaph. Hic ostenditur facta inquisitione superius quomodo scit Deus, etc. Quasi dicat : Illos rediges ad nihilum ; sed, *ego semper ero tecum.* Quare ? *Quia cor meum inflammatum est* vel *delectatum* amore Dei, et cum delectatur cor ad Deum, *renes mei*, id est carnales delectationes et libidines commutati sunt, in spirituales, id est totus castus factus sum. Unde commutati ? quia *ego* prius *ad nihilum redactus sum*, id est quia prius ad ea quæ nihil sunt, descendi. [Alcuin., Aug., Cassiod., Aug.] Et hoc ideo, quia *nescivi*, nihil esse; et post: *Ut jumentum factus sum apud te*, id est mansuetus factus sum ferendo onera. Vel ita continua : *Quia inflammatum est cor meum,* ideo *ut jumentum factus sum apud te.* ldem sensus. *Et ego ero semper tecum.* Et tu *tenuisti manum dexteram meam*, vel, *dexteræ meæ*, alia littera, id est rexisti potestatem dexteræ, scilicet quod tecum sum, quod filius sum. Hæc est dextera mea. In sinistra vero est pecus amans hæc temporalia. Manus ergo est potestas, dextera, id est quod filius, quod tecum sum. Dedit enim potestatem filios Dei fieri his qui credunt in nomine ejus. (*Joan.* I.) Vel intransitive, tenuisti manum dexteram meam, non sinistram : tenet dexteram Deus, dum ad bona opera dirigit. Et ne mergamur liberat, ut Petrum *et in voluntate tua*, non meis meritis *deduxisti me*, ad verum intellectum, *et suscepisti me*, id est humanam naturam Verbo unisti *cum gloria ;* quæ enim major gloria homini est quam hominem uniri Verbo Dei,

A et ad dexteram Dei locari ? Vel **159** in gloria æterna suscepisti me, id est suscipies in resurrectione, præteritum pro futuro.

PARS. IV. VERS. 24. — « Quid enim mihi est in « cœlo, et a te quid volui super terram ?

Quid enim [Cassiod., Aug.] Quarta pars. Viso malo impiorum bonoque suo, arguit se de prioribus, scilicet quod terrena a Deo quæsivit, et immutat in contrarium, comparans terrenæ voluntati suæ cœleste præmium. Quasi dicat : Benedixi in gloria me susceptum, quia *quid enim mihi est in cœlo*, quasi tantum et tale paratum est in cœlo, quod dici non potest, scilicet tu ipse, *et a te quid ?* id est, quam vile *volui super terram*, quasi quod habent etiam mali. Quod magnum volui, et quia tale præmium
B mihi est in cœlo. Ideo

VERS. 25.— « Defecit caro mea et cor meum, Deus « cordis mei, et pars mea, Deus in æternum. »

Defecit caro mea, [Cassiod., Aug.] id est carnalis delectatio in opere, et *cor meum*, id est mala cogitatio, sed *Deus* est reformator in castitate integra *cordis mei*, qui tam castum cor mihi fecit, quod gratis jam Deum amo, *et pars mea Deus*, est : tam magna res, alii eligunt alia, sed ego Deum, hoc est quod est ei in cœlo. Deus dico existens *in æternum*, quod non alia. Vel pars mea est Deus in æternum, quia nunquam ab eo ultra separabor, sed semper ero cum eo. Ideo pars mea Dominus.

VERS. 26. — « Quia ecce qui elongant se a te, « peribunt ; perdidisti omnes qui fornicantur abs te. »

C *Quia ecce qui elongant se a te, peribunt.* [Aug.] Longe sunt qui a Deo hæc temporalia non petunt, sed a dæmonibus. Recessit ergo a Deo factus ut jumentum, sed non longe, ait enim : Tecum sum exponendo, *perdidisti omnes qui fornicantur* post deos alienos. Hi tales sunt longe *abs te ;* huic fornicationi contrarius est castus amor, qui gratis Deum amat, in quo habet omnia. Illi ita : tu autem quid facis ?

VERS. 27. — « Mihi autem adhærere Deo bonum « est ; ponere in Domino Deo spem meam. »

Mihi autem adhærere Deo bonum est : [Aug., Cassiod.] In futuro, quia nihil melius quam videre Deum facie ad faciem, et modo dum sum peregrinus, dum non est mihi res, bonum est mihi *ponere in Domino Deo spem meam*, quæ est quasi anchora
D præmissa ad terram. Vel de præsenti potest accipi : Mihi autem adhærere Deo bonum est, per cultum. Etsi enim erravit, a cultura non recessit. Alia non mutantur. Ad quid hoc bonum est ?

VERS. 28. — « Ut annuntiem omnes prædicationes « tuas in portis filiæ Sion. »

Ut annuntiem omnes prædicationes tuas [Aug.] Id negotii habet iste interim, scilicet laudare Deum, et coamatores facere, Ubi ? *in portis* vel atriis *filiæ Sion*, [Cassiod.] id est in publico Ecclesiæ, quæ est filia Sion, id est speculationis. Sion enim interpretatur *speculatio*. Vel in portis filiæ Sion, id est in concordia apostolorum, qui sunt portæ Ecclesiæ. Quia prædicatio quæ est præter unitatem

Ecclesiæ, inanis est. Vel in portis filiæ Sion, id est in virtutibus.

COLLATIO IN PSALMUM LXXII « QUAM BONUS ISRAEL DEUS, » etc.

VERS. 4. — *Non est respectus morti eorum*. Heb. אין הרצבות רמותם EN HARSZUBOTH LEMOTHAM. Omnes recentiores transferunt *ligamina mortis*, vel *in morte eorum*, aut quid simile. Et quia id obscuritatem præ se fert, Munsterus de suo addidit, *non habent ligamina anxietatum in morte sua*. Textus in Campensi sic habet, *Nulla sunt onera, sub quibus occumbant*; Paraphrasis, *ætate defecti sine longo cruciatu exstinguuntur*. Quod si intellexerimus quempiam retrahi et cessare a peccato, recogitata sæpius morte, cui ex naturæ conditione, ceu vinculis quibusdam necessario alligatus est et obnoxius, congruenter diceremus eum habere ligamina mortis suæ, vel etiam si permittetur diutius vivere usque ad canos, nec urgeri ad mortem, is quasi censeretur solutus abire, et vitæ dulcedine frui, qui non præveniretur subitanea aut propera morte. Et ad rem, nec impii student diem extremum attendere, sed addunt peccata peccatis, quasi nunquam morituri. Contingit quoque plerumque ut pii præcoci interitu rapiantur, ubi depravatissimi feliciter agunt dies suos, et ad ætatem usque decrepitam, nullis tribulationibus conquassati, libero cursu perveniunt. Hac igitur ratione reducerentur versiones istorum ad consonantiam Vulgatæ editionis. Sed quia D. Hieronymus aliter transtulit quam Neoterici, et succinit editioni nostræ, dum ait quod non recogitaverint de morte sua, non ab re conjecto Septuaginta et Hieronymum legisse vocem Hebræam חרצבות HARZUBOTH, compositam ex duabus. Nam הרץ HAZATZ Hebræis sonat interdum sententiam *determinare* sive *decernere*, et בת BATH, quandoque *pupillam oculi*, quod quatenus conquadret ad respectum quem dicunt Septuaginta, et recogitationem apud Hieronymum etiam me tacente liquet. Psalmodia Romana et Augustinus habent aliam lectionem quæ explicatur.

Non est firmamentum in plaga eorum. Postremam particulam, Pratensis, Sanctes, Munsterus, et Interpretes pro Cajetano, vertunt *fortitudinem eorum*; *sana est fortitudo eorum*, aut quidpiam simile. Hieronymus, Pellicanus, Campensis, Nebiensis censent *vestibula*, aut *palatia eorum*. Siquidem hi deducunt a radice אלם ILLEM, id est *colligit manipulos*. Illi vero a vocabulo איל AIAL, id est *fortitudo*, id est quod ante nos indicavit Sanctes in suo Thesauro. Denique Septuaginta acceperunt aleph, loco he, הולם HULAM, id est *plaga eorum*, a themate הלם HALAM, id est *percussit*.

VERS. 6. — *Operti sunt iniquitate et impietate sua*. Vocula in Hebr. posita שית SCHITH valde ambigua, materiam præbuit multiplicium interpretationum. Hieronymus consentit nobis, *circumdederunt iniquitatem sibi*. Nebiensis est ad verbum nobiscum. In hanc ferme sententiam Munsterus, *amictus violentiæ involvit eos*. Nec longe est, quod ait Sanctes : *Operiet se, ut tollat prædam sibi*. Campensis pene accedit, *sunt qui vertunt firmamentum*; Pellicanus, *operient firmamentum iniquitatem ipsis*; Alii, *ornamentum*; interpretes pro Cajetano, *amicietur ornamento iniquitatis sibi*; Pratensis multo secus, *Involvet natos iniquitas ipsorum*. Ab hoc non discedit Felinus. Hebr. sic habet יעטף שית חמס למו IATOPH SCITH HAMAS LAMO. Debemus certum tenere, incertum relinquere.

VERS. 7. — *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum*. Hieronymus, *processerunt a pinguedine oculi eorum*. Nec dissident alii Hebraici tractatores. Non est mihi improbabile LXX legisse עונימו AVONEMO,

A id est *iniquitates eorum*, pro עינימו ENEMO, cum fere sint eædem litteræ, ac *ut probatum est in superioribus*, facilis collapsus est in mutua permutatione jod et vau.

VERS. 8 — *Cogitaverunt et locuti sunt nequitiam*. Pro vocabulo *cogitaverunt*, Hebr. habent ימיקו IAMIQU, nec satis norunt quid significet. Et enim Hieronymus transtulit, *irriserunt*; Pratensis, *contabescere facient*; Sanctes, *dissolverunt*, quod alioqui obscurum periphrasi clariore reddere voluit; Munsterus, *dissolutos reddunt alios*; et Campensis, *terrori sunt obviis omnibus propter potentiam illorum*. In cujus tamen latere, editio secus habet, Nempe, *sordent eis omnia*. Interpretes pro Cajetano traducunt active, *liquefacient*; Pellicanus, Nebiensis, et Felinus passive, *liquefient* seu *dissolventur*. Præstaret credere vel LXX, vel Hieronymo. Quibus tamen ne unus quidem istorum assonat etiam si impii suis cogitatibus ceu liquefiant, donec eos ad opus perduxerint,
B aliosque sibi similes effinxerint, id quod pœnæ innuebatur mox in fine superioris versiculi, *transierunt in affectum cordis*, irrident quoque quos viderint a suis moribus alienos.

VERS. 10. — *Ideo convertetur populus meus hic*. Pro particula *hic*, Pratensis et Pellicanus vertunt, *concussus*, scilicet *populus*. Cæteri sequuntur Vulgatam lectionem, quia הלום HALOM est pronomem loci, הלם HALAM, *concussus est*. Nescio quid sibi velit editio in Campensi ac Paraphrasis. Prior sic, *Idcirco et grex assectantium eos hic versatur*; posterior, *Propter hujusmodi fluctuabit populus Dei, nunc hoc, nunc illud animo versans*. Tametsi et Munsterus interpretatur in scholiis, quod nos dicimus, *convertetur populus meus huc*, hoc est, apud quos versantur impii, eisdem se addicunt studiis. Idem sequitur Felinus, *ipsi viderint*. Unum est quod longe lateque dissident ab explicatione sanctorum. Quod autem dicunt *populus ejus*, hoc est propter fluxam
C aut mutuam commutationem iod et vau עמו AMMO, nel עמי AMMI.

Dies pleni invenientur in eis. Hier. *Quis pleni invenientur in eis?* Ergo certo certius est ipsum legisse מי MI, id est *quis*, ubi nunc habent exemplaria מי ME, id est *aquæ*. Septuaginta autem habuerunt ימי IEME id est *dies*. Quia vero me, id est aquæ in plurali et in statu constructionis male cohærebat cum vocabulo continuo sequenti, nempe *pleni, casu paterno*, Sanctes et Munsterus addiderunt *calicis*, ut sit *aquæ pleni calicis*. Rursus ubi dicimus *invenientur* (et concordat Hieronymus) ubi vertunt *exprimentur*. Siquidem ימצו IMATZU declinaverunt a verbo מצץ MATZATZ LXX; et Hieronymus a verbo, מצה MATZATH, id est *invenit*.

VERS. 13. — *Et dixi; ergo sine causa*. Duo hæc verba, et dixi, sunt apposita a LXX, quibus exprimerent quod suppressum subaudiebatur. Nam et simile ea editio quæ est in Campensi, fecit hoc
D modo, Sic ergo mecum reputabam. De hujusmodi ratione non semel dictum est.

Lavi inter innocentes manus meas. Frustra torquetur Faber et Cœcus, melius et convenientius dici, *lavi in innocentia manus meas*. Hebraice quidem habet נקיון NIQAION, id est *innocentia*, quam si interpretemur de capite Christo Salvatore nostro, in confesso est rectius competere quod laverit manus suas in innocentia quam inter innocentes, quandoquidem omnes peccaverunt. Sed cum apertissime sit quoque psalmus de membris pene motis ad pacem malorum adeo ut videantur fluctuare, et de providentia Dei dubitare ubi tamen sapientia carnis loquitur, apte dictum est, *lavi inter innocentes manus meas*.

VERS. 15. — *Ecce nationem filiorum tuorum reprobavi*. Hieron., reliqui interpretes pro Cajetano, *negavi*. Quæ non dissonant. Pratensis habet *prævaricatus sum*; Felinus, *injurius fuero*; Munsterus,

fefelli. Consentit Nebien., Sanctes fecit sensum quem voluit caput suum, *Ecce,* inquit, *generatio filiorum tuorum dicent quod prævaricatus sum,* cum nemine dubitante בגדתי, BAGADTI, sonet Hebræis *reprobavi,* etiamsi alia notet. Hier., enim exponit illam versionem, *generationem filiorum tuorum prævaricatus sum.*

VERS. 18. — *Verumtamem propter dolos posuisti eis.* Hebr. habet *in lubricis,* pro *propter dolos,* בחלקות BAHALAQUOTH, ut reddunt et Hier. et alii, Cæterum חלק, HALAQ, designat *lenire, blandiri, adulari,* ob id non incongrue nomen deductum sonabit *fraudulentias.* Unde Nebiensis vertit, *in adulatione.* Magister tamen in explanatione, ad consonantiam redigit. Tantum offendit Fabrum et Cæcum tenor locutionis eo tandem contentionis pertingentes, ut eradant præpositionem *propter,* et dicatur *dolos posuisti eis;* alioqui sensus maneret truncus, vel addatur verbum *mala,* ut in Græco legitur, κακά, et in psalmodia Romana. At vero ex Augustini enarratione colligitur quod dolos secundo debeat ex commoditate sensus subintelligendo ita replicari: *propter dolos posuisti eis dolos.* Ait enim: « Quia fraudem faciunt, fraudem patiuntur. »

160 *Dejecisti eos dum allevarentur.* Hieronym. *in interitum.* Alii vertunt, *in desolationes,* vel *ruinas,* quod dicimus, *dum allevarentur.* Hebr. למשואות LEMASSCHUOTH. Certe declaratur tamen elevationem esse ad graviorem casum. Quamobrem nulla est distantia sensus. Si etiam vox illa descenderet a נשא NASA, cum puncto quod dicunt smol, procul dubio significaret *elevationes.*

VERS. 19. — *Perierunt propter iniquitatem suam.* Recentiores, *consumpti sunt ab horroribus,* dicunt. Quid tandem usque adeo horrendum quam peccare, et in manus Dei viventis incidere? Quanquam בלהות BALLAHOTH, valeat duci a בלל BALAL, id est *confudit.* Inde בל BEL nomen idoli. Et ab eadem radice Hebræi efferunt, si Munstero credimus, תבלית TABLITH, id est *confusio, scelus.* Et magis causam adjuvat quod Rabbi David, referente Sancte, astruit per methatesin positum esse בלהות BALLAHOTH, pro בהלות BEHALOTH, quasi innuat quod metathesis eam faciat significantiam. Sed et Hieronymus vertit *consumpti sunt,* quasi non sint, ut appareat vocabulum inclinasse a verbo בלה BALAH, quod est *consenuit, inveteravit;* vel ab הבל HABAL, id est *vane egit.*

VERS. 20. — *In civitate tua.* Solus Sanctes, quantum licuit videre, dicit *cum sustentaveris eos.* Cur autem, viderit caput hominis, siquidem ipsissimum Hebraicum, בעיר BAIR, est *in civitate tua.* Verum est tamen quod Chaldæus paraphrastes aliquatenus accedit, *in die judicii magni,* ait, *surgere eos faciet a domo sepulcri.*

Imaginem ipsorum ad nihilum rediges. Et ad eumdem modum prorsus Hieronymus. Cæteri vertunt *despicies,* sive *negliges:* sic tamen ut Munsterus in scholio interpretatur, *ad nihilum redigere* תבזה צלמם TZALMAM TIBZEH.

VERS. 21. — *Inflammatum est cor meum.* Plures transferunt *arescet cor meum.* Verbum Hebraicum bifariam sumitur חמיץ HAMETZ, tum pro *fermentavit,* tum pro *violentiam fecit.* Hic Hieronymus vertit *contractum est cor meum.* Interpretes nostri expresserunt metaphoram. Augustinus et psalmodia Romana habent *delectatum est cor meum,* in diversum ut videtur sensum. Nam fermentum nunc in bonum, nunc in malum Scriptura usurpat, ut Matth. XVI: *Cavete a fermento Pharisæorum;* rursus XIII: *Simile est regnum cœlorum fermento.*

Renes mei commutati sunt. Neoterici vertunt, *renes meis aculeis puncti sunt,* sive *in renibus mei acuar.* Licet facilis sit conciliatio, verumtamen verosimile est LXX finitimas radices confudisse, utpote שנן SCHANAN, et שנה et SCHANAH; illud sonat Hebr. *acuit;* hoc *mutatus est.* Cæterum Hier. traduxit, *lumbi mei* velut *ignis fumigans,* quod et thargum fere facit, teste Sancte, *renes mei velut ignis.* Apparet Hieronymum in duas legisse dictiones sic: אש, עשך ES ASCHAN. Siquidem אש ES, per punctum tzere significat *ignem.* Et עשן ASCHAN, *fumus.*

Ad nihilum redactus sum. Hebræi בער BAAR. Hebraicantes, *stultus, insipiens.* Sed cum radix ejus בער BIER, significet *consumpsit, et exterminavit,* quid vetat interpretes vertisse, *redactionem ad nihilum?*

VERS. 24. — *Quid mihi est in cœlo?* Munsterus apposuit *præter te.* Et si hoc facit dilucidioris sensus gratia, hanc legem patiatur, in auctoritate veterum interpretum, ac mox: *Et a te quid volui super terram* simpliciter legitur in Hebr.: *et te cum non volui in terra,* ubi subaudiendum est *quidpiam,* vel ut habet Munsterus, *neminem volui in terra.* Eadem opera interpretes subinde talia quædam fecerunt ut decuit. Quod autem legimus interrogative, alii pronuntiative, posteriorem clausulam. nihil læditur sensus.

VERS. 25. — *Deus cordis mei.* צור לבבי TZUR LEBABI, *robur* seu *fortitudo cordis mei.* Cæterum notum est *fortem* et *petram* pro *Deo* usurpari.

VERS. 29. — *In portis filiæ Sion.* Hæc coronis in Hebræo subticetur, fortasse adjectitia est ex psalmo.

VERS. 9. — In Græco ponitur, ἐν ταῖς πύλαις τῆς θυγατρὸς Σιών.

PSALMUS LXXIII.

PSALMI TITULUS: « INTELLECTUS ASAPH. »

Ut quid, Deus, repulisti in finem? [Aug.] Titulus: *intellectus Asaph.* Asaph Hebraice, Græce, Synagoga; Latine dicitur *congregatio.* Et licet congregatio sit quorumcunque, scilicet vel pecorum, vel hominum, vel lapidum, vel hujusmodi collectio, proprie tamen Synagoga dicitur congregatio populi filiorum Israel. Asaph ergo, id est Synagogæ, quæ tantum de Judæis proprie dicitur, vox est hic; sed secundum grana, non secundum paleas. Synagogæ vero data est lex, quæ quidem a Deo per Mosen data est, per Christum vero gratia et veritas facta est (*Joan.* I). Gratia, quia modo per charitatem impletur, quod tunc jubebatur. Veritas, quia redditur quod promittebatur. In lege vero et prophetis tria erant, scilicet præcepta, sacramenta, promissa. Præcepta, eadem cum Evangelio fere omnia; moralia enim eadem; cæremonialia, non eadem; sacramenta, non eadem, quia illa tantum promittebant, hæc dant salutem. Promissa non eadem, quia ibi terrena primo animalibus promittebantur; hic æterna, spiritualibus. Ibi quoque sub figura temporalium spiritualibus spiritualia promittebantur, unde illa temporalia erant quasi sacramenta spiritualium rerum in se latentium. Illa ergo temporalia ablata sunt ubi veritas venit. Non est unctio, vel sa-

cerdos vel propheta, vel templum : vastata sunt omnia pro quibus Christum occiderunt. Hanc vastationem vel destructionem plangit hic Asaph, non quidem stultus, sed etiam intelligens et discernens terrena a cœlestibus, Vetus Testamentum a Novo Testamento, ut scias quid ex his eligere debeas. Et est sensus : Hic est *intellectus Asaph*, id est : in hoc psalmo aperitur quid fidelis Asaph intelligat, [Cassiod.] scilicet quod venit veritas figuris ablatis, et quod æterna, non temporalia quærenda sunt. Et est iste psalmus primus lamentationis Jerusalem, de qua re sequuntur alii scilicet duo, septuagesimus octavus, et centesimus tricesimus sextus. (106) Et hoc est genus dictionis charitate plenum. Docet enim flere cum flentibus, ampliori autem misericordia plorat hic, scilicet David, quam Jeremias. Iste enim plorat in prosperis Jerusalem, nondum visa captivitate, sicut postea flevit Jeremias captivitate peracta. Ideo autem subversio civitatis toties deplorata præscribitur, ut duritia Judæorum, vel calamitatibus terreretur. [Aug., Cassiod.] Intentio : Monet relictis figuris transire ad veritatem. Modus : Tripartitus est psalmus. Primo describens subversionem Jerusalem irreparabilem, quærit causam quare fuerit quasi admirans et conquerens, et precatur pro repulso populo et ultionem in destructores, quæ quidem est eis utilis, et jam facta est. Secundo ostendit salutem ubique factam in adventu Christi, ibi, *Deus autem rex*. Tertio quod ubique fit precatur fieri Judæis, ibi *memor esto*. Admirans ergo et conquerens ait, o

VERS. 1. — « Ut quid, Deus, repulisti in finem ? « iratus est furor tuus super oves pascuæ tuæ. »

Deus, [Cassiod.] qui es creator noster, *repulisti nos*, quasi alienos a tua defensione. Et hoc *in finem*, id est ex toto, quia etiam nec templo tuo parcitur, per hoc interitum et captivitatem significat, quæ a Tito fuit. [Aug.] Vel, repulisti nos, usque in finem sæculi. Vel, repulisti nos, ut mitteres nos in finem, id est in Christum, qui est finis ; et *furor* vel animus *tuus* iratus est. [Gl. int., Cassiod., Aug.] Non dicit simpliciter iratus es, vel furibundus es ; sed iratus est furor, ut hac geminatione gravissimus ostendatur *super oves*. Oves nominat, ut misericordiam pii pastoris moveat ; *pascuæ tuæ*, vel gregis tui, hoc ideo dicit, quia in eos temperantius vindicamus, quos aliquando fuisse nostros meminimus. Et, *ut quid ?* Quasi dicat : Cur est hoc ? nisi quia pastorem non cognovimus ? nec reprehendit, sed quærit quare.

VERS. 2 — « Memor esto congregationis tuæ « quam possedisti ab initio. »

Memor esto. [Cassiod., Aug., Cassiod.] Præstita beneficia numerat, ut plus judex invitetur ad consueta beneficia ; et plus sua beneficia in eis quam eorum errata attendat. Orans ergo pro eis, ait : *Memor esto congregationis tuæ*, Domine, *quam possedisti ab initio*, illius populi, id est a patriarchis, qui

A fuerunt initium ejus. Hic est populus Israel quem possedit, non gentes. Vel, quam creasti ab initio, alia littera. Et si omnes creat et disponit, Judæos tamen specialiter, quibus legem dedit. Memor esto, et debes, quia

VERS. 3. — Redemisti virgam hæreditatis tuæ ; « mons Sion in quo habitasti in eo. »

Redemisti ab Ægypto. [Haym.. Aug.] Ecce aliud beneficium. *Virgam* vel sceptrum *hæreditatis tuæ*, id est regnum hæreditarium, scilicet Judaicum populum, quod non gentes. Ipsa enim congregatio virga hæreditatis dicitur, quam volens Deus possidere, virgam Mosi vertit in serpentem ; sed apprehensa cauda, rediit in virgam. Cum enim diceret Moses Deo : Quod signum dabo filiis Israel, ut credant quia tu me misisti ? ait ad illum : *Quid tenes in manu tua ? Qui respondit : Virgam. Et ait illi Deus : Projice illam in terram. Et dimisit virgam in terram. Et facta est serpens, et expavit Moses, et fugit, et dixit illi Dominus : Apprehende caudam ejus. Et apprehendit, et reversa est in statum suum, virga facta, sicut ante virga erat* (*Exod.* IV). Et propter hoc ipsa congregatio virga dicitur. *Mons Sion*, scilicet quæ virga vel hæreditas, vel congregatio, est mons Sion, ubi erat populus, templum, et sacrificia, et omnia Christum promittentia. Et ideo non debebant tunc deseri (107). Hieronymus aliam litteram ponit, scilicet *montem* vel *montis Sion*, sive *in eo*. Et est, redemisti virgam hæreditatis tuæ, scilicet montem Sion. Vel, virgam hæreditatis, [Cassiod.] scilicet montis Sion. Per Sion Jerusalem significat. Hucusque Veteris Testamenti facta dixit, quæ sequitur veritas promissa. Unde addit : *in quo*, monte Sion, *habitasti*, o Christe, quia ibi præsentia Christi hominis habitávit. Et per hoc supplicat, ne daret eam vastitati. In eo, vel non est ibi, vel vacat, et non tantum pro meis rogo, sed etiam pro gentibus. Unde subdit : *leva* etiam *manus*, etc. [Aug.]

Vel mystice potest accipi. Per virgam intelligitur Christus ; per serpentem mors, quia suasu serpentis mors intravit in mundum (*Gen.* III). Virga ergo in serpente, Christus est in morte. Unde et serpens æneus in deserto, ubi mordebantur a serpentibus, erectus est in ligno : quem qui intuebatur a serpentibus sanabatur, id est qui credit in Christum mortuum, ab æterna morte liberatur. Expavit Moses et fugit. Sic apostoli, moriente Christo, retenta cauda, id est posterioribus, serpens fit virga, quia primo occisus, postea surrexit, quod est mutari serpentem in virgam. Tenuit Moses caudam sine timore, quia discipuli crediderunt firmiter cognita resurrectione. [Alcuin., Hier., Aug.] Et est sensus : *Memor esto congregationis tuæ*, et eris, quia *redemisti*, te pretio, *virgam hæreditatis tuæ*, id est redemisti hæreditatem tuam, per te pretium, per te virgam. De hac virga ait Jeremias : *Virgam vigiliarum ego video* (*Jer.* I) Vel per virgam Mosi, humani generis stabilitas designatur, quam habuit ante peccatum. Virga

(106) Ex Cassiod. in Contentione psal.

(107) Ex Hier. in Psalm., juxta Hebræum.

cadens in terram mutata est in serpentem, qui corporis sui movetur anfractibus, quia per lapsum peccati, homo de stabilitate vitæ mutatus est in hujus mortalitatis progressus. Retenta cauda fit serpens virga. Cauda est finis sæculi, in quo redimus ad manum Dei, et efficimur stabilitum regnum Dei, qui per mortem quasi per serpentem fluximus. Tunc enim homo ad manum Dei in resurrectione revertens, pristinam accipiet stabilitatem. Et est sensus : Redemisti virgam hæreditatis tuæ, id est reformasti pristinam stabilitatem in homine, ut sit tua hæreditas. Sed quia et hoc de gentibus credentibus erit, quæ multo plures sunt Judæis, de quibus hoc dicat exprimit, dicens, **161** *mons Sion*,[Gl. int.,Aug., Cassiod.] quasi dicat, quæ hæreditas est, mons Sion, id est non de gentibus hoc dico. Vel redemisti virgam hæreditatis tuæ, scilicet montem Sion istum *in quo habitasti*, per legalia instituta, quæ Christum promittebant ante adventum Christi, vel corporali præsentia. Et *in eo* monte existens.

VERS. 4. — « Leva manus tuas in superbiam eo« rum in finem, quanta malignatus est inimicus in « sancto. »

Leva manus tuas, [Aug., Cassiod., Cassiod., Alcuin.] id est potentiam tuam, *in superbiam eorum*, a quibus eversa est Jerusalem, id est a regibus gentium, ut superbiam eorum vertas ad humilitatem, ducens eos *in finem*, id est in Christum, quomodo et nos repellebas in finem, quod nos jam cernimus impletum, quia Romæ Christiana religio effloruit. Et bene dicit *leva*, quia ex multum superstitiosa facta est sanctissima. Vel ita, mons Sion; quasi dicat : Quæ hæreditas est mons, propter eminentiam virtutum, Sion, propter speculationem, in quo, id est in qua re, id est propter quam rem, habitasti in eo, vel vacat. In eo leva manus tuas in superbiam eorum, hoc non mutatur. *Quanta* breviter commemorat eversionis historiam. [Aug., Cassiod., Alcuin., Cassiod.] Quasi dicat : Ideo, leva manus, quia *inimicus* idololatra, gentilis, *malignatus est*, id est maligne operatus est, *in sancto* id est in his quæ sancta tua erant, scilicet in templo, in sacerdotio, et in cæteris sacramentis : quod permisit Deus fieri, quia jam nihil præsignabant, cum res esset. Et quanta maligne operatus est, admirando hoc ait, utique multa, quia sacerdotes et ministeria templi præda fuerunt; et tota gens, vel occisa vel captivata est. Et hoc fecit inimicus, scilicet Romanus exercitus, ad quem designandum per prolepsim, id est per anticipationem, præmisit eorum. In sancto autem, id est in sanctuario, dicit eum malignatum, ut per contemptum sancti templi, ubi Deitas videtur despici, in præsumptores concitet invidiam.

VERS. 5. — « Et gloriati sunt qui oderunt te ; in « medio solemnitatis tuæ. »

Et gloriati sunt de victoria sua. [Alcuin., Cassiod., Aug., Cassiod., Aug., Cassiod.] Ecce quod non bono zelo fecerunt. Gloriati enim sunt, cum scelus soleat

A sequi pœnitudo, hi ad gloriam vertunt, *qui oderunt te*, servi scilicet dæmonum qui nullatenus tolerandi sunt. Et hoc *in medio solemnitatis tuæ*. Tunc enim eversa est Jerusalem, quando solemnitas agebatur paschalis, in qua crucifixerunt Dominum. Congregati enim sævierunt, congregati perierunt, vel non in aliquo extremo loco ; sed *in medio atrio tuo*, alia littera, sacrilegia commiserunt. Et

VERS. 6. — « Posuerunt signa sua signa ; et non « cognoverunt sicut in exitu super summum. »

Posuerunt signa sua, vel trophæa, [Aug., Cassiod., Aug.] scilicet vexilla Romana, dracones, aquilas, quibus in prælio utebantur, vel statuas, et quælibet monimenta victoriæ, quæ prius in templo posuerunt, quæ et solebant super portas ponere in signum B triumphi ; *signa* scilicet manifesta, cum dolore iterat signa, ut acceleret vindictam, provocet judicem, ostendens quod viribus suis darent. Unde et subdit, *et non cognoverunt*, scilicet quod a Deo hoc esset, quod Dei dispositione fieret. Quasi dicat : Non respexerunt. Ita in templo prius posuerunt signa *sicut* solent statuæ principum poni *in exitu*, id est in portis, vel in via et plateis. Et hoc *super summum*, scilicet super edita loca, id est super turrim, vel in aliquo loco excelso. Vel *non cognoverunt in egressu desuper*, alia littera, id est non cognoverunt quod hæc licentia a Deo egrederetur. Idem sensus. Et

VERS. 7. — « Quasi in silva lignorum securibus « exciderunt januas ejus in idipsum ; in securi et « ascia dejecerunt eam. »

C *Quasi in silva lignorum*, [Cassiod., Gl. int., Aug., Cassiod.] id est sine aliquo respectu et reverentia, *securibus exciderunt*, id est comminuerunt, *januas ejus* templi, in quibus ornandis olim fuit cura, *in idipsum* existentes, id est conspirati in unum constanter. Nota quia antequam construeretur templum prophetat eversionem templi ; *in securi et ascia*, vel in dolabro, alia littera, et fractorio *dejecerunt eam* civitatem. Securis cedit trabes ; ascia minutius. Persequitur per hoc ergo et magnas res, et minimas dicit dejectas, ut civitas sit funditus destructa et devastata. Prius fuerunt incisa, postea ignis omnia voravit. Unde sequitur :

VERS. 8. — « Incenderunt igni sanctuarium tuum « in terra ; polluerunt tabernaculum nominis tui. »

D *Incenderunt igni*. [Cassiod., Gl. int., Cassiod.] Quod enim non poterat excidi, combustum est, *sanctuarium tuum* non modo domos privatas, *et tabernaculum nominis tui*, quod Salomon fecit in nomine Domini, *polluerunt in terra*, quia illud quod est in cœlo non potuerunt. Unde magis cuique laborandum esset de illo. Vel, polluerunt tabernaculum nominis tui; id est usque ad terram dejecerunt culmina ad laudem Dei erecta. Auget scelus eorum, ut atrocius vindicetur in eos.

VERS. 9. — « Dixerunt in corde suo, cognatio « eorum simul : Quiescere faciamus omnes dies fes« tos Dei a terra. »

Dixerunt, Romani, *in corde suo cognatio eorum si-*

mul, [Gl. int.] id est omnes simul, non pauci. Quid dixerunt? Illud: *quiescere faciamus omnes dies festos a terra*, ne sit in terra gloria nominis Dei. Dies festos dico, *Dei*; hoc, scilicet Dei, ex persona hujus Asaph interpositum est. Non enim illi idolis servientes Deum appellaverunt, cujus templum evertebant.

VERS. 10. — « Signa nostra non vidimus; jam « non est propheta; et nos non cognoscet am« plius. »

Signa nostra. [Aug., Gl. int., Alcuin.] Ecce intellectus Asaph. Prædicta enim mala sunt ei disciplina. In his hoc Asaph intelligit, quod eversa sunt omnia signa, quia res venit. Quasi dicat: Omnia sunt eversa, et cum hæc omnia acciderint, præterea *signa nostra non vidimus*. Quasi dicat: His omnibus eversis cessant signa, quia *jam non est propheta*, ut olim in aliis captivitatibus, qui eis prædicebant liberationem, *et nos non cognoscet* Deus, id est non reducet a malis *amplius*, vel adhuc, alia littera, donec scilicet Judæus agnoscet eum. Vel increpative potest legi, secundum litteram aliam, quæ est: *Signa nostra nonne vidimus?* quasi dicat: Merito hæc mala nobis contingunt, quia nonne vidimus signa nostra? Quasi dicat: Vidimus et non intelleximus, et vere vidimus, quia hoc signum, quia non est propheta, vel sacredos, vel unctio. Unde: Cum venerit Sanctus sanctorum cessabit unctio vestra (*Dan.* IX). Et nos non cognoscet amplius, propheta aliquis, vel Deus per prophetam, id est non annuntiabit Christum venturum, quia jam venit.

VERS. 11. — « Usquequo, Deus, improperabit ini« micus? irritat adversarius nomen tuum in fi« nem. »

Usquequo, etc. [Aug., Cassiod., Gl. int., Alcuin., Aug.] Clamat Asaph, ut derelictus æger, qui maluit cedere medicum quam curari. Quasi dicat: Hæc mala nobis, sed o *Deus*, *inimicus*, id est gentilis populus, usquequo *improperabit* inimicus? et quasi dicat: Subito cognoverit, usquequo supponit? *irritat adversarius*. Quasi dicat: Tandiu improperabit, quandiu adversarius, id est Judæus, irrritat *nomen tuum*. Quasi dicat: Ut iratus corripis Judæos per gentes, quandiu te irritant quod ideo facis, ut sic cognoscas eos ducendo *in finem*, id est in Christum. Vel, irritat usque in finem sæculi, id est quousque apprehensa cauda (*Exod.* IV) redeatur ad regnum salvatis reliquiis (*Rom.* II). Et, o Domine,

VERS. 12. — « Ut quid avertis manum tuam et « dexteram tuam de modio sinu tuo in finem? »

Ut quid avertis manum tuam et dexteram tuam, [Aug.] id est Judæos, *de medio sinu tuo*, non adducendo eam *in finem*, id est in Christum. Manus et dextera populus Judaicus est, post signum virgæ, de qua supra dixerat, additum est hic signum manus Mosi. Cum enim illud factum esset de virga, dedit Deus alterum signum Mosi, dicens: *Mitte manum tuam in sinum tuum; et misit, et ait: Pro duc eam; et produxit, et inventa est alba*, id est immunda (*Exod.* IV) Albor enim in cute, lepra est, non candor. Iterum dixit: *Revoca eam in sinum tuum et revocavit; et reversa est ad colorem suum* (*ibid.*) Hæc manus est populus Dei, qui foras ab eo missus immundus est; sed revocatus ad sinum, rediit in suum colorem. Dicit ergo: Ut quid avertis manum tuam et dexteram tuam, de medio sinu tuo? id est usquequo, et ut quid alienas populum tuum a te? ut foris immundus remaneat, usquequo non revocas manum. In finem, id est ut cognoscat salvatorem.

[Rem., Aug., Cassiod., Gl. int.] Vel potest totum legi ex persona desperantium Judæorum ab illo loco: *Dixerunt*. Prædicta itaque mala quæ exposuit, misericordiam judicis poterant movere, nisi obstinata esset in Judæis superbia. Irascentes enim visa eversione furiose, *dixerunt in corde suo cognatio eorum*, scilicet istud: *Quiescere faciamus omnes dies festos Dei a terra*, id est abjiciamus legem Dei, quæ nos non liberavit, quia etiam *signa nostra*, quæ olim fiebant patribus, modo *non videmus*. Stulte loquuntur, quasi post reatum his deberetur quod illis devotis factum est. Adhuc sunt verba desperantium Judæorum. *Jam non est propheta* nobis, quem consulamus, ut olim fiebat in adversitatibus. Cum enim post Christum eos non haberent, dixerunt se derelictos. Unde subdit: *Et nos non cognoscet amplius*. Hæc dixit, ne videretur inclementia Dei, quod Asaph pro eis non auditus est. Quia merito sustinent, qui inter hæc non pœnitent. Hæc dixerunt, sed *usquequo Deus improperabit*, tibi *inimicus*, Judæus scilicet, usquequo *irritat adversarius nomen tuum*, id est usquequo pateris improperia Judæorum? Non ideo hoc dicit, ut velit eos perdi, sed commutari in melius: Deinde ostendit, usquequo subdens, usque *in finem*, id est in vesperam mundi, quando Judæi convertentur. Deinde quærit quare, usque tunc abjiciat eos, subdens: *Ut quid avertis manum tuam et dexteram tuam, de medio sinu tuo*, vel atrio vel usque *in finem*.

PARS II. VERS. 13. — « Deus autem rex noster « ante sæcula; operatus est salutem in medio « terræ. »

Deus autem. [Alcuin., Aug.] Secunda pars, destructis signis ostendit rem ipsam, scilicet in adventum Christi, salutem ubique factam. Et dicit Asaph intelligens, nos ita, quasi relicti a Deo sine intellectu clamamus: Jam non est propheta, etc. *Deus autem rex noster*, qui est *ante sæcula*, non est temporalis, quia in principio erat Verbum (*Joan.* I). Hæc *operatus in medio terræ*, id est ubique; scilicet *salutem*, et nos Judæi dormimus. Vel tandem ad intellectum redeamus, ut discamus salutem, quam Deus operatus est. Hanc scilicet operatus est, ut discerent homines æterna quærere, non terrena. Ecce contigit cæcitas in Israel, ut plenitudo gratiæ intraret, et sic omnis Israel salvus fieret, (*Rom.* II). Si ergo non præcessit, saltem sequatur.

Vel operatus est salutem, id est incarnationem (108), in medio terræ, id est in Jerusalem, quæ dicitur esse in medio terræ. Quasi dicat : Umbilicus mundi, ubi Deus factus est homo. Deinde quam salutem sit operatus, exponit dicens :

VERS. 14. — « Tu confirmasti in virtute tua mare ; « contribulasti capita draconum in aquis. »

Tu confirmasti, [Aug., Cassiod.] quasi dicat : Eversa est illa nostra temporalis salus, sed *ut confirmasti in virtute tua*, id est potentia, *mare*, id est gentes quæ Judæam in medio cingebant. Et *contribulasti capita draconum*, id est superbiam dæmonum, *in aquis* baptismi. Vel ad litteram, tu confirmasti in virtute tua mare, id est lapsus **162** maris Rubri, ut esset siccum iter per medium, cujus figuræ mysterium subdit, contribulasti, id est annihilasti capita draconum, id est immundorum spirituum, in aquis baptismi.

VERS. 15. — « Tu confregisti capita draconis ; « dedisti eum escam populis Æthiopum. »

Tu etiam *confregisti capita*, [Hier., Aug.] id est potestates *draconis*, id est principis dæmoniorum, scilicet Leviathan. Vel *caput draconis*, alia littera, id est initium peccati, quod est superbia, quod mulier, id est Ecclesia, vel sensualitas observare præcipitur. Et *dedisti* eum, scilicet diabolum, *escam populis Æthiopum*, id est omnium gentium, quæ prius nigræ erant peccatis ; sed post candore virtutum sunt dealbatæ, quibus diabolus est esca consumptionis, Christus vero esca est consummationis : Christus enim esca est qua consummamur. Diabolus vero esca est, qua consumimur. Istud est caput vituli conflatilis, quem fecerunt filii Israel, sicut legitur in Exodo. Dum esset Moses cum Domino in monte quadraginta diebus, quando legem accepit, cumque de monte descenderet, audivit sonitum Israelitarum ludentium ante vitulum, atque accinctus gladio cum filiis Levi, transivit a porta usque ad portam, percussitque multos Judæorum. Deinde misit vitulum in ignem, ut prius confunderetur ipsa forma. Deinde minutatim comminuit, ut paulatim consumeretur, usque ad pulverem. Postremo misit in aquam, et dedit populo bibere (*Exod.* XXXII). Quid est hoc nisi quia adoratores diaboli corpus ejus erant, sicut Christiani corpus Christi sunt ; sed Israelitæ, id est apostoli, qui de populo illo fuerunt, corpus diaboli consumunt, formamque ejus in igne confundunt, quando amore Dei ab specie mala abstinere docent ; deinde minutatim comminuunt. Cum paulatim malis renuntiare faciunt, deinde mittunt in aquam, et dant populo bibere, cum per imbrem gratiæ et aquam baptismi unitati catholicæ incorporant. Unde dictum est Petro, ostensis in disco reptilibus omnis generis : *Macta evertendo* mala, *et manduca*, ædificando in bonis (*Act.* X), quod est comminuere et bibere. Sic diabolus amissis membris consumitur, velut esca, a populis Æthiopum, id est gentibus conversis. Idem etiam figuratum est cum draco Mosi dracones magorum absorbuit. Sic enim et modo gentes quæ credunt corpus diaboli devorant. Vel ita : Dedisti eum escam populis Æthiopum, quia sicut esca mordetur a comedente, ita credentes ipsum diabolum mordent, reprehendendo, accusando, culpando. Cassiod., Alcuin.] Vel diabolus dum tentat, esca est fidelibus, quia ex ejus tentatione proficiunt, dum per ejus molimina purgati, quod desiderant assequuntur. Vel, dedisti eum escam, in qua scilicet delectentur, populis Æthiopum, nolentibus converti.

VERS. 16. — « Tu disrupisti fontes et torrentes ; « tu siccasti fluvios Ethan. »

Tu etiam *disrupisti*, hoc est aperuisti, *fontes*, [Aug.] id est prædicatores bonos, ut manarent liquorem sapientiæ. Et divitias fidei, *et torrentes*, id est eos qui ad tempus prædicant, sed tempore tentationis desistunt. Discretum est ergo inter fontes et torrentes. In aliis enim fit verbum vitæ, fons aquæ salientis in vitam æternam. In aliis torrens est, qui est aqua currens. Sed æstate siccatur. Hi sunt illi qui accepto verbo prædicationis currunt, sed tentationibus cedunt, qui non sic habent verbum ut bene vivant, sed ut aliis non taceant ; tamen ex utrisque rigatur terra a Deo. Vel torrens improprie accipitur hic, scilicet pro fluvio. Et notat abundantiam prædicationis, qua boni doctores fidem et sapientiam aliis copiose profundunt. Et accipit eosdem fontes et torrentes, *tu siccasti fluvios Ethan*, quod interpretatur *fortis*, et significat de se præsumentes, id est tu siccasti omnes doctrinas gentium, malorum, Judæorum, de justitia sua præsumentium.

[Cassiod.] Vel totum de malis potest accipi sic : *Tu fontes*, id est illos quorum mala jugiter influebant, *et torrentes*, id est qui subito et rapide peccant, *dirupisti*, id est a fonte suo diabolo divisisti. *Tu* etiam penitus *siccasti fluvios Ethan*, id est fortis, id est inundationes et consilia diaboli, qui de se præsumpsit.

VERS. 17. — « Tuus est dies, et tua est nox, tu « fabricatus es auroram et solem. »

Tuus est etiam *dies*, [Aug.] id est spirituales, quos illustrat sol incommutabilis sapientiæ, quam loquitur inter perfectos (*I Cor.* II). Unde : Dies diei eructat verbum (*Psal* XVIII), quod erat in principio apud Patrem (*Joan.* XVIII). *Et tua est nox* carnales, de quibus ait Apostolus : *Non potui loqui vobis quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus* (*I Cor.* III), quos velut noctem consolatur luna, id est carnis manifestatio. *Verbum* enim *caro factum est et habitavit in nobis* (*Joan.* I). Unde : *Nox nocti indicat scientiam* (*Psal* XVIII). Vere tua sunt, quia *tu fabricatus es auroram* vel lunam, id est carnalem, qui ut luna mutatur, qui tamen non est deserendus,

(108) Hier. hic et in Ezech. V et XXXVIII.

et solem, id est sapientes, qui permanent, secundum illud : *Sapiens permanet sicut sol. Stultus autem sicut luna mutatur* (*Eccli.* XXVII) Vel, fecisti auroram et solem, initium et perfectionem sapientiæ, id est insipientes et perfectos.

VERS. 18. — « Tu perfecisti omnes terminos terræ ; æstatem et ver tu plasmasti ea. »

Tu fecisti. [Aug. Cassiod., Aug., Cassiod.] Gratia enim tua salvi facti sumus omnes, ut ait Apostolus : *Creati in bonis operibus* (*Ephes.* II). Fecisti ergo *omnes terminos terræ*, quia unusquisque fidelis proprium donum habet a te (*I Cor.* VII). Vel termini sunt apostoli, prophetæ, quia sicut termini fines distingunt, ita hi fidei jura custodiunt. *Æstatem*, id est ferventes spiritu, *et ver*, id est novellos in fide, temperatos in mansuetudine, *tu plasmasti ea*. Vel hæc omnia historialiter accipi possunt ab illo loco : *tuus est dies*, etc.

PARS III. VERS. 19. — « Memor esto ejus, inimi« cus improperavit Domino; et populus insipiens » incitavit nomen tuum. »

Memor esto [Cassiod., Gl. int., Aug.] Tertia pars. Quod jam ubique fit, precatur fieri Judæis per numerata beneficia, pium judicem provocat ut indulgeat. Quasi dicat : Et quia hæc prædicta fecisti, *memor esto hujus*, non dicit cujus, sed intelligi debet, hujus scilicet operis tui. Unde alii transtulerunt, *hujus creaturæ tuæ*. Cujus creaturæ? ecce *inimicus*, scilicet Judæus, *improperavit* verbis *Domino*, id est gens sua improperavit Christo, dicens : Iste est peccator. Non novimus unde sit. *Nos Mosen novimus, cui locutus est Deus* (*Joan.* IX). Iste est Samaritanus (*Joan.* VIII), manet tamen radix gentis (*Rom.* XI). Ecce Asaph in intellectu dolet pristinam cæcitatem. [Cassiod, et Aug.] Et sic pro Judæis orat, ut eorum confiteatur errata : hoc orat quod sit futurum. Erant enim inter Judæos vasa misericordiæ ; *et populus insipiens* tunc sine intellectu erat Asaph. *Incitavit* factis, id est exacerbavit, *nomen tuum*, quando dederunt alapas, et obtulerunt acetum (*Matth.* XXVII). Sed ego qui intelligo, precor,

VERS. 20. — « Ne tradas bestiis animas confiten« tes tibi ; et animas pauperun tuorum ne oblivisca« ris in finem. »

Ne tradas bestiis,[Aug., Gl. int., Aug.] id est diabolo et angelis ejus, *animas confitentes tibi* quæ pœnitens confitetur peccata, *et animas pauperum tuorum ne obliviscaris* ducere *in finem*, id est in Christum. Sed potius beneficia Christi da pauperibus. Jam enim sunt pauperes, qui prius erant divites, scilicet statuentes suam justitiam, modo vero non audent oculos levare ad cœlum. Et, o Domine,

VERS. 21. — « Respice in testamentum tuum : « quia repleti sunt qui obscurati sunt, terræ domibus iniquitatum. »

Respice in Testamentum, non in Vetus, quod est de terrenis, sed in *tuum*, [Aug., Cassiod.] scilicet Novum, quo promisisti regnum cœlorum, id est imple quæ promisisti, ut testamentum novum quod est de æternis constituas. Meminit iste promissionis, quia ei merita deficiunt. Ideo item debet reminisci, *quia repleti sunt iniquitatum*, id est iniquitatibus. Unde sequitur obscuritas : Ideo addit, *qui obscurati sunt*, quia lumen scientiæ perdunt, habitantes *in domibus terræ*, id est terrena habitatione, id est cæci sunt, et terrenis dati, quibus delectantur. Vel ita, respice, ut reliquiæ salvæ fiant (*Rom.* XI.) [Aug.] Quia multi, qui attendunt ad terram, obscurati sunt, quia pulvis iniquitatis intravit in oculos eorum. Unde : *Obscurentur oculi eorum*, etc. (*Psal.* LXVIII.) Et repleti terræ, id est terra, id est amore terrenitatis. Et hoc ideo, quia habitant in domibus iniquitatum, id est quia corda habent iniqua. Domus enim sunt corda, ubi libenter habitant, de quibus dicitur : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* V).

VERS. 22. — « Ne avertatur humilis factus con« fusus ; pauper et inops laudabunt nomen tuum. »

Ne avertatur. [Gl. int., Cassiod., Aug., Gl int., Cassiod., Aug.] Quasi dicat : Quia promisisti, ideo *confusus*, confundi non est humilis, sed superbi ; qui non Deo, sed sibi tribuit. Ergo confusus, id est quem superbia confundit. Illos enim qui terrena amant, confundit superbia. *Factus humilis*, eradicata superbia, ne avertatur a te. Nota quia more oratorum personam pro persona mutat, quia gratus pro odioso ponitur, ut dilectio devoti contumacis temperet odium ; et si non avertitur *pauper* spiritu, scilicet humilis *et inops*, scilicet qui non sunt turgidi de temporalibus , vel de justitia sua, isti, inquam, non alii, *laudabunt nomen tuum* confitendo peccata, quærendo æterna. Ecce Asaph jam intelligens excutit terrena promissa Veteris Testamenti, sed quia nondum accepit cœlestia, quæ sibi promittuntur in Novo, et cum improperia patitur malorum, videtur deseri. Et ideo exclamat :

VERS. 23. — « Exsurge, Deus : judica causam « tuam ; memor esto improperiorum tuorum, eorum « quæ ab insipiente sunt tota die. »

Exsurge. [Gl. int., Aug., Cassiod., Aug.] Quasi dicat : Ne avertatur humilis, o *Deus exsurge* ad confortandum me, quia desertus videor, quia nondum accepi quæ promisisti, quæ invisibilia nihil putantur *et judica causam tuam*, post omnia facit iste causam esse judicis, cui negotii sui qualitas intimatur, cum dicit causam tuam, quam ego defendo, contra illos qui obmurmurant. Dicunt enim : Ubi est Deus tuus? contemptus est Christus a Judæis ambulans in terra, et a falsis Christianis sedens in cœlo. Ait ergo : Judica causam tuam, id est fac ut non fallatur spes mea, qui credidi quod non vidi. Et illi manifesta veritate prædicent, quod prius abnuebant stulte. [Cassiod., Gl. int., Aug.] Et hoc est : Judica causam tuam, scilicet quam boni de-

fendunt, dum Asaph insultatur dicendo : Ubi est Deus tuus? ipso Deo etiam detrahitur. Et ideo sua causa dicitur, *Memor esto improperiorum tuorum*, et adhuc etiam insultatur Christo, non deerunt vasa iræ, usque in finem sæculi, quæ dicunt, vana prædicantur Christianis. [Alcuin., Aug., Cassiod.] Inanis est resurrectio mortuorum. Esto memor, tuis dans coronam, hostibus pœnam, scilicet *eorum quæ ab insipiente sunt tota die*. Non enim deerunt insultantes usque in fine sæculi. Ideo hæc dicit, ut ipsa continuatio opprobriorum mansuetudinem judicis patientis incitaret. Adhuc contra inimicos precatur, dicens :

VERS. 24. — « Ne obliviscaris voces inimicorum « tuorum ; superbia eorum qui te oderunt, ascendit « semper. »

Ne obliviscaris voces inimicorum tuorum, [Gl. int., Cassiod., Aug.] quin eorum blasphemias deprimas, quia *superbia eorum*, scilicet Romanorum, *qui te oderunt*, contra hostes commovet eum, *ascendit semper*. In finem ponit exsecrabile malum, quod est superbia. Vel in bono potest accipi secundum aliam litteram. Quasi dicat : Memor esto improperiorum tuorum, et ne obliviscaris etiam voces deprecantium te, humiliter et devote, et superbia eorum, etiam eorum qui te oderunt, ascendit semper ad te. Quasi dicat : Noli oblivisci superbiam eorum qui te oderunt, sed semper ascendat ad te, quod et facit, quia vel corrigit vel punit.

63 COLLATIO IN PSALMUM LXXIII : « UT QUID, DEUS, REPULISTI, » ETC.

VERS. 3. — *Redemisti virgam hæreditatis tuæ*. Munsterus vult ut paternus casus *hæreditatis* referatur ad verbum præcedentis versiculi, nempe *recordare*. Sic enim reddidit : *Recordare congregationis tuæ, quam possedisti ab initio*. Ac mox duobus verbulis, de proprio additis, *et quam redemisti*, recordare inquam, tribus hæreditatis tuæ, certe, id est mere voluntarium. Rursum quod vertit *tribum* pro *virga*, non est extra sensum, בשבט SCEBET utrumque sonat, et *virga* more Scripturæ, pro *tribu* et *imperio* usurpari solet.

Mons Sion in quo habitasti in eo. Duplicem calumniam patitur hic versiculus a Fabro et Cæco : Alteram quod canimus recto casu, *mons Sion*, quandoquidem consequentia sermonis, et grammatices ratio exigat casum accusandi, *montem Sion*, propter verbum præcedens *redemisti*. Scio equidem orationis structuram hoc ordine esse aptam, et ab Hieronymo et Augustino sic observatam, ut tamen alter lectionis ordo non sit repudiandus omnino, siquidem in Hebræo est periodus magna, in particula *hæreditatis tuæ*, נחלתך NAHALATECA. Deinde peculiare est Hebræis, sub pronominibus includere verbum substantivum, jam vero hic legimus הר ציון זה HAR TZION ZEH, *mons Sion iste*, ut quam optime, dicas, *mons Sion est*. Hanc phrasim sæpe Græci in suis articulis agnoscunt. Triplicem lectionem tangit magister in Expositione. Secundo rhetoricantur isti in hoc genere locutionis, *in quo habitasti in eo*, ceu inepto et Latinis auribus inaudito. At hoc genus hominum, magis superstitiosum quam pium, mirabili doctrinæ suæ virtute revincat divus Augustinus, libro XXII De doctrina Christiana, cap. 13, in hæc verba memoratu dignissima : « Quid est ergo integritas locu-

A tionis, nisi Latinæ consuetudinis conservatio loquentium veterum auctoritate firmata? Sed tamen eo magis offenduntur homines, quo infirmiores sunt, et eo sunt infirmiores, quo doctiores videri volunt, non rerum scientia qua ædificamur, sed signorum, qua non inflari omnino difficile est, cum et ipsa rerum scientia, sæpe cervicem erigat, nisi Dominico reprimatur jugo. Quid enim obest intellectori, quod ita scriptum est? Quæ est terra in qua isti *insident super eam*, si bona est aut nequam ; aut quæ sunt civitates, *in quibus ipsi inhabitant in ipsis?* Quam locutionem magis alienæ linguæ esse arbitror, quam sensum aliquomodo altiorem. » Hactenus D. Augustinus. Ubi sanctus doctor quasi prophetice jam diluebat cavillationes futuras adversus hunc locum, et loquendi tropum.

VERS. 4. — *Leva manus tuas*. Pro *manus tuas* Hebr. habet פעמיך PEAMECA. Hier., Sanctes, Munsterus, interpretes pro Cajetano, vertunt *pedes* aut *gres-*
B *sus* ; Pratensis, *percussiones* ; Pellicanus, *palpitationes*. De hoc psal. LVII versu 10, adnotatum est. Denique Hier. accipit nominaliter particulam præcedentem הרימה HARIMAH, quod dicimus cum aliis *leva*, sive *exalta*. Ipse vero sic transtulit, *sublimitas pedum tuorum*.

IN *superbias eorum*. Hieron. *dissipata est*, duntaxat ponit, cum præmisisset *sublimitas*, Munsterus, *ut vastes*. Cæteri vertunt *ruinas*, aut *desolationes*. Hebraice habet למשאות LEMASSCHUOTH, pronuntiando per punctulum nuncupatum smol, super litteram schim, significat, *elevationes*, adeoque *superbias*, ut legimus. Si vero per alterum apicem, quem dictitant jamin, tum *vastationes ruinasque* repræsentat, quomodo alii ceperunt. Nec tamen sensus difficile conciliatur, hoc aut illo modo.

Quanta malignatus est inimicus in sancto. Sanctes, Munsterus ac Felinus sic reddunt hunc versiculum, ut a superioribus pendeat ordo verborum et sen-
C tentiæ, perinde ac si diceres : *Leva manus tuas in superbias eorum, et super omnem inimicum, qui male fecit in sanctuario. Leva*, inquam, *manus tuas, et devastes*. Astipulantur et interpretes pro Cajetano. Sed Hier. cum cæteris, clausulam istam per se distinguit, aitque, *omnia male egit inimicus in sanctuario*. Ac respondet Hebraicæ lectioni propius כל הרע אויב בקדש CAL HERA OIEB BAQQODESCH.

VERS. 5. — *Et gloriati sunt*. Hier. *fremuerunt* ; alii, *clamaverunt*, *rugierunt*. שאגו SCHAAGU proprie dicunt, ab leonis clamorem pertinere, cui typus superbæ gloriæ congruit.

In medio solemnitatis tuæ. Hier., *pacti tui* ; alii, *Ecclesiarum tuarum* ; iste, *templi tui*, hic, *tabernaculi tui* ; ille, *synagogarum tuarum*. מועדיך MOADECA, cuilibet versioni ex Hebr. satisfacit.

VERS. 6. — *Et non cognoverunt*. Mire dissidere apparet nostram lectionem ab Hebraica, in eo ma-
D xime quod habemus negationem, quam Hebræi hic neutiquam agnoscunt, et unde hauserint LXX non satis liquet. Unam est tamen quod varie reddunt, qui Hebraismum professi sunt. Hebræum est יודע IIUADA. In primis Hier. habet *manifesta*, ut intelligas, signa ex superiore ; Munsterus, *cognitus erat* ; Pratensis, interpretes pro Cajetano, et Pellicanus, *cognoscetur*. Versio Sanctis pene sensu eodem, etsi aliis verbis, nostram editionem contigit, quando vertit, *contritum est*. Sequidem radix ידע IADA, nonnunquam significat *subvertere*, *conterere*, aliquid autem ita comminui potest, ut postea vix ejus vestigium agnoscatur, quod quadrat extremæ vastitati urbis Hierosolymitanæ, de qua prædixerat Dominus lapidem super lapidem non remansurum (*Luc.* XXIV), et de qua agit psal. Quin et Chaldeus habet, *contundet malleo*. Itaque ut intelligentiam coram ponamus, totum versiculum replicare licet. *Posuerunt signa sua, signa*.

Deinde legatur quasi per parenthesim, *et non cognoverunt*, quare? quia omnia contrita sunt posuerunt inquam, signa, *sicut in exitu super summum*, in hoc ut sint signa victoriæ, et urbis solo æquatæ, quanquam haud me fugit Aug. aliter interpretari, illud *non cognoverunt*; videtur tamen de parenthesi convenire. Sed quia suscepti instituti est conferre translationes, ab eo non dissentimus, qui libro secundo De doctrina Christiana, capite 15, nos admonuit ita facere, dicens : « Sed, ut superius dixi, horum quoque interpretum, qui verbis tanacius inhæserunt collatio non est inutilis ad explicandum sæpe sententiam. » Et cap. 12 ejusdem libri : « Quæ quidem res plus adjuvit intelligentiam, quam impedivit, si modo legentes non sint negligentes. Nam nonnullas obscuriores sententias, plurium codicum sæpe manifestavit inpectio. » Hæc ille.

Sicut in exitu super summum, Hieronym., *in introitu desuper*; Pratensis, et interpretes pro Cajetano, *sicut adducens superius aut superne*; Munst. quid sit declarat periphrasi, *quasi adducens ligna ad sublime aliquid*; Pellicanus, *velut adducens compendium*. Alii habent suas paraphrases. Hebr. habet כמביא למעלה KEMERE LEMAALAH. Hieron. legit in priore dictione beth pro caph. Paulo enim distant. Rusus mebi accepit cum LXX, ut littera men non sit nota participii, sed ut sit quasi constitutiva nominis hæc mantici, id est denominativi. Nec debet offendere quod ubi dicimus *in exitu*, ubi ait *in introitu*, quasi duo opponantur. Siquidem idem locus diversorum respectu est introitus et exitus. Denique postremam particulam fere ad verbum reddiderunt interpretes LXX, eoque nihil detrahitur veritati Hebraicæ.

VERS. 7. — *Quasi in silva lignorum securibus exiderunt januas ejus*. Hebr. faciunt finem versus in particula quæ significat *secures*, ut respiciat verbum superius, *posuerunt* juxta Hieron., *in saltu lignorum secures*, subaudi *posuerunt*. Alii sic reddunt ut pendeat a participio, quod verterunt *adducens*. LXX vero, aliam sequentes distinctionem, *addiderunt* verbum *exciderunt*, ob commoditatem orationis et sensus. Nec minoris sunt auctoritatis quam Munsterus, qui non facit ut particula *secures* verbum aliquod superius appellet, sed de proprio iniscuit arterunt verbum foris adductum. Ait enim *qui secures mittebant in perplexas arbores*. Hebraice dicitur, בסבך עץ קרדמות BISABOC ETZ QUARDUMOTH, ubi apparet LXX legisse caph, vice beth, litteræ cognatæ, ut fit sæpius.

Januas ejus, Alii dicunt, *sculpturas ejus*, sensu invariato, quanquam et vocabulum Hebraicum utrumque sonare possit PITUAH פתיח a verbo פתח PATAH id est *aperuit*, *sculpsit*. Accedit et Felinus. Ac mox in eo quod sequitur: *In securi et ascia dejecerunt eam*, inter translatores satis convenit, quod enim pro *ascia* quidem vertunt *malleum*, ideo est quod כלפה KELAPH, est utrilibet commune.

VERS. 9. — *Cognatio eorum simul*. Concordant Hieronymus, Chaldæus, Nebiensis, Pellicanus, et interpretes pro Cajetano, dum transferunt *posteri eorum*, vel *filii eorum*. Sed Pratensis, Sanctes, Munsterus, Felinus et Campensis maluerunt, sequi quosdam rabinos, exponentes vocabulum hic positum, נינם NINAM, *depopulemur*, sive *sæviamus in eos*. Adnotavit tamen Sanctes posse esse, aut de radice נין NIN, id est *filius*, intelligendo posteritatem per filium, aut de radice ינה JANAH, quod est *depopulatus est*, sicque redemit laborem nostrum.

Quiescere faciamus omnes dies festos Dei a terra. Pratensis, *combusserunt omnia templa Dei in terra*. Sanctes, pro *templis*, dixit *tabernacula*; Munsterus, *synagogas*; interpretes pro Cajetano *conventus*; Campensis complexus est utraque, et *templa* et *solemnitates*. Hunc locum tam copiose quam erudite discussit Hieronymus ad Suniam et Fretellam ut no-

A bis quidquam addere non liceat. Dicit ergo : « Incendamus omnes dies festos Dei a terra, pro quo in Græco scriptum est. δεῦτε καὶ καταπαύσωμεν πάσας τὰς ἑορτὰς τοῦ Θεοῦ ἀπὸ τῆς γῆς. Et nos transtulimus : *Heus, et quiescere faciamus omnes dies festos Dei a terra*. Et miror quomodo e latere adnotationem nostram, nescio quis temerarius, scribendam in corpore putaverit, quam nos pro eruditionem legentis scripsimus hoc modo. Textus non habet καταπαύσωμεν, ut quidam putant, sed κατακαύσωμεν, id est *incendamus*. Et quia retulit mihi sanctus presbyter firmus, qui hujus operis exactor fuit, inter plurimos hinc habitam quæstionem, plenius de hoc disputandum videtur. In Hebræo scriptum est. שרפו כל מועדי אל בארץ SAREPHU CAL MOADE EL BAARETZ. Quod Aquila et Symmachus verterunt ἐνέπρησαν πάσας τὰς ἑορτὰς Θεοῦ ἐπὶ τῆς γῆς. id est incenderunt omnes solemnitates Dei in terra, Quinta κατέκαυσαν, id est *combusserunt*.
B Sexta, κατακαύσωμεν, id est *comburamus*. Quod et LXX, juxta Hexaplorum veritatem, transtulisse perspicuum est. Theodotio quoque ἐνεπυρίσωμεν vertit, id est *succendamus*. Ex quo perspicuum est sic psallendum, ut nos interpretati sumus. Et tamen sciendum quid veritas Hebraica habeat. Hoc enim quod LXX Interpretes transtulerunt propter vetustatem in ecclesia decantandum est, et illud ab eruditis sciendum propter notitiam Scripturarum. Unde si quid pro studio *ex latere* additum est nondum debet poni *in corpore*, ne priorem translationem pro scribentium voluntate conturbet. » Hactenus verba Hieronymi fideliter retulimus. O verba albo signanda calculo, o verba nullo intermoritura sæculo, quæ vel sola sufficerent abunde ad retundendam quorumdam pertinacium cervicem, qui si quid forte putant in Hebr. aliter legi, quam in Ecclesiis psallatur, insaniunt, stomachantur, vociferantur exaggerantes ad ravim : hoc est eradendum, convellandum, jugulandum.
C Hoc non dixit Spiritus sanctus, Psallamus cum Propheta hoc aut illo modo. Quid ais? Hieronymus etiam id quod verum erat, et *e latere* pro eruditione legentis adnotatum, noluit infulciri *in corpore* textus, quin et temerarium censuit qui hoc fecerat. Quod si etiam receptum sit nunc, ut aliter psallamus, quam ille forsan verterit, aut interpretatus fuerit, vult vetustatem auctoritatis nomen obtinere. Scientiam laudat Scripturarium, ritum ecclesiasticum vult temerari.

VERS. 10.— *Et nos non cognoscet amplius*. Hieron., **164** *Non est nobiscum qui sciat usquequo* ut intelligas non esse prophetam, qui sciret finem horum malorum, et quousque sint sævitura. Verum ex Hebræo hic velle ille sensus congrue elici potest ולא אתנו יודע עד מה VELO ITANU IODEA AD MAH, præsertim si legeretur עד on, pro עד AD, ubi sunt eædem litteræ, quanquam frequentius in od interponatur vau.

D VERS. 12. — *De medio sinu tuo in finem*. Hieronymus *de medio* vel ut codex Fabri habebat, *in medio sinus tui consumens*. Sanctes et Munsterus ad sensus integritatem, ut sibi videntur, quædam addiderunt. Ac totum versiculum repetam, quo appareat quid sibi velint apertius. Ille sic : *Ut quid reducis manum tuam et dexteram e medio sinus tui, non educis inimicos consumendo?* Hinc non abhorret alter : *Quare avertis manum tuam et dexteram tuam? profer eam ut hostem consumas*. Varietas pendet ex postremo vocabulum כלה CALEH, quod *consumere perficere*, *finire*. Et secundum normam grammaticæ Hebrææ, est modi imperativi vel infinitivi, ob idque apte vertitur *finiendo*, vel *consumendo*, *fini*, aut *consume*, quanquam Hieronymus litteræ haud serviens dixerit per participium *consumens*, etiamsi non sit improbabile ipsum legisse כולה COLEH, in verbo quod nuncupat cal.

VERS. 14. — *Tu confirmasti in virtute tua mare*

Hieronymus cum cæteris, *dissipasti*. In Hebræo scribitur פורדת PORADTA, idque significat *separare, distinguere, expandere, dissipare*. Quod si versiculi intelligentiam reduxeris ad transitum filiorum Israel per medium maris Rubri, eodem tendit sensus, *confirmasti* et *dissipasti mare*. Si quo modo Augustinus refert ad gentium conversionem, certe ipsa plenitudo et cordis contritio dissipat malam conscientiam, et confirmat bonam.

VERS. 16. *Tu siccasti fluvios Ethan*. איתן non videtur esse proprium nomen deserti. Hieronymus enim vertit et plerique alii *flumina fortia*.

VERS. 18.— *Æstatem et ver tu psalmasti ea*. Hebr. ponunt pro vere hyemen, חרף HOREPH : credimus haud inepte et *ver* designare. Nam Job XXIX, ubi legimus : *Sicut fui in diebus adolescentiæ meæ*, Hebræus habet חרפי HORPHI. Adolescentia autem temporis, quidnam aliud sonat quam veris juventam quamdam? Quanquam qui dicit, *æstatem et ver plasmata*, mediam quoque hyemem intelligat necesse est.
B

VERS. 20. — *Ne tradas bestiis*. לחית LEHAIATH, id est *feræ* vel *congregationi*. Vocabulum enim est ambiguum. Priorem significantiam sequuntur LXX, Hieronymus, Nebiensis, Pratensis, Pellicanus, interetes pro Cajetano, et editio in Campensi. Alteram malunt Sanctes, Munsterus, et paraphrasis Campensis, quia tamen sensus quasi esset imperfectus, simpliciter dicendo, *ne tradas congregationi animam*, addiderunt *hostium*.

Animas confitentes tibi. LXX, subnotante ipso Sancte, legerunt daleth pro res. Sunt enim litteræ, ut non rarenter dictum est, admodum affines. Siquidem nunc habent exemplaria, תורך TORECA, id est *turturis tuæ*, interpretibus Pratensi, Sancte, Pellicano, Munstero, Campensi, Nebiensi, Felino. תודך TODECA autem, id est *confitentem tibi*, seu *quæ confitebitur tibi*, sonat. Sed Hieronymus interpretes pro Cajetano, transferunt *animam eruditam lege tua*, legentes quidem per res, sed *ducentes* a תורה TORAH, id est *lex*, תורך TORECA, quamvis Sanctes astruat in ea acceptione dicendum, תורתך THORATHECA. Chaldæus tamen habet, *animas discentium legem tuam*.
C

Et animas pauperum tuorum. היח HAIATH rursum vertunt *congregationem*. Hieronymus, *vitam* quæ procul dubio est anima.

VERS. 21. — *Repleti sunt qui obscurati sunt terræ domibus iniquitatum*. Quia versus est translatus ad ordinem locutionis Græcæ, paulo est involutior, sed sic ordinando, *repleti sunt domibus iniquitatum terræ, qui obscurati sunt*, nihil remanet scrupuli. Aug. et Romana editio sic habent : *Repleti qui obscurati terræ domorum iniquarum*, ut more Græco ponatur genitivus vice ablativi. Magister vero subaudit *habitantes*, nostram lectionem tenendo. In Hebræo major est difficultas. Hier. enim habet, *repletæ sunt tenebris terræ, habitationes iniquæ subrutæ;* Pratensis aliter, *repletæ sunt obscuritates terræ habitaculis iniquitatis;* Sanctes, *repleta sunt loca tenebrosa, habitationes iniquorum;* Munsterus, *repleta sunt omnia tenebrosis carceribus terræ, et habitaculis violentis*. Alii pene in idem conspirant. Singula sigillatim excutiamus. In primo vocabulo omnes conveniunt. In secundo est dissonantia, videlicet *obscurati sunt*. Hebr. enim unico effertur מחשכי MAHASSAKE, quia LXX acceperunt sub participio apicibus immutatis si scribantur in verbo hiphil, ut vocant. In tertio nempe ארץ ERETZ Hier. dissidet, quod usurpat plurative, eoque oportuit, secundum vocabulum, pro constructionis exigentia ponere. In quarto et quinto nimirum נאות חמס NEOTH HAMAS, satis concordant, præter hoc quod videtur Hier. addidisse *subrutæ*, sed verbum חמס HAMAS est anceps ad *inique agere*, et *dissipatum esse*, quare est verosimile ipsum voluisse utrumque comprehendere significatum. In commentariis certe ignoro prorsus, quam secutus est editionem, quia legit, *repleti sunt dumis* pro *domibus* iniquitatum, et interpretatur *spinas*, quanquam densitas, quæ est in sentibus, haud longe sit ab obscuritatibus terræ.

VERS. 24.— *Superbia eorum qui te oderunt ascendit semper*. Pro *superbia* Hebr. שאון SCHEON. Et Hier. vertit *sonitum*, nec alii dissident. Quem tamen *sonitum* sive *strepitum* intelligere debeamus, aperuerunt LXX in nomine *superbiæ*. Inde editio in Campensi, habet *fastus insurgentium in te :* et Paraphrasis, *contumeliosa vociferatio eorum*. Concordat Felinus.

PSALMUS LXXIV.

PSALMI TITULUS : « IN FINEM NE DISPERDAS *vel* CORRUMPAS, PSALMUS CANTICI ASAPH. »

Confitebimur tibi, Deus, [Aug., Alcuin., Cassiod.] Titulus: *In finem ne disperdas* vel *corrumpas, psalmus cantici Asaph*. Psalmus iste contra tumorem superbiæ medicinam humilitatis apportat, in quo Christus ostenditur verus Deus, et verus homo, judex vivorum et mortuorum : ut Judæi credant, et non corrumpant fidem et spem suam in Christum ; sed Dei promissionem certa fide exspectent. Et hoc dicit *Asaph*, id est fidelis Synagoga. [Gl. int., Cassiod., Aug,, Cassiod.] Et est sensus : *Psalmus* iste, qui monet ad bene operandum est *cantici*, quia agit de remuneratione æterna, qui est *Asaph*, id est fidelis Synagogæ, hoc agit *ne* tu, o Judæe, vel quicunque *corrumpas* vel *disperdas*, id est ne violes spem, quæ habetur in promissione Dei ; sed sit tibi certa ejus promissio, et ut hoc facias, respice *in finem*, id est vide finem, ubi tu beatus eris : miseri vero qui hic rident. Et ideo quæcunque modo hic occurrunt prospera vel adversa despice, in sola promissione Dei gaude. Intentio : Monet hic psalmus, ne quis superbus de se præsumat, nec humilis de Deo desperet ; quem et si affligitur, certa consolatur promissio. Modus : Bipartitus est psalmus. Primo proponitur humilis, qui et alios invitat. Secundo terretur superbus judicio, quod effugi non potest, ibi, *cum accepero tempus*. Asaph ergo certus de promissis, sic incipit : O,
D

VERS: 1. — « Confitebimur tibi, Deus, confitebi« mur, et invocabimus nomen tuum.

Deus, confitebimur peccata, [Aug.] jam humiles facti, non alii Deo, sed *tibi* non crudeli ultori, sed pio indultori. Hæc confessio est evacuatio a malis. Omnia enim in confessione lavantur. Deinde repetit *confitebimur*. Repetitio confirmatio est, ne te pœniteat esse confessum. Unde in Evangelio Joan. Dominus geminat pro majori confirmatione : *Amen, amen (Joan.* I, et alib.) Et in Psalmis : *Fiat, fiat*, geminatur (*Psal.* LXXI, LXXXVIII.) Et Joseph de somnio Pharaonis, qui vidit septem spicas plenas, et totidem steriles ; et septem boves pingues, et totidem macilentos, dixit (*Gen.* XLI). Repetitio est confirmatio. Firmamentum enim sententiæ esse in repetitione, ex

multis Scripturarum locis docemur, ut præostensum est : ad significationem veritatis sufficeret unum, ad significationem firmitatis accessit et alterum. Confitemini peccata, vel semel terreno judici mortem inducit. Sed Deo facta frequens confessio vitam parit : post confessionem sequitur invocatio. Unde subdit, *Et invocabimus nomen tuum*, post confessionem potest invocari Deus in hominem sic mundatum. Et sicut per confessionem evacuatur malis; sic per invocationem impletur bonis. Postea sequitur narratio. Unde subdit :

VERS 2. — « Narrabimus mirabilia tua. »

Narrabimus. [Aug., Gl. int. Cassiod., Aug., Cassiod.] De pleno ructavit iste, ut alii veniant, ut qui audit, dicat : Veni (*Apoc.* XXII), et cortina cortinam ducat (*Exod.* XXXVI) et fontes nostri deriventur foras (*Prov.* V). *Mirabilia tua*, hæc est regula sanctæ devotionis, quæ hic insinuatur. Prius enim est confiteri peccata, per quod exinanimur malis ; postea invocare. Deum in auxilium, quo bonis implemur ; tandem de pleno eructantes narrare possumus : a purgato enim invocatur Deus ut a suo. Indevotus vero, si eum vocat, judicium postulat. Si autem purgatus invocaverit, deinde poterit narrare : Alioquin dicitur ei, *Quare tu enarras justitias meas* (*Psal.* XLVIII.) Inde etiam est quod locus orationis prius mundatur a sordibus ; deinde cortinis ornatur, postea palliis variorum colorum decoratur (*Exod.* XXVI), ut nos (109) qui sumus templum Dei sanctum, prius per confessionem purgemur a malis ; postea per invocationem cortinis virtutum decoremur, inde variis coloribus operum honorum in conspectu hominum ad gloriam Dei Patris niteamus. [Cassiod.] Pro hac autem perfecta religione mox meretur iste audiri. Dicit enim Christum respondere votis suis, in cujus Christi persona subditur :

PARS II. VERS. 2. — « Cum accepero tempus, ego « justitias judicabo. »

Cum accepero [Cassiod., Alcuin., Aug., Gl. int., Aug.] Secunda pars, ubi terretur superbus judicio, quod effugi non potest, et ad eum revocandum columnæ confirmantur, quem etiam Deus humiliat, hic vero humilem exaltat. Vel secundum aliam litteram, singulariter dicitur, *Narrabo*, quamvis pluraliter præmiserit : *Confitebimur* et *invocabimus*. Jam enim omnes sunt unus Christus, ex quo habetur invocatus. Loquitur autem Christus in persona capitis et membrorum. Quasi dicat : Ego, totus Christus, narrabo mirabilia tua, quæ si quis non audit, *ego*, Christus, scilicet qui modo non videor, *judicabo justitias*, vel ego Christus, scilicet totus, judicabo, quia et sancti cum eo judicabunt ante ergo judicandi precentur absolvi. Judicabo, *cum accepero tempus* judicandi. Modo enim tempus est docendi et misericordiæ ; sed postea erit tempus judicandi. Sed nunquid acccepit Christus tempus ? Nunquid accepit Filius Dei, Filius Dei non accepit tempus ; sed filius hominis accepit tempus, idem tamen est et A Filius Dei, per quem facti sumus, et filius hominis per quem refecti sumus. Accepit ergo tempus ut filius hominis, qui gubernat tempora ut Filius Dei. Accepit ergo Christus secundum hominem quod ipse Deus dat, ipse, scilicet potestatem judicium faciendi Nam secundum quod Filius Dei, nunquam caruit potestate judicandi. Et ideo non accepit ; sed secundum quod Filius hominis accepit. Totus ergo Christus in futuro judicabit. Unde Dominus in Evangelio : *Sedebitis et vos super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel* (*Matth.* XIX), Ita in futuro, modo quid ?

VERS. 3. — « Liquefacta est terra et omnes qui ha« bitant in ea; ego confirmavi **165** columnas ejus. »

Terra prius firma, modo *liquefacta est*, [Alcuin., Aug., Alcuin., Cassiod.,] id est a stabilitate virtutis B et justitiæ in diversas diffluit concupiscentias. Deinde exponit quam terram dixit. *Et*, pro id est, *omnes qui habitant in ea* ; ipsa enim terra defluxit in habitantibus se, talem inveni terram. Sed *ego* non suppliciorum exactor, sed peccatorum donator, *confirmavi columnas ejus* quæ in passione mutaverunt, id est apostolos, qui confirmati sunt in resurrectione. Vel ita : terra, prius vitiis constricta, liquefacta est, flante Spiritu sancto, ut germina virtutum emitteret. Et pro id est, omnes qui habitant in ea, ego confirmavi columnas ejus. Hæc non mutantur. Et per confirmatas columnas.

VERS. 4. — « Dixi iniquis : Nolite inique agere ; « et delinquentibus : Nolite exaltare cornu. »

Dixi iniquis, [Aug., Alcuin., Aug., Cassiod.] omC nibus malis generaliter, hoc, *Nolite inique agere*. Jam ceciderant, jam defecerant, jam rei erant, jam defluxerant, et tamen dicit : Nolite inique agere, id est non perseveretis in malo, sed fugite ad medicum. Malum enim est peccare, pejus est perseverare, perniciosius est defendendo se in Deum culpam refundere. Unde snbdit, *et delinquentibus*, id est peccata defendentibus, dixit : *Nolite exaltare cornu*, id est nolite inde superbire, apud vos exaltantes cornua ad excusationem. Quasi dicat : Si jam fecistis iniquitatem per cupiditatem, ne defendatis per elationem ; si sani, non audistis. Vel jacentes surgite, non vos excusetis. Maximum est vitium excusationis. Nam quasi cornu erigit, qui per alios peccata sua nititur excusare, ut per diabolum, ut per D alios suasores, vel per necessitatem stellarum. Sequitur : Et

VERS. 5. — « Nolite extollere in altum cornu ve« strum, nolite loqui adversus Deum iniquitatem. »

Nolite extollere in altum cornu vestrum, [Aug., Cassiod., Alcuin.] id est contra Deum, ut facit ille qui contra Deum blasphema cogitatione remurmurat. Deinde exponit in re, quod dixerat, *nolite loqui* corde etsi non lingua loquamini, *adversus Deum iniquitatem*. Quasi dicat : Deus nesciat hæc, vel non curet, ut ille qui dicit se injuste pati, cum nequiores prosperi sint : quod est injustum facere Deum. Vel, nolite loqui adversus Deum iniquitatem, ut fa-

(109) Ex Greg., hom. 19 in Ezech.

ciunt illi, qui non sua culpa, sed necessitate stellarum dicunt se peccasse, ut Deo, non sibi imputetur; vel qui sciunt peccata sua, sed impunitatem sibi promittunt. Cur hæc non debetis facere? quia judex talis est, qui vitari non potest, quia ubique est, Deus enim est. Et hoc est : Ideo non faciatis hoc.

Vers. 6. — « Quia neque ab oriente, neque ab « occidente, neque a desertis montibus, quoniam « Deus judex est. »

Quia judex *neque* judicat *ab oriente* [Aug.] quasi dicat, ut inde fugias in occidentem, *neque* judicat *ab occidente*, ut inde fugias in orientem. Quasi dicat : De nullo diviso loco judicat, quia non est localis. Nam ubique præsens ut Deus. Neque judicat *a desertis montibus*, ut inde fugias in medium populorum. Quare non? *Quoniam Deus judex est*. Si autem in aliquo loco esset, tunc Deus non esset. Vel, judex neque ab oriente, neque ab occidente, neque a desertis montibus, id est a secretis locis, subaudi *est absens*. Quare? Quoniam Deus judex est, idem pene sensus cum priori. Vel secundum mysticum sensum : [Cassiod., Alcuin., Aug.] Oriens sunt boni, quibus oritur sol justitiæ, scilicet homines claritate Dei conspicui; Occidens vero, sunt quibus occidit sol justitiæ, id est mali. Deserti montes sunt falsi prædicatores, superbi hæretici, qui locum montium usurpant; sed a veritate Dei sunt deserti, quibus Deus præsens est, non tamen ita ut bonis quibus præsens est, per gratiam, non modo per cognitionem. Et est cur non faciatis : Quia Deus, neque deest ab oriente, id est a bonis; neque ab occidente, id est a malis. Neque deest a desertis montibus, id est a falsis prædicatoribus : omnibus generibus hominum Deus præsens et cognitor est, quoniam Deus judex est etiam eorum quæ sunt in corde. Et ipse qui talis est, superbos humiliat et humiles exaltat.

Vers. 7. — « Hunc humiliat et hunc exaltat : « quia calix in manu Domini vini meri plenus mi- « sto. »

Hunc humiliat [Aug.], id est superbum Judæum, ut Pharisæum de justitia legis tumidum; *et hunc*, id est humilem gentilem, ut publicanum dicentem : *Deus propitius esto mihi*, etc. (*Luc.* XVIII); *exaltat*, per quid? per legem quæ est in manu Dei mediatoris (*Gal.* III), quæ dicitur calix, quia inde potat animas fidelium. Et hoc est, *Quia calix in manu Domini*.

Vers. 8. — « Et inclinavit ex hoc in hoc : verum « tamen fæx ejus non est exinanita, bibent ex eo « omnes peccatores terræ. »

Et inclinavit ex hoc in hoc. [Aug.] Hucusque tenditur vis probationis, sed singula verba quid intelligentiæ contineant, videamus. Calix est lex, et omnis scriptura Veteris Testamenti, ubi Novum absconditum est, quasi in fæce corporalium figurarum, quæ dicitur calix, quia inde inebriat Deus mentes credentium. Calix ergo *vini meri*, id est legis sincera est, quantum ad præcepta moralia justa et bona, scilicet Deum unum adorabis, etc. Vel calix vini meri dicitur, quantum ad spiritualem intelligentiam, *plenus misto*, id est fæce corporalium sacramentorum, quæ remanent et resident apud Judæos : et funditur inde omnis spiritualis intellectus et eliquatus est in humiles gentiles. Sed apud Judæos fæx figuræ remansit, de qua Judæi infidi potati sunt. Et hoc est, Judæum humiliat, et gentilem exaltat. Et hoc per legem, quia calix, id est lex et totum Vetus Testamentum est, in manu Domini, id est in potestate Christi mediatoris. Calix dico vini meri, propter sinceritatem moralium præceptorum, et spiritualis sensus. Et ille calix plenus misto, id est fæce corporalium sacramentorum. Et quid inde? Et inclinavit Dominus hunc calicem, id est legem. Ex hoc, id est a Judæo, in hoc, vel in hunc, gentilem, in quem spiritualis intellectus eliquatus est. Et per hoc constat, quia illum humiliat, et hunc exaltat. Et licet inclinet, verumtamen fæx ejus non est exinanita apud Judæos, quia carnalia sacramenta apud Judæos remanserunt; et bibent ex eo misto, id est de fæce figurarum, omnes peccatores terræ, id est omnes Judæi infidi. Vel ex eo calice, id est bibent generaliter omnes peccatores terræ, id est superbi peccatores, et humiles peccatores. Judæi sunt superbi peccatores : gentes vero, humiles peccatores, quorum alii bibunt vinum calicis, scilicet humiles peccatores, alii fæcem, scilicet superbi peccatores omnes bibent, sed seorsum.

Vers. 9. — « Ego autem annuntiabo in sæculum; « cantabo Deo Jacob. »

Ego, [Aug., Cassiod.] Christus cum corpore meo *annuntiabo in sæculum*, id est quandiu sæculum erit. Vel, *gaudebo in sæculum*, alia littera, de promissione futura, in finem sæculi, de qua dicitur in titulo : *Ne corrumpas*, etc. Vel ita, et convenit in parte cum priori sensu. Calix est lex, vinum merum cœleste mysterium, id est spiritualis sensus (110) plenus, quia et si semper bibitur, nunquam expenditur, misto id est utroque Testamento, quia Vetus et Novum simul sunt. Unde Ezechiel : *Vidi rotam in medio rotæ* (*Ezech.* I). [Cassiod., Alcuin.] Judæi non mistum bibunt, quia Vetus sine Novo recipiunt, neque Manichæi, qui Novum recipiunt sine Veteri. Ex hoc in hoc, quia a Judæis tulit, et conversis gentibus inclinavit. Verumtamen fæx ejus. Fæx non accipitur hic pro sordibus; sed ima et ultima vini significat, id est ultima et subtiliora legis, ad quæ non potest perveniri hic. Et est, licet inclinet. Verumtamen fæx ejus, quam inclinavit, non est exinanita, quia illa secretiora non penitus possunt capi (111). Unde si quid residuum fuerit, igne Spiritus sancti comburetis (*Exod.* XII), quia omnibus bibentibus plenitudo non deficit. Et bibet ex eo, calice pleno, omnes peccatores terræ (112), id est Judæi in fine conversi cum aliis bibent, utrumque

(110) Greg. in Ezech. homilia 6.

(111) Ex Greg. lib. XX, Mor. cap. 9.

(112) Ex Cassiod. et Isid. in Gen.

Testamentum servantes, quando Abraham cum filio ad pueros cum asina exspectantes, immolato ariete revertetur (*Gen.* XXII). Vel ita hunc humiliat, et hunc exaltat : quod potest, quia calix, id est potestas et dispensatio judicandi. Calix dico, vini meri, id est justi judicii est, in manu Domini, [Alcuin.] id est Christi, plenus misto, id est misericordia et judicio, quia aliis mors per justitiam ; aliis vita per misericordiam, quod mistum inclinat et propinat omnibus. Et hoc est : Et inclinat ex hoc in hoc, id est omnibus generaliter. Omnes enim sentient misericordiam et judicium. Et licet inclinet calicem istum, verumtamen fæx ejus non est exinanita, id est pœna bibentibus austera, non finietur malis, ex eo calice bibent fæcem omnes peccatores terræ, non solum Judæi peccatores bibent. *Ego autem* cum meis, dicit Christus, *annuntiabo,* vel *gaudebo, in* sæculum, *cantabo Deo Jacob.*

VERS. 10. — « Et omnia cornua peccatorum confringam ; et exaltabuntur cornua justi. »

Et omnia cornua peccatorum quæ hic eriguntur, [Aug., Cassiod., Gl. int.] scilicet dignitates superborum, *confringam,* in fine, quæ modo nolunt frangi, hoc est quod ante dixit, hunc humiliat, *et cornua justi,* quæ non sunt hic, sed ibi erunt, id est munera Christi, quæ non sunt hic, sed ibi erunt, id est munera Christi, *quæ* sunt sublimitas justi, *exaltabuntur* in futuro, ubi superbus humiliabitur, et humilis exaltabitur, hoc est quod ante dixit, hunc exaltat.

COLLATIO IN PSALMUM LXXIV : « CONFITEBIMUR, » etc.

VERS. 1, *al.* 2. — *Invocabimus nomen tuum.* קרוב שמך QAROB SCEMECA *propinquum nomen tuum,* sive, ut traduxit Hier., *juxta nomen tuum.* Idem sibi vult. Nam, *prope est Dominus invocantibus eum,* psalm. CXLIV, quanquam sic velint accipi, ut semper sentiamus præsentiam Dei.

VERS. 2, *al.* 3. — *Cum accepero tempus.* מועד MOED. *tempus* transferunt, Hieron., Chaldæus, Pellicanus, Sanctes et Campensis. Munsterus, Felinus, et interpretes pro Cajetano, *cœtum* seu *conventum ;*

A Pratensis, *solemnitatem.* Particula illa est iis omnibus communis. Verendum ne plures sibi sapiant.

VERS. 5. *al.* 6. — *Nolite loqui adversus Deum iniquitatem.* בצואר עתק BATZAUAR ATHAQ. Hieron. pro *adversus Deum iniquitatem* vertit *in cervice veteri.* Sequuntur Pellicanus et Nebiensis. Pratensis, *cum cervice elatum,* ut elatum regatur a verbo loqui aut loquentes ; Sanctes, *collo pingui ;* Munsterus, *collo præfracto.* Prima particula, est, a צורר TZOR, id est fortis, qui et ipse Deus, quomodo apparet LXX sumpsisse, cum etiam littera beth dictionibus præposita significet interdum adversus. Deinde secunda particula, tum significavit rem duram gravem, tum antiquam, quæ universa quadrant obstinationi, accommodatæ significata per cervicem et collum pingue.

VERS. 6, *al.* 7. — *Neque a desertis montibus.* Hier. Nebiensis, Pellicanus et translator ad Campensem stant a nobis. Cæteri vertunt *exaltationem ;*
B Sanctes *nec a deserto veniet exaltatio,* ubi de suo ponit *veniet* ממדבר הרים MIMMIBDAR HARIM, novissimum vocabulum si habeat he litteram substantialem quomodo acceperunt LXX et qui illos sequuntur, recte *montes* sonat. Alii vero ceperunt, ut sit addititia a radine רום, *exaltavit* vel *exaltatus est.*

VERS. 7, *al.* 8. — *Calix in manu Domini vini meri plenus misto.* Hier. ferme ad eumdem modum, *calix in manu Domini, est vino meraco usque ad plenum mistus* : Ita quoque Nebiensis. Alii quidam juxta verbum videntur dissonare, tamen sensum non variant, si oculatius perpendatur. Pratensis, *calix in manu Domini, rubefactus est, plenus mistione.* Pellicanus, *calix in manu, vinum efferbuit, implevit mistionem.* Munsterus et Sanctes, *vinum rubuit, sive rubescit, pleno misto* aut *mistura.* חמר HAMAR est *rubuit* quidem, quod hic legitur, sed inde ducitur חמר HEMER, quod est *vinum bonum merum.* Felinus autem mavult *vinum turbidum,* sed Chaldaïca trans-
C latio habet vinum purum.

166 VERS. 8, 9. *Fæx ejus non est exinanita.* Septuaginta sensum de sensu eruerunt, qui clarius eminent, per id quod mox subtexitur, bibent omnes peccatores terræ, qui si semper bibant, consequens est, ut nunquam fæces calicis iræ divinæ evacuentur. Hoc dixerim, quod Hebraice videatur quasi contrarium, quum sine negatione scriptum sit ימצו iimtzu, id est, sugent, expriment, epotabunt, sic tamen ut nunquam non restet quidpiam exugendum. Pondus sententiæ mire attenderunt Septuaginta.

PSALMUS LXXV.

PSALMI TITULUS « IN FINEM IN CARMINIBUS CANTICUM AD ASSYRIOS, PSALMUS ASAPH. »

Ad Assyrios additum est ab interpretibus Græcis, *ex consilio Spiritus sancti,* quod pluribus supra probatum est in quibusdam similibus.

Notus in Judæa Deus, etc. Titulus : *In finem in carminibus canticum ad Assyrios, psalmus Asaph* (112*). Assyrii interpretantur *dirigentes* et significant Judæos, quibus per antiphrasim, id est per contrarium hoc convenit, quia non sunt dirigentes, sed errantes. Vel possunt dirigentes dici quasi erigentes, quia erigunt se contra Christum, eo quod sine gratia Christi quærunt salutem per legales observantias. Qui bene dicuntur Assyrii, quia persequuntur Ecclesiam Christi, ut olim Assyrii persequebantur Judæos. Contra hos loquitur hic Asaph, id est fidelis Synagoga, confutans eos hic, quibus nomina gloriæ dicit ablata. Et ad alios translata, quæ sunt
D Judæa, Israel, Salem, Sion, et nihil boni posse sine Christi gratia probantur. Et est sensus : [Gl. int., Alcuin., Cassiod.] *Psalmus* iste *Asaph,* id est fideli Synagogæ attribuitur, quæ hic loquitur dirigens nos *in finem,* id est in Christum. Et est *in carminibus,* id est in laudibus. Et est *canticum,* quia agit de bonis Christi, scilicet quod notus, quod habitat, quod illuminat, quod salvat. Et est *ad Assyrios,* id est contra Judæos, qui non se dirigunt ad Deum, sed errant. Vel se erigunt contra Christum, suam statuentes justitiam. Intentio : Judæos confutat, et devotos ad reddenda vota monet. Modus : Tripartitus est psalmus. Primo frangit gloriam Judæorum. Secundo, dicit quod Christus illuminat, quod salvat, et judi-

(112*) Ex Cassiod. in præf. et conclusione psalmi, et ex Alcuin.

cat, ibi, *illuminans*. Tertio admonet jam devotos reddere vota, ibi, *quoniam cogitatio*. Fidelis ergo Asaph, confutans Judæos, ait :

VERS. 1. — « Notus in Judæa Deus : in Israel « magnum nomen ejus. »

Notus in Judæa Deus. [Aug.] Quasi dicat : Gloriatur Judæus, quod Judæo notus Deus, sicut hic dicit Propheta et verum est, sed Judæo intus qui in occulto est Judæus, non Judæo in carne, qui in manifesto solo nomine est Judæus; *notus* est enim *Deus*, sicut hic Propheta dicit *in Judæa*, vera scilicet ut confiteatur peccata ; Judæa enim interpretatur *confessio*. Quasi dicat : Auctoritate Prophetæ, unde solent gloriari Judæi et gentibus insultare confuto eos. Si enim veri Judæi estis, tunc in vobis notus est Deus, sicut dicit Propheta, quod si non est, tunc non estis Judæ. Sed non est notus in eis Deus, quia Cæsarem gentilem confessi sunt, dicentes : *Non habemus regem nisi Cæsarem* (*Joan*. XIX), et Christum negaverunt, de tribu Juda natum. Unde olim reges erant ; unde et Judæi dicti sunt. Duodecim enim tribus habebat populus Judæorum, secundum numerum filiorum Jacob præter tribum Levi : quæ ministrabat in tabernaculo, nec habebat sortem in terra promissionis (*Num*. XVIII). In divisione enim terræ promissionis, suscepti sunt duo Filii Joseph, scilicet Manasses et Ephraim ut haberent sortem in terra promissionis, et facerent per se tribus. Tribus autem dicuntur tanquam curriæ et congregationes distinctæ populorum. Susceptis ergo duobus filiis Joseph cum reliquis II filiis Jacob (*Gen*. XLVIII). Pro una enim tribu Joseph duæ filiorum accesserunt, factæ sunt XIII, sed accepta tribu Levi, quæ sacerdotalis erat, et de decimis vivebat, duodecim tantum remanserunt, quibus terra divisa est. In his autem tribubus una est Juda unde reges erant. Unde Jacob benedicens filiis ait : *Non deficiet princeps de Juda, et dux de femoribus ejus, donec veniat cui repromissum est. (Gen*. XLIX). Et ab hac tribu, omnes Judæi dicuntur : de qua etiam venit Dominus noster Jesus Christus. Judæi itaque Cæsarem confessi, non Christum qui de Juda, jam non sunt Judæi appellandi. Itaque eversum est regnum Judæorum, quia noluerunt cognoscere verum regem, id est Christum, abdicaverunt se ab isto nomine, cum dixerunt : *Non habemus regem nisi Cæsarem*. Si non habent regem nisi Cæsarem, defecit jam princeps de Juda. Venit ergo ille cui repromissum est. Illi ergo verius sunt Judæi, qui in ipsum credunt. Judæa vera Christi est Ecclesia, credens in eum, qui venit ex tribu Juda, in qua vere notus Deus. Sequitur : Et Israel vero, scilicet qui Deum vident, magnum est nomen ejus, [Gl. int.] Non blasphematur, sicut per malos.

VERS. 2. — « Et factus est in pace locus ejus ; et « habitatio ejus in Sion. »

Et factus est in pace locus ejus, Dei, [Cassiod., Hier., Gl. int., Aug.] id est, in humili et bene pacato habet locum. Alii interpretes dicunt *in Salem locus ejus*, sed idem est, quia ponitur hic interpretatio. Salem enim interpretatur *pax*. *Et habitatio ejus* est *in Sion* vera, id est in Ecclesia quæ nunc speculatur per fidem. Vel in Sion, id est in contemplatione futura, quando videbimus eum facie ad faciem (*I Cor*. XV). Nota congruum ordinem verborum. Prius ponitur Judæa, id est confessio ; postquam sequitur Israel, id est *vir videns Deum*, quia prius est confiteri peccata, per quod videtur Deus, et sic in pacato cum Deo locus est. Quando sequitur pax, post Israel, postea in Sion, id est in contemplatione cum facie ad faciem videbitur, erit habitatio.

VERS. 3. — « Ibi confregit potentias, arcum, scu« tum, gladium, et bellum. »

Ibi confregit. [Aug., Hier., Rem., Gl. int., Cassiod.] Quasi dicat : Hæc nonnisi a Deo habent, quia *ibi*, id est Judæa Israel, Salem, Sion *confregit potentias* ; vel ibi, id est in illa pace æterna confregit potentias, quas *arcum*, id est dolos, scutum, id est omne illud, unde se superbe protegunt, *et gladium*, id est omne illud, unde pugnant contra Deum, *et bellum*, id est omnimodam contradictionem, quam faciunt contra Deum defendendo peccata. Ubi enim Deus auctor pacis venit, hæc omnia fugiunt.

PARS. II. Διάψαλμα. VERS. 4. — « Illuminans tu « mirabiliter a montibus æternis ; turbati sunt om« nes insipientes corde. »

Illuminans. [Alcuin., Aug., Gl. int., Haym.] Secunda pars, ubi dicit quod Christus illuminat, Judæus dormit ; et quod Christus judicat, Judæus perit. Quasi dicat : Confregisti potentias, et *illuminans a montibus æternis*, id est per montes æternos, id est apostolos *tu*, non montes ipsi, illuminans dico *mirabiliter*, id est per miracula. Tu terribilis et venturus ad judicium, interponit autem, quare terribilis sit in futuro dicens : Turbati sunt, etc., et est parenthesis. Vel secundum aliam litteram, scilicet *illuminans*, [Aug., Hier., Cassiod.] quasi dicat : Confregisti potentias. Et *tu illuminans*, non montes ipsi. Et magnifice cum pondere dictum est, *tu*, ne putet aliquis quod eum montes illuminent, *mirabiliter*, id est per miracula facta, per manus apostolorum , tu illuminans, scilicet, *a montibus æternis*, id est per montes æternos, scilicet prophetas, apostolos, qui prius lucem excipiunt, per quos sedentes in tenebris illuminantur, quorum beatitudo non terminabitur. [Cassiod., Aug.] Et ideo dicuntur æterni, et per eosdem vitam æternam credentibus promisisti. Sed de hac illuminatione *omnes insipientes corde*, id est desideria mundi sequentes, *turbati sunt*, annuntiata eis alia vita quæ non est hic. Deinde præmittit quare in futuro erit terribilis. Unde et subdit : Turbati

VERS. 5. — « Dormierunt somnum suum, et ni« hil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus « suis. »

Dormierunt, [Aug., Alcuin., Aug., Cassiod., Alcuin.] In his præsentibus quiescentes, quæ eis facta

sunt deliciosa, id est a bonis æternis refrigescentes A carni acquieverunt, profutura non prævidentes, *somnum suum,* qui distat a quiete bonorum, quia iste fallax est. Vident enim per somnum se habere thesauros; sed dum evigilant, nihil inveniunt. Unde dicit : *Et nihil invenerunt omnes viri divitiarum.* Ecce diffinitio avarorum, id est studentes divitiis. Unde non ait : Habentes divitias. Multi enim habent qui non amant; sed *viri divitiarum,* qui totam scilicet spem suam ponunt in incerto divitiarum, *nihil invenerunt,* dico *in manibus suis* [Cassiod., Aug., Cassiod., Aug., Gl. int., Aug.] Ita hoc dicit, quasi adhuc in manibus quærunt cum se nihil tenuisse cognoscant. Somnium ergo præsentis vitæ illos divites facit. Evigilatio autem post hanc vitam pauperes prodit. Alludunt enim hæc verba actionibus som- B niantium, qui evigilantes quærunt in manibus quæ dormientes videbantur tenere et amisisse dolent : quod tamen nequaquam se possedisse cognoscunt. Tales sunt isti qui venerunt in hanc vitam, et per cupiditates temporales quasi obdormierunt. Hic excipiunt illos divitiæ et vanæ pompæ volaticæ, et transierunt omnia. Et ita nihil invenerunt in manibus suis, quia nihil posuerunt in manibus Christi, qui dicit : *Esurivi,* etc. (*Matth.* XXV.) In pauperibus namque esurit, qui in cœlo dives est. Vel viri divitiarum, id est qui libero arbitrio et lege se divites putant, et nihil invenerunt, in manibus suis, quia nihil boni post hanc vitam habent; sed hoc quod ipsi dormierunt, est a te quia

VERS 6. — « Ab increpatione tua, Deus Jacob, C « dormitaverunt qui ascenderunt equos. »

Ab increpatione tua, [Gl. int. Aug., Hier., Aug.] id est ab ira et excæcatione qua excæcas eos, o *Deus Jacob,* id est junioris populi, *dormitaverunt* cordis cæcitate, sicut Pharao et Ægyptii, et qui per sæcularia vagi sunt. Pharao enim increpationes Domini obstinata mente contempsit, ita et hi negligunt sancta monita Domini. Sed qui dormitaverunt? *Qui ascenderunt equos* superbiæ, id est qui noluerunt esse humiles, quorum superbia crevit humili Christo, non humiliati. Unde præceptum est in lege filiis Israel, ut non multiplicarent sibi equos (*Deut.* XVII). Salomon quoque de Judæo equos non habebat, sed emebat de Ægypto (*III. Reg.* X.) Attende rem tremendam. Increpatio, strepitum habet, D strepitus vero increpationis solet excitare homines. Sed tantum pondus est increpantis Dei, quod dormitant increpati, id est cor habet induratum. Duritia enim cordis, obdormitatio est. Sed quod dormientes modo non sentiunt, in finem sentient quia

VERS. 7. — « Tu terribilis est et quis resistet tibi? « ex tunc ira tua. »

Tu terribilis in judicio futurus *es, et* [Cassiod., Aug.] licet hic aliquo modo resistant, tunc *quis resistet tibi?* nullus. Sed *ex tunc ira tua.* Modo enim dicunt quod volunt, et disputant contra Deum. Quid enim tunc erit? ecce tunc erit ira tua, quando

VERS. 8. — « De cœlo auditum fecisti judicium; « terra tremuit et quievit. »

De cœlo veniens *fecisti,* [Alcuin., Haym., Cassiod; Aug.] id est facies. Sed præteritum ponit, quasi jam factum sit *auditum,* id est omnibus notum *judicium.* De cœlo veniet ad judicium Dominus. Unde Apostolus ait : *In revelatione Domini Jesu de cœlo cum angelis venientis* (*II Thess.* I). Vel *de cœlo jaculatus es judicium,* alia littera, qui sic descendet tanquam fortissima manu jaculum destinatum. Deinde virtus judicii exponitur, cum subditur : *Terra tremuit.* Quasi dicat : Facies judicium. Unde, terra tremuit, *et quievit* a malis suis, id est terreni terrebuntur, et perdita potestate quiescent. Melius autem modo timerent et quiescerent, quam tunc

VERS. 9. — « Cum exsurgeret in judicio Deus; « ut salvos faceret omnes mansuetos terræ. »

Cum Deus, [Cassiod., Alcuin., Gl. int., Cassiod.] id est Jesus Christus *exsurgeret,* **167** *in judicio,* vel, *judicium,* severe judicans, qui hic quietus omnia pertulit. Vel ita junge : Judicium dico exercendum, *cum Deus exsurgeret in judicium,* id est cum potens apparebit, qui humilis apparuit. Idem sensus : Vel ita ab illo loco, *de cœlo.* Quasi dicat : Erit ira. Nec hoc est imprædictum, quia *de cœlo,* id est de me dicit Asaph, *fecisti auditum judicium,* esse futurum. Unde *terra tremuit,* id est homo, *et quievit,* a malis suis, fecisti auditum : quando? *cum Deus,* id est Christus, *exsurgeret* hic a morte, postea venturus, *in judicium*, id est ad judicandum omnes [Alcuin., Cassiod., Aug., Cassiod., Alcuin., Gl. int.] Sed, ne putes judicium ad solam damnationem iniquorum, fieri subdit *ut salvos faceret omnes mansuetos terræ,* scilicet qui non equos superbiæ ascendunt; sed in humilitate confessi sunt peccata, qui habent pacem mentis, non detrectantes jugum Dei. Mansuetos dico *terræ.* Quasi dicat : Non dico angelos qui sunt mansueti cœli, non terræ.

PARS III. Διάψαλμα. VERS. 10.— « Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi; et reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi. »

Quoniam cogitatio hominis. [Cassiod., Alcuin., Gl., int., Alcuin.] Tertia pars, ubi admonet jam devotos offerre vota. Quasi dicat : Merito salvat mansuetos, *quoniam cogitatio* mansueti *hominis confitebor tibi,* id est mansueti laudabunt te cogitatione, et etiam opere. Unde subdit : *Et reliquiæ cogitationis.* Id est exhibitio boni operis *diem festum agent tibi,* id est mansueti cessabunt a servili opere peccati, non intenti mundo, sed quieti, et bonis operibus intendent. Cogitatio enim est conceptio voti; reliquiæ, redditio voti; operatio, reliqua post cogitationem. Et quia salvabit, ergo, o vos homines.

VERS. 11.— « Vovete, et reddite Domino Deo « vestro, omnes qui in circuitu ejus affertis munera. »

Vovete, mente quodlibet bonum, *et reddite* opere necessario post votum. [Gl. int., Aug.] Notandum quia alia sunt communia vota de his, scilicet, sine quibus non est salus, ut vovere fidem in baptismo,

et abrenuntiare diabolo et pompis ejus, nec occidere, non surperbire, et hujusmodi. Quæ, etiam si non promittimus, solvere debemus, et de his præcipitur omnibus. *Vovete, et reddite.* Alia sunt vota propria singulorum, ut castitas, virginitas, et hujusmodi. Ad hæc ergo vovenda nos invitat, non præcipit, ut voveamus, sed ut vota reddamus. Vovere enim consulitur voluntati, sed post voti promissionem necessario redditio exigitur. Ideo non ait simpliciter vovete, et nolite vovere, sed vovete, et reddite, id est si vovetis, reddite. Alioquin de voto rei tenentur et damnationem habent, quia primam fidem irritam fecerunt, ut ait Apostolus (*I Tim.* v). Vel prima cogitatio dicitur, qua incipimus bona, scilicet pœnitere de peccato, et confiteri Deo, quæ facit reliquas cogitationes, quæ festum agunt. Prius est damnare et displicere quod eramus; quod postea in memoriam tenere debemus, scilicet quid eramus, et quid accepimus. Et hæc sunt reliquiæ cogitationis, ne a memoria excidat vulnus quod habuimus, et munus sanationis quod Salvator donavit. Et hæc in memoria tenentes, gratias liberatori agamus, quod est solemnia celebrare. Ordo vero litteræ non pendet a superiori, ut proprietas diapsalmatis servetur, sed ad inferiora respicit, sic : [Aug., Cassiod.] Cogitatio hominis, prima scilicet qua damnat mala, et incipit bona. *Confitebitur tibi, et reliquiæ cogitationis,* id est reliquæ cogitationes, post prima, scilicet quod semper debet homo recordari mala præterita, ut lugeat, et bona præstita ut speret, *diem festum agent tibi,* gratias agendo. Quoniam sentit se homo a peccatis liberum, sicut post emundationem jubetur Judæis in lege offerre festivum manus Deo. Et quoniam solus Dominus est, cui festivitas debetur, ergo, o vos homines, *vovete et reddite*, hoc non mutatur. *Domino Deo vestro,* non tantum homini, quia non est tantum homo, sed et Deus. [Gl. int., Remig., Cassiod.] Reddite, vos *omnes in circuitu ejus* existentes, per fidem *affertis munera,* id est vos ipsos munera, quæ altaribus offeruntur. Hi tales monentur vovere, non hæretici, vel pagani. Vel secundum aliam litteram, quæ est, *omnes qui in circuitu ejus sunt afferunt,* vel *offerent,* [Alcuin., Aug.] Quasi dicat : Ideo vos moneo, quia omnes qui in circuitu ejus sunt, ut famuli, offerent, vel afferent munera, humilitatis, id est, omnes humiles confitentur ei, et adorant eum. In circuitu namque ejus, quasi medii sunt, qui intelligunt communem esse omnibus veritatem, et non faciunt superbiendo suam, offerunt munera, quia habent humilitatem. Qui autem quasi suum faciunt quod omnibus commune est, tanquam in medio positum ad partem ducere conantur, et hi non offerent munera. Ecce dixit cui debeant offerre, scilicet *Domino*, et qui sunt in circuitu deinde subjungit, quare dicens :

VERS. 12. — « Terribili et ei qui aufert spiritum « principum, terribili apud reges terræ. »

Terribili. [Gl. int., Alcuin., Aug.] Quasi dicat : Vovete Domino *terribili,* id est quia terribilis, si non amore, vel timore facite, quem vere timent boni ; mali vero non et quia terribilis, ideo timeat quis superbus facere suum; sed sit humilis communem omnibus intelligens, habens spiritum Dei, non spiritum principum, id est superbum. Unde subdit : *Et ei qui spiritum principum,* id est audaciam superborum, scilicet spiritum superbiæ, vel timoris aufert, dando suum spiritum, et sic facit eos reges sui, qui corpus suum moderantur, unde subdit : *Terribili apud reges terræ,* [Hier., Haym., Aug.] qui se regunt subjecti Deo, de quibus dicitur : *Cor regis in manu Domini est* (*Prov.* XXI). Vel ad litteram, aufert spiritum, id est vitam principum, scilicet terrenorum. Quasi dicat : Non solum aliis est terribilis, sed etiam regibus terræ. Unde subdit terribili apud reges terræ, qui terribiles sunt aliis.

COLLATIO IN PSALMUM LXXV : « NOTUS IN JUDÆA, » etc.

VERS. 3. — « *Ibi confregit potentias, arcum, scutum,* etc. In Hebr. et in Græco, sic ordinantur ista duo vocabula, *potentias, arcum,* ut sint in statu regiminis. Prius quidem vertit Hieronymus, *volatilia arcus,* quod alii eodem sensu *sagittas* aut *jacula arcus,* רשפי קשת RISCHPHE QUACHETH, ubi manifeste prior particula pronuntiaretur רשפים RESCHAPHIM, nisi foret in statu constructionis id quod clarissime patefacit Græcum τὰ κράτη τῶν τόξων. Itaque diceret quis in Latinis exemplaribus vitium esse scriptoris, qui posuit *potentias, arcum,* ut habet et interpretatur Hieronymus in Commentariis. Ibi, inquit, confregit fortitudines arcuum, illas sagittas ardentes quas mittebat diabolus. » Sic et legit Augustinus; consimiliter Cassiodorus, *cornua arcuum.* Itemque Arnobius. Invenio tamen ipsum Gregorium, disjunctim legisse, quod liquet ex interpretatione propria singulorum, lib. XXIII Moral., cap. 29, in hæc verba : « Rursum pro humana repugnatione, per eum Prophetam, scutum ponitur sicut alibi ait : *Ibi confregit cornua, arcum, scutum, gladium et bellum.* In cornibus quippe elatio superborum, in arcu enim insidiæ longe ferientium ; in scuto autem, obstinata duritia defensionum ; in gladio, vicina percussio ; in bello vero, ipsa contra Dominum mentis motio designatur. « Et paucis interjectis. » Hinc rursum per eumdem psalmum dicitur : *Arcum conteret, et confringet arma, et scuta comburet igni.* Arcum enim Dominus conterit cum occulta insidiantium machinamenta dissolvit, » etc. In eamdem tendit lectionem et distinctionem Haymo, hunc locum edisserens : « *Ibi,* id est, in Sion, id est in speculantibus se, confregit Deus, id est destruxit, potentias diaboli, et eas per partes exsequitur : Arcum, id est, latentem impugnationem ; scutum, in est defensionem iniquitatis ; et gladium, id est, manifestam impugnationem. Et ut omnia comprehendat, dicit bellum, id est omnem impugnationem. » Hæc Haymo. Qui apertissime distinguit potentias et arcum. Jam vero cum multæ fuerint editiones, quid si aliqua habuerit τὸ τόξον. Illud tandem lectori expendendum relinquo. Manifestum est autem quod Chaldæus distinguit interposita conjunctione, *Sagittas* et *arcus.* Accinit versio Felini.

VERS. 4.— *Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis.* Hieronymus, *a montibus captivitatis*; Pratensis, *prædæ*; Sanctes, *rapacibus*; et cæteri similiter. Vocula Hebraica טרף TEREPH *prædam* haud dubie signat. Sed palam est Septuaginta legisse טרם TEREM, quod tamen una litterula distat, id est *ante,* quod ut dilucidius esset dixerunt *a montibus æternis*, magis quam *a montibus ante.*

Turbati sunt. Alii vertunt, spoliati sunt, aut in

prædam dati sunt אשתוללו ESCTOLALU, ubi in principio ponitur aleph, vice hic, id quod indicat Munsterus. Cæterum, qui spoliis expositi sunt, nusquam non turbantur. Unde Nebiensis habet, *deturbati sunt.*

Insipientes corde. Alii dicunt, *fortes* aut *robusti corde*, sive *feroces*. Hieronymus autem ponit, *superbi corde*, quem sequitur Nebiensis אבירי לב ABIRE LEB, ut ex hoc perpendamus nihil stolidius corde superbo juxta apostoli dictum Rom. I : *Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt.*

VERS. 5. — *Nihil invenerunt viri divitiarum in manibus suis.* Hoc in loco, ex duobus pendet varietas translationum. Alterum est vocabulum חיל HAUL, *polysemon* significat, quandoque *vires*, *exercitum*, *divitias*, et alia quædam. Alterum (quod subinde admonetur) æqualitas casuum in Hæbrea declinatione. Itaque ut agnoscas quo modo id sit verum, metire varias traductiones. Hieronymus ait : *non invenerunt omnes viri exercitus manus suas*, Pellicanus, *non invenerunt viri strenui manus suas.* Pene idem Nebiensis et interpretes pro Cajetano. Pratensis est cum Hieronymo. Sanctes, *non invenerunt viri fortes, vires in manibus suis ;* Felinus, nihil *manibus suis potuerunt efficere cuncti viri bellica virtute instructi ;* Munsterus, *non invenerunt cuncti viri quorum manus potentes fuerunt.* Satis accedit paraphrasis Campensis. Sciendum tamen Hieronymum, ad Sumam, malle *manibus suis* legi citra præpositionem, eo quod Græce habetur simpliciter ταῖς χερσὶν αὐτῶν præsertim quod pulsaretur, quasi ipsam posuisset præpositionem *in* sua versione e Græco, in eodem nihilominus opere monet contentiones, ubi est idem sensus, declinare.

VERS. 6. — *Dormitaverunt qui ascenderunt equos.* Hieronymus, item cæteri qui Hebraicantur, *consopitus est currus et equus* נרדם ורכב וסים NIRDAM VERECHB VASUS. In eamdem intelligentiam reducitur metaphora aliis verbis elata. Certum est psalmum loqui de superbia terrenæ potestatis, cum sedere in equis, dicit Augustinus, peccatum non sit, sed cervicem potestatis contra Deum erigere, et putare se in aliquo honore esse. Quodcunque autem verbum nostræ lectionis respondet diverso significatui cujusque vocabuli Hebraici, quantum satis est.

VERS. 8. — De *cælo auditum fecisti judicium.* Faber docet nos rectius ad Hebræum dici in futuro, *de cælo auditum facies judicium.* Scimus præteritum poni loco futuri, tamen ad verbum in Hebræo, est præteritum השמעת HISGHMATA.

VERS. 10. — *Cogitatio hominis confitebitur tibi.* המת HAMAH vertitur *ira* vel *furor*, ubi dicimus *cogitatio.* Attamen si dixerimus deflecti posse a radice יחם IAHAM quod est interdum *concipere cogitationem* reperiemus, quam interpretatur Augustinus in hac parte, primam conceptionem pœnitentiæ interioris. Sic et nos debemus irasci peccatis nostris recogitando in amaritudine animæ nostræ acta pristinæ vitæ, ut inde laudem Deo digne dicamus eique haud ficte confiteamur.

Reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi. Hieronymus, *reliquiis iræ accingeris* שארית חמות תחגור SCHERITH HEMOTH TACHOZ. Alii vertunt *reliquias furoris accinges.* Opinor Septuaginta legisse חגג HAGAG per duplex 168 gimel, id est, solemnitatem agere ; et non per gimel unice ac res חגר HAGAR.

VERS. 12. — *Terribili et ei qui aufert spiritum principum.* Hieronymus reddit rationem, cur pronomen *ei* adjecerit, quod non erat in Græco, imo nec est in Hebræo. Ita scribit ad Suniam et Fretellam : « Dicitis quod, *ei* ; non sit scriptum in Græco τῷ φοβερῷ ἀφαιρουμένῳ πνεύματα ἀρχόντων, id est *terribili et auferenti spiritus principum.* Verum est. Sed nisi apposuerimus *ei*, Latinus sermo non resonat. Neque enim possumus dicere, *terribili et qui aufert spiritum principum.* » Hæc Hieronymus. Illud levius est quod particulam *terribili* Hebræi retrahunt ad præcedentem versum, quando sententiæ cohærent.

PSALMUS LXXVI.

PSALMI TITULUS : « IN FINEM PRO IDITHUN, PSALMUS ASAPH. »

Voce mea ad Dominum. Titulus : *In finem pro Idithun, psalmus Asaph.* [Aug.] Idithun, sicut sæpe supra diximus interpretatur *transiliens eos ;* Asaph, *congregatio*, quæ fidelis hic loquitur, id est transiliens omnia visibilia, ut perveniat ad finem, qui Christus est, quem Moyses desiderabat videre, cum dicebat : *Domine, ostende mihi faciem tuam* (*Exod.* XXXIII). Cui Dominus : *Non videbit me homo et vivet* (*ibid.*). Et est sensus tituli : *Psalmus* iste attribuitur *Asaph*, id est fideli congregationi, quæ hic loquitur, et agit *pro Idithun*, id est de se transiliente *in finem*, id est in Christum ultra quem nihil est. Intentio docet desideria et illecebras sæculi calcare, et nil sibi proponere nisi illum ex quo sunt omnia, sicut ipse facit. Modus : [Cassiod.] Quatuor sunt partitiones. Primo, dicit quomodo transcendens omnia Deum quærit invenit. Secundo deliberat an sit eum reducturus, ibi, *anticipaverunt.* Tertio dicit quid deliberando invenerit, ibi, *et dixi* : *Nunc.* Quarto exponit quæ in mundo Christus operatur, ibi *viderunt te.* Asaph ergo transiliens omnia, solum Deum quærens, ait :

VERS. 1. — « Voce mea ad Dominum clamavi ; « voce mea ad Deum, et intendit mihi. »

Voce mea, [Alcuin., Aug., Cassiod., Aug.] id est, intentione devotionis, *ad Dominum clamavi*, non aliud ab eo petens, ab ipso enim ipsum quærit, et transit quidquid infra est deinde repetit *voce mea ad Deum clamavi.* Ostendens propter quid clamet, scilicet quia Dominus, quia Deus. Vel ita : Prius dicit ad quem clamet, et non quid petat, dicens : *Voce mea ad Dominum.* Non dicit quid petat, quia non est opus ei qui novit quod expedit. Deinde subdit propter quid clamaverit : *Et vox mea est ad Deum*, alia littera, ad hoc est vox propter quod editur. Hoc addit, ne putetur propter aliud clamare ad Deum, quam propter ipsum, supra quem nihil est. [Gl. int., Aug., Cassiod.] Vel in eodem etiam sensu legitur littera nostra, scilicet *clamavi voce mea*, ente, *ad Deum*, et ut non frustra clamasse se ostendat, subdit *et intendit mihi*, quia semper adest quærentibus se : sed non adest quærentibus aliud ab eo. Unde : *Clamaverunt nec erat qui salvos faceret* (*Psal.* XVII). Item : *Clamaverunt ad Dominum nec exaudivit eos (ibid.)*. Intendere autem Dei, est dare totum quod petitur, etiam plusquam petatur.

VERS. 2. — « In die tribulationis meæ Deum exquisivi manibus meis nocte contra eum, et non » sum, deceptus. »

A

In die tribulationis meæ. [Gl. int., Cassiod., Aug.] Quasi dicat : Non solum voce quæsivi Deum, sed etiam *manibus*, id est operibus, et non solum alio tempore, sed etiam, *in die tribulationis meæ*, in qua alii quærunt de ea exire, qui non transiliunt. Iste necessitatum oblitus, Deum tantum quærit. Vel ita continua : Quomodo hoc totum fit ? scilicet clamor et exauditio, ecce, in die tribulationis meæ, id est quando est mihi tribulatio, vel in vita ista, quæ tota est tribulatio desideranti cœlum, *exquisivi Deum*. Ex tribulatione quærit iste Deum, ut in eo sit sibi quies. Non aliud ab eo quærit. Nota quod hucusque dixit, quis clamaverit, et ad quem, propter quid, et qua necessitate. Deinde subdit, quomodo quæsierit, et quando, et ubi, et quo fructu. Quasi dicat : Quomodo quæris ? *Manibus meis*, id est bonis operibus, non inani desiderio. Quando ? *nocte*. Idem dicitur nox hic quod supra dies tribulationis, scilicet vita ista. Hoc sæculum, quod est tribulatio illi qui desiderat cœlum. Et nox est quia in ea opus est lucerna verbi Dei. Unde Petrus : *Nos habemus certiorem propheticum sermonem, cui benefacitis, intendentes velut lucernæ in obscuro loco donec dies lucescat, et lucifer oriatur in cordibus nostris* (*II Petr.* I). Venturus ergo est verus dies post istam noctem, cujus diei comparatione hæc vita nox est. Dies vero est comprata vitæ infidelium. Unde Apostolus : *Sicut in die honeste ambulemus* (*Rom.* XII). Dies ergo est in comparatione infidelium, et nox in comparatione angelorum, et cum idem sit dies et nox, tamen propter aliud supra dies ponitur, propter aliud hic nox. Dies enim necessitatem, nox tempus clamoris notat. Ecce dixit qua necessitate, et quomodo et quando quærit, et ubi quæris ? Coram eo, vel *contra* eum. Coram ipso Deum quærit, qui non facit justitiam suam coram hominibus ut videatur ab eis. Unde : *Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua* (*Matth.* VI). Et : *Cum facis eleemosynam, noli tuba canere*, etc. (*ibid.*). *Et* quo fructu *non sum deceptus*, ut hi qui aliud quærunt, quia inveni quod quærebam.

VERS. 3. — « Renui consolari animam meam, « memor fui Dei et delectatus sum, et exercitatus » sum ; et defecit spiritus meus. »

Renui, vel, negavi *consolari animam meam* vel anima mea. [Aug.] Exponit hic tribulationem quæ pungit, et quodammodo impingit ei necessitatem transiliendi. Quasi dicat : Dixi in die tribulationis, quæ tribulatio tanta fuit, quod anima mea renuit consolari, vel negavi consolari animam meam, quia undique mihi mala. Tantum enim tædium et tristitia pro peccatoribus me occupavit, ut contra omnem consolationem claudat se anima. Si quis enim justus videtur, qui solus est consolatio sæpe aliter invenitur : quod est expertus iste, percussus scandalis. Et ideo jam timet in aliquo lætari et consolari, quia in omnibus scandalum invenit. Vel timet, quia in nullo securus est, quæ ergo respiratio ? Ecce *memor fui Dei* in quo suavitas. Hunc manus ? quærentis inveniant in tristitia consolatorem, *et delectatus sum*, vel *et garrivi*, alia littera, id est exsultavi loquendo de Deo ut garrulus, qui præ lætitia nec vellet, nec posset tacere. Garruli enim proprie dicuntur, qui vulgari verbo sic appellantur, scilicet accedente lætitia, nec valentes, nec volentes tacere. *Et* in garriendo rursus *defecit spiritus meus*, qui prius contabuerat tædio malorum, Ideo defecit iterum spiritus meus, quia.

PARS. II. Διάψαλμα. VERS. 4. — « Anticipaverunt « vigilias oculi mei : turbatus sum. et nom sum » locutus. »

B

Inimici mei. [Aug.] Alia littera *anticipaverunt vigilias meas*, quærentes calumniam in verbis, id est omnes inimici mei vigilaverunt super me, id est plus me : tendendo insidias præoccupaverunt me spirituales inimici, de quibus dicit Apostolus : *Non est vobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principatus et potestates, adversus spiritualia nequitiæ* (*Ephes.* V). Hi vero plus vigilaverunt ad decipiendum, quam ego ad custodiendum, ubique scandala ponunt, ubique ponunt muscipulas. Ecce enim tædium inest cordi, timendum est ne tristitia absorbeat lætitiam. Vel ne garriendo in lætitia spiritus deficiat, et dicat homoquod inimicus teneat, id est reprehendat, unde iste turbatur, et non loquitur. Unde sequitur : *turbatus*

C

sum, quia malum est tacere, et malum loqui. Ideo retro redit, unde subdit : *Et non sum locutus*, non tamen cessat, conatur invenire remedium, vult et hoc ipsum transcendere, unde subdit :

VERS 5. — « Cogitavi dies antiquos, et annos « æternos in mente habui. »

Cogitavi dies. [Aug.] Jam iste quasi qui extra vapulavit in secreto mentis suæ agit, ubi nemo oblatrat. Et Deus adjuvat, ibi manens, de æternis agit : quod ibi licet, non extra in strepitu. Et hoc est *cogitavi dies antiquos, et annos æternos*, ubi hæc mala non sunt, *habui in mente*, id est in memoria, et accipit pro eodem dies et annos. Hæc cogitatio de æternis, magnum silentium vult ab omni tumultu rerum humanarum, ut secure intus agat, unde subdit :

D

VERS. 6. — « Et meditatus sum nocte cum corde » meo ; et exercitabar, et scopebam spiritum » meum. »

Et *meditatus sum nocte cum corde meo*, [Aug.] ubi non est locus calumnioso, et *garriebam*, alia littera, non jam foris, sicut prius, sed *scrutabar*, alia littera, *spiritum meum*, ubi multa, si cum eo loquor et garrio, invenire potero. Et quid invenisti quod non in æternum repellet Deus hominem. Et hoc sub interrogatione dicit :

VERS. 7. — « Nunquid in æternum projiciet Deus : » aut non apponet ut complacitior sit adhuc ? »

Nunquid in æternum projiciet Deus [Aug.] homi-

nem? absit! Adverte saltus transilientis. Invenerat A supra tædium in hac vita, nusquam fidem, nusquam consolationem. Ad quoscunque homines intendebat, scandalum inveniebat in eis, nusquam ergo securus. Ideo transilivit ad Deum, ut ibi lætetur; sed garriens foris, de Deo reprehendi ab inimicis. Unde ad cor rediit. Sed quia illi tacere malum erat, ne sileret a bonis, angustiatus in hac vita vehementer de alia vita multum cogitavit, ubi non est tentatio; nec cessavit transilire etiam spiritum suum, donec veniret ad finem de quo titulus ait ubi, hoc invenit, quod non in æternum projiciet Deus [Rem.,, Cassiod.]

Aliter ab illo loco : *Renuit consolari*. Quasi dicat : Merito non sum deceptus, quia a Deo exquisivi Deum, quod *anima mea renuit consolari*, in aliis B rebus quam in Deo. Et ideo *memor fui Dei*, in quo suavitas, *et delectatus sum in eo, et exercitatus sum*, inquirendo magnitudinem sapientiæ, et potentiæ ejus, *et defecit spiritus meus*, quia res est incomprehensibilis.

Anticipaverunt. Secunda pars. [Cassiod., Alcuin., Cassiod.] Invento Deo, qui solum bonum est, ei deliberat an sit eum reducturus, secundum lectionem Augustini quæ præcessit. Non est hic partitio et ponit quomodo exercitatus fuerit ita, scilicet quod *anticipaverunt vigilias*, aliorum, *oculi mei*, ut ille facit, qui ante tempus surgit ad negotium. Vel, oculi mei, id est affectiones meæ, anticipaverunt vigilias, id est, sedulitatem aliorum. Vel per vigilias significat nocturnos, quos usualiter sic vocamus, C quos facimus in laudibus Dei. Quasi dicat : ante alios in nocturnis, laudavi Deum, et vigilans *turbatus sum*, quia non potui consequi, quod quæro. [Alcuin., Gl., Haym., Cassiod.] Qui dormit in mundanis somniat se beatum. *Et non sum locutus*, id est, non murmuravi contra Deum. Et ideo, turbatus est, quia dum nocte secreta sui animi perquirit : videt humanum genus in peccata ruere, et pio dolore pro aliis cruciatur qui jam vitia transilivit; sed tacet, non loquitur, quia nocte non habet solatium humani colloquii quo tempore cautius cogitat. Unde subdit : *Cogitavi*, [Cassiod., Alcuin.] quasi dicat : Ideo sum turbatus, quia, *cogitavi dies antiquos*, Adæ, in quibus corruit homo a stabilitate sua, id est cogitavi quid contigit Adæ pro D inobedientia et ex illo cognovi hunc defectum hominis esse. Et contra *annos æternos*, quos homo persistens haberet, *in mènte habui*, quod non stulti. Quasi dicat : Vidi bona quæ perdidi, et mala quæ inveni; et ideo turbatur iste, quia homo desiderat dies antiquos et annos æternos negligit. *Et meditatus sum nocte*, id est in hoc defectu, *cum corde meo*, id est, cum ratione, si quomodo possem redire ad annos **169** æternos, cum ratione tacitus loquitur, qui in ea quietus exercetur; *et scopebam spiritum meum*, id est, purgabam mentem meam, ut videre possem : alii interpretes dicunt, *ventilabam spiritum meum*, id est virtutem animi mei. [Hier.] Huc et illuc volvendo, in quo actus deliberationis exprimitur. Vel, scopebam, id est fodiebam, spiritum meum. [Alcuin., Cassiod., Aug.] sic apud me tractans, scilicet *nunquid in æternum projiciet Deus* genus humanum. *Et nonne apponet*, id est nonne addet ipse, *ut complacitior sit adhuc?* quasi qui jam placitus sua gratia fuit in Veteri Testamento, nonne addet ipse, ut plus sit in Novo, per adventum Filii? hoc sentit, qui de pietate tractat : vel complacitior sit adhuc, id est ut ipse qui fuit iratus repellendo, mala inferendo, sit mansuetior liberando, revocando. Ira enim fuit quod patimur.

VERS. 8. — « Aut in finem misericordiam suam » abscindet, a generatione in generationem? »

Aut abscindet ipse a genere humano *misericordiam* incarnationis, [Gl. int., Cassiod.] scilicet quod de Virgine natus. Misericordiam dico *suam* quia ipse natura misericors est. Et hoc *in finem*, id est omnino a bonis, sicut a malis. Vel in finem, id est in plenitudinem temporis, ut nec hoc tempore beneficium incarnationis exhibeat, scilicet *a generatione* malorum, *in generationem*, vel a generatione prima Veteris Testamenti in generationem ultimam, scilicet Novi Testamenti. Idem aliis verbis repetit dicens :

VERS. 9. — « Aut obliviscetur misereri Deus? aut » continebit in ira sua misericordias suas? »

Aut obliviscetur Deus misereri. [Aug., Haym., Gl. int., Aug.] In alio non est misericordia, nisi eam Deus donet, et ipse erit sine ea? Rivus currit et fons siccatus est? ipse enim fons est misericordiæ, qui eam naturaliter habet a quo emanat velut rivulus de fonte in alios. Dum autem dicit : Obliviscetur misereri, significat quod incœpit et consuevit misereri. Idem aliter repetit, *aut continebit in ira sua misericordias suas*, id est ira vincet misericordiam? potius misericordia vincet iram. Unde per Isaiam : *Non in æternum vobis vindex ero* (*Isa.* XXXVII). Neque per omne tempus irascar vobis. Ideo ante dicit, continebit misericordias, quia cœpit jam misereri. Et ideo non desistendum.

PARS. III. Διάψαλμα. VERS. 10. — « Et dixi : Nunc » cœpi. Hæc mutatio dexteræ Excelsi. »

Et dixi. [Alcuin., Cassiod.] Tertia pars, ubi dicit, quid deliberando invenerit, scilicet quod Christus mutat homines et redimit. Quasi dicat : Ita cogitabam hæc apud me, *et* post hæc *dixi* id est huic meditationi meæ respondi : *Nunc* primo *cœpi* sapere, id est intellexi, quod fuit tacitum ab æternis temporibus, scilicet quod homo reduceretur ad annos æternos. Et quod jam intelligo, istud est argumentum de futura consummatione, scilicet quod in futuro consummabor. Et *hæc mutatio* est *dexteræ Excelsi* [Gl. int., Cassiod.[Id est favoris et propitiationis Dei. Quasi dicat : Non est mutatio a misericordia ad iram, sed ab ira ad misericordiam, scilicet quod de servis mutamur in filios, ut ego fui.

VERS. 11. — « Memor fui operum Domini, quia » memor ero ab initio operum tuorum. »

Memor fui operum Domini, [Cassiod.] id est hujus

mutationis in me factæ, *memor fui*, nunquam dans oblivioni, ut meliora mererer; sed ne de se tantum lætari videret, addit : Et vere hujus mutationis memor fui, *quia* etiam *memor ero mirabilium tuorum ab initio*, id est quæ Deus humano generi indulsit ab initio, scilicet quod Adam ad imaginem suam fecit, quod Abel hostiam accepit, similiter quod de Noe fecit, in cujus arca diversa animalia in mysterium Ecclesiæ salvavit : quod de Abraham fecit, cujus oblatione filii Christi incarnationem et passionem designavit, tandem quod ipse Deus venit. Hæc sunt quem virum sanctum delectant. Unde supra : *Et delectatus sum*. Deinde universalius repetit,

VERS. 12. — Et meditabor in omnibus operibus « tuis ; et in adinventionibus tuis exercebor. »

Et meditabor in omnibus operibus tuis, et in adinventionibus tuis exercebor, [Alcuin., Rem., Cassiod.] id est in præceptis quæ invenisti, vel quibus inveneris ; a te enim omnis sapientia et prudentia est. Vel, *in observationibus tuis*, alia littera, id est præceptis quæ observanda sunt, *exercebor*, quia non satis est legere Scripturas, sed fructus operum demonstrare oportet. In his autem eruditus iste in laudem prorumpit, dicens :

VERS. 13. — « Deus, in sancto via tua, quis Deus « magnus sicut Deus noster ; tu es Deus qui facis « mirabilia. »

Deus, in sancto id est in Christo est, *via tua*, id est redeundi ad te. [Aug., Cassiod., Aug.] Aliter ab illo loco. *Et dixi*, transiliens iste, nusquam requiem inveniens, non desiit transilire etiam seipsum quousque perveniret ad Deum. In aliis ergo deceptus. et tædio affectus, nunc invenit ubi sit securus. Quasi dicat : Ita me transilivi usque in finem. *Et dixi nunc*, id est intellexi primo, cum et me transiliens ad Deum veni, *cœpi* aliquid, ubi securus sim, ubi non anticipent inimici mei, ubi jam nullum periculum. Et dixi etiam: *Hæc est mutatio dexteræ Excelsi*, id est modo cœpit me mutare excelsus Deus, per dexteram, id est per Christum. [Hier.] Dextera enim Patris Filius est. Unde : *Et brachium Domini cui revelatum est ?* (*Isa.* LIII) et scio quod potest mutare, quia omnia creavit quorum ego memor. [Haym., Aug.] Et hoc est : *Memor fui operum Domini*, jam spatiatur iste in operibus Dei, et securus gaudet, qui supra foris garriens defecit. Jam et sui oblitus, in solo Deo delectatur. Unde subdit : Quia memor ero, quasi dicat : Memor fui, et ero, quod ita dicit, quia memor ero mirabilium tuorum et non solum memor ero, sed etiam, *meditabor in omnibus operibus tuis*, et *in affectionibus tuis garriam*, alia littera. [Aug.] Ecce tertium garrire. Prius garrivit hominibus foris, et defecit post in spiritu suo et profecit ; nunc in operibus Dei garrit, quando pervenit quo tendebat. In affectionibus tuis, non in meis. Aliæ enim sunt affectiones hominis, aliæ Dei. Affectiones enim hominis sunt circa terrena, scilicet circa tabulam, theatrum, venationem, aucupium et hujusmodi. Et sicut in his terrenis est affectio humana,

A ita in operibus et meditatione Dei. Est interior quædam affectio cum inspicitur munus, et in creatis Creator quæritur, et invenitur nusquam displicens, sed per omnia et super omnia placens, Deus in sancto. Jam incipit opera misericordiæ Dei circa nos ostendere, de quibus garrit et exsultat, ostendens per quem fit reditus ad annos æternos. Quasi dicat : Per prædicta sum certus, quod veniam. Et hoc duce, non *Deus in sancto* Christo, *via tua*, id est via co-tendi te et ad te veniendi. Ipse enim ait : *Ego sum via, veritas et vita* (*Joan.* XIV). Redeant ergo prævaricatores ad cor (*Isa.* XLVI), et scrutentur cor suum recolentes annos æternos, et sic invenient misericordiam. Unde iste lætus potentiam Dei præfert simulacris, quæ falso colebantur. [Cassiod., Aug.]

B Quasi dicat : Et cum hæc sint, *Quis Deus* de diis gentium, quibus homines affecti colunt, *est magnus sicut Deus noster*, quasi dicat : nullus *quia tu solus*, non alius, *es* Deus proprie *qui* solus *facis miribilia* tam in anima quam in corpore. Sanati sunt surdi, cæci, languidi, mortui, paralytici (*Matth.* VI, II). Ista in corporibus facta sunt, in anima quidem sobrii sunt paulo ante ebriosi ; fideles sunt paulo ante adoratores simulacrorum. Facis mirabilia, ut hoc quod

VERS. 14. — « Notam fecisti in populis virtutem « tuam ; redemisti in brachio tuo populum tuum, « filios Jacob et Joseph. »

Virtutem tuam, [Cassiod., Aug.] id est Christum *notam fecisti*, quando eum in mundum misisti ; per

C hoc et iste fit transiliens, quod est unum de mirabilibus. Notam dico, *in populis* tam fidelibus quam infidelibus ; sed infidelibus sic notam fecisti, ut cognoscant Christum tantum corpore. Fidelibus vero, ut cognoscant eum etiam in deitate. Deinde subdit quid præstiterit hac virtute, dicens : *Redemisti in brachio*, id est in Christo, *populum tuum*, scilicet *filios Jacob*, id est Judæos credentes, *et Joseph* ipsum, id est gentilem populum. Joseph enim pervenit ad gentes, et interpretatur *augmentum*, ideoque bene significat gentes, de quibus augmentatus est populus Dei. Vel Joseph intelligitur Christus, quia sicut Joseph venditus a fratribus prius humiliatus est (*Gen.* XXXVII), deinde exaltatus, quando in Ægypto regnavit (*Gen.* XLII) : ita et Christus a Judæis venditus ad gentes transiit, in quibus regnavit, ubi

D prius humiliatus est, in persecutionibus martyrum. Filii ergo sunt, quos ex gentibus elegit. Et est, et redemisti filios Joseph, id est electos de gentibus Christi filios. Et repetimus hic, filios, quod primo non fecimus.

PARS IV. Διάψαλμα. VERS. 15. — « Viderunt te « aquæ, Deus, viderunt te aquæ et timuerunt, et « turbatæ sunt abyssi. »

Viderunt [Cassiod., Alcuin., Haym., Aug.] Quarta pars ubi exponit quæ in mundo Christus operatur, quasi dicat : Quomodo fecit notam virtutem ? Ecce *viderunt te*, etc. Vel ita continua ; Notum fecit Christum, et per eum *viderunt te* fide , o *Deus*

Pater, *aquæ*, id est populi. Vel ita continua; Quia notam fecit virtutem, ideo, o Deus, Christe, qui es virtus et brachium, viderunt te fide aquæ, id est populi. Deinde repetit ut uterque populus intelligatur, viderunt te aquæ, *et timuerunt* de peccatis, *et abyssi*, id est altitudines aquarum *turbatæ sunt*, pungente conscientia, et hi non sunt pauci, sed

VERS. 16. — « Multitudo sonitus aquarum, vocem « dederunt nubes. »

Multitudo est *sonitus aquarum*, [Cassiod., Aug.] id est populorum sonantium, in confessione peccatorum, in gemitu culparum, in laudibus Dei, in actionibus gratiarum. Quasi enim mare confragosum sonant diversa vota in Ecclesia populorum, sed unde sunt isti sonitus aquarum et turbatio abyssorum? quia *nubes*, id est prædicatores verbi Dei *dederunt vocem*, in omnibus gentibus prædicando Christum, de quibus per prophetam dicit Dominus: *Mandabo nubibus meis ne pluant super eam imbrem* (*Isa.* v). Et vere dederunt vocem.

VERS. 17. — « Etenim sagittæ tuæ transeunt: vox « tonitrui tui in rota. »

Etenim [Aug., Cassiod.] id est quia *sagittæ tuæ*, o Deus, id est voces nubium, *transeunt*, vel transierunt usque ad cor. Non enim in auribus remanserunt, sed corda transfixerunt. Nota quod verbum prædicationis et pluvia dicitur et sagitta, vel pluvia, quia rigat; sagitta, quia percutit; vel, sagittæ, id est evangelistæ, transierunt de gente in gentem, *vox tonitrui tui in rota*. Quid est hoc? Quomodo intellecturi sumus, ad litteram, tonitrui vox revolvitur, ut rotatus, et sinuosus sonus sentiatur. Habent enim tonitrua quamdam concussionem similem vehiculis. Sed nunquid ad ista puerilia redituri sumus? non utique. Potius allegori ce intelligendum est. Quasi dicat: Vocem dederunt nubes, et hæc vox nubium non in occulto facta est, sed fuit tonitrui tui, id est aperta. Et fuit in rota totius mundi. Rota enim est orbis terræ. Unde et brevis rotella, orbiculus dicitur: quod postea exponit cum ait: *Orbi terræ*, scilicet quem circuierunt nubes tonando præceptis, coruscando miraculis.

VERS. 18. — « Illuxerunt coruscationes tuæ orbi « terræ: commota est et contremuit terra. »

Illuxerunt. Quasi dicat: Prædicatores transierunt, et per illos *illuxerunt orbi terræ coruscationes tuæ*, [Cassiod.] id est, divina præcepta, quæ tenebras mundi depellerent per miracula. Unde *commota est* ad conversionem, *et contremuit* **170** *terra*, id est qui habitant in terra, eamdem dicit mare subdens:

VERS. 19. — « In mari via tua, et semitæ tuæ in « aquis multis; et vestigia tua non cognoscentur. »

In mari est *via tua*. [Aug., Cassiod., Hier.] Ipsa terra dicitur mare, per similitudinem, quia amara est vita humana tempestatibus subdita, ubi major piscis minorem devorat. *In mari* ergo est *via tua*, id est in cordibus hominum, quos homines sibi subdidit. Hoc mare amarum erat et mortuum, sed venit fons ille vitæ, ut indulcoraret et sanaret.

A Ideoque juxta Ezechielem: Egredietur de templo Domini fons aquæ vivæ, et vadit ad mare mortuum, quod nihil habebat vivens (*Ezech.* XLVII.) Nulli enim pisciculi esse poterant in mari Mortuo, nihil in eo vivebat; sed de templo Domini, id est de sinu Patris, egressus est Salvator, et indulcoravit mare Mortuum. Vel ad litteram: [Cassiod., Alcuin., Aug.] In mari est via tua, dum Christus super aquas maris ambulavit. Vel per terram, Judæi; per mare, gentes accipiuntur. Et est, commota est et contremuit terra, id est Judæi: In mari, etiam gentium, est via tua, id est filius tuus. Ecce nunc in mari gentium est via tua. Jam dudum in sancto erat, unde supradixit, in sancto via tua. Quod bene congruit, quia sanctus ille est in mari. Ambulat

B enim super aquas gentium, eas per fidem sibi subjiciendo. [Haym., Cassiod., Haym., Aug., Cassiod.] In hujus rei figura super aquas ambulavit. *Et semitæ tuæ*, id est præcepta tua sunt *in aquis multis*, id est in populis multis, id est in non paucis gentium, *et* tamen *vestigia tua*, scilicet præsentia corporalis, doctrina, miracula *non cognoscentur* a Judæis. Tetigit enim aliquos, id est Judæos qui dicunt: Nondum venit Christus. Quod ideo dicunt, quia non vident super mare gentium ambulantem. Et est hic tacita increpatio Judæorum. Quasi dicat: Licet palam venerit et se miraculis ostenderit: tamen non est cognitus a Judæis infidelibus, quos tamen ipse deduxit in manu Moysi et Aaron. Unde subdit:

C VERS. 20. — « Deduxisti sicut oves populum tuum, « in manu Moysi et Aaron. »

Deduxisti. [Aug., Cassiod., Aug., Alcuin., Cassiod.] Quasi dicat: A quibus non cognoscentur? ab his quos deduxisti. Nam *deduxisti* de Ægypto *populum tuum*, scilicet Judæorum, *sicut oves*, quia non vere oves, sed hædi; et hoc *in manu Moysi et Aaron*, id est operatione miraculorum quæ ipsi fecerunt. Quasi dicat: Hoc illi populo fecisti, et te ipse non novit? mirum est: et est hic increpatio, ex exprobratio Judæorum per nomina istorum duorum, scilicet Moysi et Aaron. Significantur etiam ipsa facta eorum quæ ipsi egerunt, et mystica, quæ in Ecclesia spiritualiter fiunt. Moyses enim interpretatur *assumptus de flumine*, Aaron

D *mons fortitudinis*. Quibus nominibus significantur virtutes quas ipsi fecerunt. Moyses enim inter cætera in mari viam fecit Hebræis, significans per baptismum liberari populum fidelium: Aaron eminenti fortitudine murmurantibus restitit, in quo Ecclesiæ tenebat imaginem quæ monti firmissimo comparatur.

COLLATIO IN PSALMUM LXXVI: « VOCE MEA AD DOMINUM, » etc.

VERS. 2. — *Deum exquisivi manibus meis* ידי id est *manus mea*; vel ידי JADAI, id est *manus meæ*. Primarium enim significatum יד JAD, est *manus*. Ad multa tandem transfertur; ob idque Pratensis, Nebiensis, Sanctes, Munsterus, Campensis, dixerunt, *plaga mea*, vel *vulnus meum*, eo quod manu

ipsa fiat percussio. Cæterum Hieronym, Pellicanus, et interpretes pro Cajetano vertunt *manus mea*, Editio quæ addita est Campensi, vertit *virtus mea*, Referunt enim ad sequentia sub recto casu ut statim ostenditatur.

Nocte contra eum. Hieronymus *nocte extenditur*, videlicet manus. Alii *defluxit*, scilicet plaga mea, vel *mota est*, quia legerunt נגרה NIGERAH, quod commune est ad *defluere, produci, trahi*. Arbitror tamen Septuaginta legisse נגדה NEGDAH, id est *coram* sive נגדו NEGDO *coram eo*. Est enim perspipicuum resch et daleth plurimum habere vicinitatis.

Et non sum deceptus. Hieronymus. *Non quiescit*, nempe manus mea, ut supra; Pratensis et quidam alii, *non residebit* seu *non cessabit*, nimirum plaga mea, juxta quod accipiunt, voculam יד JAD commemoratam לא תפוג LO TAPHUG. Septuaginta sensum e sensu eruentes, explicuerunt luculenter, *quidnam foret manus nostras ad Deum extendi nec relaxari:* Cum enim præcipiat omnipotens Deus, ut angustiis divexati, piis et assiduis precationibus opem suam præsentaneam imploremus, nullum aliud suffugium præstolaturi, consilio tamen divino frequentius contingit ut quamvis orationibus intenti tribulationum fluctibus undique concutiamur, a quibus liberari Dei misericordiam jugiter appellando desiderabamus, usque adeo, ut psalmus XLIII exclamet : *Exsurge, quare obdormis, Domine?* Quid? Decepit nos Deus qui ad se consurgere toties inculcat in afflictionibus? Absit! Ergo nusquam relaxentur manus. Spes sit in Deum semper erecta, quæ non confundit, Rom. v. Et si non exaudiat Deus, ad poscentis voluntatem, exaudit tamen ad ægrotantis sanitatem et opportunatem. Non nos decepit, sed probat, non occidit, sed castigat. Hinc D. Augustinus : In hac nocte Deum requiramus manibus nostris, non cessent opera, quæramus Deum, non sit inane desiderium. Hæc ille : Itaque si tribulationibus septi, inciperemus, manus ad Deum tollere, deinde sævius insurgente passione deficeremus tabescantes, nostra inertia quasi Deum fallacem in suis promissionibus turpiter causaretur.

VERS. 3.—*Memor fui Dei et delectatus sum*. Hieronymus, pro eo quod postremo positum est, dicit *conturbabor;* Munsterus *inquietus ero*. Sanctes, *tumultuabor*. Sic et ferme alii ואהמיה VEHAMIAH. Videretur sensus oppositus, nisi hujusmodi conturbatio in bonam acciperetur partem. Etenim memoria Deo feta, hominem deturbat exteriorem a mundanis cupediis, unde præcesserat nox; renuit consolari anima mea, etc., et continuo sequitur *Exercitatus sum, et defecit spiritus meus*. Unde Hieronymus in Comment : In Hebraico aliter habet, *memor fui Dei et conturbatus sum*, consideravi mansuetudinem ipsius, consideravi pietatem, consideravi munditiam, et videns meipsum immundum vehementer conturbabar : hæc ille. Adde quod illud verbum Hebr. significat etiam resonare, quod ad gaudium facile accommodatur. Cæterum pro *exercitatus*, Hierony. vertit, *loquebar in memetipso* אשיחה ASIHAH, quod et alii, LOQUAR, Munsterus circuitum expressit quid loqui, quando transtulit, *querelas faciam*. Nihil est quod non conveniat vocabulo Hebraico שוח SOAH.

VERS. 4. — *Anticipaverunt vigilias oculi mei*. Hieronymus, *prohibebam suspectum oculorum meorum*. Cæteri Hebraicantes vertunt, *apprehendisti custodias sive palpebras oculorum meorum*. אחזת שמרות עיני AHAZTA SCHEMUROTH ENAI. Igitur sicut tenere vigilias sive custodias oculorum, duplicem potest facere sensum, tum quod nondum apertos, aut sursum intentos continere possumus, tum quod jam apertos, et vigilantes erectos prohibimus a torpore, sic et anticipant oculi vigilias, vel cum quis prævenit ne intendant aspectum oculi, aut dum prætervertit diligentia et sollicitudine, oculos ad Deum levare, dormitantibus cæteris. Ista duo tangit Hieronymus in Commentariis : « In Hebræo aliter habet, *prohibebam suspectum oculorum meorum, constupebam et non loquebar*. Quod dicit, hoc est : Considerans peccata mea, oculos ad cœlum erigere non audebam. *Peccatori* enim *dicit Deus : Quare tu enarras justitias meas?* (*Psal.* XLIX.) Propterea *stupebam*, *timebam, loqui non poteram*. Hoc juxta Hebræos. *Anticipaverunt vigilias oculi mei, antequam aliquis vigilaret ego vigilabam*. Legimus et in Daniele : Et ecce, inquit, עיר IR, id est, VIGIL (*Dan.* IV) : *Non dormitabit, neque dormiet qui custodit Israel* (*Psal.* CXX). Ergo monachus qui non vigilat, non potest hunc versum dicere. » Hucusque Hieronymus. Denique quam editionem secutus sit Augustinus, haud liquet. Habet enim, *anticipaverunt vigilias omnes inimici mei*, nisi ענה INNAH, Hebræis sonat *affligere*.

VERS. 5. — *Annos æternos in mente habuit*. Hoc postremum, *in mente habui*, facit exordium versus sequentis juxta Hebræos אזכרה EZERAH, id est *recordabor*. Deinde ubi legimus, *meditatus sum*, ibi vertunt *psalmorum meorum*, aut *carminis mei* נגינתי NEGINATHI. Porro Septuaginta acceperunt ac si esset verbum a themate נגן NAGAN, id est lusit musicis instrumentis, quod nihil distat a *meditari*, ut canticum sit spiritualiter intellectum, juxta quod docet. Ut tamen majorem inquisitionem auferamus, quid de hoc versu scripserit Hieronymus ad Suniam et Fretellam, referre non erit inutile. « *Et meditatus sum nocte cum corde meo, et exercitabar et scopebam spiritum meum*. Pro quo in Hebræo legimus : *Recordabor psalmorum tuorum in note cum corde meo. Loquebar et scopebam spiritum meum* pro *exercitatione* ἀδολεσχίαν, id est *decantationem* quamdam et *meditationem* Septuaginta transtulerunt, et pro eo quod nos diximus *scopebam*, illi posuerunt ἔσκαλλον quod Symmachus transtulit ἀνερεύνουν, id est *perscrutabar*, sive *querebam*. Et quinta similiter. In Græco habetur καὶ ἔτη αἰώνια ἐμνήσθην καὶ ἐμελέτησα, νυκτὸς μετὰ τῆς καρδίας μου ἠδολέσχον, καὶ ἔσκαλλε τὸ πνεῦμά μου, *et annos æternos memineram et meditatus sum, nocte cum corde meo argutabar, et rimabatur spiritus meus*. Proprie autem σκαλισμός, in agricultura dicitur, *in sarriendo* id est sarculando, et quomodo quæruntur ibi herbæ sarculo quæ secentur, sic et iste retractatum agitationum suarum metaphorice a sarculo demonstravit. Et sciendum quod ἔσκαλλον non semel sed frequenter significet. » Hucusque Hieronymus. Qui etiam in commentariis aperit quid sit *scopere spiritum*. « *Scopebam spiritum meum*, hoc est, inquit, fodiebam quasi agrum, ut ibi mitterem semen doctrinarum Domini. » Hæc ille. Hebr. ויחפש רוחי VAUHAPECSH RUHI, id est *perscrutatus est spiritus meus*, ut vertunt Neoterici. Tamen dixit Hieronymus supra, quod in Hebraico legeretur. *Scopebam spiritum meum* per primam personam. Rursus posuit *psalmorum tuorum*, ubi alii, *carminis mei*. Licet in versione ad Sophronium utrobique transferat sub prima persona, et *psalmorum meorum*, et *scopebam*.

VERS. 8. — *Aut in finem misericordiam suam abscindet a generatione in generationem*. Duo verba hic videntur omitti proxima a verbo *abscindet* גמר אמר GAMAR OMER, id est *consumptum est verbum* sive *eloquium*, ea quoque Græcus convincitur habere συνετέλεσε ῥῆμα, et quæ vertit Hieronymus, itemque cæteri. Huic scrupulo faciet satis Hieronymus ad Suniam et Fretellam hoc modo *a generatione in generationem*, quod Græcum sequentes invenisse vos dicitis συνετέλεσε ῥῆμα, id est *consummavit verbum* recte non habetur in Latino, quia in nullo habetur interpretum.

VERS. 10. — *Et dixi : Nunc cœpi*. ואמר הלותי היא VAOMAR HALLOTHI HI. Hieronymus, *et dixit imbecil-*

litas mea est ; Munsterus, Pellicanus, interpretes pro Cajetano, idem, *infirmitas mea sive ægritudo mea est ;* Pratensis, *et dixi, exspectatio mea est ;* Sanctes, *et cogitavi occidere me*. Consonat huic Campensis, *profecto dicebam ad mortem : Usque cruciat me hæc recordatio*. Mirum quam inter se digladientur rabbini super hac particula הלותי HALLOTHI. Nam si deflectas a radice חלל HALAL, admodum multiplex est. Quidam ducunt a verbo חלה HALAH quod est *ægrotare*. Denique 1 7 1 Septuaginta acceperunt a themate a quo est החל HEHEL, id est *incœpit*, ut sit, *principium meum* est, idem quod cœpi.

Hæc mutatio dexteræ Excelsi. Astipulantur Hieronymus, Chaldæus Nebiensis, Pratensis, Pellicanus. Interpretes pro Cajetano, Sanctes et Munsterus, pro *mutatione* aut *mutationibus* transferunt *annos*. Ne tamen oratio esset hiulca addunt de proprio. Nam Sanctes hoc pacto, *Cogitavi occidere me propter annos dexteræ Excelsi ;* Munsterus, *at recordabor annorum dexteræ Excelsi*. Ad idem paraphrasis Campensis, *recordatio annorum superiorum*. Quanquam secus translator in eodem. Ait enim, dextera Excelsi vices mutat. Hebr. habet שנות SCHENOTH a singulari שנה SCHANAH idem significat tum *mutatus est*, tum

A etiam *annum*. Ob quam ambiguitatem confundantur tot editiones humanæ. Certe si quisque pro suo cerebro pergat sic traducere, incerta erunt omnia, aut confusa, nisi sit aliqua editio, quam cæteris Ecclesia præferat ; aliæ autem pro eruditione caste possunt legi.

VERS. 14. — *Memor ero operum Domini*. Hierony. *cogitationum Domini* מעללי יה MAALE IAH, id est, *operum* aut *adinventionum Domini,* sicut et paulo post idem Hieronymus vertit vocabulum simile, *adinventiones* autem sunt opera, divino consilio stabilita.

VERS. 15. — *Viderunt te aquæ, Deus, et timuerunt*. Hoc quod est tinuerunt יחילו IAHILUI Hieronymus dicit *parturierunt ;* Sanctes, *doluerunt ;* alii, *timuerunt*. Hæc communiter signat particula, etiam si intelligentia sit eadem.

VERS. 16. — *Multitudo sonitus aquarum*. עבות
B זרמו מים ZORMU MAIM ABOTH. Hieronymus et Nebiensis. *Excusserunt aquas nubila ;* alii, *effuderunt* sive *inundare fecerunt aquas nubes*. Septuaginta sensum expresserunt et emphasim dictionis Hebraicæ. Nam זרם ZEREM dicunt sonare Hebræis, *copiam aquarum, impetum, imbrem, tempestatem*.

PSALMUS LXXVII.

PSALMI TITULUS. « INTELLECTUS ASAPH. »

Attendite, popule meus. Titulus. *Intellectus Asaph* [Aug.] In hoc psalmo narrantur quæ in Veteri Testamento populo divinitus acta sunt, scilicet quæ beneficia contulit ei Deus, et quas pœnas ingratis incusserit (113). Dum autem in hoc psalmo historia Veteris Testamenti refertur, Novi Testamenti gratia declaratur. Sic enim Judæos pro suis delectis dicit expulsos ; et Christianos asserit intromissos, ut utriusque legis intentionem in unum faceret pendere ad humilitatem monentis. Et quia omnia in figura nostri contingebant illis, sicut ait Apostolus (*I Cor.* x), ideo quæ de illis historialiter referuntur eadem de nobis spiritualiter intelligenda sunt. Unde psalmus prætitulatur intellectus. Et est sensus, [Aug., Cassiod.] hic est *intellectus Asaph*, id est fidelis congregationis, quia hic narrata interius intelligenda sunt, non modo in figura. Intellectus ergo Asaph est quod intellexit Synagoga fidelis ; vel quod spiritualiter debet intelligere. Quæ enim tunc mystice, id est figuraliter illis contigerunt, eadem modo in re nobis fiunt. Et sicut tunc non in omnibus illis non bene placuit Deo, sic nec istis, et ideo monendi sunt. Vel ita potest legi titulus, ut intellectus sit genitivi casus, quod in Græco apertum est et subauditur psalmus, vel verba, sic : Hic est psalmus, vel verba, intellectus, id est intelligentiæ, quæ data est ipsi Asaph : sic ex Græco determinatur. Intentio talis est : Per acta in veteri populo, intendit monere novum populum, ne sint ingrati beneficiis Dei, et ejus iram in se provocent. Modus. Novem sunt partitiones : Primo attentos facit, quia quæ videntur aperta parabolæ sunt et ænigmata, secundo summatim dicit quæ Deus Judæis fecit, tamen ingratis sibi, *quanta audivimus*. Tertio dicit quæ ab exitu de Ægypto fecit eis, nec tamen resipuerunt, ibi, *coram patribus eorum*, etc. Alias partitiones suis locis exsequemur. Etiam loquitur in hoc psalmo fidelis Synagoga, quæ malis exprobrat. Ut autem major reverentia et auctoritas verbis suis addatur primo inducit, ipsum Dominum loquentem sic : O

VERS. 1. — « Attendite, popule meus, legem
C » meam, inclinate aurem vestram in verba oris « mei. »

Popule meus, [Cassiod., Aug.] qui mihi, scilicet obedis. Vel, o vos qui estis *populus meus*. Nos, scilicet sumus populus ille qui et congregatio Christi sumus, *attendite* corde *legem meam*, id est veritatem rei, quæ in figuris tegitur ; hoc dicit Deus, qui legem dedit. Et qualiter subdit, *inclinate* per humilitatem *aurem vestram*, cordis, et sic bene attendetis (114). Timor enim infusa repellit, unde præceptum fuit in veteri legi altare Domini concavum fieri, et quadrangulum, ut mens nostra quatuor munita virtutibus, per humilitatem sit concava ad receptaculum divini verbi. Inclinate dico *in verba oris mei,* id est intelligendum verba Asaph : [Cassiod.] os
D namque Dei est Asaph, qui inferius locuturus est ista, *Quanta*, etc. Ideo attendite, quia

VERS. 2. — « Aperiam in parabolis os meum ; « loquar propositiones ab initio. »

Aperiam in parabolis os meum, [Gl. int., Cassiod.] quæ apertæ sunt, quia parabolæ sunt rerum similitudines, cum per rerum adductam similitudinem, quod de illis dicitur, de aliis intelligitur. Et *loquar* per Asaph *propositiones*, [Aug.] id est ægnimata, *ab initio* Veteris Testamenti, ex quo de Ægypto exierunt. Sunt autem propositiones, quæ Græce appellantur problemata. Quæstiones aliquid disputatione solvendum habentes. His ergo vigilantia adhibenda est,

(113) Ex Cassiod., in conclusione psalmi.

(114) Beda, in Exod., cap. XXVII.

ut earum fructus intelligendo percipiatur, quæ Hebræice dicuntur ænigmata.

PARS. II. VERS. 3. — « Quanta audivimus et co« gnovimus ea ; et patres nostri narraverunt nobis. »

Quanta audivimus. [Hier., Cassiod., Aug.] Secunda pars, ubi summatim dicit, quæ Judæis Deus fecit, tamen ingratis sibi, et sic si non eis prodest, tamen filiis ne fiant sicut patres. Et notandum quod prius in homine Deus locutus est. Nam verba Dei fuerunt prædicta ; jam homo ipse loquitur. Verba enim hominis sunt ista : *Quanta audivimus.* Illud prædictum dixit Deus ex se, ne ejus locutio in homine post eum loquente contemneretur, admirative ergo dicit : Quanta propter multitudinem, audivimus, in Veteri Testamento prædicta, *et cognovimus ea* in Novo Testamento impleta. *Et* a quibus audivimus ? ecce, *patres nostri narraverunt nobis*, sicut Moyses et prophetæ, quod etiam iste prævidet, scilicet quod patres narraverunt filiis. Narraverunt dico :

VERS. 4. — « Non sunt occultata a filiis eorum in « generatione altera. »

Non sunt hæc *occultata a filiis eorum* spiritualibus, [Cassiod.] quod postea exponit *in altera generatione* et gentium, quæ ex aqua et Spiritu sancto generatur in qua data est regeneratio.

VERS. 5. — « Narrantes laudes Domini et vir« tutes ejus ; et mirabilia ejus quæ fecit. »

Narrantes laudes Domini. [Aug., Cassiod.] Talis est ordo verborum. Laudatur Dominus ut ametur, *et virtutes,* vel potentias ejus, id est liberationes, quibus populum liberavit sæpe, *et mirabilia ejus*, scilicet quod pavit populum in deserto, quod hostes ejus vicit ; *quæ fecit*, non modo promisit.

VERS. 6. — « Et suscitavit testimonium in Ja« cob, et legem posuit in Israel. »

Et suscitavit testimonium. [Aug.] Hoc testimonium est initium, de quo supra dixit : *Loquar propositiones ab initio.* Initium est ergo Vetus Testamentum, quia ibi timor est, qui est initium sapientiæ. (*Eccli.* I). Finis vero est Novum Testamentum, quia hic est Christus, qui est finis legis ad justitiam omni credenti (*Rom.* X), qui dat spiritum quo charitas diffunditur in cordibus nostris (*Rom.* V). quæ consummata foras mittit timorem (*Joan.* IV). Hujus autem Novi Testamenti testimonium dicitur vetus lex, quia Novum Testamentum habet testimonium a lege et prophetis. Unde tabernaculum Domini testimonii dicebatur illud quod tot mystica figurabat (*Exod.* XXVI). Testimonium ergo dicitur Vetus Testamentum inquantum probat, lex inquantum jubet. Idem ergo significatur per testimonium et per legem. Sed alia et alia ratione. Ita idem intelligitur per Jacob et per Israel, scilicet populus Judaicus. Ait ergo : *et suscitavit in Jacob,* [Aug.] in populo Judaico, *testimonium*, id est legem. Suscitavit dico, quia per illud testimonium peccatum quod latebat apparuit et revixit. Unde Apostolus : *Peccatum ut appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem* (*Rom.* VII). Deinde repetit, *Et legem*, hoc est testimonium *posuit* in Israel, hoc est in Jacob. Posuit dicit, quasi jugum, ne vaga voluntate errarent. Interest ergo aliquid inter *suscitavit*, et *posuit.* Aliud enim notat suscitavit, aliud posuit, sicut diximus. Lex ergo, et bene utentibus, testimonium est, quo fugiant peccata ; et male utentibus, quo convincantur puniendi et peccatores, sicut Christus credentibus est lapis in caput anguli, non credentibus est lapis offensionis (*I Petr.* II). Vel ita, suscitavit testimonium, id est legem in Adam, quasi mortuam et sopitam, in Jacob, [Alcuin., Cassiod.] id est in populo Judæorum, reformando scriptis quod mentibus obcæcatis obsolverat. Vel forsan testimonium dicit illud quod accidit Jacob, quando cum angelo luctatus tacto femore claudicavit (*Gen.* XXXII). Quod significat Judæos ; partim fide constare, partim a salute discedere. Et ita hujus rei testimonium fuit, quod Jacob accidit. Ecce parabola. Hoc autem testimonium suscitatur, dum lex scribitur, quia prius ignorantia sopitum erat, sed ex tunc, et ipsum signum in memoria fuit, et res figurata ex tunc cœpit Et hoc est, Et suscitavit testimonium in Jacob, id est illud quod accidit Jacob in signum, prius sopitum ignorantia. Et quando suscitavit ? quando legem posuit in Israel, in qua lege.

VERS. 7. — « Quanta mandavit patribus nostris « nota facere ea filiis suis, ut cognoscat generatio « altera. »

Quanta mandavit patribus nostris. (Aug., Cassiod.) Hi sunt antiquus populus, qui accepit mandatum a Deo, et tamen non novit vel fecit. Ad quid ergo mandavit ? *nota facere ea filiis suis.* Filii sunt novus populus Novi Testamenti, qui mandata novit et fecit, quod quasi exponendo subdit. Ad hoc acceperunt, ut *generatio altera*, scilicet de gentibus collecta, *cognoscat* spiritualiter quod ipsi patres non noverunt. Et sunt idem filii et generatio altera, scilicet populus gratiæ et cognoscentes.

VERS. 8. — « Filii qui nascentur et exsurgent, « et narrabunt filiis suis. »

Filii, [Cassiod., Gl. int.] id est Christiani, *qui nascentur* postea secundo, ex aqua et Spiritu sancto, *exsurgent,* sursum habentes cor. Qui vero nati sunt et non renati, non surrexerunt, id est non sursum est cor eorum, sed in terra fuit. *Et narrabunt filiis suis*, id est posteris, per generationes transmissa sunt mandata Dei, ne quis putaret uni data. Ad quid ?

VERS. 9. — « Ut ponant in Deo spem suam, et « non obliviscantur operum Dei, et mandata ejus « exquirant. »

Ut ponant in Deo spem suam. [Cassiod., Alcuin., Aug.] Hæc est utilitas paternæ prædicationis. In Deo, non in lege quæ punit ne suam justitiam constituannt, *et non obliviscantur operum Dei,* jactando opera sua, quæ nulla sunt, nisi a Deo vel colendo idola, ut fecerunt Judæi idola colentes. Deinde ostendens quæ sit vera Dei recordatio subdit : *Et mandata ejus* 172 *exquirant,* operando, qui dicti sunt supra cognovisse, modo dicitur ut exquirant ut spe-

rantes in Deo, ab eo adjuventur ad implendum opere A mandata. Dico, exquirant,

Vers. 10. — « Ne fiant sicut patres eorum ; generatio prava et exasperans. »

Ne fiant sicut patres eorum, [Cassiod., Alcuin.] scilicet Judæi, scilicet *generatio prava*, quæ veritatem non recepit, *et exasperans* Deum, adeo ut in Salvatorem armarentur, quod fuit super omnes acerbitates. Unde per Ezechielem Dominus dicit : *Vade,et dic domui exasperanti*, etc. (*Ezech.* II, XII). Et quia prava, ideo est

Vers. 11. — « Generatio quæ non direxit cor suum ; et non est creditus cum Deo spiritus ejus. »

Generatio quæ non direxit cor suum, [Gl. int., Cassiod., Alcuin., Aug.] id est distorta. Vel ita B continua : Ideo prava est generatio, quia est generatio quæ non direxit cor suum, et si manum ad divina, ut se corrigeret. Distortum enim cor habet, qui prave intellecta non corrigit, et quæ natura docet, non perficit. Cur talis est illa generatio? *et*, id est quia, *non est creditus cum Deo spiritus ejus*, id est si ratio quandoque bene suasit, non acquievit ei. Vel ita : Ideo talis est generatio, quia, non est creditus cum Deo spiritus ejus, quia non habebant fidem, quæ impetraret quod lex imperat, sed quasi ex operibus justitiam quærebant. Quando autem cum spiritu Dei operante, spiritus hominis cooperatus, tunc fit quod Deus jubet. Et hoc non sit nisi credendo in eum qui justificat impium : quam fidem non habuit generatio prava et amaricans. Et ideo C dictum est : Non est creditus cum Deo spiritus ejus. Multo enim hoc expressius dicit ut significet gratiam Dei, quæ non solum facit remissionem peccatorum, sed et cooperari facit sibi spiritum hominis in bonis operibus, quasi diceret, non credidit Deo spiritus ejus. Habere enim cum Deo spiritum creditum, est non credere spiritum suum sine Deo posse facere justitiam, vel aliquid boni, sed cum Deo, quod est credere in Deum : quod utique plus est quam credere Deo. Nam credimus etiam homini, sed non in hominem. In Deum credere est ei credendo adhærere ad bene operandum. Unde Apostolus : *Qui adhæret Deo, unus spiritus est cum illo* (*I Cor.* VI). Illa autem generatio, cujus exemplum cavendum est. Et si credidit Deo, non tamen in Deum, D quia non fide adhæsit Deo, ut ab eo sanata cooperaretur, cooperante in se Deo.

Vers. 12. — « Filii Ephrem intendentes et mittentes arcum, conversi sunt in die belli. »

Filii Ephrem. [Haym., Aug.] Quasi dicat : Vere prava et distorta, quia etiam, filii Ephrem, de quibus minus videretur, *intendentes et mittentes arcum*, id est promittentes servare mandata in die auditionis, scilicet quando Deus de aliqua adversitate eos clamantes audiebat, quasi præludentes armis, *conversi sunt in die belli*, id est defecerunt in die tentationis. Nihil enim est aliud tendere arcum, et mittere et converti in die belli, nisi attendere et promittere in die auditionis, et deserere in die tentationis. Et hoc est quasi præludere armis, et ad horam certaminis nolle pugnare. Quod vero ait, intendentes et mittentes arcum, cum potius videatur debere dixisse, intendentes arcum et mittentes sagittas. Non enim arcus mittitur, sed ab arcu aliquid mittitur, figurate dictum accipiamus, mittentes arcum, quia aliquid mittunt arcu. Vel obscurus est ordo verborum, ut iste sit ordo : Intendentes arcum et mittentes, subaudis sagittas. Nonnulli tamen Græci codices habent, intendentes et mittentes arcubus, ut sine dubitatione subaudiamus sagittas. Per filios vero Ephrem, qui dictus est et Ephraim totam illam gentem amaricantem intelligi voluit : a parte totum significans. Quod ideo est, quia ab his potissimum aliquid boni exspectandum fuit. Sunt enim de illo filio Joseph nati, cui Jacob benedicens dexteram imposuit, quamvis ad sinistram constituto, et Manasse majori filio Joseph præposuit, quando cancellatis manibus utrique benedixit, dexteram super Ephraim, et sinistram super Manassem statutum, ad dexteram ponendo (*Gen.* XLVIII). Cum autem hæc tribus hic culpatur, nec apparuisse in ea ostenditur quod illa benedictio promittebat. Patet Jacob tunc figurasse, quod novissimi essent primi, et primi novissimi (*Matth.* XX), per adventum Salvatoris. De quo Joannes ait : *Qui post me venit ante me factus est* (*Joan.* I). Sic et Abel majori fratri prælatus fuit (*Gen.* IV), Isaac Ismaeli (*Gen.* XXI), Jacob Esau congemino suo. Prius tamen nato (*Gen.* XXVII), et Phares Zaram, qui prius manum emisit (*Gen.* XXXVIII). Et David fratribus suis majoribus (*I Reg.* XVI) : sic populo Judæorum, prælatus est populus Christianus. Totam itaque gentem pravam a parte esse significans, ait : Etiam filii Ephrem intendentes et mittentes arcum, id est arcu aliquid mittentes. Vel, intendentes arcum et mittentes sagittas, id est promittentes servare legem, aperte dicentes : *Omnia quæcunque dixerit nobis Dominus faciemus et audiemus* (*Exod.* XXIV). Conversi sunt, id est defecerunt, in die belli, scilicet tentationis. Unde Osee propheta ait : *Ephraim factus est quasi columba insipiens* (*Ose.* VII), [Hier., Aug.] quia promissionem obedientiæ non auditio, sed tentatio probat. Ita conversi sunt, quia

Vers. 13. — « Non custodierunt testamentum Dei ; et in lege ejus noluerunt ambulare. »

Non custodierunt testamentum Dei, [Aug.] non quod non possent, sed quia noluerunt. Unde subdit : *Et in lege ejus noluerunt ambulare*, et si quandoque ambulent, tamen nolunt, quia non ex corde faciunt. Agunt enim quæ mallent non præcipi sibi, ex corde autem nullo modo fit, quod fit ex formidine pœnæ, non dilectione justitiæ. Pares sunt manu, sed non corde, qui non furantur, timore pœnæ, et amore justitiæ.

Vers. 14. — « Et obliti sunt benefactorum ejus et mirabilium ejus quæ ostendit eis. »

Pars. III. Vers. 15. — « Coram patribus eorum

« fecit mirabilia in terra Ægypti, in campo Taneos.

Coram patribus eorum. [Cassiod., Gl. int., Aug.] Tertia pars, ubi jam incipit narrare quæ ab eductione de Ægyptione fecit eis Deus, non tamen destiterunt a murmure et a tentatione. Quasi dicat : *Obliti sunt mirabilium ejus.* Quorum mirabilium, et ubi factorum? facta fuerunt illa in terra Ægypti. Quæ sunt? quod interrupit mare, et eduxit eos, etc. Et hoc est : *Coram patribus eorum fecit mirabilia in terra Ægypti.* Qui sunt patres hujus pravæ generationis a qua supra filios dissuasit, ne sint his patribus, scilicet pravæ generationi similes. Unde supra : *Ne fiant sicut patres eorum, generatio prava et exasperans.* Alii sunt isti patres, alii illi. Sed qui sunt isti patres coram quibus hæc facta sunt? Si Abraham, Isaac, Jacob, accipis istos patres, non coram eis fecit mirabilia in Ægypto, quia jam defuncti erant, nisi forte spiritus dicas eos esse præsentes. quos Dominus in Evangelio vivere dicit *(Luc.* xx). Vel accommodatius Moses et Aaron, et alii seniores qui de Spiritu Mosi acceperunt (*Num.* II). Patres istorum sunt, coram quibus fecit. Et est, coram patribus, quibus credendum erat, scilicet coram Mose et cæteris intelligentibus. Fecit mirabilia in terra Ægypti, *in campo Taneos* [Cassiod., Aug.] Ut omnes dubitationem tollat, et provinciam dicit Ægyptum, et locum factorum, scilicet Tanis quæ est civitas Ægypti. Notandum vero quod ea quæ ibi facta sunt bona vel mala mystice fiunt et in nobis. Sed bona, gratia Dei; mala ex judicio, propter quod supra monuit attendere parabolas et propositiones, et spem in Deo ponere, ne simus similes illis. (Gl. int., Aug., Cassiod., Aug.] Ægyptus ergo quæ interpretatur *tenebræ* vel *tribulatio*, mundus est. Tanis vero, interpretatur *humile mandatum.* Campus vero Taneos est planities humilis mandati. Sicut ergo tunc Deus coram patribus illis mira fecit, sic Christus in terra positus coram patribus Novi Testamenti, humile mandatum docuit dicens : *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* II). In mundo ergo humile mandatum accipimus a Christo, ut in futuro exaltemur.

VERS. 16. — « Interrupit mare et perduxit eos; « et statuit aquas quasi in utre. »

Interrupit mare, [Cassiod., Aug.] quasi non esset liquidum, *et perduxit eos* ad terram, *et statuit aquas, quasi* clausas *in utre.* Mystice qui tunc stare fecit aquas, et trajecit eos, cohibet fluida concupiscentiarum, cum renuntiatur sæculo, ut peccatis omnibus deletis populus fidelis trajiciatur ad terram promissionis per baptismum.

VERS. 17. — « Et deduxit eos in nube diei; et « tota nocte in illuminatione ignis. »

Et post *deduxit eos* [Gl. int., Aug., Cassiod., Alcuin.) priusquam poneret in patriam *in nube diei, et tota nocte in illuminatione ignis.* Sic et fideles post baptismum ducit spirituali itinere antequam ponat in patria, sacramento ejus manifestato, in hoc sæculo, quasi in die per nubem, id est carnem. In judicio vero quasi in nocte, in illuminatione ignis, quia tunc magna tribulatio tanquam ignis lucebit justis et ardebit injustis. Vel ita secundum allegoricum sensum : *Et deduxit eos*, etc. Hoc futurum indicabant. Dies enim Christus est, tamen nube carnis celatur perfidis. Et sicut columna nubis erat eis vel illis umbraculum contra calorem solis; sic per Incarnationem dat nobis refrigerium contra æstum vitiorum. *Et tota nocte,* id est toto tempore vitæ, *in illuminatione ignis,* id est in claritate sui luminis, quæ illuminatio est ignis Spiritus sancti.

VERS. 18. — « Interrupit petram in eremo : et « adaquavit eos velut in abysso multa. »

Interrupit petram. [Aug., Gl. int., Aug.] Prius aqua maris stetit, quasi petra, modo petra fit fons. Et hoc *in eremo*, ubi necesse est ut gratius sit munus; *et adaquavit eos*, quasi pecora, non homines, quia non egerunt gratias, *velut in abysso multa :* per hoc copiam notat. Mystice de petra etiam quæ est Christus, qui dicit : *Si quis sitit, veniat ad me, et libat* (*Joan.* VII) : cujus latus in cruce ruptum fuit. Et hoc, in eremo hujus sæculi, educit Deus sitienti fidei fluenta Spiritus sancti, accedente ligno crucis cum virga Mosi, ut gratia manaret credentibus.

VERS. 19. — « Et eduxit aquam de petra : et de« duxit tanquam flumina aquas. »

Et eduxit de petra, [Cassiod., Haym., Cassiod.] quod mirum est, *aquam,* quæ sequebatur eos quocunque ibant; *et deduxit aquas,* non parum, sed *tanquam flumina,* id est copiose. Mystice, sic et aqua quæ de Christo prodit, nulla minutione deficit, ut sit fons aquæ vivæ salientis in vitam æternam *(Joan.* IV).

VERS. 20. — « Et apposuerunt adhuc peccare ei; « in iram concitaverunt excelsum in inaquoso. »

Et apposuerunt. [Haym., Aug., Cassiod.] Quasi dicat : Hæc fecit illis Deus. Et tamen illi, scilicet prava generatio, apposuerunt *adhuc peccare ei*, id est non credere, id est adjecerunt ut inter tot beneficia non crederent, quod ut maximum intelligeretur peccatum, cum Dominus dixisset in Evangelio : *Spiritus arguet mundum de peccato* (*Joan.* XVI), continuo exponendo subjunxit, *de peccato quidem quia non crediderunt in me* (*ibid.*). Sicut ergo peccatum dicit ibi, non credere, ita et hic peccare dicit, non credere. [Alcuin., Aug., Gl. int.] *In iram concitaverunt excelsum*, non credentes Deum, sibi difficilia posse facere, quod gravissimum est apud Deum mystice, sic nos absoluti per baptismum, quandoque provocamus ad iram Deum. Et hoc *in inaquoso*, vel *in siccitate*, alia littera, scilicet, vel *in aliqua eremo,* ad litteram, vel potius in seipsis, ab humore gratiæ, siccis, quia licet pleni essent ventres aqua de petra, tamen erant aridæ mentes. Ergo hoc debet intelligi plus de siccitate cordis quam corporis **173** vel loci. Quomodo concitaverunt Excelsum in iram? ecce :

VERS. 21. — « Et tentaverunt Deum in cordibus « suis, ut peterent escas animabus suis. »

Et, [Aug., Cassiod., Aug.] id est quia, *tentaverunt Deum in cordibus suis, ut peterent escas animabus suis*, id est peterent vitæ suæ carnales escas, non spirituales. Et est sensus : Non credendo petierunt escas, quod est tentare Deum : tentare enim est dolose postulare, ut in verbis sit simplicitas, cum in corde sit malitia. Mystice, sic et multi hodie cum tentatione quærunt a Deo sapientiam.

VERS. 22. — « Et male locuti sunt de Deo et di« xerunt : Nunquid poterit Deus parare mensam in « deserto ? »

Et tunc *male*, id est falsa *locuti sunt de Deo : dixerunt, Nunquid poterit Deus parare mensam in deserto ?* [Cassiod., Alcuin.] Quasi dicat, Non. Hæc diffidentia Deo injuria est. Mystice, mensa, refectionem sapientiæ vel corpus Christi significat. Unde : Multi diffidunt.

VERS. 23. — « Quoniam percussit petram et flu« xerunt aquæ, et torrentes inundaverunt. »

Quoniam percussit. [Cassiod., Haym.] Quasi dicat : Poterit Deus illud, quia et hoc aliud potuit. *Quoniam percussit petram et fluxerunt aquæ, et torrentes inundaverunt*. Ecce exemplum potentiæ Dei dant, et de simili desperant. Unde ex eorumdem persona subditur :

VERS. 24. — « Nunquid et panem poterit dare, « aut parare mensam populo suo ? »

Nunquid sic *et panem poterit dare, aut parare mensam ?* id est copiosam refectionem *populo suo*, scilicet tot hominibus. Quasi dicat, non.

PARS IV. VERS. 25. — « Ideo audivit Dominus et « distulit : et ignis accensus est in Jacob, et ira as« cendit in Israel. »

Ideo audivit. [Cassiod., Aug.] Quarta pars, ubi dicit quod dilata vindicta Deus dedit prius quæ petebant, ne videretur non posse. Quasi dicat : Petierunt hoc, et ne videretur non posse, *ideo audivit Dominus*, dando eis rogata, *Et distulit* pœnam dans prius quod petebant, licet tentando, ne videretur non posse ; *et* postquam dedit, *ignis*, id est ira Dei, *ascensus est in Jacob*. Deinde exponit, dicens : *Et ira Dei ascendit in Israel ?* cur ?

VERS. 26. — Quia non crediderunt in Deo ; nec « speraverunt in salutari ejus. »

Quia non crediderunt in Deo, [Cassiod.] vel Deum, *nec speraverunt in salutari ejus*, Christo quod posset dare.

VERS. 27. — « Et mandavit nubibus desuper : et « januas cœli aperuit. »

Et mandavit. [Aug.] Utrumque breviter positum, scilicet et quod audivit, et quod ira ascendit aperte hic incipit narrare. Et prius quomodo audivit exsequitur ; postea in sequenti parte, quomodo vindicavit. Quasi dicat : Ita audivit, *et*, id est quia, *manduavit nubibus desuper, et januas cœli aperuit*.

VERS. 28. — « Et pluit illis manna ad mandu« candum ; et panem cœli dedit eis. »

A *Et pluit illis manna et manducandum*. [Haym., Gl. int.] Quid dixerit manna supra ponit ; *et panem cœli*, id est manna, id est non labore humano paratum *dedit eis*.

VERS. 29. — « Panem angelorum manducavit « homo ; cibaria misit eis in abundantia. »

Panem angelorum manducavit homo. [Aug., Haym., Cassiod., Alcuin.] Nomine significati intelligitur significans, id est manna, quo significatur panis angelicus, scilicet Christus. *Et cibaria misit in abundantia*, scilicet quæ ab avidis non poterant consumi. Mystice hæc omnia, ut sub historia Veteris Testamenti gratia evangelica declaretur. *Et mandavit nubibus desuper*, id est prædicatoribus ; *et januas cœli aperuit* : januæ cœli sunt prædicatores, quibus B intratur in cœlum, vel Scripturæ sacræ : [Cassiod., Aug., Alcuin.] aperuit autem has januas, quia suis dedit spiritum ut intelligerent Scripturas eorum (*Luc.* XXIV). *Et pluit illis manna ad manducandum*. Manna interpretatur, *quid est hoc ?* (*Exod.* XXVI), et significat panem qui de cœlo descendit, id est Christum, vel corpus Christi, qui est vere cibus angelorum, quo incorruptibiles incorruptibiliter pascuntur. Quem ut manducaret homo, Verbum caro factum est, qui per nubes evangelicas pluitur toti mundo, et apertis cordibus eorum, quasi cœlestibus januis credenti Ecclesiæ prædicatur, non tentanti Synagogæ. Bene autem dicitur manna, quid est hoc ? quia hic cibus admirando perquiritur, et tamen esse corpus Christi scitur. *Panem cœli dedit* C *eis*, panem angelorum manducavit homo, panis cœli non alter est quam Christus, de quo cœlestes, id est angeli reficiuntur ejus contemplatione. Et hunc panem, id est verbum, quo grandi cibo pascuntur angeli, per carnem factum lac edit homo.

VERS. 30. — « Transtulit austrum de cœlo ; et « induxit in virtute sua africum. »

Transtulit. [Haym., Alcuin.] Quasi dicat : Quomodo misit ? ecce, transtulit *austrum de cœlo*, ut inferius flaret ; *et induxit in virtute sua africum* illum alium ventum, quia ubi sunt coturnices (*Num.* XXI).

VERS. 31. — « Et pluit super eos sicut pulverem « carnes ; et sicut arenam maris volatila pennata. »

Et pluit super eos carnes, [Haym., Rem.] scilicet D coturnices, *sicut pulverem*, hoc est abunde. Carnes quas dedit, subdit, *Et sicut arenam maris volatilia pennata*. Ideo mirum fuit quod cum essent volatilia pennata, pro voluntate ea capiebant. Sed quare hoc esset, subdit :

VERS. 32. — « Et ceciderunt in medio castrorum « eorum, circa tabernacula eorum. »

Et ceciderunt in medio castrorum eorum, [Gl. int., Cassiod., Aug.] duobus cubitis super terram volantia, ut nec difficultas capiendi esset eis, *circa tabernaculum eorum*, itinere unius diei, ex omni parte coturnices erant. Hæc omnia mystice ; per austrum et africum intelliguntur prædicatores, quos transfert Deus de cœlo ad terras, quando descendentes a ma-

joribus, minoribus minora indicant. Et est, *transtulit austrum*, id est prædicatores de cœlo ad terras. Unde apostolus : *Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus* (*I Cor.* III).*Et induxit africum*, id est ferventes et lucentes prædicatores, *in virtute sua*. Ne ergo sibi det africus quod ex Deo habet. *Et pluit super eos carnes*. Sic et parvulam fidem non tentantium, sed credentium pascit Deus signis vocum carne editis, et per aerem transcurrentibus quasi volatilibus. Non tamen ab aquilone venientibus, ubi frigus et caligo, id est ab eloquentia sæculi. Sed austro translato ad terras, ut parveli audiendo terrestria nutriantur ad cœlestia capienda. Unde Dominus : *Si terrena dixi vobis et non creditis, quomodo si dixero vobis cœlestia credetis ?* (*Joan.* III.) Vel per carnes intelligitur fides parvula. *Et* est, *Pluit super eos carnes*, id est super infirmos pluit parvulam fidem, carneis vocibus editam, *sicut pulverem :* pulvis significat hic intelligentiæ subtilitatem, quæ ad superna conscendit, Et est, pluit ista sicut pulverem, id est a minoribus provehendo nos ad magna et altiora. Et pluit *volatilia pennata*, *sicut arenam maris*. Arena innumeram prudentiæ copiam salis sapore conditam significat. Volatilia pennata cœlestia sunt desideria, quibus anima pasta pinguescit. Hæc confert nobis Deus, sed non possumus hæc accipere, nisi intra septa Ecclesiæ, id est nisi in conformitate fidelium. Unde subdit : *Et ceciderunt in medio castrorum eorum, circa tabernacula eorum.* [Aug., Alcuin.] Vel per hoc significat quod venti, id est prædicatores sponte veniunt ad homines, et portant eis verba divinitus missa, ut in suis sedibus, et circa tabernacula ea homines audiant, quia in omnem terram exivit sonus eorum (*Psal.* XVIII), ad litteram tantum.

VERS. 33. — « Et manducaverunt et saturati sunt « nimis ; et desiderium eorum attulit eis, et non « sunt fraudati a desiderio suo. »

Et manducaverunt et saturati sunt nimis, ventre, non mente. [Cassiod.] Ecce convicti sunt qui hoc Deo impossibile putaverunt : *Et desiderium eorum attulit eis*, licet eis non profuerit. Conceduntur enim interdum quæ non prosunt ; *et non sunt fraudati a desiderio suo*, quia multi sunt usi illis carnibus. Quod ideo factum est eis, ne impotentia in Deo videretur.

PARS V, VI. VERS. 34. — « Adhuc escæ eorum erant « in ore ipsorum ; et ira Dei ascendit super eos. »

Adhuc. [Cassiod., Aug.] Quinta pars, ubi agit de vindictis et simulatis reversionibus eorum, factis timore pœnarum, et tamen sententia Dei per misericordiam est temperata. Et notandum quod supra exposuit qualiter eos audivit ; hic autem dicit quomodo iram quam distulerat, ascendit, dicens ; *Adhuc escæ* vel *esca*, scilicet manna, et coturnices, *eorum*, id est pravæ et infidelis generationis, *erant* vel *erat in ore ipsorum ; et ira Dei ascendit super eos*. Ecce quid supra distulit.

A VERS. 35. — « Et occidit pingues eorum ; et electos Israel impedivit. »

Et occidit pingues eorum. [Aug., Alcuin., Aug.] id est superbos, de quibus alibi dicitur : *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum* (*Psal.* LXXII). *Et electos Israel*, id est bonos, *impedivit*, vel *compedivit*, sed alios, murmur eorum, ut Moysen, qui pro illorum murmurationibus dubitando dixit : Nunquid poterimus de petra aquam vobis ejicere ? (*Exod.* XVII.) Vel murmur eorum impedivit *electos*, ne illis prodessent quibus paterno affectu consulere cupiebant. Vel potius, compedivit eos, ut cum eis qui patiebantur ad exemplum justitiæ Dei, electi quoque sustinerent molestiam ad exemplum patientiæ suæ. Illorum ergo communis punitio fiebat ad exemplum, non justitiæ
B Dei tantum, sed et patientiæ bonorum. Qui sensus apertior est ex Cræco, ubi non legitur, *impedivit*, sed *compedivit*. Sed tamen,

VERS. 36. — « In omnibus his peccaverunt ad- « huc ; et non crediderunt in mirabilibus ejus. »

In omnibus his correcti, *peccaverunt adhuc*, [Alcuin., Cassiod.] id est peccavit illa prava generatio. Post hæc omnia graviora sunt peccata, quæ, semper accrescunt ; *Et non crediderunt in mirabilibus ejus* Dei.

VERS. 37. — « Et defecerunt in vanitate dies eo- « rum ; et anni eorum cum festinatione. »

Et ideo, *Dies eorum defecerunt*, [Cassiod., Aug.] quasi languidi tabe, cum possent credendo in veritate dies sine defectu habere. Et hoc, *in vanitate*,
C id est pro vanitate, pro qua citius perierunt. *Et dies eorum defecerunt*, existentes, *in vanitate*, [Cassiod., Alcuin., Aug., Cassiod.] a simili illius qui in ortu moritur, in vanum natus. *Et anni eorum cum festinatione*, id est vita, etiam quæ videtur prolixior, cito præteriit. Unde dicitur alibi ; *Viri impii non dimidiabunt dies suos* (*Psal.* LIV). Sed

VERS. 38. — « Cum occideret eos quærebant eum ; « et revertebantur et diluculo veniebant ad eum. »

Cum occideret eos quærebant eum. [Aug., Cassiod., Alcuin., Aug.] Non ipsi occisi quærebant, sed reliqui. Sed sic loquitur, quia unus populus sunt, quasi de uno corpore loquitur. Quærebant autem Deum, non propter æternam vitam, sed timentes occidi, exemplo jam occisorum. Boni vero
D etiam sine necessitate **174** quærunt.Ecce hic agit de simulatis Judæorum reversionibus. Unde subditur : *Et revertebantur ad eum, et veniebant ad eum diluculo*, id est sedulo, vel, *ante lucem*, alia littera, id est in nocte manentes, non in luce ; unde alibi : *Vanum est vobis surgere ante lucem* (*Psal.* CXXVI), pius in luce ; impius ante lucem rogat. Hæc autem omnia faciebant propter temporalia bona acquirenda et vitanda mala. Et ita non Deus, sed illa colebantur. Hoc enim colitur, quod diligitur.

VERS. 39. — « Et rememorati sunt quia Deus est adjutor eorum ; et Deus excelsus redemptor « eorum est. »

Et rememorati sunt, quia Deus adjutor est eorum,

[Gl. int.] in bonis, *et Deus excelsus redemptor eorum est*, a malis.

VERS. 40. — « Et dilexerunt eum in ore suo ; et « lingua sua mentiti sunt ei. »

Et dilexerunt eum in ore suo, [Aug., Cassiod.] non in corde, cum tamen ei omnia secreta nuda et aperta sunt, et sine ullo obstaculo, quid potius amarent, videbat. *Et lingua sua mentiti sunt ei :* sic contingit his qui solo timore credunt, non amore.

VERS. 41. — « Cor autem eorum non erat rectum « cum eo ; nec fideles habiti sunt in testamento « ejus.

Cor autem eorum, (Cassiod., Aug., Hier., Aug.] Quasi Deus non nosceret corda humana *non erat rectum cum eo*, quia non Deum propter Deum quærebant *nec fideles habiti sunt in testamento ejus*, quia nec præcepta observabant, sicut promiserant, et terrena volebant, non æterna, non hæreditatem Novi Testamenti, cujus fides, etiam tunc quando velabatur, in electis erat, modo vero, quando est revelata, non est in multis vocatis. *Multi enim vocati, pauci vero electi (Matth.*, XX). Alcuin., Cassiod.] Isti autem non erant fideles, quia non faciebant opera. Qui enim vere credit, opera facit. Unde et fides dicitur eo quod fiant dicta. Ante dicit : *Nec fideles habiti sunt in testamento ejus*, id est in præceptis. Illi tales,

VERS. 42. — « Ipse autem est misericors, et « propitius fiet peccatis eorum ; et non disperdet « eos. »

Ipse autem, Deus *est misericors, propitius fiet peccatis eorum.* [Aug.] Ex his verbis mali sibi impunitatem promittunt. Sed sciendum quod misericordia est etiam malis, sed ante judicium, quia facit solem suum oriri super bonos et malos. (115) Hæc est misericordia sinistræ, non dexteræ ; temporalis, non spiritualis, quæ communis est bonis et malis. Sic ergo et illi genti pravæ pepercit Deus, ne penitus eam eradicaret; sed manet in successione posterorum, sicut Cain accepto signo, ne quis eum occideret, ideoque eum dicit : *Propitius fiet peccatis eorum*, non tantum de Patribus dicit, sed populi successionem attendit. Unde sequitur : *Et non disperdet eos*, omnino.

VERS. 43. — « Et abundavit ut averteret iram « suam ; et non accendit omnem iram suam. »

Et abundavit, misericordia Dei, [Aug.] *ut iram, suam*, id est pœnam quam incœperat, *averteret* orante Mose, eum diceret ei Deus : *Dimitte me ut deleam eos*, et *faciem te crescere in gentem magnam.* Cui Moses respondit : *Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro vitæ (Exod.* XXXII).*Et non accendit omnem iram suam*, ut penitus exstirparet eos, id est non punivit eos quantum digni erant, vel potest hoc maxime de bonis accipi, quibus Dominus factus est misericors, quando in hoc tempore gratiæ reliquiæ salvæ factæ sunt. Et est, *ipse autem est* A *misericors*, bonis, sed ita scilicet, *et propitius fiet peccatis eorum*, id est populi, qui idem est in successione filiorum, sicut postea dicit, *et abstulit eos de Ægypto, et induxit in montem sanctificationis*, cum tamen non eos quos de Ægypto eduxit in montem sanctificationis induxerit, nisi in successione filiorum, sic et hic cum dicitur, propitius fiet peccatis eorum, intelligimus etiam in illis impletum quod dicitur de quibus ait Apostolus : *Reliquiæ salvæ fient* (*Rom.* XI), quæ credent in Christum, quod hic prævidit, unde subdit, *et non disperdet* eos, æterna morte ; *et abundavit*, misericordia, *ut averteret iram suam*, quia reliquiæ salvatæ sunt, *et non accendit omnem iram suam*, quia etiam illud peccatum remisit, quod filium occiderunt.

B VERS. 44. — « Et recordatus est quia caro sunt, « spiritus vadens et non rediens. »

Et recordatus est quia caro sunt, [Cassiod., Aug., Cassiod.] id est fragiles, movit pium judicem fragilitas peccantium ; *Et spiritus*, hominis est, *vadens*, per se in peccatum, *et non rediens*, per se a peccato. Ideo Deus per gratiam revocat homines, quia per se redire non possunt. Unde in Proverbiis devia iniquitatis dicitur : *Omnes qui in ea ambulant*, *non revertentur* (*Prov.* II ; *Luc.* XV), scilicet per se, sed per gratiam Dei revocabuntur. Hæc est ovis errabunda, quæ humeris pii pastoris reducta est ad gregem, vel ita ; *Et recordatus est quia spiritus*, hominis est, *vadens*, de hoc mundo, *et non rediens*, ad corpus in hoc mundo. Et est hic brevis diffinitio C mortis.

VERS. 45. — « Quoties exacerbaverunt eum in « deserto ; in ira concitaverunt eum in inaquoso. »

Quoties [Cassiod., Gl. int., Alcuin., Aug.] Sexta pars, dicturus plagas Ægypti propter eos factas, comparando mala eorum beneficiis Dei, dicit eos oblitos, et tentasse Deum. Quasi dicat : Pepercit eis. Et licet parceret, *quoties exacerbaverunt*. Vel ita continua : Quia homo est caro, et spiritus vadens, *quoties*, ergo quasi multoties, non solum supradictis modis, *exacerbaverunt eum in deserto*, ut bona tolleret, *in ira concitaverunt eum*, ut mala faceret, *in inaquoso*, ubi potius timere deberent. Repetit eorum infidelitatem, quam prædixerat, quod ideo repetit, ut memorent, quas plagas intulit Deus D Ægyptiis propter eos, unde deberent esse non ingrati. Deinde exponit quomodo exacerbaverunt.

VERS. 46. — « Et conversi sunt et tentaverunt « Deum ; et sanctum Israel exacerbaverunt. »

Et conversi sunt, [Gl. int., Haym.] quia pepigerunt : *Quæcunque præceperit nobis Deus faciemus* (*Exod.* XXIV). *Et tentaverunt Deum et sanctum Israel*, id est qui sanctificat Israel, *exacerbaverunt*, et sic :

VERS. 47. — « Non sunt recordati manus ejus ; « die qua redemit eos de manu tribulantis. »

Non sunt recordati manus ejus, id est potentiæ

(115) Ex Aug. in ps. CXX.

ostensæ, *in die qua redemit eos de manu tribulantis*, A id est Pharaonis. Tribulatio solet esse in memoria, sed eis non fuit. [Cassiod., Haym.] Pulchre autem opponit manum Dei manui Pharaonis, dicens, *manus ejus*, et *de manu tribulantis*, quia eorum operationes multum differunt. Deinde ostendit quid non sunt recordati, scilicet non sunt recordati :

VERS. 48. — Sicut posuit in Ægypto signa « sua ; et prodigia sua in campo Taneos. »

Sicut, qualiter, *posuit in Ægypto signa sua*. [Cassiod.] Signa sunt duris cordibus, quasi characteris impressa vestigia. *Et*, qualiter posuit, prodigia sua, *in campo Taneos*, prodigia sunt quæ signabant aliqua futura. Tanis est civitas, et interpretatur *humile mandatum*, quod hic nobis necessarium est, ut in futuro erigamur. B

VERS. 49. — « Et convertit in sanguinem flu« mina eorum ; et imbres eorum ne biberent. »

Et convertit. [Aug.] Hic incipit exponere plagas propter Judæorum liberationem, in Ægypto factas. Et ponit hic decem plagas sicut in Exodo ponuntur decem. Aliqua tamen hic addit, quæ non in Exodo continentur, quæ non interpretari possumus, nisi figurate, id est spiritualiter, ubi etiam quæ facta fuerunt, parabolæ dicuntur, sicut sæpe solet Scriptura, non seriem sequi historiæ, in multis locis, sed alia addere, et quædam mutare pro significatione. Prætermittit autem tria, quæ in Exodo leguntur, scilicet sciniphes, ulcera, tenebras, et ponit alia tria quæ ibi non leguntur, scilicet rubiginem, pruinam, ignem. Omnia ergo allegorica interpretatione exponenda sunt. C Historialiter autem ea tantum, quæ in Exodo leguntur (*Exod.* VII). [Haym., Aug., Cassiod.] Quasi dicat : Posuit in Ægypto signa sua, et prodigia hæc ; scilicet *et*, id est quia, *convertit flumina eorum in sanguinem*, ad litteram, *et imbres eorum*, id est cisternas, *ne biberent* ; ubi habemus imbres, alii habent melius, *manationes aquarum*, quæ dicuntur scaturigines, id est aquæ ab imo ebullientes, quia foderunt Ægyptii, et sanguinem pro aquis invenerunt. Mystice hoc quoque intelligendum est. Aqua ergo in sanguinem versa, significat illos de rerum causis carnaliter sentire. Sicut enim alibi aqua mutatur in vinum (*Joan.* II), per quod significatur mutatio populi in melius ; ita hic mutatur in sanguinem, per quem caro accipi- D tur, ut significetur, quia spiritualia carnaliter sentiunt. Sequitur *secunda plaga* (*Exod.* VIII).

VERS. 50. — « Et misit in eos cœnomyiam et « comedit eos : et ranam, et disperdidit eos. »

Misit in eos cœnomyiam et comedit eos [Aug., Gl. int., Aug., Cassiod.] : quæ dicitur musca canina. Mystice cœnomyia canini mores sunt, quia canes nec parentes, quando nascuntur videre dicuntur. Misit ergo in eos caninos mores, ut non honorarent parentes vel prælatos ; *et misit ranam, et disperdidit eos*. Mystice rana est loquax vanitas, et significat garrulitatem hæreticorum, quæ est in cœnosis sensibus, ut rana in cœno versatur

VERS. 51. — « Et dedit ærugini fructus eorum, « et labores eorum locustæ. »

Et dedit ærugini, vel *rubigini fructus eorum*, [Haym., Aug.] per fructus intelligit ea quæ per se nascuntur : hoc autem non in Exodo legitur. Mystica ergo interpretatione tantum hic ponitur. Rubigo enim quam alii æruginem interpretantur, occulte nocet : quæ comparatur vitio quod difficile apparet, ut est multum fidere de se. Aura enim noxia hæc in fructibus operatur latenter, sicut in moribus superbia occulta est, cum se putat aliquid esse, qui nihil est [Haym., Aug., Cassiod., Gl. int.] *et labores eorum*, id est sata quæ labore hominum fiunt, dedit, *locustæ*. Mystice locusta est malitia, ore lædens, scilicet infideli testimonio. Locustæ enim se invicem comedentes, significant detractores, qui alienos fructus invide rodunt.

VERS. 52. — « Et occidit in grandine vineas eo« rum ; et moros eorum in pruina. »

Et occidit in grandine vineas eorum, id est bona eorum. [Aug.] Mystice grando est iniquitas, res alienas auferens, unde furta, rapinæ prædæque ; nascuntur, plus autem suo vitio vastatur ipse vastator. In Exodo prius ponitur grando, deinde locusta. (*Exod.* IX, X.) Quæ enim grando non potuit lædere, id est mollia, post dicit Exodus a locustis comesta. Sequitur : *Et moros eorum in pruina*, quæ multum distat a grandine, sed et hoc in Exodo non legitur. Mystice ergo exponitur. Pruina est vitium quo charitas proximi stultitiæ tenebris, quasi nocturno frigore congelascit.

VERS. 53. — « Et tradidit grandini jumenta eo« rum ; et possessiones eorum igni. »

Et tradidit grandini jumenta eorum. [Aug., Cassiod., Aug.] Mystice morte pecorum damnum pudicitiæ signatur. Concupiscentia quippe qua fetus oritur, communis est nobis cum pecoribus, hanc habere domitam et ordinatam pudicitiæ virtus est ; hanc autem laxare ad omnes motus, mors animæ est. Morte igitur pecudum stultorum occasus ostenditur, qui velut bestialiter viventes motus illicitos continentiæ freno non cohibent : *Et possessiones eorum igni*. Nec hoc in Exodo legitur, sed mystice tantum intelligere cogimur. Ignis ergo qui non in Exodo, nisi cum grandine in **175** fulgoribus ut fructus læderet accipitur : qui tamen non legitur possessionem incendisse, significat immanitatem iracundiæ, quæ etiam fit homicidium. [Cassiod., Gl. int.] Vel ignis est cupiditas, quæ possessionem id est statum mentis, et quidquid boni est, ex dote naturæ vastat.

VERS. 54. — « Misit in eos iram indignationis « suæ, indignationem, et iram, et tribulationem, « immissiones per angelos malos. »

Misit in eos. [Cassiod.] Novem plagas enumeravit : ante vero quam decimam exponat, ad exaggerationem ipsius decimæ plagæ, hoc ponit, quibus ministris. Et tunc illæ figurales, et nunc istæ spiritua-

les plagæ contingant interserit, ostendens ordinem vindictæ, cum subdit, *misit in eos iram*, non utique; ad correctionem, sed, iram *indignationis suæ*. Exponit quod dixerat, ascendendo, scilicet misit *indignationem*, et postea *iram et* deinde *tribulationem*. Ecce ordo vindictæ, prius enim peccatis irascitur, quando non compungimur. Inde malitiam hominis in sua indignatione, ira, et tribulatione derelinquit, ut suis perversitatibus affligantur, qui Deo non obediunt, ut ibi dicitur: *Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ* (*Rom.* I). Indignatio hominis pertinet ad tumidam superbiam; ira ad nefandam audaciam; tribulatio ad confusam desperationem. [Aug., Cassiod.; Aug.] Hæc autem misit Deus in eos, non impartiendo malitiam, sed gratiæ subtractione in hæc cadere permittendo. Unde subdit: Et misit in eos *immissionem*, vel immissiones, *per angelos malos*. Cum enim his prædictis vitiis corrupti fuerint, tunc per diabolos ad immissiones illicitas præcipitantur nudati defensione Dei. Vel, misit in eos indignationem et iram, et tribulationem, scilicet immissionem et indignationem dico, et iram et tribulationem immissam per angelos malos. Judicio itaque Dei hæc facta sunt in illis per angelos malos, fiuntque in malis hominibus in hoc sæculo malo, quasi in Ægypto et campo Taneos, ubi humiles esse debemus, donec veniat sæculum quo exaltemur. Quod autem in hoc psalmo de malis angelis dicitur, non transitorie prætereundum videtur. Sciendum itaque quod et malis angelis Deus utitur bene convenienter et juste, quos quidem quantum ad substantiam ipse bonos fecit, malos vero ipse non fecit; sicut et homo bonis creaturis Dei male utitur. Utitur enim Deus malis angelis, non solum ad puniendos malos, sicut in rege Achab, quem fallaciæ spiritus seduxit ut caderet in bello (*III Reg.* XXII); verum etiam ad probandos et manifestandos bonos, sicut fecit Job (*Job.* I). Nam sicut homo bonus et malus utitur visibili materia elementorum, scilicet terra, aqua, aere, igne, pro modo suo, non solum in necessariis, sed etiam superfluis et ludicris et artificiosis operibus; sic angeli boni et mali elementis utuntur eisdem, prout cuique potestas est, quæ est eis amplior quam hominibus; et major est bonis, quam malis, tamen secundum nutum Dei, sed diverso modo. In malis namque; hominibus potest diabolus, ut in suo pecore ubi prohibeatur a majori, scilicet a Deo. In bonis autem non potest, nisi permittatur ad probandum, non ad perdendum: sicut homo ut de pecore alieno faciat quod vult, potestatem exspectat sibi dari ab eo cujus est. Notandum etiam, quia per bonos angelos punit Deus malos, sicut Sodomam. Sed justos per eos probari non mihi occurrit, obstinatio ergo in Ægyptiis facta est per angelos malos, quibus amica sunt vitia et mala morum, significata per plagas eorum, per eosdem immissa sunt. Cum enim Deus tradidit illos in concupiscentiam, illi sunt ministri ut in materia sui operis. Possumus ergo sine dubitatione malis angelis attribuere mortes pecorum, mortes primitivorum et obdurationem Ægyptiorum. Hanc enim iniquissimam et malignissimam obstinationem Deus facere dicitur, non instigando vel inspirando, sed deserendo facit, ut illi operentur in filiis diffidentiæ, quod Deus debite justeque permittit. Ea vero quæ mirabiliter de creaturis facta sunt malis angelis tribuere non audemus. Nam si ideo attribuuntur dæmonibus, quia pœnæ infligebantur, consequens est ut etiam Sodomam per angelos malos eversam esse credamus, et eosdem ab Abraham et Lot hospitio susceptos (quod absit!). Per angelos ergo malos punit Deus bonos et malos homines, sed bonos tantum corporalibus pœnis; malos autem corporalibus et spiritualibus; per bonos vero angelos, malos homines tantum punit, et corporalibus non spiritualibus pœnis.

VERS. 55. — « Viam fecit semitæ iræ suæ, non « pepercit a morte animarum eorum: et jumenta « eorum in morte conclusit. »

Viam fecit semitæ. Ostendit unde hæc licentia sit malis angelis. [Aug., Haym., Cassiod., Aug., Haym.] Quasi dicat: His immissis, fecit viam, id est amplitudinem et manifestationem semitæ *iræ suæ*, id est occultæ æquitatis suæ, qua Deus iratus erat Ægyptiis. Aliter enim non liceret diabolo illa immittere. Qui dicitur semita iræ, eo quod semita recta et occulta est. Erat enim semita iræ Dei, quæ occulta æquitate puniret Ægyptiorum impietatem. Cui semitæ fecit viam, ut eos quasi ex abditis per angelos malos produceret in aperta scelera, et sic in evidentissimos impios evidentissime vindicaret. *Et non pepercit a morte animarum eorum*, vel animabus eorum, *et jumenta eorum in morte conclusit*. Jumenta cum dominis. Quasi dicat: Purificavit, quia similes erant jumentis, quod melius aperit, cum subdit:

VERS. 56. — « Et percussit omnem primogenitum « in terra Ægypti; primitias omnis laboris eorum « in tabernaculo Cham. »

Et percussit omnem primogenitum in terra Ægypti [Gl. int., Aug.] id est primogenita de omnibus, scilicet tam hominibus quam jumentis animalibus percussit. Hæc est decima plaga, scilicet mors primitivorum. Mystice mors primitivorum, est amissio ipsius justitiæ, qua quisque humano generi socialis est. Sed sive sic se habeant harum rerum figuratæ significationes, sive aliter (116). Sciendum quod decem plagis percussi sunt Ægyptii contra decem præcepta scripta in tabulis, quibus rigatur populus Dei, de quibus plagis et præceptis, per contrarium inter se comparandis, quoniam alibi diximus, expositionem psalmi hujus in his onerare non est opus, tantum hoc admonemus, quia et hic decem plagæ, licet non eo ordine quo in Exodo ponuntur (*Exod.*

(116) Ex Aug. serm. 89 de tempore, et hic.

VIII, IX, X), sed pro tribus quæ in Exodo sunt, id est scyniphes, ulcera, tenebræ, quæ non sunt hic. Aliæ tres sunt hic, quæ non ibi, id est rubigo, pruina, ignis. Talia pro congrua intelligentia frequenter variantur. [Cassiod.] Vel primogenitum, sunt summa mandata, ut, diliges Deum ex toto corde, et cætera hujusmodi (*Deut.* VI), quibus non servatis orbamur prole rationis. *Et percussit primitias omnes laboris eorum*, id est frumenti et hujusmodi, id omnia quæ ad victum, vel ad solatium sunt hominum, vastata sunt. Et hoc, *in tabernaculis Cham*, ubi non erant Judæi.

PARS VII. VERS. 57. — « Et abstulit sicut oves « populum suum ; et perduxit eos tanquam gregem « in deserto. »

Et abstulit. [Cassiod., Aug., Gl. int., Aug.] Septima pars, ubi dicit quod Judæos de Ægypto eductos, induxit in terram promissionis, et item offendunt. Et hoc est, *et abstulit* de Ægypto *populum suum sicut oves*. Hoc fecit in decima plaga. Mystice hoc et in nobis intus fit, ubi eruti de potestate tenebrarum mente transferimur in regnum Dei, oves in spiritualibus pascuis. *Et perducit eos tanquam gregem in deserto*, quod erat inter mare et Ægyptum. Mystice et nos perducit in desertum hujus sæculi laborantes.

VERS. 58. — « Et deduxit eos in spe, et non ti« muerunt ; et inimicos eorum operuit mare. »

Et deduxit eos in spe, et non timuerunt. [Aug.] Ita et nos spe salvi facti sumus, nec timere debemus. *Et inimicos eorum operuit mare*. Ita et in baptismo delentur peccata nostra.

VERS. 59. — « Et induxit eos in montem sanctifi« cationis suæ ; montem quem acquisivit dextera « ejus. »

Et induxit eos in montem sanctificationis suæ. [Cassiod., Aug.] Ad litteram, in montem Sion, non tamen eosdem, personaliter induxit quos Ægypto abstulit sed eos nomine et gente significat, tamen multi ad sanctam Ecclesiam, quam mavult intelligi, conversi sunt. Ipsa enim est mons quem Christus acquisivit, scilicet *in montem quem dextera ejus acquisivit*, ad litteram. Inde expellendo gentes, allegorice Christus Ecclesiam acquisivit.

VERS. 60. — « Et ejecit a facie eorum gentes ; et « sorte divisi eis terram in funiculo distributio« nis. »

Et ejecit, a terra promissionis *gentes a facie eorum*, [Gl. int., Cassiod., Aug.] id est a præsentia eorum id est Judæorum. Mystice gentes sunt vitia et errores, vel maligni spiritus, quæ omnia Christus ejecit a facie fidelium. *Et sorte divisit eis terram in funiculo distributionis*. Historia patet. Mystice per hoc significatur quod in nobis omnia operatur unus et idem spiritus, dividens singulis prout vult (*II Cor.* XII).

VERS. 61. — « Et habitare fecit in tabernaculis « eorum tribus Israel. »

Et habitare fecit in tabernaculis eorum tribus Israel [Aug., Cassiod., Alcuin., Aug.] Mystice in cœlestem gloriam, unde angeli ejecti sunt. Per gratiam Christi sublevamur, qui sumus tribus videntium Deum ; vel in quibus prius regnabant peccata regnant virtutes. Hæc beneficia fecit eis, et tamen prava generatio beneficiis male utens, tentavit adhuc. Et hoc est :

VERS. 62. — « Et tentaverunt et exacerbaverunt « Deum excelsum ; et testimonia ejus non custo« dierunt. »

Et tentaverunt et exacerbaverunt Deum excelsum in terra promissionis. *Et testimonia ejus non custodierunt*.

VERS. 63. — « Et averterunt se et non servave« runt pactum ; quemadmodum patres eorum con« versi sunt in arcum pravum. »

Et averterunt se a Deo, *et non servaverunt pactum* quod fecerant, [Aug., Alcuin., Cassiod.] dicentes : *Omnia quæ dixerit Dominus faciemus* (*Exod.* XXIV). *Quemadmodum patres eorum conversi sunt in arcum pravum*. Arcus pravus est, qui facile remittitur, et ipsi facile retroibant. Et sciendum quia per totum psalmum loquitur quasi de eisdem personis, tamen nunc de his qui in terra promissionis, quorum fuerunt patres, qui in deserto amaricaverunt. Vel arcus pravus est, qui non eminus jaculatur, sed in spicula convertit, id est malitia dolosorum, conversi sunt ergo in arcum pravum, vel perversum, id est in animi intentionem perversam, ut contra Deum agerent, idola colendo. Qui dixerat : *Non erunt tibi dii alieni* (*Exod.* XX). Quod planius aperit, dicens :

VERS. 64. — « In iram concitaverunt eum in col« libus suis ; et in sculptilibus suis ad æmulationem « eum provocaverunt. »

In ira concitaverunt eum in collibus, [Cassiod.] id est in superbis cogitationibus *suis* quando colere idola præsumunt. Unde, concitaverunt, *et*, id est quia *in sculptilibus suis provocaverunt eum ad æmulationem*, id est indignationem. Vel secundum aliam litteram, *in sculptilibus suis æmulati sunt eum*, cum honorem Dei alii tradunt.

PARS VIII. VERS. 65. — « Audivit Eeus et spre« vit ; et ad nihilum redegit valde Israel. »

Audivit. [Cassiod., Alcuin., Aug.] Octava pars, ubi agit de ultione facta in terra promissionis, quæ etiam retorta est in ipsos, per quos punivit. Quasi dicat : Hæc prædicta *audivit Deus*, id est avertit et vindicavit ; *et sprevit* Israel, quo spernente nihil sunt, qui per eum totum fuerunt. Et hoc est quod sequitur : *Et ad nihilum redegit valde Israel*.

VERS. 66. — « Et repulit tabernaculum Silo, **176** « et tabernaculum suum ubi habitavit in hominibus. »

Et repulit [Cassiod., Aug., Cassiod.] pro idololatria eorum *tabernaculum Silo*. Silo est civitas, in qua erat arca. Hoc factum est tempore Heli sacerdotis, quando victi sunt ab Allophylis, et arca Domini capta est, et ipsi magna strage vastati sunt (*I Reg.* IV) ; sed cur repulit ? ecce, *repulit tabernaculum suum*

ubi habitavit in hominibus, id est inter homines. Eleganter exponit cur repulit tabernaculum, cum ait, ubi habitavit in hominibus. Cum ergo non essent digni in quibus habitaret, merito repulit illud quod non propter se, sed propter illos instituit. Mystice sic et pro peccatis deserit corpora nostra, quia non habitat in corpore subdito peccatis (*Sap.* I), quæ Spiritus sanctus dum bene tractantur inhabitat.

VERS. 67. — « Et tradidit in captivitatem virtu- « tem eorum ; et pulchritudinem eorum in manus « inimici. »

Et tradidit in captivitatem virtutem eorum, et pulchritudinem eorum in manus inimici,[Aug., Alcuin.] Virtutem et pulchritudinem eorum dicit arcam. Unde videbantur invicti, et sibi placebant honesti inter gentes. Mystice, sic et in malis arbitrii libertatem imminuit, et virtutes abstulit. Quod non fit in bonis, licet cum malis interdum corporaliter captiventur. Si enim cum peccantibus boni traduntur, captivitati exercitum est, non in mente captivi sunt, vel hosti traditi, ad liberi sunt, et Deo conjuncti.

VERS. 68. — « Et conclusit in gladio populum « suum : et hæreditatem suam sprevit. »

Et conclusit in gladio populum suum. [Cassiod., Haym., Cassiod,] quem inter multas gentes elegerat. Capta enim arca consequens est ut populus caderet, ita et malos in populo suo, in occisione animæ concludi permittit. Idem repetit dicens, *Et hæreditatem suam sprevit.*

VERS. 69. — « Juvenes eorum comedit ignis et « virgines eorum non sunt lamentatæ. »

Juvenes etiam *eorum comedit ignis*, [Aug., Cassiod.] id est ira bellantium. Logitur enim, in lib. Regum, quod tunc ceciderunt de populo trigenta millia peditum (*I Reg.* IV). *Et virgines eorum non sunt lamentatæ*, quia hoc non vacabat in hostili metu.

VERS. 70. — « Sacerdotes eorum in gladio ceci- « derunt, et viduæ eorum non plorabantur. »

Sacerdotes eorum in gladio ceciderunt, [Aug., Cassiod.] id est filii Heli, scilicet Ophni et Phinees quorum unius uxor, id est Phinees viduata, et mox in partu mortua propter eamdem perturbationem,non potuit plangi honore funeris. Cum enim audisset quod Ophni et Phinees in prælio occubuissent et pro eo Heli pater eorum de sella corruens fractis cervicibus mortuus esset, uxor Phinees partui jam proxima incurvavit se dolore, et peperit, et sic mortua est. *Et viduæ eorum non plorabantur.* Per quas mystice significantur, illi qui mundo abrenuntiaverunt.

VERS. 71. — « Et excitatus est tanquam dor- « miens Dominus ; tanquam potens crapulatus a « vino. »

Et excitatus est [Haym., Cassiod., Gl. int., Aug.]. Hic ostendit ultionem in ipsos adversarios detortam, et mores hominum Domino hic tribuit, propter res explanandas, id est ut melius explanet, quod dic turus est. Et est ἀνθρωποπάθος, id est *humana propassio*, quando quod est creaturæ attribuitur Creatori. Ait ergo : Et Deus qui prius erat *tanquam dormiens, et tanquam crapulatus a vino.* Hoc dicitur ex persona dementium, qui ita putant quando periclitantibus non subvenit. Visus est enim dormire, quando populum suum dedit in manus eorum quos odit, ubi eis dicitur : *Ubi est Deus tuus?* (*Psal.* XLI.). Putant etiam quasi vino esse crapulatum. Sic enim videtur impiis exsultantibus, quod velut ebrius dormiat, cum non tam cito subveniat. [Cassiod., Gl. int., Cassiod.] Et revera sic dementer putantibus dormit, et est alienus, et negligentibus et infidelibus, qui nulla voce laudis vel operis eum excitant. Dominus, inquam, excitatus est ad vindictam. Et tanquam potens. Excitatur autem Deus ad vindictam malis actibus, sicut hic excitatur peccatis eorum, qui arcam inter simulacra posuerunt. Excitatus autem dicitur, sicut solet excitari aliquis planctu familiæ, ita et Dominus cum peccatis hostium tum planctu suorum est excitatus. Et hoc, tanquam potens, quia tunc sunt homines ad iram faciles, et ad virtutem potentes, quando post crapulam de somno surgunt. Quasi dicat : Magnifice vindicavit in eos. Unde subdit :

VERS. 72. — « Et percussit inimicos suos in po- « steriora ; opprobrium sempiternum dedit illis. »

Et percussit inimicos suo in posteriora, [Cassiod., Aug., Alcuin., Haym.] id est in secretiori parte natium, ubi mures de terra ebullientes, corrodebant præeminentes extales eorum, *opprobrium sempiternum dedit illis*, quia nullus alius ita punitus est. Percussi nunc enim in sedibus suis, quod ejus pœnæ signum videtur, qua cruciabitur quicunque in posteriora respexerit, quæ, ut ait Apostolus, debet putare ut stercora (*Philipp.* III), qui enim sic suscipit testamentum Dei, ut veteri vanitate se non exuat, similis est hostibus populi ejus, qui arcam Domini juxta idolum Dagon posuere. Sicut autem illis nolentibus corruit Dagon (*I Reg.* V), ita illa vetera illis etiam nolentibus cadunt. Quia omnis caro fenum, et claritas hominis est ut flos feni. Fenum aruit, flos decidit ; arca autem stat in æternum. Secretum, scilicet arcæ quod est regnum cœlorum, ubi est æternum Verbum Dei. Sed qui posteriora diligunt, ex eis cruciabuntur. Opprobium enim sempiternum dedit illis. Mystice, ita et Christus, vino passionis ebrius, excitatus est a morte, tanquam potens in resurrectione, et percussit inimicos suos, scilicet in posteriora, id est in gehennam mersos, quia opprobrium sempiternum dedit illis, id est æternam pœnam.

PARS IX. VERS. 73. — « Et repulit tabernaculum « Joseph ; et tribum Ephrem non elegit. »

Et repulit [Alcuin., Haym., Aug.]. Nona pars. Agit hic de rege David et loco regni, quasi dicat : Inimicos ita percussit, sed suos reædificavit, quod ibi ostendit, elegit tribum Juda. Et hoc est, *Et repuli tabernaculum Joseph*, ad litteram, ne inde esset

rex, *Et tribum Ephrem non elegit*, ut de ea fierent reges.

VERS. 74. — « Sed elegit tribum Juda, montem « Sion quem dilexit. »

Sed elegit tribum Juda, ut inde fierent reges [Aug.] Hæc et cætera quæ sequuntur, ad litteram accipi possunt, sed melius in his verbis significatur Judaicus populus a Deo repulsus, et novus populus Christianorum electus. Unde congrue non dixit, repulit Ruben, qui primogenitus fuit (*Gen.* XXIX), et cæteros qui fuerunt ante Judam, qui merito videntur repulsi, cum Jacob peccata eorum detestetur. Vel non dixit, repulit Benjamin, ex quo Saul fuit, qui vicino tempore reprobatus fuerat. Unde ex ipsa vicinitate temporis, quando ille est repulsus atque reprobatus, et David electus convenienter posset hoc dici; nec tamen dictum est, sed potius eos nominavit, qui clarioribus meritis videbantur excellere, scilicet Joseph, qui impie venditus pro justitia sublimatus pavit patrem et fratres, de quo fuit Ephrem, qui majori fratri benedictione avi sui Jacob prælatus est. Per hæc ergo præclari meriti nomina, totum illum vetustum populum repulsum a Deo intelligimus : et electam tribum Judæ, non pro meritis Judæ, quo longe melior fuit Joseph, sed per tribum Judæ, quia de ea Christus natus exstitit, novum populum Christi prælatum veteri populo Scriptura testatur, aperiente Domino in parabolis os suum (*Matth.* XIII). [Alcuin., Cassiod.] Unde montem Sion Ecclesiam accipimus, quæ futura speculatur, non terrena : sic ab initio electionis Hebrææ gentis, usque ad Christum procedit. Unde subsequenter dicit : Et elegit David. Et est sensus : Et repulit tabernaculum Joseph, et tribum Ephrem non elegit, id est Judæos, qui in augmento terrenorum militant, et in fruge sæculi præsumunt. Joseph enim interpretatur *augmentum*, Ephrem *fructificatio*. *Sed elegit tribum Juda*, id est Christianum populum, scilicet *montem Sion quem dilexit*, id est Ecclesiam.

VERS. 75. — « Et ædificavit sicut inicornium « sanctificium suum, in terram qua fundavit in sæ« cula. »

Et ædificavit sanctificium suum sicut unicornis [Aug.], vel unicornium, vel unicornuorum. Unicornis sunt, quorum firma est spes, in unum illud erigitur, de quo alibi dicitur : *Unam petii a Domino, hanc requiram* (*Psal.* XXVI). Sanctificium est plebs sancta regale sacerdotium, ut Petrus ait (*I Petr.* II). (Cassiod, Aug.) Ubi ædificavit ? *In terra*, id est in Ecclesia præsenti vel cœlesti, *quam fundavit in sæcula ;* etsi enim Ecclesia præsens mortaliter transit, tamen in æternum est fundata. Per quem hoc fecit ? Ecce :

VERS. 76. — « Et elegit David servum suum, et « sustulit eum de gregibus ovium ; de post fetantes « accepit eum. »

Et elegit David, [Aug.] qui de Juda fuit, qui Christum significat in hoc loco ; addit, *servum suum*. Non dicit filium, quia forma servi ex David est, non patri coæterna unigeniti substantia. *Et sustulit eum*

A *de gregibus ovium*. David ad litteram ex pastorali officio pecorum ad regnum hominum translatus est, et de eo ubi erat *post fetantes accepit eum* Christus vero ab hominibus ad homines, id est a Judæis, ad gentes ; tamen secundum parabolam ab ovibus ad oves ; non enim modo sunt Ecclesiæ Judææ, quæ olim omnes fuerant, gemellis fetibus erant. Unde in Canticis : *Dentes tui sicut grex tonsarum* (*Cant.* IV), ascendens de lavacro, quæ omnes gemellos creant, et sterilis non est in eis. Dentes Ecclesiæ sunt illi per quos loquitur. Vel per quos in corpus suum, velut manducando, cæteros trajicit. Grex tonsarum dicitur quia onera sæculi velut vellera deposuit, et ad pedes apostolorum, rerum suarum venditarum pretia apposuit, ascendens de lavacro, scilicet bapti-
B smi geminos creat opera, scilicet geminæ charitatis. Unde sterilis non erat in eis. Ab his ergo translatus est Christus, sed pascit gregem in gentibus, quæ sunt in Jacob et Israel. Unde sequitur, et de loco ubi erat, post fetantes, id est post primitivam Ecclesiam, id est de illis qui fuerunt post primitivos, accepit eum. Ad quid ?

VERS. 77. — « Pascere Jacob servum suum, et « Israel hæreditatem suam. »

Pascere, cœlesti pane, *Jacob servum suum*, [Cassiod., Aug.] id est Christianum populum. Non enim qui filii sunt carnis, sed permissionis, filii in semine existimantur (*Rom.* IX). [Alcuin.] Deinde repetit : *Et Israel hæreditatem suam*, nisi forte dicatur, secundum hunc statum Jacob servus. Quando autem videbit facie ad faciem, dicatur Israel hæredi-
C tas. Unde et nomen accepit. Israel enim dicitur ex contemplatione Dei. Transtulit eum ad hoc, ut pasceret, et ita fecit.

VERS. 78. — « Et pavit eos in innocentia cordis « sui ; et in intellectibus manuum suarum deduxit « eos. »

Et pavit eos in innocentia cordis sui, [Cassiod., Aug., Alcuin., Aug.] quia sine peccato fuit, et hoc docuit eos, quod ipse egit, *Et in intellectibus manuum suarum*, id est in operibus intellectualiter ab eo factis, *deduxit eos* ad vitam. Per hæc verba actualem Christi sanctitatem significat. Vel ita, videtur forte alicui congruentius potuisse dici Innocentia manuum et intellectus cordis, quam innocentia cordis et intellectus manuum ; sed sic maluit dicere,
D quia sunt aliqui qui non faciunt mala pro timore, hi videntur innocentes manibus, sed non corde. Et ideo dixit, pavit eos in innocentia cordis sui, scilicet hominum, id est faciens eos innocentes, etiam in cogitationibus cordis. Et deduxit eos, ad vitam, in intellectibus manuum suarum, scilicet Christi, id est intellectu, quem ipse facit in credentibus, quasi manibus, quod non potuit ille David qui est figura hujus.

177 COLLATIO IN PSALMUM LXXVII : « ATTENDITE. »

VERS. 11. — *Non est creditus cum Deo spiritus ejus*. Hic Faber et Cæcus produnt suam inscitiam. Scribunt enim quod ex Hebræo rectius diceretur

active, *non credidit Deo spiritus ejus*. Apertum est mendacium. Siquidem vel abecedarium in Hebræo novit quod Hebraice legitur passive נאמנה אלאל רוחו NEEMENAH ÆL EL RUHO. Cæterum Augustinus in enarratione docet melius dici, *non est creditus cum Deo spiritus ejus*, quam *credidit Deo spiritus ejus*. At Hieronymus ex Hebræo vertit active. Sic quidem vertit, ut tamen intelligat, quod dicunt Hebr. id verbi in conjugatione quæ NIPHAL vocatur, significet firmum, stabilem, permanentem, fidelem, fortem et perseverantem esse. Unde sensus est : *Non permansit, non adhæsit Deo spiritus ejus*.

VERS. 14. — *Et obliti sunt benefactorum ejus*. Hieronymus, *commutationum ejus*; alii *factorum ejus*. עלילתיו ALILOTHAU. Solet Deus optimus, maximus afflictiones præteritas bonis cumulatioribus commutare, ut ex malis cognitis, quoddam lumen accrescat menti, divina beneficia recordanti.

VERS. 16. — *Et statuit aquas quasi in utre*. Hebræi dicunt pro *quasi in utre*, *quasi acervum seu murum*. Certum est Septuaginta legisse נאד NOD, id est *uter*, loco נד NED, id est *acervus*. Ob cognationem enim vocularum, proclivis est commutatio, etiamsi sensus non distrahatur. Siquidem Deus omnipotens aquas quasi in utre continuit, dum eas ipsas cohibuit, donec Filii Israel pertransiret sicco vestigio mare Rubrum, persequente Æhyptio. Denique et Chaldæus. est nobiscum.

VERS. 20. — *In inaquoso*. Hieronymus, *in invio*; alii, *in solitudine*, seu *deserto*. בציה BATZIAH a quo ציון TZAION, *locus aridus*, eoque utrumvis notat, quanquam etiam desertum non solet aquam suppeditare.

VERS. 24. — *Aut parare mensam populo suo*. Hebræi pro *mensa* dicunt *carnem*. Vocabulum tamen hic positum שאר SCHEER significat omnem *cibum*. Inde Pellicanus vertit *nutrimentum* post Chaldæum, quod profecto per *mensam*, concinne designarunt interpretes.

VERS. 25. — *Ideo audivit Dominus et distulit*. Hieronymus in nostro codice habebat contrarium, nempe, *et non distulit*, cum Hebraice legatur citra negationem ויתעבר VAITHABAR, quod Hebraizantes vertunt, *et iratus est*. Faber in margine ascripsit testui Hieronymi juxta suum exemplar, *distulit*, scilicet *accensam iram*. Sunt qui habent, *non distulit*, tunc intellige dare eis quæ concupiverant, ne sit in translationibus contrarietas. Hæc ibi. Cæterum עבר ABAR sæpe *transire* significat. Hinc verbum quod nominant hithpael, *recte facere*, *pertransire*, quod est *differre* sonabit.

VERS. 29. — *Panem angelorum*. אברים ABIRIM, vertunt, *fortium*. Tamen ut contestatur Munsterus in scholio, Chaldæus interpres vertit pro *cibo, qui descendit de habitaculo angelorum*.

VERS. 30. — *Transtulit austrum de cœlo*. Hieronymus pro *austro* habet *eurum*. Cæteri similiter, vel *orientalem ventum* קדים QADIM. Secundum Aristotelem, lib. II Meteorologicorum, cap. 6, tractantem de ventis, poneremus vulturnum flare ab exortu brumali, atque austro vicinum esse. Atqui Plinius, lib. II Naturalis Historiæ, cap. 49, scribit vulturnum a Græci appellari eurum. Quare est parva distantia inter austrum et eurum, quantum ad historiam. Porro quod in secunda parte dicimus, *induxit in virtute sua africum*, Sanctes et Pellicanus transferunt *austrum*. Stat a nobis Hieronymus et alii. Africus enim, teste philosopho ubi supra, flat ab occasu brumali. Hebræ תימן TEMAN. Sed et prius vocabulum QADIM, traducit Hieronymus, *ventum austrum*, Ezech. cap. XXVII : *Ventus auster contrivit te*.

VERS. 37. — *Anni eorum cum festinatione*. Subscribunt Hieronymus, Sanctes et editio ad Campensem, בבהלה BABEHALAH, alii vertunt, *cum terrore*
A *seu perturbatione*. Utrumque Hebræis dicit, בהל BIHEL enim radix, est *festinare*. *inconsulte obruere*.

VERS. 46.— *Sanctum Israel exacerbaverunt*. התוו HITHUU. Neoterici transferunt, *signaverunt*, intelligentes quod limitem Deo præscripserunt, non credentes ejus infinitam potentiam. Ille qui est ad Campensem, censet signare, *ludibrio habere*. Hieronymus tamen, assentiens Septuaginta, vertit, *concitaverunt*. Et enim signum justitiæ, est punitio malorum. Et Chaldæus habet, *conculcaverunt*.

VERS. 49. — *Et imbres eorum ne biberent*. Cum in Ægypto rari sint imbres, sed fecundatur exundatione Nili, ut scribit Plinius, lib. XVIII, cap. 18, rectius videretur dici *rixos* vel *fluenta*, ut habetur in Hebr. נזליהם NOZLEHEM. Id quoque tangit Augustinus, hunc articulum edisserens : « Vel potius inquit, *manationes aquarum*, sicut nonnulli melius intelligunt, quod Græce scriptum est τὲ ὀμβρήματα, quas Latine *scaturigines* dicimus, *ab imo aquas*
B *ebullientes*. Foderunt enim Ægyptii, et sanguinem pro aquis invenerunt. » Ita Augustinus. Jam vero idem est nomen Latinis *imber*, quod Græcis ὄμβρος, sive. ὄμβρημα. Ob idque merito intelligendum erit quomodo exponit Aug.

VERS. 50. — *Misit in eos cœnomyiam*. Hieronymus, *omne genus muscarum*. Assonant et Hebraicatores ערוב AROB. De hoc Hieronymus ad Suniam et Fretellam ita ait : « Cœnomyia, non ut Latini interpretati sunt, musca canina dicitur per y Græcam litteram, sed juxta Hebraicam intelligentiam per œ diphthongon debet scribi, ut sit κοινομυῖα, id est *omne genus muscarum*. Sed Aquila παμμυῖαν, id est *omnimodam muscam* interpretatus est. »

VERS. 51.—*Et dedit ærugini*. Hebr. *dedit brucho*, לחסיל LEHASIL, quia vero radix unde venit, videlicet חסל HASAL, significat Hebræis, *exterminavit*, non nepte LXX interpretati sunt *æruginem*. Mavult ta-
C men Nicolaus Perotus *rubiginem*, quæ Græce dicitur etiam, ἐρυσίβη, sed confundunt *ærugo* ac *rubigo*.

VERS. 52. — *Moros eorum*. Hierony. et cæteri similiter, *sycomoros eorum*. שקמותם SCHIQMOTAM, sed sciendum morum Ægyptiam eamdem prorsus esse quam sycomorum. Ob idque eo cognomine appellatam, quod peculiaris sit Ægypto ; quod docet Theophrast., lib. IV, cap. 1 : « Quod autem inquit, singula terram propriam, cœlique accommodatam temperiem quærunt, eo sane manifestum, quod quædam loca, aliqua ferunt, quædam nec sponte ipsa nascentia, nec sata facile ferunt ; et quanquam apprehenderint, fructum nullatenus pariunt, ut de palma et moro Ægyptia. » Et, cap, II : « Sunt enim pleræque in Ægypto arbores ut morus : » Et paulo post : « Morus similis quodammodo moro nostrati est, quippe folio, magnitudine, aspectuque proxima. » Hæc ille. Cæterum quantum damni inferret plaga, sycomoros frigore mortificans, colligitur ex earum
D feraci natura. Siquidem, ut scribit Joannes de Ruello, lib. I, De natura stirpium ex probatis auctoribus, « usque adeo fecunditatis suæ angusta est, ut uno anno septies fructum efficiat, et unde primum decerpseris, alterum sine mora protuberat. » Deinde expositus proprietatibus sycomori, inter paucas utilissimis subdit : « Hanc quoque Theophrastus Ægytiam moron, Celsus morosicon appellat ; Dioscorides, Galenus, et Theophrasto posteriores, indito a fico et moro nomine sycomorum appellant. Rursus tradit Ulpianus, hanc arborem in Niloticis aggeribus esse frequenter, graviterque in eos animadverti, qui sycomorum exciderunt. Potentia etiam inter morum et ficum media, quod et illi nomen sycomori peperit. »

In primam הנמל HANAMAL Hieronymus, Pellicanus, interpretes pro Cajetano, Campensis, Pratensis, vertunt *pruinam, frigus*, aut *gelu*, adeoque consen-

tiunt LXX. Munsterus transtulit, *lapidem glaciosum* A In lexico tamen suo, dicit esse *frigus acerbum*, vel *glaciem*, unde germina arborum devastantur. Sanctes posuit *locustam* et *bruchum*. In suo Thesauro adducit multos rabbinos, qui inter se non conveninnt.

VERS. 53. — *Jumenta eorum*. Hieronymus vertit, *pascua eorum* בעירם BEIRAM; cæteri, *jumentum* aut pecus. Arbitror Hieronymum locatum pro loco sumere, eo quod statim in eodem subtexuit, *et jumenta eorum volucribus*, ubi legimus, *et possessiones eorum igni*, ומקניהם לרשפים UMIQNEHEM LARESCHAPHIM. Quantum ad priorem particulam conveniunt esse communem *pecori divitiis*, et cuicunque acquisito, posteriorem tradunt significare *carbonem ignitum*, *dæmonem* vel *pestem urentem*, *ignem qui invaluit*, *grandinem*, *adustionem*, *jacula* et *sagittas ignitas*, *scintillas ignis*. Quomodo autem intelligat Hieronymus seipsum in Commentario exponit ad cap. Habacuc, III, super illo versiculo : « *Egrediatur diabolus ante pedes ejus* : Aquila pro diabolo transtulit B *volatile*. Symmachus et Theodotio, et quinta editio, *volucrem* ; quod Hebraice dicitur רשף RESCHEPH. Tradunt autem Hebræi quomodo in Evangelio princeps dæmonum dicitur esse Beelzebub (*Luc.* XI), ita Resseph dæmonis esse nomen, qui principatum teneat inter alios, et propter nimiam velocitatem, atque in diversa discursum, avis et volatile nuncupetur ; ipsumque esse qui in paradiso, sub figura serpentis, mulieri sit locutus, et ex maledictione, qua a Deo condemnatus est, accepisse nomen. Siquidem resseph *reptans ventre* interpretatur. » Hactenus Hieronymus.

VERS. 55. — *Jumenta eorum*. Munsterus, Nebiensis et Sanctes gratis verterunt חיתם HAIATHAM, *vitam eorum*, quandoquidem particula utrumque repræsentat. Hieronymus enim et alii dicunt, *animantia* vel *jumenta eorum*.

VERS. 63. — *Non servaverunt pactum*. Hieronymus ad Suniam et Fretellam, edisserit cur verterit, *pactum*, licet in Hebræo non haberetur, dicens : « Scio quod *pactum* non habeatur in Hebræo, sed quoniam omnes voce simili transtulerunt, ἠσυνθέτησαν, et apud Græcos *pactum* dicitur συνθήκη ex uno verbo significatur, *non servaverunt pactum*, licet LXX ἠθέτησαν *posuerunt*. Cæterum unico vocabulo dicitur Hebraice יבגדו IBGEDU.

VERS. 68. — *Hæreditatem suam sprevit*. התעבר HITHABAR. Hieronymus vertit, *non distulit*, sicut et versiculo 66, quanquam variant codices. Alii, *iratus est*. Sed manifestum est spretum Dei gravem esse punitionem, quæ juste ira Dei dicitur. Quod autem ait Hieronymus, *non distulit*, si subaudieris *iram*, nihil distat sensus. De hoc ver. 25 annotatum est.

VERS. 69. — *Virgines eorum non sunt lamentatæ* Ita Hieronymus, *virgines ejus nemo luxit*. Sequitur et editio in Campensi, Pratensis, Sanctes, interpretes pro Cajetano, paraphrasis Campensis, *non nupserunt*, si verbum verbo reddas הללו HULLALU, id est *laudate*, ut habent Chaldæus et Nebiensis, id quod Munsterus uno verbo dixit apposito, *non honoratæ nuptiis*. Sed si addidisset, *non sunt honoratæ sepultura*, lectioni ecclesiasticæ et Hieronymo consensisset. Nec cogimur magis subaudire nuptias, quam quidpiam aliud proposito congruum.

VERS. 70. — *Viduæ eorum non ploranbatur*. Et Hieronymus non abhorret, *non sunt*, inquit *fletæ*. Alii, præter translatorem ad Campensem, edunt active, *non fleverunt*. Sed activum et passivum idem sunt, præter vocalia puncta si ascribantur תבכינה TIBKENAH, vel תבכינה TIBACHENAH.

VERS. 71. — *Tanquam potens crapulatus a vino*. Metaphoram istam diversi varie reddunt, illæsa intelligentia. Hieronymus et Nebiensis, *quasi fortis post crapulam vini* ; Chaldæus, *sicut homo fortis inebriatus a vino* ; Pellicanus, *quasi fortis a crapula*, vel *exsultans a vino*. Sic et interpretes pro Cajetano, similiter Pratensis, *exsultans pro vino* ; Sanctes, *clamans propter vinum* ; Munsterus, *tanquam vir fortis, qui vociferatur post vinum* ; editio ad Campensem, *sicut miles a vino exhilaratur* ; Paraphrasis, *quomodo solet qui vino obrutus post longum somnum, redit ad se, et iterum vino exhilarans sese, fortiter pericula aggreditur*, Hebraice est מתרונן מיין MITHRONEM MIIAHN.

VERS. 72. — *Percussit inimicos suos in posteriora*. B אחור AHOR, quod alii vertunt, *retro* aut *retrorsum*, Munsterus sic reddidit, ut omnino præcluderet viam intelligendi hunc locum, de primo lib. Reg., cap. 5. In quo narrantur Philistæi in secretiori parte natium a Deo percussi, ideo quia arcam **178** Domini detinebant, irreligiose tractantes. Siquidem hoc pacto transferens Munsterus, *percussit hostes suos tergum vertentes*, solum significat hostes in fugam versos. Sequendo autem lectionem Vulgatam, quæ vel Hebraismo propinqua est, liberum relinquit lectori utrumque posse intelligere. Et priorem acceptionem sequitur Augustinus, cui respondet paraphrasis Campensis, *vulneravit hostium suorum podices*, secutus, ut opinor, Chaldæum paraphrasten, *percussit hemorrhodibus in posteriora, et ædificavit sicut unicornis sanctificium suum*. Idem Hieron., *et ædificavit in similitudine monocerotis sanctuarium suum*. Cæteri vertunt, *excelsa*. Et Sanctes ac Munsterus addunt, *palatia*. Hinc luce clarius C constat Hieronymum et Septuaginta legisse רמים REMIM ; alios autem רמים RAMIM quæ profecto unico distant punctulo. Nobiscum est Chaldæus.

In terra quam fundavit in sæcula. In Hebr., *quasi terram quam fundavit in sæcula*. Ut intelligas non terram absolute in se fundatam, sed ut stabilitas terræ comparetur ad stabilitatem ædificati tabernaculi. Hebr. כארץ KEERETZ. Hinc Hieronymus, *quasi terram fundavit illud in sæculum*. Quod si secunda clausula pendeat a superiore, et a nota similitudinis supra posita, reddetur idem sensus, *sicut in terra quam fundavit in sæcula*. Certum est tamen quod beth et caph, magnam habent similitudinem, Nam si diceretur בארץ BERETZ, *esset in terra*. Hunc nodum copiose explicuit D. Hieronymus ad Suniam et Fretellam, *in terram quam fundavit in sæcula*. « Pro quo scriptum invenisse vos dicitis, ἐν τῇ γῇ ἐθεμελίωσεν αὐτὴν εἰς τὸν αἰῶνα, id est *in terra fundavit eam* D *in sæcula*. In Hebræo ita scriptum est, ut vertit Symmachus εἰς τὴν γῆν ἣν ἐθεμελίωσεν εἰς τὸν αἰῶνα, id est *et ædificavit sicut unicornium sanctificium suum in terra, quam fundavit in sæcula*. Si autem non de terra dicitur quod fundata sit, sed de alia re quæ fundata videatur in terra, probent ex superioribus et sequentibus quis sensus sit, ut nescio quid quod dicitur fundatum, videatur in terra. Si autem sanctificium in terra fundatum putatur, debuit scribi, *in terra fundavit illud in sæcula*. » Hæc D. Hieronymus.

PSALMUS LXXVIII.

PSALMI TITULUS : « PSALMUS ASAPH. »

Deus, venerunt gentes. Titulus : *Psalmus Asaph*. [Cassiod., Aug., Cassiod., Aug., Cassiod.] Iste psalmus est secundus de lamentatione ubi precatur Asaph studio pietatis, Christum subvenire suæ genti, pro duritia sua graviter affligendæ, et agitur hic vel

de captivitate per Babylonios facta (*IV Reg* XXV), vel potius de vastatione quam tempore Machabæorum Antiochus Epiphanes fecit, qui in templo idola posuit, et legem Dei polluit, populumque vastavit (*I Mach.* I). Sed civitatem non evertit, vel templum per quæ signatur persecutio Ecclesiæ inter manus gentilium, laborantis, sed non deficientis : quæ in quibusdam deficientibus polluta est. Et est sensus : Psalmus iste attribuitur *Asaph*, id est fideli Synagogæ, quæ hic loquitur. Intentio : Monet bonis proximorum lætari, et calamitatibus affligi. Modus : Tripartitus est psalmus. Prima pars est conquestio, ubi enumerantur quanta tulerit Jerusalem temporibus Antiochi, ut non destructa fuit, per quæ significatur Ecclesiæ persecutio. Secunda pars est, deprecatio pro parte sua, contra inimicos, ibi, *Usquequo, Domine*. Tertia pars est exsultativa conclusio lamentationis, ibi *nos autem*. Asaph ergo condolens suæ genti, ipsius mala Deo exponit sic dicens :

VERS. 1. — « Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt Jerusalem in pomorum custodiam. »

Deus, gentes venerunt in hæreditatem tuam, [Aug Non dicit hæc Deo quasi nescienti, a quo ipse scit, quidquid scit, sed loquitur cum eo pietatis affectu, et transfigurans in se omnes qui futuri erant, quando hæc fierent. Loquitur enim in persona eorum quibus hæc acciderunt. Est autem hæc deploratio eorum quæ fecit Deus vindicans, et adjungitur deprecatio. Quasi dicat : Utinam jam misereatur et parcat. Ita hæc ergo dicuntur a quo prædicit cur tanquam ab eis dicantur, quibus acciderunt, et ipsa deploratio prophetatio est. Quod autem ait, In hæreditatem tuam, sciendum est quia de populo Israel, hæreditas Dei sunt electi, sed non excæcati. Non ergo possunt hæc accipi de temporibus post ascensionem Christi, quando vastati sunt per Romanos. Tunc enim ille populus qui remanserat in Jerusalem hæreditas Dei non erat (117). Omnes enim reprobi excæcati erant, omnesque fideles adventantibus Romanis, monitu angeli in regnum Agrippæ secesserant. [Aug., Cassiod., Aug.] Sed potius accipiendum est de tempore quod fuit antequam Christus venisset ; et tunc enim populus ille hæreditas Dei erat, ubi erant prophetæ et sancti, quando ducti fuerunt in Babylonem, vel maxime sub Antiocho, sub quo passi Machabæi horrenda, gloriosissime sunt coronati. Devastatione ergo facta ab Antiocho agit dicens ; Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam, id est in Jerusalem, ubi aliqui boni erant, dicendo ; tuam, movet judicem cujus res læditur. Et *polluerunt templum sanctum tuum* per simulacra, quæ ibi posuerunt, sed non destruxerunt. Primo occurrit injuria templi : in quo est contumelia Dei. Hic arguit eos de sacrilegio. Et nota quod nondum erat templum, quando hæc Propheta dicebat et narrat quasi præterita, quæ in spiritu vidit futura jam vero evidenter sunt impleta. Se-

(117) Ex Eusebio, lib. III, cap, 5.

A quitur :*Posuerunt Jerusalem in pomorum custodiam*, id est, in desertionem, ut collectis pomis, custodiæ deseruntur. Unde Isaias : *Relinquetur filia Sion sicut umbraculum in vinea*, et *sicut tugurium in cucumerario (Isa.* I) deinde post sacrilegium, homicidia addit dicens :

VERS. 2. — « Posuerunt morticina servorum tuorum escas volatilibus cœli; carnes sanctorum tuorum bestiis terræ. »

Posuerunt morticina, [Aug., Cassiod., Aug.] id est cadavera *servorum tuorum*, qui noluerunt immundis uti, *escas volatilibus cœli*. Quasi dicat : Non modo in viventes sæviunt, sed in mortuos. Sepelire pietatis est, abjicere crudelitatis est. Ita hæc ad litteram de vastatione facta sub Antiocho accipiuntur. Sed si
B quis accepit hæc, post resurrectionem et ascensionem Christi facta : de his quæ idololatræ martyribus intulerunt accipiantur, quando Ecclesia inter tantam martyrum numerositatem multa perpessa est, quia Asaph, etsi de Judæis proprie dicatur, tamen et Ecclesia congregatio dicitur, quæ est etiam hæreditas, in quam venerunt gentes, non credendo, sed persequendo, id est eam invaserunt in voluntate delendi, et penitus perdendi ; ipsa est etiam templum Dei, quod polluitur in deficientibus, quos persecutores ad negandum Christum, terrendo vel excruciando coegerunt, atque ut ad idola applicarent, vehementer instando fecerunt. Unde hic dicit, polluerunt templum sanctum tuum. Unde Apostolus : *Templum Dei sanctum est, quod estis vos* (*I Cor* II).
C Ipsa eadem Ecclesia est etiam Jerusalem, libera mater nostra (*Gal.* IV), de qua Isaias : *Lætare, sterilis quæ non paris* ; *erumpe et clama, quæ non parturis, quoniam multi filii desertæ magis quam ejus quæ habet virum* (*Isa.* LIV). Unde hic dicit, posuerunt Jerusalem, id est, Ecclesiam, in pomorum custodiam, id est in desertionem. Quando enim gentibus persequentibus in cœlestem mensam, spiritus martyrum, tanquam de Dominico horto multa et suavia poma transierunt, Ecclesia deserta est visa. Posuerunt morticina servorum tuorum, id est sanctorum martyrum resurrectionem, escas volatilibus cœli, quasi quidquam eorum deperiret, cum ille ex occultis naturæ sinibus totum redintegret, cui et capilli nostri numerati sunt. Deinde exponit quod dixerat, *carnes*
D *sanctorum tuorum*. Hæc sunt morticina *bestiis terræ*.

VERS. 3. — « Effuderunt sanguinem eorum tanquam aquam in circuitu Jerusalem ; et non erat qui sepeliret. »

Effuderunt sanguinem eorum. [Cassiod., Aug., Cassiod,, Aug.] Exaggerat ut judicem moveat. *Tanquam aquam*, id est abundanter et viriliter, quas ita liceret de sanguine, sicut de aqua, sine culpa et hæc non tantum intra muros, sed etiam *in circuitu Jerusalem*, cum extra invenirentur occidendi. Copia cædis notatur in urbe et extra, ita ut non vaca-

ret eis sepelire, dum omnibus periculum immineret. Unde subdit, *et non erat qui sepeliret*. Potest hoc et de Ecclesia accipi, quæ et per totum mundum passa est, cujus circuitus est per totum orbem ubi persecutio fit.

Vers. 5. — « Facti sumus opprobrium vicinis « nostris ; subsannatio et illusio his qui in circuitu « nostro sunt. »

Facti sumus opprobrium. [Cassiod., Alcuin., Aug.] Gloriam enim Jerusalem olim toto orbe mirabilis. Unde Jeremias : *Hæc est civitas quæ dicebatur corona gloriæ versa est in opprobrium vicinis* (*Thren.* II). Quod gravius est, quam si remotis, quia hi sunt assidui. Vel martyres hoc dicunt, *facti sumus opprobrium vicinis nostris*, id est, affectione propinquis. Jam volentibus credere; *subsannatio et illusio* sumus *his*, auget scelus his *qui in circuitu nostro sunt*, id est gentibus quæ circa Jerusalem sunt. Vel martyres hoc dicunt, subsannatio et illusio sumus his qui in circuitu nostro sunt, id est inimicis Ecclesiæ qui sunt toto orbe, quia non eis, sed in conspectu Domini pretiosa est mors sanctorum ejus *(Psal.* CXV).

Pars. II. Vers. 6. — « Usquequo, Domine, « irasceris in finem ; accendetur velut ignis zelus « tuus. »

Usquequo, Domine. [Cassiod., Aug., Alcuin.,] Secunda pars, deprecatio est hic pro parte sua contra inimicos, et insultantes vicinos. Quasi dicat : Illi ita sæviunt in nos, sed o *Domine*, *usquequo irasceris* nobis usque *in finem*. Quasi dicat. Noli irasci in finem. Rogat ne usque in finem irascatur, id est ne illa vastatio perseveret, sed temperet correctionem. Jam ergo precatur, qui supra deplorabat et orat quod futurum sit, et tunc aliqui boni erant inter eos ; *et zelus tuus*, usquequo scilicet, *accendetur velut ignis*, accendetur usque in finem. Noli irasci. Ira et zelus Dei non sunt perturbationes ejus qui cum tranquillitate judicat ; sed nomine iræ, vindicta iniquitatis accipitur, quando pro commisso nostro punit. Nomine zeli exactio castitatis intelligitur, ne anima legem Dei sui contemnat, et a Deo suo fornicando dispereat, ut in Job fuit. Et nota hæc pro peccatis, hominibus evenire, licet justis. Sicut Machabæi inter sæva tormenta, et tres pueri inter noxias flammas, et sancti prophetæ in captivitate testantur. Unde bene ait, velut ignis. Zelus quippe Dei, et ira vere ardet velut ignis. Tandiu enim ardet, donec aurum, id est virtutum perfectio purgetur, et ligna cinerentur.

Vers. 7. — « Effunde iram tuam in gentes quæ « te non noverunt ; et in regna quæ nomen tuum « non invocaverunt. »

Effunde. [Aug., Cassiod., Aug., Cassiod.] Quasi dicat : Ne irascaris, sed potius *effunde*, ut multam, *iram tuam*. Non est hoc dicere malevolentia, sed prævisa dicuntur. Figura enim optandi futura prædicit. Effunde, dico, *in gentes*, ut sicut nos opprimunt, ita illi tuis virtutibus opprimantur, *quæ te non noverunt*, nec scire voluerunt, nec timere. Culpa Judæo-

A rum, horum comparatione levigatur ; *et in regna quæ nomen tuum non invocaverunt*. Sed dæmonia, vel quamlibet creaturam, non Creatorem qui est benedictus in sæcula. Nota quia per **179** gentes accipit subditos, per regna ipsos reges.

Vers. 7. — Quia comederunt Jacob, et locum « ejus desolaverunt. »

Quia comederunt Jacob. [Aug., Cassiod., Alcuin., Aug.] Dico non invocaverunt, sed insuper oppugnaverunt, quia comederunt Jacob, id est Judaicum populum. Hæc est prædicta hæreditas ferarum dentibus tradendo. Ecce more oratorum pro homine homo ponitur, scilicet pro gente quæ offendit, gratus patriarcha, ut ejus memoria populi peccata mitiget. *Et locum ejus desolaverunt*, eversione civitatis,
B quæ civibus suis nudata est, vel quia occiderunt substitutos loco civium occisorum. Locus enim est civitas, ubi erat templum, quo congregabantur ad festa. De Ecclesia quoque bene hoc accipitur, quia comederunt, alios incorporando sibi, vel occidendo. Jacob, id est Ecclesiam, quæ est junior, cui serviet major : *Et locum ejus desolaverunt*, repetitio est,

Vers. 8. — « Ne memineris iniquitatum nostra- « rum antiquarum ; cito anticipent nos misericordiæ « tuæ, quia pauperes facti sumus nimis. »

Ne memineris. [Gl. int., Aug., Casiod.] Quasi dicat : Ita fac in gentes, quæ te non noverunt, sed *ne memineris*, etc. Vel ita continua : Hæc mala nobis inferunt, sed quia scio te pro peccatis nos flagellare et per eos precor. Ne memineris *iniquitatum nostra-*
C *rum*. Hæc confessio delictorum veniam provocat. *Antiquarum*, non dicit hoc de præteritis tantum, cum et hoc tempore quidam Judæi idola sequerentur, sed, antiquarum, id est similium antiquis, quibus innumeris annis peccaverunt idola sequendo. *Et misericordiæ tuæ cito anticipent nos*, scilicet ante judicium quod timet omnis homo, quia nisi indulgentia præveniat in judicio, non absolvitur reus ; ideo obtendo misericordias, *quia pauperes* a meritis *facti sumus nimis*. Ne quis de actibus suis præsumat. Dico, ne memineris iniquitatum, sed

Vers. 9. — « Adjuva nos, Deus salutaris noster ; « et propter gloriam nominis tui, Domine, libera « nos, et propitius esto peccatis nostris propter « nomen tuum. »

D *Adjuva nos*, [Cassiod., Aug.] in bello defensionis legum contra Antiochum, quia non in suis, sed in virtutibus Dei confidunt. Unde subdit : *Deus salutaris noster*, quod necesse est quia nos infirmi sumus, *et*, o Domine *libera nos propter gloriam nominis tui*, non nostrum meritum, sed ut nos erepti, tuo nomini honorem reddamus, *et propitius esto peccatis notris propter nomen tuum*, non propter nos, id est pietate nominis tui tribuatur nobis quod actibus nostris non potest haberi, vel in persona martyrum possunt hæc accipi. Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, id est a parentibus antiquis venientium, vel propagatione vel imitatione. Cito anticipent nos misericordiæ tuæ, ne ad judicium

damnandi veniamus, quia pauperes facti sumus A
nimis, ad bonum faciendum ; sed, adjuva nos, Deus, quasi paupertas, id est infirmitas nostra te miserante adjuvetur ad bona facienda. Quasi dicat : Gratia adjuvet liberum arbitrium. Cum enim ait, adjuva nos, nec ingratius, est gratiæ, nec tollit liberum arbitrium. Qui enim adjuvatur, etiam per seipsum aliquid agit, Salutaris noster, qui necessarius es infirmitati nostræ ; et propter gloriam nominis tui, ut qui gloriatur, in Domino glorietur, non in se (*I Cor.* x). Domine, libera nos. Liberat nos, id est eruit a malis Deus, cum et adjuvat ad faciendam justitiam, et propitius est peccatis, sine quibus hic non vivitur, unde subdit : Et propitius esto peccatis nobis propter nomen tuum, hæc fac nobis,

Vers. 10 — « Ne forte dicant in gentibus : Ubi B
« est Deus eorum ? et innotescat in nationibus co-
« ram oculis nostris. »

Ne forte dicant in gentibus. [Aug., Cassiod., Aug., Cassiod.] Quasi dicat : Hoc pro gentibus magis peto quæ pereunt desperando de Deo, quid dicant, illud usitatum a perfidis, scilicet *ubi est Deus eorum ?* Quasi dicat : Vel non est, vel non potest suos adjuvare ; hæc est insultatio, non ferenda.

Vers. 11. — « Ultio sanguinis servorum tuorum « qui effusus est ; introeat in conspectu tuo gemitus « compeditorum. »

Ultio sanguinis servorum tuorum qui effusus est. Ultio temporalis, scilicet ut æternam evadant. Innotescant in nationibus coram oculis nostris, scilicet cito fiat ut videamus illos conversos, qui modo persequuntur, et accipiatur hoc in bono de ultione præsenti, vel de pœna æterna potest accipi sic : *Ultio sanguinis servorum tuorum qui effusus est introeat.* Innotescat ni nationibus coram oculis nostris, [Aug.] id est sume vindictam de malis, qui fuderunt sanguinem tuorum, et in fine ita fiet, quia vel hic in conversis perimitur iniquitas, quod ante optaverat. Vel in fine pereunt : quod hic dicit non optando, sed prophetando, quia justus non delectatur de pœna inimici, quia non eum odit ; sed de divina justitia, quia Deum diligit. Econtra, injustus facit, malis ita fiat, *introeat* autem *in conspectu tuo*, vel tuum *gemitus compeditorum* corruptibilitate carnis, quæ aggravat animam, per quam prævalet aliquando persecutor. Has compedes non sentiunt, nisi illi qui ingemiscunt gravati ; ab his cupiebat dissolvi Apostolus, et esse cum Christo (*Philipp.* i). Vel compedes sunt præcepta Dei, quibus colligantur sancti : quæ patientur subtentata in ornamenta vertuntur. Unde dicitur : *Injice pedem tuum in compedes ejus* (*Eccli.* vi). Vel ad litteram compeditos dicit eos, [Cassiod.] quos gentiles vinxerint, qui cum gemitu orant ut Ecclesia in fratribus non deficiat, etsi eos pœna consumit. Deinde quid gemitus compeditorum petat ostendit ; hoc enim petebat gemitus illorum.

Vers. 12. — « Secundum magnitudinem brachii « tui posside filios mortificatorum. »

Posside, [Cassiod., Aug.] ne aliquo errore maculentur, vel, *recipe in adoptionem*, alia littera, filios, id est posteros, mortificatorum. Hoc semper oravere sancti martyres, ne infructuosus esset posteris sanguis eorum, ut inde cresceret seges, unde putabatur peritura. Et est ista pia precatio, ne filios eorum projiciat, qui pro eo puniti sunt, sed multiplicet. Et hoc *secundum magnitudinem brachii tui*, id est potentiæ tuæ. Res enim tam magna in Christianis secuta est, quam nunquam crederent inimici.

Vers. 13. — « Et redde vicinis nostris septuplum « in sinu eorum : improperium ipsorum quod exprobraverunt tibi, Domine. »

Et redde. [Aug., Alcuin., Aug.] Item non optat, sed vera prophetat, dicens : *Redde vicinis*, de quibus supra dixit, inter quos est Ecclesia, usque ad separationem futuram, *septuplum.* Septenario numero, id est septupla retributione, perfectionem pœnæ significat, quia hoc numero plenitudo significari solet, sicut et de bonis, cum dicitur centuplum accipiet in hoc sæculo (*Marc.* x), quod positum est pro omnibus : Quasi dicat : Nihil habentes sunt, et omnia possidentes (*I Cor.* vi). Et hoc, *in sinu eorum*, id est in occultis nunc in hac vita, ut postea innotescat in nationibus coram oculis nostris. Homo namque cum datur in reprobum sensum in interiori sensu accipit suppliciorum meritum futurorum. Vel, septuplum ponit pro infinito, *Improperium ipsorum quod exprobraverunt tibi, Domine.*
C Quasi dicat : Hoc eis redde, septuplum in sinu eorum, scilicet improperium ipsorum quod exprobraverunt tibi, Domine, id est pro isto opprobrio, da eos in reprobum sensum. Ibi enim exprobraverunt nomen tuum in servis tuis arbitrantes delere nomen tuum de terra. [Cassiod.] Vel potest hoc in bono accipi, et dicit optando, redde vicinis nostris. Etsi corporaliter reddit Deus, salus est tamen animæ eorum, unde subdit, septuplum, per quod perfectionem doni cœlestis significat, quando Spiritu sancto complemur. Et hoc, in sinu eorum, id est in secreto animorum, ubi sit conversio. Et redde eis improperium quod exprobraverunt tibi, Domine, id est fac ut pro injuriis et opprobriis, quæ tibi fecerunt reddant laudes, quæ est gloriosa vindicatio, quando
D Deus inimicorum ore laudatur.

Pars. iii. Vers. 14. — « Nos autem populus tuus « et oves pascuæ tuæ, confitebimur tibi in sæculum. »

Nos autem populus tuus. [Cassiod., Haym., Cassiod., Aug.] Tertia pars, ubi est exsultativa conclusio, non victorum parentium et suavis conclusio lamentationis. Quasi dicat : Illis ita ; *nos autem*, quos putabant se perdere, qui sumus *populus tuus* fide, *et oves pascuæ tuæ*, id est doctrina tua pasti : hæ sunt reliquiæ Judæorum a Mathathia congregatæ (*I Mach.* ii). Vel generaliter de omni genere piorum ac verorum Christianorum accipiendum est, ut etiam Christianus populus ibi sit mistus. [Cassiod., Aug.] Hic est grex pro quo oravit ne

diutius irasceretur. Nos, inquam, confitebimur tibi, id est laudabimus te in nobis. Et hoc *in sæculum*, quia usque in finem sæculi non delebitur Ecclesia, ut putatur.

VERS. 15. — « In generatione et generationem « annuntiabimus laudem tuam. »

In generatione et generationem, [Aug., Cassiod.] id est in omnem generationem, idem est quod dixerat in sæculum *annuntiabimus* aliis *laudem tuam*, quæ ut taceretur, nos finire conati sunt. Vel de futuro illud accipi potest; in generatione et generationem, id est futuro sæculo, annuntiabimus laudem tuam, non pro aliorum instructione, sed pro debito honore.

COLLATIO IN PSALMUM LXXVIII : « DEUS VENERUNT GENTES, » ETC.

VERS. 1. — *Posuerunt Jerusalem in pomorum custodiam.* Hebræi dicunt *in acervos*, videlicet *lapidum* aut *ruinarum*. Eumdem esse sensum desolationis ostendit Hieronymus ad Suniam et Fretellam hoc modo : « *In pomorum custodiam*, quod in Græco ὀπωροφυλάκιον dicitur, nec potest aliter verti quam a nobis translatum est. Significat autem oporophylacion *speculam* quam custodes satorum et pomorum habere consueverunt, ut de amplissima urbe, parvum tuguriolum vix remanserit. Hoc secundum Græcos. Cæterum in Heb. לעיים LEIIM scriptum habetur, quod aquila vertit λιθόριον, id est *acervum et cumulum lapidum*, quibus vineæ et agri purgar-

A solent. » Hæc ille. Unde Chaldæus dixit, *desolationem*.

Locum ejus desolaverunt. Hieronymus et Nebiensis pro *loco* vertunt *decorem*, licet alii Hebraicantes transferant *habitationem*, in hoc Septuaginta consonantes. Cæterum נוה NAUEH, est anceps נוהו NAUEHU, *habitationem ejus*, seu *decorem ejus*.

Posside filios mortificatorum. Hieronymus et Sanctes, *relinque filios*, *interitus*, sive *morti obnoxios*. Quod aliter idem exprimunt Munsterus, Pellicanus et Campensis, *fac residuos filios*, sive, *conserva in vita morti addictos* : Pratensis et interpret. pro Cajetano, *solve filios*, etc. Quolibet modo sententia eodem recidit. Et si quæ varietas videtur, unde sit, docet Sanctes in suo Thesauro his verbis : « Sunt tamen, inquit, ra. da, qui הותר HOTHER, deducunt a יתר IETHER, quod est *funis*, *chorda*, et exponunt, ac si dicat : *Rumpe* vel *dimitte funem et ligaturam filiorum mortis*. Prædixerat enim, *Introeat coram*
B *te clamor vinctorum*. Idcirco dixit, quod *dimitteret eos a vinculis*. » Hæc ibi. Igitur ea particula a יתר IATHAR deducta, ad verbum significat, in conjugatione quam dicunt hiphil, *fac ut remaneant filii mortis*. Quod indubie fit, quando in quoddam Dei peculium vindicamur, a mortis periculo, Dei virtute potenter erepti. Mysticum sensum habes in explanatione contextus.

VERS. 15. — *In generatione et generationem.* Offenduntur **180** Faber et Cæcus in hoc sermone ceu minus Latino, alioqui dicendum erat, *in generatione et generationem*, vel, *in generationnem et generationem*, ut habent Græci. Illud est minutulum. Sed et Hieronymus in Commentariis, non adeo offenditur, ut aliquid subesse mysterii non obscure subjudicet. « Hoc est a prophetis, ait, usque in Evangelia. »

PSALMUS LXXIX.

PSALMI TITULUS : « IN FINEM PRO HIS QUI COMMUTABUNTUR, PSALMUS PRO ASSYRIIS, TESTIMONIUM ASAPH. »

Qui regis Israel, intende. Titulus : *In finem pro his qui commutabuntur, psalmus pro Assyriis, testimonium Asaph.* [Aug.] Asaph illuminatus agit hic de primo adventu Christi, et de vinea ejus. Est hoc bonum testimonium de capite ipso et corpore ejus, rege et plebe, pastore et grege. Hic enim loquitur Asaph de adventu Christi, qui hominem convertit, et vineam de Ægypto eductam solidat. Et est sensus tituli : *Psalmus* iste dirigens nos *in finem*, id est in Christum, *est testimonium Asaph* illuminati *pro his qui commutabuntur*, et *pro Assyriis*, id est pro his qui commutabuntur in melius, ut jam non sint generatio quæ non direxit cor suum, sed dirigens se ad Christum. [Alcuin.] Assyrii enim interpretantur *dirigentes*, et sunt iidem qui commutabuntur, et Assyrii. Vel distingue inter commutandos et Assyrios, ut per commutandos accipiamus convertendos; per Assyrios, Judæos. Nam psalmus iste sicut agit de commutandis, ita et de Judæis, qui se dirigunt contra Christum, per liberum arbitrium et per carnales observantias. Et est psalmus iste *Asaph*, id est Synagogæ tendens in finem, est testimonium, pro his qui commutabuntur, et pro Assyriis convertendis et superbis. His, id est convertendis et testimonium rectæ fidei; his, id est superbis perfidiæ. Intentio :

C [Aug.] Monet nos in melius commutari, et ad Christum dirigi. Modus : [Cassiod.] Bipartitus est psalmus. Prima pars est deprecatio primi adventus, per quem fit reparatio generis humani. Secundo agit de vinea, dicens, quomodo incœpta et perfecta, ibi, *vineam de Ægypto*. Asaph ergo qui supra in præcedentibus psalmis pro peccatis Synagogæ trepidus orabat, jam de illius conversione præsumit, et commutatis in melius testimonium dat de adventu Christi, quem precatur dicens : O tu Deus,

VERS. 1. — « Qui regis Israel, intende : qui dedu- « cis velut ovem Joseph. »

Qui regis Israel, [Cassiod., Aug., Cassiod., Aug., Cassiod.] Videntes te *intende*, id est mitte Filium tuum : et secundum hoc dirigitur sermo ad Deum
D patrem : Vel potius ad Filium dirigitur sermo qui desideratur et exspectatur et invocatur ut veniat, quem per actus diffinit, dicens : o Deus, qui regis Israel, id est Judæos spiritualiter videntes te, intende, id est lumen pietatis super nos infunde, ut a te simus clari, qui per nos sumus tenebrosi; *qui deducis Joseph*, ipsum scilicet significatum Joseph, id est fidelem populum de gentibus. Joseph enim interpretatur *augmentum*, et mortuo grano frumenti (*Joan.* XII), auctus et multus populus Dei. Conjunctis in angulari lapide Christo duobus parietibus (*Ephes.* II), scilicet Judæorum et gentium, id est, Israel et Joseph, deducis ad caulas Dei, *tan-*

quam oves, ad pascua. Hæ sunt oves illæ, de quibus Dominus in Evangelio : *Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et fiet unum ovile et unus pastor* (*Joan.* x). Nota quia propria singulis verba reddit. Regitur namque Israel, tanquam major; ducitur Joseph, id est devotus populus.

VERS. 2. — « Qui sedes super cherubim, manifestare, coram Ephraim, Benjamin, et Manasse. »

Qui sedes. [Aug., Alcuin., Cassiod., Aug.] Quasi dicat : Intende ita, o tu *qui sedes super cherubim*, id est super illas sublimes potestates cœlorum, *manifestare coram Ephraim, Benjamin et Manasse*, id est coram gente Judæorum ubi hæ tribus sunt. Quasi dicat : Tu qui es angelis notus, innotesce hominibus. Rogat Asaph ut Dei Filius, qui in secreto majestatis erat, per incarnationem appareat coram Judæis ut promissum erat, faciens in eis has virtutes, quæ his nominibus significantur Ephraim, Benjamin et Manasse. Ephraim enim interpretatur *fructificatio*. Benjamin *filius dexteræ*, Manasses *oblivio*, ut posteriorum obliti in anteriora se extendant. Sed et juxta interpretationes nominum, potest sic legi : *Qui sedes super cherubim*, id est in plenitudine scientiæ, quæ est charitas (cherubim enim interpretatur *plenitudo scientiæ*) *manifestare coram* Ephraim, id est coram fructificatione, et *Benjamin*, id est filio dexteræ, ut et nos simus plenitudo scientiæ; quod potest esse per charitatem, quæ est Deus. Unde Deus charitas est : quam qui scit, quid nescit ? Charitas enim nomen est Dei et doni. *Et* coram *Manasse*, id est oblito ut jam illi venias in mentem juxta illud : *reminiscentur et convertentur omnes fines terræ* (*Psal.* XXI).

VERS. 3. — « Excita potentiam tuam, et veni, ut salvos facias nos. »

Excita potentiam tuam et veni, [Alcuin., Cassiod., Aug.] Repetit apertius quod oraverat. Ordo talis : *Veni*, tu ipse in carnem, *et excita potentiam tuam*, id est ostende potentiam tuam in resurrectione, quia visus es infirmus in passione, dum dicitur : *Si Filius Dei es, descende de cruce* (*Matth.* XXVII). Nihil valere videbaris ; prævaluit super te persecutor, quod præsignatum est cum Jacob prævaluit angelo, ipso quidem angelo volente, et tamen victus angelus benedixit victorem. Tenuit namque homo victor angelum, et dixit : *Non te dimittam, nisi benedixeris mihi* (*Gen.* XXXII). Benedixit itaque victus victorem, sed claudum fecit eumdem. Tetigit enim nervum femoris ejus, et aruit. Hoc est magnum sacramentum. Claudicat quidem populus Judæorum, sed et ibi est benedictum genus apostolorum. Excita ergo potentiam tuam, [Gl. int.] id est crucifixus ex infirmitate, resurge ex virtute (*II Cor.* XIII). Dico, veni, ad quid ? *ut salvos facias nos*. Sic autem salvi erimus, o

VERS. 4. — « Deus, converte nos, et ostende faciem tuam ; et salvi erimus. »

Deus, converte nos, [Aug., Hier., Aug., Gl. int.] adversos a te, aliter non convertimur nisi tu facias. Deinde loquens ad Patrem ait : *Et ostende*, vel illumina, *faciem tuam* nube carnis coopertam, id est Filium tuum, qui est imago tua. Hæc facies velata fuit Assaph tempore infirmitatis Christi, et tunc ægrotavit Asaph non valens intueri vetatum nube de quia dicitur : *Ascendet Dominus super nubem levem, et intrabit Ægyptum* (*Isa.* XIX). Illuminavit vero Deus faciem illam, cum Christus resurrexit, et ascendit. Et ita salvamur. Unde subdit : *Et salvi erimus*. Conversis tamen ad Christum etiam post Christi adventum restat ira, in corpore quidem, non in mente ; sed hæc finem habebit per Christum in secundo adventu. Nam qui in primo adventu partem pœnæ removit, in secundo omnem pœnam consumet in bonis. Unde iste dicit :

VERS. 5. — « Domine Deus virtutum, quousque irasceris super orationem servi tui ? »

Domine Deus virtutum cœlestium, [Haym., Gl. int., Aug,] quibus nos socii futuri sumus, *quousque irasceris super orationem* jam *servi tui ?* Et si irascebaris super orationem inimici tui, ne irascaris super orationem jam servi tui. Et partim utique transiit ira a servo, non ut non flagellet, ut pater ; sed ne damnet ; et conversis enim durat ira, sed corrigens. Flagellat enim omnem filium quem recipit (*Hebr.* XII).

VERS. 6. — « Cibabis nos pane lacrymarum ; et potum dabis nobis in lacrymis in mensura. »

Cibabis. [Cassiod., Alcuin., Gl. int.] Exponit hic passiones, quas sancti tempore adventus passuri sunt. Quasi dicat : Et si optem Christi adventum, tamen eo tempore multa passuri sumus, quia *cibabis nos* Deus, *pane lacrymarum*. Alia similitudine idem dixit : *Et potum dabis nobis in lacrymis*. [Aug,. Alcuin., Haym.] Lacrymæ namque illæ erunt ad correctionem, ad perfectionem, non ad peremptionem. Quæ lacrymæ erunt *in mensura*, id est pro viribus tuis, ut erudiaris, non opprimaris. Unde Apostolus : *Fidelis Deus qui non patietur vos tentari supra id quod potestis* (*I Cor.* x). Vel in mensura, id est pro modo culparum. Deinde exponit lacrymas dicens :

VERS. 7. — « Posuisti nos in contradictionem vicinis nostris ; et inimici nostri subsannaverunt nos. »

Posuisti nos in contradictionem vicinis nostris. [Aug.] Plane hoc factum est. De Asaph enim electi sunt qui irent ad gentes, et prædicarent in gentibus quibus contradicebatur a dicentibus : Quis est iste novorum dæmoniorum nuntiator ? Et inde sunt cibati lacrymis. Prædicabant enim mortuum resurrexisse. Nova res, sed incredibili rei fidem miracula faciebant. Ergo contradicebatur eis, sed contradictor vincebatur, et ex contradictore fidelis efficiebatur (118). Confregit enim Samson molas leonis, qui sibi occurrit eunti ducere uxorem de alienigenis. Et

(118) Ex Isidor., in Judicum XIV ; et August., psal. LXXX, vers. 7.

inimici nostri, non modo contradixerunt, sed etiam *subsannaverunt nos,* [Aug., Gl. int.] quasi colentes mortuum. Sed licet tanta passuri sumus, non tamen ideo minus optamus eum ; sed iterum oramus.

VERS. 8. — « Deus virtutum, converte nos ; et « ostendet faciem tuam, et salvi erimus. »

Deus virtutum, converte nos, et ostendit faciem tuam, [Cassiod.] id est præsentiam Christi, *et salvi erimus.* Desiderantis mos est frequenter repetere quæ tantis precibus orat.

[Hier., Haym., Cassiod.] Aliter ab illo loco, *excita,* orat potentiam miraculorum, quæ Deus fecit in veteri populo excitari, quæ excitata est exhibita re quam præsignabant, id est veniente veritate. Precans ergo adventum Christi ait : *Veni,* tu ipse Deus. Et excita populum tuum, scilicet miraculorum, quæ olim fecisti, quorum potentia sopita est, donec res eorum appareat. Dico veni, *ut salvos facias nos.* Ecce quantam Incarnationis utilitatem iste novit. Ideo tam studiose precatur. Quæ enim vota hæc sufficiunt petere ? *Domine Deus virtutum,* alia littera : Deum virtutum dicit quem novit Asaph, et in se et in aliis hominibus miracula facturum, ipse enim solus est qui ab infidelitate liberat homines. Tu, inquam, Deus, *converte nos,* distortos, et conversis *ostende faciem tuam,* quia conversos solet Deus respicere. Deinde quærit, quare tandiu differat adventum, quam dilationem iram Dei contra se reputat dicens : *Domine Deus virtutum quousque irasceris super orationem servi tui,* ut non facias jam promissa ? Hoc Asaph illo tempore dicebat, quo eum venire petebat, quo adhuc differebatur adventus, consilio Dei. Iratum dicit quia tardat. Ecce quæ pietas et quantum desiderium petentis. Ideo ita clamat, quia sciebat differri. *Cibabis ;* enumerat quæ mala interim ante adventum patiebantur, quasi dicat : Tandiu quousque venias, cibabis *nos pane lacrymarum ;* panis lacrymarum est vita doloribus plena. Sed et hæc cibus est, dum non sic exstinguimur, sed erudimur. Addit etiam quod ipsa est et potus dicens : *Et potum dabis nobis in lacrymis.* Ideo hæc duo ponit, quia hæc duo sunt quibus vivit omnis homo, ut per hæc sufficientem et plenam eruditionem flagellorum significet. Nam quod tempus est a lacrymis vacuum ? quas tamen lacrymas das ? *In mensura,* id est distributo modo. Unde : *Fidelis Deus qui non permittet vos tentari* (*I Cor.* x), etc. Deinde exponit lacrymas dicens : *Posuisti nos in contradictionem vicinorum nostrorum, et inimici nostri subsannaverunt nos.* Dum vicini qui **181** sunt de nobis, contra nos sunt, irrident nos inimici, a quibus omnibus ut salvi simus, *Deus virtutum, converte nos, et ostende faciem tuam,* id est Christum *et salvi erimus.*

PARS. II. VERS. 9. — « Vineam de Ægypto trans- « tulisti ; ejecisti gentes, et plantasti eam. »

Vineam. [Cassiod., Aug., Alcuin.] Secunda pars. Agit hic de vinea, ostendens quomodo incœpta et perfecta sit. Vineam autem dicit Ecclesiam quæ

A incœpit a Judæis et perficitur in gentibus ; una tamen et eadem vinea est, et si altera gens det principium, altera perfectionem. De hujus ergo vineæ incœptione agens, dicit : *Vineam,* etc. Quasi dicat : Nos salvi erimus, et Judæos, quibus tot fecisti, destrues, quod non pro levi culpa ; sed quia beneficiis ingrati, etiam adventum Christi, inter cætera beneficia sibi exhibita, non noverunt. [Aug., Cassiod.] Bene dixi, inter cætera multa utique fuerunt eis collata, quin *vinam de Ægypto transtulisti* in terram pomissionis, *ejecisti* de terra promissionis *gentes,* id est Amorrhæos, Jebusæos, et alios populos ; *et plantasti,* ut agricola, *eam* vineam, ibi.

B VERS. 10. — « Dux itineris fuisti in conspectu « ejus ; et plantasti radices ejus, et implevit ter- « ram. »

Dux itineris. [Aug., Cassiod., Aug.] Dixi unde vinea sit ejecta, et ubi plantata. Deinde subdit quomodo crediderit, et quantum creverit, quid occupaverit dicens : Post, ut vinea orbem comprehenderet *dux itineris fuisti in conspectu ejus,* apparens ei visibilis, carne assumpta. Unde : *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel* (*Matth.* xv). Vel secundum aliam litteram, et dirigitur sermo ad Deum Patrem : *viam fecisti in conspectu ejus,* id est Christum visibilem ei misisti, qui dicit : *Ego sum via, veritas et vita.* (*Joan.* xiv). *Et plantasti radices ejus,* id est prophetas et apostolus, et alios doctores. *Et* sicut illa vinea modo *implevit terram*

C totam, quæ impletio fit usque ad finem mundi, dum quotidie aliqui convertuntur. Notandum quod breviter egit de incœptione vineæ, cum dixit, vineam de Ægypto transtulisti. Hoc autem ad perfectionem ejusdem vineæ dictum est, et implevit terram. Deinde de initio ejusdem vineæ latius repetit dicens :

VERS. 11. — « Operuit montes umbra ejus, et ar- « busta ejus cedros Dei. »

Operuit montes. [Aug.] Postea de perfectione ejusdem repètit, ibi : *Et perfice eam.* Quæ perfectio est facta gentibus abjectis Judæis. Una tamen vinea, cujus vineæ commemoratio in hoc psalmo caliginem facere solet minus intentis. Intendamus ergo, ne caligo involvat oculus nostros, quasi dicat : Modo

D vinea implevit terram, sed prius *umbra ejus* vineæ, quæ modo implevit terram *operuit montes.* Montes sunt prophetæ, quos operuit umbra, quia locuti sunt in figuris. Umbra enim ejus est circumcisio, Sabbatum hujusmodi (*Exod.* xxiv), quæ prophetæ locuti sunt : Observa Sabbatum, octava die circumcide infantem, offer sacrificium arietis, vituli et aliorum, noli moveri (*Lev.* viii). Ideo operuit montes umbra ejus, et post umbram venit res (*Act.* i). Vel ita : Umbra ejus, id est cura et sollicitudo de eis, operuit montes, id est majores, *et arbusta ejus,* id est eorum excrementa, et augmenta operiunt *cedros Dei,* id est doctores. [Aug., Haym., Aug.] Vinea namque ista crescendo operuit omnes san-

ctos, prophetas et patriarchas, cura et sollicitudine. Ideo autem dixit cedros Dei, quia sunt cedri evertendæ, scilicet superbi qui sunt cedri sæculi, sed non Dei. Sequitur : Et

VERS. 12. — « Extendit palmites suos usque ad « mare : et usque ad flumen propagines ejus. »

Extendit ab Jerusalem *palmites suos*, [Cassiod., Aug.] id est filios, a simili ; *usque ad mare*, quod est prope Judæos, *et usque ad flumen* Jordanis *propagines ejus*. Nota quia supra dixit, quod hæc vinea implevit terram. Sed hic dicit quod prima gens Judæa fuit vinea ista, quæ regnavit usque ad mare, quod ibi vicinum erat, et usque ad flumen Jordanis. Trans Jordanem enim aliqui Judæorum erant, id est duæ tribus et dimidia, sed infra Jordanem tota gens erat (*Num.* XXXII). Hoc ergo est initium vineæ, de quo hic agitur. Cujus vineæ perfectio est, quam prædixerat, ibi *implevit terram*, per viam Christum. Hoc est quod alibi dicitur : *Et dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum* (*Psal.* LXXI). Quod non gens Judæorum fecit. Non est tamen hæc altera, sed eadem vinea. Inde enim Christus salus ex Judæis (*Joan.* IV), inde apostoli et alii justi, et si sint aliqui rami fracti (*Rom* XI).

VERS. 13.— « Ut quid destruxisti maceriam ejus? « et vindemiant eam omnes qui prætergrediuntur « viam? »

Ut quid destruxisti. [Gl. int., Aug., Cassiod., Aug.] Quasi dicat : Ita dilatata est vinea, Inde quid ei accidit? eversa est gens illa. *Et* hoc est, *destruxisti maceriam ejus*, id est munitionem. Maceria est, quæ de solis lapidibus fit circa vineas. *Et vindemiant*, id est spoliant, et diripiunt *eam omnes qui prætergrediuntur viam*, id est legem vel Christum, scilicet gentes quæ idola colunt. Vel yiam transeuntes sunt quicunque temporaliter dominantes. Et ut quid accidit hoc ei? quia superbia fuit etiam adversus plantatorem ; et servos occidit ad se missos, et etiam filium hæredem. Ideo destructa est ejus maceria, et invenerunt gentes Ecclesiam destructam, et deleverunt eum. Hoc primo plangit Asaph, sed non sine spe. De dirigentibus enim cor, jam loquitur. Deinde exponit qualiter vindemiaverunt.

VERS. 14. — « Exterminavit eam aper de silva « et singularis ferus depastus est eam. »

Exterminavit eam, [Cassiod., Aug.] id est extra terminos patriæ ejecit eam, *aper* veniens *de silva*, id est de gentibus. Aper est Vespasianus fortis et sævus eis, et contrarius illis, id est Judæis, qui inter cætera hoc animal habent immundum, qui venit de silva (*Deut.* XIV). Gentes enim silvæ erant. Sola gens illa vinea erat, sed quando crediderunt gentes impletum est illud : *Exsultabunt omnia ligna silvarum* (*Psal.* XCV). Et alibi : *Invenimus eam in campis silvæ* (*Psal.* CXXXI). *Et singularis ferus depastus est eam*, [Cassiod., Aug.] id est Titus qui reliquias Judæorum terribili depastione consum-

A psit. Qui dicitur singularis, id est superbus. Dicit enim omnis superbus : Ego sum, ego sum, de nemo alius. Vel pro eodem accipitur, aper et ferus. Nam singularis ferus, ipse est aper, qui vastavit, scilicet Romanus exercitus. Sed quo fructu hæc passi sumus? ut sic sanemur et convertamur. Et hoc dicit orando, o

VERS. 15.— « Deus virtutum convertere ; respice « de cœlo, et vide, et visita vineam istam. »

Deus virtutum, etc. [Alcuin., Cassiod., Gl. int., Haym.] Vel sic continua : Ita vastata est vinea, sed ut reliquiæ salvæ fiant, o Deus virtutum, *convertere* ab ira in fine sæculi. *Et respice*, misericordiæ intuitu, *de cœlo* cœlorum, id èst supplices, tu serenus, aspice, commutatis melius. Hoc remedium

B precatur Asaph. *Et vide* quibus peccatis laboret, et pereat homo. Vel, vide, id est fac eam cognoscere te vel peccata sua ; *et visita vineam istam*, id est infirmam sana.

VERS. 16. — « Et perfice eam quam plantavit « dextera tua ; et super filium hominis quem con« firmasti tibi. »

Et perfice eam, [Aug.] non aliam institue, sed hanc perfice. In hac enim est ipsum semen Abrahæ, in quo benedicentur omnes gentes (*Gen.* XXII), Ibi est radix quæ portat oleastrum (*Rom.* XI). Perfice dico, quia cæcitas ex parte contigit in Israel, ut plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fiet (*ibid.*) *Quam plantavit*, id est inchoavit *dextera tua*, id est propitiatio tua.

C [Alcuin., Gl. int., Cassiod.] Aliter totum potest dici ita, ut prius fundamentum historiæ de Judæis jaciatur ; deinde ædificium spiritualis intelligentiæ, de Ecclesia addatur. Per mysticas enim similitudines quæ gesta sunt, dicit, id est ita dicit ea quæ ad litteram facta sunt de Judæis sub similitudine vineæ et palmitum, et hujusmodi, quod etiam mysterium, id est mysticum sensum innuit. Sunt enim similitudines, quæ non sunt mystice, quasi dicat : Salvi erimus, quia ita præsignasti olim, quando *vineam de Ægypto transtulisti*, hoc ad litteram, ita ut prius accipiatur, *ejecisti gentes et plantasti eam*, nec hoc mutatur ad historiam. Ad litteram enim vinea est gens Judæorum in typo Ecclesiæ, quæ, mystice per vineam accipitur ; quia

D inter turbas umbratiles peccantium fruge sanctorum ornatur, sicut vinea fructu ornatur inter folia et fossa tribulationibus, et martyrio putata plus crescit sicut vinea, sæcularis pressuræ torcularibus eliquata ad cœlestem cellam transfertur. [Hier., Haym.] Sicut ergo illos Judæos de Ægypto transtulisti, ita, et *vineam*, id est Ecclesiam ; de Ægypto, id est de tenebris ignorantiæ et cæcitatis, *transtulisti et ejecisti gentes*, vitiorum ; *et plantasti eam*, in virtutibus, *dux itineris in conspectu ejus :* ad litteram, dum irent in columna nubis et ignis, præcedebat eos. *Et plantasti radices ejus*, id est principes Judæorum, *et implevit terram* promissionis. Deinde sequentia secundum histo-

riam non mutantur. Mystice de Ecclesia totum sic A accipitur. [Cassiod., Haym., Alcuin., Cassiod.] Qualiter per orbem dilatata est, ostendit dicens : *Dux itineris fuisti*, dum eam ducit spirituali itinere per hoc desertum sæculi, *et plantasti radices ejus*, id est Ecclesiæ, id est prophetas, apostolos, martyres, et alios firmos facit de quibus palmites tendens, mundum occupat. Unde sequitur : *Et implevit terram*, id est orbem terrarum. *Et umbra ejus operuit montes*; altitudo et latitudo vineæ hic exponitur. Nam superna est et cœlestis vinea illa, quæ etiam montes, id est sublimiores vita et scientia obumbrat, id est umbra spiritualis gratiæ fovet, et nutrit et magis crescere facit. [Haym., Cassiod., Alcuin.] In unitate quippe Ecclesiæ omnes gratiam accipiunt, per quam ab incentivis vitiorum refrigerantur. B *Et arbusta ejus cedros Dei*. Vites quæ arbores ascendunt arbusta nominantur, per quæ minores in Ecclesia accipiuntur. Cedri Dei sunt non superbi ; sed qui in Ecclesia sunt alti ut sunt Dei martyres. [Rem., Cassiod., Aug.] Arbusta ergo, id est minores operiunt; cedros Dei, id est majores, quia etiam hoc Ecclesia protegit, quasi in gremio suo, quia ejus auctoritate corroborant quod dicunt. Aliter enim non habetur Catholicum, nisi universalis Ecclesiæ contestatione firmetur. *Extendit palmites suos*. Exposita altitudine exponit latitudinem vineæ dicens; Extendit palmites suos, id est filios usque ad mare omnium gentium, *et propagines ejus*, id est filios regenerationis, *usque ad flumen* Jordanis , a quo manaverunt, ibi enim cœpit regula baptismi C (*Matth.* III). Et quia talis est vinea, ergo *ut quid destruxisti maceriam ejus ?* miratur cur huic tali subtracta est Domini defensio, sed hoc dicit de Ecclesia non pro bonis, quia novit Dominus qui sunt ejus (*II Tim.* II), sed pro infidelibus qui sunt in ea, nomine, non numine, numero, non merito. *Et vindemiant eam omnes qui prætergrediuntur viam*, id est dæmones. Exponit qualiter : *Exterminavit eam aper*, id est diabolus fortis et ferox *de silva*, quia cogitationes ejus agrestes et aviæ sunt. *Et singularis ferus*, idem qui aper, id est superbus diabolus, *depastus est eam*. Sed, tu, Domine, Deus *virtutum, convertere, respice de cœlo, et vide, et visita vineam istam*. Hæc non mutantur. *Et perfice eam quam plantavit dextera tua*, id est propitiatio tua. Sed ubi perficies ? Perfice eam, super te fundatam, *et super* D *filium hominis*. Hic aperte ostenditur Christus, qui de Maria virgine natus (*Matth.* I). Ipse enim est fundamentum, quod nemo **182** potest mutare, *quem confirmasti tibi*, quando dixit : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui* (*Matth.* III), in quo confirmatus est Christus, apud homines, qui solus est fundamentum (*I Cor.* III). Et sic erit, quia

VERS. 17. « Incensa igni et suffossa ; ab increpatione vultus tui peribunt. »

Incensa igni et suffossa, [Aug.] id est peccata *ab increpatione vultus tui peribunt*. Incensa et suffossa peccata dicit. Sed incensa sunt peccata illa quæ facit ardens cupiditas ; suffossa vero, quæ facit timor male jacens. Et hæc sunt omnia peccata criminalia, quia omnia peccata fiunt, vel propter cupiditatem, vel propter timorem quem non capit cupiditas ; vincit timor. Perscrutamini conscientias, interrogate corda vestra utrum possint esse peccata, nisi aut timendo, aut cupiendo. Omnia ergo peccata, duæ res faciunt in homine, scilicet cupiditas et timor : sic econtra amor Dei et timor ejus ducunt ad omnem bonum. Amas enim ut bene sit tibi ; times ne male sit tibi. Hoc age in Deo, non in sæculo. Uterque amor incendit, uterque timor humiliat ; sed aliter, et aliter de bono timore colonus intercedens pro arbore quæ fructum non dabat, ne subverteretur ait : *Fodiam circa illam et mittam stercora* (*Luc.* XIII). Fossa significat piam humilitatem timentis; stercora, sordes utiles pœnitentis. De igne autem boni amoris dicitur : *Ignem veni mittere in terram* (*Luc.* XII). Ait ergo, incensa igni, id est peccata quæ veniunt ex amore male incendenti : incendit enim amor uterque. Et suffossa, id est peccata quæ veniunt ex timore male humilianti : humiliat enim timor uterque. Peribunt ab increpatione vultus tui, id est Filii tui. [Haym.] Hæc est facies quæ peccata delet. Quid enim increpabat Christus nisi peccata ? Vel ita, incensa dicuntur mala, quæ igne cupiditatis fiunt, quod convenit cum prædicta sententia. Suffossa sunt occulta mala, dum alii paratur insidiose fovea. Hæc autem peribunt in futuro, dum pro eis damnabuntur mali, quibus dicetur : *Ite, maledicti, in ignem æternum* (*Matth.* XXV). Ut autem hæc omnia jam impleantur.

VERS. 18. — « Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ ; et super filium hominis quem confirmasti tibi. »

Fiat manus tua. [Haym., Gl. int., Cassiod., Aug.] Vel ita continua, quasi dicat : Quandiu mali erimus ? donec Salvator adveniat. Ideo *fiat manus tua*, o Deus, *super virum dexteræ tuæ*. Ostendat se misericordia tua, fac bene cum vinea sua demonstrata facie tua, id est verbo tuo. Super virum dexteræ tuæ, id est filium Virginis. Grande sacramentum hic notatur, et magnum munus Dei ostenditur, quia tandiu salus Israel potuit dubitari, donec Christus venit ; sed tunc completa est promissio, ne ultra ab eo discedat Ecclesia, sponso conjuncta. Dicit ergo : *Fiat manus tua super filium hominis quem confirmasti tibi*, id est operatio tua ad effectum promissa perducat, et precatur operationem sanctæ incarnationis. Quasi dicat : Quandiu increpas et accusas nos ? o Deus, fiat misericordia tua super virum dexteræ tuæ. Sicut oravi hæc fac.

VERS. 19. — « Et non discedimus a te ; vivificabis nos et nomen tuum invocabimus. »

Et non discedimus a te ultra, [Cassiod., Aug.] cum filium habemus, *et vivificabis nos*, ut te, non terrena amemus, in quo prius mortui eramus , Hæc utilitas ex adventu Filii est. *Et nomen tuum invo-*

cabimus, id est te diligemus, tu eris nobis totum et juvamen. Quod tu sit,

Vers. 20. — « Domine Deus, virtutum, converte nos, et ostende faciem tuam, et salvi erimus. »

Domine Deus, virtutum, converte nos. [Haym., Gl. int., Cassiod.] In quo incœpi in eo finiam. *Et ostende faciem tuam, et salvi erimus.* Magna est suavitas hujus versiculi; in hoc regulam totius religionis exponit. Primo enim Deus nos convertit tunc et nos ante faciem ostendit, id est lumine pietatis nos inspicit, postquam tandem nos salvat. Hæc ergo propheta iterat, quia per ipsum quisque breviter quod expedit implorat.

COLLATIO IN PSALMUM LXXIX : « QUI REGIS ISRAEL INTENDE : QUI DEDUCIS VELUT OVEM, JOSEPH. »

(De ratione tituli et ejus additione, apud Septuaginta aliquoties discussum est.)

Vers. 5. — *Super orationem servi tui.* Hebr. habent *populi tui*, ut omnes reddunt עמך AMMECA. Sane servi Dei sunt populus Dei. Unde Græci in plurali habent τῶν δούλων σοῦ, Suboleo tamen Septuaginta legisse aleph loco ayn. Siquidem et אמה UMMAH Hebræis sonat *populum*, אמה AMAH etiam eisdem litteris significat servitutem.

Vers. 6. — *Potum dabis nobis in lacrymis in mensura.* Hieronymus pro *in mensura*, ponit *tripliciter*. Sic et Pellicanus. Verumtamen ille numerus accipitur pro *multiplici*. Unde alii dicunt, *in maxima mensura* שליש SCHALISCH, utroque tendit. Quod autem Hebraice habetur *eos* vel *eis*, et dicimus *nos* vel *nobis*, nihil ad sensum, etiamsi Hieronymus verterit velut Septuaginta. Quamobrem non est improbabile exemplaria variasse.

Vers. 14. — *Singularis ferus depastus est eam.* Hieronymus, *omnes bestiæ agri, depastæ sunt eam.* Sic pene Pratensis, Munsterus, Pellicanus et Campensis. Est tamen controversia apud Hebræos, quid proprie significet זיז ZIZ, etiamsi vulgatior sit opinio nomen esse generale ferarum silvestrium. Siquidem Sanctes vertit, *avis agrestis depasta est eam.* Is in suo Thesauro recenset sententiam cujus-
A dam Rabbini, זיז qui arbitratur esse avem magnam, quæ ubi suas extenderit alas, offuscat solem. Istud credo fabulosum. Utcunque fuerit, certum est psalmum significare singularem quamdam desolationem. Porro interpretes pro Cajetano, pro *fera agri*, dixerunt *reptile Omnipotentis*, ut appareat ipsos legisse שדי SCHADAI per punctum nuncupatum iamin, cum alii legant שדי SHADAI, per punctum smol sadai.

Vers. 16. — *Perfice eam.* Hieronym. pro imperativo posuit nomen, *radicem*, ut pertineat ad superius verbum *visita*; Munsterus, *locum vineæ*; Sanctes et Nebiensis, *habitationem*; Pratensis, *plantulam*; interpretes pro Cajetano similiter. Hebraicum vocabulum כנה CANNAH imperative sumpserunt Septuaginta a verbo כון CON, vel כן CAN, id est *firmavit, præparavit*. Etsi præter normam ut sæpe Hebræis contingit. Et Pellicanus vertit, *præpara*. Paraphrasis Campensis *restitue pristinæ di-*
B *gnitati.*

Vers. 16. — *Incensa igni et suffossa ab increpatione vultûs tui peribunt.* Hieronymus vertit per accusandi casum, *succensam igni et deramatam*, ut intelligas vineam aut plantam, et illud pendere a verbis superioribus. Alii quidem vertunt sub recto casu, singulariter tamen, et ponunt, *est* vel *jacet* verbum. Deinde quod sequitur, *ab increpatione vultus tui peribunt* vel *pereant*, referunt ad eos qui hoc fecerunt, aut ad cultores vineæ, qua succensa necesse fuerit eos perire. Revera in Hebræo, hæc duo inveniuntur singularia et feminima שרפה SERUPHAH, כסוחה KESUAH. Consimiliter Græce ἐμπεπυρισμένη πυρὶ καὶ ἀνεσκαμμένη. Et Hieronymus sic accipit in commentariolo hujus loci, quem ubi recensuit, mox subnectit : « Synagoga utique cum Judæis non credentibus. Divus autem Augustinus accipiens plurative et neutro genere, nihil exorbitat a sensu, quem etiam refert Chaldæus, *incensum*
C *igni et concisum, ab increpatione vultus tui pereant.* »

Vers. 20 — *Nomen tuum invocabimus.* Solus Hieronymus transtulit passive, *nomine tuo vocabimur.* Ob idque clarissimum est vel hic ipsum legisse sine punctis; nam nihil distat activum a passivo, citra punctorum assignationem. Potes enim enuntiare נקרא נקרא NIQRA, id est *invocabimus*, vel נקרא NIQQARE, *vocabimur*. De hac re disputatum est in præfatione.

PSALMUS LXXX.

PSALMI TITULUS : « IN FINEM PRO TORCULARIBUS. PSALMUS IPSI ASAPH QUINTA SABBATI. »

Exsultate Deo. Titulus : *In finem pro torcularibus. Psalmus ipsi Asaph, quinta Sabbati.* [Aug., Haym., Aug., Alcuin.] In hoc psalmo multa sunt congesta mysteria, ita tamen ut limen psalmi indicet interiora, per torcularia et quinta Sabbati nobis insinuata. Quinta enim Sabbati, id est quinta die, creavit Deus ex aquis animalia, scilicet natatilia et volatilia (*Gen.* I), id est pisces et aves, in quo sacramentum baptismi significatur, quo renati alii sunt tanquam aves, scilicet qui, contemptis his temporalibus, ad cœlestia sublevantur; alii tanquam pisces qui in fluctibus hujus sæculi remanent curiosi; per torcularia intelliguntur Ecclesiæ. De actualibus namque torcularibus, nihil in hoc psalmo dicitur : Unde constat spiritualia esse torcularia quæ hic memorantur, scilicet Ecclesias, quia sicut in torcularibus tria sunt, scilicet pressura, et de ea duo, scilicet oleum et amurca, quorum alterum
D reconditur; alterum vero projicitur, similiter vinum et acinum. Sic et in Ecclesia est pressura tribulationum pondus passionum, per quod fit discretio bonorum et malorum, quos eadem sacramenta conjungunt. Sicut enim racemus in vite simul habet vinum et acinum, et oliva in arbore eleum et amurcam, sic ecclesiastica sacramenta bonis et malis communia sunt. [Aug.] Sicut autem vinum et oleum pressura torcularis eliquata reconduntur, acinum et amurca projiciuntur velut in sordibus conculcanda. Ita accedente pressura tentationum, justus justior fit, et sordibus sordescit magis (*Apoc.* XXII). Si ergo pressuræ sunt quas queruntur blasphemi Christianis temporibus abundare; ne turbo-

ris, esto oleum, non amurca quæ projicitur. Hic enim discernitur, quod simul pendebat in arbore. Pro pressura ergo tribulationum discernente cantatur hic psalmus Asaph, id est Dominicæ congregationi, renatis ex aqua baptismi : ex quibus alii sunt amurca, ascinum pisces. [Aug., Alcuin., Cassiod., Aug.] Et est sensus tituli : *Psalmus* iste dirigens nos *in finem*, id est in Christum, cantatur *ipsi Asaph* quia secundum historiam Asaph iste loquitur Judæis et spiritualiter Christianis. Asaph enim sibi ipsi loquitur. Psalmus dico agens *pro torcularibus*, id est ecclesiis, in quibus est pressura tribulationum, habitus *quinta Sabbati*, id est loquens de baptizatis et baptizandis aqua baptismi, quod figuratum est per opus quintæ sabbati. Intentio : [Aug., Cassiod., Alcuin., Cassiod.] Monet ut post baptismum contemptis his ad cœlestia, mente scilicet ascendamus. Modus : Bipartitus est. Primo dicit quid agendum est electis, qui sunt oleum, vinum, aves. Secundo agit de amurca redarguens reprobos, ibi, *audi, populе meus*. Asaph ergo quasi proposita sibi imagine cujusdam solemnitatis electos ad celebritatem incitat dicens : O aves, vinum, oleum, scilicet congregatio Dei, cui fit hic psalmus.

VERS. 1. — « Exsultate Deo adjutori nostro ; jubilate Deo Jacob. »

Exsultate Deo adjutori nostro. [Aug., Cassiod., Aug.] Alii exsultant deceptori suo mundo. Vel fictitio deo qui delusor est, et deceptor vel desertor. Vos autem *exsultate Deo adjutori nostro* : *jubilate* gaudio, quod non potestis explicare *Deo Jacob*, quia vos vere **183** estis Jacob, scilicet minor populus cui serviet major. Et

VERS. 2 — « Sumite psalmum, et date tympanum ; psalterium jucundum cum cithara. »

Sumite psalmum, [Aug., Gl. int., Cassiod., Alcuin.] id est spiritualia accipite. Per psalmum enim intelligitur donum cœleste quod a Deo per gratiam largitur. *Et date tympanum*, id est carnalia. Per tympanum enim accipitur carnale quod a vobis est, id est in vestris sacculis habetis. Quasi dicat : verba Dei, et humani actus in unam societatem conveniant. Hæc est enim pax Jerusalem (*Psal.* CXXI). Hæc est ratio dati et accepti (*Philipp.* IV). Unde Apostolus : *Si spiritualia seminavimus vobis, non magnum est si carnalia vestra metamus* (*I Cor.* IX). [Aug.] Ideo psalmo jungite tympanum, quia *psalterium* (ponitur hic pro psalmo *jocundum est cum cithara*, quæ ponitur pro tympano. Quasi dicat : Qui exspectat cœlestia non sit piger ad operanda terrena prædicationi verbi Dei, corporalibus respondeamus operibus. Deinde subdit :

VERS. 3. — « Buccinate in neomenia tuba, in insigni die solemnitatis vestræ. »

Buccinate. [Alcuin., Aug., Alcuin., Aug.] Hæc usque ad partitionem. Vel ad litteram simpliciter de Judæis accipienda sunt, vel allegorice de Christianis. Ad litteram autem sic accipitur ; *Buccinate tuba in neomenia*, vel initio mensis tubæ, quod idem est. Neomenia enim Grecæ, Latine dicitur *nova luna*. Neos [νέος] *novus*, menes [μήνη] *luna*, quæ est initium mensis ; a primo autem die septimi mensis jussum erat Judæis, ut septem diebus tuba canerent, id est in initio novæ lunæ. Et dicitur illud festum Tubarum, quod celebrabant in memoria illius rei quod Dominus ostendit Abrahæ arietem inter vepres hærentem cornibus, quem pro Isaac immolavit. Deinde quasi exponendo subdit, *in insigni die solemnitatis vestræ*. Hæc eadem spiritualiter Asaph Christianis loquitur. Quasi dicat : Sumite, et date, et ne terreamini ; sed buccinate tuba in neomenia, id est in innovatione vestri, annuntiate et prædicate aliis clarius, et confitentius novam vitam, [Cassiod., Aug., Gl. int.] quam nova luna significabat, in qua Judæi clangebant tubis septem diebus : per quod significabatur quia qui septiformis gratia Spiritus sancti per quam innovamur erat prædicanda tuba, id est aperte, scilicet per opera manifesta, vel altis clamoribus. Unde Isaias : *Exclama, exalta vocem tuam* (*Isa.* LVIII), scilicet tuba. Dico in neomenia, scilicet in insigni die solemnitatis vestræ, id est in novitate vitæ, ubi est veritatis cognitio et a malis feriatio.

VERS. 4. — « Quia præceptum in Israel est, et judicium Deo Jacob. »

Quia præceptum. [Cassiod., Alcuin.] Hoc prius secundum historiam sic : Ideo tuba canendum, quia lex data est Judæis per Moysen, in qua hoc præcipitur. Et hoc est. Ideo hoc, *quia præceptum est* a Deo *in Israel*, hoc est in Judæis. Ubi autem præceptum, ibi et judicium est, quia in lege peccaverunt, secundum legem judicabuntur (*Rom.* II). Et ideo etiam hoc agite *et*, id est quia *judicium* est *Deo Jacob*, id est quia judex futurus est qui hoc præcipit, et

VERS. 5. — « Testimonium in Joseph posuit illud cum exiret de terra Ægypti ; linguam quam non noverat audivit. »

Testimonium futuræ rei. [Cassiod., Haym.] *Posuit illum* præceptum, vel sine illud *in Joseph*, id est in populo Judæorum, quando ? *cum exiret de terra Ægypti ; linguam quam non noverat*, id est, legem per Moysen datam *audivit* et tunc Dominus

VERS. 6. — « Divertit ab oneribus dorsum ejus ; manus ejus in cophino servierunt. »

Divertit dorsum ejus ab oneribus, [Cassiod., [Aug.] quibus exercebat eos Pharao in luto et latere. Nam *manus ejus*, id est populi Judaici, *servierunt in cophino*. Cophinus est vas quo terram portabat, lateres faciens Pharaoni.

VERS. 7. — « In tribulatione invocasti me et liberavi te ; et exaudivi te in abscondito tempestatis ; probavi te apud aquam contradictionis. »

In tribulatione. Si propheta loquitur hic ita dicetur, divertit dicens : *In tribulatione invocasti me : et liberavi te, et exaudivi te in abscondito tempestatis*

[Haym., Cassiod., Haym.] Ad litteram, quando nec aperte audebant gemere metu Ægyptiorum, cum affligerentur operibus luti et lateris, imputabantur eis beneficia Dei, ut gravior existimetur offensa. *Probavi te apud aquam contradictionis*, ubi de bonitate mea et potentia mea desperans dixisti : *Nunquid poterit de petra ejicere aquam aut parare mensam in deserto ?* (*Psal.* LXXVII.)

[Cassiod.] Vel hoc totum spiritualiter de Christianis accipitur hoc modo : Ideo prædicate in innovatione vitæ, quia hoc *præceptum* est in *Israel*, id est in Judæis, et ad litteram et spiritualiter, *et judicium* est *Deo Jacob*. Non mutatur. Et non solum Judæis, sed etiam gentibus præcepit, et hoc est. Et *posuit illud*, præceptum, vel sine *illud*, et est idem sensus : *Posuit testimonium*, id est præceptum sub attestatione, *in Joseph*, id est in gentibus augmentatis. Joseph enim interpretatur *augmentum*. Gentes ergo sunt Joseph, quia multi filii desertæ magis, quam ejus, quæ habet virum (*Isa.* LIV). Quando posuit ? *Cum exiret de terra Ægypti*, etc. Ecce *quinta Sabbati*, unde in titulo ait : [Aug., Alcuin.] Cum populus multiplicatus *exiret de terra Æggpti*, id est de tenebris ignorantiæ per baptismum, tunc audit et percipit mysteria, quæ non noverat, ubi debeat hærere cor. Et hoc est, cum exiret per baptismum de terra Ægypti, id est de tenebris ignorantiæ *Linguam quam non noverat audivit*, id est præcepta Evangelii, quæ prius non noverunt. Vel hoc significat quod apostoli locuti sunt variis linguis magnalia Dei. Quid ex hoc auditu sibi fuit ? Ecce, *divertit*, ipse vel Dominus, *ab oneribus*, etc. Vel ita continua ; fuitne exeundum ? fuit utique, quia divertit Deus, *dorsum ejus*, id est rationem ab oneribus, id est sarcina peccatorum, quæ etiam per insequentes Ægyptios notata sunt. Unde Dominus : *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* (*Matth.* XI). A quibus hominibus divertit ? ecce, *manus ejus servierunt in cophino*, [Aug.] id est in servili opere in immunditiis peccatorum, in terrenis operibus et lutosis, quæ significantur per cophinos : quibus stercora mundantur, et terra portatur. Peccata autem servilia opera sunt juxta illud : *Qui facit peccatum, servus est peccati* (*Joan.* VIII). In tribulatione, loquitur hic Deus peccatori, dicens : Ante in cophino serviebas. Sed, *invocasti me*, in tribulatione, quæ erat pressa peccatis, *et liberavi te, et exaudivi te in abscondito tempestatis*, [Aug., Haym., Cassiod.] typice, scilicet non in tempestate maris, sed in tempestate cordis, ubi pateris bellum suggestionis, ibi, *exaudivi te*, ut corde credas ad justitiam (*Rom.* X), *probavi te apud aquam contradictionis*, id est apud populum contradicentem, ut ore fiat confessio ad salutem (*ibid.*) Ita enim probat nos Deus in contradictionibus hæreticorum. [Aug.] Et revera qui exauditus est in tempestate cordis debet probari in aqua contradictionis. Cum enim crediderit et baptizatus fuerit, jam gradiens viam Dei habet multos exagitatores,

A multos insultatores, multos detractores, dehortatores, multis modis obsistentes. Hæc est aqua contradictionis quam senserunt antiqui, sed jam pene siccata est. Tunc enim aquæ populorum turbabantur, et acriter resistebant. Tunc enim Samsoni viro forti eunti ad ducendam uxorem de alienigenis obviam occurit leo, quem occidit, scilicet Christo eunti ducere uxorem, id est Ecclesiam, de gentibus occurrit leo obviam fremens, id est populus gentium, sed dissipavit eum ut hædum caprarum, quia populus ille nihil erat, nisi languidus peccator, occisa autem illa feritate, jam non sic fremit, non currit obviam Christo, imo vero jam in ipso invenimus leges pro Ecclesia, quasi favum in ore leonis. Quid ergo jam metuenda aqua contradictionis, quæ

B jam prope tota siccata est ? Olim namque etiam Christo aqua contradictionis fuit ; etiam in seipso, ut de eo nato dictum est. Erit *in ruinam et in resurrectionem multorum et in signum cui contradicetur* (*Luc.* II). sicut Judæi contradixerunt titulo crucis ejus volentes mutare titulum. Quibus Pilatus respondit : *Quod scripsi , scripsi*, etc. (*Joan.* XIX). Qui ergo probat nos ad aquam contradictionis ipse, eamdem aquam sensit, ut eam nos non timere faceret.

PARS II. Διάψαλμα. VERS. 8. — « Audi, populus « meus, et contestabor te ; Israel, si audieris me, « non erit in te Deus recens, neque adorabis deum « alienum. »

Audi populus. [Aug., Gl. int., Alcuin., Aug.] Se-

C cunda pars, hactenus egit de oleo torcularis, id est de bonis, jam hic agit de amurca, id est de reprobis, qui hic arguuntur, quod dicitur ad cavendum. Quasi dicat : Quia tot beneficia feci, o amurca, acinum, pisces qui estis *populus meus*. Et hic enim suus, est pertinens ad torcular. *Audi*, [Cassiod., Haym.] id est intellige, *et* ego *contestabor te*, vel *testificabor tibi*, alia littera, id est testimoniis Scripturarum probabo tibi quod dicam. Vel contestabor te, [Cassiod.] id est testis ero veritatis. Ecce ipse Dominus judicii testem se facit veritatis, tam hic quam in futuro, ut nullus jam dubitet, cum ante judices terrenos soleant testes produci ad cognitionem veritatis. [Cassiod., Aug., Hier., Aug.] Deinde quid velit eum intelligere subdit : *Israel, si me audieris.*

D Vocando eum Israel familiarem sibi significat, et ad jussa invitat. *Non erit in te*, in corde tuo, ubi veritas non falsitas debet esse. Non dico a te, quasi foris sit, sed in te, id est in corde tuo, ubi, si non recte sentis, est imago phantasmatis tui. Quod enim quisque cupit veneratur, hoc illi deus est. Quid non erit in te ? *Deus recens*. Hoc dicit, ne verbum Patris putetur sub tempore. Deus enim recens ad tempus factus est. Deus autem noster non est recens, sed ab æterno in æternum. Etenim Christus noster recens forte homo est, sed sempiternus Deus. In te ergo non erit deus recens. Si me audieris, alii quidem sibi faciunt recentes deos, vel idola, vel Christum imparem Patri, Filium Dei di-

centes et Filium Dei negantes. Si enim Filius unicus est, hoc et quod Pater est ex æternitate. Illi autem cogitant recentem deum, et alia hujusmodi fingunt in corde; et ita ipsi sunt templa simulacrorum, quæ, si non in templis, tamen (quod pejus est) in corde suo posuerunt. Magnum ergo opus est intus hæc idola frangere, et locum Deo viventi, non recenti in corde dare. Omnes enim isti aliud et aliud sentientes, alios atque alios deos sibi facientes, ipsamque fidem falsitate variantes sibi consentire videntur. In omnibus enim terrena est cogitatio, opinio diversa, vanitas una. Unde alibi: *De vanitate sua in idipsum* (*Psal.* LXI), quamvis enim opinionum varietate discordent, simili tamen vanitate colligatur. Ideo Samson caudas vulpium colligavit, ibique ignem alligavit, ut incenderet messes alienigenarum, scilicet Phislisthæorum (*Judic.* XV). Samson interpretatur *sol eorum*, id est Christus, qui est sol eorum, scilicet quibus ipse lucet: non omnium sol est, de quo mali dicturi sunt: *Erravimus a via veritatis. Et sol justitiæ non illuxit nobis.* (*Sap.* V). Et alibi: *Sol justitiæ est, et sanitas in pennis ejus* (*Malach.* IV). Vulpes autem sunt insidiose maximi hæretici, latentes in tortuosis et cavernosis anfractibus decipientes, et ore putentes, de quibus in Canticis dicit sponsa: *Capite nobis vulpes pusillas, exterminantes vineas* (*Cant.* II), id est convincite hæreticos, qui, etsi dissentire videntur ab invicem, in malum tamen, id est in posterioribus, consentiunt, et simili vanitate tenentur et igne corrumpente, quem caudis trahunt incendunt messes; non nostorum, quia novit Dominus qui sunt ejus (*II Tim.* II): sed alienigenarum, qui sunt vasa contumeliæ. Ad populum ergo istum loquens ait: *Si me audieris non erit in te deus recens*, quia *ego sum qui sum* (*Exod.* III), non dicit a te quasi forinsecus sit adibitum simulacrum: sed *in te*, id est in corde tuo, imago recentis dei, quam portans tecum, remanes vetustus. *Neque adorabis deos alienos.* [Cassiod.] Si enim non cogitas falsum deum, nec adorabis fabricatum, alienum dicit deum, qui nomine non essentia deus est. Est autem pene par scelus, recentem deum putare, et idolis servire. Dico non adorabis, nec debes, quia *ego sum qui sum.*

184 VERS. 9. — « Ego enim sum Dominus « Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti; dilata « os tuum et implebo illud. »

Ego enim [Aug., Gl. int., Cassiod., Aug.] non alienus, et si homo sim, *sum Dominus Deus tuus, qui* tibi hæc temporaliter præstiti, scilicet *eduxi te de terra Ægypti.* Historialiter per hoc ostenditur non esse recens. Allegorice, eduxi te per baptismum, de terra Ægypti, id est de tenebris ignorantiæ; factis propriis indicatur Deus. *Dilata* desiderio *os tuum*, id est cor tuum, ubi angustias pateris, ubi sunt vana simulacra. Sed dilata os tuum, confitendo, amando, frange idolum cordis, quod te angustat; tolle de conscientia tua recentem deum. *Et ego implebo*

A *illud* pane vitæ et intellectus, quia apud me est fons vitæ. Sic monui.

VERS. 10. — « Et non audivit populus meus vo« cem meam; et Israel non intendit mihi. »

Et non audivit populus meus vocem meam, [Aug., Cassiod., Aug.] cui legem dedi, et magna feci, ut culpa cresceret. Etsi enim implevi ora prophetarum, non tamen ab amurca auditi sunt. Quis enim ejus vocem non audivit? ecce: *Et Israel non intendit mihi.* Ingratus tot beneficiis, nec etiam attendere voluit. Unde digna sequitur ultio.

VERS. 11. — « Et dimisi eos secundum desideria « cordis eorum; et ibunt in adinventionibus suis. »

Et dimisi eos. [Aug., Haym.] Ecce currit amurca, B apertis foraminibus torcularis. *Secundum desideria cordis eorum*, id est dedi eos sibi. Unde apostolus; *Tradidit eos Deus in concupiscentias cordis eorum;* et ipsi *ibunt in adinventionibus suis*, vel *affectionibus*, alia littera, quibuslibet, quia propter traditiones suas irrita fecerunt mandata Dei (*Matth.* XV). Sed

VERS. 12. — « Si populus meus audisset me; (Is« rael si in viis meis ambulasset. »

Si populus meus audisset me, [Haym., Aug.] credendo. Deinde exponendo subdit, *Israel*, hic est populus, scilicet *si in viis meis ambulasset*, hoc est audire me,

VERS. 13. — « Pro nihilo forsitan inimicos eorum « humiliassem: et super tribulantes eos misissem C « manum meam. »

Forsitam, [Rem., Aug., Haym., Cassiod.] id est vere, sed ironice dicit, *humiliassem inimicos eorum*, omnis generis inimicos, omnis generis hostes, de quibus conqueritur quod per eos peccet, inimicos dico, *pro nihilo* computandos. Vel pro nihilo, id est gratis hoc fecissem. Vel secundum aliam litteram, *humiliassem inimicos*, in nihilum redigendo, et *misissem manum meam*, id est vindictam, *super tribulantes eos*, quos pressissem potentia mea. Exemplo istorum patet quia si Deo resistimus, ipse non contradicit inimicis nostris, nec manum defensionis nostræ super eos ponit.

VERS. 14. — « Inimici Domini mentiti sunt ei; « et erit tempus eorum in sæcula. »

D *Inimici Domini.* [Cassiod., Aug.] Item Propheta loquitur post interposita verba Domini. Quasi dicat: De inimicis conqueruntur, quod per eos peccent, sed ipsi facti sunt inimici Domini, quia *mentiti sunt ei*, resumendo, quibus renuntiaverunt, abrenuntiaverunt in baptismo diabolo et pompis ejus, id est diabolicis factis a Deo damnandis, sed rursus ad ea redeunt, et sunt novissima pejora prioribus (*Luc.* II). Ecce canis reversus ad vomitum, et sus lota in volutabro luti (*II Pet.* II). [Cassiod., Aug., Alcuin., Aug.] Vel ad litteram de Judæis, qui mentiti sunt Domino, non peragentes promissa. Hoc non pagani, qui nil promiserunt. Quid inde eis? Et si hic tolerati sunt, non salvantur solis sacramentis: quod

ita dicit : *Et* ideo quia tales *erit tempus* pœnæ *eorum in sæcula*, id est in æternum, etsi hic floreant. Vel tempus eorum, id est variatio eorum per pœnas, transibunt enim ab aquis nivium, ad calorem nimium (*Job* XXIV), erit in sæcula, id est in æternum. Et qui sunt isti? ecce :

VERS. 15. — « Et cibavit illos ex adipe frumenti ; « et de petra melle saturavit eos. »

Et cibavit illos, [Cassiod., Aug.] vel ita continuat : Tales sunt, *Et* tamen *cibavit illos ex adipe frumenti*, ad litteram, vel *manna*. Unde ipsi sunt ingrati. Vel allegorice, eos cibavit corpore Christi. Sacramentis enim suis eos miscuit, et Judæ etiam bucellam dedit. Vel, cibavit eos ex adipe frumenti, id est spirituali intellectu. *Et de petra melle saturavit eos* ad litteram in eremo de petra produxit aquam, non mel (*Num*. XX). Ideo mystice tantum intelligitur. Mel ergo sapientia est primatum tenens dulcoris in escis cordis. Et est, non solum adipe frumenti cibavit eos, sed etiam, melle profluenti de petra, id est sapientia Christi. Nam petra erat Christus, (*I Cor*. X). Saturavit eos, ut delectentur verbo Dei, cognitione sacramentorum, solutione parabolarum et tamen mentiti sunt ei.

COLLATIO IN PSALMUM LXXX. « EXALTATE DEO, » etc.

VERS. 2. — *Psalterium jocundum cum cithara.* Perpusillum est, quod ex Hebræis conversus est sermo. כנור נעים עם נבל KINNOR NAIM IM NABEL, quod vertit Hieronymus, *citharam, decorum psalterio*, etiamsi prima particula *organum* significet, et de postrema est controversia.

VERS. 3. — « *In insigni die solemnitatis vestræ.* Hier. *In medio mensæ, in die*, etc., Pratensis ; *in solemnitate, in die*, etc. Sanctes et Munsterus ; *in tempore constituto in die*, sive *et die solemnitatis*. CESEH, significat *tempus* constitutum *solemnitatis*. Quia vero Num. XXIX, in medio mensis septimi, hoc est decimo quinto die fiebat festum tabernaculorum insigne octo dies, ad illud alludebat versio Hieronymi, et Pellicani itidem. Ait enim : In *operimento diei festivitatis*. Adde quod כסה CISSEH cum eisdem litteris Hebræis, et jam thronum sonat, eoque potest respondere lectioni Vulgatæ, *in insigni die*, cum thronus sit cujusdam majestatis symbolum. Cæterum quod legimus *festivitatis vestræ*, et Hebr. *nostræ*, eodem recurrit.

VERS. 6. — « *Manus ejus in cophino servierunt.* Diceret quis oppositum esse in Hebr. sensum, etenim Vulgata lectio sonat *angariam servitutis*. Hieronymus ex Hebræo, et cæteri contra, *liberationem a servitute*, suis interpretationibus demonstrant. Ille hoc pacto, *manus ejus a cophino recesserunt*. Si-

A militer Nebiensis. Sanctes, *manus ejus ab aheno transierunt*, Munsterus, *manus ejus a cacabis faciendis transierunt*. Ubi de suo adjecit, *faciendis*. Cæterum cum תעברנה TAABORNAH, id est *transierunt*, et תעבדנה TAABODENAH, finitima sint ob daleth et res, quæ litteræ parvo apice distinguuntur, et posterius verbum significet *servierunt*, verisimile est LXX ita habuisse, ut per daleth enuntiarent. Nec tamen sententiæ incommodatur ullo modo, quin ea clausula videtur declarativa superioris mox præcedentis, *divertit ab oneribus dorsum ejus*. Quod si quis pergat, et cognoscere affectet particularius quæ fuerunt onera, quibus levatum est dorsum filiorum Israel, statim perpendet ex cophinis, quibus adigebantur ferre lapides, terrarum effossiones, et id genus, dura servitute pressi, ut ex Exodo palam est. Porro quod pro *cophino*, alii vertunt *ollam* aut *cacabum*, non mutat intelligentiam, etiamsi vox Hebræa דוד DUD sit utrique significatui communis.

B VERS. 11. — *Secundum desideria cordis eorum.* Hieronymus, Nebiensis, Munsterus, et Campensis, *in pravitate cordis ;* Sanctes, *in fortitudine ;* Pellicanus, *in temeritatibus ;* Paraphrasis, *in animo obdurato*. Certe שרירות SCHERIRUTH est *duritia, obstinatio, pravitas, temeritas*, quæ nemo dubitat esse passiones affectus cordis, Propinquius tamen accedunt ad LXX, Cajetani doctores, vertunt enim, *in directione cordis*. Quasi dicat : Ideo quia noluerunt a Deo regi et gubernari, ipsi sibi sunt relicti et proprio sensui. Forsan intellexerunt *duci* a verbo שרר SARAR, quod est *dominari*, per punctum smol, id est sinistrum. Chaldæus non longe est a nobis, *expuli eos in cogitationibus cordis eorum*.

VERS. 13. — « *Pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem*. Hunc locum calumniatur Fab. propter particulam *forsitan*, quæ est nota dubitationis, et Deo competere nequit. Rursum *pro nihilo*, id est *gratis*, vel *frustra*, longe a Deo abhorret.

C Quare dicendum cum Hieronymo, *quasi nihilum inimicos eorum humiliassem*. Nonnulli vertunt, *quoniam brevi tempori inimicos*, etc., quia Hebr. habet כמעט KIMAT. Jam quantum ad notam dubitationis *forsitan*, id est peculiare in arcanis, ut est illud Ezech. II : *Hæc dicit Dominus Deus ; Si forte vel ipsi audiant, et si forte quiescant*. Et Lucæ XX : *Forsitan cum hunc viderint verebuntur*. Loquitur Deus Pater de Filio. Quem tropum loquendi declarat divus Hieronymus, in Matth. XXI : « Ambigere dicitur Deus, ut libera voluntas nominis reservetur. Quantum ad secundum, *pro nihilo*, licet non cogamur exponere, id est *gratis*, sed *in nihilum*, aut ut habet paraphrasis Campensis, *nullo negotio perdidissem inimicos*, aut, ut alius dicit, *ad paucos redigerem hostes eorum*, tamen interprando *gratis*, non eo tenderet sensus, velut Deus quidpiam faceret sine causa, sed frequenter sine merito nostro præcedente, copiosa munificentia sua multa elargitur. Et

D ad eum modum interpretatur divus Augustinus illum versiculum psal. LV. *Pro nihilo salvos facies illos*, hoc est inquit, nullis eorum meritis præcedentibus. »

PSALMUS LXXXI.

PSALMI TITULUS : « PSALMUS ASAPH. »

Deus stetit in Synagoga. Titulus : *Psalmus Asaph*. (119) Psalmus iste est de duabus naturis in Christo, in quo Christus vel Propheta loquens, exprobrat ipsi Asaph, id est Synagogæ, quæ et Dominum corporaliter vidit, et tamen eum non agnovit. Unde et hic dicit : *Deus stetit in Synagoga*. Et est sensus : *Psalmus* iste sit *Asaph*, id est Synagogæ, quæ hic redarguitur, ut saltem nunc intelligat quod non ante. Intentio : Monet credere Christum verum Deum esse et verum hominem. Modus : Tripartius est. Primo nuntiat Deum stetisse, et arguit contrarios.

(119) Ex Cassiod. in tit. et in contentione psal.

Secundo monet intelligere Christum esse Deum, et si pauper sit et egenus, ibi, *judicate*, etc. Tertio dicit quid eis propositum fuerit, sed tamen perierunt, ibi, *ego dixi*. Prius ergo nuntians Deum, ait :

VERS. 1. — « Deus stetit in Synagoga deorum : in « medio autem deos dijudicat. »

Deus stetit. [Cassiod., Alcuin., Aug.] Dei non est stare qui cœlum et terram implet, qui est intra omnia non inclusus, extra omnia non exclusus, sed per hoc breviter Deum hominem indicat, ergo *Deus* factus homo *stetit in Synagoga deorum*, id est in populo Judæorum, ubi Filius Dei, secundum quod homo stetit, qui fuit missus ad oves quæ perierumt domus Israel (*Matth.* XV). Spiritualis autem præsentia deitatis, quæ ubique est, non proprie ad Synagogam pertinet, nec tempore variatur, deos autem dicit, quos postea filios Excelsi dicit, ibi, *ego dixi* : *Dii estis et filii Excelsi omnes*. De quibus etiam per Isaiam Dominus dicit : *Filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me* (*Isa.* I). Filii autem sæpe dicuntur Judæi non solum gratia Novi Testamenti, sed gratia Veteris, qua scilicet eos de Ægypto liberavit, et terram promissionis dedit. Non itaque Pater, non Spiritus sanctus, sed Filius corporaliter stetit in Synagoga Judæorum. Sed cur ibi stetit ? ecce *deos dijudicat* secundum quod Deus ; stat homo, discernit Deus, id est non meritis, sed gratia discernit vasa, alia in honorem, alia in contumeliam (*II Tim.* II ; *Rom.* IX). Hoc *autem* facit stans **185** *in medio*. Unde in Evangelio Joannis :*Medius vestrum stetit, quem vos nescitis* (*Joan.*, I). Unde et hic in sequenti dicitur : *Nescierunt neque intellexerunt*, sed amicus sponsi stat et audit, et gaudio gaudet propter vocem sponsi (*Joan.* III).

VERS. 2. — « Usquequo judicatis iniquitatem, et « facies peccatorum sumitis ? »

Usquequo judicatis. [Aug.] Hæc est vox discernentis. Quasi dicat : Misi legem et prophetas et restitistis, vel interfecistis ; sed usquequo hæc ? num usque ad adventum Filii ? Misi utique prophetas, sed injuriis affecistis, vel interfecistis, vel hoc agentibus consensistis. Sed cum hæc agentibus, nec loqui dignum sit vos qui tacuistis, et imitari eos voluistis, id est vos qui eos, qui tunc tacuerunt, velut innocentes imitari voluistis. Usquequo judicatis iniquitatem, *et facies peccatorum sumitis* ? Num et hæres occidendus est, qui pro vobis venit (*Matth.* XXI) ; qui propter vos sine patre esse voluit ut pupillus ? (*Joan.* IV.) Qui propter vos esurivit et sitivit ut egenus ? (*Matth.* IV.) Qui propter vos pauper factus est, cum esset dives ? (*II Cor.* VIII.) [Haym., Gl. int.] Vel distingue inter judicantes et facies peccatorum sumentes. Nam per judicantes intelliguntur majores, qui inique judicant ; sumentes facies, id est similitudines peccatorum sunt minores, qui consentiunt.

PARS. II. Διάψαλμα. VERS. 3. — « Judicate ege« no et pupillo ; humilem et pauperem justificate. »

Judicate. [Cassiod., Aug.] Secunda pars, ubi admonet intelligere Christum esse Deum, et si pauper fuerit et egenus, quod eos non fecisse dicit. Quasi dicat : Nolite judicare iniquitatem, vel consentire judicantibus, sed potius, judicate, hoc majoribus dicitur, *egeno et pupillo*, id est ad honorem ejus qui voluit esse sine patre propter vos, *et justificate*, id est justum prædicate Christum factum *humilem et pauperem* propter vos, non illos propter se superbos, et vos minores.

VERS. 4. — « Eripite pauperem et egenum ; de « manu peccatoris liberate. »

Eripite pauperem et egenum ; de manu peccatoris liberate. [Aug., Cassiod.] Hoc minoribus dicitur. Per quod ostendit nec illos fuisse immunes a scelere tanto qui permiserunt principibus Christum, cum pro multitudine timerentur, et possent illos a facto et se a consensu liberare. Qui enim desinit obviare cum potest, consentit ; sed

VERS. 5. — « Nescierunt neque intellexerunt, in « tenebris ambulant ; movebuntur omnia funda« menta terræ. »

Nescierunt. [Aug., Haym., Aug., Cassiod.] Hoc omnibus convenit, prælatis et subditis. *Si enim cognovissent*, nec illi *Dominum crucifigerent*, nec isti Barabbam eligerent (*I Cor.* II). *Neque intellexerunt*, id est nec etiam scire curaverunt, quia *in tenebris ambulant*, id est excitati sunt, sed per hanc Israel cæcitatem, *movebuntur* ad fidem, *omnia fundamenta terræ*, id est plenitudo gentium ad fidem intrabit. Vel ita : illi nescierunt tamen movebuntur, in passione Christi, omnia fundamenta terræ, quia in morte Domini terra mota est, et petræ scissæ sunt (*Matth.* XXVII). Hic patet de quo ante dixerat : Hoc enim signum in crucifixione Christi contigit. Vel fundamenta terræ, id est terreni spiritualiter moti sunt, illo tempore viso tanto miraculo, ut centurio qui dixit : *Vere* Filius Dei *erat iste* (*ibid.*). Vel fundamenta terræ, id est felices copia terrenorum, super quos ædificantur terreni sicut boni super apostolos, qui dicuntur fundamenta cœli, movebuntur, vel admirando coli pauperem mortuum, vel eum contemptis terrenis sectando, addit, omnia, quia nullus est qui non miretur, vel convertatur. Terrenæ autem felicitatis regnum est superbia : contra quam venit Christus humilis, exprobrans eis quos vult altos facere per humilitatem his verbis :

PARS III. VERS. 6. — « Ego dixi : Dii estis, et « filii Excelsi omnes.

Ego dixi. [Cassiod., Alcuin., Rem.] Tertia pars, ubi dicit quid eis propositum fuit, sed perierunt. Quasi dicat : Nescierunt neque intellexerunt, tamen ego dixi, vos boni *estis dii* per adoptionem gratiæ, *et filii Excelsi*, id est hæredes Dei, *omnes*, id est cujuscunque conditionis. [Haym., Cassiod., Aug.] Has enim promissiones omnes accipiunt, qui mandata custodiunt, scilicet ut sint filii Dei ; hoc enim ad justos dicitur, qui prædestinati sunt ad vitam.

VERS. 7. — « Vos autem sicut homines moriemini ; et sicut unus de principibus cadetis. »

Vos autem mali, moriemini sicut homines, [Cassiod., Aug., Alcuin.,Aug.] id est sicut peccatores, qui non sunt redempti. Hoc enim ad iniquos dicitur. *Et cadetis*, non extollemini ad cœlum, *sicut unus de principibus*, id est per elationem animi cadetis, sicut diabolus ; turba autem dæmonum quæ cecidit. Dicitur unus, quia in superbia similis. Vel ita : Vos autem mali moriemini per infirmitatem carnis, sicut homines, et cadetis, per superbiam ; sicut unus de principibus, id est diabolus. Quasi dicat : Cum cito sicut homines sitis morituri, non tamen corrigimini ; sed ut diabolus, qui in carne non moritur, extollimini ut cadatis, quia per superbiam diabolicam inviderunt gloriæ Christi, et viluit eis humilitas crucis. Vel omnibus generaliter dicit : Ego dixi : Dii estis, et filii Excelsi omnes, id est omnibus promisit cœlestia. [Hier., Haym., Aug.] Deinde loquitur ad malos, discernens inter majores et minores, et primum ad minores dicit : Vos autem moriemini sicut homines ; primi homines Adam, scilicet et Eva, qui suasione diaboli peccaverunt. Et, vos majores, cadetis, sicut unus de principibus, id est sicut diabolus, qui per superbiam peccavit, proinde ut hoc vitium sanaretur, ex persona Prophetæ subditur :

VERS. 8. — « Exsurge, Deus, judica terram, quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus. »

Exsurge. [Aug., Alcuin., Aug.] Quasi dicat : Vos cadetis, sed , tu Deus, exsurge, a mortuis, *et judica*, id est damna, *terram* quæ tumuit te crucifigens, id est damna istos, *quoniam*, his repulsis, *tu hæreditabis in omnibus gentibus,* id est omnes gentes erunt tua hæreditas. Vel, judica terram, id est mundum, quod potes, quia tuus est. Et hoc est quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus. Vel A secundum aliam litteram : [Aug.] *Quoniam tu disperdes in omnibus gentibus.* Quid disperdes in gentibus ? terram ipsam, id est eos qui terrena sapiunt, vel conterendo eos penitus, et ab hæreditate exterminando, vel affectum terrenæ cupiditatis et elationis absumendo in eis. Quod in bona accipitur, secundum quem intellectum etiam dicitur : *Tu hæreditabis in omnibus gentibus.*

COLLATIO IN PSALMUM LXXXI : « DEUS STETIT, » etc.

VERS. 1. — *Deus stetit in synagoga deorum.* Hoc in loco ausus est Faber affirmare LXX interpretes litteram corrupisse, ac exaggerando, impie eos tractat scribens fuisse illusos, et fœde lapsos. Movetur leviter ad id sentiendum, nempe ex hoc quod אל EL singulariter dicitur, ubi legimus plurative *deorum*, et Hieronymus vertit, *Deus stetit in cœtu* B *Dei.* Cur ergo non eadem opera initium psalmi, translatum est sub plurali numero, dii steterunt, quando quidem habetur in Hebr. אלהים ELOHIM, numero multitudinis. Itaque sive enunties unice sive plurative, *cœtus Dei* vel *deorum*, sunt sancti, qui ad Deum pertinent, vel principes qui auctoritate Dei potiuntur. Hic autem quando mox præmittebatur collectionis nomen synagoga, cur LXX interpretes vocantur in jus sub forma singulari multitudinem intelligentes ? Unde plures qui Hebræismum probe callent nihil reformidant per pluralem numerum traducere. Hinc Sanctes dixit, *in congregatione judicum*, quam Munsterus interpretatur *congregationem magnificam.* Et editio ad Campensem, *in cœtu potentium.* Consonat et paraphrasis, *e regione.* Chaldæus paraphrastes, *Deus deitatem suam posuit in congregationem justorum, qui potentes sunt in lege.* Nec obstat quod Hieronymus verterit singulariter. Sic enim vertit ut talem versionem, C suo loco approbet. In commentariis enim ubi versiculum repetiit, tale subjecit interpretamentum : *Quia dii erant, propterea stabat eis Deus.* Et paulo post : « Vide hominis dignitatem, *Deus stetit in synagoga deorum.* Largitur nobis nomen, ut largiatur et meritum. » De divo Augustino non est dubium quam late et erudite per pluralem numerum prosequatur.

PSALMUS LXXXII.

PSALMI TITULUS : « CANTICUM ASAPH. »

Deus, quis similis. Titulus : *Canticum Asaph.* Alcuin., Cassiod.] Agit in hoc psalmo de secundo adventu Christi ad judicium, ubi boni qui hic patiuntur, coronabuntur. Mali vero qui eos persequuntur, torquebuntur ; per quod deterret iniquos a persecutione populi Dei, quem multis modis mali in præsenti affligunt, maxime tempore Antichristi. [Cassiod., Alcuin., Cassiod., Aug.] Et est sensus tituli ; *canticum* istud, quod dicitur canticum, quia monet ad bonas actiones. Congrue utrumque jungit, quia in rebus actualibus est habenda contemplatio divina. Est *Asaph,* id est populi Dei, qui loquitur hic. Et quia Asaph proprie de Judæis est, intelligitur hic prophetia fieri maxime contra Judæos. Intentio : Malos dehortatur a persecutione bonorum, bonos vero monet ad patientiam ; modus ; Bipartitus est psalmus. Primo proposito timore futuri judicis describit malitiam inimicorum vel iniquorum. Secundo agit de vindicta inimicorum vel iniquorum, ibi, *fac illis sicut Madian.* Fidelis ergo Asaph prævidens Christum in majestate judicaturum, qui in humilitate judicatus est, ait : O.

D VERS. 1. — « Deus, quis similis erit tibi : ne taceas, neque compescaris, Deus. »

Deus, Christe, [Aug.] etsi homo es, ut alii. Etsi judicatus cum iniquis latronibus deputaris. *Quis erit similis tibi* in forma servi ? non dico in forma Dei, cum in claritate judicabis. Non ad divinitatem hoc refertur, cui nullus hominem comparandum cogitavit. Et ita non esset magnum, si hoc ad divinitatem referretur. Sed hoc dicitur illi, qui formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus est et habitu inventus ut homo. Ideoque non ait : Quis similis est tibi ? quod utique diceretur, si hoc ad divinitatem referretur, sed dicit : Quis similis erit tibi ? hoc ad formam servi referens quæ tunc cæteris dissimilis hominibus erit, quando judex in glo-

ria apparebit. [Alcuin.] Vel potest hoc referri ad divinitatem, secundum quod dicit : O Deus, quis similis erit tibi, in potentia deitatis? Christum enim quem mali viderunt extra, iste videt intra, scilicet omnipotentem *ne taceas*. [August.] Quasi dicat : Et quia talis eris in futuro, ideo tunc, ne taceas, a pœna, o Deus, qui primo tacuisti, quando sicut agnus coram tondente se fuit sine voce, nec aperuit os suum (*Isa.* LIII) ; *neque compescaris*. Deus, vel mitescas, ab incœpto, qui primo potestatem compescuisti, ut posses teneri et perimi, quam prius ostendisti, his qui te apprehendere quærentes, retrorsum ad vocem tuam ceciderunt (*Joan.* XVIII). Quomodo ergo teneretur atque pateretur, nisi seipse cohiberet atque compesceret, et quodammodo mitigaret?

VERS. 2. — « Quoniam ecce inimici tui sonu- « erunt; et qui oderunt te extulerunt caput. »

Quoniam ecce. [Cassiod., Aug., Alcuin.] Duobus prædictis duo reddit, agens de persecutione quæ erit tempore Antichristi. Quasi dicat : Ideo ne taceas, *quoniam ecce inimici tui*, id est Antichristi membra *sonuerunt* contradicendo. Novissima tempora Antichristi designat, quando hæc quæ modo premuntur metu, in liberam vocem erumpent. Quæ vox quia irrationabilis erit, magis sonitus quam **186** locutio dicitur *et qui oderunt te*. Quasi dicat : Ideo ne compescaris, et, id est quia, qui oderunt te jam diu, non noviter *extulerunt caput*, id est tunc levabunt caput, non capita. Sed illud caput quod extollitur supra omne quod colitur aut nominatur Deus (*II. Thess.* II), id est Antichristum. Illi ergo qui oderunt, plures sunt; sed unum est caput eorum, scilicet Antichristus, quod ita elevatum est, ut Deus dicatur. Caput suum extulerunt, sed non populum tuum depresserunt. Unde subdit :

VERS. 3. — « Super populum tuum malignave- « runt consilium; et cogitaverunt adversus sanctos « suos. »

Super populum tuum malignaverunt, [Aug., Cassiod.] vel ut quidam codices habent, *astute cogitaverunt consilium*, ad decipiendum, super populum tuum, irridenter hæc dicit. Non enim nocere possunt populo Dei pro quo est Deus. Unde Apostolus : *Si Deus pro nobis, quis contra nos*? (*Rom.* VIII.) *Et cogitaverunt adversus sanctos tuos*. Non solum contra mediocres, sed etiam contra cœlestes viros.

VERS. 4. — « Dixerunt : Venite et disperdamus « eos de gente, et non memoretur nomen Israel « ultra. »

Dixerunt. [Cassiod., Gl. int., Cassiod.] Ecce consilium quo meditati sunt inania. Iste est ille sonus, qui non est sermo, sed inaniter strepit, *dixerunt* etiam : *Venite*, quærentes in hoc sibi socios, *et disperdamus eos de gente*. Singulariter dicit, quia omnes Christiani sunt una gens, cum ex uno fonte baptismi nati sunt. Vel de gente singulariter dicit, per gentes omnes bonos significans, quos omnes Antichristus vocat unam gentem, propter unam voluntatem. [Cassiod., Aug.] Vel secundum aliam lit-

A teram : *Disperdamus eos de gentibus*, scilicet ne sint inter gentes, id est tollamus eos de mundo. Ecce persecutio Antichristi, quæ nomen Christianum quasi malum intendit funditus tollere. *Et non memoretur ultra nomen* veri *Israel*, id est eorum qui esse debent vere Israel.

VERS. 5. — « Quoniam cogitaverunt unanimiter; « simul adversus te testamentum disposuerunt ta- « bernacula Idumæorum et Ismaelitæ. »

Quoniam cogitaverunt. [Gl. int., Aug., Alcuin.] Exponit qui sunt malignantes, vel quo studio malignaverunt; et primo quo studio, dicens, *quoniam cogitaverunt unanimiter*, id est cum studio, *simul*, id est omnes, et quasi possent te fortiores esse, *disposuerunt adversus te*, ut tu contra eos movearis;
B *testamentum*, id est pactum, scilicet placitum inter se, testamentum quippe in Scripturis, non solum illud dicitur, quod non valet nisi testatore mortuo, sed etiam omne pactum et placitum, quod inter vivos valet, testamentum vocatur, sicut Laban et Jacob testamentum fecerunt quod etiam inter vivos valeret, ita et mali inter se quasi pactum fecerunt quod unanimiter bonos persequerentur. Ecce exposuit quo studio malignaverunt. Deinde ostendit qui sint malignantes, dicens : *Tabernacula Idumæorum*. [Aug., Alcuin., Hier.] Incipit hic inimicos Christi commemorare, sub quibusdam nominibus gentium, quæ mystice eis congruunt. Talibus enim nominibus, secundum interpretationes aptissime figurantur veritatis inimici. Per hæc enim nomina Christi ini-
C micos declarat, qui temporibus Antichristi tot malis similantur, quia sicut isti contra Israel, ita illi contra Christianos, tunc debellabunt. Et est, qui cogitaverunt et disposuerunt, ecce tabernacula, id est congregationes Idumæorum; Idumæi dicti sunt ab Edom (*Gen.* XXV), qui est et Esau et Seyr dictus (*Josue* XXIV), *Gen.* XXXVI), Idumæi autem interpretantur *terreni*, vel *sanguinei*, quia terrena amant et sanguinem sitiunt; *et Ismaelitæ* qui dicuntur ab Ismaele filio Abrahæ et Agar (*Gen.* XVI). Et interpretantur *obedientes sibi*; quasi dicat, non Deo, quia pravas cogitationes suas sequuntur. Et

VERS. 6. — « Moab, et Agareni, Gebal et Ammon, » et Amalec; alienigenæ cum habitantibus Tyrum. »

Moab. [Aug., Hier., Aug., Gl. int., Alcuin.] Unde
D Moabitæ dicuntur, quem Loth ebrius de majore filia sua genuit (*Gen.* XIX). Unde Moab interpretatur *ex patre* quod in malo accipitur. Bonus quidem fuit pater, quo filia illicite usa est; sed sicut lex bona est si quis ea legitime utatur, non inceste. Per Moab ergo significantur gentes exleges, quæ recedentes a Deo Patre, sunt ex patre diabolo (*Joan.* VIII). *Et Agareni*, qui dicuntur ab Agar (*Gen.* XVI), et interpretantur *proselyti*, id est advenæ, vel alieni, per quos significantur falsi fratres, qui nomine tenus sunt in Ecclesia (*Galat.* II) ; qui non sunt cives, sed alieno animo subintrant explorare libertatem Ecclesiæ, et inventa occasione nocendi se ostendunt. *Gebal*. Gebal interpretatur *vallis vana*. Ge [γη]

enim *vallis*, bal *vana* interpretatur, per quod significantur fallaciter humiles, id est hypocritæ : [*Et Ammon.*] Ammon (*Gen.* XIX), Unde dicuntur Ammonitæ, genuit Lot ebrius de filia sua minore ; et interpretatur populus turbidus, vel populus mœroris, per quem significantur furiosi. *Et Amalec* (*Gen.* XXXVI). Amalec fuit filius Eliphat primogeniti Esau, a quo dicuntnr Amalecitæ, contra quos pugnaverunt fiiii Israel, eosque Moyse levante manus superabant (*Exod.* XVII). [Hier., Aug., Haym., Aug.] Interpretatur autem Amalec *populus lingens terram*, per quem significantur cupidi et avari, amantes terrena. *Alienigenæ*. Latinum nomen est, pro quo in Hebræo habetur Philisthiim ; licet ergo Latino nomine se indicent alienos, et ob hoc inimicos, tamen Hebraice dicuntur Philisthiim, id est *cadentes potione*, per quos significantur illi qui sunt ebrii luxuria sæculari. Et hi omnes disposuerunt testamentum *cum habitantibus Tyrum*, id est cum possidentibus terrena, circa quæ angustiantur. Tyrus enim lingua Hebræa dicitur *sor*, et interpretatur *tribulatio* vel *angustia*, quod convenit inimicis populi Dei, secundum illud quod ait Apostolus: *Tribulatio et angustia in omnem animam operantis malum* (*Rom.* II) Deinde quasi indicans causam quare sint inimici populi Dei, adjungit :

VERS. 7. — « Etenim Assur venit cum illis : » facti sunt in adjutorium filiis Lot. »

Etenim. [Hier., Alcuin., Aug.] Quasi dicat : Cur isti sunt inimici populo Dei ? Etenim, id est quia *Assur venit cum illis.* Assur, ad litteram, Nabuchodonosor rex Assyriorum, et interpretatur *deprimens* vel *elatus*, per quem significatur diabolus, qui operatur in malis, quorum princeps est, quos in profundum peccati deprimit. [Aug.] Et hi omnes, operante ipse principe diabolo, *facti sunt in adjutorium filiis Lot*, id est adjuvant invisibiles hostes, qui per istos oppugnant populum Dei. Lot enim *declinans* interpretatur. [Hier., [Aug.] Filii ergo Lot sunt angeli apostatæ, qui sunt filii declinationis, quia a veritate declinando, in satellitium diaboli dicesserunt. Unde in Apocalypsi dicitur : *Quia draco cecidit, et traxit secum tertiam partem stellarum* (*Apoc.* XII). De quibus Apostolns : *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates* (*Ephes.* VI).

PARS. II. VERS. 8. — « Fac illis sicut Madian « et Sisaræ : sicut Jabin in torrente Cisson. »

Fac illis. [Cassiod., Aug., Haym., Aug.] Secunda pars, ubi agit de vindicta iniquorum, et est prædictio. Prædicit enim illis mala ventura, sub figura quorumdam nominum. Quasi dicat : Illi ita contra tuos faciunt. Vel tu Domine, *fac illis* prædicit, non maledicit, *sicut* fecisti *Madian et Sisaræ*, et *sicut Jabin in torrente Cisson*. Hos omnes, ad litteram populus Dei, scilicet Israel, debellavit et vicit. Madian fuit filius Abrahæ et Cethuræ (*Gen.* XXV). Unde Madianitæ fuerunt, qui filios Israel multoties afflixerunt, qui tandem clamantes ad Dominum omnes

A istos debellaverunt. In libro enim Judicum, cap. IV et VI, legitur quod cum Jabin rex Chanaan affligeret filios Israel, clamaverunt ad Dominum. Et tunc Delbora prophetissa quæ judicabat Israel illo tempore, præcepit Barac filio Abinoen, ut assumeret decem millia pugnatorum secum, et iret contra Sisaran, qui erat dux exercitus Jabin, qui dixit se ire, si ipsa cum eo iret. Itaque ivit cum eo, Dominus autem exterruit exercitum Jabin, quem congregaverat Sisara ad torrentem Cisson, fugitque Sisara ad tentoria Jahel uxoris Aber Cynæi. Erat enim pax inter Jabin regem Asor, et domum Aber Cynæi, ubi cum absconditus dormisset, Jahel tulit clavum tabernaculi, percussumque eum cum malleo, defixit in cerebrum Sisaræ usque ad terram, et B ita mortuus est. Et ecce Barac sequens Sisaram veniebat, egressaque Jahel in occursum ejus, dixit ei : *Veni, et ostendam tibi virum quem quæris.* Qui cum intrasset ad eam, vidit Sisaram mortuum jacentem, et clavum in temporibus ejus infixum. Humiliavit ergo Deus in die illo Jabin regem Chanaan, coram filiis Israel, qui crescebant quotidie et forti manu opprimebant Jabin regem Chanaan donec delerent eum. Gedeon quoque nocte devicit Madianitas cum trecentis viris. Cumque illi fugerent, occurrerunt viri Ephraim, et apprehenderunt Oreb et Zeb, principes Madianitarum, quos interfecerunt, eorumque capita ad Gedeon deportaverunt. Ipse quoque Gedeon interfecit postea Zebee et Salmana, principes Madian, turbato C illorum exercitu, qui post longam fugam requiescebat securus. Ideo dicit. Fac illis sicut Madian et Sisaræ, et sicut Jabin in torrente Cisson.

VERS. 9. — « Disperierunt in Endor ; facti sunt « ut stercus terræ. »

Disperierunt, ad litteram. [Aug., Cassiod., Alcuin.] Hi omnes in torrente Cisson et in fonte Endor perierunt. Ergo sicut omnes illi victi sunt in figura a populo Dei, sic istos precatur in veritate superari, *facti sunt ut stercus terræ*, dum cadavera eorum putrescerent. Hæc omnibus communiter fac, sed specialiter.

VERS. 10. — « Pone principes eorum, sicut Oreb, « et Zeb, et Zebee, et Salmana. »

D *Pone principes.* [Cassiod., Hier,, Aug., Haym.] Hoc optat militibus Antichristi, qui non sunt convertendi. Vel juxta interpretationes nominum hæc dici possunt. Madian interpretatur *declinans judicium ;* Sisara *exclusio gaudii;* Jabin *sapiens*, De quo Apostolus : *Ubi sapiens, ubi scriba ?* (*I Cor.* I.) Cisson ubi victi fuerunt, interpretatur *duritia.* Et est sensus : Fac illis sicut Madian et Sisaræ, etc., scilicet utpote illis qui declinant judicium, se judicandos non putantes, et qui excludunt futurum gaudium, et qui sunt inflati sapientia carnis, quæ inimica est Deo, quos obstinatæ mentis duritia in perniciem trahit. Disperierunt in Endor. [Aug., Haym.] Endor ubi perierunt, interpretatur *fons ge-*

nerationis, sed intelligitur carnalis generatio, cui dediti perierunt, non regenerati. Facti sunt ut stercus terræ, quia de eis nihil propagatur, nisi terrena fecunditas. *Pone principes eorum sicut Oreb, et Zeb, et Zebee et Salmana ;* Oreb interpretatur *siccitas*, Zeb *lupus ;* Zebee, *victima*, lupi scilicet, non Dei ; Salmana, *umbra commotionis*. Hæc omnia contingunt malis, quos in bono vicit populis Dei. Et est, pone principes eorum sicut Oreb, utpote siccos a gratia Dei ; et Zeb, id est rapaces ; et Zebee, utpote eos qui sunt jam victima lupi, id est diaboli ; et Salmana, id est instabiles, omni pravæ suggestioni cedentes.

Vers. 11.— « Omnes principes eorum qui dixe« runt : Hereditate possideamus sanctuarium Dei. »

Omnes principes eorum, [Cassiod., Aug.] id est consiliorum auctores, ita pone ut dixi. *Qui dixerunt*. Ecce inanis sonitus, quo sonuerunt inimici tui. Quid dixerunt ? *Possideamus sanctuarium Dei*. De quo Apostolus : *Templum Dei sanctum est, quod estis vos (I Cor.* III). Hi sunt sancti *hæreditate* ut cedant nobis subditi. Hæreditatem Dei invadunt ut suam. Illi ita dixerunt, sed

Vers. 12. — « Deus meus, pone illos ut rotam, « et sicut stipulam ante faciem venti. »

187 *Deus meus, pone illos ut rotam*, [Aug., Gl. int.] id est non sint stabiles, in eo quod cogitant. Vel sicut rota ab his quæ retro sunt surgit et ante cadit, ita et ipsi ex his quæ retro sunt, id est ex terrenis in quibus crescunt, exsultantur : quod vere est. Et animo cadant ab his quæ ante sunt, id est ab æternis, *et pone illos sicut stipulam ante faciem venti*, id est ante præsentiam tentationis, ut cedant omnibus motibus pravæ suggestionis. [Aug., Cassiod., Aug.] Ventus pro tentatione ponitur, qua levia et inania corda puniuntur, et congrue levitas peccantium vento comparatur, qui huc et illuc volitat. Per has autem similitudines, prædicit multas eorum calamitates ; levitatem vero peccantium, gravis cruciatus. Unde subdit :

Vers. 13. — « Sicut ignis qui comburit silvam, « et sicut flamma comburens montes. »

Vers. 14.— « Ita persequeris illos in tempestate « tua : et in ira tua turbabis eos. »

Sicut ignis. [Haym., Aug., Cassiod.] Quasi dicat : In præsenti hæc mala sentient, in futuro autem *ita persequeris eos in tempestate tua*, id est judicio quod erit improvisum et grave ; *et in ira tua*, id est in justitia ultimæ vindictæ *turbabis eos sicut ignis qui comburit silvam*. [Aug., Cassiod.] Malos dicit silvam, quia steriles sunt a justitia, et eosdem dicit montes, quia pleni sunt superbia, *sicut flamma comburens montes*. Ignis flammeus est puniens Deus. Congrue autem ignis et flamma in judicio esse dicuntur, quia tunc densæ silvæ peccatorum et montes superbiæ cremabuntur.

Vers. 15. — « Imple facies eorum ignominia ; « et quærent nomen tuum, Domine. »

Imple facies, [Cassiod., Aug.] pœnis pertinacium

A prophetatis. Orat pro credituris, qui non habent scelerum laudatores, sed et culpatores, quos opprobrium sæpe corrigit. Hoc bonum et optabile eis prophetatur ; nec eis prophetaretur, nisi essent in ea societate inimicorum populi Dei etiam tales, quibus hoc ante ultimum judicium præstabitur, quia et nunc idem corpus inimicorum est, secundum invidentiam qua æmulantur populum Dei, et nunc idem corpus sonat et levat caput, sed particulatim, non universaliter ut in fine, et tamen inde aliqui convertuntur, pro quibus hic orat. Dicit autem eorum, quia adhuc unum corpus sunt cum malis. Et hoc est, *imple facies eorum ignominia*, [Gl. int., Alcuin.] id est fac eos sibi et aliis ignominiosos videri. *Et sic quærent nomen tuum*, Domine.

B Nota quod melius est ruere ut pœniteant, quam sub specie religionis superbire. Unde propheta ait : *Et tu filia Sion usque ad Babylonem venies ibique liberaberis*, (*Mich.* IV).

Vers. 16. — « Erubescant et conturbentur in « sæculum sæculi ; et cunfundantur et pereant. »

Erubescant [Cassiod., Alcuin., Aug.] Hic agit de malis qui non convertentur. Quasi dicat : Dico quærent nomen tuum. Quod si non fecerint, *erubescant* in futuro de malis quæ fecerunt, et *conturbentur* de pœnis quas patientur. Et hoc *in sæculum sæculi*, id est in æternum. Illi autem qui quærunt nomen Domini : et si modo pro peccatis erubescunt et turbantur, non tamen in æternum confundentur. Rursus redit ad eos qui in præsenti confundentur,

C ne confundantur in æternum. Quasi dicat : Illi turbentur in æternum. Quærentes autem nomen Domini, modo *et confundantur* de peccatis salubriter, *et pereant* in quantum mali sunt, ut fiant boni.

Vers. 17. — « Et cognoscant quia nomen tibi « Dominus ; tu solus Altissimus in omni terra. »

Et sic *cognoscant* quia nomen essentiale *tibi Dominus* est, [Aug., Alcuin.] quicunque enim alii nec vero nec suo nomine domini nuncupantur, quoniam serviliter dominantur, et vero Domino comparati, nec domini sunt. Et sciant quia *tu solus Altissimus in omni terra*, vel super omnem terram. Vel de malis potest accipi, et confundantur. Quasi dicat : Mali turbentur in æternum, et tunc confundantur ipsi

D mali anima et corpore, et pereant omnino irreparabiliter, et tunc cognoscant quod modo nolunt scire, scilicet quia nomen tibi Dominus est ; non mutatur. Et quia, tu solus Altissimus es in omni terra, vel super omnem terram. [Aug., Cassiod.] etiam in cœlo est ipse Altissimus, et super omne cœlum. Sed hoc elegit quo prematur humana superbia. Desinit enim terra superbire, id est homo, cui dictum est : *Terra es, et in terram ibis* (*Gen.* III), cum scit Deum altum super omnem terram, id est cum scit nullum valere contra eos de quibus dicitur : *Si Deus pro nobis quis contra nos ?* (*Rom.* VIII.) Notandum quia undecim superioribus psalmis introductus est Asaph, ut duritia Judæorum frequenti voce ipsius Synagogæ mollesceret, vel ipsi nomini cui devoti

esse videbantur, crederent. Egit autem in prædictis psalmis de Domini incarnatione, et de gentium fide et de judicio, in quibus transgressio multiplex Judæorum redarguit. Unde congrue dicitur, undecim sunt. (120) Undenarius enim numerus est transgressionis, quia et denarium transit, et ad duodenarium non pervenit. Unde undecim erant vela capillatia in tabernaculo Domini, et in undenario fuerunt apostoli, rejecto infelicissimo Juda tempore passionis, quando a fide defecerunt. Unde *Posuisti tenebras et facta est nox* (*Psal.* CIII).

COLLATIO IN PSALMUM LXXXII : « DEUS QUIS SIMILIS, » etc.

VERS. 1. — *Quis similis tibi.* Hieronymus, *ne taceas tibi*, et ferme sic cæteri. Munsterus dixit, *non A contineas te*, ita tamen ut in scholio scribat proprie esse, *ne taceas apud te ;* Pellicanus aliquanto secus, *non est silentium meum ad te.* Quod exponit, *non dissimulo angorem meum.* Hebr. אל דמי AL DOMI. Verum secundum verbum, deducunt a verbo דמה DAMAH, id est *assimilatus est*, vel *tacuit*. Deinde אל AL, *ne*, *nec*, vel *non ;* ut sit, *non est similis tibi.* Interpretes ad epithasin, interrogative enuntiarunt.

VERS. 3. — *Adversus sanctos tuos.* Hieronymus, *adversus arcanum tuum.* Cæteri, *adversus absconditos tuos*, vel *quod a secretis tibi sunt.* צפוניך TZEPHUNECA. Recte sensum expresserunt LXX, vel quod ex scholio Munsteri arguitur in hunc locum. « Hoc est, inquit, qui a te in abscondito proteguntur. » Cui respondet Campensis : « Qui occulte protectioni tuæ concrediti sunt, ii procul dubio sunt sancti, qui soli Deo in abscondito placere student. »

PSALMUS LXXXIII.

PSALMI TITULUS : « IN FINEM PRO TORCULARIBUS FILIIS CORE, PSALMUS. »

Quam dilecta tabernacula. Titulus : *In finem pro torcularibus filiis Core, psalmus.* [Aug.] Nihil in hoc psalmo diciturde visibilibus torcularibus. Unde constat alia esse torcularia spiritualia, quæ nos hic intelligere voluit spiritus Dei, quapropter quod agatur in his torcularibus recordemur. Et hoc videamus quemadmodum spiritualiter agatur in Ecclesia. Uva ergo in vite, et oliva in arbore pendentes, libero fruuntur aere, nec illa est vinum, nec ista est oleum ante pressuram torcularis ; sic illi quos præscivit Deus ante sæcula fieri conformes imaginis filii sui (*Rom.* VIII), antequam accedant ad servitutem Dei, fruuntur in sæculo deliciosa libertate; sed cum accedunt ad servitutem Dei, dicitur eis : *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore, et præpara animam tuam ad tentationem* (*Eccli.* II). Ecce torcular. Conteruntur enim pressura passionum, exuuntur tegumentis carnalium desideriorum, quasi in vinaciis ; exuuntur veteri homine (*Coloss.* III), et ita in apothecam Dei defluunt. Et quia hæc fiunt in Ecclesiis, ideo torcularia dicuntur Ecclesiæ præsentis temporis. Sed qui sunt in his torcularibus? filii Core, id est filii Calvi, scilicet Christi. Calvus namque Elisæus irrisus a pueris clamantibus : *Ascende calve, ascende, calve* (*IV Reg.* II), figura fuit Christi, qui in Calvaria crucifixus est (*Joan.* XIX). Ideo autem hic Christianus premitur, ut quærat quietem quæ non est hic. Et si eis Deus refugium. Qui enim incumbit terrenis, confidens in incerto divitiarum (*I Tim.* VI), incumbit in baculum arundinis, qui facile frangitur, et cadit incumbens. Noli ergo te credere, fragile enim est, et frangitur, et interimit te. Et est sensus tituli : *Psalmus* iste dirigens nos *in finem*, id est Christum proponitur, *filiis Core*, id est Christi in Calvaria crucifixi. Psalmus dico habitus *pro torcularibus*, id est agens de Ecclesiis, in quibus sunt B pressuræ tribulationum quæ bene dicuntur torcularia, quia sicut fructus uvæ vel olivæ in torculari emanat, [Cassiod., Aug.] sic in pressuris Ecclesiarum merita sanctorum patent, quæ in pace latebant. Licet ergo tribuletur Ecclesia, non frigescat Core filius. Et est psalmus iste secundus de charitate Dei. Intentio : Monet ad amorem æternorum. Modus : Tripartitus est. Primo agit de inæstimabili desiderio æternæ domus. Secundo dicit quo auxilio ad domum Dei veniatur, ibi, *beatus vir*. Tertio orat et humiliat se pro impetratione, ibi, *Domine*, *Deus virtutum*. Iste ergo suspirans de torcularibus in æterna tabernacula, cum admiratione ait, o

VERS. 1. — « Quam dilecta tabernacula tua, Domina virtutum ! concupiscit et deficit anima mea C « in atria Domini. »

Domine virtutum. [Cassiod., Aug., Cassiod., Aug.] In futuro sentit iste in iram Dei apparere potentiam. Ideo cum dicit, Domine virtutum, *quam dilecta tabernacula tua* sunt, quasi non potest dici quantum : de æternis tabernaculis dicit, in quibus nulla est pressura. Et vere dilecta, quia *anima mea concupiscit et deficit* a se, scilicet a statu suo, tendens *in atria Domini* æterna. Deficit anima tendens in atria Domini, quasi uva pressa deficit in vinum. Ita iste in requiem cœlestis apothecæ, tendens desiderio et amore languet. Magna huic videtur esse tristitia, cum ait, concupiscit et deficit anima mea, quia non habet quod desiderat. Sed nunquid sine gaudio ? Imo est et gaudium in spe, D et ideo tolerat pressuram torcularis.

VERS. 2. — « Cor meum et caro mea exsultaverunt in Deum vivum. »

Cor meum, [Cassiod., Hier., Aug., Haym., Aug.] id est ratio, *et caro mea*, edomita *exsultaverunt*, et si graventur, *in Deum vivum*, qui dat vivere, scilicet exsultaverunt hinc in illud æternum. Unde exsultaverunt ? ecce

(120) Aug., sermo 15, De verbis Domini.

VERS. 3. — « Etenim passer invenit sibi domum ; « et turtur nidum ubi reponat pullos suos. »

Etenim, [Aug.] id est quia *passer*, id est ratio, *invenit sibi*, dum inquireret, *domum* non manufactam, modo exercet pennas in virtutibus hujus temporis, scilicet fide, spe et charitate, ut volet passer in domum, in qua permaneat. Nota quia duobus prædictis duo reddit. Dixerat enim exsultasse cor suum, et carnem, quibus reddit passerem et turturem. Cor enim est ut passer, caro, ut turtur, cui dat et pullos. Corde enim cogitamus Deum, quasi passer volet ad Dominum, carne agimus opera : *Et turtur*, id est caro casta, *invenit sibi nidum ubi reponat pullos suos*, id est opera. Quem nidum invenit ?

VERS. 4. — « Altaria tua, Domine virtutum, rex « meus et Deus meus. »

188 *Altaria tua, Domine virtutum*, [Cassiod., Aug., Haym.] id est cœlestem patriam, ubi animæ cœlesti convivio epulantur, ubi anima quasi in domo gaudet, et caro reponit opera sua. *Rex meus* qui regis, *et Deus meus* quia creasti. Vel aliter, de præsenti Ecclesia potest legi. Unde et benedicuntur tabernacula, quæ proprie militantium sunt. Et est : *Quam dilecta* sunt *tabernacula tua !* Hæc dicit de militia præsentis Ecclesiæ, quæ in terra peregrinatur. *Domine virtutum*, cœlestium, id est angelorum. Hoc ideo dicit ut notet quod hic virtutes angelicas Deus mittit in auxilium. Vere dilecta, quia *concupiscit et deficit anima mea*, a se tendens *in atria Domini*, præsentis Ecclesiæ. Ecce in hoc versu ostendit quanta sit militia, id est quam amabilis et amans. Vere concupiscit, [Cassiod., Aug.] quia *cor meum*, scilicet ratio, *et caro mea* edomita, *exsultaverunt in Deum vivum*, scilicet quia dat vivere : ideo exsultaverunt. *Etenim*, id est quia, *passer invenit sibi domum*, cœlestis Ecclesiæ. Congrua similitudo. Sicut enim passer deserit silvas, et inventa domo lætatur, ubi non timet insidias, ita anima lætatur, dum scit sibi sedem paratam in cœlo. *Et turtur*, id est caro, *invenit sibi nidum*, qui est ad tempus ; domus vero est in æternum. Nidum ergo dicit fidem et conformitatem sacramentorum Ecclesiæ, quem nidum quærit turtur. *Ubi reponat pullos suos*. Non enim abjicit illos ubicunque, sed in nido Ecclesiæ facit opera bona, pro quibus salvabitur : per quod differt ab aliis, qui opera faciunt, sed non in nido fidei. Nam et pagani faciunt opera, quia vestiunt nidos, et alia. Et hæretici faciunt multa, sed non in nido Ecclesiæ, id est in fide et participatione sacramentorum, et ideo conculcantur, non servantur eis ad vitam. Hæc caro est mulier, per quam seducitur passer, id est vir. Unde Apostolus : *Adam non est seductus*, scilicet prior, *sed mulier seducta est* (*I Tim.* II) ; postea enim consentit Adam mulieri. Ita nec modo potest aliqua mala suasio in te, nisi carnis tuæ primo desiderium commoverit : cui postea, si mente consenseris, cecidit et passer. Si autem vincuntur desideria carnis, auferuntur arma

A concupiscentiæ, et incipit turtur habere pullos suos. Unde idem Apostolus subdit : *Salvabitur autem mulier per generationem filiorum* (*ibid.*), id est caro per generationem bonorum operum, si tamen illa fecerit in nido, id est si permanserit in fide Catholica, in societate ecclesiasticæ unitatis. Præbet autem Deus unde fiat nidus. Induit enim se feno carnis, ut ad te veniret. In ista ergo fide pullos operum tuorum repone. [Haym., Aug., Haym., Aug.] In hoc versu ostendit quam secura sit militia. Deinde quasi quæsisses quem nidum invenit, subdit, *altaria tua*, id est ecclesiastica sacramenta, *Deus virtutum*, *rex meus*, qui regis, *et Deus*) *meus*, qui creasti. Sed nidus iste est in peregrinatione, in pressura ; in suspiriis, ubi iste positus jam præmeditatur gaudia B futura, et suspirat in superna promissa, dicens :

VERS. 5. — « Beati qui habitant in domo tua, Do« mine ; in sæcula sæculorum laudabunt te. »

Beati qui habitant in domo tua [Aug.] cœlesti, *Domine*, ubi non est timor. Hoc boni jam habent scilicet quod habitant in domo tua. *In sæcula sæculorum laudabunt te* hoc tibi agunt, hoc totum negotium est ibi sanctorum ; non est ibi necessitas, quæ est mater omnium humanarum actionum : qui facient ibi quidquam, ubi nulli indigent. Habent ergo et agunt unde beati sunt. Omnis autem beatus habendo vel agendo dicitur beatus. [Alcuin.] In hoc versu ostendit ad quam beatitudinem militia ducit.

PARS II. VERS. 6. — « Beatus vir cujus est auxi-
C « lium abs te ; ascensiones in corde suo disposuit « in valle lacrymarum, in loco quem posuit. »

Beatus vir. [Aug., Cassiod., Aug., Cassiod., Aug.] Secunda pars, ubi dicit quo auxilio, et cujus ope ad domum veniatur. Quasi dicat : Beati sunt qui habitant in domo tua, sed quomodo veniemus ad domum, cum corpus gravet volantem ? auxilio tuo, et, beatus est ille, etc. Vel ita continua : Beati erunt in futuro, qui habitant. Et beatus est, modo etiam, *vir cujus est auxilium abs te*, contra labores hujus sæculi. Quid enim ei prodest ? multum, quia *disposuit ascensiones*, id est gradus quibus ascendat, quia semper proficit, *in corde suo*. Quanto ergo plus amaveris, tanto plus ascendes. Ubi disposuit ? *in valle lacrymarum*, vel plorationis. Val-
D lis lacrymarum est pœnitentis humilitas. Ecce torcular. Dixit quid disposuit, scilicet ascensiones, et ubi, scilicet in corde, et in qua regione, scilicet in convalle plorationis. Ut quo ascendatur ? ecce, ut ascendatur *in loco*, vel locum, *quem posuit* vel disposuit, Deus. Hic est locus qui non potest exponi, quem oculis non vidit, nec auris audivit (*I Cor.* IX), id est futurum regnum, quod disposuit et ordinavit Deus, ut ad id per gradus perveniatur. Vel vallis lacrymarum est dejectio hujus sæculi, ubi flendum est, non ridendum. Et est, ubi disposuit ? In valle lacrymarum, vel plorationis, [Hier., Alcuin., Aug,] id est in hac dejectione hujus sæculi. Hic enim ploratur ubi seminatur. Exponit

quod dixerat, scilicet in loco quem posuit Deus hominibus, ut ibi flerent peccata sua. Et ipse homo posuit sibi illum locum quando peccavit. Unde autem est ploratio? quia lege nos afflixit; per quam cognovimus peccatum repugnare spiritui; adveniente enim mandato, peccatum revixit (*Rom.* VII). Unde et gemimus sub peccato conclusi. Quomodo ergo veniemus in locum quem posuit? ope ejus. Et an auxiliabitur? utique.

VERS. 7. — « Etenim benedictionem dabit legis« lator; ibunt de virtute in virtutem; videbitur « Deus deorum in Sion. »

Etenim, [Aug., Cassiod., Aug.] id est quia *lator legis* veteris, quæ in quinque porticibus quinque librorum Mosi habebat multitudinem ægrorum, quos non curabat, *dabit benedictionem* (*Joan.* V), evangelicæ gratiæ, quia post legem mortis veniet gratia justificans. Ecce Christus utriusque Testamenti auctor est, et quid præstat gratiæ benedictio? Ecce per eam *ibunt* fideles *de virtute in virtutem*, donec *videbitur Deus deorum in Sion*, quia per gratiam multæ virtutes dantur, de quibus omnibus venitur in Christum Dei virtutem et Dei sapientiam (*I Cor.* I), ut illis virtutibus secundum has actiones finitis, videatur Christus in Sion, id est in plenitudine contemplationis, sicut est Deus apud Deum, Verbum apud Patrem (*Joan.* I), qui est Deus deorum, id est Christianorum. Cogitatione autem horum gaudiorum redit iste ad suspiria, videns adhuc ubi sit. Et dicit:

PARS. III. VERS. 8. — Domine, Deus virtutum, « exaudi orationem meam; auribus percipe, Deus « Jacob. »

Domine Deus virtutum. [Alcuin., Cassiod., Gl. int., Aug] Tertia pars, ubi orat et humiliat se pro impetratione. Quasi dicat: Videbitur Deus in Sion, et ut videam, o *Domine Deus*, dator illarum *virtutum* per quas ascenditur ad te videndum. Vel Deus cœlestium virtutum, id est angelorum, quibus me sociari cupio, *exaudi orationem meam*, ut me illis socies, *auribus percipe* orationem meam, o *Deus Jacob*, ut in lucta me juves, sicut juvasti Jacob, quem fecisti Israel apparens ei, ex quo dictus est Israel (*Gen.* XXXII): sic fac et me Israel. Et o

VERS. 9. — « Protector noster aspice, Deus, et « respice in faciem Christi tui. »

Deus Pater, *Protector noster*, [Haym., Hier., Aug.] umbra alarum tuarum, *aspice*, id est genus humanum protege. Vel hoc per ipsum Christum. *Et respice in faciem Christi tui*. Quasi dicat: Si non propter nos, saltem quia sumus conformes imaginis Filii tui, respice nos. Ipse enim loquitur in nobis. Unde Apostolus: *An experimentum ejus quæritis qui in me loquitur Christus* (*II Cor.* XIII), et in vobis recipitur; sicut ipse ait: *Qui vos recipit me recipit* (*Matth.* X). Vel ita: Per faciem innotescimus aliis. Respice ergo in faciem Christi tui, id est fac Christum innotescere omnibus, ut possimus ire de virtute in virtutem. Nam Christum ipse

A Pater semper respicit, quod non hic orat. Et est sensus: fac præsentia Incarnationis Christum gentibus respici. Ideo oro,

VERS. 10. — « Quia melior est dies una in atriis « tuis super millia. »

Quia melior est dies una, [Cassiod., Aug.] immutabilis, scilicet sine ortu et occasu, cui non cedit dies tertius, quem non urget crastinus, quæ est *in atriis tuis*. Hæc sunt illa ad quæ suspirat, *super millia* dierum, quæ desiderant homines, id est super infinitos dies præsentes, qui finem habent. Propter quod?

VERS. 11. — « Elegi abjectus esse in domo Dei « mei, magis quam habitare in tabernaculis pecca« torum. »

B *Elegi*, [Alcuin., Cassiod., Aug.] et si possem regnare, *abjectus esse* opinione hominum, *in domo Dei*, id est in Ecclesia, non extra limen, sed in ea. Ecce quam dulce est fasce torcularis premi. Vel, elegi abjectus esse, id est humilis in valle lacrymarum. Invenit iste humilitatem qua ascendat, in domo Dei mei, id est in infirmo loco, unde vocetur superius (*Luc.* XIV), *magis quam habitare in tabernaculis peccatorum*, id est quam esse potens inter peccatores, id est in gloria sæculi. Ideo in domo Dei malo esse, quam alibi quia in ea dat misericordiam qua justificat, postea veritatem promissi præmii. Et hoc est,

VERS. 12. — « Quia misericordiam et veritatem « diligit Deus; gratiam et gloriam dabit Dominus. »

C *Quia Deus diligit misericordiam*, [Aug.] quia prius subvenit et indulget; *Et veritatem* qua postea coronat quam diligit, ut credenti daret quod promisit, diligit; *Et dabit gratiam*, hic. Unde Apostolus: *Gratia Dei sum id quod sum* (*I Cor.* XV), *et gloriam* ibi, id est in futuro. Unde idem Apostolus: *Superest mihi corona justitiæ* (*II Tim.* IV). Sed quibus dabit? His qui ambulant in innocentia. Et hoc est:

VERS. 13. — « Non privabit bonis eos qui ambu« lant in innocentia; Domine virtutum, beatus ho« mo qui sperabit in te. »

Non privabit. [Aug.] Vel ita continua; Quia dabit, ideo, *non privabit eos qui ambulant in innocentia* bonis spiritualibus. Cur ergo pro bonis terrenis deseritur innocentia? Quid lucratur? quid damnifi-
D catur? Habet lucrum auri, perdidit innocentiam. Quid ergo restat nobis in tempore pressuræ, ut illuc perveniamus? Sperare in Domino. Et hoc est quod dicit conversus ad Deum, quia non privabit. Ergo, o *Domine virtutum*, qui tanta facis, quæ dici non possunt, *beatus homo qui in te sperat*, [Cassiod.] id est qui spem ponit in æternis, non in occiduis. Paucis verbis omnia concludit.

COLLATIO IN PSALMUM LXXXIII: « QUAM DILECTA, » etc.

VERS. 3. — *Turtur nidum*. Hebraismi professores vertunt *hirundinem* pro *turture* דרור DEROR. Hieron. autem posuit *avem* generali nomine, qui etiam *turturem* in Commentariis interpretatur. Quod autem Faber probat magis *hirundinem* con-

gruere, eo quod nidis faciendis circa templa est frequens, de quibus mentionem faciebat psalmus, frigidum est, quia si ob illam accommodationem dicendum fuit *hirundo*, ubi D. Augustinus altiorem invenit adaptionem in *passere* et *turture*, ea lege potius *turtur* locum habebit, si non aliud obstet. Unde Chaldæus manifeste habet *turtur*. שפנינא SCHAPHNINA.

VERS. 6. — *Ascensiones in corde suo.* מסלות MESILLOTH interpretantur *semitas*. Paulo quidem distant *ascensiones* et *semitæ*, quia tamen radix unde est illud vocabulum, significat *elevare* et *exaltare*, סלל SALAL, cur non dicant interpretes *ascensiones ?* Nec ab hoc abhorruerunt interpretes pro Cajetano, dicentes post Rab. Da. *elevationes*. Translator in Campensi, metaphoram accepit quam voluit, pro *semitis* ponens *laudes*, nam et *exaltare* dicitur *laudare*. Hinc Nebiensis dicit *laudationes*.

189 *Disposuit in valle lacrymarum.* Hinc exordiuntur alium versum Hebr.; et translatores dicunt, *transeuntes per vallem fletus*, ut referas ad *semitas*, si libeat ex superioribus, aut intelligas homines qui *transeunt per vallem fletus*. LXX sic acceperunt, ut illud *transeuntes*, pertineat ad *ascensiones*. Quod si ad verbum reddendum fuisset, subaudire oportebat relativum, *cujus*, ut sit : *Beatus vir, cujus est auxilium abs te, et cujus ascensiones sunt in corde transeuntes*, etc. Sensum autem eumdem expresserunt dicentes, *disposuit ascensiones*. Sed quod arguebam, fecit hic Munsterus, siquidem ita reddidit : *Et quorum cordibus sunt semitæ, transeuntes*, etc. Cum Hebr. legatur, מסלות בלבבם עברי MESILLOTH BILBABAM OBRE, *semitæ in corde eorum transeuntes*.

In loco quem posuit. Hebr. aliter volunt, nempe *fontem ponent eam*, מעין ישיתוהו MAAIAN IESCHITHUHU. Sed cum testentur מעין MAAIAN, significare interdum *superficiem*, præter principalem significantiam, quæ est *oculi* vel *aspectus*, non video cur perperam vertissent LXX *locum*, qui haud dubie est philosophis superficies. Quod vero tempus verbi est diversum cum numero, nihil officit, dum sensum teneamus. Non enim boni interpretes serviunt syllabis.

VERS. 7.—*Etenim benedictionem dabit legislator.* Quia verbum עטה ATAH, ex Thesauro Sanctis, potest esse tum transitivum, tum intransitivum. Ob id Hier. et plerique alii transferunt passive, *benedictione* seu *benedictionibus amicietur doctor*. Quod si transitive enunties, dicas *benedictionem operiet* aut *benedictione amiciet*, ut subaudias, *eos qui participare habent benedictionem*. Sic autem *dare benedictionem*, eodem recidit. Longe lateque alium reddunt sensum Sanctes et Munsterus hoc pacto; *Piscinas operiet*, vel *occupabit pluvia*. Varietas perfecta est ex duobus vocabulis homonymis. Prius est ברכות BERACOTH, anceps est. Si quidem deflectas a ברך BEREC, id est *benedixit*, recte habes *benedictiones*, alias notat

A *scinas* et *vinaria*. Alterum vocabulum est מורה MOREH, ambiguum ad *legislatorem* et *pluviam*. Illi fruantur suis rabinis Judaizantibus, nos interim proxime sequimur lectionem ecclesiasticam.

Ibunt de virtute in virtutem. Vocula hic posita in Hebr. est polysona, חיל HAIL. Primo significat *virtutem*, quomodo usurpant LXX, Hieronymus, Nebiensis, Pratensis, Pellicanus, interpretes pro Cajetano, et paraphrasis Campensis ; secundo significat *exercitum*, quamobrem vertit Sanctes, *de exercitu in exercitum*, et Munsterus, *de caterva in catervam;* tertio, *divitias*: ob idque translator ad Campensem reddidit *de opulentia in opulentiam ;* quarto, murum. Exspectamus aliquem, qui post hos omnes vertat, *de muro in murum*. Denique secundum aliquos significat interdum *fossam civitatis*. Ergo surgat novus. Hebraicator, et dicat, *de fossa in fossam*. Itaque nihil reportabimus, nisi confusionem et contentionem. Chaldæus paraphrastes habet, *a domo*
B *sanctuarii ad domum studiorum*.

VERS. 11. — *Elegit abjectus esse in domo Dei mei.* Consentit Hieronymus, Chaldæus, Nebiensis, et Pellicanus. Aliter volunt cæteri, *elegi* sive *malui limen tenere in domo Dei mei*, הסתופף HISTOPHEPH esto significet *in limine manere*. Certe nostri interpretes eleganter metaphoram explicuerunt ; vilibus enim personis permittitur ad limen utrumque stare, interiora autem domus atque secretiora perlustrare simul et habitare non admittuntur nisi familiares et honorifici. Hunc tropum aliter expressit translator ad Campensem. *Malo*, inquit, *ostiarius esse domui Dei mei*.

VERS. 12. — *Quia misericordiam et veritatem diligit Deus.* In Hebr. habetur שמש ומגן יהוה אלהים כי KI SCHEMESES UMAGEN ADONAI ELOHIM, id est *sol et scutum Dominus Deus*. Vel me tacente, hæc locutio metaphorica loquitur mysterium, quod sancte et
C erudite LXX aperuerunt, per solem nobis misericordiam insinuantes, juxta illud Lucæ VI : *Estote misericordes, sicut Pater vester cœlestis misericors est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos*. Scutum autem quid melius sonat quam Dei veritatem insuperabilem? « *Scuto*, inquit, *circumdabit te veritas ejus* (*Psal.* XC).

VERS. 13. — *In innocentia.* Posses suspicari non satis apte istud interpretes reddidisse propter verba Hieronymi in Commentario hujus loci. » Melius, inquit, habet in Hebr., *in perfectione*. Innocentia enim non est perfecta virtus, quoniam qui innocens est, nisi habeat prudentiam, non est perfectæ consummatæque virtutis. Propterea dicit etiam in Evangelio : *Estote prudentes sicut serpentes, et simplices ut columbæ* (*Matth.* X, 16). » Hæc ille. Quæ profecto non debent te movere, cum eamdem dictionem, vel similem ipse Hieronymus ex Hebræo verterit *innocentiam*. Nempe, Job II, מחזיק בתמתו MAHAZIQ BETUMMATHO.

PSALMUS LXXXIV.

PSALMI TITULUS : « IN FINEM FILIIS CORE, PSALMUS. »

Benedixisti Domine. Titulus : *In finem filiis Core, psalmus.* [Cassiod., Alcuin., Aug., Alcuin.] Psalmus iste tertius est de primo adventu per quem fit benedictio omnium gentium, quæ per peccatum Adæ maledictioni subjacebant. Et est sensus : *Psalmus iste dirigens nos in finem*, id est in Christum, per quem fit benedictio, *filiis Core*, id est nobis, certatur, agens de nova benedictione data per Christum. Intentio : [Alcuin.] Monet per fidem ad Christum ac-
D cedere, ut habeatur benedictio. Modus : [Cassiod.] Tripartitus est psalmus. Primo agit de aversione iniquitatis. Secundo agit de aversione iræ, ibi, *mitigasti*. Tertio dicit unde sit, et per quem fiat, et quæ præstet, ibi, *audiam quid loquatur*. [Haym.] Maledictioni ergo Adæ de qua dictum est : *Maledicta terra in opere tuo* (*Gen.* III), opponens benedictionem Christi, ait, o

VERS. 1. — « Benedixisti, Domine, terram tuam : « avertisti captivitatem Jacob. »

Domine benedixisti, [Haym., Aug.] olim quidem maledixeras; sed nunc *benedixisti terram tuam* secundum Christum, per quem fit benedictio; et per eum *avertisti captivitatem* quæ erat sub diabolo, quia lex membrorum captivabat homines. Captivitatem dico *Jacob*, id est novi populi.

Vers. 2. — « Remisisti iniquitatem plebis tuæ: « operuisti omnia peccata eorum. »

Remisisti. [Aug., Gl. int., Aug.] Nota quod futura dicit, ut præterita sic avertit, quia dedit veniam. Et hoc est *iniquitatem plebis tuæ*, quæ iniquitas tenebat hominem captivum, *remisisti*, ne regnet peccatum in hoc mortali corpore (*Rom.* vi). *Operuisti* per baptismum, ne videres, id est punires *omnia peccata eorum*.

Pars. ii. Διαψαλμα. Vers. 3. — « Mitigasti omnem « iram tuam; avertisti ab ira indignationis tuæ. »

Mitigasti. [Cassiod., Haym., Aug.] Secunda pars, ubi agit de aversione iræ, id est pœnæ. Quasi dicat: Benedixisti, remisisti, et sic *mitigasti omnem iram tuam* quæ est hic; *avertisti*, id est avertes nos penitus in judicio; *ab ira indignationis tuæ*, id est quæ venit ex indignatione tua, et quoniam de futuro ista dicuntur, quamvis verba præterita sint.

Vers. 4. — « Converte nos, Deus salutaris noster, « et averte iram tuam a nobis. »

Converte nos a vitiis, *Deus salutaris noster*. [Aug.] Quasi dicat: Quod dixi ut præteritum, oro ut fiat: petit quod adhuc futurum sciebat. Prophetice ergo dixit ut præterita. Hic autem orat ut vere futura, dicens: Converte et averte; quasi dicat: Dixi quasi facta, quia certissime video futura. Et quia nondum sunt, oro ut fiat. Converte nos a vitiis, Deus salutaris noster, *et* sic *averte iram tuam a nobis*.

Vers. 5. — « Nunquid in æternum irasceris « nobis, aut extendes iram tuam a generatione in « generationem. »

Nunquid enim in æternum irasceris nobis. [Aug., Cassiod., Aug.] Ira Dei est omnis pœna quam patimur, sicut dictum est Adam, quando peccavit: *Maledicta terra in opere tuo, et in labore et in sudore vultus tui vesceris pane tuo* (*Gen.* iii). De ira ergo mortales sumus et passibiles, sed innovati in Christo. Prævidet iste hanc pœnam transituram. Sicut enim in *Adam omnes moriuntur, sic et in Christo omnes vivificabuntur* (*I Cor.* xv), *aut extendes iram tuam a generatione* quæ fuit ab Adam usque ad Christum *in generationem* quæ est sub gratia baptismi tempore Filii. Non huic enim generationi reseratus est aditus regni cœlorum, qui fuit occlusus veteri generationi. Vel prima generatio est præsens, quæ carnaliter ex Adam nascitur, quæ fuit mortalis de ira. Omnes enim traximus pœnam ab eo et culpam. Ideo quidquid evenit ipsi Adam, secutum est et nos ut moreremur: omnes quippe in illo fuimus, A quando peccavit. Ea enim peccata parentum non pertinent ad filios, quæ faciunt parentes, jam natis filiis. Ira ergo Dei est vindicta Dei, quam sentit prima generatio. Sed quia futurum erat ut regeneraremur, et credendo novi efficeremur, et in resurrectione omnis mortalitas absumeretur, et plena novitas repareretur. Erit in futuro altera generatio immortalis de misericordia Dei, in quam, non extendetur ira, sed nec hanc misericordiam mereremur conversi per nos ad Deum. Ipse enim convertit nos.

Vers. 6. — Deus tu conversus vivificabis nos; « et plebs tua lætabitur in te. »

Deus, tu conversus, vel convertens. [Aug., Cassiod., Alcuin., Aug.] Quasi dicat: Non extendes B iram tuam, sed potius, *Deus tu convertens*, alia littera, *vivificabis nos*. Quasi dicat: Sicut est vivificatio a te, ita et conversio. Prius enim dat Deus votum conversionis, postea ad vitam ducit. Vel secundum litteram nostram, Deus tu conversus ab ira tua, in adventu Filii tui, vivificabis nos spe tanto tempore, antequam res habeatur; *et* tunc *plebs tua lætabitur in te*, quæ prius in se male lætabatur. Male lætatur quis in alia re. Malo ergo suo lætabatur in se; bono suo lætabitur in te. Ut autem hoc fiat.

Vers. 7. — « Ostende nobis, Domine, misericor- « diam tuam; et salutare tuum da nobis. »

Ostende nobis, *Domine misericordiam tuam*, C [Cassiod., Alcuin.] id est Christum tuum corporaliter et spiritualiter. Et hoc orando prædixit Propheta antequam fierent, sed modo jam factum est ex parte. Sunt tamen multi qui nolunt sanari, ut spiritualiter videant misericordiam jam ostensam. Sed quomodo cæci videbunt etiam ostensam. Bene si velint, quia ipsa lux quæ ostenditur eis est et salutare. Unde addit, *et salutare tuum da nobis*. (121) Medicus homo caliganti lumen ostendit. Sed aliud est lumen, aliud est medicus; Christus et lux est, quæ ostendit misericordiam, id est seipsum; et salutare, id est medicus, quia sanat oculos interiores ut videri possit ostensa misericordia, vel lux, quæ est Christus. Ipse enim dixit: *Qui diligit me, mandata mea custodit, et ego diligam eum, et ostendam illi meipsum* D (*Joan.* xiv). Sed nonne illi videbant eum quibus loquebatur? Quomodo dicit: Ostendam meipsum illi? Sed caro carnem Christi videbat, divinitatem non videbat cor. Ad hoc autem caro carnem vidit, ut per fidem cor mundaretur, unde Deus. Unde dicitur: *Fide mundans corda eorum* (*Act.* xv); et illud: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* v). Christus autem dicitur misericordia, quia ostendit nobis misericordiam, docens quidquid boni habet homo ex Deo; et sic homo non superbit: et sic et homo Deo esse fruens lætatur in eos. Vel aliter petit ostendi iste sibi spiritualiter tantum Christum, cum ait: Ostende nobis, Domine, mise-

(121) Ex Aug. in præfatione. Psal.

ricordiam tuam. Sciebat quidem Christum venturum, sed petit ut mundo corde intueamur, non oculis corporeis, ut et infideles. Judæi enim viderunt et crucifixerunt; et in futuro, salutare tuum da nobis, id est Christum amplectendum, **190** possidendum, ut non tollatur amplius a nobis, et legitur hoc partim de præsenti, partim de futuro

PARS III. VERS. 8. — « Audiam quid loquatur in « me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in « plebem suam. »

Audiam. [Cassiod., Alcuin., Gl., int.] Tertia pars, ubi dicit unde scit ista et per quem fiat quod precatur, et quæ præstet ipse veniens. Quasi dicat: Unde hoc confidis quod precaris? quia *audiam* adversus a strepitu mundi qui inquietat foris *quid loquatur in me* interius Dominus Deus, [Aug., Cassiod., Gl. int.] scilicet Spiritus sanctus, *quoniam loquetur pacem* æternam, cui nihil adversi est. Unde: *Qui posuit fines tuos pacem* (*Psal.* CXLVII). [Aug., Alcuin., Haym.] Ibi enim non est macula in luna. Ibi etiam non transibit Belial: quæ pax non est hic. Vel loquitur pacem, id est Christum, id est pacem ad Deum et proximum per Christum *in plebem suam* Judaicam.

VERS. 9. — « Et super sanctos suos, et in eos qui « convertuntur ad cor. »

Et super sanctos. Hæc est sua plebs, et etiam in eos, vel super eos omnes, qui de omni gente convertuntur ad cor, quia ratione excesserant. Vel secundum aliam litteram, *qui convertunt cor*, (Aug.) ad ipsum, non ad alium, vel ad aliud.

VERS. 10. — « Verumtamen prope timentes eum « salutare ipsius, ut inhabitet gloria in terra no« stra. »

Verumtamen. [Gl. int., Aug.] Quasi dicat: Pacem loquetur super omnes, tamen ex Sion species decoris ejus. Et hoc est: *Verumtamen salutare ipsius* Dei, id est Christus corporaliter erit *prope timentes eum,* id est Judæos qui eum timebant. Ubique enim dæmonia colebantur, timebantur. In gente autem Judæorum Deus timebatur, Deus colebatur, licet pro terrenis. His prope erat, non gentibus, quæ hæc petebant a diabolo. Licet ergo generalis sit misericordia super omnes, tamen aliquid spirituale et proprium in gente Judæorum factum est. Unde subdit: *ut in terra nostra,* in qua natus sum, dicit Propheta, *inhabitet gloria.* Ibi enim fuit primo templum, sacrificia Dei, ibi patriarchæ, ibi Christus de eis natus, ibi apparuit Christus, ibi innumera fiunt mirabilia. Vel ita continua: [Alcuin.] licet super omnes loquatur pacem, verumtamen salutare ipsius, id est salvatio, quæ per ipsum est, erit prope timentes eum, id est tantum his qui dum stant, videant ne cadant, talis utique, ut inhabitet gloria, immortalitatis, *in terra nostra,* id est in corpore nostro, modo mortali.

VERS. 10. — « Misericordia et veritas obviaverunt « sibi; justitia et pax osculatæ sunt. »

Misericordia et veritas. [Cassiod., Aug., Alcuin.] Postquam dixit ex qua gente nasciturus sit Chris-

A tus, addit, quæ sit præstiturus. Quasi dicat: Christus est prope timentes se, *et misericordia,* quæ est in Novo Testamento manifestata in gentibus quæ longe erant, *et veritas,* id est impletio promissionum Veteris Testamenti, quæ sunt impletæ in Judæis qui prope *obviaverunt sibi,* id est, convenerunt in Christo. Unde Apostolus ait: *Dico enim Jesum Christum ministrum fuisse circumcisionis ad implendas promissiones Patris, gentes autem super misericordia honorare Deum* (*Rom.* XV). Et alibi *Evangelizavit pacem his qui erant longe et pacem his qui erant prope* (*Ephes.* II). *Justitia et pax* cum Deo *osculatæ sunt,* [Aug., Alcuin.] id est conveniunt in hominibus. Amant enim se hæc duo, ut qui facit justitiam inveniat pacem, et non aliter. Sed quomodo hæc facta
B sunt? Ecce quomodo, et per quid?

VERS. 11. — « Veritas de terra orta est, et justi« tia de cœlo prospexit. »

Veritas orta est de terra, et justitia de cœlo cœlorum *prospexit,* [Aug.], id est Christus de femina natus est ut justitia de cœlo prospiceret, id est ut justificarentur a Deo homines. Sic enim veritas habet, quod pro justificandis offerret. Vel, veritas de terra orta est, id est confessio de homine peccatore nata est, ut se accuset, cinerem et terram se esse cognoscens, cui dictum est: *Terra es et in terram ibis* (*Gen.* III) Et sic, justitia de cœlo cœlorum prospexit, sicut publicanus confitens rediit justificatus. Prospicit justitia de cœlo, quasi dicat Deus, parcamus huic, quia non sibi parcit, ignoscamus huic, quia agnoscit
C peccatum suum. De cœlo ergo justitia prospexit, id est a Domino Deo data est justificatio pœnitenti, de cœlo est justitia.

VERS. 12. — « Etenim Dominus dabit benigni« tatem; et terra nostra dabit fructum suum. »

Etenim Dominus dabit benignitatem, [Aug.] vel suavitatem, id est affectum bonum, ut delectet bene agere quæ non possumus aliter habere nisi det; *et* sic *terra nostra dabit fructum suum,* id est bona opera. Vere dabit benignitatem, quia

VERS. 13. — « Justitia ante eum ambulabit, et « ponet in via gressus suos. »

Justitia ante eum ambulabit, [Alcuin., Aug., Hier.] id est accrescet, vel præcurret, *ante eum,* parans ei
D viam. Prima hominis justitia est ut puniat se malum, et faciat se bonum. Et hæc est via Deo, ut veniat ad eum. Qui enim peccata sua odit, jam incipit esse similis Deo, qui ea odit. Fac ergo te similem Deo, et para ei viam in confessione peccatorum, unde Joannes ait: *Parate viam Domino* (*Matth.* III), confitendo et pœnitendo. Unde Isaias ait: *Ejicite lapides de plateis* (*Isa.* LVII), id est peccata de cordibus vestris. Et ipse Dominus, veniens et visitans, *ponet in via* sic parata *gressus suos.* Impolluta namque via ejus est, et nos ergo ejicientes lapides, spinas et tribulos de cordibus nostris, paremus viam Domino, imponentes vestimenta nota nostra cum apostolis super asinam cui insedit salvator, atque cum turba sternentes viam vestimentis ramisque arborum et

floribus atque cum eis clamemus : *Hosanna filio David* (*Matth.* XXI).

COLLATIO IN PSALMUM LXXXIV : « BENEDIXISTI, » etc.

VERS. 1. — *Benedixisti, Domine, terram tuam.* Hieronymus, *placatus es, Domine, terræ tuæ*; Pratensis, *dilexisti, Domine, terram tuam*; Pellicanus, *complacuit tibi, Domine, terra tua*; Sanctes, *complacuisti, Domine, terræ tuæ*; Munsterus, *benignus factus es, Domine, erga terram tuam*; interpretes pro Cajetano, *voluisti, Domine, terram tuam*; translator apud Campensem, *propitius sis, Domine, terræ tuæ*; Paraphrasis, *reconciliatus es, Domine, terram tuam*; Chaldæus et Nebiensis, *voluntas tua, Deus, ad terram tuam.* Quam recte Septuaginta reddiderunt verbum רצית RATZITHA, ostendit Hieronymus ad Suniam et Fretellam, ubi etiam confitetur se Latinum fecisse quod habet Vulgata editio : « *Benedixisti, Domine, terram tuam*, pro eo quod est, *benedixisti*, in Græco scriptum dicitis εὐδόκησας, et quæritis quomodo hoc verbum exprimi debeat in Latino. Si contentiose verba scrutamur et syllabas, possumus dicere *bene placuit, Domine, terra tua*, et dum verba sequimur, sensus ordinem perdimus. Aut certe addendum est aliquid, ut eloquii ordo servetur; et dicendum, *complacuit tibi, Domine, terra tua.* Quod si fecerimus, rursum a nobis quæretur quare addiderimus *tibi* cum nec in Græco sit, nec in Hebræo. Eadem igitur interpretandi sequenda est regula, quam sæpe diximus, ut ubi non sit damnum in sensu, linguæ in quam transferimus εὐφωνίαet proprietas, et elegantia conservetur. » Hæc sancti viri edissertio, multarum versionum κακοζηλίαν confutat.

VERS. 6. — *Deus tu conversus.* Magister duplicem refert et exponit lectionem, *convertens* vel *conversus.* Active legit Augustinus, et psalmodia Romana, Hieronymus ac Nebiensis juxta Hebræos *revertens.* Neoterici Hebraicantes reddunt per passivum nobiscum. Certe Hebræi dicunt תשוב TASCHUB nunc esse A transitivum, nunc intransitivum. Græce habetur ἐπιτρέψας active quanquam in Matth. XIII. Inveniamus ἐπιτρέψωσι, id est *convertantur*, quod est ex Isa. cap. VI, nisi velis subaudire *se*, ut sit *convertant se.* Verum eadem opera poteris id facere in *convertens.*

VERS. 9. — *Et in eos qui convertuntur ad cor.* Hieronymus et cæteri, *ne revertantur* aut *convertantur ad stultitiam.* Hic palam Septuaginta accepisse אל EL, loco אל AL, quæ voculæ citra punctorum scripturam nusquam distant. Prior sonat *isti*, altera *ne* vel *non.* Rursus diremerunt לכסלה LECISLAH, in duas dictiones, videlicet לב LES, per beth, id est *cor*, et *non* per caph. In quorum elementorum commutationem, proclivior est transitus, ob propinquam cognationem. Et item סלה SELAH, quod est diapsalma, in psalmis solet manere non versum, de quo nonnihil supra attigimus. Ob idque interpretes duntaxat verterunt B priores particulas, relicto SELAH. Et ut clarius lector agnoscat utramque lectionem, utramque ducimus. Nunc sic habemus אל ישיבו לכסלה AL JASCHUBU LECISLAH. Septuaginta sic אל ישובו לב סלה EL JASCHUBU LEB SELAH.

VERS. 11. — *Misericordia et veritas obviaverunt sibi.* Cur additum sit in Latino pronomen sibi explicuit Hieronymus ad Suniam et Fretellam. « Dicitis quod in Græco sibi non habeatur ἔλεος καὶ ἀλήθεια συνήντησαν, id est *misericordia et veritas concurrerunt*, nec in Hebræo habetur. Et apud Septuaginta obelo prænotatum est. Quæ signa dum per scriptorum negligentiam a plerisque quasi superflua relinquuntur, magnus in legendo error oboritur. Si autem non fuerit additum *sibi misericordia et veritas*, non sibi, sed alii occurrisse credentur, nec *justitia et pax* sibi dedisse osculum, sed alteri. » Hactenus ille. Certe recentiores ferme omnes addiderunt *sibi*, cum simpliciter Hebr. habeatur נפגשו NIPHGASCHU.

PSALMUS LXXXV.

PSALMI TITULUS : « ORATIO DAVID. »

Inclina Domine, Titulus : *Oratio David.* [Cassiod., Aug., Cassiod., Alcuin.] Psalmus iste secundus est eorum qui nomine orationis intitulantur. In quo psalmo.

Christus Dei Filius et hominis, unus Deus cum Patre, unus homo cum hominibus, orat in forma servi, qui orat a nobis in forma Dei. Orat enim pro nobis et orat in nobis, et oratur a nobis : Orat enim pro nobis ut sacerdos noster; orat in nobis, ut caput nostrum; oratur a nobis, ut Deus noster. Christi autem oratio fidelium est instructio, cujus omnis actio Christiani est lectio. Nostra autem oratio peccatorum est ablutio. Sic oravit Christus, sicut et crucem tulit, scilicet pro nostra, non pro sua necessitate, sicut et flevit Lazarum, [Cassiod., Aug.] ut doceret nos habere charitatem proximi, sicut et fugit, ut comprimeret audaciam stultæ et inconsultæ temeritatis. Et est sensus : *Oratio* ista attribuitur *David*, id est Christo toti. Hoc enim dicit Christus in nobis, et nos in illo, quia vox ista convenit capiti et corpori. Intentio : Monet ad orationem. Modus : Tripartitus est psalmus. Primo orat ascendendo : inde concludit omnes gentes adoraturas. Secundo orat pro omnibus jam adorantibus, ibi, *deduc me.* C Tertio orat pro se, faciens mentionem passionis et resurrectionis, ibi, *Deus iniqui.* Christus ergo in forma servi humiliter ad Patrem orans, ait : O

VERS. 1. — Inclina, Domine, aurem tuam, et « exaudi me, quoniam inops et pauper sum ego. »

Domine, [Aug., Cassiod.] qui altus es, *inclina* mihi infirmo *aurem tuam*, id est clementiam. Humili appropinquat Deus, non superbo. *Et exaudi me*, comple desideria mea. Ideo inclina, *quoniam ego sum inops*, ab alio non habens opem, *et pauper* per me. Tali inclinat Deus; diviti non inclinat.

VERS. 2. — « Custodi animam meam, quoniam « sanctus sum; salvum fac servum tuum, Deus « meus, sperantem in te. »

Custodi, [Aug.] quasi in hoc : Audi me, dicit D Christus **191** adjuncta sibi voce corporis, *custodi* ab omnibus scandalis *animam meam* contra insidiatores, quoniam sanctus sum. Hoc proprie convenit Christo : Christus enim proprie sanctus est, scilicet sanctificans, sui etiam sunt sancti, scilicet sanctificati in baptismo juxta illud. *Sancti estote, quia et ego sanctus sum* (*Levit.* XIX). Totus itaque Christus sanctus, et unus sanctus; sed aliter caput, aliter membra. Totus ergo Christus non incongrue dicit, quoniam ego sanctus sum. Non est autem hoc dicere

superbia elati, sed confessio non ingrati. *Deus meus, salvum fac*, [Cassiod., Gl., int., Aug.] quia non ex homine salus, *servum tuum* non liberum suum, ut fuit Adam, *sperantem in te*, non est superbus sanctus.

Vers. 3. — « Miserere mei, Domine, quoniam ad te « clamavi tota die ; lætifica animam servi tui, quo« niam ad te, Domine, animam meam levavi. »

Miserere mei, Domine, quoniam ad te clamavi, [Aug., Hier., Aug., Alcuin.] non una tantum, sed *tota die*, id est omni tempore. *Lætifica animam servi tui*, in passione tristem, *quoniam levavi* ipsam *animam meam*, quam affectus bonus levat. Affectus quippe gradus est ; iter tuum voluntas tua est. Ascendis amando, descendis negligendo. Stans in terra, in cœlo es, si diligas Deum. Non enim sic levatur cor, quomodo corpus levatur mutatione loci ; cor vero mutatione voluntatis. Quo levavi ? [Ad te, Domine], ubi lætitia est in terra, amaritudo. Vide ascensum, scilicet qualiter orando ascendit : Prius dicitur pauper, inde sanctus, deinde sperans, postea clamans tandem levatus ad Deum. Congrua est verborum collatio. Inclina pauperi, custodi sanctum, salva sperantem, miserere clamantis, lætifica levatum.

Vers. 4. — « Quoniam tu, Domine, suavis et mi« tis ; et multæ misericordiæ omnibus invocanti« bus te. »

Quoniam tu, Domine. [Aug.] Quasi dicat : Levavi animam, ideo *quoniam tu, Domine, suavis es* tuis, et ita potui animam levare. Et quia suavis es, ideo jucunda me affectum tædio mundanæ amaritudinis, *et mitis*. His quos exspectat portans hominem, donec perficiat eum, quia ariolaret a se, nisi a Domino portaretur. Multa enim aguntur in corde humano, quibus male movetur. Quemadmodum implorationes impediuntur vanis cogitationibus, ita ut vix stet cor ad Deum suum, ita ut loquatur ei orando. Quando enim oras, Deo loquereris. Quando legis, Deus loquitur tibi. Subrepentibus autem phantasmatibus malarum cogitationum quodammodo cor hominis fugit a se, nec invenit cancellos, quibus se includat, aut obices quibus retineat avolationes suas et vagos motus. Contra quod David dicit : *Inveni cor meum ut orarem ad te* (*IV Reg*. vii). Quod solum audit Deus. Invenisse se dicit cor suum, quasi soleret ab eo fugere, [Alcuin., Aug.] et ille sequi quasi fugitivum quod invenit homo, quando morientibus muscis ejectis, quæ perdunt suavitatem unguenti (*Eccle*. x) totus affectus cordis ad orandum Deum colligitur. Portat autem Deus hominem et exspectat, dum vagatur *multæ misericordiæ* es, contra abundantem iniquitatem nostram, *invocantibus te*, non aliud a te, *omnibus* nullus excipitur, ideo

Vers. 5. — « Auribus percipe, Domine, oratio« nem meam, et intende voci deprecationis meæ. »

Auribus percipe orationem meam. [Aug., Cassiod.] Magnus orantis affectus hic ostenditur, id est non exeat de auribus tuis, fige illam ibi. Vide ordinem orationis, prius fuit ut vox supplicationis ascenderet, A cum dixit : *Inclina aurem* ; deinde rogatus, audiret cum dixit : *Exaudi me* ; nunc vero addit dicens, *auribus percipe orationem meam*. Non transitorie petit suscipi, sed quasi in sinu Dei recondi, sicut per aures aliquid infigitur cordi. Unde subdit : *Et intende voci deprecationis meæ*. Ut quasi intentus animus tuus aperiat tuum auditum meæ deprecationi. Deinde causa audiendi supponitur :

Vers. 6. — « In die tribulationis meæ clamavi « ad te ; quia exaudisti me. »

Clamavi ad te in die tribulationis meæ. [Aug., Cassiod., Alcuin.] Quæ tribulatio semper est in peregrinatione, donec Deus seipsum det vivendum. Vel in die tribulationis, id est quando adversitas imminet, quando enixius clamabitur, supra dixit, *clamavi tota* B *die*. Hic facit augmentum, quia magis in tribulatione clamatur. Deinde quare clamaverit, subdit, *quia exaudisti me*. Ideo se dicit clamasse, quia exauditus est cum clamor soleat præcedere exauditionem. Et est ista perversio congrua in sanctis, qui et ante clamorem et post exaudiuntur.

Vers. 7. — « Non est similis tui in diis, Domine ; « et non est secundum opera tua. »

Vers. 8. — « Omnes gentes quascunque fecisti « venient, et adorabunt coram te, Domine, et glo« rificabunt nomen tuum. »

Non est similis. [Aug., Haym., Cassiod., Aug.] Ordo : Et quia exaudisti, *omnes gentes, quascunque fecisti, venient et adorabunt coram te, Domine*, id est venient omnes a suo cultu ad cultum tuum. Si est C gens quam non fecit Deus, illa non adorabit Deum. Nulla est autem quam non fecit Deus, quia fontem omnium gentium Adam et Evam fecit. Unde propagatæ sunt omnes gentes, per hæc verba annuntiat Ecclesiam ubique diffusam, quod modo impletum est. Et nota quia, ut ait Scriptura, in lata gente gloria regis est ; in diminutione populi est contristatio principis. *Et glorificabunt nomen tuum*, id est prædicabunt, quam nominabilis es. Vel secundum aliam litteram : *Honorabuntur ex tuo nomine*, ideo venient et glorificabunt, quia non est similis tui in diis, Domine ; et non est secundum opera tua. Quocunque modo accipiantur dii, *Non est qui similis sit tui*, in essentia vel in operatione. Gentes ergo non invenientur in diis suis similem tibi in esD sentia, vel operatione. Deinde singula singulis reddit. Non est similis tibi,

Vers. 9. — « Quoniam magnus es tu, et faciens « mirabilia : tu es Deus solus. »

Quoniam magnus es tu, [Gl. int., Aug.] quod non alius. Non est secundum opera tua, *et*, id est quia, *tu es faciens mirabilia*, ergo *tu es Deus solus*, nullus alius. Vel secundum aliam litteram : *Tu es Deus solus magnus*. Hoc dicit contra futuros, qui se dicerent altos a se, non a Deo. Nam quid magnum dicitur Deo ? Nihil Sed quia futuri erant qui se dicerent magnos, et Deum facerent parvum, contra illos dicitur, Tu es Deus solus magnus.

Pars. ii. Vers. 10. — « Deduc me, Domine, in

« via tua, et ingrediar in veritate tua ; lætetur cor « meum, ut timeat nomen tuum. »

Deduc me, Domine. [Cassiod., Gl. int., Aug.] Secunda pars ubi orat pro omnibus jam adorantibus. Et loquitur in membris. Quasi dicat : Gentes venient : quod ut possint, o *Domine, deduc me,* non dico ad viam, quia non sum extra viam, sed jam positum *in via tua* deduc me, ne labar. Aliud est duci ad viam, aliud deduci in via : quod est adjuvari, ne in ea cadat. Ubique egent homines, sive sint in via, sive extra. Via autem Christus est qui dicit : *Ego sum via, veritas et vita* (*Joan.* XIV). Unde subdit : *Et ingrediar*, vel ambulabo, id est proficiam ulterius te ducente *in veritate tua*, hæc est via. Et inde *Lætetur cor meum*, ita tamen *ut timeat nomen tuum*. In timore mundano præcedit causa periculi, vel angustiæ ; sed in timore Dei, lætitia præcedit, utraque miscenda sunt ut sub spe timeamus, et sub timore lætemur. Timor enim est in jucunditate, nunc in futuro jucunditas sine timore erit, ubi erit plena securitas quæ non modo est. [Alcuin.] Jucunditas modo trahit ; timor a via recedere non sinit. Utraque ergo sunt habenda. Hæ sunt duæ molæ, inter quas molitur Christianus, ut fiat panis Christi, scilicet spes et timor. Unde in Deuteronomio dictum est : *Non accipias loco pignoris superiorem vel inferiorem molam* (*Deut.* XXIV). Superior mola, spes est ; inferior mola, timor est. Non ergo hæc sine illa accipienda. Qui enim sperat et non timet, negligens est. Qui autem timet et non sperat, depressus est.

VERS. 11. — « Confitebor tibi, Domine Deus « meus, in toto corde meo, et glorificabo nomen « tuum in æternum. »

Confitebor tibi, Domine Deus meus. [Gl. int., Cassiod.] Quasi dicat : Deduc me, et deductus *confitebor tibi in toto corde meo.* Ille in toto corde confitetur, qui totam spem ponit in Domino. *Et glorificabo* cum sanctis *nomen tuum in æternum,* id est in æterna beatitudine,

VERS. 12. — « Quia misericordia tua magna est su« per me ; et eruisti animam meam ex infermo infe« riori. »

Quia misericordia tua magna est, [Gl. int., Aug.] et hoc *super me*, juxta illud : *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est* (*Jac.* I). Et est : *Et* in hoc magna misericordia est, quia *eruisti animam meam ex inferno inferiori*, per hoc quod dicit *ex inferno inferiori* intelligimus tanquam duo inferna esse, inferius et superius. Nam unde infernum inferius dicitur, nisi quia est infernum superius ? Cœlestis ergo est habitatio angelorum, ubi est vita ineffabilium gaudiorum. Ubi immortalitas et incorruptio superna est. Terrena vero habitatio, ubi est caro et sanguis, decessio et successio, mutabilitas et mortalitas. Infernus est ab hac terrena habitatione, id est ab inferno itur in infernum inferius, unde eruit Dominus animas misso Filio. Etenim propter ista duo inferna missus est Filius Dei, undi-

A que liberans : ad hoc infernum missus est nascendo, ad illud moriendo. Vel fortassis, in ipso et aliqua pars impiorum inferior, unde dives qui torquebatur in inferno, levat oculos ad Abraham, qui cum aliis justis erat, quasi in ora et in limbo inferni, ubi visus est a divite qui erat in inferiori parte inferni (*Luc.* XVI), ad quam descendunt qui plurimum peccaverunt a qua liberatur, qui a peccatis liberatus illuc non mittitur. Hæ autem sunt opiniones, non assertiones.

PARS III. VERS. 13. — « Deus iniqui insurrexerunt « super me, et synagoga potentium quæsierunt ani« mam meam, et non proposuerunt te in conspectu « suo. »

Deus iniqui. [Cassiod., Alcuin., Aug.] Tertia pars,
B ubi idem pro se orat, facta hic mentione passionis suæ et gloriæ. Unde habent hi, pro quibus oravit, multam misericordiam, et eruuntur de inferno. Quasi dicat : Magna est misericordia tua, eruisti de inferno. Tamen, o Deus iniqui, id est pervetentes legem tuam, scilicet Judæi, *insurrexerunt super me*, ut reum me dicerent. Vel, super me, totum Christum. *Et synagoga potentium*, id est congregationes superborum, *quæsierunt animam meam* dolosis consiliis, [Cassiod., Aug.] Deinde addit quod sceleratis mentibus semper provenit, dicens : *Et non proposuerunt te in conspectu suo*, id est non intellexerunt Deum, ut homini parcerent. Ipsi ita.

VERS. 14. — « Et tu, Domine Deus, miserator et « misericors, patiens et multæ misericordiæ, et
C « verax. »

Et tu, Domine, miserator, [Cassiod.] actu, *et misericors* natura, *patiens* malos exspectans, *et multæ misericordiæ* conversis, *et verax* in promissis. Vel verax, id est meritis respondens.

VERS. 15. — « Respice in me, et miserere mei ; « da imperium tuum puero tuo, et salvum fac fi« lium ancillæ tuæ. »

Respice in me [Cassiod., Aug., Gl int.] homine *et miserere mei* mortalis *et da imperium tuum*, id est potestatem judicii, *puero tuo*, innocenti mihi Christo. Quasi dicat : Transeat tempus patientiæ, veniat tempus judicii. Et *salvum fac*, id est suscita a morte, *filium ancillæ tuæ*, id est Mariæ, quæ dixit ; *Ecce ancilla Domini*, etc. (*Luc.* I.) Potest etiam hoc de membris
D Christi dici, da imperium tuum puero tuo, **192**, id est sanctis, quia non tantum Christus, sed etiam sancti sedebunt judices ((*Matth.* I), qui sunt filii ancillæ, id est Ecclesiæ. Et salvum fac filium ancillæ tuæ, quasi quod dabis sanctis permaneat.

VERS. 16. — « Fac mecum signum in bono, ut « videant qui oderunt me, et confundantur ; quo« niam, tu Domine, adjuvisti me, et consolatus es « me. »

Fac signum resurrectionis, [Aug., Alcuin., Cassiod.] scilicet signum Jonæ prophetæ, quod jam in capite factum est (*Matth.* XII), fiet autem et in membris, id est fac insignem resurrectionem capitis et membrorum. Fac dico, et hoc *mecum*. Quasi di-

cat : Ego Deus, tecum facio. Nam Christus secundum quod Deus resuscitavit se hominem, fac autem signum, *in bono* vel nunc, id est ut aliis prosit. Resurrectio enim signum est in bono, per quam et virtus Dei declaratur, et spes credentium confirmatur. [Aug., Cassiod]. Et ideo fac ut Judæi qui oderunt me videant, hoc, *quoniam* tu, *Domine*, *adjuvisti me*, in certamine, in his quæ feci, *et consolatus es me* in tristitia quæ hic est, in his quæ passus sum ; hoc videant, *et confundantur* in judicio perniciose, qui modo nolunt salubriter confundi.

COLLATIO IN PSALMUM LXXXV : « INCLINA, DOMINE, » etc.

VERS. 10. — *Lætetur cor meum ut timeat nomen tuum.* Hieronymus, *unicum fac cor meum.* Vel ut alii volunt *unias cor meum* יחד IAHED. Hæc autem unio, quidnam et præter illam charitatis lætitiam, qua unice Deum amamus, et quæ cor unum et animam unam facit omnium fidelium, in Domino gaudentium, ex plenitudine communis amoris.

VERS. 15. — *Da imperium tuum puero tuo.* Pro eo quod est, *da imperium tuum*, Hieronymus habet *fortitudinem tuam* et sequuntur alii עזך UZECA. Mire contendunt Faber et Cæcus, ut deinceps non psallatur, *da imperium*, sed, *da fortitudinem*, quasi cantemus contra mentem Prophetæ, qui hic introducit Christum, poscentem a Patre auxilium, contemplatione immensorum malorum quæ imminebant, dicuntque quod oret Christus in humilitate, cui non congrueret hac ratione suprema regni potestas. Ergo Augustinus multo magis hallucinatus est, qui *potestatem* legit, sicut et psalmodia Romana, et tamen interpretatur de *imperio*. Quomodo da potestatem puero tuo ? *Pater non judicat* quemquam, sed *omne judicium dedit Filio* (*Joan.* v). Ille resurgens, et in terram ipse veniens judicaturus, ipse videbitur terribilis, qui visus est contemptibilis ; demonstrabit potentiam, qui demonstravit patientiam. Et pleraque alia in eum sensum persequitur Augustinus.

PSALMUS LXXXVI.

PSALMI TITULUS : « FILIIS CORE. PSALMUS CANTICI. »

Fundamenta ejus. Titulus *Filiis Core psalmus cantici.* [Aug., Hier.] Psalmus iste brevis est numero verborum, magnus pondere sententiarum, qui agit de cœlesti Jerusalem, id est Ecclesia, quæ est civitas spiritualis, cujus pars militat in terris, pars triumphat in cœlis, quam iste psalmus commendat, secundum præsentem statum et futurum. Unde utroque in titulo apponitur *: Psalmus et cantici.* Et est sensus : *Psalmus* iste qui dicitur psalmus, quia agit de Ecclesia secundum præsentem statum, ubi agit opera *cantici* quia agit de eadem secundum futurum statum, ubi exsultat. [Cassiod., Gl. int., Aug.] Hoc ideo addit, ut de sæculari, id est, militanti Jerusalem, ad intelligentiam supernæ eleveris, scilicet de actione ad theoricam proponitur. *Filiis Core* ut habitent in Sion. Hic per fidem ; in futuro, per speciem. Pars cujus in cœlo triumphat ; pars in terris militat. Intentio : Monet ad amorem cœlestis Jerusalem. Modus : Tripartitus est psalmus. [Cassiod.] Primo Propheta prædicat cœlestem Jerusalem filiis Core, quam commendat per fundamenta et portas et famam ut eis augeatur affectus. Secundo ipse Dominus agit de eadem Jerusalem, ibi, *memor ero.* Tertio tangit de futura beatitudine, ibi, *sicut lætantium.* [Aug.] Propheta ergo plenus Spiritu sancto, multa volvens apud se de hac civitate de qua nihil adhuc dixerat psalmus, in hoc erumpit :

VERS. 1. — « Fundamenta ejus in montibus sanctis : diligit Dominus portas Sion super omnia « tabernacula Jacob. »

Fundamenta ejus. [Aug.] Non refertur ejus, ad aliquid præmissum, sed ad cordis Prophetæ meditationem, qui nunquam de illa corde tacuerat, et si ore *in montibus sanctis* sunt in prophetis, apostolis, ipso summo angulari lapide Christo Jesu (*Ephes.* II), qui solus est fundamentum quod nemo potest mutare (*I Cor.* III). [Cassiod., Aug.] Ecce prior laus a fundamentis, ut soliditas totius civitatis notetur, et quasi quis quæreret, cujus ejus fundamenta dicis ? ait, Sion. Et *Dominus diligit portas* ejus *Sion.* Idem sunt portæ qui et fundamenta. Diligit dico *super omnia*, imaginaria, *tabernacula Jacob*. Quasi dicat : Diligit civitatem spiritualem, super illa quibus præsignabatur. Deinde sequitur laus de fama, o

VERS. 2. — « Gloriosa dicta sunt de te, civitas « Dei. »

Civitas Dei gloriosa sunt dicta de te, [Aug., Alcuin.] quod non de illa figurali, quæ cecidit. Hæc sunt illa quæ Dominus per prophetas de ea prædixit.

PARS. II. VERS. 3. — « Memor ero Raab et Babylonis scientium me. »

Memor ero. [Cassiod., Aug.] Secunda pars, ubi Dominus ipse de eadem Jerusalem agit, et ostendit quæ sint illa gloriosa. Hæc sunt illa : In illa civitate, inquit Propheta ex persona Dei, *memor ero Raab et Babylonis*, quæ non pertinent ad populum Judæorum. Raab enim meretrix fuit in Jericho, quæ suscepit exploratores a Josue missos, et cum quærerentur abscondit et alia via ejecit *:* cui dictum est ut coccinum per fenestram emitteret, quando civitas caperetur (*Josue* II). Quo signo domus ejus a victoribus cognosceretur, et sic salvaretur : quod ita fecit, et sic salvata est ipsa et domus ejus. Per quam figuratur Ecclesia gentium, quæ coccinum habet in fenestra, id est signum sanguinis Christi habet in fronte. Unde Pharisæis superbientibus Dominus dicit : *Publicani et meretrices præcedent vos in regnum cœlorum* (*Matth.* XXI). [Hier., Aug., Haym.] Juxta quoque nominis interpretationem idem significatur. Raab enim interpretatur *latitudo* vel *impetus.* Hæ sunt gentes quæ late et impetuose vagantur per vitia. Babylon autem civitas est secundum sæculum, ad quam pertinent omnes mali, ut ad Jerusalem omnes sancti. Quasi dicat : Gloriosa dicta sunt de te, civitas sancta, ubi non solus est Judæus sed

omnes gentes. Ego enim, memor ero Raab et Babylonis, id est omnium gentium. Memor dico, *scientium me*, id est apostolorum, quibus de illis recipiendis præcipiam.

VERS. 4. — « Ecce alienigenæ, et Tyrus, et populus Æthiopum; hi fuerunt illic. »

Ecce alienigenæ, etc. [Aug., Hier., Aug.] Ecce quid per Raab et Babylonem significavit. Quasi dicat : Memor ero. Et *Ecce alienigenæ*, id est gentes, *Et Tyrus*, id est illi qui sunt in angustiis vitiorum vel pœnitentiæ. Tyrus enim interpretatur *angustia*. *Et populus Æthiopum*, id est gentes, quæ sunt usque ad fines terræ, etiam nigri. *Et hi fuerunt illic*, id est in Jerusalem.

VERS. 5. — « Nunquid Sion dicet : Homo, et homo natus est in ea ; et ipse fundavit eam Altissimus ?

Nunquid Sion, etc. [Haym., Gl. int., Hier., Haym.] Hic propheta resumit verba. Quasi dicat : Gloriosa dicta sunt de illa civitate, et hoc etiam miraculum accidit in ea, scilicet quod *homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus*, id est secundum quod Deus, non ut homo. Sed *nunquid dicet, homo*, id est nunquid poterit homo persuadere Sion, id est Synagogæ, illud quod dicam, scilicet quod homo natus est, etc. Quasi dicat : Non hoc recipit incredula Synagoga. Vel Sion, id est Ecclesiæ, nunquid dicet homo ? quasi dicat : Homo non dicit ex se, sed Deus in homine, annuntiat hoc, quod et homo natus est in ea ; et ipse fundavit eam Altissimus. Vel secundum aliam litteram, mater Sion dicet homo, [Aug., Cassiod.] quasi dicat : Unde alieni perveniunt ad Jerusalem ? ecce est homo quidam, scilicet Christus homo, qui dicet : Sion, id est Synagoga est mater mea, secundum carnem, et per hunc isti omnes veniunt. Et quis est homo ille ? Ipse est homo qui in ea natus est, et ipse fundavit eam Altissimus, et ipse talis dicet mater, ei civitati. Vel ita secundum eamdem litteram : Commendata spirituali Sion, id est Ecclesia, increpat hic carnalem Sion, id est Synagogam, quasi dicat : Christus est fundamentum illius civitatis ; sed Sion, id est, Synagoga, mater, Ecclesiæ, dicet, quod Christus tantum est, Homo, non Deus ; sed Christus, et homo est in ea natus, et ipse, idem est Altissimus, id est Deus qui fundavit eam, quod miraculum ne sit incredibile alicui, ait :

VERS. 6. — « Dominus narrabit in scripturis populorum et principium, horum, qui fuerunt in ea. »

Dominus narrabit, vel narravit. Vel ita continua : [Haym., Aug. Hier., Gl. int.] Unde hoc scis ? ecce *Dominus narrabit in scripturis populorum et principum*, id est in scripturis quæ directæ sunt populis fidelibus, et editæ a principibus, scilicet a Moyse, et prophetis et apostolis. Principum dico, *horum qui fuerunt in ea*, civitate. Vel secundum aliam litteram : [Aug.] Quorum principum ? Horum qui fuerunt facti, scilicet principes in ea, id est qui facti sunt in ea

A principes, antequam essent in ea ; non erant principes, sed erant abjecta mundi. Elegit enim infirma mundi, ut confunderet fortia.

PARS. III. Διάψαλμα. VERS. 7. — « Sicut lætantium omnium, habitatio est in te. »

Sicut lætantium. [Aug., Cassiod. Aug.] Tertia pars collatis omnibus gaudiis, quæ de civitate dicta sunt, concludit paucis verbis, futuram tangens beatitudinem, quasi dicat, talis est civitas. Et, o Sion, *habitatio omnium nostrum*, erit *in te*. Qualis ? sicut lætantium. Quæ lætitia, non est nobis in ista peregrinatione ; ideo autem dicit, sicut lætantium, quia talis erit lætitia, qualem hic non novimus, et ideo cum non possit exprimi, dixit, ut potuit.

B COLLATIO IN PSALMUM LXXXVI : « FUNDAMENTA EJUS, » etc.

VERS. 3. — *Memor ero Raab*. Sic et Pratensis. Hieronymus רהב RAHAB, interpretatur *superbiam*. et interpretes pro Cajetano. Sed Sanctes et Munsterus accipiunt pro Ægyptiis, ob superbiam ita dictis. Unde Chaldæus paraphrastes, *commemorabo laudationes Ægyptiorum et Babyloniorum*. Eodem denique recurrit ipsa intelligentia. Sed potest movere quod Hieronymus in Commentariis, et Augustinus, imo et ante eos Arnobius interpretantur de Raab muliere Jerichuntina, quando quidem hoc scribitur per chet aspirationem fortem, alterum per he, aspirationem lenem, et Græci hic habent, ῥααϐ, mulierem vero ut exprimant, spiritum densum, quomodo possunt, scribunt, per χ ῥαχάϐ. Quod si nolis alteram aspirationem in vicem alterius substitui, tamen significata utriusque conspirant. Siquidem Rachab solat *dilatationem*. Rursus Rachab, *insolentiam* et *temeritatem*. Superbi autem, quam
C studeant sese dilatare, neminem latet. Quin et **193** mysterium a Psalm. decantatum, de Ecclesia ex gentibus, superbiæ tumore elatis collecta, expositioni sanctorum respondet.

VERS. 4. — *Hi fuerunt illic*. Hebr. *iste natus est ibi*. זה ילד שם ZEH JULLAD SCHAM. Sensus est idem : iste populus natus est in Jerusalem, vel isti populi fuerunt illic, quanquam diviniorem sensum prædicat Faber, si diceretur, *geniti sunt illic*, quo insinuetur regeneratio spiritualis. Certe non minor dignitas innuitur, ne dicam major, jam fuisse gentes, æterna Dei electione, de illa civitate Jerusalem, cum nondum quidquam boni aut mali egissent, quam exprimendo earum nativitatem, vel spiritualem. Nam Deus vocat quæ non sunt, tanquam quæ sunt.

VERS. 5. — *Nunquid Sion dicet : Homo, et homo natus est in ea*. Primo ponendum est Hebræum, ut videamus de quibus est controversia יאמר איש
D ולציון בה ירד ואיש ULETZION IEAMEAMER ISCH VEISCH JULAD BAH. Tria in hoc versu se offerunt dubia. Primum est de interrogatione, quæ non apparet in Hebraico. Hinc Hieronymus vertit, *et ad Sion*, et Munsterus *de Sion*. Sed sic non indicatur aliquo signo interrogatio, ut tamen non repugnet Hebraismo, quin Paulus Hebræus Burgensis testatur, si non legatur interrogative, tamen debeat intelligi admirative, quod idem sibi vult. Secundum dubium est, de verbi significatione, quæ in Hebræo passiva est, *ad Sion dicetur*, vel *de Sion dicetur* : *Vir et vir natus est in ea*. Aut, ut vult Munsterus, iste et iste natus est in ea, ac ex ea lectione facienda esset distinctio in verbo dicetur, nempe *ad Sion*, vel *de Sion dicetur* : *Vir et vir natus est in ea*, intelligendo per hunc tropum, plures et diversos ibi natos. Verum quantum ad distinctionem, contextio Hebraica ad id non urget, nisi quod forsan verbi significantia, quæ

videtur impersonalis, hoc exigeret, modo passive A legeretur. Citra tamen notularum apices, verbum activum et passivum non differunt, adeo ut fuerit integrum lectori, hoc aut illo modo accipere, cum digna intelligentia, quæ consequentior censebitur. Siquidem יאמר potest pronuntiari יאמר IEAMER, *dicetur*, aut יאמר IOMAR, *dicet*, quomodo probabile est interpretes enuntiasse. Itaque hoc pacto commodo poterit esse diastole. *Nunquid Sion dicet : Homo, et homo natus est in ea*, juxta explanationem. Tertium dubium est, de lectione Græca, quam sequitur et interpretatur Augustin. et quæ est in psalmodia Romana, mater Sion μήτηρ Σιών. De hoc et aliis satisfacit divus Hieronymus in Commentariis. « Septuaginta Interpretes ita transtulerunt, *nunquid Sion dicet : Homo*. Spreverunt ergo multi, nec intellexerunt μήτι Σιών, quid est. Et addiderunt ρ, μήτηρ Σιὼν ἐρεῖ ἄνθρωπος. Et hoc propterea dicunt quoniam sequitur *et homo natus est in ea*. Speraverunt etiam ita debere dici, *mater Sion dicet : Homo*, quoniam filius natus dicitur. Propterea errant in matris vocabulo. » Hæc illic Hieronymus. Deinde tamen non dedignatur illam lectionem exponere ac postea revertitur ad nostram, hoc modo ; « Dicamus et secundum Hebraicam veritatem : *Nunquid Sion dicet : Homo, et homo natus est in ea.* Quod dicit, hoc est. Quis poterit nuntiare Sion ? Quis ei poterit nuntiare hominum, quoniam homo nascetur in ea, et salvabit eam ? Hoc est nullus hominum potest ei nuntiare, quia Sion salvetur in homine, qui in ea nascetur. » Hactenus ille. Quæ alia sunt, ut hic nihil agat Fabri philosophia.

VERS. 6. — *Dominus narrabit in scripturis populorum*. Hieronymus et Nebiensis, *Dominus numeravit scribens populos*. Munsterus, *Dominus recensebit*, cum scripserit populos. Et ad consimilem modum ferme cæteri. Vocula Hebraica hic est infinitivi modi בכתוב BICHTHOB, ut ibi liberum sit vertere, *dum scriberet populos*, aut *in scriptura populorum*. Id C quod et annotavit Pellicanus. Dehinc illud *et principum*, oportet Septuaginta accepisse ex principio sequentis versus juxta Hebræos, et huc adduxisse ושרים VESSARIM, quod anceps est ad *principes* et *cantores*, quomodo ultimo Hebraicantes intelligunt, etiam si in punctulo sit minima distantia. Porro quod dicimus, *qui fuerunt in ea*, Hebr. habet זה ילד שם ZEH JULLAD SAM, hoc est *iste natus est illic*. Cæterum familiare est Hebræis, usurpare singulare in vicem pluralis, præsertim ubi sensus est consequentia orationis requirit. Quod si contendas eum locum intelligi debere de ipso Christo, nihil obstat transitum fieri de capite ad membra, et e diverso, propter unitatem. Id nempe tam frequens est in arcanis litteris, ut haud sciam an sit locutio passim frequentior. Primam particulam ultimi versus, juxta Hebræos, Septuaginta copularunt penultimo, ut prædictum est postea quod sequitur, *sicut lætantium* כחללים KEHOLLIM. Hieronymus vertit, *quasi in choris*; Pratensis, *sicut chorales*; Sanctes et Munsterus, *sicut tibicines*; interpretes pro Cajetano, *sicut parturientes*; Pellicanus, *sicut tripudiantes*; Nebiensis, *sicut choream ducentes*; Chaldæus, *et dicent cantum in choris*, *quanquam* vox sit ambi- B gua, tamen ferme omnium versu *lætitiam* sonat *non parvam*. Sed כל CAL nota universitatis, secundum eos respicit sequentia, et dicunt כל מעיני בך CAL MAAIANAI BAC, *omnes fontes mei in te*, ut transferunt Pellicanus, Sanctes, interpretes pro Cajetano et Munsterus, *omnes scaturigines*. In tribus exemplaribus apud Hieronymum inveni, *omnes fortes mei*. Primum erat Fabri, quod se hausisse testatur e bibliotheca Carthusiorum et Cœlestinorum ; secundum erat typorum Frobenii ; tertium Chevallon Parisiensis ; quartum e recentioribus habebat *fontes*. Unde fortasse collapsus fuit in *fortes* pro *fontes*. Demum Pratensis habet, *omnes contemplationes meæ*. Rabbi Jonah, referente Sancte, *omnes providentiæ meæ*, *quasi aspectus mei*, ab עין id est *oculo*. Verum enimvero, nos habitamus in cœlis per contemplationem, et cœleste desiderium, juxta illud Philip. III : *Nostra conversatio in cœlis est*. Itaque Septuaginta sensum reddiderunt accommodatiorem, et in quo Deus habitat per fidem et charitatem fiet fons aquæ salientis in vitam *æternam*. Joan. IV. Sed et translator ad Campensem, habet *habitatio est in te*, cum Septuaginta *ac in fronte* dixerat esse editionem ex Hebraica veritate.

PSALMUS LXXXVII.

« PSALMI TITULUS CANTICUM PSALMI FILIIS CORE IN FINEM PRO MALETH (122) AD RESPONDENDUM INTELLECTUS EMAN ISRAELITÆ *vel* EZRAITÆ. »

Melius est Eman Ezeraitæ, nam Hebraice legitur להימן ההזרחי et quidam Græci codices habebant Αἰθὰμ τῷ δρααλήτῃ. Alii, Αἰμὰν τῷ Ἰσραηλίτῃ. Priores sunt falsati a scriptore in duobus ; secundi in uno, duntaxat quandoque et prosequitur enarratio Augustini posteriores.

Domine Deus salutis meæ. Titulus : *Canticum psalmi filiis Core in finem pro Maeleth, ad respondendum intellectus Eman Israelitæ*, vel *Ezraitæ*. [Aug., Hier., Aug.] Sicut sæpe diximus canticum nota exsultationem mentis ; psalmus, bonam operationem. Ideoque psalmi, qui hæc duo in titulis habent de bona operatione et mentis jocundidate agunt, sicut iste psalmus. Filii autem Core, sicut supra diximus sunt filii crucis, filii passionis, de quo supra plene tractatum est, et quid sit, in finem, supra expositum est. Quod autem sequitur pro Maeleth ad respondendum, hoc inusitatum habet iste titulus. Maeleth autem interpretatus *chorus*, qui dicitur ad respondendum, ut canenti chorus consonando respondeat. Sicut non istum solum, sed alios quoque psalmos credendum est esse cantatos. Ita enim in hujus psalmi et aliorum cantu factum est ut præcinenti chorus responderet, quamvis alii alios titulos acceperint, sed hoc factum existimo D causa varietatis, qua fastidium levaretur. Tituli enim variantur pro levando fastidio, vel forsan pro alia non satis nota causa. In quo autem mysterio mihi dictum videatur, pro Maeleth, id est pro choro, ad respondendum, id est ut canenti per chorum respondeatur, exponam. Hic passio Christi prophetatur, cui debemus imitando respondere sicut Petrus ait : *Christus pro nobis passus est, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus* (*I Petr.* II), *hoc est* respondere. Unde etiam Joannes ait : *Sicut Christus pro nobis posuit animam suam, sic et nos debemus pro fratribus nostris animam ponere* (*I Joan.*

(122) De hoc dictum est in titulo psalmi LII.

III). Hoc est quod ibi dicitur ad respondendum sed non prodest hoc, nisi fiat in choro, id est in concordi charitatis. Unde Apostolus : *Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habeam, nil mihi prodest* (*I Cor.* XIII). Eman interpretatur *frater ejus*. Fratres autem Christi hic sunt qui in cruce gloriantur, sicut Apostolus qui ait : *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi* (*Gal.* VI), qui sunt veri Israelitæ, [Alc., Haym.] id est videntes Deum ; vel Eman Ezeraita dicitur, id est advena. Dicitur enim fuisse quidam orientalis. Et est sensus tituli : *Canticum* istud, quod dicitur canticum, [Aug.] quia lætus finis passionis hic ostenditur, *Psalmi*, quia hic agitur de bona operatione, canitur *filiis Core*, id est Christi, dirigens eos *in finem* cœlestium coronarum. Ad quid cantatur eis ? *Ad respondendum* Christo, id est ut ipsi respondeant, imitatione, vel gratiarum actione, Christo quasi præcentori, imitando vestigia passionis ejus, et hoc faciant *pro Maeleth*, id est in Maeleth, scilicet in choro, id est in concordia charitatis. Et hic est *intellectus Eman Israelitæ*, [Haym., Aug., Cassiod.] id est, illorum qui sunt fratres Christi in cruce ejus gloriantes, et Deum videntes. Vel ad litteram, hic est *intellectus Eman*, id est illius hominis qui in choro respondente canentibus, hoc mysterium intellexit, Israel, vel Ezrael. Fuit enim Israelita, vel Ezraita, id est, *advena*, scilicet de orientalibus partibus. Intentione monet Christi passionem imitari. Modus : Quatuor sunt partitiones. Primo Christus in forma servi precatur auxilium, referens se contemptum ab inimicis. Secundo dicit quid amici ejus in passione fecerunt, ibi, *longe fecisti*, etc. Tertio ostendit quibus non prosint opera sua, ibi, *nunquid mortuis facies*. Quarto dicit quæ in suis membris sustinet, ibi, *et ergo ad te*. In forma ergo servi orans ad Patrem, ait : O

VERS. 1. — « Domine Deus salutis meæ, in die « clamavi, et nocte coram te. »

Domine Deus, auctor *salutis meæ*, [Cass., Aug.] quia totum est ab eo, ego *clamavi coram te*, ex forma servi hoc dicit *in die et nocte*, quia in lætis rebus et in adversis oravit Christus. Ideo

VERS. 2. — « Intret in conspectu tuo oratio mea : « inclina aurem tuam ad precem meam. »

Oratio mea intret in conspectu tuo. [Aug., Cas.] Ingressus orationis est ejus acceptio. Deinde repetit dicens, *inclina aurem tuam ad precem meam*. Inclinatio auris Dei, misericors exauditio ejus est. Virtus magna puræ orationis hic notatur, quæ quasi persona quædam ad Deum intrat, et mandatum peragit, quo caro pervenire nequit. Quare autem oret, subdit :

VERS. 3. — « Quia repleta est malis anima mea ; « et vita mea inferno appropinquavit. »

Quia anima mea repleta est malis, [Aug.] non vitiis, sed doloribus, quibus anima carni compatitur. Non enim dolor corporis potest esse sine anima. Dolere autem anima etiam non dolente corpore potest. Non ergo peccatis, sed humanis malis, id est doloribus, repleta fuit anima Christi. Hoc est quod ipse ait : *Tristis est anima mea* (*Matth.* XXVI). Vel, anima mea repleta est, [Aug.] scilicet malis pereuntis populi, compatiendo, *et vita mea appropinquavit in inferno*, dum trador ad mortem. Hoc est quod in Evangelio dicit, *usque ad mortem* (*ibid.*), quod enim ait, tristis est anima mea, hoc dictum est hic : repleta est malis anima mea. Et quod sequitur ibi, usque ad mortem, hoc dicitur hic : Et vita mea in inferno appropinquavit. Hos autem humanæ infirmitatis affectus, sicut ipsam carnem, ac mortem, non conditionis necessitate, sed miserationis voluntate suscepit ut transfiguraret in se corpus suum, quod est Ecclesia ; ut scilicet si cui suorum inter humanas tentationes tristari vel dolere contingeret, non ideo se a gratia Dei alienum putaret ; et non esse hæc peccata, sed humanæ infirmitatis indicia, tanquam voci præmissæ concinens chorus, ita corpus ex ipso capite suo addisceret.

VERS. 4. — « Existimatus sum cum descendenti« bus in lacum ; factus sum sicut homo sine adju« torio, inter mortuos liber. »

Existimatus sum [Alcuin., Aug.]. Quasi dicat : Non solum gravia passus sum, sed et contumeliosa, quia *existimatus sum cum descendentibus in lacum* miseriæ, vel inferni profunditatem, utique a nescientibus, quid facerent : qui sic putabant eum mori necessitate, ut alii homines moriuntur. *Factus sum*, id est, æstimatus sum, ab eisdem nescientibus, *sicut homo* simpliciter, *sine adjutorio*, cum tamen essem *inter mortuos liber*, id est, inter peccatores solus sine peccato, qui potest animam ponere et resumere (*Joan.* X). Item existimatus sum.

VERS. 5.— « Sicut vulnerati dormientes in sepul« cris, quorum non es memo, amplius ; et ipsi de « manu tua repulsi sunt. »

Sicut vulnerati dormientes in sepulcris, [Aug.] quia et ipse vulneratus lancea, et sepulcro clausus fuit ; sed differt per hoc quod sequitur, *quorum non meministi adhuc*, alia littera, id est quorum tempus resurgendi nondum venit, in quo Christus a cæteris mortuis discernitur, qui et vulneratus et mortuus, in sepulcro positus est, sed die tertia evigilavit. Sed qui nesciebant quid faciebant, putaverunt illum similem aliis vulnere occisis, et dormientibus in sepulcro, quorum adhuc Deus non meminit. Et nota quod Scriptura consuevit mortuos dicere dormientes (*I Thess.* IV ; *Joan.* II), quia evigilaturos, id est resurrecturos vult intelligi , qui evigilabunt in resurrectione (*Matth.* XXV), *et ipsi* quibus ita factus sum, *repulsi sunt*, o Deus, *de manu tua*, id est adjutorio tuo privati sunt, qui me sine Dei adjutorio putaverunt. Non enim hoc refertur ad dormientes in sepulcro, quorum non meminit Deus adhuc, in quibus sunt justi : quorum licet non meminerit adhuc ut resurgant, de his tamen dictum est : *Justorum animæ in manu* Dei sunt. Vel, existimatus sum sicut vulnerati dormientes, [Hier.] id

est flagitiosi. Dormientes in sepulcris, id est carnali voluptate sopiti, in stupris et obscenitatibus sepulti, de quibus Deus non excitat eos [Hier. et Aug.[, quorum non est memor Deus. Amplius et ipsi, vel dormientes, vel illi quibus ita factus sum, de manu tua repulsi sunt.

VERS. 6. — « Posuerunt me in lacu inferiori : in « tenebrosis, et in umbra mortis. »

Posuerunt me in lacu inferiori, [Aug., Cass., Aug., Alcuin.] id est in profundissima miseria sæculi, quia abjecta morte ablatus est, *in tenebrosis*, id est in tenebris oblivionis, quem scilicet nemo requiret, *et in umbra mortis*. Umbra mortis est locus malorum, quo puniuntur, Vel, posuerunt me, sua opinione, in lacu inferiori, vitiorum scilicet in tenebrosis, et in umbra mortis, id est in morte impietatis, vel posuerunt me in rei veritate, in lacu inferiori, id est in lacu inferni, scilicet in tenebrosis et in umbra mortis,

VERS. 7. — « Super me confirmatus est furor « tuus ; et omnes fluctus tuos induxisti super me. »

Furor tuus vel ira tua, vel indignatio tua, o Deus, *confirmatus est super me*, ut illi irati sunt cum viderent eum turpi morte mori. Putabant enim quod ira Dei perisset et quod Deus omnes indignationes super eum induxisset, quando pertulit eum crucifigi. *Et omnes fluctus tuos*, vel suspensiones tuas, id est passiones *induxisti super me*. In alio psalmo dicit, *Transierunt super me* (*Psal.* XLI). Hic autem dicit, induxisti super me, significans quod omnia quæ de passione ejus prophetata sunt evenerunt.

PARS. II. VERS. 8. — « Longe fecisti notos meos « a me : posuerunt me abominationem sibi. »

Longe fecisti. Secunda pars ubi dicit quid amici ejus in passione fecerint. Quasi dicat : Induxisti hæc super me, et tunc *fecisti nomen tuum* quibus ego notus eram, non dicit notos quos novit, [Aug.] quia tunc omnes noverant ut Deus ; sed quibus notus est. Vel, notos, dicit bonos, quos probat. *Longe a me* loco et mente, *et posuerunt me abominationem sibi*, vel ipsi noti, quia hoc genus mortis horrebant, vel magis persecutores.

VERS. 9. — « Traditus sum, et non egrediebar ; « oculi mei languerunt præ inopia. »

Traditus sum, scilicet a discipulo, *et non egrediebar*, id est non ostendi quis essem ; in interioribus meis latebam, non manifestabar, non propalabar. Unde, *oculi mei languerunt præ inopia*, id est apostoli cum non viderent eum in virtute, sed quasi victum, infirmati sunt subtracto sibi cibo, id est lumine.

VERS. 10. — « Clamavi ad te, Domine, tota die « expandi ad te manus meas. »

Clamavi ad te, Domine. [Aug.] Hoc aperte in cruce fecit. *Tota die expandi manus meas ad te*, quia fecit omnia ad voluntatem Patris. Per extensas quippe manus continuatio bonorum operum, a quibus nunquam cessavit, intelligitur ; in cruce enim A nec una tota die fuit illa extensio, nec totum pro parte potest accipi, quia addit tota ; sed quia hæc opera ejus non omnibus profuerunt, addit :

PARS III. VERS. 11. — « Nunquid mortuis facies « mirabilia ? aut medici suscitabunt, et confitebun- « tur tibi ? »

Nunquid. [Cassiod., Aug.] Tertia pars, ubi ostendit, quibus non prosunt opera sua. Quasi dicat : Expandi manus, sed, o Deus, *nunquid facies mirabilia mortuis ?* Mortuos dicit non corpore, sed corde, coram quibus fiunt quidem miracula Christi ; sed non prosunt eis, quia ad vitam fidei visa eos non movent. Mortuis enim corpore facta sunt mirabilia cum quidam revixerunt, et cum Dominus penetravit inferna, atque inde victor mortis ascendit, B magnum mortuis factum est miraculum. Dicit ergo : Nunquid mortuis scilicet corde, non corpore, facies mirabilia ? quasi dicat : Non. Non eis dicit fieri, quibus et si fiant non prosunt, ideo non eis fiunt, quia a medicis non suscitabuntur homines ut confiteantur Domino. Et hoc est quod sequitur : *Aut medici*, vel gigantes *suscitabunt* homines, *et* suscitati *confitebuntur tibi ?* non. A mortuo enim corde perit confessio ; nisi enim suscitetur, confiteri non valet. Sed medici, vel gigantes non suscitabunt homines, ut confiteantur Domino. Notandum quod in Hebræo non medici, sed gigantes reperitur. Utrumque autem pene eodem modo sonat in Hebræo. Unde Septuaginta interpretes quorum auctoritas tanta est, ut propter mirabilem consonantiam divino spiritu C interpretati esse credantur, propter vocis similitudinem, quam in Hebræa lingua medici et gigantes eodem modo sonant, ut exigua differentia distinguantur, medici non gigantes, non errore, sed potius occasione posuerunt, volentes significare quomodo essent accipiendi gigantes. Si ergo superbi accipiuntur hic gigantes, id est dicuntur sapientes sæculi bene dicuntur medici, quia per artes suas promittunt animarum salutem, contra quos dictum est : *Domini est salus* (*Psal.* III). Si autem boni accipiuntur gigantes, id est magni et fortes, et ipsi bene dicuntur medici, qui viventes curare ministerio possunt, sed non mortuos suscitare. Sola enim gratia Dei reviviscunt ad fidem. Unde : *Nemo potest venire ad me nisi Pater meus traxerit eum* (*Joan.* D VI).

VERS. 12. — « Nunquid narrabit aliquis in sepul- « cro misericordiam tuam, et veritatem tuam in « perditione ? »

Nunquid narrabit aliquis positus *in sepulcro ?* [Aug., Cassiod., Aug.] Mortuæ animæ corpus sepulcrum est. Unde in Evangelio Dominus talibus dicit : *Similes estis sepulcris dealbatis, quæ foris apparent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum, et omni spurcitia ; sic et vos a foris quidem paretis hominibus justi, intus autem pleni estis hypocrisi et iniquitate* (*Matth.* XXIII). *Nunquid* ergo *aliquis in sepulcro* positus, id est in pernicie animæ *narrabit misericordiam tuam ?* et aliquis positus *in*

perditione, id est obtinatus, *veritatem tuam narrabit?* Quasi dicat : Non hi narrabunt ; sed vivi et fideles. Notandum quia misericordiam et veritatem amat Scriptura conjungere, et maxime psalmi.

VERS. 13. — « Nunquid cognoscentur in tenebris « mirabilia tua ; et justitia tua in terra oblivio- « nis. »

Nunquid cognoscentur in tenebris, [Aug.] infidelium, *mirabilia tua, et justitia tua in terra oblivionis*, quæ dicit : Non est Deus. Hæc sunt tenebræ. Unde Apostolus : *Fuistis aliquando tenebræ ; nunc autem lux in Domino* (*Ephes*. v). Iidem sunt ergo mortui, et positi in sepulcro, et tenebræ, et terra oblivionis.

PARS IV. VERS. 14. — « Et ego ad te, Domine, « clamavi : et mane oratio mea præveniet te. »

Et ego ad te. [Cassiod., Aug.] Quarta pars, ubi dicit quæ in suis membris Christus sustinet. Ecce chorus respondens præcinenti. Quasi dicat : His mortuis, non prosunt opera Christi. Quis ergo usus mortuorum? Quid de eis agit ad utilitatem corporis sui? id est Ecclesiæ? multum : quia in eis ostenditur quæ sit gratia in predestinatis. Ait ergo Christus ex voce Ecclesiæ, *et ego*. Quasi dicat : Nos fuimus unum. Ideo non ait simpliciter, ego, sed et ego, scilicet fui natura filius iræ, sicut et cæteri ; sed *clamavi*, ut salvus essem, *ad te, Domine*, non ad alium, quia nullus medicorum suscitat. Qui autem clamat et invocat, credit ; sed non crederet, nisi eum misericordia Dei suscitaret, qua præveniente jam est ei mane, post tenebras infidelitatis ; sed quia restat futura clarificatio, nunc oratio mea præit. Et hoc est, *clamavi*, *et* ita factum est mihi *mane* lucis vel fidei. Et in hoc, mane *oratio mea*, præventa a misericordia, *præveniet te*, id est futurum judicium, quæ oratio ut fervescat differtur bonum, et crebrescunt mala.

VERS. 15. — « Ut quid, Domine, repellis oratio- « nem meam, avertis faciem tuam a me? »

Ut quid, Domine, *repellis* [Gl. int., Cass.]. Quasi dicat : Clamo, oro, sed nunc *ut quid, Domine, repellis* orationem meam. Ecce quantum desiderat, proponit in his verbis quærendam esse causam quare differtur quod petit, quæ est in dilatione boni, et adversis multiplicatis, quasi repulsa oratio inflammetur ardentius. Ut quid *avertis faciem tuam a me?* Avertere Deus dicitur faciem, non dando quod volunt, sed quod non expedit.

VERS. 16. — « Pauper sum ego, et in laboribus a « juventute mea ; exaltatus autem humiliatus sum « et conturbatus. »

Pauper sum ego. [Aug., Cassiod.] Exsequitur breviter tribulationes corporis Christi dicens : *Ego sum pauper*, rebus sæculi, *et in laboribus sum a juventute mea*. Unde alibi : *Sæpe expugnaverunt* **195** *me a juventute mea* (*Psal*. CXXVIII), *exaltatus autem*

A in sæculo *humiliatus sum*. [Cassiod.] Quædam membra Christi ad hoc exaltantur in sæculo, ut in eis major sit humilitas. *Et conturbatus sum* adversis, vel, exaltatus sum, prius tumido corde. Postea, humiliatus sum, scilicet per confessionem. Et conturbatus sum, id est confusus de peccatis, ea damnando, Et

VERS. 17. — « In me transierunt iræ tuæ ; et « terrores tui conturbaverunt me. »

Iræ tuæ, [Aug., Alcuin., Aug.] id est afflictiones, *in me* venientes, id est, mihi illatæ *transierunt*, quia non manet ira Dei in justis, sed transit quia non de fideli, sed de infideli dictum est, ira Dei manet super eum. Flagellat enim filios quos recipit (*Hebr*. XII), sed ad correctionem, non ad peremptionem.

B Unde : *Ego quos amo corrigo, arguo et castigo* (*Apoc*. III). Et alibi : *Percutiam et ego sanabo ; occidam et vivere faciam* (*Deut*. XXXII). *Et terrores tui contarbaverunt me*, omne quod potest accidere etsi non accidat, prudenter timetur. Tam graviter conturbaverunt, quia

VERS. 18. — « Circumdederunt me sicut aqua, « tota die circumdederunt me simul. »

Circumdederunt me sicut aqua, quæ mergit. [Haym., Aug.] Aliquando enim terrores ipsi ita conturbant animum cogitantis, circumpendentibus malis, ut sicut circumfluere videantur, et simul undique circumdare. Unde amici et noti timore deserunt. Unde Apostolus : *Omnes me dereliquerunt* (*II Tim*. IV). Et hoc *tota die*, quia nullo tempore desunt

C mala Ecclesiæ, donec finiatur sæculum. Unde subdit : *Circumdederunt me simul*. Sed hæc omnia fiunt, ut oratio Ecclesiæ præveniret Deum, donec illa salus veniat, ubi nihil malorum sit. Vel ita : *In me transierunt iræ tuæ*, id est vindictæ præsentes, *et terrores tui conturbaverunt me*, [Cassiod.] scilicet terrores futuri judicii quos omnis caro timet (123). Nota quod dicit iræ transierunt, terrores conturbaverunt, quia aliud jam de damnatione patimur ; et aliud de æterna ultione timemus. *Circumdederunt me* peccata *tota die sicut aqua* quæ mergit. [Cassiod., Alcuin., Cassiod.] Peccata enim undique copiosa inundatione concludunt. Repetit, circumdederunt me simul. Vel in persona Christi accipi potest, qui secundum formam servi ad

D Patrem dicit, *iræ tuæ*, id est, afflictiones quas tua voluntate, non meo merito patior, *in me transierunt*, id est, non mansuræ me contigerunt. *Et terrores tui*, scilicet quos patior, [Alcuin., Aug., Hier.] quia tibi placuit, non meo merito, *conturbaverunt me*, secundum infirmitatem carnis ; *circumdederunt me*, inimici mei, *sicut aqua tota die*, *circumdederunt simul*. Deinde sequitur ex persona capitis et membrorum simul.

VERS. 19. — « Elongasti a me amicum et proxi- « mum : et notos meos a miseria. »

Elongasti a me amicum, [Cassiod.] qui pio et fi-

(123) Ex Greg., lib. VII, Mor., cap. 3.

deli amore conjungitur nobis *et proximum* parentela, sæpe justis humana officia subtracta sunt timore, *et notos meos* qui sola opinione, vel visione nos didicerunt, elongasti *a miseria mea*.

COLLATIO IN PSALMUM LXXXVII : « DEUS SALUTIS MEÆ, » etc.

VERS. 4. — *Æstimatus sum*. Omnes quotquot licuit videre, vertunt passive cum Septuaginta. Solus Sanctes transtulit active, *reputavi me*, contra tamen regulam Hebraismi. Nam vox est in niphal, et ea ratione corruit interpretatio sanctorum, qui hunc versiculum exponunt de Christo Domino, qui existimatus est ab infidelibus et nefandis Judæis, tanquam unus ex cæteris mortuis, in lacum inferni violenter descendentibus. Dominus autem potestatem habens ponendi animam suam, et iterum sumendi eam, se ipse prædicat inter mortuos liberum, quem mors suis nequivit astringere vinculis. Itaque ; נחשבתי NEHESCHABTI, deputatus sum, vel quid simile dicatur juxta Septuaginta. Quod si quis proprio sensui innitatur, omnem confusionem invehit in arcana sensa. Si Septuaginta posuissent, *reputavi me*, quid non clamassent moriosiores ? Ipse tamen Sanctes in suo Thesauro habet *existimatus sum*.

In umbra mortis. Hieronymus pro hoc dixit, *in profundis*. Consentiunt cæteri. Hebræi nunc legunt במצלות BIMZOLOTH, at Septuaginta legerunt בצלמות BETZALMAUETH, litteris transpositis, *in umbra mortis*, etc., si *loca profunda* hic intelligantur, *horror mortis*.

VERS. 8. — *Posuerunt me abominationem sibi*. Hebraice habetur, *posuisti*, ut referas ad Deum Patrem. Sed posuerunt perfidi Christum *abominationem*, posuit et Pater eo genere locutionis, quod dicitur in Matth. *Percutiam pastorem*. Et similia in Scripturis creberrime obvia sunt.

VERS. 9. — *Traditus sum*. Hieronymus cum aliis vertit, *clausus sum* כלא CALU, a כלא CALA, quod est *prohibuit* vel *clausit*. At qui traditur inimicis capitalibus, non longe est a vinculis et carceribus.

VERS. 10. — *Medici suscitabunt*. רפאים REPHAIM, tria notare potest, *gigantes* et *robustos*, quomodo
A vertit Hieronymus ; et *medicos*, ut sumunt Septuaginta. Consentit Pellicanus ; ac *mortuos* quomodo alii transtulerunt ? Itaque materiam præbet diversarum interpretationum ambiguitas nominum, juxta quod unusquisque interdum sinit. Constanter tamen meminisse debemus, quæ hic de auctoritate LXX Augustinus scribit.

VERS. 15. — *Repellis orationem meam*. Hebræi נפשי NAPHSCHI, id est *animam meam*. Quod si subaudias *orantem*, sensus eodem recurrit. Sed et נפש NEPHESCH, non solum *animam* significat, verum etiam *flatum* et *halitum*, quo facile oratio insinuatur.

VERS. 16. — *A juventute mea*. Consonant Hieronymus, Chaldæus, Nebiensis, Sanctes, Munsterus, interpretes pro Cajetano, et paraphrasis Camp. qui dicunt, *ab adolescentia*. Pratens. Pellic. et editio ad Campensem, *post concussionem* seu *afflictionem*. Siquidem נער NOAR, ambiguum est, in morem mul-
B torum.

Exaltatus. Septuaginta pronuntiarunt passive נשאתי NISSETHI ubi alii legunt active נשאתי NASATHI, hoc est *tuli*. Deinde אמיך EMECA, quod est ad verbum, *terrores tuos*. LXX sensum exprimentes, dixerunt, *humiliatus sum*, id est afflictus sum. Denique et *conturbatus sum*. Hebraice *timebo*, *dubitabo* eodem sensu אפונה APHUNAH.

VERS. 18. — *Notos meos a miseria*. Hieronymus transtulit, *notos meos abstulisti*, reddens ad illud, a miseria per verbum *abstulisti*. Consentit Nebiensis, ad dictionem מחשך MAHASCHAC, nostri Hebraicantes vertunt *in tenebris*, *in obscuritate*, ut Munsterus addat, *ponis*, vel, ut alii volunt, sunt obscuritas, id est ignoti sunt. Cæterum intelligendo notos, Christi discipulos terga vertisse, ne in miseria seu passione eadem comprehenderentur, inveniemus eos fuisse sublatos, ab omnium conspectu et latentes.
C Dum autem sese abderent ob metum Judæorum, tenebras, hoc est latebras sibi gratas quærebant, ne ad tormenta et mortem quærerentur cum præceptore optimo Christo. Itaque miseria, obscuritas et sublatio, non alio tenderent. Quanquam fortasse Hieronymus acceperit חשך HASAC, per punctum sinistrum quod est abstinuit, et vitavit.

PSALMUS LXXXVIII.

PSALMI TITULUS : « INTELLECTUS ETHAN ISRAELITÆ (124). »

Misericordias Domini. Titulus. *Intellectus Ethan Israelitæ*. [Cassiod.] Ethan sicut supra dictum est, præfectus fuit cantoribus cum aliis pluribus in tabernaculo Domini. Interpretatur autem robustus, quod nullus est, nisi in spe promissionis Dei. Unde agitur hic. Hic psalmus namque de spe Christianorum et magnificentia Domini multa dicit : per quem nemo decipitur, qui digne supplicet quod verus Israelita intelligit. Et hoc est : Hic est ; intellectus Ethan, id est robusti, Israelitæ, [Aug.] id est qui vere Deum videt. Intentione monet, ut spem non in nobis, sed in Deo ponamus. Modus. [Cassiod.] Sex sunt partitiones. Primo de misericordia et veritate Dei se cantaturum promittit Propheta. Secundo diversis modis laudes et potentiam Dei describit, ibi, *confitebuntur*. Tertio promissiones Patris de Christo ponit, ibi, *tunc locutus*. Quarto illis promissionibus adversa dicit, ibi, *tu vero repulisti*, etc. Quinto in quo impletæ sunt promissiones dicit, ibi, *usquequo*. Sexto ostendit quod in membris etiam promissiones implentur spiritualiter, non temporaliter, ibi, *ubi sunt misericordiæ*, etc. [Aug.] Propheta ergo robustus non in se, sed in miseri-
D cordia Dei, ait :

VERS. 1. — « Misericordias Domini in æternum « cantabo. »

Cantabo, [Hay., Aug., Cassiod., Rem.] id est jocunde annuntiabo, *misericordias Domini*. Unde robustus est homo cum in se infirmus est. Misericordias dico duraturas, *in æternum*. Ira Dei ad tempus est, misericordia Dei in æternum. Vel, in æternum cantabo misericordias Domini. Quomodo in æternum misericordias cantat, et gratias agit, qui miseriæ non meminit ? (125) Quomodo autem plena beatitudo est, si memoria reatus mentem tangit ? Sed ad hoc respondere possumus quod læti

(124) In Hebr. habetur *Ezraitæ*.

(125) Ex Greg., lib. IV Mor., cap. 42.

sæpe tristium meminimus, et sani meminimus dolorum sine dolore. Et inde amplius læti, et grati sumus. Sic itaque et miseriæ recordatio, nil beatitudinis retrahit.

VERS. 2. — « In generatione et generationem annuntiabo veritatem tuam in ore meo. »

In generatione Judæorum, *et generationem* gentium *annuntiabo veritatem tuam*, [Cassiod., Aug.] id est quæ tua est, sine qua ego mendax sum. Qui enim de suo loquitur, mendacium loquitur. Qui autem veritatem loquitur, ex Deo loquitur. Ergo a te, o Deus, dicam veritatem. Et hoc, *in ore meo*. Quasi dicat : Et ego dicam duo quædam sunt, unum tuum, unum meum ; veritas tua est ; os meum est, ut sim servus, id est ut inde serviam tibi. Membra enim mea Domino obsequuntur, id est obsequi debent. Vel : Annuntiabo veritatem tuam, id est veritatem promissionum tuarum, in ore meo, [Cassiod.] non ex ore labitur, sed in ore diu tanquam dulce versatur.

VERS. 3. — « Quoniam dixisti : in æternum misericordia ædificabitur in cœlis : præparabitur veritas tua in eis. »

Quoniam dixisti, etc. [Alcuin., Aug.] Hic dicit unde sit : et quæ misericordiæ Dei per Christum sunt. Quasi dicat : Cantabo et secure, *quoniam dixi*, etc. Vel ita continua : Quas misericordias et quam veritatem cantabo ? ecce, quoniam tu dixisti, id est per spiritum sanctum mihi manifestati. Quasi dicat : Ego homo secure dico, quod tu dixisti, Deus, mihi. Quid ? quod *misericordia tua ædificabit in æternum*. Non est temporalis ædificatio misericordiæ, sicut ruina iniquitatis temporalis est. Destruitur enim iniquitas temporalis in quibusdam, ut in eisdem ædificetur æterna misericordia. Unde Jeremiæ Dominus dicit : *Ecce ego constitui te super gentes et regna, ut evellas et destruas, et disperdas, et dissipes, et ædifices, et plantes* (*Jer.* I). Propter eos ergo qui destruuntur et ædificantur, ne putarent ædificationem qua ædificantur esse temporalem, sicut temporalis fuit ruina, in qua destruuntur ; tenuit se iste cujus os servit veritati Dei ad ipsam veritatem Dei. Ædificabitur dico. Et hoc *in cœlis*, id est per cœlos, qui enarrant gloriam Dei (*Psal.* XVIII), per quos ædificatur misericordia, *et ipsa veritas tua in eis*, id est per eos cœlos, vel *sine eis*, sicut quidam libri habent. Et notandum quia utrumque repetiit, quod prædixit, scilicet misericordiam et veritatem, quia universæ viæ Domini sunt misericordia et veritas (*Psal.* XXIV). Non enim exhiberetur veritas in impletione promissionum, nisi præcederet misericordia in remissione peccatorum ; denique veritas pertinet ad Judæos, quibus promissa facta sunt. Misericordia congruit gentibus, quibus non clausit Deus fontem suæ bonitatis. Unde Apostolus ait : *Dico enim Jesum Christum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei implendam ; gentes autem super misericordiam honorare Deum* (*Rom.* XV).

A 196 VERS. 4. — « Disposui testamentum electis meis ; juravi David servo meo : usque in æternum præparabo semen tuum. »

Disposui. [Aug., Hier., Aug.] Quasi dicat : Dixisti quod præparabitur veritas, dixisti etiam hoc : *Disposui testamentum*, scilicet novum, quo renovamur ad novam hæreditatem, non utique omnibus qui ex carne Abrahæ sunt vel David, sed *electis meis*, *juravi David servo meo*, ad litteram, illi regi. Securus est iste, quia Deus dixit ; sed securior, quia juravit. Juratio Dei, promissionis est confirmatio. Ex utroque fit homo Ethan, id est robustus. Quid juravit ? quod *usque in æternum præparabo semen tuum*, quod est semen Abrahæ (*Gal.* III), id est Christum.

B VERS. 5. — « Et ædificabo in generatione et generationem sedem tuam. »

Et ædificabo in generatione et generationem, [Gl. int., Hier., Aug.] id est in æternum, *sedem tuam*, id est regiam potestatem. Vel, *juravi David servo meo*, id est Christo usquequaque mihi obedienti. Deinde quid juraverit, supponit, *usque in æternum præparabo sedem tuam*, id est credentes. Nos enim qui credimus, semen Christi sumus. Deinde quod dixerat semen, dicit sedem, subdens : *Et ædificabo semen tuum*, id est fideles, in quibus Christus quiescit et regnat. Nisi enim ab illo regeremur, a nobis ipsis præcipitaremur. Et hoc, *in generatione et generationem*, id est in omnem generationem. Generatio enim non potest toties repeti, quoties
C transit. Repetitio ergo pro omni generatione ponitur. Vel duæ sunt intelligendæ generationes, una carnalis, altera futura in resurrectione. In utraque prædicatur Christus, sed prædicatur hic Christus ut credatur : prædicabitur ibi ut videatur. Hoc est quod supra dixit ; *in generatione et generationem annuntiabo veritatem tuam*. Et nunc ergo sedet Christus in nobis quos regit, sedebit et tunc in sanctis, in quibus regnabit. Vel ita, in generatione et generationem ædificabitur sedes Christi.

PARS II. Διάψαλμα. VERS. 6. — « Confitebuntur cœli mirabilia tua, Domine ; etenim veritatem tuam in Ecclesia sanctorum. »

Confitebuntur cœli. [Cassiod.] Secunda pars, ubi diversis modis laudes et potentiam Dei describit.
D [Alcuin., Aug.] Quasi dicat : Dixisti quod misericordia ædificabitur ; et sicut dixisti, ita fiet, quia *cœli* ex te dicente et jurante certi, *confitebuntur*, id est laudabunt, non merita sua, sed *mirabilia tua, Domine*, scilicet quod redimis, quod justificas per misericordiam. In omni enim misericordia perditorum, in justificatione impiorum, quid laudamus nisi mirabilia Dei ? Laudas, quia surrexerunt mortui; plus lauda, quia redempti sunt perditi. Vides enim hominem heri voraginem ebrietatis, hodie ornamentum sobrietatis. Vides hominem heri cœnum luxuriæ, hodie decus temperantiæ ; heri blasphematorem Dei, hodie laudatorem Dei. Vides hominem heri servum creaturæ, hodie cultorem Crea-

toris. Hæc sunt mirabilia quæ confitentur cœli, ubi confitebuntur illa? in Ecclesia; *etenim*, vel sine enim, confitebuntur *veritatem tuam*, id est in impletionem promissionum, *in Ecclesia sanctorum*. Vel, confitebuntur mirabilia, scilicet quomodo agit omnia Deus, et administrat ubique? [Cassiod.] Etenim veritatem tuam in Ecclesia sanctorum. Veritas in Ecclesia annuntiatur, ubi creditur, quod Verbum caro factum est (*Joan.* I), et quod Trinitas unus Deus est.

VERS. 7. — « Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino? similis erit Deo in filiis Dei. »

Quoniam quis. [Aug.] Quasi dicat : Securi de te prædicant, quoniam quis *in nubibus*, id est in prædicatoribus, etsi potentes sint, *æquabitur* potentia, *Domino*, Christo, et si ipse sit homo, qui et in nube carnis venit. Unde Isaias : *Ascendet Dominus super nubem levem, et ingredietur Ægyptum* (*Isa.* XIX). Notandum quod idem sunt cœli et nubes, scilicet prædicatores, sed cœli, propter fulgorem veritatis; nubes quæ nebulosæ sunt, dicuntur prædicatores propter carnem, propter mortalitatem. Et quia transeunt ubi, id est in quibus abscondita sunt, quæ post in judicio clarebunt. Et quis, *in filiis Dei* qui multi sunt, id est in superis vel hominibus, *erit similis* essentia, *Domino*, id est Christo, qui est filius Dei unicus, quasi dicat : Nullus. Ne ergo homo putetur. Ille enim naturalis, filii adoptivi nos sumus. Ille genitus, nos creati. Ille ab æterno genitus, nos in tempore facti. Ille unicus, nos multi. Et vere nullus est ut ille, quia ipse est

VERS. 8. — « Deus, qui glorificatur in consilio sanctorum; magnus et terribilis super omnes qui in circuitu ejus sunt. »

Deus, qui glorificatur in consilio sanctorum, [Aug.] quia non possunt ei æquari. Consilium eorum est, credere in illum, et in illo gloriari. Ipse est *magnus et terribilis* potentia, *super omnes qui in circuitu ejus sunt*. In circuitu dicit, non quod terminis includatur ejus divinitas, cujus magnitudinis non est finis (*Psal.* CXLIV). Quid enim ubique est nusquam finitus, nihil habet circa se, nisi quia per carnem in uno loco fuit, qui locus habet circa se omnes gentes, in quas missis apostolis per miracula factus est magnus et terribilis. Vel, super omnes qui in circuitu ejus sunt, magnus est, [Cassiod.] id est super angelos vel homines, qui sunt ejus stipatores, non pares, qui ei dono ejus proximant. Et vere super omnes quia o

VERS. 9. — « Domine, Deus virtutum, quis similis tibi? potens es Domine, et veritas tua in circuitu tuo. »

Domine, Deus virtutum cœlestium, [Haym., Cassiod.] id est angelorum, vel virtutum, quibus illi ditantur qui sunt in circuitu tuo, *quis similis tibi?* nullus. Quia *potens es*, tu *Domine*, ex te, [Aug.] illi vero de te, quia omnia fecisti, scilicet cœlum et terram, et omnia quæ in eis sunt, sed plus est nobis misericordia tua quæ exhibuit veritatem, non modo in loco ubi natus es; sed et in omnes qui sunt *in circuitu tuo* expansa est *veritas tua*, qui venis in nubibus cœli, quæ veritas cum cœpit prædicari, mare gentium circa aridam Judæorum cœpit fremere, ut leo in Samsonem, cum iret ducere uxorem de alieniginis (*Judic.* XIV); sed non est timendum, quia

VERS. 10. — « Tu dominaris potestati maris; motum autem fluctuum ejus tu mitigas. »

Tu dominaris potestati maris, [Cassiod., Aug.] id est honoris sæculi. Te enim permittente surgit mare, qui non sinis tentari supra id quod potest ferre homo (*I Cor.* X). Et non solum dominaris, sed etiam *motum fluctuum ejus tu mitigas*, [Cassiod., Aug.] non penitus tollis, ut mereatur quis coronam. Ut autem rabies maris enervetur in ipso mari,

VERS. 11. — « Tu humiliasti sicut vulneratum superbum; in brachio virtutis tuæ dispersisti inimicos tuos. »

Tu humiliasti superbum, [Aug.] id est draconem qui in mari factus est ad illudendum ei (*Psal.* CIII), qui per humilem Christum in quo alii sunt humiles, humiliatur. Humiliavit enim se Christus, ut humiliaret superbum. Superbus enim superbos tenebat, *sicut vulneratum* [Aug., Alcuin., Aug.] Vulneratur diabolus vulnerato Christo, nondum ex toto mortuus est, humiliatus ergo est perdendo quos tenebat vulneratos non penetrata carne, quam non habebat, sed percusso corde ubi superbiebat. *In brachio virtutis tuæ*, [Hier., Cassiod., Alcuin.] in fortitudine tua. Vel in Christo, *dispersisti inimicos tuos*, id est aerias potestates. Vel inimicos, id est Judæos per mundum dispersisti. Vel, dispersisti inimicos, id est de hominibus alios assumpsisti qui sunt spolia diaboli; alios reliquisti quos post eum abire permisisti. [Cassiod.) Ideo autem in cœlo triumphasti de diabolo, quia

VERS. 12. — « Tui sunt cœli, et tua est terra; orbem terræ et plenitudinem ejus tu fundasti; aquilonem et mare tu creasti. »

Tui sunt cœli. [Cassiod.] Ideo autem in terra triumphasti de Judæo, *et*, id est quia *tua est terra*, ad litteram, et quia ejus est cœlum et terra. Cur ergo illi in alienis superbirent? *tu fundasti*, id est firmasti, *orbem terræ et plenitudinem ejus*. Cur ergo in eum se erigunt, cujus est ambitus mundi et omnes creaturæ quæ in eo sunt? *aquilonem*, id est diabolum, *et mare*, id est sæculum *tu creasti*. Stulte ergo se erigunt contra eum a quo creati sunt. Vel mystice sic potest legi. [Aug., Gl. int., Aug.] Quasi dicat : *Confitebuntur cœli mirabilia tua*, Domine, et merito, quia *tui sunt cœli*, id est apostoli, qui pluunt aliis veritatem. *Et tua est terra*, quæ excipit veritatem in circuitu tuo. Hac autem pluvia, *tu fundasti orbem terræ*, id est *totam Ecclesiam et plenitudinem ejus*, id est ea vel eos, quibus quotidie impletur, *aquilonem*, id est diabolum, qui dixit : *Ponam sedem meam ab aquilone et ero similis Altissimi* (*Isa.* XIV). *Et mare*, [Gl. int., Aug.] id est ama-

ros, quibus purgatur Ecclesia, *tu creasti*. Quasi ergo in illis fecisti, plus valet ad dominationem tuam quam illorum voluntas ad malitiam suam.

VERS. 13. — « Thabor et Hermon in nomine tuo « exsultabunt : tuum brachium cum potentia. »

Thabor et Hermon, [Aug.] Isti sunt montes Syriæ, Interpretatur autem Thabor *veniens lumen*. Hermon, *anathema ejus*, a summo, scilicet lumine, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan.* I). Venit lumen gratiæ, quo veniente sit anathema ejus, id est diaboli, qui nos tenebat in errore suo, vel mœrore suo, quod est dicere : A te datum est nobis ut illuminemur, ut anathema demus diabolo. Quasi dicat : Hæc omnia fecisti, et inde *Thabor*, id est illi ad quos a te summo lumine venit lumen ; *et Hermon*, id est qui anathema dant diabolo, *exsultabunt in nomine tuo*, non in suis meritis. [Alcuin.] Vel, quia Thabor et Hermon, montes sunt Syriæ, et per eos accipiuntur gentes, a parte totum per synecdochen, quæ exsultabunt Christo veniente. Vel allegorice sic legitur, Thabor, id est Judæi, ad quos primum venit lumen ; et Hermon, id est gentes, quæ prius erant anathematizatæ, in nomine tuo exsultabunt, conjunctis in angulari duobus parietibus (*Ephes.* II). *Tuum brachium*, [Aug., Gl. int.] Quasi dicat : A te facti sumus, a te etiam defensi sumus, quia, tuum brachium, quo humiliasti superbum, semper est *cum potentia*, et semper,

VERS. 14. — « Firmetur manus tua et exaltatur « dextera tua ; justitia et judicium præparatio sedis « tuæ. »

Manus tua, [Cassiod.] id est operatio tua, *firmetur* contra superbos, ut humilientur, *et exaltetur dextera tua*, id est numerus eorum qui in dextera locandi sunt, clarificetur et augeatur. In fine autem erunt *justitia et judicium*, id est manifestatio justitiæ tuæ, et judicii tui. Cum separabuntur oves ab hædis (*Matth.* XXV), qui nunc occulta sunt. Et tunc erit *præparatio sedis tuæ*. Utique hoc erit in die judicii. Sedes autem Dei est æterna, sed in judicio apparebit parata, cum ipse videbitur juste judicare. Et est, sedes tua apparebit in judicio parata ad faciendam justitiam et judicium, [Aug.] id est ad juste judicandum. Nunc ergo interim quid ? ecce :

VERS. 15. — « Misericordia et veritas precedent « faciem tuam ; beatus populus qui scit jubilatio- « nem. »

Misericordia et veritas præcedent faciem tuam, [Aug.] id est faciem tui post judicaturi. Quasi dicat : Interim præit misericordia qua deles peccata, et veritas, qua imples promissa, ut non timeantur futura judicia. Quæ gaudia cum non sufficiant exponi, ait : *Beatus* est *populus qui scit jubilationem* id est quæ scit de illo gaudendum **197** esse, quod dici non posse novit. Jubilus enim gaudium est, quod verbis explicari non potuit, nec tamen penitus reticeri. Unde autem jubilatio ? de gratia, de

A Deo omnino, non de te homine. Et hoc est quod subdit :

VERS. 16. — « Domine, in lumine vultus tui am- « bulabunt, et in nomine tuo exsultabunt tota « die ; et in justitia tua exaltabuntur. »

Domine, in lumine vultus tui, [Hier., Haym., Aug. Hier.] id est in illuminatione Spiritus sancti, vel Filii. *Ambulabunt homines*, scilicet Thabor et Hermon. In his verbis commendat gratiam de qua jubilus est. Vel ita ab illo loco, *justitia*, et legitur de præsenti, *justitia et judicium præparatio sedis tuæ*, id est modo homines discernendo, et justa tenendo, parant se sedem Domino. *Et misericordia et veritas*, in hominibus, *præcedent faciem tuam*, [Alcuin., Cassiod.] a simili præcursoris Domino hospitium præ-

B parantis, et inde jubilandum est. Et *beatus* est ille, *populus qui scit jubilationem*. Ille scit jubilationem, qui suam lætitiam, non in sua, sed in Domini virtute ponit ; vel qui quod ore cantat, corde intelligit. Unde sequitur hoc præmium : *Domine, in lumine vultus tui ambulabunt*, id est in contemplatione Trinitatis, hic et in futuro perseverabunt. *Et in nomine tuo*, [Hier., Aug.] quod benedicitur in terris, id est in Christiano nomine, non in se. *Exsultabunt tota die*. Qui in se exsultat, non tota die exsultat, quia cadit. Quos autem illuminat et justificat, *et in justitia tua*, non in sua, in qua deprimentur, *exaltabuntur* hic et in futuro. Bene dico, in justitia tua,

VERS. 17. — « Quoniam gloria virtutis eorum

C « tu es ; et in beneplacito tuo exaltabitur cornu « nostrum. »

Quoniam gloria virtutis. [Gl. int.] Benedico in justitia tua, *quoniam tu es gloria*, id est exaltatio, *virtutis eorum*, quos non solum illuminat, sed etiam posse dat. *Et in beneplacito tuo*, [Aug., Cassiod.] quia tibi beneplacuit, non quia digni sumus. Vel, in beneplacito tuo, id est in Christo, *exaltabitur cornu nostrum*, id est potestas nostra. Ideo in ipso, quia assumpsit carnem nostram, in quo est omnis spes. Quod ita dicit,

VERS. 18. — « Quia Domini est assumptio nostra, « et sancti Israel regis nostri. »

Quia Domini est assumptio nostra, [Hier., Aug., Hier.] id est nostræ carnis. Aliter impulsi cadere-

D mus, quia infirmi essemus. *Et sancti Israel regis nostri*, id est qui sanctificat Israel et regit.

PARS III. Διάψαλμα. VERS. 19. — « Tunc locutus « es in visione sanctis tuis : et dixisti : Posui adju- « torium in potente, et exaltavi electum de plebe « mea. »

Tunc locutus. [Aug., Gl. int., Alcuin.] Tertia pars, ubi ponit promissiones Patris de Christo, per quod ostenditur quod superior laus non est dubia : quam paterna firmat auctoritas. Quasi dicat : Deus, unde scis hæc prædicta ? ecce, unde : Quia *tunc*, scilicet quando disposuisti testamentum. Vel, tunc, scilicet quando hæc diceres mihi, *locutus es sanctis tuis*, [Aug., Alcuin.] scilicet reliquis prophetis. Et

hoc *in visione*, id est in occulto, in revelatione quam fecisti eis, unde prophetæ dicti sunt, id est *videntes*. Non enim ignoranter locuti sunt, sicut Montanus, et quidam hæretici, dixerunt. *Et dixisti*, [Haym., Aug.] palam per eos : *Posui adjutorium* hominum *in potente*, scilicet Christo. Quis potens est ille ? Electus. Unde subdit : *Et exaltavi electum* super omne nomen (*Philip.* II), scilicet immunem a peccato, natum *de plebe mea* Judaica. Quis est electus? David, id est Christus, quia est de semine David. Et hoc est :

VERS. 20. — « Inveni David servum meum : oleo « sancto meo unxi eum. »

Inveni David, [Cassiod., Alcuin., Aug.,] id est Christum. David enim interpretatur *manu fortis ; servum meum*, id est mihi obedientem. Ideo in eo posui adjutorium, et *oleo sancto meo unxi eum*, secundum quod homo. Unde alibi : *Unxit te Deus oleo exultationis præ consortibus tuis* (*Psal.* XLIV). Ideo potens, quia.

VERS. 21. — « Manus enim mea auxiliabitur ei ; « et brachium meum confirmabit eum. »

Manus mea auxiliabitur ei. [Haym., Cassiod.,] id est verbum cooperabitur ei, secundum, quod homo in operibus et in passionibus. *Et brachium meum*, [Cassiod., Gl. int.] id est Verbum, quod est fortitudo mea *confirmabit eum* contra adversa, ut peragat incœpta, eousque confirmabit, quod

VERS. 22. — « Nihi proficiet inimicus in eo ; et « filius iniquitatis non apponet nocere ei. »

Nihil proficiet inimicus, [Hier., Cassiod.] id est diabolus, *in eo*. Unde ipse ait : *Venit princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam (Joan.* XIV).*Et filius iniquitatis*, [Gl. int., Aug.] id est Judas, *non apponet nocere ei*, id est non addet effectum pravæ voluntati. Vel, non apponet nocere ei, post resurrectionem Christi, sicut ad patiendum tradidit eum adhuc corruptibilem. Vel de Christo secundum membra, hoc potest dici, nihil proficiet inimicus, id est diabolus vel persecutor, in eo. Sævit quidem exercet, prodest, sed non nocet. Et filius iniquitatis, id est inimicus, non apponet nocere ei : faciet quidem quod suum est, sed non nocebit ei

VERS. 23. — « Et concidiam a facie ipsius inimi- « cos ejus, et odientes eum in fugam convertam. »

Et concidam inimicos ejus a conspiratione sua. [Aug.] Paulatim enim credent, quasi comminuto capite vituli, et venient in potum populi Dei, sicut Moses comminuit caput vituli, et sparsit in aquam, et dedit bibere filiis Israel (*Exod.* XXXII). [Cassiod.] Et hoc *a facie ipsius*. Cum facies ejus peccatores respicit, a criminibus separantur, quibus non est locus sub præsentia ejus. *Et odientes eum in fugam convertam*, [Cassiod.] ut fugiant ab ipso irato, ad ipsum placatum.

VERS. 24. — « Et veritas mea et misericordia « mea cum ipso ; et in nomine meo exaltabitur « cornu ejus. »

Et veritas mea et misericordia mea cum ipso erit.

A [Aug., Gl. int.] Nihil divisum est inter Patrem et Filium, virtutes quas habet Pater, habet et Filius. Notandum vero quod sæpe misericordia et veritas nobis commendantur, ut ea reddamus Deo. Sicut enim misericordiam nobis dedit, delens peccata ; et veritatem, implens promissa : sic reddamus Deo misericordiam, ut miserorum misereamur ; veritatem, ne iniqua judicemus, nec altera alteram impediat, ut in misericordia nimis laxi, vel in veritate nimis rigidi non simus. Aliter enim non sumus in via Dei, ubi hæc, id est misericordia et veritas sibi obviaverunt. *Et in nomine meo* quod est Deus *exaltabitur cornu ejus*, [Cassiod.] id est potentia.

VERS. 25. — « Et ponam in mari manum ejus ; « et in fluminibus dexteram ejus. »

B *Et ponam in mari manum ejus*, [Aug., Hier., Aug., Cassiod.] id est dominabitur gentibus, quæ significantur per mare. Vel opera ejus ostendam in mundo. *Et in fluminibus ponam dexteram ejus*, id est cupidos etiam subdam ei. Flumina enim currunt in mare : ita cupidi in amaritudines sæculi, et tamen hi sunt subditi Christo. Vel, in fluminibus, id est in aquis baptismi, ponam, dexteram ejus, id est operationem. Et hoc ideo, quia

VERS. 26. — « Ipse invocavit me, pater meus es « tu ; Deus meus et susceptor salutis meæ. »

Ipse invocabit me, vel invocavit dicens : *Pater meus es tu*, [Rem., Gl. int.] secundum quod ego Deus *et Deus meus*, secundum quod homo sum *et susceptor salutis meæ*, id est susceptor mei infirmi C ad salutem.

VERS. 27. — « Et ego primogenitum ponam il- « lum ; excelsum præ regibus terræ. »

Et ego ponam, id est constituam illum, *primogenitum*, [Rem., Aug., Hier.] id est præ aliis honorabo eum ; a simili, sicut primogeniti solent honorari, *et excelsum ponam illum præ regibus terræ*, vel, *apud reges terræ*, alia littera, quod jam impletum est. Et quia hæc potestas non est temporalis, subdit :

VERS. 28. — « In æternum servabo illi miseri- « cordiam meam : et testamentum meum fidele « ipsi. »

Servabo illi in æternum misericordiam meam, D [Cassiod.] cui perpetua data est potestas in cœlo et in terra (*Matth.* XXVIII). *Et testamentum meum fidele ipsi*, quia quæcunque de eo prædicta sunt, integre in eo completa sunt. Vel, testamentum, id est promissio æternæ hæreditatis, est fidele ipsi, qui ejusdem testamenti est mediator, [Aug.] id est signator, et fidejussor, et testis, et hæreditas est ipse.

VERS. 29. — « Et ponam in sæculum sæculi se- « men ejus ; et thronus ejus sicut dies cœli. »

Et ponam in sæculum sæculi, [Aug.] id est in æternum, *semen ejus*, Christianum, *et thronus ejus sicut dies cœli*. » Thronus regum est ut dies terræ, qui transeunt ; sed dies cœli semper præsentes sunt, ubi erit thronus ejus in æternum.

Vers. 30. — « Si autem dereliquerint filii ejus « legem meam ; et in judiciis meis non ambulave- « rint. »

Si autem. [Alcuin.] Quasi dicat : Non solum de persistentibus hoc promitto, sed etiam de cadentibus. Et hoc est, *si autem dereliquerint filii ejus* Christi, *legem meam et in judiciis meis non ambulaverint.*

Vers. 31. — « Si justitias meas profanaverint ; « et mandata mea non custodierint. »

Si justitias meas profanaverint, [Haym., Aug.] id est male operando offenderint. *Et mandata mea non custodierint,* non ideo perdam eos, sed

Vers. 32. — « Visitabo in virga iniquitates eo- « rum ; et in verberibus peccata eorum. »

Visitabo, [Haym., Aug.] ut medicus, *iniquitates eorum in virga,* id est in levi correctione, et in virga est misericordia, cædit quidem, sed reddit hæreditatem. Quis enim est filius, cui non dat pater ejus disciplinam ? dat disciplinam pater, ut non auferat misericordiam ; cædit contumacem, ut redeat ad hæreditatem. Quem enim Deus diligit, corripit ; et flagellat omnem filium quem recipit (*Hebr.* XII). Non ergo tantum misericordia vocantis est, sed et flagellantis et verberantis. Unde sequitur : *Et in verberibus,* [Haym.] id est in graviori tribulatione visitabo *peccata eorum.*

Vers. 33. — « Misericordiam autem meam non « dispergam ab eo ; neque nocebo in veritate mea. »

Misericordiam autem meam non dispergam ab eo David, [Aug.] scilicet Christo, id est a corpore ejus, quod est unum cum capite. Ipse enim non tollit misericordiam ei, qui Christianus quidem est. Quod si homo ita iniquus est, ut fugiat accedente patre, ipse se alienat ab hæreditate : non pater abjicit eum. *Neque nocebo et in veritate mea.* Ad hoc enim non tollitur misericordia liberantis, ut non noceat veritas vindicantis.

Vers 34. « Neque profanabo testamentum meum : « et quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita. »

Neque profanabo, Haym., Cassiod., Aug.] id est violabo, *testamentum meum,* id est pactum ; profana esset promissio, si esset inexpleta ; non enim quia filii ejus peccant, ego mendax inveniar. Promisi enim **198** et facio; et si enim paleæ recedunt ; non tamen ideo ipse est sine hæreditate. Nunquid propter malos pisces, nihil ex illa sagena mittetur in vascula ? Mittentur utique boni pisces, id est quos prædestinavit. [Cassiod.] Manet enim immobile testamentum Dei. Deinde repetit ad confirmationem quod dixerat, *et procedunt de labiis meis,* id est prophetis, *non faciam irrita.* Hæc repetitio, confirmatio est.

Vers. 35. — « Semel juravi in sancto meo : Si « David mentiar ; semen ejus in æternum mane- « bit. »

Semel, [Gl.int.,Haym., Cassiod.,Aug.] quasi dicat :

A Vere non faciam irrita, quia *juravi,* homini, *David* filio, Isai, *semel,* id est æternaliter, vel immutabiliter. Homo frequenter jurat, Deus autem semel : qui non variatur. Et hoc *in sancto meo,* id est secreto meo. Unde prophetæ biberunt. Vel, in sancto meo, id est in homine Christo, in quo complendum erat quod juravi. Quid juravi ? [Cassiod., Gl. int.] quod *semen ejus,* Christus, *manebit in æternum* in regno Dei. Et *si* ego *mentiar David* ἀποσιώπησις, quasi nulli verus ero. Vel juravi semel, [Gl. int., Alcuin., Aug., Gl. int.] id est immutabiliter, et æternaliter, David, id est Christo, in sancto meo, id est per sanctitatem meam. Quid ? quod, semen ejus, id est Christiani, in æternum manebit, in regno, Dei. Et si ego mentiar David, id est Christo, null
B verus ero, et est ἀποσιώπησις.

Vers. 36. — « Et thronus ejus sicut sol in con- « spectu meo, et sicut luna perfecta in æternum : et « testis in cœlo fidelis. »

Et thronus ejus erit *sicut sol in conspectu meo,* [Aug.] quod non est in conspectu hominum, id est illi in quibus insidet et dominatur, scilicet membra quæ portant caput, fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum (*Matth.* XIII). *Et sicut luna perfecta in æternum,* scilicet quæ non iterum minuatur. Fulgebunt ergo sancti in futuro regno, sicut sol secundum animam, qui tunc Dei glorificatione vel contemplatione glorificabuntur. Et sicut luna fulgebunt secundum carnem, quæ modo est mutabilis sicut luna
C tunc autem erit immutabilis et perfecta. [Alcuin.] Tunc enim sancti erunt in utroque perfecti, gemina stola candidati et glorificati, quam significabat tabula unius cubiti, per medium secta in Veteri Testamento, quæ duos parietes tabernaculi in angulis occidentalis posita continebat (*Exod.* XXVI), quia fideles tam Novi quam Veteris Testamenti, post mortis occasum gemina beatitudine glorificabuntur. *Et* inde *testis fidelis,* est *in cœlo,* id est Christus. [Aug.] Quia enim in nullo sic contradicitur fidei Christianæ, sicut in resurrectione corporum, ideo et ipse Christus carnem suam resuscitavit, ut obviam iret omni contradicenti : et qui posset membra sua sic sanare ; ut ea vulnerata fuisse non appareret, cicatrices tamen servavit in corpore, ut vulnus dubi-
D tationis sanaret in corde.

Pars. IV. Διάψαλμα. Vers. 37. — « Tu vero re- « pulisti et despexisti ; distulisti Christum tuum. »

Tu vero. [Aug., Alcuin., Cassiod.] Quarta pars, ubi ponit quæ videntur adversa prædictis promissionibus, ne putentur in alio impleri, quam in Christo tunc futuro. Quasi dicat : Christianis hæc prædicta bona sunt, sed non Judæis qui se privaverunt promissione. Et hoc est, *tu vero repulisti Christum tuum,* id est unctum David a regno repulisti pro peccato quod commisit contra Uriam de Bersabee (*II Reg.* XI). *Et despexisti,* vel sprevisti, eum, quia multa indigna passus est, *et distulisti* eum a regno diu in tribulatione sinendo.

VERS. 38. — « Avertisti testamentum servi tui, « profanasti in terra sanctuarium ejus. »

Avertisti testamentum servi tui [Cassiod.] id est quod servo tuo factum erat, quia promissa Judæis lata sunt ad gentes,

[Aug.] Vel ita, et legitur simpliciter ad litteram de David, et ejus regno. Quasi dicat : Illa omnia promisisti, hæc vero contraria fecisti, quia *tu repulisti et despexisti*, David, et ejus regnum, quod ad nihilum deduxit, quod mirandum est. Tu enim qui promittebas, qui confirmabas, qui propter dubitationem humanam jurabas, etiam illa promisisti, et ista fecisti. Ubi ergo tenebo jusjurandum tuum? ubi inveniam promissum tuum? Quare illa promisit : Deus, et ista fecit? hæc fecit, ut promissa firmaret. David enim erat cui promittebantur omnia, sed non in ipso David, sed in semine implenda, qui est Christus (*Gal.* III). Ne ergo quia ei dicta sunt, viderentur in eo impleta, destruxit ea in David Deus, ut quæ erat necesse fieri, quia Deus juraverat, querantur in alio. Unde etiam et Salomon filius David qui factus est tantæ sapientiæ, tantæquæ prudentiæ, ut promissio Dei de semine David in illo putaretur impletum, cecidit (*III Reg.* II), ne putaretur esse semen David, in quo impleretur promissio. Sic etiam et cum dictum fuit Rebeccæ : *Major serviet minori* (*Gen.* XXV). Jacob adorabit majorem Esau (*Gen.* XXXIII), ut hæc promissio in aliis exspectetur. Ita ergo hunc David in quo sperabant ignari promissa Dei impleri, *repulisti et despexisti*, [Cassiod., Aug.] non tamen abstulisti, distulisti Christum filium, *tuum*, ut non in illo David, sed in alio firmius promissa exspectentur. Unde subdit, *avertisti testamentum servi tui*, quod servo tuo factum erat, Vetus scilicet testamentum Judæorum, jam non est regnum eorum, non est sacrificium vel sacerdotium, vel ara eorum. *Profanasti in terra*, id est ubique terrarum *sanctuarium ejus*, vel sancta quæ habebant. Ostendit eis Deus terrena.

VERS. 39. — « Destruxisti omnes sepes ejus; po« suisti firmamentum ejus formidinem. »

Destruxisti omnes sepes ejus [Aug., Cassiod.] id est munimenta quibus munieras eos, ut sic diriperentur ab hostibus, ubi defensionem Dei perdiderunt. *Posuisti firmamentum ejus formidinem* ut dicatur peccantibus : *Si Deus naturalibus ramis non pepercit*, qui videbantur firmamentum, *nec tibi parcet* (*Rom.* II). Vel, posuisti firmamentum ejus formidinem, [Cassiod.] id est quod erat eis firmamento, factum est eis timori pro culpa, id est Deus. Et

VERS. 40. — «Diripuerunt eum omnes trans« euntes viam ; factus est opprobrium vicinis « suis. »

Diripuerunt eum, [Aug., Gl. int.] scilicet David, id est Israel ubique dispersum, *omnes transeuntes viam*, id est gentes quæ transeunt vitam istam, nil in futuro providentes. *Factus est opprobrium vicinis suis*, id est habiti sunt Judæi opprobrio gentibus.

VERS. 41. — « Exaltasti dexteram deprimentium « eum, lætificasti omnes inimicos ejus. »

Exaltasti dexteram deprimentium eum, lætificasti omnes inimicos ejus. [Aug.] Hæc omnia in Judæis cernimus esse impleta.

VERS. 42. — « Avertisti adjutorium gladii ejus ; « et non es auxiliatus ei in bello. »

Avertisti adjutorium gladii ejus, [Aug., Cassiod.] Solebant enim pauci multos vincere, modo victi et captivati. Populus enim armatus sine Deo inermis est. *Et non es auxiliatus in bello*.

VERS. 43. — « Destruxisti eum ab emundatione ; « et sedem ejus in terram collisisti. »

Destruxisti eum ab emundatione. [Aug., Cassiod.] Hoc est gravius omnibus, id est flagella non emundant eos, quia fide caret Judæus, qua emundantur corda. *Et sedem ejus in terram collisisti*, id est regnum eorum ubique deletum est, quia jam de eis non est princeps.

VERS. 44. — « Minorasti dies temporis ejus ; per « fudisti eum confusione. »

Minorasti dies temporis ejus, [Alcuin., Aug., Alcuin.] quia diu staret regnum eorum, si sub Deo esset. Putabant etiam se regnaturos in æternum, sed minuisti dies regni eorum, ut non staret, juxta opinionem eorum. Nec tantum stetit quantum stetisset si sub Deo esset. *Perfudisti eum confusione*, [Cassiod., Aug.,] quia gestant opprobrium infidelitatis. Hæc omnia venerunt Judæis, non tamen ablato eis Christo, et æterno regno, sed dilato. Unde ad Deum dicit :

PARS. V. Διάψαλμα. VERS. 45.— « Usquequo, Do« mine, avertis finem, exardescet sicut ignis ira « tua. »

Usquequo. [Cassiod., Alcuin., Aug.] Quinta pars. Ecce hic dicit in quo impletæ sunt promissiones, scilicet in substantia David, quæ vivit et eruit animam, id est in Christo. Quasi dicat : Hæc dura intulisti Judæis, sed *usquequo Domine*, *avertis* Israel a fide et salute, usque *in finem*, id est semper, non *Domine*, sed Israel salvus fiat. Cæcitas enim contigit in Israel, ut plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fiat (*Rom.* II). Interea tamen *exardescet sicut ignis ira tua*, [Gl. int.] vel similiter sub interrogatione potest dici, ira tua exardescet, id consumet, sicut ignis. Quasi dicat : Non, Domine, sed potius

VERS. 46. — « Memorare quæ mea substantia ; « nunquid enim vane constituisti omnes filios ho« minum? »

Memorare. [Aug.] Dicit hoc David carne positus in Judæis, spe positus in Christo. *Quæ est mea substantia* in Christo, et si enim Judæis deficiunt, non deficit mea substantia. Non omnino interit radix unde veniet Maria, et de ea veniet semen cui promissum est. Nam de populo illo virgo Maria ; de virgine Maria Christi caro. Et caro illa non est pec-

catrix, sed peccatorum mundatrix. *Nunquid enim vane constituisti omnes filios hominum?* Omnes filii hominum in vanitate eunt, non tamen tu vane constituisti eos. Unde ergo mundas eos a vanitate? Nunquid nihil tibi servasti per quod mundes? mundas eos per semen, in quo est mea substantia : de quo subdit :

Vers. 47. — « Quis est homo qui vivet et non videbit mortem? eruet animam suam de manu inferi. »

Quis est, [Aug,] id est quantus est *homo qui vivet*, surgens a mortuis, *et non videbit mortem*, quia jam non morietur, fuit tamen in morte, sed *eruet*, vel eruit, *animam suam de manu inferi*. Ecce vere solus omnino singulariter, hic singulariter Christus. Nulli enim hoc convenit nisi Christo, et si enim resurgentes vivent, et non ultra videbunt mortem ; non tamen ipsi eruent animas suas *de manu inferi*, sed ille qui potest animam suam ponere, et iterum resumere (*Joan.* x), cui nemo eam tollit, eruit animam suam.

[Alcuin.] Vel possunt omnia de Christo et Ecclesia accipi. Quasi dicat : Omnia illa promisisti, hæc autem contraria fecisti tu ipse, quæ tamen ad salutem sunt. Et hoc est : *Tu vero repulisti*, ad patibulum, *Christum tuum, et despexisti*, id est in despectum dedisti, *et tulisti*, vel *distulisti* eum, a gloria ad tempus. Vel hæc dicit de Christo, secundum membra : *Evertisti testamentum servi tui*, id est promissio quam tu feceras ei videtur eversa. Profanabo *in terra sanctuarium ejus*, id est sancti ejus profani reputantur. *Omnes sepes ejus*, id est prælatos, *destruxisti*, dum occiduntur, *posuisti firmamentum ejus formidinem*, id est qui alios firmabant docendo, jam sunt eis timori, dum affliguntur. *Et diripuerunt eum omnes transeuntes viam*, id est Christum, quia quidam eorum jam sunt direpti a transeuntibus viam, quæ est Christus. *Factus est opprobrium vicinis suis. Exaltasti dexteram deprimentium eum, lætificasti omnes inimicos ejus*. Hæc patent. *Avertisti adjutorium gladii ejus*, id est predicationem, ut ea non prævaleret hostibus. *Et non es auxiliatus ei in bello*, sed dedisti ad passiones. *Destruxisti eum ab emundatione, et sedem ejus in terra collisisti*, id est quidam invidi defecerunt, et in terram redacti sunt. *Minorasti dies temporis ejus*, ut putatur, dum cito de vita auferuntur. *Et perfudisti eum confusione*. Ecce ita repulisti Christum tuum, et Ecclesiam. Sed *usquequo, Domine, avertis*, id est usquequo non resuscitas Christum, an usque, *in finem?* absit! *Usquequo exardescet sicut ignis ira tua?* repetitio est. *Memorare quæ mea substantia est*, id est quam fragilis, **199** quæ nihil est, nisi per ipsum sit redempta, memorare. *Nunquid enim vane constituisti omnes filios hominum*, ideo resuscita Christum. Quia *quis est*, ex vobis homo, *qui vivit, et non videbit mortem et eruet animam suam de manu inferi?* nullus. In his jam postulat subveniri homini, id est humano generi, vel specialiter Judæis.

A Pars. vi. Διάψαλμα. Vers. 48. — « Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ, Domine ; sicut jurasti David in veritate tua. »

Ubi sunt misericordiæ. [Cassiod., Alcuin., Aug.]. Sexta pars, ubi dicit quod in membris etiam implentur promissiones non temporaliter sed spiritualiter. Et loquitur in persona Ecclesiæ. Littera sic continuatur secundum primam lectionem. Ecce jam habemus in quo promissa fiunt ; sed credentes adhuc laboramus. Propter hos ergo dicit, *ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ, Domine*. Quasi dicat : *Tu eruis*, et *tamen nos propter te mortificamur*. Ubi, ergo, sunt misericordiæ tuæ antiquæ, Domine, id est patribus olim factæ. Cur non facis, *sicut jurasti David in veritate tua*. Vel ita potest continuari, juxta
B secundam lectionem, [Cassiod., Alcuin,] quasi dicat : Nullus vivet, vel eruet animam suam. Et cum hoc sit, ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ, Domine, quare non facis sicut jurasti David in veritate tua? Jam rogat promissiones impleri, quas David fecit.

Vers. 49. — « Memor esto, Domine, opprobrii servorum tuorum, quod continui in sinu meo multarum gentium. »

Memor esto, Domine, ut remuneres. [Alcuin. Cassiod., Aug., Cassiod., Aug.] Videtur enim oblitus Deus, dum differt, *opprobrii servorum tuorum et multarum gentium*, id est memor esto opprobrii illati servis tuis, a multis gentibus. Jam enim Christus in cœlo sedet, et crimen objicitur Christianis, de
C Christo, *quod* opprobrii ergo Ecclesia *continui*, vel portavi, vel amavi, *in sinu meo*, id est in secreto mentis ; quia palam non audebat loqui. Diu enim continuerunt Christiani opprobria in corde, nec audebant resistere. Sed jam nunc mirabile est nomen Christi apud reges terræ.

Vers. 50. — « Quod exprobraverunt inimici tui, Domine ; quod exprobraverunt commutationem Christi tui. »

Quod opprobrium *inimici tui*, Domine, [Aug.] id est Judæi et pagani, *exprobraverunt*, dicentes periisse Christum. Repetit, *quod exprobraverunt*, [Cassiod., Aug.] exagerat scelus eorum. Quid exprobraverunt? Ecce, *commutationem Christi tui*. Hoc enim objecerunt, quod mortuus est Christus, quod crucifixus
D est, quod est mutari a temporali vita, ad æternam ; a terra, ad cœlum ; a Judæis, ad gentes. Quid ergo insani objiciunt? Nunquid opprobrium est, quod objiciunt? Utinam et ipsi sic commutentur.

Vers. 51. — « Benedictus Dominus in æternum ; fiat, fiat. »

Benedictus Dominus. [Alcuin., Aug.] Exclamatio est hic, ex visa claritate Christi. Quasi dicat : Exprobratio et maledictio eorum est temporalis ; sed Dominus est *in æternum benedictus*, [Cassiod., Aug.] contra maledictiones gentium. *Fiat, fiat*. Ecce quasi suscriptio principis post jussiones, quam omnes faciunt. Et est confirmatio.

COLLATIO IN PSALMUM LXXXVIII : « MISERICORDIAS DOMINI, » etc.

VERS. 3. — *Quoniam dixisti*. Hebr. nunc habent אמרתי hoc est *dixi*. Sensus quidem nihil læditur. Sed si punctulorum minus notas affixeris, tibi liberum manet, secundam aut primam pronuntiare personam אמרת. Unde in Hier. juxta Hebr. in exemplari Frobenii, habet *dixisti*, alia *dixi*.

Misericordia ædificabitur. Hic dubium est, ubi medius distinctionis punctus sit signandus, an sic, *in æternum misericordia ædificabitur*, deinde facta diastole, *in cœlis præparabitur veritas tua*, an ut in priori scriptione posuimus. Qui omittunt postremam particulum, *in eis*, certe secundam distinctionem persequuntur, id quod faciunt Aug. et Cassiod. Est enim inconsueta lucutio, *in cœlis præparabitur veritas tua in eis*, etiamsi in multis locis recepta sit illa phrasis. Sed in Græco, *in eis*, non legitur, Hebr. tamen habet בהם, *in eis*. Chald. et Neb. *mundus misericordia ædificabitur cœli, præparabis aut concinnabis veritatem tuam in eis*. Arnobius vetustissimus auctor, distinxit ut in exordio scripsimus, quia posuit clausulam *in eis*. Unde Hier. juxta Hebr. ut orationis nervos ligaret, adjecit conjunctionem sic *sempiterna misericordia ædificabitur, cœlos fundabis et veritas tua in eis*; Sanctes, *tacuit in eis*, sic, *in cœlis formabis veritatem tuam*: Munsterus, ne illud omitteretur, dixit *in cœlis ipsis formabis veritatem tuam*. De ratione distinctionum in Scripturis, copiose edisserit Aug. lib. III De doct. Christ. c. 2 et 3, cujus verba huc ascribere opportunum fuit, quia plerumque offendes apud Hebraicantes alias sectiones versuum et sententiarum, quam quæ habentur in Vulgata lectione. Ubi autem, ait : « Neque præscripto fidei, neque ipsius sermonis contextu explicari potest, nihil obest secundum quam libet earum quæ ostenduntur sententiam distinguere, veluti est illa ad Corinth : *Has ergo promissiones habentes, charissimi, mundemus nos ab omni inquinatione carnis et spiritus, perficientes sanctificationem in timore Domini* : *capite nos, nemini nocuimus*. Dubium est quippe, utrum *mundemus nos ab omni inquinatione carnis ac spiritus* secundum illum sententiam, ut si corpore et spiritu, an *mundemus nos ab omni inquinatione carnis*, ut alius sit sensus. *Et spiritus perficientes sanctificationem in timore Domini, capite nos*. Tales igitur distinctionum ambiguitates, in potestate legentis sunt. » Hæc divus Aug. At in Heb. significatur distinctio nempe particula circuli dependens a littera he יבנה IIBBANEH, *ædificabitur*. Hoc tamen nihil obstabit, si Campensi circa finem suæ grammaticæ credimus, quod hæc notula non habet vim distinguendi in Psalterio, Proverbiis, et lib. Job. Cæterum in eo quod dicimus *in æternum*, et consentiunt Hieron. Sanctes, Munsterus, Campensis, Chaldæus, Nebiensis, Pratensis, Pellicanus, et interpretes pro Cajetano, *mundus ædificabitur*. עולם OLAM haud dubie anceps est, sed non debemus discedere a communi lectione. De hoc supra.

VERS. 6. *Etenim veritatem tuam*. Faber audacter prædicat particulam, *etenim*, obelo confodiendam ex Hebr. cum tamen legatur aph אף, id est *etiam*, etenim, LXX καὶ γὰρ. Quid non audet temeritas et libido carpendi? Mollius, tamen etiam est. Sed et Pellicanus vertit *etenim*, cum LXX.

VERS. 12. — *Aquilonem et mare*. Hier. et alii *dextrum*, per quod intelligunt plagam meridionalem, quæ est dextra mundi, sicut aquilonaris sinistra. LXX legerunt ימים per mem, in fine, id est *mare* vel *maria*. Hebr. nunc habent ימין per nun. Cognatio dictionum ansam dedit ambiguitatis.

VERS. 33. — *Neque noc.*, etc, לא אשקר, *non mentiar*, ubi dicimus, *non nocebo*. Si quis promissis non staret, plurimum noceret pendentibus a spe promissorum. Et hoc esset mentiri in veritate sua, hoc est juramento vel promissione. Rursus si veritas, quæ est Dei justitia, vindictam exerceret extremam, nunquid diceretur recte nocere? Ob idque nostra lectio utrumque spirans sensum, digna est, et Hebr. consona.

VERS. 37. — *Distulisti Christum tuum*. Hier. Iratus es adversus Christum tuum. Sequuntur et alii, De התעברה superius attactu est, cum ex radice significare possit *transire fecisti*, quod idem est *distulisti*, item *irasci* designat.

VERS. 38. — *Avertisti testamentum servi tui*. Hier., *attenuasti*; Pratensis et Pellicanus, *devastasti*; Sanctes, *elongasti*; Munsterus, *dissolvisti*; interpretes pro Cajet., *vocare fecisti*; editio ad Camp., *rescindis*; Paraphrasis, *violasse videris*. נארתה NEARTAH. Non video hujusmodi tendere in diversum. Nam et translatio Chaldaica habet, *avertisti sanctuarium ejus*. Alii, *diadema vel coronam ejus*, נזרו a themate נזר, quod est *consecravit* utrumque non incongrue designat, nec sensus alius est.

VERS. 39. — *Posuisti firmamentum ejus formidinem*. Prat. Sanct. Munst. doctores Cajet., pro *formidine* ponunt *confractionem* sive *ruinum*. Hier. Neb. et Pellic. cum LXX, *formidinem* seu *pavorem*, מחתה ambiguum est; tametsi pavor incutitur, ex confractione munitionum et murorum.

VERS. 46. — *Memorare quæ*, etc. זכר אני מה חלד hoc est *recordare quanti temporis ego*, ut volunt, quam brevis sit vita mea. Sanct. *memento quid sum, quod tempus*. Et intelligit metathesim dictionum, ceu foret מה אני. Hier. vertit, *memento mei de profundo*. Cæterum חלד, est tempus et duratio hujus sæculi. Dixerat etiam Munst. in priori lexico, significare *profundum orbis*, idque quadrat versioni Hier. Denique Thargum omnes conciliat, dicens : *Memento quod sum creatura tua e pulvere*.

VERS. 49. — *Quod continui*, etc. Hier., *portavi in sinu meo omnes iniquitates populorum*. In Hebr. est nota universitatis כל CAL, quæ permittit sibi subaudiri quod commodius est. Hinc Munst. post Chald., *posui omnia opprobria multorum populorum*. Hier. subintellexit, *iniquitates*. LXX junxerunt signum universale sequentibus, quanquam ad verbum reddendum fuisset *omnium multarum gentium*, רבים כל עמים.

VERS. 50. — *Exprobraverunt*, etc. Alii pro commutatione ex Hebr, עקבות, *ponunt vestigia*. LXX phrasim explicant. Nam vestigia innuunt transitum quemdam Christi per crucifixionem et mortem, quam velut ignominiosum fidelibus exprobant infideles.

PSALMUS LXXXIX.

PSALMI TITULUS : « ORATIO MOSI HOMINIS DEI. »

Domine, refugium. Titulus : *Oratio Mosi hominis Dei*. [Gl. int., Aug., Hier., Aug.] Psalmus iste tertius est eorum, qui nomine orationis prætitulantur. Dicitur autem oratio Mosi, qui fuit minister Veteris Testamenti, et propheta Novi, secundum quam dispensationem iste psalmus inspiciendus est, non quod Moses eum conscripserit, sed quia in hoc psalmo tractantur quæ in Veteri Testamento per Mosen data continentur. Ideo dicitur oratio Mosi.

Cum enim vita vetus et nova, et vita mortalis et vita vitalis, et anni qui pro nihilo habentur, et dies quibus implebimur misericordia et lætitia, et pœna primi hominis, et regnum sæculi, hic aperte distinguantur, congrue nomine Mosi titulatur psalmus, ut eis qui recte scrutantur Scripturas intimetur legem quæ per Mosen data est, ubi terrena præmia videntur promitti, habere aliquid tale sub velamento, quale psalmus iste ostendit. Cum autem quisque transit ad Christum, tollitur velamen, et revelantur oculi ejus, ut consideret mirabilia de lege Dei. Et est sensus tituli; *Psalmus* iste est *oratio;* oratio, dico, *Mosi,* id est illa ostendens et tractans, quæ lex per Mosen data sub velamine continebat. Vel est oratio Mosi, id est hoc David orat in hoc psalmo. quod et Moses ante oravit. Mosi dico, *hominis Dei.* Homo quidem passibilis erat, sed tamen Dei gratia liberandus. Et agit psalmus iste de defectu generis humani, qui per Christum auferetur. Intentio. [Alcuin., Haym.] Monet ad contemptum veteris, et ad amorem novæ vitæ. Modus [Rem., Cassiod.] Tripartitus est psalmus. Primo æternum refugium proponit temporali homini. Secundo exponit infirmitatem hominis, ei petens subveniri, ibi, *ne avertas.* Tertio orat et affirmat liberationem, ibi, *dexteram tuam.* In persona ergo Ecclesiæ loquens, et a spe incipiens ait : O

Vers. 1. — « Domine, refugium factus es nobis « a generatione in generationem. »

Domine, tu factus homo *nobis factus es refugium,* in hoc saxo sæculi. [Cassiod., Aug.] Bene dicit factus refugium, quia per hoc quod homo factus est, nobis cœpit esse, quod non erat ita plene, scilicet refugium. Nulli tamen accidenti subjectus es refugium. *A generatione in generationem,* id est in omni generatione, vel in duabus generationibus, scilicet in veteri cujus ille Moses fuit minister, et in nova cujus ille idem fuit propheta. Ne autem videretur non esse antequam esset nobis refugium, adjungit :

Vers. 2. — « Priusquam montes fierent, aut for« maretur terra et orbis, a sæculo et in sæculum « tu es Deus. »

Priusquam, etc. [Aug.] Quasi dicat : Factus es refugium, **200** sed tamen *tu ipse es priusquam fierent montes,* id est angeli. Quid enim magnum est dicere : De montibus visibilibus, qui sunt pars terræ? quia terra et cœlo, et omnibus corporalibus prior est Deus, *et priusquam formaratur terra,* id est homines. Ecce omnis rationalis creatura hac differentia distincta est, ut montium nomine significaretur celsitudo angelorum, et terræ nomine humilitas hominum. Ideoque non incongrue verba sic distinxit, ut diceret montes, id est angelos fieri, et terra, id est homines formari. Formari enim vel fingi solet dici secundum corpora. Unde : *Formavit Deus vel finxit hominem de limo terræ* (*Gen.* II) : fieri de nihilo. Et ut breviter dicatur universitas rerum, subjungit, *priusquam fieret orbis,* quia *a sæculo et in sæculum tu es Deus* aptius diceretur, ab æterno in

A æternum. Non enim a sæculo Deus est, qui est ante sæcula; aut non est usque in sæculum, cum sit sine fine; sed ex ambiguo verbo Græco [ἀπὸ τοῦ αἰῶνος] fit plerumque in Scripturis, ut vel sæculum pro æterno, vel æternum pro sæculo ponat Latinus interpres. Hic ergo ponitur in sæculum pro æterno. Optime autem ait : Tu es, scilicet immutabilis, non dicit eris vel fuisti, cum immutabilis essentia Dei non noverit præteritum vel futurum. Unde dictum est : *Ego sum qui sum, et qui est misit me ad vos* (*Exod.* III). Et : *Mutabis ea, et mutabuntur. Tu autem idem ipse es, et anni tui,* etc. (*Psal.* CI.) Et vere es, quia es Deus. Ecce quæ æternitas nobis, refugium facta est, ut nos in ea mansuri. De hac temporis mutabilitate fugiamus ad eam ; sed quia
B hic sumus in tentationibus, ne ab ea æternitate avertamur, orat homo Dei, dicens :

Pars II. Vers. 3. — « Ne avertas hominem in « humilitatem, et dixisti : Convertimini, filii homi« num. »

Ne avertas, [Cassiod., Aug., Alcuin.] Secunda pars, ubi exponit infirmitatem hominis, cui petit subveniri. Quasi dicat : Cum sis refugium, *ne avertas hominem* a tuis æternis, *in humilitatem* temporalium, id est in terrenam concupiscentiam et in contemptum, ut temporalia concupiscat sapiatque terrena. Vel ne avertas hominem positum in humilitate, id est in dejectionem, id est hominem dejectum vel positum modo in humilitate bona, id est modo humilem, qui ante fuit su-
C perbus. [Cassiod., Aug., Cassiod.] Ideo oro, ne avertas, *et* id est quia *dixisti : Convertimini* ad me, ab amore mundi, *filii hominum,* quasi dicat : hoc a te peto, quod jussisti, et quod potes facere. Ipse enim potest a mundo liberare, qui docuit cœlestia quærere.

Vers. 4. — Quoniam mille anni ante oculos « tuos tanquam dies hesterna quæ præteriit. »

Quoniam mille anni. [Aug., Gl. int., Hier. Aug.] Quasi dicat : Ideo ne avertas, quoniam, etc. Vel ita continua. Ideo a labilibus istis, ad te opus est converti. Quoniam mille anni, id est quantumlibet longa vita præsens *ante oculos tuos,* id est in tua consideratione, quæ est æterna : et sapiens, scilicet respectu tuæ æternitatis sunt, *tanquam dies he-*
D *sterna quæ præteriit,* non dicit saltem, sicut crastina quæ veniet, sed sicut hesterna quæ præteriit, id est similis est diei hesternæ, secundum hoc quod præteriit. Omnia enim quæ fine clauduntur pro transactis habenda sunt [Gl., int., Aug.] Quasi dicat : Nihil est homo, nisi des ei alteram vitam : sed nec longitudini unius diei, comparantur mille anni, sed potius sunt

Vers. 5. — Et custodia in nocte : quæ pro ni« hilo habentur, eorum anni erunt. »

Et custodia in nocte, [Aug., Cassiod.] id est sicut vigilia noctis, quæ non habet nisi tres horas. Et bene custodiæ noctis comparatur vita præsens pro sollicitudine, et quia in nocte hujus sæculi agitur,

[Aug. Gl. int., Haym.] postea addit etiam de A ærumna mortalis vitæ, dicens, *quæ pro nihilo*, etc. Quasi dicat : Et ut minus dicam, si tu avertas hominem a tuis æternis, *anni erunt eorum*, id est inter ea reputabuntur, *quæ pro nihilo habentur*, [Aug., Alcuin.] ut somnia, et merito inter ea reputabuntur, quia hi anni antequam veniant, nondum sunt : cum autem venerint ; jam non erunt. Quasi dicat : In tenebris agitur vita præsens, et in sollicitudine, et trepidatione : et quasi nihil est.

VERS. 6. — « Mane sicut herba transeat, mane « floreat et transeat : vespere decidat, induret et « arescat : »

Mane sicut herba transeat. [Alc., Cassiod.] Quasi dicat : Dixi quod anni habentur pro nihilo, sed non accusans te, quasi factorem mutabilium hæc B dixi, imo divinæ justitiæ consentiens. Dico prius, *mane* homo *transeat*, id est homo dum vivit transeat. Mane enim, est tempus vitæ. Transeat, dico *sicut herba*. Apta comparatio. [Alcuin., Rem., Alcuin., Aug., Alcuin.] Quasi dicat : Sicut herba mutatur a qualitate quam habet in nocte in deteriorem mane orto sole, ita mutatur homo in deterius. Quasi dicat : Luat homo quod meruit. Mane floreat et transeat, in aliam qualitatem, *et* postea *vespere*, id est in extremis. Vespere enim sigificantur extrema, scilicet tempus quo homo occidit ; *decidat* in mortem, *induret* in cadavere, *et arescat* in pulverem. Sicut herba in extremis secta vel fracta. [Hier., Alcuin.] Vel quia bis ponit *mane*, duas notat ætates, primum mane, pueritia est, quæ cito transit. C Secundum mane juventus est, quæ floret et transit. Vespere significatur senectus, quando refrigescit vigor hominis. Et primum mane hominis, id est pueritia, transeat sicut herba, id est cito. Omnis enim caro fenum, et claritas hominis sicut flos feni : fenum aruit, flos decidit (*Isa*. LX). [Aug.] Secundum mane, id est juventus, floreat et transeat, id est cito peragat florem suum, et vespere frigidæ senectutis, decidat, induret et arescat, hæc non mutantur. Hæc autem pœna de peccato venit.

VERS. 7. — « Quia defecimus in ira tua : et in « furore tuo turbati sumus. »

Quia defecimus [Aug., Haym.,Aug.] Quasi dicat : Dico transeat et transit. Quia defecimus, infirmitate mortales et passibiles facti ; *in ira tua*, id est vin- D dicta nobis inflicta, quam tamen miseriam morte finire timemus. *Et in furore tuo turbati sumus*. Turbati sumus timore mortis : infirmi, infirmitatem finire trepidamus. Unde Dominus Petro : *Ducet te, quo tu non vis* (*Joan*. XXI), et Dominus nos in se transfigurans de seipso dicit : *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Matth*. XXVI). Deinde subdit hanc pœnam nobis esse pro peccato.

VERS. 8. — « Posuisti iniquitates nostra in con« spectu tuo sæculum nostrum in illuminatione « vultus tui. »

Posuisti. [Gl. int., Aug., Alcuin., Cassiod.] Quasi dicat : Defecimus juste quidem, quia peccavimus, et tu posuisti *in conspectu tuo iniquitates nostras*, non ab eis dissimulasti. Exponit quod dixerat, posuisti *sæculum nostrum*, id est iniquitates nostras, vitam nostram pravam, *illuminatione vultus tui*, id est coram te. Idem est hoc quod supradixit, in conspectu tuo, vel sæculum nostrum, id est posteros nostros posuisti in illuminatione vultus tui, id est peccata posterorum nostrorum posuisti coram te. Illa teguntur quæ veniam habent, et illa illuminantur quæ puniuntur. Hoc autem inde probatur.

VERS. 9. — « Quoniam omnes dies nostri defece« runt ; et ira tua defecimus. »

Quoniam omnes dies nostri defecerunt, [Alcuin., Aug., Cassiod.] id est cognitio nostra defecit, obtenebrata ratione per peccatum ; *et in ira tua defecimus* nos ipsi amando quæ transeunt. Vel, omnes dies nostri defecerunt, id est tempus vitæ nostræ abbreviatum est, et pene defecit, quia ad paucitatem redacti sunt dies vitæ nostræ. Vita hominis propter iram Dei abbreviata est, quia præsumptione longioris vitæ peccabant. Et nos ipsi, in ira tua defecimus, id est essentia nostra defecit per ærumnas.

VERS. 10. — « Anni nostri sicut aranea medita« buntur ; dies annorum nostrorum in ipsis septua« ginta annis. »

Anni nostri. [Cassiod., Aug.] Miseria et brevitas hujus vitæ exprimitur hic per similitudinem araneæ, quæ texit inanes telas, ut dolo capiat muscas. Et est : *Anni nostri meditabuntur*, vel meditabantur, *sicut aranea*, id est nos in annis studebamus dolosis et inanibus occupationibus in rebus, scilicet corruptibilibus laborabamus, et inania texebamus. [Cassiod., Alcuin., Aug.] Unde bene dicit, meditabantur, vel meditabuntur anni, non operabantur, quia sine utilitate et fructu boni operis transeunt, quasi sub inani meditatione. Vel passive potest accipi, meditabuntur, vel reputabuntur, anni nostri sicut aranea, id est sicut inanes et inutilis, *et dies annorum nostrorum* complentur *in ipsis septuaginta annis*. Vel dies annorum nostrorum, ita breves sunt, quod in ipsis sunt septuaginta annis, alia littera, quo temporis spatio dicuntur longævi. Quasi dicat : Etiam usque ad octoginta annos aliquas vires habere videntur.

VERS. 11. — « Si autem in potentatibus octo« ginta anni : et amplius eorum labor et dolor. »

Si autem amplius vixerunt homines *octoginta anni* vitæ, [Gl. int., Aug.] ut multum vivant, quod rarum est ; poterunt esse *in potentibus*, id est aliquas vires et potentias poterunt habere usque ad octoginta. *Et si amplius* vixerint, *eorum* est *labor et dolor*, id est si ultra septuaginta vivitur, labor et dolor multiplicabitur [Hier., Aug.] Senectus enim ipsa morbus est, ita hæc ad litteram dici possunt. Sed quia et citra septuaginta annos sunt quidam infirmi et senes, et ultra octoginta sunt aliqui vigentes virtutibus, melius hæc mystice accipiuntur. Septuaginta ergo et octoginta, sunt centum quin-

quaginta ; in centum quinquaginta, eadem significatio est quæ in quindecim, qui numerus constat de septem et octo. Septem significat Vetus Testamentum, propter Sabbatum quod observare mandabat [Alcuin., Aug.] Observabant patres Veteris Testamenti septimum diem, septimam septimanam : septimum mensem, septimum annum : septimum annum, septimæ decadis, qui jubileus dicitur. Octo vero significat Novum Testamentum, propter resurrectionem Domini octava die factam, quæ observatur in Novo Testamento, ubi et in octava futuræ resurrectionis exspectatur. Inde etiam sunt quindecim gradus in templo Salomonis. Inde etiam in psalmis quindecim cantica Graduum. Inde etiam quindecim cubitis aqua diluvii excrevit, super summos montes. Per septuaginta ergo et octoginta, Testamentum Vetus et Novum significatur. Nota ergo etiam diligenter quod distincte dicit : *In ipsis et in potentatibus*. Et est sensus talis : *Anni nostri meditabuntur sicut aranea*, et sic *dies annorum nostrorum*, id est vita nostra est *in ipsis annis septuaginta*, vel, in ipsis, qui sunt septuaginta anni, id est in temporalibus, quæ promittebantur in Veteri Testamento quod significabatur per septuaginta. Ideo ergo dixit septuaginta, quia in Veteri Testamento promittebantur temporalia, in quibus est vita nostra, pertinens ad Vetus Testamentum. *Si autem*, non in ipsis annis, sed *in potentatibus* erat vita nostra, id est si non erit in temporalibus ; sed æternis et spiritualibus, tunc dies annorum nostrorum erunt *octoginta anni*, id est vita nostra pertinebit ad Novum Testamentum, quod significatur per octoginta vel octo, quia Novum Testam., est in spe resurrectionis octava ætate futuræ. *Et amplius eorum labor et dolor*, id est quisquis hanc fidem transit, et aliquid amplius quærit, labores et dolores invenit. Vel sic potest intelligi. Quasi dicat : Vita quæ est in potentatibus pertinet ad Novum Testamentum. Et licet homines sint in Novo Testamento, tamen *amplius eorum est labor et dolor*, id est licet simus in Novo Testamento : tamen adhuc habet vita nostra laborem et dolorem, dum in nobis gemimus redemptionem corporis exspectantes *(Rom.* VIII). [Aug., Alcuin.] Vel per septuaginta annos potest intelligi appetitus terrenorum, quæ septem diebus aguntur. Per octoginta, æternitas significatur. Et est, dies annorum nostrorum, id est vita nostra, erunt in ipsis septuaginta annis, id est in appetitu et desiderio temporalium. Si autem in potentatibus, id est si virtutibus fuerit vita nostra : tunc sunt octoginta anni, id est æternitas petitur, *et amplius eorum labor et dolor*, hoc non mutant.

VERS. 12. — « Quoniam supervenit mansuetudo ; « et corripiemur. »

Quoniam supervenit. [Aug., Alcuin.] Quasi dicat : Adhuc est labor et dolor. Sed hoc ad misericordiam Dei pertinet qui flagellat filios. *Quoniam supervenit*

A *mansuetudo* Dei. Mansuetudo, si Dei est, dicitur clementia : si nostra est, dominatio dicitur. Ipse enim per clementiam mansuetus, domando nos effecit mansuetos, [Aug.] *Et* sic *corripiemur*. *Quem enim diligit Deus, corripit, et castigat* (*Hebr.* XII). Et cum hoc sit.

201 VERS. 13. — « Quis novit potestatem « iræ tuæ, et præ timore tuo iram tuam dinume- « rare ? »

Quis novit potestatem iræ tuæ ? [Gl. int. Aug.] Quasi dicat : Beatus est qui novit ; paucorum enim est hoc, scilicet nosse potestatem iræ tuæ, quia plerisque dum parcis, magis irasceris. Quosdam alios dum punis, mansuetudo est. Unde : *Cum iratus fueris misericordiæ recordaberis* (*Habac.* III).
B [Gl. int., Aug.] Quibus autem plus irasceris, parcis, ut sic prosperetur peccator in via sua, et majora recipiat in novissimo, id est pœnam æternam, quæ est potestas iræ tuæ. Quam difficile ergo reperitur ! *Quis novit potestatem iræ tuæ ?* id est quis novit iram tuam, et ipsius iræ potestatem, id est virtutem et majoritatem quam exerces contra illos quibus hic parcis ? potestas enim iræ hominis est corpus occidere, et post nihil facere (*Matth.* X). Deus autem et hic punit, et post in gehennam mittit, et a paucis eruditis major ejus ira intelligitur. Et quis novit *dinumerare*, [Gl. int., Haym.] id est distinguere *iram tuam*, quia his parcit ad pœnam, hos punit ad salutem, *præ timore tuo*, id est ad hoc ut te timeant. Quasi dicat : Pauci.

C PARS. III. VERS. 14. — « Dexteram tuam, Do- « mine, sic notam fac : et eruditos corde in sa- « pientia. »

Dexteram tuam, Domine. [Cassiod.] Tertia pars, ubi orat et affirmat liberationem. Quasi dicat : Ut mansuetus corripis, ergo, o *Domine, dexteram tuam*, id est Christum, *si notam fac*, ut tui discant per eum magis petere ea quæ non videntur pertinentia ad Novum Testamentum, quod præsentia pertinentia ad vetus : quam orationem hominis Dei impletam videmus. Christum enim sic fecit Deus notum, ut in ejus passionibus ostenderet non præsentia secundum Vetus Testamentum, sed æterna esse petenda. Vel dextera Dei est æterna felicitas, qua oves ab hædis separabit (*Matth.* XXV), in qua qui sessurus sit, bene sic innotescit Deus, cum flagellat
D quem recipit. (*Hebr.* XII), nec sinit in malis prosperari, sed emendat ut ad dexteram ponat. Et est, dexteram tuam, id est æternam felicitatem, sic notam fac, ut homines dinumerent iram tuam, præ timore ; *et eruditos* vel compeditos, *corde in sapientia*, fac notos subaudi. Verbum enim Græcum (126) utrumque significat, scilicet eruditos vel compeditos, quod tamen idem est, quia qui erudiuntur in sapientia, pedem mentis mittunt in compedes præceptorum Dei, ne a via ejus exorbitent : quos sic fecit Deus notos in Novo Testamento, ut pro fide-

(126) πεπαιδευνους, id est *eruditos* ; πεπηδεμένους id est *compeditos*.

ejus omnia spernerent, quæ magna habentur in Veteri Testamento, et æterna bona morte quærerent. Hoc autem attendens iste homo Dei, orat pro eis qui multa patiuntur a sæculo pro æternis, dicens : Et o

VERS. 15. — « Convertere, Domine, usquequo ; « et deprecabilis esto super servos tuos. »

Convertere, [Cassiod., Alcuin.] id est justitiam tempera. Ita hoc dicit Deo, quasi aversa sit facies ejus a tribulatis. Dico convertere, *et usquequo* eris aversus ? [Aug., Cassiod., Aug.] Vox ista, oratio est justi, non indignatio impatientis. Vel secundum aliam litteram, *convertere, Domine, aliquantulum*, non ex toto, quia magis prodest, si aliqua tribulatio semper movet nos ; *et deprecabilis esto super servos tuos*. Quasi dicat : Talem te exhibe, ut possis exorari a peccatoribus ; sed iste homo Dei jam futura bona spe anticipans, quasi de factis ait :

VERS. 16. — « Repleti sumus mane misericordia « tua ; exsultavimus et delectati sumus in omnibus « diebus nostris. »

Repleti sumus mane misericordia tua, [Aug.] id est in æternitate. Modo est nox, in qua esurimus et sitimus. Tunc autem satiabuntur vultu Dei. Unde : *Satiabor cum apparuerit gloria tua* (*Psal* XVI). Et alibi : *Mane astabo tibi et videbo* (*Psal.* V.) id est satiabor. [Cassiod., Aug.] *Et ibi exsultavimus in laude tua et delectati sumus*, in re jocunda, *in omnibus diebus nostris*. Ibi omnes dies simul sunt. Non succedunt sibi, quia unus sunt, id est æternitas. Nunc autem pro eo,

VERS. 17. — « Lætati sumus pro diebus quibus « nos humiliasti, annis quibus vidimus mala. »

Lætati sumus etiam *pro diebus*, [Alcuin., Aug., Gl. int.] id est in diebus malignis, *quibus nos humiliasti*, scilicet *annis quibus vidimus mala*, id est angustias corporis, in quibus diebus dicimus,

VERS. 18. — « Respice in servos tuos et in opera « tua, et dirige filios eorum. »

Respice in servos tuos, etc., [Gl. int., Aug., Haym.] Quasi dicat : Nos humiliasti, sed respice in servos tuos, *et* pro id est, *in opera tua*, quia ipsi servi sunt opera tua, *et dirige filios eorum*, id est imitatores, ut sint recti corde quibus bonus est Deus. [Aug.] Vel, filios eorum, id est opera. [Cassiod., Alcuin.] Vel Propheta hic pro Judæis peccantibus, specialiter orat, dicens : Respice in servos tuos. Quod Deus facit in se, Propheta orat fieri pro populo suo. Orat scilicet ut parcat Judæis peccantibus, si non pro meritis eorum, saltem propter opera quæ in eis fecit. Unde subdit : Et respice in opera tua, quæ fecisti in eis, et dirige filios eorum. Quasi dicat : Si ipsi propter iniquitates dispersi sunt saltem filii in fine fide corrigantur, qui per se pravi sunt et inconvertibiles.

VERS. 19. — « Et sit splendor Domini Dei no- « stri super nos, et opera manuum nostrarum

A « dirige super nos, et opus manuum nostrarum di- « rige. »

Et sit splendor Domini Dei nostri super nos, [Haym., Aug.] id est lumen vultus tui, scilicet imago Dei recreans, gratia Spiritus sancti reformans imprimatur menti nostræ. Triplex quippe est imago, scilicet imago creationis, imago recreationis, imago similitudinis. Imago creationis est, qua creati sumus, scilicet ratio. Imago recreationis, gratia per quam reformatur imago creata, scilicet ratio. Imago similitudinis, ad quam facti sumus, scilicet Deus Trinitas, ad cujus similitudinem factus est homo, non Patris tantum, vel Filii, vel Spiritus sancti, sed Trinitatis ; per memoriam, similis Patri ; per intellectum, Filio ; per dilectionem,

B Spiritui sancto ; per hanc Trinitatem imago creata, similis est increatæ Trinitati. Unde meminerim te, intelligam te, diligam te. [Hier., Cassiod., Aug.] Vel splendor Dei est super nos, dum crucis impressione decoramur, et vexillum triumphi in fronte portamus. *Et opera manuum nostrarum dirige*, ut non pro mercede terrenorum ea faciamus, sed pro æternis. Deinde, quia omnia opera bona ad unum diriguntur, singulari numero subdit : *Et opus manuum nostrarum dirige*, id est omnia bona unum opus charitatis sunt, id est ad unum finem diriguntur.

COLLATIO IN PSALMUM LXXXIX : « DOMINE, REFUGIUM, » etc.

VERS. 3. *Ne avertas hominem in humilitatem*. In Hebraico nusquam est negatio, sed affirmative le-

C gitur, *convertes hominem in humilitatem* sive *contritionem*. Sed unde hoc inoleverit aperiam : Nam nomen *Deus*, et negatio *non*, nihil distant præter pronuntiationem, et punctulorum adnotationem, verbi gratia, אל EL dicitur *Deus*, אל AL, id est *ne* vel *non*. Cæterum ubi finiebatur superior proximus versiculus, *a sæculo usque in sæculum tu es Deus*, quædam exemplaria Græca non habebant, *Deus*, quomodo etiam non habent quæ apud nos exstant. Deinde particulam quæ est אל citra punctationem poterat legi אל AL. Ob idque sequenti versui copularunt qui ex Heb. hanc editionem tradiderunt. Quid tamen de hoc sentiat Hier. cernes ad Suniam et Fretellam. Et dicitis, inquit, quod in Græco non sit Deus, ἀπὸ τοῦ αἰῶνος καὶ ἕως τοῦ αἰῶνος σὺ εἶ, a sæculo et usque in sæculum tu es, quod apud eos deesse manifestum est. Nam et Hebraica veritas habet, et omnes alii interpretes, et LXX similiter transtule-

D runt, ἀπὸ τοῦ αἰῶνος καὶ ἕως τοῦ αἰῶνος σὺ εἶ ὁ θεὸς quod Hebraice dicitur מעולם ועד עולם אתה אל MEOLAM VEAD OLAM ATAH EL. Hactenus D. Hier. Porro utrobique intelligentia alia est. Juxta lectionem Vulgatam, interpretatur *humilitas, concupiscentia terrena*. Juxta aliam accipitur pro *resolutione corporis in pulverem*, secundum conditionem naturæ. Eoque rectum est ut Deum precemur ne *avertat ab æternis, propter priorem humilitatem*. Secundam confiteamur necesse est. Sed audiamus Hiero. expressius et clarius ad Cyprianum scribentem, et omnem psalmum edisserentem, ubi utramque lectionem probat et interpretatur, ubi etiam asserit nostram lectionem esse LXX, quanquam aliter visus est sentire ad Suniam et Fretellam : *Convertes hominem usque ad contritionem ; et dices : Revertimini, filii Adam;* LXX, *ne avertas hominem*

in humilitatem et dixisti : Convertimini, filii hominum. Juxta Hebraicum hoc quod dicitur, hoc est : O Deus, qui hominem condidisti, et ab initio es ejus refugium et habitatio, convertes eum usque ad contritionem, fecisti eum atque plasmasti, ut converteretur in mortem, et vas tuum extremo vitæ suæ tempore frangeretur, cui cum immineat ista conditio, ut ortus intereat, et quamvis longo vixerit tempore, tamen fine dissolvatur extremo, quotidie ei loqueris per prophetas : Revertimini, filii Adam, qui vestra culpa offendistis Deum, et de immortalibus facti estis mortales. Præcipientis enim noluistis audire imperium : *De omni ligno quod est in paradiso comedes*; *de ligno autem scientiæ boni et mali non comedes. In quacunque enim die gustaveris de eo, morte morieris* (*Gen.* II). Porro illud quod LXX transtulerunt, *ne avertas hominem in humilitatem et dixisti : Convertimini, filii hominum*, hunc habet sensum : Obsecro ut hominem quem ad tuam imaginem et similitudinem condidisti, et tantum eum honorare dignatus es, ut de servo filium nuncupares, ne eum humilies peccato perpetuo, super eum vigeat antiqua sententia : Terra es tu, et in terram ibis. Tu enim promisisti pœnitentiam dicens : *Nolo mortem peccatoris, tantum ut convertatur et vivat* (*Ezech.* XXXII). Tu dixisti omnium sanctorum tuorum eloquio, convertimini sive revertimini, filii hominum, ad clementissimum Patrem, qui occurrit venientibus, et signum quod vitio suo perdiderunt offert, et stolam incorruptionis largitur antiquam, quia *mille anni in oculis tuis, ut dies hesterna quæ præteriit*, transiit, ut vigilia nocturna sive in nocte ; qui per prophetas super nos ad pœnitentiam provocas, dicens : *Revertimini, filii hominum*, petimus, ut ante jam dixi, ne facias hominem in humilitate sempiterna retineri. Nec enim putamus longum esse, quod promittis, salutem nobis post multa tempora tribuendam æternitati comparata, brevis est omnium temporum longitudo. Hæc divus Hieronymus.

VERS. 5. — *Quæ pro nihil habentur*, etc. Pondus sententiæ hic asservatur, non verborum tenor. Hier, percutiente te eos, ut somnium erunt. Sed nec ad verbum reddidit. Siquidem זרם ZARAM est *cum impetu fluere*, זרמתה שנה יהיו ZERAMTAM SCHENAH IIHEIU. Munsterus, *facis impetum irruere in eos, eruntque ut somnus*; Sanctes, *inundasti eos, somnus sunt*; alii, itidem. Cæterum שנה, sine punctorum notulis, potest afferri שנה SCHANAH, id est *annus*, vel שנה SCHENAH, id est *somnus*. Suam tamen versionem explicat Hieron. ad Cyprianum.

VERS. 6.— *Mane floreat et transeat*. Munsterus et Campensis, pro eo quod est *transeat*, ponunt *crescere*. Hier. *abire*; et alii similiter, vel quidpiam simile, חלף HALAPH futurum hujus verbi, mox ante Munsterus verterat *mutari*, et nunc *crescere*.

VERS. 7. — *Turbati sumus*. Sic et Hier. Itemque omnes alii recentiores. Hieron. tamen magis pro- D bat translationem Symmachi et Aquilæ quam suam. « Pro eo, inquit, quod nos diximus *liberati sumus*, Symmachus et Aquila transtulerunt *acceleravimus*. Brevitatem autem vitæ significat humanæ. » Ac paulo post : Pulchie autem, non in LXX habetur, *turbati sumus*, sed, juxta Hebr. *acceleravimus*, dicitur. Ut quamvis ætas hominum longa videatur, tamen comparatione æternitatis brevis sit, quod et illustris poeta testatur dicens : « Sed fugit interea, fugit irreparabile tempus. »

VERS. 8. — *Sæculum nostrum* עלמנו ALUMENU. Hier. transtulit, *negligentias nostras*. Sanctes, *errores nostros*. Cæteri, *occulta nostra*, LXX respexerunt עלם OLAM, id est *sæculum*. Hier. et alii radicem עלם ALAM, id est *negligenter erravit*, et quandoque *abscondit*. De hoc Hier. ad Cyprianum disceptat. Ubi nos juxta Heb. et Symma. posuimus

A *negligentias* **202** *nostras*, pro quo Septuaginta *sæculum* transtulerunt, in Hebraico scriptum est עלמינו ALUMENU, quod quinta editio interpretatur *adolescentiam*, Aquila παροράσεις. Et nos in linguam nostram vertere possumus *errores* sive *ignorantias*. Miror autem cur Septuaginta voluerunt pro ALUMENU, id est *adolescentia*, *negligentiis et erroribus* sive *ignorationibus*, *sæculum* dicere, nisi forte quod in sæculo, et in vitæ hujus tempore, vitia committantur.

VERS. 10. — *Anni nostri sicut aranea meditabuntur*. Hieronymus et recentiores aliter signant distinctionem. Accipiunt enim active verbum superioris versus, ubi dicebamus *defecimus*, et copulant sequentibus, hoc pacto : *Consumpsimus annos nostros, quasi sermonem* Addit tamen Hieronymus, explicatioris sensus gratia, *loquens*. Alii non addunt In Hebr. הגה HEGEH, inclinatur a radice הגה HAGAH, quæ interdum significat *meditari*. Sed vocabulum B *aranea*, cur a Septuaginta sit positum, explicat Hieronymus ad Cyprianum. « Pro *sermone loquentis*, Septuaginta *meditationem araneæ* transtulerunt. Quomodo enim loquentis sermo prætervolat, ita et opus araneæ incassum texitur. De quo super persona hæreticorum scriptum est in Isaia : *Telam araneæ texunt* (*Isa.* LIX). Quæ parva et levia potest capere animalia, ut muscas, culices, et cætera hujusmodi ; a fortioribus autem rumpitur ; instar levium in Ecclesia simpliciumque qui eorum decipiuntur erroribus, cum viros in fidei veritate robustos non valeant obtinere. » Hæc ille.

VERS. 11. — *In potentatibus*. בגבורות BIGBUROTH. Hieronymus vertit *multum* adverbialiter. Alii consonant Septuaginta, ac idem suam interpretatur versionem ad Cyprianum. Quidquid igitur vivimus, et in quo delectabilis est vita mortalium, *septuaginta annorum* spatio comprehenditur. Sin autem *multum*, et ut interpretatus est Symmachus, contra C opinionem, *octoginta* sunt *anni*; quidquid supra fuerit morbis et infirmitate transigitur, quæ est socia senectutis.

Amplius eorum labor et dolor. Hieronymus consimiliter. Non longe est Pellicanus, habens *prolixius* quod nos et Hieronymus, *amplius*. Alii vertunt *superbiam, fortitudinem*, vel *excellentiam*, pro *amplius*. Ex quo liquido constat LXX per metathesin accepisse הרבם HORBAM, vice רהבם ROHEBAM. Prius enim designat, *multum* vel *amplius eorum*. Deinde *labor et dolor*. Pratensis et Pellicanus, *labor et iniquitas*; Sanctes, *perversitas et iniquitas*. Cæteri sunt fere nobiscum עמל ואון AMAL VAAUEN. Denique non est gravior *molestia*, aut *afflictio*, quam *iniquitas*, quæ ob id ita nuncupari potest.

VERS. 12. — *Quoniam superveniet mansuetudo et corripiemur*. In Hebræo, vix quidquam invenitur affine huic sententiæ, si verba exterius ponderamus כי־גז חיש ונעפה KIGAZ HISCH VAANUPHAH. Quod D Hieronymus ita reddit : *Quoniam transivimus et avolavimus*. Eodem conspirant reliqui. Primum dicendum est nobis, quid de hoc tractaverit Hieronymus; deinde offeremus quod potest dici ad conciliationem, sine præjudicio melius judicantium. Hieronymus Cypriano : « *Quando transivimus cito et avolavimus*. Septuaginta, *quoniam superveniet mansuetudo super nos, et corripiemur*. Pro quo in Græco scriptum est, παιδευθησόμεθα, quod verbum ambiguum est, et tam correptionem quam eruditionem doctrinamque significat. Quem enim diligit Dominus corripit sive erudit, ac flagellat omnem filium quem recipit (*Hebr.* XII). Quem locum ita Symmachus transtulit : *Succidimur enim repente et avolavimus*. Quinta editio hoc modo : *Quoniam transivimus celeriter et dissolvimur*. Et est sensus : Post septuaginta annos, et ut multum octoginta, quibus hominum vita transigitur, cum anima fuerit a cor-

pore segregata, vento similes avolamus, sive quia supra herbæ virenti, et florum pulchritudini, et ad vesperam siccitati hominem comparat; nunc pro ariditate vesperæ, succisionem florum ponit. Et cum pertransierit, inquit, omne quod vivimus, subita morte dissolvimur. Quod autem Septuaginta dixere, *quoniam supervenit mansuetudo et corripiemur*, hunc habet sensum: Post septuaginta annos et octoginta, cum venerit mansuetudo, et dies nobis mortis ingruerit, non judicabimur juxta meritum, sed juxta clementiam. Et quæ putatur correptio esse, eruditio est et doctrina. Satisque miramur, quid voluerint verbum Hebraicum גז חיש GAZ HISCH, LXX, Theodotio et sexta editio transferre *mansuetudinem*, cum Aquila et Symmachus et quinta editio *festinationem*, et *repente celeriterque* transtulerunt. » Hactenus Hieronymus. Cæterum si legerimus גז GAZ, גז GEZ, a radice גזז GAZAZ, id est *totondit*, id sonat Hebræis *vellus*, quod certe est symbolum dulcoris et mollitudinis, ad quod fortasse Septuaginta alludebant. Deinde חיש vel חוש HISCH, id est *festinavit aut cito*, ut sit *vellus festinavit*. Itaque *mansuetudo* hac ratione signata *supervenit*. עוף OPH autem proprie significat *avolare*, dehinc *coruscare* et *illustrare*. Postremum videntur Septuaginta respexisse interpretantes, quod eruditio sive vexatio dat intellectum, etiam si avolatio potest correptioni ac eruditioni haud difficile coaptari.

VERS. 13. — *Iram tuam dinumerare*. Ultima particula in Hebr. sequentem spectat versum, et aliam fecerunt distinctionem Septuaginta, למנות LIMNOTH, quod etiam admonuit D. Hieronym. ad Cyprianum, cujus expositio hæc est: *Quis novit fortitudinem iræ tuæ, et secundum timorem tuum indignationem tuam?* Septuaginta, *quis novit potestatem iræ tuæ, et præ timore tuo, iram tuam dinumerare?* Inter Hebraicum et Septuaginta diversa distinctio est. Septuaginta enim dinumerationem timori et furori Domini copulant. Porro Hebraicum sequenti aptat versiculo, ut sequatur, *ut numerentur dies nostri, sic ostende et veniemus corde sapienti*. Quid breviter ita nobis disserendum videtur? Quis potest nosse quandiu ira tua, ex qua timor nascitur humano generi, perseveret, nisi te docente qui Deus es? Itaque obsecro, ut tempus vitæ nostræ indices nobis, quo possimus corde sapienti tuo nos judicio præparare. Quod autem dixit, *quis novit fortitudinem sive potestatem iræ tuæ, et secundum timorem tuum indignationem tuam*, ostendit esse difficile, iræ timorisque et indignationis Dei secretum rationemque cognoscere. » Hæc ille.

VERS. 14. — *Dexteram tuam*. Hebr., *dies nostros*. Unde autem varietas profecta sit, clare ostendit Hieronymus ubi supra: « *Ut numerentur dies nostri, sic ostende, et veniemus corde sapienti*. Errorque perspicuus, cur pro diebus Septuaginta dexteram dixerint ימינו IAMENU, quippe verbum compositum est, significans *dies nostros*, quod in singulari numero si scribatur, extrema littera, quæ appellatur nun, נ, exprimit *dexteram*, sicut est illud in nomine Benjamin, qui interpretatur *filius dexteræ*. Sin autem ם habeat, *diem* vel *dies* sonat. Est autem sensus: Numerus annorum dierumque nostrorum, quibus in hoc sæculo nos vivere decrevisti, ostende nobis, ut præparemus nos adventui tuo, et contempto errore mortalium, ad te pergere festinemus, cupiamusque præsentiam tuam; ut ad te festinemus, corde sapienti. Nihil tam decipit humanum genus, quam dum ignorant spatia vitæ suæ, longiorem sibi sæculi hujus possessionem repromittunt, unde et illud egregie dictum est, nullum tam senem esse, et sic decrepitæ ætatis, ut non se adhuc uno vel plus anno vivere suspicetur. Ad hunc sensum pertinet, et illud quod dicitur: Memento mortis tuæ, et non peccabis; qui enim recordatur se quotidie esse moriturum, contemnit præsentia, et ad futura festinat. Hoc est quod David in alio precatur loco dicens: *Ne auferas me in dimidio dierum meorum, priusquam abeam et non subsistam* (*Psal.* XXXVIII). Quod ita exponitur: Ne eo tempore facias me mori, quando adhuc putabam me victurum, ut possim peccata corrigere pœnitentia. Si enim hoc feceris, inventus in delictis meis esse desistam, non quod spem resurrectionis neget, sed quod coram eo se neget posse subsistere, apud quem omnes, qui in vitiis perseverant, pro nihilo reputantur. » Hæc ille.

Eruditos corde sapientia. Hieronym. *Veniemus corde sapienti*; Pratensis, *adducemus cor sapientiæ*; Sanctes, *adducemus in cor sapientiam*. Itidem cæteri. Ubi perspicis quod ubi dicimus *eruditos*, ibi dicunt *adducemus* aut *veniemus*, aut *offeremus*. Porro in נביא NABI, si prima littera sit de radice, significat *prophetam*, quomodo acceperunt Septuaginta. Siquidem non est eruditior corde ipso Propheta. Itaque interpretatur Hieronymus in Commentariis *eruditos corde*. Chaldæus paraphrastes consonat inquiens: *Solus propheta, cujus cor abundat sapientia*. Sin autem fuerit servilis, est *adducemus* juxta alios. Jam illud quod nonnulli codices habebant *compeditos* pro *eruditis*, tangit Augustinus ac conciliat. « Verbum enim Græcum, inquit, ita in utraque significatione similiter sonat, ut una syllaba paululum differat. Cæterum Hieronymus id tribuit hallucinationi dicens: Ubi nos interpretati sumus, *eruditos corde in sapientia*, alii transtulerunt, *compeditos*, verbi ambiguitate decepti. » Si enim dicas πεπεδημένους *compeditos*, sin autem πεπαιδευμένους, *eruditos* significat.

VERS. 16 et 17. — *Repleti sumus mane misericordia tua, exsultavimus et delectati sumus, lætati sumus pro diebus*, etc. Faber et Cæcus more suo interpretes arguunt, qui debuissent vertere, per modum precatorium, *reple, lætifica*, et per futurum illa, *exsultabimus et delectabimur*. Qui enim fiet ut qui versu septimo conquerebantur se defecisse præ ira, ejusque furore turbatos, nunc affirment se lætatos et exsultantes. Et maxime cum Hieronymus ex Hebræo ita transtulerit ut jubent. Atqui audiant eumdem Hieronymum, quid pro nobis adversus latratus eorum respondeat ubi supra: « *Imple nos matutina misericordia, et laudabimus, et lætabimur in cunctis diebus nostris*; Septuaginta, *repleti sumus mane misericordia tua et exsultavimus et delectati sumus in omnibus diebus nostris*. In cunctis pene locis hanc habent Septuaginta consuetudinem, ut quod apud Hebræos in futurum ponitur, hoc illi quasi jam factum et præteritum referant. Hic ergo non, ut illi voluerunt, dicunt se impletos esse matutina misericordia Dei atque lætatos, alioqui si hoc factum erat, quomodo postea deprecantur et dicunt: *Respice in servos tuos, et in opera tua*, sed totum quod postulant ideo deprecantur, ut mereantur matutinam misericordiam, quam cum fuerint asseculi laudent atque lætentur, in cunctis diebus vitæ suæ. » Hactenus Hieronymus. Nec obest quod dicit, vel illi voluerunt, quod intelligendum venit juxta sonum verborum. Siquidem propter morem Scripturarum docet ipse Hieronymus Septuaginta recte vertere præteritum in vicem futuri, ubi tamen Hebraice futurum tempus ad verbum legitur. Quod ne diffidas audi quid dicat libr. II Commentariorum in epistolam Ephes. ad cap. II.

Quæritur ergo quomodo Deus, qui nos salvos fecit et suscitavit, simul sedere fecit cum Christo. Et quidem qui simplicius est responsurus, hoc asserit, quod juxta præscientiam Dei, id quod futurum est, quasi factum esse jam dixerit. Et quia mos iste sit Scripturarum, ut interdum futura tempore præterito declinentur, verbi causa, de cruce Domini, *foderunt manus meas et pedes meos*; et alibi de passione ejus, *quasi ovis ad victimam ductus est*; et adhuc

de injuriis flagellorum, *livore ejus nos sanati sumus*; et alibi, *ab iniquitatibus populi mei ductus est in mortem*. Hoc aut ideo, ne quia futura super incerta sunt hominum, spes fluctuet et vacillet, ea quæ Deus futura cognovit, apud quem nihil ambiguum est, quasi jam facta memorantur. Ut quia præterita, secundum philosophos, quoque fieri infecta non possunt, qui audierunt quasi jam facta habeant quæ futura sunt. « Hæc ibi. At vero quod Septuaginta dixerunt sub præterito, *quasi ovis ad victimam ductus est*, ὡς πρόβατον ἐπί σφαγὴν ἤχθη, Hebræi habent כשה לטבח יובל KASSEH LATTEBAH JUBAL, *quasi pecus ad mactationem ducetur*. Et tamen Hieronymus adduxit Septuaginta ad corroborationem regulæ Scripturarum, **203** quæ sub ratione præteriti, rem certam, licet adhuc futuram, ob oculos ponunt.

A VERS. 18. — *Respice in servos tuos et in opera tua*. Hebraice, *appareat servis tuis opus tuum*. Sensus eodem recidit. Nam Dominus suos servos et opera respicit, quando facit ut appareant et respiciantur, ut est illud Gen. XXII : *Nunc cognovi quod timeas Dominum*, quod est, *cognoscere feci*.

Dirige filios eorum. Hieronymus et alii, *gloria tua super filios eorum*. Et dictionem hoc in loco apud Hebræos positam, si enuntiemus citra apicum notationem והדרך poterimus legere, vel ut caph finale sit de radice, et aspiratio, he, sit conjugationis, quam dicunt hiphil, signum, ut efferas והדר VEHADREC, sicque probe dices, *dirige*. Rursum autem caph, sit servile he vero radicale, legasque והדרך VADARCA tunc, *gloria tua* reddendum erit. Ac Septuaginta priori modo opinamur sumpsisse.

PSALMUS XC.

PSALMI TITULUS : « LAUS CANTICI DAVID. »

Qui habitat. Titulus : *Laus cantici David*. [Aug.] De hoc psalmo Christum diabolus tentare ausus est; Christi autem tentatio nostra doctrina est. Sicut enim ille prior tentatus, tentamenta diaboli humilitate superavit, ita nos eumdem vincere docuit et dedit, quem vincere possumus, si Christum imitari volumus, non in deitate, vel potentia, vel mirabilibus, sicut voluit primus homo, sed in eo quod factus est pro nobis, id est in humilitate, ad quam vocat dicens : *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde* (*Matth*. XI). Qui autem sic imitatur Christum, per januam intrat. Janua Christus est qui dicit : *Ego sum janua, per quam si quis introierit, ingredietur et egredietur et pascua inveniet* (*Joan*. X) Intrare ergo per januam est intrare per Christum. Intrare autem per eum est imitari eum, non in magnificentia et in miraculis, sed sicut diximus, in humilitate et patientia, quem nos in his sequentes, ex eo et in eo vincimus diabolum agit iste psalmus. Unde in titulo ponitur, laus. Et est sensus : *Psalmus* iste est *laus David*, id est Christi. [Cassiod.] Est autem laus, etiam humana ; sed hæc laus est *cantici*, quia non est nisi divina. Est enim hymnus psalmus iste, id est laus Christi contra dæmones : quia ostendit tentationes diaboli victas a Christo, et a suis manentibus in auxilio Dei. Hac intentione monet ut et nos discamus exemplo Christi tentationes superare. Modus : Tripartitus est psalmus. Primo Propheta describit fidentem in solo Deo, omnino protectione Dei vallatum. Secundo dicit Christum in cœlo levatum a nullo posse contingi, qui et pedes in terra protegit, sed præsumptores ab eo cadunt, ibi, *cadent a latere*. Tertio inducit verba Dei Ecclesiam consolantis, ibi, *quoniam in me sperabis*. Propheta ergo de quolibet sancto ait :

VERS. 1. — « Qui habitat in adjutorio Altissimi, « in protectione Dei cœli commorabitur. »

Qui habitat in adjutorio, [Aug. Cassiod.] non suo, sed *Altissimi*, id est qui totam spem, non in se, sed in Deo semper constituit, scilicet cujus spes, non in homine, sed in Deo est *commorabitur in protectione Dei*, id est omnibus modis protegetur a Deo,

B ut nec illecebra male blandientis voluptatis capiatur nec timore adversitatis frangatur ; [Alcuin.] ut non declinet ad dexteram vel ad sinistram sicut in Veteri Testamento præceptum est filiis Israel, ut incederent via regia, non declinantes ad dexteram vel ad sinistram (*Num*. XX ; *Deut*. V). Regia via, est via Christi regis nostri, qui sic viam mundi cucurrit, ut nec prosperis alliceretur, nec adversis frangeretur : quem et nos imitari debemus. [Gl. int., Cassiod.] Dei dico, *cœli*, id est cujus est sedes cœlum, id est anima justi. Nota qualiter sibi respondeant, verba, *habitat*, et *commorabitur*. Si enim semper habitat ; sic et semper commorabitur. Deinde illud affirmat, scilicet quod habitat cum dicit :

VERS. 2. — Dicit Domino : Susceptor meus es tu,
C « et refugium meum, Deus meus, sperabo in eum. »

Susceptor meus es tu, etc. Hoc autem promittit, scilicet quod protegetur, ubi dicit : *obumbrabit tibi scapulis*, et *scuto circumdabit te*. Primo ergo ostendit quomodo habitat in adjutorio Altissimi, ita, scilicet, dicet Domino, [Aug., Gl. int., Cassiod.] Ille habitat quia in adjutorio Altissimi non superbus de se, ut primus homo. Quid dicet ille Domino? hoc, Domine, *tu es susceptor* mei infirmi ad curandum, *et refugium meum, Deus meus*, a sæculi tempestate. Qui hoc dicit, totum se projecit in eum, qui dicit : Deus meus est refugium meum, non quærit aliud auxilium contra tempestates sæculi. Ne autem putes post susceptionem et refugium nihil esse petendum addit, *sperabo in eum*. Quasi dicat : Quia susceptor et refugium, ideo sperabo in eum,
D ita sperabit iste in Deo, ne aliquando de se præsumat. Hoc si fecisset Adam, bene staret. Ideo sperabo

VERS. 3. — « Quoniam ipse liberavit me de la« queo venantium, et a verbo aspero. »

Quoniam ipse [Aug., Gl. int., Aug.] *liberavit me de laqueo* in quem superbus Adam cecidit. Laqueum dico *venantium*, id est dæmonum, qui non in via Christo, sed circa viam ad dexteram prosperitatis male extollentis. Vel ad sinistram adversitatis deprimentis tendunt laqueos. Si ergo vis securus ambulare noli declinare in dexteram, aut in sinistram ; sed sit tibi via ille, qui tibi pro te factus est via, ut adducat te ad se per se. [Hier., Alcuin.] Et ita, non

timebis laqueos venantium. Et nota quia venatores in sacra Scriptura vix in bono invenimus. Econtra piscatores, raro in malo. *Et a verbo aspero* multos per verbum asperum misit diabolus in laqueos, in quos per verbum asperum cadunt aliqui, verbi gratia, ut qui nolunt esse Christi, propter insultantes Christiano nomini, et qui timent detractiones hominum adeo ut cessent a via Dei. Insultatio ergo et detractio infidelium verbum asperum est. Vel ita per laqueum et verbum asperum geminæ tentationis modos significat. Tentatio enim vel fit per facta, quæ hic dicitur laqueus ; vel fit per verba, quæ hic dicitur a verbo aspero, etsi leve videatur, grave est tamen verbo tentari. [Cassiod., Alcuin.] Laqueus ergo sunt versutiæ spiritualium vel carnalium inimicorum in factis. Verbum asperum est omne dictum quod movet hominem a regulis divinis, scilicet convicia vel blanda. Et est, liberavit me de laqueo venantium, id est de tentatione, quæ fit per facta ; et a verbo aspero, id est, a tentatione quæ fit per verba.

VERS. 4. — « Scapulis suis obumbrabit tibi : et « sub pennis ejus sperabis. »

Scapulis suis. [Cassiod., Gl. int., Aug.] Hic promittit speranti quod commorabitur. Quasi dicat : Dico : liberavit, et ut liberet, *obumbrabit tibi*. Qui habitas in adjutorio Altissimi *scapulis suis*, vel, *inter scapulas suas*. Hoc ideo dicit, ne putes quod tu te possis protegere, ad litteram, cum dicit, inter scapulas suas obumbrabit tibi, et a tergo potes intelligere, et a pectore. Scapulæ enim circa caput sunt, sed quia addit *sub* alis, vel *pennis ejus sperabis*, manifestum est quia protectio est a pectore, quasi te posito in medio alarum hinc inde expansarum ; et dicitur hic a simili gallinæ quæ pullos sub alis protegit contra milvum. Et est sensus : Obumbrabit tibi, id est obumbraculum protectionis præstabit, inter scapulas suas, a simili gallinæ, id est ante pectus suum te ponet, ut alis protegat, ut tu quasi in medio positus, hinc inde alis sive pennis expansis vel extensis, quo inimicus non audeat accedere, nihil timeas, nisi inde exieris. Et notandum quod nulla avis sic infirmatur cum pullis ut gallina quæ tota mutatur affectu eorum, quod cognoscimus in relaxatione plumarum, et infirmitate vocis : sic sapientia Dei propter nos qui infirmi eramus facta est infirma (*Matth.* XXV), quia facta est caro, et habitavit in nobis (*Joan.* I), ut sub alis ejus speremus, et sub pennis ejus, vel alis, misericordiæ ejus sperabis.

VERS. 5. — « Scuto circumdabit te veritas ejus ; « non timebis a timore nocturno. »

Scuto. [Aug.] Alæ sunt etiam scutum. Et utrumque sub similitudine de Deo dicitur, quia nec alæ, nec scutum proprie in Deo sunt, sicut ipse dicitur, lapis et leo, agnus et vitulus, cum tamen nihil horum sit. Si enim vere lapis esset, leo non esset. Si leo esset, agnus non esset. Ideo ergo et leo et agnus dicitur, et hujusmodi, quia nec leo nec agnus, nec hujusmodi. Istæ enim similitudines sunt non proprietates. Et est tanquam *scuto* misericordiæ, *circumdabit te*, id est proteget te, *veritas ejus*. Veritas Dei est, quæ non respicit personas, nec miscet sperantes de seipsis, cum his qui sperant in Deo ; sed discernit humiles et superbos, pœnitentem ac defendentem. [Cassiod.] Vel ita : Scapulis, speranti fideli beneficia Dei promittit hic. Scapulæ enim sunt operationes mirabilium, quibus ut humeris virtus Dei ostenditur. Pennæ sunt monita prophetarum, quæ ad cœlos vehunt. Et est, *obumbrabit tibi*, [Alcuin., Cassiod.] ut neque sol divinitatis, neque luna humanitatis Christi, te urat, scapulis suis, id est operationibus mirabilium. Et sub pennis ejus, id est in monitis prophetarum in quibus est protectio, sperabis, et veritas ejus implens promissa, id est incarnatio Christi. Unde : *Veritas de terra orta est* (*Psal.* LXXXIV). Circumdabit te, tanquam scuto. Idem dixit scutum quod et pennas dixerat. Incarnatio namque Christi, et scapulis obumbrat, et scuto defendit. *Non timebis a timore nocturno*. [Aug.] Sicut notavit genera defensionum, ita notat et genera periculorum ut gratior sit liberatio, et distinguit quatuor genera tentationum, quæ sunt, levis et occulta, quæ significatur per timorem nocturnum, levis et manifesta quæ significatur per sagittam volantem in die ; gravis et occulta quæ significatur per negotium ambulans in tenebris ; gravis et aperta, quæ accipitur per dæmonium meridianum. Et est, *obumbrabit tibi*, et *circumdabit*. [Alcuin.] Et ita, non timebis a timore nocturno, id est a levi tentatione, quæ fit ignorantibus : Quæ dicitur timor nocturnus, a similitudine periculi. Unde timor tantum habetur. Et

VERS. 6. « A sagitta volante in die, a negotio « perambulante in tenebris ; ab incursu et dæmo- « nio meridiano. »

A sagitta volante in die, [Aug.] id est a levi tentatione, quæ fit scientibus. Qui enim peccat ignorans, quasi in nocte peccat : et ille tentatur a timore nocturno. Qui autem sciens peccat, in die peccat : et ille tentatur a sagitta in die. Nam per illa duo, scilicet a timore et a sagitta, duo leviora genera tentationum, manifestæ scilicet et occultæ, notavit. His duobus levibus duo reddit graviora, dicens, *a negotio perambulante in tenebris*, id est a graviori et occulta tentatione ; *et ab incursu et dæmonio*, id est ab incurrente dæmonio *meridiano non timebit*, id est a gravi et aperta tentatione, sicut est, cum adeo fervet æstus persecutionis, unde multi cedunt. Levia non sic urgent, ut cogant ; sed possunt cito declinata transire. Gravia vero non, ut cum persecutor acriter instat, nondum firmis in fide, qui nesciunt Christiani esse, spernere præsentia, et quærere futura. Qui tales tentantur, a negotio perambulante in tenebris, vel cum persecutor adeo instat hæc scientibus, quæ tentatio est, a dæmonio meridiano. Et utrosque capit, et scientes et ignorantes.

non quidem eos qui habitant in adjutorio Altissimi, sed de se præsumentes de quibus dicit :

PARS. II. VERS. 7. — « Cadent a latere tuo mille, « et decem millia a dextris tuis ; ad te autem non « appropinquabit, »

Cadent a latere tuo mille. [Cassiod., Alcuin.] Secunda pars ubi fidentis in Deo caput, id est Christum in cœlo levatum dicit a nullo posse contingi, qui et pedes **204** in terra protegit : sed præsumptores ab eo cadunt. Ecce certitudo protectionis datur fidenti in Deo per Christum. [Cassiod.] Quasi dicat : Ille qui habitat in adjutorio Altisnimi, non timebit a dæmonio meridiano, sed, o Christe, *mille cadent a latere tuo.* Latus Dei, est corona justorum, qui cum eo judicabunt. Unde dicitur consueto sermone : Mittite de latere vestro, id est de illis qui vobiscum habent consilium. [Aug.] Latus ergo Christi sunt illi quibus Christus promisit, quod cum eo judicabunt, scilicet apostoli et eorum imitatores, quibus promisit : *Sedebitis super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel* (*Matth.* XIX). Non est enim putandum quod duodecim tantum hoc promisit Christus. Ubi enim sedebit Paulus qui plus omnibus laboravit, si non ibi sedebunt nisi duodecim ? Duodecim ergo sedes, perfectio est tribunalis, in quibus sedebunt mille, omnes scilicet qui omnia reliquerunt, et secuti sunt Christum confidentes de eo, non de se ; qui alte fixerunt radicem charitatis, nec arescent sole tribulationis. Per dextras autem Dei intelligitur æterna beatitudo. Sunt autem multi qui putant se judicaturos cum Domino, et multo plures qui putant se collocandos a dextris tunc salvandos. Sed quia de se præsumunt, non habentes in alto radicem charitatis defixam, decidunt a cogitationibus suis ; et quia pauciores sunt qui putant se judicaturos, et plures qui putant se salvandos, cum tamen non sint, ideo ibi mille, hic decem millia ponit. Et est sensus : O Christe, mille cadent a latere tuo, et decem millia *a dextris tuis*, id est pauciores qui præsumunt se tecum judicaturos, et plures qui præsumunt se a dextris tuis futuros, cadent per dæmonium meridianum, id est per gravem æstum tribulationis. *Ad te autem*, o Christe, in veris membris cum quibus unum es, qui in membris veris es, *non appropinquabit* dæmonium ; etsi enim corpus lædat, carnem affligat, non tamen fidem læsit.

VERS. 8. — « Verumtatem oculis tuis conside« rabis, et retributionem peccatorum videbis. »

Verumtamen [Cassiod.] Quasi dicat : Licet quidem impiis te permittente tuos persequi, sed et si illi cadentes tentent te duris tua permissione, *verumtamen* non impune, *quia oculis tuis*, illo scilicet lucido visu quo merita hominum judicas, *considerabis* malum quod voluerunt, *et retributionem peccatorum videbis*. Non bonum quod per nescientes agitur, eis retribuetur, sed malum quod intenderunt. Ita et sanctus qui habet oculos fidei, videt eos modo exaltari et tonare, sed in fine fulminari. Hæc dixit ne infirmi moveantur. Vel ita continua, eodem sensu manente : [Aug., Alcuin.] Quasi dicat : Etsi A dæmonium non appropinquet ad te in membris quod est per iniquos, id est quod iniqui intendunt, sed tamen non quod faciunt, sed quod intendunt considerabis : quod ita dicit : Veruntamen oculis tuis considerabis, et retributionem peccatorum videbis [Aug.] Notandum quod quasi unus Christus est caput et corpus, de quo loquitur Scriptura modo ut de capite, modo ut de corpore, non mutata persona, quia sunt duo in carne una (*Matth.* XIX). Merito ergo et in voce una. Ideoque diligenter adverte, ubi de Christo secundum caput, ubi secundum membra agat.

VERS. 9.— « Quoniam tu es, Domine, spes mea ; « altissimum posuisti refugium tuum. »

Quoniam tu es. [Aug., Gl. int.] Hic loquitur de B Christo secundum caput. Quasi dicat : Ideo non cadit justus a dæmonio meridiano, *quoniam*, tui *Domine* Christe, secundum caput, *es spes mea*, per hoc es tu spes, quia *posuisti* mihi intus *refugium tuum altissimum*, id est pro altissimis et occultis, vel vitandis, vel habendis mihi ostendisti, ad te refugiendum, scilicet pro declinandis pœnis æternis. In alto enim est refugium Dei, valde in occulto, ut scilicet fugiatur ad ipsum a ventura ira. Multi enim sic faciunt sibi refugium Dei, ut fugiant a malis temporalibus. [Aug.] Altissimum ergo posuisti refugium, id est resurgendo, ascendendo, altum fecisti, id est fore ostendisti refugium, ut jam sperent tui sequi, quo tu præcessisti. Ideo

VERS. 10. « Non accedet ad te malum : et « flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. »

C *Non accedet ad te,* [Rem., Aug., Alcuin.] o Domine Christe, et ad tuos, *malum, et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Tabernaculum Dei est caro, in qua pro nobis militavit, ad quam levatam super cœlos, ut si illuc directa spes nostra, non accedunt flagella ut prius accesserunt in terra ; sed caput in cœlo, pedes habet in terra ; pro quibus dicit : *Saule, Saule, quid me persequeris ?* Discretio est per loca, conjunctio est per affectus. Sed nec his pedibus flagellum appropiat, ita ut fidem excutiat : ideo hæc de toto Christo bene accipitur. Ideo non appropinquabit.

VERS. 11. — « Quoniam angelis suis mandavit « de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. »

Quoniam Deus *mandavit de te angelis suis, ut* D *custodiant te in omnibus viis tuis.* [Cassiod., Aug.] Unde in Evangelio : *Astitit ei angelus confortans eum* (*Luc.* XXII) ; et est hoc humanæ infirmitatis indicium. Hoc autem dixit tentator Domino, quando illum tentavit, hoc objecit de deitate ejus dubitans. Sed nos Deum et hominem credimus. Tentatus autem Christus est propter nos, ut in eo tentatorem vincere discamus : sicut etiam et baptizari voluit a servo, non pro sua necessitate, sed pro hominis utilitate, ut non aspernemur baptizari a conservis. Dominus autem ad baptismum servi venit, implens humilitatem propter futurorum superbiam retundendam, ne quis melior vita et scientia quibusdam Christianis diceret : Quid mihi opus est

baptismo quem iste habet, quo jam melior sum? Sed attendat quod non tantum eum præcedit, quantum Dominus ipsum. Quærat ergo baptismum Domini, quia Dominus quæsivit baptismum servi.

VERS. 12. — « In manibus portabunt te : ne forte « offendas ad lapidem pedem tuum. »

In manibus. [Haym., Aug.] Quasi dicat : angelis mandavit de te, ut custodiant te : et ipsi *in manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum*. Manibus angelorum sublatus est Christus in cœlum non quod sine eis rueret, sed quia obsequebantur regi, et melior est qui portatur, quam jumentum portans. Clarificatus autem Christus misit Spiritum sanctum die Pentecostes (*Act*. II), sicut die quinquagesimo a Pascha agni (*Exod*. XII), id est ab immolatione agni data est lex Mosaica in tabulis lapideis scripta digito Dei, id est Spiritu Dei (*Exod*., XXXIX). Sed lex data est in pœna timoris. Spiritus autem venit in plenitudine amoris, ut pedes capitis in cœlo sedentis, id est evangelistæ mundum peragentes non offendant in lapidem, id est in legem in lapide scriptam, et ne sine gratia, in ea teneantur rei; sed a timore solvantur, per amorem spiritus legem implentes. Ideo ergo portatus es in cœlum ab angelis, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum, ut misso Spiritu solvas credentes a reatu legis, ne pedes tui qui in terra sunt, rei sint legis. Quod et fecit, quia pulso timore implevit eos amore, qui vinci non potest.

VERS. 13. — « Super aspidem et basiliscum am« bulabis; et conculcabis leonem et draconem.

Super aspidem. [Cassiod., Aug., Gl. int., Cassiod.] Post ostensam humanam infirmitatem in Christo, hic jam divina virtus ostenditur; quæ tantis imperat, et agit de Christo, secundum membra. Hæc autem omnia nomina diabolo conveniunt. Ipse enim est aspis cum occulte percutit, basiliscus cum palam venenat. Basiliscus enim rex serpentum est, et nocet flatu; leo vero est, dum persequitur violenter. Leo enim rex animalium viribus nocet. Draco est cum devorat negligentes; sed in adventu Domini pedibus ejus, id est, a sanctis omnia hæc nocumenta prostrata sunt. Et hoc est quod dicit, *et ambulabis super aspidem*. [Aug., Gl. int.] Aspis veneno nocet, per quem significatur diabolus, qui, est serpens, qui Evam seduxit, quem calcat Ecclesia, quæ cavet astutiam ejus, *et super basiliscum*, id est regem dæmonum, qui velut basiliscus nocet flatu. *Et conculcabis leonem et draconem*, id est diabolum, qui leo est, dum aperte sævit in martyres; draco, dum occulte insidiatur per hæreticos, ut corrumpat virginem Christi. Unde Apostolus : *Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo. Timeo autem ne sicut serpens seduxit Evam astutia sua, ita mentes vestræ corrumpantur* (*II Cor*. II.).

PARS. III. — VERS. 14. — « Quoniam in me spera« vit liberabo eum; protegam eum, quoniam cogno« vit nomen meum. »

Quoniam in me speravit. [Aug., Alcuin.] Tertia pars. Hic jam sunt verba Dei ad Ecclesiam, quam consolatur, cui defensionem hic et in futuro præmia promittit. [Haym., Gl. int., Alcuin., Cassiod.] Quasi dicat : Mandavit angelis dicens : *Quoniam in me speravit*, in membris, *liberabo eum*, a malis sæculi *protegam eum*. Ecce certitudo protectionis, per promissionem Dei. Ideo protegam *quoniam* vere *cognovit nomen meum*. Et quoniam

VERS. 15. — « Clamavit ad me, et ego exaudiam « eum; cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, « et glorificabo eum. »

Clamavit ad me, et exaudiam eum. [Gl. int., Aug.] Et si nondum audio, jam *sum cum ipso in tribulatione*. Non est ergo timendum tibi in tribulatione. Fides enim in te, Deus est in te. Si dormit, id est, tepescit in te fides, excita eam, ut Christus dormiens in navi, excitatus est a discipulis, et salvati sunt (*Matth*. VIII). Ita et tu si fidem excitas, salvaris, non desereris, et si non eripit quando vis, non ideo putes te deseri. Eripuit tres pueros de igne, sed qui illos eripuit, nunquid martyres deserit? absit. Et illos eripuit, et istos; sed tres pueros liberavit corporaliter, ut confundantur infideles; martyres liberat spiritualiter, ut eos imitentur fideles. *Eripiam eum*. Quasi dicat : Cum ipso sum in tribulatione, et post, eripiam eum, de sæculo, *et glorificabo eum* in cœlo, et tunc

VERS. 16. — « Longitudine dierum replebo eum; « et ostendam illi salutare meum. »

Longitudine dierum, [Aug.] id est vita æterna *replebo eum*, quia sufficit quod habebit, *et ostendam illi*, per speciem, non per fidem, *salutare meum*, id est Christum in majestate. Hæc visio est tota merces. [Alcuin.] Notandum quia hunc psalmum frequentat Ecclesia per totum annum, et maxime in Quadragesima. Tunc enim et in versiculis et in tractu et multis modis cantatur : quod ideo fit, quia cum Christus jejunaret, diabolus eum de hoc psalmo tentavit, et ejus tentationibus superatis a Christo victus abscessit. Hunc ergo psalmum ad completorium quotidie, et diebus jejunii maxime frequentamus, ut quo tempore diabolus magis nititur ad decipiendum eo tempore non magis laboremus ad resistendum.

COLLATIO IN PSALMUM XC : « QUI HABITAT IN ADJUTORIO ALTISSIMI, etc.

VERS. 2. — *Dicet Domino : Susceptor meus es tu*. Hieronymus ad Suniam et Fretellam, docet cur hic addita sint apud Latinos, *es*, et *tu*, quæ nec habebantur in quibusdam Græcis nec in Hebræis, quanquam, *es*, in Græcis exemplaribus quæ vidimus scribatur, cujus verba præstat audire : « Dicitis quod in Græco, *es* non habeatur, ego vobis amplius dicam quod apud Hebræos, nec *es* habeatur nec *tu*; sed apud Septuaginta, et apud Latinos, pro εὐφωνία et verborum consequentia positum sit. » Cæterum hic Cæcus Burgensis clamitat perperam signari punctum in eo quod est *refugium meum*, ac mox sequatur, *Deus meus sperabo in eum*, sed dicendum, *refugium meum, Deus meus*,

deinde, *sperabo in eum*. Oppositum tamen habetur in contextu et Hebraico et Græco.

VELS. 3. — *Et a verbo aspero*. Hieronymus, *de morte* **205** *insidiarum* : Pratensis, *a peste pravitatum;* Sanctes, *de morte contritionum;* Munsterus, *a peste noxia;* et cæteri consimiliter. Certum est זבר legendo דבר DABAR, verbum repræsentare דבר DEBER autem *mortem* aut *pestem*. Ergo LXX prius expresserunt. Postea הוות HAVOTH, *malitiam cordis* et *operis* ex KIMHI sonat. Porro si ex abundantia cordis os loquitur (*Matth*. XII), non est asperantius verbum, quam quod fallax est et pravum.

VERS. 5 — *Scuto circumdabit te*, etc. LXX sensum reddiderunt, verba non item, צנה וסוחרה אמתו TZINNAH VESOHERAH AMITO, *scutum et clypeus veritas ejus*, quod Hieronymus dixit, *scutum et protectio, veritas ejus*.

VERS. 6. — *A negotio*. Hieronymus, *a peste;* cæteri itidem, *a peste* vel *a morte*. Jam dictum est דבר daleth, beth, resch, lectionem habere ambiguam מדבר MIDABAR, *a negotio* מדבר MIDEBER, *a morte*.

Ab incursu et dæmonio meridiano. מקטב ישוד צהרים MIQQETEB IASCHUD TZEHORAIIM. Diversis verbis eamdem sententiam diversi efferunt, tamen universa ratio diversitatis præcipue pendet a prima particula QUETEB polysema, et varie a rabbinis exponi- A tur variis in locis. Hieronymus ita vertit, *a morsu insanientis*, vel, ut alii codices habent, *insidiantis meridie;* Pratensis, *ab ægritudine repentina devastante meridie;* Sanctes, *a morsu qui vastat meridie;* Munsterus, *ab exterminio grassante in meridie;* Interpretes pro Cajetano, *ab incisione diruet in meridie;* translator ad Campensem, *a nova quæ meridie vastat;* paraphrasis Campensis : *neque timeas si quis jaculo te petat, etiam medio die*, Pellicanus, *a dæmonio vastatore meridiano;* Nebiensis, *ab exterminatore qui exterminat meridie;* Chaldæus, *a caterva dæmonum, qui nocent meridie*.

VERS. 10. — *Et flagellum*. Hieronym. *lepra* נגע NEGA, est *plaga* præsertim *scabiosa*.

VERS. 13. — *Aspidem et basiliscum*. Pratensis, *super leonem et aspidem;* Sanctes, *super leonem et basiliscum*. Adeo ut recentiores, in prima particula B conveniant, vertentes *leonem* שחל ופתן SCHAL VAPHETEN. Credimus tamen Hierony. et LXX, qui transferunt constanter, *super aspidem et basiliscum*, præsertim cum in secunda clausula dicatur *conculcabis leonem*. Nobiscum est etiam Nebiensis. De aspide et basilisco, mira narrat Plin. lib. VIII, cap. 21 et 23, quæ omnibus numeris quadrant serpenti antiquo.

PSALMUS XCI.

PSALMI TITULUS : « PSALMUS CANTICI IN DIE SABBATI. »

Bonum est confiteri Domino. Titulus : *Psalmus cantici in die Sabbati* [Aug., Alcuin., Aug.] Propter fastidium animorum tollendum, eadem diverse et varie tractantur. Nullum enim aliud canticum tractatur in hoc psalmo, quam in aliis, sed idem, licet diverso modo, id est canticum fidei, spei et charitatis. Quod autem ait, in die sabbati, sciendum quod triplex est sabbatum, scilicet sabbatum temporis, sabbatum pectoris, sabbatum æternitatis. Sabbatum temporis est septimus dies, quo post opera VI dierum requievit Deus, docens suos in præsenti laborare, ut in futuro quiescant : quod Sabbatum in veteri lege observabatur. Sabbatum autem mentis est tranquillitas bonæ conscientiæ, spe futuri, ut non turbetur rebus sæculi : de quo sabbato hic agitur. In hoc autem sabbato cordis primum est, ut bona tua tribuas Deo, mala tibi. [Aug., Alcuin., Cassiod.] Sabbatum autem æternitatis est, æterna requies, pro qua in præsenti bona operari debemus agentes sabbatum mentis, de quo sabbato æternitatis etiam agit hic Propheta. Agitur ergo hic de duplici sabbato, mentis et æternitatis. Unde bene in titulo ponitur, Psalmus cantici. Et est sensus : [Cassiod., Aug.] *Psalmus* iste, per quod notatur spiritualis operatio, est *cantici*, per quod notatur exsultatio mentis, quia in ea debemus semper cantare Deo, et gratias agere exsultantes. Et hoc *in die sabbati*, [Alcuin.] id est de æterna requie, cum mentis tranquillitate, de qua requie loquitur hic Propheta, ostendens justos laborare VI diebus, id est VI ætatibus, VII requiescere. Malos autem econtra hic quiescere, ibi laborare : hac intentione ut hic libenter laboremus pro æternis, agentes sabbatum mentis. Modus. [Cassiod.] Tripartitus est psalmus. Primo, dicit quomodo bonus imperturbatus agit sabbatum mentis, sentiens omnia bene agi a Deo, quod non novit stultus. Secundo asserit malos perituros, ut metus sit cæteris, ibi, *cum exorti fuerint*. Tertio dicit justos florere virtutibus, ut hac promissione devoti gaudeant, ibi, *justus ut palma florebit*. C [Aug.] Et quia propter futurum sæculum Christiani sumus, ideo quocunque modo se habeant præsentia, grati simus; vel consolationi Dei per blanda ; vel justitiæ per aspera. Bona enim præsentia a Deo nobis donata consolatio sunt, cum desuper justitia est. Consolatur enim nos Deus, et emendat. In utroque simus ei grati, dicentes :

VERS. 1. — « Bonum est confiteri Domino : et « psallere nomini tuo, Altissime. »

Bonum est confiteri, [Greg.] voce *Domino* ut mala nobis, bona Deo tribuamus; perversi et turbati, qui sunt sine sabbato mentis, bona sibi tribuunt ; mala vero vel Satanæ tribuunt, quasi coegerit, vel fato stellarum : quod est accusare Creatorem ; vel aperte Deo tribuunt. Quasi dicat : Ipse hoc voluerit, contra autem docet iste psalmus, D scilicet confiteri Domino in utroque ; in peccato, quia tu fecisti; in bono, quia ipse fecit. Et sic psalles nomini Domini, gloriam Dei quærens, non tuam. Unde subdit : *Et* bonum est *psallere* opere *nomini tuo*, o *Altissime*. Deinde duobus prædictis duo alia reddit. Quasi dicat : Dico bonum est confiteri, ad quam rem ?

VERS. 2. — « Ad annuntiandum mane misericor- « diam tuam, et veritatem tuam per noctem. »

Ad annuntiandum mane misericordiam tuam, [Aug.] id est, quando bene est, quod est misericordia. Quando bene est tibi, annuntia, id est lauda misericordiam Dei ; *et ad annuntiandum veritatem tuam*,

non crudelitatem, *per noctem*, id est in adversis. Quasi dicat : Quando male est tibi, lauda veritatem qua flagellat juste. Et est sensus : In prosperis quæ per mane, et in adversis quæ per nocten intelliguntur laudare debes.

VERS. 3. — « In decachordo psalterio, cum cantico in cithara. »

In decachordo. [Gl. int., Aug.] Quasi dicat : Bonum est etiam psallere *in psalterio*, id est in spiritu vivificato. Psalterium enim a superiori reddit sonum, et ideo per ipsum congrue vivificatio spiritus intelligitur. Psalterio dico, decachordo, id est decem præceptorum, per quorum observantiam spiritus hominis, ib est ratio, vivificatur. In hoc psalterio psallit qui spiritu vivificato, per observantiam decalogi, cum hilaritate bene agit. In psallendo enim hilaritas est. Quidquid ergo facis cum hilaritate, bene facis. Qui autem cum tristitia bonum facit, de eo fit, non ipse facit ; et portat psalterium, sed non cantat in eo. Bonum est psallere *cum cantico*, id est verbo, et *in cithara*, id est opere. Si enim bene loqueris tantum, canticum est sine cithara ; si operaris et non loqueris, cithara est sine cantico. Ideo et bene loquere, et benefac, ut sit cithara cum cantico. [Haym., Cassiod.] Vel bonum est psallere cum cantico in cithara, id est cum gaudio in carnis mortificatione, et in actualibus rebus. Cithara enim ab inferiori reddit sonum. ideo bonum est psallere et confiteri, quia hæc in me fecisti. Et hoc est.

VERS. 4.— « Quia delectasti me, Domine, in factura tua; et in operibus manuum tuarum exsultabo. »

Quia delectasti me, Domine, in factura tua, [Aug.] id est in eo quod in me facis ; tu enim fecisti, si bene ago. Unde Apostolus : *Ipsius figmentum sumus, creati in operibus bonis* (*Ephes*. II) ; nisi enim te reformaret Deus ad bona opera, non nosses nisi peccatum. Unde in Evangelio : *Qui loquitur mendacium, de suo loquitur* (*Joan*. VIII). Hoc in Evangelio Dominus dicit : Omne autem peccatum mendacium est, quia contra legem et veritatem est. Ergo qui loquitur mendacium, de suo loquitur, id est de suo peccat qui peccat ; sed qui loquitur veritatem, de Deo loquitur, quia solus Deus verax, omnis homo mendax (*Rom*. III). Hæc est bona confessio : *Et in operibus manuum*. [Aug.] Quasi dicat : Et deinde *exsultabo* non in mea felicitate, sed in operibus manuum tuarum, id est, si quid boni ago de te exsulto. Sed quid de his qui male vivunt et florent ? Inde perturbatur animus, et perdit sabbata, quia videt se in decem chordis, id est in operibus legis esse, et mala tamen pati. Alium vero videt sine his esse, et florere, unde ait :

VERS. 5. — « Quam magnificata sunt opera tua, Domine ! nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ. »

Quam magnificata sunt opera tua, Domine, nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ. [Aug.] Quibus facis, ut boni laborent, et mali floreant, quod ideo est, quia illi sunt alieni, hi filii, sed

VERS. 6. — « Vir insipiens non cognoscet : et stultus non intelliget hæc. »

Vir insipiens, vel, imprudens, [Rem., Aug., Cassiod.] qui non providet sibi in futurum, *non cognoscet, et stultus*, qui nescit se cædi, ut sit hæres, dimisso exhæredato, cui parcitur a flagello, *non intelliget hæc* quæ sequuntur, et quæ dicta sunt. Nota, insipiens est ille qui cœlesti sapientia vacuus, humanis versutii plenus est, qui non noscit opera Dei, quia casu putat omnia agi, stultus est, brutus, qui nec sæcularia novit.

[Hier., Alcuin.] Aliter potest legi ab illo loco : *quia delectasti me*, et agit de operibus creationis, in quibus laudandus est Creator. Quasi dicat : Ideo confitebor et psallam, *quia delectasti me in factura tua*, scilicet et in decore ipsius mundialis fabricæ, et in obedientia, et in dispositione, et in causis, et in effectibus. *Et exsultabo in operibus manuum tuarum*, quibus utor, vel quæ miror. Et merito exsultabo, quia, o Domine, opera tua quam magnificata sunt in substantia, et in forma, et in vita, et in cæteris. Nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ, quibus talia fecisti et regis. [Cassiod., alcuin.] Nota quia summum genus scientiæ est, scire Deum tanta præstare quæ humanus sensus non valet attingere. *Me delectasti in operibus*, sed, *vir insipientiæ non cognoscet ; et stultus*, qui si scit, non cavet sibi, *non intelliget hæc*, quæ supra dixit, vel quæ dicit postea.

PARS. II. VERS. 7. — « Cum exorti fuerint peccatores, sicut fenum, et apparuerint omnes qui operantur iniquitatem. »

Cum exorti fuerint. [Cassiod., Alcuin.] Secunda pars, ubi asserit malos perituros, ut metus sit cæteris. Ordo verborum talis : quasi dicat : Stultus non intelliget hæc, scilicet, ut, id est qualiter peccatores intereant in seculum sæculi, id est sine fine *cum* ipsi *peccatores fuerint exorti*, [Aug.] id est postquam excreverunt in temporalibus, *sicut fenum* quia in hieme hujus sæculi virent, et in æstate futuri judicii arescent. Et cum *prospexerint*, alia littera, illos scilicet orientes, et ad tempus florentes, *omnes qui operantur iniquitatem*, id est qui non recte sentiunt de Deo in corde, et imitantur florem illorum : et ita intereunt cum illis in æternum. Unde repetitur :

VERS. 8. — « Ut intereant in sæculum sæculi ; tu autem Altissimus in æternum, Domine. »

Ut intereant cum illis *in sæculum* sæculi ; [Aug.] tu autem, quasi dicat : Modo peccatores florent et prosperantur, *tu autem, Domine, altissimus es in æternum* qui exspectas desuper ex æternitate tua, quando transeat tempus impiorum, et veniat tempus justorum, quia æternus est Deus. Longanimiter tolerat Deus mala et videt quid illis servet. Vis et tu homo esse longanimis et patiens ? Junge te Æterno. Si enim homo cito transit ut fenum, verbum Dei permanet in æternum. Si ex se temporalis est homo, et non longanimis, ex verbo Dei est æter-

nus. Junge ergo te verbo æterno, et patienter feres mala videns infra te omnes malos, et dices :

206 Vers. 9. — « Quoniam ecce inimici tui, « Domine, quoniam ecce inimici tui peribunt ; et « dispergentur omnes qui operantur iniquita- « tem. »

Quoniam ecce inimici tui, Domine. [Haym., Cassiod.] Vel ita legi potest : Quasi dicat : Stultus non intelliget hæc, scilicet quod peccatores exoriuntur hic, sicut fenum. Hoc enim brevi tempore florent ut fenum. Et cum exorti fuerint hic peccatores sicut fenum, postea, omnes qui operantur iniquitatem, id est peccatores apparuerint, id est apparebunt omnibus conspicui, et notabiles : quod non hic apparebunt, non quidem ad gloriam suam sed ut intereant in sæculum sæculi, id est semper. Tu autem, Domine Christe, permanebis altissimus in æternum, non erit sicut putaverunt Judæi, scilicet te communi sorte mori. [Gl. int., Cassiod.] Quoniam ecce inimici tui, an interibunt peccatores? utique, *quoniam ecce inimici tui*, et repetit, *quoniam ecce inimici tui*. Quasi dicat : Jam video quod inimici tui, scilicet blasphemi, et amicus hujus mundi Dei est inimicus, sicut dicit Jacobus (*Jac.* IV). Omnes scilicet qui adulterant amore sæculi, *peribunt*, qui modo florent, *et dispergentur* a grege Domini separati, *omnes qui operantur iniquitatem*. Hi sunt inimici.

Vers. 10. — « Et exaltabitur sicut unicornis « cornu meum ; et senectus mea in misericordia « uberi. »

Et exaltabitur. [Alcuin., Gl, int.] Quasi dicat : Et si illi peribunt, quæ spes tibi est qui pateris ? ecce *et exaltabitur sicut unicornis*, id est fortitudo unitatis, quæ tunc erit sublimis, quæ est *sicut cornu meum*, id est sicut monarcha, id est princeps meus, qui exaltabitur destructis hæresibus. [Aug., Cassiod.] Aliquando enim unicornis superbiam significat, sicut ibi : *Et a cornibus unicornium humilitatem meam* (*Psal.* XXI), aliquando exaltationem unitatis sicut hic, quia unitas exaltabitur, sicut unus princeps monarcha. [Aug.] Omnes vero hæreses peribunt. *Et* quando hoc erit ? cum *senectus mea* erit *in misericordia uberi*, id est, in novissimo. Totum quod patitur Ecclesia juventus est ipsius. Novissima autem semper senectus ipsius, quæ in lætitia erunt.

Vers. 11. — « Et despexit oculus meus inimi- « cos meos ; et insurgentibus in me malignantibus, « audiet auris mea. »

Et ideo, [Aug.] jam nunc *despexit*, vel, respexit *oculus meus inimicos meos*, id est, omnes operantes mala, quos respicit vel despicit, dum aliquo probat, et invenit inimicos, qui sunt visi amici. *Et insurgentibus in me malignantibus auris mea* [Gl. int., Alcuin.] præscia, et præcauta *audiet* a veritate intus ; quid audiet ? quod

Pars. III. Vers. 12. — « Justus ut palma flore- « bit : sicut cedrus Libani multiplicabitur. »

A *Justus ut palma florebit*. [Cassiod., Aug.] Tertia pars, ubi justos dicit florere, ut hac promissione devoti gaudeant. Vel ita, et subaudiatur *de*, quasi dicat : Et de malignantibus, modo, insurgentibus in me, audiet in futuro, mea auris, [Aug.] id est, auris mei stantis ad dexteram. Quid audiet ? *Ite, maledicti, in ignem æternum* (*Matth.* XXV). A quo malo auditu, justus non timebit. [Cassiod., Aug.] Vel secundum aliam litteram, *insurgentes in me malignantes audiet auris mea*, in novissimo, quando se increpabunt dicentes, sicut ait Salomon : *Quid nobis profuit superbia, et divitiarum jactantia* ? (*Sap.* V.) Ecce hæc erunt illis in futuro : et quid de justis erit ? *Justus florebit ut palma*, illi ut fenum. Justus palma dicitur pro altitudine, et quia radix
B aspera, et pulchra coma in summo fine et tarde fert fructum, ita et justum hic asperat labor, quem in supernis pulchritudo immortalitatis coronabit, et quasi tarde post longos labores mercedem recipiet operum. Deinde sequitur alia comparatio. Et *sicut cedrus Libani multiplicabitur*. [Alcuin., Hier., Cassiod., Gl. int.] Cedrus immarcessibilis est altior aliis arboribus, præsertim in Libano quæ interpretatur *candidatio*, ita justus erit imputribilis stola immortalitatis candidus. His ergo arboribus comparantur justi, quia hæ arbores non arescunt ætate ut fenum, cui impius comparatur, quia cito arescit. [Aug., Cassiod.] Justus autem comparatur palmæ, et cedro, quæ cedrus multo palma altior est maxime in Libano. Et quia non unus est, sed multi qui
C florebunt, ideo pluraliter subdit, præmissam aperiens comparationem. Nunc,

Vers. 13. — « Plantati in domo Domini, in atriis « domus Dei nostri florebunt. »

Plantati in domo Domini, [Aug., Haym.] id est in Ecclesia, ubi est aspera radix, palmæ florebunt, *in atriis domus Dei nostri*, id est in atriis cœli. Atrium est initium mansionis, domus est interior. [Cassiod. Gl. int.] In atriis ergo *florebunt*, id est in ipso initio resurrectionis, dum audient : *Venite, benedicti Patris mei*, etc. (*Matth.* XXV.) Et quasi quis quæreret, non jam florent ? subdit :

Vers. 14. — « Adhuc multiplicabuntur in senecta « uberi ; et bene patientes erunt ut annuntient. »

Adhuc multiplicabuntur hic, [Gl. int., Cassiod.]
D quasi hic aliquid habent, sed ibi plus. Multiplicabuntur dico *in senecta uberi* : Ecclesia enim magis incipit esse uberrima, cum ad finem sæculi erit perducta. Tunc enim passionibus electorum cito implebitur numerus beatorum. In summo, palma florebit, quæ in radice concepit, et interim *bene patientes* vel, tranquilli *erunt* [Aug.] Ecce sabbatum, quod in titulo memoratur, non eos movet fenum. Cedrus enim et palma, nec in tempestatibus curvantur, sed tranquilli sunt. Ad quid ? *ut annuntient* hic, quid ?

Vers. 15. — « Quoniam rectus Dominus Deus « noster ; et non est iniquitas in eo. »

Quoniam rectus Dominus noster, et non est ini-

quitas in eo. [Gl. int., Cassiod., Aug.] Qui dicit non omnia bene agi, fenum est. Qui autem est in Sabbato, contra nuntiat. Vel potest accipi, sic : Ideo modo tranquilli sunt, ut annuntient in futuro perpetua laude, dum præmia capient. Tunc enim annuntiabunt hoc, *quoniam rectus Dominus Deus noster,* id est quod justus est, qui suis promissa complet, *et non est iniquitas in eo,* ut hic permittat pati pro se, quos ibi non ornet. [Alcuin.] Annuntiabitur ergo rectus, qui remunerat ; et non iniquus, ut fraudet præmio, sed benignus, ut accumulet.

COLLATIO IN PSALMUM XCI : « BONUM EST CONFITERI DOMINO, » etc.

VERS. 7. — *Et apparuerint.* Septuaginta καὶ διέκυψαν, hoc est, *prospexerint,* ut habet contextus Augustini, ac ejusdem interpretatio. Cæterum est Hebraice ויציצו VAIATZITZU, quod est in verbo hiphil (quod vocant). Et potest exponi per *prospicere,* ut est illud cant. II. מציץ METZITZ, id est *prospiciens,* vel per *ostendere seipsum* seu *apparere* instar florum, qui egrediuntur et ostendunt seipsos.

VERS. 10. — *Senectus mea ;* Hieron. Nebien. Pellica. et editio ad Campensem consimiliter ; interpretes pro Cajetano, *mistura mea ;* Pratensis, Sanctes, Munst. *conspersus sum* aut *delibutus,*

A בלותי BALLOTHI, deflectunt a verbo כרה BALAH, qui dicunt *senectus mea,* quod significet *inveteravit.* Alii vero a themate בלל BALAL, id est *perfudit, conspersit.*

In misericordia uberi. Hieron., *in oleo uberi.* Consonat Pellican. et Nebiensis, Pratensis et Sanctes, *oleo viridi ;* Munst., *unguento olivæ viridis ;* interpretes pro Cajet., *oleo recenti ;* translator ad Campensem, *succo virescet ;* et hujus paraphasis, *oleo fragrantissimo* בשמן רענן BESCHEMEN RAANAN. Per *oleum autem, misericordiam* in Scripturis designari nemo addubitat, RAANAN præterea sonat *frondosum* et *viridem,* quæ non inepte *ubertatem* indicant. Hinc Chaldæus, *oleo recenti olivæ frondosæ.*

VERS. 14. — *In senecta uberi.* Hebræi dividunt hæc duo vocabula, ut prius pertineat ad superiora, posterius ad inferiora. Ita enim reddit Hiero., *adhuc*
B *fructificabunt in senectute, pingues et frondentes erunt.* LXX simul junxerunt בשיבה דשנים BESEBAH DESCHENIM. Quiddam simile ostendit Hieronymus in superiori psalmo, ut adnotatum est. Deinde ubi dicimus *benepatientes* erunt, alii *virides* vel *frondentes* ponunt. Quia vero patientia opus perfectum habet (*Jac.* I), animam facit spiritualiter *frondescere* ac lætissime *virescere.* Rursus *ut annuntient* Heb. ordinatur ad sequentem versum, nos in hoc priorem finimus. Id genus multa in psalmis obvia sunt. Causas superius semel et iterum reddidimus.

PSALMUS XCII.

PSALMI TITULUS : « LAUS CANTICI DAVID IN DIE ANTE SABBATUM QUANDO FUNDATA EST TERRA. »

Dominus regnavit, decorem, etc. Titulus : *Laus cantici David in die ante Sabbatum, quando fundata est terra.* [Aug.] Titulum istum ex libro Genesis, non est difficile cognoscere. Dies enim ante Sabbatum, dies sextus est, quo factus est homo ad imaginem et similitudinem Dei, factis prius omnibus operibus quæ erant valde bona, et postea requievit in Sabbato, cessando a novis operibus, præsignans quod requiescemus in Deo, si faciamus opera bona, quæ cum labore fiunt, in quo deficeret homo, nisi spes quietis eum teneret. Et quia hæc opera finem habent, ideo sextus dies quo fiunt, habet vesperam. Sabbatum vero non habet vesperam, Scriptura subticente pro significatione, quia requies, quæ post laborem dabitur operum, fine carebit. Inde etiam est, quod in die qui celebratur pro mortuis, post festum Omnium Sanctorum Ecclesia in vespera officium non facit de mortuis, quia requies quæ ea die eis optatur vesperam non habet. In sexto autem die ad litteram, non legitur terra fundata, sed mystice dicitur. Ut enim sexto die fecit Deus hominem, ita sexto sæculo, id est sexta ætate sæculi, quam sextus dies significat, venit hominem reformare. Tunc ergo fundatur terra, cum homo fundatur in fide immobilis, et tunc fit homo ad imaginem et similitudinem Dei, quæ deformata erat in homine per peccatum, quod significat sextus dies. [Cassiod., Aug.] Et est sensus tituli : *Laus* ista *cantici,* id est, divina fit ipsi *David,* id est Christo, laus cujus hic cantatur demonstrativo genere, de eo quod fecit, *quando fundata terra in die ante*

Sabbatum id est septimum diem, id est de eo quod fecit sexta ætate sæculi significata per sextum diem. Tunc enim venit Christus fundamentum, et in fide fundavit hominem. Unde agit Psalmus. Intentione agit et monet ad laudem. Modus : [Cassiod.,] Septem sunt partitiones, sicut et septem loci laudis.
C Primus locus laudis est a pulchritudine ; secundus a fortitudine, ibi, *indutus ;* tertius, ab operibus, ibi, *etenim* ; quartus, a potestate, ibi, *parata* ; quintus a laudibus universitatis, ibi, *elevaverunt ;* sextus, a veritate dictorum, ibi, *testimonia ;* septimus a laude domus, ibi, *domum tuam.* Propheta ergo ad laudem Domini monens, demonstrativo genere utitur, dicens ;

VERS. 1. — « Dominus regnavit, decorem indutus est ; [indutus est Dominus fortitudinem, et « præcinxit se. »

Dominus Christus *regnavit,* [Cassiod., Aug.] id est, rex esse innotuit. Deinde primum locum laudis exponens subdit : *Decorem indutus est.* Vel induit alia littera, quantum ad eos quibus placebat, et eum laudabant. Christus enim decorus est, quibus
D placent bona. Decorem ergo induit, [Cassiod.] id est pulchritudinem suæ majestatis ostendit, his quibus placebat ut in monte Thabor coram tribus discipulis resplenduit (*Matth.* XVII). [Aug., Cassiod.] Sequitur secundus locus laudis a fortitudine. *Indutus est Dominus* vel, induit *fortitudinem* quantum ad eos quibus displicebat qui ei detrahebant. Fortis enim est contra detractores, fortitudinem ergo induit, ut quando venientes eum capere, retro abierunt **207**
vel corruerunt. Amicis ergo decorem, inimicis fortitudinem ostendit. *Et* his duobus *præcinxit se,* [Alcuin.] ut quasi promptus et expeditus esset ;

in subjugando mundum sibi. Vel ita, præcinxit se. Nota quod non ait, cinxit, vel succinxit, vel accinxit, sed, præcinxit. Cingimur enim operaturi, accingimur pugnaturi, succingimur ituri, præcingimur ministraturi. [Aug.] Cinctio ergo opera significat, quia cingit se aliquis operaturus. Accingeris, quando aliquid tibi adjungis. Unde : *Accingere gladio tuo circa femur* (*Psal.* XLIV), id est, jam in carne vigeat gladius, quo debellatur orbis terrarum, dum occiditur occulta nequitia, id est spiritus Dei in veritate sermonis vigeat. Præcingeris autem, cum ante te aliquid ponis, sicut et Dominus se præcinxit quando lavit pedes discipulorum (*Joan.* XIII), ostendens humilitatem omnem, in qua est omnis fortitudo. Superbia autem fragilis est, et omnis fortitudo de humilitate est. Loquens ergo de fortitudine dixit, præcinxit se, scilicet humilitate quam in se habuit, et aliis ostendit, quasi ante se ponens illa. Unde præcinxit se linteo, et lavit pedes discipulorum ; quia tunc humilis fuit, dans exemplum humilitatis, sicut ipse docuit : *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* XI), vel aliud in hoc verbo potest intelligi, id est patientia quæ per fortitudinem accipitur, qua et opus est inter detractores maxime qui præsentibus detrahunt. Detrahit enim quis tibi absenti, quod quia non sentis, non est tibi opus fortitudine ; detrahit quis et tibi præsenti, ubi opus est ut præcingas te fortitudine, ne irascaris, quia melior est qui vincit iram quam qui capit civitatem. Præcinxit ergo se fortitudine patientiæ, quam ante se habuit. [Hier., Alcuin., Aug.] Vel, præcinxit se, cœtu angelorum ascendens ad Patrem, vel præcinxit se, strenuitate operandi. Et sicut Christus indutus fuit et præcinctus fortitudine, sic sit homo immobilis per fortitudinem, et est orbis qui non commovebitur. De quo subdit :

VERS. 2. — « Etenim firmavit orbem terræ qui « non commovebitur. »

Etenim firmavit orbem terræ. [Cassiod., Aug.] Hic est tertius locus operibus. Quasi dicat : Decorem et fortitudinem induit utique ad hoc ut fundaret terram. Unde addit : *etenim firmavit* in fide *orbem terræ qui non commovebitur*, [Cassiod., Aug.] id est, in toto orbe paravit qui non commovebuntur ulla concussione. In toto enim orbe sunt stabiles, sunt et mobiles paleæ : orbis ergo qui non commovebitur, est credens in Christum, paratus non mollescere linguis laudantium, nec frangi linguis vituperantium. Sequitur locus a potestate, quartus.

VERS. 3. — « Parata sedes tua extunc ; a sæculo « tu es. »

Parata est sedes tua, [Cassiod., Aug.,] qua sedes ad dexteram Patris, scilicet vel in fidelibus. Anima enim tranquilla et humilis, sedes Dei est. Unde : *Spiritus meus requievit super humilem et quietum* (*Isa.* LXVI). Esto ergo humilis et quietus, ut in te habitet Deus. Parata est dico *extunc* vel, ex illo, alia littera per hoc, gratiæ tempus designat, forte intelligit hoc ex die ante Sabbatum, id est sexto tempore hujus mundi, quo Dominus venit, id est, parata est ab Incarnatione, quando veniens homines docuit. Sed ne tunc putes eum cœpisse quando natus venit, quia *a sæculo*, id est ab æterno, *tu es*. Vel ita continua : [Gl. int.] Licet dixerim sedem paratam extunc, tamen a sæculo, id est ab æterno, tu es proprie.

VERS. 4. — « Elevaverunt flumina, Domine : ele« vaverunt flumina vocem suam. »

VERS. 5. — « Elevaverunt flumina fluctus suos, « a vocibus aquarum multarum. »

Elevaverunt. [Cassiod., Alcuin., Aug.] Quintus locus a laude universitatis, et legitur talis littera *elevaverunt flumina, Domine, vocem suam a vocibus aquarum multarum.* Cætera quæ interponuntur, non sunt in editione Septuaginta Interpretum, quam Augustinus exponit. Quasi dicat : Sexto die venit Dominus, et veniens discipulos suos elegit, quos Spiritu sancto implevit. Unde dicuntur flumina, de quo alibi : *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei* (*Psal.* LXXXVI) Hæc ergo flumina, id est apostoli impleti misso Spiritu, elevaverunt vocem suam, id est fortiter et alte locuti sunt, qui primo timuerunt. Ubi autem impleti sunt Spiritu sancto accersierunt eos Judæi, et præceperunt ne omnino loquerentur, neque docerent eos in nomine Jesu. Quibus Petrus et Joannes dixerunt : *Non possumus non eloqui quæ vidimus et audivimus* (*Act.* IV). Elevaverunt ergo flumina vocem suam, quia discipuli audientes levaverunt vocem, omnes unanimes ad Dominum, dimissi a concilio Judæorum. Apostolis autem levantibus vocem suam, multi crediderunt et impleti Spiritu sancto, et ipsi clamaverunt. Unde sequitur : Et factus est clamor, *a vocibus aquarum multarum*, cum omnes unanimes, tanquam multæ aquæ elevaverunt vocem, et cœperunt multa flumina clamare de paucis. Illis autem clamantibus,

VERS. 6. — « Mirabiles factæ elationes maris ; mi« rabilis in altis Dominus. »

Mirabiles factæ sunt *elationes* [Aug.] vel suspensuræ *maris*, id est sæculi, quod cœpit irasci et persequi fideles, sed *mirabilis* est *Dominus in altis* ; ambulat enim super aquas maris, id est super capita potestatum et regum terrenorum, quos subjugat et premit ut sit pax Ecclesiæ. Quod significatum est olim, dum super aquas ambulavit. [Cassiod. Alcuin.] Vel secundum eamdem litteram, non mutato principio sic potest legi, sub alia distinctione : *Elevaverunt flumina vocem, Domine.* Hoc non mutatur. Quod autem sequitur : *Elevaverunt flumina fluctus suos*, hoc deest in aliis editionibus, sicut dixeramus, *a vocibus aquarum multarum*, factæ sunt *mirabiles elationes maris.* Aquæ sunt gentes, quæ Deum laudant. Unde mare, id est sæculum multum ascendit, cum in mandatis Dei firmatur. Sed ut hæc omnia ad Deum referantur, qui facit omnia bona, addit : *Mirabilis in altis Dominus.* [Rem.] Vel secundum litteram nostram, sic potest legi totum : *Firmavit Dominus orbem* ; et dum firmaret, *elevaverunt flu-*

mina, Domine, elevaverunt flumina vocem suam, id est philosophi elevaverunt contra Deum vocem contradictionis. Et, *elevaverunt flumina fluctus suos*, id est ipsi iidem elevaverunt fluctus suos persecutionis concitatos, *a vocibus aquarum multarum*, id est populorun multorum; et, *mirabiles* factæ sunt *elationes maris*, id est sæculi. Non mutatur hoc a prima lectione. Similiter et illud quod sequitur, *mirabilis in altis Dominus*.

VERS. 7. — « Testimonia tua credibilia facta sunt « nimis; domum tuam decet sanctitudo, Domine, « in longitudinem dierum. »

Testimonia. [Cassiod., Alcuin., Aug.] Sextus locus a veritate dictorum. Quasi dicat : Quia mirabilis elatio maris, et quia mirabilis in altis Dominus *testimonia tua, Domine, facta sunt nimis credibilia*. Quia illud totum ante dixerat, in me pacem, in mundo pressuram habebitis. Cum ergo viderent pressuras, sperabant et coronas ex prædictione, et ita, sunt facta testimonia tua credibilia nimis, ratione et auctoritate et miraculis. [Gl. int., Alcuin., Cassiod.] Vel ita : Sæculum firmatum est in mandatis Dei, et gentes laudant. Et cum hæc sint, te- A stimonia tua, scilicet testimonia prophetarum, facta sunt nimis credibilia, id est facta sunt vera, id est in Christo impleta. *Domum tuam*. [Cassiod., Aug.] Septimus locus a laude domus. Quasi dicat : Quid de his omnibus est factum? domus, quam *domum tuam*, o *Domine*, per totum orbem qui non commovebitur *decet sanctitudo*, id est adventus tui benedictio, quod est decus Ecclesiæ æternum. Et hoc *in longitudinem dierum* quia si multi cadunt, domus tamen stat multo tempore.

[Aug., Alcuin.] Nota psalmum istum in matutinis laudibus ante alios cantari, quia Christi laudem et laudis locos plenissime licet brevibus verbis continet.

COLLATIO IN PSALMUM XCII : « DOMINUS REGNAVIT, DECOREM, » etc.

B VERS. 5. — *Fluctus suos*. Hieronymus, Nebiensis, Pratensis, Pellicanus, *gurgites suos*; quod idem est. Sanctes, Munsterus, interpretes pro Cajetano, *contritionem* seu *illisionem*, sed et *fluctuum*, ut omnino sit eadem sententia דכים DOCIAM. Sed et hanc particulam *elevaverunt flumina fluctus suos*, quam Magister dicit non haberi in Septuaginta, nunc legimus, ἀροῦσιν οἱ ποταμοὶ ἐπιτρίψεις αὐτῶν. Cæterum in editione Romana desideratur.

PSALMUS XCIII.

PSALMI TITULUS. « PSALMUS DAVID, QUARTA SABBATI. »

In plerisque psalmis sunt tituli additi a Septuaginta vel ob decoris gratiam vel ob Spiritus sancti auctoritatem, juxta ea quæ dicit Hieronym. in secundo prologo ab libros Paralipom.

Deus ultionum, Dominus. Titulus : *psalmus David, quarta Sabbati*. [Aug.] Infirmis qui et murmurant in Deum corde vel verbis, videtur Deus hæc præsentia negligere, ubi indiscrete bona et mala bonis et malis dantur, et amplius bona malis et mala bonis. Vel videtur æque malos et bonos habere, vel etiam amplius malis favere. Propter hoc homines infirmi adversus Deum murmurant, et impatientes quasi frustra sint boni, vel mala aperte agunt, similes leoni; vel si timore hominum non audent, tamen intus habent, similes lupo, et inventa occasione nocendi, non mali fiunt, sed quod erant, produnt. Lupus enim et leo non similiter nocent, sed similiter cupiunt; æqua est illis voluntas, sed dispar facultas. Ille enim timet canem; iste non timet. Hos ergo murmurantes corde, vel erumpentes in dicta vel facta, curat hic psalmus totus, docens patientiam. Unde bene intitulatur : *Quarta Sabati*, quo die fecit Deus luminaria, solem in potestatem diei, et lunam et stellas in potestatem noctis (*Psal.* CXXV). Isti sunt sancti, qui lucent in medio hujus nationis pravæ et perversæ sine murmuratione fixi in cœlo. Quibus dicit Apostolus : *Omnia facite sine murmuratione, positi in medio nationis pravæ, ubi lucetis tanquam luminaria in mundo* (*Philipp.* II). Horum enim conversatio in cœlis est (*Philipp.* III), unde et despiciunt quæ in terra fiunt. Quasi dicat, non curent quæ hic fieri vident, sicut luminaria placide peragunt cursus suos, quidquid in terra agatur. Et est sensus tituli : *Psalmus* iste est *David*
C prophetæ, habitus *quarta Sabbati*, [Aug.] id est agens de patientia sanctorum, qui significantur per luminaria facta quarta Sabbati. Intentio. Monet ad patientiam. Modus. Tripartitus est psalmus. [Cassiod.] Primo Propheta assumens querimoniam infirmorum, cur peccatores glorientur, præmittit unde sanentur, scilicet quia Dominus in eos vindicaturus est. Secundo contra blasphemos invehitur, ostendens Deum scire hæc, et curare, ibi, *intelligite*. Tertio dicit quod mala sæculi per iniquos fiunt justis, ut puncti clament ad Deum, ibi, *quis exsurget*. Contra blasphemos ergo qui putant Deum non vindicare, præmittit, dicens :

VERS. 1. — « Deus ultionum Dominus, Deus « ultionum libere egit. »

D *Dominus*, [Aug., Gl. int.] qui putatur a quibusdam non vindicaturus, est *Deus ultionum*, et ut amplius confirmet, repetit, *Deus ultionum*. [Alcuin., Aug.] Quasi dicat : Non putabatur vindicare etiam malos, sed vere vindicat. Ne ergo festines alium punire, si ipse te læsit sicut nolles puniri alio rogante quem læsisti. Noli misericordiæ pontem subvertere, quæ transisti, et si ille peccat in te, ne pecces tu deterius blasphemans Deum, appende in statera æquitatis illum furem, et te blasphemum. Ille enim te dormire putat, tu vero Deum. Ille sommum captat, hominis ut aliquid involet; et tu dicis, quia Deus dormit, et hominem non videt. Nec optes vindictam,

quæ si venerit, forsan te prius inveniet. Unde scis eum vindicaturum? quia in carne loquens *libere*, vel, fidenter alia littera *egit*, quia nulli pepercit, vitia hominum medicus secuit. Libere ergo egit tempore infirmitatis, ut quando in templo docuit tanquam potestatem habens (*Matth.* VII), quia nec veritati ejus, nec potestati poterat obviari. Quid
208 ergo in judicio faciet? utique qui judicandus non pepercit, in verbo, judicaturus non parcet in facto. Unde conversus ad Dominum ait :

Vers. 2. — « Exaltare qui judicas terram ; redde « retributionem superbis. »

Exaltare. [Alcuin., Gl. int., Aug.] Quasi dicat : Et si illi ita te occiderunt, quia fidenter egisti, nunc *exaltare* ut jam contra te nihil possint [Gl. int., Cassiod., Aug.] Vel ita continua : Et quia tunc egisti, nunc exaltare, resurgendo, ascendendo, ut jam contra te nihil possint, *qui judicas terram*, id est terrenos. Et *redde retributionem superbis*, non his qui pœnitent. Ideo dico redde, quia

Vers. 3, — « Usquequo peccatores, Domine, usquequo peccatores gloriabuntur? »

Usquequo, etc. [Aug.] Vel ita continua. Dico redde, sed quando hoc erit? quærit pro te, ut in illo invenias quod tu nescis, qui non nescit; quærit ergo quando fiet, sic dicens : *Usquequo peccatores, Domine, usquequo peccatores*. Hæc repetitio dolorem exspectationis significat, [Cassiod., Gl. int.] quia bonis gravis est jactantia malorum. Usquequo, inquam, *gloriabuntur*, non modo peccabunt?

Vers. 4. — « Effabuntur et loquentur iniquitatem ; loquentur omnes qui operantur injustitiam. »

Effabuntur et loquentur. [Alcuin., Aug., Cassiod.] Exponit eorum peccata. Quasi dicat : Vere sunt peccatores, quia effabuntur, id est omnes pravas cogitationes efferent, *et loquentur iniquitatem* contra Deum dicentes : Deus non curat hæc : vel placent ei quæ facimus, vel effabuntur publicas persuasiones, et loquentur iniquitatem, id est privatas persuasiones, ne quod tempus sit vacuum a culpa. [Aug.] Vel secundum aliam litteram, quæ est, *respondent et loquentur*. Quasi dicat : Peccant et gloriantur. Et hoc ideo, quia respondent, id est habent quid respondeant juste arguenti, dicentes : Cur non facerem quod libet? ego sum felix, justus vester miser est. Talia suæ responsionis inveniunt argumenta. Et hoc respondendo, loquentur iniquitatem, dicentes Deum non curare hæc. [Cassiod., Gl. int.] Deinde procedit exaggerando, *loquentur omnes qui* etiam *operantur*, non solum loquuntur *injustitiam*. Deinde exponit quam injustitiam operentur, hanc scilicet,

Vers. 5. — « Populum tuum, Domine, humiliaverunt ; et hæreditatem tuam vexaverunt. »

Domine, populum tuum humiliaverunt, [Aug., Cassiod.] id est justos in quos volunt superbire. Deinde determinat populum, dicens : *Et hæredita-*
A *tem tuam*, hæc est populus, *vexaverunt* non perdiderunt.

Vers. 6. — « Viduam et advenam interfecerunt ; « et populos occiderunt. »

Viduam et advenam, [Cassiod., Alcuin.] id est peregrinum *interfecerunt et pupillos occiderunt* (*Deut.* X) ad litteram. Hos Deus tuetur, et præcipit adjuvari, et ita majus crimen. Vel typice per viduam, significantur illi, quibus error maritus mortuus est, et advenas dicit illos, qui non quærunt hic manentem civitatem (*Hebr.* XIII), et pupillos dicit eos, qui sunt sine patre diabolo, et sine matre concupiscentia.

Vers. 7. — « Et dixerunt : Non videbit Dominus; « nec intelliget Deus Jacob. »

B *Et dixerunt* (ecce blasphemia), *Non videbit Dominus*. [Cassiod., Aug.] Hoc ideo dicit malus, quia tacet modo Deus non vindicando, et putat ei placere. *Nec intelliget*. Quasi dicat : Et si videt non apponet cordi, id est non curat. Quasi dicat : Non attendit ista, negligit ista, nec attendit ut videat, non me curat Deus quid agam, alias res curat, *Deus Jacob* [Cassiod., Gl. int.] id est Christianorum, de quo hoc non deberent dicere.

Pars. II. **Vers.** 8. — « Intelligite, insipientes in « populo, et stulti, aliquando sapite. »

Intelligite, insipientes. [Alcuin.] Secunda pars, ubi contra blasphemos invehitur, ostendens Deum scire hæc et curare, prudenter et juste disponendo
C de malis, quibus foditur fovea, et de bonis qui patientes afficiuntur; quod concilium suum malis incognitum, suis amicis aperit. Quasi dicat : Vos mali ita dicitis, sed, o peccatores, intelligite, qui estis insipientes, quorum scilicet pedes nutant, æmulando prosperantes in malis. [Aug., Cassiod.] Et hoc *in populo* quia duplice docent, quod male didicerunt ; *et vos stulti*, stulti sunt qui aperte blasphemant dicentes Deum non videre. *Aliquando sapite*. [Aug., Gl. int.] Vel ita : Vos insipientes, id est nescii, intelligite, qui jam bene vivendo, estis in populo, id est in numero bonorum, et vos, stulti, id est improvidi ; et si scitis, aliquando sapite. Quid? illud :

Vers. 9. — « Qui plantavit aurem non audiet? « aut qui finxit oculum non considerat? »

D *Qui plantavit aurem*, ut audires, *non audiet?* [Hier., Aug., Cassiod.]Non dico non habet aurem, quia has virtutes habet Deus; sed non membra. Quasi dicat : Qui fecit tibi unde audias, non habet unde audiat. *Aut qui finxit oculum non considerat?* utique considerat. Nulli enim tantum dedit, quantum in se habet, et nonne arguet in judicio?

Vers. 10. — « Qui corripit gentes non arguet? « aut qui docet hominem scientiam. »

Qui modo *corripit gentes*. [Alcuin] Quasi dicat. Qui corripit quotidie pro originali peccato gentes, nonne arguet pro superadditis? Vel secundum aliam litteram, *qui erudit gentes*, propter quam eruditionem misit Deus Filium suum, et ante ipsum,

et post ipsum misit servos suos, id est prophetas et apostolos. Nonne ergo *arguet*, id est judicabit, quibus sermonem doctrinæ præmisit? Magister in schola erudiens, committit tibi' ut reddas; utique quando accipis a magistro, erudiris; committit tibi magister quod præbet, et nonne exiget ut reddas? et cum cœperis reddere, sine metu eris plagarum? Sic Deus exiget quid seminavit. Qui enim modo accipimus, postea statuemur ante magistrum, ut reddamus rationem de omnibus. Unde Apostolus : *Omnes astabimus ante tribunal Christi, ut recipiat unusquisque*, etc. *Et qui docet hominem scientiam*, ipse est sine ea, et ipse nescit, qui te scire facit? absit!

Vers. 11. — « Dominus scit cogitationes hominum, « quoniam vanæ sunt. »

Dominus scit. [Gl. int., Aug., Cassiod.] Quasi dicat : Vere scit, quia *Dominus* etiam *scit cogitationes hominum*. Et hoc scit, *quoniam vanæ sunt;* tu vero nescis cogitationes Dei, quoniam justæ sunt; sed ipse vanas esse scit cogitationes hominum, et revera talium hominum cogitationes sunt vanæ, quod ipsi per se non possunt scire, sed Dominus novit esse vanas. [Aug.] Ideo has relinquite, ut comprehendatis cogitationes Dei, quæ sunt sapientes; quas comprehendit, qui est in firmamento cœli alius non; sed amicis factis prodit Deus consilium suum, scilicet cur malis parcit. Unde subdit :

Vers. 12. — « Beatus homo quem tu erudieris, « Domine, et de lege tua docueris eum. »

Beatus homo, etc. [Alcuin., Gl. int.] Quasi dicat : Illi sunt vani, sed beatus est, *homo quem tu*, o Domine, *erudieris*, ut puerum, per tribulationes. *Et de lege tua*, non de vanitate, *docueris eum* ut adultum scilicet quem cœlesti doctrina confirmas, Et nota quia eruditio dupliciter fit, scilicet per disciplinam tribulationum : unde addit, quem tu erudieris; et per doctrinam legis : unde ait, et de lege tua docueris eum (181). Hi autem qui erudiuntur, sic sunt quasi luminaria in cœlo. Lex enim Dei cœlum est in quo fixa sunt luminaria, id est sancti meditando in lege, ne moveri queant. Unde in titulo mentionem fecimus, de hoc cœlo alibi dicitur : *Extendit cœlum sicut pellem* (*Psal.* CIII); hic extenditur enim liber Dei ut pellis, ut in eo legatur quod modo necesse est discituris hominibus. Cum autem in futuro omnes scient Deum, cœlum sicut liber plicabitur : ex lege ergo Dei disce patientiam ut patienter feras, *donec fodiatur peccatori fovea*. Non est enim tuum scire, quomodo et cur fodiatur illi.

Vers. 13. — « Ut mitiges ei a diebus malis, donec « fodiatur peccatori fovea. »

Ut mitiges. [Aug.] Quasi dicat : *Docueris*, ad hoc utique, ut *a diebus malis*, quibus florent mali, et laborant boni, *mitiges ei*, ut patienter ferat quidquid hic agitur, sicut luminaria peragunt placide

A cursus suos, quidquid infra agatur vel ab hominibus in ea, id est contra ea dicatur. Mitiges, *donec fodiatur peccatori fovea*, felicitas malorum fovea est; labor bonorum flagellum patris est. Ideo autem felicitas est fovea, quia cum Deus parcit, per impunitatem fit homo elatus; et cum putat se altum, cadit. Unde alibi; *Dejecisti eos dum allevarentur* (*Psal.* LXXII). Ecce jam est consilium Dei, quo malis parcit. Ideo enim malis parcitur, ut fodiatur fovea eis. Adhuc foditur fovea peccatori, et tu jam vis sepelire eum? nimis festinas, exspecta, donec fodiatur fovea peccatori, non omni quidem peccatori sed superbo. Unde supra dixit : *Redde retributionem superbis*, non publicano confitenti, sed Pharisæo superbienti (*Luc.* XVIII). Superbus autem est B ille qui non humiliatur ad pœnitentiam. Deinde qui sibi dat bona, si qua habet. Et si attribuat Deo, insultat eis qui non habent, et se super eos extollit. Ergo prius humiliare ad pœnitentiam, postea si bene vivis, age gratias ei, a quo habes, nec alium despicias : et si illi foditur fovea, quid mihi qui laboro? ecce magnum quid :

Vers. 14. — « Quia non repellet Dominus plebem suam; et hæreditatem suam non dereli« quet. »

Quia non repellet Dominus. [Aug., Gl. int.] Vel ita continua : Bene dixi mitiges, quia Dominus non repellet, ut abjectam *plebem suam*, et si exercet eam, ut det hæreditatem æternam. *Et hæreditatem suam non derelinquet* ut inadjutam. Non derelin-C quet, dico,

Vers. 15. — « Quoadusque justitia convertatur in « judicium; et qui juxta illam? omnes qui recto sunt « corde. »

Quoadusque justitia, [Cassiod., Gl. int.] id est illi qui modo justi sunt. Et ideo judicati, *convertatur in judicium*, ut dijudicent, quia tunc erunt judices illorum. Unde : *Sedebitis et vos super sedes duodecim*, etc. (*Matth.* XIX) [Aug.] Sed ne dubites qui sint isti, quærit et solvit, dicens : *Et qui sunt juxta illam?* solvit *omnes qui recto sunt corde*, id est qui sunt sine errore. Vel secundum aliam litteram; *Et qui habent eam*, id est justitiam, *omnes sunt recto corde*, id est hoc volunt quod Deus vult, scilicet exspectare malos et hujusmodi. Qui enim volunta-D tem suam tortuosam divinæ voluntati subjiciunt, et ad regulam divinæ voluntatis dirigunt, recti corde sunt, quod Christus in passione nos docuit, duas exprimens in se voluntates, secundum duas naturas et humanam subjiciens divinæ voluntati præfigurans in corpore suo, id est in Ecclesia quosdam futuros qui voluntatem suam vellent facere, sed postea sequerentur voluntatem Dei. Infirmos enim in se præfigurans Dominus, id est personam infirmorum gerens, illisque compatiens, ait : *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste* (*Matth.* XXVI). Ecce habes hominis voluntatem, quam ad divinam continuo

(181) Ex Aug. in præfatione psal.

dirigens ait : *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis* (*ibid.*). Ibi ergo infirmitatem humanam præsignavit. Non enim vere, id est ex necessitate, Dominus timebat pati, tertia die resurrecturus, cum arderet Paulus dissolvi, et esse cum Christo (*Philipp.* I). Iste gaudet coronandus, et Dominus tristis est coronaturus alios. Sed tristitiam sic assumpsit quomodo carnem, scilicet voluntate non necessitate. Fuit enim tristis ut Evangelium dicit. Si enim tristis non fuit, cum Evangelium dicat, *tristis est anima mea usque ad mortem*, ergo et quando dicit, dormivit Jesus, non dormivit. Vel cum dicit manducasse, non manducavit. Et ita nihil sanum **209** relinquetur, ut etiam dicatur, quia corpus non erat verum. Quidquid ergo de illo scriptum est verum est. Factum est ergo, et tristis fuit, et voluntate tristitiam suscepit veram quomodo voluntate carnem veram.

PARS. III. VERS. 16. — « Quis consurget mihi adversus malignantes ? aut quis stabit mecum adversus operantes iniquitatem ? »

Quis consurget mihi. [Cassiod., Alcuin , Aug.] Tertia pars, ubi dicit quod fluctuatio fit justis, et fluctus sæculi, id est mala per iniquos, ut puncti clament ad Deum, et nihil aliud eis placeat, et tunc gratior sit liberatio. Quasi dicat : Undique multi suadent mala, nescientes quomodo juste Deus hæc mundana regat, sed *quis consurget*. Quasi dicat : Fluctuo, prope vincor. Quocunque respicio occurrunt mihi mala : sed unde vincam ? Quomodo ergo ero rectus, cui tot obsunt ? Et hoc est, *quis consurget mihi*, [Cassiod.] id est pro me, *adversus malignantes*, id est dæmones, *aut quis stabit*, id est perseverabit *mecum* in acie patiens ? quia ille vincit, qui sustinet ; perdit ille qui ferit. Stabit, dico, *adversus operantes iniquitatem*. Quasi dicat : Nullus nisi Dominus. Homo enim non potest, sed Dominus, quod per effectum ostendit.

VERS. 17. — « Nisi quia Dominus adjuvit me, paulominus habitasset in inferno anima mea. »

Nisi enim hoc esset, *quia Dominus adjuvit me, anima mea paulominus habitasset*, [Aug., Cassiod.] vel habitaverat, *in inferno*, id est in fovea quæ paratur peccatori, id est pene consenserat, vel consensit impiis. Jam enim nutabat, jam prope consentiebat malis. Vanis enim persuasionibus poterat decipi, nisi Dominus liberaret, sed

VERS. 18. — « Si dicebam motus est pes meus : misericordia tua, Domine, adjuvabat me. »

Si dicebam : Motus est pes meus, misericordia tua Domine, adjuvabat me contra motionem meam. [Aug. Cassiod., Aug.] Ecce quomodo confessionem amat Deus, confitere motum et evadis. Mox ut judici culpa non negatur, liberat, sicut Petrum liberavit super aquam ambulantem ne mergeretur, qui Domino dixit : *Domine, si tu es, jube me venire ad te super aquam. Cui Dominus dixit* : *Veni* (*Matth.* XIV). Ut enim Christus sua potestate super mare ambulat, id est calcat capita superborum, et fluctus sæculi, ita jussu ejus, Petrus, id est Ecclesia, sed ex infirmitate titubat et clamat : *Domine, pereo* (*ibid.*). Et misericordia manum porrigit, sicut Dominus porrexit manum Petro, dicens : *Modicæ fidei, quare dubitasti ?* (*ibid.*) Quod ergo hic dicitur, *motus est pes meus*, hoc ibidem, *pereo*, et quod hic dicitur : *Misericordia tua, Domine, adjuvabat me*, hoc ibi, *porrexit Jesus manum*. [Gl. int., Cassiod.] Pericula autem dulciorem faciunt liberantem. Unde et contra mala sæculi consolatio subditur, quæ tunc est lætior. Unde ait :

VERS. 19. — « Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo ; consolationes tuæ lætificaverunt animam meam. »

Et consolationes tuæ lætificaverunt animam meam [Aug., Cassiod.] et si corpus uritur, quæ sunt *secundum multitudinem dolorum meorum*. Multi sunt dolores et amari, sed multæ consolationes et suaves, non desunt laboranti, et hæ consolationes sunt *in corde meo*. Per hoc salubres esse cogitationes significat, ut cum æternas retributiones cogitaret, mala temporalia despiceret, me adjuvat misericordia, sed

VERS. 20. — « Nunquid adhæret tibi sedes iniquitatis, qui fingis laborem in præcepto ? »

Nunquid adhæret tibi sedes iniquitatis ? [Aug.] Nemo iniquus sedet tecum, quia nulla conventio luci ad tenebras (*II Cor.* VI). [Cassiod., Aug.] Vel, sedes iniquitatis, est possessio mundi cum amore, quæ non hæret Deo, qui suos præcipit hæc fugere. *Qui fingis*. Quasi dicat : Ex hoc intelligo, quod non hæret tibi aliquis iniquus, quia nec nobis pepercisti a flagello. Et hoc est, tu es qui fingis, et facis et formas laborem vel *dolorem*, alia littera, etiam filiis. Sicut enim Petrus dicit : *Modo incipit judicium a domo Dei* (*I Petr.* IV), id est a fidelibus : et si flagellantur filii, quid debent sperare servi nequissimi ? Et item : *si initium a nobis, quis finis eorum qui non credunt Evangelio.* (*ibid.*) Et item : *si justus vix salvabitur, impius et peccator ubi parebunt ?* (*ibid.*) Quomodo ergo erunt tecum iniqui cum nec fidelibus tuis a flagello parcas ? *In præcepto.* [Aug., Alcuin.] Quasi dicat : Facis dolorem, et ille dolor vel labor est in præcepto, id est habet vicem præcepti. Sicut enim præceptum corrigit, ita dolor flagelli emendat filios : Unde bene posuit, fingis, id est facis et formas. Dolor enim alius formatus, alius informis. Formatus est qui erudit et emendat, et ille dolor est præceptum ; et alter est informis. [Aug., Cassiod., Aug.] Vel ita : Fingis laborem vel dolorem in præcepto, id est de labore vel dolore præceptum facis nobis, ut ipse labor vel dolor sit præceptum. Nam præceptum ejus continet : *Beati qui lugent et qui persecutionem patiuntur propter justitiam* (*Matth.* V). Merito hoc præcipit, quia labor est pretium regni Dei, quo ipsum venale ematur. Ideo præcipit Deus laborem et dolorem, ut non sit homo sine timore, nec amet aliquid aliud oblitus veri boni. In tranquillis enim dormit Deus Christus, et tunc surgit fluctus, in quo excitatur : ita in qui-

busdam tepescit fides Christi, in tranquillitate otii, et surgit fluctus tentationis. Excitent ergo fidem et sic liberantur.

VERS. 21. — « Captivabunt in animam justi : et « sanguinem innocentem condemnabunt. »

Captivabunt. [Alcuin.] Quasi dicat : Et cum nihil malis hominibus tecum sit, ad quid ergo sunt ? ut de eis pungas bonos, ut boni puncti ad te clament. Et demum hi pereant, quæ tria his tribus versibus ostenduntur. [Aug., Cassiod., Aug.] Quasi dicat: Ita fingis laborem et dolorem, quia de malis exerces bonos et erudis. Captivabunt *in animam justi.* Quia enim vera non possunt, falsa crimina objiciunt. *Et* cum in anima non possunt nocere, *sanguinem innocentem condemnabunt :* quod sceleribus competeret. Et quare hoc permittit Deus ?

VERS. 22. — « Et factus est mihi Dominus « in refugium ; et Deus meus in adjutorium spei « meæ. »

Et, [Gl. int., Aug.] id est quia, sic *factus es mihi Dominus in refugium,* ut sim securus. Si enim non periclitareris, non quæreres refugium ; pungeris dolore ut quæras remedium, recedit spes sæculi, et venit spes Dei. *Et Deus meus in adjutorium* factus est *spei meæ.* Nondum enim est res, sed spes in qua adjuvat, ne in spe deficiamus, sed sperata consequamur.

VERS. 23. — « Et reddet illis iniquitatem ipsorum, « et in malitia eorum disperdet eos ; disperdet illos « Dominus Deus noster. »

Et reddet illis iniquitatem ipsorum. [Cassiod., Aug., Cassiod., Gl. int.] Hoc fine omnis dubitatio curatur. Aperte enim ostenditur quod jam non negligit Deus, sed opportuno tempore retribuit. *Et in malitia eorum,* id est non secundum quod nobis de eis præstat, sed secundum quod intenderunt *disperdet eos,* id est a suo regno separabit, ubi, id est qua separatione incomprehensibilis erit miseria ; quod vere poterit, quia ipse qui *disperdet illos* est *Dominus Deus noster.*

COLLATIO IN PSALMUM XCIII : « DEUS ULTIONUM DOMINUS, etc.

VERS. 1. — *Libere egit.* הופיע HOPHIA, id est *splendide appare.* Vel, ut habet divus Hieronymus, *ostendere.* Et ad consimilem modum cæteri. Conciliabis lectionem nostram, a sensu non discedens, si intelligas potestatem omnipotentis Dei manifeste patescere, et ob oculos poni, magis quam lumen ipsum, quando vindictam infert libere, pro suo nutu et arbitrio, nullo timore, nullo impediente ; palam omnibus, in aperto, in manifesto.

VERS. 4. *Effabuntur.* Hieronymus et nonnulli, alii, *fluent* ; Sanctes, Munsterus, et translator ad Campensem, stant a nostra lectione. יביעו IABIU anceps est, etiam si fluxus maxime quadrat linguæ pravæ et lubricæ. Unde paraphrasis Campensis, *sceleratus animus erumpet in verba.*

Loquentur iniquitatem. עתפ ATHAP vertit Hieronymus *antiquum,* id quod sequitur Pellicanus ; Pratensis, *elatum* ; Sanctes, *dura ;* Munsterus, *durum auditu ;* interpretatio pro Cajetano, *forte.* Quæ omnia aptissime respondent *iniquitati,* usque adeo ut nihil magis. Unde Nebiensis vertit *inveteratam malitiam.*

Loquentur omnes qui operantur injustitiam. Illud quod est *loquentur,* ad verbum יתאמרו IITHAMMERU, intelligunt cum jactantia. Hinc Hieronymus dixit, *garrient ;* Munsterus, *jactant ;* Pratensis, *magnificabuntur ;* et alii quædam non dissimilia. Consentanea est expositio magistri.

In hoc versu docet divus Hieronymus oportere interdum quædam addi apud Latinos, quæ non sunt apud Hebr. aut Græcos, ob elegantiam sermonis. Ait enim ad Suniam et Fretellam, « *Beatus homo quem tu erudieris, Domine,* dicitis in Græco non esse, *tu,* μακάριος ἄνθρωπος ὃν ἂν παιδεύσῃς, Χύριε, id est *beatus homo quem quidem erudieris, Domine.* Et verum est. Sed apud Latinos propter εὐφωνίαν, id est consonantiam positum est. Si enim dicamus, *beatus homo quæ erudieris, Domine,* compositionis elegantiam non habebit. Sed quando dicitur, *Domine,* et apostropha fit ad Dominum, nihil nocet sensui, si ponitur et *tu.*

VERS. 15. — *Qui juxta illam ? omnes qui recto sunt corde.* Cum priori clausula præmitterentur *justitia,* et *judicium,* liberum erat dicere in sequenti, *juxta illam justitiam,* vel *illud judicium.* Faber tamen nostram lectionem jugulat quasi ineptam. Hieronymus juxta Hebr. dixit, *illud,* non illam. Esto illam vel illud, æquum est. Unde Munsterus vertit, *post illam incedent omnes.* Et Augustinus luce clarius exposuit de justitia. Qui habent modo, inquit, *justitiam,* nondum judicant. Primo est enim habere justitiam, et postea judicare. Similiter et Arnobius habet. At Faber opponit Græcum αὐτῆς femininum, ut referatur ad χρίσιν femin. ge. Itidem id est interdum. Sed cur claudit oculos, et vult videre aliam *particulam justitiæ,* δικαιοσύνη ?

VERS. 17. — *Paulominus habitasset in inferno anima mea.* Satis consentiunt omnes, quia ודמה DUMAH significat *sepulcrum, silentium, excisum, desertum,* quæ universa ad infernum referuntur, licet cum LXX quidam vertunt, *in inferno,* alii *in silentio,* nonnulli *succisa,* vel *deserta anima mea* : ubi dicimus, *in inferno anima mea.*

VERS. 19. — *Secundum multitudinem dolorum meorum.* Hieronymus et plerique alii, pro *doloribus,* ponunt *cogitationes,* שרעפי SAREAPAI, sed intelligendæ sunt cogitationes doloris, et ex consequentia orationis, *consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Unde translatio ad Campensem, *in multitudine cruciatuum meorum internorum.*

VERS. 20. — *Qui fingis laborem in præcepto.* עמל AMAL, ferme singuli vertunt *laborem* vel *afflictionem.* Sanctes transtulit, *iniquitatem,* arbitror ob id quod omnem superat afflictionem, ac interrogative pronuntiandum, *formans iniquitatem in præcepto.* Simpliciter alii intelligunt, nec omnes eodem sensu. Sunt qui referant ad *sedem iniquitatis, quæ solet fingere laborem in præcepto,* gravia imponendo, ut volunt recentiores. Magis arrident antiqui, Hieronymus, Augustinus, Arnobius, Gregorius, XVIII lib. Moral. cap. 12, Cassiodorus. Hi exponunt de Deo, *qui fingit laborem* **210** *in præcepto,* per quod impios corrigit, et correctos præmiat, ut simpliciter et plane dicas, *qui fingis laborem in præcepto,* semota interrogatione, quam priores persequuntur.

PSALMUS XCIV.

PSALMI TITULUS : « (127) LAUS CANTICI IPSI DAVID. »

Venite, exsultemus Domino. Titulus : *Laus cantici David ipsi David*. [Alcuin., Aug.] Agitur hic de tempore gratiæ, in quo per Christum intratur in requiem. Unde tam titulo quam psalmo monet Deum hilariter et devote laudare. Laus enim devotionem, cantus hilaritatem significat, ut cum lætitia laudemus. Quid? psalmus indicat, scilicet Deum. Et est sensus : [Cassiod.] *Laus* ista *cantici*, id est devotionis et hilaritatis, fit *ipsi David*, id est Christo.

Intentio : Monet ad exsultationem et laudem.

Modus : Bipartitus est psalmus. Propheta laudes Christi describens, primo Judæos invitat, quos prævidebat posse resistere Christo. Secundo ipse Christus monet eosdem ne obdurentur, ibi, *nolite*. [Aug.] Itaque quasi ad magnas epulas invitans, ait : O vos qui longe estis per dissimilitudinem,

VERS. 1. — « Venite exsultemus Domino; jubilemus Deo salutari nostro. »

Venite, [Haym., Aug., Cassiod., Aug.] fide et *exsultemus* mente, *Domino*, non in sæculo, *Jubilemus* voce, *Deo salutari nostro* Jesu. Quasi dicat : Gaudium sit tantum, quod verbis dici non possit, quod tamen intus conceptum, vox extra testetur. Et

VERS. 2. — « Præoccupemus faciem ejus in confessione; et in psalmis jubilemus ei. »

Faciem ejus, [Aug., Gl. int., Cassiod.] id est conspectum venturi judicis *præoccupemus*, quia venturus est, ne inimicus accusando præveniat nos, et ne quid in nobis tunc sit discutiendum. [Aug.] Et hoc *in confessione* illum laudantes, nos accusantes : quæ sunt vota distincta. De quibus alibi : *Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea* (*Psal.* LXV). Distinguit ergo qui eum laudat et se accusat. Gemina enim confessio est laudis, scilicet et peccati. Et confessio peccati pertinet ad laudem ignoscentis, de qua laude psalmus agit. *Et in psalmis jubilemus ei*, id est quæ dicimus in psalmis vel facimus, sentiamus in jubilatione.

VERS. 3. — « Quoniam Deus magnus Dominus; et rex magnus super omnes deos. »

Quoniam Deus. [Aug.] Hæc sunt verba illa quæ pertinent ad laudem cantici hujus. Quasi dicat : Ideo jubilemus et exsultemus, *quoniam Deus* est *magnus Dominus* summa potestate, *et rex magnus super omnes deos* gentium. Vel magis deos dicit homines super quos rex est, non super dæmonia.

VERS. 4. — « Quia in manu ejus sunt omnes fines terræ; et altitudines montium ipsius sunt. »

Quia in manu ejus sunt. [Cassiod., Aug.] Post magnitudinem venit ad clementiam. Quasi dicat : Ideo jubilate, *quia in manu ejus sunt omnes fines terræ*, id est gentes. Vel secundum aliam litteram, secundum quam additur : *quia non repellet Dominus plebem suam, quia in manu*, etc. Quasi dicat : Ideo jubilemus, quia non repellet Dominus plebem suam, id est Judæos qui proprie sua plebs, cujus si aliqui rami fracti, tamen ipsa oliva remanet, de qua apostoli et alii multi, et ipse Christus. Inde, scilicet de hoc loco, Apostolus testimonium accepit in Epistola ad Romanos (*Rom.* X). Item ideo, quia in manu ejus sunt omnes fines terræ, id est gentes. Lapis enim angularis, et alios in se conjungit, id est gentes; *Et altitudines montium*, id est terrenæ potestates, quæ prius erant adversæ, [Gl. int.] vel potestates cœlorum, id est angeli, *ipsius sunt*. Item ideo jubilemus.

VERS. 5. — « Quoniam ipsius est mare, et ipse fecit illud; et siccam manus ejus formaverunt. »

Quoniam ipsius est mare, [Aug.] id est mundus, *et ipse fecit illud*, cujus fluctus termino arcet Deus, non permittens nos tentari supra id quod possumus (*I Cor.* X), qui fluctus etiam proventum nobis faciunt Deo id agente. Ipse ergo facit quod nec scandala tibi nocent, quæ mensuram a Deo accipiunt, quia ipsius est mare, dominio. *Et ipse fecit illud*; [Cassiod., Aug.,] hoc addit ut scias ei subesse. *Et manus ejus formaverunt siccam*, id est aridam terram, humanæ mentis, quæ recepit imbrem et fructificat, quam non sinit fluctus tentationum operire.

VERS. 6. — « Venite, adoremus et procidamus, et ploremus ante Dominum qui fecit nos, quia ipse est Dominus Deus noster. »

Venite. [Cassiod., Aug., Gl. int., Cassiod., Aug.] Prius rudes vocavit ad exsultationem. Jam ostensa gratia Dei, vocat ad pœnitentiam quod durius est. Quasi dicat : Quia tanta facit, ergo, *venite*. Repetit præmissam admonitionem. Quasi dicat : Commemoratis a me laudibus, nolite longe stare vita et moribus, sed venite propius, *et adoremus*, quod plus est, *et procidamus* cum humilitate *ante Deum*, et si forte de peccatis quæ vos longe fecerunt, solliciti estis, plorate, faciamus quod sequitur; *Et ploremus ante Deum*. Lacryma enim exstinguit flammam peccati, quæ ardet in conscientia. *Qui fecit nos*. Quasi dicat : Qui opus suum non spernit. Ecce magna fiducia. A te enim deficere potes, tu te reficere non potes. Ille reficit, qui te fecit. Ideo adoremus, *quia ipse est Dominus Deus noster*, qui adorandus est.

VERS. 7. — « Et nos populus pascuæ ejus, et oves manus ejus. »

Nos autem quid sumus, ut securi ploremus et procidamus? [Aug.] ecce, *et nos* sumus *populus pascuæ ejus, et oves manus ejus*. Vide quam eleganter ordo verborum mutatus est. Non dixit oves pascuæ, et populus manus ejus, quod magis videtur congruere, quia ad oves pertinent pascua : quod ideo fecit, ut ipsos intelligas, oves qui sunt populus Dei.

(127) Ἀνεπίγραφος παρ' Ἑβραίοις.

Dixit etiam oves manus quas fecit, quia fecit nos esse oves. Et dicit hoc ad differentiam earum ovium quas emimus, quæ non dicuntur oves manus, quia sunt a nobis emptæ oves, sed eas non fecimus, sed ipse gratia sua fecit nos oves.

VERS. 8. — « Hodie si vocem ejus audieritis. »

Hodie si vocem. [Cassiod., Haym., Aug.] Quasi dicat : Populus et oves sumus, sed his omnibus proponitur conditio. Quasi dicat : Hac conditione dico, *si hodie*, id est tempore gratiæ, *audieritis vocem ejus*, qui per se nunc loquitur, qui olim per servum loquebatur, qui præcones ante se mittebat, ipse venire dignatus est. Ideo ne sitis duri, sicut tunc fuistis. Deinde quam vocem audire debeant, subdit, hanc scilicet.

PARS II. — « Nolite obdurare corda vestra. »

Nolite obdurare. [Cassiod.] Secunda pars. Jam ipse Christus monet ne obdurentur, ne contingat eis ut patribus ; *nolite obdurare corda vestra*. Qui non credit, lapideus est.

VERS. 9. — « Sicut in irritatione secundum diem « tentationis in deserto, ubi tentaverunt me patres « vestri : probaverunt et viderunt opera mea. »

Sicut in irritatione, etc. [Cassiod., Alcuin.] Ipsa majestas Christi loquentis, obstinatos terret per patrum similitudinem, ut vel, id est saltem sic mollescerent ; vel in persona Prophetæ sub alia distinctione legi potest sic ; quasi dicat : Quia populus et oves Dei sumus, ergo hodie, id est semper, si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, *sicut* patres vestri fecerunt, *in irritatione*. In persona Christi loquitur hic Propheta. Irritatione, dico, facta *secundum diem*, id est in die *tentationis*, factæ *in deserto*, tunc similes illis eritis, si duri fueritis [Gl. int., Aug., Cassiod.] Ecce culpa parentum repetitur, ut vindicta timeatur, *ubi tentaverunt me*, an possem, *patres vestri*. Jam ne sitis talium filii, id est imitatores. *Probaverunt me* quid possem, *et viderunt* oculis, sed non crediderunt mente *opera mea* virtutis magnæ.

VERS. 10. — « Quadraginta annis offensus fui « generationi illi ; et dixi : Semper errant corde. »

Quadraginta annis fui generationi illi proximus, [Aug.] in signis et virtutibus. Vel *offensus*, alia littera, id est implacabiliter fui iratus generationi illi. [Aug., Alcuin.] Numerus iste mysticus est. Per XL enim annos omnia designat sæcula. Constat enim ex denario, qui est primus limes numerorum. Et ideo plenitudinem significat, et ex quaternario, qui ad quatuor tempora refertur. Unde et Dominus in hujus numeri sacramento, XL diebus jejunavit, quando tentatus est (*Matth.* IV), et XL cum discipulis post resurrectionem fuit (*Act.* I), [Aug.] significans se nobis adesse consolatorem, et adjutorem in hujus peregrinationis et tentationis tempore. Sicut ipse ait : *Vobiscum sum usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII.) [Cassiod.] Et nota quod Christus XL diebus jejunans, et XL cum apostolis post resurrectionem conversatus, fecit ut totus mundus cre-

A deret. Judæi vero, nec beneficiis XL annorum acquieverunt. *Et dixi*, [Haym., Gl. int.] arguendo per ministros : *Semper errant corde*, id est serio, vel, corde eis dato, quasi per quod non deberent.

VERS. 11. — « Et isti non cognoverunt vias meas, « ut juravi in ira mea : Si introibunt in requiem « meam. »

Et isti non cognoverunt vias meas. [Aug., Haym., Cassiod.] Et ideo, *si introibunt* illi duri. Alii enim non introibunt *in requiem meam* æternam, ἀποσιώπησις. Quasi dicat : Non introibunt, *ut*, id est sicut *juravi*, id est immobiliter statui. Non per alium, sed per se jurat Deus : per seipsum enim minas confirmat, ut et promissa. Juravi dico, *in ira mea.* Hoc ideo addit, quia jurat aliquando placidus, sicut :

B *Juravit Dominus David veritatem* (*Psal.* CXXXI).

COLLATIO IN PSALMUM XCIV : « VENITE, ADOREMUS, » etc.

VERS. 1. — *Jubilemus Deo*, לצור LETZUR, id est *petræ* seu *fortitudini*, per quam probe intelligitur Christus, verus Deus et homo, I Corint. X : *Petra autem erat Christus.*

VERS. 4. — *Fines terræ.* Hieron. et paraphrasis Campensis, *fundamenta terræ ;* Pratensis *explorationes;* Sanctes, *investigationes ;* Munsterus, Nebiensis, et Pelicanus, *penetralia terræ.* מחקרי ארץ MEHEQRE ARETZ, *investigationes* commode explicantur per *fines*, qui soli Deo noti per se sunt, secundum quamcumque dimensionem. Hinc Munst. in Scholio ; nihil est tam abstrusum, nihilque tam patens in rerum natura, quod non sit in manu Dei. Porro hæc clausula, *quoniam non repellet Dominus plebem*

C *suam*, est in psalmodia Romana, et qua utitur quotidie Ecclesia, in exordio pensi matutini. Non est tamen in Hebr. nec in LXX. Certe magnum est, quod Apost. teste Aug. testimonium hujus psalmi, ex hoc loco desumpserit Romanorum XI. Inveni tamen in quodam exemplari Græco, ὅτι οὐ μὴ ἀπόσεται Κυριος τὸν λαὸν αὐτοῦ.

VERS. 6. — *Ploremus ante Dominum.* Hieron, et alii *genuflectamus* נברכה NIBRECAH. Apparet LXX legisse נבכה NIBCHEH, absque resch, et est *ploremus*, quanquam utrobique reverentia et timor majestatis divinæ exprimitur.

VERS. 11. — *Quadraginta annis.* Ad Hebr. III. Græci codices perperam forte copulant superioribus ut sit, *viderunt opera mea* XL annis. Siquidem et quod postea sequitur, reclamat : *Quibus autem offensus est* XL *annis*? Etiamsi forsan 211 utroque referri possit. Nempe quod viderint opera Dei XL annis semper ingrati, ob quod etiam XL annis in-

D fensus fuit illis Deus.

Offensus fui. Hier., *displicuit mihi generatio illa ;* Pratensis, *molestia affectus sum.* Sic pene cæteri. Sanctes tamen dicit, *litigavi ;* interpretes pro Cajetano, et paraphrasis Campensis itidem. Verum sensus eo tendit, ut hujusmodi contentio Deum irritatum insinuet. Nec dissidet nostra lectio. Tantum monet quod editio Romana, qua Ecclesia utitur in principio Horarum matutinarum, habet, proximus fui : id quod Aug. sequens interpretatur de signis et virtutibus velut præsentiam Dei ostendentibus illi nationi. Vocabulum autem Hebraicum ארוט AQUT, nihil tale sonat, nisi intelligas ideo ipsum Deum magis illi populo infensum, quod non cessaverit in signis mirabilibus, ac beneficiis inexhaustis, sese præsentare XL annis : ac hujusmodi lectio dicat causam iræ et exacerbationis : nostra vero dicat effectum.

VERS. 12 — *Si introibunt in requiem meam.* Hier. ponit quidem negationem, *ut non introirent in requiem meam*, sed sic ut explicet quid erat, *si introibunt in requiem meam.* Quia licet Hebraice ponatur אם IM, id est *si*, et Græce εἰ; non est tamen nota conditionis, sed abjurantis et abominantis. Id quod A clare persequitur Apost. ad Hebr. III et IV, ubi utrumque ponit, et, *si*, et *non.* Etenim postquam præmiserat, *si introibunt in requiem meam*, infert. *Quibus autem juravit non introire in requiem ipsius?* Et in sequentibus repetit per, *si.*

PSALMUS XCV.

PSALMI TITULUS : (127*) « PSALMUS IPSI DAVID, QUANDO DOMUS ÆDIFICABATUR POST CAPTIVITATEM. »

Cantate Domino. Titulus: *Psalmus David, quando domus ædificabitur post captivitatem.* [Cassiod., Alcuin.] In Veteri Testamento legitur quod domus Dei, id est templum a Babyloniis destructum, post LXX annos captivitatis, quando filii Israel permittente Cyro rege redierunt Hierosolymam sub Zorobabel et Jesu sacerdote magno reædificatum est: per quam reædificationem intelligitur reædificatio spiritualis templi, de quo dicit Apostolus: *Templum Dei sanctum est, quod estis vos (I Cor.* III). Hoc templum a diabolo per peccatum subversum est. Et homo in legem peccati et mortis captivatus; sed per Christum reædificatur hoc templum toto orbe. Et homo a captivitate ne pereat, liberatur: de qua reædificatione, non de illa actuali agit hic psalmus. Et est sensus tituli: *Psalmus* iste, est *David* prophetæ, qui hic loquitur: agens de hoc quod factum est *quando Domus Dei ædificabatur post captivitatem* quæ sub diabolo fuit per peccatum, sicut ad litteram sub Zorobabel post captivitatem Babyloniæ reædificatum est templum Solomonicum. Et est iste psalmus secundus de utroque adventu. Intentio: [Cassiod.] Monet ad laudem pro reædificatione. Modus: Bipartitus est psalmus. Primo ad prælatos loquitur, ut ipsi cantent et annuntient omnibus. Secundo ad subditos loquitur, ibi, *afferte Domino.* Præmonuit autem Judæos in præcedenti psalmo, ut deposita duritia in Christum crederent; sed quia erat mansura, nunc omnes gentes monet, dicens ad omnes communiter:

VERS. 1. — « Cantate Domino canticum novum; « cantate Domino, omnis terra. »

Cantate lingua et vita *Domino* Patri *canticum novum*, [Cassiod. Rem., Gl. int.] exuentes, scilicet veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum: quod cantat qui amat [Aug.] Vetus autem canticum cantat cupiditas; novum charitas, quæ ipsa est novum canticum. Cantare autem, ipsum ædificare est. Quidquid ergo cantaveris de cupiditate, vetus cantas; quidquid de charitate, novum resonas. Melius est ut novus taceas, quam ut vetus cantes, quia si novus tacueris auribus hominum, sonas auribus Dei. Hypocrisis quoque vetus cantat canticum (128). Paries enim dealbatus est hypocrisis (*Act.* XXIII), quæ foris lucet, intus lutum est. De isto pariete dicitur, in pariete non conjuncto aliis, sed singulariter erecto si ostium facias, quisquis intraverit, foris est. Hic est hypocrita qui parietem vult struere dealbatum, non solidatum. Et ideo, qui imitatur tanquam in eo ostium faciens, foris invenitur. Quia enim ipse per januam non introit, et janua ipsius non intromittit aliquem. Deinde repetit, *cantate Domino* Filio. Deinde quos cantare monuerit, ostendit, dicens, *omnis terra*, [Rem., Cassiod.] id est omnes homines. Unde domus Dei reædificatur. Item repetit.

B

VERS. 2. — « Cantate Domino, et benedicite nomini ejus; annuntiate de die in diem salutare « ejus. »

Cantate Domino, Spiritui sancto. [Rem., Cassiod.] Et dicit Domino, ad distinguendam personarum trinitatem, quia laus Christi honor est totius Trinitatis. Et est figura ἐπιμονή, id est crebra repetitio sententiæ, quæ exaggerat in laude vel vituperatione. *Et benedicite nomini ejus,* quod est Jesus, [Haym., Alcuin., Cassiod.] id est salvator, ut dicatis esse salutare. Deinde ad prælatos loquitur, dicens: *Annuntiate*, o vos prælati: sic crescit ædificatio domus Dei. Quid? *salutare ejus.* Et hoc *de die in diem,* id est continue, [Hier., Rem., Cassiod.] vel de Filio in Patrem, vel de Veteri Testamento in Novum. Vetus et Novum Testamenta sunt dies qui æterno sole clarescunt. Illud prænuntiat, hoc factum prædicat [Hier., Alcuin.] Annuntiat ergo de die in diem, qui utriusque Testamenti auctoritate utitur in annuntiatione Salvatoris. Illa quippe duo Testamenta tanquam duo dies unam lucem faciunt, non lucet unum sine altero. Ideoque in Levitico omne animal quod findit ungulam et ruminat, mundum est, id est quod duas ungulas habet, quia mundus est, qui duo Testamenta servat, quibus affectuum meorum pedes a vitiorum spinis muniuntur. Judæus unam ungulam tantum habet. Et ideo immundus est. [Aug.] Deinde ubi sit annuntiandum, exponit, quasi quæreret aliquis: Ubi vis annuntiari?

C

D

VERS. 3. — « Annuntiate inter gentes gloriam « ejus; in omnibus populis mirabilia ejus. »

Annuntiate gloriam ejus, [Aug., Gl. int.] non vestram, *inter gentes* prætermissis Judæis pro contumacia. Et ne aliquos putares excipi, addit *in omnibus populis,* non in quibusdam gentibus, *mirabilia fecit*, hoc ideo.

VERS. 4. « Quoniam magnus Dominus, et lauda- « bilis nimis; terribilis est super omnes deos. »

(127*) Ἀνεπίγραφος παρ' Ἑβραίοις.

(128) Aug. in sequenti versu.

Quoniam Dominus. [Aug., Cassiod., Aug.,] Christus est potentia *magnus*, etsi homo factus sit, per quod parvus apparuit, parvus utique factus est pro nobis, quia vos parvi, intelligite magnum, et eritis in illo magni. *Et laudabilis* est bonitate. [Cassiod., Aug., Gl. int.] et hoc, *nimis*, non potest dici quantum. *Et terribilis est* sibi adversis et suis, qui territus fuit inter homines. [Aug.] Et est *super omnes deos*, quos colebant gentes, dum in captivitate erant. Et vere est super deos gentium.

VERS. 5. — « Quoniam omnes dii gentium dæmonia ; Dominus autem cœlos fecit. »

Quoniam omnes dii gentium dæmonia. [Gl. int., Aug.] Et est hic laus per comparationem, et quia parum erat esse super dæmonia, addit; *Dominus autem cœlos fecit*, ubi habitare non possunt dæmonia, et accipit cœlos, ad litteram. Vel cœlos, apostolos accipit, et angelos. Et est Dominus fecit cœlos, non modo in eis sedet. Si cœlos fecit, ergo et angelos, tunc et apostolos, qui dæmonibus imperant.

VERS. 6. — « Confessio et pulchritudo in conspectu ejus ; sanctimonia et magnificentia in sanctificatione ejus. »

Confessio. [Cassiod., Aug.] Postquam monuit cantare et annuntiare, subdit quæ utilitas inde provenerit. Hæc est scilicet utilitas, quæ venit omnibus cantantibus. Inde est *confessio et pulchritudo.* Aug.] Confitendo fit homo de fœdo pulcher. Si ergo amas pulchritudinem, confitere, ut sic sis pulcher, id est justus. Ideo prius dixit confessio, et post pulchritudo. (129) Unde et Rebecca de camelo prosiliit viso Isaac, ut ei jungeretur, quia Ecclesia de tortuosa vitiorum gibbositate per confessionem descendit, veniens ad Christum. Unde sequitur : Et hæc confessio et pulchritudo est, *in conspectu ejus.* [Alcuin., Gl. int., Aug.] Tales enim ipsum conspiciunt, et conspiciuntur ab eo. *Et sanctimonia*, vel *sanctitas*, alia littera, *et magnificentia*, est inde, scilicet ex cantu. Et hæc sanctimonia est *in sanctificatione ejus*, scilicet quasi qui vult esse magnificus et potens, ut sunt angeli, prius sit sanctus, quod fit ex eo sanctificante, non enim per te potes esse sanctus, eo ergo sanctificante, aliquis fit sanctus, et ita magnificus.

PARS. II. VERS. 7. — « Afferte Domino, patriæ gentium, afferte Domino gloriam et honorem ; afferte Domino gloriam nomini ejus. »

Afferte. [Alcuin., Rem., Cassiod., Aug.] Secunda pars, ubi ad subditos loquitur. Quasi dicat : Et quia talis est Dominus, ergo o vos, *patriæ gentium*, ut nullus excipiatur indigena vel peregrinus, *afferte* ; hoc debent gentes facere, quibus annuntiatum est. *Domino*, [Alcuin., Aug.] non sit spes vestra in homine, non in baptista. Maledictus enim qui ponit carnem brachium suum (*Jer.* XVII). Deinde repetit, afferte Domino, non vobis, ut qui annuntiaverunt,

A non sibi, sed Domino annuntiaverunt, quid debetis afferre? *gloriam et honorem.* [Cassiod.] Gloria affertur, quando bene conversatur homo, in quo glorificatur Deus ; honor affertur cum de bonis gratiæ referentur. *Non est inventus qui daret gloriam Deo, nisi hic alienigena* (*Luc.* XVII). Item repetit, *afferte gloriam Domino*, [Aug.] ita ut etiam *nomini ejus*, non nomini hominum.

VERS. 8. — « Tollite hostias, et introite in atria ejus ; adorate Dominum in atrio sancto ejus. »

Tollite hostias. [Aug., Hier.] Quasi dicat : Ne vacui intretis, sed cum hostiis. Sacrificium autem Deo est spiritus contribulatus (*Psal.* L), confessio est Deo hostia. Si ergo cum humili corde intras, cum hostia intras, superbus vero inanis intrat.
B *Et introite*, intrat qui ædificatur, *in atria ejus* prophetica, *et adorate Dominum in atrio sancto ejus* evangelico. [Haym. Gl. int.] Per atria, prophetia ; per atrium, Evangelium intelligitur. Et per atria intelligitur præsens Ecclesia ; per atrium, cœlestis. Et est, introibo in atria ejus, quæ sunt in terra, [Cassiod.] Sitis conformes populo ejus. Adorate Dominum in atrio sancto ejus, quod est in cœlo. Vel atria sunt prophetæ et apostoli, de quibus itur ad Deum. De his autem atriis, id est prophetis et apostolis, venitur in atrium catholicæ Ecclesiæ, ubi majestas adoratur. Et est introite in atria ejus, id est in doctrinam prophetarum et apostolorum. Adorate Dominum in atrio sancto ejus, id est in catholica Ecclesia.

C VERS. 9. — « Commoveatur a facie ejus universa terra ; dicite in gentibus quia Dominus regnavit. »

Commoveatur, [Alcuin., Hier., Gl. int.] omnibus admonitis, vovet et optat. Quasi dicat : Dico, introite et adorate, vos boni. *Terra autem*, id est amatores sæculi, commoveatur, ut convertantur ad pœnitentiam, *a facie ejus* [Aug.], id est præsentia gratiæ ejus, et non tantum pars, imo *universa terra*, ne quis ergo dicat : *Ecce hic Christus, ecce illic* (*Matth.* XXIV). [Cassiod., Alcuin.] Vel in malo potest accipi sic, universa ergo terra commoveatur a facie ejus, id est amatores sæculi a facie Dei submoveantur. Ut autem hoc sit, o vos boni, *dicite in gentibus*, [Gl., int., Cassiod.] id est quod Dominus regnavit et correxit, et judicavit. Et hoc est quod sequi-
D tur : *Quia Dominus*, id est Christus, victo diabolo, *regnavit*, id est innotuit rex mundo, qui semper regnavit apud Patrem. [Aug.] Vel secundum aliam litteram, Dominus regnavit a ligno, scilicet crucis, quo transit homo mare, et fit orbis qui non movetur.

VERS. 10. — « Etenim correxit orbem terræ qui non commovebitur ; judicabit populos in æquitate. »

212 *Etenim correxit* post resurrectionem *orbem terræ*, [Gl. int., Aug.] id est Ecclesiam toto orbe, ubi fit ædificatio, *quæ non commovebitur*. Cur ergo dicit hæreticus non solum motum, sed etiam diminu-

(129) Ex Greg. lib., I Mor., cap. 14.

tum et post *judicabit populos in æquitate.* Tunc dolebuntqui æquitatem eligere noluerunt. Alii addunt : *Et gentes in ira sua.* [Cassiod.] Populos ergo, id est bonos judicabit in æquitate. Gentes, id est malos, judicabit in ira. Unde :

VERS. 11. — « Lætentur cœli, exsultet terra, « commoveatur mare et plenitudo ejus, gaudebunt « campi, et omnia quæ in eis sunt. »

Lætantur cœli, [Aug., Gl. int.] qui enarrant gloriam Dei, *et exsultet terra,* quam compluunt cœli, et inde *commoveatur mare,* id est sæculum, *et plenitudo ejus* a maximo usque ad minimum. Omne enim sæculum concitatum est contra Ecclesiam, cum dilataretur toto orbe, quod prædicit, non optat. Et licet commoveatur mare, tamen *gaudebunt campi.* Vel in bono commovetur mare, [Cassiod., Aug., Haym.] id est sæculum in melius ; et plenitudo ejus, scilicet gentium. Et inde gaudebunt campi, id est omnes lenes, mites, et æqui ; *et omnia quæ in eis sunt,* id est omnes vires, sensus, ratio. Et

VERS. 12. — « Tunc exsultabunt omnia ligna silvarum a facie Domini, quia venit, quoniam venit « judicare terram. »

Tunc, [Alcuin., Aug.] quando corriget, *omnia lingua silvarum,* id est pagani, qui olim erant ligna silvarum, sed modo sunt ligna domus Dei, abscisa in ædificium Ecclesiæ, *exsultabunt,* quia præcisi sunt ab oleastro, et inserti in bonam olivam (*Rom.* XI). Exsultabunt dico, *a facie,* vel ante faciem *Domini.* Bene dico, ante faciem Domini *quia venit.* Primo venit in Ecclesia, in nubibus, id est in apostolis, et in aliis sanctis, et implevit totum orbem. Unde in Evangelio : *Amodo videtis Filium hominis venientem in nubibus cœli (Matth.* XXIV). Cui adventu qui credit, exsultabit in ultimo adventu : de quo subdit : Ideo etiam exsultabunt, *quoniam venit,* (Cassiod., Haym., Alcuin.) id est postea venturus est *judicare terram,* id est vivos et mortuos. Vel hæc omnia de secundo adventu dici possunt : *Mare,* id est sæculum, *et plenitudo ejus commoveatur,* ad gaudium in secundo adventu. Quod erit, quia *gaudebunt campi,* id est omnes lenes et mites, *et omnia quæ in eis sunt,* scilicet omnis sensus, ratio. *Tunc,* id est in secundo adventu, *exsultabunt omnia ligna silvarum,* id est gentes conversæ, quæ fuerunt inventæ in campis silvæ, *a facie Domini, quia venit,* id est veniet, et vere, *quoniam venit,* id est veniet, *judicare terram.*

VERS. 13. — « Judicabit orbem terræ in æquitate : « et populos in veritate sua. »

Judicabit orbem terræ, (Gl. int.) venit judicare : et vere judicabit. Judicabit enim orbem terræ, (Aug.) non partem, quia non partem emit, totum judicare habet, quia pro toto pretium dedit. Orbem ergo dicit, omnes filios Adam, id est omnes homines qui fuerunt in eo unus homo, qui tunc fuit in uno loco, sed modo disparsus est per totum orbem, quem significat Adam secundum Græcum. Adam enim significat, secundum Græcam linguam, orbem

A terrarum. Quatuor enim litteræ sunt in hoc nomine, scilicet alpha, delta, alpha, mi ; et quatuor partes orbis, has in capite litteras habent, ἀνατολὴν dicunt orientem, δυσμὴν occidentem, ἀρκτὸν, aquilonem, μεσημϐρίαν, meridiem. Ex his quatuor litteris, a quibus hæc nomina incipiunt, constat nomen Adam. (Cassiod.) Cum ergo dicit, judicabit orbem terræ *in æquitate,* omnem hominem generaliter includit, secundum æquitatem Dei judicandum. Sed quomodo judicet, apertius exponit omnia, subdens, *et populos in veritate sua.* (Aug.) In illo enim judicio veritas et æquitas erit. Quid enim æquius et verius, quam electos congregare secum ad judicandum, et cæteros dividere ; hos ad dexteram, qui fecerunt misericordiam ; illos autem qui non fecerunt, ad B sinistram ? (*Matth.* XXV.) Ibi ergo veritas et æquitas, (Cassiod.) quia in separatione illa duo erunt populi, quibus dabit sententiam veritatis, ut alii in vitam, alii in pœnas eant.

COLLATIO IN PSALMUM XCV : « CANTATE DOMINE CANTICUM, » etc.

VERS. 5. — *Omnes dii gentium dæmonia.* Munster, pro eo quod est *dæmonia,* dixit, *vani sunt,* et interpretes pro Cajetano, *vanitates.* Licet autem non male verterint, haud scio tamen an male mutarint Vulgatam lectionem. Nam אלילים ELILIM sunt *idola, dæmonia* et *nihilum.* Unde Hieron. et Nebiensis vertunt *sculptilia ;* Chaldæus et Sanctes, *idola.*

VERS. 6. — *Confessio.* Hier. et Sanctes, *gloria* : Munsterus, *decus ;* interpretes pro Cajetano, *pulchritudo.* Verbum est anceps. Pratensis posuit *confessionem* ; Chaldæus, Nebiensis, Pellicanus, *laudem ;* C alii, *gratulationem,* הוד HOD. Sed hæc omnia sese consectantur.

Sanctimonia et magnificentia. Alii fortitudo sine potentia, et gloria seu exsultatio עז ותפארת OZ VETHIPHERET. Conciliatio sponte se offert. Siquidem fortitudo simplicis via Domini (*Prov.* X). Porro via Domini sanctimoniam efficit : gloria autem et exsultatio cohærent.

VERS. 6. — *Dicite in gentibus* : Quia *Dominus regnavit.* Psalmodia Romana, *a ligno,* plus habet. Suspicor ab infidelibus fuisse erasum tam de Græco quam de Hebr. Est enim mos perfidorum (indicante Hieronymo in epistolam ad Titum prælato) eradere quidquid contrarium suo dogmati viderint. Quæ autem me in hanc conjecturam adduxerint, patienter audiat lector. Cassiodorus haud pœnitendus auctor in hunc locum commentatus scribit : « *a ligno,* alii quidem non habent translatores, sed nobis sufficit quod LXX interpretum auctoritate firmatum est. » Hæc ille. Jam illud manifestum est, D quod et August. *a ligno* legit, et interpretatur. Sed et Arnobius vetustissimus interpres in sua Enarratione sic prosequitur : « Et gens genti dicat, quia unus Dominus regnat a ligno crucis, quia per lignum concupiscentiæ regnum Dei ab hominibus recesserat : modo per lignum crucis, regnum reversum est Dei. » Hactenus ille. Quin et vehementius suspicionem hanc adduxit his omnibus superior Tertulianus, lib. III adversus Marcionem, ubi tractans de virtute crucis ex multis Scripturæ locis, qui viderentur ridiculi secundum corticem litteræ intellecti, tandem pervenit ad hunc locum, et cum quadam orationis acrimonia, infidelem aurem percellit. « Age nunc, si legisti penes David, *Dominus regnavit a ligno,* exspecto quid intelligas, nisi forte lignarium aliquem regem significari Judæorum. et non Christum, qui exinde a passione a ligni superata

morte regnavit. Etenim mors ab Adam regnavit usque ad Christum, cur Christus, non regnasse dicatur a ligno, ex quo crucis ligno mortuus, regnum mortis exclusit? » En Tertulianus. Denique hanc lectionem suscepit Ecclesia, in pio carmine Passionis Domini, quod composuit Theodulphus antistes Aurelianensis.

Impleta sunt quæ concinit
David fidelis carmine,
Dicens in nationibus,
Regnavit a ligno Deus,

A et quam in crucis memoriam post Pascha frequentat.

VERS. 10. — *Correxit orbem terræ.* Hier., *appendit orbem immobilem.* Cæteri accedunt tradentes simile quod, ceu *firmabitur*, aut *firmabit*, vel *præparat.* תכון TICON, a radice כן CON, id est *firmare, dirigere, præparare, rectificare.* Quæ omnia sane correctione fiunt in Ecclesia Dei, orbe terræ quadranter significata.

PSALMUS XCVI.

PSALMI TITULUS : « (130) PSALMUS IPSI DAVID, QUANDO TERRA EJUS RESTITUTA EST EI. »

Dominus regnavit, exsultet terra. Titulus : *Psalmus ipsi David, quando terra ejus restituta est ei.* [Alcuin.] Ad litteram : Illud tangitur hic, quod mortuo Absalon iniquo filio David, qui vivens patrem persequebatur : David restituta est terra, et in pace regnavit, de quo non hic agitur, sed potius de significato (*II Reg.* XVIII). [Aug.] David enim Christum significat, quem iniqui filii, id est Judæi crucifixerunt, atque regnum abjuraverunt ei ; sed restituta est terra ei, quando Judæa quæ crucifixerat, credidit ; et apostoli qui titubaverant, sunt confirmati ; sed et aliæ oves de gentibus sunt adductæ. Vel restituta est ei terra, cum caro ejus resurrexit, postquam resurrectionem, ea quæ hic cantantur facta sunt. Et est sensus : *Psalmus* iste *fit ipsi David*, id est Christo, cujus laudem et victoriam continet agens de eo quod factum est, *quando ejus terra restituta est ei*, id est Judæa credidit, vel caro ejus resurrexit. Hæc autem prævidentes in spiritu prophetæ, gavisi sunt, et si posset fieri, vellent impleta videre. Unde Dominus in Evangelio: *Multi reges et prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt* (*Luc.* X). Magna ergo lætitia præsentes sancti implentur in hoc psalmo, qui de promissis restitutionis terræ intitulatur. Palato namque fidei dulce sapit mel divinæ promissionis. Et est iste quartus psalmus de primo adventu, quo mundus liberatus est. [Cassiod.] Intentio : Monet ad exsultationem : Modus : Bipartitus est psalmus. Primo describens virtutes Domini, ostendens omnia restituta ei, et arguit idololatras. Secundo omnimoda exsultatio ostenditur, quam nec persecutio interrumpat, ibi, *audivit et lætata est.* Videns ergo Propheta superstitiones mundi abundare ante Christi resurrectionem, opponit, dicens :

VERS. 1. — « Dominus regnavit, exsultet terra ; « lætentur insulæ multæ. »

Dominus, [Aug., Cassiod.] ille qui spretus et occisus fuit, *regnavit*, id est rex esse innotuit. Quis ergo alter colendus est? Quasi dicat : Nullus. Dico, regnavit, inde *exsultet terra.* Quid ergo remanet idolis? nihil. *Lætentur insulæ multæ*, [Aug.] id est qui habitant in insulis, quia et in insulis sunt Christiani. Vel, insulæ, id est totius mundi Ecclesiæ quæ in medio tentationum sunt. Et ideo insulæ dicuntur, quia circumlatrantur fluctibus tentationum. Et sicut insula circumstrepentibus fluctibus tunditur, sed non frangitur, ita Ecclesia per totum orbem dilatata persecutiones infidelium patitur, sed non vincitur : potius tanquam insula venientes fluctus frangit. Addit, multæ. [Cassiod.] Non dicit omnes, propter hæreticorum conventus. Deinde qualis sit Dominus in primo adventu, dicit :

VERS. 2. — « Nubes et caligo in circuitu ejus ; justitia et judicium correctio sedis ejus. »

Nubes et caligo sunt *in circuitu ejus*, [Aug.] id est impiis, qui cæci sunt, qui eum non intellexerunt, est ipse nubes et caligo, [Cassiod., Aug.] id est nubilosus et caliginosus, quibus nulla claritate splendet ; sed *justitia et judicium*, est *correctio sedis ejus*, id est bonis est ipse justitia et judicium, qui correcti sunt sedes ejus, quibus est justitia, quia ex se justificati sunt ; et judicium, quia de eis, id est per eos ipse judicat. Et.

VERS. 3. — « Ignis ante ipsum præcedet ; et inflammabit in circuitu inimicos ejus. »

Ante ipsum, [Aug., Cassiod.] id est ante adventum ejus, *præcedet ignis*, quia impii pro prædicatione prophetarum ira accensi de eorum nece tractaverunt. *Et* ignis ille *inflammabit inimicos ejus*, id est ad indignationem inflammati sunt impii pro eorum prædicatione qui sunt *in circuitu*, quia multi cum pauci essent prædicatores. [Aug.] Vel per ignem intelligitur charitas, de quo igne Dominus dicit : *Ignem veni mittere in terram, et quod volo nisi ut ardeat?* (*Luc.* XII.) Quasi dicat : Correcti sunt sedes Dei, ante vero quam in eis sedeat Deus, ignis, spiritus præcedit. Quod ita ait : Ignis charitatis præcedet ante ipsum : iste est bonus ignis, sicut et ille gladius bonus est de quo Dominus ait : *Non veni mittere pacem, sed gladium* (*Matth.* X). Hic est gladius verbi Dei, qui separat carnali affectu conjunctos, ut spiritualiter vivant. Ignis vero charitatis urit. Et hic ignis inflammabit inimicos ejus in circuitu. [Aug., Alcuin.] Per totum mundum ardet quod contra Deum est. Quo consumpto apparuerunt fulgura.

(130) Ἀνεπίγραφος παρ᾽ Ἑβραίοις.

213 VERS. 4. — « Illuxerunt fulgura ejus orbi « terræ ; vidit et commota est terra. »

Illuxerunt, [Aug.] vel ita et de duplici igne agit, qui erit ante secundum adventum Christi, scilicet ignis charitatis, qui ardebit in bonis, et ignis iræ et invidiæ, qui malos consumet. Ultimus autem ignis in quem mittendi sunt mali, non ante eum, sed post eum erit. Iste vero præit, qui est pœna malorum et salus bonorum. Cum enim Christus prædicatur, irascitur pravus, patitur justus : ira velut ignis adversarium comedit, qui tanquam facula consumitur ; lignum autem viride permanet, id est justus qui in charitate ardet. Et hoc est, ignis charitatis et iræ præcedet ante ipsum, in secundo adventu. Et ille ignis inflammabit in circuitu inimicos ejus. Inimici enim qui idola colebant, incenduntur si mali sunt, ad consumptionem ; si boni, ad reparationem. Insuper *illuxerunt fulgura ejus*, id est miracula, *orbi terræ*, id est toti mundo. Nubes, id est prædicatores viluerunt forma humana, sed fulgor mirandus in verbis et factis eorum apparuit. Et mota est terra. *Vidit* corde hæc miracula, *et commota est terra*, [Cassiod.] id est territa, quæ idola colebat. Inde

VERS. 5. — « Montes sicut cera fluxerunt a facie « Domini ; a facie Domini omnis terra. »

Montes, [Aug.] id est superbi, scilicet omnis altitudo contra Deum, *sicut cera fluxerunt*. Etsi enim non credit paganus, tamen victus est. Et hoc *a facie Domini* ignis fuit Deus duris. *A facie Domini* fluxit, *omnis terra* etiam gentium. Unde hoc ? quia

VERS. 6. — « Annuntiaverunt cœli justitiam « ejus ; et viderunt omnes populi gloriam ejus. »

Cœli, [Aug.] id est prædicatores omnes, quorum cor sursum est, *annuntiaverunt justitiam ejus*. [Cassiod., Aug.] Quis enim fidelium tacet Christum ? *Et omnes viderunt gloriam ejus* corde. Et quia viderunt omnes populi gloriam Christi.

VERS. 7. — « Confundantur omnes qui adorant « sculptilia ; et qui gloriantur in simulacris suis. »

Confundantur omnes qui adorant scuptilia. [Aug.] Hoc jam factum est. Cessat enim jam idololatria, et erubescant qui adorabant lapides, quia mortui erant lapides illi ; nos autem adoramus lapidem vivum. *Et qui gloriantur in simulacris suis*, quæ spiritu carent. Noster autem Deus qualis est ? ipse est quem et angeli adorant.

VERS. 8. — « Adorate eum omnes angeli ejus. »

Adorate eum omnes angeli ejus. [Aug.] Uni Deo convenit adoratio, non etiam angelis, nedum idolis vel dæmonibus. Cessat ergo adoratio angelorum, sed adorant. Ipsi mali, quidem angeli volunt adorari ; boni vero adorant, nec se permittunt adorari. Saltem hoc exemplo idololatræ cessent.

PARS II. — « Audivit, et lætata est Sion. »

Audivit, etc. [Cassiod., Alcuin., Aug.] Secunda pars, ubi post restitutionem terræ omnimoda exsultatio ostenditur, quam nec persecutio interrumpat. Quasi dicat : Annuntiabunt cœli, adorabunt angeli.

A *Et Sion*, id est Ecclesia Judææ, *audivit* hæc prædicta, scilicet quod angeli eum adorant, quod annuntiaverunt cœli justitiam ejus, et quod viderunt omnes populi gloriam ejus, et quod confundentur adoratores idolorum, *et* inde *lætata est*. Judæa enim prius credebat se solam venire ad Christum, sed jam de sociis gentibus lætatur, ut de Cornelio fratres gavisi sunt, quem Petrus baptizavit.

VERS. 9. — « Et exsultaverunt filiæ Judæ, propter « judicia tua, Domine. »

Et filiæ Judæ, [Cassiod., Aug.] id est Christi, qui de Juda *exsultaverunt*. Audierunt enim apostoli et fratres qui erant in Judæa, quia gentes receperunt verbum Dei, et inde lætati sunt, et magnificabant Deum (*Act.* VIII). Et hoc *propter judicia tua, Do-*

B *mine*, quæ sunt, quia non est personarum acceptor Deus, sed omnes accipit, qui ad eum veniunt. [Haym., Gl., int.] Vel, judicia, dicit quod cæcitas contigit in Israel, ut plenitudo gentium intraret (*Rom.* XI). Et quasi quis quæreret, quæ sunt illa judicia ? subdit :

VERS. — 10. — « Quoniam tu Dominus, altissimus « super omnem terram ; nimis exaltatus es super « omnes deos. »

Quoniam tu Dominus es *altissimus potentia*. [Aug., Gl. int., Alcuin., Cassiod., Et hoc *super omnem terram* quia non Judæorum tantum Deus es, sed et gentium. Et, o Christe, *nimis exaltatus es*, quia æqualis Patri, vel secundum opera. Et hoc *super omnes deos*. Quasi dicat : Non super omnes malos

C deos, sed etiam super bonos, scilicet homines et angelos. Vel, per terram et deos, peccatores et justos accipe. Vel per terram et deos significat eum imperare terrenis et cœlestibus. Et cum talis sit, ergo,

VERS. 11. — « Qui diligitis Dominum, odite ma- « lum ; custodit Dominus animas sanctorum suo- « rum. De manu peccatoris liberabit eos. »

Qui diligitis Dominum odite malum, [Cassiod.] id est diabolum, cum quo non diligitur Deus. Nemo enim potest duobus dominis servire (*Matth.* VI.) [Aug., Alcuin.] Si vero cum cœperis odisse malignum, subsequuntur persecutiones, ne timeas, quia *Dominus custodit animas sanctorum suorum*, de quibus tollendis est ultimum genus persecutionis. [Aug.] Gravior est enim persecutio, qua animas tollere conan-

D tur, sed eas Dominus custodit ; etsi corpora moriantur, animas non possunt occidere (*Matth.* X). *De manu peccatoris*, [Hay., Aug.] id est de diaboli potestate *liberabit eos*. Quod si forte quereris te perdere lucem istam, ne cures, quia vera lux est tibi.

VERS. 12. — « Lux orta est justo ; et rectis corde « lætitia. »

Lux enim fidei *orta est justo, et rectis corde lætitia*, [Aug., Gl. int., Aug.] quibus, scilicet per omnia placet Deus, orta est lætitia, per spem. Non enim vere in miseria sunt pressuræ sancti, spe jam salvi. Ergo,

VERS. 13. — Lætamini justi in Domino, et con- « fitemini memoriæ sanctificationis ejus. »

Lætamini, justi, in Domino, [Hier., Aug.] non in mundo, in quo sunt pressuræ. *Et confitemini memoriæ sanctificationis ejus,* id est laudate eum, quia memor fuit sanctificare nos, quia nisi vellet, non gauderetis in illo.

COLLATIO IN PSALMUM XCVI : « DOMINUS REGNAVIT, » etc.

VERS. 2. — *Correctio sedis ejus.* Hier. pro eo quod est *correctio,* posuit *firmamentum,* ac nonnulli alii, quidam *habitaculum,* vel *præparatio,* sed non male מכון MECON respondet *directioni,* quæ *correctio* est, et non potest infirmari aut vacillare.

VERS. 5. — *A facie Domini omnis terra.* Hic fortassis dormitavit scriba, ponens nominativum pro genitivo *a facie Domini omnis terræ.* Siquidem in Heb. אדון ADON est *in regimine,* id est Domini. Et manifestius in Græco, ἀπὸ προσώπου Χυρίου πάσης τῆς γῆς. Quin et Aug. interpretatur ac si sub genitivo legisset, quanquam in contextu habetur nominativus. Verumtamen hanc lectionem arbitror desumptam ex veteri translatione, quam sequuntur Arnobius et Cassiod. Ii nempe efferunt per rectum casum; quod liquido constat ex hoc quod verbum unum addunt, ut sit *tremet* vel *tremuit terra,* ubi non potest vitium esse scriptoris, quod posset quis in altera dictione causari. Utraque lectio habet suum sensum et commodum.

VERS. 8. — *Adorate eum, omnes angeli ejus.* In Hebr. pro angelis habetur אלהים ELOHIM. Quod Hier. vertit dii; et cæteri Hebraicantes, præter Sanctem, qui stat a LXX. De Hier. non est mirum quod dixerit dii in gratiam Sophronii, ut haberet quod Judæis calumniantibus responderet. Nos autem qui Christianis et cum Christianis loquimur, debemus dicere angeli, nisi velimus discedere ab Apostolo ad Hebr., I, qui hunc locum ita adduxit de Christo, καὶ προχυνησάτωσαν αὐτῳ πάντες ἄγγελοι Θεοῦ. *Et adorent eum omnes angeli Dei.* De hoc etiam alias tractatum psal. VIII.

PSALMUS XCVII.

PSALMI TITULUS : « PSALMUS DAVID. »

Cantate Domino. Titulus : *Psalmus David.* Titulus iste patet. [Cassiod.] Psalmus iste tertius est eorum qui de utroque adventu agunt, in quibus omnibus est causa timoris et spei : spei per misericordiam primi adventus, timoris per judicium secundi adventus. Hæc et si sæpe iterentur, tamen semper nova sunt varia descriptione. Intentio : Monet ad laudem et exsultationem. Modus : Bipartitus est psalmus. Primo agit de ostensione salvatricis dexteræ. Secundo dicit omnibus modis laudandum et annuntiandum, ibi, *jubilate Deo.* [Aug.] Invitans ergo ad laudem ait : O vos, qui novi estis in Christo, olim veteres in Adam,

VERS. 1. — « Cantate Domino canticum novum, « quia mirabilia fecit. »

Cantate Domino, [Gl. int., Cassiod.] vita et lingua, *canticum* de incarnatione Christi, et hominis redemptione, *novum* quia nihil tale mundus audivit. Unde? scilicet *quia mirabilia fecit.* Quæ mirabilia? non solum quæ communia sunt, sed etiam hoc singulare, scilicet quod.

VERS. 2. — « Salvavit sibi dextera ejus, et bra« chium sanctum ejus. »

Dextera ejus, [Cassiod.] id est Christus, qui dicitur dextera Patris, pro mira operatione. *Et brachium sanctum ejus.* Ipse idem Christus. Qui dicitur brachium, pro fortitudine *salvavit.* Non dicit quid, sed intelligimus orbem terræ, quod fuit magnum miraculum. Majus enim est quod totum orbem a morte æterna erexit, quam quod mortuos suscitavit. Salvavit dico, *sibi* Deo. Hoc addit, quia multi salvantur corporaliter, sed sibi ipsis, non ei; quia accepta corporali sanitate lasciviunt. Qui enim ægroti erant, casti, sanati, adulteri fiunt; et qui cum ægrotarent, neminem lædebant, receptis viribus opprimunt innocentes. Isti ergo sanati sunt, sed non ei, sed illi qui per fidem intus sanantur, ergo sanantur ei. [Gl. int.] Vel secundum aliam litteram, salvabit se dextera ejus. Et quasi quis quæreret, ubi ea dextera est, subdit :

VERS. 3. — « Notum fecit Dominus salutare suum; « in conspectu gentium revelasti justitiam suam. »

Notum fecit Dominus salutare suum, [Aug.] id est Christum. Ea enim est dextera, vel brachium, quæ et salutare, scilicet Christus, quibus fecit notum? non hic vel illic, sed *in conspectu gentium revelasti,* [Cassiod., Alcuin.] non sub velamine ostendit, *justitiam suam,* id est salutare. Christus dicitur salutare, eo quod salvat; justitia, eo quod justificat.

VERS. 4. — « Recordatus est misericordiæ suæ; « et veritatis suæ domui Israel. »

Recordatus est misericordiæ suæ, [Cassiod., Aug.] scilicet ut homo factus liberaret, *et veritatis suæ,* quam in futuro exhibebit, quando facie ad faciem eum videbunt; sed quibus est recordatus? *Domui Israel,* id est videnti Deum. Vel ita : Recordatus est misericordiæ suæ. Misericordia est quod promisit. Hanc sequitur veritas, quia reddidit. Unde subdit, et veritatis suæ. Misericordia ergo promisit promissionem, promissio reddit veritatem, sed cui? Domui Israel, qui modo videt veritatem per fidem, et post per speciem videbit, et ne ad litteram putes Israel unam gentem, subdit :

VERS. 5. — « Viderunt omnes termini terræ : salutare Dei nostri. »

Viderunt mente *omnes terræ termini,* [Cassiod., Aug.] id est a termino usque ad terminum. Quid? *salutare Dei nostri,* id est Jesum. Ideo dicit omnes, 214 quia non quibusdam tantum datus est Christus.

VERS. 6. — « Jubilate Domino, omnis terra; can« tate, et exsultate, et psallite. »

Jubilate [Cassiod., Haym.] Secunda pars, ubi dicit omnibus modis laudandum esse, et annuntiandum, quia venit judex. Quasi dicat : Quia hæc fecit, ergo *jubilate Deo* voce sine verbis. Jubilus enim gaudium est, quod nec potest taceri, nec valet ex-

primi ubi deficit locutio. Addit, *omnis terra*, [Cassiod., Gl. int.] quia omnes viderunt, *cantate* Deo verbis, ubi valet locutio, *et exsultate* corde *et psallite*, opere. Quibus modis? A

VERS. 7. — « Psallite Domino in cithara et voce « psalmi, in tubis ductilibus, et voce tubæ corneæ. »

Psallite Domino in cithara.[Cassiod.,Hier.] Id est, actu carnis, scilicet mortificatione carnis, et opera divina facite pascendo pauperes, quæ significantur per psalmum. Deinde eadem præposterata subjungit, cantate *in cithara et voce psalmi*. Ideo præposterat, ut quodvis eorum prius fiat, totum ad Deum pertineat : *Et in tubis ductilibus*, scilicet in tubis argenteis, vel æreis, quæ tundendo producuntur, *et voce tubæ corneæ*. [Hier., Cassiod.] Morem Judæorum tangit, qui et habebant duo genera tubarum B sicut legitur in libro Numeri, alias quæ argento vel ære ductili producebantur, alias corneas (*Num.* x). [Aug.] Per ductiles tubas significantur qui tribulati sub malleo universæ terræ, id est diabolo, proficiunt et sonant laudes Dei. Tribulatio ergo tunsio est, profectus productio est. Talis tuba erat Job, qui repente percussus tantis damnis et orbitate filiorum, tunsione illa tantæ tribulationis, quasi tuba ductilis sonuit : *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Deo placuit ita factum est. Sit nomen Domini benedictum* (*Job.* I). Ecce quam suavem sonum dedit ista tuba. Cornu vero carnem excedit, sic firmum est et capax vocis. Is est ille qui carnis affectus superat et libidines, qui non sapit terram, sed quæ sursum sunt. Qui in carne ambulat, sed non secundum C carnem militat (*Coloss.* III), sicut cornu carni hæret (*II Cor.* x), et eam superat. Et est sensus : Cantate in tubis, [Aug.,Gl.int.] ut scilicet sint prædicatores, ductilibus, id est productis, et proficientibus sub malleo diaboli. *Et* cantate *in voce tubæ corneæ*, id est ita aliis sonent ut in se ipsis vitia carnis castigent.

VERS. 8. — « Jubilate in conspectu regis Domi« ni, moveatur mare et plenitudo ejus ; orbis terra« rum, et qui habitant in eo. »

Jubilate. [Aug.] Quasi dicat : Vobis ita agentibus quid erit? Ecce tubis sonantibus, aures Dei delectantur ; et fluctus maris, id est sæculi excitantur. Et hoc est quod dicit, *jubilate in conspectu regis Domini*, cujus aures delectantur. *Moveatur mare et plenitudo ejus*, prædicit non optat, [Gl. int., Aug.] apostolis enim prædicantibus quasi tubis, motum est D mare sæculi, et increverunt fluctus persecutionum. Exponit quod dixerat, mare et plenitudo ejus, [Haym.] scilicet *orbis terrarum, et qui habitant in eo*. Illis autem persequentibus.

VERS. 9. — « Flumina plaudent manu simul, mon« tes exsultaverunt a conspectu Domini, quoniam « venit judicare terram. »

Flumina plaudent manibus, vel manu, id est, sancti pleni Spiritu Dei, gaudebunt bonis operibus. [Aug.] Et hoc *simul*, vel in idipsum. Vel in bono potest prælegi : *Moveatur* quasi tubis sonantibus, *Moveatur mare*, id est indulcetur mare legis, id est legalis amaritudo, ligno crucis in ea posito, quasi ligno Moysi in Marath. Cum enim venissent filii Israel in Marath, ubi erant aquæ amaræ, non poterant bibere præ nimia amaritudine ; ideoque ostendit Dominus Moysi lignum, quo posito in Marath, dulcorata est aqua (*Exod.* XV). Hoc est lignum crucis, quod legalem amaritudinem quam nullus poterat portare, mitigavit, ut legis sacramenta pateant credentibus. Deinde subdit : *Et plenitudo ejus*, [Alcuin., Cassiod.] scilicet universa legis sacramenta ; *orbis terrarum*, id est gentilitas ad conversionem moveatur ; *et qui habitant in eo*. Hoc ideo subdit, ut quæ figuratum dixerat de hominibus accipias. Vel ita ; *mare*, id est sæculum *moveatur* terrore futuri judicii, ubi impii timent ; *et plenitudo ejus*, id est multidudo hominum peccatis plena, quia ibi multa erunt peccata ; *et movetur orbis terrarum*, ad litteram, quia et ipse orbis tunc vertetur in novam faciem, quando erit cœlum novum et terra nova ; *et qui habitant in eo*, moveantur timore ; sed *flumina*, id est boni, tunc *plaudent manu simul*, id est pro bonis operibus lætabuntur; nam *montes exsultabunt a conspectu Domini*; [Aug.] boni enim gaudebunt veniente judice, mali vero contremiscent. Quare exsultabunt? *Quoniam venit judicare terram*, id est omnem peccatorem. Inde gaudent mentes, quia non injuste judicabit.

VERS. 10. — « Judicabit orbem terrarum in jus« titia, et populos in æquitate. »

Judicabit enim *orbem terrarum*, [Cassiod., Alcuin.] id est omnes terrenos *in justitia*, quia non meruerunt misericordiam. Ei namque qui non fecit misericordiam, fiet judicium sine misericordia, sub ignaro vel iniquo judice, [Aug.] etiam bonus timeret, nunc tantum ut malus timeat, necesse est ; *et populos* [Cassiod.], id est fideles de Judæis et gentibus *judicabit in æquitate*, quia capient æqua meritis.

COLLATIO IN PSALMUM XCVII : « CANTATE DOMINO CANTICUM NOVUM, QUIA, etc. »

VERS. 2. — *Salvavit sibi dextera ejus*. Et ad eumdem modum Hieronymus. Faber contendit planius dici, *salvavit eum dextera ejus*, cum editione Romana, maxime cum Græce legatur ἔσωσεν αὐτὸν ἡ δεξία αὐτοῦ. Duo tamen codices nostri et diversi habent αὐτῷ in dativo. Tertius habebat accusativum, deinde Cæsus Fabri in hac parte assecla causatur minus esse grammaticum sermonem, *salvavit sibi*, cum beatus Augustinus copiose declaret Deum sibi salvare, quando sanitas collata, ad suum revertitur auctorem per gratiarum actionem. Nam quidam sanantur, qui non Deo sanantur, sed suis voluptatibus, et malis actibus : nec hujusmodi locutio est inusitata.

VERS. 7. — « *In tubis ductilibus, et voce tubæ corneæ*. Quanquam non ponitur in Hebræo, *ductilibus*, nec *corneæ*, tamen teste Paulo Burgensi Hebræo, ubicunque ponitur הצצרות HATZOTZEROTH, intelliguntur *tubæ argenteæ* seu *ductiles*. Rursus ubi in Hebræo legitur שופר SCHOPHAR, intelligatur *tuba cornea*.

PSALMUS XCVIII.

PSALMI TITULUS : « PSALMUS DAVID. »

Dominus regnavit. Titulus : *Psalmus David*. Patet titulus. [Alcuin.] Agit hic Propheta de potentia et regno Christi ut etiam in homine adoretur, de quo tria dicit : Propheta enim describit Christum esse regem, et bona dantem, cui et antiqui servierunt, et his tribus tres admonitiones subjicit, quod in psalmi serie liquet. [Aug.] Hæc autem de Christo futura sub velamine prædixerunt prophetæ, ut quibusdam figuris rerum tegerent sententias suas, sed velamen ablatum est, cum veritas de terra orta est, ut justitia de cœlo prospiceret. Intentio : Monet ut Christum tanquam Deum adoremus, et velut regem exaltemus. Modus : [Alcuin., Cassiod.] Bipartitus est psalmus. Primo, ostendit Christum regnantem, et quicunque repugnet, altum super omnes. Unde ei cedere monet. Secundo monet eum adorari, quia patres antiqui fuerunt ejus, id est ei servierunt, ibi, *exaltate Dominum*. Ostendens ergo Christum regem, dicit :

VERS. 1. — « Dominus regnavit, irascantur populi : qui sedes super cherubim, moveatur terra. »

Dominus, [Aug.] id est Christus, et si prius humilis, *regnavit*, id est rex esse innotuit post resurrectionem et ascensionem ; et inde *irascantur populi*, quantumcunque velint. Irrisio est. Quasi dicat : Secure concedi potest ut irascantur, quia non sunt ei ultra nocituri. Tamen permittendo dicit non imperando, *qui sedet super cherubim*. [Aug., Alcuin.] Ille scilicet regnavit qui sedet super cherubim, ad litteram, super angelicas potestates, et contra eum nihil potest terra, et si fuit ipse in terra, ubi passus est iram populi, *moveatur terra*. Idem est quod supra dixit, irascantur populi. Quis Dominus sit iste, exprimit dicens :

VERS. 2. — « Dominus in Sion magnus ; et excelsus super omnes populos. »

Dominus iste est qui *in Sion*, [Cassiod., Alcuin.] id est in Judæis natus est, ad litteram. Et ipse est *magnus, et excelsus super omnes populos*. Hoc dicit ne pro passione vilescat. Vel ita : Etsi irascantur populi, tamen Dominus est magnus in Sion, id est Ecclesia Judæorum, et excelsus super omnes populos gentium.

[Aug.] Vel ita totum ab illo loco : *Irascantur*. Quasi dicat : Christus post resurrectionem rex esse innotuit, et inde irascuntur populi, id est irascentur. Hoc prædixit Propheta futurum, sed jam factum est. Cum enim post resurrectionem Christus cœpit prædicari, irati sunt populi qui colebant idola. Et nota quod non ait irascentur, sed *irascantur*, hac forma locutionis utens, quia bona inde proventura cernebat. Ex ira enim ipsorum multa bona fecit Deus, quia dum illi irascuntur, servi Dei purgantur. Ille scilicet regnavit, qui sedet super cherubim, id est qui quiescit et regnat in eo qui habet charitatem.

A Cherubim enim *plenitudo scientiæ* interpretatur, quæ est charitas. Plenitudo ergo scientiæ legis, quæ est sedes Dei, erit in te, si charitatem habueris, contra quam nihil possunt irati. Quid enim terra potest contra cœlum ? Interroga ergo cor tuum, utrum charitatem habeat. Si est ibi charitas, est ibi plenitudo legis (*Rom.* XIII.) Et ita sedes Dei factus es, sicut scriptum est : Sedes sapientiæ, est anima justi (*Isa.* LXXV.) Et alibi : *Dominus dicit* : *Cœlum mihi sedes* (*Isa.* LXVI). *Moveatur terra*. Hoc non mutat, *Dominus in Sion magnus*. [Aug.] Quasi dicat : Dico quod sedet super cherubim. Si autem non intelligis, quod est, sedes super cherubim, hoc vide, Dominus, est, magnus in Sion, id est in anima quæ Deum speculatur, sive in Ecclesia. Sion enim interpretatur
B *speculatio*. Si ergo tu es de Ecclesia, et in te magnus est, *et excelsus*, est in te, *super omnes populos*, qui irascuntur, vel irascebantur. Et quia excelsus est *super omnes populos*, [Cassiod.] jam ergo ipsi populi qui prius blasphemi erant.

VERS. 3. — « Confiteantur nomini tuo magno, « quoniam terribile et sanctum est; et honor regis « judicium diligit. »

Confiteantur nomini tuo, [Aug.] id est famæ et gloriæ. Nomini dico, jam *magno*, parvum erat, quando irascebantur, id est paucis diffamatum. Sed jam in omni terra dilatatum est, et debetis confiteri, quoniam ipsum nomen est *terribile* potentia, qua punit, *et sanctum* bonitate qua parcit, *et honor regis*. [Cassiod.] Hic exponit quomodo debent confi-
C teri, scilicet discrete, non tantum honorifice. Et id est, quia honor regis, id est gloriosa prædicatio, *diligit judicium*, id est exigit discretionem, quia non levi voluntate colendus est, sed fixa deliberatione quod ab ipso est. Unde subdit :

VERS. 4. — « Tu parasti directiones ; judicium « et justitiam in Jacob tu fecisti. »

Tu parasti directiones, etc. [Cassiod., Aug.] Vel ita distingue : Terribile est nomen, et honor regis, est judicium, id est damnatio nocentium ; et hoc judicium ipse diligit. Vel ita, et honor. Quasi dicat : Terribile est nomen ejus, quia etsi crucifixus est, prædicatur judex venturus, et non errabit in judicio. Et, id est quia honor regis diligit judicium, non tantum misericordiam qua parcit, sed et judicium
D quo singulis secundum merita reddet. Ne quis ergo stulte de misericordia præsumat, quia **215** unicuique reddet pro meritis. Justum enim non est judicium, nisi merita reddantur sua unicuique, quemadmodum gessit in corpore, sive bonum sive malum. Si ergo quæritis justi esse, ipse est qui facit, quia dirigit. Unde subdit : *Tu parasti directiones* tortis, [Aug., Gl. int., Aug., Cassiod.] has scilicet *tu fecisti judicium* ut discernamus inter bonum et malum, *et justitiam*. Justitia est cum bonum facimus et malum vitamus. Ubi ? *In Jacob*, non solum in illo patriar-

cha, sed etiam in populo quem significavit. Et, *tu fecisti* hæc, quæ alius non posset.

PARS. II. VERS. 5. — « Exaltate Dominum Deum « nostrum ; et adorate scabellum pedum ejus, quo- « niam sanctum est. »

Exaltate Dominum. [Cassiod., Alcuin., Aug.] Secunda pars, ubi monet adorari eum, quia patres fuerunt ejus. Quasi dicat : Quia hæc facit in nobis, ergo *exaltate*, secundum quod ipse est Deus, *Dominum* Deum nostrum, scilicet Christum, qui facit judicium in nobis et justitiam, et usque eo exaltate, ut adoretis. Et hoc est quod dicit, *et adorate scabellum pedum ejus*, vel *suppedaneum pedum ejus.* Videndum est quid nos jubeat adorare cum dicit, adorate scabellum pedum ejus esse dicit alibi Scriptura his verbis : *Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum.* (*Isa.* LXVI.) Ergo terram jubet nos adorare, quia est scabellum pedum ejus. Sed alibi dicit Scriptura : *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies* (*Deut.* VI.) Sed sciendum est quia in Christo terra est, id est caro, quæ sine impietate adoratur. Suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est, et de carne Mariæ carnem accepit. Hæc sine impietate a verbo Dei assumpta adoratur a nobis, quia nemo spiritualiter carnem ejus manducat, nisi prius adoret. (131) Non illa dico adoratione quæ latria est, quæ soli Creatori debetur ; sed illa quæ in dulia dignior est. Dulia enim adoratio est, quæ etiam creatura exhibetur, quæ duas species habet : unam quæ indifferenter omnibus ; alteram quæ soli humanitati Christi exhibetur. Et est adorate scabellum pedum ejus, id est corpus Christi, quod est scabellum Divinitatis. [Cassiod., Aug.] Per pedes enim indefecta stabilitas Deitatis accipitur ; sed qui adorat non terram intuetur, sed illum potius cujus scabellum est propter quem adorat. Unde subdit : *Quoniam sanctus est*, in cujus honore scabellum adorat. [Cassiod.] Quasi dicat : Non propter se, sed propter ipsum cujus est scabellum adorat. Ideo autem dicit, sanctus, et non sanctum, ut discernas corpus a deitate, et si in utroque una sit persona. [Aug.] Vel secundum litteram nostram, *quoniam sanctum est*, ipsum scabellum, id est corpus, ideo adorate, quoniam.

VERS. 6. — « Moyses et Aaron in sacerdotibus « ejus ; et Samuel inter eos qui invocant nomen « ejus. »

Moyses legislator, *et Aaron* summus sacerdos fuerunt *in sacerdotibus ejus* Christi. [Gl. int., Cassiod., Aug.] Nos imitamini quasi magni fuerint isti, qui eum prædicaverunt. [Cassiod.] Nota quod Moyses sacerdos dicitur, qui si non hostias, vota tamen obtulit Deo, et pro populo supplicavit, *et Samuel inter eos qui invocant nomen ejus.* (132) Nota quia Samuel non numeratur inter sacerdotes, quia fuit Ephraim de qua tribu non fit sacerdos secundum legem, sed de Levi.

A Et ideo, inter invocantes ponitur ; fuit tamen sacerdos sicut alibi legitur, et isti jam tunc

VERS. 7. — « Invocabant Dominum, e. ipse ex- « audiebat eos ; in columna nubis loquebatur ad « eos. »

Invocabant Dominum Christum, [Gl. int., Cassiod.] *et ipse* qui nunc loquitur in homine, *exaudiebat eos*, (tantum valet sincera oratio) *et loquebatur ad eos in columna nubis,* [Aug.] id est per figuras in nube obscura ; sed illa dicta quemdam manifestum præsignabant, scilicet Christum. Ad eos ergo loquebatur in nube, qui jam nobis loquitur in scabello, id est in carne assumpta aperte. Et nota quod non ait in nube, sed in columna nubis. [Cassiod.] Columna enim fortitudo est, et decor domus. In hac
B specie loquebatur eis, quæ annuntiabat Ecclesiam, vel carnem Christi ; sed tunc in nube loquebatur, qui modo per Filium aperte loquitur. Et isti qui tanti erant,

VERS. 8. — « Custodiebant testimonia ejus, et « præceptum quod dedit illis. »

Custodiebant testimonium ejus, et præceptum quod dedit illis. [Cassiod.] Distingue inter testimonia et præcepta. Testimonium est per aliqua signa præcedentis rei posita significatio. Unde sæpe in lege dicitur : Hoc erit nobis in testimonium, qualiter Jacob et Laban prosuerunt acervum lapidum in testimonium (*Gen.*) XXXI) [Cassiod., Gl, int]. Præcepta vero sunt sicut præcepta legis per Moysen data : Non occides, etc. (*Exod.* XX) et quia custodiebant.
C Ideo, o

VERS. 9. — « Domine Deus noster, tu exaudiebas « eos ; Deus, tu propitius fuisti eis, et ulciscens in « omnes adinventiones eorum. »

Domine Deus noster, tu exaudiebas eos, [Cassiod.] in justis petitionibus. Et, o *Deus, tu propitius fuisti eis*, condonando eis peccata, ne noceant in futurum. Propitius enim non dicitur Deus, nisi peccatis. Quando dat veniam tunc dicitur propitius. Propitius fuit ignoscendo. Propitius etiam fuit ulciscendo. Unde subdit et ulciscens, [Aug.] id est vindicans, quod est etiam propitiatio. Ulciscitur etiam castigando, ne semper peccare delectet, et ne humana elatio subreperet. Unde Apostolus : *Datus est mihi stimulus carnis meæ angelus Satanæ, qui me cola-*
D *phizet*, etc. (*II Cor.* XII.) Vere ergo propitius est Deus, non solum donando peccata, sed etiam vindicando et castigando. [Aug.] Ecce, etsi tanti essent isti, aliquid tamen habebant peccati *in omnes adinventiones*, vel affectiones *eorum*, scilicet ulciscens erat. Affectiones dicit, quas solus Deus noverat esse in cordibus eorum, pro quibus pœna erat eis pati eos cum quibus erant. Quotidie enim patiebantur populos contradicentes, et inique viventes, inter quos vivere cogebantur. Pro quorum peccatis, quasi pro suis dolebant per charitatem. Ecce qualiter vindicabat in

(131) Melius et amplius istud explicat M. distinc 9 tertii Sententiarum.

(132) Ex Aug. qui tamen, quæst. 46, quæ Veteris Test. de hoc plene disserit.

omnes affectiones eorum. Non enim, sicut a plerisque putatur, fuit Moysi pœna tantum non intrare in terram promissionis, in quam etiam miseri intraverunt. Sed etiam figura rei, scilicet quod qui sub lege essent, quia per eum data est lex et sub gratia esse nollent, non intrarent in requiem æternam. Et quia propitius est, ergo

VERS. 10. — « Exaltate Dominum Deum nostrum, « adorate in monte sancto ejus, quoniam sanctus « Dominus Deus noster. »

Exaltate Dominum [Aug., Gl. int.] qui blanditur et cedit ut pater; addit *Deum nostrum*. Quasi dicat : Secundum quod Deus est exaltate eum, *et adorate* Dominum, sed non præter montem ejus, sed *in monte sancto ejus*, id est in corpore. [Aug.] Hic est lapis ille parvus, qui, sicut Daniel ait, crevit in montem magnum, et implevit totam faciem terræ (*Dan.* II) Præcisus, id est natus, de monte, id est a gente Judæorum, quæ colebat unum Deum. Et ideo monti comparatur sine manibus, id est sine operibus hominum, quia de Virgine sine virili semine conceptus Ideo adorate, *quoniam sanctus Dominus Deus noster*, qui in monte est.

COLLATIO IN PSALMUM XCVIII : DOMINUS REGNAVIT, « IRASCANTUR, » etc.

VERS. 1. — *Irascantur populi*. Hieronymus *commoveantur*; alii *contremiscant*. Utrumque verum est, et significantiam verbi Hebraici refert ירגזו IIRGEZU, *fremuerunt, expaverunt, irati sunt*. Nihil agit Faber, dum nititur persuadere legendum duntaxat, *commoveantur populi*, videlicet ad lætitiam, et *irascantur* non congruere; vel eludat enarrationem Augustini ostendentis id non esse jussum, sed prædictum.

Qui sedes super cherubim. Plures codices habent per tertiam personam, *qui sedet*, et aptior respondet cohærentia, quandoquidem præcessit *Dominus regnavit*. Sed et *qui sedes* non est reprobandum, sic enim legit Cassiodorus et exponit : « Nec est insolitum apud prophetas, ut quasi ex abrupto, transeant de persona in personam, ac sicut in priori lectione, nempe *qui sedet*, D. Augustinus, repetebat verbum *regnavit*, ut sit, *qui sedet super cherubim regnavit*. Simili opera legendo *qui sedes*, nihil vetabit subaudire *regnas*. In Hebræo et Græco est participium יושב IOSCHEB, καθήμενος *sedens*. Ergo *qui sedet* aut *qui sedes*. Prius tamen magis est secundum regulas grammatices. Alterum non abhorret a propheticis locutionibus.

VERS. 6. — *Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est*. Non liquet ex Hebræo an debeat legi in masculino genere, an in neutro, *quoniam sanctus est* vel *sanctum est*. Sive enim hoc, aut illo modo efferas, nihil lædit Hebraismum הדם הוא HADOM HU. Unde D. Hieronymus, et plerique alii vertunt sub masculino, nonnulli sub neutro. Sed ex Græco legendum videtur sub masculino, quod ἅγιος et ὑποπόδιον distent genere. Denique et sanctus est Christus, et sancta caro ejus, quæ dicitur scabellum pedum ejus nihilominus adoranda, sicuti docet Hieronymus in Commentario.

Ulciscens in omnes ad eorum. Concordant ferme omnes, licet vertant *opera* eodem sensu, עלילתם ALILOTHAM. Hieronymus diversum quiddam ad sonum verbi dicere videtur, *super commutationibus*, inquit, *eorum*. Recte tamen intelliguntur transgressiones quæ hominem commutant.

PSALMUS XCIX.

PSALMI TITULUS : « PSALMI IN CONFESSIONE. »

Jubilate Domino omnis terra. Titulus : *Psalmus in confessione*. [Cassiod., Alcuin.] Confessio gemina est : Una est laudis, altera peccatorum.

Confessio laudis convenit perfectis, confessio peccatorum incipientibus : de utraque agitur hic. Docet enim hic psalmus et Deum alacriter laudare, et peccata nostra humiliter plangere, quia nec in malis est desperandum, nec in bonis animus debet esse elatus. Et est sensus : *Psalmus* iste est *in confessione*, id est agit de confessione, scilicet laudis, vel de utraque. Intentio : Monet ad confessionem. Modus : Bipartitus est psalmus. Primo, perfectis præcipuum genus confessionis, id est laudem indicit. Secundo intraturis, id est incipientibus, inducit secundum genus confessionis, scilicet peccatorum, ibi, *introite in conspectu* [Aug.]. Ad laudem ergo monens, non unum angulum terræ hortatur, sed sicut ubique novit seminatam benedictionem, ita undique exigit jubilationem, dicens : o

VERS. 1. — « Jubilate Deo omnis terra : servite « Domino in lætitia. »

Omnis terra. [Aug.] Non pars, quia ubique benedictio seminata est, *jubilate Domino*, non alii. Jubilatio autem vera fit voce et corde. Quasi dicat : Si jubilat vox exterius, cor intelligat interius. Sonus enim cordis est intellectus. Jubilus autem sonus est lætitiæ sine verbis, quia eis lætitia animi non potest explicari, quando videlicet homo gaudens ex his quæ non possunt explicari verbis erumpit in vocem quamdam exsultatione sine verbis, ita ut appareat eum ipsa voce gaudere. Sed quasi repletum nimio gaudio non posse verbis explicare quod gaudet. Hic autem jubilus sit a bonis in confessione; a malis vero in confusione, cum de terrenis adeo gaudent sicut, verbi gratia, messores vel vindemiatores copia fructuum jucundantur, et de feracitate terræ gaudentes cantant, et inter cantica inserunt voces quasdam sine verbis, in elatione exsultantis animi. Et hæc est jubilatio improbanda. Justi vero gaudent videntes mundo corde, quis Deus, quanta et quo ordine, et quam mirifice **216** fecit. Unde exsultantes cantant et est ista jubilatio coronanda, *Servite Domino*, [Cassiod.] non necessitate, sed charitate, quia liberati estis per Christum. Et ideo, servite in *lætitia*, non murmurantes, ut Judæi in deserto murmuraverunt, (*Num.* XIV). (Aug.) Hæc servitus non est amaritudinis, nec indignationis, sed felicitatis et libertatis. Gratum enim est redemptis servos esse. Servum te faciat charitas, quia liberum te facit veritas. Unde Dominus : *Si manseritis in verbo meo; vere discipuli mei eritis, et cognos*

tis veritatem, et veritas vos liberabit (*Joan.* VIII). A

VERS. 2. — « Introite in conspectu ejus in exsultatione. »

Introite. (Alcuin., Cassiod.) Dixit, servite Domino, unde præmium subdit, dicens : *Introite in conspectu ejus in exsultatione.* Magnum est præmium in conspectu tanti judicis gaudere, et accipitur hoc de futuro. Vel de præsenti accipitur sic ; introite in exsultatione in conspectu ejus, (Aug.) id est in conscientia exsultate ubi Deus videt ; foris lingua exsultare facile est.

VERS. 3. — « Scitote quoniam Dominus ipse est « Deus ; ipse fecit nos, et non ipsi nos. »

Et scitote quoniam Dominus ipse est Deus. (Aug.) Quis hoc nescit quod Dominus sit Deus. Sed de crucifixo hoc dixit contra Judæos. Quasi dicat : B Non vilescat vobis, quem crucifixistis, et flagellastis, quia ipse est Deus. Et hoc scitote : *Ipse fecit nos et non ipsi nos*, id est omne nostrum bonum ex eo est, non ex nobis : ex eo est, unde coronamur ; ex nobis, unde damnamur. (Hier.) Et agit de bonis operibus gratiæ vel de operibus creationis agit. Ipse fecit nos et non ipsi nos, id est creavit nos, juxta illud : *Omnia per ipsum facta sunt* (*Joan.* I). (Cassiod.) Hoc dicit, ne quis putet creationem nostram patribus deputandam, qui sunt ministri ; Deus autem auctor.

VERS. 4. — « Populus ejus et oves pascuæ ejus : « introite portas ejus in confessione, atria ejus, in « hymnis confitemini illi. »

Populus ejus. (Gl. int.) Quasi dicat : Ipse fecit nos, qui sumus populus ejus. Et est, vel secundum aliam litteram, quæ est : *Nos autem populi ejus sumus, et ipse est rex*, et oves sumus, ipse pastor. *Pascuæ ejus*, id est Scripturarum, in quibus saginet fidelium mentes. *Introite.* (Cassiod., Alcuin.) Secunda pars, ubi intraturis secundum genus confessionis inducit : Quasi dica : Monui intrare in conspectu ejus, nec dubitetur, quia misericordia est ei. Ergo *introite* confidenter, non foris stetis ubi sunt hostes, extra vos lupus invenit. Introite dico, *portas* misericordiæ ejus, *in confessione.* (Aug.) In portis initium est, et confessio peccatorum, de qua hic agitur, a qua incipiemus ad misericordiam Dei intrare. Et est introite portas misericordiæ ejus in confessione, id est a confessione incipite ad misericordiam Dei intrare, non a vobis facti ; laudate eum a quo factis estis, vos accusando, quia et nostra accusatio ad laudem ignoscentis pertinet. De hoc autem alibi dicitur : *Incipite Domine in confessione.* (*Psal.* CXLVI). Et cum intraveritis *in atria ejus*, id est in amplitudinem cœlestis beatitudinis gratiæ plenitudine percepta, *confitemini illi in hymnis*, id est in laudibus. Quasi dicat : Cum intratis, vos reprehendite ; cum intraveritis, ipsum laudate, etc.

VERS. 5. — « Laudate nomen ejus quoniam suavis est Dominus, in æternum misericordia ejus ; « et usque in generatione et generationem veritas « ejus. »

Laudate nomen ejus. [Gl. int., Aug.] Nunc et in futuro, quia dum laudatur dulcescit. Unde subdit : *Quoniam suavis est Dominus, in æternum misericordia ejus*, quia et hic liberat, et in futuro coronat, *et usque in generatione et generationem*, id est in omnem generationem, vel in terrena generatione et cœlesti, in una quæ parit mortales ; in altera quæ parit æternos, est *veritas ejus*, implens promissa.

COLLATIO IN PSALMUM XCIX : « JUBILATE DEO OMNIS TERRA, » etc.

VERS. 2. — *In exsultatione.* Vel *in laude*, ut habet Hieronymus, et quidam alii ; vel *in cantico*, ut Munsterus et Pellicanus. Plerique, *in exsultatione* cum Septuaginta ברננה BIRNANAH. Hæc omnia refert, et quæ concinunt, vera enim Dei laus, non est sine exsultatione.

VERS. 3. — *Et non ipsi nos.* Hic Faber a quodam Hebræo edoctus, ut dicit, affirmat nullam haberi in Hebræo negationis particulam, Inspeximus septem codices diversos, qui constanter habent C ולא אנחנו VELO ANAGNU. Deinde addit quod nos, debeat esse nominandi casus, cum nullus sit tam hebes, ut arbitretur creasse seipsum, et cum Hieronymus vult psallamus, expuncta negatione, *et ipsius sumus.* Quantum ad D. Hieronymum, ego puto ipsum legisse לו LO, sine aleph, id est *ipsi* vel *ipsius*, et e recentioribus interpretes pro Cajetano ; nam vertunt *sibi nos.* Cæterum non semel adnotavimus pronomen et negationem nihil distare in voce. In scriptione est aleph לא LO, hoc est *non.* De casu vero ambiguum est. Sensus tamen non mutatur. Idem enim sibi volunt, *non ipsi sumus nos*, et *non fecimus nos.* Illud certum est Augustinum exponere per accusativum, ad verbum *facere*, relatum. Nec sic accepit ceu quispiam possit dubitare, se non esse factum a seipso. Sed ne superbiamus, quin potius agnoscamus nos habere ab opifice nostro quidquid habemus. Porro in Græco manifeste est rectus casus καὶ οὐχ ἡμεῖς, sic tamen ut videatur D mente repeti quod mox erat ἡμᾶς. Denique volvens editionem Hispaniensem inveni scriptum ולו VELO, sicut dicebamus Hieronymum legisse.

PSALMUS C.

PSALMI TITULUS : « PSALMUS IPSI DAVID. »

Misericordiam et judicium. Titulus : *Psalmus ipsi David.* (Cassiod., Alcuin.) Psalmus iste centesimus est, et sicut centenarius perfectus numerus est, ita iste psalmus continet et docet formam perfectæ sanctitatis. Hic enim docemur bona appetere, mala renuere : quæ est perfecta conversatio vitæ. Et quia omne bonum nostrum Christo attribuendum est, ideo titulus habet : *Ipsi David.* Et est sensus : *Psalmus* iste attribuitur *ipsi David*, id est Christo, ut hoc totum quod hic docemur, virtutibus Christi applicetur, nihil illi terreno regi. Et cantat hoc Christus, et nos in illo. Hæc enim vox competit capiti et corpori. Agit autem de misericordia et judicio.

Intentio : Monet bona apetere, et mala renuere. Modus : [Cassiod.] Tripartitus est psalmus. Primo de misericordia et judicio proponit. Secundo exponit quæ sit via immaculata, ibi, *perambulabam*. Tertio dicit quis sit finis malorum, ibi, *in matutino*. De misericordia ergo et judicio proponens ait, o

VERS. 1. — « Misericordiam et judicium cantabo « tibi, Domine. »

Domine cantabo, [Aug. Gl. int.] id est jucunde annuntiabo *misericordiam*, quæ modo est, *et judicium* quod erit in futuro. Et hoc *tibi*, id est ad tuum honorem, qui utroque laudabiliter uteris. [Aug.] Nemo ergo de misericordia Dei desperet ac præsumat ad impunitatem, quia est ei judicium ; et nemo immutatus in melius judicium; timeat, quia præcedet misericordia. Hæc semper simul in eo sunt. Deus enim nec in bonitate misericordiæ perdit judicii severitatem, nec in judicando cum severitate amittit misericordiæ bonitatem. Sed et per tempora hæc duo distinguuntur, secundum effectus. Misericordia enim nunc omnibus offertur et multipliciter exhibetur ; judicium autem in futuro. Hic enim est tempus misericordiæ, cum Dei patientia, peccantes ad pœnitentiam adducit et bonis et malis bona temporalia præstat. In futuro autem tempus judicii, cum unicuique secundum merita reddet. [Cassiod., Alcuin.] Hæc duo mutua sibi junguntur societate. In his breviter omnia opera Dei includit. Et hic est præmissa causa, quare sic se habet, sicut postea subdit, cum ait :

VERS. 2. — « Psallam et intelligam in via imma« culata, quando venies ad me. »

Psallam et intelligam in via. [Haym., Hier., Alcuin.] Quasi dicat : Cantabo misericordiam et judicium. Et propter hæc duo *psallam*, id est in hilaritate bene operabor, *et intelligam quando venies ad me* in secundo adventu, vel in obitu cujusque, ego, dico positus *in via immaculata*. [Aug., Gl. int.] Psallere enim est in hilaritate operari, et intelligere non potes nisi in via immaculata, sed in ea intelligitur, quando ad hos veniat Deus. Vel ita : Ego psallam et intelligam, existens in via immaculata. Non mutatur sensus, psallam et intelligam, per hoc quando, id est quia venies ad me, id est ope tua psallam et intelligam ? [Cassiod.] Vel ita : Psallam, id est hilariter operabor, et per hoc intelligam ; hoc enim dat psallere, ut intelligam mente, quod oculis non patet, id est credam quod veniet quem iste tantum desiderat. Et hoc est: Intelligam, dico, quando venies ad me, per carnem, in primo adventu. Venies dico, in via immaculata, quia mundum sine peccato transilivit.

PARS II. VERS. 3. — « Perambulabam in innocen« tia cordis mei, in medio domus meæ. »

Perambulabam. [Alcuin., Gl. int.] Secunda pars, ubi exponit quæ sit via immaculata. Quasi dicat : Psallam et intelligam in via immaculata antequam etiam intelligerem, *perambulabam*, etc. Vel ita continua : Quæ est via immaculata ? ea est innocentia, Unde subdit : Perambulabam *in innocentia*. [Aug.] Quasi dicat : Hæc via immaculata ac innocentia incipit, et consummatur. Non est opus multis verbis. Innocens esto, et perfecisti justitiam ; sed duobus modis nocet homo, si facit miserum, vel si deserit miserum. Innocens vero est qui nec sibi nec aliis nocet. Unde iste ait : Perambulabam, vel deambulabam. Quasi dicat : Ampla via, in innocentia *cordis mei ;* angustias enim patitur omnis malitia, sola innocentia lata est, ubi deambuletur, quasi spatiando. Hæc sunt deambulatoria sacerdotum, in Ezechiele. Deinde exponit quod dixerat, scilicet perambulabam, *in medio domus meæ*, id est cordis mei, in quo quiete habitat bene conscius : alii autem foras pelluntur, quasi a fumo, vel stillicidio, vel mala uxore, et in nugis extra quiescunt, et de his qui foris sunt, circa corpus delectantur, quia non est illis bene intus, unde gaudeant in conscientia sua. [Cassiod., Aug.] Vel in persona Christi, hoc potest legi sic, quasi dicat : Quæ est via immaculata ? innocentia. Et ego perambulabam in innocentia cordis mei, quasi non transitoria quæsivi, sed cucurri viam mundi existens, in medio domus tuæ, alia littera, id est Ecclesiæ, in cujus medio existo, quasi exemplo omnium. Innocentia hoc potest, ut faciat eum habitare in medio domus Dei, quasi honorabilem et exemplum aliorum.

VERS. 4. — « Non proponebam ante oculos meos « rem injustam ; facientes prævaricationes odivi. »

Non proponebam, [Cassiod., Alcuin.] Innocentia per partes exponit, primo dicit, quia nihil habet cum malis, sic : *Non proponebam rem injustam ante oculos meos*, etc., usque oculi mei, ubi dicit, quia pars est ei cum justis. Et deinde dicit quod versutias diaboli de corde fugat, ibi, *in matutino*, etc. Quasi dicat : Perambulabam in innocentia, hoc utique dicit totus Christus, quod non proponebam ante oculos meos rem injustam. [Aug.] id est non diligebam rem injustam nec placuit mihi injustitia alterius, *facientes prævaricationem*. Exponit rem injustam : quasi dicat : **217** Non diligebam rem injustam, sed potius, facientes prævaricationem, [Aug.] id est eos qui legem Dei non faciunt, etsi in Ecclesia sint, odivi, id est a me repuli prævaricatores ; sed non homines, id est non ex eo quod sunt homines, sed quia prævaricatores.

VERS. 5. — Non adhæsit mihi cor pravum ; de« clinantem a me malignum non cognoscebam. »

Non adhæsit. [Alcuin. Aug.] Deinde exponit quos dixerat prævaricatores, subdens : *Non adhæsit mihi cor pravum*, id est qui prævaricatur corde, quasi non consensi non rectis. *Declinantem a me malignum*. [Cassiod.] id est hæreticum hominem, qui a Catholicis dissentit, et qui a rectis semitis deviat *non agnoscebam*, [Aug., Cassiod.] id est non approbabam, non mihi placebat, quia etsi signati sint nobiscum sacramentis, non tamen inde sunt. [Aug.] Vel, non adhæsit mihi cor pravum, id est cor tor-

tum quod habet qui non vult omnia quæ Deus vult, sed etsi timet infirmus, quod præsignavit Jesus timens, tamen subdat se Deo dicens cum Christo : *Transeat a me calix iste; fiat tamen voluntas tua* (*Matth.* XXVI.) Vitet ergo mala, quantum potest : et si non potest, subeat. Et non cognoscebam malignum declinantem. Declinat omnis qui dissimilis est a me, quem prius eis proposui imitandum.

VERS. 6. — « Detrahentem secreto proximo suo ; « hunc persequebar. »

Detrahentem proximo suo secreto. [Aug., Cassiod., Gl. int.] Palam non audet detrahere qui falsa tenet. *Hunc persequabar,* ne hoc ageret.

VERS. 7. — « Superbo oculo et insatiabili corde : « cum hoc non edebam. »

Superbo oculo, [Gassiod., Haym.] id est cum tumido, corde, *et insatiabili corde,* id est cum avaro, cum hoc notabili *non edebam* corporalia, vel spiritualia, ad litteram. Talium consortium vitavit. [Aug.,] Vel potius spiritualiter hoc accipiendum est. Nam et Jesus cum superbis convivatus legitur ut cum Pharisæo (*Luc.* IX), quando venit ad eum peccatrix mulier Maria (*Luc.* VII), et nos quoque abstinemus a convivio fratrum notabilium, ut corrigantur. Facimus hoc plerumque et propter medicinam ; sed cum extraneis multis edimus, ut cum paganis, et cum aliis impiis, atque superbis. Quid est ergo quod ait, cum superbo oculo non edebam, et cum insatiabili corde ? Habet epulas suas cor superbum, et insatiabile, unde pascitur, sed non reficitur. Epulæ enim superbi cordis, quod est insatiabile, est invidia. Superbia enim mater est invidentiæ quæ pascitur et gaudet alienis malis, sed non satiatur. Hoc ergo cibo superbiæ et invidiæ iniquitatis non pascitur justus, sen pascitur cibo justitiæ. Unde : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam,* etc. (*Matth.* V.) Hoc est superbo oculo et insatiabili corde, cum hoc non edebam, id est non pascebar, nec delectabar superbiæ epulis et invidiæ.

VERS. 8. — « Oculi mei ad fideles terræ ut se- « deant mecum ; ambulans in via immaculata, hic « mihi ministrabat. »

Oculi mei. [Cassiod.] Hic exsequitur alteram partem innocentiæ, silicet quod cum justis habet partem. [Aug., Cassiod., Gl. int.] Quasi dicat : Cum talibus non edebas unde ergo pascebaris ? Ecce *oculi mei* cordis erant *ad fideles,* id est fideles placuerunt mihi, dicit justus generalis. Fideles dico *terræ,* [Cassiod., Alcuin.] id est degentes in terra ubi sunt tot illecebræ, unde major corona est eis. Vel, ad fideles terræ, id est qui per totum mundum sunt *ut sedeant mecum,* scilicet in unitate fidei mecum permaneant. Vel sedeant mecum, id est ut participent mecum regno æterno, in persona ejusdem justi. *Ambulans in via immaculata, hic mihi* non alius *ministrabat,* ad litteram. [Cassiod.] Maxime convenit hoc sacerdotibus, ut pravis non cohabitent, sed

VERS. 9. — « Non habitabit in medio domus meæ « qui facit superbiam ; qui loquitur iniqua, non di- « rexit in conspectu oculorum meorum. »

Qui facit superbiam, [Cassiod.] id est quilibet superbus, *non habitabit in medio domus meæ,* ad litteram. Hæc dicit ne videatur approbare quos habet familiares, si mali sint. [Aug.] Vel in persona Christi dici potest, oculi mei ad fideles terræ. Hoc non mutatur. Ut sedeant mecum, super duodecim sedes, judicantes duodecim tribus Israel (*Matth.* XIX), id est ut judicent mecum. Ambulans in via immaculata hic, mihi ministrabat Evengelium mihi, non sibi ; non quærens quæ sua sunt, sed Christi. Sed qui facit superbiam non habitabit in medio domus meæ, id est in corde meo, ubi mitis et quietus habitat mihi placens ; superbus vero inde resilit. Vel non habitabit in medio domus meæ, id est Ecclesiæ. [Alcuin.] Etsi enim aliquandiu toleretur gratia correctionis, non tamen præeminere meritis nihil potest. Non est in populo meo granum, sed palea [Gl. int., Cassiod.] Sequitur ex persona totius Christi : *Qui loquitur iniqua,* quilibet maledicus, *non direxit in conspectu oculorum meorum,* quia etsi apud se et apud stultos, apud me tamen non est gloriosus.

VERS. 10. — « In matutino interficiebam omnes « peccatores terræ ; ut disperderem de civitate « Domini omnes operantes iniquitatem. »

In matutino. [Aug.] Tertia pars ubi ostendit qui finis eorum malorum sit, et loquitur hic Christus. Et nota quia jam enumeravit superius, quod ei non adhæserunt nisi boni. Et quasi aliquis diceret : Quia tibi non adhærent nisi boni, cur ergo malos in tua civitate tanto tempore tolerasti ? Respondetur quia tempus misericordiæ est, modo nox est, nondum omnia sunt manifesta. Et in hac nocte abundant tentationes, in qua transeunt bestiæ sylvæ, et catuli leonum, id est diaboli quærunt sibi escam a Deo, scilicet ut tentent fideles. Unde Dominus ait discipulis : *Satanas expetivit vos vexare sicut triticum* (*Luc.* XXII). Ab homine triticum non manducatur, nisi primo conteratur, ut panis fiat. Sic neminem manducat diabolus, nisi prius per tribulationem contriverit. In hac ergo nocte parco, tolero, corrigo, sed *in matutino,* [Aug.] id est cum dies judicii advenerit, et erunt omnia aperta, quæ modo sunt occulta, dum nescit qualis post erit, qui modo bonus est et malus, *interficiebam omnes peccatores terræ,* id est mittentur mali in ignem æternum, quia modo. Ideo tolerantur mali a longanimi, ut corrigantur, quod si non fecerint tempore misericordiæ, quod modo est, post interficientur. Et hoc est quod ait, in matutinis interficiebam omnes peccatores terræ, id est in judicio mittam malos in ignem æternum. Quare ? *ut disperdantur omnes operantes iniquitatem de civitate Domini,* id est de societate Ecclesiæ. Modo enim in ea sunt, sed eis parcitur, quia tempus est misericordiæ, sed tempore judicii separabuntur. Ecce finitur psalmus in eo unde incepit : *Misericordiam et judicium cantabo tibi, Do-*

mine [Alcuin., Haym.] Hoc etiam justo convenit, qui prævidet hoc futurum. Et ideo sic se habet, sicut supra dixit. Et est, in matutinis interficiebam omnes peccatores terræ, id est prævidebam omnes malos interficiendos, ita ut disperderem, id est viderem disperdendos, omnes operantes iniquitatem.

[Cassiod.] Vel aliter potest dici in persona justi. Ostenditur hic tertia pars innocentiæ; post vitatos nempe malos justus ad se reversus, addit quod suggestiones dæmonum de corde suo expulit. Quasi dicat : Non tantum homines malos vitavi, sed etiam vitia declinavi, quia, *in matutino*, id est in initio suggestionis, quando quasi crepuscula tentationum incipiunt apparere, *interficiebam*, oratione qua debent ejici ne crescant, *omnes peccatores terræ*, id est dæmones, qui omnem carnem faciunt peccare : ita interficiebam ut *disperderem omnes operantes iniquitatem*, id est omnes immissiones, vel submissiones diaboli, *de civitate Domini*. Civitas Dei est anima justi, unde diabolus subjicitur et removetur.

COLLATIO IN PSALMUM C : « MISERICORDIAM ET JUDICIUM, » ETC.

VERS. 4. — *Non adhæsit mihi cor pravum*. Hebræi dirimunt hanc clausulam in duas partes, ut prior, nempe *non adhæsit mihi*, pertineat ad finem hujus versiculi. Deinde *cor pravum* jungatur sequentibus. Quia vero *non adhæsit mihi* videbatur sensum generare imperfectum, addidit Munsterus tale quid, præsertim cum vertisset ita mox præcedentia, *prævaricationes odivi*, ut verbum *adhærebit* non haberet quo referretur. Hieronymus tamen et qui similiter vertunt, ad id non urgebantur. *Facientem*, inquit, aut *facere prævaricationes odivi*. Et quod sequitur *nec adhærebit*, respondet commode. Cæterum de hac quæstione superius pluribus actum est.

VERS. 6. — *Insatiabili corde*. Hieronymus dicit *altum corde*. Cæteris *vastum* vel *latum corde* רחב לבב REHAB LEBAB. Atqui seu intelligas avarum seu eum qui non satiatur malis alienis, Septuaginta probe reddunt, *ac mox, cum hoc non edebam*. Hieronymus, *cum hoc esse non potero*. Assonant cæteri dicentes, *hunc non patiar*, aut *non potero ferre*. Existimamus Septuaginta legisse לא אכל LO OCAL a themate אכל ACAL, *comedit*. Nunc legimus לא אוכל LOVCAL a radice יכל IACAL, *potuit*, etiamsi intelligentia eodem conspiret.

VERS. 9. — *Non direxit in conspectu oculorum meorum*. Pro particula *direxit*, habent Hebræi verbum passivum quod, si nudaveris punctulis, indiscriminatim leges active aut passive יכון, *direxit* sive *diriget*, *dirigetur*, *firmabitur*, *præparabitur*. Hieronymus respiciens sensum potius quam verba, vertit *non placebit*. Ergo לא יכון LO IACUN, *non direxit*, accipiendo futurum loco præteriti. Hoc est interprete Cassiodoro, *non profecit*. Sed לא יכון LO IICON, hoc est *non firmabitur*, perseverante sensu

PSALMUS CI.

PSALMI TITULUS : « ORATIO PAUPERIS CUM ANXIARETUR, ET IN CONSPECTU DOMINI EFFUDIT PRECEM SUAM. »

Domine, exaudi orationem meam. Titulus : *Oratio pauperis cum anxiaretur, et in conspectu Domini effudit precem suam*. [Cassiod., Aug.] Iste est quintus psalmus pœnitentiæ, et quartus qui oratio dicitur; pauper vero de quo agit titulus Christus est, qui cum esset dives Deus apud Deum, per quem et omnia facta sunt (*Joan.* I), factus est pauper, secundum formam servi (*II Cor.* VIII), sed pauperior est in membris, quorum egestati suam abdidit paupertatem, ut eis suas communicaret divitias. Ubi enim se præparavit membra ditavit, in quibus etiam pœnitentes quos in se transfiguravit, id est in quorum persona loquens dicit : *Cinerem tanquam panem manducabam*. Non enim in ea egestate erat, ut hæc in sua persona dicere posset, sed in membris. Ecce quomodo contemperatur tam ima tam alto, id est unione vocis conjunguntur membra capiti. Sicut enim sunt duo in carne una, sic et in voce una. Sicut etiam a propheta Isaia sponsus et sponsa dicitur, his verbis : Sicut sponsum alligavit in mitram, et sicut sponsam induit me ornamento (*Isa.* LXI). Sponsus dicitur propter caput, et sponsa propter corpus dicitur. Nec tamen mutatur vox, vel persona. Christus ergo pauper in nobis et nobiscum et propter nos. (133) Hic orat in persona pœnitentis suam dejectionem, et causam dejectionis recognoscentis, et a peccatis liberari, atque in pristinum statum restitui petentis. Et est sensus : *Psalmus* iste est *oratio* pauperis, [Alcuin.] id est Christus, qui est pauper et in se, et in membris, **218** in quorum persona loquitur. Oratio dico habita *cum anxiaretur*. In miseriis, in quas dejectus est per peccatum primi hominis, et ut eas evaderet, *effudit precem suam in conspectu Domini*, per quem solum liberari potest.

Intentio. [Cass.] Monet omnes advertere suam miseriam, et petere Dei misericordiam. Modus. Quatuor sunt partitiones. Prima pars est captatio deprecativa. Secunda flebilis narratio, ibi, *quia defecerunt*. Tertia pars est certitudo impetrandi veniam, ibi, *tu autem*. Quarto dicit quod de sua brevitate transeat ad æternitatem, ibi, *respondit ei*. Et quia in titulo tria memoravit, scilicet orationem, paupertatem, anxietatem, singula suis locis executurus, ab oratione incipit, dicens :

VERS. 1. — « Domine, exaudi orationem meam, « et clamor meus ad te veniat. »

Domine, exaudi orationem meam. [Cass.] Ecce oratio, deinde repetit : *Et clamor meus*. Ecce oratio crevit in clamorem, *ad te veniat*. Non obstet mihi nubes peccatorum, quæ iniquis obsistit. Unde Jeremias : *Opposuisti nubem ne transeat oratio* (*Thren.* III). [Aug.] Ideo autem geminatur oratio, quia in geminatione ista affectus pœnitentis ostenditur. Et

(133) Ex Greg. in VII psal. pœnitent.

est hic figura epimone, per tres versus, id est crebra repetitio sententiæ.

Vers. 2. — « Non avertas faciem tuam a me, in « quacunque die tribulor, inclina ad me aurem « tuam. »

Non avertas, etc. Et quia oro et clamo, da aurem, da faciem præsertim, quia tribulor, et invoco. Et hoc est quod sequitur : *Non avertas a me* pœnitente, sed a peccatis, *faciem tuam*. [Cassiod.] Respuis quidem iniquorum munus, sed non pœnitentiam devotorum. *Inclina ad me,* [Aug.] id est, mihi humili, *aurem tuam in quacunque die tribulor*. Hoc ideo dicit, quia in membris, non uno tantum, sed omni tempore tribulatur, etc.

Vers. 3. — « In quacunque die invocavero te, « velociter exaudi me. »

Velociter exaudi me, [Cass., Alcuin.] quia non jam terram terrenus, sed cœlum redemptus peto. Cui desiderio dicis, adhuc te loquente dicam : Ecce adsum. Exaudi dico, *in quacunque die invocavero te*. Hoc ideo dicit, quia in omnibus fidelibus et in omni tempore invocat.

Pars ii. Vers. 4. — « Quia defecerunt sicut « fumus dies mei ; et ossa mea sicut cremium arue« runt. »

Quia defecerunt. [Cass., Alcuin.] Secunda pars, in qua est flebilis narratio, in qua exponitur quæ paupertas, et quæ tribulatio sit ei : unde clamet jam aperit. Quasi dicat : Ideo clamo, *quia defecerunt dies mei*, [Aug. Hier., Cassiod.] id est non lux ista visibilis, scilicet illuminatio aeris a sole, sed tempora vitæ meæ. Defecerunt dico, *sicut fumus*, id est propter elationem superbiæ. Elato enim Adam, dies deficiunt. *Et ossa mea sicut cremium aruerunt*, id est animæ virtus et fortitudo contracta est. Miseria pium judicem movere potest : hic notatur paupertas. Vel ita : Et ossa mea, [Aug.] id est fortes qui carnes portant, id est infirmos, *sicut in frixorio confrixa sunt*, alia littera. Eorum quippe frixorium sunt omnes qui scandalizantur, tantum enim frigitur justus et bonus, quantum amat. Unde Apostolus : *Quis infirmatur, et non infirmor ? et quis scandalizatur, et ego non uror ?* (*II Cor.* ii). Vel ita : [Cassiod.] Et ossa mea sicut in frixorio confrixa sunt, id est fortitudo animi recordatione peccatorum, quasi frixa contrahitur, vel timore judicii. Confrixa sunt ossa mea. Jam enim frigitur homo, dum timet se arsurum.

Vers. 5. — « Percussus sum ut fenum, et aruit « cor meum, quia oblitus sum comedere panem « meum. »

Percussus sum, [Aug.] id est mortalis factus sum in Adam, a quo propagata est miseria, *ut fenum*. Bene hoc dicit, quia omnis caro fenum (*Isa.* xl). Fenum quippe viret, sed percussum facile sentit injuriam : sic hominis caro in lege Dei virens, ab eadem succisa arescit. *Et aruit cor meum* sterilitate

A peccati. [Aug.] Sed unde hoc contigit ? *quia oblitus sum comedere panem meum*, id est verbum Dei custodire, quia præceptum quod Deus dedit. omisit, et bibit venenum serpentis, consentiendo ejus malignæ persuasioni. Sed modo crucifixo Domino, redit commemoratio, et comedit panem qui de cœlo descendit (*Joan.* vi). Nota quod ait, oblitus sum ; natura enim peccantium ostenditur, [Cassiod., Gl. int., Aug.] quia, dum peccatum appetitur, contemplatio Dei non habetur. Quapropter ? Quia oblitus sum, nunc gemo, non pro terrenis, sed pro æternis, et pro aliis, qui de terrenis gemunt.

Vers. 6. — « A voce gemitus mei adhæsit os « meum carni meæ. »

B *A voce gemitus mei*. [Aug.] Non illorum qui de terrenis, non de spiritualibus gemunt, quos iste gemit. Gemunt enim illi, et gemit iste ; sed aliter illi, aliter iste. A voce, inquam, gemitus mei *adhæsit os meum*, vel, adhæserunt ossa mea, *carni meæ*, id est per gemitum talem patet quod adhærent ossa carni, id est fortes infirmis, portando infirmitatem eorum. Unde Apostolus : *Nos firmi debemus infirmitatem infirmorum portare* (*Rom.* xv). Vel aliter potest legi : (134) Oblitus sum comedere panem meum, id est servare præceptum Dei. Et hoc, a voce gemitus mei, id est a voce diaboli, ex quo est gemitus et miseria mea. Unde : *Adhæsit os meum carni meæ*, id est ratio sensualitati consensit.

Vers. 7. — « Similis factus sum pellicano soli-
C « tudinis ; factus sum sicut nycticorax in domicilio. »

Vers. 8. — « Vigilavi, et factus sum sicut pas« ser solitarius in tecto. »

Vigilavi et factus sum sicut passer solitarius, [Aug.] vel singularis, vel unicus ; *in tecto*, vel in domicilio. Tres aves, et tria loca hic distinguuntur. Aves : pellicanus, nycticorax et passer ; loca : solitudo, parietina et tectum. Et dicitur pellicanus in solitudine, nycticorax in parietinis, passer in tecto. Pellicanus avis est quæ in solitudine habitat. Nycticorax, quæ est vigil et teter corvus noctis, habitat in parietinis, quæ vulgo dicuntur ruinæ, ubi parietes stant sine tecto, ubi habitat nycticorax avis, quæ noctem amat. Passer tecta amat. Unus homo autem
D vel plures possunt habere personam trium avium, tria vero loca tria sunt genera hominum. Est enim solitudo, ubi Christiani non sunt, nec fuerunt ; parietinæ ubi fuerunt, sed corruerunt ; tectum, ubi fuerunt, nec ceciderunt, manentes in domo. Verus ergo prædicator, si venit inter eos, ubi Christiani non sunt, *similis* est *pellicano solitudinis*. Si autem venit ad eos qui fuerunt et ceciderunt, est *sicut nycticorax in domicilio*, vel parietinis, quia nec eorum tenebras deserit, sed vult eos lucrari. Si autem venit ad eos, qui crediderunt, nec ceciderunt manentes in domo Ecclesiæ, sed tepide agentes, passer est in tecto, et clamat eis qui sub tecto, id est sub

(134) Ex Greg. in vii psal. pœniten.

carne torpent, cum ille sit super carnem. Unde Dominus in Evangelio dicit: *Qui in tecto est, non descendat tollere aliquid* (*Matth.* XXIV). Et alibi : *Quod in aure auditis, prædicate super tecta* (*Matth.* X). Vel per has aves Christus accipitur. Pellicanus dicitur, etsi non certum sit rostro pullos occidere suos, et triduo lugere, tunc rostro sanguinem suum super eos fundere, unde illi reviviscunt. Sic Christus occidit, ut Paulum persecutorem, et sanguine suo vivificat, juxta illud : *Ego occidam, et ego vivere faciam ; percutiam et sanabo* (*Deut.* XXXII). Dicitur autem habitare in solitudine, quod Christo proprie congruit, quia solus de Virgine natus est : post nativitatem vero, venit ad passionem, ubi a ruinis occiditur, id est a Judæis qui ceciderant excæcati. Sed et eos amat Dominus dicens : *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* (*Luc.* XXIV). Tunc ideo fuit quasi nycticorax in parietinis, sed qui in passione dormierat, vigilavit in resurrectione, et volando in cœlum factus est *sicut passer singularis in tecto,* [Cassiod.] id est in cœlo, ubi interpellat pro nobis. Vel diversa genera pœnitentium notat per has aves. Pellicano enim avi maciei nimiæ et solivagæ comparantur eremitæ. Nycticoraci vero similatur ille qui a publico remotus, dum alii nocte hujus sæculi dormiunt vigilat [Cassiod., Alcuin.] et sibi quærit escas mentis, qui si non inter homines, extra tamen est in alto dicens eis : Qui in nocte dormiunt. Vere passer est ille qui sagax ad alta virtutum fugit, ubi tutus est a laqueis ; qui solitarius vel unicus dicitur, propter charitatem quæ ex multis unum facit. Et dicitur esse in tecto, vel ædificio, propter altitudinem fidei, ut non descendat aliquid tollere de domo (*Matth.* XXIV).

VERS. 9. — « Tota die exprobrabant mihi inimici « mei ; et qui laudabant me, adversum me jura« bant. »

Tota die, etc. [Gl int.] Loquitur hic Christus. Quasi dicat : Quia occido et vivifico, ideo *inimici mei exprobrabant mihi tota die,* [Aug.] quia peccatores membra mea facio, ut cum dixerunt : *Quare magister vester manducat cum publicanis et peccatoribus?* (*Matth.* XIX) *Et qui laudabant me* ore palam, sed ficte, *adversum me jurabant,* id est conspirabant. Quare ?

VERS. 10. — « Quia cinerem tanquam panem « manducabam, et poculum meum cum fletu mis« cebam.

Quia cinerem tanquam panem manducabam, et poculum meum cum fletu miscebam, [Aug., Alcuin.] id est, quia hæc genera hominum in membris habere volui, scilicet pœnitentes qui significantur per cinerem et fletum. Cinis enim et cilicium sunt arma pœnitentium. [Alcuin., Cassiod.] Vel in persona justi totum accipi potest, quasi dicat : Ita frigor pro aliis et gemo. Et ad cumulum mali, tota die exprobrabant mihi inimici mei, quos diabolus aliter nequit perdere, arte quadam vult capere ; facit enim irrideri pœnitentes, quasi jurent in eorum detestatione irrisores, qui laudabant eos, dum cum eis erant sæculares. Unde subdit : Et qui me laudabant, dum cum eis fruerer sæculari vita, adversum me jurabant, id est conspirabant. Quare ? *quia cinerem,* [Cassiod., Alcuin.] id est reliquias peccatorum, *tanquam panem manducabam,* id est pœnitendo consumebam, quia etiam tenuia peccata, id est levia, per pœnitentiam sunt consumenda. *Et poculum meum cum fletu miscebam,* etsi hoc ad litteram accipi possit, magis tamen de calice Domini accipiendum est, quem lacrymæ faciunt dulciorem. Vel ita, quia cinerem, quasi dicat : Exprobrabant mihi inimici, sed non curabam, quia cinerem tanquam panem manducabam, id est in ipsa dejectione reficiebar ; adeo placebat mihi. Et poculum meum, id est temporalem jucunditatem, cum fletu miscebam. Vel poculum, id est desiderium cœlestis patriæ, pro dilatione, cum fletu miscebam, id est cum lacrymis miscui. Vel poculum, id est potum sacrarum Scripturarum, quæ antiqua recolunt, cum fletu miscebam, dum attendi bona quæ amisi, et mala quæ reperi. Hic autem fletus unde mihi est ?

VERS. 11. — « A facie iræ indignationis tuæ : quia « elevans allisisti me. »

A facie iræ et indignationis. [Cassiod.] Ira est ultio ; indignatio in nobis est motio animi, qua indignamur **219** etiam filiis. Ira autem est impetus in puniendo, quæ in Deum non cadit, sed est anthropopathos. Et est *a facie iræ tuæ,* [Aug.] id est ab instantia vindictæ, quæ in Adam fuit cum qua nati sumus. Hæc ira est de propagine iniquitatis de massa peccati. Unde Apostolus : *Fuimus et nos natura filii iræ* (*Ephes.* II). Et Dominus ait : Ira Dei manet super eos qui non credunt (*Joan.* III). Non ait veniet, sed, manet, quia non tollitur in qua natus est. *Et indignationis tuæ* quam merui actualiter peccando. [Gl. int., Aug.] Et loquitur hic Ecclesia. Et bene dico a facie iræ tuæ, *quia elevans* me, in honorem faciendo ad imaginem tuam, qua omnia animalia superamus, gravius *allisisti me.* Nihil enim habet hanc peccati miseriam, et gehennæ, nisi homo. Quod pecus plangit de peccato ? quæ avis timet gehennam ignis æterni ? quia nulla est ei participatio beatæ vitæ. Ideo nulli sunt stimuli miseriarum. Et vere allisisti, quia

VERS. 12. — « Dies mei sicut umbra declinave« runt ; et ego sicut fenum arui. »

Dies mei, qui sunt *sicut umbra,* id est obscuri et vani, [Gl. int., Aug., Cassiod.] *declinaverunt.* Sicut umbra, id est quasi inutiles transeunt. Quasi dicat : Quia ego a vero declinavi, similes mihi facti sunt declinantes dies mei, *et ego arui quasi fenum,* sine rore gratiæ.

PARS III. VERS. 13. — « Tu autem, Domine, in « æternum permanes ; et memoriale tuum in gene« ratione et generationem. »

Tu autem, Domine. [Cassiod., Alcuin.] Tertia pars, ubi ostenditur certitudo impetrandi veniam. Jam consurgit lapsus ad prophetandum, jam pœnitens caput relevat. Quasi dicat : [Aug.] Hæc ego

justo judicio tuo patior, sed tu viges, ut liberes qui A viguisti, ut me humiliares. Et hoc est : *Tu autem, Domine, permanes in æternum*. Ergo temporalem servet æternus. Non enim quia ego cecidi, tu senuisti. Viges ad me liberandum, quia viguisti ad me humiliandum. *Et memoriale tuum*, [Cassiod., Alcuin., Aug.] id est promissum memorabile de te, scilicet reparatio, qua tu nostri, vel nos tui memores sumus. Vel, memoriale tuum, id est memoria qua memor nostri es, quia non oblivisceris nostri. *Est in generationem* præsentem, *et generationem* futuram, quia promissionem habemus vitæ quæ nunc est et futuræ (*I Tim.* IV). Bene dico memoriale, nam

VERS. 14. — « Tu exsurgens misereberis Sion ; « quia tempus miserendi ejus, quia venit tem- B « pus. »

Tu exsurgens ad regnandum, [Aug.] qui quasi dormiens distuleras, *misereberis* prius *Sion*, id est Judæ. Unde apostoli et alii fratres fuerunt, quorum erat cor unum et anima una in Deum (*Act.* IV). Misereberis dico, *quia tempus miserendi ejus venit*, de quo dicit Apostolus : *Cum venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum de muliere, factum sub lege* (*Galat.* IV). Et repetit *quia venit tempus* acceptabile. Unde : *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis* (*II Cor.* VI). Et nota quod ait : Venit tempus. [Cassiod.] Hoc enim ideo ait, quia omnia ordine voluit fieri Deus, et tempus ad hoc disposuit, ubi opportunitas apte ordinata est. Et vere misereberis Sion. C

VERS. 15. — « Quoniam placuerunt servis tuis lapides ejus ; et terræ ejus miserebuntur. »

Quoniam placuerunt servis tuis, id est apostolis, *lapides ejus*, Sion, [Aug.] id est prophetæ firmi placent. Sunt enim in Sion lapides, sunt et non lapides, scilicet pulvis, terra. Unde subdit : *Et terræ*, vel pulveris *ejus miserebuntur*. Lapides placent servis, et ipsi servi miserentur terræ. Lapides sunt prophetæ, ibi præmissa est prædicatio, inde sumptum est evangelicum officium. Servi ergo, id est apostoli, agnoscunt in lapidibus, id est in prophetis eloquia Dei, et de terra formant imaginem Dei, dum terreni mundantur, quorum miserentur. Sicut ergo de pulvere terræ formatus est homo, ita D de pulvere ruentium parietinarum Dei imago reformatur (*Act.* II). Inde est quod misso Spiritu sancto multi crediderunt eorum qui Dominum crucifixerant ; de illo enim pulvere multa millia credentium venerunt, pretia rerum suarum ad pedes apostolorum ponentium (*Act.* IV). Sed non tantum hoc in Sion factum est, imo venit et alius paries de gentibus. Unde subdit :

VERS. 16. — « Et timebunt gentes nomen tuum « Domine ; et omnes reges terræ gloriam tuam. »

Et timebunt gentes. [Gl. int.] Quæ modo timere nesciunt, *nomen tuum, et omnes reges terræ* timebunt *gloriam tuam*, majorem sua. Ideo hæc,

VERS. 17. — « Quia ædificavit Dominus Sion : et « videbitur in gloria sua.

Quia Dominus ædificavit, vel ædificabit *Sion*, [Aug.] id est Ecclesiam. Hoc modo agitur, *et* tandem in ædificata Sion, *videbitur in gloria sua :* quod non modo, tunc videbitur gloriosus, qui primo visus est in illa infirmitate. Unde : *Vidimus eum non habentem speciem neque decorem* (*Isa.* LIII). Ædificavit Sion, quia,

VERS. 18. — « Respexit in orationem humilium ; « et non sprevit precem eorum. »

Respexit in orationem humilium, [Cassiod., Aug.] qui spiritu pleni orabant ut veniret. Hoc agitur in ædificatione Sion : orant, gemunt ædificantes, qui sunt unus pauper, et pauperes multi. Unde in titulo singulariter, hic pluraliter dicit ; sed unus dicitur propter unitatem pacis Eccelsiæ ; multi propter latitudinem. Ergo nunc oratur, nunc curritur, nunc cinis tanquam panis manducatur, et nunc potus cum fletu miscetur, ne in futuro sero quæratur, inaniter petatur, frustra pulsetur, foris remaneatur, cum quinque virginibus fatuis. *Et non sprevit precem eorum*, [Cassiod.] hoc est respicere, quod non spernere.

VERS. 19. — « Scribantur hæc in generatione « altera ; et populus qui creabitur laudabit Domi- « num. »

Scribantur hæc. [Cassiod., Gl. int.] Qui supra pœnitentia sordebat, jam honore Prophetæ decoratur. Præcipit hæc quæ dixit testimonio Scripturæ firmari, ut ætas futura ea discat. Quasi dicat : Dixi per Christum esse reparationem, per Adam destructionem. Et *hæc*, scilicet quod reparatio est per Christum, et destructio per Adam, *scribantur*, [Aug., Cassiod.] ut firmiter teneantur, vel habeantur *in generatione altera*, id est ad opus generationis novæ. Hæc enim quando scribebantur, non sic proderant generationi Veteris Testamenti ; prosunt vero alteri generationi, id est novæ. Unde subdit : *Et populus qui creabitur*. Nova creatura in Christo, non dico qui creatus est, *laudabit Dominum*, qui sibi subvenit. Unde Apostolus dicit : *Si qua in Christo nova creatura est vetera transierunt. Et ecce facta sunt omnia nova* (*II Cor.* V).

VERS. 20. — « Quia prospexit de excelso sancto « suo, Dominus de cœlo in terram aspexit. »

Quia prospexit, etc. [Aug., Cassiod., Alcuin.] Post gemitus dolentis, jam sunt verba consolationum ; jam gaudet pauper. Et nota quia supradixit, *ædificavit Dominus Sion*, et item, *scribantur hæc*. Modo utrumque declarat, scilicet quid dixit scribendum, et quomodo ædificavit. Hoc est enim quod dixit, scribendum, scilicet *quia prospexit*, [Aug. et Cassiod.] id est misertus est *de excelso sancto suo*, ut ad humiles veniret humilis, et sic ædificavit Sion. Et nota quia Propheta ut præterita dicit, quæ adhuc erant futura, [Gl. int.] deinde evidentius aperit quod dixerat, Dominus de cœlo

in terram aspexit. Ad quid prospexit? subdit, scilicet

VERS. 21. — « Ut audiret gemitus compeditorum, « ut solveret filios interemptorum. »

Ut audiret gemitus compeditorum, [Aug.] id est sanctorum, qui sunt compediti timore Dei et disciplina ejus. Timor namque Dei compedes sunt, in quibus gemunt sancti ad impetrandam misericordiam. Nisi enim compedibus timoris ligati essent martyres, dura et molesta a persecutoribus non sustinuissent. De his compedibus scriptura Sapientiæ dicit : *Audi, fili, et excipe sententiam meam, et ne abjicias consilium meum, et infer pedem tuum in compedes illius, et in torquem ejus collum tuum, et erunt tibi compedes ejus in protectione fortitudinis, et torques illius in stolam gloriæ* (*Eccli.* VI). Quas compedes solvunt qui martyres occidunt, et solutis vertuntur in gloriam, *ut solveret filios interemptorum*, [Aug.] vel mortificatorum (135). Nos autem sumus filii mortificatorum illorum, qui solvimur a nodis peccatorum, et a vinculis cupiditatum. Prospexit ergo Dominus in terram, ut audiret gemitus compeditorum, timore et disciplina ejus. Vel, compeditorum, peccatis, vel mortalitate. Ut solveret filios interemptorum, id est nos a peccatis. Unde alibi : *Dirupisti vincula mea* (*Psal.* CXV). Ad quid audiret et solveret? ad hoc,

VERS. 22. — « Ut annuntient in Sion nomen Do« mini ; et laudem ejus in Jerusalem. »

Ut jam *annuntient* [Aug.] (quod non licuit cum interficerentur compediti), *nomen Domini*, id est laudem de Dei essentia, *in Sion*, id est in Ecclesia ; *et laudem ejus* [Gl. int., Greg.] secundum opera, annuntient *in Jerusalem*, id est in Ecclesia. Ita annuntient

VERS 23. — « In conveniendo populos in unum, « et reges, ut serviant Domino. »

In conveniendo populos et reges terrarum, [Cassiod.] id est ut faciant populos et reges convenire *in unum*, id est in unitatem fidei et morum, [Aug.] quod fit sanguine mortificatorum, et compeditorum gemitibus qui auditi sunt. Ad quid? Ut serviant Domino.

[Cassiod.] Vel aliter ab illo loco : *Ut audiret gemitus compeditorum*. Compediti dicuntur sancti Veteris Testamenti, qui legalibus vinculis astricti non sunt usi noxia libertate, qui cum gemitu orabant, *ut Deus* mundum a peccatis solveret, et *ut solveret filios interemptorum*, id est filios eorum qui fraude diaboli sunt perempti a paternis erroribus liberaret, scilicet apostolos, et alios bonos de illo populo, qui fuerunt filii eorum, quos diabolus interemit, ut sic ipsi liberati, *annuntient in Sion nomen Domini*. Prædicit futura. Hoc enim in Sion factum est, dum ibi primum loquebantur apostoli variis linguis magnalia Dei (*Act.* II). Unde in generalem Ecclesiam cucurrit sermo eorum. Unde subdit : *Et laudem ejus annuntient in Jerusalem*, id est in generali Ecclesia, ita annuntient, *in conveniendo populos in unum, et reges ut serviant Domino*. Hæc non mutantur.

PARS IV. VERS. 24. — « Respondit et in via vir« tutis suæ : Paucitatem dierum meorum nuntia « mihi. »

Respondit. [Alcuin., Aug.] Quarta pars, ubi post certitudinem veniæ dicit quod de sua brevitate ad æternitatem transeat. Quasi dicat : Ut annuntient nomen Domini, et laudem ejus in Jerusalem. Et *respondit ei*, Domino, scilicet laus vel Jerusalem. Superiora verba indicant respondisse ei aut laudem aut Jerusalem. Supra enim memoraverat et laudem et Jerusalem, et populos et reges. Sed ad populos vel ad reges non potest referri, quia si referretur, dixisset responderunt, quia ergo singulari numero dicit respondit, intelligitur respondisse laus, vel Jerusalem : laus respondet, quando ei gratias agunt vocati ab illo, dum bene credunt vel bene vivunt, vel Jerusalem, non illa reproba quæ occidit prophetas, sed illa quæ multos filios parit, vocata respondet, non contemnit, sed fructum reddit. Ecce quid et cui respondit, et ubi respondit, *in via*, id est in Christo, scilicet in unitate fidei ejus, non **220** in se respondit, id est ex suis meritis. De se enim non esset vox nisi peccati, et qualiter respondit? *In via virtutis suæ*, id est in fide, qua resurrexisse credit Christum. Via enim virtutis suæ fuit Christus post resurrectionem, cum jam non est infirmus ut prius, cum fuit via infirmitatis : sed fortis in cœlo vocat Ecclesiam. Laus autem fidei est, non quia credit mortuum, quod et paganus credit, sed quia credit glorificatum. Respondit ergo ei, non voce, sed corde ; non lingua, sed vita ; in via, non infirmitatis, sed virtutis suæ, id est in fide Christi, qua credit eum non tantum mortuum, sed resurrexisse et ascendisse ad æqualitatem Patris. Dixi quod Ecclesia respondit Domino, et ubi et qualiter ; sed quia prævidit quosdam dicturos, fuit quidem quondam Ecclesia congregans omnes in unum ; sed jam desiit, inquit, *paucitatem* vel exiguitatem *dierum meorum*, non æternitatem illorum dierum ubi ero, sed temporales dies, scilicet quandiu ero in hoc sæculo, *nuntia mihi*. Hoc dicit propter illos qui dicunt jam non esse Ecclesiam. Non vacat vox ista, non est inanis hæc petitio. Ipsa enim via sic annuntiavit : vobiscum sum usque ad consummationem sæculi (*Matth.* XXVIII). Totum vero tempus usque ad finem sæculi, est illa exiguitas dierum, quia omne quod finitur exiguum est, ut inde transeatur in æternitatem. Dico nuntia. Et

VERS. 25. — « Ne revoces me in dimidio dierum « meorum ; in generatione et generationem anni « tui. »

Ne revoces me in dimidio dierum meorum, [Aug.]

(135) Ex Greg. in hunc psalmum.

id est fac ut in toto eo exiguo non desinam; non A sic fiat ut hæretici dicunt, usque in fidem sæculi, perduc me. Non ideo in dimidio dierum meorum me revoces, sed perfice mihi exiguos dies usque ad finem sæculi, ut postea des æternos. Cur autem de exiguitate quæris? quia *in generatione et generationem* sunt *anni tui*, id est quia licet illi dies usque in finem sæculi durent, tamen exigui sunt in comparatione tuorum qui non mutantur, qui æterni sunt.

[Cassiod.] Vel ita ab illo loco; *respondit*, etc. Quasi dicat : Annuntiant laudem ejus in Jerusalem, et ipsa Jerusalem, id est Ecclesia, *respondet ei*, Domino gratulando, et obsequendo præceptis ejus. Ubi? *In via virtutis suæ*. [Greg.] id est constantiæ suæ, non declinando a bono. Breviter hic diffinitur B religio Christiana, cum dicitur *in via virtutis*. Dico respondit, [Cassiod.] et respondendo oravit, hoc : O Deus, *annuntia mihi paucitatem*, vel exiguitatem *dierum meorum*, id est breve hoc tempus totius sæculi usque ad finem fac me attendere. Finem quippe sæculi cupit scire, ut cito ad beatitudinem veniat, nec petit noscere diem, neque horam consummationis, quod nemo potest scire, unde Dominus : *De die autem illa, et hora, nemo novit, nec angelus, nec Filius, nisi solus Pater* (*Matth.* XV). Desiderat autem scire utrum sæculum cito finiatur, ut sic transeat ad vitam. Pro quo subdit : *Ne revoces me in dimidio dierum meorum*, [Greg.] id est transactam vitam, vel ætatem peccatorum. Unde liberatus sum. Vel, ne revoces me in dimidio dierum C meorum, ne sinas me revocari a cursu cœlestium, ut hæream curæ temporalium, quin hos dimidios et futuros dies continuem. Et dicit hos præsentes dies, dimidium dierum, [Alcuin.] vel dies dicit quos in bono in præsenti agit vir sanctus, in quibus meretur præmium vitæ. Dies enim habet, qui eos hic in luce bonæ vitæ agit, sed non sunt nisi dimidii si non adduntur æterni. Et est : Quia tendo ad æterna, ne revoces me in dimidio dierum meorum, [Aug.] id est ut remaneam in his dimidiis diebus, sed adde dies gaudii. *In generatione generationum sunt*, alia littera, *anni tui*, est generatio generationum, quæ non transit, collecta de omnibus generationibus, id est sancti. Collectæ enim sunt sanctæ proles omnium generationum, et facta est inde una generatio generationum, quæ non va- D dit, nec præterit. In illa erunt anni Domini, qui non transeunt, scilicet æternitas Dei. Non enim aliud sunt anni Dei, aliud ipse; sed anni Dei, æternitas Dei est. Æternitas autem ipsa Dei substantia est, nihil habens mutabile, ubi nihil est præteritum, nihil futurum. Et est, dies mei sunt exigui, sed anni tui, id est æternitas tua, sunt in generatione generationum.

VERS. 26. — « Initio tu, Domine, terram fundasti; et opera manuum tuarum sunt cœli. »

Initio, tu Domine, [Alcuin., Cassiod., Aug.] Quasi dicat : Ne revoces me, quia ad æternitatem tendo, quam exponit, dicens, o *Domine, terram fundasti*. Et hoc, initio, quia æternitate tua præcedis omnia quæ fecisti. Sine initio enim ante creaturas exstitit. *Et opera manuum tuarum sunt cœli*, ad litteram. Alibi dicitur : *Verbo Domini cœli firmati sunt* (*Psal.* XXXII). Sed quod verbo facit, hoc et manu, id est virtute. Non est enim distinctus corporeis membris. Verbum autem Dei manus ejus est. Et

VERS. 27. — « Ipsi peribunt, tu autem permanes; « et omnes sicut vestimentum veterascent. »

Ipsi cœli *peribunt*, [Aug.] de cœlis proximis terræ. Hoc constat quod peribunt, secundum qualitatem. Unde et Petrus : *Terra autem et cœli qui nunc sunt, eodem verbo repositi sunt igni reservandi* (*II Petr.* III). De superioribus autem cœlis cœlorum non est certum, sed si manent, non in se, sed Deo manent. Vel mystice cœli sunt justi, qui sunt opera manuum ejus : qui secundum vestimentum, id est secundum corpus, peribunt, sed mutabuntur in melius. *Tu autem permanes* immutabilis. [Cassiod.] Sicut æternitatem Dei ostendit, creando omnia, sic manendo post mutata. *Et omnes* vel omnia, *sicut vestimentum veterascent*. Quasi dicat : Non de angelis accipi postest, sed de mutabilibus, scilicet de cœlis, ad litteram. Vel de sanctis, qui veterascent sicut vestimentum, id est secundum corpus quod more vestis consumitur,

VERS. 28. — « Et sicut opertorium mutabis eos, « et mutabuntur : tu autem idem ipse es, et anni « tui non deficient.

Et sicut opertorium mutabis eos. Cœlos accipe, qui omnia operiunt, qui etiam mutabuntur. Unde subdit : *Et mutabuntur*, [Cassiod., Aug.] mutata vel mutanda recte dicuntur, quia jam non subjacebunt corruptioni, sicut ante. *Tu autem* qui dixisti : *Ego sum qui sum* (*Exod.* III), *idem ipse es*, id est immutabilis et omnipotens. Licet enim omnia sint ex te, et per te, et in te, non tamen sunt quod ipse es, qui es mutans, non mutatus; faciens, non factus; movens, sed manens. *Et anni tui*, qui erunt in generatione generationum, *non deficient*; sed an ibi esse poterimus? utique. Audi quod sequitur :

VERS. 29. — « Filii servorum tuorum habitabunt, « et semen eorum in sæculum dirigetur. »

Filii servorum tuorum, etc. [Cassiod., Aug.] Hilaris conclusio est hic, qua dicimur ibi habitaturi. Quasi dicat : Anni tui non deficient. Et in tuis annis *habitabunt filii servorum tuorum*, [Aug.] id est prophetarum et apostolorum, nedum ipsi. Ita dicit hic filios habitare, (*Num.* XIV.) ut filii intraverunt in terram promissionis, non patres eorum : quod significat novos homines intrare in novam requiem, non veteres. Intraverunt tamen de illis patribus duo, scilicet Caleph et Josue, quia et in requiem veram intrant unus et unitas, id est Christus et Ecclesia, cum omni novitate filiorum. Dum ergo dicit filios habitaturos, et historiæ veteri allusit, et mysterium notavit. [Aug.] Vel filii sunt

opera bona, sine quibus nemo intrat. Filii ergo servorum tuorum habitabunt, id est servi per bona opera habitabunt, quasi per filios. Noli ergo esse sterilis, si vis habitare. Præmitte fetus operum, quos sequaris, qui te deducant ad terram viventium. Unde filius, scilicet Joseph, antecessit Jacob in Ægyptum. Et ait patri suo et fratribus suis : *Ego præveni parare vobis escas* (*Gen.* XLV). Ita ergo præcedant filii tui, id est opera bona tua, parare tibi epulas æternæ refectionis. Quales enim filios præmiseris, tales sequeris. *Et semen eorum*, [Greg.] id est opera. Unde fructus æternus metitur, *in sæculum*, id est in æternum, *dirigetur*. Hoc ideo dicit, quia nihil tortum intrat.

COLLATIO IN PSALMUM CI : « DOMINE, EXAUDI ORATIONEM, » ETC.

VERS. 4. — *Sicut cremium aruerunt.* Sententiam aliis verbis unam efferunt. Hieron., *quasi frixa contabuerunt.* Alii, *tanquam focus aut torris adusta sunt.* מוקד MOQED est a radice יקד JAQAD, id est *accendit, exussit, et frixit.* Hinc editio Romana, quam imitatur divus Augustinus, habet, *sicut in frixorio confrixa sunt.* Porro cremium secundum Arnobium, est sarmentum aridum, quod tamen vocat frixorium. Et hæc significantia plurimum quadrat Hebræo et Græco. Illud enim sonat *torrem adustum*, hoc vero *lignum aridum* φύγιον. Calepinus putat esse *cremium*, carnem in frixorio frixam, quæ quo magis torretur, ea magis virtus ejus et humor evacuatur.

VERS. 7. — *Sicut nycticorax in domicilio.* Hieronymus, Nebiensis, Munsterus, et Sanctes, pro *nycticorace*, ponunt *bubonem nocturnum*, similiter *avem*. Alii concordant LXX. Sed pro *domicilio* omnes habent *solitudines*, aut *ruinas*, sive *parietinas*. De his duobus quid sentiat Hieron. ad Suniam et Fretellam audiamus : « Quæritis quid significet nycticorax apud Latinos. In Hebræo pro *nycticorace*, verbum כוס cos scriptum est. Quod Aquila, et LXX et Theodotion, et quinta editio, *nycticoracem* interpretati sunt. Symmachus vero, *upupam*. Sexta editio *noctuam*, quod et nos magis sequimur. Denique ubi apud nos et Græcos legitur : *Factus sum sicut nycticorax in domicilio*, apud Hebræos dicitur, *factus sum sicut noctua in ruinosis*. Plerique *bubonem* contentiose significare putant. » Hactenus ille. Exquo arguere licet, vel ex hoc loco, Hieronymi versionem esse editam ob contentiosos Judæos. Nam vertit *bubonem*, quod tamen dicit se non sequi. Quid denique sit *in domicilio*, docet ubi superius, dicens quod in Græco δῶμα, velut ad versiculum, *sicut passer solitarius in tecto*, ubi scribit : « Et dicitis invenisse vos in Græco ἐπὶ δώματος, quod antiqui codices Latinorum interpretati sunt *in ædificio*, δῶμα in orientalibus provinciis, ipsum dicitur, quod apud Latinos *tectum*. In Palæstina enim et Ægypto, vel ubi scripti sunt divini libri, vel interpretati sunt, non habent in tectis culmina, sed domata : quæ Romæ vel solaria, vel meniana vocant, id est plana tecta, quæ transversis trabibus sustentantur. Denique et in Actis apostolorum, Petrus quando ascendit in doma, in tectum ædificii ascendisse credendus est. Et quando præcipitur nobis ut faciamus domati nostro coronam, hoc præcipitur, ut in tecto faciamus per circuitum quasdam eminentias, ne facilis in præceps lapsus sit. Et in Evangelio : *Quæ*, inquit, *auditis in cure, dicetis super domata*, id est *super tecta* (*Matth.* X). Et in Isaia : *Quid vobis est quod omnes ascenditis super tecta vana ?* (*Isa.* XXII.) Et multa hujusmodi. » Hæc Hieron. Jam idem adnotandum vigilanter venit quod doma quidem habetur in eo versiculo. *sicut passer solitarius in tecto*. In altero tamen, exemplaria quæ viderim legunt, ἐν οἰκοπέδῳ.

VERS. 9.— *Qui laudabunt me*, מהוללי MEHOLALAI, Hieronymus *exsultantes*. Alii quidam vertunt, *insanientes in me*. Allii, *deludentes me*. Certe apud Hebæos vox illa multiplex est.

VERS. 14. — *Quia venit tempus*. Conimiliter Hieronymus et alii ferme. Interpretes pro Cajetano, pro *tempus*, ponunt *testificatio*. Pratensis, *solemnitas*. מועד MOED.

VERS. 15. — *Terræ ejus miserebuntur*. Hieronymus verbum per nomen reddit, *pulverem ejus miserabilem*. יחננו JEHONENU. Ad Suniam et Fretellam, juxta LXX transfert *miserebuntur*, ac docet עפר APHAR posse interpretari, tam pro *terra* quam pro *pulvere*.

VERS. 17. — *Timebunt gentes nomen tuum, Domine*. **221** Hanc lectionem mutuati sumus ex psalmodia Romana. Siquidem Hebraice et Græce habetur, *timebunt gentes nomen Domini*. Nec vacillat sensus. וייראו גוים את שם יהוה VEIHREU GOIIM ETH SCEM ADONAI. Φοβηθήσονται τὰ ἔθνη τὸ ὄνομα Κυρίου.

VERS. 18. — *Humilium*. Hieronymus, *vacui*. Pratensis et Munsterus, *solitarii*; Sanctes, *eorum qui sunt sicut myricæ*; Pellicanus *vociferantis*; interpretes pro Cajetano, *suspirantis*; translator ad Campensem, *destituti*; Paraphrasis hujus *dolentis*; Nebiensis, *excitantis*. Si LXX aut Hieronymum relinquimus, quem sequemur ? Verumtamen quantum possumus colligere ex Hebraicis lexicis juxta vocabulum in Hebr. positum, oportet significantiam transumptive accipere, adaptando quod commodius est. Jam Sanctes in Thesauro linguæ sanctæ scribit, ערער AREAR esse *myricam* aut *juniperum*, ex rab. Da. plenius tamen et planius nobis satisfacit Hieronymus in Jerem. XVII ad illud : *Erit enim quasi myricæ in deserto*. Quæ, inquit, Hebraice dicitur ערער AREAR, sive ut interpretatus est Symmachus, *lignum infructuosum in solitudine*. Quæ respondens ad interpretationem LXX et suam, Siquidem celebratum est myricas esse arbores humiles, juxta illud vers :

Non omnes arbusta juvant, humilesque myricæ

(VIRG., *Eclog.* IV, 2.)

Deinde cum vertit Hier. respexit *ad orationem vacui*, quadrat interpretationi Symmachi, *de ligno infructuoso*. Denique Chaldæus assonat Vulgatæ editioni, *respexit ad orationem desolatorum*.

VERS. 24. — « *Respondit ei in via virtutis suæ*. Hieronymus et recentiores, *afflixit in via virtutem meam*. Atqui ענה ANAH et ענה INNAH apud Hebr. sonat et respondit, *humiliatus est*, *humiliavit*, ut non incongrue hoc aut illo modo reddatur. Quod autem efferimus, *virtutis suæ*, sub tertia persona, et Hebr. sub prima aliquoties admonuimus id accidere, ob cognationem iod et vau, quorum alterum in alterum parvo negotio migrat, quin haud raro unum sufficitur in vicem alterius. Sic enim non multo distant כחו COHO, et כחי COHI.

Paucitatem dierum meorum. Alii accipiunt per verbum קצר ימי QITZAR IAMAI, id est *abbreviavit dies meos*. At mox, *nantia mihi*. Hebræi sequenti versui copulant, per primam personam futuri. אמר OMAR, *dicam*. Sed legas אמר EMOR, habebis *nntia*, juxta nos, quoniam etsi sit alia punctorum notatio, manent tamen invariata elementa. Denique ubi legimus *mihi*, Hebræi nunc dicunt, *Deus meus*. Porro in *mihi*, et in hoc quod est *Deus meus*, prorsus eædem litteræ manent. Distinctio punctulorum facit varietatem. Nam אֵלִי ELI, *Deus meus*. Et אֵלַי ELI *ad me*, ubi etiam non discernitur prolatio, nisi dicatur אֵלָי ELATI ; quod melius est. Nec tamen mutatur ulla littera.

PSALMUS CII.

PSALMI TITULUS : « PSALMUS IPSI DAVID. »

Benedic, anima mea, Domino. Titulus : *Psalmus ipsi David.* [Cassiod., Aug.] Post preces pauperis, sequuntur præconia gaudentis. Omnes enim qui in Christo sunt, quasi unus homo sunt, qui hic loquitur et excitat atque hortatur animam suam, ut benedicat Dominum, volens diffinire cur sit benedicendus. Causam enim laudis supponit, ne quis ad hoc piger inveniatur. Et est sensus tituli : *Ipsi David*, id est Christo, fit iste *psalmus*, id est ista laus, quæ hic cantatur, Christo fit, et non alii. Intentio : Monet ad laudem, Modus : Tripartitus est psalmus. Prima Propheta per sua beneficia sibi a Deo collata, hortatur benedicere Deum. Secundo per ea quæ antiquis contulit, et posteris collaturus est, ibi, *faciens misericordias.* Tertio per cœlestes, et omnes alias creaturas, monet benedicere Deo, ibi, *Benedicite Domino*. [Aug., Alcuin.] Propheta in persona generalis justi loquens secundum superiorem vim animæ, id est rationem, exhortatur animam ad benedicendum, dicens : O

VERS. 1. — « Benedic, anima mea, Domino ; et « omnia quæ intra me sunt, nomini sancto ejus. »

Anima mea benedic Domino, [Aug.] id est lauda Dominum, qui dicit : *Sacrificium laudis honorificabit me* (*Psal.* XLIX). Clama ergo voce si homo est, qui audiat ; sine voce clama, si non est qui audiat homo, quia audit Deus. Deinde iterat expressius quod dixerat : *Et omnia quæ intra me sunt*, [Cassiod.] id est omnes cogitationes, omnes vires, nulla discrepent. Benedicat *nomini sancto ejus.* [Aug.] Nunquam enim deest qui audiat interiora, et ideo nunquam sileant. Item repetit :

VERS. 2. — « Benedic, anima mea, Domino ; et « noli oblivisci omnes retributiones ejus. »

Benedic, anima mea, Domino. [Aug.] Repetitio ad exhortationem valet. Dico benedicas, et ut semper benedicas, *noli oblivisci omnes retributiones ejus :* non sit ante oculos tuos delectatio peccati, sed damnatio peccati, et remissio Dei. Cogita omnia mala tua, quia quot ea sunt, tot bonæ retributiones sunt Dei. Non enim ante oculos poterunt esse omnes retributiones Dei, nisi ante oculos tuos fuerint omnia peccata tua. Et nota quod nos ait retributiones, sed retributiones ejus ; aliud enim debebatur, et aliud redditum est quod non debebatur. Tribuit homo mala pro bonis, et retribuit ei Deus bona pro malis, pro quibus bonis retribuit homo mala. Ecce bonum est, quia homo est, et quia vivit, et quia ad imaginem Dei est factus, pro quibus cum debuisset homo reddere Deo sui similititudinem, reddit dissimilitudinem. Et pro his malis reddit Deus bona, inspirando pœnitentiam, et præstando veniam. Et ideo alibi : *Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi ?* (*Psal.* CXV.) Tribuit, cum me fecit ; retribuit,

A cum justificavit. Hæ autem sunt retributiones, ipse est

VERS. 3. — « Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis ; qui sanat omnes infirmitates tuas. »

Qui omnibus iniquitatibus tuis propitiatur, remittendo eas. [Aug.] *Qui* post remissionem etiam *sanat omnes infirmitates tuas*, vel languores tuos, quia corpus infirmum est, et ex languore corporis multa suggeruntur animæ carnalia desideria : titillant, et quibusdam capitur anima ; sed non est timendum, quia sanat omnes infirmitates tuas, nunc fovendo blandis, nunc secando asperis. Omnipotenti enim medico nullus insanabilis languor occurrit, maxime autem in fine sanabit languores, quando hoc corruptum induet incorruptionem. Unde subdit

B VERS. 4. — « Qui redimit in interitu vitam tuam ; « qui coronat te in misericordia et miserationi« bus. »

Qui redimit vel redimet. [Aug.] Quasi dicat : Inde sanat omnes languores, quia ipse est *qui redimet* pretio sanguinis, *vitam tuam de interitu*, id est de corruptione, quæ tanta est in corpore, et aggravat animam quam impedit, ad ipsum Deum cogitandum, atque a sublimi intentione detorquent animam, sed finietur cum induet incorruptionem. Sanabit utique, qui ipse est, *qui* si viceris, etiam *coronat te* jam incorruptum, quod non est nisi ab ejus misericordia, unde subdit : Coronat dico, *in misericordia et miserationibus.*

C VERS. 5. — « Qui replet in bonis desiderium « tuum ; renovabitur ut aquilæ juventus tua. »

Qui etiam *replet desiderium tuum in bonis. Post* coronam non restat lucta, in qua juveris ; sed satiaris his, quæ hic desiderabas, ad quæ suspirabas. Quando erit hoc ? quando *renovabitur ut aquilæ juventus tua*. Quasi dicat : Hoc non est in præsenti, ubi nemo repletur, sed semper indiget. Sed quando renovata erit juventus tua ? et addit, *ut aquilæ*. Renovatur juventus aquilæ, sed non ad immortalitatem. Similitudino enim data est, quanta potest esse de re mortali ad immortalem. Dicitur aquila, dum senio gravatur, rostri immodice crescentis unco non posse os aperire, et cibum capere. Et inde languescit, sed quodam naturali modo collidit rostrum ad petram, et excutit rostri onus, quo cibus impediebatur, et
D redit ad cibum, et omnia reparantur ei, ut fiat juvenis. Sic et quod nos impedit comedere panem nostrum, petra aufert et excutit vetustatem, id est Christus, ut in eo renovemur, quibus vetustas claudit os oblitis comedere panem nostrum.

PARS II. VERS. 6. — « Faciens misericordias Do« minus : et judicium omnibus injuriam patien« tibus. »

Faciens misericordias Dominus. [Alcuin., Aug.] Secunda pars, ubi monet benedicere per ea quæ

facta sunt antiquis, et posteris fient. Quasi dicat : In futuro introibimus, satiabimur. Quid in via hic nobis est? nunquid deserimur? non, quia *Dominus* relinquens nos in deserto, sed ducens ad patriam et *faciens misericordias*. Sed misericordibus, de quibus dicitur : *Beati misericordes, quoniam illi misericordiam consequentur* (*Matth.* v); illi sunt qui diligunt inimicos, et in se peccantibus dimittunt. Hunc misericordiæ fructum Dominus scribens in terra, cum accusaretur adultera, exigebat (*Joan.* VIII). Ante enim in lapide scripsit Deus signans Judæorum duritiam, sed inclinatus in carnem scripsit in terra humanæ mentis fructum paritura. Inclinatio enim ipsius incarnationis humilitatem significat, per quam in Christianis misericordiæ fructum erexit. Hæc autem misericordia in omnes est facienda. Unde Apostolus : *Operemur bonum ad omnes*, etc. (Gal. VI.) Et illud : *Omni petenti tribue* (*Luc.* VI); et : *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum* (*Rom.* XII). Legitur tamen alibi : *Ne tradas peccatori, et ne suscipias peccatorem*, quæ prædictis adversa videntur. Sed in hoc quid videtur auctorum conflictu, duo sunt attendenda, natura et vitium. Naturam juva, vitium persequere. Ergo ne tradas peccatori, et ne suscipias peccatorem, id est non amore iniquitatis illius suscipias eum. Econtrario, *omni petenti tribue*; et *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum*, scilicet subveni naturæ, non juves peccatum; da operi Dei, non operi hominis. Nam quod homo est, opus Dei est; quod peccator est, opus hominis est. Sic qui dat justo pro alia causa, nisi quia opus Dei est, non dat justo. Ideo dicitur : *Qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet* (*Matth.* x). Hoc quoque misericordiam non impedit, si puniuntur mali. Puniendi enim sunt iniqui, non animo ultionis, sed dilectionis. Ubi autem potentior occurrit, nec potes corrigere vel monere, tolera; securus quod non erit impunitus; post misericordiam enim subdit, de judicio dicens : *Et* Dominus est faciens *judicium*. Unde : *Mihi vindictam et ego retribuam, dicit Dominus* (*Deut.* XXIII). Sed quibus? *Omnibus injuriam patientibus* ab his qui non sunt sui juris, id est qui non pertinent ad jura gubernationis ipsius qui patitur, in quos nequit disciplinam exercere. Deinde ostendens quæ antiquis fecit, subjungit :

VERS. 7. — « Notas fecit vias suas Mosi; filiis « Israel voluntates suas. »

Notas fecit vias suas Mosi. [Aug.] Per Mosen omnes sanctos accipe : uno posito omnes occurrunt; tamen eum ideo specialiter ponit, quia per eum data est lex, ut convincatur languidus, et prodatur in quinque porticibus quinque librorum legis, et non sanetur (*Joan.* v). Ut sic quærat medicum, et sanetur unitas in piscina, ad descensum angeli mota, id est in Christi passione, qui cum de cœlo descendit, a populo passus est. Lex ergo data est, ut superbus humilietur; humilis confiteatur **222** et sic sanetur. Et hæ sunt occultæ viæ, quas ostendit Deus Mosi; per quem legem dedit, ut abundaret delictum.

A *Et filiis Israel* veris, *notas fecit voluntates suas*. Et

VERS. 8. — « Misericors et miserator Dominus; « longanimis et multum misericors. »

Dominus est *miserator* actu, *et misericors* natura. [Cassiod.] Misericordiam necessario sequitur patientia. Unde subdit : *Et longanimis*, quia peccantes diu sustinet; *et misericors*, [Aug.] quia dat bona, et vocat multis modis. Vocat enim beneficiis creaturæ, vocat impertiendo tempus vivendi, vocat per lectorem, vocat per tractatorem, vocat per intimam cogitationem, vocat per flagellum correctionis, vocat per misericordiam consolationis. Et hoc *multum* quia et blasphemis est misericors, et vere misericors, quia

B VERS. 9. — « Non in perpetuum irascetur; neque « in æternum comminabitur »

Non irascetur in perpetuum, [Aug.] bonis scilicet. Ira est pro primo peccato, quam in hoc sæculo patimur; sed consolatur, promittens finiendam, *neque in æternum comminabitur*, [Gl. int.] de pœna æterna. Quod inde probandum est, quia

VERS. 10. — « Non secundum peccata nostra fe« cit nobis; neque secundum iniquitates nostras « retribuit nobis. »

Non secundum peccata nostra fecit nobis. [Aug., Cassiod., Gl. int.] Quasi dicat : Quod non merebamur, accepimus. Hoc omnibus convenit, quibus gratis bona præstat. *Neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis*, sed post offensam absolvit.

C Et vere,

VERS. 11. — « Quoniam secundum altitudinem « cœli a terra, corroboravit misericordiam suam « super timentes se. »

Quoniam corroboravit misericordiam super timentes se. [Aug.] Secundum quid? *secundum altitudinem cœli a terra*. Si cœlum potest abscedere a protectione terræ; et Deus poterit non protegere timentes se? attende aptam comparationem. Cœlum enim undique circa terram est. Inde etiam peccantibus lux provenit ad oculos; inde aer, inde spiritus, inde pluvia ad terram, inde fructus. Sine Deo defixit terra, sic protectio Dei manet super timentes se. Et quid fecit? ecce,

VERS. 12. — « Quantum distat ortus ab occiden-
D « te, longe fecit a nobis iniquitates nostras. »

Quantum distat ortus ab occidente, [Cassiod., Aug.] tam *longe fecit a nobis iniquitates nostras*. Quasi dicat : De tenebris facit lumen splendere. Quando enim peccatum remittitur, occidunt peccata, et gratia oritur : peccata tanquam in occasu sunt; gratia qua liberaris, in ortu est. Avertere ergo ab occasu peccatorum, et tende ad ortum gratiæ, et ita surgis et proficis. Fecit ergo longe a nobis iniquitates nostras, quantum distat ortus ab occidente, [Gl. int.] quando fecit ut illæ occidant, et gratia oriatur. Sed quare hoc fecit? gratis, non meritis. Et hoc est

VERS. 13. — « Quomodo miseretur pater filio-

« rum, misertus est Dominus timentibus se; quo- « niam ipse cognovit figmentum nostrum. »

Quomodo pater misereretur filiorum, [Aug.] etiam flagellis, ita, *misertus est Dominus timentibus se, quoniam ipse cognovit figmentum nostrum*, id est infirmitatem nostram. Novit quod fecit, quomodo lapsum sit, quomodo reficiendum sit, quomodo adoptandum sit, quomodo ditandum sit; [Cassiod., Aug.] a factura enim Creatoris repulsi, ipsi nos male finximus. Deinde exponit figmentum nostrum, subdens :

VERS. 14. — « Recordatus est quoniam pulvis « sumus, homo sicut fenum dies ejus; tanquam « flos agri sic florebit. »

Recordatus est quoniam pulvis sumus, [Gl. int.] quia etsi facti sumus imago tua, o Domine, pulvis tamen sumus, ariditate peccati. Vel secundum aliam litteram, quæ est : *Memento quoniam pulvis sumus*. [Aug.] Quasi dicat: Quod figmentum cognovit? nos infirmos, unde conversus ad Deum dicit : Memento quoniam pulvis sumus. Memento, id est perseveret erga nos misericordia tua, ne obliviscatur gratiæ tuæ. [Cassiod., Alcuin.] Dico pulvis est homo, et cito transit. *Homo sicut fenum*, quod hodie floret, et mox arescit. *Et dies ejus*, id est quod pulchrius habet, est *tanquam flos agri*, qui citius transit. Homo sicut fenum, et *sic efflorebit* homo, id est ad plus sic florebit, vel efflorebit, id est deflorebit. [Alcuin.] Est enim intentivum vel privativum. Vel ita, distingue litteram. Ostendit statum hominis, ne superbiat, dicens : Homo hoc habet quod sicut fenum est dies ejus. Homo enim sicut flos egreditur et conteritur, et fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet. Et tanquam flos agri sic efflorebit totus splendor humani generis, honores, divitiæ, etc. [Aug.] Flos feni est qui non est annuus, quod pulchrius est, cito cadit. Unde : *Omnis caro fenum, et omnis gloria ejus quasi flos feni; fenum aruit, et flos decidit : sed verbum Domini manet in æternum* (*Isa*. XL), Quod propter te factum fenum, id est caro est : ex te ergo pulvis es, sed ex misericordia illius aliquid. [Aug., Gl. int.] Unde subdit in sequenti : Misericordia autem Domini ab æterno, etc., quasi dicat : Homo est fenum, vel flos. Et vere

VERS. 15. — « Quoniam spiritus pertransibit in « illo, et non subsistet; et non cognoscet amplius « locum suum. »

Quoniam spiritus, [Haym., Aug.] qui est in illo, *pertransibit* ab eo. Ecce qui timebat, abiit. Hic enim est finis morientium, *et* illo exeunte, *non subsistet* homo. [Haym.] Vel ita : Spiritus existens *in illo* pertransibit ab eo, quia dum est in illo variatur, et post exit. Unde subdit : *Et non subsistet spiritus* in eo, *et non cognoscet amplius locum suum*, [Cassiod.] id est non revertetur ad corpus, in hoc mundo. Hoc dicit contra dementes, qui dicunt animas in hunc mundum redituras.

VERS. 16. — « Misericordia autem Domini ab « æterno usque in æternum, super timentes « eum. »

Misericordia autem Domini ab æterno. [Cassiod.] Quasi dicat : Talis est natura hominis, sed per misericordiam Dei æternus erit. Hic præsumptionem premit, inde spem statuit. Et hoc est, misericordia autem Domini ab æterno, id est cum mundus cœpit administrari, *et usque in æternum*, id est sine fine, *super timentes eum*, non super alios.

VERS. 17. — « Et justitia illius in filios filiorum « his qui servant testamentum ejus, »

Et justitia illius est *in filios filiorum*. [Alcuin., Aug.] Ecce misericordia et justitia simul, retributionem dicit super filios filiorum. Multi autem justi non habent filios, nedum filios filiorum; sed filii sunt opera. Filii filiorum sunt merces operum. Et est sensus : Misericordia illius est super timentes eum. Et justitia illius in filios filiorum, id est per misericordiam et justitiam ejus dabitur timentibus eum æterna merces pro bonis operibus, et ne omnes præsumant, subdit, *his qui servant testamentum ejus*.

VERS. 18. — « Et memores sunt mandatorum « ipsius, ad faciendum ea. »

Et qui memores sunt mandatorum ipsius, [Aug.] id est non ut memoriter tantum pronuntient; sed *ad faciendum ea*, id est ut agant quod didicerunt; quod si nimis multa tibi videntur, in duobus mandatis charitatis omnia implentur (*Matth*. XXII). Tene ergo radicem charitatis, et tota arbor est in te. Finis enim præcepti est charitas.

VERS. 19. — « Dominus in cœlo paravit sedem « suam; et regnum ipsius omnibus dominabi- « tur. »

Dominus in cœlo, etc. [Cassiod.] Prædicat judicium futurum, ne peccantes indolescant. Quasi dicat : Et debes esse memor ut facias, quia *Dominus*, [Aug., Gl. int.] id est Christus, qui descendit et ascendit, *in cœlo sedem suam* judiciariam, id est de bonis et malis judicabit in cœlo existens, qui prius in terra irrisus est; et ne impotentem putes; *et* id est quia *regnum ipsius dominabitur*.

PARS III. VERS. 20. — « Benedicite Domino, om- « nes angeli ejus, potentes virtute facientes verbum « illius, ad audiendam vocem sermonum ejus. »

Benedicite Domino. [Cassiod.] Tertia pars, ubi per cœlestes, et omnes alias creaturas, monet benedicere, incipiens ab angelis, et dicens : *angeli ejus*, [Alcuin., Haym.] non mali. Benedicite Domino, aggratulando dicit, non imperando vel monendo. Quasi dicat : Quod facitis amo. Et, o vos *potentes*, id est omnes potestates cœlestes, qui estis potentes *virtute*, non vitio, ut diabolus. Benedicite ei, vos dico, *facientes verbum illius*. [Aug., Cassiod., Gl. int.] Verbo Dei non es justus aut fidelis, nisi cum facis. Facientes dico, *ad audiendam vocem sermonum ejus*, id est humiles ad obediendum, non superbi, qui suum auctorem norunt et venerantur. Hi tales digni sunt benedicere, non alii. Vel facien-

tes ad audiendam vocem sermonum ejus, id est ad A hoc ut per vos nos audiamus, vestro exemplo instruamur.

VERS. 21. — « Benedicite Domino, omnes virtutes ejus, ministri ejus qui facitis voluntatem « ejus. »

Omnes virtutes ejus, [Gl. int.] Per hoc significatur ille ordo angelorum, *benedicite Domino*. [Cassiod., Haym., Aug.] Verbum toties iteratum concitat animos. Deinde generaliter de omnibus subdit : O *ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus*, non tantum dicitis, vos, benedicite. Malus enim etsi tacet lingua, vita blasphemat ; et si hymnum cantat, tamen multos intuentes mala mittit in blasphemias. [Alcuin., Aug.] Si ergo vis benedicere Deum, fac B verbum ejus, fac voluntatem ejus. Unde in Levitic. os turturis jubetur retorqueri ad axellas (*Levit.* I), ut quod habet in ore, ostendat in opere. Et ne te jactes qui facis voluntatem ejus, quia non est opus tuum, sed Dei. Ipse enim per te et in te bonum operatur.

VERS. 22. — « Benedicite Domino, omnia opera « ejus ; in omni loco dominationis ejus, benedic, « anima mea, Domino. »

Benedicite Domino, omnia opera ejus. [Aug., Cassiod.] Cum bene vivis, omnia opera ejus benedicunt. Vel, omnia opera, id est cœlestia et terrestria. Benedicite dico, *in omni loco dominationis ejus*; vel in omni loco sunt dominationes ejus. Sic ubi non dominatur, C ibi non benedicatur. (Aug., Cassiod.) Ubique est, ubique benedicatur : nullus excusatur. Sicut ergo nulla creatura, sic nullus locus laudi excipitur. *Benedic, anima mea, Domino*. Unde cœpit, ibi finit. Benedictio a capite, benedictio a fine. A benedictione profecti sumus, ad benedictionem redeamus, in ea regnemus. Per hoc notat eos qui bonis initiis bonum finem adjungunt.

223 COLLATIO IN PSALMUM CII : « BENEDIC, ANIMA MEA, DOMINO · ET OMNIA, » ETC.

VERS. 5. — *Qui replet in bonis desiderium tuum*. Recentiores ferme vertunt pro eo quod est *desiderium tuum, os tuum*. Translator tamen ad Campensem habet, *nobiscum desiderium tuum*. Constat autem locutionem esse metaphoricam, *implere os bonis*, quæ non rectius accommodatur alicui rei, quam desiderio. Hieronymus transtulit, *ornamentum tuum*. Siquidem id quoque sonat Hebræis עדיך EDIEC. Mens autem nostra nullis decoratur ornamentis, si bona abfuerint desideria.

Faciens misericordias. Hebraice צדקות TZEDAQOTZ, quod vertunt *justitias*. Id etiam significat *eleemosynam*. Unde Græce hic legitur, ποιῶν ἐλεημοσύνας Adde quod *facere judicium omnibus injuriam patientibus*, quæ clausula mox subnectitur, ad pios est *misericordia*, ad impios *justitia*.

VERS. 15. — *Spiritus pertransibit in illo*. Hieronymus, Nebiensis, Pratensis, et interpretes pro Cajetano cum LXX dicunt *spiritus*, ut habetur Hebraice רוה RUAH. Alii vertunt, *ventus pertransit eum*, ut referas ad florem, de quo in superiori versiculo. At vero Catholici interpretantur de anima, quanquam notum est RUAH apud Hebræos sonare, et animam et ventum, sicut apud Latinos spiritus, et apud Græcos πνεῦμα.

Et non cognoscet amplius locum suum. In Hebræo conversus est ordo, *et non cognoscet eum amplius locus ejus*. Illud certo certius est ולא יכירנו עוד קומו VELO IAKIRENNU OD MEQUOMO, non posse competere ipsi loco intellectum, nisi translatitie. Itaque si locus non amplius cognoscat spiritum, hoc est quod spiritus a corpore separatus, non ultra rediturus est ad illud corruptibile, quo rursum vivat secundum hunc sæculi statum. Sententia autem converso modo enuntiata, directo sensu patet. Sed et Sanctes tradit regulam lib. IV Institutionum Hebraicarum, quod in sacris sæpe verba per adversum intelliguntur, ac profert exemplum et sequenti psalmo, *super montes stabunt aquæ*, id est super aquas stabunt montes.

PSALMUS CIII.

PSALMI TITULUS : (136) « PSALMUS DAVID. »

Benedic, anima mea, Domino. Titulus : *Psalmus David*. Patet. (Alcuin., Cassiod.) Item in hoc psalmo Deum benedicere monet, sicut in præcedenti. Agit enim hic de laudibus Dei, materiam laudis assumens D ab operibus ejus, scilicet a cœlo et a terra, et ornatu eorum, de quibus hic psalmus agit. Totus tamen figuris rerum mysteriisque contextus. (Aug.) Etsi enim fere omnia hic ad litteram religiose possint accipi, sunt tamen plena mysteriis juxta litteram, ex visibilibus operibus quæ hic dicuntur, invisibilia Dei debent intelligi, sicut ex fabricæ mundialis magnitudine et pulchritudine, fabricatoris inæstimabilis magnitudo et pulchritudo potest perpendi et amari, ut sic tandem possit videri, tamen in omnibus spiritualis sensus quærendus est, et perscrutandus. Intentio. (Cassiod.) Monet ad laudem. Modus. Tripartitus est psalmus. Primo, monet benedicere Deum per cœlum et terram, et per omne ornamentum eorum. Secundo dicit quomodo Ecclesiam per mare sæculi traducit ad portum vitæ, ibi, *hoc mare*. Tertio promittit se cantaturum semper Domino, ibi *cantabo Domino*. (Aug.) Propheta ergo Dei magnalia quæ mente conceperat, narraturus, ipsius visionis exsultatione eructat, dicens : O.

VERS. 1. — « Benedic, anima mea, Domino : Do« mine Deus meus, magnificatus es vehemen« ter. »

Anima mea, benedic Domino, pro tantis beneficiis et muneribus quæ hic narrantur. *Deus, magnificatus es*. Proponit magnifica quæ dicturus est, id est proponit hic Deum magnificum esse, postea dicturus in quibus sit magnificus, in quibus omnibus non proprie nisi ipse auctor laudandus est, et convertens ad ipsum sermonem causam ostendit quare sit benedicendus. Quasi dicat : Ideo es benedicen-

(136) Ἀνεπίγραφος παρ' Ἑβραίοις.

dus, quia o Domine Deus, proprie Deus et meus, qui magnus es natura. Magnificatus es, in notitia mea *vehementer*. Unde magnificatus es, qui semper in te magnus, qui non potes crescere vel minui, quia perfectus es. Per hoc, quia.

VERS. 2. — « Confessionem et decorem induisti, « amictus lumine sicut vestimento. »

Induisti confessionem et decorem. [Aug.] Per hoc enim scitur quod ipse est magnus. In homine enim magnificatur per cognitionem, qui in se incommutabiliter magnus est, cujus magnitudo nec cœpit, nec desinit. Et est sensus : Induisti confessionem et decorem, *Amictus lumine sicut vestimento,* id est undique habes creaturas, quæ te confitentur, [Haym., Alcuin.] id est laudant, et quæ sunt decoræ et luminosæ. Vel ita, ut confessio in operibus sicut prius, decor vero in essentia notetur, sic, induisti confessionem, id est laudem creaturarum, et decorem, qui ineffabilis est in essentia. Et es amictus lumine sicut vestimento, id est lux undique tibi est, qui habitas lucem inaccessibilem (*I Tim.* VI), ad quam nemo per se valet accedere. Vel incarnationem significat, cum ait, induisti confessionem et decorem, [Cassiod.] id est carnem assumpsisti, per quam confessio, id est laus et decus supernæ majestatis innotuit. Et per hoc es amictus lumine sicut vestimento, quia per eamdem incarnationem homines eum confessi sunt, qui sunt lumen cognitione. [Aug.] Vel ita, induisti confessionem et decorem, id est Ecclesiam, in qua prius est confessio peccatorum : postea decus virtutum, ut placeat sponso, id est prius est in ea confessio peccatorum, per quam fœditatem deponit : deinde decor virtutum, per quem speciosa forma præ filiis hominum (*Psal.* XLIV). Et es amictus lumine sicut vestimento, id est Ecclesia : Ipsa enim est vestis sine macula et ruga (*Ephes.* V). [Aug., Cassiod.] Hæc est tunica inconsutilis, quæ non potuit dividi (*Joan.* XIX). Et ipsa est lux in Domino, etsi prius tenebræ (*Ephes.* V).

VERS. 3. — « Extendens cœlum sicut pellem ; qui « tegis aquis superiora ejus. »

Extendens. [Alcuin.] Hoc prius ad litteram. Quasi dicat : Quæ confitentur cœlum, terra, mare, cum omni ornatu suo, de quibus singulis subsequenter agit, et prius de cœlo, dicens : Tu es *extendens cœlum*. [Aug.] Ad litteram cœlum, quasi tectum mundi extendit Deus ; facit enim amplum firmamentum, ut tegat orbem terrarum. Hoc *sicut pellem*, id est non labore aliquo, ut tu, homo, tectum tuum extendis, sed tam facile ut pellem quis ; dum vero ait sicut pellem, [Cassiod., Aug.] designat ipsum esse etiam operturam omnium, quæ circa omnia est. Mystice etiam potest legi, et pendet ex illa sententia, qua supra dictum est eum induisse Ecclesiam. Quasi dicat : Induit Ecclesiam, sed quomodo hoc fecit ut hanc indueret ? Converso ad ipsum sermone exponit, tu es extendens cœlum sicut pellem. Figuratis sacramentis exponit quomodo Ecclesia facta est lux, et sine macula et ruga. Per cœlum enim Scriptura sacra accipitur. Per pellem quæ de mortuis animalibus detrahitur, mortalitas prædicantium accipitur. Unde primi parentes Adam et Eva post transgressionem facti mortales, induti sunt tunicis pelliceis (*Gen.* III). Verbum tamen Dei æternum est, et Deus apud Deum. Et quia in sapientia Dei non cognovit mundus Deum, per stultitiam prædicationis, id est per mortales prædicatores, qui stulti videbantur, salvat Deus credentes (*I Cor.* I), et in mortali homine facit cognosci Verbum immortale. Bene etiam pellibus comparantur prædicatores, quia sicut mortuis animalibus major usus pellium est, ita verbum Dei, non tantum per prædicatores, imo etiam post eos magis innotuit. Mortui enim sunt prophetæ et apostoli : quæ ante dixerunt, stant modo. Tenditur sermo eorum mortuorum, quia post mortem plus ipsi innotuerunt. Prophetas enim vivos sola Judæa habet ; mortuos omnes gentes, quibus extenditur eorum sermo, ut in eo legamus, postea ut liber plicabitur. Et est sensus : Quomodo fecisti ut indueres ? ecce tu es extendens cœlum, id est sacram Scripturam, ut tegat omnem orbem terrarum ; et per eam cognoscatur æternum Dei Verbum. Extendens dico sicut pellem, id est per mortales prædicatores. Verbum enim Dei, quod ubique erat, sed mundus eum non cognovit (*Joan.* I), per mortales cœpit cognosci, et post eos magis innotuit. *Qui tegis* vel protegis, *aquis superiora ejus* cœli. Hoc quoque ad litteram bene intelligitur. Sunt enim aquæ super firmamentum divisæ ab aquis quæ sub eo sunt, quæ perfundunt terram. Mystice superiora sacræ Scripturæ, quam supra cœlum diximus, charitas est : quæ est eminentior via, ut ait Apostolus. *Adhuc eminentiorem viam vobis demonstro. Si linguis hominum loquar et angelorum, charitatem autem non habuero, nihil sum* (*I Cor.* XII, XIII.) Aquæ sunt Spiritus sanctus. Unde Dominus in Evangelio : *Qui crediderit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ* (*Joan.* VII). Quod exponens evangelista addit : *Hoc autem dixit de spiritu quem accepturi erant credentes in eum* (*ibid.).* His igitur aquis teguntur superiora, id est per eum spiritum habetur charitas, sed non tegitur aliis nisi bonis. Unde in Proverbiis : *In plateis tuis discurrent aquæ tuæ, et nemo alienus communicet tibi* (*Prov.* VII). Et quia nullus in ea, vel in spiritu alienus communicat bonis, sicut in baptismo et in cæteris donis vel sacramentis. Alieni autem sunt omnes qui audiunt : *Non novi vos* (*Matth.* VII). Et est sensus : Tegis, vel protegis, superiora ejus Scripturæ, aquis, id est per Spiritum sanctum dans charitatem bonis, quæ tegitur malis. Vel per superiora accipiuntur duo præcepta charitatis ; per aquas intelligitur Spiritus sanctus, vel charitas ipsa. Et nota quia quod protegit, aliud quandoque ab eo sustentatur, et illud onerat ut tectum a parietibus. Aliquando ab eo quod tegitur, non sustentatur nec onerat ; sed ipsum sublevat : ita hic accipitur, cum ait : *Qui protegis*, id est sublevas, *superiora ejus*, Scripturæ, id est duo præcepta charitatis, *aquis*, id est charitate, vel divino

spiritu, quo facilia fiunt, quæ aliter essent difficilia. A Protegit enim Deus et sublevat divino spiritu vel charitate cœlum Scripturæ, cujus superiora sunt duo præcepta charitatis. [Alcuin.] Vel ita : Qui tegis aquis, id est spirituali sensu, superiora ejus, id est superficiem Scripturæ. Vel per aquas dona, per superiora charitas accipitur. Et est, qui tegis aquis superiora ejus, id est spiritualibus donis eorum munis charitatem, ne quid eos ab ea separare possit.

VERS. 4. — « Qui ponis nubes ascensum tuum; « qui ambulas super pennas ventorum. »

Qui ponis nubes ascensum tuum. [Aug.] Accipitur et hoc bene ad litteram, et mystice. Christus enim in nube ascendit, sic et sancti rapientur in nubibus obviam Domino (*I Thess.* IV); sic et spiritualiter et in B cœlum Scripturæ per prædicatores ascenditur, dum per eos non intelligentibus exponitur. Extensa est Scriptura, nec desunt nubes quæ in eam ducunt. *Qui ambulat super pennas ventorum*, ad litteram ventus est motus aeris, cujus velocitas per pennas signatur : sed Deus hanc velocitatem superat, qui ubique est præsens. Unde : *Velociter currit sermo ejus* (*Psal.* CXLVII), cito implens quidquid vult. Mystice venti sunt animæ; pennæ virtutes, quæ sunt in duabus alis, id est in duobus præceptis charitatis; sed charitatem omnium superat charitas Christi, et est, qui ambulas super pennas ventorum, id est excedis agilitatem cognitionis, vel charitatis sanctorum.

224 VERS. 5. — « Qui facis angelos tuos spiri- C « tus, et ministros tuos ignem urentem. »

Qui facis angelos tuos spiritus. [Aug.] Angelus officii nomen est, spiritus naturæ. Ex eo enim quod est, spiritus est; ex eo quod agit, angelus est. Ait ergo : *Qui facis angelos tuos spiritus.* Spiritus enim in substantia facit angelos cum mittit; [Alcuin.] *et ministros tuos* facis *ignem urentem*, [Aug.] id est ut sint ignis urens sicut in rubo (*Exod.* III), et in aliis fecit implere mysterium quod voluit. Vel ignem furentem, id est seraphim, qui sunt superior ordo, facis ministros tuos. Unde in Isaia : *Volavit ad me unus de seraphim* (*Isa.* VI), qui sunt superior ordo. Sic etiam mystice in Ecclesia spirituales facit nuntios verbi sui, et quasi ad terram mittit carnalibus loquentes, ubi nil judicant se scire nisi Jesum D Christum, et hunc crucifixum (*I Cor.* II). Et ardentes spiritu sunt ministri qui incendunt alios igne charitatis, et consumunt fenum vitiorum.

VERS. 6. — « Qui fundasti terram super stabili- « tatem suam; non inclinabitur in sæculum sæ- « culi. »

Qui fundasti terram super stabilitatem suam, [Aug.] forsitan ad litteram est aliqua firmitas nobis occulta, super quam terra firmatur; sed quod sequitur, non a Deo potest dici ad litteram, scilicet *non inclinabitur in sæculum sæculi*, sed ideo dicit Spiritus sanctus, in hoc psalmo difficilia secundum litteram, ut quæramus spiritualia. Spiritualiter vero Ecclesia super Christum fundata est, quæ non potest inclinari. De terra enim ad litteram, non potest a Deo dici, quæ legitur transitura. Et est, qui fundasti terram, id est *Ecclesiam*, *super stabilitatem suam*, id est Christum. Et ideo non inclinabitur in sæculum sæculi.

VERS. 7. — « Abyssus sicut vestimentum ami- « ctus ejus; super montes stabunt aquæ. »

Abyssus. (137) Hoc prius ad litteram sic, quasi dicat : *Non inclinabitur terra*, licet *abyssus sicut vestimentum* sit *amictus ejus* terræ. Omnis aqua diffusa per maria, per flumina, per antra occulta. Abyssus dicitur hæc, ut vestis terram circumdat, quæ tempore diluvii tantum excrevit, ut etiam montes operiret. Unde subdit : *Super montes stabilitatem aquæ* sed,

VERS. 8. — « Ab increpatione tua fugient, a voce « tonitrui tui formidabunt. »

Ab increpatione tua fugient aquæ, *et a voce tonitrui tui formidabunt* [Alcuin., Aug.] quia per terribiles ventos siccabuntur; sed quia dicit, *stabunt*, non steterunt, ut de præteritis solet dici, non præterita, sed futura nuntiat; præteritum tempus pro futuro solet poni in Scripturis : figura autem futuri dicere præterita, non facile occurrit. Mystice de diluvio persecutionum agit, quod Ecclesiam tanquam abyssus circumdat. Et est : Non inclinabitur Ecclesia in sæculum sæculi, licet abyssus persecutionum sit, amictus ejus sicut vestimentum; et etiam super montes stabilitatem aquæ persecutionum. Hoc enim diluvium persecutionum etiam montes depressit. Et quasi sub aquis, fuga latebant apostoli; sed hoc non diu, quia ab increpatione tua, Domine, aquæ persecutorum fugient a pressura montium, et a voce tonitrui tui, scilicet a voce Dei per apostolos, per nubes, per Scripturas facta, formidabunt aquæ. Mali enim comminatione judicii timebunt.

VERS. 9. — « Ascendunt montes et descendunt « campi, in locum quem fundasti eis. »

Ascendunt montes. [Aug.] Hoc prius de persecutionibus Ecclesiæ prosequendum est. Quasi dicat : Vere abyssus tribulationum circumdat Ecclesiam, quia *montes* non terreni, sed tribulationum fluctus magni ut montes, *ascendunt*. Ascendunt ut montes cum sæviunt fluctus, *et descendunt* ut *campi*, cum placati sunt. [Cassiod., Aug.] Superbos enim permittit Deus crescere quando vult, et cum vult humiliat, apta dispositione. Descendunt, dico, *in locum quem tu fundasti*. Fundavit enim eis locum. Est quidam metus quasi profundus locus, quo recepta sunt quodammodo corda malorum, id est quodam metu compressit. Corda servorum mala sunt, sed quietata. Et

VERS. 10. — « Terminum posuisti, quem non « transgredientur; neque convertentur operire ter- « ram. »

(137) Ex Aug. in 2 concione psalm.

Terminum, [Aug.] id est finem, *posuisti quem non transgredientur.* Finem namque impositum non possunt transgredi ; *neque convertentur,* id est redibunt *operire terram,* id est Ecclesiam, quia etsi leves fluctus assiliunt, terram tamen Ecclesiæ diluvio non operiunt, ut jam liceat Ecclesiæ libere prædicare. Etsi enim perstrepant adhuc et murmurent pagani, sonitus littorum audio, diluvium non perhorresco. [Cassiod.] Vel ad litteram potest legi, quasi aquæ diluvii per ventos terribiles cessaverint, quibus cessantibus ascendunt montes et descendunt campi, id est apparet altitudo montium et planities camporum, qui prius latebant sub aquis, qui sunt. Vel, apparuerunt in loco, vel locum, quem fundasti, ad litteram, id est competenter, [Alcuin.] ubi de unoquoque disposuit, vel disposuisti. Sicut B etiam de aquis diluvii fecisti vel fecit, quod nec terra eis immergitur, nec eis amodo eget. Unde subdit : Terminum posuisti aquis. Hoc de aquis diluvii. Quem non transgredientur aquæ, neque convertentur, id est non redibunt, operire terram. Vel aliter : [Haym., Gl. int.] Et accipimus montes in bono, sicut supra, scilicet apostolos et alios prælatos Ecclesiæ, per campos subditos, quasi dicat : Aquæ persecutionum formidabunt, quæ prius operiebant montes, et illis fugientibus eminent montes in salutem populorum. Et hoc est : *ascendunt montes,* id est prælati exaltati sunt libera prælatione, *et campi,* id est subditi, *descendunt,* voluntaria subjectione. Et isti et illi sunt, *in loco quem fundasti* eis, id est faciunt secundum dona quæ contulist C eis ; alios enim dedit prophetas, alios evangelistas, et hujusmodi (*Ephes.* IV). *Terminum posuisti aquis quem non transgredientur, neque convertentur operire terram.* [Alcuin.] Hoc non tantum de persecutionibus Ecclesiæ, sed et de ritibus gentilium potest accipi, qui in adventu Christi finiti sunt, ut jam mundum non occupent.

VERS. 11. — « Qui emittis fontes in convallibus ; « inter medium montium pertransibunt aquæ. »

Qui emittis. [Gl. int.] Ab isto loco mystice persequendum est. Quasi dicat : Terra, id est Ecclesia, nudata est aquis persecutionum, vel ritibus gentilium. [Aug.] Quid ergo sit in terra mundata ? Ecce tu es *qui emittis fontes* aquæ vivæ salientis in vitam æternam (*Joan.* IV), id est Spiritus sancti. *In con-* D *vallibus,* id est in humilibus qui dicuntur montes, propter spiritualem altitudinem ; convalles propter spiritus sui humilitatem. Et est sensus de humilibus subditis gratiæ : Etsi sint montes spirituali altitudine, fluunt fontes Spiritus sancti, qui super humilem et mansuetum quiescit (*Isa.* LXVI). Et aquæ *pertransibunt inter medium montium.* Per aquas, prædicationes, vel ipsi prædicatores verbi Dei accipiuntur, qui inter medium montium, id est inter medium apostolorum, pertransibunt. Et nota quod ait inter medium : medium commune dicitur, et quod æque ad omnes pertinet, non proprie cujusquam est. Unde dicitur de aliquibus hominibus : A *Habent inter se pacem (I Cor.* XIX), et hujusmodi, id est in medio sui est, id est communis illis est : sic aqua Dei, id est doctrina, non propria vel privata alicui est, sed publica. Aliter non est pacifica vel secura prædicatio. Non sit mea vel tua veritas, sed idem sentiamus, non sint in vobis schismata (*I Cor.* X). Unde Apostolus : *Sive ego sive illi sic prædicamus, sic credidistis* (*II Thess.* III). Et alibi : *Deus,* inquit, *pacis det nobis idipsum sapere* et fari (*Philipp.* IV), et ut id ipsum sapiatis omnes, et non sint in nobis schismata. Nulla ergo de aquis discordet a montibus. Si quis aliud dicit, de suo dicit, non de medio. Et hic talis mons non est audiendus, quia discedit ab aquis per medium currentibus, et aliquid proprium nititur influere (Gl. int.) Et est aquæ, doctrinæ, pertransibunt, quia non manent, et prophetia cessabit in futuro, (Haym., Aug.) Vel, aquæ, id est prædicatores verbi Dei, pertransibunt de gente in gentem prædicando. Aquæ dico, percurrentes inter medium, id est commune montium, id est sublimium prædicatorum, qui quantum ad se valles sunt. Et ideo dicit, inter medium montium, quia in eo est certa fides populorum, quod apostoli commune habuerunt. (Cassiod.) Vel montes sunt hæretici, inter quos aquæ, id est Scripturæ, bene dicuntur pertransire, quia decurrunt, nec eos fecundant, sed transeunt ab eis.

VERS. 12. — « Potabunt omnes bestiæ agri : ex« spectabunt onagri in siti sua. »

Potabunt. (Aug.). Quasi dicat : Aquæ pertransibunt inter medium montium ; et aquas has potabunt, *omnes bestiæ agri,* vel silvæ, id est gentes, quæ sub figura bestiarum intelliguntur, ut patet ex arca Noe, in qua omnes fuerunt, quæ figurat Ecclesiam, in cujus compaginis unitate omnes gentes colliguntur. Similiter et omnes fuerunt in disco Petri, ter ei submisso quatuor lineis, qui gerit personam prædicatorum. Quatuor enim lineis vas submissum est de cœlo Petro, ubi erant omnis generis animalia : et sonuit vox ei : *Surge, Petre, macta, et manduca* (*Act.* X). Omnes enim mactat Petrus, in eo quod mali sunt ; et manducat in corpus Ecclesiæ trajiciendo. Quatuor lineis submissum est, in figura quatuor partium orbis, ubi prædicandum erat Evangelium ; et baptizandi homines ter submissum est, ut in nomine Trinitatis baptismus fieret. Inde, scilicet ex ternario et quaternario, duodenarius numerus colligitur, qui est prædicatorum. Duodecim enim apostoli collecti sunt, electi a Domino, quorum prædicatione totus orbis, cujus quatuor sunt partes in nomine Trinitatis, vocatur, ut Ecclesia congregetur. Omnes enim erant in arca, omnes in disco, omnes mactat Petrus et manducat, omnes aquam fluentem inter medium montium bibunt, quam aquam *exspectabunt,* vel suscipient *onagri,* qui sunt silvestres asini, per quos significantur magni indomiti de gentibus qui sunt sine jugo legis ; sed et ipsi feri bibent has aquas cum timidis. Onager cum lepore, magni cum parvis, qui significantur

per bestias, sicut per onagros magni. Utrique autem de gentibus accipiuntur. Potabunt dico, vel suscipient, *in siti sua*, quia alius alio capacius, alius minus, quia in siti sua, id est secundum suam sitim, unusquisque capit. Temperata est hæc aqua omnibus, nullum terret, ut sonus Tullianæ vocis, et strepitus philosophorum. [Cassiod.] Vel, bestiæ sunt gentiles omnes, magni et parvi. Onagri autem sunt Judæi superbi. Et est, exspectabunt onagri, id est Judæi, in siti sua, bibere has aquas, quia superbi Judæi differunt bibere usque in tempus ultimum.

VERS. 13. — « Super ea volucres cœli habitabunt : « de medio petrarum dabunt voces. »

Super ea quæ dicta sunt, id est fontes convallium, et hujusmodi. [Cassiod., Aug.] Vel super, illos alia littera, id est montes, *volucres cœli habitabunt.* Non omnes aves, ad litteram, in montibus habitant, sed per eas significantur spirituales viri, qui non in cordibus suis, sed in montibus, id est in auctoritate prophetarum et apostolorum habitant. Hi sunt aves sacrificii, quas non divisit Abraham. Legitur enim in Genesi quod Abraham in sacrificio suo accepit arietem trimum, et vaccam trimam, et capram trimam, et turturem, et columbam (*Gen.* xv). Arietem et vaccam et capram divisit, et adversus se partes **225** constituit ; aves autem non divisit, et sedit ibi Abraham usque ad vesperam. Et tunc venit caminus et terror, et transiit inter divisa, et fecit hæc ad dexteram, illa vero ad sinistram. Mystice aries dux gregis prælatos Ecclesiæ significat ; vacca autem et capra, subditos. Sed vacca Judæos propter jugum legis ; capra gentiles, qui libere vagabantur, et amaro idololatriæ oleastro pascebantur. Aves autem significant spirituales viros, qui libero aere perfruuntur, et gaudent serenitate cœli, quarum ætas ibi tacetur, quia sancti æterna meditantes mente transeunt omnia temporalia. Hæ aves non sunt divisæ, quia soli sancti non dividuntur in hæreses et schismata. Aries qui præpositos significat, et vacca quæ Judæos sub jugo legis, et capra quæ gentiles significat, trina fuerunt, quia tertio tempore gratia revelata est. Hæc divisa sunt, et adversus se invicem partes constitutæ, quia hi omnes adversus se dividuntur per hæreses et schismata. In spiritualibus vero pax est, et eam in aliis, quantum possunt, servant. In vespera, id est in fine sæculi, venit caminus ; et terror, id est dies judicii, et transit caminus inter divisa, et facit hæc ad dexteram, et illa ad sinistram. Ita et de carnalibus Ecclesiæ divisis præpositis, vel subditis, ligna, fenum, stipula comburuntur. Ipsi autem propter fundamentum, cui nihil ante posuerunt, salvi erunt quasi per ignem ; alii vero qui fundamenta destruxerunt, in sinistra locati damnabuntur. Et hoc est, super ea, vel illos, id est super montes, scilicet prophetas et apostolos ; volucres cœli, id est spiritualia corda. Ideo enim addidit, cœli, ut notet sanctos ; habitabunt, quia ibi petras, id est firmamentum

A præceptorum inveniunt. Sicut enim illa una petra Christus verbum Dei est, sic multa verba Dei multæ petræ sunt, et istæ petræ sunt in montibus. Quicunque ergo vult esse spiritualis, ibi inhabitet, non in corde suo aberret ; sed ne putes has volucres suam sequi auctoritatem, quia *dabunt voces de medio petrarum*, id est non de sua, sed de auctoritate verborum Dei, in quibus sonat petra Christus, a quo etiam sui dicuntur petræ. Et quasi quis quæreret, ipsi montes et petræ unde habent ? subdit : Ipse est

VERS. 14. — « Rigans montes de superioribus « suis, de fructu operum tuorum satiabitur « terra. »

Rigans montes, [Aug., Haym., Gl. int.] id est
B apostolos et prophetas, *de superioribus suis*, id est de altioribus arcanis suis, non de aliis petris. Vel ita continua : *Emittis fontes in convallibus*. Tu dico, *rigans montes de superioribus tuis*, alia littera. Non mutatur sensus, nisi quod in secunda persona loquitur. Vel secundum aliam litteram, quæ est, *rigans*, etc. Quasi dicat : Emittis fontes, et cum prædicta facis, rigas etiam montes de superioribus suis, id est de altioribus ipsis montibus, id est de his quæ sunt altiora ipsis montibus. [Aug., Haym., Aug.] ab eis autem montibus etiam ad terram usque gratia descendit. Unde : *De fructu operum tuorum*, id est quæ tu in omnibus operaris, non enim sunt opera hominum, *satiabitur terra*, id est conversi. Nemo ergo glorietur in operibus suis, sed
C *qui gloriatur in Domino glorietur* (*II Cor.* x). Gratia enim Dei saturatur terra, non ergo dicat meritis suis gratiam datam fuisse. Si gratia datur, et gratis datur : si operibus redditur, merces redditur. Gratis ergo accipis, quia impius justificaris.

VERS. 15. — « Producens fenum jumentis ; et « herbam servituti hominum. »

Producens fenum. [Gl. int.] Hoc potest referri ad Deum, vel ad ipsam terram ; ad Deum, ita : De fructu operum tuorum, o Deus, qui es *fenum jumentis producens* ; ad terram vero refertur, terra satiabitur. [Aug.] Terra, dico, producens fenum, id est temporalia, jumentis, id est prædicatoribus, ut de Evangelio vivant, qui Evangelium annuntiant (*I Cor.* IX) ; nisi terra producat fenum, id est temporalia, non
D est irrigata, sed sterilis. Quod si facit, ipse est fructus. Deinde exponit quod dixerat. *Et producens herbam*, id est temporalia, *servituti hominum*, id est prædicatoribus, servis hominum pro Christo. Unde Apostolus : *Cum essem liber ex omnibus, omnium me feci servum* (*I Cor.* IX), quæ servitus est ex charitate, quæ facit humiles, quales non erant apostoli, tunc quando dictum est eis a Domino : *Calicem quidem meum bibetis ; sedere autem ad dexteram meam non est meum dare vobis* (*Matth.* xx), id est superbis, quod modo estis, sed humilibus, qui pro Christo servi hominum fiunt, utilitati fratrum intendentes. Hæc sunt jumenta quibus debetur herba ut merces, quia serviunt. De quibus dicitur : *Non alligabis os*

bovi trituranti (*Deut.* XXV), et : *Dignus est operarius mercede sua* (*Matth.* X). Debentur enim prædicatoribus temporalia, qui largiuntur spiritualia. Unde Apostolus : *Si seminavimus vobis spiritualia, magnum est si carnalia vestra metamus* (*I Cor.* IX); pro quibus dicitur : *Beatus* est qui præoccupat vocem petituri, id est *qui intelligit super egenum et pauperem* (*Psal.* XL). Non enim ita debes agere bovi trituranti, ut medico transeunti ; illi, id est mendico das, quia legitur : *Omni petenti da* (*Luc.* VI). Huic vero etiam non petenti dare debes. Vide ergo ne sic indigeat miles Christi, ut petat te, judicet, id est damnabilem ostendat, antequam petat. Sicut enim dicitur de illo qui te quærit : *Da omni petenti,* sic de eo prædicatore, quem tu quærere debes dicitur : *Desudet eleemosyna in manu tua, donec invenias justum, cui des* (*Eccli.* XXIV). Omni petenti ergo quicunque sit da, agnoscens in eo cui des. Sed multo magis da servo Dei, militi Christi, etiam non petenti. Unde et Dominus loculos habebat (*Joan.* XII), vel habuit in usus eorum qui cum eo erant, et suos et religiosas mulieres, in comitatu quæ ministrabant ei de sua substantia (*Marc.* XV). In his infirmorum personam magis suscipientes ; prævidit enim multos infirmos in comitatu futuros, et ista quæsituros, ut et ibi eorumdem personam suscepit. Ubi dixit : *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Matth.* XXVI), licet talia a suis Paulus non quæreret, et mori optaret. Sublimius tamen egit Christus, quia misericordius, ne infirmos damnaret ista quæsituros, quibus præbuit exemplum necessaria sumendi a subditis. Ut terra producat herbam servituti hominum, ad quid hoc est necessarium ?

VERS. 16. — « Ut educat panem de terra ; et, « vinum lætificet cor hominis. »

Ut ipsa terra *educat panem,* [Aug.] id est Christum *de terra,* id est de dispensatoribus veritatis, id est apostolis, et cæteris adhuc corpus terrenum portantibus, adhuc in terra ambulantibus. Vel ita, o Deus, tu es *producens fenum jumentis.* Ad hoc utique, *ut,* per eorum prædicationem, *educas panem,* id est Christum, *de terra,* id est de prædicatis, qui per majorum doctrinam credunt et confitentur. *Et* educat terra de prædicatoribus *vinum.* [Rem., Haym., Cassiod., Aug., Cassiod.] Vel tu Deus, educas de terra, id est de subditis, vinum, non quod conturbat hominem, sed quod *lætificet cor hominis,* Hoc vinum sic inebriat, ut sobrios reddat. Hæc ebrietas videtur in alienatione mentis a terra ad cœlum. Non est ergo hoc vinum actuale, quo male quidam inebriantur ; sed spirituale, interiorem hominem reficiens spirituali lætitia, id est Christus.

VERS. 17. — « Ut exhilaret faciem in oleo ; et « panis cor hominis confirmet. »

Ut exhilaret. Postquam dixit de pane et vino, quod educit terra de prædicatoribus, vel Deus de prædicatis, subdit etiam de oleo, [Aug.] cujus effectu ostendit, dicens : *Ut exhilaret,* ubi subintelligi oportet quod supra ostendimus, vel distinximus, scilicet ut educat terra etiam oleum. Vel tu, Deus, es producens fenum, ut educas etiam oleum. Ad quid educas oleum ? Ut homo exhilaret, id est lætificet *faciem* suam, id est mentem, *in oleo,* id est in quadam gratia Spiritus sancti, qua gratiosus efficitur apud alios. Unicuique enim datur spiritus, sicut ait Apostolus, ad manifestationem (*II Cor.* IV). Gratia ergo quædam, et nitor quidam, qui est ad homines ad conciliandum sanctum amorem ; oleum dicitur hæc gratia, excellentius fuit in Christo, unde ab omnibus laudatur, etiam ab eis qui se jussa ejus sequi non posse dicunt. Amatur ab omnibus, prædicatur ab omnibus, quia excellenter unctus est. Unde et dicitur Christus, id est *unctus.* Ecce Christus, id est unctus totus in se in membris, a quo cæteri accipiunt. Ut exhilaretur facies in oleo, *et panis* educitur. Postquam dixit quid efficiat vinum et oleum, subdit quid efficiat panis, cujus effectus supra non ostenderat. Quasi dicat : Educitur vinum, ut lætificet cor, et oleum ut exhilaret faciem. Et panis educitur, *ut confirmet cor hominis.* Temporalis panis stomachum confirmat, ventrem replet ; sed hic est spiritualis panis, qui confirmat cor, quia panis cordis est. Hic est panis qui de cœlo descendit (*Joan.* VI). Idem est ergo panis et vinum. Panis iste justitia est, vinum illud justitia est, veritas est Christus. Hoc lætificat et confirmat eos semper.

VERS. 18. — « Saturabuntur ligna campi et cedri « Libani quas plantavit ; illic passeres nidificabunt. »

Saturabuntur ligna campi. [Aug.] Quid fiat de istis omnibus eductis ostendit hic. Quasi dicat : De istis eductis de terra, scilicet pane et vino, et oleo saturabuntur ligna, id est plebes humiles prius ; *et cedri Libani,* id est potentes in sæculo etiam postea, quia prius electi sunt contemptibiles et ignobiles, quam sapientes et nobiles. Libanus enim interpretatur *candidatio*, non tamen aliæ cedri, sed *quas plantavit* Dominus in fide. Sed cur plantatis a se relinquit candorem sæculi ? quia *illic,* id est in cedris, id est in potentibus sæculi, *passeres nidificabunt.* Hæc sunt minuta volatilia, per quæ intelliguntur quidam spirituales, scilicet pauperes in sæculo, qui etiam minima sua reliquerunt, ut nudi sequerentur Jesum, ut apostoli, qui non solum dimiserunt quidquid habebant, sed etiam quidquid habere cupiebant ; et cum nihil habeant, omnia possident. Prorsus totum mundum dimisit Petrus, et totum mundum accepit. Etenim cedri Libani, scilicet nobiles et excelsi hujus sæculi, qui cum timore audiunt : *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem* (*Psal.* XL). Attendunt res suas, villas superfluas, copias, et præbent illas servis Dei. Et ita colligunt passeres, ut in cedris Libani nidificent.

VERS. 19. — « Herodii domus dux est eorum : « montes excelsi cervis petra, refugium herinaciis. »

Herodii, [Aug., Alcuin., Aug.] vel *fulicæ,* alia

littera, *domus*, etc. Passeres ædificant in cedris, et si in cedris Libani, id est divitibus sæculi passeres nidificent, non tamen cedri sunt superiores eis, quia fulicæ domus non ipsæ cedri, *dux est eorum*, passerum, vel eorum cedrorum, quia et hoc præmisit : quod tamen Latine dici non potest, quia cedri feminini generis sunt : hoc autem ad litteram, nullo modo potest dici. Domus enim, id est nidus fulicæ, quæ est avis marina, vel stagnensis, quomodo dux est passerum? Sed per hoc innuit spiritualia esse quærenda. Sciendum ergo quia domus fulicæ est petra, quæ in aqua est, quæ tunsa fluctibus frangit eos, sed non frangitur; fortis est hæc domus, sed non est in excelsis. Sic et nostra petra, id est Christus, tanta passus a Judæis integer mansit, quo nihil est fortius, nihil humilius. Illisi sunt Judæi in illum; fracti sunt, ille integer mansit. Ecce domus fulicæ. In cedris ergo, id est in divitibus sæculi muniti spirituales nidificant, propter præsentem necessitatem; sed petram habent Christum ducem, imitantes passionem ejus. Et si forte cedri moventur, volabunt passeres, sed non peribunt, quia fulicæ domus, id est petra Christus, dux est eorum passerum. [Cassiod.] Vel, sicut diximus, fulica est avis, quæ in aquis habitat. Hi sunt qui in gratia baptismi permanent, quorum domus est baptismus. Et est : quasi dicat : Qui sunt cedri? Qui sunt passeres? Illi qui baptizantur. Et hoc est, fulicæ domus, id est baptismus, qui est domus regeneratorum, dux est eorum, passerum, id est Christianorum, ad cœlos. Vel aliter secundum litteram nostram, herodii domus (138). Herodius rapacissima avis est, omnium volatilium major, qui et aquilam vincit, [Alcuin.] per quem intelliguntur rapaces, sed nec tales Dominus deserit. Et est, quasi passeres nidificant in cedris. Et dux eorum, passerum, est domus herodii, id est Christus, qui est domus rapacissimorum, **226** quia nec tales deserit. Vel aliter : per herodium, qui est avis rapax potest intelligi tribus Benjamin, de qua fuit Paulus, de quo dicitur : *Benjamin lupus rapax, mane comedet prædam, vespere dividet spolia* (*Gen.* XLIX), quia Paulus in adolescentia persecutus est Ecclesiam, et in vespere suæ ætatis spolia diabolo rapuit, prædicando. Et est : Non mirum si cedri plantantur, et passeres nidificant; quia domus id est genus, id est generatio herodii, id est Paulus, qui fuit de tribu Benjamin, qui dictus est lupus rapax, dux est eorum passerum et cedrorum, quia ipse conversus, alios plures ad fidem convertit. *Montes excelsi*. (Cassiod.) Quasi dicat : Domus herodii dux est passerum, et montes excelsi, id est altiora præcepta Scripturarum sunt firmamentum *cervis*. Cervi sunt magni spirituales transcendentes in cursu omnia spinosa sæculi. Hi sunt alti montes, quæ scilicet eminent in Scripturis altiora præcepta; cogitant enim sublimia, tenent eminentia, justificantur in summis. Vel montes sunt apostoli, prophetæ, ipse Christus qui sunt firmamentum cervis, id est spiritualibus. (Aug.) Quid autem est de humilibus bestiis *petra*, id est Christus, est *refugium herinaciis*. Vel, hericiis et *leporibus*, alia littera, id est timidis, et opertis minutis et quotidianis peccatis. Hericius enim spinosum animal est, et significat peccatores. Lepus animal timidum, et significat timidos. Leporibus ergo et hericiis qui non possunt alta tenere, factus est Christus refugium. Hæc petra multiplicem habet usum. In mari enim hæc petra domus est fulicæ, quia Christus in fluctuatione sæculi est domus illorum qui in gratia baptismi perseverant : in terra est refugium hericio et lepori, id est illis qui aliquo amore adhærent terrenis, et sunt quasi hericius et lepus. Est refugium herinaciis, in montibus, id est in magnis et spiritualibus est firmamentum. Hæc est enim petra, de qua ut supradictum est, volucres cœli dant voces.

VERS. 20. — « Fecit lunam in tempora; sol cognovit occasum suum. »

Fecit lunam, ad litteram. (Cassiod., Alcuin.) Post terrena transit ad cœlestia, quæ tamen terræ faciunt, id est serviunt. Et quia historiæ littera manifesta est, allegoricum sensum prosequamur. Sciendum ergo est, quia post tot genera Christianorum, quæ per genera animalium significavit, et post prædictam ordinationem prælatorum et subditorum, ascendens subjunxit de Christo et Ecclesia, quomodo scilicet hic est temporaliter Ecclesia, et crescit et decrescit, et quid facit ortus et occasus veri solis, id est Christi. (Aug., Cassiod.) Quasi dicat : Hæc prædicta ita ordinavit Deus. Et ipse *fecit lunam*, id est Ecclesiam, *in tempora*, quia temporaliter transit, nec semper sic erit. Nec mirum si transit; nam et *sol* id est Christus, *cognovit*, id est approbavit, placuit ei. Vel cognovit, id est præscivit, *occasum suum*, (Aug.) id est passionem, quæ bene occasui solis comparatur. Sol enim sic occidit ut oriatur, ita qui dormit, id est Christus, non adjiciet ut resurgat? Occidit quia voluit, nemo tollit animam ejus. Cum autem occidit, tenebræ factæ sunt in apostolis, quia defecit spes eorum.

VERS. 21. — « Posuisti tenebras et facta est nox; « in ipsa pertransibunt omnes bestiæ silvæ. »

Posuisti tenebras. (Cassiod.) Quasi dicat : Vere occidit sol, quia eo occidente *posuisti tenebras, et facta est nox* in apostolis, scilicet ut in Petro, qui negavit. Ad litteram etiam, posuisti tenebras, sexta hora qua crucifixus est Dominus (*Matth.* XXVII). Et facta est nox, id est obscuritas, quia tenebræ illæ densæ fuerunt ut nox. (Alcuin., Aug.) Vel ita, occumbente vero sole, posuisti tenebras, id est cæcitatem in Judæis. Et facta est nox in eis, id est obscura mentis obstinatio. Et *in ipsa* nocte *pertransibunt omnes bestiæ silvæ*. Non ita accipiuntur hic bestiæ silvæ, ut supra. Supra enim accipiuntur bestiæ silvæ

(138) Ex Hier. hic et Zachar.

conversi, hic dæmones, ut Christus dicitur leo, et diabolus leo (*I Petr.* v). [Haym.] Quos autem generaliter dixerat bestias, demum in catulos dividit et in leones, dicens :

VERS. 22. — « Catuli leonum rugientes ut rapiant, « et quærant a Deo escam sibi. »

Catuli leonum pertransibunt *rugientes*, id est frementes. [Aug.] Sunt enim principes dæmoniorum, sunt etiam catuli, id est contemptibilia dæmonia, quæ in tenebris quærunt seducere animas. Ipse major est leo, qui semper circuit quærens quem devoret (*I Petr.* v), pascuntur autem erroribus hominum. Cibus enim serpentis est terra (*Gen.* III). [Cassiod.] Bestiæ et catuli ergo sunt dæmones, qui tempore passionis Christi invenerunt corda titubantium apostolorum, *ut rapiant*. (Aug.) Quasi dicat : Pertransibunt ad hoc utique, ut rapiant *et quærant a Deo escam sibi*, quia nec tentare possunt, nisi Deo permittente.

VERS. 23. — « Ortus est sol, et congregati sunt, « et in cubilibus suis collocabuntur, »

Ortus est sol. [Alcuin., Cassiod., Aug.] Postquam dixit quid fecit occasus veri solis, subdit de ortu, et quid faciat ipse ortus. Quasi dicat : In nocte pertransibunt catuli sed Christo resurgente, quia in omnibus non possunt, vel in cubilibus, id est in cordibus pertinacium permanent. Et hoc est quod dicit, *ortus est sol*, id est Christus recepit animam quam posuit, *et congregati sunt* catuli leonum, quia recedunt a persecutione Ecclesiæ in toto orbe clarificato Christo. Quibus enim ortus est sol, non audent eos invadere leones, qui habent signum thau scriptum in frontibus suis, ut illi qui in Ezechiele hoc signo sunt liberati (*Ezech.* XIX.) (Alcuin.) Et nota quia sicut in occasu Christi, pertranseunt catuli leonum, et in ortu congregantur, sic Christo in aliquo occidente per peccatum, vigent mala, eodem resurgente per gratiam fugiunt. *Et in cubilibus suis*, (Aug.) id est in cordibus infidelium, *collocabuntur*, nisi jam facient impetus in sanctos.

VERS. 24. — « Exibit homo ad opus suum : et « ad operationem suam usque ad vesperam. »

Exibit homo ad opus suum, (Hier.) ut incipiat bene operari ; *et ad operationem suam*, ut continuet perseverando *usque ad vesperam*, id est usque ad finem sæculi, quia jam licet in securitate pacis bona operari ; sed in vespera, id est in fine mundi, erit contenebratio et gravis impetus.

VERS. 25. — « Quam magnificata sunt opera tua, « Domine ! omnia in sapientia fecisti ; impleta est « terra possessione tua. »

Quam magnificata, etc. (Aug.) His omnibus inspectis, omnis homo credens magno exsultat gaudio, admiratur, non potest eloqui. Admirando ergo exclamat : Quia hæc prædicta fecisti, ergo o *Domine*, magnificata sunt, id est magna sunt et multa. Et, quam magnificata ! quod non potest explicari, *Opera tua* quæ ad litteram, supra exposita sunt. Vel mystica ubi facta ? Unde præcesserunt hæc tam

A magna ? Ecce *omnia in sapientia*, id est in Christo *fecisti*. Et quia multa sunt *impleta est terra possessione tua*, vel, creatura tua, alia littera. Ad litteram, per Christum Deus Pater creavit quidquid est in terra, et in mari et in cœlo (II *Cor.* v). Sed quod hic dicit melius mystice accipitur de nova creatura, quam eruit a veteri homine Christus : qua implevit orbem terræ, id est Ecclesiam. Granum enim frumenti cadens in terram multum fructum attulit (*Joan.* XII). Ante singulariter, erat donec transiret (*Psal.* CXL), sed quando per passionem transivit, drachmam perditam invenit, et ovem errabundam ad gregem reduxit : unde gaudium est (*Luc.* XV). Sed tamen adhuc est peregrinatio, adhuc sæculum quatitur fluctibus tentationum, et tempestatibus tribulationum. Unde subdit :

B PARS. II. VERS. 26. — « Hoc mare magnum, et « spatiosum manibus ; illic reptilia, quorum non « est numerus. »

Hoc mare. [Alcuin., Aug., Haym.] Secunda pars, ubi dicit, quomodo Ecclesiam per mare sæculi Dominus traducit ad littus patriæ. Quasi dicat : Impleta est terra creatura tua ; sed nondum sumus in terra viventium, ubi est portio nostra, imo *mare*, id est sæculum adhuc est transeundum. *Hoc* autem *mare magnum* est *et spatiosum manibus* exercendis. [Aug.] Difficile enim est ibi operari ; et *illic*, id est in illo mari sunt *reptilia*, id est mali spiritus, quorum insidiæ serpunt, *quorum non est numerus* quia innumeræ insidiæ repunt in hoc sæculo, et incautos occupant, adhuc in his amaris aquis sunt. C

VERS. 27. — « Animalia pusilla cum magnis : « illic naves pertransibunt. »

Animalia pusilla cum magnis, (Aug.) id est infideles, pusilli et magni. Multi enim primates sæculi, et multi pusilli sæculi nondum crediderunt : oderunt Ecclesiam, premuntur Christi nomine ; non sæviunt, quia non permittuntur. In manus non erumpens, in corde est clausa sævitia. Et licet in hoc mari sint tot pericula, datum est tamen nobis lignum crucis, in quo transnavigemus. Et hoc est quod sequitur. Tamen quamvis sit magnum *illic*, id est in illo mari, *naves* id est Ecclesiæ *pertransibunt*, vel, commeabunt. Has naves gubernat Christus ligno crucis. Vigilet ergo Christus in corde nostro, et tuti simus. D

VERS. 28. — « Draco iste quem formasti ad illu« dendum ei ; omnia a te exspectant, ut des illis « escam in tempore. »

Draco iste. (Aug.) Et præter hæc animalia est etiam in illo mari, quod superat ea omnia, scilicet *draco*, qui et leo dicitur, id est serpens antiquus, qui primos parentes dejecit, cujus caput, id est primam suggestionem, Ecclesia conterit, et sic cæteros motus evadit. Ipse observat calcaneum ejus, id est lapsum a via Dei, ut sic possideat. Unde in Genesi dicitur serpenti ; *Inimicitias ponam inter te et mulierem* (*Gen.* II) ; ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus. (Alcuin.) Qui draco alibi

dicitur Lucifer, alibi Leviathan, qui cæteris in essentia excelsior factus est, in malitia major; sed nec ipsum draconem timebunt naves, imo illudent ei. (139) Et est sensus : Præter alia animalia, in hoc mari est draco *iste*, quem, o tu Deus, *formasti*, secundum substantiam, in qua bonus erat in empyreo locatus; sed vitio suo inde cadens, factus est hic *ad illudendum ei*, id est ad hoc cadens de cœlo, factus est hic, id est in hac inferiori habitatione, ut illudatur ei ab angelis Deì. Dicitur enim in Job : *Illudi Satanæ ab angelis Dei, qui sunt præpositi super aerias potestates, ne noceant nobis* (*Job* XL), *omnia*, quasi dicat : Hæc prædicta sunt in mari, sed hæc omnia, id est creatura nova, et reptilia, et animalia, et draco *a te exspectant ut des illis escam in tempore*, quia nil possunt nisi permittas. Quid exspectant? Ut des illis escam in tempore opportuno, [Aug.] quod quidam interpretes addunt : *Habet justus cibum suum; habet draco cibum suum*; cibus draconis, terra est, quia dictum est ei : *Terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ* (*Gen.* III); [Alcuin., Aug.] quia qui terrena amant, cibus diaboli sunt. Cibus autem justi, est verbum Dei. Unde : *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei* (*Matth.* IV). Si ergo bene vixeris, cibum Christi habebis. Si vero a Christo recesseris, cibus draconis eris.

VERS. 29. — « Dante te illis, colligent : aperiente « te manum tuam, omnia implebuntur bonitate. »

Dante te. [Aug.] Quasi dicat : Exspectant ut des *et dante te illis*. Vel, *cum dederis illis*, alia littera, id est dæmonibus *colligent*, ante non possunt colligere, nec tentare. Deinde addit, et de cibo nostro, quasi dicat : Dante te illi colligent, sed *aperiente te manum tuam*, etc. Manus est Christus, quæ aperitur cum revelatur. Unde : *Et brachium Domini cui revelatum est?* (*Isa.* LIII.) Revelatio enim apertio est. Et te eum aperiente, id est revelante, *omnia implebuntur bonitate*, quam non a se habent, quod aliquando probatur illis, scilicet quod non a se habeant, sed a te, quia te averso turbantur. Unde subdit :

VERS. 30. — « Avertente autem te faciem turba« buntur, auferes spiritum eorum et deficient : et in « pulverem suum **227** revertentur. »

Avertente te autem faciem turbabuntur, etc. [Cassiod.] Vel manus est potestas Dei, quæ abunde replet omnia. Ergo *aperiente te manum tuam*, id est potestatem tuam, *omnia implebuntur bonitate; Avertente autem te faciem turbabuntur*. [Aug.] Multi impleti bonitate Dei, sibi tribuerunt quod habebant, et facti sunt sibi placentes. Volens autem eos probare Deus, quod non a se habent, sed a Deo, ut cum bonitate habeant humilitatem aliquando eos perturbat, avertit ab illis faciem, et cadunt in tentationem. Et ita ostendit illis, quia quod justi erant, et recte ambulant, eo regente fiebat. Sed quare turbas? Ecce per hoc *auferes spiritum eorum*, id est superbiam; *et deficient* omnino, ut convertantur, et ut clament : Defecit spiritus meus; *et* de peccatis pœnitentis *in pulverem suum revertentur*, id est se esse pulverem cognoscent. Invenit enim se homo terram pœnitens de peccato, et ablato spiritu eorum,

VERS. 31. — « Emitte spiritum tuum et creabun« tur : et renovabis faciem terræ. »

Emitte, vel, emittes *spiritum tuum*, [Cassiod.] id est, Spiritum sanctum, qui creat novos. Et nota quia pulvis suus illorum dicitur, quia ex se habent quod sunt pulvis. Spiritus vero Domini, ecce medicina reversis in pulverem [Aug.] Dico emitte spiritum. *Et* eo emisso *creabuntur* in operibus bonis. Unde Apostolus : Ipsius figmentum sumus, creati in operibus bonis (*Ephes.* II) : *et renovabis faciem terræ*, novis hominibus confitentibus, quod a te, non a se, boni sunt. Et quia ex Deo omnia bona, ergo

VERS. 32. — « Sit gloria Domini in sæculum; læ« tabitur Dominus in operibus suis. »

Sit gloria Domini. [Aug., Gl. int.] Et non ad tempus, sed *in sæculum*, id est, in æternum; *et lætabitur Deus in operibus suis*, non in tuis, sed *in suis*, scilicet quæ in eis facit. Qua littera illa faciat, subdit, scilicet,

VERS. 33. — « Qui respexit terram, et facit eam « tremere; qui surgit montes et fumigant. »

Qui respicit misericordia *terram* humanæ mentis, [Aug.] quæ exsultabat de bonitate sua, et sibi vires opulentiæ suæ tribuebat, quam Deus respicit, *et facit eam tremere*. Melior est tremor humilitatis, quam confidentia superbiæ. Unde Apostolus : *Cum tremore operamini vestram salutem* (*Philip.* II). Deus enim est, qui operatur omnia in nobis. Et ipse est *qui tangit* compunctione, vel amissione rerum, *montes*, id est eos qui superbi erant, jactantes se, *et* tacti *fumigant*, id est precem Deo reddunt, qui ante se rogari volebant, et superiorem non rogabant; [Aug.] sed modo rogant, et sacrificium cordis fumigat ad Deum. Incipit etiam flere, quia et fumus excutit lacrymas.

PARS III. VERS. 34. — « Cantabo Domino in vita « mea, psallam Deo meo, quandiu sum. »

Cantabo Domino. [Cassiod.] Tertia pars, ubi promittit se semper cantaturum. [Alcuin.] Quasi dicat : Hæc prædicta fecit Dominus, et his inspectis *cantabo Domino*, id est laudabo Dominum, *in vita mea* præsenti, et futura, spei et speciei. [Aug.] Modo enim spes est vita nostra; post vita æterna erit vita vitæ mortalis. Spes enim est vitæ immortalis. Quidquid ergo cantat, in vita cantat. *Psallam Deo meo quandiu sum*, quia in illo sine fine sum. Psallam quandiu, scilicet, id est sine fine. Hoc ideo dicit, ne putetur alius esse actus illius vitæ, quam psallere, quia non potest venire in fastidium, qui laudatur

(139) Ex Aug. hic et in Gen. lib. II, cap. 22; et Strabo, ut refertur in 2, sent. 2.

non venit in fastidium laudare ipsum, sed semper A laudatur, semper amatur. Et ut.

VERS. 35. — « Jucundum sit ei eloquium meum, « ego vero delectabor in Domino. »

Eloquium meum. [Aug.] Quo me ei indico scienti, ut se mihi indicet nescienti, *sit ei jucundum*, et revera est, quia suavis est Deo confessio tua. Alia littera habet : Suavis est ei disputatio mea, idem sensus. Disputatio enim hominis ad Deum est confessio peccatorum quæ suavis est Deo. Confitere ergo Deo, quod es; fac bona opera, et disputas. Unde Isaias : *Auferte nequitias ab animis vestris, discite benefacere, judicate pupillo, et venite, et disputemus, dicit Dominus* (*Isa.* IX). Disputatio est ergo tua, sacrificium humilitatis tuæ, quod est Deo suave. *Ego vero*. Quasi dicat : Hoc est ei suave, B quid tibi suave? ecce : Ego vero *delectabor in Domino*. Ecce bona commutatio. Suavis est tibi ipsius gratia, sicut ei. Tuum eloquium dico, delectabor in Domino, et meo exemplo.

VERS. 36. — « Deficient peccatores a terra, et « iniqui, ita ut non sint; benedic, anima mea, Do- « minum. »

Peccatores, [Aug., Gl. int.] qui scilicet in se peccant, *deficiant a terra*, id est a peccatis, ne jam sint quod prius erant auferatur spiritus eorum, ut spiritu Dei recreentur. *Et iniqui* qui peccant in proximos, scilicet deficiant *ita ut non sint* quod prius erant iniqui, [Aug., Cassiod.] scilicet vidit hoc iste scilicet quod iniqui et peccatores deficiunt, et impletus gaudio, iterat principium, dicens : *Benedic*, C *anima mea, Dominum*. Per hoc innuit quod finis bonorum similis est principio.

COLLATIO IN PSALMUM CIII : « BENEDIC, ANIMA MEA, DOMINO ; DOMINE, » etc.

VERS. 3. — *Sicut pellem* כיריעה CAIERIAH, recentiores vertunt, *sicut cortinam*. Hieronymus est cum Septuaginta. Tandem nulla est discrepantia, cum tentoria solebant pellibus tegi, ob aeris incommoditates.

VERS. 4 et 5. — Versiculi 4 et 5, cur efferant Latini per secundam personam, cum tamen apud Hebræos et Græcos ponantur pronomina tertiæ personæ, edisserit D. Hieronymus ad Suniam et Fretellam hoc modo : « *Qui facis angelos tuos spiritus*, pro quo in Græco vos invenisse dicitis ὃ ποιῶν ἀγγέλους αὐτοῦ, id est *qui facit angelos suos spiritus*. A quibus breviter quærite quomodo cum ad Deum D sermo sit, quasi ad alium loquens Propheta repente mutetur, maxime cum sic incipiat : *Domine, Deus meus, magnificatus es vehementer, confessionem et decorem induisti, et qui tegis aquis superiora ejus*, id est cœli, *qui ponis nubes ascensum tuum, qui ambulas super pennas ventorum*, et statim sequatur : *Qui facis angelos tuos spiritus, et ministros tuos ignem urentem ; qui fundasti terram super stabilitatem suam*. Et post paululum : *Ab increpatione tua fugient, et a voce tonitrui tui formidabunt, et in loco quem fundasti eis. Qui emittis fontes in convallibus*. Et illud : *Ut educas panem de terra*. Si ergo omnia hæc ad secundam personam sunt, id est, ad Deum, quomodo in uno versiculo, tertia persona subito, et extra ordinem inducitur? » Hactenus ille. Etiam si non per omnia quadrant quæ nunc sunt in Græcis exemplaribus, quæ videre licuit.

VERS. 11. — *In convallibus*. Munsterus et interpretes pro Cajetano, vertunt *in flumina*. *Qui emittit fontes in flumina* vel *fluvios*. Hieronymus et alii sæpe memorati, stant a Vulgata lectione. Siquidem נחלים NEHALIM, ambiguum est.

VERS. 12. — *Exspectabunt onagri in siti sua*. Ut appareat Septuaginta legisse ישברו IESABERU, quam lectionem indicat punctum appositum in sinistro cornu litteræ sin, id est *exspectabunt*. Alias ישברו IISCHBERU, hoc est *frangent*, sive *exstinguent*. Vel, ut reddidit Hieronymus, *reficiant sitim suam*.

VERS. 13. — *De medio petrarum*. Cur Septuaginta mutaverint frondes in petras, sensus mysticus quem persequitur Augustinus, pio lectori potest respondere. Siquidem Hieronymus vertit, *de medio nemorum dabunt vocem*, et cæteri *de medio frondium*, quæ versiones multis modis quadrant cantillationibus avium, de quibus agebat prior clausula. Nec præterea insolitum est aves nidulari in petrarum foraminibus, ac inde voces emittere. Hæbraice quidem legitur עפאים APHAIM, quod omnes interpretantur *ramos* aut *frondes*, *nemora*, *arbores*, quibus gaudent aves. Hieronymus in Commentariis exponit *de medio petrarum*, hoc est Ecclesiarum. Jam innumera sunt quæ auctoritate Spiritus sancti, ut creditur, mutarunt Septuaginta longe ab Hæbraica lectione, ut non mirum videri debeat, ubi paululum discedunt, imo sensu constante, quemadmodum hoc in loco. Duo gratia exempli proferemus, in quibus nihil commune habent Septuaginta cum Hebraico. Jonæ III : Hebr. habet : *Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur*. Septuaginta, *adhuc triginta dies, et Ninive subvertetur*. Adeo ut D. Hieronym. demiretur unde hoc fecerint. Verum D. Augustinus XVIII De civitate Dei, cap. 44, reducit ad concordiam, referens quadraginta dies ad tempus medium, inter resurrectionem et ascensionem ; tres vero dies, ad triduum mortis, accipiendo Ninivem typice pro Ecclesia, per pœnitentiam eversa, tandem concludit : Longitudinem fugio, ut non hic per multa demonstrem, in quibus ab Hebraica veritate putantur Septuaginta interpretes discrepare, et bene intellecti inveniuntur esse concordes. Unde etiam ego pro meo modulo, vestigia sequens apostolorum, quia et ipsi ex utrisque, id est ex Hebræis, et ex Septuaginta testimonia prophetica posuerunt, utraque auctoritate utendum putavi, quando utraque una atque divina est. Alterum exemplum, adducemus ex Isa. IX cap. ubi Hebræi dicunt : *Primo tempore alleviata est terra Zabulon* : Septuaginta habent, longe diversum : *Hoc primum bibe, velociter fac*. Quod sic interpretatur Hieronymus, ut prophetice dictum, de primo signo quod edidit Christus, hoc est de conversione aquæ in vinum in Cana Galilææ. Ait ergo : *Hoc fecit principium signorum Jesus in Cana Galilææ, et manifestavit gloriam suam, et crediderunt in eum discipuli ejus*. Unde et in Septuaginta dicitur : *Hoc primum bibe, velociter fac*, quia terra Zabulon et terra Nephthalim, prima Christi videre miracula, ut prima biberet fidei potionem, quæ prima viderat Domini signa facientem. » Hæc Hieronymus.

VERS. 18. — *Saturabuntur ligna campi*. Loco campi in Hebræo ponitur nomen Domini tetragrammaton. Hinc Hieronym. vertit ligna Domini. Sanctes tamen et Munsterus interpretantur arbores magnificas et excelsas. Et certe eæ sunt in campis nemorosis, ubi proceræ crescunt, ac quidem singulare a Domino in sua natura accipiunt.

VERS. 19. — *Herodii* חסידה HASIADAH, Neoterici transferunt *ciconiam*. Editio Romana habet *fulicam*, quæ est avis marina. Quam lectionem tenent et interpretantur Augustinus et Arnobius. Hieronymus varius est. Nam, Job XXIX, vertit *herodion*. Penna struthionis, similis est pennis herodii. Rursus eamdem vocem Levit. XI, transtulit *herodionem*. Hoc in loco tamen dixit et alibi milvum adeo ut

videatur dubitasse quem fuerit avis. Nam in cap. Zachar. v, sic refert opiniones diversas, ut nullam improbet, quin juxta quamlibet accommodat interpretationem, ad illud prophetæ : *Habebant alas, quasi alas milvi* (*Zach*. v). Habebant inquit *alas* juxta Hebraicum חסידה HASIDAH, quod Aquila, Symmachus, Theodotion ἐρωδιὸν, id est *herodionem*. Soli Septuaginta ἔποπα, id est *upupam* transtulerunt. Hasidam Hebræi milvum putant, avem rapacissimam, et semper avibus domesticis insidiantem. Herodionum vero hi qui de volucrum scripsere naturis, tria genera autumant. Unum album, aliud stellatum, tertium nigrum, quod et sævissimum et sanguinarium, et pugnans, et ad coitum impatiens, ita ut ex oculis eorum erumpat cruor. Upupam quam nos de Græci nominis similitudine traximus ; nam et ipsi ἔποπα appellant, ab eo quod stercora humana consideret, avem dicunt esse sparcissimam, semper in sepulcris, semper in humano stercore commorantem. Hæc, ibi. Sed et ipse ad Suniam et Fretellam, magis probat milvum his verbis : « Pro herodio quod in Hebræo dicitur חסידה HASIDAH, Symmachus ἰκτῖνον, id est milvum interpretatus est. Denique et nos ita vertimus **228** in Latinum, *ibi aves nidificabunt*. Milvi abies domus est, quod scilicet semper in excelsis, et arduis arboribus nidos facere consueverit. Unde et sexta editio, manifestius interpretata est. Milvo cupressus ad nidificandum. Pro *abietibus* autem et

A *cupressis*, in Hebræo ponitur ברושים BEROSCHIM, quod magis *abietes* quam *cupressos* significat. » Hæc Hieronymus.

Dux eorum. [Hieron. et alii, pro hoc habent *abietes*, quod nihil habet commune, cum dux eorum. Cæterum si acceperis BEROSCHIM, ut littera beth sit servilis, non de substantia dictionis, et interpositum aleph quiescens scripseris, nihil mutato sono syllabæ, hoc modo בראשם BEROSCHAM habetis, quod est *in ducibus eorum*, eoque sensu quod herodii *domus est in ducibus eorum* passerum, refert idem quod et *dux eorum*.

Montes excelsi cervis. Sic Hieronymus et Campensis. Alii pro cervis transferunt *damas, capreas* aut *ibices*, יעלים IEELIM, *hirci* sunt *sylvestres*. Septuaginta ἐλάφοις, *cervis* iis accedere periculosum non fuerit.

Herinaciis. Vel ut alii volunt, *cuniculis*, alii *lepo-*
B *ribus*. De hoc sic scribit Hieronymus ad Suniam et Fretellam : « In Hebræo positum est שפנים SCHEPANNIM, et omnes χοιρογυλλίους voce simili transtulerunt. Soli Septuaginta *lepores* interpretati sunt τοῖς λαγωοῖς, id est *petra refugium leporibus*. Sciendum est autem animal esse non majus hericio, habens similitudinem muris et ursi. Unde et in Palestina ἀρκτόμυς dicitur. Et magna est in istis regionibus hujus generis abundantia, semperque in cavernis petrarum, et terræ foveis habitare consueverunt. » Hactenus Hieronymus.

PSALMUS CIV.

PSALMI TITULUS : « ALLELUIA. »

Confitemini Domino. Titulus : *Alleluia*. [Cassiod.] Hic primo angeli cum verbum scilicet, alleluia, positum invenitur, nec ante a quoquam Hebræorum scriptorum positum est quod nulla lingua præsumpsit mutare, sicut in Evangelio, amen. Interpretatur autem *laudate Deum*. (140) Nam alleluia, dicitur *laudate* ; jam, nomen est Dei invisibilis, id est significat invisibilem, quod nomen ei tantum convenit. Præscribitur autem iste titulus, viginti psalmis, in quibus omnibus magnalia Dei dicuntur, [Cassiod., Alcuin.] et magna in eis est exsultatio, sicut in hoc psalmo beneficia Dei narrantur, quæ contulit spirituali semini Abrahæ. Hic enim commendat Propheta bonos in illo populo Israel, qui cum aliis fidelibus sunt verum semen Abrahæ filii promissionis. [Aug.] Iste est ergo primus psalmus, cui prænotatur alleluia. Et est sensus : *Alleluia*, id est *laudate Deum*. Unde et psalmus incipit. (141) Intentio : Monet ad laudem. Modus : Sex sunt partitiones. Sic enim partitur hunc psalmum Augustinus, cui consentit Cassiodorus, nisi quod sextam partem alibi facit, quam Augustin. Quod in lectione psalmi suo loco monstrabitur. Primo ut in verbis exterioribus intellectum videas interiorem, quasi in corpore animam admonet semen Abrahæ, id est filios promissionis, pertinentes ad hæreditatem testamenti æterni, ut ipsum Deum tanquam hæreditatem eligant, et gratis non pro aliquo extra eum colant, et hoc faciant, laudantes, invocantes, annuntiantes, nec in sua, sed in ejus gloria per fidem, bene operantes, spe gaudentes, charitate ferventes. Et hoc totum sonat psalmus, his verbis, *confitemini*, etc., usque ibi, *mementote mirabilium*, ubi est partitio, quam et alias suis locis exsequimur. Propheta ergo a laude incipiens, quam titulus prænotat,
C ait :

VERS. 1. — « Confitemini Domino, et invocate « nomen ejus ; annuntiate inter gentes opera ejus. »

Confitemini Domino, [Aug., Gl. int., Aug.] id est laudate Deum, quod fit ab amante. Non enim est speciosa laus in ore peccatoris (*Eccli*. xv). Præmissa laude, sequitur invocatio, ut petat desiderata ; *et invocate nomen ejus*, quia laudans auditur. Congruus ordo iste, ut prius sit laus, post invocatio. Unde alibi : *Confitebimur tibi, Deus, confitebimur, et invocabimus nomen tuum* (*Psal*. LXXIV.) Et alibi; *Laudans invocabo Dominum* (*Psal*. XVII). Et in oratione Dominica promittitur brevis captatio, scilicet, *Pater noster, qui es in cœlis* (*Matth*. VI). Et postea subsequuntur petitiones. Deinde subdit : *Et annun-*
D *tiate inter gentes opera ejus*, quia amor Domini in pascendis ovibus ejus maxime ostenditur. Unde Dominus dixit Petro : *Simon, diligis me ?* eique respondenti : *Domine, tu scis quia amo te, dixit : Pasce oves meas* (*Joan*. XXI).

VERS. 2. — « Cantate et psallite ei, narrate omnia « mirabilia ejus, »

Cantate ei verbo, [Aug.] quia ore cantatur, *et psallite ei*, id est opere laudate, quia manibus psallitur. Deinde istis duobus duo alia reddit : ad hoc enim quod dixit : *Cantate*, quasi determinando quo-

(140) Ex Hier. in Epist. ad Marcellum de decem Dei nominibus.
(141) Ex Aug. ad calcem psalmi et in repetitione.

modo cantent, subjicit *narrate omnia mirabilia ejus*. Nihil enim silendum est pudore. Vel ideo dicit, quia omnia quæ dicunt de eo mirabilia sunt. [Cassiod., Aug.] Nullus enim potest omnia narrare. Deinde addit quod dixerat psallite, refert quod subditur.

Vers. 3. — « Laudamini in nomine sancto ejus; « lætetur cor quærentium Dominum. »

Laudamini. [Aug., Gl. int.] Quasi dicat : Psallite hoc modo : *Laudate*, id est operamini sic ubi laudemini, quod bene operantes merito possunt. Et hoc *in nomine sancto ejus* hoc addit, ne de bono opere homo glorietur in se, sed in Domino. [Non enim vetat laudari, si boni sunt, sed non nisi in Domino, qui bonos facit, cui omne bonum ascribere debent. Et in omnibus ejus gloriam quærere, hoc est quod alibi dicitur : *In Domino laudabitur anima mea* (*Psal.* XXXIII). Et quod ibi addit : *Audiant mansueti et lætentur*. Hic quoque quodammodo addere videtur, dicens : *Lætetur cor quærentium Dominum*, etc. [Hier.] Vel ita : Laudamini in nomine sancto ejus, id est gaudete dici Christiani a Christo. Et lætetur cor, [Haym., Aug., Hier.] et si non corpus, quærentium Dominum, qui bene operantes æmulantur; et si lætatur cor quærentium Domini, quanto magis inuenientium? Ergo dum operamini,

Vers. 4. — « Quærite Dominum et confirmamini; « quærite faciem ejus semper. »

Quærite Dominum, [Cassiod., Aug.] in præmium, *et sic confirmamini*, id est inde enim fortes sunt, et illuminati. [Hier., Aug.] ut sciant agenda, et possint ea perficere. Declinantes autem ab eo, et infirmi sunt et cæci. *Quærite* semper in hac vita *faciem ejus*, id est præsentiam ejus, qnæ si per fidem invenitur, tamen semper in hac vita perquirenda est, ut postea per speciem habeatur. [Hier.] Judæis ut parvulis præceptum erat in lege veteri, ut ter in anno apparerent in conspectu Domini, non vacui, scilicet in Pascha, Pentecoste et Scenopegia (*Exod.* XXIII). Nos autem qui sumus in anno benignitatis, semper faciem Trinitatis quærere debemus. [Aug., Alcuin.] Vel, semper quærite, id est in præsenti, et in futuro. Et tunc enim sine fine quæretur, quia qui amatur semper desideratur, semper quæritur, ne sit absens, sed semper præsens; malus potest timere præsentiam ejus quam bonus amat.

Pars II. Vers. 5. — « Mementote mirabilium ejus « quæ fecit; prodigia ejus et jndicia oris ejus. »

Mementote mirabilium. [Aug.] Secunda pars ubi ad parvulorum corda nutrienda proponit de fide patriarcharum, et de promissionibus Dei, ut nos simus semen illorum. Non solum de Judæis, sed etiam de omnibus gentibus. Et hoc ostendit usque ibi, *cum essent numero, brevi*. [Alcuin.] Quasi dicat : Quærite ipsum. Sed quia sunt qui non ferunt solem in rota, qui non possunt intelligere Christum in altitudine suæ deitatis quæ avolat ab intellectu, sicut potest nemo videre solem in rota sua. Dico vobis minoribus, saltem *mementote mirabilium eorum*, vel mirabilia ejus, *quæ fecit*. [Aug.] Ecce jam iste ardens laudator contemperat se infirmis et lactentibus, quos mirabilibus Dei temporalibus nutrit, ac si dicat : Si id quod Deus est magnum est quærere; vel, id est saltem quæ fecit videte. Simile est huic quod Dominus dixit Moysi : *Hæc dices filiis Israel : Qui est misit me ad vos* (*Exod.* III). Quod vix aliquantisper pura mens capit. Deinde gratiam suam, misericorditer contemperans, dixit : *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob* (*ibid.*), quod etiam a parvulis capi posset. Ita hic prius monet quærere faciem quod convenit grandibus : deinde attendere opera, quod parvuli possunt. Et mementote *prodigia ejus* majora, [Cassiod.] scilicet miracula, quibus aliquid futurum significabatur, *et judicia oris ejus*, [Alcuin.] quæ per Moysen mandavit in lege. Nota quia paulatim ascendit, de prodigiis visibilibus, transit ad judicia, inde ad æternum testamentum, ubi præceptum est et promissum. Testamentum enim æternum dicitur, et doctrina ipsa, et promissio hæreditatis æternæ; et quibus hoc dicitur? illis qui sunt secundum fidem.

Vers. 6. — « Semen Abraham, servi ejus; filii « Jacob, electi ejus. »

Semen Abraham servi ejus, [Hier., Aug.] et qui sunt filii Jacob, id est imitatores luctando contra carnem. Jacob dico *electi ejus*. Dico mementote et debetis, quia

Vers. 7. — « Ipse Dominus Deus noster; in uni« versa terra judicia ejus. »

Ipse Christus est *Dominus Deus noster*, [Aug.] et ne putes filios Abrahæ tantum esse in una gente secundum carnem *quia in universa terra* sunt *judicia ejus*, id est in universa terra sunt Jacob et Israel, id est fideles, quibus judicia sua manifestat, sed non alii genti.

Vers. 8. — « Memor fuit in sæculum testamenti « sui; verbi sui quod mandavit in mille genera« tiones. »

Memor fuit. [Cassiod.] Ideo etiam debetis esse memores, quia ipse fuit *memor* implendo promissa *testamenti sui* novi, [Aug.] id est justitiæ et hæreditatis æternæ, quam promisit in Novo Testamento. Dicitur enim testamentum, et illud quod promittitur, et doctrina in qua promissio declaratur, et pro qua servata redditur. Testamenti dico, duraturi *in sæculum*, id est in æternum, unde post dicit, in testamentum æternum, quod testamentum si vetus accipitur, propter terram Chanaan, de qua sequitur : Quomodo æternum est, cum illa terrena hæreditas, non possit esse æterna? Non ergo de illa accipiendum est. Deinde ut determinet testamentum accipi pro verbi doctrina, subdit, *verbi*. Quasi dicat : cujus testamenti memor fuit? ecce, verbi *quod mandavit in mille generationes*, id est omnes quibus vivendum est ex fide. Accipitur enim hic mille pro infinito. Hoc est verbum Evangelii, verbum fidei, quod extenditur in omnes generationes, pro quo servato redditur promissum æternum, quod per te-

stamentum ante significavit, quod non mandavit, sed promisit. Promissum enim est quod accipere debemus, mandatum est quod facere debemus. Hæc est fides, ut justus ex fide vivat, et huic fidei promittitur hæreditas.

VERS. 9. — « Quod disposuit ad Abraham, et ju- « ramenti sui ad Isaac. »

Quod disposuit. [Aug.] Quasi dicat : Memor fuit verbi, quod disposuit *ad Abraham, et juramenti sui*, quod disposuit *ad Isaac*.

VERS. 10. — « Et statuit Jacob in præceptum : « et Israel in testamentum æternum. »

Et statuit illud, [Aug.] scilicet verbum fidei, ipsi *Jacob in præceptum* et statuit illud *Israel in testamentum æternum*, id est in promissum æternum. Ecce illud verbum, et in præcepto est et in promisso; sed secundum aliud et aliud. Opus enim quod mandat, est in præcepto. Merces **229** autem operis est in promisso, operantibus enim promittit mercedem. Et est, statuit illud, verbum. *Israel in testamentum æternum*, [Aug., Alcuin.] id est quod ex ipso verbo impleto daturus esset aliquid æternum, scilicet terram Chanaan, quæ non est æterna; sed æternum significat. Ecce tres patriarchæ memorati sunt, quorum specialiter dicit se esse Deum : *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob* (*Exod.* III). Ecce triplex auctoritas. Dico statuit in testamentum æternum.

VERS. 11. — « Dicens : Tibi dabo terram Cha- « naan; funiculum hæreditatis vestræ. »

Dicens : Dabo tibi terram Chanaan [Aug.] id est quod ab ea signatur; dedit enim eis etiam hanc terram in figura æternæ hæreditatis, ad quam æternam hæreditatem non omnes pertinent. Ideoque addit, *funiculum hæreditatis vestræ*, scilicet dabo, [Haym., Gl. int.] id est hæreditatem cœlestem illis solis, qui funiculo divinæ prædestinationis signati sunt. Vel ideo dicit, funiculum, quia sicut funiculo distributa est terra promissionis, in diversas partes, ita in vita æterna diversæ sunt mansiones; juxta illud : *In domo patris mei mansiones multæ sunt* (*Joan.* XIV). [Cass.] Cur autem cœlestis hæreditas dicitur terra Chanaan, nomen ejus aperit. Interpretatur enim Chanaan, *humilis*, quia in eam nemo intrat, nisi humilis. Sed ex historia idem perpenditur. Dixit enim Noe Chanaan futurum servum fratrum suorum (*Gen.* IX). [Aug.] Id est Deo excluso, Chanaan datur terra semini Abrahæ. Is est servilis timor, qui non manet in domo in æternum, quia charitas foras mittit timorem, et manet filius in domo in æternum (*Joan.* VIII; *I Joan* IV). Congrue ergo hæreditas æterna, dicitur terra Chanaan, quia ab ea servi repelluntur, et filii recipiuntur.

PARS III. VERS 12. — « Cum essent numero « brevi, paucissimi, et incolæ ejus. »

Cum essent. [Aug.] Tertia pars, dixerat Deum gratis esse colendum quoniam ante occurrebat animo parvæ fidei. Si Deus gratis est colendus, et ipse est hæreditas, quid de necessitatibus mortalis vitæ

A fiet? subdit hic quid patribus præstitit et filiis eorum tam carne quam fide. [Aug., Alcuin.] Dicit enim quæ subsidia temporalis vitæ præstitit patribus et filiis eorum, tam carne quam fide, non ut his hæreant, sed ea ad bonum æternum referant. Quod faciunt si iis allecti, justificationes et legem Dei requirunt. Cum essent numero brevi. (Aug.) Exsequitur historiam et breviter tangit, quod in Egyptum transierunt, quasi dicat : Hoc promisit Deus; cum essent numero brevi, id est paucissimi, antequam in Egypto multiplicarentur; et incolæ, id est advenæ ejus, scilicet terræ Chanaan.

VERS. 13. — « Et pertransierunt de gente in gen- « tem, et de regno ad populum alterum. »

Et pertransierunt de gente in gentem. [Aug.]
B Proponit breviter quod postea plenius narrabit. *Et* pertransierunt *de regno*, id est terra promissionis quæ dicitur regnum, non quod tunc esset, sed quod futurum esset : ibi regnum Israel. Transierunt dico, ad populum alterum. Ea quomodo perdurare potuerunt? Ecce :

VERS. 14. — « Non reliquit hominem nocere eis, « et corripuit pro eis reges. »

Non reliquit, [Aug.] id est, non permisit, *hominem nocere eis, et corripuit pro eis reges* ut regem Geraræ Abimelech, ne noceret Isaac de Rebecca (*Gen.* XXVI; et regem Ægypti Pharaonem, ne noceret Abraham de Sara (*Gen.* XVI) Corripuit dicens :

VERS. 15. — « Nolite tangere christos meos, et
C « in prophetis meis nolite malignari. »

Nolite tangere christos meos. [Aug.] Hæc verna licet in historia non sint, tamen vel latenter dixit ea Deus in cordibus hominum, vel per angelum. Quod autem dixit christos, nullum moveat, quia jam tunc Christiani erant, etsi latenter. Unde *Abraham exsultavit ut videret diem meum; vidit et gavisus est* (*Joan.* VIII). Nullus enim præter hanc fidem, vel ante incarnationem, vel post, Deo reconciliatus est. *Unus enim mediator est Dei et hominum Jesus Christus (I Tim* II.) *Et nolite malignari in prophetis meis.*) Hoc aperte de Abraham constat, quod propheta fuit : sic et de aliis credendum est.

PARS IV. VERS. 16. — « Et vocavit famem super
D » terram; et omne firmamentum panis contrivit. »

Et vocavit. [Aug.] Quarta pars, ubi incipit narrare, quomodo factum est, ut transirent de regno ad regnum. Quasi dicat : Si quæris quomodo transit de gente in gentem, et de regno ad populum alterum, ecce : *Vocavit famem super terram*, etc., usque ibi *et auxit populum suum vehementer;* quasi pertransierint per hoc. Et id est, quia vocavit *Deus famem super terram*. Ita dicit vocasse famem quasi personam animatam, quæ posset vocanti obedire forte ideo, quia hæc mala immittit Deus per angelos malos, qui talibus præpositi sunt. Vocavit ergo famem, id est angelum fami præpositum. Vel potius, vocavit famem, id est dixit ut fames esset, id est

jussit esse in actu, quæ jam erat in dispositione, ita vocavit; *et*, id est quia *contrivit*, id est consumpsit, *omne firmamentum panis*. Et per hoc *transierunt de gente in gentem, et de regno ad populum alterum*. Sed :

Vers. 17. — « Misit ante eos virum ; in servum « venundatus est Joseph. »

Misit ante eos virum. [Aug] Vide quomodo Deus usus est malis in bonum, Joseph enim venditus a fratribus, postea in Ægypto pro justitia est sublimatus (*Gen.* XLI). De quo subdit : *in servum*, etc. Quasi dicat : Quem misit et quomodo? Ecce : *Joseph in servum venundatus est* a fratribus, [Hier.] quos postea et patrem in Ægypto recepit (*Gen.* XXXVII), terramque optimam a Pharaone eis dari fecit (*Gen.* XLVII) (142). Si autem Joseph humiliatus et exaltatus, locum fecit ad temporalia bona populo Dei, ut firmaretur super inimicos : quanto magis Jesus secundum carnem humiliatus, et in cœlis exaltatus suis locum fecit ad æterna. [Aug.] Deinde narrat quæ tulerit Joseph in humilitate sua, et quomodo sublimatus est, dicens :

Vers. 18. — « Humiliaverunt in compedibus pe« des ejus ; ferrum pertransiit animam ejus, donec « veniret verbum ejus. »

Humiliaverunt in compedibus pedes ejus. [Aug.] Non legimus de compedibus Joseph in illa historia Genesis, sed credendum est factum esse quod ibi prætermissum, dicit Spiritus sanctus in psalmis. [Cassiod., Aug.] Et si enim Joseph gratiam habuit apud custodem carceris, ut legitur in Genesi (*Gen.* XL), tamen prius anxiatus est. *Ferrum pertransiit*. Quasi dicat : Præter mala corporis, ferrum, id est tribulatio duræ necessitatis, quæ in æstuante et sollicita anima erat, *pertransiit animam ejus*, ut de Maria dicitur in Luca : *et tuam ipsius animam pertransibit gladius* (*Luc.* II). [Cassiod.] Vel secundum aliam litteram, *anima ejus pertransiit ferrum*, id est tribulationem duræ necessitatis. Idem tamen sensus cum priori : etiam in hac tribulatione fuit Joseph, *donec veniret verbum ejus*, [Aug.] id est interpretatio somnii, sed non fuit ab eo illud verbum, quia

Vers. 19. — « Eloquium Domini inflammavit eum, « misit rex et solvit eum ; princeps populorum et « dimisit eum. »

Eloquium Domini, [Gl. int., Cassiod.] id est spiritus revelans mysteria, *inflammavit*, vel ignivit *eum*, id est vivaciter excitavit eum, ut futura diceret. [Aug.] Inflammatus autem dicitur divino eloquio ut computetur inter eos de quibus dicit Apostolus : *Spiritu ferventes* (*Rom.* XII). Unde bene Spiritus sanctus, quando a Domino apostolis missus est, visæ sunt illis linguæ divisæ (*Act.* II), velut ignis, a quo igne discedunt illi, de quibus dicitur : *Refrigescet charitas multorum* (*Matth.* XXIV). Et propter hoc verbum *misit rex*, id est Pharao, *et solvit* a reatu, id est a pœna *eum* compeditum, scilicet *princeps populorum et divisit eum* inclusum, liberum a carcere.

Vers. 20. — « Constituit eum dominum domus « suæ, et principem omnis possessionis suæ. »

Vers. 21. — « Ut erudiret principes ejus sicut « semetipsum, et senes ejus prudentiam doceret. »

Ut erudiret principes ejus sicut semetipsum, et senes ejus prudentiam doceret. [Aug.] Neque hoc legimus in historia, sed credendum tantum virum Dei cultorem non de solis corporalibus curam gessisse.

Vers. 22. — « Et intravit Israel in Ægyptum, et « Jacob accola fuit in terra Cham. »

Et post Joseph *intravit Israel in Ægyptum*, [Aug.] *et Jacob accola fuit*, id est advena, non indigena, *in terra Cham*. Hæc est Ægyptus, cujus gens a Cham filio Noe descendit (*Gen.* X). Cham etenim filius Noe fuit, pater Canaan de quo Ægyptii traxerunt originem.

Pars v. Vers. 23. — « Et auxit populum suum « vehementer; et firmavit eum super inimicos « ejus. »

Et auxit. [Aug.] Quinta pars. Ecce quæ gesta sunt breviter proponit, quæ postea plene narrat. Dicit etiam quomodo firmavit populum suum super inimicos suos. Et hoc totum usque ibi, *expandit nubem*, ubi est sexta pars secundum Augustinum. Quasi dicat : Misit Deus post Joseph Jacob in Ægyptum, *et* ibi *vehementer auxit populum suum* fecunditate nascendi, [Cassiod., Aug.] *et firmavit eum super inimicos ejus*. Hoc non ante Moysen factum fuit, sed per signa Moysi. Ante enim masculi fetus filiorum Israel necabantur, et ipsi in faciendis lateribus conterebantur (*Exod.* III), sed postea in manu potenti per signa et portenta Domini metuendi et honorandi, facti sunt, donec duri regis contemptio vinceretur; ipsumque cum exercitu suo mare Rubrum obrueret. Quomodo autem hoc factum est, quia breviter proposuerat, plene narrare incipit :

Vers. 24. — « Convertit cor eorum ut odirent « populum ejus, et dolum facerent in servos ejus. »

Convertit cor eorum ut odirent populum ejus. [Aug.] Non ideo dicit, convertit cor eorum, quia Deus sit auctor mali. Non enim intelligendum est vel credendum quod Deus cor hominis ad facienda peccata convertat, vel quia patrum peccatum sit odisse populum Dei. *Et dolum facerent in servos ejus*. Istorum tam gravium peccatorum auctor non est Deus, quia nullius etiam levissimi peccati auctor credendus est; sed mirabilis Dei bonitas, etiam malis bene utitur. Cum enim ipsi vitio suo mali essent, ille de malo illorum benefecit. Non enim antequam odissent populum ejus boni erant, sed maligni et impii tales erant, qui facile incolis suis felicibus inviderent. Dum ergo auxit felicitatem Israel, hoc Dei beneficio illi ad invidendum conversi sunt, quia jam mali erant. Non itaque cor illorum malum faciendo,

(142) Ex Aug. in repet. psalm.

sed populo suo benefaciendo. Cor eorum, sponte malum, convertit, dum suos multiplicavit, ut odirent, per invidiam populum ejus. Invidia enim est odium alienæ felicitatis, quo illorum odio ad exercitationem populi sui, et ad gloriam nominis sui usus est, sicut sequentia docent. Dico, convertit cor eorum ut audirent populum ejus. Et ut dolum facerent in servos ejus, scilicet ut opere luti et lateris minuerentur servi Dei. Deinde quo modo his usus sit ad gloriam suam, incipit exponere dicens:

VERS. 25. — « Misit Moysen servum suum : Aaron quem elegit ipsum. »

Misit Moysen servum suum. [Cassiod.] Misit servum, qui omnia per se poterat, ut doceret, qua moderatione hæc omnia egisset. Et *misit Aaron quem elegit ipsum.* Sufficeret dicere quem elegit, sed nihil quærendum est in eo quod addit ipsum, sed consuetudo divinæ locutionis est ad **230** explanationem. Et

VERS. 26. — « Posuit in eis verba signorum suorum : Et prodigiorum suorum in terra Cham. »

Posuit in eis, [Cassiod.] scilicet Moyse et Aaron *verba signorum suorum et prodigiorum suorum in terra Cham,* id est quibus prædicabatur ab eis, quæ signa et prodigia Dominus esset facturus inter Cham. [Aug.] Vel ita, verba signorum non accipit verba quibus fierent signa. Multa enim sine verbis facta sunt, vel virga, vel manu extenta, sed quia ipsa facta non erant significationis inania, sicut verba quæ loquimur, ideo et ipsa dicta sunt verba. Verba ergo non vocum vel sonorum, sed signorum et prodigiorum per eos fecit signa. Et est, posuit in eis verba signorum, id est per eos fecit signa, quia tanquam verba aliquid significabant. Et posuit verba prodigiorum suorum, [Cassiod.] id est per eos fecit prodigia, quæ aliquid portendebat. Et hoc in terra Cham. Quæ autem signa fecit, subdit :

VERS. 27. — « Misit tenebras et obscuravit et non exacerbavit sermones suos. »

Misit tenebras, et obscuravit. [Aug.] Hoc ad litteram inter plagas Ægypti legitur, quia tenebras inter alias plagas passi sunt (*Exod.* x), sed quod hic dicit, melius sic accipiamus ut intelligamus corda eorum obscurata, qui præcepta Dei spernebant. Et est competens initium plagarum, cæcitas sine qua non incurissent cætera. *Et non exacerbavit,* [Haym., Aug.] complevit et per miracula confirmavit. Vel secundum aliam litteram quæ est, *exacerbaverunt*, scilicet Ægyptii contradictionibus suis *sermones ejus* Dei. Vel sicut in quibusdam codicibus reperitur : *Et non exacerbaverunt,* scilicet Moyses et Aaron, *sermones ejus* Dei, quia illos etiam durissimos, scilicet Ægyptios, patienter tulerunt, propter mandatum Domini, donec omnia in eis quæ Deus disposuit fierent.

VERS. 28. — « Convertit aquas eorum in sanguinem, et occidit pisces eorum. »

Convertit aquas eorum in sanguinem. [Cassiod.] Hæc est secunda plaga quæ in Exodo ponitur prima (*Exod.* VII), quæ signabat quod aquas Rubri maris verteret eis in mortem; *et occidit pisces eorum.* Ne ergo sit in aquis spes vitæ illis hominibus, cum in aqua moritur. Quod ibi naturaliter nutritur.

VERS. 29. — « Edidit terra eorum ranas in penetrabilibus regum ipsorum. »

Et dedit terra eorum ranas. [Aug.] Ecce tertia. Secundum aliam litteram, *et dedit terra eorum ranas,* id est terram eorum convertit in ranas, quia tot fuerunt ranæ, ut hoc hyperbolice dicatur, et erant ranæ *in penetrabilibus regum ipsorum.* (*Exod.* VIII.) Socii ranarum fiunt principes, qui sub aquis post locandi erant.

VERS. 30. — « Dixit, et venit cœnomyia, et ciniphes in omnibus finibus eorum. »

Dixit, et venit cœnomyia et ciniphes in omnibus finibus eorum. [Aug.] Ecce hæc est quarta plaga, quæ jactantia regis est, qui nec par est muscis (*Exod.* VIII.) Si autem quæritur quando dixerit Deus hoc, respondemus quod in verbo ejus hoc erat sine tempore, antequam fieret in tempore per ipsum verbum, licet per angelos, vel per Moysen, et Aaron quodam modo dixit, ut fieret tunc quando fuerat faciendum. Deinde sequitur quinta plaga.

VERS. 31. — « Posuit pluvias eorum grandinem : ignem comburentem in terra ipsorum. »

Posuit pluvias eorum grandinem, [Cassiod.] id est pro pluvia quæ fecundat, facta est grando, quæ tacta arefacit (*Exod.* x). Et hoc simile dictum illi quod supraposuit, et dedit terra eorum ranas, *et ignem comburentem,* id est fulmina, scilicet posuit [Aug.] *in terra ipsorum.*

VERS. 32. — « Et percussit vineas eorum et ficulneas eorum ; et contrivit lignum finium eorum. »

Et percussit grandine et igne [Cassiod.], id est fulminibus *vineas eorum, et ficulneas eorum, et contrivit lignum eorum.* Ne ergo dubites de satis quin perempta sint, ubi majora pereunt. Deinde sequitur VI plaga.

VERS. 33. — « Dixit, et venit locusta, et bracus : cujus non erat numerus. »

Dixit et venit locusta, [Aug.] quæ est mater bruci, de quo subditur : *Et brucus, cujus,* scilicet locustæ et bruci *non erat numerus.* Una plaga est locusta et brucus, quia altera est parens, altera est fetus.

VERS. 34. — « Et comedit omne fenum in terra eorum ; et comedit omnem fructum terræ eorum. »

Et comedit omne fenum, [Gl. int.] id est herbam *in terra eorum et comedit omnem fructum* segetum *terræ eorum.* [Aug.] Deinde sequitur septima plaga quæ in Exodo decima est.

VERS. 35. — « Et percussit omne primogenitum in terra eorum ; primitias omnis laboris eorum. »

Et percussit omne primogenitum de hominibus *in terra eorum, et primitias omnis laboris eorum.* [Aug., Cassiod.] Hæc dicit primogenita pecorum, quæ similiter percussit. Hæc est novissima plaga in Ægy-

pto, qua victi cædunt Ægyptii. [Aug.] Notandum A vero quod cum sint decem plagæ, quas ponit Moyses in Exodo, nec omnes hic commemorat propheta, nec eo ordine quo ibi narrantur, quia libera est laudatio, de qua agit iste psalmus, a lege historiæ; additque hic, quod historia non habet, et prætérit quædam quæ illa habet, auctoritate, ejusdem spiritus qui per historicum locutus est. [Cassiod.] Hic ergo VII mala dat Ægyptiis, contra VII beneficia, quæ post dicet data Hebræis. Unde subdit :

PARS VI. VERS. 36. — « Et eduxit eos cum argen« to et auro ; et non erat in tribubus eorum infir« mus. »

Et eduxit [Cassiod., Aug.] Sexta pars, est hic secundum Cassiodorum. Dicto superius quæ mala intulit inimicis Israelitarum justitia Dei, quæ his B bona temporalia misericordia Dei dedit supponit, ut his adjuti, legem Dei quærant. *Et eduxit eos in argento et auro*, [Aug., Cassiod.] id est cum argento et auro. Nam ponitur *in* pro *cum*, more Scripturæ. Et hoc est, primum beneficium. (143) Et nota quia hic quoque addit laudibus Dei, quod Hebræos ditatos auro et argento eduxit de Ægypto, quia tales erant ipsi qui non possent spernere laborum suorum mercedem, licet temporalem ; quibus præcepit Deus ut vasa aurea et argentea, vesteque pretiosas ab Ægyptiis mutuarent, ac secum scilicet asportarent. In hoc autem quod Ægyptios deceperunt, non est putandus Deus dolos eis qui sursum habent cor, vel jubere vel approbare ; quia in eis non fuit hic dolus, qui non ex cupiditate fecerunt, sed C ut Deo mandanti parerent. Et illi infirmi, quorum cupiditates examinabat Deus, magis permissi sunt hoc facere illis, scilicet Ægyptiis, qui talia jure passi sunt quam jussi. Sicut enim bonis fuit præceptum ita et cupidis permissio, secundum aliquid, et secundum aliud præceptio. Præcepit enim ut facerent, sed permisit non præcepit ut ita facerent. Qualitas ergo facti fuit in permissione, factum vero in perceptione. Nec tamen hoc permisit Deus fieri, sine aliquo profectu animæ carnalis. Per hoc enim quod de vicino carnale aliquid carnales habuerunt, postea Dei legem et justificationes facilius receperunt. Et licet per dolum egerint, ab iniquis tamen quod sibi reddi debuit abstulerunt, et sicut iniquitate Ægyptiorum, sic eorum infirmitate ad hoc quod opus erat D his factis figurari, divine usus est Deus. [Ibi enim spiritualiter figuratum est philosophos, sive hæreticos a catholicis exspoliari his quæ in verbis vel Scripturis eorum tabernaculo Dei, id est Ecclesiæ congrue reperiuntur. Et deinde sequitur secundum beneficium. *Et non erat infirmus*, [Cassiod., Aug.] corpore, non animo, *in tribubus eorum*, hoc fuit magnum beneficium migraturis. Et

VERS. 37. — « Lætata est Ægyptus in profectio« ne eorum, quia incubuit timor eorum super eos. »

Lætata est Ægyptus in profectione eorum. [Aug., Cassiod.] Hoc fuit post submersionem eorum exercitus. Quare lætata ? *Quia incubuit timor eorum super eos*. Audita enim tanta strage mortuorum in mari Rubro, timebat Israel, ne rediens reliquias eorum consumeret. Hic impletum est quod superius ait : *Et firmavit eum super inimicos ejus*. Deinde sequitur tertium beneficium.

PARS VII. VERS. 38. — « Expandit nubem in pro« tectionem eorum ; et ignem ut luceret eis per no« ctem. »

Expandit nubem. [Aug.] Et est hic sexta partitio, secundum Augustinum, ubi supponit quæ temporalia bona misericordia Dei eis dedit, dictis superius malis, quæ inimicis eorum justitia Dei intulit. Hic enim jam incipit dicere beneficia Dei quæ iter agentibus in eremo facta sunt. *Expandit nubem in protectionem eorum*, [Cassiod.] ut protegeret eos contra ardorem solis, *et ignem ut luceret eis* contra tenebras *per noctem*. Deinde sequitur quartum beneficium.

VERS. 39. — « Petierunt carnes, et venit coturnix « et pane cœli saturavit eos. »

Petierunt. [Aug.] Utique non coturnicem, sed *carnes*, *et venit eis* non quælibet caro, sed *coturnix* *Exod.* XVI. ; *Num.* XI), quæ est caro. Et quia hic non de amaricatione iniquorum, in quibus non est beneplacitum Deo (*Exod.* XVII), sed de fide electorum, qui sunt verum semen Abrahæ, loquitur, ideo ipsi intelligendi sunt petisse ut veniret unde amaricantium murmura premerentur (*Num.* XX). Deinde sequitur quintum beneficium. *Et pane cœli*, id est manna, *saturavit eos*.

VERS. 40. — « Disrupit petram, et fluxerunt aquæ, « abierunt in sicco flumina. »

Disrupit petram, et fluxerunt aquæ. [Cassiod., Aug.] Hic est sextum beneficium *abierunt in sicco flumina*. His autem omnibus beneficiis Deus commendat in Abraham meritum fidei. Unde subdit :

VERS. 41. — « Quoniam memor fuit verbi sancti « sui quod habuit ad Abraham puerum suum. »

Quoniam memor fuit verbi sancti sui quod habuit ad Abraham puerum suum, [Hier.] id est memor fuit promissi facti Abrahæ, quod in figura complens æterna præsignavit.

VERS. 42. — « Et eduxit populum suum in exsul« tatione, et electos suos in lætitia. »

Et eduxit populum suum in exsultatione, et electos suos in lætitia. [Aug., Cassiod.] Is est populus, in *lætitia*, quia murmurantes percussi sunt.

VERS. 43. — « Et dedit illis regiones gentium. Et « labores populorum possederunt. »

Et dedit illis regiones gentium. [Cassiod.] Hoc est primum beneficium, in quo est completio permissionum. *Et labores populorum*, id est fructus regionum *possederunt*. [Aug.] Hæc dedit, non ut propter ista eum colerent, sed ut ea ad bonum æternum referant, id est :

(143) Ex Aug., hic et in quæst. in Exod. quæst. 39, 83, 53; et lib. II. De doctr. Christian., cap. 40.

VERS. 43. — « Ut custodiant justificationes ejus : « et legem ejus requirant. »

A *Ut custodiant* electi, scilicet verum semen Abrahæ, *justificationes ejus*, etc. [Aug.] Quasi dicat : Non hæc temporalia dedit, ut hæc sint habenda pro summo bono, sed ad illud retulit, ubi summum bonum debet inquiri. Ut custodiant justificationes ejus ; non enim data sunt eis a Deo ista terrena bona, ut in eis luxu defluant, vel perversa securitate torpescant ; sed ut eis vacent unde bonum æternum possit acquiri ; scilicet ut custodiant, electi, justificationes ejus. [Cassiod.] Justificationes sunt ubi evidens est et absoluta præceptio, ut dilige Deum et proximum quæ custodienda sunt. *Et legem ejus requirant*. Lex est de his quæ non corporaliter, sed spiritualiter nunc implenda sunt (144). Et ideo quærenda est lex, quia est umbra futurorum, horum autem exemplo quibus data sunt temporalia ut per ea Deum quærant ; monetur verum semen Abrahæ qualiter uti debeat temporalium prosperitate, sicut ipsius Joseph Christique informatur exemplo : quam patienter debet ferre **231** temporalem adversitatem, scilicet prosperitate et adversitate, quibus duobus tentantur electi. Unde : *Transivimus per ignem et aquam* (*Psal.* LXV). [Aug.] Vos ergo filii Dei, promissionem habentes vitæ præsentis et futuræ, si tentationes sæculi vobis duræ videntur, Joseph in carcere, Christum in cruce cogitate. Si prosperitas adest, non propter ipsam Deo, sed ea propter Deum utimini, nec eum putetis necessarium suis, propter ea quæ dat etiam malis blasphematoribus suis. Sed *primum quærite regnum Dei, et hæc omnia adjicientur vobis* (*Matth.* VI).

COLLATIO IN PSALMUM CIV ; « CONFITEMINI DOMINO, ET INVOCATE, » etc.

VERS. 6. — *Semen Abraham servi ejus*. Ex Hebræo videtur quod illud, servi, sit genitivi casus singularis, ut ad tollendam amphibologiam verterit Munsterus, *tu semen Abraham servi ejus*. In Græco tamen est nominativus pluralis δοῦλοι quanquam in quodam exemplari inveni δούλου Hebr. עבדו ABDO, potest dici *servus ejus* : et singulare loco pluralis usurpari, non est novum. Quin paraphrasis, Campens. habet, *posteri Abraham cultores illius*. Denique ad sensum parvi refert.

VERS. 16. — *Firmamentum* מטה MATTHEH, id est *baculum, virgam*. « Hebraismus est, ait Munsterus, pro sustentatione panis. »

VERS. 21. — *Ut erudiret principes ejus*. Sic Hieron. et editio ad Campensem. Alii per *erudiret* ponunt *ligare* aut *potestatem habere*. Unde autem id fiat docet Munsterus in scholiis. Quidam accipiunt לאסר LEESOR pro *ligare* et *in carcere conjicere*. Alii vero accipiunt pro יסר IASAR, *castigare* et *erudire*.

Sicut semetipsum. In Hebr. בנפשו BENAPHSCHO, id est *in anima sua*, quod interpretatur *pro voluntate sua*. Videntur Septuaginta legisse, caph pro beth ; proxime enim sunt litteræ. Secundum autem animam suam, idem valet sicut semetipsum, quanquam si legas etiam per beth, ad eumdem sensum facile possit reduci.

VERS. 27. — *Non exacerbabunt sermones suos*. Triplicem lectionem recenset magister. Vulgatam, quæ non distat ab Hebr. nisi in numero verbi, quod

B effertur לא מרו LO MARU, *non exacerbaverunt*, vel, ut habet Hieron., *non fuerunt increduli*. Deinde quod sequitur verbis ejus, aut *non exacerbaverunt sermones ejus*. Ambiguum est in Hebræo pronomen. Alia est lectio citra negationem nempe *exacerbaverunt sermones ejus*, quæ est editionis Romanæ, et de qua tangit Aug. in. Ea etiam in Græcis codicibus visitur παρεπίκραναν τοὺς λόγους αὐτοῦ. Itaque trifariam exponitur.

VERS. 30.— *Venit cœnomyia*. De cœnomyia et cœnomyia, dictum est psalmo 77, vers. 50. Etiam si Hieronym. in Comment. interpretatur hic *muscam caninam*, secutus Græcos.

Ciniphes כנים KINNIM, quos volunt esse, aut *pediculos*, aut *culices*.

VERS. 35. —*Primitias omnis laboris eorum*. Hieronymus, *primitias universi partus eorum*, Ubi hallucinantur Faber et Cæcus, putantes Hieronymum intelligere hanc partem, de novissima plaga filiorum

C Israel in Ægypto, Exod. XI, ob idque nostram lectionem non satis esse aptam : Quod falsum esse prior pars loqui videtur, nempe : *Et percussit omne primogenitum in terra eorum*, eoque secunda pars intelligenda est de præcipuis rebus eorum. Nam alii translatores vertunt aut *laborem*, aut *fortitudinem*. Hoc enim significat און ON. Hinc, translator ad Campensem, *percutiebat prima quæque de rebus eorum*. Hujus paraphrasis, præcipua omnium laborum, propter quæ in agris colendis sudaverant. Munsterus tamen in scholio dicit, *primitias omnis virtutis eorum*, vocat Hebraismus id quod primum aperit parentis uterum, primam virtutem, aut primitias virtutis.

VERS. 41. — *Memor verbi sancti sui quod habuit ad Abraham puerum suum*. Munsterus sic transtulit, ac si Deus non fuisset locutus Abrahæ, *recordatus est*, inquit, *verbi sui sancti, et Abraham servi sui*, cum tamen Hebr. habeatur, את אברהם עבדו ETH ABRAHAM ABDO, id est, cum *Abraham servo suo*, attestantibus Hieronymo et cæteris.

PSALMUS CV.

PSALMI TITULUS : « ALLELUIA, ALLELUIA. »

Confitemini Domino. Titulus : [Aug., Hier., Cassiod.] Alleluia, alleluia. Quidam dicunt unum alleluia ad finem superioris psalmi pertinere ; alterum esse sequentis psalmi. Hanc enim regulam dicit Hieronymus esse tenendam, ut ubicunque duo alleluia præscribuntur psalmo, unum sciamus esse de fine prioris psalmi, et alterum ejus qui sequitur ; cui assertioni Cassiodorus quoque consentit. [Aug.]

D Sed plures, ubicunque est alleluia, sequenti psalmo dant, et aliquando semel, aliquando bis ponitur, ut Dominus in Evangelio, nunc dicit amen, nunc dicit amen amen : quod fit pro majori certitudine rei. Istis consentit Augustinus, quia quod alii dicunt certis non persuadent documentis, et præsertim, quia nullus Græcorum codices invenit, qui in fine psalmi alicujus, habeant alleluia. Est autem ipse psalmus superiori conjunctus, non modo in titulo, sed etiam

(144) Ex Aug. hic et in psal. LXV.

in materia. Agit enim iste psalmus, de eodem populo Israel, de quo et superior, sed iste agit de illo secundum iniquos, qui ibi erant; præcedens vero, de eodem secundum electos. *Aliquos enim in ipso populo veros esse filios Abrahæ, innuit Paulus dicens: *Sed non in omnibus illis beneplacitum est Deo.* (*I Cor.* II) Et quia hos commendat præmissus psalmus, nihil ibi dicitur de iniquitatibus amaricantium. Sed hic sequens psalmus agit de iniquis; et quia eis non solum justitia, sed et misericordia Dei facta est, de his loquitur cum laudibus Dei ex persona eorum, qui veniam conversi precantur, et exempla eorum, commemorantur, in quos etiam peccantes, dives apparuit misericordia Dei. [Aug., Cassiod.] Unde etiam iste sicut ille incipit sic: *Confitemini Domino.* Intentio. Monet ad geminam confessionem laudis, et peccatorum. Modus. Sex sunt partitiones. Primo Hæbræus in cujus persona loquitur Propheta, relicta Patrum perfidia ad misericordiam Dei conversus; suadet aliis ad eamdem misericordiam converti, orans ut populo beneplacito socientur. [Cassiod.] qui erat in adventu Christi congregandus. Secundo, peccata Patrum quæ in Ægypto fecerunt commemorat; quos tamen Dominus liberavit, ibi, *peccavimus.* Tertio dicit peccata, quæ post exitum fecerunt, ibi, *cito defecerunt.* [Aug.] Alias autem partitiones suis exsequemur locis. In persona igitur alicujus Hebræi, de amaricatione ad misericordiam Dei conversi et alios ad eamdem misericordiam exhortantis ait:

VERS. 1. — « Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus. »

Confitemini Domino. (Aug.) Ecce idem initium hujus et præcedentis psalmi, sed ibi sequitur: et invocate nomen ejus; hic vero sequitur *quoniam bonus.* Unde hic confessio peccatorum potest accipi, quia sequitur etiam peccavimus cum patribus nostris, etc. Sed et de confessione laudis potest accipi, quia et quod bonus est Deus in laude ejus est, et in laude est confessio. Hæc ita divisimus, scilicet confessione peccati et laudis, licet non sit pia confessio peccatorum sine laude Dei. Habet ergo Dei laudem, qui peccata confitetur sive in verbis, quando eum bonum et misericordem dicit, sive in solo affectu, cum hoc credit. Et est, confitemini Domino, peccata et laudes; ideo, quoniam bonus est in natura. (Cassiod.) Hoc dicit, ne quis pro culpa terreatur, et ne desperet de eo, sed misericordiam ejus poscat. Ideo etiam, *quoniam in sæculum,* (Aug.] id est usque in finem sæculi est. *Misericordia ejus,* quæ miseris exhibetur, consolando in miseria, vel liberando ab ea, quod facit usque in finem sæculi. Vel agit hic de illa misericordia qua homo est beatus. Quæ beatitudo, quia æterna est, accipitur hic sæculum pro æterno, quod in Græco manifestum est. Et est, ideo confitemini, quoniam in sæculum, id est in æternum misericordia ejus est, id est beatitudo, quæ per misericordiam ejus datur, quia nemo sine Deo potest esse beatus.

VERS. 2. — « Quis loquetur potentias Domini, « auditas faciet omnes laudes ejus?

Quis loquetur. (Aug., Cassiod.) Iste qui misericordiam petit, impletur consideratione divinorum operum, et admirans ait: Et *quis loquetur,* id est quis sufficiat loqui, *potentias Domini,* id est opera, quæ potenter operatur. Et quis *auditas faciet omnes laudes ejus,* id est, quis est qui faciat ut audiantur ab aliis omnia, in quibus est laudandus Deus? sic enim debent dici, ut prædicentur audientibus. Sed quid potest omnes? Quasi dicat, nullus. Vel quia

VERS. 3. — « Beati qui custodiunt judicium: et faciunt justitiam in omni tempore. »

Beati qui custodiunt, etc. (Aug.) Laudes Dei dicit opera præceptorum ejus, quæ ipse facit in suis, Deus enim operatur in nobis velle bonum et perficere, ut ait Apostolus (*Philipp.* II). Quis ergo loquetur potentias Domini? Quomodo, et quæ Deus potenter operatur in suis? quoniam hæc ineffabiliter operatur. Quasi dicat: Nullus valet loqui, etc.; quis faciet omnes laudes ejus auditas, (Aug.) id est quis cum audierit, faciet omnes laudes, id est opera præceptorum ejus? Quæ et si non omnia audita fiunt, tamen in quantum fiunt, et ipse laudandus est, qui operatur in eis. Et ideo maluit dicere laudes ejus, quam mandata ejus, vel opera mandatorum ejus; quia ut dictum est, in quantum fiunt, ipse laudandus est, quas tamen omnes laudes quis sufficit facere, vel loqui. Nullus. [Alcuin,] Et est, misericordia ejus est in sæculum, quam, id est cujus effectum, quis apud se non sufficit cogitare vel aliis intimare, vel opere implere. Et accipit pro eodem potentias et laudes. Sed inter illa duo distinguuntur, scilicet loquetur et auditas faciet. *Beati,* etc. (Cassiod.) Quasi dicat: Si illud nemo sufficit, scilicet loqui potentias, vel omnes laudes facere. Agat hoc, scilicet custodiat judicium et justitiam, quia, beati sunt *qui custodiunt judicium* recta judicando, bonum a malo discernendo; et *faciunt justitiam,* (Aug.) recte agendo, et utrumque *in omni tempore.* Utique ex quo incipiunt: *Qui enim perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* XXIV). Et quia Deus justos facit, orat, et ait:

VERS. 14. — « Memento nostri, Domine, in be« ne placito populi tui; visita nos in salutari tuo. »

Memento nostri, Domine. (Aug., Cassiod.) ut simus *in beneplacito populi tui,* ut in eis simus, in quibus est placitum tibi, quod non est in omnibus, et non simus inter contumaces. Et ut hoc sit, *visita nos in salutari tuo,* id est in Jesu, ut ab eo sanati possimus judicium custodire, et juste agere, unde beati sumus. Visita dico, scilicet ad hoc,

VERS. 3. — « Ad videndum in bonitate electorum « tuorum, ad lætandum in lætitia gentis tuæ, ut « lauderis cum hæreditate tua. »

Ad videndum in bonitate electorum tuorum (Aug.) id est ut videamus te in ea bonitate, quam præs-

stas electis, id est per gratiam tuam videamus, ne cæci remaneamus. Et visita etiam *ad lætandum*, id est ut lætemur *in lætitia* quæ est ipse Deus. Cui alibi dicit : *Exsultatio mea, redime me* (*Psal.* XXXI). Lætitia dico *gentis tuæ*, id est filiorum Abrahæ, qui una gens sunt omnes, visita etiam, *ut lauderis*, vel *ad laudandum;* alia littera, id est, ut laudemus te *cum hæreditate tua*. Mirum est in multis codicibus scriptum esse, *ut lauderis*, cum sit una in Græco in his tribus verbis positio, et similis debet esse interpretatio, scilicet *ut videamus* et *lætemur*, et *laudemus*, cum hæreditate tua. Vel ita secundum aliam litteram, ut lauderis. Et erit item similis interpretatio, *visita nos, ad videndum*, id est ut videas nos, *in bonitate electorum tuorum*, id est ibi nos esse facias, et ibi nos videas. *Et visita ad lætandum*, id est ut læteris. In *lætitia gentis tuæ*, id est ut facias gentem tuam lætari ex te. Et, ut lauderis cum hæreditate tua, id est facias eam laudari in te, quia non laudatur nisi propter te.

232 PARS. II. VERS. 6. — « Peccavimus cum « patribus nostris ; injuste egimus, iniquitatem « fecimus. »

Peccavimus. [Cassiod. Haym.] Secunda pars, ubi enumerat peccata patrum, quæ in Ægypto commiserunt, et tamen a Domino dicit esse liberatos. Quasi dicat : Dico, visita, et necesse est ut visites, quia *peccavimus cum patribus nostris*, [Aug., Hier., Haym.] quia in eis fuimus materialiter quando peccaverunt, vel potius, cum patribus nostris, id est sicut patres nostri, *injuste egimus*, quantum ad Deum, *iniquitatem fecimus* quantum ad proximum. [Cassiod.] Ecce tertio idem dicunt, id est se peccasse, ut pura confessio appareat ; tanto enim citius aliquis solvitur, quanto vivacius se damnat. [Aug.] Et quasi aliquis diceret : Quid patres nostri fecerunt ? subdit :

VERS. 7. — « Patres nostri in Ægypto non intel« lexerunt mirabilia tua ; non fuerunt memores « multitudinis misericordiæ tuæ. »

Patres nostri in Ægypto, ubi multa eis facta sunt, *non intellexerunt mirabilia tua*, [Aug.] id est quid per illa eis dare velles, scilicet non temporale, sed æternum bonum ; quod per patientiam exspectatur. Et ideo ipsi impatientes murmuraverunt et amaricaverunt, et temporalibus bonis, fallacibus atque fugacibus beari voluerunt. [Cassiod.] Et nota quod duo sunt, quæ beneficia Dei nobis commendant, id est commendabilia esse ostendunt, scilicet intellectus et memoria. Quorum utrumque in eis redarguit, et primo intellectum, cum ait : *Non intellexerunt mirabilia tua*. [Aug.] Opus enim fuit intellectu, ut per illa temporalia alia bona quærerent, scilicet æterna. Et *non fuerunt memores multitudinis misericordiæ tuæ*, id est multorum eorum miraculorum, quæ pro eis in Ægypto fecerat. Et arguit hic memoriam eorum, quia nec saltem temporaliter acta recoluerunt, ut potestate quam experti fuerant crederent se ab inimicis liberandos.

VERS. 8. — « Et irritaverunt ascendentes in mare,
A « mare Rubrum ; et salvavit eos propter nomen « suum, ut notam faceret potentiam suam. »

Et ideo *ascendentes in mare*, (Aug.) scilicet *mare Rubrum*. Ascendentes dicit pro situ terræ. Ipsi, inquam, ascendentes, *irritaverunt*, Deum timentes et desperantes post tot in Ægypto visa. (Alcuin.] Hæc irritatio facta est, cum egredientes de Ægypto, pervenerunt ad mare Rubrum, ubi ita erant conclusi, quod ex uno latere erat mons nimis arduus, et nemini ad transeundum pervius, et ex alio latere, erat mare Rubrum, et a dorso erant insequentes Ægyptii, et pro his cœperunt graviter murmurare, obliti potentiæ Dei. Sed tunc divisum est mare in duodecim divisiones, et nulla tribus est ausa intrare prius, nisi tribus Judæ, unde meruit inter alias
B regni privilegium vel principatum obtinere. *Et salvavit eos*. Quasi dicat : Ita murmuraverunt, (Aug., Gl. int.) et tamen, Dominus salvavit eos, ab insequentibus Ægyptiis, non secutus infidelitatem eorum. Et hoc, non propter merita eorum, sed tantum *propter nomen suum*, glorificandum, scilicet *ut notam faceret potentiam suam*. Quomodo salvavit ? ecce :

VERS. 9. — « Et increpuit mare Rubrum, et ex« siccatum est ; et deduxit eos in abyssis sicut in « deserto. »

Et increpuit mare Rubrum. (Aug.) Hæc increpatio facta est, non voce cœlitus missa, sed divina potentia. Quam etiam quæ sensu carent, sentiunt, et obediunt. *Et siccatum est* mare Rubrum, *et deduxit*
C *eos in abyssis*, vel in aquis multis, quod idem est, *sicut in deserto*, quia ubi fuerunt abyssi, factum est siccitate ut desertum, ubi non sunt aquæ.

VERS. 10. — « Et salvavit eos de manu odientium ; « et redemit eos de manu inimici. »

Et ita *salvavit eos*. (Cassiod., Aug.) Quod magnum fuit, et ut augeat munus, addit quod gravius est, id est majus, *de manu odientium*, id est Ægyptiorum, qui odierant eos. Ideo quia propter eos percussi erant plagis ; *et redemit eos de manu inimici*, id est Pharaonis. Sed quo pretio redemit ? Quasi dicat : Nullo. Sed hoc in figura baptismi dictum est, in quo redimimur de manu diaboli sanguine Christi. Unde et mare Rubrum dixit, quo colore sanguis Christi figurabatur.

D VERS. 11. — « Et operuit aqua tribulantes eos, « unus ex eis non remansit. »

Et operuit aqua tribulantes eos, (Aug.) scilicet Pharaonem et Ægyptios, *et non remansit unus ex eis*, scilicet persequentibus. Non dico ex Ægyptiis. Illi enim de Ægyptiis qui non persequebantur, remanserunt.

VERS. 12. — « Et crediderunt in verbis ejus et « laudaverunt laudem ejus. »

Et tunc *crediderunt in verbis ejus* Dei. (Aug., Cassiod.) Usus locutionis est quod dicit, crediderunt in verbis ejus, pro crediderunt *verbis ejus*, quod magis Latine diceretur. Nota dura corda Judæorum, quæ non ante, sed post miracula credunt. Melius

fuit promittenti credere. *Et laudaverunt laudem ejus* dicentes : *Cantemus Domino; gloriose enim magnificatus est (Exod.* XV). [Aug.] Talis locutio est ista, ut illa qua dicitur, vitam vitalem vivit.

PARS. III. VERS. 13. — « Cito fecerunt, obliti « sunt operum ejus; non sustinuerunt consilium « ejus. »

Cito fecerunt. [Cassiod., Alcuin., Cassiod.] Tertia pars, ubi peccata exponit, quæ post exitum fecerunt, nec tamen defuit eis misericordia Dei, per Mosen placati. Vel correctio Dei per justitiam in quosdam per Mosen vindicantis. Quasi dicat : Crediderunt et laudaverunt. *Et cito fecerunt*, hoc scilicet *obliti sunt operum ejus* quasi summa celeritate mutati sunt a crudelitate et laude, ut murmurarent; *et non sustinuerunt consilium ejus*, id est non patienter exspectaverunt, donec Deus daret eis victualia, quod differebatur consilio Dei. Deus enim erat eis victualia daturus, sed illi nimia festinatione, anticipaverunt, sub diffidentia petentes, non exspectantes consilium ejus. Distulit enim Deus dare, ut probaret eos. Vel secundum aliam litteram. [Aug.] *Festinaverunt*, quod apertius est. Quasi dicat : Hæc fecit eis Deus, per quem vocabat eos ad æterna; sed ipsi, *festinaverunt*, fieri beati in temporalibus, *et obliti sunt operum ejus, et non sustinuerunt consilium ejus*, id est non adverterunt : quo consilio fecit Deus erga ipsos ea opera. Debuerunt enim cogitare tanta opera Dei erga se facta, non esse inania; sed vocare eos ad æterna, quæ patienter exspectanda sunt. Illi vero festinaverunt fieri beati in terrenis, in quibus est hydria cupiditatis : de qua qui biberit, sitiet iterum (*Joan.* IV). Unde subdit :

VERS. 14. — « Et concupierunt concupiscentiam « in deserto; et tentaverunt Deum in inaquoso. »

Et concupierunt concupiscentiam in deserto. [Aug., Cassiod., Aug.] Talis locutio est hic, ut supra laudaverunt laudem ejus. Nimietas autem desiderii, geminatione verbi ostenditur; *et tentaverunt Deum in inaquoso,* id est in deserto (*Num.* XI; *Exod.* XVII).

VERS. 15. — « Et dedit eis petitionem ipsorum; « et misit saturitatem in animas eorum. »

Et dedit eis petitionem ipsorum, [Aug.] id est illud quod petiverunt, ita scilicet, *et* id est quia *misit saturitatem,* non tamen ideo beati fuerunt, quia non est hæc saturitas, de qua dicitur : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur* (*Matth.* V). Misit, dico, *in animas eorum*, id est in animalitatem quæ sustentatur esca, id est animat corpus, quod sustentatur esca. Non enim hic accipitur anima, secundum id quod rationalis est; sed secundum id quod animans corpus animal facit, ad cujus sustentationem pertinet potus et cibus. Unde in Evangelio : Nonne anima plus est quam esca? (*Matth.* VI.) Vel, in animas eorum, id est secundum voluntatem eorum, ut voluntas quæ desperando petierat, copia vinceretur. Saturitatem vero sequitur seditio :

VERS. 16. — « Et irritaverunt Mosen in castris; « et Aaron sanctum Domini. »

Et irritaverunt honorem ambientes invidendo *Mosen* in castris, *et Aaron sanctum Domini*. [Cassiod.] Hæc irritatio fuit pro sacerdotio, quod habebat Aaron et filii ejus.

VERS. 17. — « Aperta est terra, et deglutivit « Dathan; et operuit super congregationem Abi« ron. »

Aperta est terra, et deglutivit Dathan : et operuit super congregationem Abiron. [Cassiod.] In libro Numeri quomodo hoc fuit, plane legitur. Ecce Dei laus est hic, quod suos vindicavit, qualitas pœnæ facta indicat; a terra vorantur, qui terrena sapuerunt.

VERS. 18. — « Et exarsit ignis in Synagoga « eorum; flamma combussit peccatores. »

Et exarsit ignis in Synagoga, [Cassiod.] quæ erat *eorum* non Dei, id est in ducentis quinquaginta qui thuribula tenuerunt. Core namque et ducenti quinquaginta cum eo, volentes habere sacerdotium Aaron, acceperunt thuribula, ut adolerent incensum, ideoque divino igne consumpti sunt. Unde subdit : *Flamma combussit peccatores*, qui incenso peccaverunt, igne perierunt. [Aug.] Nota, non ait peccantes, quod etiam boni sunt, sed peccatores id est valde iniquos, et gravibus sarcinis peccatorum oneratos.

VERS. 19. — « Et fecerunt vitulum in Horeb; et « adoraverunt sculptile. »

Et præterea *fecerunt vitulum in Horeb*, [Cassiod.] absentiam Mosi non tolerantes, dum ipse in vertice montis Sina moraretur, ut acciperet legem (*Exod.* XXXII). Coreb interpretatur *calvaria*, ubi crucifixio Domini facta est. In Coreb ergo peccaverunt, ut jam tunc perfidi, in eo nomine peccarant, ubi posteri eorum erant Dominum crucifixuri, id est in eo loco qui secundum nominis sui interpretationem designat locum, ubi Judæi erant crucifixuri Dominum. [Cassiod.] Hoc in patientia lenium fecit, sicut omnia mala ex ea nascuntur. *Et* post *adoraverunt sculptile*. Vitulus enim non sculptilis, sed conflatilis fuit.

VERS. 20. — « Et mutaverunt gloriam suam, in « similitudine vituli comedentis fenum. »

Et mutaverunt gloriam suam, [Aug.] id est Deum, qui esset gloria eorum, si sustineret eum. *In similitudine vituli*, non ait per accusativum, sed per ablativum, in similitudine; et est talis locutio ut supra, ubi ait : *Et crediderunt in verbis ejus*. Vituli dico, *comedentis fenum* ut ab eo comederentur, quia fenum sunt, id est caro. Omnis enim caro fenum (*Isa.* XL). Et sic

VERS. 21. « Obliti sunt Deum, qui salvavit eos; « qui fecit magnalia in Ægypto, mirabilia in terra « Cham, terribilia in mari Rubro. »

Obliti sunt Deum qui salvavit eos. [Cassiod., Aug. Cassiod.] Magna oblivio. Quid enim est in memoria, si non liberatio? *Qui fecit*. Quasi dicat : Quomodo

salvavit eos? ecce, ipse est *qui fecit magnalia in* A *Ægypto* quæ pro *magnitudine sua recoli* poterant. Et fecit *in terra Cham mirabilia*. Hæc non solent a mente excidere. Et fecit *in mari Rubro terribilia*, id est mirabilia, quia admiratio non est sine quadam formidine. [Aug., Cassiod.] Vel terribilia possunt dici, quia adversarios afflixerunt, et istis quid timere deberent, monstraverunt. Hæc autem vivacius mentibus hærent, sed ipsi sunt obliti eorum.

233 VERS. 22. — « Et dixit ut disperderet eos : « Si non Moses electus ejus stetisset in confractione « in conspectu ejus. »

Et, propter hæc scelera *dixit comminando ut disperderet eos*, [Gl. int., Aug.] quia digni erant perire. Omnes penitus disperderet? utique. *Si* non Moses electus ejus stetisset in confractione, in con- B spectu ejus, [Aug.] id est incessanter orasset pro eis. Stetisset dico, in confractione, id est in plaga qua erant feriendi, scilicet ut se objiceret pro illis, dicens : *Si dimittis illis hoc peccatum dimitte* : si vero non dimittis illis, *dele me de libro tuo* (*Exod.* XXXII), ubi monstratur quantum valet intercessio sanctorum. Securus enim Moses de justitia Dei, qua eum delere non posset, impetravit misericordiam Dei, his qui juste perirent. Stetit ergo Moyses in confractione.

VERS. 23. — « Ut averteret iram ejus, ne dis- « perderet eos. »

PARS IV. VERS. 24. — « Et pro nihilo habuerunt « terram desiderabilem. »

Et pro nihilo habuerunt. [Alcu., Aug.] Quarta C pars. Item peccata alia enumerat, et per Phineem dicit placatum Deum. Quasi dicat : Hæc prædicta fecerunt, et etiam *pro nihilo habuerunt terram desiderabilem* non quod eam vidissent; sed sic pro nihilo habuerunt, scilicet quod

VERS. 25. — « Non crediderunt verbo ejus, et « murmuraverunt in tabernaculis suis; non exau- « dierunt vocem Domini. »

Non crediderunt verbo, vel verbis *ejus*, [Haym., Alcuin.] scilicet quod esset eos introducturus. Vel ita : *Et pro nihilo habuerunt terram desiderabilem*, [Aug.] id est contempserunt, quod per illam significabatur æternum bonum. Vere desiderabile. *Et* ita *non crediderunt verbo ejus*, per parva ad magna vocantis. Profecto nisi aliquid magnum terra illa si- D gnificaret, ad quod invitarentur, nullomodo culparentur, qui pro nihilo habuerunt eam, cujus temporale regnum, etiam sancti pro nihilo ducunt, ut Jerusalem, quæ in cœlo est vere desiderabilis, ament. Sed infidelitas merito redarguitur, quia in eo quod pro nihilo habuerunt eam, non crediderunt verbis Dei, per parva ad magna ducentis. Et festinantes hic esse beati, non sustinuerunt consilium ejus; *et murmuraverunt*, dicentes : Faciamus ducem, et redeamus in Ægyptum, *et* hoc *in tabernaculis suis*. [Haym., Casssiod., Aug.] Quasi dicat, cum essent in otio, quia hoc non laborantibus, sed otiosis contigit. Unde major invidia criminis crescit; et dum murmurarent, *non exaudierunt vocem Domini*, vehementer eos prohibentis a murmure.

VERS. 26. — « Et elevavit manum suam super « eos, ut prosterneret eos in deserto. »

Et elevavit. [Cassiod.] Hic justitia Dei præmittitur, ut secuta pietas magis glorificetur : quæ pietas in sequenti ostenditur, ubi, interventu Phinees, Deus placatus dicitur. Hic vero justitia Dei ostenditur, cum ait : *Et elevavit manum suam super eos*, comminando pœnam, [Aug., Cassiod.] *ut prosterneret eos in deserto*. Quasi dicat : Viles qui prius fuerant gloriosi.

VERS. 27. — « Et ut dejiceret semen eorum in nationibus, et disperderet eos in regionibus. »

Et *ut dejiceret semen eorum*, [Cassiod.] id est filios. Et *in nationibus, et disperderet eos in regionibus*, ne ultra de congregatione præsumerent.

VERS. 28. — « Et initiati sunt Beelphegor; et « comederunt sacrificia mortuorum. »

Et initiati, [Aug.] antequam diceret, quod aliquis hanc indignationem Dei placuerit, adjungit : *Et initiati sunt*, vel consecrati sunt, *Beelphegor* idolo gentium consecrati sunt. [Cassiod.] Quasi dicat : Non modo ad tempus colentes, per quod notatur gravior excessus : Et inde vehementiori ira, *et comederunt sacrificia mortuorum*, immolata mortuis hominibus, quasi diis.

VERS. 29. — « Et irritaverunt eum adinventioni- « bus suis; et multiplicata est in eis ruina. »

Et *irritaverunt eum in adinventionibus suis, et multiplicata est in eis ruina*. [Aug.] Cum pro suis gravibus peccatis, graviter vastaverunt, cum supra dixisset Deum levasse manum, antequam dicat eum placatum, hæc de magnitudine culpæ et pœnæ eorum interseruit. Quasi dicat : ad hoc distulerit, quod levaverat manum ad prosternendum illos, ut dati in reprobum sensum, etiam hoc admitterent, scilicet crimen idololatriæ, et in tanto crimine evidenti justitia punirentur; et tantum fuit hoc scelus eorum, ut Deus nollet aliter placari, nisi ut Phinees eum placavit, qui masculum et feminam coeuntes pariter interemit. Non odio eorum, sed zelo Dei : quo facto, populum cujus major interitus futurus erat, liberavit.

VERS. 30. — « Stetit Phinees, et placavit; et « cessavit quassatio. »

Stetit Phinees. [Cassiod.] Stetit solida mente, ut in generali perturbatione ipse solus confidentiam deprecationis assumeret. *Et placavit*, vel exoravit, posset dixisse, et mœchantes transfixit; sed melius dixit exoravit, quia transfixio mœchantium zelo Dei facta, magis dicenda est oratio, quam operatio, quia qui bene agit, orat, *et* sic *cessavit quassatio*. [Aug.] Breviter totum dixit, quia non docet hic nescientes; sed commemorat scientes. Quæ autem hic posita est quassatio, superius dicta est confractio, id est plaga populi.

VERS. 31. — « Et reputatum est ei in justitiam;

« in generatione et generationem usque in sempiter- A
« num. »

Et reputatum est ei in justitiam. [Aug.] Deus enim qui novit quanta charitate populi id factum sit, reputavit hoc sacerdoti suo in justitiam; non solum *in generatione et generationem*, id est quandiu generatio est, sed *usque in sempiternum.*

PARS V. VERS. 32. — « Et irritaverunt eum ad « aquas Contradictionis; et vexatus est Moses « propter eos : quia exacerbaverunt spiritum « ejus. »

Et irritaverunt. [Alcuin.] Quinta pars, ubi agit de aqua Contradictionis, et de immolatione filiorum. Unde vehementius iratus est Deus, et tamen postea misertus. Quasi dicat : Ita irritaverunt in adinventionibus suis, ut supra dictum est, *et* iterum *irritaverunt eum* id est ad iram provocaverunt *ad aquas contradictionis ; et vexatus est Moses propter eos.* [Aug., Cassiod.] Id est mente turbatus ut hæsitaret. Et hoc, *quia exacerbaverunt spiritum ejus*, quia nimia importunitate populi, succensus est, diffidenter excrepuit, dicens : *Nunquid de petra hac poterimus nobis aquam ejicere ?* (*Num.* XX.)

VERS. 33. — « Et distinxit in labiis suis : non « disperdiderunt gentes quas dixit Dominus Deus « illis. »

Et, [Aug.] ideo quia exacerbaverunt eum, *distinxit* hoc miraculum a priori constantia quam habuit in aliis miraculis, *in labiis suis.* Hoc enim ambigue dixit, qui omnia alia certa fide promiserat. Perturbatus namque murmure populi infidelis, non tenuit fiduciam qualem debuit, quasi non posset Deus hoc facere, qui tanta jam fecerat, dubitanter namque petram percussit, qui in aliis non dubitaverat. De hoc autem hac sola pœna correctus est, quod non intravit in terram illam, non tamen alienatus est a regno gratiæ Dei. Illi autem de quorum iniquitatibus loquitur iste psalmus, cum intrarent in terram promissam : *non disperdiderunt gentes quas dixit Dominus illis*, scilicet septem illos populos, qui terram promissionis possidebant.

VERS. 34. — « Et commisti sunt inter gentes, et « didicerunt opera eorum ; et servierunt sculptilibus « eorum, et factum est illis in scandalum. »

Et commisti sunt inter gentes. [Cassiod.] Ne hoc fieret præceperat eos Deus occidi. *Et didicerunt opera eorum, et servierunt sculptilibus eorum* (*Num.* XXXIII), et ita *factum est illis in scandalum.* [Aug., Cassiod.] Hoc quod eas non disperdiderunt, sed commisti sunt illis. Vel terra promissionis, quæ fuerat eis data in præmium, versa est excedentibus in ruinam, quia gentium conformitate, ibi facti sunt idololatræ.

VERS. 35. — « Et immolaverunt filios suos et filias » suas dæmoniis. »

Et immolaverunt filios suos et filias suas dæmoniis, [Aug., Cassiod.] id est idolis, quæ erat consuetudo gentium. Hoc, et si illa non narret historia, tamen hic propheta mentiri non potest ; et si non in prima, saltem in sequenti ætate factum est.

VERS. 36. — « Et effuderunt sanguinem innocen« tem, sanguinem filiorum et filiarum suarum, quas « sacrificaverunt sculptilibus Chanaam. »

Et effuderunt sanguinem innocentem, [Aug., Cassiod.] scilicet *sanguinem filiorum* parvulorum, a consensu illius sceleris alienorum. Filiorum, dico, *suorum*, ne putes extraneorum ; *et filiarum suarum quas sacrificaverunt sculptilibus Chanaam.*

VERS. 37. — « Et interfecta est terra in sangui« nibus, et contaminata est in operibus eorum ; et « fornicati sunt in adinventionibus suis. »

Et interfecta est terra in sanguinibus. [Aug.] Tro- B
pica locutio est hic, qua continens, ponitur pro contento. Et est, *terra interfecta est in sanguinibus*, id est homines, qui fere omnes hoc peccato mortui sunt. Ipsi enim interficiebant animas suas, immolando filios ; *et contaminata est in operibus eorum*, id est contaminati sunt in operibus suis. *Et fornicati sunt in adinventionibus suis*, [Cassiod., Aug.] id est polluti sunt adulterinis superstitionibus suis, quas dicit adinventiones ipsorum, non quod primi invenirent vel invenissent. Sed quia alios imitati sunt, quod ἐπιτηδεύματα in Græco apertius dicitur, hic et supra ubi dixit, *irritaverunt eum in adinventionibus suis.* Unde alii interpretes transferunt *studia*, vel *affectiones*, vel *voluntates.*

VERS. 38. — « Et iratus est in furore Dominus C
« in populum suum ; et abominatus est hæreditatem « suam. »

Et iratus est furore Dominus in populum suum. [Aug.] Ira non est in Deo, sed per simile hoc dicitur, quasi potentia vindicandi excitata est. *Et abominatus est hæreditatem suam*, id est aversus est ab eis, non ad perditionem suam; sed ad disciplinam, quod innuit nominans hæreditatem. [Cassiod.] Quod, id est Deum averti ab eis, extremum est omnium malorum præsentium. Unde, scilicet de aversione et ruina de qua supponit.

VERS. 39. — « Et tradidit eos in manus gen« tium ; et dominati sunt eorum qui oderunt « eos. »

Et tradidit eos in manus gentium, et dominati sunt D
eorum qui oderunt eos. [Cassiod.] Ecce qui gloriabantur in idolis, opproprio servitutis subsunt, qua serviunt inimicis, quod difficile est. Grave enim est servire infenso, qui nullo placatur obsequio.

VERS. — 40. « Et tribulaverunt eos inimici eo« rum ; et humiliati sunt sub manibus eorum ; sæpe « liberavit eos. »

Et tribulaverunt eos inimici eorum, et humiliati sunt sub manibus eorum; [Cassiod.] sed Dominus *sæpe liberavit eos.* Duplex misericordia **234** Dei hic exponitur. Præmisit enim superius beneficia Dei, nec tamen cessat iniquitas eorum ; postea intulit vindictam, et afflictis iterum miseretur.

VERS. 41. — « Ipsi autem exacerbaverunt eum in « consilio suo; et humiliati sunt in iniquitatibus suis. »

Ipsi autem exacerbaverunt eum in consilio suo malo. [Aug.] Malum est enim consilium hominis ipsi homini, quo quærit quæ sua sunt, non Dei (*Philip.* II), hoc est autem quod supra dixit, non sustinuerunt consilium ejus, scilicet Dei, quod est de æternis. *Et* ideo, scilicet quia exacerbaverunt *humiliati sunt in iniquitatibus suis* et licet essent iniqui, Deus tamen plenus misericordia, non neglexit eos, imo.

VERS. 42. — « Et vidit cum tribularentur : et au- « divit orationem eorum. »

Et vidit [Haym.] intuitu misericordiæ, *cum tribularentur et audivit orationem eorum.*

VERS. 43. — « Et memor fuit testamenti sui; et « pœnituit eum secundum multitudinem misericor- « diæ suæ. »

Et memor fuit testamenti sui æterni, [Aug., Cassiod.] quod disposuit ad Abraham. Nota quod causa est, ne Israel pro debito peccati periret, testamentum novum, ubi est adventus Domini, qui est Abrahæ promissus. *Et pœnituit eum secundum multitudinem misericordiæ suæ* [Aug., Cassiod., Aug.] Ideo dicit pœnituit, non quod pœnitentia in Deum cadat; sed quia mutavit quod facturus videbatur, id est eos perditurus. Tunc enim pœnitet, quando nos pœnitere videt. Talis est nobis, quales nos illi. Nihil autem repente facit Deus; sed quod ab æterno præscivit; sed mutare dicitur, quod secundum rerum causas sequi videtur aliis causis econtra intervenientibus, sed et causas, et quid fieret prævidit immutabiliter.

VERS. 44. — « Et dedit eos in misericordias, in « conspectu omnium qui ceperant eos. »

Et dedit eos, [Aug., Cassiod.] scilicet prædestinatos de illo populo, *in misericordias*, pluraliter dicit, quia quisque proprium donum habet (*I Cor.* V), et totum est miserentis Dei (*Rom.* IX). Pluraliter ergo dixit, in misericordias, propter diversa dona. Prophetæ enim et apostoli, et martyres, et confessores, de Judæis fuerunt (Cassiod). Dedit in misericordias, et hoc *in conspectu omnium qui ceperant eos*, id est gentium ut eos gentes mirentur, quæ prius eos despexerunt, (Cassiod., Aug.) vel, in conspectu omnium qui ceperant eos, id est diaboli et angelorum ejus, qui captivos prius tenebant. (Aug.) Nam coram dæmonibus liberi facti sunt, sub quibus facti fuerant captivi, quibus ejectis perfecit Christus sanitates. Unde hic oratur, ut sanitates perficiat, cum subditur :

PARS. VI. VERS. 45. — « Salvos fac nos, Domine « Deus noster; et congrega nos de nationibus. »

Salvos fac nos. (Cassiod., Aug.) Sexta pars. Jam copia laudis expleta, precatur quod futurum videt, scilicet ut Ecclesia, de omnibus gentibus congregetur, et laudes æternas cantet. Quasi dicat : Dedisti in misericordias in conspectu dæmonum, quibus a

A nobis ejectis *salvos fac nos*, o *Domine, Deus noster.* [Alcuin.] Nota eum ordinem hic servari, quem Dominus servat in Evangelio. Hic enim prius agit de ejectione dæmonum; postea de sanitate; tertio de glorificatione, ubi subdit : *Et gloriemur in laude tua.* [Aug.] Sic enim dixit Dominus in Evangelio : *Ecce ejicio dæmonia, et sanitates perficio hodie et cras, et tertia die consummor* (*Luc.* XIII), id est perficior, occurrentibus omnibus in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi (*Ephes.* IV), per quæ notantur tres status Christianæ religionis: duo in præsenti, ubi meremur; tertius in futuro, ubi triumphabimus. [Alcuin.] Primus est in pœnitentia; secundus in justitia; tertius in gloria. In quarum significatione celebrantur in Veteri Testa-

B mento tres præcipuæ festivitates, scilicet Pascha; Pentecoste, Cenopegia (*Levit.* XXIII). In Pascha immolabatur agnus, et comedebatur azyma cum lactucis agrestibus, et spicas torrebant igni (*Exod.* XII). Per quæ significabatur carnis mortificatio, et pœnitentiæ amaritudo. In Pentecoste, novi panes de novis frugibus offerebantur; per quod justitiæ status intelligitur, per quam in novitate vitæ ambulamus. In Cenopegia, quæ erat festivitas tabernaculorum, offerebatur de cunctis fructibus anni in templo, per quod significatur status futuræ consummationis, quando sancti in immortalitate dedicati, venient cum exsultatione, portantes manipulos suos. Isti iidem tres status significati sunt per ea quæ Samaritanus circa vulneratum fecit.

C Infudit enim prius vinum, postea oleum; deinde sanus factus est. In vino enim intelligitur fervor pœnitentiæ; in oleo, lenitas justitiæ, in eo quod sanus factus est, consummatio glorificationis æternæ. Hi quoque iidem significantur per tres dies Christi, scilicet crucis, sepulturæ, resurrectionis. Isti ergo tres status signantur per illa tria prædicta, quæ Dominus dixit. Per ejectionem quippe dæmonum, pœnitentia intelligitur, per quam a peccatis mundamur; per sanitatum perfectionem, justitia; per tertiæ diei consummationem, futuræ glorificationis perfectio intelligitur. Iidem quoque tres status signantur per ea quæ hic dicuntur. Primus itaque pœnitentiæ status notatur per hoc quod dicit, *dedit in misericordias in conspectu omnium;* secundus justitiæ status, per hoc quod dicit, *salvos fac nos,*

D tertius glorificationis status, per hoc quod dicit, *ut confiteamur et gloriemur*. *Et congrega nos de nationibus* [Aug.] id est de gentibus. Unde Dominus ait : *Alias oves habeo* (*Joan.* X), scilicet de gentibus, id est filios Dei, qui dispersi erant in gentibus. Unde Joannes evangelista ait de Caipha, qui prophetaverat : *Expedit ut unus homo moriatur pro populo, ne tota gens pereat. Hoc autem non dixit a semetipso, sed cum esset anni illius pontifex, prophetavit, quia unus erat moriturus pro gente, et non tantum pro gente*, scilicet Judæorum, *sed ut filios* Dei *qui erant dispersi, congregaret in unum* (*Joan.* II), id est filios Dei dispersos de gentibus, congregaret cum Judæis,

ut fieret unum ovile et unus pastor (*Joan.* x) : quod hic orat cum dicit : Congrega nos de nationibus. Hoc autem falso Judæi impleri putant per Antichristum. Congrega dico,

VERS. 46. — « Ut confiteamur nomini sancto tuo : « et gloriemur in laude tua. » .

Ut confiteamur, [Cassiod., Gl. int., Aug.] in præsenti et in futuro, *nomini sancto tuo, et gloriemur in laude tua*, non humana jactantia. Deinde ipsam laudem breviter subjicit :

VERS. 47. — « Benedictus Dominus Deus Israel, « a sæculo et usque in sæculum : et dicet omnis « populus : Fiat, fiat. »

Benedictus [Cassiod.] quasi dicat : Confiteamur Domino, dicentes : Benedictus, *Dominus*, *Deus Israel*. Hæc est laus illa, quam congregatos optat cantare. Hoc nunc canit Ecclesia de tanto bono læta. Benedictus dico, *a sæculo et usque in sæculum*. [Aug.] id est ab æterno et in æternum, quia sine fine laudabitur ab eis, de quibus dicitur : *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabant te (Psal.* LXXXIII). Hæc est illa tertia consummatio corporis Christi, quæ erat in immortalitate post ejectionem dæmonum, et perfectionem sanitatum. Tunc enim perficietur quod in principio psalmi oratum est : *Memento nostri, Domine, in beneplacito populi tui, ad videndum, ad lætandum, ut lauderis cum hæreditate tua. — Et dicet omnis populus.* Iste est, populus prædestinatus, tam de Judæis quam gentibus : *Fiat, fiat*, quasi dicat : Huic laudi consentient omnes prædestinati.

COLLATIO IN PSALMUM CV : « CONFITEMINI DOMINO QUONIAM BONUS, QUONIAM, » etc.

VERS. 5. — *Ad videndum in bonitate electorum, ad lætandum in lætitia gentis tuæ, ut lauderis cum hæreditate tua.* In Græco et Hebræo ponuntur tres infinitivi, ubi Latinus interpres posuit primo duo gerundia ; et deinde alterum modum, *ut lauderis*, ut hoc non faciat sensum ambiguum. Alia vero *ad videndum*, potest interpretari, vel *ut videas*, aut *ut videamus*. Sic etiam Græce, τοῦ ἰδεῖν. Heb. לראות LIREOTH. Et *ad lætandum*, τοῦ εὐφρανθῆναι לשמח LISMOAH, similiter *ut læteris*, vel *ut lætemur*. Postremo τοῦ ἐπαινεῖσθαι להתהלל LEHITHHALLEL. Consequenter dicendum erat *ad laudandum* seu *exsultandum*. Quod etiam anceps erat, vel *ut lauderis*, vel *ut glorier*, sive *exsultem*, aut *laudemur*. Ex August. autem colligitur maluisse interpretem in tertio dicere, *ut*

A *lauderis*, ut insinuet duo præcedentia sic accipienda esse, *ut videas*, *ut læteris*, quanquam ad concordiam reducit.

VERS. 16. — *Misit saturitatem in animas eorum.* Hieronymus pro *saturitate*, habet *tenuitatem*, et ferme alii *maciem*, quæ videntur adversari *saturitati*. Nam Heb. habet רזון RAZON, id est *macies*. Sensum tamen concordem judicat Munsterus. Vocat *maciem animarum*, mortem ipsam. Ipsi cogitabant carnibus saginare animas suas : sed contrarium evenit illis. Unde Sanctes vertit, *perditionem in anima eorum.*

VERS. 30. — *Et placavit.* ויפלל VAIEPHALLEL. Hieron. Dijudicavit, quod est interprete Pratensi, *exsecutus est justitiam*. Ergo LXX posuerunt effectum. Nam ex vindicta quam exercuit Phinees, placatio consecuta est. Munsterus tamen et Nebiensis vertunt *oravit*, quod proxime respondet ad *placavit*.

B VERS. 33. *Distinxit labiis suis.* Hieronymus pro *distinxit*, vertit *præcepit* ויבטא VAIEBATTE. Plerique alii transferunt simpliciter, *locutus est.* Munsterus tamen ponit, *inconsiderate locutus est.* Cui accedit Campensis, *vacillavit*, ut intelligas de Mose, ad aquas contradictionis hæsitante. Quam intelligentiam præterea sequitur Augustinus, quanquam Munsterus videtur intelligere de ipso populo. Hier. autem loqui Mosi, accipit pro *præcipere*, vel ut in Comment. *jugiter supplicare pro eis.* Translator tamen ad Campensem oppositum sensum reddit, qui ad Deum hoc referat, quoniam Spiritum Dei exacerbaverunt, ut effaretur labiis suis.

VERS. 37. — « *Et interfecta est terra*, Hier. Polluta est, quem omnes alii imitantur. ותחנף VATEHENAPH poterat mendum videri, et positum *interfecta*, pro *infecta est*. Reclamat tamen aperte Græcum ἐφονοκτονήθη, hoc est *interfecta est*. Cæterum Hie-

C ronymus, Isa XXIV, id verbum Hebraicum, vertit *interjecta est terra ab habitatoribus suis*. Etenim sic habent et nostri codices, et alii quos dicunt correctiores e Frobenio ; ac interim satis deprehenditur ex interpretamento ejus loci apud Hieronymum. Unde dicit « Prima sententia est contra eos, qui excelsi sunt terræ, ut infirmentur universa, quæ nunc fortia sunt, propter eos qui sanguinem sanguini miscuerunt, et in morem sanguinis Abel, interfectorum cruorem ad Deum clamare fecerunt. » Hæc in Commentario. Ubi interpretatur duas clausulas, infirmata est altitudo populi terræ, et terra interfecta est ab habitatoribus suis. Proinde miror Sanctem dicere. Hier. in eo loco Isai. vertisse *infecta est terra ab habitatoribus suis*, idque in suo Thesauro, de hoc etiam disserit August. : « Putaremus hic scriptoris errorem esse, atque eum diceremus pro eo quod *est*, *infecta*, fecisse *interfectam*, nisi haberemus beneficium Dei, qui Scripturas suas in multis linguis esse voluit, atque ita esse scriptum, *interfecta est terra in sanguinibus*, inspectis Græcis codicibus videremus.

PSALMUS CVI.

PSALMI TITULUS : « ALLELUIA, ALLELUIA. »

Confitemini Domino quoniam bonus. Titulus : *Alleluia, alleluia.* Hic psalmus commendat misericordiam **135** Dei, habens in titulo bis alleluia, sicut et superior psalmus habuit bis alleluia, qui est de populo Israel : et hic quoque ; bis habet non incongrue, quia agit de universali Ecclesia, quæ constat ex duplici pariete, scilicet gentium et Judæorum, in uno angulari lapide collectorum (*Ephes.* II). Merito ergo habet duo alleluia, ut dicamus : Abba

D Pater, quamvis idem sit abba, quod pater, id est ut per duo alleluia intelligamus duos populos, quos intelligimus per illa duo nomina, quamvis idem significantia, quæ Apostolus posuit pro hac distinctione, dicens : *in quo clamamus, Abba Pater* (*Galat.* IV, *Rom.* VIII). Docet autem hic psalmus, quid simus per nos, scilicet infirmi et mali, et quid per misericordiam Dei, scilicet boni et filii Dei, ubi conteritur hominis superbia, et glorificatur Dei gratia, quæ de quatuor tentationibus liberat, [Aug.

quæ in sequentibus describuntur : de quibus per nos liberari non valemus. Intentio. Monet ad confessionem.

Modus. [Cassiod., Aug.] Septem sunt partitiones. Primo monet redemptos confiteri. Secundo ponitur prima tentatio, quæ est error, ubi est et fames, ibi, *erraverunt*. Tertio ponitur secunda tentatio, quæ est difficultas vincendarum concupiscentiarum, ibi, *sedentes in tenebris*. Quarto ponitur tertia tentatio, quæ est tædium benefaciendi, ibi, *omnem escam*. Quinto ponitur quarta tentatio, quæ est tempestas sæculi, quatiens Eccelsiam, turbans rectorem, ibi, *qui descendunt*. Sexto commendatur Ecclesia, quæ per gratiam Dei salva facta est, ibi, *posuit flumina*. Septimo agit de hæreticis, quibus destructis erigitur Ecclesia, ibi, *et pauci facti sunt*. Hunc psalmum partitur Aug. ut diximus (145). Unde Cassiodorus dicit se habere auctoritatem alios psalmos dividendi. Hunc tamen psalmum aliter distinguit. [Aug.] Propheta ergo commendaturus misericordiam Dei, de quatuor tentationibus liberantis, prius omnes fideles monet ad confessionem, dicens :

VERS. 1. — « Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus. »

Confitemini Domino, [Cassiod.] utroque scilicet modo peccata et laudes. Hoc nequit optime facere, qui non gustavit. [Aug.] Unde alibi : *Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus* (*Psal.* XXXIII). Confitemini dico, dicentes hoc : *Quoniam bonus* est Dominus, id est quod suavis est, et vere, *quoniam misericordia ejus* est *in sæculum*, [Haym.] id est in æternum, et quod dico de misericordia ejus.

VERS. 2. — « Dicant nunc omnes qui redempti sunt a Domino; quos redemit de manu inimici, « de regionibus congregavit, eos. »

Dicant nunc omnes qui redempti sunt, [Cassiod.] sanguine Christi, *a Domino*, [Aug.] *quos redemit de manu inimici*, id est diaboli, *de regionibus congregavit eos*, paulatim non omnes simul congregavit in unam civitatem, [Cassiod.] in unum populum Dei, qui prius per aras et lucos dæmonum raptabantur. Unde congregavit ?

VERS. 3. — « A solis ortu et occasu ; ab aquilone et mari. »

A solis ortu et occasu ; ab aquilone et mari, [Cassiod.] id est ab austro. Pro austro enim ponit mare Oceanum, illius partis intelligens, hoc pro qualibet parte potest accipi. Hic autem patet quod non de solis Judæis dicit.

PARS II. VERS. 4. — « Erraverunt in solitudine « in inaquoso ; viam civitatis habitaculi non invenerunt, »

Erraverunt in solitudine. [Aug.] Secunda pars, ubi prima tentatio exponitur, quæ est error, ubi est fames. Error autem iste, erat de eo quod viam veritatis, id est Christum nesciebant, ubi etiam egestatem veri panis patiebantur. Et notandum quia et in reliquis tentationibus hic ordo servatur, prius est tentationibus expositio, post clamor liberationis ; tertio, exauditio clamoris ; quarto, pro exauditione confessio, id est laudatio, quasi redemit, congregavit, quod necesse erat, quia, erraverunt, non habentes viam veritatis. Ipsi dico existentes, *in solitudine*, id est sine Deo, et *in inaquoso*, [Aug., Cassiod.] id est sine vera doctrina, quia *non invenerunt viam*, quæ est Christus. Viam dico, *civitatis habitaculi*, id est quæ ducit ad civitatem supernam, [Aug.] scilicet Jerusalem, in qua habitandum est. Sic erraverunt. Et præter errorem, erat eis inopia, quia ipsi erant

VERS. 5. — « Esurientes et sitientes ; anima eorum in ipsis defecit. »

Esurientes et sitientes, [Cassiod.] quia erant sine verbo cibi Dei, et potu gratiæ. Per hoc autem quod dicit esurientes et sitientes, curiosos sæculi significat, qui veritatem diversis opinionibus exquirebant, nec inveniebant : ideo *anima eorum defecit* a bono interiori. [Aug., Haym., Aug.] Et hoc ideo, quia mansit, *in ipsis*, id est quia non se excessit, sed se sibi sufficere putavit. Nota quod cum dicit, anima in ipsis defecit, non ostenditur Dei crudelitas, sed monstratur quomodo se commendat Deus, id est commendabilem ostendit se, permittens hominem deficere, quod nobis expedit; deficimus enim ut rogemus, et ut subvenientem amemus. Et ideo post hunc errorem, et famem et sitim, subditur :

VERS. 6. — « Et clamaverunt ad Dominum cum « tribularentur ; et de necessitatibus eorum eripuit « eos. »

Et clamaverunt [Aug., Haym.] Quasi dicat : *Et*, id est quia anima eorum defecit, ideo jam conjuncti, *clamaverunt ad Dominum cum tribularentur* errore et fame, *et de necessitatibus eorum*, id est malis inevitabilibus *eripuit eos*. Quid enim eis fecit ? ecce :

VERS. 7. — « Et eduxit eos in viam rectam ; ut « irent in civitatem habitationis. »

Et eduxit eos qui errabant *in viam rectam*, [Aug.] quæ est Christus, qui dicit : *Ego sum via* (*Joan.* XIV). Quasi dicat : Eripuit eos de ignorantia, ostendens eis Christum viam, *ut* per hanc viam *irent* bene operando, *in civitatem habitationis* cujus civitatis viam ante non invenerant. Ecce liberavit eos ab errore, de fame autem et siti, quibus gravabantur qualiter liberaverit, post dicet, sed præmittit de confessione.

VERS. 8. — « Confiteantur Domino misericordiæ « ejus ; et mirabilia ejus filiis hominum. »

Confiteantur. [Aug. Rem.] Quasi dicat : Quia liberavit ab errore. Ergo *misericordiæ ejus* non merita nostra, non vires, non sapientia. *Et mirabilia ejus* exhibita *filiis hominum*. [Haym.] id est cædem misericordiæ quæ datæ sunt mirabili modo redemptionis, *confiteantur Domino*, id est sint causa et

(145) Ex Cassiod., in contentione psa. et in titu.

materia omnibus laudandi Dominum. [Aug.] Quasi dicat : Dicite inexpertis, vos qui jam estis experti, qui estis in via positi, ad civitatem directi, de fame et siti liberati. Sequitur enim de liberatione :

VERS. 9. — « Quia satiavit animam inanem : et « animam esurientem satiavit bonis. »

Quia satiavit. [Aug.] Quasi dicat : Non solum duxit in viam, sed a fame liberavit, *quia satiavit animam inanem*, [Cassiod,] quæ erat vacua et sine Deo, *et animam esurientem*, id est scire appetentem, quando a Deo visitata medicum desiderabat, *satiavit bonis* spiritualibus. [Alcuin.] Vel, animam esurientem, id est non appetentem scire, sed nimia inedia deficientem. Satiavit bonis, et loquitur per simile, sicut solet contingere alicui nimia fame confecto, ut manducare non appetat, sed nimia inedia deficiat. [Aug.] Et nota diligenter in hac tentatione servatum ordinem præscriptum.

PARS. III. VERS. 10. — « Sedentes in tenebris et « umbra mortis ; vinctos in mendicitate et ferro. »

Sedentes. [Aug.] Tertia pars, ubi ponitur secunda tentatio, quæ est difficultas vincendarum concupiscentiarum. Jam enim iste positus in via Dei, scit quomodo vivere debeat, quod ante in errore nesciebat ; et si conatur efficere quod novit, ligatus consuetudine prava nequit. Non ergo suis viribus conetur, sed clamet ad Dominum, et jam erit facile quod erat difficile, scilicet abstinere a malis. Poterat hoc Dominus dare sine difficultate, sed tunc largitorem hujus honi, non agnosceremus, nisi prius obtinentes cupiditates sentiremus et nos hoc etiam posse consideremus. Quasi dicat : Satiavit animam inanem et esurientem, scilicet sedentes, [Cassiod.] id est minorantes, quia vincti erant consuetudine prava. Sedentes dico, *in tenebris*, id est in peccatis, *et in umbra mortis*, id est in vitiosa vita, quæ est imago futuræ mortis. Illos dico, *vinctos in mendicitate*, quia ipsi erant mendici per indigentiam boni, *et ferro*, quia vincula peccatorum quæ ligant eos ferrea et invincibilia sunt.

VERS. 11. — « Quia exacerbaverunt eloquia Dei, « et consilium Altissimi irritaverunt. »

Quia exacerbaverunt. [Aug.] Hoc aliud iterum conantem vincit, quia non agnoscens gratiam, sibi tribuebat, suam justitiam statuere volens, et consilium Dei circa se reprobabat. Unde addit : *Quia exacerbaverunt*. Quasi dicat : Ideo vincti sunt in mendicitate et ferro, quia *eloquia Dei exacerbaverunt*, per superbiam, justitiam Dei nescientes, et suam volentes constituere (*Rom.* x). Et sensus : [Cassiod.] Contra eloquia Dei agentes, in ejus regulis vivere respuerunt. Unde eis erat iratus. *Et consilium Altissimi irritaverunt* spernendo. Consilium enim Dei erat, ut qui superbi erant, in angustiis humiliarentur, quod erat salubre consilium, ut morbus sæculi, scilicet superbia remedio contrario, id est humilitate curaretur, sed hoc prius spreverunt. Ideo

VERS. 12. — « Et humiliatum est in laboribus « cor eorum ; et infirmati sunt, nec fuit qui adju« varet. »

In laboribus infirmati sunt, [Aug.] impotentes per se resistere vitiis, *nec fuit* alius *qui adjuvaret*. Præceptum enim auget peccatum, *et in his laboribus* tandem *humiliatum est cor eorum*. Deo enim desistente, ab auxilio laborare potes contra vitia, sed non vincere. Et te presso tua prava consuetudine humiliabitur cor, ut discat clamare. Unde subdit :

VERS. 13.— « Et clamaverunt ad Dominum cum « tribularentur ; et de necessitatibus eorum libera« vit eos. »

Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur, et de necessitatibus eorum liberavit eos. [Aug., Cassiod.] In simili causa eadem sententia, quæ et supra, clamorem sequitur liberatio.

VERS. 14. — « Et eduxit eos de tenebris et um« bra mortis ; et vincula eorum disrupit. »

Et eduxit eos de tenebris et umbra mortis, et vincula difficultatis *eorum disrupit*. [Aug.] Deinde pro liberatione sequitur laudatio, ergo,

VERS. 15. — « Confiteantur Domino misericordiæ « ejus : et mirabilia ejus filiis hominum. »

Confiteantur Domino misericordiæ ejus, et mirabilia ejus filiis hominum. [Aug.] Hoc supra expositum est, quare debent confiteri.

VERS. 16. — « Quia contrivit portas æreas ; et « vectes ferreos confregit. »

Quia has difficultates vicit, [Aug., Haym., Cassiod.] scilicet *contrivit portas æreas*, id est naturalem cupiditatem ; *et vectes ferreos*, id est diabolicas suggestiones *confregit*. *Portæ enim* æreæ sunt hominum consuetudines vitiosæ, quæ clausos non sinunt exire. Vectes sunt spiritus immundi, qui portas obserant. Æreas autem portas et ferreos vectes, pro fortitudine ponit, sed virtus Dei hæc frangit.

VERS. 17. — « Suscepit eos de via iniquitatis « **236** eorum : propter justitias enim suas humi« liati sunt. »

Suscepit eos. [Gl. int.] in altum boni operis *de via iniquitatis eorum*. Ideo dicit suscepit, [Cassiod.] quia longe ante erat a superbis, unde : Erant ad dejectionem interitus humiliati, unde subdit : *Propter injustitias enim suas*, quasi dicat : Bene dixi, de via iniquitatis eorum, propter injustitias enim suas, [Aug.] id est quia superbiendo sibi retribuebant, non Deo, suam injustitiam constituentes. *Humiliati sunt*, id est dejecti ad interitum ; et accipitur in malo. [Cassiod. Aug.] Vel in bono potest accipi. Humiliati sunt, id est invenerunt se nihil posse sine Deo.

PARS. IV. VERS. 18. — « Omnem escam abomi« nata est anima eorum, et appropinquaverunt us« que ad portas mortis. »

Omnem escam. [Aug.] Quarta pars, ubi ponitur tertia tentatio, quæ est tædium. Postquam enim venit de ignorantia ad veritatem, de errore ad viam, de fame sapientiæ ad verbum fidei, et postquam

difficultates vicit, ut sine querela vivat, restat adhuc tædium, ut aliquando nec legere, nec orare eum delectet. Evasit ergo imperitiam et concupiscentiam; sed moritur tædio. Qui ergo superius fame languebant, item fastidio periclitantur. Ne ergo putes de satietate securos, quia et fastidio moriuntur. Et hoc est, *omnem escam*, etc., Quasi dicat : Suscepit eos de via iniquitatis, tamen *anima eorum abominata est omnem escam*. [Cassiod. Aug.] id est verbum Dei, unde anima vivit. Ne autem leve putes, addit: *Et appropinquaverunt usque ad portas mortis*, id est ad defectum animæ. [Aug.] Restat ergo ut, si delectet te verbum Dei, nec hoc tibi tribuas, neque hinc aliqua infleris arrogantia, et avidus cibi in eos qui fastidio periclitantur, non superbe insilias, intelligens hoc non a te tibi esse, vitium quoque tuum, et langorem tuum sentiens, clama, fac quod sequitur :

VERS. 19. — « Et clamaverunt ad Dominum cum « tribularentur, et de necessitatibus eorum liberavit « eos. »

Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur, et de necessitatibus liberavit eos. [Aug.] Deinde subdit quomodo liberavit.

VERS. 20. — « Misit verbum suum, et sanavit « eos; et eripuit eos de interitionibus eorum. »

Misit verbum suum et sanavit, [Aug.] cujus fastidio languor erat, *et sanavit eos*, *et eripuit eos*, non de errore vel fame, non de difficultate vincendi peccata, sed *de interitionibus eorum*, id est de corruptela mentis quæ fastidit quod dulce est. Ergo et de hoc.

VERS. 21. — « Confiteantur Domino misericordiæ « ejus; et mirabilia ejus filiis hominum. »

Confiteantur Domino misericordiæ ejus, *et mirabilia ejus filiis hominum*. (146) Expositum ne exponas, ne actum agas.

VERS. 22. — « Ut sacrificent sacrificium laudis, « et annuntient opera ejus in exsultatione. »

Ut sacrificent sacrificium laudis. [Aug.] Jam enim ut laudetur suavis est Dominus : *Et annuntient opera ejus in exsultatione*, non cum tædio et mœrore.

PARS. V. VERS. 23. — « Qui descendunt mare in « navibus; facientes operationes in aquis mul- « tis. »

Qui descendunt. [Aug.] Quinta pars, ubi exponitur quarta tentatio, quæ est tempestas sæculi, de tribus namque tentationibus liberatus, jam fortasse dignus est, cui populus committatur, qui in tabernaculo navis, id est Ecclesiæ constituatur, ibi, quarta tentatio occurrit, scilicet tempestas sæculi, quatiens Ecclesiam, et turbat rectorem. Hoc enim periculum maxime pertinet ad rectores. Quanto enim plus honorantur, tanto magis periclitantur. Cujus tamen periculi non erunt expertes subditi, si tota navis periclitatur. Quasi dicat : Annuntient opera ejus.

A [Haym., Cassiod. Hier., Aug.] Illi utique *qui descendunt* a contemplativa vita, *in mare*, id est ad activam vitam laboriosam. Vel in mare, ad procellam sæculi, scilicet ut pro Christo fluctus tentationum patiantur. Ipsi dico existentes, *in navibus*, id est in Ecclesiis, quas gubernant : quæ dicuntur naves, quia fluctibus sæculi tonduntur, sed non franguntur. Ipsi dico, *facientes operationem* dum prædicant et hujusmodi, *in aquis multis*, id est in populis multis. Et

VERS. 24. — Ipsi viderunt opera Domini; et mi- « rabilia ejus in profundo. »

Ipsi singulariter. Quasi dicat : Præ cæteris, *viderunt opera Domini, et mirabilia ejus in profundo* sæculi, [Aug., Haym.] id est viderunt quæ Deus B mirabiliter operatur in cordibus humanis. Profundum enim sæculi est cor hominum, unde venti erumpunt, et fiunt tempestates seditionum et dissensionum Deo permittente.

VERS. 25. — « Dixit et stetit spiritus procellæ : « et exaltati sunt fluctus ejus. »

Dixit et stetit. [Aug.] Quasi dicat : Et quid agitur in hoc profundo? ecce Deo permittente surgit persecutio. Et hoc est : Deus volens ut ad eum clament, et qui gubernat, et qui vehitur vel gubernatur, *dixit*, id est permisit; *et stetit spiritus procellæ*, [Aug., Haym.] id est tyrannica persecutio, vel diabolus.

[Cassiod.] Vel aliter ab illo loco : *Ipsi videbunt*. Quasi dicat : Et *ipsi* rectores *viderunt*, id est spiC ritualiter intellexerunt, *opera Domini*, ut in mari Rubro, baptismum, sic et in cæteris, eo quod fit, ut *et mirabilia ejus in profundo* videant, quia opera ejus profunda æstimatione considerant; sed ne inde tumescerent, exponit procellas eorum, subdens : *Dixit et stetit spiritus procellæ*. Hoc non mutatur. Et quid fecit spiritus? ecce, *et exaltati sunt fluctus ejus*. Qualiter ostendit :

VERS. 26. — Ascendunt usque ad cœlos, et « descendunt usque ad abyssos; anima eorum in « malis tabescebat. »

Ascendunt persecutores [Aug., Cassiod.], audendo *usque ad cœlos* quando sæculi elationibus eriguntur contra Deum. *Et descendunt* timendo, *usque ad abyssos*, [Cassiod. Gl. int.] cum in desperationem D et metum veniunt. Vel, usque ad abyssos, [Aug.] id est usque in gehennam. *Et in* his *malis anima eorum* rectorum *tabescebat*. Et

VERS. 27. — « Turbati sunt et moti sunt sicut « ebrius; et omnis sapientia eorum devorata « est. »

Turbati sunt confusione sensus, [Cassiod., Aug., Alcuin. Aug.] *et moti sunt* experti rectores hoc sentiunt. Moti dico, *sicut*, *ebrius*. Sicut ebrii titubant, quia prosperitas eorum vel adversitas major est viribus. In quiete sapientes apparent, quando loquuntur, quando legunt; sed veniente tempestate, omnia

(146) Hieronym., lib. I adversus Pelag.

humana consilia deficiunt, et quid agendum sit non vident : Unde subdit : *Et omnis sapientia eorum devorata est.* Unde Apostolus ait : *Supra modum gravati sumus, ita ut tæderet nos vivere,* et *ipsi in nobis responsum mortis habuimus, ut non simus fidentes in nobis* (*II Cor.* I). Quacunque enim se convertunt, fluctus fremunt, tempestas sævit, brachia deficiunt, quo prora impingatur, quo navis impulsa dimittatur, a quibus saxis ne pereat, refrenatur, omnino a rectoribus non videtur. [Cassiod.] Restat ergo clamare, ut cor eorum solidet Deus, ne tentationibus ventiletur.

VERS. 28. — « Et clamaverunt ad Dominum cum « tribularentur ; et de necessitatibus eorum eduxit « eos. »

VERS. 29. — « Et statuit procellam ejus in au« ram : et siluerunt fluctus ejus. »

Et statuit procellam ejus in auram maris, [Haym. Gl. int.] id est sæculi prædicatores, *in auram,* scilicet levem ventum, id est procellas temperatas fecit, et tolerabiles. Vel, in auram, id est in serenitatem quietis æternæ. *Et siluerunt fluctus ejus.*

VERS. 30. — « Et lætati sunt quia siluerunt : et « deduxit eos in portum voluntatis eorum. »

Et lætati sunt rectores fessi, *quia siluerunt fluctus* hoc faciunt fessi post laborem, [Cassiod.] id est lætantur. *Et* Dominus *deduxit eos in portum voluntatis eorum,* [Gl. int.] id est in tranquillitatem optatam, vel in æternam beatitudinem, ergo

VERS. 31. — « Confiteantur Domino misericordiæ « ejus ; et mirabilia ejus filiis hominum. »

VERS. 32. — « Ut exaltent eum in Ecclesia ple« bis, et in cathedra seniorum laudent eum. »

Ut exaltent eum omnes *in Ecclesia,* [Gl. int.] id est pro Ecclesia *plebis,* id est laudent eum omnes pro bene rectis : *Et laudent eum* omnes, *in cathedra,* id est pro cathedra *seniorum,* id est pro bene regentibus. Vel ita : [Aug.] Exaltent eum, illi qui sunt in Ecclesia plebis, id est laudent eum populi minores qui reguntur. *Et laudent eum,* illi qui sunt in cathedra seniorum, id est laudent eum seniores qui regunt. Ecce cum dicit in Ecclesia, aperte demonstratur unde dixit, scilicet de Ecclesia, ubi omnia prædicta aguntur.

PARS. VI. VERS. 33. — « Posuit flumina in deser« tum ; et exitus aquarum in sitim. »

Posuit flumina. [Alcuin.] Sexta pars. Hactenus dixit quomodo ad civitatem adducit quomodo vivat, quomodo pascit, quomodo regit. [Aug.] Consequenter ipsa Ecclesia commendatur, ita ut, nobis in omnibus Dei gratia prædicetur, qui superbis resistit, humilibus dat gratiam (*Jac.* IV). Et ut evidenter appareat, de qua psalmus ab initio loquebatur, commendatur econtra ubi dicit, quomodo etiam mala inimicorum prodesse facit Ecclesiæ. Hic ergo est commendatio Ecclesiæ quæ per gratiam Dei salva facta est, non per meritum suum, et memoratur subsequenter inimicorum afflictio propter superbiam eorum, quibus exstinctis erecta est

A Ecclesia, quæ præfecit propter insidias et domestica detrimenta, quæ fiunt ab hæreticis. Unde et erga Ecclesiam Dei beneficia evidenter monstrantur. [Aug.] Quasi dicat : Exaltent eum in Ecclesia. Et si quæris, quare? quid enim in Ecclesia fecit? ecce superbis resistit, humilibus dat gratiam, et primo dicit qualiter superbis resistit, cum ait : *Posuit flumina,* id est Judæos, ubi aquæ, scilicet doctrinæ erant ubi curabant prophetæ, *in desertum,* quia jam non est in eis propheta, non est ibi fides Christi, nec sacerdos, nec sacrificium, nec templum. Item aliis verbis idem dicit : *Posuit exitus aquarum,* id est Judæos. Unde aliis manabant aquæ doctrinæ, *in sitim.* Item idem dicit :

VERS. 34. — « Terram fructiferam in salsuginem,
B « a malitia inhabitantium in ea. »

Terram fructiferam, [Cassiod.] prius, secundum opera bona quæ faciebat, posuit *in salsuginem,* id est in sterilitatem, quæ per salsuginem ideo intelligitur, quia salsus humor, ubi dominatur, tollit fecunditatem ; et quo merito hoc? ecce, hoc fecit, *a malitia,* id est pro malitia, *habitantium in ea,* id est Scribarum et Pharisæorum dominantium, ibi, id est propter malitiam illorum, qui terram illam, Aug.] id est tabernaculum Domini dolosis mentibus habitabant. Ecce quomodo resistit superbis. Deinde dicit quomodo humilibus gratiam dedit.

VARS. 35. — « Posuit desertum in stagna aqua« rum, et terram sine aqua in exitus aquarum. »

237 *Posuit desertum* [Haym., Gl. int.] id est
C gentes, *in stagna aquarum,* ut aquæ in eis maneant. Et repetit idem *et terram* prius *sine aqua* posuit *in exitus aquarum,* unde aliis emanent aquæ vivæ.

VERS. 37. — « Et collocavit illic esurientes, et constituerunt civitatem habitationis. »

Et collocavit illic [Aug., Cassiod.], id est in gratia, *esurientes* qui avide susciperent. Unde *edent pauperes et saturabuntur* (*Psal.* XXI). Et hi tales *constituerunt* firmiter præceptis Dei obediendo *civitatem habitationis,* id est Ecclesiam, ubi interim habitetur in spe.

VERS. 37. — « Et seminaverunt agros, et plan« taverunt vineas, et fecerunt fructum nativitatis. »

Et seminaverunt verbo Dei, *agros et plantaverunt vineas.* [Cassiod.] Seminant agros, et plantant
D vineas, qui corpora sua cœlesti institutione purificant ut fructus bonorum operum ferant. Unde subdit, *et fecerunt fructum nativitatis,* id est naturalem, non degenerem.

VERS. 38 - « Et benedixit eis, et multiplicati sunt nimis : et jumenta eorum non minoravit. »

Et ideo *benedixit eis* [Cassiod. Gl. int., Alcuin.] econtra sterili ficui maledicitur. *Et multiplicati sunt* numero vel merito, pro benedictione, et hoc *nimis* id est valde. Vel ideo dicit nimis, quia multi vocati, pauci vero electi. *Et jumenta eorum* [Aug.] id est simplices, sed utiles, qui non sunt a Deo docti, sed tamen fide pleni, *non minoravit,* quia firmum stat fundamentum Dei, quia novit Dominus qui sunt

ejus (*II Tim.* II) et justus animas jumentorum suorum. Pars. 7. Vers. 39 — « Et pauci facti sunt, et « vexati sunt a tribulatione malorum et dolore. »

Et pauci [Aug.] Septima pars, ubi dicitur etiam aliquid de hæreticis, quibus quasi civilibus bellis quatitur Ecclesia. Unde et circa Ecclesiam divina beneficia commendantur. Et notandum quod ita verba conjungit, quasi de his dicat, de quibus ante loquebatur, cum tamen supra de bonis, hic de hæreticis agat : De quibus quasi de eisdem cum prædictis loquitur, propter communia sacramenta, propter speciem pietatis, non propter virtutem. Unde Joan. ait : *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis* (*I Joan.* II), [Aug. Alcuin.] id est exierunt de multitudine vocatorum, sed non erant de paucitate electorum, quasi dicat : Boni multiplicati sunt nimis. Et præsumentes de se hæretici *Pauci facti sunt*; omnes enim divisi ab unitate fidei, pauci sunt, non tam numero quam meritis [Hier.] Multi vero sunt qui in unitate fidei persistunt ideoque de hæreticis dicit Osee propheta : *Da eis, Domine*, (*Ose.* IX) quid dabis eis? Vulvam sine liberis, et ubera arentia. *Et vexati sunt*, scilicet hæretici. *A tribulatione malorum et dolore*, [Cassiod.] id est ab insidiis diaboli et angelorum ejus. Dolor enim tribulatio est his qui auctorem salutis relinquunt.

Vers. 40. — « Effusa est contentio super principes ; « et errare fecit eos in invio, et non in via. »

Effusa est contentio, [Aug. Alcuin.] vel effusus est contemptus, alia littera, *super principes* hæreticorum, id est super heresiarchas, et magistros hæresium. Reprobati sunt enim ab Ecclesia et magis contempti sunt, quia principes esse voluerunt. De quibus Dominus per Osee prophetam : *Ipsi regnaverunt, et non ex me, principes exstiterunt et non cognovi* (*Ose.* VIII). [Aug. Alcuin.] Isti facti sunt sal infatuatum, quod projectum est foras, et conculcatur ab hominibus : quo quid vilius est et magis contemptum ? Vel aliter : *Et pauci*, agit de eisdem bonis, de quibus ante egerat, quasi dicat : Multiplicati sunt et tunc ipsi boni, pauci *facti sunt*, id est per illos, scilicet hæreticos imminuti sunt. *Et vexati sunt*, boni persistentes in fide, *a tribulatione malorum*, scilicet hæreticorum, id est a tribulatione facta per hæreticos, *et dolore*, habito pro cadentibus. Ideo boni vexati sunt, quia *effusa est contentio super principes eorum*, scilicet hæreticorum, [Aug.] id est quia superbi hæresiarchæ contendunt contra Catholicos, *et* Dominus *errare fecit*, vel seduxit *eos* principes, relinquendo eos sibi. Unde : Tradidit Deus eos in reprobum sensum. Hoc ergo modo seduxit, quia donavit illos sibi ipsis. Nam si proprie inquiras, ipsi se seducunt. Qui enim putat se aliquid esse, cum nihil sit, seipsum seducit. Seduxit ergo eos, dimittendo eos. Et *in invio, et non in via*. Illi boni de quibus supra dixit, in via sunt positi, et ad civitatem habitaculi directi. Isti vero superbi relicti sunt a Deo in invio seducti, et nullo modo in via sunt. Quomodo enim est in via, qui partem tenet, et to-

A tum relinquit ? et quia de illis seductis fecit ? ecce.

Vers. 41. — « Et adjuvit pauperem de inopia : « et posuit sicut oves familias. »

Et adjuvit de illis *pauperem*. [Aug.] Potuit illos Deus pati semper intus, sed nos de illis non proficeremus. Cum autem separati per quæstiones nos inquietant, nobis nascitur inquisitionis studium, et timoris exemplum, ut qui stat, videat ne cadat, sicut illi ceciderunt. Et est sensus : Abjecti sunt superbi, et instructus est humilis, quod ita dicit : *Et adjuvit pauperem de inopia*, vel de mendicitate, id est quia se mendicum et inopem reputat, qui nihil sibi dat, sed totum de misericordia Dei exspectat, ante januam Dominicam clamans et pulsans, ut aperiatur ei, qui adjuvatur plurimum, de ipsa separa-
B tione hæreticorum. Et quid fit in paupere adjuto de illis seductis ? multæ familiæ : Unde subdit : *Et posuit* illum pauperem, *familias*. Pauperem dico, existentem. Vel familias dico existentes *sicut oves*, [Cassiod., Aug.] propter simplicitatem et innocentiam. Ecce quasi unum pauperem putabas, sed iste pauper est multæ familiæ, id est multæ Ecclesiæ, tamen et una est Ecclesia, et una ovis. [Haym., Aug.] Vel ita : Adjuvit pauperem, et per adjutum pauperem, posuit familias sicut oves, id est servat familias in innocentia. Hæc autem tanta mysteria diu latentia, et ideo dulciter inventa.

Vers. 42. — « Videbunt recti et lætabuntur : « et omnis iniquitas eorum oppilabit os suum. »

Videbunt recti et lætabuntur [Aug.] Ecce quo
C psalmus tendat, ad hoc scilicet, ut ostendat, quod boni per misericordiam Dei exaltantur, et mali per superbiam conteruntur. Unde subdit : *Et omnis iniquitas* garriens contra veritatem convicta, *oppilabit os suum*.

Vers. 43. — « Quis sapiens et custodiet hæc « et intelliget misericordias Domini ? »

Quis sapiens. [Aug.] Ecce conclusio psalmi : Quasi dicat : Et quia totum pauperem adjuvat Dominus. Ergo *Quis est sapiens et custodiet hæc ?* scilicet ut sit pauper, et non dives, non superbus, non inflatus. Quasi dicat : Qui est sapiens, hæc custodiet. Quare custodiet ? *et* id est quia, *intelliget* non merita sua, non vires suas, in his gloriando, sed *misericordias Domini* scilicet quod de errore liberat, et de consuetudine prava, et de tædio, et de nau-
D fragio : Quod denique constituit eum in populo, non ubi superbis resistit, sed ubi humilibus dat gratiam (*Jac.*, IV). Intelligit etiam quid Deus fecit, ut intus manens multiplicetur, non foras exiens minuatur. Hæc vident recti, et lætantur, et iniquitas os suum oppilat.

COLLATIO IN PSALMUM CVI : « CONFITEMINI DOMINO, QUONIAM BONUS, etc. »

Vers. 17. — *Suscepit eos*. Pro his duobus verbis Hieronymus ponit unicum, *stultos*. Et item cæteri. Heb. אולים EVILIM. LXX videntur deflexisse a themate אלם ILLEM, id est *collegit*, ut sit אלמם ILLAMAM, *collegit*, eoque suscepit eos, etiam si id verbi, proprie manipulos colligere notet.

Vers. 25. — *Stetit spiritus procellæ.* Tribus telis impetiit hunc locum Faber cum suo Cæco, quibus nititur ostendere hanc lectionem esse adversam Hebraicæ veritati. Primum quod verterit Hier. *Surrexit ventus tempestatis.* Addo etiam illud quod transtulit Munsterus, *excitat ventum procellosum.* Atqui *stare spiritum procellæ*, et *surgere ventum tempestatis* aut *excitari inter se* pugnant. Responsio est in promptu. Cum Heb. dicatur ויעמד VAJAAMED, et sit verbum HIPHIL, quod vocant, proprie significat, *fecit stare,* quemadmodum etiam verterunt interpretes pro Cajetano. Sed et Nebiensis, Sanctes simul et Pellicanus, similem vocem omnino nostræ lectioni dixerunt, *stetit.* Si vidisses Aug. enarrationem, intellexisses quid sit *stare spiritum procellæ.* Ait ergo : Quid est *stetit?* permansit, perduravit. Secundum quod objicit, *Qui potest stare spiritus procellæ,* cum mox sequatur, et *exaltati sunt fluctus ejus?* Si stetit, ergo sedatus. Si fluctus ejus exaltati, ubi erat tranquillitas? Sed audi iterum Augustinum : « Adhuc turbat, diu jactat, sævit, et non transit. » Quamvis etiam non esset contra veritatem Hebraicam, si sic acceperimus, *fecit stare ventum procellæ,* id est sedavit. Siquidem collocare ventum, dupliciter est, aut qui non erat excitando, aut excitatum compescendo. Nec reclamat quod subtexitur, *et exaltati sunt fluctus ejus.* Quin pluribus modis hac ratione virtutis divinæ imperium significatur, dixit *stetit spiritus procellæ.* Et rursus quando libitum est, *exaltati sunt fluctus ejus.* Tertium quod opponit ex vicesimo nono versu : *Et statuit procellam ejus in auram,* quasi adversetur quod prius steterit spiritus procellæ, ex his mox dictis diluitur.

Vers. 40. — *Effusa est contentio super principes.* Hic potest videri vitio scriptoris positum, *contentio,* pro *contemptio.* Sic enim habet et exponit Aug. *contemptus.* Et Græce similiter legitur ἐξουδένωσις. Præterea Hier. et alii Hebraicantes, verterunt *despectionem.* Nolo quidem stulta contentione, de nomine contentionis, librariorum defendere errorem, invenio tamen aliquot vetustos tractatores, qui *contentionem* olim legerunt et exposuerunt. Nam D. Greg. lib. IX, Mor., cap. 4, ad illud Job XXIX : *Principes cessabant loqui.* » Qui hoc loco alii duces intelligi vel principes possunt, nisi hæreticæ pravitatis auctores? De quibus per psalmum dicitur : *Effusa est contentio super principes eorum, et seduxerunt eos in invio, et non in via.* Super quos recte effusa contentio dicitur, quia suis sibi vicissim allegationibus contradicunt. Et aliquanto prior Cass. breviter sacerdotes hæreticorum designati atque notati sunt, a quibus merito dicitur, effusa contentio, quia non salutari doctrina, sed tantum mortifera loquacitate contendunt. Postremo his superior Arnobius legit et interpretatur *contentio,* quanquam non ita aperte. Proinde perscrutandum merito venit, si quid in Hebr. respondere deprehendatur, quod ad contentionem faciat, et non solum despectionem, quanquam ex contentionibus soleant suboriri despectiones et contra. Age. Hic legimus Hebr. בוז BUZ; deinde duo verba invenimus, בזה BAZAH, quod est *contempsit,* etc. בוז BUZ, quod est *spoliavit, deprædatus est,* eoque non video quid vetet, quominus בוז BUZ, significare valeat *direptionem,* in qua quidam proprium locum, habere solet, *contentio.* Tamen ut prædixi, sensui meo credere nolim. Tandem vero clare facit nobiscum Chaldæa translatio, *misit contentionem super principes.*

PSALMUS CVII.

PSALMI TITULUS : « CANTICUM PSALMI IPSI DAVID. »

Paratum cor meum. Titulus : *Canticum psalmi ipsi* David [Cassiod.] Iste est sextus psalmus de duabus naturis in Christo, ubi plura eadem continentur, quæ supra in duobus aliis psalmis dicta sunt : Quæ autem aliter sunt, parum differunt. [Aug.] Ex postremis namque partibus duorum præcedentium psalmorum scilicet LVI, et LIX quorum diversi sunt tituli, hic psalmus componitur. Nam postrema pars LVI psalmi, prima pars est hujus psalmi, usque ad illum versum, ubi dicitur. Et super omnem terram gloria tua. Inde usque terram ad finem. **238** Postrema pars LIX est psalmi. [Aug.] Unde sciendum est titulos, qui de historia poni videntur secundum prophetiam, id est spiritualem intelligentiam debere accipi, et utrumque illum psalmum ad unum concurrere intellectum, non superficie historiæ, sed altitudine prophetiæ copulatis partibus utriusque in isto psalmo, cujus titulus neutri istorum est similis, nisi quod hic et ipsi David, sicut ibi. Ideo autem hic psalmus qui componitur ex his duobus, quorum tituli sunt diversi intitulatur ipsi David, ut significetur quoniam multis partibus multisque modis olim quæ Deus locutus est patribus in prophetis, tandem locutus est nobis in Filio (*Hebr.* I), quem misit ut compleantur eloquia prophetarum, et mirabiliter, quæ in diversis psalmis dicta sunt (147), in unam veniunt in hoc psalmo convenientiam, ut quasi diversi sapores condiantur in pastum animæ. Unde licet etiam cantoribus adhuc multa compingere. Sicut et David legitur in Paralipomenon ante arcam laudes Dei cantasse, diversis partibus psalmorum in unum adunatis (*I Paral.* IV). Et bene junguntur, quæ nullatenus repugnant. Verba autem de duobus prædictis psalmis ad alium intellectum in hoc psalmo ducuntur, quem ibi continent, secundum historiæ superficiem. [Aug., Alcuin.] In primo namque agitur de fuga David; secundo, de victoria et fortitudine ejusdem. Hic vero de alio agitur, de Christi scilicet humilitate, secundum hominem, et altitudine secundum Deum : quod ostendit mutatus titulus. Et est sensus tituli : *Canticum* istud *psalmi* quod dicitur canticum, [Cassiod.] quia agit de mentis jucunditate; et psalmi, quia monet ad bona opera : Canticum enim ad divinas res : Psalmus, ad actuales operas pertinet, attribuitur *Ipsi David,* id est Christo, qui hic loquitur. Intentio monet ut Christum Deum et hominem credamus.

Modus. Bipartitus est psalmus. Primo Christus Patri gratias agit, quia suscipiens passionem resurrexit in gloriam. Secundo dicit quæ salus sit facta omni terræ, super quam est gloria Domini, ibi, *ut liberentur.* Christus ergo secundum quod homo agens gratias Patri, ait : O

Vers. 1. — « Paratum cor meum, Deus, paratum « cor meum; cantabo et psallam in gloria mea. »

(147) Ex Cassiod. in conclusione psalmi.

Deus, paratum est *cor meum* ad laudes, [Cassiod.] quia peccatis non tardatur. Et repetit : *Paratum est cor meum*. Et ideo *cantabo* in me et in meis *Et psallam*. Hæc duo jungit, quia cum spirituali cantico semper conjungi debent bona opera. [Haym.] Et hoc *in gloria mea*, resurrectionis, id est consideratione gloriosæ resurrectionis. Supra in psalmo unde sumptum est dicitur : Cantabo, et psallam. Exsurge, gloria mea. [Aug.] Sed non est ibi alius sensus ab eo quod hic dicitur, quia et ibi ad hoc dicitur : Exsurge, gloria mea, ut in eo cantaretur et psalleretur.

VERS. 2. — « Exsurge, gloria mea, exsurge, psal-« terium et cithara, exsurgam diluculo. »

Exsurge. [Gl. int.] Hoc dicit Pater ad Filium, vel Filius ad corpus sibi unitum. Quasi dicat : Cantabo et psallam. [Cassiod.] Ut autem hoc fiat, *exsurge*, tu qui es *psalterium*, quantum ad morum probitatem, *et cithara*, quantum ad passionem. Deinde Filius respondet Patri. *Exsurgam diluculo* Dominicæ diei, et tunc

VERS. 3. — « Confitebor tibi in populis, Domine, « psallam tibi in nationibus. »

Confitebor tibi in populis, Domine, et *psallam tibi in nationibus*. [Cassiod.] Et merito,

VERS. 4. — « Quia magna est super cœlos mise-« ricordia tua ; et usque ad nubes veritas tua. »

Quia magna est super cœlos misericordia tua, [Cassiod.] id est spirituales, quia et angeli beneficiis ejus fruuntur ibi. In alio psalmo præcedenti dicitur: *Magnificata est misericordia tua usque ad cælos*, [Aug.] scilicet ut magna sit etiam in cœlis, quod et hic dicitur. Idem enim sensus est in his verbis et in illis. Et *veritas tua* magna est *usque ad nubes* apostolicas, [Cassiod.] quas compluere facit populos. Deinde duobus prædictis duo alia reddit. Quasi dicat : Quia misericordia tua est super cœlos. Ergo, o

VERS. 5. — « Exaltare super cœlos Deus ; et su-« per omnem terram, gloria tua, ut liberentur di-« lecti tui. »

Deus, Verbum, *exaltare*, [Haym., Cassiod.] id est altum te ostende *super cœlos*. Ille enim cujus misericordiam habent cœli, jure super cœlos debet exaltari. Et quia veritas tua est usque ad nubes, merito. *Et gloria tua super omnem terram*, est exaltanda. *Ut liberentur*. Secunda pars, ubi dicit quæ salus sit facta omni terræ super quam est gloria Domini. [Cassiod.] Hic etiam humilitas humanitatis Christi, et potentia majestatis ostenditur. [Alcuin.] Quasi dicat : Exaltare, et ut liberentur in futuro *dilecti tui*, hic in præsenti,

VERS. 6. — « Salvum fac dextera tua et exaudi « me ; Deus locutus est in sancto suo. »

Salvum me fac. [Gl. int.] Dicit Christus pro membris, id est salva eos qui mecum unum sunt, ne cadant. Et hoc *dextera tua*, id est per favorem et propitiationem tuam, *et exaudi me* orantem pro eis. [Cassiod.] Vel de seipso loquitur Christus, et petit se salvari in resurrectione, ut fideles liberentur, qui tali signo deitatem ejus senserunt. Quasi dicat : Ut cantem et psallam, salvum me fac, [Alcuin., Gl. int.] in resurrectione, dextera tua, id est per Verbum qui est brachium Patris. Ut sic liberentur dilecti tui, et exaudi me. Ordo verborum conversus est. Dicit enim : Salvum me fac et exaudi, pro exaudi, et salvum me fac. *Deus locutus est*. Quasi dicat : Oro exaudiri, quod non dubium, quia, Deus locutus est *in* me *sancto suo*. [Cassiod.] Non ait per sanctum, ne per eum putaretur loqui, ut per prophetas et apostolos. In homine enim Christo, est per gratiam unionis, in illis vero per gratiam adoptionis (148). Vel propheta dicit hoc de Christo. Quasi dicat : Ita oravit, et quod oravit fiet, quia Deus locutus est in sancto suo, id est in Christo.

VERS. 7.— « Exsultabo, et diluam Sichimam et con-« vallem tabernaculorum dimetiar. »

Exsultabo [Alcuin.] Loquitur hic Christus in persona Ecclesiæ, et ait *exsultabo*, (Aug.) vel, *exaltabor*, alia littera. Supra in alio psalmo dixit, *lætabor*, hic vero *exsaltabor*. Quod satis convenit, quia de exaltatione est lætitia. Et *diluam Sichimam et convallem tabernaculorum dimetiar*.

VERS. 8. — « Meus est Galaad, et meus est Ma-« nasses ; et Ephraim susceptio capitis mei. »

Meus est Galaad, et meus est Manasses. Hæc supra plene exposita sunt. Et Ephraim, *meus est*, (Aug.) id est, mea est fructificatio, quæ est *susceptor capitis mei*, id est hæc fructificatio et ex eo quod caput suscepit me. Vel ego ipsum. Supra in alio psalmo habetur fortitudo, pro quo hic legitur susceptio, quod bene congruit, quia suscipiendo fortes nos facit, scilicet cum ipse Christus nos suscipit, vel cum eum nos suscepimus. (Cassiod.) Vel ita, Ephraim, id est fructificatio est, susceptor capitis mei, quia dum spineam coronam caput meum suscepit ultra omnes fructificavit. Totum enim lucratum est mundum.

VERS. 9. — « Juda rex meus ; Moab lebes spei « meæ. »

Juda, de quo Christus. Et ideo per Judam Christus intelligitur, (Aug.) est *rex meus*, *Moab* est *lebes spei meæ*.

VERS. 10. — « In Idumæam extendam calcea-« mentum meum ; mihi alienigenæ amici facti sunt. »

VERS. 11. — « Quis deducet me in civitatem mu-« nitam ? quis deducet me usque in Idumæam ? »

Quis deducet me in civitatem munitam ?(Cassiod.) Loquitur hic Christus. *Et quis deducet me usque in Idumæam* ? Sicut homo quærit Christus ut respondeat, negat hoc ab homine posse fieri. Civitas munita infernus est, quam nullus poterat aperire. Idumæa sunt gentes quibus post resurrectionem innotuit. Hæc autem a sola deitate poterant fieri.

(148) Ex Aug., in psalmum LXXXIX.

Vers. 12. — « Nonne, tu Deus qui repulisti nos? A
« Et non exibis, Deus, in virtutibus nostris.

Nonne, tu Domine, facies hoc, scilicet *qui repulisti nos*. [Cassiod.] Pluraliter dicit nos, quia hæc Christus cum membris patitur; et ipse enim repelluntur, dum tribulationibus exponuntur. Supra vero loquebatur singulariter dicendo, *deducet me*, etc. *Et non* egredieris, *Deus, in virtutibus nostris*.

Vers. 12. — « Da nobis auxilium de tribulatione, « quia vana salus hominis. »

Vers. 13. — « In Deo faciemus virtutem, et ipse « ad nihilum deducet inimicos nostros. »

In Deo faciemus virtutem, et ipse ad nihilum deducet inimicos nostros, [Aug.] qui supra in alio psalmo dicti sunt tribulantes. Horum omnium expositiones requiro in psalmo LXIX.

COLLATIO IN PSALMUM CVII : « PARATUM COR MEUM « DEUS, » etc.

Vers. 1. — « *Paratum cor meum*. Resumitur quod non est in Hebræo, sed in Septuaginta, ad rei emphasim, quod aliquoties admonitum est. Alia quæ facere videntur varietatem conciliata sunt ut potuimus, psalmo LIX, ubi idem versus sunt qui hic a quinto ad calcem.

Vers. 10. — « Unum adnotandum, quod Hieronymus ad Suniam et Fretellam scribit illud *mihi alienigenæ subditi sunt*, ut in Latino legitur hic, haberi in Græco et Hebræo : *Mihi amici facti sunt*, psalmo autem LIX, *subditi sunt*. Dicit enim hic, legi ἐφίλωσαν, id est *amici facti sunt*. Idque apud omnes translatores, illic autem ὑπετάγησαν, id est *subditi sunt* cum tamen codicibus, quos videre licuit, utrobique habeamus, ὑπετάγησαν.

PSALMUS CVIII.

PSALMI TITULUS : « IN FINEM PSALMUS IPSI DAVID. »

Deus laudem meam. Titulus : *In finem psalmus David* (149). Titulus patet, psalmus iste est, quintus eorum qui latius de Christi passione agunt. Prophetia enim hic de Christo esse ostenditur in Actibus apostolorum, [Aug.] ubi de Juda prophetatum hoc esse quod hic legitur a Petro dicitur, scilicet *Episcopatum ejus accipiat alter* (*Act.* I). De quo tamen solo non omnia quæ hic dicuntur possunt accipi, sed de genere inimicorum Christi, ingratorumque Judæorum. Ut enim Petrus typum Ecclesiæ gerit, ita Judas personas inimicorum Christi portat, quibus congruuntur etiam ea quæ de Juda expressa sunt, ut illud : *Et episcopatum ejus accipiat alter*. [Cassiod.] Intentio. Monet Judæ malitiam declinare, et Christi humilitatem imitari. Modus : Tripartitus est psalmus. Primo incipiens Christus a prece increpat Judæos, qui reddunt mala pro bonis. Secundo prophetat quæ mali recipient pro impietate, ibi **239**, *constitue super eum*. Tertio precatur, ut resurrectionem consequatur, et inimici dedecus, ibi, *Et tu Domine*. [Cassiod.] Christus ergo secundum quod homo orans ad Patrem ait : O

Vers. 1. — « Deus, laudem meam ne tacueris, « quia os peccatoris et os dolosi super me apertum « est. »

Deus, [Aug.] qui solus verax es ex te, *ne tacueris laudem meam* ex te, cui laudanti credendum est. Vera est enim laus veracis Dei, ita vero impletum est ut orat, cum prædicatus est unigenitus Filius Dei esse, *quia os peccatoris*. [Cassiod., Aug.] Ecce decora diversitas. Quasi dicat : Ideo ne taceas laudem, quia iniqui non tacent vituperium. Et hoc est, quia *os peccatoris et dolosi super me apertum est*. Dum virtus mea operta est, quasi quod dolo tegebatur, a doloso erupit in vocem; sed ei credendum non est, quia falsa vituperatio est mendacis homi-
B nis, quod autem dolus erumpat in vocem, ostenditur cum ait :

Vers. 2. — « Locuti sunt adversum me lingua do« losa, et sermonibus odii circumdederunt me; et « expugnaverunt me gratis. »

Locuti sunt lingua dolosa, dicentes : [Aug.] *Magister, scimus quia verax es*, etc. (*Matth.* XXII). Et hoc fuit adversum me, quia insidiando hoc dicebant. Et deinde *circumdederunt me sermonibus odii* aperte clamantes : *Crucifige, crucifige* (*Joan.* XIX). *Et expugnaverunt me gratis*, et sine justa causa. Sicut enim piis per se placet æquitas, sic impiis iniquitas.

Vers. 3. — « Pro eo ut me diligerent, detrahebant « mihi; ego autem orabam. »

C *Pro eo ut me diligerent*, [Aug.] id est pro eo quod debebant me diligere, *detrahebant mihi*, negantes me esse Filium Dei, et dicentes quod in Beelzebub ejicio dæmonia (*Luc.* XI). Vel secundum aliam litteram : *Pro eo ut me diligerent, interficiebant me, et detrahebant mihi*. Ideo enim interfecerunt, quia detraxerunt. Plus enim nocent in membris detrahentes Christo, qui animas crediturorum interficiunt, quam qui ejus carnem mox resurrecturam peremerunt. Et est sensus : Pro bono mala reddebant, quod est deterius. Illi detrahebant, *ego autem*, econtra *orabam*, etiam pro ipsis, non solum pro fide discipulorum.

Vers. 4. — « Et posuerunt adversum me, mala pro « bonis; et odium pro dilectione mea. »

Et posuerunt. (Aug.) Quasi dicat : Reddebam bona pro malis, ipsi detrahebant mihi, qui orabam pro eis. Et ita *posuerunt mala pro bonis*, quæ mala pro quibus bonis? Ecce : *et odium pro dilectione mea*. Hic est omnis et magnus reatus eorum. Non enim nocere potuerunt persequentes, non necessitate, sed voluntate morientem, sed totum crimen perse-

(149) Ex Cassiod., in conclus. psalmi.

quentium est odium, quamvis sit voluntaria pœna patientis.

[Aug.] Hic notandum est quod in reddendis bonis vel malis sex differentiæ sunt, quæ commemoratæ animadverti facile possunt, scilicet reddere bona pro malis, non reddere mala pro malis. Hæc duo bonorum sunt, et prius quidem melius est. Item non reddere bona pro bonis, et reddere mala pro bonis; et hæc duo malorum sunt, et posterius quidem deterius est. Item reddere bona pro bonis, et mala pro malis, et hæc duo mediorum sunt, id est eorum qui sunt vel mediocriter boni, vel mediocriter mali, et prius propinquum est bonis, quod Christus non arguit in Evangelio : sed plus oportere dicit, quia et ethnici hoc faciunt (*Matth.* v). Diligunt enim diligentes se : posterius vero propinquum est malis, scilicet reddere malum pro malo, et convenit tamen et bonis. Unde et lex modum ultionis statuit, *oculum pro oculo, dentem pro dente* (*Exod.* xxi), et hujusmodi : Quæ si dici potest injustorum justitia est, non tamen ideo est, quia iniqua sit ultio quam lex statuit ; sed quia vitiosa est libido, id expetentis desiderio ulciscendi, magisque ad judicem pertinet hoc inter homines discernere quam bonum hominem sibi expetere vindictam. Hic enim reddet malum pro malo judex vero non, sed delectatione justitiæ justum reddet pro injusto, quod est reddere bonum pro malo, quod etiam Deus judex facit. [Cassiod.] Tribus ergo modis omne peccatum contrahitur in hujusmodi redditionibus. Primus gradus est non reddere bona pro bonis. Secundus, reddere mala pro malis, extremus reddere mala pro bonis. Hoc deterius Judæi elegerunt, scilicet ut Christo detraherent, et odium pro dilectione redderent. Contra hæc sunt alia tria. Primum est dare bona pro bonis. Secundum, non reddere mala pro malis. Perfectum, reddere bona pro malis, quod Christus orans pro Judæis fecit (*Luc.* xxiii).

Pars. ii. Vers. 5. — « Constitue super eum pec« catorem, et diabolus stet a dextris ejus. »

Constitue. (Cassiod., Aug.) Secunda pars, ubi incipit prophetare, quæ mali pro impietate recipiant, et legitur hoc prius specialiter de Juda. Supra ergo de pluribus loquebatur. *Locuti sunt et circumdederunt*, etc. Nunc vero quo digni sunt prænuntians, de uno dicit, intende in eum, id est in Judam, qui se, id est Christum talibus tradidit. Quales erant de quibus ante loquebatur. Quasi dicat : Quia peccator et dolosus aperuit super me os suum, ideo *constitue peccatorem*, id est diabolum, *super eum*, qui Christo noluit esse subditus. Et quasi quis quæreret, quem peccatorem? Subdit, *et diabolus stet a dextris ejus.* Hoc dextrum cuique est quod aliis præponit. Et hic, id est Judas opera diaboli præposuit operibus Dei, avaritiam suæ saluti. Stetit ergo diabolus a dextris, quando præposuit avaritiam sapientiæ, et pecuniam suæ saluti, ut eum traderet a

A quo debuit possideri, ne a diabolo possideretur. Et prædicit, non optat.

Vers. 6.— « Cum judiactur, exeat condemnatus; « et oratio ejus fiat per peccatum. »

Cum judicatur, exeat condemnatus, id est quia noluit esse talis cui dicatur : *Intra in gaudium Domini tui* (*Matth.* xxv), sit de quo dicatur : *Projice eum in tenebras exteriores* (*Matth.* xxii). Et ne putetur ab imminente damnatione liberari, oratione quam inter apostolos didicerat inquit : *Et oratio ejus fiat in peccatum*, (Aug.) quia non est per Christum, quem non vult sequi, sed persequi. Notandum quia non est justa oratio, nisi quæ per Christum fit. Et non solum non delet peccatum, sed etiam ipsa fit in peccatum. Illa autem oratio non fit B per Christum, quæ non affectu bono fit, nec bonum petit, sicut e converso. Illa fit per Christum, qua petitur quod petendum est, et eo modo quo petendum est ; aliquando autem sic oratur, ut in parte sit oratio per Christum, et in parte non. Quando bonum non bene, vel bene non bonum petitur. Judas autem, nec bonum nec bene petiit. (Aug.) Quando autem Judas ita orare potuerit, ut oratio ejus fieret in peccatum, quæri potest, credo antequam Dominum traderet, et cum jam de illo cogitaret tradendo, non enim jam poterat orare per Christum.

Vers. 7. — « Fiant dies ejus pauci : et episcopa« tum ejus accipiat alter. »

Fiant dies apostolatus *ejus pauci*, [Aug.] *Et*, ne C sacratus duodenarius numerus sit diminutus *episcopatum ejus accipiat alter.* Loco enim ejus substitutus est Matthias, ut legitur in Actibus apostolorum (*Act.* i). (Cassiod.) Nota quod hic primo in Veteri Testamento nomen episcopatus invenitur. Et

Vers. 8. — « Fiant filii ejus orphani, et uxor ejus « vidua. »

Fiant filii ejus orphani, et uxor ejus vidua. [Cassiod., Aug.] Nota Judam uxorem habuisse, et filios, et ita factum fuit, ut hic dicitur. Utique mortuo ipso, et filii ejus orphani, et uxor ejus vidua fuit. Sed dicet aliquis an hoc ad pœnam Judæ pertinere credendum sit, quod sui passi sunt, an etiam ullus dolor tangat mortuos, de his quæ in suis post mortem contingunt, vel quomodo ea quæ circa nos D aguntur, noverint spiritus eorum mortuorum. Cui respondendo magnam quidem esse quæstionem, nec in præsenti esse disserendam. Verumtamen breviter potest dici, quod est cura mortuis de suis charis ut de divite legitur : Qui dum tormenta apud inferos pateretur, levavit oculos ad Abraham, et inter alia dixit : *Habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, ne et ipsi veniant in locum hunc tormentorum*(*Luc.* xvi). Habent enim mortui curam de vivis, quos sciunt vivere ; quia nec in locis pœnarum vident eos, ubi dives sine fratribus erat, nec in requie beatorum, ubi Abraham et Lazarum quamvis longe agnoscebat : non tamen ideo consequens est eos scire, quæ circa charos illorum aguntur hic, vel

læta vel tristia. [Aug., Alcuin.] Si ergo hæc sentiunt, mortui, id est suorum tristia, quod hic dicitur, cumulus est inde malorum. Si vero non sentiunt, formido est vivorum. Possunt enim timere ne pro peccatis suis vel parentum similia eis contingant.

VERS. 9. — « Nutantes transferantur filii ejus « et mendicent ; et ejiciantur de habitationibus « suis. »

Filii ejus nutantes, [Aug.] id est incerti quo eant *transferantur et de habitationibus suis ejiciantur* omni præsidio destituti. *Et mendicent* quomodo hoc totum uxori ejus contigerit et filiis indicat, dicens :

VERS. 10. — « Scrutetur fœnerator omnem « substantiam ejus ; et diripiant alieni labores « ejus. »

Scrutetur fœnerator omnem substantiam ejus ; et diripiant alieni labores ejus (150). Sed quomodo habuerit substantiam qui cum apostolis Dominum sequebatur ? omnia autem quæ habuit ita uxori et filiis dimisit, ut adhuc in illis cor habuit, nec vinculum cupiditatis abruperit, et putabat Dominum falli, quando ea quæ mittebantur de loculis auferebat (*Joan.* XII).

VERS. 11 — « Non sit illi adjutor ; nec sit qui mi- « sereatur pupillis ejus. »

Non sit illi adjutor. [Cassiod.] Hoc ideo addit, quia boni tentantur ; sed habent Deum adjutorem, de illo autem dicitur, *non sit illi adjutor*, scilicet ad tuendam ejus posteritatem, unde addit : *Nec sit qui misereatur pupillis ejus*. [Aug., Cassiod.] Pupilli dicuntur quasi pusilli : unde et pupilla oculi dicitur, quia parva. [Aug.] Sed quia possent sine adjutore filii, licet in ærumnis crescere, et genus propagationis servare, addit :

VERS. 12. — « Fiant nati ejus in interitum : in « generatione una deleatur nomen ejus. »

Fiant nati ejus in interitum. [Cassiod.] Per hoc omnem posteritatis spem tollit. Et *in generatione una deleatur nomen ejus*. [Aug.] Quasi dicat : Quod de eo generatum est, non generet, et cito transeat. Et

VERS. 13. — « In memoriam redeat iniquitas pa- « trum ejus in conspectu Domini ; et peccatum ma- « tris ejus non deleatur. »

Iniquitas patrum ejus redeat in memoriam in conspectu Domini, et peccatum matris ejus non deleatur. [Aug.] Peccata patrum eis redduntur, qui a malis non recedunt eorum ; sed non eis qui mutati sunt in Christo, qui jam non sunt filii iniquorum, quia jam non imitantur mores illorum. Si ergo Judas teneret adoptionem quam acceperat, non pertineret ad eum sua præterita vel patrum iniquitas ; sed quia rediit ad mala vetusti generis, rediit iniquitas patrum ejus in conspectu Domini, ut in eo

A puniretur. Unde vere dicitur in Exodo : *Reddam peccata patrum in filios*, etc. (*Exod.* XX). Quod dictum est de imitantibus iniquitatem patrum. Quod vero dicitur per Ezechielem prophetam : *Filius non portabit iniquitatem patris* (*Ezech.* XVIII), de conversis ad Deum intelligendum est. Et

VERS. 14. — « Fiant contra Dominum sem- « per, et dispereat de terra memoria eorum, pro « eo quod non est recordatus **240** facere mise- « ricordiam. »

Fiant semper, [Aug.] pater ejus et mater *contra Dominum*, non ut Domino adversentur, sed ut Deus mala merita eorum non obliviscatur in isto. Et est, *fiant contra Dominum*, id est in conspectu Domini, quod et alii sic transtulerunt, *Et memoria eorum*,
B id est parentum ejus *dispereat de terra* deleta progenie, *pro eo quod non est recordatus* Judas *facere misericordiam*.

VERS. 15. — « Et persecutus est hominem inopem « et mendicum, et compunctum corde mortifi- « care. »

Et persecutus est hominem inopem et mendicum, [Cassiod.] scilicet Christum, pauperes persequi, sola sævitia est ; alii vero, pro divitiis vel honoribus interdum hujusmodi patiuntur.

(151) Vel de populo Judæorum possunt hæc omnia accipi. Hæc eadem namque congruunt Judæis, quorum personam Judas gessit. Quasi dicat : Quia reddiderunt odium pro dilectione, ideo constitue
C peccatorem super eum, populum. Et diabolus stet a dextris ejus, sicut de Juda. Ita de Judæis hæc accipiuntur : *Cum judicatur exeat condemnatus*, quia Judæi in nequitia sua permanentes thesaurizant sibi iram in die iræ et revelationis justi judicii (*Rom.* II). *Et oratio ejus fiat in peccatum*, quia non fit per mediatorem Dei et hominum Jesum Christum. Et, *fiant dies ejus pauci*. secundum regnum hoc accipiendum est quod postea non diu stetit, *et episcopatum ejus*, populi, *accipiat alter*. Episcopatum Judæorum, id est Christum, qui ad eos missus erat, accepit populus gentium. Unde, Verbum misit in Jacob Deus, et cecidit in Israel. Fiant filii ejus orphani, amisso regno, quasi patre, vel amisso Patre Deo. *Et uxor ejus*, id est plebs Judaica, *fiat vidua*, amisso regno. *Nutantes transferantur filii*
D *ejus et mendicent, et ejiciantur de habitationibus suis*. Ut sæpe in captivitate factum est ; *et mendicent*, sub regibus gentium, et *fœnerator*, id est, diabolus, qui mala commendat, vel Deus qui bona commodat, *scrutetur omnem substantiam ejus*, [Aug.] id est vitam, singula peccata puniens. Debita enim illorum non dimittuntur, quia in solo Christo dimittuntur quem respuerunt. *Et alieni*, id est diabolus et angeli ejus, *diripiant labores ejus*, quia non thesaurizant in cœlo. Et *non sit illi adjutor* : adjutor non est ei, cui Christus deest. Et pupillis

(150) Ex Aug. ad calcem primæ expositionis psalmi.

(151) Et Aug. in secunda expositione.

ejus, qui amisso regno vel Patre Deo, sic manserunt, A *nec sit qui misereatur*, non dico ad temporalia, sed ad æterna habenda. *Fiant nati ejus in interitu*, sempiterno. Et *deleatur nomen ejus*, ideo quia mansit, *in generatione una*, id est quia regenerati non fuerunt. Et *redeat in memoriam in conspectu Domini iniquitas patrum ejus*, quæ his malis in malitia perseverantibus redditur. *Et non deleatur peccatum matris ejus*, id est Jerusalem terrenæ, quæ servit cum filiis, quæ prophetas interfecit. *Fiant contra Dominum semper*, id est a conspectu Domini peccatum eorum non aboleatur, sed semper puniatur. *Et dispereat de terra* viventium, id est Ecclesia, *memoria eorum*, quia cum essent rami naturales fracti sunt (*Rom.* XI), *pro eo quod non est recordatus*, vel Judas, vel ipse populus, *facere misericordiam*; B sed melius dicitur de populo, qui non est recordatus pœnitendo, ut supra membra Christi saltem faceret misericordiam, sed ea persequitur : Unde ait : *Et persecutus est hominem inopem et mendicum*, vel Judas ipsum Christum sævissime, *et compunctum corde mortificare*, id est ut mortificaret. Hoc de Christo in membris dicitur. Compunctus enim corde non solet dici, nisi qui stimulis peccatorum punctus est in dolore pœnitendi. Sed quia et hi tales sunt membra Christi, ideo et eum quem crucifixerunt, Judæi persecuti sunt in membris.

VERS. 16. — « Et dilexit maledictionem, et veniet ei : et noluit benedictionem, et elongabitur « ab eo. »

Et dilexit maledictionem [Aug.] Judas de loculis C furando, et Dominum vendendo (*Joan.* XII), vel Judæi dicendo : *Sanguis ejus super nos, et super filios nostros* (*Matth.* XXVI). *Et veniet ei, et noluit benedicere*, [Aug.] sicut quando maledixerunt cæco illuminato, dicentes : *Tu discipulus ejus sis* (*Joan.* XXVI). *Et elongabitur* benedictio *ab eo* ad gentes.

VERS. 17. — « Et induit maledictionem sicut « vestimentum, et intravit sicut aqua in interiora « ejus, et sicut oleum in ossibus ejus. »

Et induit Judas, vel populus *maledictionem*, [Aug.] id est peccata, quæ modo delectant, sed dicuntur maledictio, quia tormenta parant, addit *sicut vestimentum* quod quia corporis est per ipsum, corpus depravatum significatur. *Et* eadem maledictio *intravit sicut aqua in interiora ejus*, per quod D intelligitur depravata anima, foris enim in corpore, et intus in anima maledictionem habuit, incidens in ejus judicium, qui corpus et animam perdit in gehennam et eadem maledictio fuit *in ossibus ejus*. Per quod notatur depravata ratio. Addit *sicut oleum*: per quod ostenditur quia delectat eos modo facere mala. Vel ideo dicit, sicut oleum, quia homines fortes se putant. Ideo quia licet eis modo impune mala facere, sicut agonistæ oleo unguntur, ut sint fortiores.

VERS. 18. « Fiat ei sicut vestimentum quo « operitur; et sicut zona qua semper præcingi- « tur. »

Fiat ei Judæ vel populo ipsa maledictio, *sicut vestimentum quo operitur*. [Aug]. Idem videtur dicere hic quod supra ubi dixit, *Induit maledictionem sicut vestimentum*; sed differt, quia supradixit vestimentum quo induitur ut tunica. Hic vero dicit vestimentum, quo operitur ut pallio, quod est in conspectu hominum de iniquitate gloriari. *Et fiat ei* maledictio *sicut zona* qua *semper præcingitur*. Zona præcinguntur homines, ut ad opera sint aptiores non impediti sinibus vestium. Maledictione ergo sicut zona præcingitur, qui non repente facit malum, sed dispositum aggreditur; et ita discit male agere ut semper sit paratus. Unde hic ait, semper præcingitur.

VERS. 19. — « Hoc opus eorum qui detrahunt « mihi apud Dominum; et qui loquuntur mala ad- « versus animam meam. »

Hoc opus eorum qui detrahunt mihi apud Dominum. [Aug.] Non dixit, hæc est merces eorum, sed opus. Patet enim quod vestimento et aqua, oleo, et zona opera describit, quibus maledictio æterna comparatur. Dicit autem pluraliter eorum, qui detrahunt, quia non unus tantum est Judas, sed multi, de quibus dicit : *Qui detrahunt mihi apud Dominum*, dicentes me non esse eum, quem lex Domini et prophetæ prænuntiaverunt, [Alcuin., Cassiod., Aug.] vel apud Dominum specialiter Christo detrahunt, qui dicunt eum non esse ex Patre, vel minorem Patre, *et qui loquuntur mala adversus animam meam*, dicentes non potuisse resurgere, cum vellet.

PARS. III. VERS. 20. — « Et tu, Domine, Domi- « ne, fac mecum propter nomen tuum, quia suavis « est misericordia tua. »

Et tu, Domine. [Cassiod.] Tertia pars, ubi precatur, ut liberatus resurrectionem consequatur et inimici dedecus. Quasi dicat : Isti ita, *Et tu, Domine, Domine*. Geminatio notat affectum orandi. [Aug.] Et nota quod ait, et tu, quia non sine causa præposita est, *Et*, conjunctio, ac si diceret : Ideo dico : Et tu, quia et ego facio. Unde sequitur : *Fac mecum*, quia eadem sunt opera Patris et Filii. Et est sensus : Fac mecum, id est operare ut ego, in vasa misericordiæ. Vel, fac mecum, id est adjuva me secundum hominem; et hoc non propter mea merita præcedentia, sed *propter nomen tuum*: per hoc gratiam commendat. Nullis enim operum meritis præcedentibus in tantam celsitudinem subvecta est humana natura, ut totum simul verbum et caro hoc est Deus et homo, unigenitus Filius diceretur. Hoc autem factum est ut ab illo qui creaverat per id quod non perierat id quod perierat quæreretur. Unde hic sequitur : *quia suavis est misericordia tua*. Quæris enim per me id quod perierat.

VERS. 21. — « Libera me quia egenus et pauper « ego sum; et cor meum conturbatum est intra « me. »

Libera me. [Aug.] Quasi dicat : Ita utique fac mecum, *libera me* a passione, quia *egenus et pauper*

ego sum. Egestas et paupertas Christi, est infirmitas ex qua crucifixus est. *Et cor meum conturbatum est intra me*. Unde : *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Matth.* XXVI). [Cassiod.] Cor enim potuit turbari, sicut caro crucifigi, in quibus vera natura hominis aperitur. Et

VERS. 22. — « Sicut umbra cum declinat, ablatus « sum ; et excussus sum sicut locustæ. »

Sicut umbra cum declinat ablatus sum, id est mortuus. Sicut enim ex umbra declinante fit nox, sic ex mortali carne fit mors. *Et excussus sum sicut locustæ.* (Aug.) Hoc jam in membris ejus, id est in fidelibus convenientius existimo intelligi. Unde apertius pluraliter dicit, sicut locustæ quam sicut locusta. Excussi ergo, id est fugati a persecutoribus sunt fideles, qui sunt multi sicut locu- B stæ, vel salientes de loco ad locum, a simili locustarum. Et

VERS. 23. — « Genua mea infirmata sunt a jeju- « nio : et caro mea immutata est propter oleum. »

Genua mea infirmata sunt a jejunio. (Aug.) Et hoc apertius in membris intelligitur. Et est *genua mea infirmata sunt a jejunio*, id est fortes mei pane, id est Christo subtracto, defecerunt, quod in Petro apparuit, sed ne penitus succumbant factum est quod sequitur : *Et caro mea immutata est* in melius, in gloriam immortalitatis, ut in morte deficientes misso Spiritu confirmaret *propter oleum*, id est spiritualem gratiam, unde Christus dicitur. Christus enim dicitur a chrismate : chrisma unctio est. Immutata est ergo caro Christi, ut misso Spiritu C sancto ungeret discipulos qui ad eos non venisset, si Christus non abivisset. Unde ait ipse : *Nisi ego abiero, Paracletus non veniet ad vos* (*Joan.* XVI). Et Evangelista ait : *Nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum fuerat glorificatus* (*Joan.* VII).

VERS. 24. — « Et ego factus sum opprobrium « illis ; viderunt me, et moverunt capita sua. »

Et ego factus sum opprobrium illis, (Aug.) quia factus sum maledictum per mortem crucis. *Viderunt me et moverunt capita sua*, quia viderunt quando genua mea infirmata sunt, sed non quando caro immutata. Et, ideo moverunt capita sua, (Cassiod.) tanquam furiosi commotione capitis minantur, Ergo o,

VERS. 25. — « Adjuva me, Domine, Deus meus ; D « salvum me fac secundum misericordiam tuam. »

Domine, Deus meus, *adjuva me* totum, (Aug., Cassiod.) scilicet caput et corpus. Nota quod Christus rogat ut homo qui præstat ut Deus *salvum me fac secundum misericordiam tuam*, (Aug.) non secundum debitum operum adjuva me.

VERS. 26. — « Et sciant quia manus tua hæc ; et « tu Domine, fecisti eam.

Et per hoc *scient* vel *sciat*, (Aug.) hi scilicet pro quibus oravit, qui erant inter illusores, quid scient ? *Quia manus tua hæc, et tu Domine, fecisti eam.* Manus Patris est Christus. Unde : *Et brachium Domini cui revelatum est* (*Isa.* LIII). Hæc manus est

A et erat, quia est Verbum apud Deum, et fecit eam, dum Verbum caro factum est. Erat sine tempore secundum divinitatem, et facta est in tempore secundum carnem.

VERS. 27. — « Maledicent illi, et tu benedices, « qui insurgunt in me confundantur, servus autem « tuus lætabitur.

241 *Maledicent* insultantes *illi* manui tuæ Christo. [Aug.] Vana est ergo maledictio malorum. Deus vero cum benedicit, facit quod dicit. *Et tu* bonus *benedices qui insurgunt in me*, putantes proficere contra me, *confundantur*, quod erit cum exaltatus fuero super cœlos, et cœperit esse super omnem terram gloria mea. *Servus autem tuus* lætabitur. Vel in dextera Patris, vel in membris lætantibus. Et

VERS. 28. — « Induantur qui detrahunt mihi « pudore ; et operiantur sicut diploide confusione « sua. »

Qui detrahunt induantur pudore, [Aug.] id est pudeat eos detraxisse mihi : quod in bono potest accipi, dum corriguntur. *Et operiantur sicut diploide confusione sua.* Diplois duplex pallium est. Unde alii interpretantur pro diploide, *duplex pallium*. Et est, operiantur sicut diploide confusione sua, [Gl. int.] id est, confundantur intus et foris, id est coram Deo et coram hominibus. Unde alibi : *Duplici contritione contere eos, Domine, Deus noster* (*Jer.* XVII). Ego autem,

VERS. 29. — « Confitebor Domino nimis in ore « meo, et in medio multorum laudabo eum. »

Confitebor laudem *Domino*. [Aug.] Hoc in membris *nimis*, id est valde solet exponi nimis pro plus quam debet, sed et pro valde, accipitur ut hic. Confitebor, dico, *in ore meo*, quia ore confessio fit ad salutem (*Rom.* X). *Et laudabo eum in medio multorum*, id est communi. Hoc est quod alibi dicit : *In medio Ecclesiæ laudabo te* (*Psal.* XXI). Vel, in medio multorum laudabo eum, id est in corde multorum, quia corde creditur ad justitiam (*Rom.* X).

VERS. 30. — « Qui astitit a dextris pauperis, « ut salvam faceret a persequentibus animam « meam. »

Qui astitit. [Aug.] Quasi dicat : Confitebor Domino, *qui astitit a dextris pauperis*. Diabolus a dextris Judæ stetit, qui divitias suas augere voluit vendito Christo : sed Dominus astitit a dextris pauperis, ut ipse Dominus sit divitiæ pauperis. Astitit enim non ut annos hujus vitæ augeret, vel ut fortem, vel ut incolumem, vel ut divitem faceret, sed ut animam salvaret a persequentibus. Unde subdit, *ut salvos faceret a persequentibus animam meam*, ne paupertate, id est infirmitate succumbat. Hoc autem adjutorium corpori Christi datum est in omnibus sanctis martyribus.

COLLATIO IN PSALMUM CVIII : « DEUS LAUDEM MEAM NE TACUERIS, » etc.

VERS. 1. — *Deus, laudem meam ne tacueris.* Hebr. referunt *laudem* ad nomen *Deus*, non ad verbum subsequens, ut sit *Deus laudis meæ*, quod est

interprete Hieronymo : *Deus laudabilis mihi*. Sive, ut vertit Munsterus, *Deus in quo laus mea*. Deinde posita diastole, sequitur, *ne taceas*. Atqui אלהי תהלתי ELOHE THEHILLATHI. Septuaginta acceperunt ac si non esset in statu constructivo, ceu אלהים ELOHIM. Eodem tamen sensus conspirat.

VERS 3. — *Pro eo ut me diligerent*. Quia Hebr. legitur per nomen *pro dilectione mea* תחת אהבתי TAHATH AHABATHI. Hinc fit ut ambigue intelligitur dilectio qua diligo, aut dilectio qua diligi debeam. Et Hieronymus vertit *pro eo quod eos diligebam*. Sic Græcum anceps est, ἀντὶ τοῦ ἀγαπᾶν με. Utrinque autem apte perfidorum Judæorum ingratitudo exprimitur.

VERS. 9. — *Ejiciantur de habitationibus suis*. Hieronymus, *quærantur in parietinis suis*. Recte conciliat Faber. Siquidem Hieronymus ponit antecedens, Septuaginta consequens. Cæterum Neoterici Hebraicantes, vertunt active דרשו DARESCHU *quærant* vel *inquirant devastationibus suis*, aut *locis desolatis*. Potest reduci ad concordiam, si tamen retuleris *quærant* ad quos pertinebat tales ejicere filios, etiam si coactius videri possit.

VERS. 10. — « *Scrutetur*. Hieronymus et Nebiensis similiter. Alii, *Illaqueet* aut *perdat*, quamquam scrutari hic positum sit, ceu qui id facit, eo animo faciat quo perdat, et laqueis suis dolosis omnia involvat quæ sua non sunt. Non longe tamen a vero est, positam litteram nun, loco beth, quæ interdum non est absimilis, ut sit יבקש IEBAQQUESCH, ubi habemus ינקש IENAQQUESCH.

VERS. 12. — *Fiant nati ejus*. Hieronymus et plerique alii, *fiat novissimum ejus* אחריתו AHARITHO. Potest etiam intelligi *posteritas*, ut reddiderunt Munsterus et interpretes pro Cajetano. »

VERS. 12. — *Hoc opus eorum*. Hieronymus : Hæc retributio פעלת PEULLATH, quidem est, et vertitur opus, sed merces intelligitur teste Munstero ex KIMI, etiam si aliter exponat Augustinus.

Apud Dominum. Ut respondeat verbo precedenti, *detrahunt mihi*, sive ut Hebræi habent, qui adversantur mihi. Deinde ponunt a Domino, et si retributio a Domino. Hebraice habetur מאת MEETH, ubi est nota et ablativi et accusativi simul.

VERS. 23. — *Caro mea immutata est propter oleum*. Hieronymus vertit, quod postremum est, *absque; oleo*, quod intelligunt *pinguedinem* sive *succum*, et dicunt : *Caro mea exaruit*, sive *emarcuit a pinguedine*. Vel, ut ait Munsterus, *propter deficientem pinguedinem*. Ad verbum tamen משמן MISCHAMEN, est *ab oleo*, vel *propter oleum*, ut nihil agat Faber causatus, quod legi debeat *præter oleum*, non *propter*. Siquidem Græce habetur δι' ἔλαιον.

PSALMUS CIX.

PSALMI TITULUS : « PSALMUS DAVID. »

Dixit Dominus Domino meo. Titulus : *Psalmus David*. Titulus patet, [Cassiod.] psalmus iste septimus est eorum, qui agunt de duabus naturis in Christo, qui plene et breviter de incarnatione et omnipotenti deitate Christi dicit, sicut Joannes in Evangelio : *In principio erat Verbum, et Verbum caro factum est* (*Joan.* I). Totum hic summatim dicitur de duabus naturis Christi, quidquid in utroque Testamento continetur. Intentio. (Cassiod.) Propheta hortatur subjici Christo. Modus : Tripartitus est psalmus. Primo, refert propheta verba Patris de Filio, ubi natura deitatis et humanitatis Christi exponitur. Secundo, Pater indicat naturam deitatis aliquatenus, ibi, *tecum principium*. Tertio Propheta agit de humanitate Christi, ibi, *juravit Dominus*. Propheta ergo naturam deitatis primo aperiens, ait :

« Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris « meis »

Dominus Pater *dixit* : (Cassiod.) More nostro loquitur Propheta, cum ait : *Dixit*, ut homo, scilicet instruatur ; non enim ore protulit, sed dixit re, id est effectu. (Gl. int., Haym., Cassiod.) Vel potius re, id est generatione. Vel, dixit, id est, æternaliter disposuit *Domino meo*, scilicet Filio qui Dominus meus est, etiam secundum quod homo, id est ipse homo, non tantum ex eo quod homo per hoc quod dicit, Dominus Domino, idem nomen repetendo personas discerne, et unam naturam, et potentiam personarum accipe. Item quod ait : Domino *meo* hoc deitatis indicium est. Quod vero ait, sede, et *virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion*, hoc humanitatis indicium est. Quid dixit Pater Filio ? hoc : *Sede*, (Alcuin., Cassiod., Aug.) id est post laborem quiesce, et conregna secundum quod homo. Sede, non solum in alto, ut excellens domineris ; sed etiam in occulto, ut latens et occultus credaris, quia non est merces fidei, nisi lateat quod credimus. Subtracti autem, scilicet qui hic inferius sunt, et nondum sursum sperant, et credunt quod non vident. Hæc est justitia fidei, de qua Dominus in Evangelio : *Cum venerit Paracletus, arguet mundum de peccato, quia non credit ; et de justitia, quia ad Patrem vado, et jam non videbitis me* (*Joan.* XVI), id est hæc erit justitia vestra ut credatis in eum quem non videbitis. Tunc enim justus ex fide vivit (*Rom.* I), si non videt quod credit. Dum ergo ait : Sede, duo notat, scilicet eum post laborem passionis quiescere et conregnare, et in occulto esse. *Sede* dico *a dextris meis*, (Alcuin., Cassiod.) id est in potioribus meis bonis. Vel, sede a dextris meis, id est conregna coæqualis mihi, ut per dextram accipiatur æqualitas quam habet Christus cum Patre.

VERS. 2. — « Donec ponam inimicos tuos scabel« lum pedum tuorum. »

Donec ponam. (Aug., Cassiod.) Quasi dicat : Sede occultus, donec regnes manifestus. Et hoc est, *donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*, id est per fidem subjectos tuæ divinitati a simili loquitur, cum ait, scabellum, per quod subjectio plena notatur. Per pedes, æterna stabilitas intelligitur. (Aug.) Hoc autem quotidie, et si paulatim, agitur et peragitur in conversis. Vel accipitur, *donec*, pro *æterno*. Et est, sede donec ponam, id est æternaliter, sicut æternaliter, ponam inimicos tuos, volentes vel nolentes, scabellum pedum tuorum, id

est tibi subjectos, ex voluntate vel necessitate. Incipit autem ex Sion, id est ex Judeæis regnum Christi. Unde subdit :

VERS. 3. « Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion ; dominare in medio inimicorum tuorum. »

Virgam hanc laudem, [Cassiod.] scilicet subjectionis inimicorum Propheta canit Christo, ad ipsum in sua persona loquens, et ordinem incipiendi regni ostendens, quod a Judæis incœpit, et ad gentes transiit, in quibus consummatur. Et sic usque ad finem psalmi decurrit Propheta loquens in sua persona. Quasi dicat : Dominus ponet inimicos tuos scabellum pedum tuorum, quod ita fiet, scilicet quod incipiet a Judæis. Et hoc est, *Dominus emittet virgam virtutis tuæ ex Sion,* [Hier.] id est regnum potentiæ tuæ incipiet a Jerusalem. Unde : *De Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem* (*Isa.* II). [Aug.] Non de illo regno Christi loquitur Propheta, quo Christus semper regnat cum Patre : sed de illo dispensatorio et temporali quo nos per medietatem suæ carnis vocavit in æternitatem, et in nobis regnat, cujus tamen non erit finis. Incipit autem a Jerusalem. Unde ipse Dominus ait : *Oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis, et prædicabitur in nomine ejus pœnitentia et remissio peccatorum per omnes gentes, incipientibus a Jerusalem* (*Luc.* XXIV). [Hier., Cassiod.] Virga ergo virtutis est, sceptrum regiæ potestatis, qua sustentantur boni, et franguntur mali. Et nota quod ait, virtutis, et addit, tuæ, [Cassiod., Alcuin.] quia hæc potestas proprie est Christi ex deitate. *Dominare* vel dominaberis, vel dominabitur. Quasi dicat : Emitte virgam, et sic emissa virga, dominabitur ipse Pater. Vel tu, Christe, dominare, vel dominaberis, *in medio*, id est, in præcordiis *inimicorum tuorum* quorumlibet] Cassiod.] Quasi dicat : Dominaberis conversis, de quibuscunque populis. Non ait, vindicabis, tanquam ingratos vindictæ districtione percellat, sed ait, dominaberis, ut fideles educet beneficiis et correctione. Vel, dominare in medio inimicorum tuorum, id est in Ecclesia inter malos constituta.

PARS II. VERS. 4. — « Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum ; ex utero ante Luciferum genui te. »

Tecum principium. [Cassiod.] Secunda pars, ubi indicat Pater naturam deitatis Christi aliquatenus pro nostra capacitate. Quasi dicat : Pater, ego Dominus emittam virgam virtutis tuæ, quia *tecum* est mihi *principium*, [Alcuin.] quasi hoc tibi tribuo plus quam aliis, quia tu es Filius per naturam, quia tecum est mihi, principium. Non dicam tibi mecum, ne alicui posterior me videaris : ego et tu unum principium sumus omnium, quod non hic videtur, sed videbitur *in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum,* (Aug.) id est æternitate ubi virtus divina conspicitur non ab aliis, sed a sanctis, quando in resurrectione erunt
242 splendidi ut angeli Dei. Vel ita, et loquitur etiam Pater ; (Aug.) quasi dicat : Jam dominaris, o
A Christe Fili, jam virtus tua est emissa ; sed *in die*, specialis *virtutis tuæ*, scilicet in futuro, *tecum*, erit mihi *principium* : hoc et semper est, sed non videtur : tunc autem videbitur, cum Christus, qui olim visus est in forma servi, videbitur a mundis cordibus in forma Dei, a quo visu tollitur impius ne videat gloriam Dei. Dico, *in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctorum*, id est quando sancti erunt in splendore fulgentes, sicut sol in regno Patris, tunc cum eo erit principium, et modo principium est, scilicet Pater cum Flio principium est, sed tunc videbitur quomodo principium cum eo, quia tunc similes ei videbunt eum sicut est. Viderat Philippus secundum formam servi, et objurgatus eo quod in Filio non agnosceret Patrem, quem quærebat videre, dicens :
B *Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis* (*Joan.* XIV.) audit : *Qui me videt*, non formam servi, sed qualem me abscondi timentibus, et qualem me videndum perficio sperantibus, *videt et Patrem* (*ibid*). Hoc autem modo credendum est, ut tunc videantur. Unde et Philippo dicitur : *Non credis quia ego in Patre et Pater in me est?* (*ibid.*) quasi dicat : Quod videre nondum potest, crede ut videre merearis. Filium cum Patre et in Patre, qualiter cum eo principium est Pater. Hæc autem visio, vita æterna est. Unde : *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* (*Joan.* XVII.) *Ex utero.* Quasi dicat : Hoc tunc videbitur, sed nunc, ex utero, id est ex occulta et secreta substantia mea *genui te* ineffabiliter. Et hoc *ante Luciferum,* (Cassiod., Aug.) id est, ante omnia tem-
C pora. Lucifer, qui nuntiat diem sæculo, eminens stella hic ponitur pro omnibus stellis et sideribus, tanquam pars pro toto, per quæ sidera, tempora intelliguntur, quia in signis et temporibus posita sunt, sicut legitur in Genesi (*Gen.* I.). Et est, ante Luciferum genui te, id est ante omnem creaturam, ante omnia tempora. Vel ex persona Prophetæ potest accipi loquentis ad Filium, tecum, (Alcuin.) quasi dicat : Dominus emittet virgam virtutis, et ipse est, principium tecum, id est coæternus tibi, non tamen secundum quod tu es homo ; sed in die virtutis, id est in claritate deitatis. Virtutes dico, tuæ, quasi et consubstantiales est tibi. Et est etiam principium, in splendoribus sanctorum, id est cum Spiritu sancto, qui sanctos splendificat. (Aug.) Et ego, *ex utero ge-*
D *nui te*, dicit David. Quasi dicat : Cum Maria sit de me, ex utero Virginis genui te. Et hoc, ante Luciferum, id est noctu. Ante diem enim natus est Christus. Ad hoc autem natus est ex ea, ut sacerdos in æternum, qui se offerat :

PARS III. VERS. 5. — « Juravit Dominus, et non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. »

Juravit Dominus. (Alcuin.) Tertia pars, ubi Propheta agit de humanitate Christi. Ecce Verbum caro factum est. Et notandum quod supra verba Prophetæ agentis de humanitate Christi fuerunt, *virgam virtutis tuæ*, usque *tecum principium*, ibi vero Deus

Pater sive Propheta loquitur, secundum diversas lectiones, agens de Christi deitate. Hic item Propheta loquitur usque ad finem psalmi, agens de Christi humanitate ; quasi dicat : Dominus dixit Domino Filio, sede a dextris meis, etc., dedit etiam ei sacerdotium æternum. Nam *Dominus juravit* tibi, id est firmiter promisit tibi, secundum quod tu es homo. [Aug.] Juratio enim Dei firmamentum est promissionis. *Et non pœnitebit eum,* id est non mutabit sicut de sacerdotio Aaron contigit, quod præter spem nostram mutavit. Et dicitur hoc de Deo pro more nostro, in quem nulla cadit pœnitentia. Scit enim quid agat, nec mutat consilium, sed verbo pœnitentiæ mutatio rerum aliter quam sperabatur evenientium significatur. Quasi dicat : Modo enim tu cum aliquid pœnitet te fecisse, doles factum quod fecisti, sic quando aliquid Deus præter quam homines sperant mutat in aliud, pœnitere se dicit, usque adeo, ut et de pœna nostra pœniteat eum, si nos de vita mala nostra pœnituerit. Ergo non pœnitebit eum, quia aliter non evenit, quam sperabatur. Et quia omnia inde gavisa sunt, quid juravit ? hoc : *Tu es sacerdos in æternum*, id est sacerdos æternus, *secundum ordinem Melchisedech*, [Cassiod.] quia panem et vinum in corpus et sanguinem suum consecravit Christus cujus sacrificii similitudinem præmisit Melchisedech. Hinc constat transisse victimas secundum ordinem Aaron.

Vers. 6. — « Dominus a dextris tuis ; confregit « in die iræ suæ reges. »

Dominus. Hic fit conversio ad Patrem. [Aug.] Quasi dicat : Et o Domine Pater, qui hoc jurasti, iste sacerdos qui est *Dominus*, sedens *a dextris tuis*, cui dixisti : Sede a dextris meis, *confregit* vel conquassavit *reges*, scilicet illos, qui volunt vel volebant delere nomen Christi. Conquassavit, id est infirmos reddidit, ut non possent quod volebant. Et hoc fecit *in die iræ suæ*, [Alcuin.] id est tempore occultæ iræ, quando cadentes super humilem lapidem conquassantur, vel ad excæcationem vel ad conversionem. [Aug.] In judicio autem futuro manifestius lapis cadens super eos conteret. Unde qui offenderit in lapidem illum conquassabitur, super quem autem ceciderit, conteret eum (*Matth*. XXI). Et nunc.

Vers. 7. — « Judicabit in nationibus, im« plebit ruinas, conquassabit capita in terra multo« rum. »

Judicabit in nationibus, (Cassiod.) id est in gentibus. Vide verborum proprietates, reges frangit pro superbia ; populos judicat, id est punit propter communia peccata : utrosque tamen ut humilientur ad conversionem. Unde subdit : *Implebit ruinas*, id est humiles, non erectos, cadentes scilicet ab altitudine, qua contra Christum se erexerunt. Bene dico ruinas, quia *Conquassabit capita multorum*, vel multa *in terra*, (Aug.) id est in vita ista. Hic enim de multis superbis humiles facit. [Cassiod., Haym.] Vel *in terra copiosa*, alia littera, scilicet quæ peccatores

A abundanter nutrit, sed unde ei ut hoc possit ? ex humilitate passionis, de qua subdit :

Vers. 8. — « De torrente in via bibit, propterea « exaltavit caput. »

De torrente, [Aug.] id est de fluxu mortalitatis nostræ, et de transitoria et de turbulenta passione *bibit* nascendo, moriendo. (Cassiod., Aug.) Et hoc *in via* quam ut gigas cucurrit, qua itur ad aliam mansionem. Et *propterea*, quia humiliatus est, et factus obediens usque ad mortem, *exaltavit* vel exaltabit Deus *caput* ejus, id est, *propter hoc exaltavit eum Deus, et dedit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in* B *gloria est Dei Patris* (*Philipp.* II).

COLLATIO IN PSALMUM CIX : « DIXIT DOMINUS DOMINO MEO, SEDE, » etc.

Vers. 1. — Imprimis nemo Christianus dubitat hunc psalmum esse de Christo Dei Filio, ex Matth. XXII. Quia tamen primus versus juxta Septuaginta, longe lateque dissidet a cortice litteræ Hebraicæ, opera pretium erit in medium proponere totum versum, secundum diversas omnium versiones ; ac deinde particulatim, unamquamque dictionem, ex ordine excutere, si poterimus dijudicare absque contentione, unde tanta diaphonia nata sit, et quemadmodum tantum fidei sacramentum, a verborum sono recedentes, mystico et profundissimo extulerint sensu, quod non potuit fieri sine divina revelatione, extra carnem et sanguinem, quod autem Septuaginta Spiritu sancto pleni fuerint superius satis multis probatum est. Igitur sic habet Hieronymus C juxta Hebræos, *populi tui spontanee erunt in die fortitudinis tuæ, in montibus sanctis, quasi de vulva orietur tibi ros adolescentiæ tuæ;* Nicolaus de Lyra, *populi tui, principes tui, in die virtutis tuæ, in decore sancto, de matrice auroræ, tibi ros adolescentiæ tuæ* ; Sanctes, *populus tuus sponte veniet in die fortitudinis tuæ, in pulchritudinibus sanctitatis, ex utero ab aurora fuit tibi ros nativitatis tuæ* ; Pratensis, *populus tuus cum oblationibus, in die virtutis tuæ, in decoribus sanctitatis, ex utero ortus est tibi ros generationis tuæ* ; interpretes pro Cajetano, *populus tuus, spontanei, in die fortitudinis tuæ, in decoribus sanctitatis, de vulva auroræ tibi ros nativitatis tuæ* ; Pellicanus, *populus tuus oblationes liberales, in die virtutis tuæ in decoribus sanctitatis, ex utero auroræ, tibi ros generationis tuæ* ; Munsterus, *populus tuus, spontanearum est voluntatum, in die exercitus tui, in magnificentiis sanctitatis, ab utero auroræ, est tibi* D *ros nativitatis tuæ* ; translator ad Campensem, *populus autem tuus in die triumphi tui, vota offeret cum sancta pompa*. Ros enim nativitatis tuæ ex utero auroræ est. Paraphrasis hujus, *populus tuus spontaneas offeret et liberales oblationes tibi quo tempore apparebit omnipotentia tua, et omnimodus ille decor, qui te comitabitur ; ante auroram enim cecidit qui te gratiosissimum faciet omnibus, ros nativitatis tuæ*. Nebiensis, *populus tuus voluntarii in die virtutis tuæ, in decoribus sanctuarii, ex matrice ab aurora, tibi ros adolescentiæ tuæ*. Vide quatenus inter istos, non omnia conveniant, etiam si nihil aut parum ad LXX. Nunc singula retractemus. *Tecum*. Hanc particulam omnes vertunt, *populus tuus*, aut *populi tui*. Certe in Heb. prorsus, *tecum*, et *populus tuus*, ne uno quidem elemento distant. Quod si dictio scribatur punctis non notata est, *tecum*, vel *populus tuus*, עמך Siquidem עמך IMMECA

tecum עמך AMMECA *populus tuus*. Nec est improbabile Judæos hunc locum vitiasse sicut et nonnullos alios fidei præcipuos falsarunt, quod ex parte probavimus in prologo, et adhuc non erit otiosum, huc adducere illud Isa. II : *Quia excelsus reputatus est ipse*. Hieronymus hunc locum interpretatus ait, ubi nos diximus *excelsus reputatus est ipse*, Aquila interpretatus est, *in quo reputatus est iste ?* Verbum Hebraicum במה vel ὕψωμα dicitur, id est *excelsum*, quod et in Regnorum libris, et in Ezechiele legimus. Vel certe *in quo*, et eisdem litteris scribitur במה ac pro locorum qualitate, si voluerimus legere, *in quo*, dicimus במה BAMEH. Sin autem *excelsum* vel *excelsus* legimus במה BAMAH, intelligentes ergo Judæi prophetiam esse de Christo, verbum ambiguum, in deteriorem partem interpretati sunt, ut viderentur non laudare Christum, sed nihili pendere. Deinde persequitur improbare talem interpretationem, ostendens non posse consistere.

Secunda particula, est *principium*. Hebræus נדבות NEDABOTH, et deducitur a radice נדב NADAB, id est *libuit*, *voluntarius fuit*, *sponte obtulit*. Ut Hieronymus verterit, *duces spontanei*, ut est in exemplari Fabri subaudiendo verbum *erunt*, quod non ponebatur in Hebræo. Sanctes per adverbium extulit, addendo verbum *veniet*. At credimus Septuaginta secutos fuisse consuetudinem Hebræorum in dictione altera ראש ROSCH, quod est caput, ob id princeps, ob id principium. Consimiliter נדיב NADIB, proprie significat *principem*, præcipue *munificum*. Cur etiam non dicemus ראשית NEDABITH, sicut נדבית RESCHITH. Certe analogia est in communitate et congruentia et significantia. Siquidem Hieronymus, in caput Zachar. quinto, tradit iod et vau, in se mutuo frequenter transire. Et dicit : « Hic error in editione Vulgata frequenter inolevit, ut quia iod et vau litteræ eadem forma sed mensura diversæ sunt, altera legatur pro altera. Nec mireris quod dicat errorem, intelligit enim errorem quomodo obelum in prologo Paralip. Ubi vero (inquit) **243** obelus transversa scilicet *virga* præposita est. Illic significatur quid Septuaginta interpretes addiderint ob decoris gratiam, vel ob Spiritus sancti auctoritatem, licet in Hebreis voluminibus non legatur. » Hæc ille.

In tertia particula, *in die virtutis tuæ*, nulla est discrepantia. In quarta, *in splendoribus sanctorum*, vel *decore sancto*, *decoribus*, *pulchritudinibus*, *magnificentiis*, vel tantillum distant. Hieronymus autem vertit, *in montibus ob* affinitatem litterarum daleth et resch הררי HARRE, *montes*, הדרי HADRE, *pulchritudinis*. In quinta pene conveniunt, *ex utero ante Luciferum*. Id enim valet, *ex utero auroræ*, vel propinquius ad verbum, *ex utero ab aurora*, et *ex utero ante Luciferum*. Quod aliqui vertunt, *orietur* vel *ortus est*, non tam proxime respondet מרחם משחר MEREHEM MISCHAR.

Ultima. *Tibi ros generationis* vel *naturalitatis tuæ*. Ros competenter de Filio Dei dicitur : juxta illud Isa. quadragesimo quinto : *Rorate, cæli, desuper, et nubes pluant justum*. Dicitur præterea generatio

A Filii æterna, quia ros indicat mane, quod in Deo est æternum, et principium in quo erat Verbum. Hoc mane non habet vesperam, ac ros de alto conceptus descendit, sic de Filio Dei canitur : *A summo cælo egressio ejus*, (*Psal.* XVIII). Dicat aliquis qui potest consistere Judæos lectionem hanc corrupisse, veluti causabamur in principio, cum tamen Hieronymus verterit *populi tui*, et non *tecum* quanquam responsio ad similem quæstionem jam aliquoties data esse satis deberet, tamen hic locus specialem ex ipsomet Hieronymo, etiam adversus calumnias Judæorum, et eorum extortas expositiones, habet satisfactionem. « Siquidem interpretatus cap. Matth. XXII, ubi Christus Dominus principium hujus psalmi opposuit Judæis ingnorantibus, quomodo Christus esset filius David. David dicit testimonium quod posuit, de CIX psalmo sumptum est. Dominus igitur David vocabitur, non secundum id quod de eo natus est, sed juxta id quod natus ex Patre semper fuit, præ-
B veniens ipsum carnis suæ patrem. Judæi ad deludendam interrogationis veritatem, frivola multa confingunt, vernaculum Abrahæ asserentes, cujus fuerit filius Damascus Eliezer, et ex ipsius persona scriptum psalmum, quod post cædem V regum, Dominus Deus Domino suo dixerit Abrahæ : *Sede ad dexteram meam, donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum*. Quos interrogemus, quomodo Deus dixerit Abrahæ ea quæ sequuntur : *Tecum principium in die virtutis tuæ; in splendoribus sanctorum ex utero ante Luciferum genui te* ; et : *Juravit Dominus, et non pænitebit eum* : *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*. Et respondere cogamus quomodo Abraham, ante Luciferum genitus sit, et sacerdos fuerit secundum ordinem Melchisedech, pro quo Melchisedech obtulerit panem et vinum, et a quo decimas prædæ acceperit. » Hactenus ille. Certe, si minus recta foret editio Vulgata et ecclesiastica in hac parte nihil ageret
C Hieronymuss præsertim contra Judæos, qui statim irriderent hanc objectionem quæ foret de contextu corrupto, et non veritate Hebraica. Cæterum ex hoc loco Hieronymi, constat quod gratis arguit interpretem Latinum Flinus, propterea quod ἀρχὴ verterit *principium*, cum ad Hebraismi veritatem vertere debuisset *principatum*. Nam id quoque significat ἀρχὴ omitto quid manifestissime disserat Augustinus de principio. Denique Chaldæus Paraphrastes longe est ab omnibus, præsertim quantum ad extremam particulam. *Populus tuus, domus Israel, qui incumbunt legi, in die concertationis prælii tui adjuvabis eos splendoribus sancti, misericordiæ Dei præsto erunt tibi, tanquam ros descendens sedebunt confidenter nati tui*.

VERS. 7. — *Implebit ruinas*, Hieronymus, *valles*. Ergo legit גיאות GEOTH, a radice גיא, id est *vallis*, sed nunc habemus גויות GEUIOTH, id est, ut exponunt alii, *cadavera*, quæ procul dubio dicuntur a
D *cadendo*, sicut ruinæ a *ruendo*, quia tamen simpliciter *implere cadavera* haberet absurditatem, Munsterus addidit, *implebit loca cadaveribus*.

PSALMUS CX.

PSALMI TITULUS : « ALLELUIA. »

Confitebor. Titulus : *Alleluia*. (Cassiod.) Iste est primus psalmus, qui per omnes litteras Hebræi alphabeti scribitur, qui indicat perfectos laudatores in Ecclesia, sicut illi qui non per omnes scribuntur, minus perfectos significant (152). Vel sicut Hilarius dicit hujusmodi psalmi, qui per alphabetum digesti sunt, incipientibus quasi elementa dantur. Unde monemur ut ad eruditionis studium festinemus. Nomen autem angelicæ laudis, Alleluia, et si omnibus psalmis congruat, ibi tamen præcipue ponitur, (Cassiod.) ubi magna exsultatione gaudetur, sicut

(152) Ex Hilario in psal. XVIII.

in hoc psalmo populus Dei ab omni malo liberatus laudat, et ad Dei laudem pro operibus ejus invitat. quæ laus habet figuram futuræ laudis. Intentio : Monet ad laudem. Modus : Tripartibus est. Primo, populus fidelis se dicit confiteri in congregatione justorum, ubi est æterna laus. Secundo, dicit fideles spirituali munere satiatos, promittens adventum Christi, ibi, *memoriam fecit mirabilium suorum, misericors et miserator Dominus ; escam dedit timentibus se*. Tertio, eosdem redemptos asserit, et testamentum novum mansurum, ibi *redemptionem misit populo suo, mandavit in æternum testamentum suum*. [Aug.] A laude ergo incipiens, ait in persona fidelis populi : O Domine

VERS. 1. — « Confitebor tibi, Domine, in toto « corde meo, in concilio justorum et congrega- « tione. »

Confitebor tibi, id est laudabo te. Non enim est hic confessio peccatorum, sed laudis. Illa luget, hæc gaudet ; illa medico vulnus ostendit, hæc de sanitate gratias agit. Laudabo dico, et hoc *in toto corde meo*, [Hier., Gl. int.] non labiis ero prope, corde longe, sicut illi de quibus dicitur : *Populus hic labiis me honorat, cor eorum longe est a me* (*Matth.* III). Confitebor et hoc *in concilio justorum et congregatione*, (Alcuin.) id est, non temere, sed ex ratione, scilicet pro æternis : sicut omnes justi faciunt. Et accipitur hic totum de præsenti. Vel hoc dicit fidelis populus in spe. Quasi dicat : Jam sit in angelorum societate. Et est, in consilio justorum et congregatione, laudabo te, hic in spe. (Aug., Cassiod.) Hic enim nunquam inter omnes justos in re laudant, ubi sunt misti mali ; sed jam videntur in futura societate psallere, spe rapti ad superna.

VERS. 2. — « Magna opera Domini ; exquisita « in omnes voluntates ejus. »

Magna opera Domini. (Cassiod.) Hæc est materia et causa confessionis. Quasi dicat : Ideo confitebor, quia *magna* est *opera Domini*, quæ de impio facit pium. Et *exquisita* cui nihil simile est, dum sinit diabolum sævire in bonum suorum, et ne putes pro parte laudari operam ejus, addit *in omnes voluntates ejus*, scilicet est, exquisita opera ejus, quia omnia quæcunque vult eximie facit. Quæ autem sit opera, exponit subdens :

VERS. 3. — « Confessio et magnificentia opus « ejus ; et justitia ejus manet in sæculum sæculi. »

Confessio (Cassiod., Aug.) scilicet peccatorum præconialis, id est laudis et peccati *et magnificentia* boni operis est *opus ejus* vel sicut Hieronymus, ait, « gloria et decor est, » opus ejus, (Cassiod.) quia laudabilia sunt, et decora quæ facit ; *et justitia ejus*, qua judicabit, *manet* incommutabilis, *in sæculum sæculi*, dum his dixerit ; *Ite in ignem æternum ;* illis : *Venite benedicti Patris mei*, etc. (*Matth.* XXV). (Alcuin., Haym.) Vel ita ab illo loco : *Magna opera*, et agit generaliter de quibuslibet operibus Dei, quas dicat : Ideo confitebor, quia *magna* sunt

A *opera Domini*, quælibet opera ejus sunt magna, si sint, *exquisita in omnes voluntates ejus*, id est, si in eis videatur intentio et voluntas facientis Dei, id est si intelligatur qua intentione voluerit ea facere Deus. Deinde aperit quæ est intentio et voluntas Dei in operibus, subdens : *Confessio* scilicet peccatorum, *et magnificentia* bonorum operum est *opus ejus*, et *justitia ejus*, id est merces quæ juste datur, *manet in sæculum sæculi*. Ac si diceret : Hæc est voluntas ejus, ut ex suis operibus insit homini, confessio peccatorum, et magnificentia bonorum operum, et justitia, id est merces quæ juste datur.

PARS. II. VERS. 4. — « Memoriam fecit mirabi- « lium suorum, misericors et miserator Dominus ; « escam dedit timentibus se. »

B *Memoriam fecit*. (Cassiod.) Secundo dicit fideles copioso munere satiatos, promittens adventum Domini, ut hæreditas avide quæratur. Quasi dicat : Ideo confiteri debemus, quia *Dominus misericors* natura, *et miserator* exhibitione, scilicet, quando venit *fecit memoriam mirabilium suorum*, (Haym.) re completa memoriam dedit significantium quæ erant in veteri lege. Ita fecit memoriam, quia *dedit timentibus se escam*, (Aug., Cassiod.) non corporalem, quam etiam malis dat, sed spiritualem, id est corpus et sanguinem suum. Escam ergo dicit Christum, qui est forma justitiæ fidelibus. Adventu enim Christi timentes pascit, in quo remissio est et salus, et ut de adventu ejus acciperes, addit :

VERS. 5 — « Memor erit in sæculum testamenti
C « sui, virtutem operum suorum annuntiabit populo « suo. »

Memor erit. (Gl. int.) Quasi dicat : Et per eos, vel propter eos, scilicet timentes, *memor, erit testamenti sui*. (Cassiod.) Quia, sicut promissum est in Veteri Testamento, impletur in Novo Testamenti dico, existentis, *in sæculum* sæculi, scilicet in æternum, quia verba testamenti solida veritate custodi, ut omnia impleantur, ita memor erit, quod *annuntiabit virtutem operum suorum*. Virtus operum est quod cæci vident, claudi ambulant, etc. (*Matth.* XI.) Quæ facit nota Christiano *populo suo* ad hoc,

VERS. 6. — « Ut det illis hæreditatem gentium ; « opera manuum ejus, veritas et judicium. »

Ut det illis hæreditatem gentium. (Aug.) Hæc enim
D fuit intentio miraculorum, quæ Christus fecit, ut crederent gentes.

Aliter totum ab illo loco : *memoriam fecit*, quasi vere magna et exquisita sunt opera Dei, quia *Dominus misericors et miserator* hoc non mutatur. *Fecit memoriam mirabilium suorum*, id est plura nova contra rerum ordines fecit, per quæ omnia eum regere patuit : *Escam dedit timentibus*. (Alcuin.) Quasi dicat : facit confessionem et magnificentiam, quia *dedit escam*, id est bonam voluntatem per Spiritum sanctum inspiravit ; *timentibus se*, et per eos *memor* ero *testamenti sui*, id est, promissionis factæ Abrahæ : *In semine tuo benedicentur omnes gentes* (*Gen.* XXII). (Rem., Haym.) Testamenti dico

duraturi *in sæculum*, quia post istud non sequitur aliud. Illa enim promissio iterata est in Evangelio, non mutata, ita erit memor quod *virtutem*, id est complectionem, *operum suorum*, id est significantium figurarum legalium, *annuntiavit populo suo*, Judaico, ut apostolis fecit. Ad hoc utique annuntiabit *ut det illis*, scilicet apostolis, *hæreditatem gentium*, id est gentes colendas, scilicet Ecclesiam, de omnibus gentibus Abrahæ promissam. His dabis hæreditatem, id est gentes : tamen *opera manuum ejus*, est *veritas et judicium*, [Gl. int.] id est verum judicium, quo ipse prædixit passuros discipulos, dicens : *Non est servus major domino suo. Et ideo si me persecuti sunt, et vos persequentur* (*Joan.* XIII). Et est sensus : [Alcuin.] Licet illis det hæreditatem, tamen multa patientur. Vel ita : Opera manuum ejus sunt judicium, quo judicabit, 244 et veritas, id est executio judicii. Vel, opera manuum ejus, [Cassiod.] id est virtutis ejus, sunt veritas, dum conversis promissa dat. Et judicium, quod impiis minatur. Et etiam

VERS. 7. — « Fidelia omnia mandata ejus confirmata in sæculum sæculi : facta in veritate et æquitate. »

Omnia mandata ejus fidelia sunt eis, [Gl. int.] scilicet qui implent, et non diffidunt de promissis. Fidelia dicuntur, [Cassiod.] quia servant servantes se, non sunt mendacia. Et sunt *confirmata in sæculum sæculi*, non incassum missa sunt ut verba humana, et sunt *facta*, id est completa, non tantum dicta, *in veritate*, quia dicta complentur, *et æquitate*, id est quia omnia cum libra facit justitiæ. Vel facta sunt in veritate et æquitate. [Gl. int.] id est data sunt ab eo qui non mentitur, et qui nihil nisi æquum mandat.

PARS III. VERS. 8. — « Redemptionem misit Dominus populo suo : mandavit in æternum testamentum suum. »

Redemptionem [Cassiod.] Tertio, redemptos asserit, et testamentum novum æterna gratia consecratum. Quasi dicat : Hæc prædicta dedit ; nam *redemptionem misit Dominus*, [Gl. int., Cassiod.] id est Christum qui dat redemptionem captivis. Misit *populo suo* Judaico. Unde : *Non sum missus nisi ad oves quæ perierant domus Israel* (*Matth.* XV). Et *mandavit* per apostolos, *testamentum suum* novum duraturum, *in æternum*, quia nullum succedet, et quia æterna promittit, et quia hoc facit, ergo

VERS. 9. — « Sanctum et terribile nomen ejus ; initium sapientiæ timor Domini. »

Nomen ejus, (Gl. int., Cassiod.) id est virtus et potentia, est *sanctum* bonis, *et terribile* impiis. (Cassiod.) Vel nomen ejus est sanctum et terribile, id est Filius, qui in humanitate sanctus est, et potentia deitatis terribilis. Ametur ergo, quia advocatus est ; timeatur, quia est judex ; ne sis negligens, ne desperes. (Gl. int.) Dico terribile est, et terror quidem prodest, quia *initium sapientiæ timor Domini*.

VERS. 10. — « Intellectus bonus omnibus facientibus eum : laudatio ejus manet in sæculum sæculi. »

Intellectus, [Gl. int., Cassiod., Alcuin., Haym., Cassiod., Gl. int.] id est si intelligitur, ut discrete habeatur, et cum amore. Metus enim judicii, janua est conversionis, si addatur discretio dilectionis. Et ipse timor, intellectus *bonus* est *omnibus facientibus eum*. Vel ita distingue : Terribile est nomen, et terror prodest, quia timor Domini est initium sapientiæ, quia et janua conversionis, et via ad sapientiam. Et iste intellectus, qui est in timore Domini, quo intelligitur via et janua, intentus, id est intense habitus, est bonus, id est verus et utilis omnibus facientibus eum, id est illis qui sic intelligunt hoc ut faciant, scilicet qui per timorem ad sapientiam ascendant. Deinde quid pro prædictis debeat reddi Domino subdit ; *laudatio ejus* Domini, *manet in seculum sæculi* [Hier., Cassiod.] Ecce intentio psalmi, unde alleluia præscribitur. A laude cœpit, in laudem finit populus fidelis. A diabolo liberatus, gratias agens, expressit quid faciendum sit hic devotis et in cœlo paragendum. Hic, quia liberat, ibi, quia coronat.

[Cassiod.] Aliter totum a principio psalmi, *confitebor*, et accipitur hoc de confessione laudis, quæ erit in futuro. Ait ergo populus liberatus : *Confitebor tibi, Domine*, in futuro, *in toto corde meo*, quia ab omnibus malis tunc liberatus in re. Tunc enim toto corde laudabitur et amabitur Deus, quando per speciem videbitur. Et hoc erit, *in consilio justorum*, [Aug.] id est in judicio, quando cum Domino judicabunt sancti, qui sedebunt super duodecim sedes, judicantes duodecim tribus Israel (*Matth.* XIX). Et in *congregatione*, id est quando de toto mundo collecti erunt justi in unum, inter quos jam nullus erit iniquus, nullus pelle ovina tectus, fraternitate falsa superbit, nullius Judæ furta tolerantur, nullus Simon Magus baptizatur, volens Spiritum sanctum emere, dum cogitat vendere : sed modo inter malos gemit Ecclesia, qui quando justi congregabuntur, ad regnum excludentur foras. Et hæc sunt *magna opera Domini*, scilicet congregatio bonorum et exclusio malorum a regno. Et hæc opera sunt *exquisita in omnes voluntates ejus*, ita exquisite facta, ut per hæc de homine impleatur voluntas Dei aliqua, si omnes voluntates ejus circa nos pensentur, per quas nullum confitentem deserat misericordia, nullus iniquitas sit impunita, quando flagellat etiam filium quem recipit. Non vult enim Deus ut peccet homo quilibet. Sicut autem non vult ut peccet homo, ita vult peccanti parcere, si pœnituerit, ut vivat, ita etiam vult in peccato perseverantem punire, ut justitiæ potentiam contumax non evadat. Nihil ergo in libero arbitrio constitutum superat voluntatem Dei, etsi contra voluntatem ejus faciat. Si enim non vult ut pecces, non tamen prohibet efficaci potestate, etsi

salubri et justa præceptione. Si vult parcere pœnitenti, vult etiam impœnitentem punire. Ita de homine semper Deus suam implet voluntatem, quia nihil facit homo de quo Deus non operetur quod vult. Magna enim opera Domini exquisita in omnes voluntates ejus. Et vere magna sunt opera Domini, quia *opus ejus* est *magnificentia,* id est justificatio impiorum. Quid enim magnificentius est quam justificare impium ? Quæ bene dicitur magnificentia, quia ubi abundavit peccatum, superabundavit et gratia. Sed, ne putes quod opus hominis præveniat hanc magnificentiam Dei confitendo peccata, quia et *confessio*, id est delicti improbatio, quæ nondum quidem est opus justitiæ, est opus ejus. Non ergo glorietur homo in se, qui justitiam non operatur, nisi justificatus. Credens autem in eum qui justificat impium, a fide incipit, ut bona opera, non præcedentia quod meruit, sed consequentia quod accepit, ostendant. Quid enim habes quod non accepisti ? Illa confessio ergo, quæ nondum quidem est opus justitiæ, sicut et magnificentia, qua justificatur impius, opus Dei est, non hominis. *Quid ergo dicemus ? iniquus est Deus*, cujus vult miserando, et quem vult indurando ? non (*Rom.* IX). *Justitia* enim *ejus manet in sæculum sæculi. Memoriam.* Quasi dicat : cujus vult Deus miseretur, et quem vult indurat, et sic *memoriam fecit mirabilium suorum*, hunc humilians et hunc exaltans. Sciendum quod cum quotidie opera ejus sint mira, reservat tamen opportune quædam inusitata, quæ meminerit hominis infirmitas novitati intenta. Hoc enim miraculum maxime attentis cordibus inhærebit : quod assiduitas tamen vile fecerit. Sed quid prosunt miracula, nisi ut timeretur Deus ? Quid porro prodest timor, nisi misericors det escam timentibus ? nihil. Sed, *misericors et miserator Dominus dedit escam timentibus se.* Esca est panis qui de cœlo descendit, quem nullus meruit, sed Dei misericordia dedit. Quod si huic vitæ tantum dedit ut peccator justificandus, Verbum carnem factum acciperet : quid in futuro glorificatus accipiet ? multum quidem, quia *memor erit in sæculum testamenti sui,* id est promissionis suæ complendæ, *in sæculum,* [Cassiod., Aug.] id est in æternum. Quasi dicat : Nec totum dedit qui pignus dedit, et non contristentur sancti qui audiunt. Facilius est camelum intrare per foramen acus, quam divitem in regnum cœlorum, quia *annuntiavit populo suo*, Israeli, ut apostolis *virtutem operum suorum*, quoniam quæ hominibus difficilia sunt, Deo sunt facilia, ut et divites faciat intrare in regnum cœlorum, ad hoc utique annuntiabit, *ut det illis hæreditatem gentium*, Itum est enim ad gentes. Multi enim sunt vocati. Occupata est hæreditas gen-

A tium, et cameli se humiliantes per foramen acus, id est per compungentes passionis angustias intrant. *Et opera manuum ejus* est *veritas,* quam sancti martyres tenent, pro qua et judicantur hic, et *judicium* quo in futuro judicabunt eos a quibus hic judicantur. Teneatur ergo veritas ab his qui judicantur, quo judicent judicantes se, et etiam angelos, contra quos et hic luctantur, et nihil separet a Christo, quia *fidelia* sunt *omnia mandata ejus.* Non fallit, exhibet quod promisit, non tamen sperandum est ut hic habeatur : sed *confirmata* sunt *in sæculum sæculi*, et sunt *facta in veritate et æquitate,* id est mandant et promittunt quod verum est et justum, quia hoc verum et justum est ut hic laboretur, quod mandatur : ibi requiescatur quod
B promittitur. Et poterimus ibi requiescere, quia *misit populo suo redemptionem* a captivitate hujus sæculi, ut ibi sit quies, *mandavit in æternum testamentum suum*, novum, non vetus. Dedit quidem olim Judæis terram promissionis, sed hoc vetus testamentum est ad veterem hominem pertinens. Sed novum mandavit in æternum, ubi nil carnale speretur, cujus hæres quisquis esse volueris, nolo te fallas, non tale aliquid mediteris adipisci, quale solet hic oculus avaritiæ concupiscere ; sed quale oculus hominis non vidit. Sed primo pœnas fuge, devita gehennam, antequam desideres promittentem Deum. Cave minantem, quoniam *sanctum et terribile nomen ejus*, præ omnibus autem hujus sæculi deliciis, immortalitatis deliciarum matrem, desidera sapientiam, sed *initium sapientiæ* est *timor Domini.*
C *Intellectus.* Illa delectabit castis amplexibus veritatis, sed prius donanda sunt tibi debita, quam postulanda præmia, nec extollaris, quia timor qui intellectus est, initium sapientiæ est, *bonus facientibus eum.* Hoc ideo ait, quia periculum est intelligere, et non facere. *Et laudatio ejus*, cujus timor est initium sapientiæ, *manet in sæculum sæculi.* Hoc totum præmium est, hic finis, hæc sades perpetua, hic mandata confirmata, hæc est hæreditas Novi Testamenti.

COLLATIO IN PSALMUM CX : « CONFITEBOR TIBI, DOMINE, IN TOTO, » etc.

VERS. 2. — *Exquisita in omnes voluntates ejus.* Vox hebraica חפציהם HEPHTZEHEM, habet pronomen affixum, quod ambigue poterat verti, *eorum,* vel *suas.* Idcirco Hieronymus reddidit, *exquirenda in omnibus voluntatibus suis.* Ubi eodem sensu, dici-
D mus *in omnes voluntates ejus*, nempe Dei. Consentit Nebiensis. Alii Hebraicantes convertunt sensum, *magna opera Domini exquisita, ab omnibus volentibus ea*, ut pronomen referatur ad opera Dei, quæ homines cum admiratione debent perscrutari et laudare. Sic autem sequuntur Kimhi, ut dicunt, qui vult hic חפץ HEPHETZ, substantivum pro adjectivo accipi HOPHETZ חופץ.

PSALMUS CXI.

PSALMI TITULUS : « ALLELUIA REVERSIONIS AGGÆ ET ZACHARIÆ (153). »

Beatus vir qui timet Dominum. Titulus ; *Alleluia reversionis Aggæi et Zachariæ.* [Aug.] Aggæus et Zacharias longe post David fuerunt, completis LXX annis transmigrationis, tunc sub Dario rege Persarum (*Jer.* XXV). Ili duo prophetaverunt quod ad renovationem templi pertinere videbatur (*Agg* . I ; *Zachar.* I). Et sicut in Esdra legitur, ipsi quoque in templi reædificatione fuerunt coadjutores (*I Esdr.* V), de qua tamen reædificatione illius actualis templi non agitur hic ; sed potius de reformatione spiritualis templi, quod nos sumus. Unde Apostolus: *Templum Dei sanctum est, quod estis vos* (*I Cor.* III). Illa enim actualis templi renovatio significat renovationem novi populi ex ruina Adæ, ut portet imaginem novi hominis, sicut ante portavit imaginem veteris hominis (*I Cor.* XV), et post captivitatem hujus sæculi, quod septem dierum repetitione volvitur, longinquæ peregrinationis miseriam, quasi post LXX annos non ruitura mole construatur ; sed beata immortalitate æternaliter solidetur. [Aug., Cassiod.] Hanc autem spiritualem reparationem spiritualis templi, prædicti prophetæ intellexerunt figurari in illa actuali **245** et pro ista magna hilaritate Dominum laudaverunt. Ideoque hujus psalmi titulus, nomina eorum continet, non quod ipsi hunc psalmum scripserunt, sed quia pro spiritualis templi reparatione, unde in hoc psalmo agitur, sicut dictum est, Dominum laudaverunt. Et est sensus tituli : Hic est *Alleluia*, id est laus Dei. Laus dico, *Aggæi et Zachariæ.* Cujus rei ? *reversionis*, quia prophetæ illi laudes Dei pro spirituali reversione Christiani populi cantaverunt, sicut David hic. [Alcuin.] Vel juxta interpretationem nominum ; Aggæus enim interpretatur *montanus ;* Zacharias, *solemnis :* quibus significantur fideles ; qui sunt montani, id est alti in virtutibus : et solemnes, id est in tribulationibus etiam gaudentes. [Cassiod.] Sicut ergo illi prophetæ, Dominum laudaverunt de hac spirituali reversione, sic Christiani qui per eos significantur, post absolutionem peccatorum Dominum laudant, tanquam a captivitate liberati, et hilares de bonis quæ habent. Ostendit enim hic psalmus post liberationem peccatorum, quanta sint bona fidelium, et quæ sit retributio perfidorum. Et est etiam hic psalmus digestus per omnes litteras Hebræi alphabeti.

Intentione monet ad laudem. Modus. Tripartitus est psalmus. Primo monet Propheta quid faciat beatus vir, et quanta bona gratia mereatur. Secundo agit de adventu Domini, per quem homines sunt beati, ibi *exortum est.* Tertio impiis adversa proventuro asserit, ibi, *peccator videbit.* [Aug.] Perfectio autem hujus supradicti ædificii, est illa ineffabilis

A pax sapientiæ, cujus initium est timor Domini, de quo incipit, dicens :

VERS. 1. — « Beatus vir qui timet Dominum ; in « mandatis ejus volet nimis. »

Beatus vir qui timet Dominum, non mundum, [Cassiod.] quia timor mundi miseros facit, sed timor Domini appetere facit ea, per quæ homo beatus est. *In mandatis ejus volet* vel cupit *nimis* vel multum: Hoc facit timor Dei, ut velit. [Alcuin., Aug.] Et nota quod non ait, faciet, sed, *volet* multum, quia sufficit velle si perficiendi mandata desit facultas, quia pax est hominibus bonæ voluntatis (*Luc.* II), et si non adeo proficiat homo in eis implendis, quia tentatio est vita ista humana super terram, sicut ait Job (*Job* VII) : *Et corpus quod corrumpitur, aggravat*

B *animam ; et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem* (*Sap.* IX). Et inde quia timet Dominum, et volet nimis,

VERS. 2. — « Potens in terra erit semen ejus : « generatio rectorum benedicetur. »

Potens in terra erit semen ejus, [Gl. int.] ut neque mors, neque vita separet eum a charitate Dei. A simili messis, quæ nulla tempestate potest dejici. Vel de futuro potest accipi. [Cassiod.] Et quia supra dixit beatum esse qui timet Dominum ; ecce hic præmia illius beatitudinis ostendit dicens, quod *semen ejus*, id est merces boni operis, *erit potens in terra,* non in hac ubi sancti sunt derisui, sed cœlesti, ubi fulgebunt sicut sol. [Aug.] Vel etiam hic in isto tempore quo minus videtur, semen ejus, id est opera misericordiæ, unde messis æterna colligitur. Erit

C potens, quia re minima etiam ut magna cœlum emitur, ita calice aquæ frigidæ, et duobus minutis viduæ, sicut dimidio bonorum Zachæi. Et *generatio rectorum,* [Cassiod., Aug.] non generatio carnis, sed imitationis, id est imitatores justorum. Vel, generatio rectorum, id est opera rectorum, *benedicetur* æterna retributione. Recti sunt qui non resistunt patri emendanti, et credunt promittenti, non credunt periisse opera sua, cum eis temporaliter non retribuitur. Sunt enim quidam ad terrena curvi, qui bona illa agunt, mercedem a Deo hic sperantes, vel hominibus placere volentes, quæ non facit beatus vir, qui nec gloriam hominum nec terrenas concupiscit divitias. Et tamen.

VERS. 3. — « Gloria et divitiæ in domo ejus : et

D « justitia ejus manet in sæculum sæculi. »

Gloria et divitiæ sunt *in domo ejus,* [Aug., Cassiod.] id est in corde secreto, ubi habitat cum spe vitæ æternæ, ubi divitiæ sanctæ, et gloria æterna reponuntur. *Et justitia ejus.* Hæc est gloria ejus, hæc sunt divitiæ ejus, quæ tamen hebet a Deo, *manet in sæculum sæculi,* id est in æternum reponuntur, quia non temporaliter beatus est.

(153) In Hebr. et Græcis simplex est titulus תללויה ἀλληλουΐα.

PARS. II. VERS. 4. — « Exortum est in tenebris A « lumen rectis corde ; misericors et miserator et « justus. »

Exortum est. [Cassiod.] Secundo agit de adventu Domini, per quem homines ex peccatoribus in æternum liberati sunt. Quasi dicat : Hæc omnia inde sunt, quia *lumen*, id est sol justitiæ, *in tenebris exortum est rectis corde*, [Gl. int., Haym.] id est exortum est ut tenebras pellat et rectos faciat. Quod est illud lumen? Dominus *misericors* natura, et dum exspectat, et *miserator* exhibitione, dum justificat, *et justus* remunerando. Vel ita, exortum est. Supra dixit bona beati, nuncdicit unde beatus; [Cassiod.] quia *exortum est in tenebris*. Lux illa gratior est, quæ in tenebris oritur, sed non aliis orta est lux, nisi rectis corde, quod lumen? Domi- B nus misericors et miserator, [Aug.] qui pius est confitentibus, et justus contemnentibus; sed ne terreat te justitia, quia,

VERS. 5. — « Jucundus homo qui miseretur, et « commodat disponet sermones suos in judicio : quia « in æternum non commovebitur. »

Homo ille *jucundus* vel suavis, [Aug.] id est gratus est Deo, *qui miseretur*, animo condonando aliis, quo sibi veniam meretur, *et commodat*, [Aug., Cassiod.] id est dat aliis cum spe futuri, vel sumptum pecuniæ, vel laboris industriam, quod est commodare, ut ei detur in futuro. [Aug.] Hæc sunt duo officia benignitatis ignoscendorum peccatorum et beneficiorum erogandorum. Unde : *Dimittite et dimittetur vobis : date, et dabitur vobis* (*Luc.* VI). C Hæc de illo superiori versu pendent ; *Gloria et divitæ in domo ejus*. [Cassiod.] Vel, miseretur, qui dat egentibus ; commodat, qui mutuum præstat, post tantumdem recepturus, *disponet* vel disponit, *sermones suos*, [Aug.] quibus defendatur, *in judicio* futuro, quia hæc facta sunt quasi sermones, quibus defendetur in judicio : quod non erit ei sine misericordia, quia ipse misericordiam fecit. [Alcuin.] Et dicitur hoc a simili alicujus præmeditantis causam suam, ut eam firmis allegationibus in judicio muniat. [Hier., Cassiod., Gl. int.] Vel, disponit hic sermones suos in judicio, id est discrete dicit omnia et disponit ; et vere, *quia* in futuro locatus ad dexteram *in æternum non commovebitur*, id est nunquam a gloria Domini separabitur, et si cadit hic ut Pe- D trus cecidit. Dico non commovebitur, sed

VERS. 6. — « In memoria æterna erit justus : ab « auditione mala non timebit. »

In memoria æterna erit justus, (Aug.] ut audiat, *Venite, benedicti Patris mei*, etc. (*Matth.* XXV), quia generatio rectorum tunc benedicetur, sicut supra dictum est. Et *non timebit ab auditione mala* quæ est damnatis, quibus dicetur : *ite, maledicti, in ignem æternum* (*ibid.*). Quod dicetur his qui a sinistris ejus erunt, et quia hic in futuro erunt justo. Itaque patet quod hæc non sua quærit, sed quæ sunt Christi ; labores patienter sustinet, promissa fidenter exspectat. Unde subdit :

VERS. 7.—« Paratum cor ejus sperare in Domino, « confirmatum est cor ejus ; non commovebitur do- « nec despiciat inimicos suos. »

Paratum cor ejus sperare in Domino, [Aug.,] Alcuin.] non in mundo, nec ullis tentationibus frangitur, quia *confirmatum est cor ejus*, vel, *ab auditione mala non timebit*, id est si quis mala minatur, non timet, [Cassiod.] quia paratum est cor ejus sperare in Domino, non in mundo ; et quia sperat, confirmatum est cor ejus, quia nulla re sæculi mollescit. Et *non commovebitur* videns alios ridere in terra morientium, et se irrideri. [Aug.] Non commovebitur a spe sua, donec res veniat. Unde subdit : *Donec* existens in terra viventium ; inde *despiciat inimicos suos* quoscunque. Et propter hoc futurum.

VERS. 8. — « Dispersit, dedit pauperibus ; justi- « tia ejus manet in sæculum sæculi, cornu ejus exa- « ltabitur in gloria. »

Dispersit, [Hier., Haym.] ut multis, et *dedit* gratis *pauperibus* non divitibus. Ecce iste emebat quod non videbat ; sed iste thesaurum in cœlo servabat, qui esurire et sitire in pauperibus dignatur in terris. Vel ita continua : [Aug., Alcuin.] aliis non mutatis, sperat justus, et non temere, quia dispersit, etc. Sequitur : *Et justitia*. Quasi dicat : sua dedit, et justitia *ejus manet in sæculum sæculi*, id est ipse juste et pie vixit. Vel ita, quia dispersit et dedit. [Cassiod.] Igitur justitia ejus est, id est ipse operatur justitiam. Qui enim dat sua, justitiam operatur. Et hæc justitia ejus manet in sæculum sæculi, quia Deo custode nil perit. *Et cornu ejus*. [Aug., Cassiod.] cujus humilitas a superbis contemnebatur, *exaltabitur in gloria*. Qui enim hic humilis fuit, ibi potestatem habebit.

PARS III. VERS. 9. — « Peccator videbit et irasce- « tur dentibus suis, fremet et tabescet ; desiderium « peccatorum peribit. »

Peccator videbit. [Cassiod.] Tertio contra hoc quod justo accidet impiis, provenire asserit. Et nota quia, sicut supra enumeravit bona beatorum, ita hic mala iniquorum ; bonis beatorum hortatur, malis iniquorum terret. Et est iste psalmus institutorius fidelium. Quasi dicat : Cornu humilis exaltabitur, et *peccator videbit*, [Aug.] hoc scilicet cornu humilis exaltari, *et irascetur* sera et infructuosa pœnitentia, dicens : Quid vobis profuit superbia et divitiarum jactantia? Et *dentibus suis fremet et tabescet*. [Cassiod.] Quasi dicat : Malum invidiæ apud se retinet, nulli tamen nociturus his se affligit, quibus ante bonos vexavit. Vel per hoc quod dicit : Fremet, [Aug.] simpliciter signum anxietatis notatur, quia secundum illuc, *ibi erit fletus et stridor dentium* (*Matth.* VIII), et tabescet, quia non poterit reviviscere per pœnitentiam, quia *desiderium peccatorum peribit* nullo succedente solatio, cum omnia transierint velut umbra.

COLLATIO IN PSALMUM CXI : « BEATUS VIR QUI TIMET DOMINUM, » etc.

VERS. 7. — *Donec despiciat inimicos suos*. Recte interpretes reddidere. Alii simpliciter pro *despiciat*, vertunt *aspiciat*, ut intelligas ultionem, aut simile quid. Unde Sanctes dixit, *donec videat in hostibus suis quod optat*; vel, ut Munsterus, *ultionem*. Certum est tamen Hebræis quoque ראה RAAH *despicere*, *sonare*, quod et intellexit Pellicanus, tale subdens interpretamentum, *contempserit omnes dolos, et persecutiones illorum quas casso labore intentant*.

PSALMUS CXII.

PSALMI TITULUS : « ALLELUIA. »

Laudate pueri Dominum. Titulus : *Alleluia*. [Cassiod., Alcuin.] Eadem voce laudis intitulatur iste psalmus, qua et superior, quia merito laudandus est, qui merito humilitatis gentes assumit : titulum vero psalmus exponit. *Alleluia*, enim ut diximus, interpretatur, *laudate Dominum*, qualiter et psalmus incipit. Intentio : Monet ad laudem. Modus. Bipartitus est psalmus. [Cassiod.] Primo monet Propheta devotos, ut laudent jugiter, et ubique prædicent. Secundo ipse facit quod alios monet, id est laudat Deum, ibi, *quis sicut Dominus*, [Aug., Alcuin.] Ad laudem ergo monens ostendit, qui et quem, et quandiu, et ubi, et quare laudent, dicens :

246 VERS. 1. — « Laudate, pueri, Dominum : « laudate nomen Domini. »

Laudate Dominum, o vos, *pueri*, simplices et puri, [Aug.] quia debent laudare qui sunt puri, id est parvuli, non sensu sed malitia, maxime superbia, id est humiles. Unde Apostolus : *Nolite effici pueri sensibus, sed malitia parvuli estote, ut mentibus perfecti sitis* (*I Cor.* XIV) .[Aug., Alcuin., Gl. int.] Ideoque facta contentione inter apostolos, quis eorum major esset, assumpsit Jesus parvulum, et statuit illum in medio discipulorum, et ait : *Qui non humiliaverit se sicut parvulus iste, non intrabit in regnum cœlorum* (*Matth.* XVIII), quia tales per augustam portam valent intrare (*Matth.* VII). Vos ergo pueri, qui assumimini, laudate Dominum in essentiam. *Laudate nomen Domini*. [Cassiod., Aug.] Nomen laudat qui virtutes ejus prædicat. Et hoc faciunt pueri, id est humiles et pueri, qui intrant per augustam portam. Et ideo nemo nisi puer intrat in regnum cœlorum. Tales digne laudant, quibus non obviat superbia. Prostrata enim superbia et exstincta, ex ore infantium perficitur laus. Indigne autem cantant ista, qui se magnos putant, qui cognoscentes Deum non sicut Deum glorificant, aut gratias agunt. Et quia illi soli laudant digne qui puri sunt, tanquam pueri : Ideo post omnia dicit puer : *Benedicamus Domino*. [Alcuin., Aug.] Vel, laudate nomen Domini, id est ita operamini, ut alii videntes opera vestra bona, glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est (*Matth.* V). Ecce dixit qui et quem laudare debeant, deinde subdit, quandiu laudandus sit, scilicet semper, dicens :

VERS. 2. — « Sit nomen Domini benedictum : ex « hoc nunc et usque in sæculum. »

Sit nomen Domini. [Cassiod.] Quasi dicat : Ne ad horam putetis me imperare laudem ; sed *sit* semper *nomen Domini benedictum*. Gl. int., Hier., Aug.] non blasphemetur *ex hoc*, id est ex quo incipitis. Et *nunc*, id est in progressu, *et usque in sæculum*, id est in æternum. Ideo dico ex hoc, ei subdo usque in sæculum, quia incipitis, ex quo vobis dicitur, sed sine fine laudate eum, non vos, etiam cum magni fueritis.

VERS. 3. — « A solis ortu usque ad occasum, « laudabile nomen Domini. »

A solis ortu. [Aug., Cassiod.] Hic dicit quod ubique debeat laudari. Quasi dicat : Non impero laudare ad horam, nec etiam localiter, sed sit *laudabile nomen Domini*. Etiam *a solis ortu usque ad occasum*, [Cassiod.] id est ubique, non apud Judæos tantum, per circuitum solis, quasi per quamdam lineam, mundum significet, [Haym.] in quo toto laudandus est Deus ; deinde subdit cur sit laudandus.

VERS. 4. — « Excelsus super omnes gentes Do« minus : et super cœlos gloria ejus. »

Excelsus. [Haym.] Quasi dicat : Ideo laudate, quia *Dominus* est *excelsus super omnes gentes*, *et gloria ejus* est *super cœlos*. [Cassiod.] Per gentes omnia terrena, per cœlos omnia cœlestia notat, ut per hæc duo omnes creaturas indicet sibi subjectas. Vel per gentes, carnales ; per cœlos, spirituales significat, super quos excelsus est Deus. Vel ita, Dominus est excelsus super omnes gentes, id est homines, [Aug.] Et gloria ejus est super cœlos, ubi homines vident fulgere deos quos colunt, id est solem et lunam et hujusmodi. Cœli ergo supra se habent illum, quem humiles secum in pectore habent. [Alcuin.] Vel cœlos apostolos dicit, per quos regnat in gentibus, quas suo nomine significat. Et est, ideo omnes ad laudem invito, quia super omnes est regnaturus.

PARS II. VERS. 5. — « Quis sicut Dominus Deus « noster qui in altis habitat ; et humilia respicit in « cœlo et in terra. »

Quis sicut. [Cassiod.] Secundo ipse agit quod alios monet, ut et facto alios doceat. Quasi dicat : Vere Dominus est excelsus. *Quis* enim *est sicut Dominus Deus noster?* Quasi dicat : Nullus, qui per se possit ut ipse. Ipse est *qui habitat in altis*, [Aug., Cassiod.] id est in angelis sanctis, quos exaltat sic ; ut non superbos faciat ; et licet sit altus, non tamen despicit humiles. *Et*, id est quia, *respicit* intuitu misericordiæ, *humilia* hi sunt qui dono ejus sunt alti, et in eis sedet. Respicit humilia, et quæ sunt *in cœlo*, id est humiles angelos, *et* quæ sunt *in terra*, id est humiles sanctos, quos ita respicit ; sicut econverso odit superbos. Vel ita ipse est : [Aug.] Qui habitat in altis, id est in sanctis, quos sine superbia exaltat. Et respicit humilia, eosdem, scilicet in quibus habitat, quia in carne et in spiritu humilitas eorum

respicitur. Unde subdit : In cœlo, quasi dicat : Humilia dico, in cœlo, propter spiritus libertatem ; et in terra, propter corporis servitutem. Quasi dicat : humilitatem habent in spiritu, et ostendunt in opere. Vel respicit quosdam, in cœlo, id est eos quos vocavit jam, et habitat in eis, et quosdam in terra respicit eos, scilicet quos vocat, ut habitet in eis. Illos enim possidet cœlestia cogitantes ; istos excitat terrena somniantes. Vel potius cœli sunt, qui cum Domino judicabunt ; terra cætera multitudo sanctorum, qui constituentur ad dexteram, ut recipiantur ab eis in æterna tabernacula, quos sibi amicos fecerunt de mammona iniquitatis. Humiles tamen sunt hi et illi, quia meminerunt utrique quid per suam fecerunt malitiam ; et quid facti sunt per Domini gratiam. Et est, respicit humilia in cœlo, id est sanctos, qui cum Domino sedebunt judices aliorum, qui hic cœlestia seminaverunt. Et in terra, id est eos qui indicabuntur et salvabuntur, qui hic terrena reddiderunt. Merito cœli humiles sunt, quia ipse est

VERS. 6. — « Suscitans a terra inopem ; et de « stercore erigens pauperem. »

Suscitans per solam gratiam *a terra*, [Aug., Cassiod.] id est de labe corporis, prius *inopem*, id est illos qui prius inopes erant, et etiam adhuc sunt, quandiu gemunt in corpore. Et est, *erigens pauperem de stercore* carnalis voluptatis. De stercore enim erigitur, cui carnis vitia dominantur. Ad quid erigit ?

VERS. 7. — « Ut collocet eum cum principibus : « cum principibus populi sui. »

A *Ut collocet eum cum principibus*, [Aug., Cassiod.] id est cum angelis, et *cum principibus populi sui*, id est cum apostolis. Quasi dicat : Ad hoc erigit pauperem, ut addat eum ordinibus cœli, qui sunt ex angelis et hominibus.

VERS. 8. — « Qui habitare facit sterilem in domo « matrem filiorum lætantem. »

Qui habitare facit. [Cassiod., Aug.] Hic exponit ubi suscitat et erigit in Ecclesia, scilicet quæ ante adventum sponsi sterilis erat (*Galat.* IV) : modo vero est mater multorum læta et feta. [Aug., Alcuin.] Quasi dicat : Non solum erigit quos locet cum principibus judices. Sed ipse est *qui facit sterilem*, scilicet Saram, id est Ecclesiam gentilem, quæ prius sterilis fuit ; unde per Saram significatur, eam inquam, facit *habitare in domo*, id est in Ecclesia Judæorum, inter ipsos Judæos, ut in lapide angulari duo parietes conjungantur (*Ephes.* II), et ut fiat unum ovile (*Joan.* X). [Aug.] Ipsam dico *lætantem matrem filiorum*, id est fidelium per omnes gentes, quia sunt multi filii desertæ, qui si non omnia relinquunt, faciunt tamen sibi amicos de mammona iniquitatis (*Luc.* XVI), id est per opera misericordiæ, ex persona quorum hæc dicuntur, de quibus Isaias loquens ad Ecclesiam, ait : *Dicent*, inquit, *in auribus tuis, filii quos amiseras ; angustia est nobis in loco isto* (*Isa.* XLIX), facite itaque nobis et nunc locum, in quo commoremur. Tu vero dicis in corde tuo, quis generavit mihi istos ? Quis ergo educavit mihi istos ? quasi cum sciam me esse sine filiis et viduam ?

PSALMUS CXIII.

PSALMI TITULUS : « ALLELUIA. »

In exitu Israel. Titulus : *Alleluia*. Item hic alleluia ponitur ex alio negotio. [Cassiod.] Sicut enim ex diversis actibus Deus laudatur, ita ex variis negotiis iste titulus adnotatur. Hic enim ab initio Hebræi populi, Propheta incipiens per magna miracula illi populo exhibita, Christum mundo datum nuntiat. Per quas similitudines, id est per earum significata etiam quisque Christianus liberatur. [Aug.] Erant enim illa miracula figuræ mysteriorum spiritualium Christi et Ecclesiæ, quod in psalmi expositione clarescet. Hic ergo non narrantur præterita tantum, sed futura prædicuntur, quia in illis gestis futura significabantur. Et ideo, non omnia hic dicuntur, quæ ibi gesta sunt. Sed quædam aliter, ne putetur Propheta recolere tantum præterita. Intentio : [Cassiod.] Ad cultum et laudem veri Dei invitat. Modus. Tripartitus est psalmus. Primo dicit Propheta, quæ mirabilia *dedit Deus* Hebræis in figura : et Christianis in spiritu. Secundo, interrogat quare hæc facta sunt, ibi, *Quid est tibi mare*. Tertio simulacra inania gentium probat, et religionem Dei commendat, ibi, *simulacra*. Incipiens ergo Propheta a mirabilium narratione, ait :

VERS. 1. — « In exitu Israel de Ægypto, domus « Jacob de populo barbaro. »

In exitu Israel de Ægypto, scilicet *Domus Jacob de populo barbaro*, [Alcuin.] cum populus Israel de Ægypto, id est de populo barbaro, exiret.

VERS. 2. — « Facta est Judæa sanctificatio ejus ; « Israel potestas ejus. »

Facta est Judæa sanctificatio ejus, [Alcuin.] id est sanctificatus est populus ille in Judæa, id est in terra promissionis colendo verum Deum, quæ terra ante erat per idololatriam polluta. *Et Israel potestas ejus* facta est terræ, id est potens factus est in ea. Qui enim in Ægypto fuerant servi, ibi Ecclesia facti sunt domini. Ergo

VERS. 3. — « Mare vidit et fugit ; Jordanis conversus est retrorsum. »

Mare Rubrum *vidit* populum de Ægypto exeuntem, *et fugit*, [Hier.] id est divisum est, ut populus pede sicco transiret. *Et Jordanis conversus est retrorsum*. [Aug.] Hoc aliter dicit quam factum fuerit. Ibi enim legitur stetisse Jordanis ab ea parte qua aquæ desuper influebant ; nec quidquam ibi dicitur de gestientibus montibus, de quibus hic dicitur : *Montes exsultaverunt*. Sed tam ibi facta, quam hic dicta figuræ

sunt, [Hier., Aug.] ergo per Israel et Jacob, recte intelligitur populus Christianus, qui prius est Jacob, id est *luctator*; post Israel, id est *videns Deum*. Per Ægyptum vero, quæ interpretatur *afflictio*, intelligitur sæculum. [Alcuin.] Sicut ergo populus ille cum exiret de Ægypto, sanctificatus et potens factus est in Judæa : ita Christianos exeuntes de peccatis sanctificat confessio. [Aug.] Judæa, enim interpretatur *confessio*. *In exitu*, spirituali, qui fit mente et ope Dei, *Israel*, id est videntium Deum, *de Ægypto*, id est de afflictione sæculi, cui renuntiant, [Hier.] scilicet *domus Jacob*, id est Ecclesia, quæ est domus luctantium, quod prius sumus, quam Israel, *de populo barbaro*, [Aug., Cassiod.] id est a blasphemiis gentium, a quibus mente semoti esse debemus. [Aug.] Vel a turba dæmonum; barbara enim lingua est, quæ Deum non laudat. In illius, inquam, exitu, *facta est Judæa*, id est confessio, *sanctificatio ejus*, quæ sanctificatio est in corde, quod purgat confessio, et per eam facti Israel, possunt resistere vitiis, et esse filii Dei : Unde subdit, *Israel potestas ejus*. Quasi dicat : Per confessionem sanctificatus est, et per eam factus est, Israel, id est videns Deum, et ejus facti Israel, est, potestas resistendi vitiis, et ut sit Filius Dei, secundum illud : *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus* (*Joan.* I). Et hoc, *mare*, sæculi, *vidit*, id est peccatores sæculi. *Et fugit*, id est retro fit, ut via sine contradictione ad spiritualem libertatem pateret, Et *Jordanis*, qui interpretatur *descensus*, id est humiles baptizati, *conversus est retrorsum*, id est ad eum unde orti sunt redierunt. Bonum ergo est illis ut retrorsum convertantur, fiatque Deus illis ante faciem, quem sibi a tergo **247** potuerunt, et sic posteriorum obliti in ea quæ ante sunt se extendant. [Cassiod.] Vel quia Jordanis in mare decurrit, per eum significantur illi qui variis desideriis rapiunt alios in magnum mare, id est in hujus sæculi amaricantem malitiam; sed hæc in adventu Domini cessant, quasi conversa retrorsum. Et hoc est quod dicit, Jordanis conversus est retrorsum. Et tunc

VERS. 4. — « Montes exsultaverunt ut arietes : et « colles sicut agni ovium. »

Montes, [Aug.] id est dispensatores verbi Dei, scilicet apostoli, *exsultaverunt*, vel gestierunt, qui sunt *ut arietes*, id est ut duces populi, qui cornibus utriusque testamenti hæreticos debellant et superstitiones diruunt. Unde alibi : *Afferte Domino filios Dei, afferte Domino filios arietum* (*Psal.* XXVIII) (154). Et sexta mansio filiorum Israel de Ægypto venientium fuit Helim (155) quæ interpretatur *arietes*, ubi erant duodecim fontes, et LXX palmæ (*Exod.* XV), quibus significantur duodecim apostoli, et septuaginta discipuli, quos in sexta ætate elegit Dominus, ut per quatuor mundi partes Christi victoriæ palmam portarent : destruentes gemino cornu utriusque Testamenti omnem scientiam adversus Christum se erigentem. *Et colles*, dicti a colendo, [Cassiod.] id est mediocres, exsultaverunt, qui semen fidei receperunt (*I Cor.* IV), qui sunt, *sicut agni ovium*, [Aug.] id est per Evangelium ab arietibus geniti, non invidi, innocentes; per arietes generati in fide. Non enim ad litteram, hæc tantum accipienda sunt. Unde per Jordanem, id est per antiqua facta hic signari, non ambigas, quæ hodie spiritualiter fiunt.

PARS. II. VERS. 5. — « Quid est tibi mare quod « fugisti : et tu Jordanis, quia conversus es re« trorsum. »

Quid est tibi, mare. [Aug.] Secundo interrogat quare hæc fiant, ut excitet admirationem, et solvit, ibi, *a facie Domini*. Quasi dicat : Mare fugit, et Jordanis convertitur retrorsum, sed hæc videntes mirantur, dicentes : *Quid est tibi, mare*, id est sæculum, *quod fugisti?* Quasi dicat : Quid est, o sæculum quod tua impedimenta cesserunt, ut tot millia hominum mundo renuntiantium ad Dominum convertantur? et hoc est quod sequitur : *Et tu Jordanis*, [Cassiod.] scilicet o vos qui variis desideriis fluitis, quid est *quia conversus es retrorsum?* id est a tuo proposito. Quasi dicat : Cur vestras consuetudines dimisistis. Item, o vos

VERS. 6. — « Montes exsultastis sicut arietes : « et colles sicut agni ovium. »

Montes, [Aug.] quibus dicetur in fine : *Euge, serve bone et fidelis, intra in gaudium Domini tui* (*Matth.* XXV). Quid est quod *exsultastis sicut arietes*, *et* vos *colles* quibus dicetur : *Venite, benedicti Patris mei*, etc. (*ibid.*) Quid est quod exsultastis *sicut agni ovium*. Ecce cur :

VERS. 7. — « A facie Domini mota est terra, a « facie Dei Jacob. »

A facie Domini. [Cassiod.] Ipse qui quæsierat solvit; et fit duobus prædictis una responsio, quia unus auctor et mare et Jordanem, id est sæcula fecit obstupescere, et sua, id est montes et colles gaudere. Christo enim apparente moti sunt homines a sua superstitione ad cultum Domini. Quasi dicat : Ideo hæc facta sunt, quia *terra* quæ prius erat pigra ad bene operandum *mota est*, [Aug.] vel commota est a sua superstitione ad cultum Dei ut solidius firmetur. Et hoc, *A facie Domini*, id est a præsentia Domini, qui dicit : *Vobiscum sum usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII). Vel, a facie Domini, [Haym., Gl. int.] id est a cognitione Domini, quam habent. Vel, a facie Domini, id est a clementia Domini, id est ab ira ejus quam prævident futuram, et quasi quis quæreret : Quis est Deus? subdit, *a facie Dei Jacob?* [Hier., Alcuin.] Quasi dicat : Dominus a cujus facie movetur terra, est Deus Jacob, scilicet non est Deus recens. Vel qui facit suos luctari, ipse etiam est :

(154) Ex Hier. hic et in psalm. XXVIII; et Alcuin.
(155) Ex Hier. ad Fabiolam de XLII mansionibus; et Alcuin.

VERS. 8. — « Qui convertit petram in stagna aquarum : et rupem in fontes aquarum. »

Qui convertit petram in stagna aquarum, et rupem in fontes aquarum, [Aug.] id est se prius durum cum ignoraretur, liquefecit ad irrigandos fideles, ut sit in eis fons aquæ vivæ salientis in vitam æternam (*Joan.* IV), quod factum est cum ipse resurgens aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas (*Luc.* XXIV). Ipse ergo Dominus prius erat quasi petra et rupes, donec apertis Scripturis velut fons influeret, atque inundaret in omnes credentes, dicens : *Si quis sitit, veniat ad me et bibet* (*Joan.* VII). Vel ita, ipse est *qui convertit petram*, id est dura corda Judæorum, *in stagna aquarum*, [Cassiod.] id est ad aquam baptismi, *et rupem*, id est gentiles, *in fontes aquarum*, ut et ipsi emanent irriguos fontes prædicationis.

VERS. 9. — « Non nobis, Domine, non nobis : sed nomini tuo da gloriam. »

Non nobis. [Cassiod.] Cum dixit Deum dare bona, petit ut propter nomen suum det ea, quia merita non videt in hominibus. Quasi dicat : Ita de petra emanat aqua, et hæc non meritis data est, sed tua misericordia : et hoc est, o *Domine, non nobis* Judæis, *non nobis* gentibus, [Haym.] id est non meritis nostris : *Sed nomini tuo da gloriam* [Aug., Cassiod.] quia est hæc gratia erumpentis aquæ de petra non pro meritis nostris, sed illo miserante data est. Unde non ait, da bona ; sed pro eo dicit, da gloriam, quia pro bonis datis, nobis gratis, gloriosus apparet. Gloria est enim cum im meritis dat : ergo da gloriam nomini tuo, id est da nobis pietate tui nominis bona, pro quibus nomen tuum glorificetur, Gloriam dico procedentem.

VERS. 10. — « Super misericordia tua et veritate tua, nequando dicant gentes : Ubi est Deus eorum ? »

Super, id est de, *misericordia tua*, qua impios vocas, et peccantibus parcis. *Et* de *veritate tua* qua non venientes judicas, et bonis præmia promissa restituis. In misericordia enim vocat impios, et peccantibus parcit. *In veritate*, impios et non venientes judicat et punit, et præmia promissa restituit. [Alcuin.] Vel ita : Gloriam, dico, procedentem, super misericordia tua, id est de reparatione humani generis. Et de veritate tua, id est de promissione impleta, qua promisisti adventum Filii. Ideo da gloriam, *nequando dicant gentes : Ubi est Deus eorum ?* (156) Hoc sæpe impii imputant bonis afflictis, etiam hoc solent dicere nobis gentes, quæ habent visibiles deos, quia invisibilem Deum colimus. Quod ne semper dicant, ait : Nequando, etc. [Aug.] Quasi dicat : Da gloriam, nequando dicant gentes, ubi est Deus eorum ? quod tunc implebitur, quando, scilicet signum Filii hominis apparebit in cœlo, cum eis adhuc non credendus prædicatur, sed jam tremendus ostenditur.

(156) Ex Aug. in II concione Psal.

VERS. 11. — « Deus autem noster in cœlo ; omnia quæcunque voluit fecit. »

Deus autem noster. [Cassiod., Alcuin.] Quasi dicat : Gentes quærunt ubi est, nos *autem* respondemus, *Deus noster* autem *est in cælo*, id est in Christo homine, secundum illud : *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi* (*II Cor.* V). [Aug., Cassiod.] Vel, in cœlo, id est potens super omnes creaturas. Vel *in cælo sursum*, alia littera, quia omnia corpora cœlestia et terrestria transgreditur. Et *omnia quæcunque voluit* in corporalibus vel in spiritualibus, *fecit*, per quod omnipotens apparet.

PARS. III. VERS. 12. — « Simulacra gentium argentum et aurum : opera manuum hominum. »

Simulacra. [Cassiod.] Tertio, inania gentium simulacra improbat, et religio Dei quam sit utilis ostendit. [Aug.] Est hic perfecta demonstratio, in vitupèratione et laude. Ostensa enim potentia nostri Dei ex operibus, transit ad deos gentium visibiles. Quasi dicat : Noster Deus talis, sed *simulacra gentium*, non utique veri dii, sunt, *aurum et argentum*, in materia, de qua sunt, gentiles habent quidem et lignea et fictilia ; sed pretiosiora ponit, quibus major reverentia exhibetur, ut qui in his erubescit facilius in cæteris erubescat. [Alcuin., Aug.] Dico sunt argentum et aurum, sed quia hæc fecit Deus, inquit, *opera manuum hominum*, sunt in forma. Quasi dicat : Hæc venerantur quod inde fecerunt. Materiam namque creavit Deus, sed stultitia hominum formam addidit [Aug.] Noli ergo manus addere ut ex eo metallo quod fecit verus Deus velis facere falsum Deum : imo falsum hominem, quem pro vero venereris Deo, quem, si quis pro vero homine, etiam in amicitia reciperet, insaniret. Sunt ergo, opera manuum hominum, quia manu hominum sunt formata ; sed non habent membrorum officia. Unde subdit :

VERS. 13. — « Os habent et non loquentur : oculos habent et non videbunt. »

Os habent et non loquentur. [Aug.] Homo illis melior est, qui loquitur. Hoc est enim proprium hominis, scilicet loqui. Cætera vero, quæ sequuntur, communia sunt homini cum bestiis, ut non solum homines, sed et belluas, scias simulacris esse anteponendas. Plus autem valet in affectibus miserorum forma, viventi similis, scilicet quod, os habent, etc., quam ad eos corrigendos quod non vivit, nec officiis membrorum potest uti. *Oculos habent et non videbunt*.

VERS. 14. — « Aures habent et non audient : nares habent et non odorabunt. »

Aures habent et non audient, nares habent et non odorabunt. [Aug.] Manifesta et evidentissima sunt hæc. Quis enim puer interrogatus non hoc certum esse responderet quod simulacra os habent et non loquentur ; oculos habent et non videbunt, etc., quæ divinus sermo contexit. Cur ergo Spiritus sanctus

a Deo inculcat in multis Scripturæ locis, quæ sunt omnibus nota, quia effigies viventi similis homines seducit, ut putent in ea esse occultum numen, et non esse sine vivo habitatore. Unde et dæmonia ad possidenda simulacra invitant, quorum præsidentium varia fallacia, mortiferi seminantur, et multiplicantur errores. Hæc autem alibi damnat Propheta, dicens : *Omnes dii gentium dæmonia (Psal.* XCV), prudentiores vero dicunt se nec idola, nec in eis dæmonia colere ; sed quæ per idola significantur, ut per hoc aerem, per illud terram, etc., et hujusmodi : Hos transeunt et alii dicentes se non colere ipsa corpora, sed quæ illis regendis præsident numina, ut Jovem, Mercurium, et hujusmodi, quæ omnia damnat Apostolus dicens : *Qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium, et servierunt creaturæ potius quam Creatori* (*Rom.* I).

VERS. 15. — « Manus habent et non palpabunt ; « pedes habent et non ambulabunt ; non clamabunt « in gutture suo. »

Manus habent et non palpabunt. [Aug.] Hoc et simiæ possunt, quæ manibus contrectant, meliores itaque illis sunt. *Pedes habent et non ambulabunt, non clamabunt in gutture suo.* Melior est bestia, quæ si non loquitur, clamorem habet in faucibus, et notandum quod post loqui, quod est proprium hominis, hoc belluis commune addit, ut pro bestiis intelligas dictum, etc., quæ supra dixit belluis communia, non solum ad homines referas ; nam et vident et audiunt, et olfaciunt, et ambulant, ut non solum homines, sed etiam belluas simulacris præponendas cognoscas : ut si pudet adorare bestiam hæc omnia habentem, multo magis pudeat, te adorare mutum et carens vita sensuque simulacrum.

VERS. 16. — « Similes illis fiant qui faciunt ea ; « et omnes qui confidunt in eis. »

Similes illis fiant. [Gl. int.] Quasi dicat : Quia talia sunt simulacra. Itaque omnes *qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis,* adorantes ea, *similes illis fiant.* [Aug.] Videant ea apertis et viventibus oculis, et adorent clausis et mortuis mentibus simulacra non videntia, nec viventia. [Alcuin.] Vide ergo erubescibilem culturam, dum ait : Similes illis fiant, quod vere sunt, sicut dictum est. Vel, similes illis fiant, id est similes se eis esse intelligant, ut dissimiles fieri laborent.

248 VERS. 17. — « Domus Israel speravit in « Domino ; adjutor eorum et protector eorum est. »

Domus Israel. [Cassiod., Alcuin.] Hic commendat Christianæ religionis utilitatem. Quasi dicat : Gentes confidunt in simulacris, quæ juvare non possunt. *Domus* autem *Israel,* [Cassiod., Aug.] id est generalis Ecclesia *speravit* quod non videtur, *in Domino* mundo abjecto, ut autem perduret usque in finem patientia, *adjutor,* etc. [Haym., Cassiod.] Vel ita continua. Speravit dico, unde, Dominus *est adjutor eorum* in bonis agendis, *et protector eorum* contra diabolicas fraudes. [Aug.] Ne autem videatur majoribus jam esse res quæ minoribus est spes, addit.

VERS. 18. — « Domus Aaron speravit in Domino, « adjutor eorum et protector eorum est. »

Domus etiam *Aaron,* [Cassiod., Aug.] id est ordo etiam sacerdotum *speravit in Domino,* et Dominus est *adjutor eorum,* ut et ipsi perseverent. *Et protector eorum est,* ne eis noceatur. Ideo minorum et majorum est Dominus adjutor, quia utrique timent Dominum. Et

VERS. 19. — « Qui timent Dominum speraverunt « in Domino ; adjutor eorum et protector eorum « est. »

Qui timent Dominum, in omni gente, [Haym., Cassiod.] *speraverunt in Domino.* Hæc duo, scilicet spes et timor, beatos faciunt ; et Dominus adjutor eorum, et protector eorum est ; [Aug.] non enim nos nostris meritis prævenimus misericordiam Dei, sed

VERS. 20. — « Dominus memor fuit nostri ; et « benedixit nobis. »

Dominus memor fuit nostri. [Hier., Haym., Cassiod.] Vel ita continua, vere adjutor ; nam, Dominus, qui diu quasi oblitus videbatur, fuit memor nostri, ut per Filium missum converteret nos, *et nobis* conversis, *benedixit,* per eumdem Filium. Et repetit quibus benedixit,

VERS. 21. — « Benedixit domui Israel ; benedixit « domui Aaron. »

Benedixit domui Israel, id est Ecclesiæ. *Benedixit domui Aaron,* id est pontificibus.

VERS. 22.— « Benedixit omnibus qui timent Do- « minum ; pusillis cum majoribus. »

Benedixit omnibus qui timent Dominum. [Cassiod.] Nullum genus hominum excluditur *pusillis* benedixit *cum majoribus.*

VERS. 23. — « Adjiciat Dominus super vos ; super « vos et super filios vestros. »

Adjiciat Dominus benedictionem *super vos,* [Aug.] o Judæi, *Et super vos,* o gentes, *et super filios vestros.* Vel ita distinguit inter patres et filios, scilicet inter magistros et discipulos, dicens : O patres, o magistri, adjiciat Dominus super vos, id est in numero vestro adjiciat alios. Et ita factum est, quia crevit numerus magistrorum. Et adjiciat super filios vestros, quod ita factum est, quia crevit numerus sequacium, cum de lapidibus suscitantur filii Abrahæ (*Matth.* III). Accessit enim fides omnium gentium, et crevit numerus, non solum sapientium antistitum, sed etiam obedientium populorum, ergo.

VERS. 24. — « Benedicti vos a Domino : qui fecit cœlum et terram. »

Vos, [Aug.] utrique patres et filii, *benedicti* estis *a Domino, qui fecit* vos *cœlum* in majoribus, *et terram* in pusillis : sed quia et hi pusilli crescendo fiunt cœli magni, sic sunt cœlum terræ : quam lacte simplicis doctrinæ nutriunt, ut sint etiam

VERS. 25. — « Cœlum cœli Domino ; terram au- « tem dedit filiis hominum. »

Cœlum cœli, [Aug.] dum eam sperant in cœlum A converti. Hoc autem cœlum cœli, est a *Domino*, quia illi magni soli Domino dociles sunt, quia jam non ab homine neque per hominem, sed per ipsum Deum capiunt sinceritatem et ubertatem sapientiæ. Nec tantum cœlum cœli sunt, sed etiam filii hominum. Quibus *filiis hominum terram dedit*, in qua operentur, id est subjectos quos excolant ad fructificandum. Et cum hæc ita sint, ergo utrique, scilicet cœlum et terra, id est majores et minores vivant ex eo qui fecit ea, et laudent ; aliter enim morientur, et a mortuo quasi non sit perit confessio. Unde converso sermone ad Dominum, dicit :

VERS. 26. — « Non mortui laudabunt te, Domine; « neque omnes qui descendunt in infernum. »

Non mortui, [Aug.], in peccatis *laudabunt te, Domine*. B Vel ita : Cœlum, cœli dicit eos, ut ante diximus, quorum mentes sic sublimavit, ut nulli hominum sed ipsi Deo dociles fierent, quorum comparatione omne visibile, id est cœlum et terra, dicitur terra, quam dedit filiis hominum, id est minoribus, ut ejus consideratione conjiciant Creatorem, quem infirmi sine hoc adminiculo adhuc videre non possunt. Et hoc est quod dicit, cœlum cœli, est Domino, quia illi majores a solo Domino docentur. Idem sensus est cum priori. Terra autem, id est omnia visibilia, dedit hominum, id est infirmis, ut per ea cognoscant invisibilia Dei. Non mortui, etc. Hæc non mutantur. Vel ita ab illo loco : *Benedicti*, [Cassiod.] quod optavit supra benedicti, jam confisus dicit : *Benedicti*, quasi dicat : Dixi *adjiciat*, et sic erit, C quia *vos*, eritis, *benedicti*, et hoc, *Domino*, id est honori Domini. Hoc enim ad Dominum pertinet, (Alcuin.) ut et ei serviatis. Et est Domino, dativus casus. Domino dico, *qui fecit cœlum et terram*, (Cassiod.) id est omnem creaturam. Debetis esse Domino, quia etiam, cœlum cœli, id est Christus est, *Domino*, id est ad honorem Domini (157). *Terram autem*, id est populum instruendum, *dedit filiis hominum*, id est prædicatoribus, secundum illud : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos in mundum* (*Joan.* XX), *ut eatis et fructum afferatis* (*Joan.* XV). Vel ita Dominus fecit cœlum et terram, sed, cœlum cœli, id est ἐμπύριον cœlum, quod statim factum sanctis angelis fuit repletum : quod dicitur ἐμπύριον, id est igneum, a splendore, non a calore, πῦρ enim Græce, [Cassiod., Haym.] Latine ignis dicitur : dedit, Domino, Christo, secundum quod homo. Terram autem, istam inferiorem, dedit filiis hominum, ut in ea se purificent. Cum hæc ita sint, o *Domine, non mortui* in peccatis, *laudabunt te*, quia non est speciosa laus in ore peccatoris (*Eccli.* XV). *Neque omnes*, id est aliquis omnium *qui descendunt in infernum*, [Hier.] id est profundum vitiorum, quia peccator cum venerit in profundum vitiorum, contemnet, sicut alibi dicit Scriptura (*Prov.* XVIII). [Cassiod.] Vel in infernum, dicit ad litteram. Locum pœnarum (158), in quem non tantum impii, sed etiam sancti ante adventum Christi descendebant. Et ideo non universaliter dicit nulli qui descendunt, sed particulariter. Neque omnes, scilicet laudabunt te, qui descendunt in infernum, quia et sancti illuc descenderunt, sed non fuerunt in inferiori inferno. Illi impii non laudabunt :

VERS. 27. — « Sed nos qui vivimus benedicimus « Domino ; ex hoc nunc et usque in sæculum. »

Sed nos qui vivimus, vita gratiæ, [Hier.] *benedicimus Domino*, id est laudamus Dominum, *ex hoc*, id est ex quo incipimus, et *nunc* scilicet progrediendo, *Et usque in sæculum* sine fine.

COLLATIO IN PSALMUM CXIII : « IN EXITU ISRAEL DE ÆGYPTO, » etc.

VERS. 26. — *In infernum*. Hebræi, *in silentium*, per quod intelligitur sepulcrum aut infernus, ubi siletur, et hominis memoria in oblivionem abit. דומה DUMAH.

VERS. 27. — *Sed nos qui vivimus*. In Hebr, absolute habetur, *sed nos*. Clarum est tamen sic accipi, cum modo præcessisset, *non mortui laudabunt te*, intulit statim per adversativam conjunctionem, *sed nos*, nimirum, *qui vivimus*.

PSALMUS CXIV.

PSALMI TITULUS : « ALLELUIA. »

Dilexi quoniam. Titulus : *alleluia*, id est laudate Deum. (Cassiod.) Hic titulus sæpe iteratur, quia laudatio Dei et dignitas operum et pretium laborum, id est et meritum est et præmium. Dicit autem hoc Propheta, quod in hoc psalmo continetur tanquam ovis quæ erraverat, humeris pii pastoris ad gregem reportata, et tanquam filius prodigus, post longam captivitatem reversus, adhuc tamen hujus sæculi peregrinus (*Luc.* XV). (Cassiod.) Et est iste psalmus fidelium consolatio contra dolores sæculi. Intentio. Monet ad laudem. Modus. Bipartitus est psalmus, Primo peccator de fovea peccatorum liberatus, et in petra D constitutus gratias agit, quia exauditus est ; et contra omnia pericula invocasse se dicit. Secundo iterum clamat, ut liberatus ad requiem veniat, ibi *O Domine libera*. [Aug.] Propheta ergo in persona captivi reversi, gratias agens Deo, ait,

VERS. 1. — « Dilexi quoniam exaudiet Dominus « vocem orationis meæ. »

Dilexi, [Cassiod,] non propter temporalia bona mihi data, ut et infideles ; [Aug., Cassiod.] sed *quoniam Dominus exaudiet*, spes futuri dilectionem accendit. Vel, exaudivit, alia littera, *vocem orationis meæ* non parum differt istius dilectio a dilectione infidelium. Diligitur enim Deus etiam ab infidelibus, quia bona

(157) Ex Strab. et Bed. in cap. Gen. I, distinct. 2 secundi Sententiarum.
(158) *Locum pœnarum* accipe generaliter.

eis dat. Unde alibi : *Confitebitur tibi cum benefeceris* A *ei* (*Psal.* XLVIII). Diligitur autem perfecte, cum animus adversis non movetur, sed spe, in charitate magis accenditur, quem modum iste exponit de se dicens : *Dilexi*, non quia regem fecit ; vel prospera dedit, sed quia *vocem orationis meæ exaudiet*, vel *exaudivit*, in angustiis. Exaudiet,

VERS. 2. — « Quia inclinavit aurem suam mihi : « et in diebus meis invocabo. »

Quia jam *inclinavit*, [Aug.] ex hoc mihi est spes, *aurem suam mihi* dum pro nobis Filium suum dedit. [Cassiod.] In hoc indicat iste se credere quæ ad salutem sunt, inclinavit autem aurem suam, in incarnatione, in passione Filii, in quo ego expertus misericordiam, *invocabo*, [Aug.] quod non est sine fide. Unde Apostolus : *Quomodo invocabunt in quem non* B *crediderunt*? (*Rom.* X.) Dum ergo ait, Invocabo, notat quod non otiosus dilector. *Et* hoc *in diebus meis*, id est in diebus meæ miseriæ, quos mihi feci peccando, qui sunt pleni labores et doloris, et vetustæ putredinis, in quibus diebus.

VERS. 3. — « Circumdederunt me dolores mor- « tis ; et pericula inferni invenerunt me. »

Circumdederunt me dolores. [Aug.] Vel invocabo in diebus meis, id est in diebus salutis meæ, tempore plenitudinis. Unde : *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis* (*I Cor.* VI). Circumdederunt *me dolores*, (Cassiod., Alcuin.) Quasi dicat : Dilexi, invocabo, et hæ sunt causæ diligendi. Hæc clamare faciunt, quia circumdederunt me dolores *mortis*, id est peccata unde procedit dolor et mors animæ, vel mors æterna. Et hæc, id est mors æterna, erit in inferno. Unde sequitur : *Et pericula inferni*, (Aug., Alcuin.) id est debita et reatus pœnarum inferni, *invenerunt me* errantem a te, et expositum malis. Non ego inveni ea gaudens in prosperis sæculi hujus ; suffusus enim carnali voluptate non animadverti mala me circumdantia.

VERS. 4. — « Tribulationem et dolorem inveni : et « nomen Domini invocavi. »

Tribulationem et dolorem. (Aug., Alcuin.) Quasi dicat : Mala prius invenerunt me, sed post ego, tribulationem, quod prius pericula dixit, hic tribulationem dicit. *Et dolorem* quod prius dixit dolores, *inveni*, id est recognovi, quæ latent alios. **249** Vel (Aug.) dolorem et tribulationem, dicit pœnalitatem istam, et flagellorum dolorem, quæ Deus ad utilitatem infert homini. Unde : *Da nobis auxilium de tribulatione*, quia per hæc exteriora, cognoscit homo suam interiorem miseriam, id est dolores mortis et pericula inferni. Et est sensus : illa me prius circumdederunt nescientem, et invenerunt : sed post, inveni tribulationem et dolorem, id est afflictionem exteriorem esse utilem. Latebat enim me prius tribulatio et dolor utilis, unde nobis est auxilium ; et tunc vana seducebant me. Sed per illum dolorem, inveni miseriam interiorem, quam nesciens habebam. *Et* ideo *nomen Domini invocavi*, id est sategi ut liberarer a Domino.

PARS. II. VERS. 5. — « O Domine, libera animam « meam misericors Dominus et justus ; et Deus no- « ster miseretur. »

O Domine, libera animam meam. (Cassiod.) Secundo, item clamat ut liberatus veniat ad requiem. Quasi dicat : quia hæc mala sunt mihi, *o Domine, libera animam meam*, quia sine Deo captiva est. (Aug., Cassiod.) De hac captivitate liberari clamat Apostolus : *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* (*Rom.* VII.) *Misericors Dominus*, hoc est quod idem Apostolus, subdit, *Gratia Dei per Jesum Christum*. Quasi dicat : Libera, et nullus dubitet, quia Dominus est misericors, (Aug.) quia primo inclinavit aurem suam, et me vocavit ; *et justus*, quia flagellat. Flagellat enim filium quem recipit (*Hebr.* XII). *Et Deus noster miseretur* iterum, quia recipit ad beatitudinem. Nec tam amarum esse debet quod flagellat, quam dulce quod recipit quia

VERS. 6. — « Custodiens parvulos Dominus, hu- « miliatus sum, et liberavit me. »

Dominus est *custodiens* ut pastor *parvulos*, (Cassiod., Aug., Rem.) id est humiles, quos grandes quærit hæredes et experto credite, quia ego *sum humiliatus*. Et ideo *liberavit me*, (Aug., Gl. int.) quasi dicat : Dolor ille non est pœnalis, sed salutaris quem secando medicus facit. Vel ita continua : Dominus est justus et misericors, et ideo humiliatus sum et liberabit me.

VERS. 7. — « Convertere, anima mea, in requiem « tuam, quia Dominus benefecit tibi. »

C *Convertere*. (Cassiod., Aug.) Hortatur iste animam suam, ut convertatur ad Deum, unde requies ei. Quasi dicat : Et quia Dominus est misericors, ergo, *o anima mea, convertere in requiem tuam*, id est ad *Deum*, ubi etiam hic est requies mentis, non tamen desidia adsit, ut quis cesset operari. Convertere dico, non meritis vel viribus tuis ; sed, *quia Dominus beneficit tibi*, quia dona dedit prius liberato, aliter liberatus non esset. Ita benefacit,

VERS. 8. — « Quia eripuit animam meam de « morte, oculos meos a lacrymis : pedes meos a « lapsu. »

Quia eripuit per fidem *animam meam de morte*. (Aug.) Mors est infidelitas. Unde Dominus in Evangelio : *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos* (*Matth.* D VIII). Et illud : *Non mortui laudabunt te, Domine* (*Psal.* CXIII). Hoc jam iste habet, scilicet animam ereptam a morte, eo ipso quod ex infideli factus est fidelis, quia sicut Dominus ait : *Qui credit, transit de morte ad vitam* (*Joan.* V). Et, eripuit *oculos meos a lacrymis, pedes meos a lapsu*. Hæc in spe facta sunt, nondum in re, quia et modo sunt lacrymæ, dum et lapsus est pro carne infirma ; et in pedibus, quasi in extremis animæ partibus, id est in sensualitate lubricum adhuc ; sed in futuro.

VERS. 9. — « Placebo Domino in regione vivorum. »

Placebo Domino perfecte, (Hier., Aug.) quoniam nullus erit lapsus ambulantium pedum, nullum infirmæ carnis lubricum Et hoc, *in regione vivorum*.

[Aug., Hier., Aug.] qui vivunt æternaliter, quod non faciam dum immortali carne vivam. Et notandum quod supra dixit, *eripuit a lapsu*, non eripiet : et tamen non dicit hic non placeo, sed *placebo* : secure utique tunc, quod non modo.

COLLATIO IN PSALMUM CXIV : « DILEXI, QUONIAM « EXAUDIET, » etc.

VERS. 3. — *Pericula* מצרי METZARE. Hieronymus vertit *munitiones*; alii *obsidiones*, vel *angustias*, videlicet inferni. Nihil dicitur quin sonet pericula.

VERS. 9. — *Placebo Domino*. Hebræi *ambulabo coram Domino*, אתהלך לפני יהוה ETHHALEEC LIPHNE ADONAI. Sed tropus est, *ambulare coram Domino, illi per omnia placere*, sicut Genesis V, *Enoch ambulavit cum Deo.*

PSALMUS CXV.

PSALMI TITULUS : « ALLELUIA. »

Credidi propter quod locutus sum. Titulus : *Alleluia*. [Cassiod.] Voce laudis congrue titulatur psalmus iste, quia in hoc psalmo verba martyrum sunt, qui confessione viguerunt, et præmia Dei consecuti sunt. Intentio. Monet ad laudem. Modus. Bipartitus est psalmus. Primo, memorant beneficia Dei, quibus quid dignum redderent cum dubitent, occurrit calix passionis, qui a Deo datur. Secundo servos Christi se dicunt, et filios Ecclesiæ, ibi, *o Domine*, quia ego servus. Propheta ergo in persona martyrum commemorans Dei beneficia, primum beneficium ponit fidem; secundo, confessionem, dicens :

VERS. 1. — « Credidi propter quod locutus sum; « ego autem humiliatus sum nimis. »

Credidi vere, [Aug.] scilicet et perfecte, *propter quod locutus sum*, quia credenti necesse est loqui. Non enim perfecte credit, qui quod credit non loquitur. Piger est servus ille, vel timidus, sed fidelis servus, quod accepit impendit, et lucratur alios. Et ideo intrat in gaudium Domini sui ei dicentis : *Euge, serve bone et fidelis, intra in gaudium Domini tui* (*Matth.* XXV). Et hic est verus et congruus ordo : [Cassiod.] Prius enim est credere ; postea, loqui, ne nondum credens audeat loqui, sed fidem sequatur confessio. [Aug., Alcuin.] Et notandum quia non ait : Credidi et locutus sum, sed credidi propter quod locutus sum, qui non tantum credidit cætera, quæ fides exigit ; sed et simul cum illis credidit, et quod præmium loquendo speraret, et quod pœnam tacendo, timere deberet. Unde quidam loquendi immittitur amor ex præmio, et necessitas ex pœna inducitur. *Ego autem*, [Aug., Cassiod.] quasi dicat : Locutus sum ; ego autem, non ipsum verbum quod credidi, non sermo quem protuli, sed ego *humiliatus sum nimis*, id est passus sum multas tribulationes, propter verbum Dei quod fideliter tenebam. [Cassiod.] Unde magis nitet veritas, quod non hi passi sunt, qui plus amant hominum gloriam quam Dei. Unde Apostolus : *Verbum Domini non est alligatum in me* (*II Tim.* II). Et ne vera confessio viribus hominis detur, dicit proprium hominis esse quod mendax est, quod non facile sciret, nisi in excessu mentis ad superna vetus esset. Unde subdit.

VERS. 2. — « Ego dixi in excessu meo : omnis « homo mendax. »

B *Ego* autem, [Cassiod.] non attribuens mihi confessionem, *dixi in excessu meo*, vel in exstasi mea, id est mente rapta ad æterna, quid? *omnis homo mendax* est ex se. Hoc iste in exstasi cognovit. Magnum enim est, si quis se imprudentem attendit. Et dicitur hic exstasis, cum mens non pavore alienatur, sed aliqua inspiratione revelationis sursum assumitur. Et cum homo nihil boni proprium habeat.

VERS. 3. — « Quid retribuam Domino, pro omni« bus quæ retribuit mihi? »

Quid ergo retribuam Domino? [Aug.] quod ita dicit, *quid retribuam Domino*, etc., vel in exstasi dicit, pavor est cruciatus vel mortis, quam cominantibus persecutoribus, et impedientibus passionibus
C humana infirmitas patitur. Quasi dicat : *humiliatus sum*. In illa autem humiliatione, *ego dixi in excessu meo*, vel, sicut alii dicunt, *in exstasi mea*, id est in pavore passionum. Quid? *Omnis homo mendax*, ex se, ex Deo verax. Territus enim iste respicit infirmitatem suam, et videt non esse sibi præsumendum de se. Ex se enim homo mendax est, ut et Petrus dum præsumpsit de se, inventus est homo mendax; sed virtus Dei est, si non cedit, quod videns iste factum in se gratia Dei, ait, *quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi?* Pro malis meis? non ait pro omnibus quæ tribuit, sed quæ retribuit. Quæ igitur præcesserant hominis, ut omnium donorum Dei non tributio, sed retributio vocari possit? Quæ præcesserant nisi peccata? Retribuit ergo Deus hominibus bona pro malis, passus pro eis, cui
D homines retribuunt mala pro bonis.

VERS. 3. — « Calicem salutaris accipiam; et no« men Domini invocabo. »

Calicem salutaris, quasi dicat : [Aug., Alcuin.] Dico quid retribuam, ecce ego dono Dei verax *accipiam* in desiderio, *calicem*, id est passionem, quæ dicitur calix a simili, quia placita potio est. [Cassiod., Alcuin.] Dicitur etiam calix, quia sub mensura bibitur. Unde : *Fidelis est enim Deus, qui non permittit vos tentari supra id quod potestis* (*I Cor.* X). De quo calice Dominus a discipulis quærit : *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* (*Matth.* XX.) Calicem dico, *salutaris*, id est Jesu, qui in æternam salutem propinatur. Vel salutaris, [Aug.] id est

Jesu, qui prior passus est, et dat imitari suas passiones. Et ideo pretiosa est in conspectu Domini mors sanctorum ejus, quod post dicitur. Ecce non invenit iste quid retribueret, nisi ex eis quæ Dominus ipse prior retribuit. Et nomen Domini invocabo, non mihi, sed Deo fisus.

Vers. 4. — « Vota mea Domino reddam coram « omni populo ejus; pretiosa in conspectu Domini « mors sanctorum ejus. »

Vota. [Hier.] Quasi dicat : Calicem accipiam, quod est in desiderio. Et postea *reddam* ipso actu *Vota mea Domino.* Et hoc *coram omni populo ejus,* ut exemplum capiat, cur tu ita facias? quia *pretiosa,* id est chara est, *in conspectu Domini* cuicunque sit vilis, *mors sanctorum ejus.* [Aug.] Vel, mors sanctorum ejus est pretiosa, id est mortis ejus pretio empta, quia emit eam sanguine quem pro eis fudit, ne dubitarent pro eo mori. Hoc ergo pretio comparatus, confitetur conditionem suam, dicens :

Pars. II. Vers. 5. — « O Domine, quia ergo servus « tuus; ego servus tuus et filius ancillæ tuæ. »

O Domine, ego servus tuus. [Cassiod., Alcuin.] Secundo, servos se dicunt martyres et filios Ecclesiæ, ne quis putet hæreticorum martyrium Deo placere, [Aug.] quia non est locus veri sacrificii extra catholicam Ecclesiam. Quia pretio nos comparasti, ergo o Domine, profiteor conditionem meam, scilicet quod ego sum servus tuus, id est obediens. Non est, quia, in textu secundum August. et repetit, ego servus tuus, in omnibus. *Et filius ancillæ tuæ,* id est Ecclesiæ, quæ est ancilla dum servit. Sponsa autem dum sponso jungitur, [Cassiod.] aliter non esset martyr, nisi esset filius ancillæ, id est Jerusalem cœlestis, liberæ a peccato, ancillæ justitiæ. Qui autem sunt præter Ecclesiam, non sunt filii ancillæ, et si servos se dicunt, et martyres; ut hæretici, quia habent nomen Christi, sed vere non sunt, quia non ipsi, sed ego sum filius ancillæ tuæ, [Alcuin.] non schismaticus sum, sed doctrinæ Ecclesiæ per omnia obediens. **250** [Alcuin.] Vel, filius ancillæ sum, ut sicut ancilla non sibi, sed Domino parit filios, ita et ego in morte mea aliquos tibi pariam, sicut et invita, quod totum per te est, quia tu non mea merita.

Vers. 7. — « Dirupisti vincula mea : tibi sacri- « ficabo hostiam laudis, et nomen Domini invo- « cabo. »

Dirupisti, [Aug., Cassiod.] virtute martyrii, *mea vincula* peccatorum, quæ vincula rumpuntur, quia omnia sanguine abluuntur. Iste versus tantæ virtutis creditur, ut peccata homini dimittantur, si in fine vi-

A tæ trina confessione dicatur. Et quia dirupisti, ideo, *tibi sacrificabo,* ut gratus *hostiam laudis,* [Aug., Cassiod.] scilicet me ipsum. *Et nomen Domini invocabo,* non fretus meis viribus. Vel eodem sensu manente, aliter potest legi littera, et erit ibi, quia. Quia pretiosa est mors sanctorum ejus, ergo, O Domine, ego sacrificabo hostiam laudis. Loquens Deo affirmat quod supradixerat, et hoc mihi magnum et mirabile est, quia ego, o Domine, sum servus tuus. Admiratur se talia accepisse, qualia Dominus pro redemptione mundi fecit. Et ut augeat admirationem, repetit, ego servus tuus. Cætera non mutantur.

Vers. 8. — « Vota mea Domino reddam in con- « spectu omnis populi ejus; in atriis domus Domini,
B « in medio tui, Jerusalem. »

Vota mea. [Aug.] Quasi dicat : Sacrificabo hostiam laudis utique sic, quod *reddam Domino vota mea,* id est meipsum qui sum ejus imago. Imago enim Dei Deo reddenda est. Unde : *Quæ sunt Cæsaris, reddite Cæsari : et quæ sunt Dei, Deo* (*Matth.* XXII). Sed qua non modo servus est, sed filius ancillæ, dicit se reddere vota non ubique, [Aug., Cassiod.] sed *in atriis domus Domini,* non manufactæ, id est ancillæ, id est in catholica Ecclesia non hæreticorum. Et quæ sit domus Dei exponit, id est populus ejus, *in conspectu omnis populi ejus* Publice enim debet laudari, qui pro omnibus pati voluit, ut plures ædificentur, et apertius adhuc nominat ipsam matrem nostram dicens : *In medio tui,*
C *Jerusalem,* ubi pax est, et sancti visione Dei lætantur. Qui autem filii ancillæ cjus non sunt, bellum quam pacem potius amaverunt. Sed ne quis putet Jerusalem dici Judæos solos, qui hoc nomine gloriantur, audiat psalmum sequentem :

COLLATIO IN PSALMUM CXV : « CREDIDI, PROPTER QUOD LOCUTUS SUM, » etc.

Vers 2. — *In excessu meo.* Hieronymus, *in stupore meo;* Alii *in festinatione mea* בחפזי BEHAPHZI, Hanc exstasim Augustinus intelligit pavore impendentibus passionibus et mortis cruciatibus. Quare festinatio quam cæteri dicunt, trepidationem totam significat. Si tamen vox martyrum sit ad carnis infirmitatem referendum venit.

Omnis homo mendax. Hieronymus transtulit, *mendacium.* Et in commentariis tradit non esse *mendax,* sed *mendacium* כזב CAZAB, cum tamen
D omnes nunc legant כזב COZEB, id est *qui mentitur* sive *mendax,* quomodo etiam citat ipse Hieronymus lib. II adversus Jovinianum. Quin in Commentario defert Ecclesiæ, quam debes imitari. Ait ergo : « Hoc autem dicimus secundum Hebraicam veritatem. Loquamur autem et secundum Septuaginta Interpretes. Dicat enim aliquis, quid ad me, quod habetur in Hebraico? Ego Ecclesiam sequor : *Ego dixi in excessu meo : Omnis homo mendax.*

PSALMUS CXVI.

PSALMI TITULUS : « ALLELUIA ».

Laudate Dominum, omnes gentes. Titulus : *Alleluia.* [Cassiod.] Brevis est iste psalmus, pro sua enim brevitate partes non recipit, omnium primus atomus, id est sine divisione, sed tamen omnes compendio suæ locutionis superat. Et est quasi

punctus psalmorum. Unde diversæ species formantur, et est mira variatio contra tædium salutaria dicere, modo paucis, modulate. [Aug.] Ne quis ergo putaret, ut dximus, per Jerusalem solos Judæos significari, omnes gentes ad laudem monet, in persona martyrum dicens :

VERS. 1. — « Laudate Dominum, omnes gentes; « laudate eum, omnes populi. »

Laudate Dominum, omnes gentes, [Hier.] id est gentiles. Et *laudate* vel *collaudate eum, omnes populi,* id est Judæi. Ideo dicit collaudate, ut sit in unum omnium redacta laudatio, quod est catholicæ Ecclesiæ. Ideo vere dicit omnes gentes, omnes populi, ne quis prætereatur de toto orbe. [Aug., Cassiod.] Et hæc sunt atria illa domus Domini, et ille omnis populus. Unde in præcedenti psalmo egit, non soli Judæi qui illa sibi arrogare conantur. Dico laudate, hac causa :

VERS. 2. — « Quoniam confirmata est super nos « misericordia ejus; et veritas Domini manet in « æternum. »

Quoniam misericordia, [Hier., Aug., Cassiod.] Christi *super nos confirmata est,* dato Spiritu sancto, dum inimici etiam cedunt nomini propter quod liberati sumus, cui inimicarum gentium rabida ora

A cesserunt, *Et veritas Domini,* id est Christi, *manet in æternum,* sive in eis quæ promisit piis, sive in eis quæ minatur impiis. Vel ita : misericordia ejus, Dei, scilicet reparatio hominis, misericorditer promissa, confirmata est super nos, quia quod per prophetas promisit adventu Christi complevit. Et firmavit misericordiam, ut nunquam moveatur, quia qui dedit, custodit. Et veritas Domini, id est Christus, qui est veritas Patris, manet in æternum. Si quando enim non fuit filius, aliquando fuit Pater sine veritate.

COLLATIO IN PSALMUM CXVI : « LAUDATE DOMINUM, OMNES GENTES, » etc.

VERS. 1. — *Laudate eum, omnes populi.* Origenes

B in cap. Rom. XV, dicit Apostolum scripsisse citantem hunc psalmum : *magnificate*, quemadmodum Latina habet editio, et in psalmo legi *collaudate*, cum tamen utrobique Græci codices constanter habeant ἐπαινέσατε, ut oportuerit exemplar Origenis habere μεγαλύνατε, in Apostolo. Cæterum in Hebræo verbum potest interpretari et *laudare*, et *glorificare.* Nam et Munsterus vertit, *honorate eum,* שבהוהו SCABEHUHU.

VERS. 2. — *Manet.* Non est in Hebræo expressum, sed tantum legitur, *veritas Domini in æternum.* Septuaginta tamen non otiose addiderunt, id quod et fecit Munsterus inter Neotericos.

PSALMUS CXVII.

PSALMI TITULUS : « ALLELUIA. »

Confitemini Domino quoniam bonus Titulus : *Alleluia.* (159) Quintus est psalmus iste de primo adventu, multis figuris decoratus. Habet enim quosdam versus unifines, quosdam unius principii, quosdam interscalares, et hujusmodi ornatus. Intentio : Monet ad laudem. Modus : [Cassiod.] Quatuor sunt partitiones. Primo, fidelis populus peccatis solutus monet omnes Domino confiteri; et quia per misericordiam auditus est in tribulatione, ideo hominem dicit non esse timendum. Secundo in solo Deo dicit esse fidendum, ibi, *bonum est confiteri.* Tertio portas Jerusalem aperiri sibi cupit, ibi, *aperite.* Quarto frequentari atria Dei suadet, de adventu Christi gaudens, ibi, *benedictus ;* ad laudem ergo monens, ait :

VERS. 1. — « Confitemini Domino quoniam « bonus : quoniam in sæculum misericordia ejus. »

Confitemini Domino, [Aug., Cassiod.] id est laudate Dominum, *quoniam* ipse solus per se *bonus* est; hoc est proprium Deo, qui per se et ex se bonus est, sicut ipse ait : *Nemo bonus nisi solus Deus* (*Marc.* X). In hoc patet quia bonus est, *quoniam in sæculum misericordia ejus,* quia in æternum misericordiæ dona concedit.

VERS. 2. — « Dicat nunc Israel quoniam bonus, « quoniam in sæculum misericordia ejus. »

Dicat. [Alcuin., Cassiod., Gl. int.] Quasi moneo

C vos confiteri, et ut ego vos moneo, ita vos invicem monete. Et hoc est, *Israel,* id est totus beatus populus dicat aliis quod ego, et hoc *nunc,* quasi non est differendum. Vel dicat, id est confiteatur, quid ? *Quoniam bonus* est, *quoniam in sæculum misericordia ejus.*

VERS. 3. — « Dicat nunc domus Aaron, quoniam « in sæculum misericordia ejus. »

Domus quoque *Aaron,* [Hier., Cassiod.] sacerdotes qui pro reverentia singulariter momorantur, *dicat nunc* illud idem *quoniam in sæculum misericordia ejus.*

VERS. 4. — « Dicant nunc qui timent Dominum « quoniam in sæculum misericordia ejus. »

Dicant nunc [Aug.] hoc idem *omnes qui timent*

D *Dominum.* Hoc dicit ut includat pusillanimes, cum majoribus de omni gente. [Cassiod.] Ideo vero dicit : Qui timent Dominum, quia tales sunt idonei confiteri, *quoniam in sæculum misericordia ejus.* Ecce quatuor versus unifines.

VERS. 5. — « De tribulaltione invocavi Dominum ; et exaudivit me in latitudine Dominus. »

De tribulatione. [Cassiod.] De se ponit exemplum, ut alios ad misericordiam Dei incitet. Quasi dicat : Ecce misericordia Dei erga me, quia de tribulatione *invocavi Dominum,* et *Dominus exaudivit me in latitudine*, quia de angustiis sæculi liberat, et in latitudine præmiorum ponit, et quia exaudivit

(159) Ex Cas. in titul. et conclus. psalmi.

VERS. 6. — « Dominus mihi adjutor ; non ti« mebo quid faciat mihi homo. »

Dominus mihi adjutor est. [Cassiod.] Et ideo *non timebo quid faciat mihi homo*, id est quilibet carnalis inimicus. Deinde repetit :

VERS. 7. — « Dominus mihi adjutor : et ego de« spiciam inimicos meos. »

Dominus mihi adjutor. [Cassiod.] Ecce idem in duobus versibus principium. *Et* ideo, quia Dominus est adjutor, *ego despiciam inimicos meos* : quod plus est quam non timere. Vel secundum aliam litteram, *videbo inimicos meos*, in futuro scilicet judicio, ubi diabolus cum suis videbitur destructus. Vel hic videbo, ut tutior et cautior fiam, inimicos meos damnandos.

PARS II. VERS. 8. — « Bonum est confidere in « Domino quam confidere in homine. »

Bonum est confidere. [Cassiod., Alcuin.] Secundo in solo Deo dicit confidendum esse per quem inimicitas gentium evadit, et ad veram vitam venit. [Cassiod., Hier.] Quasi dicat : Quia Dominus est adjutor, ergo *bonum est confidere*, *in Domino*, contra mala sæculi, magis *quam confidere in homine* carnali, cui salus vana est.

VERS. 9. — « Bonum est sperare in Domino « quam sperare in principibus. »

Bonum est sperare bona *in Domino* magis *quam sperare in principibus*, [Aug.] id est angelis qui dicuntur principes. Unde in Daniele legitur Michael princeps (*Dan.* XII), videtur in quibus non est sperandum, sed in Domino. Cum enim videtur homo juvare vel angelis, ille per eos hoc facit, **251** qui eos pro modo eorum bonos fecit.

VERS. 10. — « Omnes gentes circuierunt me ; « et in nomine Domini, quia ultus sum in eos. »

Omnes gentes : tribulationem quam superius commemoravit hic exponit. (Gl. int. Alcuin.) Ecce unde liberat : scilicet de occulta vel aperta tribulatione. Liberat autem vel non permittendo cadere, vel a casu relevando, quasi in Domino sperandum est (Haym.) quia *omnes gentes circuierunt me*, non extra explorantes blandis, minis, et aliis occultis. Et hoc in principio Ecclesiæ factum est, *et in nomine Domini* est hoc, *quia ultus sum in eis*, vel in eos. (Cassiod.) Alii interpretes dicunt, *in nomine Domini ultus sum eos*, dum ipsi conversi pœnas sustinent pœnitendo, quas aliis ingerebant. Deinde quasi causam reddens unde tanta superare potuit, dicit quid primo in capite suo passus sit, subdendo :

VERS. 11. — « Circumdantes circumdederunt « me ; in nomine Domini, quia ultus sum in eos. »

Circumdantes circumdederunt me. (Gl. int., Aug.) Quasi dicat : In obsidione in capite suo pius populus qui est corpus Christi, persecutores sensit, et pro eo factum est, quidquid interior virtus deitatis per exteriorem carnem peregit. Et notandum quia hic non repetit gentes, quia hoc a solis Judæis factum est. *Et in nomine Domini quia ultus sum in eos*. Hoc non mutatur.

A VERS. 12. — « Circumdederunt me sicut apes, « et exarserunt sicut ignis in spinis ; et in nomine « Domini quia ultus sum in eos. »

Circumdederunt me sicut apes. (Aug.) Alii dicunt *sicut apes favum*, quod ab ignorantibus gestum est mystica subtilitate. Prædicit hic Spiritus sanctus. Mel quippe apes operantur in favis, sed aliis non sibi : ita nescientes Judæi rem omnium dulcissimam ipsa passione Domini nobis fecerunt, sicut apes, dum sibi putant reponere, aliis mel faciunt. Et est, circumdederunt me, dicit Ecclesia in persona capitis, sicut apes favum, (Cassiod.) id est amaris conatibus suis dulcem cibum aliis paraverunt, vel secundum litteram nostram, quæ non habet favum, lege sic, circumdederunt me, dixit Christus. (Al-
B cuin.) Sicut apes, quæ pungendo alios sese eviscerant, sic Judæi occidendo Christum intus perierunt, *exarserunt sicut ignis in spinis*. (Cassiod., Aug., Alcuin.) Spinæ sunt peccata, quibus incitati æstuaverunt contra Christum Judæi. Vel hoc melius de Ecclesia accipitur. Exarserunt, post passionem namque Domini contra Ecclesiam gentes, *exarserunt* sicut ignis in spinis peccatorum, ea enim, id est, peccata in fideli populo igne persecutionis cremaverunt, cui volentes officere profecerunt. *Et in nomine Domini*, est hoc, *quia ultus sum in eos*. (Aug.) Vel dum conversi exstincta in eis malitia, populo Christiano sociati sunt, vel cum in fine judicati, judicium veritatis sine misericordia sensuri sunt.

C VERS. 13. — « Impulsus eversus sum ut cade« rem : et Dominus suscepit me. »

Impulsus. (Alcuin. Gl. int.) Postquam ostendit quod liberat non permittendo cadere, ostendit etiam quod liberat a casu relevando. Quasi dicat : Ultus sum in eos, tamen aliquando *impulsus sum*, id est vacillavi, *et eversus*, vel versatus de equo virtutum, ita *ut caderem* in æternam mortem ; *Et Dominus suscepit me*, (Cassiod.) id est relevavit a casu. Vel ita : Impulsus, vel versatus sum, hac intentione, ut caderem, ut fit quando boni dantur pœnis, ut a fide cadant. (Aug.) Et tunc Dominus suscepit. Unde subdit : Et Dominus suscepit me, quia tam non cadit cui Dominus est fortitudo et laudatio, quam non cadit Dominus. Illi vero cadunt
D qui sibi volunt esse fortitudo, et laudatio. Unde iste subdit :

VERS. 14. — « Fortitudo mea et laus mea Domi« nus ; et factus est mihi in salutem. »

Fortitudo etiam *mea et laus mea Dominus* est. *Et* ideo *factus mihi Dominus in salutem*, non solum facit declinare pericula, sed etiam salutem præstat. Non ideo factus dicit, quod ipse aliquid factus sit, quod ante non erat ; sed quia ipsi cum in eum crederent, quod non erant facti sunt. Non ergo fit Deus quod non erat sibi, sed illis. Salus enim cœpit esse conversis, quod non erat aversis a se. Dico factus est in salutem, unde qui videbantur deficere, exsultant in malis.

VERS. 15. — « Vox exsultationis et salutis in tabernaculis justorum. »

Vox exsultationis et salutis in tabernaculis justorum, [Aug.] id est in secretis cordium bonorum, ubi et si extra afflicti sunt, gaudia habent spe futuri, quæ nescientes mali qui in eorum corpora sæviebant, eos tristari putant, non sentientes eorum interiora, scilicet gaudia. Unde apostolus : *Quasi tristes, semper autem gaudentes* (*II Cor.* VI), et illud *Gloriamur in tribulationibus* (*Rom.* V). [Cassiod.] Deinde qualiter sit Dominus factus sibi fortitudo et salus, ostendit dicens :

VERS. 16. — « Dextera Domini fecit virtutem, « dextera Domini exaltavit me; dextera Domini « fecit virtutem. »

Dextera Domini. [Cassiod., Aug.] Quasi dicat : Inde gaudium est, quia *dextera Domini*, id est Christus, qui est dextera Patris, *fecit virtutem ;* quam ? ecce : *Dextera Domini exaltavit me*. Magna virtus est exaltare humilem, deificare hominem mortalem, præbere de infirmitate perfectionem, de subjectione gloriam, de passione victoriam, terrenis dare cœlum. Quod repetit, quasi mirum, dicens : *Dextera Domini fecit virtutem*, non homo se exaltavit, non se perfecit, non vicit, non sibi gloriam vel salutem dedit. Et cum hoc sit,

VERS. 17. — « Non moriar, sed vivam ; et narrabo « opera Domini. »

Non moriar, [Cassiod., Aug.] dicit Ecclesia, ut putas, o persecutor, *sed vivam*, id est multiplicata durabo. Putat enim persecutor stragem funerum ubique faciens se delere nomen Christianum, cum potius augeat. [Cassiod., Gl. int.] Vel, non moriar, morte æterna, sed vivam vita quam nescis, *et narrabo*, quandiu hic ero, *opera Domini*, ut per hoc augeatur Ecclesia. [Aug.] Cur autem tanta pertulerit sancta Ecclesia populus adoptionis indicat, dicens :

VERS. 18. — « Castigans castigavit me Dominus, « et morti non tradidit me. »

Castigans castigavit me Dominus. [Cassiod.] Hac geminatione signatur consuetudo ipsius Dei, qui consuevit, scilicet castigare, ut ibi *benedicens benedicat* (*Psal.* CXXXI), quasi hoc permisit Deus mihi fieri ad correctionem. Etiam eversio est ad cautelam. [Aug.] Quidquid enim faciunt, castigatio est Domini. Nihil ergo sibi vindicent impii. Non haberent enim hanc potestatem, nisi eis esset datum desuper (*Joan.* XIX), *et morti non tradidit me*. [Cassiod.] Morti enim non datur cujus vitia purgantur. Sæpe enim pater per nequam servos emendat filios, cum tamen illis pœnam, istis præparet hæreditatem. Quæ autem sit hæreditas illa, ex eo potest cognosci quod sequitur.

PARS. III. VERS. 19. — « Aperite mihi portas justitiæ, ingressus in eas confitebor Domino ; hæc « porta Domini, justi intrabunt in eam. »

Aperite mihi portas. [Cassiod., Aug.] Tertio portas Jerusalem aperiri sibi cupit, ubi etiam dicit de A angulari lapide. Et nota hic tria distingui, scilicet qua intretur, et quid intus fiat, et qui intrent. Quasi dicat : Ut illa hæreditas possit cognosci, o prophetæ et apostoli, qui portatis claves regni cœlorum, *Aperite mihi portas justitiæ* [Cassiod., Aug.] id est doctrinam sacræ Scripturæ quæ docet justitiam. Ecce ostendit qua intretur, et quasi, quis quæreret : Quid intus faciet, respondet : *Ingressus in eas confitebor Domino*, (Cassiod.) id est laudabo. Per has enim portas doctrinæ ingressi vere laudant, extra catholicam Ecclesiam non est laus Dei. Hæc autem portæ omnes ducunt ad unam portam, quæ est Christus. Et *hæc est porta Domini*, (Hier.) id est porta hæc Dominus est, ad quam illæ ducunt ; unde ipse ait : *Ego sum ostium, per quod si quis introierit salvabitur* (*Joan.* X). B Et alibi : *Nemo venit ad Patrem nisi per me* (*Joan.* XIV). Hæc porta est per quam justi intrant in cœlum. Unde subdit : *Justi intrabunt in eam*, (Aug., Cassiod.) id est per eam intrabunt in cœlum, ubi non jam boni et mali erunt permisti. Ecce de utroque sæculo mentionem fecit. Et quia hæc porta Christus aperuit,

VERS. 20. — « Confitebor tibi quoniam exaudisti « me ; et factus es mihi in salutem. »

Confitebor tibi, (Aug.) in laude lætus gratias agens. Ideo *quoniam exaudisti me*, in adventu Filii, priores enim justi adventum Christi petebant, *et ita factus est* vel, *es mihi in salutem*. Et vere in salutem, nam,

VERS. 21. — « Lapidem quem reprobaverunt C « ædificantes, hic factus est in caput anguli. »

Lapidem quem reprobaverunt. (Cass., Alcuin.) Ecce per quem factus est in salutem, scilicet per lapidem angularem, id est Christum. Vel ita ab illo loco : *Aperite*. Et per portas accipitur mors, per quam intratur ad Dominum. Unde Apostolus : *Cupio dissolvi et esse cum Christo* (*Philipp.* III). Sancti enim per hanc portam mortis vitam inveniunt æternam. Quasi dicat : Et quia Dominus non tradidit me morti, ergo, o vos persecutores, instate, et *aperite mihi portas justitiæ*, id est portas mortis per quas justi intrant ad requiem. Et ego *ingressus in eas*, id est per eas ad vitam. *Confitebor Domino*, in voce exsultationis et confessionis, soni epulantis, quæ est beatitudo sanctorum ; et confitebor, quia hæc porta D Domini est, id est hæc porta est qua itur ad Dominum, vel qua Dominus exivit de mundo. Unde alibi : *Et Domini Domini exitus mortis* (*Psal.* LXVII), et justi imitantes caput Christum, intrabunt in eam, id est per eam ad vitam. Dixi confitebor et vere *confitebor*, inquam, *tibi*, o Domine ; (Aug.) id est laudabo te in præsenti, et in futuro, *quoniam exaudisti me*, et *factus est*, vel *es mihi* in *salutem*. Quis est salus ? ecce lapis, scilicet Christus, *quem reprobaverunt ædificantes*, id est Judæi. [Cassiod.] Soli enim Judæi unum Deum colentes ædificabant se et alios in cultu divino, aliis per idololatriam destructis ; sed non perfecerunt, quia Christum contempserunt. (Rem.) Vel, ædificantes in malo acci-

piuntur Scribæ et Pharisæi, qui volentes justitiam suam constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti (*Rom.* x). Christum reprobando : et tamen *hic factus est in caput anguli*, (Hier.) ut duos parietes Judæorum et gentium conderet in se lapide angulari. Et

Vers. 22. — « A Domino factum est istud ; et « est mirabile in oculis nostris. »

A domino factum est istud, (Aug., Cassiod., Alcuin.) scilicet ut sit in caput anguli, non est hoc factum ab his a quibus passus est, quamvis nonnisi per passionem factum sit ; sed a Domino, qui occulte ædificabat. Vel, *a Domino factum est hoc*, id est factus est lapis iste, secundum quod homo ; cui sensui concordat littera alia, quæ est : *A Domino factus est ei*, id est ad honorem Patris. *Et est mirabile* istud, (Aug.) scilicet quod Deus homo factus est, *in oculis* interioribus *nostris*, scilicet credentium, non carnalium qui reprobaverunt. Et

Vers. 23. — « Hæc est dies quam fecit Dominus : « exsultemus et lætemur in ea. »

Hæc est dies, (Aug.) quia factum est hoc *quam fecit Dominus ;* mei dies sunt veteres, sed *hæc est dies quam fecit Dominus*, id est qua mihi salutem dedit. Unde : *Tempore accepto exaudivi te, et in die salutis adjuvi te* (*II Cor.* vi). (Alcuin.) Hic jubileus annus figuraliter sub lege observatus, qui dicitur remittens vel initians, quia tunc servi manumittebantur, debita relaxabantur, possessiones dominis restituebantur ; et nos hac die a servitute peccati redempti sumus (*Levit.* xxv). Quibus etiam est hæreditas restituta æterna : ideoque hanc diem dicit **252** Dominum fecisse, [Cassiod.] quia etsi omnes fecit, hanc tamen singulariter, non quia eam plus aliis, sed quia in ea plusquam in aliis fecit, in qua Dominus venit, in qua convenit lætari, ergo *exsultemus et lætemur in ea*, qua diabolus perdidit jus, homo revixit ; et quia salutis est dies ; ergo,

Pars, iv. Vers. 24. — « O Domine, salvum me « fac ; o Domine, bene prosperare ; benedictus qui « venit in nomine Domini. »

O Domine, salvum me fac. [Cassiod.] Ecce desiderium magnæ petitionis, *salvum me fac* de clade, scilicet sæculi, id est a peccatis. Et, o *Domine, bene prosperare* ut dolores isti vertantur in æterna gaudia. (Aug.) Vel ita loquitur quasi prodigus filius de exsilio longæ captivitatis, ad patrem rediens. Salvum me fac, o Domine, hic et in futuro, quia de longa peregrinatione revertentes, ab his sejungimur qui oderunt pacem et impugnant. Et, o Domine, bene prosperare, id est bene prospera iter redeuntibus, quia tu nobis factus es via. Vel, bene prosperare : his salvatis, salva alios. [Cassiod.] *Benedictus*. Quarto frequentari atria Domini suadet, de adventu Christi gaudens. Quasi dicat : Bene prosperare, quia ad hoc venisti. Et *benedictus qui* venturus est, vel *venit in nomine Domini* (Aug. Cassiod.) Maledictus vero qui in suo nomine venit, sic ut in Evangelio Dominus dicit : *Ego veni in nomine Patris mei,*

A *et non accipistis me ; si alius venerit in nomine suo, illum accipietis* (*Joan.* v), quod erit maledictus. Et est hic laus de adventu Christi. Deinde quasi in persona sacerdotum minoribus loquitur dicens : Et ideo reliqui Christiani, nos majores, quasi sacerdotes,

Vers. 25. — « Benediximus vobis de domo Domini : » Deus Dominus et illuxit nobis. »

Benediximus vobis. (Cassiod., Alcuin.) Quod multum prodest, quod non est dubium, quia *de domo Domini*, id est de catholica Ecclesia benediximus, de qua est baptismus et omnis benedictio. Hæc est terra sancta, de qua Dominus dicit ad Moysen : *Tolle calceamenta de pedibus tuis. Terra enim in qua stas, terra sancta est* (*Exod.* iii). Hæc est terra B bona in Evangelio, quæ profert fructum bonum tricesimum, sexagesimum, centesimum, in qua stare debemus erecti ad cœlestia, non jacere graves terrenorum torpore, solventes calceamenta de pedibus, id est opera mortua de affectibus nostris. (Gl. int.) *Deus Dominus* quasi dicat : *Benediximus vobis*, imo, Deus, cui debetur latria, et Dominus, cui debetur dulia, benedixit nobis, *et illuxit nobis*, fugans tenebras peccatorum. Et vos jam benedicti,

Vers. 26. « Constituite diem solemnem in con« densis, usque ad cornu altaris. »

Constituite diem solemnem. [Cassiod., Aug., Gl. int.] Custodientes diem nativitatis et resurrectionis Dominicæ, qui honori Dei sacratus est, et hoc non tepide vel segniter agentes, sed *in condensis*, vel in C frequentationibus virtutum vel hominum. Vos dico tendentes *usque ad cornu altaris*, ad litteram, [Cassiod.] ut communicent corpori Christi, [Alcuin.] ut in festis fieri solet, maxime vero tribus præcipuis solemnitatibus, Pascha, Pentecoste, et natali Domini, sicut in veteri lege præceptum erat (*Deut.* xvi), ut in tribus præcipuis solemnitatibus, Pascha, Pentecoste et Cenopegia nemo appareret vacuus in conspectu Domini. Vacuus est qui in se Christum non habet, qui est fundamentum : Quod nemo valet mutare. Inde est quod illis tribus solemnitatibus fidelis populus nummum offert manuali oblatione, interiorem significans. In nummo enim nomen est et imago regis. Quisque ergo spiritualiter nummum offerat, ut nomen regis, id est Christi in se habeat : D a Christo dictus Christianus : et imaginem, id est animam, lumine vultus ejus insignitam Deo exhibeat. [Cassiod., Alcuin.] Vel per altare intelligitur sacramentum corporis et sanguinis. Cornu altaris est potestas, id est virtus ipsius sacramenti. Multi enim sumunt sacramentum et non rem, ut mali ; boni vero sacramentum et rem sacramenti percipiunt, quæ est spiritualis caro Christi, de qua ipsi ait : *Si quis non manducaverit carnem meam, et non biberit sanguinem meum, non habebit vitam æternam* (*Joan.* vi). Et est sensus, quasi dicat : Constituit diem solemnem, vos dico tendentes mente, usque ad cornu [Cassiod., Alcuin.] id est potestatem et virtutem. Altaris, id est sacramenti, ut non modo

sacramentum, sed etiam rem sacramenti sumatis. Unde alibi : *Introibo ad altare Dei* (*Psal.* XLII). [Haym.] Ego autem quidquid a liifaciant, pro me dico,

VERS. 27. — « Deus meus es tu, et confitebor « tibi : Deus meus es tu, et exaltabo te. »

Deus meus es tu, et non alius, *et* ideo *confitebor tibi*, [Haym., Aug.] id est laudabo te. Vel ita ab illo loco, *Benediximus*. Vox est hic magnorum ad pusillos. Magni enim qui excedunt, qui mente verbum apud Deum contingunt, parvulis se contemperant, ut possint sinceriter dicere : *Sive mente excedimus Deo, sive sobrii sumus, vobis est* (*II Cor.* V). Quid parvulis dicunt? *Benediximus vobis de domo Domini*. Eos enim benedicunt de interiore domo Domini, scilicet cœlesti Jerusalem, a qua descendit omne datum optimum, et omne donum perfectum, ubi laus est in sæcula sæculorum. Sed quid inde nuntiant? hoc quod Dominus, qui venit in nomine Domini, quem ædificantes reprobaverunt, mediator Dei et hominum æqualis Patri, et illuxit nobis, ut quod credimus intelligeremus, et vobis nondum intelligentibus, sed jam credentibus, renuntiaremus ; ut autem vos intelligatis, *Constituite diem solemnem*, id est mentis solemnitatem. Et hoc, *in frequentationibus*, id est in voce exsultationis et confessionis soni epulantis. Constituite dico, ambulando, in loco tabernaculi admirabilis, *usque ad cornu altaris*, id est usque ad domum Dei interiorem : de qua vobis benediximus, ubi sunt altaris excelsa, ubi est spirituale sacrificium et sempiternum, id est sacrificium laudis, et sacerdos sempiternus. Et altare sempiternum, scilicet mens ipsa justorum. Et ut aptius dicamus, horum verborum hic est sensus : Quicunque Deum Verbum intelligere volunt, non eis sufficiat caro quæ propter eos Verbum factum est, ut late nutrirentur, nec in terra sufficiat iste dies, quo Agnus occisus est, sed constituatur in frequentationibus, quousque perveniatur mentibus exsultantibus, usque ad cornu altaris, [Aug.] id est usque ad interiorem ejus deitatem, ubi laudes cantabimus, ita dicentes : *Deus meus es tu, et confitebor tibi ; Deus meus es tu, et exaltabo te*. Non strepitu verborum hæc dicantur ; sed ipsa dilectio est vox ista. Vel ita (160) : *Constituite diem solemnem*, scilicet diem æternitatis, et hoc *in frequentationibus*, id est ejus diei desiderio assidue quisque se affligat, donec perveniat *usque ad cornu altaris*, id est in futuro, id est donec ad superni sacrificii altitudinem, id est ad gaudia æterna attingat. [Alcuin.] Vel per altare intelligitur mens hominis. Unde in lege præceptum fuit fieri altare quadrangulum et concavum (*Exod.* XXVII). Ideo quadrangulum, quia mens humana quatuor virtutibus principalibus muniri debet, id est prudentia, justitia, fortitudine, temperantia ; eadem quoque debet esse concava ad recipiendum verbum Dei, atque ignem dilectionis. Timor enim infusa repellit. Unde in Levitico præceptum est vesiculam

(160) Ex Greg., lib. IX Moral., cap. 21.

A gutturis et plumam projici, quando turtur vel columba in holocaustum offertur (*Levit.* I). Vesicula gutturis inflationem superbiæ significat, plumæ inanes inquisitiones sublimium. Hæc ergo de holocausto projice, ne de scientia intumescas, vel inquisitionibus sublimium, quæ humanus non capit sensus, inaniter des operam, ut ita sit altare concavum. Hujus altaris cornu est eminentia mentis, contemplatio supernorum. Et est sensus : *Constituite diem solemnem*, scilicet mentis claritatem et exsultationem, *in condensis*, vel *in frequentationibus* virtutum eundo *usque ad cornu altaris*, id est usque ad eminentiam mentis, quæ est altare, scilicet ad contemplationem. Nos dico, dicentes : *Deus meus es tu, et confitebor tibi ; Deus meus es tu, et exaltabo te*, hæc non mu-

B tantur.

VERS. 28. — « Confitebor tibi quoniam exaudisti « me ; et factus es mihi in salutem. »

Confitebor tibi quoniam exaudisti me, et factus est vel *es mihi in salutem*. [Cassiod., Aug.] Hic versus supra positus est, sed et hic congrue ponitur : quia læta confessio est post beneficia, itaque sicut cœpit laudem, ita determinat dicens :

VERS. 29. — « Confitemini Domino quoniam « bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus. »

Confitemini Domino. [Gl. int.] Quasi dicat : Sicut ego ago, ita et vos facite, scilicet *confitemini Domino*, sicut monui a principio, *quoniam bonus*, et *quoniam in sæculum misericordia ejus*. Ibi desinit psalmus unde cœpit. [Aug.] Quia ab initio quo deseruimus Deum usque in finem quo redimus, non est quod

C salubrius delectet nos quam laus Dei.

COLLATIO IN PSALMUM CXVII : « CONFITEMINI DOMINO QUONIAM BONUS, » etc.

VERS. 3, 4. — Græci repetunt ὅτι ἀγαθός, *quoniam bonus*, quod sæpe facere dignoscuntur ad causæ epitasin septuaginta Interpretes.

VERS. 10, 11. — *Quia ultus sum in eos*. Græci codices non habent *quia*. Hieronymus autem ad Suniam et Fretellam, vult sub asterisco reponendum. Nam Hebraice habetur כי KI. Cæterum ad integritatem sensus, tum erit quidpiam subaudiendum, *In nomine Domini*, dixi, *quia ultus sum in eos*, quod et subindicavit Munster. Vel, ut habet magister, *in nomine Domini est hoc*, etc.

VERS. 12. — *Exarserunt sicut ignis in spinis*. Hieronymus cum aliis, *exstincti sunt sicut ignis spinarum*. Dicat aliquis : *Exardescere et exstingui, pugnare convincuntur*. Sed si intellexeris innui subitam

D consumptionem, nihil remanet quæstionis. Siquidem ignis cito in spinis exardescens, consumit cito et consumitur. Unde Paraphrasis Campensis, *exstinguuntur tam subito quam ignis per stipulas volitans*. Et Chaldæus, *ardent sicut ignis in spinis*. Translator tamen ad Campensem active exponit, *consumere pergat, sicut ignis spinas*.

VERS. 13. — *Impulsus, eversus sum ut caderem*. D. Augustinus nescio quid secutus legit, *tanquam cumulus arenæ impulsus sum ut caderem*. Nam Hebræi sic habent דחה דחיתני DAHO DEHITTHANI, hoc est *impellendo impulisti me*. Septuaginta autem ὠσθεὶς ἀνετράπην. Fortasse in lectione Augustini expressa est vis secundi verbi, quod aliquando ad mare relatum, sonat id quod in imo est sursum

emergere et ferri : aut loco ὤσθεις legebatur ὡς ἀμαθοεις, id est *tanquam arenosus*.

VERS. 22. — *A Domino factum est istud*. Quod quidam legunt ei, dandi casu, nempe *factum est ei*, quemadmodum Augustinus, hoc est ob variam lectionem pronominis αὕτη vel, αὐτῇ, quod refertur ad caput in Græco.

VERS. 24. — *O Domine, salvum fac*. הושיעה נא HOSCHIAH NA. Nos et Græci proferimus corrupte *hosanna* pro *hosianna*, teste Hieronymo ad Damasum. Joannes tamen Eckius, vir pius et doctus, sentit nos recte secundum artem efferre hosanna, quia Hebræi in imperativo quiescentium in period et conjugatione quam dicunt hiphil utrumque dicunt, הושע HOSCA et הושיעה. Siquidem psalmo LXXXV, *salvum fac servum tuum*, legitur in Heb. הושע עבדך HOSCA ABDECA. Proinde non recipit eos qui opinati sunt nos corrupte pronuntiare hanc vocem. Quod tamen Hieron. aperte id proloquitur ad Damasum, demiratur quomodo potuit hoc dicere. Cæterum tametsi הישע sit rectum, tamen si ex tribus vocibus quæ sunt in Hebr. unam composuerimus, manifesta est elisio, sicut gratia exempli adducit Hieronymus illud Virgilii : *Mene incæpto*, ubi scandimus men incœpto. Sic in contextu Hebraico legimus הושיעה נא אנא HOSCIACH NA ANNA. Unde coalescit **253** hosanna, in medio facta elisione. Munsterus in scholiis dicit apud Matthæum evangelistam cap. XXI, pueros Hebræorum, obviam Christo procedentes, clamasse more Chaldaico, in quem degeneraverat Hebraismus vulgi : אהושענ *hosanna*, quod licet quadret sententiæ Hieronymi, in hoc quod corruptum est vocabulum, tamen non perinde

A respondet quod scribit Hieronym. Matthæum qui Hebraico sermone scripsit, ita posuisse הושיעה נא HOSCHIAH NA. Deinde subaudiendum est populum Israel, vel generaliter mundum, ubi tamen Munster, testatur Chaldæis Hosanna sonare *salva nos*. Denique quod dicimus : O Domine, salvum fac, Hieronymus dicit esse ex Septuaginta. Symmachus manifestius interpretatus est, *Obsecro, Domine, salvum fac*.

VERS. 26. — *Constituite diem solemnem in condensis*. Sic et Pellicanus. Hieronymus, *frequentate solemnitatem in frondosis* : quem sequuntur Campensis, et interpretes pro Cajetano, aliis verbis. Vertunt enim, *ligate festum in frondibus*, vel *redimite diem festum frondibus* ; sive, *colligate sub diem festum ramos*. Pratensis, Nebiensis, Sanctes, Munsterus, *ligate agnum* seu *hostiam funibus*. Hæc sermonum varietas, oritur ex homonymia dictionum Hebraicarum. Primum est אסר ASAR et אסר ISSER, quod est *vincire* et *ordinare* seu *disponere*. Deinde חג HAG
B anceps est ad agnum et festum. Postremo עבותים ABOTHIM, si deformatur a radice עבה ABAH, vere significat *densa* ; sin autem a themate עבת ABATH, *arborem frondosam*, aut funem *densum*. Porro quomodolibet transtuleris, eo tendunt omnes, licet diverso sermonis charactere, quo significetur frequens populi fidelis conventus, in celebrandis cultus Domini solemnitatibus, ac plenum pietatis studium, spiritualisque lætitia, in exercendis certatim sacrorum mysteriis.

VERS. 28. — *Confitebor tibi quoniam exaudisti me*, etc., qui erat versus 20, hic repetitur apud nos et Septuaginta, quod non est in Hebræo ; hoc tamen nihil affert incommodi : quanquam in quibusdam Græcis exemplaribus non legitur.

PSALMUS CXVIII.

PSALMI TITULUS : « ALLELUIA. (161) ALEPH. »

Beati immaculati. Titulus : *Alleluia aleph* (162). Psalmus institutor est fidelium, paradisus omnium pomorum, apotheca Spiritus sancti : qui quanto in superficie videtur apertior, tanto mysteriorum altitudine est profundior, [Aug., Cassiod.] Ibi generaliter justus loquitur, modo profitendo quod accepit, modo tantum sperando quod meruit. Et est hic psalmus similibus verbis contextus ; nulla tamen confusione permistus, sed novitate rerum litteris mutatis explicatus, totus morali doctrina insignis. [Ambr.] Omnis autem moralis doctrina suavis est, in qua hic psalmus eminet. Alii namque psalmi tanquam stellæ minores, aliquantulum lucent ; iste vero quasi sol, pleni luminis meridiano calore fervens, totus morali dulcedine splendet. Et est per litteras Hebræi alphabeti digestus, ut sicut pueri in primis litteris usum discendi sumunt, ita et nos hujusmodi elementis usum vivendi usque ad maturitatem addiscamus. Singulis autem litteris versus octoni subjiciuntur, ita ut ab una littera octo versus incipiant, ut unitatem Deitatis, quæ omnia regit, et doceret purgationem legitimæ sanctificationis ; octava enim die et circumcisio fit ex lege, et in Christi resurrectione sumus ei convivificati. [Hier.] In hoc autem psalmo tot sunt octonarii quot elementa apud Hebræos, id est viginti duo, et singuli

C octonarii per omnes versus suos incipiunt a singulis elementis per ordinem, quod in translatione servari non potuit, per quod innuit quod hic sunt elementa scholæ Christi, [Cassiod.] et commoda doctrina et perfecta ad beatitudinem, cujus doctrinæ partes congruis interpretationibus nominum elementorum designantur. Omnia sunt hic elementa, profecto numero justorum designando. Partes vero hujus psalmi sunt secundum numerum litterarum. Quot enim litteræ sunt, tot sunt partitiones, ut in singulis octonariis sint partitionum distinctiones. Octonarius vero ipse in singulis distinctionibus innuit, [Alcuin.] quod unaquæque pars perfecta est et sufficit, ut si quis eam servet in vita septem dierum, perveniat ad octavam resurrectionis, vel cir-
D cumcisionem cordis habeat, quam octonarius significat. Singulæ autem litteræ sunt quasi tituli suorum versuum continentiam eorum declarantes. Hujus autem octonarii titulus est : *Alleluia. Aleph*. Alleluia, [Amb.] id est laus Dei, quia in his vere Deus laudatur, in quibus est remissio peccatorum, quæ nobis perfecta est facta per adventum Christi, de quo in superiori psalmo egit, qui hunc mundum diluit, ut dignus fieret immaculato corde Deum laudare. Aleph, quæ est prima littera, interpretatur *doctrina*. Plenos ergo doctrinæ sequentes versus sollicite attende. Congrue autem huic octonario præscribitur,

(161) Ἀλληλούϊα additum a Græcis.

(162) Ex Cassiod. in titul. et conclus. psalmi.

Aleph, id est doctrina, quod est commune toti psalmo doctrinam moralem redolenti, [Alcuin.] quia iste octonarius est quasi prologus totius psalmi, breviter tangens quæ in sequentibus continentur octonariis, quia cum constet quod omnes volunt esse beati etiam mali, [Aug.] his quæ desiderant adeptis, docet quod plurimi nesciunt, scilicet quomodo vere beati sint, ne quis jam erret de via beatitudinis. Et hic chorus sanctorum loquitur totus, a primo usque ad ultimum, [Aug.] quasi dicat : Diversi diversa quærunt, quibus sint beati. Sed hæc est via ad beatitudinem. Illi qui volunt esse

VERS. 1. — « Beati immaculati in via : qui ambu« lant in lege Domini. »

Beati sint *immaculati*, [Hier., Aug.] id est sine crimine : quod sunt, si *in via*, id est in Christo sunt, qui via est, veritas et vita (*Joan.* XIV). Vel, in via, id est in lege Domini, quæ est via ad vitam. Pluraliter autem dicit immaculati, ut de fidelibus non de Christo accipiatur. Vel ita continuat [Cassiod.] quasi dicat : Olim homo miser et pollutus fuit, [Amb.] nunc autem e contra, *beati* sunt homines, et per remissionem peccatorum immaculati. Sed tamen hac conditione dico, si in via sint, id est in Christo, vel in lege Dei ; et si ambulant. Et hoc est quod dicit *qui* deinde *ambulant*, [Cassiod.] non otiosi, *in lege*, non carnis, sed *Domini*, illi qui ambulant, non peccant mortaliter, vel si peccant pœnitent : proficiunt hi et perseverant, [Amb.] sed hoc non possunt perficere nisi scrutentur, et cognoscant legem Dei. Unde subdit :

VERS. 2. — « Beati qui scrutantur testimonia « ejus ; in toto corde exquirunt eum. »

Beati qui scrutantur testimonia ejus, [Cassiod., Ambr., Alcuin., Ambr.] id est sacras Scripturas. Et est hic diffinitio, beati per actus. Beatus enim est qui est in via, id est in Christo sine macula ambulans in lege, et sic scrutans ut provehatur. Aliter enim non est dignus perquirere, nisi sit probabilis vitæ. Et nota quod prius dixit : *Beati immaculati in via*, post : *Beati qui scrutantur*. Quam pulcher ordo, plenus doctrinæ et gratiæ ! Ante est vita quam doctrina. Ideoque de Christo dicitur : *Cœpit Jesus facere et docere* (*Act.* I). Et Apostolus describens pontificem eligendum (163) prius dicit de vita : *Oportet episcopum irreprehensibilem esse, sobrium, pudicum, quæ pertinent ad bonam vitam* (*I Tim.* III). Deinde adjungit de doctrina, scilicet doctorem, ut prius consuescat bona agere quam præsumat docere ; inde etiam legalis sacerdos prius induebat superhumerale, inde rationale. [Ambr.] Bona enim vita etiam sola gratiam habet, doctrina sine vita non est integra, quia in malevolam animam, non introibit sapientia. Unde dicitur : « Quærent me mali, et non invenient. » Prius ergo corrigenda est vita ; inde quærenda cognitio. Prima ergo sunt moralia, secunda mystica. In illis est vita, in his cognitio.

A Sine utraque vero non est perfectio. (164) Ideoque in lege sacerdos assumebat de hostia pectusculum elevationis, et armum separationis ; in pectore sapientia, in armo opere (*Levit.* VII). Inde etiam in extremis oris hyacinthinæ tunicæ summi sacerdotis dependebant tintinnabula, et mala punica (*Exod.* XXVIII), ut sit sonus prædicationis cum exsecutione bonæ actionis. (165) Idem ordo est in primo psalmo, qui et in isto. Prius enim dicitur beatus qui non recessit a via justitiæ ; deinde subdit , in lege meditatur *in toto corde*. [Ambr.] Quasi dicat : Beati sunt qui scrutantur, si tamen *exquirunt eum*, non aliud. [Aug.] Propter hoc enim scrutanda erant testimonia, ut Deus inveniretur. Aliter non valuit, ut qui volunt esse docti, non justi. Unde gloria illis apud homines,

B non apud Deum exquirunt. [Hilar. Cass. Gl. int.] Et hoc in toto corde, non diviso, ut hæretici, et amici hujus mundi, quibus dicitur : *Non potestis Deo servire et mammonæ* (*Matth.* VI), qui non toto corde quærunt Deum. Mirum autem videtur quod ait, scilicet beati sunt qui scrutantur, et exquirunt. [Aug.] Hoc enim possunt etiam et impii, ut Scribæ et Pharisæi super cathedram Moysi sedentes, qui dicunt et non faciunt (*Matth.* XXIII), et hæretiei scrutantur, et exquirunt ; nec tamen beati sunt, quia non sunt immaculati, sed justi jam spe beati sunt, quia sunt inventuri quod quærunt. Non enim quia scrutantur et quærunt, ideo beati sunt ; sed propter hoc quod aderit, ut in Evangelio dicitur : *Beati qui persecutionem patiuntur, et qui esuriunt* (*Matth.*

C V), non tamen quia hoc patiuntur beati sunt, sed propter hoc quod sequitur : *Quia ipsorum est regnum cœlorum, et saturabuntur*, cui simile est istud quod hic dicitur :

VERS. 3. — « Non enim qui operantur iniquita« tem, in viis ejus ambulaverunt. »

Non enim. [Aug.] Quasi dicat : Hi sunt beati qui ambulant in lege, qui enim operantur iniqua nondum immaculata, ambulant in lege, ac per hoc nondum beati sunt. Et hoc est quod dicit, *non enim qui operantur iniquitatem ambulaverunt in viis ejus*, id est in fide, quamplurali numero significat, quia omnes vias fides una complectitur, qua vivit justus. [Hier., Hilar.] Vel sicut supra via singulariter accipitur Christus, ita hic viæ pluraliter accipiuntur

C prophetæ, apostoli et omnes prædicatores. De iis viis Jeremias ait : *State in viis et interrogate vias Domini æternales, et quærite quæ sit via bona* (*Jer.* VI). In his ergo non ambulaverunt, qui operantur iniquitatem. Ita hoc dicit, [Alcuin., Cassiod., Alcuin.] quasi dicat : Qui peccatum habet, non ambulet in viis, vel qui ambulant in viis sine peccato sint. Sed non dicuntur illi operari iniquitatem, qui et si quotidie fragilitate carnis leviter peccant, non tamen amant, sed Dominica oratione et signo crucis destruunt. [Aug.] Peccatum quidem iniquitas est, sicut Joannes dicit, non tamen sine peccato est, qui

(163) Ex Hier. ad Fabiolam, *De veste sacerd.*
(164) Ex Hier. ad Fab., *De veste sacerdotal.*

(165) Ex II parte Pastor. Greg. c. 8.

in viis ambulat (*I Joan.* III); sed non ipse operatur illud; sed quod habitat in eo peccatum, cum non vult quod agit. Fomes enim qui est languor naturæ, commovet illicita desideria; et ita sine peccato non sumus. Unde idem Joannes dicit: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus* (*I Joan.* I), sed non operatur qui desideriis carnis non obedit; qui vero obedit a viis deviat. Si vero confitetur, et hoc ad vias pertinet, et propter vias peccatum non imputatur. Non ergo ambulant in viis qui operantur iniquitatem, scilicet ex dilectione, non inviti, ut ille qui ait: *Quod odi facio* (*Rom.* VII).

VERS. 4. — « Tu mandasti mandata tua custo-« diri nimis. »

Tu mandasti. Quasi dicat: Hi non ambulant in viis qui operantur iniqua. [Gl. int., Cassiod., Aug., Hilar., Cassiod., Hilar.] Et vere, quia *tu mandasti,* etc. Vel ita junge: illi non ambulant in viis, sed tu mandasti ut ambularent, id est ut mandata custodirent, et ideo ambulandum. Vel ita continua: Beati sunt qui sic et sic agunt, et ne hæc contemnantur, subdit jussionem Domini dicens: tu mandasti *nimis mandata tua custodiri*, vel, tu mandasti mandata tua nimis custodiri. Nimis aliquando significat plus quam oportet, quod non hic, sed pro valde accipitur. Et est: Tu mandasti nimis, id est valde per prophetas, et per eosdem sæpe, mandata tua custodiri. Vel, mandata tua custodiri mandasti, ut nec unum iota prætereatur. Vel, custodiri nimis, id est plusquam patitur natura carnis. Distingue nomina, et prædictorum nota differentias: memoravit enim tria, legem, testimonia, et mandata. **254** Lex est umbra futurorum (*Hebr.* X), quæ spiritualiter debet custodiri, ut de sacrificiis et hujusmodi figurativis. Testimonium vero est evidens res quæ commonet alicujus. Unde Jacob ait: *Lapis iste erit testimonium* (*Gen.* XXXI), et Dominus curato leproso ait: *Offer munus tuum in testimonium* (*Matth.* VIII), sic præcepta Dei dicuntur testimonia, quæ monent ne peccerrus. Mandata sunt sine umbra, quæ præsentem habent operationem: ut *diliges Deum ex toto corde* (*Matth.* XXII). [Alcuin.] Et nota quia testimonia accipit in prohibendo, et mandata in jubendo.

VERS. 5. — « Utinam dirigantur viæ meæ ad cu-« stodiendas justificationes tuas! »

Utinam. [Aug.] Vita beati expressa optat eam, et optat contra superbiam liberi arbitrii, cui non est satis doceri, nisi prius dirigatur. Ergo si optat homo quod præcepit Deus, ut det ipse quod præcepit, rogandus est, quasi dicat: Te mandante legem accepi, sed nisi adjuves, fit mihi mors. Ad hoc enim sine gratia mihi non sufficio. Et ideo precor, *utinam dirigantur*, etc. [Hil.] Vel ita conttnua: quia mandasti. Utinam ergo dirigantur *viæ meæ*, id est actus hujus vitæ, qui per se tortuosi sunt. Dirigantur dico *ad custodiendas justificationes tuas.* Aliter enim non possunt custodiri justificationes,

A nisi nostræ vitæ sint directæ. Justificationes autem multæ prisco populo fuerunt, scilicet ut famulus Hebræus sex annis tantum serviat et pater reverenter habeatur, filius disciplinetur, Deus timeatur, et sacerdos honoretur, et his similia. [Cassiod.] Hæ autem possunt custodiri, si præ oculis semper habeantur mandata, ut prava mox emendentur per ea. Unde subdit:

VERS. 6. — « Tunc non confundar: cum per-« spexero in omnibus mandatis tuis. »

Cum perspexero. [Alcuin., Ambr.] Quasi dicat: Has justificationes custodiam *cum perspexero*, quasi in speculo, *in mandatis*, vel mandata, *tuis* vel tua, et addit *omnibus* vel omnia, hoc ideo dicit ne peccando contra unum sit omnium reus. Unius nam-

B que peccati reus punitur æternaliter. Unde Jacobus: *Si quis totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus* (*Jac.* II). Quod evitat qui perspicit in mandatis. [Cassiod., Ambr.] Qui autem non perspicit in eis, in quo erret nescit. Et tunc, scilicet cum perspexero, *non confundar*. Ante enim in Adam confusus es, et nudus factus, cum operuisti te foliis fici (*Gen.* III), quia confundebaris abscondisti te a conspectu Dei, quia erubescebas. Nunc autem venis in conspectu Dei per gratiam liberatus. Vel ita, ideo peto justificationes custodire, quia tunc cum custodiero, non confundar cum perspexero, [Aug.] quasi in speculo, in omnibus, vel omnia, mandatis, vel mandata, tuis, vel tua, quia non auditor obliviosus est, sed factor operis.

C Confunditur enim qui inspicit mandata, sed non facit. Unde Jacobus ait: *Si quis auditor est verbi et non factor, hic comparatur viro conspicienti vultum nativitatis suæ in speculo* (*Jac.* I). *Consideravit enim se, et abiit, et statim oblitus est qualis fuerit.* Et tunc, scilicet cum custodiero, et perspexero mandata.

VERS. 7. — « Confitebor tibi in directione cor-« dis, in eo quod didici judicia justitiæ tuæ. »

Confitebor tibi. [Gl. int., Cassiod., Cassiod., Aug., Cassiod., Aug.] Non ero ingratus, sed laudabo *in directione cordis*, quia tu fecisti cor meum directum, ideoque laudabo, quod distortus non potest. Laudabo *in eo*, id est pro eo *quod didici* a patribus, non per me inveni, *judicia*, quæ sunt abyssus multa.

D Judicia dico *justitiæ tuæ*. Judicia justitiæ dicit, quibus nunc et in fine judicatur mundus. Hæc autem judicia justitiæ sunt, quia per ea famulos liberat persecutione diaboli laborantes. Vel ita ordina litteram: Confitebor tibi, id est laudabo te, in eo quod didici judicia justitiæ tuæ, si tamen in directione cordis, id est si dirigitur cor ad custodiendum, quia aliter non inde lætarer, sed accusarer. Nam quid mihi proderit quod ea didicerim, si corde perverso vias habeo pravas?

VERS. 8. — « Justificationes tuas custodiam; non « me derelinquas usquequaque. »

Justificationes tuas custodiam, id est opera justitiæ faciam. *Non me derelinquas.* [Haym., Cas-

siod., Ambr., Aug.] Justificationibus concessis, petit a Deo custodiri, quia scit diabolum circuire. Quasi dicat : Et ut custodiam, non me derelinquas, *usquequaque*, vel valde, quod idem est ; et si relinquis ad probationem idem est, ut Job. Et si derelinquas aliquando, ut infirmus mihi videar. Et ne de me glorier, non tamen derelinquas me usquequaque. Vel, valde, id est ut peream ; et sic gloriabor in te, non in me. Vel ita precatur Christi adventum, ante quem reliquerat mundum Deus pro peccato, sed orat, ne, jam, usquequaque, vel valde relinquat, quod jam impletum est, in Christi adventu, quia Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi (*II Cor.* v).

COLLATIO IN PSALMUM CXVIII : « BEATI IMMACULATI IN VIA : QUI AMBULANT, » etc.

א ALEPH.

VERS. 2. — *Qui scrutantur.* נוצרי NOTZERE, id est *qui custodiunt.* Sed Septuaginta posuerunt antecedens. Hebræus habet consequens. Nemo etenim melius Dei testimonia custodit, quam is qui solertissima diligentia pius ea scrutatus fuerit ; si ignores quæ agenda sunt, quomodo servabis ?

ב BETH (166).

In quo corrigit. In prima littera partes beatitudinis exposuit, [Cassiod.] in quibus precatur se custodiri. In hac secunda tempus conversionis aperit. [Ambr.] In quo potissimum a lapsu et confusione fluxæ ætatis, ad Deum quis converti debet, unde congrue huic octonario præmittitur, littera Beth, quæ interpretatur *confusio,* quia hic ostendit præcepta Dei liberare hominem de confusione, id est de lapsu peccati. Quasi dicat : Justificationes tuas custodiam, quæ sunt custodiendæ, quia in custodiendo sermones tuos, o Domine, corrigit adolescentior viam suam. Sed ad hoc præmittit interrogationem, cum deliberatione dicens :

VERS. 1 (9). — « In quo corrigit adolescentior « viam suam ? In custodiendo sermones tuos. »

In quo corrigit. [Ambr., Aug.] Iste enim quasi confusus de errore et lascivia fluxæ ætatis, jam juvenis sobria mente deliberat quomodo viam corrigat, quomodo erubescenda deponat, et plenam probitatis viam assumat, dicens : *In quo corrigit adolescentior viam suam,* id est pravam consuetudinem ; adolescentior ad litteram potest accipi, quia hac ætate potissimum fieri debet , in qua homo pronior est ad peccandum. Unde : *Fili, a juventute tua excipe doctrinam, et usque ad canos invenies sapientiam* (*Eccli.* vi). Vel adolescentior accipitur, junior ille filius qui in Evangelio legitur viam suam depravasse, id est gentilis populus. Vel potius, adolescentior, hic accipitur spiritualis populus, qui portat imaginem novi hominis, non veteris. Hæc est spiritualis adolescentia, ætas novi non veteris hominis. Ecce præmisit interrogationem cum deliberatione. Et quia post meditationem videntur meliora et salu- A briora consilia, subdit Propheta quasi simul deliberans consilium converso sermone ad Deum, dicens : O Domine, ecce in quo corrigit adolescentior *in custodiendo sermones tuos* fidei. Hic est finis deliberantis, et bene conversus ad Deum, hoc respondit, quasi prece ad Deum delata, hoc consilium Dei inspiratione percepit, non humana præsumptione. Et revera in hac ætate criminum nescia potissimum est viam corrigere. [Ambr.] Melius est enim prævenire juventutem correctione, quam post lapsuum recordationem et deflere, et dicere : *delicta juventutis meæ et ignorantias meas ne memineris, Domine* (*Psal.* XXIV, 7). Hoc est enim debilitatis remedium : illud, robur salutis. Hic res est in periculo, quia grave est consueta pellere. Magnum enim in se B consuetudo vinculum habet, ibi in bono. Unde dicitur : *Bonum est viro cum tollit jugum ab adolescentia sua* (*Thren.* III). [Hilar. , Aug.] Facilius enim est retrahi ab ingressu, quam arrepto itinere pravæ consuetudinis revocari. Attende etiam quod non ait in legendo vel memorando sermones, sed in custodiendo, scilicet opere. Et ita est senior mente, ut Daniel, aliter non potest corrigere, quia frustra custodit memoria, si non custodit et vita. In perversa enim vita non est correcta via. Nam quidam verba Dei tenendo agunt, ne obliviscantur ; nec agunt vivendo ut corrigantur,

VERS. 2 (10). — « In toto corde meo exquisivi te « ne repellas me a mandatis tuis. »

In toto corde. [Aug. , Amb , Aug., Cassiod., Aug., C Ambr.] Quasi dicat : Quia in his correctio est, ideo *exquisivi te,* quod est ex dono Dei *in toto corde meo,* qui non toto corde exquirit, negligens est et repellitur. Et ideo, *ne repellas,* non adjuvando *me,* quasi indignum, cum toto corde quæro. Ne repellas dico *a mandatis tuis,* id est ab intelligentia legis, a qua repellitur qui a Deo non adjuvatur. Mandatis quippe ejus rectis atque arduis humana non contemperatur infirmitas, nisi præveniens ejus adjuvet charitas. Qui ergo non adjuvatur a Deo, quasi flammeo gladio prohibetur ab arbore vitæ, quasi indignus. Vel de prælatione ecclesiastica agit, quam qui negligenter administrat, a Deo repellitur, quod ne sibi fiat iste precatur dicens : *Ne repellas me a mandatis tuis,* docendis et annuntiandis in Ecclesia, D a quibus negligens repellitur, ne tollat locum meliori. Et ne sibi plus contrahat offensionis ipse est tepidus, qui nec calidus est fervore fidei, nec frigidus algore infidelitatis, qui non rapitur de manu Domini, sed ejicitur ut pejor frigido, id est penitus infideli : unde in Apocalypsi angelo Laodiciæ dicitur : *Utinam frigidus esses aut calidus ! sed quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo* (*Apoc.* III). Aperte hic negligentiam graviori damnat judicio quam imprudentiam, et quantum amittit quem evomuerit de ore suo Dominus Jesus, et ex suis visceribus rejecerit ; sed quam propitius est qui et justos

(166) Beth. id est domus secundum Hiero. ad Paulam urbicam.

in ore suo tenet, et injustos non ante evomit quam denuntiet evomendos.

Vers. 3 (11). — « In corde meo abscondi eloquia « tua, ut non peccem tibi. »

In corde meo abscondi. [Haym., Cassiod., Ambr.] Quasi dicat : Exquisivi mandata, et etiam memoriæ commendavi. Et hoc est, *in corde meo eloquia tua* recondita *abscondi*, porcis scilicet et canibus; genus enim peccati est obstinatis prædicare, ideo abscondi *ut non peccem tibi*, qui dicis : *Nolite sanctum dare canibus, et margaritas ante porcos ponere* (*Matth.* VII). Vitium enim est secreta mysteria indignis vulgare, et quasi Babylonis thesauros domus Dei, ostendere. Quod ab aliquo fit, vel adulatione ut placeat et cui vulgat; vel avaritia, ut aliquid lucretur : vel jactantia, ut plura scire videatur; vel loquacitate incauta, dum sine judicio volat irrevocabile verbum. Assumenda ergo est disciplina silentii, ut prius quis taceat quam loquatur. Unde : *Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus ad loquendum* (*Jac.* I). Ideoque Isaias cum audisset a Domino, *clama*, non prius clamavit quam audiret quid clamare deberet, respondens, *quid clamabo?* (*Isa.* XL.) Dominus etiam in Evangelio, comparat regnum cœlorum thesauro abscondito **255** in agro (*Matth.* XIII). Hic est thesaurus sapientiæ et cognitionis quem cum invenerit homo abscondit in corde suo, non divulgat, sicut Maria, quæ conservabat omnia verba Domini conferens ea in corde suo (*Gen.* II).

Vers. 4 (12). — « Benedictus es, Domine, doce « me justificationes tuas. »

Benedictus es. [Cassiod.] Ne quis sanctam eruditionem suis viribus daret, præmittit, *benedictus.* [Ambr., Aug., Gl. int.] Quasi dicat : Quia habeo eloquia, gratias ago dicens : Benedictus, id est laudatus, *es*, *Domine*, qui gratis das. Et de reliquo, *doce me* facere, id est præsta me facere, *justificationes tuas* id est opera sanctorum, quæ imperat Deus, ut factis ostendam quæ didici verbis. Frustra enim abscondit in corde eloquia, nisi sequantur opera justitiæ. Vel ita : [Aug., Gl. int., Aug., Ambr.] Supra dixit datam sibi legem. Hic petit sibi dari benedictionem, qua lex impleatur. Quasi dicat : Qui dedit legem, dabit et benedictionem. Et, o Domine, benedictus es, in natura, vel in tuis quos benedicis, et ideo doce me justificationes tuas. Quasi dicat : Quia abscondi in corde meo eloquia tua, dedisti legem, da etiam benedictionem gratiæ, scilicet doce me justificationes tuas, ut faciendo discam, vel ut secreta legis sciam, et his edoctus

Vers. 5 (13). — « In labiis meis pronuntiavi omnia « judicia oris tui. »

In labiis meis. [Gl. int., Aug.] Vel ita continua : Abscondi eloquia tua in corde; et cum tempus gratiæ vidi, *pronuntiavi* aliis *in labiis meis* cordi concinnis, *omnia judicia oris tui*; non dicit omnia judicia tua, sed omnia oris, id est quæ per eloquia tua mihi dixisti. Judicia ergo oris, id est quæ per prophetas et apostolos locutus es, qui sunt os Dei, pronuntiavi

A omnia, non universaliter, sed quæ scripta vel dicta sunt. Judicia porro sunt, quibus et nunc et in fine judicatur mundus, quæ sunt abyssus multa, et inscrutabilia : sed nihil eorum tacui, quæ per eloquia tua mihi innotescere voluisti; et

Vers. 6 (14). — « In via testimoniorum tuorum « delectatus sum, sicut in omnibus divitiis. »

Delectatus sum, in hac vita, *in via testimoniorum tuorum.* [Aug.] Testimonia Dei sunt, quibus quantum nos diligat ostendit, ut nativitas, passio. Et est *delectatus sum in via testimoniorum tuorum*, id est in humilitate nativitatis, passionis, quibus etiam futura speramus; et ideo bene dicuntur testimonia. Vel, in via testimoniorum tuorum, id est Christo, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi

B (*Coloss.* II). [Cassiod., Ambr.] Et ideo dicitur via testimoniorum, vel via testimoniorum dicitur Christus, quoniam de ipso loquentia ad ipsum ducunt, in quo et impleta sunt. Et accipit testimonia, eloquia Scripturarum. *Sicut in omnibus divitiis* spirituales accipit divitias, terrenis enim divitiis quas sordes computat, non comparat. Vel delectatus sum, sicut in omnibus divitiis temporalibus delectantur homines. Hæ autem divitiæ temporales non comparantur spiritualibus in gratia; sed quia sunt hominibus suaves.

Vers. 7 (15). — « In mandatis tuis exercebor, et « considerabo vias tuas. »

In mandatis tuis. [Alcuin., Hilar., Aug.] Quasi dicat : Pronuntiavi et delectatus sum in testimoniis

C tuis et adhuc immorabor. Et hoc est, *in mandatis tuis exercebor* usu boni operis; *et* sic merito boni operis *considerabo*, id est cognoscam *vias tuas.* Nemo enim ad penetralia intellectus pervenit, nisi vita pura prius proximus fuerit. Vel ita dico : Doce me justificationes, et si amplius docueris, in mandatis tuis garriam, alia littera, id est contra omnes inimicos Christianæ fidei atque catholicæ copiosis rationibus garrulus disputabo. Tunc autem sunt utiles disputationes, si ibi non considerentur, nisi viæ Domini. Unde subdit : et considerabo vias tuas, quæ sunt misericordia et veritas, quorum duorum plenitudo invenitur in Christo. Et per hanc exercitationem fit etiam istud quod sequitur.

Vers. 8 (16). — « In justificationibus tuis medi-

D « tabor; non obliviscar sermones tuos. »

In justificationibus tuis meditabor. [Cassiod., Hilar., Cassiod.] Oblivioni quæ ex infirmitate originalis peccati venit, opposita est meditatio. Noverat iste vitium humanitatis. Et contra illud auxilium reperit. Justificationes sunt sicut quod Hebræus puer in lege non plus quam sex annis servit. In septimo liber egreditur, quia fidelis in mundo, qui sex ætatibus distinguitur, tantum servit, in resurrectione liber erit. Et his et hujusmodi quæ in ænigmate dicta sunt convenit meditatio. Mandatis autem moralibus, quæ sunt : *Non mæchaberis*, et hujusmodi (*Exod.* XX), tantum convenit operatio. Congrue ergo distinxit verba dicens : in mandatis tuis exercebor, *et*

in justificationibus tuis meditabor. Ideo meditabor *ut non obliviscar sermones tuos*, id est, ne possim oblivisci quod expedit retineri.

COLLATIO IN ב BETH.

VERS. 2. (10). — *Ne repellas me.* אל תשגני AL TASCHGENI, hoc est, ut volunt, *ne errare me facias.* Eadem est intelligentia : nam repelli a mandatis Dei est ab eo non adjuvari. Citra vero Dei auxilium, nusquam non aberramus. Et hoc est quod præmiserat, interprete Augustino : *Utinam dirigantur viæ meæ!*

ג GHIMEL (167).

Retribue servo tuo. [Cassiod.] In hac tertia littera humanam indigentiam ostendit, et gratiam Dei contra eam poscit; humana vero indigentia multiplex est, scilicet infirmitas, ignorantia, exsilium, hostes : contra quam auxilium multiplicis gratiæ quærit. Unde bene huic octonario præmittitur littera *ghimel*, quæ interpretatur *retributio*, quia sibi multipliciter gratia tribui petit. Dixerat enim supra : *In quo corrigit adolescentior viam suam.* Deinde subjunxit; *In custodiendo sermones tuos*, nunc ut id fiat petit auxilium, dicens :

VERS. 1 (17). — « Retribue servo tuo : Vivifica « me; et custodiam sermones tuos. »

Retribue, [Cassiod.] non utique pro meritis bonis, quæ nulla præcesserunt redde, sed retribue, id est iterum et iterum da. Vel pro malis meis retribue bonum, [Aug.] quoniam ante fidem non homini debentur nisi mala pro malis. Retribuit autem Deus per indebitam gratiam bona pro malis. Nisi enim Deus retribueret bona pro malis, nullo modo essent quibus retribueret bona pro bonis. Utique justus est retribuendo bona pro bonis, quia misericors prius fuit retribuendo bona pro malis, quamvis et ipsa justitia qua retribuuntur bona pro nobis, non est sine misericordia. Et nota quod quatuor sunt retributiones. Retribuuntur enim mala pro malis, aut bona pro bonis, vel bona pro malis, vel mala pro bonis. Duæ priores pertinent ad justitiam, tertia ad misericordiam. Quartam nescit Deus. Retribuit ergo Deus bonum pro malo, quam retributionem iste rogat, dicens : *Retribue servo tuo*, [Cassiod., Aug., Ambr.] qui nihil meritis, sed totum gratiæ deputat. Quid? hoc scilicet, *vivifica me* per fidem ex qua vivit justus. Non est iste penitus mortuus, sed jam habet initium bonæ concupiscentiæ, qui hoc potest orare : Vivifica me, prius mortuum et impotentem scire vel operari, sed per fidem vivifica, per quam *custodiam sermones tuos.* Vivus enim custodit, et custodiendo vivit. Vel non hic est vox peccatoris, sed jam correcti et justi, in processu virtutum positi, qui bene sibi conscius præmia boni operis exposcit. Ideoque convenienter præscribitur littera Ghimel, quæ interpretatur *retributio*, quia hic dicitur impletio, et cognitio legis jam correcto retribui, quasi dicat : Quia sic correctus sum ut supra ostendi, retribue mihi servo tuo. Jam in processu virtutum positus precatur sibi retribui, secundum fidei operisque meritum, quod non debet arrogans vel alienum videri, si remunerationem a Deo pro egregiis laboribus postulet; prærogativa enim fidei atque justitiæ est de Domini favore mercedem sperare. (*Matth.* XIV) Reprehenditur enim Petrus, qui supra fluctus ambulans, ut homo dubitavit, non ut apostolus præsumpsit. Jubemur quoque in Evangelio fidem habere et non hæsitare de his quæ supra hominem sunt gerendis, Apostolus etiam qui ante dixerat : *Non sum dignus vocari apostolus (I Cor.* XV), postea dixit : *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus* (*II Tim.* IV). Innocentis ergo conscientiæ est, non insolentis arrogantiæ, ab eo cui servit quis mercedem petere, quia desperare segnitiæ materia est; sperare autem incenvitum laboris est. Pete ergo confidenter, si merita suffragantur. Et dic : Retribue servo tuo, hoc scilicet, vivifica me, [Aug.] in præsenti et in futuro, et custodiam servos tuos. Sed quia non possunt custodiri per obedientiam, nisi prius videantur per intelligentiam, addit :

VERS. 2 (18). — « Revela oculos meos; et consi« derabo mirabilia de lege tua. »

Revela oculos meos, interiores, [Ambr., Cassiod.] quorum velamen in Christo evacuatur. Vide humanam infirmitatem et misericordiam Dei. Homo velo ignorantiæ tegitur; Deus tollit ut videas, quod iste petit, eo se gravari intelligens. Dico revela, *et considerabo mirabilia,* quæ? *de lege tua.* Lex ubi umbra est, ut de agno paschali, et hujusmodi. [Alcuin., Aug.] Rogat ergo ut in his tecta videat, vel novam legem accipe, scilicet Evangelium, in qua mirabilia considerantur, ut hic : *Nisi quis renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus* (*Luc.* XIV); et illud : *Diligite inimicos vestros* (*Matth.* V). Nihil enim est mirabilius in mandatis quam diligere inimicos, hoc est dare bona pro malis.

VERS. 3. (19). — « Incola ego sum in terra ; non « abscondas a me mandata tua. »

Incola ego sum. [Cass., Haym., Aug., Cassiod.] Ecce exsilium, quasi dicat: Retribue, revela, et debes, quia *incola ego sum in terra*, vel inquilinus. Non sum civis Babyloniæ, cor, et si non corpus, habens in cœlo. Hoc justorum tantum est, quibus promissa est æterna patria. Unde alibi : Peregrinus sum, non sicut omnes homines; sed sicut omnes patres mei, id est justi (*Psal.* XXXVIII). Et ideo, quia incola sum, *non abscondas a me,* id est non subtrahas mihi *mandata tua;* ejus votum scire potes cui famularis. Absconduntur mandata his qui terrena sapiunt, et si ea audiunt et norunt. Mandata dicit, per quæ ab incolatu liberabitur, in quibus dilectio præcipitur, vel sola vel maxime. [Aug.] Sed quia nihil diligendum diligitur, si ipsa dilectio non diligitur, ipsius dilectionis dilectionem iste volens habere, proclamat :

(167) Ghimel juxta Hieronymum, *plenitudo.*

VERS. 4 (20). — « Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas, in omni tempore. »

Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas, [Aug.] id est opera justitiæ, hoc olim concupivit non modo, quia jam quando incola terræ erat, non cupiebat desiderare, sed desiderabat. Olim vero nondum desiderabat eas, sed fastidio languebat. Ita vero amanda est dilectio qua diligenda diliguntur, sicut illa est odienda qua non diligenda diliguntur. Et nota quod concupiscentia est desiderium. sed non omnis, quia concupiscentia est et eorum quæ habentur, et eorum quæ non habentur. Desiderium vero absentium tantum est in hac vita. Nota etiam quod ait : *Concupivit desiderare*, non ait desideravit. Videmus enim ratione nonnunquam quam utiles sunt justificationes Dei, id est opera justitiæ sed infirmitate **256** aliquando non desideramus ; prævolat ergo intellectus, sequitur tardus, vel nullus affectus ; scimus bonum, nec delectat agere, et cupimus ut delectet. Ita iste olim desiderare concupiscebat quæ bona esse cernebat, cupiens habere eorum delectationem quorum potuit videre rationem. Ostendit itaque quibus quasi gradibus perveniatur ad eas, prius est enim ut videatur quæ sint utiles et honestæ. Deinde ut earum desiderium concupiscatur. Postremo ut proficiente lumine atque sanitate delectet earum operatio, quarum sola ratio delectabat. Has ergo concupivit iste. Desiderare in omni tempore, non ad tempus ut mali, sed semper etiam in adversis. Ideo utique concupivi desiderare, quia

VERS. 5 (21). — « Increpasti superbos ; maledicti « qui declinant a mandatis tuis. »

Increpasti superbos, [Aug.] primos homines, quos delectavit illud : *Eritis sicut dii* (*Gen.* III). Hoc increpasti, dicens : *Ubi est Adam ?* (*Ibid.*) Non ignorabat Dominus, sed superbum increpabat, quod ad tantam miseriam devenisset, et tota etiam ærumna mortalium hæreditaria est increpatio superborum, et per hanc superbiam declinaverunt. [Amb., Aug.] Et *maledicti* sunt omnes, non illi soli *qui a mandatis tuis declinant*, quasi a directis ad prava. Vide quod non ait, qui declinaverunt, tanquam illorum primitivorum hominum peccatum in mentem reduceret sed ait, qui declinant, per quod non soli illi increpantur, sed omnes eorum exemplo terrentur, ne per superbiam declinent, sed in omni tempore justitiam diligant, ut hic recipiant quod illi in paradiso perdiderunt. Nota etiam quod non ait, maledicti qui non implent mandata. sed qui declinant. Aliud est enim declinare per superbiam, aliud non implere per infirmitatem vel ignorantiam, sed quia superbi, nec in tanta increpatione humiliantur, orat pro eis chorus martyrum, dicens :

VERS. 6 (22). — « Aufer a me opprobrium et « contemptum, quia testimonia tua exquisivi. »

Aufer. [Aug.] Quasi dicat : Et quia maledicti sunt qui declinant, oro, *aufer a me opprobrium*
A quod audio, *contemptum* quod contemnor. Ideo mihi est opprobrium et contemptus, quia *exquisivi testamenta tua*, quasi de hac re est mihi opprobrium et contemptus, quia exquisivi testimonia tua, quæ Græce dicuntur μαρτύρια pro his patitur iste. Unde illos qui pro veritate humiliati usque ad mortem certaverunt, non testes, quod Latine utique possemus ; sed Græce martyres apellamus. Hæc ergo martyres dicunt qui sunt opprobrio et derisui contemnentibus Christi crucem. Et totam Christianam humilitatem quæ sola superbia sanatur, quæ rogant, non quasi mala auferri sibi, cum inde perveniant ad coronam ; sed quia noxium est illis qui inferunt, ut etiam illi conversi martyria ament quod factum est ; et jam non est
B illud opprobrium, sed honor. Non est enim dignus opprobrio qui testimonia exquisivit ; sed qui talia precabantur, illa patiebantur. Unde subdit :

VERS. 7 (23). — « Etenim sederunt principes, et « adversum me loquebantur ; servus autem tuus « exercebatur in justificationibus tuis. »

Etenim. Ecce hostes. [Alcuin., Cassiod., Ambr., Gl int.] Quasi dicat : Aufer opprobrium ; illud autem multi inferre volunt. *Etenim sederunt principes* more judiciario, quasi ex mora machinantes *et* ipsi aperte *adversum me loquebantur :* iidem accusatores erant, qui et judices, quod gravius est. Et sicut isti manifeste, sic et dæmones occulte nocere cogitant. Illi ita, *servus autem tuus*, scilicet ego, *exercebatur*
C non pro crimine, sed, *in justificationibus tuis*, quasi dicat : In his eogitat, vincit, quia ab his retrahere laborat per bella inimicus. [Cassiod., Aug.] Quasi dicat : Inter pericula non erat mihi cruciatus, sed provectus. Qualiter vero exercebatur, subdit :

VERS. 2 (24). — « Nam testimonia tua meditatio mea est ; et consilium meum justificationes « tuæ. »

Nam et meditatio mea est testimonia tua. [Aug., Cassiod., Aug.] id est martyria, quæ meditata dolores mitigant, sic exercebatur iste martyria, scilicet meditatur et amat, respiciens ad coronam ; et inimicos diligit. Unde sequitur : *Et consilium meum* est *justificationes tuæ*. Quasi dicat : Consi-
D lium meum est servare *justificationes* in quibus est diligere inimicos. Ecce consilium contra consilium. Consilium sedentium principum fuit inventos martyres perdere ; martyrum patientium fuit consilium illos perditos acquirere.

COLLATIO IN ג GHIMEL.

VERS. 4 (20). — *Concupivit anima mea*, etc. גרסה GARSAH. Sed neoterici vertunt, *confracta est*. Hieronymus tamen habet, *desideravit* ; verum exprimitur sensus. Palam est enim animam non posse confringi confractione exteriori. Consequitur intelligi debere de confractione spirituali, hoc est desiderio ipso, quod dum grande est, pene animam exanimat. Chaldæus est nobiscum, *desideravit anima mea desiderare*.

VERS. 8 (24). — *Meditatio mea est.* Hieronymus,

voluntas mea est. Cæteri, *oblectationes meæ sunt*, vel simile quid, cum parvo impendio conciliantur. Nam quæ placent et delectant jugiter meditamur, et in his est exercitium continuum nostri studii.

Consilium meum justificationes tuæ. Hieronymus, *quasi viri amicissimi mei*; Pratensis, *viri consilii mei*. Ita et cæteri. Verum locutio illa metaphorica erat, eoque LXX tropum dextre explicuerunt. Siquidem quemadmodum homo agendorum ignarus vel dubius, consilio indiget virorum et piorum et peritorum, quo rogato in viam rectam dirigant errantem, sic nos, per nos nescii, inquirimus quæ sunt Dei justitiæ, ut in vera æquitate perducamur ad regnum quo tendimus virtutibus et sanctis operibus, quæ regulamus secundum Dei justificationes, ceu viros amicos et boni consilii. אנשי עצתי ANSCHE ATZATHI.

ד DALETH.

Adhæsit pavimento anima mea. [Cassiod., Aug.] In hac quarta littera dicit se corporali necessitate esse constrictum, ita ut tædeat eum orare, vel operari. Corpus enim quod corrumpitur, aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem (*Sap.* IX). [Cassiod., Alcuin.] Sed sola Dei pietate se salvandum dicit, et quia in hac necessitate positus, semper timet relabi, ideo congrue huic octonario præmittitur littera *daleth* quæ interpretatur *timor*. Hic enim docetur quod lex fidei timentem relabi confortat; et ad omnia ei sufficit. Interpretatur etiam daleth, non tantum *timor*, sed etiam *nativitas*; quod bene convenit. Nativitas enim intelligitur hic, non spiritualis sed temporalis, quæ scilicet est eorum quæ in sæculo generantur [Ambr.] et sunt corporalia et caduca, ex qua nativitate est timor, quod hic deplorat homo dejectus in terram de cœlo, qui ante beatissimus auram carpebat ætheream. Curas hujus vitæ et tædii nesciebat. [Haym.] Quasi dicat : Modo consilium meum est, justificationes tuæ. Modo me ita habeo, sed olim.

VERS. 1 (25). — « Adhæsit pavimento anima mea ; « vivifica me secundum verbum tuum. »

Anima mea adhæsit, [Cassiod., Aug., Haym., Aug., Alcuin., Cassiod., Aug.] consensu, *pavimento*. id est corpori, unde mors est. Caro enim concupiscit adversus spiritum (*Galat.* v), cui olim non repugnavit anima. Vel adhæsit pavimento, id est terrenis, ut hæc curet quæ sunt calcanda pedibus, velut pavimentum : terra ergo pavimentum est. In mundo enim universo tanquam in quadam domo, cœlum est camera, terra vero pavimentum, quæ teritur feriendo, ut fiat quasi leve, et nitens, et solidum pavimentum. Corpus etiam humanum pavimento comparatur, eo quod simili nitore levigatur. Huic pavimento, id est corpori, vel terrenis dicit hic animam adhæsisse, quod non est contrarium superioribus, ubi dicit se delectatum in testimoniis, et exercitatum in justificationibus. Quantumcunque enim hic aliquis proficiat, habet tamen mortalis carnis affectum circa hæc terrena, et ab hac morte quotidie reviviscit. Unde subdit, sed tu, Domine, *vivificabis me*, ut in cœlo sit mens mea. Et hoc, *se-*

A *cundum verbum tuum*, [Cassiod., Aug.] id est per Christum, qui est Verbum Patris. Vel, secundum verbum tuum, id est secundum promissionem tuam, ut sim filius promissionis, non filius elationis. Quod non arroganter petit, quia quod per se erat, hic confitetur, dicens :

VERS. 2 (26). — « Vias meas enuntiavi, et exaudisti me, doce me justificationes tuas. »

Vias meas. [Aug., Ambr.] Quasi dicat : Vivifica ; et debes. Nam, *vias meas enuntiavi*, id est peccata mea confessus sum. *Et exaudisti me* dimittendo ea. *Doce me.* Quasi dicat : Delevisti vias meas, et doce tuas. Et hoc est, doce me *justificationes tuas*, hoc dicit volens proficere, qui jam in illis exercetur. Ab istis ergo ad alias proficiendo, velut crescendo
B desiderat pervenire, ut illas agat, non modo sciat. Vere quippe novit justificationes qui eas fecit, sicut econtra de Domino dicitur : *Non novit Dominus peccatum* (*II Cor.* v), id est non fecit. Vel, doce me justificationes tuas, id est secundum spiritualem intellectum figurativas observantias fac advertere. Et nota quia pulchro ordine ad justificationes Dei perveniendum putat, ut primum peccata sua fateatur. Ita enim et alibi dicitur : *Dic iniquitates tuas ut justificeris* (*Isa.* XLIII). Et alibi : *Justus in principio sermonis accusator est sui* (*Prov.* XVIII). Si enim accusaverit se justus, vocem parati accusatoris excludit, qui solet accusare peccata, et cujusque exaggerare supplicia ; obstruit os ejus, qui ipse de se fuerit confessus. Verecundia enim
C excusat reum, pudor suum accusat actorem. Et, o Domine,

VERS. 3 (27). — « Viam justificationum tuarum instrue me ; et exercebor in mirabilibus « tuis. »

Instrue me viam justificationum tuarum, [Cassiod., Aug., Ambr.] quia vias meas damno, ideoque instrue me viam tuam ut intelligam mystica. Alii codices habent, *insinua mihi*, quod ex Græco Συνέτισον expressius dicitur, *fac me intelligere*. Viam justificationum tuarum. Vide ordinem : Prius enim est discere justificationes, quod hic ante petiit. Deinde gradus quosdam et ordinem earum quid prius, quid post esse debeat. Peccat enim qui præpostere agit. Nam scire quid faciat, et ordinem faciendi
D nescire, non est perfectæ cognitionis. Ordinis namque ignorantia conturbat negotiorum naturam formamque meritorum. Notis vero mysteriis, et eorum ordine, ego etiam *exercebor* usu operis, et spirituali sensu, sicut qui in palæstra exercetur ut roboretur. Et hoc etiam, *in mirabilibus tuis*, quæ in figuris latent. [Aug.] Mirabilia Dei vocat justificationes ipsas, quarum quædam ita sunt mirabiles, ut inexperti credant ad eas non posse perveniri intelligendas vel faciendas. Unde iste laborans, et earum difficultate fatigatus, addit :

VERS. 4 (28). — « Dormitavit anima mea præ tædio ; confirma me in verbis tuis. »

Dormitavit. [Cassiod., Aug., Cassiod.] Quasi di-

cat : Dico, doce, instrue ; sed quia est petitio dilata, A dormitavi ut fessus exspectator. Et hoc est, *anima mea dormitavit*, id est refriguit a spe comprehendendi eas. Et hoc, *præ tædio* dilationis. Nota quod non ait dormivit, sed dormitavit. Dormire enim est obliviosi et socordis : dormitatio est fessi exspectatoris, quæ dicitur acedia. Sed tu *confirma me in verbis tuis*, ut si adhuc petitio differtur, **257** firmus stem in meditatione legis tuæ. [Haym.] Vel ita dico, quod exercebor in mirabilibus ; tamen olim anima mea dormitavit præ timore, parum vel nihil boni operans, et ideo doce me. Et quia olim dormitavi, nunc cum ad ea perveni, confirma me in verbis tuis, [Aug., Alcuin., Aug.] quæ jam teneo ne decidam ab eis, sed inde ad alia tendam. Ecce contra duo pericula orat iste in hoc B octonario, primo contra necessitates carnis, dicens : Vivifica me ; hic contra tædium. Quasi dicat : oro ut vivifices me contuitu primi periculi. Unde me liberasti. Oro etiam ut confirmes consideratione alterius periculi, scilicet tædii, quod per te evasi. Deinde quasi quæreret : Quid enim impedit? subdit :

VERS. 5 (29) — « Viam iniquitatis amove a me ; « et de lege tua miserere mei. »

Viam iniquitatis, etc. [Haym., Ambr., Cassiod., Aug.] Vel ut possim confirmari, o Domine, *viam iniquitatis* quæ a Patribus trita est, quæ et imminet. *Amove a me*, hoc in hoc sæculo necessarium est. Et quia lex factorum subintravit, ut abundaret delictum, subdit : *Et de lege tua miserere mei*, scilicet C lege fidei, lege misericordiæ et gratiæ, qua implemus quod per nos non possumus. In lege enim factorum Dei jubentis, est justitia ; in lege fidei subvenientis, misericordia. Per fidem iste petit, qui ait : *Viam iniquitatis amove a me, et de lege tua miserere mei.* [Alcuin., Cassiod.] Ac si diceret : Mala remove, bona indulge. Petit vero misericordiam, quia per legem nemo justificatur, sed per fidem Christi.

VERS. 6 (30). — « Viam veritatis elegi ; judicia tua « non sum oblitus. »

Viam veritatis. [Aug.] Cum dixerat, de lege tua miserere mei, de beneficiis quæ consecutus est, præscribit, ut impetret cætera. [Cassiod., Aug.] Quasi dicat : Miserere, quia jam *elegi viam veritatis*, ubi currerem, id est Christum cujus cultum D elegit, qui est via, veritas et vita (*Joan.* XIV). Et *judicia tua non sum oblitus*, ut currerem. Et cum currerem

VERS. 7 (31). — « Adhæsi testimoniis tuis, Do« mine, noli me confundere. »

Adhæsi, o Domine, testimoniis tuis, [Cassiod., Ambr., Alcuin., Aug., Ambr., Cassiod.] qui prius adhæseram pavimento : Adhæret autem testimoniis, qui mundo renuntiat, qui curas hujus vitæ et tædia spernit, qui luxuriæ studio ac pecuniæ cupiditate, non curvatur. Et ideo *noli me confundere*, sed fac ut quo curro pertendam, et quo tendo perveniam. Unde Apostolus : *Sic currite ut comprehendatis* (*I Cor.* IX). Et nota quod non est iste securus, sed humiliter se petit servari.

VERS. 8 (32). — « Viam mandatorum tuorum cu« curri, cum dilatasti cor meum. »

Viam mandatorum, [Ambr., Aug., Cassiod., Aug.] quæ est angusta, *cucurri*, ut bonus equus. Habet enim equos suos Christus, de quibus dicit propheta : Ascendisti equos tuos, et equitatus tuus salus (*Habac.* III). Et hoc feci, *cum*, id est quia, *dilatasti cor meum*. Non enim currerem nisi dilatasses : cordis autem dilatatio est justitiæ delectatio, ut non timore, sed delectatione agatur, quod est donum Dei. Vel dilatatio est scientiæ latitudo, sine qua non possum currere. Hæ sunt aquæ de quibus dicitur : *Et in plateis tuis discurrunt aquæ tuæ* (*Prov.* V). De quibus Dominus clamat : *Si quis sitit, veniat ad me et bibat* (*Joan.* VII) ; et : *Qui crediderit in me, flumina aquæ vivæ fluent de ventre ejus* (*ibid.*). Et nota quia hic versus exponit, quomodo superius dictum sit, *elegi, non sum oblitus*. Dum ait, cum dilatasti cor meum, id est non per me, sed tuo dono hæc prædicta feci.

COLLATIO IN ד DALETH.

VERS. 4 (28). — *Dormitavit.* Hebraicantes dicunt *distillavit, diffluxit, liquefacta est, agonizavit*, דלפה DALEPHAH, sensus est idem. Etenim anima defatigata longa exspectatione, aut corporis gravitate, quasi resolvitur extra se et intra se.

Et de lege tua miserere mei. Consimiliter Nebiensis, Pratensis, interpretes Cajetani, et Campensis, Hieronymus et Sanctes, *legem tuam dona mihi* ; Pellicanus et Munsterus, *lex tua sit grata*, aut *gratiosa mihi*. Licet hæc omnia in unum concurrant, tamen חנן HANAN significat *misertus est, donavit, gratificavit*. Ob idque חנני HONNENI pariter diversum est.

VERS. 6 (30). — *Non sum oblitus*. Hebr., *proponebam*. Sic plerique, *proposui mihi*, quod est ante oculos habere, ergo *non oblivisci*. Interpretes Cajetani vertunt *coæquavi*, et Pratensis, *feci*. Siquidem שוה SCHAUAH et שוה SCHIUAH, id interdum sonat. Eodem denique recidit intelligentia

ה HE (167*).

Legem pone. In hac quinta littera precatur Christo veniente sibi qui veterem tenuit, novam legem constituit, quæ semper exquiretur, cum tam ardenter desideretur. Et quia per eam verum esse habet, ideo huic octonario congrue præmittitur littera *he* quæ interpretatur *esse*, quia per legem novam confortatus, jam verum esse precatur. [Ambr.] Interpretatur etiam he *est*, vel *vivo*, quod bene convenit. Qui enim est, vivit ; et qui vivit, vere est, quod esse vel vivere habetur in Christo, qui heri et hodie ipse est et in sæcula (*Hebr.* XIII). Loquitur ergo hic qui vivit in Christo, dicens quomodo vivat, id est velit vivere. Quasi dicat : Noli me confundere, sed

VERS. 1 (33). — « Legem pone mihi, Domine, « viam justificationum tuarum ; et exquiram eam « semper. »

Pone mihi, o Domine, legem, [Aug., Ambr.] non veterem, ut olim subditis ; sed novam, ut filiis Spiritu sancto scriptam in cordibus, ut intelligant, et ex

(167*) He Hier. interpretatur *ista*.

amore cómpleant. Qui enim invitus facit, nollet sibi juberi; et immundus voluntate, non est mundus opere. Hæc autem lex est via justificationum. Unde subdit, *viam justificationum tuarum*, scilicet pone. Quasi dicat : Lex eundi sit mihi via justificationum tuarum, ut nusquam divertar, sicut imperator præscribit militibus suis, quo et qua eant, ne pro suo arbitrio viam carpant, nec voluntaria captent compendia, nec a signis recedant, declinantes ad dexteram vel ad sinistram, ut et Dominus legem viandi filiis Israel commeantibus dedit, præcedens eos in columna nubis in die, et ignis in nocte, quæ cum anteibat, ipsi sequebantur; et cum stabat vel evanescebat, ipsi morabantur in castris (*Exod.* XIII). Lex ergo viandi erat eis columna ignis et nubis. *Et exquiram.* [Aug.] Quasi dicat : Pone mihi legem. Et ego exquiram *eam*. Habitam legem exquirit, proficiendo in ea. Et hoc *semper*, scilicet quandiu vivit hic, quia tandiu proficitur. Post hanc enim vitam qui hic proficiebat, ibi perficitur; ubi perfectus sine fine consistit. Legem ergo quam habet agendo, exquirit proficiendo. Vel semper exquiritur tenendo hic et in futuro sicut dicitur : *Spiritus scrutatur omnia* (*I Cor.* II), non ut quod nescit inveniat, sed quia nihil relinquit quod nesciat, ita hic semper legem exquirit, qui nunquam relinquit aliquid de lege. Vel de vetere lege dicit legem pone, quia veterem etiam legem vult iste scire, quam sibi poni petit, non ut secundum litteram sciat, sed ut intelligat, scilicet quid habet utilitatis, et quare data, scilicet ut abundaret delictum. Unde subdit :

VERS. 2 (34). — « Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam; et custodiam illam in toto corde meo. »

Da mihi intellectum. [Aug.] Quasi dicat : Dico, exquiram. Et, ad inquirendum, *da mihi intellectum*, quia non satis est quærere, nisi intelligas quod requiris. Da ergo mihi intellectum, ut ad ejus alta perveniam, in quibus tota lex pendet. *Et* habito intellectu, *scrutabor legem tuam*, quia aliter nequit scrutari; *et custodiam illam in toto corde meo*, id est diligam Deum toto corde, tota anima, et tota mente, et proximum sicut meipsum. Et quia hoc minus valeo meis viribus,

VERS. 3 (35).— « Deduc me in semitam mandatorum tuorum : quia ipsam volui. »

Deduc me in semitam, [Aug.] quia arcta est via, *mandatorum tuorum*, quæ tamen dilatato corde curritur, et cur petierit, subdit, *quia ipsam volui*. Ipsa enim nova gratia per se placet quæ ducit ad cœlum. Ideo iste ait, volui; sed parum est mihi voluntas mea, nisi in eo quod volo ducas. Sed quia ipsa voluntas a te est, oro,

VERS. 4 (36). — « Inclina cor meum in testimonia tua; et non in avaritiam. »

Inclina cor meum, [Cassiod.] ut plus velim. Et bene ait, inclina, inclinati enim per humilitatem melius vident quam vanitate supini. Ecce ostendit per universas et subtiles minutias omne bonum a

A Deo tribui, et per eum servari, et ejus gratia semper augeri. Inclina dico, *in testimonia tua*. [Aug.] Testimoniis aliquid probatur, et Deus justificationes suas, et mandata suis testimoniis, id est præceptis et exemplis, persuadet, et probat nobis, scilicet ut gratis colatur. Testimoniis quippe suis agit hoc nobiscum, ut eum gratis colamus, quod impedit radix omnium malorum avaritia (*I Tim.* VI), de qua subdit, *et non avaritiam*, ut gratis, scilicet pro se, Deum colat, sicut Job, non pro terrenis (*Job.* I). Omnis enim a nobis circumciditur avaritia, si gratis colatur Deus. Et quia omnia sub sole vanitas sunt (*Eccli.* I), ideo addit generaliter, et

VERS. 5 (37). — « Averte oculos meos, ne videant vanitatem ; in via tua vivifica me. »

B *Averte oculos meos* corporis, [Cassiod.] quia his visis ambimus, *ne videant*, vel videam *vanitatem*, per oculos enim peccamus, dum conspecta ambimus. Mors enim intrat per fenestras nostrorum sensuum (*Jer.* VI), quod hic notatur. [Ambr., Aug.] Hoc ergo nobis magis est in spe quod hic petitur, quam in re, quia et multi sub vanitate nunc sumus, Precatur ergo quod non hic, sed in futuro implebitur, cum liberabitur creatura a servitute corruptionis (*Rom.* VIII), et ipsi veritati adhæserit, veniens in libertatem gloriæ filiorum Dei, ubi jam non videat vanitatem sæculi. Et hic est alius sensus, quem mihi fateor plus placere, ut oculos interiores accipiamus, quibus contemplemur quare faciamus. Quia ergo officium nostrum, id est opus, non officio, sed C fine pensatur, ut scilicet non tantum si bonum est quod facimus, sed præcipue si bonum est propter quod facimus cogitetur, precatur iste, ut cum aliquid facit, oculi interiores qui vident quare fit, non videant vanitatem ut propter eam bonum faciat, in qua vanitate præcipuum locum amor laudis humanæ habet, quam ubique Dominus prohibet in Evangelio, et ad gloriam Dei tantum præcipit bona fieri (*Matth.* VI). Ille ergo non videt vana, qui fixus est in illo mente, qui est super omnia, cujus mens sursum est. Qui vero hæc cogitat, sub sole vivit, ubi vanitas. Ideo iste ait, averte oculos meos mysticos oculos mentis dicit, ne videant vanitatem, [Ambr., Aug.] id est vana sæculi. Christus vero est veritas, qui est via in qua petit vivificari, dicens : *In via tua* D *vivifica me*, id est in Christo, qui est vita. Deinde per quid a vanitate avertatur, docet subdens : Et

VERS. 6 (38). — « Statue servo tuo eloquium tuum, in timore tuo. »

Statue servo tuo eloquium tuum, in timore, [Aug.] id est da facere, quod eloqueris. Statuitur enim non nisi facienti, *statue* ergo *eloquium* immobiliter ne labatur. Ad quod valet timor. Unde subdit, *in timore tuo* ubi nec culpa est nec desidia. [Cassiod., Hilar., Ambr.] Hoc ideo dicit, quia multi eloquia Dei, et negligenter suscipiunt, et tanquam a fabulis declinant; sed timor Dei sanctus, quasi basis est in qua verbum statuitur; et ipsum verbum disciplina timoris est, ne sit zelus Dei, et non secundum scientiam

(*Rom.* x). [Aug.] Non est autem iste timor servilis, quo tantum pœna timetur; sed castus, quo timetur offensa. Aliter enim timet adultera virum, aliter casta; adultera, ne veniat; casta, ne deserat. Hic est timor Domini, qui **258** permanet in sæculum sæculi (*Psal.* xviii), [Ambr.] hic avertit a vanitate. In hoc ergo precatur sibi statui eloquium, ne veniant volucres, et auferant illud de incuriosi et simulantis affectu (*Luc.* viii).

Vers. 7 (39). — « Amputa opprobrium meum, « quod suspicatus sum, quia judicia tua jucunda. »

Amputa. [Aug.] Hic sensus de superiori dicitur, quia cujus oculus videt vanitatem, hoc et de aliis suspicatur, ut propter quod bona agit, credat alterum facere. Quia enim occulta hominum non videntur, datus est locus suspicionibus, ut audeat homo plerumque falsa, et si vera, tamen incognita suspicari : ideoque Dominus cum de fine operum præcepisset hominibus, ne scilicet justitiam suam facerent, propter laudes hominum, vel pecuniam, vel etiam victum et vestitum; quia poteramus alios propter hæc bona operatos suspicari, subdit : *Nolite judicare* (*Matth.* vii), quod iste orat a se amputari. Deinde subjunxit : *Et non judicabimini* (*ibid.*). Unde et hic dico: *Amputa opprobrium meum quod suspicatus sum*, addit, *quia judicia tua iucunda.* Quasi dicat : Averte oculos, et amputa opprobrium quod suspicatus sum. Suum opprobrium dicit, quod de aliis suspicatur, quia facilius in alio putat, quod in se sentit. Precatur ergo auferri opprobrium quod in se sentit, et in aliis suspicatur. [Cassiod.] Maximum enim vitium humanitatis, est suspicio : quæ aliter putat quam sit veritas, ut de malis bona, de bonis mala dicamus, quæ ducit in opprobrium, aliter putantes quam sit res. Quam culpam a se optat removeri iste amator veritatis, cui placent judicia Dei, cujus verbum verum est et firma sententia. Unde subdit : *Quia judicia tua jucunda.* [Aug., Ambr.] Quasi dicat : Ego suspicor, sed tu vere omnia judicas. Quia judicia tua sunt jucunda, id est vera. Vera enim sunt et suavia amatori veritatis ; sed judicia hominum de occultis non sunt suavia, quia temeraria. Vel nomine opprobrii peccatum accipitur, ex quo sequitur opprobrium. Et est sensus : Amputa opprobrium meum, id est peccatum meum, suspicatus sum, quia et si non habeo, nescio, quod melius tu nosti quam ego ipse. Unde Apostolus : *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum* (*I Cor.* iv). Tibi judici audeo fateri. Quia judicia tua sunt jucunda, id est dulcia confitenti, non severa. Et quia dulcia sunt judicia.

Vers. 8 (40). — « Ecce ego concupivi mandata « tua; in æquitate tua vivifica me. »

Ecce ego concupivi mandata tua, [Ambr., Aug.] ut dilector diligentis me. Vel secundum primam lectionem sic junge. Quasi dicat : Amputa opprobrium quod suspicatus sum. Quia autem invidorum est libenter suspicari opprobrium alterius, cum nequeant rodere opus quod eminet, ut et diabolus in Job, quod non gratis Deum coleret (*Job* i). Contra hoc charitas est habenda, quæ non æmulatur (*I Cor.* xiii). Unde subdit : *Ecce concupivi mandata tua* (*Matth.* xxii), quæ omnia in duobus mandatis charitatis colliguntur, id est concupivi ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente diligere te, et proximum. Et tu, non in mea, sed *in tua æquitate* vel justitia, *vivifica me*, id est charitate quam concupivi imple me, qui in me morior. Vel, vivifica me in æquitate tua, vel in justitia, id est in Christo, qui est Deus. Et quia est homo, meus proximus est. Ipse enim est Verbum Deus, et Verbum caro factum est (*Joan.* i), ut esset proximus meus.

COLLATIO IN ה HE.

Vers. 1 (33). — *Et exquiram eam semper.* Quoniam verbum Hebraicum עקב eqeb, significat *calcaneum, finem, et mercedem,* diversam dedit materiam interpretandi, etiamsi haud difficile res ipsa concordet. Hieronymus igitur, *custodiam eam per vestigium.* Sequitur interpres pro Cajetano, Pratensis, Munsterus et Nebiensis, *usque ad calcem* seu *finem.* Consonant editio ad Campensem, et paraphrasis. Sanctes autem, *propter mercedem.* Porro arbitror Hieronymum accipere *vestigium*, pro *perseverantia*, sive, ut vertit Pellicanus, *ad unguem.* Merces item est finis laborum et præmium perseverantiæ.

ו VAV.

Et veniat. [Cassiod., Amb.] In sexta littera precatur ut Salvator veniat, qui est misericordia peccatorum, et vita fidelium, ut inimicos confundat, et in lege proficiat, id est proficere suos faciat. Et quia digne petentibus semper præsens adest Christus, quibus adhuc loquentibus dicit : Ecce adsum. Ideo huic octonario præmittitur Var, quæ interpretatur *ipse*, vel ille, id est salvator Christus, qui adhuc loquentibus nobis dicit : Ecce adsum. Quasi dicat : In æquitate tua vivifica me,

Vers. 1 (41). — « Et veniat super me miseri- « cordia tua, Domine; salutare tuum secundum « eloquium tuum. »

Et, o *Domine, veniat misericordia tua,* id est Christus. [Aug., Haym., Aug.] Nec est justitia quam dixerat, in qua vivificari petierat. *Super me*, id est fiat mihi caput Filius tuus, assumendo carnem, secundum quod erit caput. Deinde exponit misericordiam, subdens : Et *salutare tuum*, id est Christus, *veniat secundum eloquium tuum*, id est secundum promissionem, quia totum est gratiæ. Vel in hac littera, petit ut mandata Dei, quæ supra concipivit, per misericordiam faciat. [Ambr., Alcuin., Aug.] Quæ quia facere non potest, nisi per auxilium gratiæ Spiritus sancti, congrue præscribitur littera var, quæ interpretatur *ipse* vel *ille*, quasi notabilis spiritus, scilicet cujus auxilium petit contra inimicos et hæreticos, qui a custodia mandatorum et a vero esse retrahunt. Quasi dicat : Concupivi mandata tua, et ut ea perficiam, veniat super

me misericordia tua, Domine, id est auxilium gratiæ tuæ, quam ut consequar, veniat salutare tuum, id est Christus, secundum eloquium tuum. Hoc non mutatur.

VERS. 2 (42). — « Et respondebo exprobrantibus « mihi verbum, quia speravi in sermonibus tuis. »

Et respondebo. [Aug., Cassiod., Aug.] Quasi dicat : Dico, veniat super me misericordia tua, *et*, si erit super me, ut protector, non conterens, *respondebo exprobrantibus mihi verbum.* Bene ait, respondebo, quia parum est Christum habere in corde, nisi exterius confiteatur ore. *Corde enim creditur ad justitiam : ore autem confessio fit ad salutem* (*Rom.* X). Et nota non esse nobis tacendum contra malos, qui tamen possunt recipere rationem, ne videantur superiores : ambiguum tamen est utrum dicatur, respondebo exprobrantibus mihi verbum ; vel dicatur sic, respondebo verbum exprobrantibus mihi ; sed quolibet eorum dicatur, Christum significat. Ipsum enim nobis exprobrant illi, a quibus crucifixus est, vel quibus scandalum est, vel stultitia (*I Cor.* I), quia Verbum caro factum est, quod in principio erat apud Deum (*Joan.* I). Sed si illud ignorant, qui crucem improperant, quia Divinitas ab eis non cognoscitur, cujus infirmitas in cruce contemnitur, melius dicitur, respondebo verbum, scilicet quod erat in principio apud Deum, de quo vivitur, exprobrantibus mihi, exprobratione eorum, nec territus, nec confusus. Sed quia non ipse est qui loquitur, sed Spiritus Dei, addit : *Quia speravi*, quasi dicat : Ideo respondebo, *quia speravi in sermonibus tuis*, id est in promissis, quæ dicunt : *Nolite cogitare quid loquamini, non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis* (*Matth.* X), id est ideo respondebo, quia hoc promisisti. Sed quia multi urgentibus malis negant, subdit :

VERS. 3 (43). — « Et ne auferas de ore meo ver« bum veritatis usquequaque ; quia in judiciis tuis « supersperavi. »

Et ne auferas, [Aug., Amb., Aug.] id est auferri sinas *de ore meo verbum veritatis ; de ore tollitur* etiam per malam conscientiam. Manentem enim in peccato prohibet Dominus a prædicationis officio, dicens : *Quare tu enarras justitias meas* (*Psal.* XLIX). In ipsa enim obmutescit facundia, si ægra sit conscientia. Caveat ergo ne verbis non congruant facta, et ne deforment iniquitatis opera magisterium disciplinæ. Tollitur etiam de ore ab avibus cœli, et multis modis, sed non de corde, si ei infixum est. Et ideo non ait de corde, sed de ore. Ne auferas dico, et hoc, *usquequaque :* id est semper, et si ad tempus auferas ut Petro, qui, etsi ad horam timore turbatus negavit, tamen flendo est reparatus (*Luc.* XXII). Vel, usque valde, sicut quidam codices habent. Hoc orat corpus Christi, id est Ecclesia, et hoc impetrat ut non usque valde, id est ex toto deficiat, quia et si aliqui de Ecclesia negant, fores tamen ramanent. Vel eidem repa-

A rantur, *quia in judiciis*, quasi dicat, non auferas, ideo quia in judiciis *tuis*, id est flagellis, quibus corripis, *supersperavi.* Hoc verbum etsi minus usitate compositum est, tamen implet veritatis interpretandæ necessitatem. Attentius ergo loci hujus rimandus est sensus. Qui enim ante dixerat, speravi in sermonibus, hic quasi augmentum facit, dicens : In judiciis tuis supersperavi, id est flagella quibus corripis non auferunt spem, sed augent. Vel, supersperavi, dicit, [Alcuin., Ambr.] quia præmium majus merito, et supra quam petimus, speramus. Unde : *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam*, etc., (*Rom.* VIII), Vel, in judiciis tuis, id est metu judiciorum tuorum, supersperavi. Qui enim veretur pœnam, cu-
B stodit gratiam, ideoque ait,

VERS. 4 (44). — « Et custodiam legem tuam « semper ; in sæculum et in sæculum sæculi. »

Et custodiam. [Aug.] Quasi dicat : Ne auferas verbum de ore meo, *et* si non abstuleris, *custodiam legem tuam*, non præcepta legis Mosaicæ, sed charitatem. Et hoc, *semper.* Deinde determinat semper, scilicet *in sæculum*, id est in præsenti, *et in sæculum sæculi*, id est in futuro. Plenitudo enim legis charitas est, [Hilar.] quæ et in hoc sæculo a sanctis custoditur, et in futuro ubi angeli et sancti suas habent leges laudandi Deum.

VERS. 5 (45). — « Et ambulabam in latitudine, « quia mandata tua exquisivi. »

C *Et ambulabam.* [Aug.] Hactenus fuerunt verba orantis, nunc narrantis, nunc petentis qui, quasi impetratis peccatis omnibus, confitetur in laude Dei, qualem illum fecit Deus. Et nota, et, conjunctionem inusitatam, et quasi in consequentem. Non enim ait secundum priorum verborum formam, *et custodiam, et ambulabo.* Vel non ait optative, *et ut ambulem* sicut dixerat, *et veniat, et ne auferas*, sed ait, *et ambulabam* sic volens intelligi quod non dixit, id est se auditum, et subdit, qualis factus sit. Quasi dicat : Hæc prædicta cum orarem exaudisti me, *et* exauditus, *ambulabam in latitudine*, id est est in charitate, in qua tota lex pendet et prophetæ (*Matth.* XXII) : quæ et diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum. Et ideo, latitudo dicitur. In hac latitudine, ambulabat ille qui dice-
D bat : *Os nostrum ad vos patet, o Corinthii, cor nostrum dilatatum est* (*II Cor.* VI). Et hoc ideo, *quia mandata tua exquisivi.* Dico ambulabam in latitudine. Causam hic subdit, quia mandata tua exquisivi, petendo, quærendo, pulsando, et Deus dat spiritum, quo charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, ut inde bene agatur. Vel ita, et ambulabam. Quasi dicat : Ita modo fiat ut precor, quia et, [Alcuin., Cassiod.] id est etiam, jam olim ambulabam, ne quis modo me cœpisse putet ; sed sicut cœpi, ita modo facere da. Ambulabam dico, in latitudine scientiæ, quam quærendo consecutus est. Patulum enim oportet esse cor, quod recepit illum qui cœlum et terram implet.

VERS. 6 (46). — « Et loquebar in testimoniis A « tuis in conspectu regum ; et non confundebar. »

Et loquebar. Quasi dicat : Supra petebat, ut responderet verbum exprobrantibus. Et ne tolleretur verbum de ore Dei, nunc pro eo certat usque ad mortem, dicens : *Et loquebar in testimoniis tuis*
259 Græce martyriis, quo verbo utimur pro Latino [Hilar., Amb.] Et hoc etiam in conspectu regum qui poterant terrere. Unde : *Ante reges et præsides ducemini* (*Matth.* X). *Et non confundebar* pro scandalo crucis, quæ mihi est gloria. Vel non confundebar, ita ut cederem. Suavis est vox quæ in divinis testimoniis loquebatur; decora facies, quæ in conspectu regum non confundebatur, quæ non erubescit auctorem, quæ non confunditur redemptore.

VERS. 7. (47). — « Et meditabar in mandatis tuis, B « quæ dilexi. »

Et meditabar in mandatis tuis ; [Aug., Cassiod.] cogitando quid loquerer. Ecce virtus inspectiva, cur in mandatis? Ecce, *quæ dilexi*, per spiritum datus est mihi.

VERS. 8 (48). — « Et levavi manus meas ad mandata tua quæ dilexi ; et exercebor in justificationibus tuis. »

Et levavi operando, *manus meas ad mandata tua*, [Aug., Amb., Cassiod., Aug.] id est operibus quod docebam ostendi. Pulcherrimus ordo est iste, ut primo meditetur : postea operetur. Ex meditatione namque mandatorum cœlestium, boni operis usus mollescit. Et notatur hic actualis virtus. Ideo autem dicit, levavi manus, quia supernum est quo levantur, cum pro ipso Deo fiunt opera ; cum autem pro C terrenis, deponuntur manus. Unde manus Mosi graves leguntur fuisse, quas sustentabant Ur et Aaron (*Exod.* XVII), quia (168) finis operum legalium erat merces temporalium. Sed Christus et Spiritus sanctus in spiritualem usum convertit. *Quæ dilexi* [Aug.] Hic item eadem causa repetitur, quæ supra posita est. Utrique enim addit congrue, quæ dilexi, quia finis præcepti est charitas (*Tim.* I), quando ejus intuitu fit mandatum ; et tunc vere est opus bonum. *Et exercebor*, quasi dicat, meditabor. Levavi, et exercebor frequentando, [Amb., Aug.] sollicitæ mentis affectu revolvendo, *in justificationibus tuis*, id est in utroque, scilicet cogitandi et operandi delectatione.

COLLATIO IN ו VAU.

VERS. 7 (47). —*Meditabar.* אשתעשע ESCHTAASCHA, hoc est *delectabor*. Sed quod admodum oblectat exercitationem studiosam excitat.

VERS. 8 (48). — *Exercebor.* Alii dicunt *loquar*, alii *meditabor*. Si quidem שיח SCHOAH, est *meditari, orare, loqui*, quæ in unum consentiunt. Permulta sunt ejusdem generis, quæ per se consonantiam suggerunt pio et æquo lectori, quanquam sermo pauxillum distet.

ז ZAIN.

Memo esto. [Cassiod.] In hac septima littera agit de spe promissionum Dei, quæ facit omnia pacifice tolerari, per quam mens humana elevatur ab his visibilibus et temporalibus, ad invisibilia et futura bona, nbi requies vera est (169). Unde iste octonarius merito septimus ponitur. Septenarius enim requiem significat propter Sabbatum, in quo requievit Dominus. Inde est etiam quod septimus dies pro mortuis observatur, quia tunc vera requies optatur eis atque oratur, et quia spes non est de præsentibus, sed de futuris. Ideo congrue hic octonarius prætitulatur littera *Zain*, quæ interpretatur *huc*, vel *duc te*, quia hic agit de spe, quæ non est de præsentibus, sed ad futura tendit. Quasi dicat : huc tende, huc dirige iter tuum, tanquam tui ductor et rector, quo vocat te verbum Dei, scilicet ad gratiam, et ad æternitatem, cum ait : *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* (*Matth.* XI). Festinans ergo in illam requiem ingredi (*Hebr.* IV), iste petit eam, dicens :

VERS. 1 (49). — « Memor esto verbi tui servo « tuo, in quo mihi spem dedisti. »

Memor esto verbi tui. [Ambr., Aug., Cassiod., Ambr.] Quasi dicat : Ideo sic et sic ago, quia Deo promittente æterna spero, et auxilium in tribulatione. Et, tu Domine, memor esto verbi tui, facti *servo tuo*, id est promissionis, qua spe me vocas ad te, qui nunquam fallis. (170) Et nota quod morali et consueta locutione qua humanus moveatur affectus, ait, memor esto. Non enim oblivio cadit in Deum, sed sicut dicitur Deus pœnitere, quando præter hominum spem mutat res, consilio non mutato : ita dicitur et oblivisci quando tardat, et memor esse cum cito dat. Hoc tamen Deus facit certa dispositione, non deficiente memoria, nec obscura intelligentia, nec voluntate mutata. Et est sensus : Memor esto verbi tui, id est cito da quod promisisti, servo tuo, cujus oculi sunt in manu Domini sui. Verecunde se dignum ostendit, quasi dicat : Non usurpative spero et peto. Servus sum, exspecto alimentum a Domino; miles sum, exigo ab imperatore stipendium. *In quo*, scilicet in verbo promissionis, *mihi spem dedisti*. Qui enim promisisti, sperare fecisti æterna, et præsentia despicere. Et nota quod in hoc octonario distinguitur septiforme propositum sancti viri. Propositum namque sancti viri est præmium, ut sit memor promissionis, secundum quam viventi merces debetur. Secundum D est, ut et in adversis spe consoletur se. De quo consequenter subjungit :

VERS. 1 (50). — Hæc consolata est me in humi« litate mea, quia eloquium tuum vivificavit me. »

Hæc spes, [Aug.] quæ humilibus convenit, quæ verbo tuo mihi obvenit, *consolata est me in humitate mea.* Humilitatem dicit quam sibi facit quisque, confitendo peccata, non sibi arrogando justitiam. Vel etiam dicit humilitatem, aliquam tribulationem, vel defectionem, quam sustinet a diabolo, quam meruit ejus superbia, aut exercetur probatur

(168) Ex Greg. homil. 33 evangel.
(169) Ex Amb. hic et de obitu Theodosii.

(170) Ex Ambr. in poster. ver.

que patientia. Vel etiam humilitatem dicit, quod projectus est in mortem pro peccato Adæ, quod valde infeliciter in paradisi felicitate commissum est. Ideo vero spes consolata est me, *quia eloquium tuum vivificavit me*. [Cassiod., Ambr., Cassiod.] Promissio enim tanti judicis firmat animum, et vivificat afflictum, tempore namque tentationis de verbo Dei vivitur, quo æterna promittuntur. Quisquis enim meliora sperat, nunquam levioribus frangitur. Humiliatur enim anima nostra, dum traditur tentatori duris examinanda laboribus, et luctetur et certet, congressum contrariæ potestatis experiens, sed in his tentationibus vivificatur alloquio Dei. Hæc est enim animæ nostræ vitalis substantia, quia alitur, et pascitur, et gubernatur. Sicut ergo augetur sermo Dei in anima dum suscipitur, dum intelligitur, dum comprehenditur, ita etiam vita ejus augetur, ideoque in Dominica oratione petimus : Panem nostrum quotidianum da nobis hodie (*Luc.* II). Hoc pane sustentatus est Moses quadraginta diebus, quibus commoratus est cum Domino in monte ad accipiendam legem (*Exod.* XXIV). Deinde prosequitur humilitatem, in qua spes est eum consolata, subdens :

VERS. 3 (51). — « Superbi inique agebant usquequaque : a lege autem tua non declinavi. »

Superbi, [Aug. Ambr.] id est persecutores, quos nec mortalitas ista domuit, *inique agebant usquequaque,* vel usque valde. Magna vis est mali in superbis. Non enim satis est eis quod impii sunt, nisi etiam impios faciant. Inique ergo agebant usque valde, quia non solum impii erant, sed etiam pios persequendo impios esse cogebant. Maximum peccatum in homine superbia est, quia inde manavit nostri origo delicti. Hoc telo nos primum diabolus vulneravit et perculit. Nisi enim homo persuasione serpentis deceptus, sicut Deus esse voluisset, et suis non contentus finibus interdicta temerasset, nunquam feralis culpæ ad nos transisset hæreditas. Denique hoc peccato ipse cecidit diabolus. Dum enim dicit: *Ponam sedem meam ad aquilonem, et ero similis Altissimi* (*Isa.* XIV), a consortio cecidit angelico, cujus criminis digna mercede damnatus, hominem sibi participem requisivit, in quem consortium suæ transfunderetur offensæ. Hoc ergo peccato nihil potest esse deterius. Superbia enim a Dei cœpit injuria, quæ natione cœlestis sublimium mentes inhabitat, sub cinere latitans et cilicio, contra quam specialiter congressus est Dominus fortitudine humilitatis præcinctus. *A lege autem,* quasi dicat : Ita superbi instabant, sed frustra, [Aug., Cassiod., Ambr.] quia *a lege tua non declinavi* : Quod cogebant superbi. Lex enim Dei est remedium Ecclesiæ, ita ut non curetur prosperitas superborum, non timeatur dejectio sanctorum. Lex igitur Dei sola potest superbiæ virus evitare. Et notatur hic tertium propositum viri sancti, quod tale est, ut si videt impios prosperari, non ideo declinet a lege ; sed contagia eorum fugiat.

A VERS. 4 (52). — « Memor fui judiciorum tuorum « a sæculo, Domine, et consolatus sum. »

Memor fui. [Ambr., Aug., Cassiod.] Quasi dicat : Non declinavi a lege, sed *memor fui*, o Domine, *judiciorum tuorum* quæ semper vera, quæ et in vasa iræ exercuisti, quod prodest memoriter tenere, quia metus pœnarum revocat a malis. Ego dico existens, *a sæculo*, id est ex quo homo cœpit, ex quo mundus cœpit administrari, quod convenit dicere generali justo. Dico, memor fui judiciorum, quæ facis in vasa iræ, *et consolatus sum* quia per hæc quoque ostendis divitias gloriæ in vasa misericordiæ, quia nunquam vidi justos deseri. Vel ita : Memor fui judiciorum tuorum, quæ fuerunt a sæculo, id est quæ a domo tuo in primo justo cœperunt, et consolatus sum.
B [Ambr., Aug., Cassiod., Ambr.] Vel sicut alii codices habent : *Exhortatus*, id est exhortationem accepi, intelligens eum castigare quos amat. Et notatur hic quartum propositum, quod est tale, ut memor sit judiciorum cœlestium ; quæ quia vera sunt ab Adam in omnibus temporibus consolantur, aliter declinaret a lege. Mali timent judicia humana, nedum divina ; sed boni desiderant.

VERS. 5 (53). — « Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam. »

Defectio. [Aug., Ambr.] Quasi dicat : In me consolatus sum, sed *defectio*, vel *tædium*, alia littera, *tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam*. Tædet enim eum, quia cum his conversatur,
C donec area ventiletur. Vel tædium et defectus est ei pro excessibus peccantium, quia plus gravat sanctum virum culpa tyrannorum, quam sua pœna, quorum dolore iste deficit, tanta est virtus pietatis. Hic notatur quintum propositum, quod est dolere alienam culpam, non suam contumeliam, imo et pro eis orat.

VERS. 6 (54). — « Cantabiles mihi erant justificationes tuæ in loco peregrinationis meæ. »

Cantabiles. [Ambr., Aug., Cassiod., Aug.] Quasi dicat : Defectio tenuit me, et quamvis hoc sit, tamen *cantabiles*, etc. Vel ita continua ; ideo prædicta omnia mihi sunt, quia *justificationes tuæ cantabiles mihi erant* assidue tractando sine cura et amore terrenorum. Et hoc per misericordiam medicantis Sa-
D maritani, qui vulnerati a latronibus egit curam (*Luc.* X). Et ideo bene dicit : Cantabiles, quia cantus relevat labores et tollit tædium ; ideoque determinans ubi sint cantabiles, *in loco peregrinationis meæ*, id est in hac misera vita, quæ dicitur locus peregrinationis, eo quod dejectus est homo de paradiso, ubi regali honore donatus fuerat in has miserias, pœnam suæ improbitatis fleat. Hæc est illa humilitas, de qua supra dixit. [Ambr., Aug.] Hic notatur sextum propositum, quod tale est, quod cantabiles sunt ei justificationes. Possunt autem isti duo versus ad singulas partes unius superioris aptari, ut ad hoc quod ait, memor fui judiciorum, referatur, tædium, vel defectio tenuit me : ad illud

vero quod ait, consolatus sum, referatur cantabiles A mihi erant justificationes tuæ, etc.

VERS. 7 (55). — « Memor fui nocte nominis tui, « Domine : et custodivi legem tuam. »

Memor fui, o *Domine, nominis tui*. [Aug., Ambr.] *Ut qui gloriatur, in Domino glorietur* (*II Cor.* x). Et hoc etiam *in nocte*. Nox est de mortalitate et miseria, et de superborum iniquitate, et de tædio peccatorum, et de loco peregrinationis. Memor **260** ergo fui nominis tui in nocte, id est in præsenti ærumna, undecunque sit, ubi magis quam in prosperis gratiæ sunt agendæ, et magis Deo adhærendum est. Non est enim magnum si hoc agas in prosperis. Vel, memor fui in nocte, ad litteram, non solum in die, et hoc est septimum propositum sancti viri, quod B non solum die, sed etiam nocte, id est omni tempore laudibus Dei intendit, quod et omnibus faciendum est. Nocte quippe Judas tradidit Dominum, Petrus negavit (*Matth.* xxvi). Illo ergo tempore, magis instandum est orationi. Ideo autem memor fui, quia ex Deo est, quod etiam *custodivi legem tuam*, aliter non memor essem. Vel ita continua ; [Aug.] Memor fui, et sic custodivi legem tuam, quam non custodisset si in virtute sua confideret.

VERS. 8 (56) — « Hæc facta est mihi, quia justi« ficationes tuas exquisivi. »

Hæc facta est mihi [Aug.] Ambiguum est an dicatur, hæc lex, an hæc nox, quia utrumque præmissum est ; sed Græca locutio est, unde hæc trans- C lata est, satis indicat non de lege dictum esse. *Hæc facta est mihi*. Hæc enim pronomen feminine dicitur apud Græcos (171) apud quos lex masculini generis est ; et ita constat non dici hæc lex, sed hæc nox : hæc est nox ; in qua bestiæ silvæ exeunt, et quærunt a Deo escam sibi, in qua Satanas petivit apostolos vexare sicut triticum. Hæc nox mortalitatis et peregrinationis hujus humilitas non absurde intelligitur : ubi invicem latent corda mortalium, ubi innumerabiles et graves oriuntur tentationes. Et est, merito fui memor, *Et custodivi legem tuam*, quia hæc nox in qua multæ tentationes oriuntur, facta est mihi, id est pro me, ut prodessem, ut sic discam non superbire, quo vitio cecidit homo in hanc noctem. Unde post dicit : *Bonum est mihi* D *quod humiliasti me, ut discam justificationes tuas*; sed quare hoc ? *Quia justificationes tuas exquisivi*, non meas. *Justificatus sum gratis per gratiam* (*Rom.* iii.) Vel hoc pronomen quod est, hæc accipitur, quasi diceretur hoc, ut et ibi femininum accipiatur pro neutro, ubi dicitur quod : *Unam petii a Domino* (*Psal.* xxvi), quod usitatius dicitur per neutrum. Ita ergo et hic eo modo dici potuit, *hæc facta est mihi* : tanquam dictum esset, *hoc factum est mihi*. Et est sensus hoc quod supra dixi, scilicet quod *memor fui et custodivi legem tuam, factum est mihi*, id est quod custodivi legem, non per me feci, sed factum est mihi a te, quia, justificationes tuas, non meas exquisivi.

COLLATIO IN ז ZAIN.

VERS. 3 (51.) — *Inique agebant*. הליצוני HELITZUNI, hoc est, *irriserunt me*. Hæc vox Hebræa est ab eodem themate, a quo particula derisorum in Hebr. et primo versu primi psalmi, de quo dictum est : Sed et ex Kimhi significat *callide machinari, et insolescere contra proximum*. Unde Chaldæus, *detrahebant mihi*.

VERS. 8 (56). — *Hæc facta est mihi*. Faber et Cæcus nolunt dici per fem. gen. *hæc facta est*, causantur enim esse locutionem absurdam, nisi aliquid emendices forinsecus, nempe hæc recordatio, aut simile quidpiam, cum nihil præcesserit ad quod possit referri. Eoque dicendum cum Hier. *Hoc factum est mihi*. Certe in Heb. apertissime vox est femin. gen. זאת ZOTH, *hæc* vel *ista*, etiamsi usurpetur pro neutro quandoque, et aliqui vertunt hoc modo, alii isto. In Græco præterea est fem. αὕτη. Et quærebas quo referretur, *hæc facta est*. Miror Fabrum non vidisse versum mox præcedentem : *memor fui nocte nominis tui, et custodivi legem tuam*. Quod Cæcus non viderit, tolerabile est. Nec possumus tamen referre ad legem, teste D. Aug. Nam reclamarent Græci efferentes νόμον in masc. sed eodem indicante, ad noctem pertinebit, ut sit : *Hæc nox facta est mihi*, id est *mihi profuit*. Vel femininum pro neutro, eo genere loquendi quo dicitur, psalm. xxvi : *unam petii a Domino*, ut amplius declaratur in expositione. Sed et D. Amb. habet, *hæc memoria*.

ח HETH.

Portio mea, Domine, [Cassiod., Amb., Alcuin.] In hac octava littera, faciem Domini videre optat, quia mandatis ejus est obsecutus. Et quia quod desiderat habere, sollicite satagit. Ideo congrue præmittitur littera *heth* quæ interpretatur *pavor*, et intelligitur pavor recidendi, sed sollicitudo acquirendi illud bonum quod sperat, quod quia in octava resurrectionis præstabitur, ideo iste octonarius ponitur, quasi dicat : *Justificationes tuas exquisivi*, quia o

VERS. 1 (57). — « Portio mea, Domine, dixi, cus« todire legem tuam. »

Domine, tu es *portio mea*. [Amb., Aug.] Portio a parte dicitur ; unde quidam libri habent, *Pars mea, Domine*. Quasi dicat : Alii hoc, alii illud eligunt, unde vivant ; sed portio mea, vel pars mea, Deus est, unde semper vivam sine fine. Quam alienus est a vitiis ; quam segregatus ab omni labe peccati, quam rarus in terris, qui hoc dicere possit ! Nihil enim mundi vel vitii amans. Hoc dicit tanquam Levi, cui non est sors inter fratres, in quo non est corporalium portionum cupiditas, quam non inflammat libido, non stimulat avaritia, non effeminat lascivia, non decolorat luxuria, non sternit ambitio, non macerat invidia, non aliqua negotiorum secularium cura sollicitat. Et hic est vere levi, id est assumptus, ut mihi sit advocatus, et ad Deum precator. Talis erat ille qui dicebat : *Aurum et argentum non est mihi, quod autem habeo hoc tibi do* : *In nomine Jesu Christi, surge et ambula* (*Act.* iii.) Vel de præsenti potest accipi : Portio mea. Do-

(171) Αὕτη νόμος νύξ.

mine, id est particeps ejus sum ei per fidem, spem, et charitatem inhærendo. Unde : *Mihi autem adhærere Deo bonum est* (*Psal.* LXXII.) Non enim natura existendo fiunt homines dii, sed participando illius unius, qui verus est Deus : per hoc est pars mea, quia *Dixi custodire*. Vel ita continua : Quia est pars mea, ideo dixi custodire *legem tuam*, sed quia non custodio nisi spiritus adjuvet, quem littera occidit.

VERS. 2 (58). — « Deprecatus sum faciem tuam « in toto corde meo ; miserere mei secundum elo« quium tuum. »

Deprecatus sum in corde meo videre *faciem tuam*, [Cassiod., Aug., Gl. int.] id est Christum, quem desiderabat aspicere, et precatur misericordiam primi adventus impleri, sicut per prophetas promissum est, ut gratia Evangelii abundet, ubi fides impetrat, quod lex imperat. Hoc modo precatus sum : *Miserere mei secundum eloquium tuum*, id est secundum promissionem tuam, cujus filius sum ; et quasi auditus et adjutus, subdit ;

VERS. 3 (59). — « Cogitavi vias meas, et converti « pedes meos in testimonia tua. »

Cogitavi vias meas, [Ambr., Aug.] priores malas, vel futuras vias præcogitavi, scilicet quid agendum sit, et quomodo et quid non ? Unde, *paratus sum ;* quod post sequitur ; *Et converti pedes meos* a viis meis, quæ malæ erant, *in testimonia tua* quæ non sinunt errare. Denique hoc beneficio gratiæ impetrato,

VERS. 4 (60). — « Paratus sum et non sum tur« batus, ut custodiam mandata tua. »

Paratus sum, ut custodiam mandata tua, [Cassiod.] id est deliberavi pro mandatis tuis custodiendis pati. *Et* ideo *non sum turbatus*. Improvisa turbant, integre custodit, qui adversa non metuit, et tam paratus sum, quod

VERS. 5 (61). — « Funes peccatorum circumplexi « sunt me : et legem tuam non sum oblitus. »

Funes peccatorum [Aug.] id est impedimenta inimicorum carnalium vel spiritualium, *circumplexi sunt me*, qui carne servio legi peccati, mente servio legi Dei. Peccata sunt quasi longa restis, quam trahunt, qui implicare sanctos volunt ; sed non possunt eos qui legis non sunt obliti. Unde iste subdit : *Et legem tuam non sum oblitus*. Dico non sum oblitus, sed

VERS. 6 (62). — « Media nocte surgebam ad con« fitendum tibi super judicia justitiæ tuæ. »

Media nocte, [Aug., Ambr., Aug.] id est graviori tribulatione non dejiciebar, sed *surgebam* fortius *ad confitendum tibi*. Gratiæ namque sunt agendæ Deo de omnibus quæ accidunt nobis, et sic potest teneri Dominus. Ad confitendum, dico, *super judicia justitiæ tuæ*, id est confitebor tibi, sciens quia et hoc quod funes circumplectuntur me justo judicio Dei, est, quod incipit a domo ejus. Quia vero hæc prædicta bona fiunt gratia Dei per Jesum Christum, vox ipsius Salvatoris hic suis membris adjungitur. Hoc

A enim proprie ad caput pertinet, quod sequitur ita :

VERS. 7 (63). — « Particeps ego sum omnium « timentium te ; et custodientium mandata tua. »

Ego, [Aug.] scilicet Christus, *sum particeps* humana natura et divina gratia *omnium*, etc. Ita hoc dicit, ut Apostolus ait ad Hebr. *Qui sanctificat et sanctificantur, ex uno sunt omnes; propter quod non confunditur eos vocare fratres* (*Hebr.* II). Et iste ipse communicavit eisdem. Non enim essemus participes ejus divinitatis, nisi ipse esset particeps nostræ mortalitatis. Per hanc vero participationem ejus, datur nobis gratia, ut caste timeamus, et custodiamus mandata tua. Unde subdit, *timentium te* corde,
B *et custodientium* opere, *mandata tua*. Et est sensus : [Ambr., Aug.] Particeps sum omnium, ut per hoc timeant et custodiant, quæ duo congrue jungit, quia qui timet, custodit. Et quia per hoc quod factus est particeps fratrum, multum fructum fecit granum frumenti (*Joan.* XII). Ideo de ipso fructu subdit :

VERS. 8 (64). — « Misericordia tua, Domine, plena « est terra ; justificationes tuas doce me. »

Misericordia tua, Domine, plena est terra, [Aug., Cassiod.] quia impius justificatur, in cujus gratiæ scientia ut proficiatur, adjungit, *justificationes tuas*, quia terra plena est gratia et misericordia, ideo justificationes tuas *doce me*.

[Cassiod.] Aliter ab illo loco : *Deprecatus sum*.
C Et agit de secundo adventu, ubi Christum in majestate videre cupit. Quasi dicat : Quia portio mea es, Domine, ideo *deprecatus sum in corde meo*, videre *faciem tuam*, id est majestatem divinitatis : hanc faciem petit videre, non hic, sed in futura resurrectione, unde dicit Dominus Mosi : *Non videbit me homo et vivet* (*Exod.* XXXIII). Sed quia peccator est iste, petit ut per misericordiam habeat quod meritis non potest : unde subdit : *Miserere mei secundum eloquium tuum*, quo promittis sanctis visionem deitatis ; et debes misereri, quia, cogitavi, etc. Vel ita continua : *dixi, custodire legem*. Et ideo *cogitavi vias meas*, id est quæ essent viæ meæ, *et* habita visione *converti pedes meos in testimonia tua*. Hic est ordo conversionis. *Et paratus sum et non sum turbatus ut custodiam mandata tua*, hoc non
D mutatur. Non sum turbatus, etsi *funes peccatorum circumplexi sunt me*. Tot sunt laquei, quod sunt peccata. Hæc secundum corpus, quo servimus legi peccati, nos circumplectuntur, si animus reluctans legem non obliviscitur. Unde subdit : *Et legem tuam non sum oblitus ;* sed *media nocte surgebam*. [Amb., Cassiod.] Non satis est dies ad prædicandum, imo et in nocte orandum est ne somno lentus capiatur. Tunc enim fervet carnis illecebra, tunc tentator illudit, et ipse Dominus pernoctavit in oratione (*Luc.* VI), ut te proprio ad precandum invitaret exemplo, tunc enim tentator retia tendit, vel jacit, quibus mentem turbare possit improvidam. Tunc enim spirituales nequitiæ omne nefas suadere

contendunt, quando nullus culpæ arbiter, nullus criminis conscius, nullus potest esse testis erroris. Tunc varias discrepationes peccatori dormienti infundunt. Providendum est ergo ut eo tempore quo potes vincere, nequaquam vincendi tempus amittas. Surge igitur ad prædicandum Deum ea hora qua tentator consuevit irruere, qua solet adversus tentationes graves remedium venire cœleste, scilicet media nocte, quo tempore primogenita Ægypti, **261** percussa sunt (*Exod.* VII) : quando etiam sponsus venturus est. Ideo tunc surge, ne inter virgines fatuas remaneas (*Matth.* XXV). *Ad confitendum*, quasi dicat : Surgebam ad hoc, utique, ad confitendum *tibi super judicia justificationis tuæ*, [Hay., Gl. int., Ambr. Cassiod.] id est ad laudandum te, de judiciis justitiæ tuæ, quibus flagellas filios quos recipis. Vel ita : Surgebam ad confitendum, ego dico inhians in illud bonum, quod est super judicia justitiæ tuæ, id est quod non possunt mereri flagella quibus justificas; et ut breviter superiora concludam ; *particeps ego sum omnium*. Vel ita continua : Et cum sim talis, non superbio, sed, Particeps ego sum omnium. Membrum enim particeps est totius corporis. Ita enim portio ejus est Dominus, ut particeps sit, non unius, sed omnium Ecclesiarum. Tanta est virtus unitatis, cum sit particeps Christi. Humiliter dicitur particeps famulorum, quod est et Christi esse participem. Unde Apostolus : *Particeps Christi facti sumus* (*Hebr.* III). *Timentium te.* [Ambr., Gl. int., Cassiod. Ambr.] Ecce inter rudes humiliter se constituit. Initium enim sapientiæ est timor Domini, qui tamen non snnt otiosi. *Et custodientium mandata tua*, et hoc totum est misericordia tua, sicut omnia, quia, o *Domine*, *terra est plena justitia* tua, spirituali, et temporali, quia fidem ubique dilatavit, et solem suum oriri facit super bonos et malos (*Matth.* VI). Et quia ego sum particeps, et omne bonum est a te, ergo, *justificationes tuas doce me.* Jam se custodisse dixit, sed et hic petit amplius doceri, quia semper quærendæ sunt ad provectum. Nunquam enim est bonæ rei satietas. Ideo autem ait, doce, quia non est alius qui doceat. Ipse enim solus est magister, sicut ipse ait : *Unus est magister vester* (*Matth.* XXIII).

COLLATIO IN ח HETH.

VERS. 4 (60). — *Paratus sum et non turbatus.* Hieronymus et Nebiensis, *festinavi*, et *non neglexi.* Cæteri, *festinavi* et *non distuli*, sive *non tardavi.* Quantum ad sensum, pusillum distant. Nam qui paratus est, impigre festinat, et prompte nihil negligens omnia exsequitur, citra ullam interturbationem. In Hebr. est השתי ולא התמהמהתי HASCHTI VELO HITHMAHMAHTI. Etiam si forsan lectum sit quantum ad verbum postremum, התהמהתי HITHHAMAHTI, id est *turbatus*, a radice המה HAMAH.

VERS. 5 (61). — *Funes.* Hieronymus, Campensis, interpretes pro Cajetano, Pellicanus consimiliter, Pratensis, Sanctes, Chaldæus, Nebiensis, Munsterus vertunt *congregationes*, sive *catervas.* Siquidem חבל HEBEL, anceps est vox.

ט TETH

Bonitatem fecisti. [Ambr., Cassiod.] In hac nona littera, gratias agit Deo de humiliatione et patientia sua, per quam venit ad justitiam. Et quia bonum est humiliari, et patientiam habere, et præstat etiam in tribulationibus jocunditatem, ideo congrue huic octonario præscribitur littera *Teth*, (172) quæ interpretatur *bonum*, vel exclusio, quia hic de patientia agit quæ excludit tristitiam de adversis, et facit bonum et jocundum pati. [Ambr., Alcuin.] Martyres qui vere militant Christo, persecutiones, gladios, incendia non timentes, infestis etiam regibus se obtulerunt, atque impatientiæ affectum excluserunt. Quasi dicat : *Doce me justificationes tuas*, quia jam

VERS. 1 (65). — « Bonitatem fecisti cum servo « tuo, Domine, secundum verbum tuum. »

Fecisti, o *Domine*, *bonitatem*, vel jocunditatem vel suavitatem, *cum servo tuo*, [Aug.] id est fecisti ut bonum delectet, faciendo filium, qui servus fuit : et est magnum Dei donum, ut bonum opus non timore pœnæ fiat, sed amore justitiæ, non serviliter, sed liberaliter. Servus enim quod prius erat, non manet in domo in æternum ; filius manet, quod modo est (*Joan.* VIII) ; de servo enim factus est filius. [Gl. int., Aug.] Vel ita ut etiam modo intelligatur servus, scilicet humilis, non superbus. Et est Fecisti bonitatem, hoc non mutatur. Cum servo tuo, quod modo sum, qui prius cum liberto amare egisti, cum homo volens se a Dei servitute emancipare, factus est liber suus malam adeptus libertatem. Est enim libertas bona et mala, sicut et servitus. Fecisti dico, *secundum verbum tuum*, id est secundum promissionem tuam, quæ secundum fidem firma est omni semini. Deinde quod se accepisse confessus est, petit augeri et perfici, dicens :

VERS. 2. (66). — « Bonitatem et disciplinam et « scientiam doce me, quia mandatis tuis cre- « didi. »

Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me. [Aug.] Qui jam dixerat bonitatem fecisti, quomodo dicit, *bonitatem doce me* nisi ut gratia Dei magis magisque ei augeatur? hanc vero docet, cum charitatem inspirat, ut non ex timore operetur, sed ex amore, et si ei boni delectatio. Et est : Doce me bonitatem, id est charitatem inspira ; *et disciplinam* doce, id est patientiam da, quasi a Deo sit dulcedo boni, ut amore Dei et proximi quaslibet feram passiones ; *et scientiam doce me*, id est mentem illumina. Cum enim tanta est charitas, ut tribulatione non possit exstingui, tunc scientia, quæ ante inflarat, utilis est : qua sibi homo innotescit, quia scit quid meruit, et accepit quid possit ; vel non. Et nota quod ait, doce ; aliud est docere, aliud est dicere. Non est docere vel dicere, ubi nemo discit, nisi doceatur. Ideoque si discipulus non capit quæ audit, non potest doctor dicere : Ego eum docui, sed, ego ei dixi. Et ideo Deus, quando vult docere.

(172) Hier. ad Paulam urbicam.

prius dat intellectum, sine quo nemo disceret. Unde A dicitur; *Et operuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas* (*Luc.* XXIV): Docet ergo bonitatem inspirando dillectionem. Hæc enim non docetur, si non detur. Docet disciplinam, temperando tribulationem emendatoriam, quæ non audiendo vel legendo, vel cogitando discitur, sed experiendo docet scientiam insinuando cognitionem : hæc enim docendo datur. Quid enim aliud est docere, nisi scientiam dare? Docet autem Deus et seire scienda, inspirando veritatem; et facere facienda, inspirando suavitatem. Docet ergo illa facere, hæc scire. Ideo docet, quia, mandatis tuis credidi. Convenientius videretur dixisse, mandatis obedivi. Mandatis enim convenit obedire, quia mandata facienda suscepimus; promissis convenit credere; sed congrue ait, mandatis B tuis credidi, scilicet quod tu illa mandaveris, non aliquis homo, licet per hominem ministrata sint. Et est sensus; Fides qua credidi ista, tua esse mandata, impetret a te gratiam, qua faciam ista quæ tu mandas. [Alcuin., Hier., Ambr., Alcuin., Ambr. Hominis enim non est, sed Dei mandare, et unde fiat dare. Vel ita; *Bonitatem fecisti*, dico, *doce me justificationes* : quas? non alias quæro, sed quas aliis fecisti. *Jucunditatem* enim *fecisti cum servo tuo*, Domine, scilicet alio quolibet. Quasi dicat : Jucundasti aliis. Et hoc *secundum verbum tuum*, id est per Filium tuum. Nihil enim vere jucundum, nisi secundum verbum Dei. Multa enim videntur in hoc sæculo jucunda, quæ non sunt multo suavia, quæ usui nobis sunt; sed eadem nihil possunt prodesse C defunctis. Et quia aliis jucundasti, jucunda etiam et mihi, ne fatiger. Et hoc est quod dicit, *bonitatem* vel *jucunditatem, et disciplinam, et scientiam doce me*, hoc merito, *quia mandatis tuis, credidi*. Qui enim credit mandatis, scientiam eorum quæ in mandatis docentur, potest habere. Ecce per fidem habetur scientia, quæ vera cognitio est eorum quæ sunt. Unde Salomon : *Deus dedit mihi eorum quæ sunt cognitionem veram* (*Sap.* VII); per scientiam vere assumitur vel accipitur disciplina. Quod enim scimus placere Deo posse, in eo nos ipsa conversatio delectat, quæ disciplina. Etsi sit amara carni, debet esse jucunda menti, quia suavis est Dominus qui dicit; *Tollite jugum meum, quia leve; et onus meum, quia suave est* (*Matth.* XI). Per fidem enim mandatorum, scientia eorum assumitur; per scientiam disciplina, per D quam fit bona et jucunda. Ideoque ad illa tria, unum hoc retulit, scilicet, quia mandatis tuis credidi.

VERS. 3. (67). — « Priusquam humiliarer ego de- « liqui; propterea eloquium tuum custodivi. »

Priusquam humiliarer. [Gl. int., Aug., Ambr.] Quasi dicat : Fecisti jam bonitatem, et item dixi : doce bonitatem; ad quod prodest humiliatio correctionis et disciplinæ, quam peto, sed priusquam humiliarer *ego deliqui* in Adam, in quo omnis homo tanquam in radice vitiatus est, et vanitati subjectus, quod prodest experiri ut dejecta superbia, diligatur obedientia, et pereat non reditura miseria. Unde subdit : *Propterea*, scilicet ne rursus humiliarer, *eloquium tuum custodivi*. Ecce humiliatio est correctio. Dico custodivi, et

VERS. 4 (68). — « Bonus es tu : et in bonitate « tua doce me justificationes tuas. »

Tu bonus es, [Ambr., Aug., Ambr.] id est suavis. Laudat judicem ut impetret, dicens : *Bonus es*, proprie est bonus in se, et ex se; et bonus, quia dat bona data petentibus se (*Luc.* XI). *Et in bonitate tua*. id est in tua suavitate *doce me justificationes tuas*. Vere vult facere justificationes, quando eas in ejus suavitate vult discere. Infirmus ergo homo, non vult acerbitate legis judicari, non asperitatem medicamentorum sibi adhiberi, non ferro incidi vulnerum fibras; sed bonitate Dei curari vult, ut et si acrioribus opus est, moderate fiat et mitiget Deus vim doloris. Justificatio est opus justitiæ, quo melius docemur in Evangelii bonitate, quam in legis severitate. Ibi damnatio, hic remissio.

VERS. 5. (69). — « Multiplicata est super me ini- « quitas superborum; ego autem in toto corde meo « scrutabor mandata tua. »

Multiplicata est. [Cassiod. Alcuin., Gl. int. Cassiod.] Quasi dicat : Doce, et opus est, quia adest colluctatio, ubi ostendam re, quod didici. Et hoc est : Multiplicata est, vi et numero, *super me iniquitas superborum*, quo humiliatio tua nondum humiliavit. Iniquitas est multiplicata in me, tamen non refrigescit charitas, quia in suavitate didici justificationes. Et hoc est : *Ego autem scrutabor*, vel scrutabar, *mandata tua* sicut amans. Ad hoc enim scrutatur, ut cognita faciat, et faciendo perfectius cognoscat, quia perfectius cognoscuntur cum fiunt. Scrutabor dico, *in toto corde meo*, ut tantum hæream mandatis, quantum illi superbi volunt seducere. Et etiam

VERS. 6 (70). — « Coagulatum est sicut lac cor « eorum; ego vero legem tuam meditatus sum. »

Cor eorum superborum *coagulatum est sicut lac*, [Ambr, Aug.] id est induratum vitio accessit. Ut enim lac natura sui speciosum, ac sincerum est, sed corruptione coacescit, sic humani cordis et mentis natura sincera est, et perspicua, priusquam vitiorum commistione coacescat. Ergo coagulatum est cor eorum, per invidiam, et superbiam, quæ puritatem naturæ corruptione malitiæ vitiarunt. *Ego vero*, quasi dicat : Illi ita. Ego vero *legem tuam meditatus sum*. Hoc opponit duritiæ illorum, quia contra obstinationem eorum refrigerium est meditatio legis, ergo

VERS. 7 (71). — « Bonum mihi quia humiliasti « me, ut discam justificationes tuas. »

Bonum est *mihi quia humiliasti me*, [Ambr. Aug.], quia in pœnam vertisti eruditionem. Unde Apostolus : *Placeo mihi in infirmitatibus meis (II Cor.* XII). Et est : Humiliasti me, id est diversis tentationibus exercuisti, *ut discam* facere *justificationes tuas*, id

est opera justitiæ. Sed quia hoc non fit nisi per dilectionem, ubi suavitas est. A

VERS. 8 (72). — « Bonum mihi lex oris tui ; super « millia auri et argenti. »

Bonum mihi. [Cassiod. Hilar. Cassiod. Aug.] Hic frequenter iterat bonum, quia semper magis dulcescit. Quasi dicat : bona est humiliatio, quia bonum est quod inde acquiritur. *Bonum* est etiam *lex oris tui*. Lex est evangelium ore Christi prolatum Bonum dico **262** *super millia auri et argenti*; super millia dicit infinite, quia bonitas comparationem similem non poterat invenire, Hoc autem præmisit, et postea adjunxit, auri et argenti, ut comparatio auri et argenti vilesceret, quæ sunt præcipua cupidis. ideo ergo dicit, super, quia amplius diligit charitas legem Dei, quam cupiditas millia auri et argenti. B

COLLATIO IN ט TETH.

VERS. 2 (66). — *Disciplinam* Hieronymus et Sanctes vertunt, *sermonem*; Pratensis et Pellicanus, nobiscum, *disciplinam ;* translator ad Campensem, consimiliter. Munsterus habet *gustum*, sic tamen ut velit accipi pro recto sensu. Interpretes pro Cajetano, dicunt *intentionem*. Porro טעם TAAM Hebræis sonat *rationem*, *consilium*, *eloquium*, *argumentationem*, et hujusmodi.

VERS. 3 (67).—*Priusquam humiliarer*. טרם אענה TEREM EENEH. Hieronymus traduxit, *antequam audirem*. Campensis consentit, *priusquam diligenter auscultarem ad mandata tua;* Nebiensis, *responderem*. ענה ANAH, ambiguum est.

VERS. 5. (69). — *Multiplicata est super me iniquitas*. Hieronymus et cæteri *applicaverunt*, seu *concinnarunt mihi*, sive *adversum me mendacium*. טפל TAPHAL. significat, *addidit*, *applicuit*. Qui vero addit multiplicat, ut versiones in hoc nihil distent. Omnis C tandem *iniquitas*, est quædam *falsitas*, *vanitas* ac *mendacium ;* quod est שקר SCEQER.

VERS. 6 (70). — *Sicut lac*. Hieronym. *sicut adeps* חלב HELEB est *adeps*, sed חלב HALAB, est *lac*. Sensus non mutatur.

י JOD.

Manus tuæ. [Cassiod., Ambr., Alcuin.] In hac decima littera intellectum mandatorum Dei dari sibi petit, ut vera vita fruatur. Quam quia nemo habere valet, nisi peccata confiteatur, quod maxime fit in adversis, ideo præscribitur littera *Jod* quæ interpretatur *confessio* vel *desolatio*, quod bene convenit Citius enim confitentur qui desolati sunt in adversis. In secundis quippe solet homo extolli. Cum enim urgetur adversis, tunc divinum implorat auxilium. Cum ante succedunt prospera, fit animus elatior (173). Interpretatur etiam Jod *scientiam* vel *principium* propter quod etiam recte huic octonario præscribitur, quia hic docetur homo creatus esse impassibilis et immortalis, et in plenitudine scientiæ, ad quam bonus homo desiderat reverti, cujus in hac D vita initium habet intellectum. Quasi dicat : Lex tua est mihi bonum super millia. Et merito, quia

VERS. 1. (73). — « Manus tuæ fecerunt me et pla« smaverunt me ; da mihi intellectum, ut discam « mandata tua. »

Nanus tuæ fecerunt me, [Aug., Ambr.] secundum animam ad imaginem et similitudinem tuam , *et plasmaverunt me*, vel, *paraverunt*, vel, *finxerunt*, secundum corpus, secundum quod omnes in Adam fecit. Vel in singulorum generatione omnes facit. Manus vero Dei, accipitur virtus operationis ; vel quia pluraliter dicit, manus tuæ, accipiuntur virtus et sapientia ,quod utrumque Christus est. Vel manus Dei patris, sunt Filius et Spiritus sanctus qui cooperantur. Non est itaque hoc contrarium illi quod in Evangelio dicitur de Verbo Dei : *Omnia per ipsum facta sunt* (*Joan*. I). Idem enim est verbum Dei, et manus Dei. Notandum quippe quod magnæ commendationis usus est exordio, cum opus Dei se esse dicit, sed utramque sui naturam, quo facilius circa operis sui gratiam favor inclinaretur auctoris , et grandis etiam hominis prærogativa monstraretur. Pretiosum quippe opus Dei est homo ; de aliis namque operibus legitur : *Dixit, et facta sunt* (*Psal*. CXLVIII) ; hominem vero manibus figuravit, quasi studiosius operans in hominis creatione, de qua quasi quodam consilio ante tractat, quam fiat, et specialis hortatus præcessit : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Gen*. I). Quasi hic laboret Deus, ut studiosa operatio in hoc notetur, Tanta denique est hominis dignitas, quod homo legatur sedere ad dexteram Dei, non angelus, qui ab angelis honoratur. Ipse est unigenitus Dei, qui est imago Dei genita , non creata secundum quod Deus. Nam secundum quod homo ad imaginem Dei creatus est, sed juxta deitatis naturam, genita imago est. Homo vero non ; sed tantum ad imaginem factus, habens aliquid de imagine secundum inmateriale. At secundum hoc quod plasmatus est, de materia pulvere est. Disce ergo, homo ubi grandis et pretiosus sis. Vilem quippe de terra demonstrat, sed gloriosum virtus ; pretiosum te facit imago. Quid enim tam pretiosum quam imago est Dei ? Quam retinens homo jure vocaris, hominis nomen non amittis ; cum vero, eadem neglecta, in vitia cadis, non hominem, sed aut serpentem, aut vulpeculam, aut jumentum et hujusmodi, te consuevit Scriptura vocare. Unde : *Nolite fieri sicut equus et mulus* (*Psal*. XXXI). Et de Herode ait : *Dicite vulpi illi* (*Luc*. XIII). Ideoque in Ezechiele dicitur nomine geminato *O homo, homo* (*Ezech*. XIV), ut qui exterius formam hominis habet, intus imaginem Dei servet. Vindicat enim Deus imaginem suam de eo, qui imagini illi fecit injuriam, ut per malitiam homo quod erat esse desineret, et fieret mulus ex homine. Postquam enim peccatis, aliud esse cœpisti ; illud quod eras esse desiisti. Exutus autem cœlestis imaginis ornamento, etiam nomen hominis amittis, qui gratiam hominis non tenes. Magnum opus Dei, es homo, magnum est quod tibi Deus dedit. Hanc hominis dignitatem commemorat hic dicens : *Manus tuæ fecerunt me*,

(173) Jod principium ex Hier. ad Paulam urbicam.

et plasmaverunt me. [Gl. int., Aug., Gl. int., Cassiod.] Quasi dicat : Operatio tua te moveat, quæ in homine egregia est commemorata suæ originis dignitate, intellectum qui per peccatum obscuratus est, petit restitui, dicens ; *da mihi intellectum;* ab alio non quæro, nisi a te, tu qui fecisti refice. Intellectum da mihi parum ; etsi enim omnibus est purus intellectus per naturam, quo discernitur homo a pecore, tamen a peccando deformatus est, et quotidie renovatur. Unde apostolus : *Renovamini spiritu mentis vestræ* (*Ephes.* VI.) [Aug., Alcuin., Aug.] Dari ergo sibi intellectum petit, ut magis serenentur oculi interiores : quod fit per fidem, qua mundantur corda, quia licet nemo possit credere in Deum, nisi aliquid intelligat, cum fides sit ex auditu prædicationis (*Rom.* X), tamen fide sanatur, ut ampliora intelligat. Alia enim sunt quæ nisi intelligamus, non credimus ; alia quæ nisi credamus, non intelligemus, ideoque subdit : *ut discam*, ad hoc da intellectum ut discam *mandata tua ;* Si non possum deitatem videre, saltem mandata discam. Vide quam alte intelligenda sunt mandata, ad quæ petit iste intellectum, quia jam custodivit ea, cujus non omnimodo iste expers est, dum a Deo petit. Ipse enim solus dat intellectum, et si aliquando ministro angelo, ut Danieli dedit, cui dixit angelus: *Veni intellectum tibi dare* (*Dan.* II). Deus tamen per seipsum, qui lux est illuminat pias mentes, etsi aliquando utatur angeli ministerio. Ita enim dicitur angelus intellectum dare homini, ut quisquam dicitur dare lumen domui cui fenestram facit, cum eam sua luce non penetret et illustret.

VERS. 2 (74). — « Qui timent te videbunt me, et « lætabuntur, quia in verba tua supersperavi. »

Qui timent te. [Ambr., Aug., Cassiod., Ambr.] Quasi dicat : Da intellectum, quia si dederis, omnes *qui timent te videbunt me*, intus non extra tantum hic, et maxime in futuro, *et lætabuntur* omnes qui timent ; lætantur, si uni datur quod petit, et clemens Deus libenter facit, quod omnes delectet. Timentes ergo vident justum et lætantur ; aliis invisus est justus, et gravis ad videndum, sicut legitur in Evangelio de plerisque qui Dominum videre non poterant, et alii quoque transitum ei denegabant (*Luc.* VIII). Ideoque timentes Deum dicit videre se et lætari. Magna enim virtus est in oculis, quod in naturalibus apparet. Animal enim visum prodest dictericis, prior videns lupus vocem aufert ; basiliscus, si prior videt occidit ; si prius videtur, occiditur. Quare ergo virtus est in oculis justi, qui cum fide videtur ? qui cum sit imago Dei ab hominibus honoratur, ejus utique oculorum radii virtutem quamdam videntur infundere iis qui fideliter eum videre desiderant. Est enim insitum bonis ut virtutes suas in aliis ament. Perfectioribus ergo justi aspectus lætitia est, plerisque vero correctionis admonitio est. Sed quomodo quis debet videre justum ? non in corpore, non in vestimento, non in vultu tantum, sed intus videat. Non enim illum videt, nisi ejus viderit mentem, nisi ejus intenderit sermonem. Tunc ergo lætabitur, cum ista cognoverit. [Aug., Alcuin., Aug.] Et nota quod posuit, timent, verbum præsentis temporis, videbunt, autem, et, lætabuntur, futuri temporis, quia in præsenti timor ubi est tentatio. Lætari vero et videre in futuro perfecte. Ideo lætabuntur *quia in verba tua*, id est in ea quæ promisisti, *supersperavi*, ut sim filius promissionis. Et nota quod non ait, simpliciter speravi, sed supersperavi, quia enim Deus potest facere supra quam intelligitur : parum est ea sperare quæ intelligimus, vel petimus, sed debemus semper sperare. Vel de angelis potest accipi ; *qui timent te videbunt me, et lætabuntur, quia in verba tua supersperavi*. Angeli enim lætantur de hominibus, si sperant in verbis Dei. Considerans autem Ecclesia, quæ adhuc timet hujus vitæ misericordiam, et quod caro cupit contra spiritum, inquit,

VERS. 3 (75). — « Cognovi, Domine, quia æqui« tas judicia tua, et in veritate tua humiliasti me. »

Cognovi, Domine. [Haym., Cassiod.] Quasi dicat : Ideo da intellectum, quia jam *cognovi, Domine, quia judicia tua* sunt *æquitas*, id est justa est animadversio Adæ. Summa enim æquitas est, ut qui per superbiam delinquunt, purgentur humilitate. Unde subdit : *Et in veritate tua* , id est, justo judicio *humiliasti me*, in mortem ; sed nunc,

VERS. 4 (76). — « Fiat misericordia tua ut con« soletur me, secundum eloquium tuum servo tuo. »

Fiat misericordia, etc. [Aug., Ambr. et Aug., Ambr.] Primo veritas humiliavit in mortem. Deinde misericordia instaurat ad vitam, promittente hoc Deo. Hæc autem misericordia est regeneratio, fides, spes, charitas, quæ de misericordia Dei veniunt. Et hæc sunt solatia in hac miseria, non gaudia beatorum *ut consoletur me*, non petit auferri ærumnas quæ sunt ad purgationem, sed consolari. Fiat, dico, *secundum eloquium tuum*, factum *servo tuo*, id est secundum quod promisisti servo tuo. Vel ita : *Cognovi Domine*. Quasi dicat : Ideo opus est intellectu, quia ex dato intellectu, cognovi, Domine, *quia judicia tua* sunt *æquitas*, in omnibus quæ fiunt, etiam cum filios flagellas, quia per labores præmia dantur. Et nota quod ait cognovi, non ait credidi. Aliud est enim credere, aliud agnoscere ; fides timentis est, agnitio sapientis. Qui enim timet, rationem non quærit. Ubi fides est, non statim cognitio ; ubi cognitio est, fides præcedit. Ita ergo perfecte cognovit iste ut humiliaretur in veritate, quod est ad salutem humiliari. Sciebat enim prospera vel adversa ad tentandum data. Unde subdit : *Et in veritate*. Quasi dicat : Cognovi. Et ideo *humiliasti me in veritate tua*, ut bene feram prospera vel adversa. Erectus non videt vera judicia, sed nunc fiat misericordia tua servo tuo. Non mutatur sensus ; sed ordo litteræ : *Ut consoletur me*. In labore enim perfectus vir, non finem laboris, sed verbum consolationis petit, ut bene perferat. *Fiat*, dico, *secundum eloquium*

tuum, id est sicut promisisti. Sed post hæc, et per hæc,

VERS. 5 (77). — « Veniant mihi miserationes « tuæ, et vicam, quia lex tua meditatio mea est. »

Veniant mihi, [Aug.] in futuro, *miserationes tuæ*, et per illas *vivam* vere, exprimit quid per misericordiam detur, scilicet vita æterna, quæ sola est vita sine additamento. Quo merito **263** *quia lex tua meditatio mea est*. Hæc meditatio, cogitatio amantis est, qua cogitat, ut per dilectionem operatur, nec refrigescat iniquitate superborum. Hæc ergo meditatio est in fide, quæ per dilectionem operatur (*Gal*. v.)

VERS. 6 (78). — « Confundantur superbi quia in« juste iniquitatem fecerunt in me ; ego autem exer« cebor in mandatis tuis. »

Confundantur superbi. [Ambr., Cassiod.] Quasi dicat : Mihi veniant miserationes, sed *superbi confundantur*, id est pudeat eos, quia *fecerunt injuste iniquitatem*, id est, sine judicio, *ego autem exercebor* vel, exercebar *in mandatis tuis* ut benefaciam etiam inimicis. Hoc est remedium contra inimicos bacchantes. Ecce quod supra dixit, lex tua meditatio mea est.

VERS. 7 (79). — « Convertantur mihi timentes te : « et qui noverunt testimonia tua. »

Convertantur. [Aug., Cassiod., Aug.] Hoc proprie caput nostrum, id est Christus dicit, ipse enim est ad quem convertuntur timentes : Quasi dicat : Superbi confundantur ; sed *timentes te*, id est incipientes *convertantur mihi et qui noverunt*, quos jam lectio imbuit, et si nondum operatio *testimonia tua* de Christo per prophetas prædicta, et in eo monstrata per miracula.

VERS. 8 (80). — « Fiat cor meum immaculatum « in justificationibus tuis, ut non confundar. »

Fiat cor meum. [Aug., Cassiod.] Post omnia non audet dicere quod fit, sed petit fieri immaculatus. Et loquitur hic vir justus. Quasi dicat : Fiat misericordia et vivam, quod ut impetrem, *fiat cor meum immaculatum*, non in viribus meis, sed *in justificationibus tuis*, donata enim regeneratione, adjuncta confessione, fusa oratione, hoc sit. Ita fiat immaculatum, *ut non confundar*. Quasi dicat : Confundantur superbi, ad correctionem : ego autem non ad pœnam.

(*In Iod nihil annotandum ponderis deprehendimus*.)

ב CAPH (174).

Defecit in salutare tuum [Cassiod., Alcuin., Amb., Alcuin.] In hac undecima littera peregrinus hujus mundi adventum Domini nimis desiderat primum, secundum antiquos patres ; secundum, quantum ad modernos, dicens : Quanta in hac exspectatione tulerit a superbis, appetens ut in mandatis Dei perseveret ; et quia in hac exspectatione lassatus est ex desiderii dilatione, ideo præmittitur huic octonario littera caph, quæ interpretatur *incurvatus*, quia fessus longa militia, cupit dissolvi, et reverti ad principium, cujus paulo ante meminit : sed tamen non recusat laborem si necessarium est manere in carne. Quasi dicat : *Veniant mihi miserationes tuæ, et vivam*, quia

VERS. 1 (81). — « Defecit in salutare tuum anima « mea, et in verbum tuum supersperavi. »

Defecit in salutare tuum, anima mea. [Aug., Alcuin., Aug., Ambr.] Est defectus laudabilis et optabilis. Et est defectus culpabilis, et damnabilis. Defectus a bono in malum, malus est ; a malo in bonum bonus est. Defectus autem simpliciter sine adjectione solet accipi in malo, sicut profectus in bono, nisi addatur aliquid, ut cum dicitur : Proficiunt in pejus. Et hic dicitur in salutare, non a salutari. Bonus est ergo defectus iste. Talis enim defectus indicat nimium desiderium boni nondum adepti, sed avidissime concupiti, ut Simeon et antiqui qui Christum venire desideraverunt. Unde sunt illæ sacramentales VII antiphonæ, ante natale, *O Adonai ! O radix David !* etc. quibus Salvatoris adventus petitur, quæ omnes secundi toni sunt, quia ille invocatur, qui est Deus et homo. Et sunt VII, quia in eo septiformis gratiæ plenitudo est. Et nunc omnes justi eumdem venturum desiderant. Neque hoc Ecclesiæ desiderium ab initio sæculi requievit aliquantulum, nisi quandiu hic cum discipulis in carne conversatus est, ut totius corporis Christi vox sit hæc : Anima mea defecit, id est lassata est diutina exspectatione, tenens affectu et desiderio, *in salutare tuum*, id est Jesum Hebraice : quod enim vehementer est desiderabile, quasi ipsam animam illius deponit, qui desiderat ; si tamen spes propior assurgat, dat vires. Itaque quanto longius est illud quod desideratur, tanto magis deficit ille qui desiderat. Id est ergo deficere in salutare, in id totis desideriis migrare, etiam quadam animæ defectione transfundi. Ecce curvatio humilitatis. Vel ita, Anima mea defecit a se, id est ab animalitatis suæ appetitu, tendens in salutare tuum, id est in Jerusalem. Vel ita fit unus spiritus cum Deo. Quoniam qui adhæret Domino, unus spiritus est cum eo (*I Cor*. VI). Spiritui ergo adhærens anima, deficit ab eo quod est anima, et fit unus spiritus. Itaque quanto magis desiderat adhærere salutari : tanto magis a se deficit. Ista ergo defectio imminutionem quidem fragilitatis, sed assumptionem virtutis operatur. [Ambr., Aug.] Et nota quod hic practicus esse ostenditur, quia sicut anima corpus vivificat, ita hic extra agit bona ; et ne dubites quid dixit salutare, addit : *et in verbum tuum*, id est in filium. Vel in verbum tuum, id est in promissum tuum *supersperavi*. Hæc spes facit per patientiam exspectare, quod non videtur ; nec simpliciter dicit speravi, sed supersperavi, quia plus futurum est, quam dici potest.

VERS. 2 (82). — « Defecerunt oculi mei in elo« quium tuum, dicentes : Quando consolaberis me ? »

(174) Caph interpretatur *manus* secundum Hieronym.

Defecerunt oculi mei. [Ambr., Aug., Ambr., Aug.] Quasi dicat : Anima mea defecit. Et etiam : *oculi mei* interiores, quibus prophetæ dicuntur videntes, qui interius possunt loqui Deo. Item non ex infirmitate, sed ex fortitudine desiderii, *defecerunt* a contuitu temporalium tendentes, *in eloquium tuum,* id est in promissum tuum. Et attende quod pluraliter dicitur, oculi, cum tamen unus sit oculus, interior scilicet mentis intellectus, quo videtur Deus; sed quia ille unus duobus modis videt Deum, per scilicet mystica et moralia, ideo duos oculos habere dicitur Ecclesia. Duo ergo sunt oculi Ecclesiæ mysticus et moralis. Mysticus est acutior, moralis dulcior. Ideoque sponsus ad sponsam dicit : *Corde nos cœpisti, uno ex oculis tuis (Cant.* IV), quia mystico oculo plus videt sponsa Christum, quam morali. Et fortasse isti sunt oculi, quibus Paulus videbat æterna, ubi cœpit corporalia non videre. Vidit enim qui dixit : Quis es Domine ? Videbat utique Christum, quem etiam Dominum fatebatur. Istis etiam oculis prophetæ dicebantur videntes, quia per revelationem ea quæ erant abscondita, mente cernebant. Hi ergo oculi defecerunt in eloquium nimio desiderio et cupiditate vehementi, tanquam opere lassati. Non est enim otiosus qui tantum verbo Dei studet ; nec pluris est qui extra operatur quam qui studium cognoscendæ divinitatis exercet. Ipsa etiam sapientia maximum opus est et antefertur, Maria quæ audiebat, Marthæ quæ ministrabat (*Luc.* x). Et nota quia hic jam theoricus demonstratur, cujus oculi in verbum Dei defecerunt. Oculi dico *dicentes : Quando consolaberis me ?* Quasi dicat : Moras patior. Quod fit ut res dilata dulcior veniat. Et nota quod ait, dicentes. Lingua enim solet, non oculi loqui, sed vox eorum, est gemitus et oratio. Dum autem ardent spiritualia desideria, rigescunt carnalia. Unde subdit :

VERS. 3 (83). — « Quia factus sum sicut uter in « pruina ; justificationes tuas non sum oblitus. »

Quia factus sum sicut uter in pruina. [Aug., Ambr., Aug., Rem.] Ut est caro hujus mortis pruina cœleste beneficium, quo quasi gelu concupiscentia carnis torpet et contrahitur. Quasi dicat : Ideo consolare *quia factus sum sicut uter in pruina,* id est divino beneficio scilicet gelu continentiæ omnem calorem corporeum, et carnalis concupiscentiæ ardorem restinxi. Hæc pruina refrigerat, non adurit : fecundat sata, non internecat. Ideoque forte in transformationem cum Dominus gloriam resurrectionis demonstraret in monte, vestimenta ejus facta sunt alba sicut nix (*Matth.* XVII), quia non ipse solus erit a contagione peccati alienus, sed quicunque resuscitatur congelatis cupiditatibus resurget frigidus. Unde : *In resurrectione neque nubent neque nubentur* (*Matth.* XXII). Boni ergo sunt utres frigidi, id est in gelicidio constricti pruinis, non libidinis calore soluti, et sic justificationes Dei a memoria non labuntur. Unde subdit, *Justificationes tuas non sum oblitus,* dum aliunde non cogitatur, quia torpet cupiditas,

A fervet charitas. Vel ita : Ideo desidero hoc, quia factus sum, comparatione futuri, sicut uter in pruina, id est vilis et nulli liquori idoneus : et tamen justificationes tuas non sum oblitus. [Haym., Ambr. Cassiod.] Vel per pruinam intelliguntur mali, qui, non fervent charitate, sed algent infidelitate. Et est, ideo consolare, quia, factus sum sicut uter in pruina, id est inter malos, mihi commissa retinens, justificationes tuas, quibus plenus est uter, non sum oblitus, vel quia uter de exuviis fit mortui animalis, per ipsum justus intelligitur, qui castigat corpus cum vitiis et concupiscentiis, qui ut pellis mortui non sentit frigus peccati, qui etiam non frangitur necessitatibus, qui mollis est animæ imperiis. Et est : Ideo consolare, quia factus sum sicut uter in B pruina. Pruina sunt peccata sæculi quæ uter non sentit, id est carnalia desideria in me exstinxi, ut ea jam non sentiam tanquam exstincta. Et ideo; justificationes tuas non sum oblitus. Quia vero scit tentationes non esse finiendas ante finem sæculi, de ipso quærit subdens :

VERS. 4 (84). — « Quot sunt dies servi tui ? quando « facies de persequentibus me judicium ? »

Quot sunt dies. Quasi dicat : Ita desidero videre salutare, sed *quot sunt* in hoc sæculo *dies servi tui,* dies ait, non anni, quia non sint annuæ moræ in hac vita ; *quando facies de persequentibus me judicium,* [Ambr.] id est quando fiet ultio. De persequentibus me, id est diabolo et ministris. Hoc de judicio addit, cum quæsisset de diebus, ne quis Ec-
C clesiam aliquo tempore ante judicium, non futuram putet. Non enim finietur ante judicium, sed cur de eo quærit cum dicatur in Evangelio : *Non est vestrum scire tempora vel momenta* (*Act.* I), [Alcuin., Ambr. Alcuin.] Prophetat autem hic illam interrogationem apostolorum futuram, in qua, scilicet hæc prophetia impleta est. Ideo autem ait de persequentibus, ut quasi per hoc notet quod vult dies suos claudi, ut ab his liberentur. Vel de præsenti accipitur illud : Quando facies de persequentibus me, id est dæmonibus, judicium, id est vindictam (*Rom.* XVI). Hic enim conterit Deus Satanam sub pedibus nostris. Vel ita, ut alterum ad bonos referatur, alterum ad malos. Quot sunt dies servi tui ? id est quandiu differs facere servis tuis, quod expedit.
D Quasi dicat : Fac servis pro misericordia, quando necesse est ; et, quando facies de persequentibus me judicium. Quasi dicat : Facias et impiis pro justitia. Nam ad hoc ut persequantur,

VERS. 5 (85). — « Narraverunt mihi iniqui fabu- « lationes : sed non ut lex tua. »

Narraverunt mihi iniqui, ut fidem impediant *fabulationes,* [Ambr., Aug., Ambr.] scilicet quæ in verba delectant tantum, unde alii ponunt *delectationes,* quod, id est, quæ delectatio est in sæcularibus litteris et in Judæis, et hæreticis, id est diversis sectis Judæorum et hæreticorum, qui quasi cujusdam fabulæ nenias narrant ; *sed non* sunt mihi ista *ut lex tua,* quia,

VERS. 6 (86). — « Omnia mandata tua veritas : A
« iniqui persecuti sunt me, adjuva me. »

Omnia mandata tua sunt *veritas*, non ut in illis est vanitas, me ergo in eis veritas, non verba delectant, cujus est expers vana et errabunda 264 hæreticorum loquacitas *iniqui*. Quasi dicat : Me veritas tua delectat, et propter hoc iniqui *persecuti sunt me*, [Aug., Cassiod., Aug.] vel injuste, quia in me, non nisi veritatem persequuntur. Ergo *adjuva me*. Vel ita continua : Iniqui, quasi dicat, non modo, narraverunt fabulationes, sed etiam persecuti sunt me iniqui, ut depravent veritatem ; sed *adjuva me*, quasi contra belluam, ut contra eos pro veritate certem. Hoc autem cum facit Ecclesia patitur tormenta. Quod et addit :

VERS. 7 (87). — « Paulominus consummaverunt B
« me in terra ; ego autem non dereliqui mandata tua. »

Paulominus. [Aug., Ambr., Aug.] Quasi dicat : Ideo adjuva, quia *paulominus consummaverunt me in terra*, facta multa strage martyrum, adeo nimia persecutio contra carnalem infirmitatem. Sed quia non frustra dicitur, adjuva me, subdit : *ego autem non dereliqui mandata tua*. Sed ut possit perseverare usque in finem, subdit :

VERS. 8 (88). — « Secundum misericordiam tuam « vivifica me ; et custodiam testimonia oris tui. »

Secundum misericordiam tuam, [Ambr., Aug.] non meritum meum, *vivifica me*, ne amando vitam temporalem negem ; et sic perdam vitam spiritualem. Dico vivifica me, *et* sic *custodiam testimonia oris tui*, id est martyria.

COLLATIO IN כ CAPH.

VERS. 4. (84) — *In pruina*. Neoterici hebraicantes, in fumo בקיטור BEQITOR. Vocabulum ex Kimhi significat omne quod ascendit instar fumi, ut *vapor, nebula*, nec male *pruinam*, ut habet etiam Hieronymus ; ac utrolibet concupiscentiarum restinctio probe repræsentatur.

VERS, 5. (85) — *Narraverunt mihi iniqui fabulationes*, כרו לי זדים שיחות CARU LI ZEDIM SCHIHOTH, hoc est *foderunt mihi superbi foveas*. Septuaginta sensum expresserunt, qui accommodatur hæreticis et perversis sectis, aut dogmatibus vaniloquis, quæ incautos hujusmodi fabulationibus fascinatos, in profunda præcipitia mittunt. Adde quod כרה CARAH ex Rab. Abraham, interdum significat *investigare mendacium*. Et שיה SIAH, per punctum smol *locutionem*, alios per iamin *foveam* שיה SCHIAH.

VERS. 6. (86) — *Iniqui*. In hoc verbo potest accusari vitium scriptoris qui posuerit nomen pro adverbio, *iniqui* pro *inique*. Nam Græce est ἀδίκως, id est *injuste*. Et ad eum modum interpretantur Hilarius, Ambrosius, Augustinus, hunc psalmum commentati. Quin Hebraice legitur שקר SCHEQER quod Hieronymus et cæteri ferme interpretati sunt *falso*, *impie*, *frustra*, aut *gratis*, quanquam potest etiam accipi collectim pro viris mendacibus, ut verterunt translator ad Campensem et Pellicanus. Verum duos comperimus ex antiquioribus qui legerunt et exposuerunt, *iniqui persecuti sunt me*. Alter est vetustissimus auctor Arnobius interpretatus *iniquos, dæmones persequentes*. Alter satis multo posterior, Cassiodorus interpretatur *perfidos*. Denique sive hoc sive isto modo psallas, nihil est periculi.

LAMED (175).

In æternum Domine. [Aug., Alc., Cassiod., Ambr.] Fessus exspectator qui supra cupiebat dies suos claudi, et esse cum Christo, hic ostendit se non recusare laborem, imo est ardens ad serviendum ei, cui angeli serviunt et omnes boni et omnis creatura qui in hac duodecima littera virtutem Dei et facta describit, dicens temporalia finiri, sed non mandata ejus, secundum illud : *Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt (Luc. XXI)*. Et quia hæc mandata intelligenda sunt diligenter et indaganda. Ideo congrue huic octonario præmittitur littera, *lamed*, quæ interpretatur *cor*, vel *sermo*, vel *cor servitutis*, quia hæc præcepta prudenter sunt intelligenda, vel sollicite servanda. Cœlestia enim et casta sunt eloquia Dei, nihil in eis adulterina opinione miscendum est, sed totum sincera atque spirituali veritate resplendeat. Levetur ergo cor circumcisum ad ea ; decet enim in te manere, quod in cœlo perseverat et illud semper meditari. Unde in sequenti : *Nisi quod lex tua meditatio mea est*. Et illud : *In æternum non obliviscar justificationes tuas*. Serva ergo verbum Dei, et serva illud diligenter in corde tuo. Litteræ hujus sententia sic continuatur ad præcedentia. Dixit supra : Paulominus consummaverunt me in terra ; sed quia non permisit eum Deus consummari in terra, admiratus Dei potentiam exclamat :

VERS. 1 (89). — « In æternum, Domine, verbum
C « tuum permanet in cœlo. »

In æternum, Domine, verbum tuum permanet in cœlo. [Ambr.] Ad litteram ; manet solemnis ordo cœlestium statutorum. Labitur enim annus per dies et menses, et iisdem vicissitudinibus redit conversio solis et lunæ, et omnium lex semel instituta immutabilis manet. Hoc in mente tua imitare. De cœlo mentis tuæ imaginem cape, quia Satanas in quo non mansit verbum de cœlo cecidit in terram, quia non habebat locum in cœlo, ubi una omnium obedientia discretis muneribus indiscretam præscriptæ constitutionis tenet concordiam, ideo ibi verbum Dei permanet in sæculum. Inde exclusus Satanas acrior ad nos devenit et tentationes solito asperiores tanquam iratus exercet, quia huc totus advenit. Ideo hic fiunt
D mala ; *in cœlo* autem *permanet verbum*. Sed quia et ibi locus est vitiis, quod et in cadentibus patet, et quia ipsum cœlum mutatur et præterit, non in æternum manet. Videtur hoc non de elemento cœli dictum, sed de virtutibus cœli. Cœli ergo sunt angeli in quibus nihil lubricum est ; sunt et in terris cœli qui enarrant gloriam Dei, scilicet sancti : qui si in terra corpore sunt, in cœlo tamen sunt mente. Unde : *Nostra conversatio in cœlis est* (*Phil.* III). Magis autem in angelis Dei permanet verbum, quam in hominibus, quia in hominibus variabilis est affectus. Justi tamen affectum magis quam elementum, hic cœlum intelligo. Et est : Dico adjuva, vivifica,

(175) Hieronymus interpretatur Lamed *disciplinæ* sive *cordis*.

et custodiam testimonia. Quæ utique sunt custodienda, quia *in æternum*, [Aug., Ambr.] id est sine intermissione, o Domine, verbum tuum, id est observantia mandatorum tuorum permanet in cœlo, id est in quocunque justo, vel in cœlestibus spiritibus, quia super cœlestes, et inferiores rationales creaturæ custodiunt ea. Et

VERS. 2 (90). — « In generatione et generationem « veritas tua, fundasti terram, et permanet. »

In generatione et generationem. [Hilar., Ambr., Aug., Cassiod.] id est in duobus populis, scilicet legis et Evangelii, *permanet veritas tua*, id est Christus. Prius enim fuit in fidelibus Veteris Testamenti; postea in fidelibus Novi Testamenti. Et hoc ideo, quia *fundasti terram*, id est Ecclesiam, scilicet sanctos in fide, in qua permanent. Unde subdit, *et prima veritas tua* in ea, vel econverso, ipsa in veritate. Ad litteram enim terra movenda est.

VERS. 3 (91). — « Ordinatione tua perseverat « dies; omnia serviunt tibi. »

Ordinatione tua perseverat dies. [Ambr., Cassiod., Aug.] Singulariter ille unus dies æternus intelligitur, qui non habet noctem. Ille dies est cui verus sol Christus nunquam occidit. Noster enim dies nocte clauditur, nec inde dubitandum quin in cœlo et generatione permaneat verbum, *quoniam omnia*, et temporalia et æterna, *serviunt tibi*. Omnia enim pro suo nutu disponit, etsi diverso modo. Aliter, *In æternum*. Justus qui supradixerat, *persecuti sunt me*, et *consummaverunt me in terra*, quasi tæderet eum hujus mutabilitatis et tentationum, inflammatus desiderio cœlestis Jerusalem, et in eam suspiciens dicit : *In æternum, Domine, veritas tua permanet in cœlo*, id est in angelis custodientibus æternam militiam : post cœlum subdit de terra dicens : *In generatione et generationem permanet veritas tua*. Invenit iste in terra generationes quæ non sunt in cœlo, cum ait in generatione et generationem. Qua repetitione vel omnes successiones notat, a quibus nunquam deest veritas Dei in sanctis, vel populum legis et Evangelii. Deinde subdit causam, quare veritas permaneat, quia *fundasti terram et permanet*, id est in Christo fundamento morantes in terra fundasti; et hi permanent in domo in æternum, quod non filii ancillæ; et *ordinatione tua perseverat dies*, quia omnia ista sunt dies quam fecit Dominus. Bene dico ordinatione tua, *quoniam omnia serviunt tibi*, scilicet omnia de quibus loquitur, quæ pertinent ad hunc diem : impii enim non serviunt. Vel ita : *in æternum* : [Ambr., Aug., Rem.] quasi dicat : *In verbum tuum*, id est in Filium supersperavi : et merito, quia *verbum tuum*, o Domine, id est Filius tuus *permanet in cœlo*, id est in Ecclesia, scilicet in bonis, quod non in terra, id est in malis : scilicet Ecclesia paradisus est dicta, in quo erat lignum vitæ. Permanet dico, in æternum secundum illud : *Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi* (*Psal.* XLIV). [Aug., Gl. int., Haym., Gl. int., Ambr.] Deinde quia quod dixerat exponit subdens : *In generatione et generationem*, hoc ut supra, permanet *veritas tua*, id est Deus; sed hoc non habet a se, sed a te, quia *fundasti terram*, id est animam vel corpus, ne diffluat per concupiscentias. *Et permanet* in bono, nec majores etiam a se habet, quia *dies*, scilicet majores qui dicuntur dies, scientia, *ordinatione tua perseverat*, quidquid urgeat. Et merito dies scientia tuæ ordinationi subest, *quoniam omnia serviunt tibi*. Hoc in futuro implebitur cum omnia erunt ei subjecta : modo multi sunt servi peccati.

VERS. 4 (92). — « Nisi quod lex tua meditatio « mea est : tunc forte periissem in humilitate « mea. »

Nisi quod lex tua, [Aug., Ambr., Alcuin.] supradixit : fundasti terram et permanet. Unde autem liberetur terra, ut fundata permaneat, subdit hic, *nisi quia lex tua*, quasi dicat : Talis es tu, et lex tua est tam valida cujus meditatio a tantis liberat. Nisi enim, etc. Vel ita junge, *omnia tibi serviunt*, et merito, quia nisi hoc esset, quia lex tua est *meditatio mea* sciendi et faciendi, ut fuit Job *tunc* quando paulominus consummaverunt. [Gl. int., Ambr., Aug., Ambr.] Vel tunc, id est ideo, quia non meditarer *forte periissem in humilitate mea*, id est in dejectione et afflictione. Hæc est lex fidei, quæ per dilectionem operatur, qua impetratur gratia fortes faciens ne pereat in humilitate mortali. In hac iste jugiter meditatur, ne vincatur. Unde bene ait, nisi. Qui enim non ante exercetur in meditatione legis, in bello ignarus est.

VERS. 5 (63). — « In æternum non obliviscar justificationes tuas, quia in ipsis vivificasti me. »

In æternum non obliviscar. [Cassiod., Ambr., Aug.] Quasi dicat : Nisi meditarer in lege, periissem; sed quia per legem vivo, non potest a memoria elabi. Et hoc est, *in æternum*, id est per totam vitam. Vel in æternum, id est si semper viverem, *non obliviscar justificationes tuas*, id est legem quæ a peccato purgat. Vel ita : Sicut Israelitæ in terra promissionis suæ memores liberationis ab Ægypto gratias agebant : ita et iste liberationis suæ memor, de spirituali captivitate dicit, in æternum, id est in æterna vita non obliviscar justificationes tuas, quasi in vera terra promissionis erimus memores, unde liberasti, et agemus gratias. Ideo non obliviscar justificationes tuas, quia *in ipsis vivificasti me*, nihil extra te petentem, quem Adam perdidit. Ecce unde fit ne periret in humilitate, Deo scilicet justificante. Et quia vivificasti me,

VERS. 6 (94). — « Tuus sum ego, salvum me « fac; quoniam justificationes tuas exquisivi. »

Tuus sum ego. [Amb., Aug.] Non vitiorum, non duorum dominorum, olim meus esse volui, et perii; modo tuus suum, et ideo salva, *salvum me fac*, et **265** debes, *quoniam justificationes*, etc. Vel ita junge, hoc modo : Tuus sum, quoniam non meas voluntates, quibus meus fui, sed justificationes *tuas*, ut sim tuus, *exquisivi*. Alii alia quærunt. Ego autem exquisivi justificationes tuas. [Ambr., Aug.] Justifi-

cationes dicit, quæ futura signabant, ut agnus paschalis, etc. quæ sunt primordia fidei sine quibus nemo perfecte novit gratiam. Nemo ergo putet significantias Veteris Testamenti esse negligendas, quas iste tam studiose exquirit. Ideo salvum me fac quia

VERS. 7 (95). — « Me exspectaverunt peccatores « ut perderent me ; testimonia tua intellexi. »

Peccatores exspectaverunt me, [Aug.] quasi in insidiis latitantes exspectantes donec transiret, ut tunc eum occiderent. *Ut perderent me*, faciendo consentire ad malum ; sed inde non perii, quia *testimonia tua*, id est martyria *intellexi*. Nam etsi confitentem urgebant, non cessi intuens finem sine fine, id est æternam beatitudinem.

VERS. 8 (96). — « Omnis consummationis vidi finem ; latum mandatum tuum nimis. »

Omnis consummationis vidi finem. [Aug., Alcuin, Ambr.] Intraverat enim iste in sanctuarium Dei ; viderat novissima, viderat alta Dei, quæ non possunt explicari. Sed brevi sententia dicenda concludit, dicens ; *vidi finem omnis consummationis*. Consummatio est omnium perfectio virtutum, scilicet pro summo bono omnia facere, usque ad mortem pro veritate certare, cujus finis est in regno Christi excellere, scilicet ipse Christus quem mente vidit venturum. Quasi dicat : *Intellexi testimonia*, et, *vidi consummationis omnis finem*, id est Christum, qui est retributio et beatitudo nostra. Et ideo *mandatum tuum*, quod est *nimis latum ;* est mihi, latum, quasi facile factu. Illud latum mandatum est charitas, sine qua non valeret inter quæcunque tormenta martyria confiteri, in qua mille angustiæ sunt, sed angusta via facit ire, in qua tota lex pendet et prophetæ. Latum est ergo mandatum charitatis. Quid enim latius quam ut ibi pendeat tota lex et prophetæ ? Vel ita : dico, *intellexi testimonia tua*, et vere. Nam omnis consummationis vidi finem, id est, intellexi, in quo debeat consistere finis omnis bonæ actionis, scilicet ut nemo in se, sed in Domino glorietur. Et ita hoc vidi, quod mandatum tuum est nimis latum, quia etiam inimicos diligo. Augusta namque via per gratiam est nimis lata, ut etiam inimicos diligere faciat. Vel, vidi finem omnis consummationis, quia intellexi complenda esse præcepta Dei, non obtentu terrenorum, sed æternorum ; latum mandatum tuum nimis. Vel ita est consummatio malitiæ, et est consummatio justitiæ, sed utriusque finis est Christus, quia consumit malitiam, et consummat justitiam : illam consumit dolendo, hanc consummat remunerando. In primo ergo adventu quando jam mundus in maligno positus consummaverat suam malitiam, fuit Christus finis consummatæ malitiæ. In secundo adventu erit finis consummatæ justitiæ. Et ideo ait, omnis consummationis vidi finem, id est, intellexi Christum esse finem malæ et bonæ consummationis. Consummata enim malitia sæculi venit Agnus Dei, qui per crucem eam finiret, et consummatæ justitiæ finis est Christus, quia remunerat ; et vidi mandatum tuum charitatis, nimis latum, hoc ut ante intelligendum est. [Cassiod., Alcuin.] Vel ita : Vidi finem omnis consummationis, quia omnibus sæcularibus terminum videt impositum spiritu prophetico ; sed mandata tua non habent finem, quia latissima sunt. Et hoc est quod ait, mandatum tuum est latum nimis. Et ideo illis temporalibus spretis, hæc petantur : nimis, dicit pro charitate, quæ dicta prophetarum et totam legem concludit. Vel ita, et mutatur etiam ordo litteræ. Mandatum tuum, quod est nimis latum, id est dilectionem Dei et proximi, vidi, id est cognovi esse finem omnis consummationis, quia omne bonum opus in charitate radicatur et formatur.

COLLATIO IN ל LAMED.

VERS. 3 (91).— *Ordinatione tua perseverat dies.* למשפטיך עמדו היום LEMISCHAPATECA AMEDU HAIOM, *permanentia* quæ includitur in verbo עמדו AMEDU, id est *steterunt*, potest trifariam referri. Primo ad dierum consistentiam, velut Septuaginta. Unde ad verbum transferentes Cajetani interpretes, *judiciis tuis steterunt hodie ; minuscula* superposuerunt Scriptura *omnes dies*. Quem sensum et Pellicanus secutus est. « Singulos dies, inquit, tuos, judiciis et ordinationibus subsistere fecisti usque nunc. » Secundo potest respicere superiora, nempe, veritatem, terram, verbum, quod videtur Hieronymus fecisse, *judicio tuo stant usque hodie ;* et Pratensis, *judiciis tuis permanserunt hodie*. Item Sanctes, *ad judicia tua facienda steterunt usque ad hanc diem*. Postremo accipias quasi clausulam respiciat sequentem. Sic enim transtulit Munsterus, *juxta decreta tua, omnia consistunt hodie*. Nam omnia obsequuntur tibi. Paraphrasis Campensis, itidem : *Quibus modis unumquodque subsistere voluisti, usque in hodiernum diem subsistit*.

VERS. 4 (92). — *Nisi quod lex tua meditatio mea est, tunc forte periissem in humilitate mea*. Particula, *forte*, non videtur haberi in Hebræo, cum duntaxat legatur אז AZ, quod juniores omnes vertunt simpliciter, *tunc*, aut *jam*. Et in Græco est τότε ἄν, id est *tunc utique*. Et videtur *forte*, sententiæ officere. Nec enim dubitandum est quin pereundum sit, legis divinæ meditatione sublata. Hinc Ambros. interpretatur : *Alioquin in humilitate mea*. Quod certitudinem indicat ac non dubitationem. Atqui Hier. manifeste transtulit *forte*. Nec est semper nota dubitandi, quoniam est quodam tropo loquendi, insinuat quidquam inconstantiæ voluntatis nostræ. Quasi dicas ; *Nisi quod lex tua meditatio mea est*, tunc insurgens fortis tentatio, me debilem et inconstantem, utpote meditatione legis destitutum, funditus perdidisset. Et hæc est sententia Hilarii in hunc locum, qui non semel forsitan repetit. Quod ne quis diffidat, ait : « Frequenter admonuimus humiliatione id significari, cum tentationibus anima subjecta est, et infirmitati suæ derelicta humilis efficitur. Lex ergo ei meditatio est, et nisi ei meditatio fuisset, forsitan in humiliatione periisset. Non est ergo meditatio legis, cum tribulamur et angustiamur relinquenda, sed cum variis corporum infirmitatibus affligimur, cum inter persecutionum bella vexamur, constans in nobis, debet legis esse meditatio. Urant enim licet in excidium fidei ignes, lacerent quoque ad periculum salutis flagella, effodiant etiam ad eliciendam impietatis confessionem, redempta a Deo corpora ungulæ, dicti tamen prophetici meminisse debemus, ut consortes ipsius simus. Dicamus et nos patientes atque vincentes : *Nisi quod lex tua meditatio mea est, tunc*

forte periissem in humilitate mea. » Hactenus D. Hilarius ; quod si fuisset aliqua quæstio de Græca ἄν particula expletiva, quod Latinus interpres vertit *forte*, puto non tacuisset Hilarius, præsertim eo quod sententiam labefactare videbatur. Siquidem paulo post in eadem parte psalmi, alio versu dicit : « Frequenter admonuimus, non posse satisfactionem intelligentiæ ex Latinitatis translatione præstari : » De hoc etiam vocabulo, alias nonnihil est annotatum.

מ MEM.

Quomodo dilexi [Cassiod.] In hac tertia decima littera, loquitur vir justus, qui meditatione prophetarum, et Evangelii profecit, dicens se super seniores intellexisse, et ideo esse Scripturas sibi dulces super mel [Ambr. et Hier. Ambr., Alcuin.]. Et quia hoc est ei per charitatem, ideo congrue huic octonario præmittitur littera Men, quem interpretatur *viscera* vel *ex ipsis*, quia agit hic de charitate quæ est ex ipsis medullis. Per hoc ergo intelligitur multiplex dilectio, quia legem ex toto corde amat. Unde in ea Novum Testamentum invenit et superat eos qui tantum veterem prædicant. Quasi dicat : Intellexi testimonia, vidi finem. Et merito, quia

VERS. 1 (97). — « Quomodo dilexi legem tuam, « Domine ; tota die meditatio mea est. »

Quomodo, admirative dicit, *dilexi*, non timui, *legem tuam*, *Domine*. [Gl. int., Ambr.] Ecce unde sit ei latum mandatum, ostendit. Dilectio enim est latitudo mandati. Qui autem diligit quod jubet Deus, et ipsam jussionem, qua illud jubetur, quæ est lex diligit. Et nota quod dum ait : Domine, ipsum testem invocat : quem diligit, qui vere diligit Deum legem ejus diligit. Deinde exponens qualiter legem diligat, subdit, *tota* die, etc. [Aug., Ambr., Aug.] Quasi dicat : Hoc modo dilexi legem tuam, quia *lex tua meditatio mea est*. Tota die, id est continue, etsi caro impediat. Et bene ait, die, et non nocte, quia semper est dies meditanti in lege. Qui autem Novum Testamentum in ea esse nesciunt, illis semper est nox. Bene etiam ait, tota die, quidquid enim sancte agitur, meditari legem est. Talis pervenit in lege justitiæ, quia quærit justificari ex fide, quæ per dilectionem operatur. Unde habet inimicos, quos ? Judæos, qui ex operibus gloriantur, de quibus subdit :

VERS. 2 (98). — « Super inimicos meos pruden- « tem me fecisti mandato tuo, quia in æternum « mihi est. »

Super inimicos. [Ambr., Aug., Ambr., Aug.] Quas dicat : Tota die meditabor in lege. Et ideo *super inimicos meos*, scilicet Judæos, paganos, hæreticos, qui vel non intelligunt, vel non operantur. *Prudentem me fecisti mandato tuo,* quia illi in signis, ego in veritate quiesco, quia illi zelum Dei habent, sed non secundum scientiam, quia suam justitiam constituere volunt, sed iste justitiam quærit per fidem Christi, quæ est ex Deo. Ita prudentem me fecisti mandato tuo *quia in æternum mihi est*, id est sic interpretor, ut ipsum mandatum sit in æternum ; et ad æternitatem mihi valeat. Illis vero tantum est in sæculum. Illi enim temporalia præmia ut filii Agar servi ex mandato quærunt, et ideo non est illis in æternum, sicut huic finito sæculo. Secundum illos nullum potest esse legis mandatum, secundum istum in tabulis cordis erit dilectio Dei in æternum, et præmium mandati custoditi ; erit ipse Deus, qui mandavit, quando erit Deus omnia in omnibus.

VERS. 3. (99). — « Super omnes docentes me in- « tellexi : quia testimonia tua meditatio mea est. »

Super omnes docentes. [Ambr., Cassiod.] Quasi dicat : Super inimicos prudentem me fecisti, quia etiam *intellexi super omnes docentes me*, qui, scilicet erant de inimicis, id est super Scribas et Pharisæos. Et hoc ideo, *quia testimonia tua meditatio mea est* in spiritu. Non enim in littera, sed in spiritu quiesco, quæ meditatio non est illorum qui falsa ibi sentiunt et docent.

VERS. 4 (100). — « Super senes intellexi, quia « mandata tua exquisivi. »

Super senes. [Ambr., Cassiod., Aug.] Quasi dicat : Super docentes intellexi, quia etiam *intellexi super senes*, id est super seniores, corpore, non mente, quia melius intelligit novus populus qui hic loquitur, qui Christum accepit, quam ille senior Judaicus qui præripuit benedictionem. Et hoc totum ideo, *quia mandata tua*, non hominum, sed Dei, quæ illi transgrediebantur, *quæsivi* interius, non exterius accepi.

Potest etiam hoc totum accipi ex persona capitis ab illo loco : *Super omnes docentes me intellexi.* Hoc enim secundum caput benedicitur, non tamen vox mutatur. Unus est enim loquens Christus et Ecclesia propter illud sacramentum : *Erunt duo in carne una* (*Ephes.* v). Ita ergo, et in voce una, ait ergo, super omnes docentes me intellexi. Alius non super omnes docentes intellexit prophetas , sed Christus super omnes homines, quem Pater docuit, de quo ipse ait : *Sicut docuit me Pater, hæc loquor* (*Joan.* VIII), quod difficillime ex persona ipsius Verbi intelligitur. Nisi quis utcunque capere valeat idem esse Filium a Patre doctum esse quod genitum. Cui enim non est aliud esse, aliud doctum esse, quod illi est esse, hoc est ei doctum esse. A quo enim ei est esse, ab illo simul est ei doctum esse. Ex persona vero hominis ubi formam servi accepit, facilius intelligitur **266** a Patre dicisse, quæ dixit. In qua forma servi constitutum maxime puerum potuerunt homines majoris ætatis docendum putare. Ideo super omnes intellexi, quia testimonia tua meditatio mea est, [Aug.] testimonia meditabatur quæ melius quam illi de se noverat. Doctores vero sunt seniores, de quibus dicit, super senes intellexi, per hoc nota ætatem qua puer inter senes sedebat, et super illos intelligebat, ut fecit in traditione seniorum de lavandis manibus. Ideo ait ; Super senes intellexi : quia mandata tua quæsivi, quia quem Dominus docet, facile doctores et senes superat. Hæc etiam membris quæ ipse docuit conveniunt, sicut ante legimus.

VERS. 5 (101). — « Ab omni via mala prohibui « pedes meos, ut custodiam verba tua. »

Ab omni via mala [Cassiod., Ambr., Cassiod.]. Quasi dicat : Intellexi mandata et opere complevi, quia *ab omni via* ipsorum servorum et doctorum. Via dico *mala*, id est criminali, *prohibui pedes meos*, id est affectus : quasi dicat : Pronos et volentes ire in malum. Sed iste prohibuit ne perversitate eorum subverteretur, id est seniorum. Ad hoc prohibui, ut custodiam verba tua quod aliter non poterat.

VERS. 6 (102). — « A judiciis tuis non declinavi, « quia tu legem posuisti mihi. »

A judiciis tuis sic prohibui pedes meos a via eorum, quod *non declinavi a judiciis tuis*, [Cassiod., Ambr., Aug.] id est ab his quæ constituisti ad regulam vivendi, a semitis veteris vel novæ legis ; cujus rei est causa *quia* tu, non Moyses, *legem*, id est Evangelium *posuisti mihi*. Vel ita : Ideo prohibui pedes, quia a judiciis tuis non declinavi, id est, semper timui judicia tua. Unde alibi : *A judiciis enim tuis timui* (*Psal*. CXVIII, 120.). Et semper eis credidi, quia tu, intus digito tuo, legem posuisti mihi, id est scripsisti in corde, non ut sicut servus timerem, sed diligerem.

VERS. 7 (103). — « Quam dulcia faucibus meis « eloquia tua ! super mel ori meo. »

Quam dulcia faucibus. [Ambr., Alcuin., Cassiod.] Quasi dicat : Intellexi mente, implevi opere, et etiam annuntiavi aliis, et hoc est : *Quam dulcia* sunt *eloquia tua* in quibus remissio, et vita prædicatur, *faucibus meis* cordis, non carnis ad deglutiendum : *et ori meo* ad loquendum. Faucibus namque deglutit, ore loquitur, et loquenti sunt dulcia, et hoc *super mel*. [Aug., Cassiod., Aug.] Alii interpretes dicunt : *Super mel et favum ori meo*. Et nota quod ubique in iis comparationibus non, sicut ponit, sed super, quia hæc divinis non possunt comparari. Mel est Vetus Testamentum ; favus Novum, id est melli comparantur eloquia Dei, quantum ad Vetus Testamentum : favo quantum ad Novum, quod est dulcius Veteri, sicut favus melle. Vel melli, quod expressum et eliquatum est, aperta doctrina similis est : favo autem illa quæ de obstrusis sacramentis, quasi cereis cellulis ore mandentis, id est disserentis exprimitur. Congrue ergo illa dicuntur in comparatione eloquiorum divinorum, cum quibus eloquia ipsa similitudines et affinitatem habent.

VERS. 8 (104). — « A mandatis tuis intel- « lexi ; propterea odivi omnem viam iniquitatis. »

A mandatis tuis intellexi. [Aug.] Non mandata ipsa dico me intellexisse, sed *a mandatis* quia faciendo venit iste ad altitudinem sapientiæ, quia nisi per obedientiam mandatorum non venitur ad sapientiam occultorum. Unde in libro Sapientiæ : *Concupisti sapientiam, serva mandata et Dominus præbet illam tibi*. (*Eccli*. I juxt. Græcum.) Si aliter feceris, dicitur tibi in libro Jesu, filii Syrah : *Altiora te non quæsieris*, vel *fortiora te ne scrutatus fueris*, *sed quæ præcepit tibi Dominus illa cogita semper*, (*Eccli*. III.) quia et antequam percipiatur sapientia et post perceptam sunt cogitanda. Quanto vero magis inflammat eum dulcedo amplioris sapientiæ, tanto crescit amor justitiæ. Unde necessario odit omnem iniquitatem. Ideoque subdit : *propterea omnem viam iniquitatis*, etc.

In מ *Mem, si quæ minutula sunt, facile concilientur*.)

נ NUN (176).

Lucerna pedibus meis [Cassiod., Alcuin., Ambr., Alcuin.]. In hac decima quarta littera, qui supra mandata intellexisse et servasse dixit, lumen verbi pedibus suis radiare gaudet, ex desiderio retributionem petens, et animam de humilitate, commendans. Hic enim agit de humilitate, quia initium boni et perfectionem Christo tribuit. Et quia eo illuminante et adjuvante, mandata intelliguntur et perficiuntur : ideo præmittitur littera *nun* quæ interpretatur unicus vel pascua eorum, id est Christus, qui est singularis adjutor, et pascua animarum. Recte ergo dicitur Nun, *unicus* vel *pascua eorum*, quia hic agitur de Unigenito Dei et æterni luminis claritate, qui est etiam pascua fidelium. Ipse enim nos pascit et reficit. Bona est hæc pascua, quia carpis illic novum florem, quia resurrectionis dedit bonum odorem ; carpis illic lilium æternitatis, et rosam Dominici corporis et sanguinis. Docet autem humilitatem in hac pascua, id est in octonario isto, ubi agit de hac pascua, ipse etiam Christus qui est pascua nostra humilitatem in se docuit. Ipse enim verus David humilis et manu fortis, Patri obediens, oves Patris sui divina prædicatione pascebat, quibus secundum Scripturas certis indiciis suum probabat adventum. Littera sic continuatur. Quasi dicat : Sic et sic mihi et aliis profeci, et hoc non a me, sed, Verbum tuum, id est Christus, qui est Verbum in principio apud Patrem,

VERS. 1 (105). — « Lucerna pedibus mei verbum « tuum ; et lumen semitis meis. »

Lucerna pedibus meis, scilicet pedibus mentis [Ambr., Gl. int.], quibus lucet in nocte hujus sæculi, ut lunæ radius, *et* est *lumen semitis meis*, id est, semitis bonorum operum. Attende quod idem verbum, id est Christus et lumen est, et lucerna ; sed lucerna est Christus, dum ore nostro recensetur. Lucet enim in nobis tanquam in vase fictili, unde Apostolus : *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus* (*II Cor*. IV) : in se vero, lumen est inexstinguibile quod illuminat omnem hominem venientem, etc. (*Joan*. I.) Mitte ergo oleum, ne deficiat tibi lumen lucernæ, oleum, inquam, misericordiæ cœlestis et gratiæ, quo ungebantur prophetæ, quo cervicis nostræ dura mollescunt, quo etiam collisa scopulis peccatorum foventur corpora. Nota etiam congruam verborum distinctionem, dum ait : Lucerna pedibus, et lumen semitis. Lucerna enim sufficit pedibus ad ambulandum. Semitis vero opus est luce expansa

(176) Nun, juxta Hieronymum interpretatur *sempiternum*.

ad illuminandum. Vel Verbum, id est Christus, dicitur lucerna secundum legem, ubi minus clare lucebat; lumen, secundum Evangelium, ubi aperte irradiat. [Aug.] Vel Verbum intelligitur verbum omnis sanctæ Scripturæ, quæ est nobis lucerna. Unde Petrus: *Habemus certiorem propheticum sermonem, cui intendentes benefacitis tanquam lucernæ in obscuro loco* (*II Petr.* I). Et est verbum tuum, id est omnis sacræ Scripturæ, scilicet verbum quod a prophetis, vel apostolis seminatur, est lucerna pedibus meis, mentis, in nocte hujus sæculi lucens, ubi sunt laquei, foveæ, quæ homo sua providentia non vitaret. Et idem verbum est lumen semitis meis, operum. Lumen tamen proprie quod ex se lucet, non est nisi Deus (*I Joan.* I), qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan.* I). Unde: *Ego sum lux mundi.* Lucerna autem est creatura, quæ participat lumine. Ideoque de Joanne dicitur: *Paravi lucernam Christo meo* (*Psal.* CXXXI). Cum igitur unigenitum Verbum æquale lumen gignenti dicatur, et homo ab illo illuminatus dicatur lucerna, et nec homo sit Verbum, quod est lumen, nec illud Verbum sit lucerna, manifestum est de hoc non hic agi, ubi idem verbum lumen et lucerna dicitur. [Cassiod.] Et nota quod prius dixit, pedibus, deinde semitis, ut nec prius clarificati corde, post rectis gressibus ambulemus.

VERS. 2. (106). — « Juravi, et statui: Custodire « judicia justitiæ tuæ. »

Juravi et statui. [Ambr.] Quasi dicat: Verbum est mihi lumen. Et ideo præeunte hac luce, quasi in lumine ambulans, *juravi.* Alioquin infirmus dicit Jesus non esse jurandum omnino (*Matth.* V). Nemo enim bene jurat, nisi qui potest scire quod jurat. Deinde exponit jurare *et*, pro id est, *statui* quasi per sacramentum, quia ita fixus est in eo, ut statuere habeatur pro juratione. Quasi dicat: Ego tanquam bene ambulans ad lucernam, et rectas semitas habens. Juravi et statui, id est firmiter statui. Quid? *custodire judicia justitiæ tuæ,* inter quælibet pericula. Quod fit per fidem, dum sub Deo justo judice, nec bonum sine fructu, nec malum impunitum credatur. [Ambr., Aug.] Ideo, ait, statui custodire judicia justitiæ tuæ, ut credam, scilicet cuique retribuendum esse secundum merita, et etiam quæ hic aguntur in bonis et in malis justo judicio Dei fieri ut a nullo moveatur perfectus, sed pro hac fide sustineat gravia.

VERS. 3. (107). — « Humiliatus sum usquequa« que, Domine; vivifica me secundum verbum « tuum. »

Humiliatus sum. [Aug., Ambr.] Quasi dicat: Et ideo quia custodio *humiliatus sum usquequaque.* Vel usque valde, a persecutore, non dico humiliavi me, ut humilitatem quæ in præcepto est, intelligi sit necesse; sed humiliatus sum vehementi persecutione; sed ne fides deficiat, o *Domine, vivifica me secundum verbum tuum,* id est secundum promissum tuum, ut custodiam judicia justitiæ tuæ. Aliter, et anima moritur in tribulatione, nisi vivifices. Vel de virtute humilitatis agit, cum ait: Humiliatus sum usquequaque; hoc volebat, qui custodit judicia justitiæ tuæ. Beatus qui gloriatur humilitate magis quam potestate: potestas enim decipit; humilitas non destituit. Ideo, o Domine, vivifica me secundum verbum tuum, ut secundum verbum tuum vivam, et omnia cum ratione faciam. Et o

VERS. 4 (108). — « Voluntaria oris mei be« neplacita fac, Domine, et judicia tua doce me. »

Domine, fac voluntaria oris mei beneplacita, [Aug., Ambr., Aug.] id est sacrificia laudis charitate non timore oblata, placeant tibi, ne reprobes, sed approba sacrificia laudis confessione oblata charitatis, non alio modo. Et ideo bene ait, voluntaria. Voluntaria enim est confessio laudis, quam iste inter angustias offert; qua oblatione placatus, *Et judicia tua, Domine, doce me,* [Aug., Cassiod.] quæ fidelibus aperis, quæ sæpe dixit se accepisse, ex ardore charitatis iterum petit. Jam enim noverat; sed quærit addi. Ideo doce, quia

VERS. 5 (109). — « Anima mea in mani« bus meis semper; et legem tuam non sum « oblitus. »

Anima mea, est *in manibus meis semper.* [Aug.] Plures libri habent *in manibus tuis.* Unde nullus potest eam rapere. Unde: *Justorum animæ in manu Dei sunt* (*Sap.* III), in manu cujus et nos sumus et sermones nostri. *Et* tuis manibus adjutus *legem tuam non sum oblitus.* Inde potest videri anima in manibus Dei locata, hoc quidem planum est, sed nonnulli codices habent: *Anima mea in manibus meis semper,* quod quomodo intelligatur ignoro. Videtur junior ille filius animam in manibus suis habuisse, dum dixit Patri: *Da mihi portionem substantiæ quæ me contingit* (*Luc.* XV), unde perierat. Ideo mortuus erat, nisi dicatur: Anima mea est in manibus meis semper, id est in operibus meis, [Ambr. Aug., Ambr.] quia semper laboro pro anima, eo quod eam semper offero tibi vivificandam, ut alibi dicitur: *Ad te levavi animam meam* (*Psal.* LXXXV). Et legem tuam non sum oblitus. Nota ordinem verborum, et vide qualiter iste profecit; humiliatus enim vivificatur, secundum promissionem Dei vivificatus spiritu voluntarius est minister, non ex necessitate. Deinde talis factus docetur judicia Dei quod sunt inscrutabilia. Hæc autem sunt ut non reddat mala pro malis. Hæc autem doceri potest qui **267** animam semper intendit ad Deum, et legis Dei non est oblitus. Unde jam lætus et securus dicit:

VERS. 6 (110). — « Posuerunt peccatores la« queum mihi; et de mandatis tuis non erravi. »

Posuerunt peccatores laqueum, [Ambr., Cassiod.] quasi dicat: Non sum oblitus legem tuam, sed licet peccatores ponant laqueum, non erravi. Et hoc est: *Posuerunt peccatores laqueum mihi, et de mandatis tuis non erravi.* Mandata Dei sunt cœleste antidotum contra laqueos et venena sæculi, quibus non capitur qui a mandatis tuis non declinat; quia juxta ipsa non in ipsis sunt insidiæ.

Vers. 7 (111). — « Hæreditate acquisivi testimonia tua in æternum, quia exsultatio cordis mei sunt. »

Acquisivi hæreditate, [Ambr.] id est firma possessione a Deo, cujus hæres est iste qui prius fuit hæres Adæ. Quid? *testimonia tua*, scilicet ut testis Dei, id est ut martyr essem. Et hoc est mihi *in æternum;* quia non est in eis gloria temporalis, vana quærentium, sed æterna gloria ad tempus patientium, et sine fine regnantium, *quia exsultatio cordis mei sunt*, etsi afflictio corporis sunt. Et cum sint exsultatio, lætus

Vers. 8 (112). — « Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum : propter retributionem. »

Inclinavi cor meum. [Ambr., Aug.] Vel ita continua : per humilitatem ; superba enim respuit Deus, *ad faciendas justificationes tuas in æternum propter retributionem.* Justificationes dicit opera bona, quæ operamur circa necessitates proximorum, quæ non erunt æterna. Quomodo ergo in æternum facturi sumus justificationes? Sed ista sine dilectione facta, non sunt justificationes. Ipsa autem dilectio æterna est, eique æterna parata est retributio ; et ipsa in æternum diligens, in æternum meretur habere quem diligit. Quod ergo ait, in æternum, ad utrumque referendum est, scilicet ad meritum dilectionis æternæ, et ad præmium retributionis æternæ.

COLLATIO IN נ NUN.

Vers. 3 (109). — *Anima mea in manibus meis.* Hoc in loco docet Hieronymus codices Græcos esse falsatos : ἐν ταῖς γερσί σου, id est in manibus tuis. Quam lectionem habet editio Romana, et quam sequitur Augustinus, licet alteram non taceat. Sed sciendum, (ut ait Hieronymus) apud Hebræos, et apud Septuaginta, et apud omnes alios interpretes, scriptum esse, *in manibus meis*, et non *in manibus tuis*, quod Hebraice dicitur בכפי BECAPAI. Et omnes apud Græcos ecclesiastici interpretes, istum locum sic edisserunt, et est breviter sensus : Quotidie periclitor, et quasi in manibus meis sanguinem meum porto, et tamen legem tuam non obliviscor.

Vers. 8 (112). — *Propter retributionem.* Recentiores, *usque in finem.* Pellicanus tamen accipit, *usque in finem*, id est ad unguem, perfecte ; Paraphrasis Campens, *usque in finem vitæ meæ ;* translator tamen *e regione* habet, non sine causa. Cæterum jam diximus semel עקב EQUEB, significare Hebræis, *finem* et *mercedem*, eo quod est finis laboris. Et Hieronymus vertit, *propter æternam retributionem.* Ac interpretes pro Cajetano posuerunt, *studens æterno fini.* Et Nebiensis, *ad æternum finem.*

ס SAMECH (176*).

Iniquos odio habui [Cassiod., Haym., Ambr.] Qui supra dixit lumen verbi pedibus irradiare, in hac decima quinta littera agit de odio iniquorum, qui legi Dei adversantur. Et quia diligens cautela est habenda in odio inimicorum et in dilectione amicorum, ideo congrue huic octonario præmittitur littera *Samech*, quæ interpretatur *audi*, vel *firmamentum*, quod concurrit, quia nemo firmatur qui non audit intus spiritualiter auribus mentis quid sequi debeat. Mysticum vero notat esse quod dictu- A rus est, qui lectorem ad auditum vocat : Unde alibi ad mysticum intellectum, et rem diligenter intelligendam invitans Dominus ait: *Audi, populus meus et loquatur Israel* (*Psal.* XLIX). Et alibi : *Qui habet aures audiendi audiat* (*Luc.* VIII). Hoc modo audiebat Propheta, qui alibi ait : *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus* (*Psal.* LXXXIV). Non ergo ad auditum corporis otiose admoneris, qui suppetit universis ipso jure naturæ, sed ad auditum spiritualem, ut non usu corporis, sed intellectu mentis subscriptorum versuum continentiam non negligenter, sed attente audias. Quasi dicat : *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas.*

Vers. 1 (113). — « Iniquos odio habui ; et legem tuam dilexi. »

B *Iniquos* autem, vel, ex lege, alia littera *odio habui*, quicunque sint, [Ambr.] quia nec amici contra Deum audiendi sunt. Hoc autem non otiosis auribus, sed attentis audiendum est. Hoc enim videtur consentire illi, quod Dominus ait : *Qui non oderit patrem et matrem, et uxorem et filios et fratres propter me, non est me dignus* (*Luc.* XIV). Dissentire autem videtur ab eo quod alibi idem Dominus præcipit dicens : *Diligite inimicos vestros*, etc. (*Matth.* v.) Et ab eo quod in lege præcipitur de honorandis parentibus (*Deut.* v), sed hæc inter se contraria non esse intelligit, qui causas dilectionis et odii diligenter attendit. Natura enim quam Deus creavit in omnibus est diligenda et adjuvanda, iniquitas autem odienda et disperdenda. Sunt ergo dili- C gendi qui persequuntur, in quantum homines ; et odiendi, quia mali. Aliquos enim pie amare et odisse possumus, ut quos dilexeris odisse, et quos oderis amare conveniat. Similiter amici vitandi sunt, qui mala suadent : qui sæpe flectunt quos ferrum non vincit, quod audiendum est et caute agendum. Amandi etiam sunt parentes et amici, sed non plus quam Deus. Unde ipse ait : *Qui diligit patrem et matrem plus quam me, non est me dignus* (*Matth.* x). [Ambr., Aug.] Et est : Iniquos, id est exsortes legis, odio habui, non quia homines, sed quia mali. Non enim David Saulem oderat hominem, sed persecutorem. Quare odio habui? *Et*, id est quia *legem tuam dilexi.* Ita judicat quod non naturam odit in hominibus iniquis qua sunt homines ; D sed quod legi quam diligit, contrarii sunt. Et quia legem dilexi, ideo tu

Vers. 2 (114). — « Adjutor et susceptor meus es tu ; et in verbum tuum supersperavi. »

Adjutor meus, [Aug., Ambr., Cassiod.] ad bona facienda. *Et susceptor meus* ad mala evadenda. Vel, *tu es* adjutor meus, per legem, et susceptor meus, per Evangelium, per incarnationem, ne legi carnis ulterius iste subsit. De qua susceptione sequitur : *Et in verbum tuum*, non in legem, non in prophetas, sed in verbum tuum, id est deitatis præsidium, in quo nullus decipitur, in quo a morte solvimur. [Aug., Ambr.] Vel, in verbum tuum, id est

(176*) Samech est *adjutorium* juxta Hieronymum.

in promissionem tanquam filius promissionis *supersperavi* semper addens spei. Ergo

VERS. 3 (115). — « Declinate a me, maligni ; et « scrutabor mandata Dei mei. »

Declinate a me, maligni. [Ambr.,Cassiod.,Ambr., Aug.] Qui in Christum sperat a perfidorum consortio se separare debet, sicut iste facit. Hoc autem dicit de perstrepentibus, qui contentione Scripturas lacerant, quibus non est votum converti, quibus confligentibus non possumus mandata scrutari, *scrutabor mandata Dei mei.* Ubi enim est malignitas, non est mandatorum cœlestium custodia. In malevolam enim animam non intrat sapientia, unde alibi : *Quærunt me mali et non invenient.* Simplicem mentem et defæcatum animum diligit Christus. Non potest immaculatæ virtuti ullum cum maculosis conturbernium esse flagitiis. Et nota quod ait, scrutabor mandata, et non ait, faciam, quia mali ad facienda mandata nos exercent ; sed a scrutandis avocant, modo persequendo, modo litigando, vel honorando nos, ut tempora quæ legi Dei debemus terrenis eorum negotiis juvandis impendamus ; modo premendo infirmos, ut ad nos refugere necesse sit. Talium ergo turbulentorum tædio, et legis Dei desiderio, clamat iste : Declinate a me, maligni, et scrutabor, quasi muscas irruentes ab oculis abigit : quibus fugatis, ab adjutore suo precatur suscipi, dicens :

VERS. 4 (116). — « Suscipe me secundum eloquium tuum, et vivam ; et non confundas me ab « exspectatione mea. »

Suscipe me : [Ambr., Aug., Ambr., Aug.] illis permistus suscipi non poterat. Et nota quod supra dixerat, susceptor meus es tu : hic dicit, suscipe, ac si dicat : Tu qui susceptor es, magis ac magis *suscipe*, et hoc *secundum eloquium tuum,* id est promissum. Sicut promisit, fieri petit sibi, et ideo non est temerarius, si hoc petit. Suscipe dico, ut ad futura veniens, propter quæ omnia tolero, vere vivam. Sic de futuro dictum est, *et vivam* quasi dicat : Modo non juvatur, quia modo corpus mortuum est propter peccatum ; *et* ut tunc vivam. *Non confundas me ab exspectatione mea*, id est largius da Spiritum sanctum, per quem charitas diffusa est in cordibus nostris (*Rom.* VIII), qua diffusa spes non confundit (*Rom.* V), ac si dicat : Non vincantur adversis, qui in te sperant ; et quasi responsum sit ei in silentio : Si non vis confundi ab exspectatione tua, non intermittas meditari justificationes meas, sentiens istam meditationem plerumque impediri languoribus animæ, inquit :

VERS. 5 (117). — « Adjuva me et salvus ero ; et « meditabor in justificationibus tuis semper. »

Adjuva me, [Ambr.] quasi dicat : Non confundas, sed adjuva me. Qui sperat præsumit de auxilio in quo certa salus. Supradixit : *Adjutor meus es ;* hic juvari petit, quia quamvis hic accipiamus, tamen semper est rogandum, nequando per negligentiam perdamus. Adjuva dico, *et salvus ero*, et accepta

A salute, *meditabor.* Hoc ideo dicit, ne aliqui adjuti in adversis, postea negligentes sint in sæculis [*f.* secundis]. Meditabor, dico, *in justificationibus tuis*, hoc firmiter tenens, quod nemo justus est nisi a te : et hoc faciam *semper.* Hoc ideo dicit, ut semper sit homo humilis, confitendo peccata, non se justificans, ut Pharisæus (*Luc.* XVIII). Nehic tantum, sed in futuro etiam sit humilis ; non sibi, sed gratiæ Dei attribuens gloriam. Omnis enim creatura, quæcunque bona habet, accepit a Christo, qui est auctor totius creaturæ. Et est, meditabor, scilicet in justificationibus tuis semper, vel quandiu vivet, vel quando cum angelis laudes Dei cantabit. Ideo semper, quia

VERS. 6 (118). — « Sprevisti discedentes a ju-
B « diciis tuis, quia injusta cogitatio eorum. »

Sprevisti omnes discedentes. [Aug.,Ambr.,Haym.] Vel ita continua : Hoc ideo peto, scilicet ut adjuves, quia *sprevisti*, vel ad nihilum, deduxisti, quod ex Græco habetur, *omnes discedentes a judiciis tuis*, scilicet qui non confitentur peccata. Et merito, *quia injusta est cogitatio eorum*, qua forsan se excusant per debilem naturam. [Cassiod., Aug.] Vel ita, ideo discedunt, quia injusta est cogitatio eorum. Injusta cogitatio est, velle peccare, et judici nolle satisfacere. Sufficientem causam discedendi apposuit cogitationem. Cogitatione enim acceditur ad Deum, vel disceditur ab eo, a quo omnia bona vel mala procedunt. Et ideo sprevisti, quia

VERS. 7 (119). — « Prævaricantes reputavi om-
C « nes peccatores terræ ; ideo dilexi testimonia « tua. »

Prævaricantes sunt, [Aug.] quales ego *reputavi*, vel existimavi, vel deputavi, *omnes peccatores terræ;* quia et si prævaricatio non est ubi non est lex, et non omnes habent legem scriptam per Moysen, scilicet datam, habent tamen naturalem, dicentem : *Quod tibi non* **268** *vis fieri, alii non feceris* (*Tob.* IV); [Ambr.,Aug.] contra quod omnes faciunt, et parvuli sicut in patre sunt peccatores, sic et prævaricatores. Omnis ergo peccator est prævaricator. Et nota quod ait, peccatores terræ, quia sunt et peccatores cœli, sicut ille qui ait : *Peccavi in cœlum et coram te* (*Luc.* XV), et quicunque minuit gratiam quam accepit de cœlo, quam Spiritus sanctus infudit. Peccat
D ergo in cœlum, qui cœli incola cœlum relinquit. Peccator est terræ, qui terrenis involvitur delictis. Ideo *dilexi.* Quasi dicat : Et quia lex vel in paradiso data, vel naturaliter insita, vel litteris iterata, fecit omnes prævaricantes, *ideo dilexi testimonia*, quæ sunt in lege, *tua*, id est de gratia tua, ut non sit in me justitia mea, sed tua. Lex enim prodest, ut mittat ad gratiam, non solum attestando eam, sed timore prævaricationis quam fecit. Ideo ergo, ait, dilexi testimonia tua, quia lex ad gratiam ducit, quæ sola liberat. Cognita autem gratia Dei, quæ sola liberat a prævaricatione legis, orat :

VERS. 8 (120). — « Confige timore tuo carnes « meas ; a judiciis enim tuis timui. »

Confige. [Aug., Ambr.] Quasi dicat : Dilexi testimonia tua. Et tu *confige timore tuo* casto, qui foras mittit timorem servilem (*I Joan*. IV), quo pœna timetur, non amatur justitia; *carnes meas*, ut Christo confixus sim cruci, timore : *Timui enim a judiciis tuis*. Ita imple me timore, et perfice mihi hunc timorem quem habeo, ut sufficiat crucifigendis carnibus, id est ut velim et valeam patibulum crucis tuæ imitari, carnes pro tuo nomine martyrii clavis configendas tradendo. Vel ita potius, timore tuo, casto, qui permanet in æternum, confige carnes meas, id est comprime carnalia desideria, carnales concupiscentias. Ideo dicit carnes, quia inde non sciebat prævaricationem provenire. [Cassiod., Aug.] Et nota quod ait, confige, quasi dicat : Non solum religa ut latronem vel feram, sed confige. Qui diligit testimonia, configit carnes suas. Ideo dico, timore tuo, quia timor legis hoc non valet efficere. Jam enim timui a judiciis tuis, cum lex minaretur pœnam, id est timor legis servilis pædagogus in me præcessit, qui ad castum ducit. Sed non crucifigit carnem, quia vivit peccandi voluntas, et sequeretur opus si speraretur impunitas. Mallet enim licere, et dolet non licere, quia lex vetat, quia non spiritualiter delectatur ejus bono, sed carnaliter malum metuit quod minatur : charitas autem peccare timet, etiam si sequatur impunitas. Et est sensus : Da mihi castum timorem, quo configantur carnalia vitia, ad quem petendum me quasi pædagogus, timor legis perduxit ; quo timore, a judiciis tuis timui.

COLLATIO IN ס SAMECH.

VERS. 2 (114).—*Adjutor*. Hebr. legitur סתרי SITHRI, quod quidam vertunt *latibulum meum*, sive *absconsio mea*, id certe *protectionem et refugium*, ad certum *auxilium* dicit. Unde Hieronymus transtulit, *protectio mea*. Similem habet metaphoram, quod continuo sequitur, מגני MAGINNI, id est *scutum meum*.

VERS. 6 (118).— *A judiciis tuis*. Sic enim habent libri correctiores. Et apud antiquos legimus, *a justificationibus tuis*, nempe, apud Hieronymum, Augustinum, Ambrosium, Arnobium, Hilarium, Cassiodor. Et est manifestus error scribæ. Nam in superiori versu, *meditabor in justificationibus tuis*, habent eadem penitus verba Græce et Hebraice, quæ in hoc præsenti. Hebr. quidem, חקיך HUQQUECA, Græce δικαιώμασί σου, δικαιωμάτων σου. Sciendum tamen judicia dici in Scriptura etiam Dei præcepta. D Nam teste Augustino in quæstionibus Exodi, q. 88 ; « Judicium sane solet appellare Scriptura, quod justum est. » Rursus in psal. LXXI, ad illum versum, *Deus, judicium tuum regi* (*Psal*. LXXI), copiose ostendit idem pollere judicium et justitiam. Illud præterea possemus probare, ex versu superiori in hoc psalmo : *A judiciis tuis non declinavi, quia tu* etc., ubi judicia accipiuntur Dei præcepta, quæ sunt ejus justificationes, ut interpretantur Hilarius et Cassiodorus, etiamsi possint intelligi judicia quæ vindictam exercent, aut præmia conferunt. Hilarius : « Qualis autem custodia verbi Dei esse debeat, sequens versus docet. Sequitur enim : *A judiciis tuis non declinavi, quia tu posuisti legem mihi*. Hæc est igitur vera custodia, nullam in partem a Dei se judiciis deflectere, nec levi saltem declinare decessu, sed intentum semper et immobilem in eo

A quo institit permanere. Non declinat autem, quia Deus legem sibi statuerat. Hæc Hilar. Nunc Cassiodorus : « *A judiciis* ergo *tuis* dicit, id est quod tua voluntas sancta constituit, et vivendi regulam nobis dedit. Ab eis utique non declinare, hoc est in via recta consistere. Proinde anxie de hoc digladiari ineptum est. »

Cogitatio eorum. Nebiensis, Sanctes, Munsterus, Pellicanus, editio ad Campensem, vertunt *fraudulentiam* aut *dolum*. Hieronymus, Pratensis, Campensis, *cogitationem* ; interpretes pro Cajetano, *sapientiam*. תרמיתם THARMITHAM.

VERS. 7 (119). — *Prævaricantes*. Omnes vertunt *scoriam*, *scorias*, *rubigines*. Sciendum LXX, ut apparet, deformasse vocabulum Hebraicum סיגים SIGIM, a radice סוג SOG, id est *declinavit*, ut intelligas *declinantes*, qui prævaricantur legem. Si vero simpliciter סיגים SIGIM, a סיג SIG, sonat *scoriam*. Chaldæus tamen, *idola confregisti*.

B *Reputavi*. Vel ut habet Hieronymus et Pellicanus sub secunda persona, *computasti*, vel *existimasti*. Alii dicunt *delevisti*, aut *cessare fecisti*. LXX et Hieronymus vehementer in conjectationem adducunt nos, quod legerint heth, aspirationem fortem, pro he, aspiratione levi, cum sufficientem habeant communitatem, nec idipsum tacuit Sanctes in radice שבת SABATH. Et enim חשבת HISSCHBATA, est *reputasti* חשבתי HISSCHABTI, *reputavi*, a radice חשב HIISCHEB. At vero חשבת HIPSCHABAT, a themate שבת SCHABATH, in conjugatione quam dicunt hiphil, significat *delesti*, *cessare fecisti*. Tandem utrobique sententia digna est.

VERS. 8 (120). — *Confige timore tuo*. Hieronymus et cæteri legunt indicative *horripilavit*, sive *horrore concussa est propter timorem caro mea*. LXX legerunt imperative seu deprecatorie סמר SEMOR, et non סמר SAMAR, præsertim si non assignantur punctorum notulæ, sic aut sic efferre cuique remaC net integrum, nec extra significantiam dictionis verterunt LXX. Nam nomen ab eo deductum verbo, מסמר MASMAR, *clavum* designat, Isa. XLI : *Confortavit eum clavis ut non moveatur*. במסמרים BEMASMERIM, id est *in clavis*.

ע AIN.

Feci judicium. [Cassiod., Alcuin.] Qui supradixit se odio habere iniquos, in hac decima sexta littera petit adventum Christi, quia tempus est superbos destrui. Et quia tunc vigilandum est et sagaciter agendum contra fidei Christianæ adversarios, ideo congrue huic octonario præmittitur littera *ain*, quæ interpretatur *oculus*. Et intelligitur spiritualis oculus qui prævidet, quid tenendum sit vel non, quia hic sagax in discretione legis ostenditur contra hæreticos et perversores. [Ambr.] Est et alter oculus, scilicet corporis, de quo si hoc accipiatur, convenit alia hujus litteræ interpretatio. Interpretatur enim Ain etiam *fons*; quod concurrit, quia inde oculis est origo, et quasi quidam fons peccati vel justitiæ. Si enim videns mulieris pulchritudinem, laudasti artificis opus, oculus tuus fuit fons justitiæ. Si etiam videns possessiones pupillorum, invasores eorum repulisti ; sic quoque oculus tuus fuit fons justitiæ. Si autem aspiciens agrum pupilli vineis consitum, segetibus lætum, avaritiæ facibus accensus, transisti patrum limites, atque in possessionem indefensam improbus irruisti, oculus tuus fons et origo peccati et mortis perpetuæ fuit. Iste ergo spiritu prophetico prævidens judicium Dei, in quo bonus non perit,

malus non eludit, bona fretus conscientia, dicit :

VERS. 1 (121). — « Feci judicium et justitiam ; non « tradas me calumniantibus me. »

Feci judicium, etc. [Ambr., Aug., Ambr., Aug.] Quasi dicat : Confige carnes, et confixis carnibus, *feci judicium* discernendo in judiciis; *et justitiam* in operibus. Ecce qui petebat supra configi carnes, quæ impediunt judicium, jam facit judicium, quod et ipso nomine rectum indicatur, quamvis solet dici quotidiano usu nostri sermonis : Rectum est vel pravum judicium. Justitia vero est magis virtus animi, quam qui habet, recte judicat ; sed quia eam non facit in homine nisi Deus, hic non ipsa, sed opus ejus signatur nomine justitiæ : ideo intelligendum est sic, quod ait, feci justitiam, id est opus justitiæ. Et nota quod hoc dicere non est jactantia gloriosi et insolentis, sed assertio vitæ innocentis jure præsumpta, ne videatur dignus qui detur nocentibus. Defensio igitur est, non arrogantia. Qui autem confixus facit judicium et justitiam, debet orare ne timendo pati mala cedat inimicis, ut faciat mala, quia qui dedit vincere carnem, ne voluptate trahatur, dat etiam patientiam, ne dolore frangatur. *Ne tradas me*. Quasi dicat : Feci judicium, et ideo ne tradas, deserendo me secundum animam, et si secundum corpus, *calumniantibus me*, id est illis qui propterea adversantur, quia feci judicium et justitiam. [Amb.] Ut homo timet iste in bello diaboli sciens bellum impar sibi esse adversum spiritualia nequitiæ. Et ideo non fisus sibi humiliter petit :

VERS. 2 (122). — « Suscipe servum tuum in bo- « num : non calumnientur me superbi. »

Suscipe servum tuum in bonum. [Gl. int., Cassiod.] Quasi dicat : Non tradas, sed potius *suscipe* ut patronus, *servum tuum*, non alterius. Bene nominat se servum, quod est liberationis indicium. Servus dicitur a servando, eo quod captus ab imminenti servatur interitu. [Aug., Ambr., Aug.] Suscipe, dico, *in bonum*, quem illi impellunt in malum, ac si dicat : Prosit etiam mihi, quod servus tuus sum, non alterius ; pretiosa est hæc servitus quæ virtutum constat expensis. Ideo timeo tradi, quia calumniatores contra meam innocentiam se erigunt et superbi. *Non calumnientur me superbi*. Quod ait, non calumnientur, Græca locutio est, minus usitata nobis. Et est sensus : Non calumnientur, id est non capiant, calumniando. Calumniarum autem maxima est, quod superbi dicunt, a nobis mortuum coli. Superbi vero sunt Judæi et gentes, hæretici, schismatici : quos omnes superbia de corpore Christi præcidit. Habent autem quique proprias sibi calumnias contra humilitatem Christianam ; quarum maxima est illa quam diximus. Calumniatur etiam diabolus, dicens : *Nunquid Job timet Deum frustra ?* (*Job*. I.) Sed horum omnium calumniæ tanquam colubrorum venena vincuntur, si quis fide attendit crucifixum, pro similitudine carnis peccati, in æneo serpente præfiguratum, quem Moses in deserto exaltavit, ut percussi a ser-

A pentibus ejus intuitu sanarentur (*Num*. XXI ; *Joan*. III).

VERS. 3 (123). — « Oculi mei defecerunt in salu- « tare tuum ; et in eloquium justitiæ tuæ. »

Oculi [Ambr., Aug., Amb.] *mei*, interiores, *defecerunt* a se sitienter et ardenter intuendo, *in salutare tuum*, id est in Christum. Isti sunt oculi animæ non corporis, qui in Christum deficiunt, prævidentes futura supplicia, ut peccatorum gerendam annuntient pœnitentiam, vel videntes Christi gratiam, per quam regnum cœlorum certissime sperantibus datur. Et illi sunt oculi pœnæ, ista sunt oculi gratiæ : et imperfectæ fortasse animæ sunt oculi suppliciorum. Perfectæ autem oculi gratiarum puriores, et sinceriores. Potest etiam una et eadem anima
B habere oculum suppliciorum, et oculum gratiæ, et ille dexter, et ille lævus est. Et ideo pluraliter dixit, oculi. Hi autem oculi istius defecerunt in Christum, [Aug., Ambr., Aug.] dum memor infirmitatis humanæ divinam in Christum **269** desiderat gratiam, ut sit justus ; *et defecerunt in eloquium justitiæ tuæ*. Eloquium justitiæ dicit verba evangelica, quæ Christus dicturus erat, ut nos justificaret. Nos enim sumus justitia Dei in Christo Jesu, ut ait Apostolus (*II Cor*. V).

VERS. 4 (124). — « Fac cum servo tuo secundum « misericordiam tuam, et justificationes tuas doce « me. »

Fac cum servo tuo. [Ambr., Cassiod., Hilar., Cassiod.] Quasi dicat : Non solum non tradas, sed *fac cum*
C *servo tuo*, non secundum justitiam meam, sed *secundum misericordiam tuam*. Non est fastidium petendi, ubi largitas est datoris. Infinita petit, qui secundum misericordiam quærit. Et nota quod ait : Fac cum servo tuo. Ecce in hoc liberum arbitrium indicat, quod gratiæ comparatur. Nota etiam quod ait tuo, quasi non alterius ; qui enim alterius servus est, statim cadit. *Et* quid ? *Doce me justificationes tuas*, [Aug., Cassiod.] quibus tu justos facis, non homo se. Justificationes quas jam accepit, semper petit, ut et ibi : *Panem nostrum quotidianum*, etc. (*Luc*. II.)

VERS. 5 (125). — « Servus tuus sum ego ; da mihi « intellectum, ut sciam testimonia tua. »

Servus enim *tuus*, non peccati, *sum ego*. [Ambr.,
D Aug., Gl. int.] quia non bene cessit, cum fui liber meus. Et quia servus tuus sum, ideo *da mihi intellectum*. Jam habet intellectum, sed uberiorem quærit, ut semper accipiat, et quodammodo de fonte lucis æternæ semper bibat. Dico da, ad hoc utique, *ut sciam testimonia tua*, quia opus est contra calumniantes. Ideo da intellectum, quia modo est.

VERS. 6 (126). — « Tempus faciendi, Domine : dis- « sipaverunt legem tuam. »

Tempus tibi, o *Domine*, vel Domino, *faciendi*, non jam jubendi, quia legis jussa prodesse non potuerunt. [Aug., Ambr.] Claudus enim erat mundus, et titubante vestigio fidei, fluctuabat omnem substantiam suam in medicis nihil proficientibus erogave-

rat mulier illa evangelica. Faciendi ergo tempus, non jubendi. Est enim tempus tacendi, et tempus loquendi (*Eccle.* III). Tempus legis dicitur tempus loquendi, ubi erat vox verborum sine operatione gratiæ; tempus vero Evangelii est tempus tacendi illa legalia, et operandi spiritualia. [Aug., Ambr. Aug.] Tempus ergo plenitudinis est dies salutis, est tempus Domino faciendi, hoc est ut pro nobis crucem ascendat, mortem subeat, peccatum et mortem tollat, vitam reparet. Ideo tempus, quia superbi Judæi de se præsumentes, suam justitiam constituere volentes, *dissipaverunt legem tuam* prævaricando, aliter agentes quam præceptum foret. Unde quilibet humiliati confugerunt ad gratiam subvenientem, et ita dissipata lege, tempus erat, ut per Christum misericordia veniret, ut ubi abundaret delictum, superabundaret et gratia (*Rom.* V).

VERS. 7 (127). — « Ideo dilexi mandata tua : super aurum et topazion. »

Ideo, scilicet quia tempus est gratiæ, *dilexi mandata tua*. [Alcuin., Cassiod.] Vel ita : prophetico spiritu prævidet iste tempora Antichristi, vel Antiochi, quando erit tribulatio et multorum abundabit iniquitas. Et quia videt illis temporibus legem Dei esse polluendam, clamat tempus esse subveniendi, ne salus populi pereat, dicens : O Domine, tempus est faciendi, id est adjuvandi, non differendi, quod expedit, quia dissipaverunt legem tuam. Et ideo, quia dissipant, quanto magis dissipant, tanto magis dilexi mandata tua. [Aug.] Id enim gratia fecit, ut ex dilectione impleantur mandata, quæ timore non poterant impleri. Dilexi dico, *super aurum et topazion:* hoc est quod alibi dicit, super aurum et lapidem pretiosum multum. Topazius enim dicitur lapis multum pretiosus, olim cum in Veteri Testamento lateret sub velo gratia, propter terrenam mercedem conabantur facere mandata, nec tamen faciebant, quia non amabant; sed cum amantur super aurum, omnis terrena merces vilis est, nec illis comparatur, et quia dilexi,

VERS. 8 (128). — « Propterea ad omnia mandata « tua dirigebar; omnem viam iniquam odio habui. »

Propterea dirigebar ad omnia mandata tua, [Aug.] quibus dilectione cohærebam, ut ex rectis rectus fierem. Unde hoc sequitur, quod *omnem viam iniquam*, quæ est quasi naufragium rectæ viæ, *odio habui*. Qui enim amat rectam viam, necessario odit iniquam. Aliter enim ad omnia mandata non potest dirigi.

COLLATIO IN ע AIN.

VERS. 2 (122). — *Suscipe servum tuum*. Hieronymus, Pratensis, translator ad Campensem, *sponde*, sive *fidem jube pro servo tuo*, Sanctes, *congruere fac servum ;* Munsterus, *dulce fac servo tuo* id quod est bonum. Assonant Nebiensis, Pellicanus, et interpretes pro Cajetano. Campensis autem, *instiga servum tuum*. Quæque significantia verbo Hebraico respondet ערב ARAB. Qui vero spondet pro aliquo, quasi suscipit personam illius pro quo spondet. Quando

A præterea servus suscipitur in bonum, ad illud aptatur, et allicitur ipsius boni expetendo dulcore.

Tempus faciendi, Domine. In Hebræo ad litteram habetur *Domino*, ליהוה LADONAI, et græce τῷ κυρίῳ. Hieronymus tamen apertissime vertit vocandi casu. *Tempus est ut facias, Domine*, quasi debeamus clamare Domino istud : *Tempus faciendi*, sive *ut facias, Domine*. Munsterus de suo admiscuit, ad eum modum transferens, *tempus est ut Dominus judicium faciat*. Nec perinde quadrat expositioni sanctorum. Chaldæus sic interpretatur : *Tempus est faciendi voluntatem Dei*.

פ PHE (177).

Mirabilia testimonia tua, Domine. [Cass., Alcuin., Ambr.] In hac decima septima littera dicit se os aperuisse, et attraxisse spiritum, ut ejus audiatur oratio,
B et plorasse, quia non est a Judæis lex custodita. Unde congrue huic octonario præponitur littera *Phe*, quæ interpretatur *erravit*; quia hic condolet his, qui a via veritatis errando calumniantur : quibus proponit quomodo scrutatur legem, et qualem intellectum habet in ea. Et quia Phe interpretatur *erravit*, merito huic litteræ lacrymabilis psalmus subjectus est, scilicet *aspice in me, et miserere mei et redime me a calumniis hominum, faciem tuam illumina*. Sed quia tardius venit desideratus, subdit etiam, Exitus aquarum deduxerunt oculi mei. In Threnis quoque Jeremiæ, lacrymabilior series sub hac littera est, dum ait: *Expandit Sion manus suas ; non est qui consoletur eam* (*Thren.* I). Et item : *Aperuerunt os in te omnes inimici tui, sibilaverunt et fremuerunt dentibus* (*Psal.* XXXIV). Sicut ergo Jeremias
C sub hac littera excidium suæ gentis plorabat, ita dolet hic David errorem populi, sed non desperans. Descensus ad litteram talis est. Quasi dicat : Pudet me erroris. Tibi Deo vivo non audeo loqui; tamen testimoniis tuæ miserationis veniam promittis, atque multarum indulgentiarum titulis ad sperandam veniam provocas, nam

VERS. 1 (129). — « Mirabilia testimonia tua, Domine ; ideo scrutata est ea anima mea. »

Mirabilia sunt *testimonia tua*, [Ambr., Aug.] dum video quæ olim in Ahraham, et in filiis Israel, et in cæteris fecisti. *Ideo scrutata est ea anima mea*. Quia mirabilia credit, diligenti indagine quærit. Vel testimonia dicit, hæc creata quæ perhibent Deo
D testimonium bonitatis et magnitudinis. Quasi dicat : Ideo secundum misericordiam tuam peto mihi fieri, quia mirabilia sunt testimonia tua, id est bonitatis et potentiæ. Perhibent enim testimonium Deo bonitatis et magnitudinis cœlum, terra, et omnia visibilia opera ejus : quæ omnia, etsi quædam mortalibus usu viluerunt, tamen si bene attendantur, sunt admiratione digna. Hæc autem admiratio non terret, sed est causa cur iste scrutetur. Ideo *scrutata est anima mea*. Quasi factus sit ipsa investigandi difficultate curiosior. Quanto enim quæque res obstrusiores causas habet, tanto est mirabilior. Vel, testimonia Dei dicit, præcepta ejus, et est, ideo dilexi

(177) Phe, juxta Hier. interpretatur *os*, ab ore, non ab osse.

mandata tua, quia testimonia tua, id est præcepta A sunt mirabilia. Præcepta enim Dei sunt testimonia bonitatis ejus, et sunt mirabilia. Per ea enim virtus Dei. [Cassiod., Aug.] Unde angeli beati sunt, innotuit hominibus. Et ideo hæc scrutanda sunt. Ideo scilicet quia mirabilia sunt, scrutata est ea anima mea. Hæc enim assidue licet scrutari, quia cum bonus bona præcepit, eis tamen dedit, quos non possunt vivificare, quibus ex bona lege nulla esset justitia.

VERS. 2. (130). — « Declaratio sermonum tuorum « illuminat; et intellectum dat parvulis. »

Declaratio sermonum tuorum, [Ambr., Cassiod., Aug.] dico, quod anima mea scrutata est ea, et scrutans anima hoc invenit, quia me scrutantem, *illuminat declaratio sermonum tuorum*, id est nova B lex declarans figuras veteris legis, et pellens tenebras nostras, scrutans sic proficit. Sermones autem dicit, quos sancti prophetaverunt. Ut : *Ecce virgo concipiet in utero, et pariet* (*Isa.* VII), et hujusmodi, quorum declaratio est adventus Christi, et alia quæ manifeste completa sunt in Evangelio, sicut prophetæ prædixerunt. Et hæc declaratio *dat intellectum* interiorem *parvulis*, id est humilibus. Noli ergo præsumere de te, et intelligis quare lex bona a bono data sit, quæ tamen non vivificat; ad hoc scilicet data est, ut magnos faciat parvos, et diffidentes de viribus suis fugiant ad gratiam. Hoc invenit iste, quia parvulus est. Et hæc sunt mirabilia testimonia, quæ scrutata est anima parvuli hujus. [Ambr., Alcuin., Aug.] Soli enim parvuli il- C luminantur. Unde Dominus in Evangelio : *Confiteor tibi, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis* (*Matth.* II). Et alibi : *Ego in judicium veni in hunc mundum, ut qui non vident, videant: et qui vident, cæci fiant* (*Joan.* IX). Facere autem Dei mandata recte, nemo potest, nisi per Spiritum sanctum in corde ejus dilectio sit discussa. Hoc etiam iste confitetur, dicens :

VERS. 3 (131). — « Os meum aperui, et attraxi « spiritum, quia mandata tua desiderabam. »

Os meum aperui [Aug., Alcuin.] Quasi dicat : Cum desiderarem facere mandata, non erat mihi unde possem. Et ideo, *aperui os meum* petendo, D quærendo, pulsando : aperui, confitendo, rationem ampliando. *Et* sitiens *attraxi* bonis meritis, id est hausi *spiritum*, quo facerem mandata, quia post intellectum, quem sibi supra dixit datum : si quis vult facere mandata, non potest sine Spiritu sancto. [Haym., Ambr.] Et est hoc dictum a simili illius qui in æstu captat auram. Vel per os, hic accipitur os animæ, quod sub silentio clamat ad Deum, sicut Moses cum taceret voce, clamabat spiritu (*Exod.* XIV). Susanna quoque cum oraret, tacita clamabat, ab hominibus non audiebatur, apud Deum personabat (*Dan.* XIII). Hoc ergo os, id est mentis introitus aperitur, cum discere volumus. [Cassiod.] Attrahit quis spiritum, cum Dei firmo desiderio completur.

Aperuit ergo os infirmus, traxit spiritum validus, id est virtutem faciendi, quam per se habere non potuit. Et quomodo aperuit et attraxit, subdit : *quia mandata tua desiderabam* scire vel facere [Aug.]. Sed quia quanto suavis sentit, tanto ardentius sitit, adhuc petit, dicens,

VERS. 4. (132). — « Aspice in me et miserere « mei; secundum judicium diligentium nomen tuum. »

Aspice in me [Gl. int., Ambr., Gl. int.]. Quasi dicat : Quia desiderabam mandata, **270** ergo *aspice in me*, id est da spiritum, et quia aliquando aspicit iratus ut perdat, sicut Sodomam respexit (*Gen.* XVIII) addit : *Et miserere mei*, siquando labor. Miserere dico, *secundum judicium diligentium nomen tuum* [Aug., Cassiod.], id est secundum judicium, quod fecisti in eos, qui te diligunt, quia ut te diligerent, prius eos dilexisti (*I Joan.* IV). Vel Judicium Dei est, ut diligentibus det auxilium misericordiæ, ne sui decipiantur.

VERS 5. (133). — « Gressus meos dirige secundum eloquium tuum : et non dominetur mei om- « nis injustitia. »

Gressus meos [Aug., Ambr., Aug.] Quasi dicat : Ita fac mihi sicut soles facere eis qui diligunt te. Et *gressus meos dirige secundum eloquium tuum*, id est fac me rectum secundum promissum tuum. Vel, gressus meos dirige secundum eloquium tuum, id est motus animæ meæ dirige secundum jussa tua, ne vitiis seducantur. Et quanto plus regnabit charitas, tanto minus dominabitur injustitia. Unde subdit : *Et non dominetur mei omnis injustitia*. [Hilar., Cassiod.] Sciebat enim gradientem tentandum esse. Ideo non ait, excludatur penitus sed non dominetur, quia non potest penitus excludi. Est enim peccatum in corpore, sed non regnet. Deinde addit, omnis, quia non valet in aliis legem servasse si in uno offendit. Qui enim totam legem servaverit, offenderit autem in uno, factus est omnium reus, ut ait Jacobus (*Jac.* II). Et

VERS. 6 (134). — « Redime me a calumniis ho- « minum, ut custodiam mandata tua. »

Redime me a calumniis hominum, [Aug., Cassiod. Ambr.] id est dato Spiritu sancto, fac ne calumniæ hominum, id est falsæ impositiones terroribus me vincant, et a tuis mandatis ad sua malefacta traducant, quibus ubique agitantur Christiani. Calumniæ ergo sunt controversiæ contra veritatem, quas precatur averti ut mandata indagaret. Earum ergo est gravior tentatio, id est de illis est tentatio illa quæ gravior. Non enim omnis tentatio calumnia est, sed tantum gravior. Siquidem tentatio potest esse sine calumnia; calumnia autem habet in se tentationem, est autem tentatio humana, quæ levior est, quam ferre possumus : et hæc calumnia non est. Tentatio autem gravior, quæ est calumnia, est quæ non solum falsa componit, verum etiam quæ pie gesta sunt, decolorat, ut in Joseph impudica domina fecit (*Gen.* XXXIV), et in Susanna duo presbyteri

(*Dan.* XIII). [Aug., Ambr.] Contra has calumnias silendum est. Redime, dico, quia si hoc mihi data patientia egeris, inter ipsas calumnias erit mihi liberum, *ut custodiam mandata tua.* Qui enim opprimitur calumniis, non facile servat mandata. Et

VERS. 7 (135). — « Faciem tuam illumina super « servum tuum ; et doce me justificationes tuas. »

Illumina faciem tuam, [Ambr.] id est tuam præsentiam manifesta opitulando, *super servum tuum,* ut servus sicut terra sole coruscet, ut sicut usu visibilis solis hæc terra coruscat, sic luce invisibilis solis justitiæ, id est Christi, mens servi ejus reluceat. Vel ita, faciem tuam illumina super servum tuum, precatur videre faciem, non velatam ut Judæi, sed pure veritatem. Unde Moses velamen posuit super faciem suam, in quam non poterant intendere filii Israel, propter gloriam faciei ejus (*II Cor.* XIII), quæ cornuta eis videbatur (*Exod.* XXXIV). Quo significabatur quod Judæi veram legis charitatem sub velamine figurarum videre nequeunt, quæ est in intellectu spirituali. Hoc autem velamen evacuatum est in Christi passione. Unde in Christi passione velum scissum est (*Matth.* XXVII). Inde est quod in die passionis crux ante velata discooperitur, quia mysteria in lege operta, et spiritualis intelligentia velo litteræ tecta per crucem declarantur. Et est sensus : Faciem tuam illumina super servum tuum, [Ambr.] id est spiritualem legis imtelligentiam mihi da. Vel adventum Christi hic precatur, cujus facie tenebræ illuminatæ sunt. Et est, faciem tuam, etc., id est Filium tuum mitte, cujus refulgente gratia justi perfundantur. *Et doce me justificationes tuas,* ut faciam eas, [Aug.] quia omnis qui audit a Patre et didicit, venit ad Christum (*Joan.* VI). Qui ergo non venit, id est non facit, non didicit. Qui enim audit, licet memoria teneat quod audit, nequaquam didicisse putandus est, si non facit. Recolens autem iste dolorem pœnitentis prævaricationis suæ, ait :

VERS. 8 (136). — « Exitus aquarum deduxerunt « oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.

Exitus aquarum. [Gl. int., Cassiod.] Quasi dicat : Ita fac sicut deprecatus sum ; et debes, quia *oculi mei* quibus et mors ante intraverat, quæ per fenestras intrat (*Jer.* IX), *deduxerunt exitus aquarum,* [Ambr., Cassiod., Aug.] id est effusiones lacrymarum, hyperbolice, id est copiosas lacrymas, quasi fluenta fontium pro recordatione peccatorum. Ideo, *quia non custodierunt,* ipsi oculi, *legem tuam,* quibus oculis custoditis mandatis esset lætitia. Quod autem ad oculos referri debeat, non custodierunt. Patet ex eo quod in aliis libris legitur : *Quia non custodivi legem tuam.* [Cassiod., Aug.] Vel ad calumniantes, ut a principio octonarii dictum est, potest referri. Quasi dicat : Ideo ploravi, quia non custodierunt, calumniantes Judæi, legem tuam, vel

A secundum aliam litteram, quæ est : *Exitus aquarum descenderunt oculi mei.* Qui oculi mei, qui prius per superbiam ascenderunt in vel per exitus aquarum, ita subauditur præpositio vel *in*, vel *per*, ut cum dicitur de aliquo descendit piscinam vel montes, sine *in*, vel *per*, et bene oculi descendunt humilitate pœnitendi, qui per superbiam prius erant erecti, dum suam volebant justitiam constituere. Unde prævaricando confusi sunt, et ab illa elatione descendunt flendo, ut justitiam Dei mereantur. Vel secundum aliam litteram, quæ in nonnullis codicibus reperitur : *Exitus aquarum transierunt oculi mei,* exaggerative hoc dicitur, exitus aquarum transierunt oculi mei, id est plus fleverunt quam aquæ manent de suis exitibus. Ideo ita flet, quia sic flendo
B impetratur gratia, delens iniquitatem, et adjuvans voluntatem.

COLLATIO IN פ PHE

VERS. 2. — *Declaratio.* Hieronym. et alii traducunt, ostium, principium, apertionem פתח pethah, LXX metaphoram reddiderunt, Ostii sermonum Dei. Nullus enim ingreditur in penetralia sensorum divinorum, nisi sint sane declarata et intellecta.

SADE (177 *).

Justus es, Domine. [Cassiod.] Victa carne clavisque confixa, et per lacrymas deletis peccatis, in hac decima octava littera judicia Dei laudat, et eloquia ignita veneratur ; petens intellectum unde vivat, et se consoletur. Unde congrue huic octonario præponitur littera *sade* quæ interpretatur *consolatio.* Qui enim supra tristis de errore, lacrymas effunde-
C bat, hic consolatur se per justitiam Dei. Et bene post lacrymas profluentes, et graves fletus doloris consolatio sequitur, quæ triplex est ; nam et quia in dolore sunt, consolatione indigent, quæ fit per misericordiam Dei : et qui pœnas criminum luerunt, sperant veniam, et qui lacrymis delicta luerunt, requiem merentur. [Ambr.] Prima ergo consolatio est eorum qui in dolore et miseriis positi, Dei misericordiam attendunt, recolentes illud, quia non obliviscitur misereri Deus (*Psal.* LXXVI). Secunda autem et tertia consolatio est eorum qui in peccatis sunt, et attendunt Dei justitiam. Quidam enim in peccatis sunt, et nesciunt se esse, quos Deus punit pro peccatis illis sibi occultis. Et ideo sperant, quod si in peccatis sint et nesciant, illa
D tamen soluto in pœnis culpæ pretio remittentur eis, patienter pœnam ferentibus, quia justus est qui punit. Horum est secunda consolatio. Iterum alii sunt, qui agnoscentes sua delicta pro eis satisfaciunt, et lacrymantur. Unde veniam sperant : horum est tertia consolatio. Prima itaque consolatio est per misericordiam Dei, quam docemur in Jeremia, ubi ad captivos Judæorum flebiliter clamat Jerusalem. Ite, proficiscimini : *Ego enim deserta sum, æquo animo estote. Filii, clamate ad Dominum, et extrahet vos de manu inimicorum* (*Baruch* IV). Secunda per punitionem, ubi et si fides, id est conscientia delicti desit, pœna tamen satisfacit et re-

(177*) Sade interpretatur *justitia*, juxta Hier.

levat; quod genus consolationis docemur in Isaia dicente : *Consolamini populum meum, sacerdotes, loquamini ad cor Jerusalem, solutum est peccatum ejus, quoniam recepit de manu Domini duplicia* (*Isa.* XL). Tertia est per satisfactionem, cum lacrymis crimen abluitur. Unde certi sumus de venia quæ in hoc loco, et in multis aliis reperitur. Quasi dicat : Ideo sic ploro peccata mea, quia scio, o

VERS. 1 (137). — « Justus es, Domine, et rectum « judicium tuum. »

Domine, [Aug., Ambr.] quod tu qui punis, *justus es*, in omnibus. Hoc dicit vir justus, qui lacrymis profluens, et gravi supplicio delicta persolvens, non tædio vincitur, non labore lassatur. In exordio sermonis seipsum accusans; qui vero delicta sua non respicit, injuste se putat gravari : sed bonus se accusat, et digna inferri sibi a justo dicit, in quo et sperat. Sicut enim justus punit, sic et sustinentem remunerat. *Et rectum judicium tuum*, qui jubes peccatorem se affligere. Aliter veniam sibi arrogaret peccator. Et bene ait, rectum. Quidquid enim ab eo sic, recto judicio fit, et hæc est consolatio justorum. Hac confessione Daniel feras (*Dan.* VI), et tres pueri flammas vicerunt (*Dan.* III). Hac eadem, Jonas inclusus in utero bestiali anhelandi vix habens commeatum, inde meruit liberari (*Joan.* II). Sanctus quoque Job, exstinctis liberis, patrimonioque nudatus amisso (*Job* I), hac eadem confessione sua cum augmento sibi restitui obtinuit (*Job* XLII). Et,

VERS. 2 (138). — « Mandasti justitiam testimonia « tua, et veritatem tuam nimis. »

Mandasti nimis, vel valde, [Alcuin.] id est per multos. Et multo tempore propter infirmos *justitiam*, scilicet *testimonia tua*, *et veritatem tuam*, [Cassiod., Aug.] scilicet quæ justitia est testimonia tua et veritas tua. Multa hic inculcantur quæ peccatores terrere possunt. Rectum enim judicium, justitia, veritas, sunt timenda omni peccanti, quia sic juste damnatur quicunque damnatur; nec potest inde conqueri contra Deum justum. Justitiam sane dicit testimonia Dei, quia justum se probat mandando justitiam. Est etiam hæc justitia veritas, quia fit ut Deus talibus testimoniis innotescat, scilicet mandando justitiam. Veritas ergo est, quod veraciter innotescit. Et est, mandasti justitiam; justitiam, dico, testimonia tua, quia ea mandando probasti te justum. Et, justitiam dico, veritatem tuam, quia talibus innotescit testimoniis. [Cassiod.] Vel ita : tu mandasti, id est præcepisti testimonia tua, id est præcepta, quæ sub testificatione prolata sunt. Testimonia, dico, continentia justitiam et veritatem tuam. Hæc enim continent justitiam et veritatem; justitiam, quia omnia æque decernunt; et veritatem, quia promissa retribuunt. Nimis, ad utrumque refertur. Nimis, id est ad justitiam et veritatem, ut sit sensus : Justitiam dico, nimis, in eis testimoniis inculcatam nobis; et veritatem dico, nimis in eisdem inculcatam nobis. Nimis inculcare

A nobis justitiam, districtio est; nimis inculcare nobis veritatem, cautela est, id est : ad hoc hæc duo nobis inculcantur, ut districte judicantem metuentes, districte vivamus, et benigne promittentis caute promissa exspectemus. Et quia mandasti justitiam, ideo

VERS. 3 (139). — « Tabescere me fecit zelus « meus; quia obliti sunt verba tua inimici mei. »

Zelus meus, [Ambr., Aug., Ambr., Cassiod.] id est, charitas. Vel zelus tuus, quia zelat Deo, non sibi; unus tamen et idem zelus est, id est charitas, quæ et hominis est zelus, quia in ipso est et dicitur, quia a Deo habet, et ad Deum refert. Ille, inquam, zelus, *fecit* **271** *me tabescere*, hoc est id quod alibi de Christo dicitur : *Zelus domus tuæ comedit me*
B (*Psal.* LXVIII). Hoc zelo corpore tabescit iste. [Ambr.] Zelus iste est amoris, non livoris; zelus bonus habitus pro domo Dei, quam non patiebatur a perfidis lacerari. Hoc zelo arsit Phinees filius Eleazari, quando mœchantes, interdicta sibi consuetudine, copulatos interfecit; quo facto omnes a pœna redemit et indignationem Domini mitigavit (*Num.* XXV). Melius enim est, ut paucorum damnatione plurimi liberentur, quam eorum absolutione plures periclitentur. Deinde quasi quis quæreret : Cur ita tabescis? subdit, *quia obliti sunt verba tua inimici tui.* In hoc sunt inimici, et si secundum sæculum sint amici, quos iste zelat Deo.

VERS. 4 (140). — « Ignitum eloquium tuum vehe« menter : et servus tuus dilexit illud. »

C *Ignitum eloquium tuum vehementer.* [Ambr.] Quasi dicat : Ideo zelus iste est mihi, quia *eloquium tuum*, est *ignitum* Spiritu sancto. Purgat enim corda ut fornax aurum, accendit ad amorem Dei; et contra impios, illuminat etiam audientes (*Luc.* XII). Hunc ignem venit Dominus mittere in terram. Hoc igne calefactus Jeremias dicit : *Erat ignis flammigerans in ossibus meis* (*Jer.* XX). Hoc igne urebatur rubus quem vidit Moses, et non exurebatur (*Exod.* III). Urit enim sermo divinus ut corrigat; conscientiam peccatoris non exurit ut perdat. Hoc igne vaporati Cleophas et alius discipulus, dicebant : *Nonne cor nostrum erat ardens in nobis?* (*Luc.* XXIV.) Hic ignis super apostolos die Pentecostes cœlitus descendit (*Act.* II) : Quia hoc igne exardere debent qui elo-
D quia Dei annuntiant. Inde est quod fila rubea dependent ex duabus linguis mitræ pontificalis. Sicut enim per duas linguas significantur, quod nova et vetera de thesauro cordis sui proferre debent (*Matth.* XIII); ita in rubeo colore filiorum figuratur ignis charitatis quem in se habere, et in aliis accendere debent. Unde Petro post trinam Dominicæ dilectionis professionem pastoralis cura creditur. Inde etiam est quod Romanus pontifex cappa rubea induitur, quia totus igne charitatis ardere debet, et omnia ex charitate facere, animo quoque martyrio non deesse, Christi personam gerens, cujus vestimentum est sicut calcantium in torculari, qui ait : *Torcular calcavi solus* (*Isa.* LXIII). Deinde addit :

Vehementer. [Gl. int., Aug.] Quasi dicat : Ignitum est vehementer, ut etiam corpus urat. *Et* ideo *servus tuus* quicunque *dilexit illud*. Merito zelat iste oblitos verba Dei, quia ad hoc flagrabat eos adducere, quod ardentissime diligebat. Et cum hoc sit, et si,

VERS. 5 (141). — « Adolescentulus sum ego et « contemptus ; justificationes tuas non sum obli- « tus. »

Ego adolescentulus sum et contemptus, [Aug., Ambr.] id est junior et despectus, *non* tamen *sum oblitus justificationes tuas*, ut illi majores, scilicet inimici mei. Justificat Deum qui se accusat, quod fit per humilitatem, quæ humilitas mirabilior est in juvene. Hoc autem ad litteram multis sanctorum potest convenire, et specialiter populo gratiæ. Multi B enim sanctorum a prima adolescentia laboribus exercitati sunt, contempti a suis, ut Joseph inter fratres (*Gen.* XXXVII), et David inter filios (*I Reg.* XVI). Sic novus populus gratiæ, qui ætate sequitur populum legis, sed fide præcedit. Iste est contemptus, et ideo major, quia contemptibilia elegit Deus (*I Cor.* II). [Aug.] Reprobat autem illos qui justitiam suam volunt constituere (*Rom.* X). Isti sunt duo populi, qui in utero Rebeccæ luctabantur, de quibus dicitur : *Major serviet minori* (*Gen.* XXV). Iste minor non est oblitus justificationes Dei, cum inimici majores sint obliti : quod merito, quia nescientes justitiam Dei, suam quærebant : iste non est oblitus, quia non suam, sed Dei justitiam quæsivit, de qua etiam nunc dicit :

VERS. 6 (142). — « Justitia tua, justitia in æter- « num : et lex tua veritas. »

Justitia tua. [Ambr., Cassiod.] Quasi dicat : Merito non sum oblitus, quia justitia tua, o Deus, es *justitia in æternum*. Justitia solius Dei est æterna ; hominum justitia temporalis est, sed Dei æterna, quia quisquis eam sequitur. in æternum gaudebit, quod non est de justitia Judæorum ; *et lex tua veritas*. Lex Dei per Mosen data vera per omnia, quia per eam est cognitio peccati (*Rom.* VII), et perhibet testimonium justitiæ Dei (*Rom.* III). Vel, lex illa est veritas. [Aug., Ambr.] id est spiritualis, et si non Judæis. Vel de lege Evangelii potest accipi. Et lex tua scilicet evangelii, veritas est, non umbra, non figura, sicut Mosaica, sed res. [Cassiod., Aug.] D Vel per legem accipiuntur generaliter mandata ejus. Et est, lex tua est veritas, quia qui legem sequitur, veritate impletur, quæ est Christus. Propter hanc vero legem patitur minor a majore. Unde subdit :

VERS. 7. — « Tribulatio et angustia invenerunt « me : mandata tua meditatio mea est. »

Tribulatio, etc. [Ambr., Cassiod., Aug.] Quasi dicat : Lex tua est veritas, pro qua lege *tribulatio et angustia*, quæ sunt numera justis ad pondera peccatorum deponenda, *invenerunt me*, exspectantem et paratum : et quantumcunque sæviant, tamen *mandata tua* A *meditatio mea est*, hoc est remedium contra tribulationes ; et ut in tribulatione non deficiam, ideo *da mihi* in ea *intellectum*. In tribulatione poscit iste intellectum, ut sciat quam nihil est quod persequentes tollunt, quia et si vitam finiunt, vivet in æternum. Unde subdit, *et vivam*, vere et merito, quia justitiam quæ manet in æternum præponit temporalibus.

VERS. 8 (144). — « Æquitas testimonia tua in « æternum ; intellectum da mihi et vivam. »

Æquitas, vel justitia, quasi dicat : Et merito vivam, quia mihi est *æquitas*, [Aug., Hilar.] vel justitia manens, *in æternum testimonia tua*, in tribulatione, quasi dicat : Justitia tua in tribulatione est martyria, id est testimonia, id est justitia tua æterna causa est, cur in tribulatione servem testimonia, id est martyria. Vel ita ut secundum seriem legatur littera. Quasi dicat : Tribulatio et angustia invenerunt me, et mihi posito in tribulatione, testimonia tua sunt æquitas vel justitia, vel justa in æternum, id est sunt mihi causa æternæ justitiæ Cassiod.] Talis spes est isti contra tribulationes, quæ sunt temporales. Et in his tribulationibus, *da mihi intellectum et vivam*. Eo, id est intellectum superat seniores. Et nota quia qui supra junior dicebatur, nunc maturior senibus inter adversa petit intellectum, ut sciat hæc esse transitoria, et inde vitam mercari sciat ; [Ambr.] quam lubrica sit hæc vita et sit pius erranti sciat communia bona sæculi, sciat miserias, ut portum quærat. Perfecta virtus est in- C tellectus, si quis quod sensu capit, factis exsequitur.

COLLATIO IN צ SADE.

VERS. 4 (140).— « *Ignitum eloquium tuum*. Quod Hier. et alii transferunt *probatum*, vel *examinatum*, aut *depuratum*, צרופה TZERUPHAH. LXX concinne sua interpretatione declararunt hanc examinationem igne Spiritus sancti fieri eo fine, quo accenderet ac inflammaret.

ק QOPH (178).

Clamavi. [Cassiod., Aug.] In hac decima nona littera justificationes Dei promittit se exquirere, adjiciens se scire testimonia Dei in æternum fundata esse(178*). Et quia quanto quis bonis vult insistere, tanto magis diabolus conatur seducere, et in malis ne respiret concludere ; contra quod opus est ad Deum clamare. [Alcuin., Ambr.] Ideo post errorem, accepta superius consolatione, iste conclusus asperius, clamat hic studiosius. Unde congrue huic octonario præmittitur littera *qoph* quæ interpretatur conclusio. Vel aspice, quod idem est in sensu, quia conclusus debet circumspicere se, et causam periculi non dissimulare. Concluditur quis, quando tumescentibus visceribus, intercluso spiritus commeatu spirandi ac respirandi commercia coarctantur ; ita etiam qui animo angitur, et quibusdam adversis perurgetur, concluditur. De qua conclusione hic agitur. Conclusio vero hæc est in angustiis mentis,

(178) Qoph juxta Hier. interpretatur *vocatio*.

(178*) Ex Aug., serm. 85, De tempore.

quasi quis respirare clauso meatu non possit. Noxia enim conscientia premit, morbi vis urget sensum mentis, intercipit angustia. Orationis ergo quærenda est medicina. Clama ergo ad medicum, qui de cœlo descendens ægrotos sanat. Ne differas, quia non est apud eum ulla comperendinatio sanitatis. Neque timeas, quia verbo, non ferro consuevit sanare. Unde hic ait,

VERS. 1 (145). — « Clamavi in toto corde, exaudi « me, Domine; justificationes tuas requiram. »

Clamavi, [Ambr., Gl. int., Ambr.] quasi dicat : Undique sunt hostes, non solum visibiles, sed quod gravius est spirituales. Vocandus ergo est qui sit auxilio. Ideoque *clamavi in toto corde,* etc. Vel ita continua : Quasi dicat : Da intellectum, et debes, quia clamavi in toto corde. Clamor cordis, silente corporis voce, a Deo semper auditur, clamor autem cordis, est magna intentio cogitationis. Iste clamor fit cogitationum sublimitate, concentuque virtutum. Addit, toto, quod est quando non aliunde cogitatur. [Aug., Cassiod., Aug.] Mens enim divisa non impetrat in tali petentis affectu, sive in silentio habeatur, sive cum voce, si opus est propter homines, non desperatur effectus. *Exaudi me, Domine,* deinde ad quid proficiat suus clamor, adjungit : *Justificationes,* etc. Quasi dicat : Ad hoc clamavi, ut justificationes *tuas requiram.* Ad hoc profuit clamor, hoc clamaverat, hoc addit, quia non est satis clamare ad Deum; sed et justitias ejus exquirere oportet. Et nota quod ait, requiram, quoniam longe est adhuc a faciente qui requirit, quia non consequitur, ut qui quærat inveniat, et qui invenit, faciat. Sed tamen aliter non venitur ad facere, nisi exquirantur; boni autem si quærunt, ut in Evangelio promittitur, inveniunt, secundum illud : *Quærite et invenietis* (*Luc.* XI). Sed et mali quærentes, inveniunt; qui tamen non oderunt sapientiam, quæ est Deus, in qua sunt omnia quæ quæruntur ab his qui volunt esse beati. De malis vero qui oderunt, dicit Sapientia : *Quærent me mali, et non invenient, oderunt enim sapientiam* (*Prov.* I, juxta. LXX). Sed si oderunt, quomodo quærunt? Quærunt, non propter ipsam, sed propter aliud quod amant. Quærunt enim dicta sapientiæ, ut habeant in doctrina, non in vita, non ut per mores ad ipsam perveniant; sed per sermones ejus ad vanam gloriam verbis ejus inflati sunt, et ita ab ea magis alieni. Iste autem ad hoc requirens ut habeat in vita, ait : Justificationes tuas requiram, utique faciendas, non modo sciendas.

VERS. 2 (146). — « Clamavi ad te, salvum me « fac : et custodiam mandata tua. »

Clamavi. [Cassiod., Aug., Ambr.] Et exponens quid sit in toto corde clamare, addit, *ad te,* hoc est toto corde clamare. Non enim toto corde clamat, qui ad eum suam petitionem non dirigit, quid autem petat, adjungit : *Salvum me fac,* scilicet in anima, quæ custodiet mandata : *Et custodiam mandata tua.* Ubi enim est salus animæ, efficit ut facienda fiant, et usque ad mortem, si opus est, certetur;

A ubi non est salus ista, succumbit infirmitas. In eo quod ait, clamavi, nota promptum affectum. In eo vero quod ait, custodiam mandata tua, nota sedulitatis obsequium.

VERS. 3 (147). — « Præveni immaturitate et cla- « mavi; quia in verba tua supersperavi. »

Præveni intempesta nocte, [Aug., Ambr.] vel sicut plures codices habent, *immaturitate.* Idem tamen sensus est. Vix invenitur in aliquo libro, in immaturitate. Immaturitas est nox intempesta, id est inopportuna actionibus. Tempestivum enim hoc dixerunt antiqui, opportunum a tempore, dicit autem secundum litteram, quod noctis tempore vigilet in eo amor Dei magno orandi affectu. Et est, *præveni immaturitate et clamavi;* vel, *intempesta nocte, et*
B *clamavi,* id est magno orandi affectu, quasi quodam clamore mentis præveni horam opportunam humanis actionibus. *Et in verba* vel *verbis, tua,* vel *tuis, supersperavi* semper, crescens in spe, etiam in adversis. Et,

VERS. 4 (148). — « Prævenerunt oculi ad te dilu- « culum, **272** ut meditarer eloquia tua. »

Oculi mei directi, *ad te prævenerunt, diluculo.* [Rem., Aug.] A simili strenui operarii, qui ante lucem surgit ad bene operandum. Deinde ad quid agendum vigilaverit, subdit, *ut meditarer eloquia tua.* Vel ita : *Præveni intempesta nocte.* Nox est totum sæculum in quo clamamus prævenientes diem, in quo merces dabitur. Unde : *Præveniamus fa-*
C *ciem ejus in confessione* (*Psal.* XCIV). Et est, præveni intempesta nocte, *et clamavi,* id est toto hoc sæculo, quod est quasi nox, clamando præveni diem judicii; et *in verba tua supersperavi,* non mutatur. [Ambr., Rem., Aug.] Et oculi mei directi ad te prævenerunt diluculum, id est diluculum æternitatis labore vineæ præveni. Vel ita legatur : Oculi mei directi ad te diluculo virtutum prævenerunt diem, scilicet retributionis, *ut meditarer eloquia tua,* non mutatur. Vel ita : Præveni immaturitate, vel intempesta nocte. Immaturum tempus noctis fuit, antequam tempus gratiæ venisset, id est ipsa maturitas, scilicet plenitudo temporis, quo Christus venit; nec tamen tunc Ecclesia tacuit, sed prophetando clamavit. Unde hic ait : Præveni immaturitate, vel
D intempesta nocte, et clamavi, id est in tempore noctis, quod fuit ante adventum Christi, de ipso venturo prophetando clamavi, et ipsa eadem Ecclesia speravit in verbis potentis facere quod promisit. Unde subdit, et in verba tua supersperavi, ipsa etiam Ecclesia dicit, prævenerunt oculi mei directi ad te diluculum, vel matutinum. Matutinum est, quando sedentibus in tenebris lux orta est, ad hoc oculi sanctorum prævenerunt, prævidentes hoc futurum. [Cassiod., Aug., Ambr.] Isti sunt oculi cordis, qui ante credunt Christo, quam ejus adventu irradientur. Diluculum enim, initium lucis est, quando post tenebras sæculi Christus emicuit. Ad hoc prævenerunt oculi, ut meditarentur eloquia Dei in lege et prophetis, quæ de Christo futura nuntia-

bunt. Unde subdit, ut meditarer eloquia tua. Vel ita : Præveni *immaturitate*, vel sicut in Græco est, præveni *ante horam :* nullum enim tempus ad hoc eligendum est, sed semper est hoc agendum, ut semper sit Christus in corde nostro, semper in ore et opere. Et si enim omnis rei quæ sub cœlo est, tempus est (*Eccle.* III), sed tamen non est etiam super cœlum, non super Dominum tempus. Neque enim opus est supra auctorem, sed auctor supra operis exordium. Sed quia sequens versus tempus precandi exprimit, hic magis activum, quam orationis tempus intelligitur. Et est sensus : Præveni horam, et clamavi, id est operando pro æternis; præveni horam aliarum actionum, et clamavi corde, et in verba tua supersperavi, hoc non mutatur. Deinde subdit de tempore precandi : Prævenerunt oculi mei, ut meditarer eloquia tua mane, id est ante diem. Supra, id est in præcedenti versu, dixit, ante horam, secundum illud : *Media nocte surgebam*, etc. Hic dicit, mane, significans aliud tempus orandi, ut sit illud prius. Hoc autem juxta illud, præveni orientem solem; pudor est enim si radius solis in strato otiosum te inveniat. Primitias ergo cordis et vocis, quotidie Deo sacrifica, tunc et nox vertitur tibi in lucem, non temporis, sed gratiæ : Unde sponsa ait : *Per noctes quæsivi illum quem diligit anima mea* (*Cant.* III). Vel ita, secundum moralem intellectum, præveni immaturitate, id est in ætate immatura. Præveni immaturitatem, id est senilem ætatem. Præcurrit enim vel prævenit in immaturitate ætatem maturitatis, qui puer senilem induit gravitatem, qui in annis puerilibus senectutem anticipat, ut gravitas sit in mente, licet sit vaga et mollis ætas. Non enim magnum est si defecto corpore et gelu senectutis frigido, a voluptate quiescunt. Non enim est corona, nisi fuerit difficilioris certaminis lucta. Magnum vero est et laudabile, si in fervore ætatis sunt temperati, ut reluctantem carnem rationis coerceant imperio, parcaque frugalitate castigent, et in servitutem redigant, ne effrenata libertate luxuriæ luxurient. Bonum est enim viro, si portaverit jugum ab adolescentia sua (*Thren.* V) : hoc de ætate hominis sicut dictum est exponitur; deinde non mutatis his, clamavi, et in verba tua supersperavi, subdit de hora diei, dicens : Prævenerunt oculi mei directi ad te laudandum, in diluculo, [Cassiod.] vel mane, qua hora Christus resurrexit, quia resurrectio Christi mane facta est : Ideo mens diluculo surrexit. Ad quid? Ut meditarer eloquia tua, quæ adeo sunt suavia.

VERS. 5 (149). — « Vocem meam audi secundum « misericordiam tuam, Domine ; et secundum judi- « cium tuum vivifica me. »

Vocem meam. [Gl. int., Aug.] Quasi dicat : Quia ita studiose ad te vigilo. Ideo, o *Domine*, *vocem meam audi secundum misericordiam tuam*, *et secundum judicium tuum vivifica me*. Congruus ordo quod præmittitur misericordia, et sequitur judicium.

A Prius enim Deus secundum misericordiam aufert pœnam a reis, et eis postea secundum judicium dabit vitam, quia non frustra hoc ordine misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine, licet nunc tempus misericordiæ non sit sine judicio; nec tempus judicii post, sine misericordia. [Hilar., Cassiod.] Vel ita secundum præcedentem illam sententiam, ubi de ætate egit. Vir namque sanctus, etsi ætatem vincens, mane surgit, non tamen in operibus suis, sed in misericordia Dei confidit, dicens : Vocem meam audi secundum misericordiam tuam, Domine, et secundum judicium tuum, non quo in futuro judicabis, sed quo supplicibus parcis, et se damnantes absolvis. Vivifica me mortuum lege peccati. Et necesse est ut vivifices,
B quia

VERS. 6 (150). — « Appropinquaverunt perse- « quentes me iniquitati; a lege autem tua longe « facti sunt. »

Persequentes me appropinquaverunt, etc. [Aug., Gl. int.] quoniam jam corpus perimunt. Unde alibi : *Tribulatio proxima est* (*Psal.* XXI), non utique ; illa quæ adhuc imminet, hic proxima dicitur, quia jam erat ei præsens passio; sed quæ fit in carne, qua nihil propius est animæ, hoc modo : Appropinquaverunt, huic *persequentes iniquitati*, vel *injuste*, alia littera ; sic distingue : Persequentes dico, iniquitati, in hoc servientes. [Cassiod., Aug., Cassiod.] Vel, persequentes *me* injuste. Hoc ideo addit, quia et aliqui pro criminibus puniuntur, mihi appropinqua-
C verunt, a lege autem tua longe facti sunt. Qua magis huic appropiant, tanto magis a justitia longe facti sunt. Hoc ideo dicit, ut causa sua melior quam illorum videatur.

VERS. 7 (151). — « Prope esto, Domine, et om- « nes viæ tuæ veritas. »

Prope es tu, Domine, [Aug., Cassiod., Ambr., Aug.] quasi dicat : Illi appropinquaverunt, sed non nocuerunt, quia *tu*, o *Domine*, *prope es*, intus adjuvans, prope ad remedium, nec te latet quod agimus, *et omnes viæ tuæ* sunt *veritas* etiam quod patimur non est immerito. Hoc non potest vere dicere Judæus, sed fidelis qui credit veritati. Quæri potest quomodo hic dicantur omnes viæ tuæ veritas, cum alibi legatur : *Universæ viæ Domini misericordia et*
D *veritas* (*Psal.* XXIV). Sed sciendum quod erga sanctos omnes viæ Domini sunt misericordia, omnes veritas, quia et in judicando subvenit, et ita non deest misericordia, et in miserando id exhibet quod promisit, ne desit veritas. Erga omnes autem, et quos liberat, et quos damnat, omnes viæ sunt misericordia et veritas, quia ubi non miseretur, scilicet ad salutem vindictæ veritas datur, quia nullum immeritum damnat, sed multos immeritos salvat et liberat.

VERS. 8 (152). — « Initio cognovi de testimoniis « tuis, quia in æternum fundasti ea. »

Initio, vel ab initio, *cognovi*, etc. [Aug.] Si in libro habetur initio, adverbialiter ponitur, sicut so-

lemus adverbialiter dicere : Alias hoc faciam. Et A est, omnes viæ tuæ sunt veritas. Et *initio*, id est initialiter dicit Ecclesia, quæ ab initio generis humani fuit, *cognovi de testimoniis tuis*, quibus promisisti te daturum regnum æternum filiis, *quia fundasti ea*, id est in Christo fundamento monstrasti ea vera. Et hoc *in æternum*, quia id quod per ea promisisti, æternum est. Initio dicit se nosse Ecclesia, quod testimonia sunt in æternum fundata, nec aliunde novisse quam de ipsis testimoniis. Testimonia sunt quibus promisit Deus verbo vel actu se daturum regnum æternum filiis. Et quia in Filio, cujus regni non erit finis, se daturum testatus est, fundata sunt in æternum, non quod ipsa sint necessaria, quando ipsa res dabitur ; sed quia id quod per ea Deus promisit, æternum est. Fundata vero B dicuntur, quia in Christo vera monstrantur, qui est fundamentum, quod nemo potest mutare. Initio autem novit, quia hoc dicit Ecclesia, quæ ab initio generis humani non defuit terris, cujus primitiæ fuit sanctus Abel, qui in testimonium Christi immolatus est, et ab initio dictum est : *Erunt duo in carne una* (*Gen.* II) ; quod sacramentum magnum est in Christo, et in Ecclesia, ut ait Apostolus (*Ephes.* V). [Alcuin.] Ecce duo testimonia, quorum alterum in actu, alterum in verbo est exhibitum. Vel testimonia dicit præcepta, quæ dicuntur fundata in æternum, quia pro eis neglectis vel servatis merces æterna, vel pœna æterna redditur. Et est : Ego cognovi de testimoniis tuis, quia in æternum fundasti ea. [Hilar.] Cognovi, dico initio, vel ab initio, scilicet in Adam, qui pro neglectis punitus est, vel per antiquos patres, qui ea tenendo venerunt ad æternitatem.

COLLATIO IN ק QOPH.

VERS. 2 (146). — *Præveni in maturitate*. Hier. *Surgebam adhuc in tenebris*. Vel, ut alii volunt, *Præoccupavi crepusculum*. בנשף BANNESCHEPH, in græco, ἐν ἀωρίᾳ, id est *ante horam, ante tempus*. Unde D. August. habet *intempesta nocte*, qui propterea concludit legendum esse unico verbo *immaturitate* vel *in immaturitate*. Sed et vehementi admiratione cœpi fluctuare, quomodo Hier. in Commentariis legerit et exposuerit *in maturitate* sub duobus verbis, ait enim sic : « Vetera vitia pudicitia juvenili prævenit, qui per maturitatem vivacis animi, spem suam nunquam a verbis Dei removit. » Et ante D. Hier. Arnobius, licet diverso sensu : *Præveni in maturitate et clamavi, fui puer, præterea* D *adolescens*. Itemque *juvenis, nunc ecce jam senui, et vitæ meæ finem attendens, in hac maturitate positus clamo*. Tandem ex interpretatione D. Ambr. deprehendimus dici *maturitatem et immaturitatem*, diversa consideratione. Ex verbis enim ejus colliges ætatem adolescentiæ ad tempus collatam adhuc immaturam, ad mores vero compositos maturam haberi. Dicit ergo : « Sed quia sequens versiculus, de tempore precandi evidenter expressit, in isto versiculo actuum magis operumque arbitror quam orationis intelligendum. Præcurrit ætatis maturitatem quisquis in adolescentia positus, senilem gravitatem induit, et juveniles annos, veterana quadam continentia regit, fervoremque virentis corporis in cana morum maturitate componit. Nam quid potest habere laudis, si effectum corpus voluptatibus, et jam senectutis gelu frigidum, ad sera devotionis officia, deposito jam senior vigore convertat ? Non est corona, nisi ubi fuerit difficilioris lucta certaminis. Et, per pauca, in hora est ergo senex, si nimia sobriæ maturitatis exerceat ; ante horam præcurrens juvenis, si senili pondere incentiva comprimat voluptatum, ac ferventes illecebras cupiditatis exstinguat. » Et rursus : « Qui enim jugum a juventute portaverit, et habenis maturi moderaminis teneriora volens colla subdiderit, sedebit singulariter remotus a strepitu interpellantium passionum, et quietus silebit. » Hæc D. Ambr. Recordare nunc quid sit incana maturitas, et maturum moderamen in adolescentia quæ est ætas immatura, et tum pervidebis hoc et alterum non male pronuntiari. Præveni in maturitate, et præveni immaturitate. Ad posterius tamen magis nos cogit lectio Hebraica et Græca, quanquam translator ad Campensem vertit, *properomaturrime*, eo forsan genere loquendi quo loquitur poeta : *Maturate fugam*.

VERS. 6 (150). — *Appropinquaverunt*, etc. Consimiliter D. Hier., Neb., Prat., et satis accedit Camp. Alii sic reddunt, ut particula, *iniquitati*, non respiciat verbum, *appropinquaverunt*, sed participium *persequentes*. Pellicanus enim dicit, *appropinquaverunt persecutores sceleris ;* Sanctes, *appropinquaveruntsequentes malam cogitationem*. Et ita Munsterus, *accesserunt hi qui exsequuntur nefarium cogitatum*. Interpretes pro Cajetano, *cogitaverunt sequaces cogitationis*. קרבו רדפי זמה QUABU RODPHE ZIMMAH. In uno punctulo tota diversitas sedet, רֹדְפֵי RODPHE enim simpliciter significat *persequentes* sine pronomine. Sed רֹדְפַי RODPHAI, id est *persequentes me*. Denique ad sententiam parvi refert. Sed et Chaldæus habet, *appropinquaverunt persecutores mei adulterio*.

273 ר RESCH.

Vide humilitatem. Qui supra dixit se clamasse, in C hac vicesima littera, *resch*, petit vivificari, quia mandata Dei summo studio quæsivit, quod longe est a malis, quia similiter non egerunt. Et quia nemo vivificatur nisi per humilitatem, quæ est caput omnium virtutum. Ideo huic octonario præmittitur littera. Resch, quæ interpretatur *caput*, id est humilitas, quæ est caput virtutum, quam conclusus servat, ut serpens caput corpore exposito. Attende ergo quod hæc littera, resch, interpretatur *caput* vel *primatus*, quo intelligitur rationabilis sensus qui regit omnia membra, sicut caput totum corpus dirigit, et sensibus implet : unde qui turpiter et bestialiter agit, capite damnatur, ut forma hominis privetur, qui sapientiæ rationem non tenuit. Mystice caput nostrum Christus est, sine quo vivendi usus haberi non valet. Sicut ergo caput coluber servat, ita serva et tu caput, id est Christum, quo vivimus, ex quo sunt omnia bona (*Coloss.* II). Moraliter caput est humilitas, sicut prædictum est, quæ totum nostrorum actuum fovet corpus. Inflatus hoc caput non tenet, id est humilitatem quæ est caput omnium virtutum. Primatus est Dominus etiam Christus, qui ablatus majori populo datur minori Jacob, id est Christianis. Unde in Isaia legitur : *Auferam a Juda caput et caudam* (*Isa.* I), id est Christum, qui est initium et finis, alpha et omega. (*Apoc.* I). Quasi dicat : Prope es tu, Domine, ergo.

VERS. 1 (153). — « Vide humilitatem et eripe « me ; quia legem tuam non sum oblitus. »

Vide humilitatem meam, [Ambr., Aug.] quæ est

in studiis nostris et tentationibus, qua superbia vincitur, quæ omni Christiano est necessaria. Hoc autem non dicit, nisi qui se scit placere Deo. Et est : *vide humilitatem*, id est placeat tibi humilitas mea, et indica mihi secundum eam. Alii in aliis gloriantur, justus in humilitate, bona gloria est Christo subjici, quo merito eripitur quis a gladio flammeo, id est morte æterna. Unde subdit, *et* etiam *eripe me*. Superbus malis innectitur, ut humilietur, humilis eripitur ut exaltetur. Ideo eripe, *quia non sum oblitus legem tuam* quæ dicit : *Qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur* (*Luc.* XVIII).

VERS. 2 (154). — « Judica judicium meum, et « redime me ; propter eloquium tuum vivifica « me. »

Judica judicium meum. [Gl. int., Aug., Gl. int.] Quasi dicat : dico, *Vide humilitatem meam*, sic inde, *judica judicium meum*, id est causam meam, quia contra diabolum causam agit ; *et redime me* a malis, *et propter eloquium tuum*, id est propter illam prædictam legem, quam iste non est oblitus, scilicet ut se exaltandum humiliaret, *vivifica me ;* hæc est exaltatio sanctorum, scilicet æterna vita : vel, Eloquium, dicit generaliter verbum Dei. Et est, propter eloquium tuum, id est ut ego videam et servem illud ; vivifica me. [Ambr.] Vel ita : Judica judicium meum, de judicio futuro agit : *Ad quod innoxius* et propriæ innocentiæ arbiter, festinat. Justus enim apud Deum sciens etiam eum misericordem, non timet judicium ad sui damnationem, in quo absolvitur. Quod etiam incipit hic a sanctis, non in æternum puniendis. Ideo Dominus ait per Ezechielem, ad angelos ultionis ministros : A sanctis meis incipite (*Ezech.* IX). Et alibi Scriptura ait : *Tempus est ut incipiat judicium a domo Dei* (*I Petr.* IV). Ideo iste apud redemptorem suum sperans, et volens mature absolvi, ait : judica judicium meum, id est matura facere judicium ; et ibi, redime me a malis ; et propter eloquium tuum vivifica me. Verecunde hoc dicit, ut qui diffidit de meritis propter verbum Dei, speret clementiam. Et hoc est illud Verbum, quod Simeon videre exspectavit. [Cassiod.] Vel ita : Judica de præsenti judicio judicium meum, id est, examina discretionem fidei meæ. Non enim per arrogantiam petit iste judicari in futuro, sed vult a Deo examinari suum judicium quo Deum credit, et incarnationem Christi, de quo, id est pro quo judicio, omnes sancti securi sunt nec timent diem judicii, quia in his qui bene judicant credendo, sciunt se glorificandos, sancti quia tales sanguine Christi redimendi erant. Et redime me sanguine passionis. Et vivifica propter eloquium tuum, quod dicit : *Qui credit in me non morietur ; sed habebit vitam æternam* (*Joan.* XI). Me vivifica, sed,

VERS. 3 (155). — « Longe a peccatoribus « salus, quia justificationes tuas non exquisie- « runt. »

Longe est *a peccatoribus salus*. [Aug., Ambr., Cassiod,] Non a me, qui justificationes exquisivi.

A Hoc specialiter de Judæis dicit, qui latronem elegerunt, Salvatorem repulerunt. In hoc tamen omnes devotos animos, perfidos terret. Ideo, longe est ab eis salus, quia longe se fecerunt ab ea. Quod ita dicit, quia *justificationes tuas non exquisierunt*, quod iste ab eo se accepisse videns, scilicet ut custodiret justificationes, dicit :

VERS. 4 (156). — « Misericordiæ tuæ multæ, « Domine, secundum judicium tuum vivifica « me. »

Misericordiæ tuæ. [Ambr., Aug., Ambr.] Vel ita continua : Et si longe a peccatoribus sit salus, tamen nemo desperet, quia, o *Domine, misericordiæ, tuæ multæ sunt*. Qui enim suo peccato pereunt, misericordia Domini liberantur ; palam apparuit non

B quærentibus, vocavit refugientes, congregavit ignaros pro omnibus se obtulit ; *et secundum judicium tuum vivifica me*. De futuro judicio dicit hoc, quia scit quod judicium Dei non erit sine misericordia, super eum qui fecit misericordiam. Vel de judicio præsenti quo parcit pœnitentibus hic agit. Et est, vivifica me secundum judicium tuum. Non secundum illud quod omnes timent. De quo alibi : *Non intres in judicium cum servo tuo* (*Psal.* CXLII). Sed secundum illud quo parcis confitentibus. Ideo post misericordiam subdit de judicio, quia non est misericordia sine judicio. Ideo vivifica me quia

VERS. 5 (157). — « Multi qui persequuntur me, « et tribulant me ; a testimoniis tuis non declina- « vi. »

C *Qui persequuntur me et tribulant me multi* sunt [Ambr., Aug.] quibus adjuncti sunt et mali spiritus. Per hoc notatur et gravis persecutio, quæ fit a multis in unum, impletum est hoc in Ecclesia, quæ tot habuit persecutores martyrum. Præparata enim est universa terra sanguine martyrum, floret cœlum coronis martyrum, ornatæ sunt Ecclesiæ memoriis martyrum ; signata sunt tempora natalibus martyrum, crebrescunt sanitates meritis martyrum. Et licet sint multi, tamen, *Non declinavi a testimoniis tuis*. [Cassiod., Aug., Gl. int.] Gratius est hæc inter pericula servari, quod est nobis a Deo. Unde sequitur in alio psalmo : *Nisi quia Dominus adjuvit me, paulo minus habitasset in inferno anima mea* (*Psal.* XCIII). Sequitur in alio psalmo : *Nisi quia Dominus*

D *erat in nobis, forte vivos deglutissent nos* (*Psal.* CXXIII). Ego non declinavi.

VERS. 6 (158). — « Vidi prævaricantes et tabescebam, quia eloquia tua non custodierunt. »

Vidi ante *prævaricantes*, [Aug., Cassiod.] id est declinantes a testimoniis, quia non ferunt tribulationes. Alii codices habent : *non servantes pactum*, quod idem est. Pactum dicitur a pace, quasi pacis actum, id est inter dissidentes affectu gratiæ diffinita conditio, quæ convenit utrique legi, scilicet ut pactum appelletur, quæ statuta est, ut homo in gratiam, et pacem Dei revocaretur, quod pactum, id est utramque legem debiles non servant, cedentes persecutoribus pro quibus amissis sociis dolent

sancti. Unde subdit hic : *Et tabescebam* zelo amoris. [Aug., Hilar.] Vel pactum dicit, quod Judæi pepigerunt, dicentes : *Omnia quæcunque dixerit Dominus, hæc faciemus* (*Exod.* XXIV) : sed post coluerunt idola ; quos cives et parentes suos lugent sancti. [Ambr., Aug.] Unde ait, et tabescebam zelo charitatis. Beatus qui in charitate Dei tabescit. Deinde exponens in quo sunt prævaricantes, subdit, *quia eloquia tua non custodierunt*, sed in tribulatione negaverunt. In hoc sunt prævaricantes, sed ego ab eis differens,

VERS. 7 (159). — Vide quoniam mandata tua « dilexi, Domine, in misericordia tua vivifica me. »

Dilexi, o Domine, mandata tua. [Aug., Ambr., Cassiod.] Unde scilicet ex dilectione est fructus omnium passionum. Ideo ait dilexi, non tantum non negavi quod martyres facere cogebantur, et non facientes intolerabilia patiebantur. Et, o *Domine, vide*, hoc scilicet, *quoniam dilexi mandata tua*, id est placeat tibi, et remuneretur a te dilectio mea. Vel ita continua, quasi dicat : *Vidi prævaricantes et tabescebam*. Et ideo, o *Domine, vide quoniam dilexi*, etc. Illo merito dixit, scilicet qua tabescebam. Hoc merui, scilicet a te conspici ; supra dixit, *vide humilitatem*, hic item dicit, *vide*, addens, *quoniam dilexi mandata tua*. [Ambr.] Secundum legem veterem hoc dicitur, quæ præcipit ut unusquisque ter in anno non vacuum se offerat in conspectu Dei. Sanctus vero quotidie non vacuum se offert quidem, quoniam dicit : mandata tua dilexi. In hoc se offert quod diligit. Ipsa enim dilectio oblatio est. Unde alibi : *In me sunt, Deus, vota tua* (*Psal.* LV). Et nota quod ait, dilexi ; quod plus est quod servare, quia hoc est charitatis, illud necessitatis vel timoris. Ideoque in Exodo, illi soli præcipiuntur offerre ad construendum tabernaculum, qui spontanea voluntate et hilari animo accedunt. *In misericordia*, [Aug., Haym.] quasi dicat : Dilexi mandata, unde hoc præmium postulo, *vivifica me in misericordia tua*, non in meritis confido, sed si misericordia est in præmio, quod debet reddere justitia : quanto magis impensa est misericordia, ut obtineretur victoria, cui debetur utique præmium in victoria, manifestior est misericordia. Et in misericordia ergo vivifica me, quia isti mortificant. [Aug., Gl. int.] Quod utique facies, quia dixisti hoc in Scripturis, quæ veræ sunt, et quæ dicis vera sunt, nam

VERS. 8 (160). — « Principium verborum tuo« rum veritas ; in æternum omnia judicia justitiæ « tuæ. »

Principium verborum est *veritas*, [Cassiod.] id est a principio verborum tuorum vera dixisti, principium verborum est principium Scripturarum, ut Genesis, a quo principio vera dixit Deus, et usque in finem veritatis verba servat. Unde, *Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt* (*Luc.* XXI). Et quia tetigit quod in principio gestum est, addit quod post finem sæculi fiet, subdens, *in æternum* durabunt *omnia judicia justitiæ tuæ*. Judicia justi-

A tiæ perpetuo stabunt, quia sententiam de bonis vel de malis datam, nec tempus, nec ulla res, subvertet. Vel ita : Principium, [Aug.] quasi dicat : Vere vivificabis me, qui promisisti. Et principium verborum tuorum est veritas, id est a veritate tua verba procedunt. Et ideo vacua sunt, et neminem fallunt, quibus prænuntiatur vita justo, pœna impio. Hæc sunt quippe, in æternum omnia judicia justitiæ tuæ, quia judicium Dei de omnibus in æternum manebit.

COLLATIO IN ר RESCH.

VERS. 2 (154). — *Judica judicium meum.* Sic omnino et Sanctes. Et hic accipitur judicium pro causa, ut habes in expositione. Posset quis hæsitare de fidelitate scriptoris ex versione Munsteri, *vindica causam meam*, ceu scriba posuisset hic, *judica* pro *vin-*
B *dica*, sed hoc non ita est, quia verbum Hebraicum utrique accommodum est. Hier. habet, *judica causam;* Pratensis, *decreta contentionem meam*, sive, ut habent interpretes pro Cajetano, *Litiga litem meam.* Quod exposuit Campensis, *suscipe patrocinium causæ meæ.* ריבה ריבי RIBAH RIBI, Græce κρῖνον τὴν κρίσιν.

ש SIN.

Principes persecuti. [Cassiod., Alcuin.] Qui supra humilitatem Deo obtulit, in hoc vicesima prima littera, gratas sibi dicit persecutiones, quibus tanquam emplastris vulnera peccatorum curantur. Unde : *Da nobis auxilium de tribulationibus* (*Psal.* LIX). Et alibi Dominus ait, *Ego occidam, et ego vivere faciam ; percutiam et sanabo* (*Deut.* XXXII). Ideoque huic octonario congrue præmittitur ש
C littera *Sin*, [Ambr.] quæ interpretatur *super vulnus*, quasi *emplastrum*. Dicit enim quod tribulatio curat vulnera peccatorum, et dat salutem. Vulnus ergo est peccatum, super vulnus tribulatio. Vel vulnus intelligitur ipsa tribulatio, super vulnus consolatio eloquiorum Dei, medicamentum cœlestium præceptorum. Istud est spirituale malagma, quo omne nequitiæ virus aboletur, quo non aduruntur, sed magis foventur atque liberantur collisi. Ad hanc ergo divinæ gratiæ medicinam iste quasi a latronibus vulneratus, exsultans vero Samaritano vulnera sua detegit curanda, dicens :

VERS. 1 (161). — « Et principes persecuti sunt « me gratis ; et a verbis tuis formidavit cor meum. »

Principes, etc. [Ambr., Gl. int. ; Ambr.] Quasi di-
D cat : Vivifica et necesse est, quia *principes* hujus mundi rectores tenebrarum, non quilibet, sed multi, quod supra in alio octonario dixit, *persecuti sunt me*, hoc est vulnus, *gratis* quia nihil suum in me habent, non gratis persequuntur eum qui se eorum dederit potestati. In suos enim jure vindicant sibi dominatum, a quibus mercedem iniquitatis efflagitant. Alii libri habent, *non ingratis* ; quod idem est. [Aug.] Vel, principes terræ, scilicet homines regnis terrenis præsidentes. Persecuti sunt me gratis, id est sine causa. Christiana enim religio non læserat reges terræ, quia etsi liberi sint Christiani, etsi habentes regna cœlorum, tamen reddunt quæ sunt Cæsaris Cæsari. Quorum etiam rex, scilicet Christus tributum de ore piscis persolvit. Et licet persequan-

tur, tamen *cor meum formidavit a verbo tuo*. Quibus dixisti : *Nolite timere eos qui occidunt corpus, potius timentes eum qui animam et corpus potest mittere in gehennam* (*Matth.* x). Timor tuus excludit timorem eorum. Licet enim expellar, proscribar, occidar, ungulis torquear, ignibus torrear, membris dilanier; tamen plus timui tua verba, quam eorum minas. Et sic vici, unde multa spolia inveni. Et ideo

VERS. 2 (162). — « Lætabor ego super eloquia « tua, sicut qui invenit spolia multa. »

Lætabor ego, [Ambr., Alcuin.] victor quod non est ille, qui non patitur. Lætabor dico, *super eloquia tua*. Iste qui prius timet a verbis Dei, postea lætatur in verbis Dei. Bona ergo trepidatio verbi Dei, quæ exsultationem generat. Et hoc est super vulnus, quia eloquiis Dominicis vulneris curamus dura. Lætabor dico *sicut qui invenit spolia multa*. Spolia sunt æterna, quæ diabolus conatur auferre, et conversio persecutorum, quæ inventa sunt quando patientiam mirati martyrum, etiam persecutores crediderunt. [Ambr.] Et est hoc similitudo a victoribus qui victis spolia detrahunt. Vel spolia multa dicit Scripturas, sapientiam, justitiam, resurrectionem. Et omnia in Christo quæ iste a Judæis abstulit, et quasi sine labore invenit, quæ ante non habebat.

VERS. 3 (163). — « Iniquitatem odio habui et abo« minatus sum ; legem autem tuam dilexi. »

Iniquitatem, etc. Ita construe. [Cassiod., Ambr., Aug.] Quasi dicat : Lætabor super eloquia tua, *et dilexi legem tuam, iniquitatem autem*, non hominem *odio habui et abominatus sum*. Longe faciens a me. Amor bonorum odio malorum probatur. Legem ergo dicit veterem, quæ significantiam habet Novi Testamenti, ne quis putaret negligendam. Vel ita supra dixit se formidasse, a verbis Dei, ne autem ex formidine quam dixit putes odisse verba Dei, addit, iniquitatem, quasi dicat : Formidavi a verbis tuis et iniquitatem odio habui, legem autem tuam dilexi, timore casto, non perit amor. Illa ergo formido non facit odium verborum Dei, sed integram charitatem, ut ametur Deus, cujus verba timentur. Si enim patres a piis filiis timentur et amantur, et pudica conjux virum, et timet ne ab illo deseratur, et amat ut fruatur, multo magis pater qui est in cœlis, qui a nullis diligitur, nisi a quibus lex ejus diligitur. Ideo iste ait : Dilexi legem tuam, et si aliquando corripit, tamen dilexi : unde subdit : et

VERS. 4 (164). — « Septies in die laudem dixi ti« bi super judicia justitiæ tuæ. »

Septies, id est semper, *in die* in hac vita *laudem dixi tibi*, [Aug.] numerus iste universitatem indicat, quia septem diebus omnia tempora aguntur. Unde recte pro universitate ponitur, sicut ibi : *Septies cadit justus, et resurgit* (*Prov.* XXIV). Cadit quidem, non peccat prævaricando, quia tunc non justus. Sed cadit omnibus modis tribulationum. Humiliatus

A resurgit, id est non perit, sed proficit ; econtra hoc subditur de malis, Impii infirmabuntur in malis, id est tribulationibus. [Alcuin., Cassiod., Haym.] Vel, septies in die, id est septem dierum toto tempore, laudem dixi tibi ; vel septies, id est septiformi Spiritu plenus ; vel septies, id est septem vicibus, ut mos est religiosis, in die laudem dixi tibi *super judicia*, id est flagella, *justitiæ tuæ*, id est, quibus corrigis et justificas filios quos recipis. Dilexi legem tuam, et merito, quia jam

VERS. 5 (165). — « Pax multa diligentibus legem « tuam, et non est illis scandalum. »

Pax multa, [Ambr., Gl. int., Ambr., Cassiod.] est in mente, et si non est omnimoda. Vel, pax multa erit in futuro, ubi vere multa *diligentibus*
B *legem tuam*. Charitas enim pellit omnes tribulationes. *Et non est illis scandalum*, et si inquietudo, id est non offendunt in petram scandali (*I Petr.* II), ut Judæi et hæretici. Illi qui diligunt, non scandalizantur, [Ambr.] quia non sunt pusilli, de quibus Dominus : *Quicunque scandalizaverit unum de pusillis his*, etc. (*Matth.* XVIII), pusillorum est scandalizari. [Aug.] Vel, non est illis scandalum, ipsa lex ; quia qui diligit legem, si quid in ea non intelligit, honorat ; et quod absurde sonare videtur, judicat esse magnum, et se nescire. Et ideo, lex. Non est ei scandalum, vel nullum undecunque est ei scandalum, quia fides ejus ex ipsa lege pendet, non ex hominum moribus, ne aliquibus cadentibus qui magni habebantur, ipse scandalo pereat. Securus vero legem
C diligit, et est ei pax, et nullum scandalum, in qua lege etiam si multi peccant, ipse non peccat, nec peccare novit.

VERS. 6 (166). — « Exspectabam salutare tuum, « Domine, et mandata tua dilexi. »

Exspectabam, [Aug.] Ecclesia est quæ loquitur. Quasi dicat : Dilexi legem, etc., o *Domine, exspectabam salutare tuum*, antiqui justi primum adventum exspectaverunt, nos secundum, pro quo et illi et nos mandata diligimus, nec profuisset antiquis dilexisse mandata nisi Christus qui est salutare Dei eos liberasset ; Et *mandata*. Quasi dicat : Exspectabam, et ideo *dilexi* mandata tua per quæ habeo salutare. Dico dilexi mandata tua, etc.

VERS. 7 (167). — « Custodivit anima mea testi-
D « monia tua : et dilexit vehementer. »

Custodivit anima mea testimonia tua. [Aug., Ambr., Cassiod.] Custodivit testimonia, qui non negat, quod est martyrum, sed quia nil valet pati sine charitate, addit, *Et dilexit ea vehementer* : quod plus est quam custodire. Quod ait, custodivit, hoc ad tolerantiam pertinet, ne amitteret quod habet religio ; quod ait, dilexit, hoc ad charitatem tormentis fortiorem. Et quia dilexi mandata et testimonia, ideo

VERS. 8 (168). — « Servavi mandata tua et testi« monia tua, quia omnes viæ meæ in conspectu « tuo. »

Servavi mandata tua et testimonia tua. [Alcuin.,

Aug.] Mandata in jubendo, testimonia in prohibendo accipe. Vel mandata, præcepta, testimonia, martyria. Et nota quod supradixerat mandata dilexi, et post, testimonia custodivi, et dilexi; nunc simul utraque ponit, ut utraque custodita scires, cum ait, servavi mandata tua et testimonia tua. Qui enim diligit ipsa veraciter et libenter servat, sed, quia modo inimici sunt mali, contra quos fortiter sunt custodienda testimonia, quod fecit utraque servans, Deo tribuit dicens : *Quia omnes viæ*, etc. Quasi dicat : Per hoc potui custodire, quia omnes viæ *meæ* sunt *in conspectu tuo*, id est, quia Deus dignatus est intendere, qui illuminat, et errores fugat. Quod si faciem avertisset, fierem turbatus, nec ea custodirem [Ambr.]. Ideo ait : omnes viæ meæ sunt in conspectu tuo, quia aliter nulla via bona est, nisi quam Deus illuminat.

COLLATIO IN ש SIN

VERS. 6 (166). — *Mandata tua dilexi.* Hebræi עשית ASITHA, hoc est *feci*. Atqui mandata Dei procul dubio ex charitate fieri debent. Rom. XIII : *Plenitudo legis est dilectio.* Ut quisquis mandata Dei efficaciter dilexerit, jam ea fecit.

ת THAU (179).

Appropinquet [Cassiod.] Qui supra gratas sibi fore tribulationes dicebat, in hac postrema littera Christo desiderat proximare, precans ut veniat, et ovem perditam revocet, studiosius se purgans, quanto fruitur vicinitate virtutis. Et, quia Christus veniens consummationem æternæ beatitudinis contulit, et ab errore ad patriam reduxit, [Ambr.] ideo huic octonario recte præmittitur littera *Thau*, quæ interpretatur *erravit* vel *consummavit*, quia hic dicit se habere consummationem, id est vitam æternam. Vel jam olim se errasse dicit, non modo : nunc autem dicit se reportandum ad patriam, a pio pastore. Ideo interpretatur congrue *erravit*, et non errat. Errasse enim præteriti temporis est, errare præsentis. Qui erravit, desinit errare, et veterem condemnat errorem. De eo enim dicitur erravit, qui in errore jam non sit. Quod si est, non errasse, sed errare dicitur. Errare enim est permanentis in vitio; errasse corrigentis est lapsum. Non est autem vitii, sed profectus, renuntiasse errori, est etiam in hoc consummatio, ut altera docet interpretatio, id est disciplinæ perfectio, quia plus est a vitio se revocasse, quam prope vitia ipsa nescisse. Imbutos enim a vitiis animos exurere atque emendare non solum perfectæ virtutis, sed cœlestis est gratiæ, quasi dicat : Quia sic et sic egi,

VERS. 1 (169). — « Appropinquet deprecatio mea « in conspectu tuo, Domine; juxta eloquium tuum « da mihi intellectum. »

Appropinquet tibi, o *Domine, deprecatio mea.* [Ambr.] Peccator longe est, hoc dicit vir perfectus. Hæc enim confidentia, non est nisi viri consummati; vel vox est hic viri non perfecti. Et ideo non ait, ego appropinquem, sed, deprecatio mea appropinquet. Et si non ego, quod dicere perfectorum est, scilicet appropinquare Deo. Deprecatio dico facta *in conspectu tuo* [Aug., Ambr.]. Quæ est illa deprecatio? ista *da mihi intellectum juxta eloquium tuum*, id est promissum tuum, quia dixisti supra : Intellectum tibi dabo. Vel, eloquium dicit legem Dei. Et est : Da mihi intellectum, quo sapiam, juxta eloquium tuum. Juxta eloquium Dei petit ut sapiat, ne per humanam prudentiam evanescat.

VERS. 2 (170). — Intret postulatio mea in con« spectu tuo ; secundum eloquium tuum eripe me. »

Intret etiam ad te *postulatio mea* facta *in conspectu tuo.* [Ambr., Alcuin.] Gradatim ascendit. Prius enim dixerat appropinquet; hic dicit, intret, quod plus est. Ecce orationis virtus. Nota etiam quod deprecatio hic est de adhibendis bonis, postulatio de removendis malis. Unde subdit : *secundum eloquium tuum*, [Ambr., Aug.] id est, promissum *eripe me*. Grave est enim tandiu luctari hic. Vel eloquium dicit legem Dei. Et est, eripe me, a labe carnis scilicet, secundum eloquium **275** tuum, id est per eloquia tuæ legis. [Cassiod.] Nota quia qui supra secundum eloquium petit intellectum, ut superna videat, hic per idem eloquium ut a concupiscentiæ labe purgetur petit. Utrumque enim facit eloquium Dei, et bene hæc duo petit : Da mihi intellectum et eripe me; [Aug.] accipiendo quippe intellectum eripitur, qui per se ipsum non intelligendo, decipitur. Da intellectum, quia tunc

VERS. 3 (171). — « Eructabunt labia mea hym« num, cum docueris me justificationes tuas. »

Eructabunt labia mea, [Ambr., Hilar., Aug.] quasi de pleno, quia plenus est pane cœli, pane scilicet qui de cœlo descendit; *hymnum*, id est laudem Dei. Intus deliciis Dei saginatus, hymnum eructat, quasi lingua non humano sensui, sed divino famulatur spiritui. Eructabunt dico, *cum docueris me justificationes tuas.* Aliter non eructabunt, nisi ipse doceat, quia unus est magister, qui docet, scilicet Deus. Docet vero Deus quando qui audit et discit venit ad eum, ut non solum memoria teneat, sed et faciat justificationes : et sic non in se, sed in Domino glorians, hymnum eructat. Qui autem didicit et doctorem suum laudavit, jam vult docere, Unde subdit :

VERS. 4 (172). — « Pronuntiabit lingua mea elo« quium tuum, quia omnia mandata tua æquitas. »

Pronuntiabit lingua mea, [Aug., Ambr., Cassiod.] ut sim minister verbi, eloquium tuum non otiosum verbum. Unde reddenda est ratio, sed eloquium tuum. Unde est salus, quod decet pronuntiari, quia æquitate fulget. Unde subdit, *quia omnia mandata tua æquitas*, [Aug., Ambr.] id est æquitate plena. Sciens autem iste quæ pericula sequantur docentem a contradicentibus, addit :

VERS. 5 (173). — « Fiat manus tua ut salvet me : « quoniam mandata tua elegi. »

(179) Thau interpretatur juxta Hieron. *signa*.

Fiat manus tua, [Aug., Hilar., Aug.] id est adjumentum tuum, ut salves. Vel, salvet *me* de manu aliena, ne timeam; sed ut pronuntiem quod hac fiducia peto, *quoniam mandata tua* de omnibus aliis *elegi* et timorem amore compressi. Et

VERS. 6 (173). — « Concupivi salutare tuum, Domine, et lex tua meditatio mea est. »

Concupivi salutare tuum, o *Domine*. [Ambr.] Alii alia quærunt; ego autem non nisi salutare tuum. Et ideo *lex tua meditatio mea est*. Qui enim cupit salutem Dei, meditatur in lege, nec inde avertitur aliqua cura hujus sæculi. Jugis est ei meditatio divinorum decretorum.

VERS. 7 (174). — « Vivet anima mea et laudabit te; judicia tua adjuvabunt me. »

Vivet anima mea. [Cassiod., Ambr.] Quasi dicat: Fiat manus, et sic *vivet* in futuro *anima mea*. Ad ipsum loquitur, quem desiderat promittens animam in æternum vivere, quæ credit, *et* tunc plene *laudabit te* novo cantico, *et judicia tua* quibus judicabis, vel judicabit in futuro, quando dicet: *Venite, benedicti*, etc. (*Matth*. XXV) non perdent, sed *adjuvabunt me* perfecte, quia qui credit in me non damnabitur. Proderit enim illi fides, et suffragabitur ad veniam, etiamsi quam offensam habet. Vel ita: Fiat manus, adventum Domini orat, [Aug.] quia manus Patris est Christus. Unde Isaias: *Et brachium Domini cui revelatum est?* (*Isa*. LIII.) Et alibi: *Dextera Domini fecit virtutem, etc.* (*Psal*. CXVII). Quasi dicat: Ut hæc prædicta impleantur, manus tua, id est Filius tuus, fiat, ex semine David, [Aug.] ut qui est Creator sit Salvator. Unde subdit, ut salvet me. Quod hac fiducia peto, quoniam mandata tua elegi, et vere, quia concupivi videre, o Domine, salutare tuum, id est Christum, quem antiqui cupierunt nasciturum, ipsum Ecclesia concupivit; de visceribus matris venturum, ipsum Ecclesia cupit ad dexteram Patris venturum. [Cassiod., Aug.] Salutare ergo dicit Christum nominando salutare. Aperte dicit, quod prius in ænigmate dixerat, quem qui cupit ex Scripturis habet. Et hoc est quod sequitur, *lex tua meditatio mea est*, quia perhibet testimonium Christo, et licet occidatur caro, quæ te prædicat, vivet tamen anima mea et laudabit te, et judicia tua, quæ incipiunt a domo Dei, adjuvabunt me. Sanguine crevit Ecclesia.

VERS. 8 (175). — « Erravi sicut ovis quæ periit; quære servum tuum, Domine, quia mandata tua non sum oblitus. »

Erravi. [Cassiod., Aug.] Novissime aperitur quæ ex persona per totum psalmum loquebatur, scilicet generalis justus. Dico adjuvabunt, et vivam; sed olim ab Adam *erravi* lege peccati, quia declinavi a via ad vitia. Erravi dico *sicut ovis*. Ecce comparatio evangelica ubi dicitur, quod pastor, relictis nonaginta novem ovibus in deserto, ivit quærere centesimam ovem perditam (*Luc*. XV). Unde hic ait, *quæ periit*, quæ scilicet lupis exponitur quam nec fuga nec sua vis liberet. Dicit autem, periit, non perit, quia jam ex parte redempta: quod ut perficiatur, orat subdens: O Domine Christe, *require servum tuum*, [Ambr., Aug., Alcuin.] tu Christe, require, quia infirmus homo te non potest quærere quasi ut cœpisti, Perfice dico quære, quod ideo debes, *quia*, et si erravi, *mandata tua non sum oblitus*, quasi quære me, quia quæro te, ex hac parte qua dicit, mandata tua non sum oblitus. Erat ovis inventa, sed adhuc ex alia parte quæritur, et per fusum sanguinem pastoris judaicis vepribus lacerati in omnibus gentibus invenitur. Congrue vero post prædictorum meritorum gradus, veteres recolit colluviones, ut de sua perfectione non superbiat; sed humilis Deo tribuat totum, quia non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos; sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit, ut cum omnia bene fecerimus, dicamus: *Servi inutiles sumus; quæ debuimus facere fecimus* (*Luc*. XVII.) Hac humilitatis professione liberari meremur. Unde, in Ezechiele, illi soli liberantur, in quorum frontibus Thau reperitur scriptum (*Ezech*. IX), quia aliter humana conditio lassa non recrearetur, nisi abdicatis veteris vitæ erroribus, frons vitæ innovata virtute humilitatis insigniatur. Inde est quod parvulo post omnia dicenti: *Benedicamus Domino*, seniores alia voce idem respondent: *Deo gratias*, ut quanto perfectiores, tanto humiliores ad Deum omnia referant, se velut parvulos æstimantes, et puerili simplicitate, Deo post omnia gratias agentes. Ideo post omnia ponitur Thau.

COLLATIO IN ת THAU.

VERS. 1 (169). — *Appropinquet*. Sic Chaldæus, Nebiensis, Pellicanus, Pratensis, Sanctes, et interpretes pro Cajetano. Hieronym. *ingrediatur*; Munsterus *præveniat*; Translator ad Campensem, *penetret*; Paraphrasis hujus, *admittatur*. Hebraice תקרב TIQRAB, simpliciter ab verbum est *appropinquavit*. sed ponderando affectum precantis, eumdem sensum licet variis verbis efferre.

Deprecatio mea. רנתי RINNATHI. Hieronymus, Nebiensis, *laus mea*. Itidem Pellicanus, Chaldæus et editio ad Campensem, similiter nobis. Cæteri, *clamor meus*. Radix a qua deformatur dictio præscripta רנן RANAN, est *laudare, cantare, lamentari, precari*. Ob idque *appropinquet deprecatio* flebilis gratiarum actionis et laudis *in conspectu tuo*.

VERS. 4 (172). — *Pronuntiabit*. Sunia et Fretella, qui legerant in Græco φθέγξεται, dicebant esse simpliciter, *nuntiabit*. Respondet Hieronymus: « Illud verbum, sive dicas *pronuntiabit*, sive *effabitur*, sive *loquetur*, idipsum significare. » Deinde subdit quomodo ex Hebræo verterit, *loquetur lingua mea sermonem tuum*. Nunc tamen invenio in Græcis codicibus φθέγξαιτο *pronuntiet*. Ad sensum nihil interest.

PSALMUS CXIX.

PSALMI TITULUS : « CANTICUM GRADUUM. »

Ad Dominum cum tribularer. Titulus : *Canticum graduum.* [Cassiod.] Beatitudinem quam superior psalmus unita meritorum varietate cantavit, isti sequentes psalmi ordinatis XV gradibus, tam psalmorum quam meritorum in sacramentum Veteris et Novi Testamenti explicant. [Alcuin.] Septenarius enim ad vetus refertur, octonarius ad novum. Patres namque Veteris Testamenti hebdoadi, id est septenario serviebant ; observabant enim septimum diem, vel sabbatum, septimam septimanam, septimum mensem, septimum annum, et septimum annum septimæ decadis, qui jubilæus dicitur (*Levit.* XXIII, XXV). Patres vero Novi Testamenti ogdoadi serviunt, id est octonario, quia servant octavum diem quæ Dominica dicitur, et octavas martyrum, et octavam resurrectionis exspectant. Ideoque per octonarium et septenarium duo Testamenta signantur. Unde Salomon : *Da partes septem, nec non et octo* (*Eccle.* XI). [Hilar.] Quindecim graduum fit distinctio, ut per hæc significetur duorum Testamentorum doctrinam in his gradibus contineri. Et sunt hic quindecim gradus, sicut in templo Salomonis totidem erant gradus, quibus ascendebatur in templum quod est figura cœlestis templi, ad quod his gradibus ascenditur. Hæc est scala Jacob. In scalis enim vidit Jacob angelos ascendentes et descendentes (*Gen.* XXVIII). [Aug.] Hi sunt spirituales doctores, qui per hos meritorum gradus quasi per quædam interscalaria ascendendo proficiunt usque ad intellectum spiritualium, et quasi descendentes parvulis se contemperant non cadentes. Cadit enim qui deficit, descendit qui se contemperat parvulis. Cecidit Adam per superbiam intumescens ; descendit Christus per misericordiam parvulis condescendens. Sic et sui per humilitatem descendunt, non per superbiam cadunt. Unde Apostolus : *Sive enim mente excedimus Deo, sive sobrii sumus vobis* (*II Cor.* V). His ergo gradibus inoffenso pede mentis ascenditur atque descenditur. Graduum autem nomen ambiguum est apud nos, quia gradus dicimus ascendentium et descendentium. [Aug., [Cassiod., Aug.] Apud Græcos certum est quod ascendentium tantum sunt gradus. Est autem hic ascensus, qui fit non pedum passibus, sed promotione affectuum, ut de virtute in virtutem ascendatur, ubi charitas movet pedem. Ideoque quanto quis plus diligit, tanto magis ascendit : et ideo congrue præponitur canticum, quod est exsultatio mentis habita pro æternis. Et est sensus : hic est *canticum graduum*, id est mentis exsultatio de ascensu spirituali, quia spirituales gradus sunt isti. Ascendens ergo hic loquitur, sed videndum est quis ascendat, ubi et unde, et in quid ascendat, et per quem. Quis? vir justus ; ubi fit ascensus? in corde. Unde alibi : *Ascensiones in corde suo disposuit (Psal.* LXXXIII). Unde ascendit ? A convalle plorationis. In quid ? in A illud quod oculus non vidit, nec in cor hominis ascendit : (*I Cor.* II). Per quem ascendit ? per Verbum incarnatum, quod descendit ut per ipsum nos ascenderemus. Verbum enim caro factum, calicem bibens passionis, factum est nobis convallis plorationis. Manens vero apud Deum est mons ascensionis. Sic enim descendit ad te, ut maneret in se ; descendit ad te, ut fieret tibi convallis plorationis ; mansit in se, ut esset tibi mons, ad quem ascenderes. Ab exemplo ergo humiliationis ejus ascendatur ad voluntatem, et altitudinem deitatis ipsius. Primus autem gradus est a malis sæculi exire, et universæ vanitati renuntiare. [Cassiod., Alcuin.] Initium enim profectus est carnalia vitia relinquere, et Domino supplicare. Unde in veteri lege quando B emebatur mancipium gentile radebantur ungues ejus, et capilli tondebantur (*Deut.* XXI). Quia oportet veterem vanitatem quemque exuere, ut Domini obsequio mancipetur. Hic ergo a renuntiatione sæculi, quibusdam gradibus meritorum, ad æternam et perfectam pervenitur charitatem, quæ in summo gradu locata est. Intentio : [Hilar.] Nos monet ascendere, quæ eadem est in omnibus, sicut et unus titulus. Modus : [Cassiod.] Bipartitus est psalmus. Primo ascendere incipiens, quia multos invenit obsistentes a linguis eorum cupit liberari. Secundo de permistione malorum conqueritur, ibi, *heu mihi !* Justus ergo volens exire de malis sæculi, quibus premebatur, dicit se clamasse ad Dominum sic :

VERS. 1.—**276** « Ad Dominum, cum tribularer, « clamavi ; et exaudivit me. »

C *Cum tribularer*, [Hilar.] peccatis, *clamavi* intensione cordis, *ad Dominum*, ut me educeret ; *et exaudivit me*, [Aug.] constituendo ad gradus ascendendi, ubi orat contra linguas detrahentium, dicens :

VERS. 2. — « Domine, libera animam meam a « labiis iniquis : et a lingua dolosa. »

Domine, libera. [Aug., Cassiod.] Cum enim incipit homo ascendere, id est cogitat perficere contempto sæculo soli Deo hærens incipit pati linguas adversantium, id est detrahentium, et quod gravius est, quasi consulendo a salute avertentium. Has ergo, qui non patitur, nondum proficere conatur. Ascensurus ergo primum contra eas precatur. Quasi dicat : Quia me in gradu constituisti, jam ergo. o *Domine, libera animam meam a labiis ini-* D *quis*, quæ iniqua suadent ; *et a lingua dolosa*, quæ specie consulendi plus nocet. Hæc talia converso mox occurrunt, unde primus homo corruit. Labia enim iniqua fuerunt quibus expressum est : *Comede* (*Gen.* II). Lingua dolosa, qua palliato fine consilii dictum est : *Eritis sicut dii* (*Gen.* III). Sed Dominus quasi exercens istum, dicit ei :

VERS. 3. — « Quid detur tibi, aut quid apponatur « tibi ad linguam dolosam ? »

Quid detur tibi. [Aug., Alcuin., Aug.] Quasi dicat : Tu dicis libera, sed *quid detur tibi aut quid appo-*

natur tibi, quo te munias *ad*, id est contra *linguam dolosam* quæ iniqua suadet? Duo verba posuit, dari et apponi, quia sagittæ dantur in arma, et carbones apponuntur quasi in consolatione. Unde Dominus respondens subjicit suæ interrogationi :

VERS. 4. — « Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus desolatoriis. »

Sagittæ potentis acutæ dabuntur *cum carbonibus desolatoriis*, vel, vastatoriis ; quod idem est. [Aug.] Sagittæ acutæ sunt verba Dei, quia verbis Dei sagittatur cor ad amorem Dei, ut fiat in eo vulnus amoris, non livoris. Unde in Canticis : *Vulnerasti cor meum charitate* (*Cant.* IV). Carbones vero sunt exempla iniquorum conversorum ad Deum, qui bene dicuntur carbones, qui de mortuis reviviscunt, quando accenduntur et adhibiti mortuis eos accendunt. Ita qui se convertunt ad Dominum de mortuis, reviviscunt igne charitatis calefacti et suo exemplo alios accendunt ut vivant. Hi bene post sagittas exponuntur, quia post exhortationem verborum exemplis agendum est, ut quod verbis accepit quis, credat se posse, cum multi delicati, etiam feminæ, ut Agnes, Agathes, jam illud impleverunt ; et si multum peccaverunt, ut Paulus et Maria, eo amplius amaverunt. Hæc exempla dicuntur carbones desolatorii vel vastatorii, quia vastando ad desolationem ducunt carnales cogitationes, et sæculares amores, qui male fronduerant, ut ita sit locus purus ædificio Dei. Et est, *sagittæ potentis acutæ* dabuntur *cum carbonibus desolatoriis*, id est cum exemplo conversorum ad Deum. [Cassiod.] Vel verba ipsius justi sunt, qui more nimis cogitantis hæsitat, et quærit remedium, dicens : Quid detur, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam. Sententia horum verborum non mutatur : Deinde interrogationi suæ respondet, vel Deus dicens : Sagittæ potentis acutæ, etc. Non mutatur sensus.

PARS. II. VERS. 5. — « Heu mihi, quia incolatus « meus prolongatus est ! habitavi cum habitantibus « Cedar ; multum incola fuit anima mea. »

Heu mihi. [Cassiod.] Secundo de incolatu et permistione malorum conqueritur. Quasi dicat : Accepi sagittas et carbones, sed adhuc inter malos sum. Et ideo, *Heu mihi* ! Acceptis enim sagittis et carbonibus jam factus triticum nondum est in horreo, sed in area, ubi palea multa premitur. Videns ergo multa mala quæ ante non viderat, clamat. Heu mihi. Nulli homini apparent mali, nisi factus sit bonus. Hoc enim Dominus docet in parabola evangelica, qua dicitur quod cum crevit herba et fecit fructum, apparuerunt zizania (*Matth.* XIII). Inde : Heu mihi, *quia incolatus meus*, id est peregrinatio hujus sæculi, *prolongatus est*, quia, etsi breve sit tempus, tamen desiderio nimio longum videtur. [Hilar.] Cur inde gemis ? quia *habitavi*, non cum bonis, sed *cum habitantibus*, vel tabernaculis *Cedar* (180). Cedar fuit filius Ismaelis. Unde Saraceni

A descenderunt, qui verius ab Agar dicerentur Agareni, sed a Sara digniori et libera nomen sibi vindicaverunt, quorum uterque in tabernaculis legitur habitasse. [Aug., Hier., Aug.] Tabernacula ergo Ismael, recte Cedar sunt dicta ; quia Cedar ad Ismael pertinet, sicut in Genesi habetur (*Gen.* XXV). Per Ismael autem sive Cedar significantur mali, sicut per Isaac significantur boni, Isaac ergo modo est cum Ismael, id est spirituales cum carnalibus filiis ancillæ, a quibus et patiuntur sicut Ismael persequebatur Isaac. Et est habitavi cum habitantibus Cedar, vel, cum tabernaculo Cedar, id est cum malis qui significantur per Cedar. Vel secundum interpretationem nominis. Cedar enim interpretatur *tenebræ*. Et est, cum habitantibus Cedar, id est cum

B habitantibus tenebras, sed non est obscuratus ab eis, et est idem sensus cum præcedenti. Per hoc nota quia non est dimittenda unitas corporis christi, id est Ecclesiæ ; non præcidenda ecclesia, quia, si mali nunc a bonis non possunt separari, ferendi sunt. Dico habitavi cum malis, et diu. Et hoc est quod subdit : *Multum incola*, etc. Vel ita continua : Cur cum illis doles esse ? quia multum incola *Fuit anima mea*. Ideo dicit animam incolam, ne putes corporalem peregrinationem, sed spiritualem. Sicut enim corpus peregrinatur locis, ita anima peregrinatur affectibus. Si enim Deum amat anima, ascendit ad Deum ; si autem terram amat, a Deo anima peregrinatur.

VERS. 6. — « Cum his qui oderunt pacem, eram paci« ficus : cum loquebar illis, impugnabant me gratis. »

C *Cnm his*. [Cassiod., Aug., Cassiod.] Quasi dicat : Multum incola fuit anima mea ; et non solum longus, sed et gravis, fuit incolatus, quia *cum his qui oderunt pacem*. Vel sic junge, habitavi cum habitantibus, vel cum tabernaculis Cedar ; et, cum his qui oderunt pacem, id est, qui conscindunt unitatem Catholicam, *eram pacificus*, id est servans unitatem, non iratus, non turbulentus. *Et cum loquebar illis*, id est cum prohiberem a malis, bona loquens, ipsi obstinati *impugnabant me gratis*.

COLLATIO IO PSALMUM CXIX : « AD DOMINUM, CUM TRIBULARER, CLAMAVI, » etc.

VERS. 3. — *Quid detur tibi aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam*. Juniores vertunt active *Quid dabit, et quid apponet tibi lingua dolosa ?* Hieronymus tamen per omnia sequitur Septuaginta. Ex quo

D rursus trahitur argumeutum, præter infinita alia, hic non fecisse punctorum adscriptionem notatam, Nam istæ tres litteræ יתן possunt legi sic יתן IITEN, *quod est dabit*, vel יתן JUTAN, *dabitur* in conjugatione hophal, quam dicunt. Alterum verbum *apponatur*, Hebraice est hiphil יסיף IOSIPH, quod proprie etiam includit aliquam personam patientem.

VERS. 4. — « Cum carbonibus desolatoriis. Hieronym. ac cæteri traducunt, cum carbonibus juniperorum seu genistarum, רתמים RETAMIM. Dicit Munster. cum carbones juniperi incenduntur, ignem diu retinent, et quando foris videntur exstincti, intus adhuc ardent. Itaque per carbones juniperorum, nihil aliud intelligemus, quam carbones vehementer

(180) Ex Hier. in cap. Ezech. XXV.

ignitos, qui recte dicuntur desolatorii, ea ratione quam tradit Hieronymus in Commentar. « Pro desolatoriis, inquit, carbonibus, in Hebræo ἀρχευθίνοις habet; *desolatorem* puto et in Isa., cap. IV, esse carbonem, qui ad labia ejus defertur, ut purget vitia quæ loquendo, sive optima quæque tacendo contraxerat. Et hoc itaque carbonem similem deprecatur, ut detur ei carbo de altario Dei, qui in ejus labiis peccatorum solitudinem faciat, id est a vitiis eum præstet alienum.

VERS. 5. — *Incolatus meus prolongatus est*. Et Hieronymus similiter. Pratensis, *incola fui Etruriæ*.

A Sanctes, Munsterus, Campenses ac Pellicanus reliquerunt ipsum Hebraicum משך MESCHEC, quanquam Pellicanus dicit, MOSOC, exponens *Capadoces*. Interpretes pro Cajetano, pro MESCHER habent *propagatim*. Translator tamen ad Campensem ponit nobiscum, *prolongatur*. Cæterum משך MASCHAH, citra controversiam, Hebræis sonat, *prolongavit*. Unde Septuaginta deflexerunt participium משוך MASCHUC, *prolongatus est*, et sensus longe melius quadrat,

PSALMUS CXX.

PSALMI TITULUS : « CANTICUM GRADUUM. »

Levavi oculos meos. [Aug., Alcuin.] Titulus: *Canticum graduum*. Idem titulus, qui supra. Et idem sensus, id est canticum ascensionis, ascendere autem est in Deum proficere. Profectus ergo gradus est. Secundus vero gradus est petere divinam defensionem, cui nil posse obviare monstratur, qui congrue præmissum gradum sequitur. Cui enim de mundo exeunti pericula occurrunt, exposcere debet divinum auxilium. Congrue ergo qui supra gemebat inter malorum insidias, hic contra eos orat juvari. [Aug.] Non enim est imperitus et improvidus, sicut ille paterfamilias, qui in Evangelio nescit quando fur venturus sit, et dormit (*Matth*. XXIV). Et ideo ipsum subito occupat hora, per quem significantur illi, qui præsumentes de cupiditatibus suis et deliciis bujus sæculi diffluentes tument et eriguntur adversus humiles. Hi sunt qui in diebus Noe nubunt, ducunt, et ædificant (*Matth*. XXIV), id est qui præsumunt de his qui hæc Deo præferunt. Et ideo eos comprehendit hora, sed filios lucis non comprehendit, quia semper vigilant exspectantes Dominum suum quando revertatur (*Luc*. XII). Talis est iste, qui oculos ad Deum levat. Intentio nos ad idem monens. Modus. [Cassiod.] Bipartitus est psalmus. Primo levat oculos et orat. Secundo quod oravit affirmat, ostendens virtutem auxilii impetrati, ibi, *Dominus custodit*. Qui ergo supra, quasi inclinatus clamavit, jam respirans oculos ad intercessores sanctos elevat, dicens :

VERS. 1. — « Levavi oculos meos in montes, « unde veniet auxilium mihi. »

Levavi oculos meos interiores *ad montes* spirituales, [Hier., Aug.] ad sanctos, qui prius illuminati sunt sole justitiæ, per quos apertæ sunt Scripturæ. *Unde veniet auxilium mihi*, quia de Scripturis eorum in hac vita auxilium habemus, sed non est præsumendium de illis, imo de Domino suo, quia

VERS. 2. — « Auxilium meum a Domino : qui « fecit cœlum et terram. »

Auxilium meum est *a Domino* per eos, [Aug.] quia et hi de plenitudine ejus accipiunt (*Joan*. I) : in quos tamen nisi leves oculos per Scripturas, non admoveberis, ut ab eo illumineris. Illi ergo ministri : Deus autem auctor est illuminationis, qui est lux vera, illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, qui potest auxiliari. Ipse est enim *qui fecit cœlum et terram*.

B VERS. 3. — « Non det in commotionem pedem « tuum ; neque dormitet qui custodit te. »

Non det. [Cassiod.] Lætus iste de tali auxillio sibi ipsi loquitur. Quasi dicat : Quia auxilium est Domino, ut ergo firmus sis in gradibus : *Non det Dominus pedem tuum*, id est cogitationem, *in commotionem*, ut cadas per superbiam, qua cecidit angelus et de angelo factus est diabolus. Sic enim ad perficiendum non movet pedem nisi charitas, ita ad cadendum superbia. Charitas enim ad celsitudinem 277 humiles provehit, superbia elatos in ruinam vergit. Dico : Non det pedem in commotionem, *neque* etiam *dormitet* (quod minus est) *qui custodit te*, id est non sinat te pigritari in fide, quia, si dormit in te fides, dormit in te Christus. Fides enim in corde C tuo, Christus est in corde tuo. [Cassiod., Hilar.] Et dicitur hoc ab humana consuetudine, ut quando fessus custos dormitat, furtum patitur. Dormitat vero Christus, quando in fide tepescimus : talis est ipse nobis quales nos ei. Deinde his duobus duo alia reddit, dicens :

VERS. 4. — « Ecce non dormitabit neque dor« miet qui custodit Israel. »

Ecce non dormitabit. [Aug.] Ad hoc enim quod dixit non dormitet, refert *non dormitabit ;* ad aliud vero quod dixit, non det in commotionem, refert *neque dormiet*. Quasi dicat : Ut autem tibi non dormiat, esto, Israel, quia ecce non dormitabit neque dormiet *qui custodit Israel*, id est Christus qui custodit primo per fidem, post videntes per speciem. D Si ergo per speciem nondum potes, per fidem vide ; si faciem ejus videre non vales, quoniam ibi species, posteriora ejus vide. Hoc enim dictum est Moysi a Domino, quærenti faciem ejus videre : *Non potes videre faciem meam, sed sta in foramine petræ, et protegam te dextera mea, et posteriora mea videbis, cum pertransiero* (*Exod*. XXXIII). Qui ergo non potest videre faciem, posteriora videat, cum transierit. Pertransivit enim Christus per passionem a morte ad vitam ; qui transitus Hebraice dicitur pascha. Pascha quidem putatur græcum, quasi passio ; sed vere Hebræum est, id est transitus. In hoc voluit Christus videri, id est credi, non modo in eo quod mortuus est, ut et iniqui credunt, sed quod resur-

rexit. Primum ergo est : *In principio erat Verbum* (*Joan.* I) ; posterius : *Verbum caro factum est* (*ibid.*). Qui ergo credit quod passus est et resurrexit, Israel est. Et huic non dormit Christus. Vel ita : Non det in commotionem. [Cass., Aug.] Loquitur vir justus sibi ipsi, dicens : Non det in commotionem pedem tuum. Non mutatur sensus horum verborum. Deinde ipsi Dominus respondet ei, dicens : Neque dormitet. Quasi dicat : Oras non moveri pedem tuum. Ut autem non moveatur pes, elige tibi, homo, custodem qui non dormit. Et hoc est quod ait : Neque dormitet qui custodit te. Deinde quærit vir justus, quis est custos qui non dormit ? cui respondet Dominus : Ecce, qui non dormit, ille scilicet qui custodit Israel non dormitabit neque dormiet. Dormitat Christus, adhuc mortalis ; dormit moriens, quod non jam Christus. *Christus enim resurgens a mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur* (*Rom.* VI). Ipse est ergo qui vigilat, et nunquam dormit. Unde dicitur ad Jeremiam : *Quid tu vides, Jeremia ? et ait : Virgam vigiliarum ego video, quia ego vigilo super populum meum, dicit Dominus* (*Jer.* I). [Alcuin.] Et dicitur hoc a simili virgæ, quam fur tenet, ut poma vel vestimenta alterius rapiat. Si dormierit ille cujus sunt vestimenta, fur cum virga vigilat. Si autem vigilat ille, fur dormit, et non rapit. Similiter, si homo custodit vestimenta sua, ne ambulet nudus in via, id est bona opera sua, Christus dormit, id est non punit. Si vero dormit homo, Christus vigilat, id est corripit et verberat. Hic est custos, de quo in Isaia dicitur : *Ad me clamat ex Seir, custos quid de nocte* (*Isa.* XXI,) custos quid de nocte ? et dixit : *Custos venit mane et nox, si quæritis, quærite. Convertimini et venite* (*ibid.*) Hic ergo non dormitabit neque dormiet, [Aug.] Sed, ne adhuc putes do aliquo hominum hoc accipi, subdit :

PARS. II. VERS. 5. — « Dominus custodit te ; « Dominus protectio tua, super manum dexteram « tuam. »

Dominus custodit. Secunda pars, ubi quod oraverat affirmat, et quasi quis quæreret, quis est ille custos ? subdit : *Dominus custodit te,* quomodo ? ecce *Dominus* est *protectio tua*, vel, protegit te, alia littera *super manum dexteram tuam.* Vel sic alii transferunt, super manum dexteræ tuæ. Non sine causa est quod non simpliciter dicit protegit te, vel dexteram tuam, vel manum dexteram tuam ; sed transitive ait, manum dexteræ tuæ. Et non ait sinistræ, cum ipse nos totos fecerit, et dexteram et sinistram dederit. Aliquid ergo hic occultum absconditur, ad quod pulsando pervenitur. Sinistra ergo quidquid temporaliter habemus, quod etiam a Deo est, dextera æternum. Illa ergo est consolatio : hæc, beatitudo : secundum illud : *Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me.* (*Cant.* II). etc. Et in Proverbiis : *Longitudo dierum et anni vitæ, in dextera ejus ; et in sinistra ejus divitiæ et honor* (*Prov.* III). Dextera ergo Dei est æterna felicitas ; sinistra mundana, quæ et a Deo. Ideoque ad dexteram ejus locandi dicuntur, qui æterna quæsierunt ; ad sinistram, qui terrena. Sed quidam errantes, hæc alternant habentes sinistram pro dextera, et dexteram pro sinistra, sicut illi qui dixerunt : *Beatum populum cui hæc* temporalia *sunt* (*Psal.* CXLIII). Contra quos Dominus dicit : *Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua* (*Matth.* VI). Id est pro terrenis bona non facias, sed pro æternis. [Aug.] Ideo ait, nesciat, ut nec saltem se admisceat, partim cœlo, partim mundo serviens. Ecce quid est dextera ; per manum vero accipitur potestas, sicut ibi : *Mors et vita in manibus linguæ* (*Prov.* XVIII.) Manus ergo dexteræ potestas est, quam Deus dedit credentibus ut sint filii, ut sint ad dexteram secundum illud : *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus* (*Joan.* I). Est ergo sensus : Dominus est protectio tua super manum dexteram tuam, id est super potestatem quam dedit tibi Deus, ut sis ad dexteram, ut sis filius : quæ potestas est per fidem ; sed non valet, nisi Deus protegat. Vel manus est ipsa fides. Super ergo manum dexteræ tuæ, id est super fidem qua fiunt filii, Dominus protegit, ut non sinat tentari supra quam possint. Sed quare oportet ut protegat ? propter scandala, quæ sunt de duobus, quia et duo sunt præcepta charitatis, in quibus tota lex pendet et prophetæ, scilicet dilectio Dei et proximi (*Matth.* XXII).

VERS. 6. — « Per diem sol non uret te, neque luna « per noctem. »

Per diem sol non uret te, neque luna per noctem. [Aug.] Deus est sol ; dies, sapientia Dei, luna, Ecclesia ; nox, caro Christi. Qui ergo errat in Deo, a sole uritur et per diem, quia in ipsa sapientia errat, de qua dicitur : *Dies diei eructat verbum* (*Psal.* XVIII). Id est perfecti sapientiam perfectis ; *nox* vero *nocti indicat scientiam* (*ibid.*), id est parvulis prædicatur humilis Christi passio quæ est quasi nox ; sed non relinquuntur in nocte, id est in carnis humilitate ; sed ad altiora divinitatis provehuntur, quia lucet et luna in nocte, id est per carnem Christi prædicatur Ecclesia et proficit, quia caro ipsa Christi caput est Ecclesiæ. Qui ergo in Ecclesia, id est in carne Christi scandalizatur a luna uritur. Et est sensus : Ideo oportet ut protegat, quia, si te protexerit, *Sol non uret te per diem* [Aug , Hier., Alcuin.], id est non errabis in divinitate, sive in Dei sapientia ; *neque luna uret te per noctem*, id est non scandalizaberis in Ecclesia, vel in carne Christi. Vel, secundum litteram nostram, Dominus protectio tua super manum dexteram tuam, id est bonam operationem proteget ; et non solum operationem proteget, sed et te intus. Ita quod, sol non uret te per diem, id est ita proteget te, ut Christus non scandalizet te in cognitione deitatis suæ : neque luna per noctem. Id est ipse idem non scandalizet te in cognitione humanitatis suæ, vel unitatis Ecclesiæ. Vel, luna, id est Ecclesia, non uret te per noctem,

id est non permittet teneri nocte tribulationis. [Hier.] Vel per diem, accipiuntur prospera ; per solem elatio, quæ ex prosperis venit, per noctem, adversa ; per lunam depressio, quæ ex adversis aliquando provenit. Et est, sol non uret te per diem, id est non ureris elatione prosperitatis ; neque luna per noctem, id est non depressione adversitatis succumbes. Et est hoc dictum a simili beneficii collati antiquo populo, quia, ut olim in columna nubis et ignis præcedebat Judæos, ita nunc in prosperis et in adversis nos servat. Et quare sol et luna non uret te ? quia

VERS. 7. — « Dominus custodit te ab omni malo ; « custodiat animam tuam Dominus. »

Dominus custodit te, [Gl. int., Aug.] Vel ita continua, et, ut breviter de omnibus concludam, *Dominus custodit te ab omni malo,* a scandalis in sole et luna positis, et a persecutionibus. Et *custodiat Dominus animam tuam,* ne cedat, etsi corpus occiditur, quia martyres occidi queunt, flecti nequeunt. Deinde cuncta concludit, dicens :

VERS. 8. — « Dominus custodiat introitum tuum « et exitum tuum, ex hoc nunc et usque in sæculum. »

A *Dominus custodiat introitum tuum et exituum tuum,* [Cassiod., Aug.] id est bonis initiis bonos exitus adjungat. Sed quis est introitus, quis exitus noster ? ecce, quando tentamur, intramus. Unde vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis ; quando vincimus eximus. Intrantes custodit, ut sana fide intremus et humiles, ne vento superbiæ crepemus, et etiam, dum non sinit tentari supra vires, exitum vero custodit *ex hoc* instanti, quod *nunc* est *et usque in sæculum,* quia et nunc facit cum tentatione proventum ; et cum exierimus, ab omni tentatione, jam in æternum nihil nocebit.

COLLATIO IN PSALMUM CXX : « LEVAVI, » etc.

VERS. 5. — « *Protectio tua.* Sicque Hieronymus.
B Quod recentiores vertunt *umbra tua,* hoc est ad litteram צלך TZILLECA. Est enim sole clarius Scripturam accipere umbram pro protectione, ut est illud : *Sub umbra alarum tuarum protege nos.*

VERS. 6. — *Non uret te* לא יככה LO IAKECAH, hoc est, *non percutiet.* Sed quid tandem esset, solem non ferire, nisi intelligatur de ejus ferventi ardore ? Ac sæpius ipsi Septuaginta tropos metaphoricos eadem opera explicant. Unde Chaldæus : *In die quando dominatur sol, non nocebunt tibi diurni.*

PSALMUS CXXI.

PSALMI TITULUS : « CANTICUM GRADUUM. »

Lætatus sum. Titulus : *Canticum graduum.* Patet. [Alcuin., Aug.] Tertius gradus est magnum gaudium, quod habet vir sanctus, eo quod se et alios videt in Ecclesia publice pura mente conversari, atque digne Deo in hac peregrinatione militari. Unde suspiramus ad cœlestem Jerusalem ad quam duabus alis dilectionis levamur; amor namque, qualiscunque sit, vacare non potest. Nam si terrenus est animam ad concupiscenda terrena inclinat ; si vero cœlestis est, ad cœlestia sublevat, et ad æterna inflammat. Obligata enim anima terreno amore, viscum habet in pennis, volare non potest ; sed amor sanctus ab hoc visco solutam ad superna levat ad cœlestem Jerusalem, scilicet ubi sunt concives nostri angeli. Intentio : Monet ad desiderium illius. Modus : [Cassiod.] Bipartitus est psalmus. Primo gaudet se admonitum ire ad cœlestem Jerusalem, ubi sancti securi sunt, et cum Domino judicabunt. Secundo ascensuris optat abundantiam pacis, ibi, *rogate.* Quia ergo iste de cœlesti civitate, jam a multis multa audierat, ipsum ad eam velut ad solemnem festivitatem ire monentibus exauditis admodum lætus ait :

VERS. 1. — « Lætatus sum in his quæ dicta sunt « mihi ; in domum Domini ibimus. »

Lætatus sum, [Hilar., Aug.] id est spem habui et gaudium *in his quæ dicta sunt mihi,* a Spiritu sancto, et a prophetis et ab apostolis, qui priores viderunt patriam, et invitant ut curramus ad eam. Quot sunt

C illa ? quod, scilicet *ibimus in domum Domini,* non manufactam. Et cum hæc dicerentur,

VERS. 2. — « Stantes erant pedes nostri in atriis « tuis, Jerusalem.

Pedes nostri, [Aug., Alcuin.] id est affectus *erant stantes in atriis tuis,* o *Jerusalem.* Hæc est domus Domini, in qua jam stabant pedes. Qui currit ita cogitet. Quasi dicat : Jam ibi sit spe, et ibi stet. Stantes ideo dicit, quia omnia ibi stant. Nihil transit vel cadit, ibi non transit Belial, ibi non est macula ; ibi Rachel non dolet vel timet. Unde alibi : *Qui posuit fines tuos pacem* (*Psal.* CXLVII). Et nota quod ait, in atriis, a parte totum accipit. [Cassiod.] Atria quidem sunt introitus, sed **278** etiam hic pro penetralibus accipiuntur. In atriis cujus ? *Jeru-*
D *salem,* [Aug.] non illius quæ prophetas occidit, quæ servit cum filiis suis, quæ corporeis parietibus erigitur, sed illius

VERS. 3.— « Jerusalem quæ ædificatur ut civitas, « cujus participatio ejus in idipsum. »

Jerusalem, quæ ædificatur, [Aug,, Haym., Gl. int.] non saxorum molibus, sed divinis lapidibus quæ virtutum soliditate consurgit, et sanctorum societate nunquam dissolvenda exstruitur *ut civitas,* id est ad similitudinem civitatis. Non enim est corporalis civitas, sed ei similis *cujus participatio ejus est in idipsum,* quod de nulla carnali potest dici. Hic enim habent homines diversa bona et deficientia ; ibi vero bonum quod fuerit singulorum erit omnium. Ideo ait, participatio ejus est in idipsum. Quid est idip-

sum? [Aug.] Idipsum est quod semper eodem modo est, id est æternum. Non potuit expressius dicere. Stabilitatis ergo particeps est illa civitas, quæ non est hic in aliqua creatura. Deus ergo est idipsum qui ait : *Ego sum qui sum* (*Exod.* III.) Et unde scis quo ibimus?

VERS. 4. — « Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini; testimonium Israel ad confitendum « nomini Domini. »

Enim, [Haym.] hoc est quia *illuc ascenderunt*, id est ascendit tribus, non omnes, sed *tribus* quæ sunt *Domini*. Quæ sunt Domini? in quibus est *testimonium Israel*, id est qui se testantur Israel, per bona opera. Vel ita ascenderunt tribus in quibus, scilicet quæ ascenderunt, est testimonium Israel, id est in quibus cognoscitur quia vere Israel sunt. Quando enim grana sunt cum palea, totum palea putatur; sed cum separabuntur, tunc erit testimonium Israel. Et quia ascenderunt *ad confitendum nomini Domini*, non sibi, sicut superbi. Ut enim superbia de se præsumit, ita humilitas confitetur Deo. Et vere ibimus in domum Domini, quia

VERS. 5. — « Quia illic sederunt sedes in judicio; « sedes super domum David. »

Illic sederunt, [Aug.] id est sedebunt, *in judicio sedes*, id est justi in quibus Deus sedet, et inde judicat quidquid judicat. Unde in libro Sapientiæ : *Anima justi thronus est sapientiæ* (*Sap.* VII.) Quæ sunt hæ *sedes* quæ sunt *super domum David*? quia et hi sedebunt cum Christo super duodecim sedes, ut judicent domum David (*Matth.* XIX), id est familiam Christi, cui dederunt cibum in tempore. Judicabunt autem illi, qui omnia reliquerunt, Christum sequentes (*Matth.* XXIV), qui fiunt amici de mammona iniquitatis ut recipiant dantes in æterna tabernacula (*Luc.* XVI). Et hæc est pax Jerusalem, dando et accipiendo, ut opera misericordiæ corporea jungantur operibus prædicationis. Unde apostolus : *Si nos vobis spiritualia semindvimus, magnum est si carnalia vestra metamus* (*I Cor.* IX). Et hæc est æqualitas quam Paulus dicit, qua qui multum habuit non abundavit, et qui modicum, non minoravit. [Aug.] Subveniunt enim spirituales hic et in futuro carnalibus, a quibus sumunt temporalium fenum. Unde iste convertit verba ad judices, dicens :

VERS. 6. — « Rogate quæ ad pacem sunt Jerusa« lem; et abundantia diligentibus te. »

Rogate [Cassiod.] Secunda pars ubi loquitur ad judices optans eis abundantiam pacis, quam pacem prædicavit amore fratrum. Quasi dicat : Et quia sedebitis, ergo, o sedes Domini, qui sedetis, ut judicetis, *rogate*, id est, interrogate. [Aug., Cassiod.] Judicium enim est interrogare judicandos, quia judicans debet omnia rimari. Interrogate dico, qui fecerunt *quæ ad pacem sunt Jerusalem* [Aug.], id est opera misericordiæ, quæ qui fecerunt, sumuntur ad Jerusalem; alii non, *quia judicium sine misericordia fecit illi qui non fecit misericordiam* (*Jac.* II). Caveant ergo sibi omnes interrogandi et quæ sunt ad

A *pacem*, ea per quæ *abundantia* est in æternum. Hic enim sunt pauperes omnes, ibi divites, quia hic dederunt sua. Sed quibus est abundantia? *diligentibus te*, non dicit multa dantibus, sed diligentibus. Qui enim in alio amat bonum quod ipse non potest habere, imputatur ei quasi haberet. Unde, si charitas non habet quid det, det calicem aquæ frigidæ (*Matth.* X), et tantum imputatur ei, quantum Zachæo multa, qui dimidium patrimonii sui donavit pauperibus (*Luc.* XIX.) Quare hoc? ille tam modicum dedit, ille tam multum dedit, et tantum illi imputabatur, tantum plane. Impar enim facultas, sed non impar charitas. Et ideo, o Jerusalem,

VERS. 7. — « Fiat pax in virtute tua, et abundan« tia in turribus tuis. »

B *Fiat pax in virtute tua*, [Aug.] id est in charitate. Charitas enim est virtus fortis ut mors, cui nil resistit, cum venit; cum regibus et ignibus et aliis possit resisti, quæ et occidit quod sumus, ut aliud simus. Et ideo comparatur morti. Hæc sic occidit, ut vivificet, unde Apostolus : *Vivo ego, jam non ego* (*Gal.* II.) Per hanc reguntur infirmi, a firmis, ideo ait, fiat pax in virtute tua et per hanc virtutem et pacem, fiat *abundantia* in numero, et in præmio, *in turribus tuis*, vel in excelsis tuis. Pauci quidem sunt judices, sed multi ad singulos pertinebunt, quos recipient in æterna tabernacula, et tunc erit abundantia in turribus tuis, Deus autem erit tota abundantia eorum, tam recipientium quam receptorum. Sed, quia charitas est, non nostra, sed quæ aliorum

C sunt quærere : Ideo, cum de charitate diceret, subdit :

VERS. 8. — « Propter fratres meos et proximos « meos loquebar pacem de te. »

Propter fratres. [Aug., Cassiod.] Quasi dicat : Fiat pax, et ego jam *loquebar*, id est hic prædicabam aliis *de te pacem*, o Jerusalem, et hoc non propter me, sed *propter fratres meos et proximos meos*, id est, ut fratres et primi vinculo charitatis astringantur.

VERS. 9. — « Propter Domum Domini Dei no« stri, quæsivi bona tibi. »

Propter domum Dei nostri, [Aug., Alcuin.] scilicet non propter me, sed propter Ecclesiam, propter peregrinos ut et ipsi ascendant, *quæsivi bona tibi*, id

D est prædicavi de te bona, o tu cœlestis Jerusalem, quia domus Dei es, et ita in hoc quod te diligo, Deum diligo. Vel ita lege, ut hic versus sit expositio præcedentis. Quasi dicat : Loquebar pacem de te propter proximos et fratres, scilicet quæsivi bona tibi propter domum Domini Dei nostri. Sententia horum verborum non mutatur.

COLLATIO IN PSALMUM CXXI : « LÆTATUS SUM IN HIS QUÆ DICTA SUNT MIHI, » etc.

VERS. 2 — *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi*. Pratensis, Sanctes et Munsterus sic reddunt ut significetur communitas lætantium et dicentium. Septuaginta autem et alii, ut lætitia ostendatur dictorum. Etenim illi hoc modo : *Lætatus sum cum dicentibus*, aut *cum his qui dicunt mihi* Hieronymus

autem, *lætatus sum eo quod dixerunt mihi*. Diversitas suboritur, ex littera beth, quæ modo notat *in*, modo *cum*.

VERS. 2.—*In atriis tuis* בשעריך BISCHCARAIIC, hoc est *in portis tuis*. Septuaginta respexerunt sensum, cum atrium sit prima pars et introitus domus.

VERS. 3. — *Cujus participatio ejus in idipsum*. Pratensis et Sanctes aliam lectionem reddunt satis, ut puto, obscuram; ille, *quæ conjuncta est simul*. Clarius habet Munsterus, *quæ conjuncta est sibi ipsi pariter*. Vel, ut habet Hieronymus, *cujus participatio ejus simul* שחברה לה יחדו CHEHUBERAH LAH IACHDAU, quia tamen sancti solent etiam idipsum interpretari de Christo, commodior est, quantum arbitror, nostra lectio.

A VERS. 7.—*In virtute tua*. Vertunt, *in muris tuis*, vel *antemuralibus* בחילך BEHELECA. Septuaginta probe figuratam locutionem aperuerunt, etiamsi ח ל AHLHAUL, Hebræis significet *fortitudinem* ac *exercitum*. Non enim perpetuo metaphoras ad planum convertunt, sicut quod sequitur : *In turribus tuis*, sive, ut alii volunt, *in palatiis tuis* בארמנותיך BEARMENOTHAIIC.

VERS. 8. — *Pacem de te*. אלים בך SCHALOM BAC. Hieronymus dicit, *pacem tibi*, plerique, pacem in te. Sanctes stat a nobis, *pacem de te*, siquidem hoc vel aliud libere sonat Hebræis.

PSALMUS CXXII.

PSALMI TITULUS : « CANTICUM GRADUUM. »

Ad te levavi Titulus. *Canticum graduum* [Cassiod.] Quartus gradus est inter quaslibet angustias constanter de Domino præsumere, donec misertus exaudiat. Intentio : Monet ascendere. Modus : Bipartitus est psalmus. Primo, vox est tribulatorum Deum respicientium, non ad alia patrocinia. Secundo precatur misericordiam contra insultantes, ibi, *miserere nostri*, etc., et attende progressum ascendentis, unde gradus cantici dicitur. Qui enim supra ad montes, nunc ad ipsum Deum, quod majus est, oculos levat, dicens : O tu.

VERS. 1. — « Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis. »

Qui habitas in cœlis, [Aug.] id est in justis, qui propter justitiam cœli dicuntur. Ego affectu dilectionis ascendens *ad te levavi oculos meos*, scilicet oculos fidei et charitatis. Unde se mundat iste, ut cœlum fiat. Ascensus ergo est in affectu. Desiderio enim bono levamur ad cœlum sicut desiderio malo ad ima præcipitamur, et sicut affectu ascendit aliquis ita et cœlum in quo habitat Deus est in justitia, id est per justitiam. Et bene ait : Levavi oculos ad te. Quo enim levaret, nisi quo ascendens tendebat! Non se attendit iste ut superbus qui placet sibi, et ideo displicet Deo. Deo placet, cui Deus placet; cui vero Deus placet, ipse sibi displicet. Attende etiam quia cum multi hoc dicant, non pluraliter, sed singulariter, quasi unus homo loquitur dicens : Ad te levavi. Per charitatem namque, multi unus homo sunt, qui a finibus terræ clamat, et per eamdem Christo unimur, ut cum ipso quasi unus Christus simus, secundum quod ipse dicit in Evangelio : *Nemo ascendit in cœlum nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlis* (*Joan.* III), descendit quidem caput, ascendit idem cum corpore, scilicet Ecclesia vestitus, quam sibi exhibuit sine macula et ruga (*Ephes.* V). Solus ergo ascendit, qui nobiscum unus est solus. Unitas enim nos compaginat uni; cum illo ergo ascendit, qui cum illo unus esse voluit per charitatem, nobiscum est in terra, per charitatem cum illo sumus in cœlo. Ille deorsum est compassione charitatis, nos sursum spe

B charitatis. Omnes ergo in Christo sumus unus homo, qui non angitur de terrenis ut mali, sed quia peregrinatur et desiderat patriam. Cum ergo singuli dicimus, quia omnes unum sumus in Christo, unus homo illud dicit, ad te levavi, non levavimus, oculos meos qui habitas in cœlis. Et quasi aliquis quæreret, quomodo levasti? subdit per simile :

VERS. 2. — « Ecce sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum. »

Ecce, [Aug., Cassiod.] *sicut oculi servorum*, qui jubentur cædi, sunt *in manibus dominorum suorum*, ut jubeant parcere. Servus enim levat oculos in manus Domini quando eget, vel quando vapulat, quia utrumque est in Domini potestate. Et

VERS. 3. — « Sicut oculi ancillæ in manibus do-
C « minæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum « nostrum; donec misereatur nostri. »

Sicut oculi ancillæ sunt in manibus dominæ suæ, ita oculi nostri, [Cassiod., Aug.] omnium, etiam in prosperis sunt *ad Dominum Deum nostrum*, quare? *donec*, id est ut *misereatur nostri*, id est liberet ab omni tentatione et opprobrio, quia tota vita super terram tentatio est, tota plagæ. Clamandum est ergo quod sequitur : *Miserere nostri, Domine*. Nota congruam comparationem, et **279** mysterio servientem. Servus enim est populus fidelis, Dominus, Christus; ancilla, Ecclesia; domina Dei, virtus et Dei sapientia. Etsi jam filii et amici sumus per gratiam; servi tamen sumus per creaturam, quia omnis creatura Deo servit, per manum Domini potestatem ac-
D cipe, quam boni attendunt qui sentiunt se cædi. Qui enim apponit scientiam, apponit dolorem (*Eccle.* I). Mali vero perdiderunt sensum doloris, et eo ipso gravius vapulant atque cæduntur. Boni ergo in flagellis manum Domini, id est potestatem attendunt, quoadusque dicat : Parce, ex cujus jussione cædimur de paradiso ejecti. [Cassiod.] Dat autem similitudinem de servo et ancilla, et domino et domina, ne femineus debilior sexus se exceptum putet. Nam et hic per justitiam cæditur, et huic per misericordiam parcitur. Servus ergo qui vapulat, oculis levatis ad Deum erumpit in necessariam vocem, dicens :

PARS II. VERS. 4. — « Miserere nostri, Domine,

« miserere nostri, quia multum repleti sumus despectione. »

Miserere nostri, Domine, etc. [Cassiod., Aug., Cassiod., Aug.] Secunda pars, ubi precatur misericordiam contra insultantes, dicens : O *Domine, miserere nostri*. Hæ sunt voces vapulantis : et geminat, *miserere nostri*. Hoc ideo geminat, quia corpus passionibus, et anima opprobriis laborat, et necesse est ut miserearis, *quia multum repleti sumus despectione*, id est abundant passiones, in quibus despecti sumus. Irridetur enim a tenente quod amat, qui sperat non visa, et ei dicitur : Quid credis, insane ? vides, quid credis ? Reversus est aliquis ab inferis, et retulit tibi, quid ibi agitur ? ecce quod ego amo, video et fruor. Deinde exaggerando subdit :

VERS. 5. — « Quia multum repleta est anima nostra ; opprobrium abundantibus, et despectio superbis. »

Quia multum repleta est despectione *anima nostra*. [Cassiod., Aug.,] Nulla pars est immunis ; deinde a quibus, et quare despiciatur, subdit : *opprobrium* sumus, quia pauperes *abundantibus*, scilicet diviti-

A bus qui hic felices sunt. Abundantes ergo dicit, qui abundant pecunia, putata justitia et nequitia. Justus autem dicit : *Egenus et pauper sum ego* (*Psal*. CVIII, 22). Pauper enim in corpore est infirmo : pauper est in justitia, dum tentationi subest. *Et despectio* sumus *superbis*, quia humiles sumus.

COLLATIO IN PSALMUM CXXII : « AD TE LEVAVI OCULOS MEOS, » etc.

VERS. 5. — *Quia multum repleta est anima nostra, opprobrium abundantibus et despectio superbis*. Linguæ, quæ gaudent varia casuum terminatione, facile indicant constructionis statum et ordinem, Hebræa autem laborans inopia diversæ inflectionis sæpe relinquit constructionem ambiguam, ut unusquisque quod sibi consequentius videtur transferat. Ideo לעג
B LAAG, potest esse casus rectus, aut ablativus, id est *opprobrium* aut *opprobrio*. Deinde שאננים SCHAANANNIM, *abundantibus* vel *abundantium*. Postea בוז BUZ, *despectio* vel *despectione*. Postremo לגאיונים LIGEIONIM *superborum* aut *superbis*. Proinde poterat sic uti : *Repleta est anima nostra opprobrio abundantium, et despectione superborum* ; quo modo transtulit Hieronymus. Similiter et alii.

PSALMUS CXXIII.

PSALMI TITULUS : « CANTICUM GRADUUM. »

Nisi quia Dominus erat in nobis. Titulus : *Canticum graduum*. [Cassiod., Aug.] Quintus gradus est ut liberati a periculis non sibi, sed Domino tribuant. Et notandum quod aliquando unum, aliquando inducit plures : una tamen est Ecclesia, quia in omnibus membris est unitas, per quam multi homines unus homo sunt. Cantant ergo fideles hoc exsultantes, quia evaserunt. Quod est in spe cantare, si sunt in corpore, vel in re, si jam ex corpore exierunt, omnium tamen simul unus est cantus. Intentio. Monet liberationem nostram Deo ascribere. Modus. [Cassiod.] Bipartitus est psalmus. Primo, sancti memores quanta evaserunt soli misericordiæ ascribunt. Secundo gratias agunt, quod liberati sunt ibi, *benedictus*. [Aug.] Hi ergo non dicto unde evaserunt, cœperunt sic cantare :

VERS. 1. — « Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel, nisi quia Dominus erat in nobis. »

Nisi quia Dominus. [Aug.] Tanta est eorum exsultatio, ut antequam exponant pericula, dicant se liberatos, et per quem, sic : *Nisi quia Dominus erat in nobis*. Jam securi hoc dicunt respicientes quæ passi sunt, et quot transilierunt, et quo venerunt. Et hoc est quod dico. *Dicat nunc* mecum *Israel* quia jam evasit. Hoc, scilicet dicat *nisi quia Dominus erat in nobis*.

VERS. 2. — « Cum exsurgerent homines in nos, forte vivos deglutissent nos. »

Homines cum exsurgerent, [Aug.] persequendo *in nos*, in quibus Deus erat. Quid ergo possunt contra Dominum in nobis ? nisi, inquam, hoc esset, *forte* *deglutissent nos vivos*, id est scientes malum et tamen facientes, ut qui thurificat sciens idolum nihil esse. Vivunt enim qui sciunt idolum nihil esse. Mortui sunt, qui illud putant aliquid esse. Ergo
C mortui absorbentur qui putant malum faciendum quod faciunt. Vivi autem, qui quidem sciunt malum esse quod faciunt, sed persecutione superati in societatem transeunt impiorum, et Deo hujus vitæ dulcedinem præferunt, sicut quidam qui timore mortis idolis thurificaverunt. Attende etiam quod Petrus, id est Ecclesia absorbet multos, sed non vivos. Cui dicitur : *Macta et manduca* (*Act*. X). Nullum enim manducat, id est membris inserit, nisi mactatum, id est renuntiantem diabolo. Mactatur ergo in malo, sed vivificatur in bono qui manducatur a Petro. Econtra accidit, quem deglutit diabolus.

VERS. 3. — « Cum irasceretur furor eorum in nos, forsitan aqua absorbuisset nos. »

D *Cum irasceretur furor eorum*. [Aug., Cassiod.] Ut supra vicit linguas dolosas, per verba Dei et exempla de morte vivificatorum, sic, si Dominus adest, vincit jam minantes de quibus ait, *et cum furor eorum*, qui est sine ratione, quia ira et invidia judicio carent. Unde Job : *Stultum occidit iracundia, et parvulum invidia* (*Job* V). *Irasceretur in nos*, nisi quia Dominus erat in nobis, *forsitan absorbuisset nos aqua*, [Aug.] id est peccator populus, et est a similitudine Egyptiorum dictum, quos aqua maris absorbuit. Ac si diceret : Nisi esset Dominus in nobis, moreremur more Egyptiorum, non transiremus exemplo Israelitarum. Sed qualis est ista aqua ? torrens est, fluit cum impetu, sed cito transit.

VERS. 4. — « Torrentem pertransivit anima no-

« stra ; forsitam petransisset anima nostra aquam « intolerabilem. »

Torrentem pertransivit. [Aug.] Quasi dicat : Nisi Dominus esset, aqua absorbuisset nos, sed per Dominum, *anima nostra pertransivit torrentem*, de quo et caput bibit in via (*Psal.* CIX), et transit, non hæsit, quia passus est, sed resurrexit, et ascendit. Per quod et nobis transire dedit. *Forsitan pertransisset*, vel pertransiit, etc. ; forsitan ponunt Latini, ut ponunt pro Græco ἆρα dubitationis verbo, quod intelligibilius dicitur putas, pertransivit *anima nostra*. Et est sensus, quasi nos per Dominum pertransivimus. Et forsitan, id est an putas, pertransiit anima nostra *aquam intolerabilem*. Vel, sine substantia, quasi magnitudo periculi vix sinit hoc credi. Aqua autem sine substantia sunt vitia, et peccata, et dulcedo hujus vitæ, quæ inopiam habent, non substantiam ; egestatem, et non subsistentiam, quia hæc vere non sunt, sed transeunt omnia sine fructu. Nam et qui peccando lucratur aurum et hujusmodi sine substantia est, quia et hic fidem amittit, et in infernum descendens, hæc non secum portat. Majus ergo amisit, ut minus lucraretur, pecuniam auxit, fidem neglexit, vel exstinxit. Abundat nescio quid in arca, sed multo magis quiddam diminutum est in corde ; de arca gaudes, de corde non plangis. [Alcuin.] In hac aqua sine substantia perdidit ille filius junior substantiam quam accepit a patre, et adhæsit uni civium regionis illius, id est diabolo, pascens porcos, id est terrenis et immundis actibus delectatus, desiderans manducare siliquas porcorum, quæ implent ventrem, et non satiant (*Luc.* VIII). Ita et peccata etsi ad horam delectant, veram tamen satietatem non præstant, sed totius boni indigentiam ingerunt. Hæc est ovis errabunda, quam pius pastor in Evangelio legitur quæsiisse relictis nonaginta novem in deserto (*Luc.* XV) ; sed, antequam reduceret a longe est comminatus baculo Mosaicæ legis, ut ovicula se errasse cognosceret, et ultra errare pertimesceret, atque per se redire non valens reductorem humiliter exspectaret et desideraret : qui eam vivifica baptismi aqua lotam, siccata aqua sine substantia, consortio angelico redderet, prodigum filium necessitate longa confectum ad patrem reducens. Vel ita secundum litteram nostram, forsitan, quasi per Dominum transivit, sed forsitan et si Dominus non esset in nobis, dices tu aliquis, anima nostra pertransisset aquam intolerabilem quod omnino non esset in nobis.

VERS. 5. — « Benedictus Dominus, qui non dedit « nos in captione dentibus eorum. »

Benedictus. [Cassiod.] Secunda pars, ubi sancti gratias agunt, quod liberati, et quod laqueus est contritus, quasi et quia transivi. *Benedictus Dominus qui non dedit nos in captione*, vel in venatione, *dentibus eorum*, [Aug., Cassiod.] quasi more ferarum

A sitientium sanguinem nostrum. Dico non dedit, sed potius.

VERS. 6. — « Anima nostra, sicut passer, erepta « est de laqueo venantium. »

Anima nostra erepta est, [Aug.] et si corpus passum. *De laqueo*, vel muscipula *venantium*. quia non capitur dulcedine præsentis vitæ. Unde sequitur occisio. Venantes sunt, persequentes ; esca in muscipula, dulcedo hujus vitæ est. Esca ergo in muscipula ponitur, cum per hujus vitæ dulcedinem, in nequitiam trahere contendunt. Dico erepta est anima nostra, quæ prius erat, sicut passer, quia incaute instabilis ceciderat ; sed, sicut aliquo faciente strepitum magnum passer volat de muscipula venantium, sic anima nostra, quæ ante vitæ dulcedine tenebatur,
B Domino faciente maximum strepitum gehennarum, eruta est de muscipula. Vel modo : anima nostra est sicut passer, quia sicut passer vitat laqueum ; sic sancti dulcedine hujus vitæ, quæ est quasi laqueus, Et iste

VERS. 7. — « Laqueus contritus est. Et nos libe« rati sumus. »

Laqueus contritus est, [Aug., Cassiod.] Quia occisis martyribus non restat dulcedo hujus vitæ, qua possint iterum capi ; sed ipsi non simul contriti sunt, imo liberati. *Et nos sumus liberati*, qui hæseramus ante in muscipula. Et nota quod ait laqueus contritus est, quasi qui ferreus erat. Non ait ruptus, ut stupa rumpitur : tanta fortitudo mali, tanta potentia liberantis. Quare contritus est la-
C queus, et nos liberati? quia

VERS. 8. — « Adjutorium nostrum in nomine Do« mini, qui fecit cœlum et terram. »

Adjutorium nostrum in nomine Domini, [Cassiod.] contra quem nullus prævalet, *qui fecit cœlum et terram*, id est omnia cœlestia et terrestria.

COLLATIO IN PSALMUM CXXIII : « NISI QUIA DOMINUS ERAT IN NOBIS, » etc.

VERS. 4.— *Torrentem pertransivit anima nostra*, Hieronymus et cæteri, *torrens pertransiit super animam nostram*. « Quod est melius, ait Hieronymus in Commentario istius loci, quod intelligo quantum ad litteram. Siquidem quantum ad sensum attinet, tribulationem quæ per torrentem accipitur pertransit anima nostra, dum fortiter resistendo vincit, et eadem super animam **280** pertransit, dum affligit quidem, sed non absorbet : quin potius quasi su-
D perficietenus transcurrendo tangit. »

Aquam intolerabilem. Hieron. *transissent aquæ superbiæ* : et pene ad idem cæteri. Hujusmodi aquæ *superbæ*, seu, ut vertit Munsterus, *intumentes*, energiam suam retinent in *aqua intolerabili*. Non pigebit addere quid in hoc sit commentatus D. Hieron. Verbum ἀνυπόστατον apud Græcos ambiguum est, et potest sonare *quod non subsistat*, et *quod intolerabile sit*, hoc est quod nemo ferre queat. Pro quo et Aquila et Symmachus, et Theodotio, et omnes interpretes pari voce consentiunt, *superbas aquas et arrogantes*, pro ἀνυπόστατον transferentes. » Hactenus ille. Hebraice est המים הזידונים HAMMAIM HAZZEDONIM.

PSALMUS CXXIV.

PSALMI TITULUS : « CANTICUM GRADUUM. »

Qui confidunt in Domino. Titulus : *Canticum graduum.* [Cassiod., Aug.] Sextus gradus est confidentia fidelissimi Christiani, solidissimis montibus comparata, quam habet in Domino, ne zelet felices in hoc sæculo, ut eos imitemur. Hic namque psalmus docet non intendere in prosperantes in hoc sæculo : de qua prosperitate, superbia evenit, ut se preferant omnibus hominibus per superbiam, quibus sunt inferiores per iniquitatem. Inde etiam cor durum fit contra imbrem gratiæ Dei, ne fructum ferat : quos attendentes infirmi nutant, qualiter supra infirmi cujusdam pacem peccatorum videntis, moti pedes leguntur ; sed credendum est sapientiæ Dei, quod omnia bene facit, etsi non videamus quomodo. Et ita erit rectum cor, ut confidamus in Domino, et non movebuntur pedes nostri. Intentio. Monet confidere in Domino. Modus. [Cassiod.] Bipartitus est. Primo asserit non posse moveri eum, qui confidentiam in Dei virtute ponit. Secundo precatur ut bonis prosperitas, malis veniat vindicta, ibi *Benefac.* Ostendens ergo fidentem in Deo non posse moveri, ait :

VERS. 1. — « Qui confidunt in Domino sicut mons « Sion ; non commovebitur in æternum, qui habitat « in Jerusalem. »

Qui confidunt in Domino. [Aug., Cassiod.] Et qui sunt isti ? *Qui habitat in Jerusalem*, spirituali, id est *in Ecclesia Christi, non commovebuntur*, alia littera, *in æternum*. Terrenæ Jerusalem cives, sæpe sunt captivati ; non spiritualis, quæ sursum est. Non commovebuntur dico, *sicut mons Sion non commovebitur in æternum*, id est Christus in quo fundata est Ecclesia. Mons enim ille in fine sæculi movebitur. Vel ita secundum aliam litteram : *Qui confidit in Domino*, est, *sicut mons Sion*, id est illi solidissimo monti comparabilis est. Et, qui habitat in Jerusalem, non commovebitur in æternum, [Aug.] sicut passer, qui instabilis est, et cito volat hinc inde. [Cassiod.] Vel secundum litteram nostram, ut partim pluraliter, partim singulariter, legatur sic : Qui confidunt in Domino sunt sicut mons Sion, ad litteram, id est illi monti comparabiles. Non commovebitur in æternum qui habitat in Jerusalem. Prius dicit, confidunt, pluraliter ; post, non commovebitur, singulariter : quia numerosa est unitas hujus populi, quia et multi sunt, et unum sunt. [Aug.] Deinde qualis est ista Jerusalem breviter describit, subdens :

VERS. 2. — « Montes in circuitu ejus : et Dominus « in circuitu populi sui, ex hoc nunc et usque in « sæculum. »

Montes in circuitu ejus. [Aug.] Quasi dicat : Non commovebitur qui habitat in Jerusalem, quia *montes*, id est angeli, prophetæ, et angeli sunt, *in circuitu ejus*, quasi murus, et antemurale, sed ne in montibus re-
A maneas, addit : *Et Dominus*, qui habitat in montibus, est *in circuitu populi sui*, ne ergo spes sit in montibus, sed in vertice montium. Unde Isaias : *Erit in novissimis diebus, mons domus Domini in vertice montium* (*Isa.* II). Hic ergo mons, magnus est, *in circuitu populi sui, ex hoc nunc et usque in sæculum.* Quos enim assumit ut sint populus suus, constringit in unum vinculo charitatis et pacis, ut in æternum non moveantur. Et vere non commovebuntur.

VERS. 3. — « Quia non derelinquet Dominus vir- « gam peccatorum super sortem justorum, ut non « extendant justi ad iniquitatem manus suas. »

Quia non relinquet dominus virgam peccatorum super sortem justorum, [Alcuin., Cassiod., Aug.] id
B est super justos sorte electos, vel qui sunt sors et hæreditas Dei. Super hos, *non relinquet Dominus virgam*, id est dominium, *peccatorum.* Dominantur enim aliquando propter disciplinam bonorum ; sed semper non erit hoc, ut hic aperte dicit Propheta. Et quare non relinquit ? *Ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas.* Intelligentes hoc pondus tribulationum ad tempus esse, et ideo patienter ferant. Si enim sic semper esse videretur, desererent justitiam ; sed ideo non deficiunt, quia sciunt tempus futurum quo Christus in claritate sua apparens, congregabit ante se omnes gentes, et dividet eas, sicut pastor dividit hædos ab ovibus ; ovesque ponet a dextris, hædos autem a sinistris (*Matth.*, XXV).

C PARS. II. VERS. 4. — « Benefac, Domine, bonis et « rectis corde. »

Benefac, Domine, [Cassiod., Hier., Aug.] Secunda pars, ubi, confirmato populo, precatur quod scit futurum, scilicet ut bonis prosperitas, malis vindicta veniat. Quasi dicat : Et quia sic placet eis Deus per omnia, *benefac, Domine, rectis* opere, *et rectis corde*, qui nolunt perire, sed sequi.

VERS. 5. — « Declinantes autem in obligationes « adducet Dominus cum operantibus iniquitatem ; « pax super Israel. »

Declinantes autem, a jussis Dei qui scandalizantur in viis Domini, *adducet Dominus cum operantibus iniquitatem*, [Aug., Cassiod.] quorum facta imitati
D sunt, quorum præsentes lætitias amaverunt. Adducet dico, *in obligationes* culpæ et pœnæ. Iniquitas enim obligat eos malis, nec sinit eos liberos. Ecce pari sententia pereunt, qui declinant jussa principis, et qui eos operari velle mala contendunt, id est deficientes cum cogentibus deficere. [Aug.] Sed quid erit rectis corde ? ecce, *pax* erit *super Israel* uno verbo omnia bona dicit. Uno enim nomine quod est pax, patria hæreditas dicitur, quæ est Christus. Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum (*Ephes.* II), qui pacem super pacem dabit nobis.

COLLATIO IN PSALMUM CXXIV : « QUI CONFIDUNT IN DOMINO, » etc.

VERS. 1.—« Hebræi finiunt primum versum in eo quod est : *Qui habitat,* ac mox exordiuntur alterum versum ; *Jerusalem montes,* etc. Hieronymus sic vertit : *Qui confidunt in Domino quasi mons Sion immobilis, in æternum habitabilis* : nec respexit verborum regulas. Munsterus cum eo quod admiscuit, satis apertum reddidit sensum : *Qui confidunt* A *in Domino, immobiles erunt sicut mons Sion, qui non nutat, sed stat in sæculum.* Frequentius dictum est LXX passim, distinguentes sententiarum ordinem, versuum periodos secus assignare quam in Hebræo, ubi metrice scripti sunt. Et si verbum verbo reddens hunc versiculum vix posset intelligi ביהוה הבטחים ישב לעולם ימוט לא ציון כהר HABOTEHIM BADONAI KEHAR TZION LO IMMOT LEOLAM IESCHEB.

PSALMUS CXXV.

PSALMI TITULUS : « CANTICUM GRADUUM. »

In convertendo Dominus. Titulus : *Canticum graduum.* [Cassiod., Alcuin.] Septimus iste gradus, in figura Veteris Testamenti, quod per septenarium significatur, per venturum Christum reversionem fidelium de captivitate vitiorum quæ Babylonia prophetat : pro qua reversione, jam consolatio est, et seminatio est in operibus misericordiæ, ut plus metatur [Hilar., Aug., Cassiod.] Et loquitur hic Propheta de illa reversione, velut præterita, cum tamen esset adhuc futura prophetali certitudine, in persona eorum qui fuerunt vel sunt redempti sanguine Christi, et conversi a captivitate spirituali, secundum mentem quia serviunt legi Dei, qui hæc cantant dum peregrini et gementes sunt in via, redemptionem corporis exspectantes. Ex parte ergo jam sunt redempti, et ex parte adhuc redimendi. Intentio : Monet ad gaudium pro spirituali liberatione. Modus : Bipartitus est psalmns. Primo magnitudo facti cum magnitudine gaudii ostenditur. Secundo precatur conversionem a captivitate, quia adhuc futura, ibi, *convertere, Domine.* In persona ergo redemptorum quasi redeuntium de Babylonia, ait :

VERS. 1. — « In convertendo Dominus captivitatem Sion facti sumus sicui consolati. »

In convertendo captivitatem Sion, [Aug.] ut redeuntium de Babylonia, quam conversionem *Dominus* fecit, *facti sumus,* etc. Vel secundum aliam litteram : *Cum convertit Dominus captivitatem Sion,* quæ eadem est et Jerusalem, quæ in angelis est æterna, in hominibus captiva, *facti sumus sicut, consolati,* etsi nondum securi, id est gavisi sumus tanquam consolationem accipientes. Consolatio non est nisi miserorum ; gemimus in re, consolamur in spe ; cum transierit res, de gemitu gaudium veniet æternum, ubi non erit necessaria consolatio, quia, miseria nulla sauciabimur. Et nota quod non ait, consolati, sed sicut consolati, per quod videtur non esse vera consolatio, sed quædam similitudo consolationis. Sed sciendum quia *sicut* non semper ad similitudinem ponitur, sed ad proprietatem exprimendam refertur, ut hic ad proprietatem relatum est, et exempla de communi locutione hominum danda sunt, ut facile intelligamus quando Dominus, sicut vixit Pater, ita et Filius, ad similitudinem refertur. Item, cum Dominus, sicut pecus moritur, ita moritur homo, ad similitudinem dicitur, ad proprietatem refertur, ut cum dicitur, fecit sicut justus in quo non justus negatur, sed quod vere non ostenditur : quæ sit ejus proprietas monstratur, ita facti sunt isti sicut consolati, id est gavisi sunt, ut consolationem animæ accipientes, in resurrectionem B Christi qui præcessit ut nos sequamur : per cujus resurrectionem nostram speramus. Attende etiam quod ait per præteritum, cum converterit, quasi enim de præterito loquens, futura prænuntiat.

VERS. 2. — « Tunc repletum est gaudio os nostrum et lingua nostra exsultatione. »

Tunc repletum est. [Aug.] Quasi dicat : Dominus convertit, et *tunc,* in illa conversione, *os nostrum repletum est gaudio,* non mundi, sed redemptionis, quod in spe gaudet. Os accipitur cordis arcanum hic, hoc est os cordis, unde procedit bonum vel malum, quod nos mundat vel coinquinat. De quo in Evangelio Dominus dicit : *Quod procedit de ore, inquinat hominem* (*Matth.* XV) : non de ore carnis, sed de ore cordis. Non enim si nominas furta et alia C mala, immundus es, sed dum cogitas, etiamsi sileas. Et ne quis illud acciperet de ore corporis, ibidem Dominus quasi exponendo **281** subjunxit : *De corde exeunt cogitationes malæ* (*ibid.*) [Cassiod., Aug.] Os ergo cordis est, ubi gaudia primum concipiuntur, quæ post officio linguæ erumpunt. *Et lingua nostra,* scilicet corporis, repleta est *exsultatione,* vel potius de lingua interiori, quæ intus clamat ad Dominum, accipiendum est, qua Moses tacens clamabat (*Exod.* XIV) ; et Susanna (*Dan.* XIII). Vel secundum pro eodem accipitur, os et lingua, et ut figura præteriti futura se cogitare ostendat, ait

VERS. 3. — Tunc dicent inter gentes : Magnificavit Dominus facere cum eis. »

D *Tunc dicent.* [Aug., Cassiod.] Quod jam de futuro est. Unde etiam et post, ut hæc fiant, orat cum ait : *Converte, Domine, captivitatem nostram.* Quasi dicat : Quando fiet conversio, *tunc dicent inter gentes :* Hoc fit cum de toto orbe ad Ecclesiam curritur. Non ait : Dicent gentes, quia non omnes credent, sed aliqui inter omnes. Quid dicent ? *Magnificavit Dominus facere cum eis* fidelibus. Hoc ideo dicunt, quia vident eos etiam virtutes operari, et est firmum testimonium ab adversario. Ita dicent. Et vere

VERS. 4. — « Magnificavit Dominus facere nobiscum ; facti sumus lætantes. »

Magnificavit Dominus facere nobiscum. [Aug.] Nos nobis malefecimus, qui sub peccato nos vendidimus.

Unde Redemptor nos liberans benefecit. Hoc ideo dicit, ne dubites de verbis gentium. Dico quod Dominus benefecit. Unde : *Facti sumus lætantes*, qui prius eramus captivi.

PARS. II. VERS. 5. — « Converte, Domine, captivitatem nostram : sicut torrens in austro. »

Converte, Domine. [Cassiod. Aug.] Secunda pars, ubi precatur conversionem, quia futura erat, in qua fieret seminatio `spe gaudii. Adventus namque Domini redemptione superius prædicta, dimitti peccata sua iterum precantur, in generali remissione gaudent, et sibi veniam precantur. Quasi dicat : Dominus solvet captivitatem, et misso redemptore, o *Domine, converte captivitatem nostram*, qua captivi sub diabolo tenemur. Captivitas enim nulla in diebus David facta est, sed sub diabolo mundus captivus erat. Converte dico, *sicut torrens* convertitur *in austro*, id est austro flante, qui est calidus ventus, quo solvuntur torrentes, ut currant, per quem significatur Spiritus sanctus, sicut per aquilonem frigidum ventum diabolus. Unde in Canticis : *Surge, aquilo, et veni, auster, et perfla hortum sponsæ, ut fluant aromata illius* (*Cant*. IV). Ideoque Scriptura monens de bonis operibus, ait in libro Jesu filii Sirac : *Sicut glacies in sereno, ita solvuntur peccata tua* (*Eccli*. III). Peccata enim ligant nos, ne bene operemur, vel ad patriam curramus, ut frigus vel glacies aquam ne currat. Quando autem flat calidus ventus auster, liquescit glacies, implentur torrentes : sic flante Spiritu sancto, solvimur a peccatis, et currimus ad patriam, in quo cursu labor est. Sed non ideo desistendum, quia

VERS. 6.— « Qui seminant in lacrymis ; in exsultatione metent. »

Qui seminant in lacrymis, [Aug.] id est in hac vita plena lacrymis, *in exsultatione metent* fructum æternæ beatitudinis, quem colligunt ex his quæ seminant, sed quid seminant ? opera bona, opera misericordiæ, ad quæ sufficit voluntas, si desit facultas. Noli ergo esse tristis, si est tibi bona voluntas, unde metitur pax. Num enim dicitur pax in terra esse divitibus ? non, sed solis hominibus bonæ voluntatis (*Luc*. II). Hanc habuit Zachæus, et in hac seminavit, non minus quam in opere, qui Deum gaudens hospitio suscepit, et dimidium patrimonii sui pauperibus daturum se promisit, dicens : *Dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus, et si quem defraudavi, reddo quadruplum* (*Luc*. XIX). Ad hoc retinuit dimidium, non ut haberet quod possideret, sed ut haberet unde redderet debita (*Matth*. XVIII). Magna voluntas multum seminavit. In hac etiam voluntate illa vidua quæ duo minuta misit (*Luc*. XXI), non parum seminavit, imo tantum quantum Zachæus. Minores ferebat facultates, sed parem habebat voluntatem. Si attendas quid dederunt, diversa invenies ; si attendas unde dederunt, paria invenies. Sed est et aliud vilius, quo seminato metitur illa messis, scilicet calix aquæ frigidæ. Unde Dominus : *Qui dederit calicem aquæ frigidæ*,

A *non perdet mercedem* (*Matth*. X). Si ergo ille qui illud habet, det illi qui non habet, tantum dedit, si de plena charitate dedit, quantum illa vidua in duobus minutis, et quantum Zachæus in dimidio rerum suarum. Quod si nec homo aliquis habet, securus tamen sit, si adsit voluntas. Tantum illud timeat, ne habeat et non faciat. Si enim habet et non facit, intus gelavit, quia voluntas frigida est, nec seminat ille in lacrymis. Et ideo non metet in exultatione. [Cassiod.] Et nota quod ait, seminant in lacrymis. Spiritualis enim seminatio semper fit in lacrymis. Unde : *Beati qui lugent* (*Matth*. V). Qui vero seminant in carne, cum lætitia seminant ; sed post sequetur fletus, quia *extrema gaudii luctus occupat* (*Prov*. XIV).

B VERS. 7. — « Euntes ibant, et flebant ; mittentes semina sua. »

Euntes ibant. [Aug., Cassiod., Aug.] Quasi dicat : Et quia qui seminant in lacrymis metent. Ideo et si cum fletu seminant, tamen exultabunt. Et hoc est quod ait : Hi tales qui seminant in lacrymis, *euntes ibant*, provectu melioris vitæ, *et flebant*, quia miseri erant inter miseros. Melius est enim ut nullus sit miser, quam ut tu facias misericordiam. Qui enim ut faciat misericordiam optat esse miseros, crudelem habet misericordiam, sicut crudelis est medicus, qui, ut exerceat artem suam, optat multos ægros. Ibant dico, et flebant, *mittentes semina*. Quasi dicat : Ante se præmittentes in illo sæculo futuro. Semina, scilicet misericordiam et bona opera, hinc ascenditur. [Cassiod.] Semina dico, *sua*, scilicet non de rapina, sed de proprio labore facta. C Isti in via flebant,

VERS. 8. — « Venientes autem venient cum exsultatione, portantes manipulos suos. »

Venientes autem ad judicium, [Cassiod., Aug.] quod erit commune omnium *venient cum exsultatione*, et hoc tantum bonorum, quod ad gaudium non nisi boni venient. Venient dico, *portantes manipulos suos*, fructum seminis, scilicet coronam gaudiorum et exultationis. Tunc erit triumphus lætantium. Et ipsi morti insultantium, in qua hic gemebatur.

COLLATIO IN PSALMUM CXXV : « IN CONVERTENDO DOMINUS CAPTIVITATEM SION. » etc.

VERS. 1 — *In convertendo Dominus*. Hebraismus D est, בשוב BESCHUB. Similiter et Græcanica locutio, quanquam Græce est. ἐν τῷ ἐπιστρέψαι Κύριον.

Sicut consolati. D. Hieronymus, et omnes alii, *sicut somniantes*.. חלמים HOLEMIM, a radice הלם HALAM, quæ etiam interdum pinguescere significat, ut satis congruat consolationi, quanquam somnium probe innuat quietem consolationis. Unde translator ad Campensem dixit, *quieti restituti sumus* ; et Chaldæus, *erimus veluti infirmi qui convaluerunt*. Cæterum D. Hieronymus in Commentariis, hunc locum concillat, dicens : *Pro consolati*, omnes pariter editiones *somniantes* transtulerunt. Et pulchre *somniantes*, nondum est enim plena lætitia in captivitate constitutis.

VERS. 6. — *Sicut torrens in austro* Sancles, *sicut torrens in arido*. Consentit Nebiensis, quod idem valet. Etenim נגב NEGEB, significat *meridiem*,

sive *austrum* ventum calidum. Alii ferme transferunt, *sicut torrentes* aut *vivos*, sub accusandi casu. Utrumque fuerit aliquid commodum subaudiendum est. *Converte captivitatem nostram sicut torrens* aut A *torrentes* in *austro*. Hinc Chaldæus paraphrastes, *Converte, Deus, captivitatem, sicut convertitur terra, quando abundant fluenta aquarum, tempore siccitatis.*

PSALMUS CXXVI.

PSALMI TITULUS : « CANTICUM GRADUUM SALOMONIS. »

Nisi Dominus ædificaverit domum. Titulus : *Canticum graduum Salomonis.* [Aug.] Iste est octavus gradus in figura Novi Testamenti, quod octonario numero signatur, ubi agitur de ædificatione domus Dei, id est Ecclesiæ per verum Salomonem facta, id est per Christum, qui est verus pacificus, qui fecit utraque unum (*Ephes.* II), et in se lapide angulari Ecclesiam de duobus parietibus Judæorum B et gentilium construxit. In cujus rei significatione, Salomon templum ædificavit (*III Reg.* VI). Unde congrue hic additur, præter solitum *Salomonis*, quia is ædificavit templum in figura veri pacifici, scilicet Christi qui ædificat Ecclesiam, ut dictum est, de duobus parietibus. Ne ergo acciperes illum Salomonem, ideo Psalmus ait : *Nisi Dominus ædificaverit domum* (*Psal.* CXXVI). In hoc spes ponenda, non in ullo hominum, quia et ille Salomon cecidit, qui templum ædificaverat. Ille enim Salomon vehemens amator fuit mulierum, et usque adeo laqueus fuit illi illa cupiditas, ut idolis a mulieribus sacrificare cogeretur (*III Reg.* XI). Et est sensus tituli ; hic est *Canticum graduum Salomonis*, id est lætitia de ascensu, scilicet de ædificatione et provectu Eccle- C siæ, quam Christus ædificavit.

Intentio : Monet ascendere. Modus : [Cassiod.] Bipartitus est psalmus. Primo dicit quomodo ascendentes se habere debeant, id est ut discant, quod ædificatio non nisi a Deo est, et exaltatio in futuro non est nisi post humiliationem. Secundo dicit quæ sit hæreditas, et quomodo collecta, ibi, *ecce hæreditas*. Ne quis ergo alium ædificatorem acciperet, nisi Dominum, ait :

VERS. 1. — « Nisi Dominus ædificaverit domum ; « in vanum laboraverunt qui ædificant eam. »

Nisi Dominus. [Hilar.] Quasi dicat : Jam venit Jesus, jam de captivitate nos reduxit, jam civitas ædificatur Jerusalem ; sed discant ascendentes, D quod ædificatio et custodia non est nisi a Deo, et exaltatio in futuro non erit nisi post humiliationem. Etsi enim læti de gratia Novi Testamenti, tamen in tanto munere non est præsumendum alicui, quia *nisi Dominus*, id est Christus, *ædificaverit domum, in vanum laboraverunt*, etc. [Aug.] Dominus Christus ædificat sine cooperante interius, frustra laborant prædicatores foris loquentes tanquam ministri ædificationis, et custodes ædificatorum. Domus est populus civitas Dei : ad hanc ascendit omnis qui proficit ; cadit ab hac omnis qui deficit, amando Deum ascendis, amando sæculum cadis. [Cassiod.] Sunt enim ista cantica amantium, et quodam desiderio sancto flagrantium. Nisi, ergo, Dominus ædificaverit, hanc domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam, quia neque qui plantat aliquid est, neque qui rigat ; sed qui incrementum dat Deus (*I Cor.* III). [Aug.] Omnes autem in hac ædificatione laborant, qui in Ecclesia prædicant verbum Dei, ministri sacramentorum Dei. Postquam egit de ædificatione, subdit de custodia, dicens :

VERS. 2. — « Nisi Dominus custodierit civitatem, « frustra vigilat qui custodit eam. »

Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam. [Cassiod., Alcuin., Aug.] Ecce de domo transit ad civitatem, quæ plures habet domos, ut nec in singulis, nec in munita collectione sit præsumptio, et quamvis domus et civitas secundum metaphoram, quæ de diversis inducitur, sint diversa, una tamen est Ecclesia, quam utraque significant. Deinde ne aliqui velint exaltari, ante humiliationem conversus ad illos, ait :

VERS. 3. — « Vanum est vobis ante lucem sur- « gere : **282** surgite postquam sederitis, qui « manducatis panem doloris. »

Vanum est ; [Aug.] quasi dicat : Vanus est labor et custodia civitatis, nisi Dominus operetur, et etiam *vanum est vobis surgere ante lucem*, id est Christum. Surgere est exaltari et securos esse, quasi dicat : Vanum est vobis, si surgitis antequam lux surgat. Lux Christus est, *qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (*Joan.* I). Post quem surgendum est non ante, ut ille facit qui se ei præponit, volens hic esse altus, ut ille humilis fuit, ut filii Zebedæi voluerunt : qui antequam humiliarentur secundum passionem Christi, sibi loca eligebant, ubi sederent in regno Dei, unus ad dexteram, alius ad sinistram (*Matth.* XX). Ante lucem volebant isti surgere, sed surrectio, id est exsultatio, sequitur sessionem, id est humiliationem, ut lux nostra sit Christus. Post mortem surrexit altius. Ideoque subdit : *Surgite* autem *postquam sederitis*, scilicet peracta sessione, id est post humiliationem. Dico, postquam sederitis, non dico sedere ad judicandum vel gaudendum, sed ad humiliandum. Unde subdit, *qui manducatis panem doloris.* Sessio enim aliquando humilitatem significat, aliquando honorem judicandi. Hic autem humiliationem designat, quod ostenditur per hoc quod ait, qui manducatis panem doloris. Manducat panem doloris, qui gemit in hac peregrinatione, qui in valle plorationis de afflictione se reficit, dicens : *Factæ sunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte* (*Psal.* XLI). Et quasi quis diceret. Modo sedere jubemur, modo surgere promittitur nobis ; sed quando hoc erit ? subdit :

VERS. 4. — « Cum dederit dilectis suis somnum. »

Cum dederit somnum, [Aug.] id est mortem temporalem, in qua est secura pausatio. Dederit, dico, *dilectis suis*. Post mortem enim surgent dilecti. Dominus enim post mortem exaltatus est. Ergo et tuam exaltationem post mortem spera. Sede ergo prius, et sic surges.

PARS II. VERS. 5. — « Ecce hæreditas Domini, « filii, merces fructus ventris. »

Ecce hæreditas Domini. [Cassiod., Aug.] Secundo dicit quæ sit hæreditas, et quomodo collecta. Quasi dicat : Dilecti post somnum surgent. Et qui sunt dilecti? *Filii :* qui filii? qui sunt *fructus ventris*. Et istis quid erit? Ecce his erit tunc *hæreditas Domini*. Quæ est illa hæreditas? ecce, *merces*, id est vita æterna. Attende quod ait, fructus ventris. Non omnes filii Ecclesiæ, quæ quasi quædam mulier, in dolore parturit, sunt fructus ventris, sed soli boni. Venter enim Ecclesiæ, ut Eva, in dolore parturit filios bonos et malos, ut Rebecca geminos inter se dissidentes utero gestabat (*Gen.* XXV), quos cum partus apparuisset, discernit et dilexit Jacob. Ita et Ecclesia in cujus figura dictum est : *In dolore paries filios* (*Gen.* III), bonos parit et malos. Unde Apostolus : *Filioli mei, quos iterum parturio* (*Gal.* 4). Boni vero sunt fructus ventris, ut Jacob dilectus, matri, horum est merces, surgere post sessionem ; lætari post panem doloris. Modo ergo dolor et gemitus est eis ; sed in resurrectione hæreditas tunc apparebit partus Ecclesiæ, tunc videbitur qui sint, sed per quid acquisiti sunt hi filii? per sagittas, quia

VERS. 6. — « Sicut sagittæ in manu potentis : ita « filii excussorum. »

Sicut sagittæ in manu, etc. [Hilar., Cassiod.] Vel ita, ecce hæreditas. Quasi dicat : Qui sunt dilecti? Ecce hæreditas Domini, scilicet filii, renati ex aqua et Spiritu sancto, isti sunt hæreditas. Qui tales sunt, merces fructus ventris, id est sunt merces reddita homini Christo, qui est fructus uteri virginalis, qui eos acquisivit per obedientiam passionis. Unde : *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem* (*Psal.* II). [Aug.] Et nota quod secundum hanc lectionem est hic psalmi partitio. *Sicut sagittæ*. Quasi dicat : Sed unde facta est tanta hæreditas? per sagittas, quia *sagittæ in manu potentis*, sunt excussæ, id est apostoli excussi per manum Christi, usque ad fines terræ ierunt, quia potens Dominus, dum fortiter de arcu sacræ Scripturæ sagittas excussit, usque ad fines terræ pervenerunt illæ excussæ. Apostoli autem dicuntur sagittæ, quia sunt missi a Domino, velut sagittæ celeriter omnia transeuntes, et sine errore ferientes. Sic sunt autem et filii excussorum excussi, quomodo et illæ excussæ. *Ita et filii*. Quasi dicat : Et, sicut sagittæ in manu potentis sunt excussæ, *ita filii excussorum*, id est apostolorum, sunt excussi, id est missi, et sic acquisita est hæreditas. Dicuntur ergo apostoli, quia missi a simili sagittarum. Vel excussi dicuntur apostoli quia ipsi sunt, quibus dictum est a Domino : *Cum exieritis de civitate in qua non audierint vos,*

A *excutite pulverem de pedibus vestris* (*Matth.* X). Sed dicet aliquis quod propter hoc videntur dicendi excutientes, non excussi, et secundum hoc melius deberent dici filii excutientium quam filii excussorum. Ad quod respondemus, quod propter hoc bene possunt dici excutientes. Verum et quod excutitur, ut pulvis, excussum dicitur, et unde excutitur aliquid ut vestis, et secundum hoc bene dicuntur apostoli excussi. Vel potius alia sententia est hic, quam prætermittere minime debemus. Ideo enim forte obscurius positum est, ut multos intellectus generet, et discedant ditiores homines, quia clausum invenerunt, quod multis modis aperiretur, quam si uno modo apertum invenirent. Sciendum ergo filios excussorum dictos esse apostolos filios, prophetarum, qui dicuntur excussi. Excuti enim aliquid
B dicitur, ut saccus, ut exeat quod intus latebat clausum. Prophetæ ergo clausa continentes sacramenta, excussi sunt a prædicatoribus, accedente eorum diligentia et Domino aperiente, et quæ abscondita erant, prodierunt aperta sicut illud Isaiæ. Obscurum erat : *Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui*; *Israel autem me non cognovit* (*Isa.* I), Hoc involutum aliquis prædicator excutiens dixit : Venit bos triturans de gente Judæorum, quia inde triturantes apostoli ; omnis enim qui prædicat verbum Dei, monet, objurgat, terret, triturat aream, bovis implet officium. Asinus vero est populus veniens de gentibus, ut insidat ei Christus, significatus in Evangelio per pullum asinæ, cui nullus insederat (*Matth.* XXI), quia ad eum nec lex
C missa, nec propheta. Utrique populo Christus est in præsepi, utrique cibus est in altari. Ecce qualiter illud involutum excussum est. Ideoque prophetæ dicuntur excussi, quibus excussis generati sunt apostoli. Vel ita, apostoli sunt excussorum filii qui a manu Dei sunt missi, usque ad fines terræ. Et est sensus litteræ. Quasi dicat : quomodo collecti sunt filii? ecce, quia, sicut sagittæ sunt in manu alicujus potentis hominis, ut eas mittat ad feriendum, ita filii excussorum, id est apostoli, filii prophetarum sunt missi a manu Dei. Et,

VERS. 7. — « Beatus vir qui implevit desiderium « suum ex ipsis ; non confundetur cum loquetur « inimicis suis in porta. »

D *Beatus vir* est ille *qui implevit desiderium suum ex ipsis* prædicatoribus, [Aug.] quod facit qui non amat sæculum. Qui enim desiderio sæculi plenus est, non est quo intret, quod illi prædicaverunt. Funde ergo quod portas, et sic fies capax ad id quod non habes. Et vere beatus est qui implet, quia *non confundetur cum loquetur in porta*, id est in Christo, *inimicis suis* quia non erubescit qui in Christo loquitur, et ejus honorem quærit, non suum. Vel non confundetur cum loquetur inimicis suis in porta, id est in communi, ut omnes noverint quid loquatur.

COLLATIO IN PSALMUM CXXVI : « NISI DOMINUS ÆDIFICAVERIT DOMUM, » etc.

VERS. 3. — *Vanum est vobis ante lucem surgere;*

surgite postquam sederitis. In D. Hier. non est, surgite: *Frustra est vobis de mane consurgere, postquam sederitis.* Pratensis, aliter, *vanum est vobis diluculo prævenientibus surgere, retardantibus sedere.* Et ad consimilem modum pene cæteri. Translator tamen ad Campensem, quasi accedit ad D. Hier. *Frustraneum est si postquam quieveritis quam maturrime surgatis.* Porro in Hebræo est una particula, quæ per se significat *mane surgere*, ac mox sequitur altera significans simpliciter *surgere* משכימי קום MASCKIME QUM, quod est *ad verbum manesurgentes, surgere.* LXX sensum tenuerunt. Deinde, *postquam sederitis*, non est ab Hebra. alienum מאחרי שבת MEAHARE SCHEBET. Quasi dicat: a post sedere, quam locutionem non agnoscit latina consuetudo.

Panem doloris D. Hiero. ad Marcellam, de hoc loco disceptat in hæc verba: Inveni pro *pane doloris*, scriptum לחם העצבים LEHEM HAATZABIM., quod Aquila interpretatus est, ἄρτον διαπονημάτων, id est *panem elaborationum.* Symmachus, ἄρτον μακοπαθουμένον, quod exponunt *panem ærumnosum.* Quinta editio et Theodotion, qui in cæteris cum LXX translatoribus facit, *panem idolorum.* Sexta, πλάνης, id est erroris. Nec mirandum est de Aquila, si διαπονημάτων, pro *idolis* ponat, cum opera manuum hominis sint, et prophetice populus arguatur ad templum diluculo frustra consurgere, et post quietem ad sanctuarium festinare cum idola Dei honore venerentur, secundum quod Ezechiel scripsit in ipso templo, sacrificare idolis sacerdotes. Ut autem plenius adducaris pro *dolore* in Hebr. *idola* posita, hoc ipsum verbum, hoc est עצבים ATZABIM etiam in CXIII psalmo scriptum est. LXX quoque *idola* transtulerunt. Nam et in eo loco ubi legimus, *idola gentium argentum et aurum, opera manuum hominum*, in Hebr. habetur, עצביהם ATZABEHEM, quod Aquila interpretatur *elaborationes eorum.* Unde cum ita veritas se habeat, non frustra quidam *laboris panem*, aut hæreticorum intelligunt sacramenta, aut vitæ istius miserabilis et ærumnosæ interpretantur laborem, apud quam in sudore faciei comedimus panem

A nostrum, et inter spinas et tribulos, brevis vitæ alimenta nascuntur (*Gen.* III).

VERS. 4. — *Merces fructus ventris.* Ex Hebr. videtur quod fructus sit nominandi casus, eo quod scribitur שכר פרי SACAR PERI. Alioquin, juxta hebraismi proprietatem, dicendum foret שכר SECARut esset in statu constructionis. In Græco tamen manifeste est casus paternus, quomodo etiam interpretatur August. ὁμισθός τοῦ καρποῦ τῆς γαστρός. Igitur juxta rectum casum, Christus fructus ventris, est merces filiorum, qui dilecti sunt hæreditas Domini. Juxta vero possessivum, mater Ecclesia parturit filios ventre charitatis et fidei, ac merces hujus fructus ventris, erunt filii in resurrectione particulari.

VERS. 5. *Ita filii excussorum.* Hier. et pene cæteri, filii juventutis aut *adolescentiæ.* Cæterum נער NAAR, significat *excutere.* Hinc passivum נערים

B NEURIM, id est *excussi.* Est præterea quandoque nomen *adolescentium* sonans, quomodo acceperunt alii interpretes. *Excussos* autem D. Hier. ad Marcellam attestatur LXX transtulisse pro *juvenibus*, ut intelligamus robustos, vegetos, ac expeditos. Et in corroborationem ejus adducit Neem. cap. IV, ubi legimus: *Media pars juvenum eorum faciebat opus, et media pars parata erat ad bellum, et lanceæ et scuta, et arcus, et loricæ.* LXX dixerunt, *Medii excussorum faciebant opus, et medii eorum, habebant hastas et scuta, et arcus et thoraces.* Alteram quoque translationem prosecutus est, ut intelligas adolescentiæ populos, Christianos exacuti sensus.

VERS. 7. — *Desiderium suum.* Omnes alii habent *pharetram* suam, ex Heb. אשפתו ASCHPATHO. Sed LXX per metaphoram intellexerunt reconditum *gaudium, speique plenitudinem*, qua homo spiritu intentus, quasi sagitta directa cœlestia penetret. Nostra *etenim conversatio in cœlis est.* (Philip. III). Cur vero

C in Hebr. pro desiderio *pharetra* posita sit, explicat D. Hieron., in Commentariis, etc., ut quia sagittas præmiserat, in Comparationem sanctorum, consequenter pharetram sagittis inferat explendam. Chaldæus παραφαστικῶς interpretatur scholas.

PSALMUS CXXVII.

283 PSALMI TITULUS: « CANTICUM GRADUUM. »

Beati omnes qui timent Dominum. Titulus: *Canticum graduum.* [Cassiod.] Nonus gradus est ut pacificus caste timeatur, qui solus ædificat, custodit, exaltat. Intentio: Monet caste timere. Modus: Bipartitus est psalmus. Primo bona timentis enumerat. Secundo optat bona timenti, ibi, *benedicat tibi.* Ad timorem ergo Dei monens ait:

VERS. 1. — « Beati omnes qui timent Dominum;

D « qui ambulant in viis ejus. »

Beati sunt *qui timent Dominum.* [Cassiod.] Miseri sunt qui mundana timent. Sciendum est quatuor esse timores præter naturalem, quæ omnibus inest, scilicet, mundanum sive humanum, servilem, initialem, castum vel filialem. Humanus timor est, quando timemus pati pericula carnis, vel perdere bona mundi, propter quod delinquimus. Hic timor malus est qui in primo gradu cum mundo deseritur. Sed divinus timor comes est per omnes gradus. [Aug.] Timor servilis est cum propter timorem gehennæ continet se homo a peccato, præsentiam judicis et pœnas metuit, et timore facit quidquid boni facit, non timore amittendi æternum bonum quod non amat, sed timore patiendi malum quod formidat. Non timet ne perdat amplexus pulcherrimi sponsi, sed timet ne mittatur in gehennam; bonus est iste timor et utilis, per quem fit paulatim consuetudo justitiæ, et succedit initialis timor, quando incipit quod durum erat amari, et sic incipit excludi servilis timor a charitate, et succedit. Deinde castus timor, quo timemus ne sponsus tardet, ne discedat, ne offendamus, ne eo careamus, timor iste de amore venit. Ille quidem servilis, utilis est, sed non permanens in æternum, ut iste de quo hic dicit Propheta: *Beati omnes qui timent Dominum* casto, scilicet timore, et qui sunt isti? *Qui ambulant in viis ejus*, id est in fide, in bonis operibus. [Cassiod., Aug.] Hoc ideo ait, ut non tantum a malis separemur, sed etiam in fide ambulemus. Et nota quod a pluribus cœpit, dicens: *Beati.* Sed quia omnes unum sunt in Christo, singulariter loquitur.

VERS. 2. — « Labores manuum tuarum, quia « manducabis: beatus es, et bene tibi erit. »

Labores manuum tuarum manducabis. [Aug.] Quasi dicat: Ita beati sunt qui timent, *quia man-*

ducabis, labores, etc. Vel sine, *quia*, lege : quasi dicat : Beati sunt qui timent, et o vos qui timetis, vel o tu qui times : utrumque enim bene dicitur, quia omnes unus homo sunt. Tu inquam, manducabis labores manuum tuarum, vel *fructuum tuorum*, alia littera. Labores fructuum dicit, cum deberet dicere, fructum laborum ; sed quia labores cum gaudio sumuntur, propter spem, et ipsi jucundant, et modo sunt cibus ; sed jucundior eorum fructus erit, quando sancti venientes cum exsultatione, portantes manipulos suos ; postea de utroque subdit, *beatus es*, jam in præsenti de labore, *et bene tibi erit* in futuro de fructu ; et tunc vere bene, ubi bene est, omnia bona tibi confluunt ad gaudium suavitatis. Deinde qualiter beatus sit subdit :

VERS. 3. — « Uxor tua sicut vitis abundans : in « lateribus domus tuæ. »

Uxor tua, etc. Etsi ad litteram hoc accipi posset, [Alcuin.] tamen nec omni timenti Deum convenit, nec soli, sed mystice bene accipitur, et omni timenti generaliter convenit. Quasi dicat : Ita beatus es, o tu timens, quia *uxor tua*, id est sensualitas, est *sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ*, id est bene est subdita rationi, et sic manens in paradiso, id est in quiete, abundat in bonis operibus Et

VERS. 4. — « Filii tui sicut novellæ olivarum : « in circuitu mensæ tuæ. »

Filii tui, id est opera, sunt *sicut novellæ olivarum*, [Hilar., Cassiod.] quia virent oleo charitatis inuncta, et sunt *in circuitu mensæ tuæ* quia qui talia opera faciunt, pane cœlesti reficiuntur. Vel uxor dicitur sapientia viri, de qua Salomon : *Ama sapientiam tanquam sponsam, et ipsa amplexabitur te* (*Sap.* VIII), quæ ut vitis uvas, jucundos fructus bonorum operum dedit. Domus ergo est cogitatio, cujus parietes sunt duo Testamenta, in quibus mens ut in lateribus domus solidatur. Et est, uxor tua, id est sapientia, est sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ, id est abundat fructibus bonorum operum, quæ procedunt ex bona cogitatione informata et munita doctrina duorum Testamentorum. Et de sapientia uxore nati sunt filii tui. Non dicit filiæ, feminino genere, sed filii, pro firmitate, id est imitatores tui. Et hi sunt in circuitu mensæ tuæ, id est circumdant mensam, id est altare, quando pane satiantur cœlesti, scilicet Dominico corpore, et spirituali doctrina ; et isti sunt sicut novellæ olivarum, [Cassiod.] id est isti comparantur novellis olivis, quæ viridiores, et fortiores, et uberiores sunt in fructu. Unde et lumen est, et fessorum levamen. Et notandum quia hic vitis et oliva memorantur, sicut in vulnerato a latronibus infunditur vinum et oleum (*Luc.* X). In vino, austeritas justitiæ est ; in oleo, lenitas misericordiæ. Illud ad vetus, hoc ad novum Testamentum pertinet. [Aug.] Vel per uxorem intelligitur Ecclesia, et dirigitur sermo ad Christum caput, cum dicitur tua, et, tui : nec tamen mutatur vox vel persona, propter unitatem capitis et corporis. Unus enim homo Christus caput est et corpus, et in capite quisque fidelium hæc habet. Dicit ergo Christo, uxor tua, est sicut vitis abundans. Uxor Christi est Ecclesia, quæ est fertilis vinea, quæ non in omnibus fertilis est et abundans, ut in paleis. Sed in lateribus domus tuæ, id est in illis, qui tibi o Christe adhærent, qui latera tua sunt. Sicut enim dicimus de aliquo qui malis consiliis utitur, mala habet latera : et ita de illo qui bonis consiliis utitur, dicimus, bona latera habet. Ita ergo latera domus Christi dicuntur qui ei adhærent. Et, filii tui. Idem sunt filii Christi, qui et uxor, id est Ecclesia. Ipsa enim est conjux Christi, et ipsa est filii. Hi filii sunt sicut novellæ olivarum, quia pacifici sunt. Oleum enim pacem significat, quia charitatem, sine qua nulla est pax : et hi filii sunt, in circuitu mensæ tuæ, quia satiantur mensa cœlesti. Deinde sequitur conclusio beati.

VERS. 5. — « Ecce sic benedicetur omnis homo : « qui timet Dominum. »

Ecce sic [Aug.] Quasi dicat : Sed quare hoc ? *Ecce* ex timore Dei, *sic* enim *benedicetur omnis homo qui timet Dominum.*

PARS. II VERS. 6. — « Benedicat tibi Dominus « ex Sion : et videas bona Jerusalem omnibus die- « bus vitæ tuæ. »

Benedicat tibi Dominus. [Aug.] Secunda pars, ubi ex pietate postulat benedici timentes. Optat enim hic bona timenti, sed quæ non sunt malis communia. Quasi dicat : Benedicentur timentes Dominum, sed, o timens, ne quæras has benedictiones quæ non sunt ex Sion, quæ etiam in malis sunt ; sed potius benedicat tibi Dominus, benedictione, quæ est *ex Sion* cœlesti, id est æterna benedictione, *et* ibi positus nunc spe, postea re, *videas bona*, etc. [Cassiod.] Vel, Dominus progressus ex Sion Judæorum, benedicat tibi. Et, ita, ut videas bona, non quæ transeunt, sed *bona Jerusalem omnibus diebus vitæ tuæ*, id est æterna, quæ videbuntur semper : quod non ista possunt, tumulus bonorum, est æternitas.

VERS. 7. — « Et videas filios filiorum tuorum : « pacem super Israel.

Et videas filios filiorum tuorum, [Aug., Cassiod.] id est fructum bonorum operum, vel eos qui de doctrina tua generantur. Et ut breviter omnia concludam vel comprehendam. *Videas pacem super Israel*, omnia illa bona nominantur pax.

(*In psalmum* CXXVII, *nihil est annotandum.*)

PSALMUS CXXVIII.

PSALMI TITULUS : « CANTICUM GRADUUM. »

Sæpe expugnaverunt. Titulus : *Canticum graduum.* [Cassiod., Aug.] Decimus gradus est, ut qui caste Deum timet, pro eo omnia patienter ferat : quod tunc expedit Ecclesiæ inter malos. Mali enim etsi audiunt verbum Dei, tamen turbant Ecclesiam quotidie scandalis et tribulationibus, qui in Evangelio comparantur petrosis locis, ubi semen aruit, quia non habent radicem (*Luc.* VIII). Hos tales ab Abel Ecclesia toleravit. Intentio : Monet ad patientiam. Modus : Bipartitus est psalmus. [Cassiod., Aug.] Primo ostendens quæ tulerit, consolatur infirmos. Secundo agit de reprobatione persequentium, ibi, *Dominus justus.* Ecclesia ergo quasi respondeat querelis infirmorum murmurantium : quod tot malos ferant, incipit : « O filii, nolite mirari ad ista, quasi nova, quæ jam diu sustinui, et ne turbemini, quia »

VERS. 1. — « Sæpe expugnaverunt me a juven« tute mea ; dicat nunc Israel. »

Expugnaverunt me matrem, *sæpe* [Aug.] hoc dicit pro frequentia passionum. Et hoc, *a juventute mea,* scilicet a primo tempore ætatis ab Abel. Aliquando enim in solo Abel Ecclesia erat, et expugnata est a fratre malo, et perdito Cain (*Gen.* IV). Et istud, *dicat Israel nunc,* dum licet ut alii instruantur. Istud ergo dicat, et non timeat istud, cum senectus expugnatur, consolatur se de præteritis. Quid dicat ?

VERS. 2. — « Sæpe expugnaverunt me a juven« tute mea ; etenim non potuerunt mihi. »

Sæpe expugnaverunt me a juventute mea. Et quare expugnaverunt ? [Aug.] quia non consensi eis, quod ita ait : *Etenim non potuerunt mihi,* scilicet prævalere, ut me traherent in consensum peccati. Quod cum non possem,

VERS. 3. — « Supra dorsum meum fabricaverunt « peccatores, prolongaverunt iniquitatem suam. »

Supra dorsum. [Aug.] Quasi dicat : Quia non potuerunt facere, ut consentiam, fecerunt ut portem ipsos, et fero usque in finem. Vel ita : Etenim, quasi dicat, expugnaverunt me, sed mihi non nocuerunt. [Cassiod.] Etenim, id est quia : Non potuerunt mihi prævalere, ut me finirent et consumerent, quia etsi quidam sanctorum ad cœlum missi sunt, tamen Ecclesia non potuit finiri Ideo ait : Non potuerunt, quia Ecclesia crescit adversis. Et cum palam non possent nocere, *supra dorsum meum fabricaverunt peccatores,* id est conati sunt occulte mihi nocere, quia quod mali nequeunt publice omnibus, occulte singulis tentant suadere, ut qui a facie venientes viderentur, a tergo non sentiantur. Et sicut sæpe expugnaverunt, ita et diu. Quod ita dicit : *Prolongaverunt iniquitatem,* vel injustitiam *suam* quia non sunt momentaneæ eorum insidiæ, sed diutinæ. [Aug.] Vel ita : Sæpe expu-

A gnaverunt, tamen prolongaverunt iniquitatem suam, id est longe fecerunt a me injustitiam suam, quia etsi mali cum bonis sint in sæculo, si etiam in Ecclesia sint, ne quis tamen putet iniquitatem juxta justitiam. Et si eos porto, tamen longe est a me iniquitas eorum. Ne quis ergo timeat mistos sibi malos qui longe sunt.

VERS. 4. — « Dominus justus concidet cervices « peccatorum ; confundantur et convertantur re« trorsum, omnes qui oderunt Sion. »

Dominus justus. Secunda pars, ubi agit de reprobatione persequentium. Quasi dicat : Expugnaverunt me peccatores, sed hoc non semper erit, quia *Dominus concidet cervices peccatorum.* In hoc superbos et cervicosos peccatores notat. In cervice B enim notatur superbia. *Et* **284** *confundantur* ipsi, quod erit cum viderint se damnari, *et convertantur retrorsum,* id est inefficaces appareant, *omnes qui oderunt Sion,* [Aug.] id est Ecclesiam, quam non tantum manifesti persecutores, sed etiam qui ficte intrant, oderunt. Qui enim nolunt observare verbum Dei, oderunt Ecclesiam.

VERS. 5. — « Fiant sicut fenum tectorum ; quod « priusquam evellatur exaruit. »

Fiant etiam *sicut fenum tectorum.* [Aug., Cassiod.] Quasi dicat : Est herba quæ in alto nascitur, sed sine radice. Feno ergo tectorum comparantur mali quia in culmine superbiæ nascuntur, ubi non solide stant qui sæpe dispereunt antequam de vita tollantur. *Quod priusquam evellatur exaruit,* [Aug.] C quia mali ante sicci sunt, quam de vita abeant. Nondum enim finiti sunt in judicio Dei, et jam non habent succum viriditatis.

VERS. 6. — « De quo non implevit manum suam « qui metet ; et sinum suum qui manipulos col« liget. »

De quo, scilicet feno, id est de malis et aridis, ***non implevit manum suam qui metet,et sinum suum qui manipulos colliget.*** [Aug.] Angeli sunt messores qui bonos fructus colligent, ut offerant Deo : qui grana separabunt a paleis (*Matth.* XIII), sed hi de malis non implebunt manum vel sinum, [Haym., Hilar.] id est non colligent ex eis bonam operationem, vel bonam cogitationem, quia nullus in talibus fructus comperietur, qui manu vel sinu ab angelis por-D tetur. Manus ad opera, sinus ad conscientiam refertur, sed in neutro fructus est malis.

VERS. 7. — « Et non dixerunt qui præteribant : « Benedictio Domini super vos : benediximus vobis « in nomine Domini. »

Et non dixerunt. [Alcuin., Aug.] Quasi dicat : Quos non colligent angeli, quibus non prædicaverunt apostoli. Et hoc est quod ait : Et illi non colligentur, quibus *non dixerunt* illi *qui præteribant,* scilicet apostoli et prophetæ, *benedictio Domini* sit *super vos.* Maxime Judæis mos erat, quibuscunque operantibus

hoc dicere : Benedictio Domini super vos. Hic enim mos inter Hebr. erat, ut major operantibus benediceret (*Ruth.* II). Unde hic dicitur e contrario, quia inaniter operantibus nulla benedictio datur. Illi ergo qui præteribant, sunt qui per vitam istam currendo transeunt ad patriam, ut prophetæ et apostoli, qui radicatos charitate benedicunt. Superbis vero dicunt, benedictio Domini super vos, sed quod futuri sunt, scilicet miseri, et non dixerunt talibus : *Benediximus vobis in nomine Domini*. Bonis benedicitur. Si ergo bene vivis, vide te benedictum. Omnes enim viventes benedicunt, non utique in suo nomine, sicut hæretici ; sed in nomine Domini a quo omnia bona dicunt esse, non ab eis. Qui enim dicunt, non sanctificat nisi Deus, nec quisquam bonus est nisi dono Dei. Ipsi in nomine Domini benedicunt, non in suo, quia amici sunt sponsi, nec volunt esse adulteri sponsæ.

COLLATIO IN PSALMUM CXXVIII. « SÆPE EXPUGNAVERUNT, » etc.

VERS. 3.—*Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores*. In Hebr. est *araverunt*, *arantes*, sive *aratores*, הרשׁו חורשים HARESCHU HORESCHIM. Longa a diuturna persecutorum molestia hoc et illo modo significatur, veluti et quod statim sequitur : *Prolongaverunt iniquitatem suam* האריכו למענותם HEERICU LEMAANITHAM. hoc est *prolongaverunt sulcum suum*. Perseverat enim in metaphora, qua semel corporat. Et LXX sensum eruerunt, qui decebat.

VERS. 4. — *Cervices peccatorum*. Hebr. habent pro cervicibus funes. Sciendum autem quod si עבות ABOTH, sit plurale hujus nominis עב AB, recte sonat res densas et incrassatas, quibus significatur more Scripturæ superbia, etiam cervice pingui designata. Unde Deut. XXXII, ubi arguitur duritia et obstinatio filiorum Israel, dicitur עבית ABITA ; *incrassatus fuisti*. Si autem ABOTH fuerit ab עבת ABATH, sunt *funes fortes*, et *densa vincula*, quemadmodum accipere volunt Hebræi. Utrobique sententia digna est.

PSALMUS CXXIX.

PSALMI TITULUS : « CANTICUM GRADUUM. »

De profundis. Titulus : [Cassiod.] *Canticum graduum*. Undecimus gradus pœnitentialis supplicatio, qui congrue post prædictos gradus ponitur, quia nec timens tantum Deum, nec omnia ferens dignum se penitus sentit Christo, quia in corpore nullus sine peccato est. Et ideo una securitas est precibus inclinari. [Alcuin.] Et est iste sextus psalmus in ordine pœnitentialium psalmorum, et undecimus in ordine canticorum (181). Per senarium notatur perfectio, quia sex diebus perfecit Deus mundum. Per undenarium notatur transgressio, quia et denarium excedit, et ad duodenarium non pervenit. Unde et undecim erant vela capillatia in tabernaculo Domini (*Exod.* XXVI), [Alcuin.] et undecim sunt psalmi Asaph, et in undenario fuerunt apostoli, semoto scelestissimo Juda : sed ad duodenarium redierunt, substituto Matthia. In his ergo datur intelligi quod quantæcunque perfectionis sit aliquis, non tamen sine peccato est, pro quo necessaria est pœnitentia, quia est senarius cum undenario. Intentio : [Cassiod.] Monet ad pœnitentiam. Modus : Bipartitus est. Primo pœnitens captat a sua persona misera, et a misericordia judicis, unde sperat magna. Secundo ponitur læta conclusio, cum certitudine veniæ, ibi, *speret Israel*. [Aug.] Hic ergo pœnitens sciens se esse in profundo, a simili Jonæ clamat,

VERS. 1. — « De profundis clamavi ad te, Domine ; Domine, exaudi vocem meam. »

De profundis clamavi ad te, Domine. Hæc est vox ascendentis. [Aug.] Attendat ergo quisque in quo profundo sit, de quo clamet ad Deum. Clamavit Jonas de profundo, scilicet de ventre ceti (*Jon.* II), quia nec venter belluæ potuit tenere vocem precantis, quæ omnia penetravit et ad Dei aures usque pervenit : Ita et iste de hac vita mortali clamat, quæ est nobis profundum. Qui enim sentit se fore in profundo, ubi fluctibus interioris et exterioris miseriæ atteritur, imago Dei gemit, clamat donec eam liberet Deus, ita ut renovetur et reparetur a Deo, qui illam impressit, cum hominem formavit ; sed cum de profundo clamat, surgit de profundo : et ipse clamor non eum sinit multum in imo esse. Valde enim in profundo sunt qui nec clamant cum viderint se quotidianis peccatis obrutos, et acervis quibusdam et molibus iniquitatum pressos ; sed potius illos irrident, qui eos Deum rogare monent. Hoc est profundum in quo peccator contemnit. Sicut dicit Scriptura : *Peccator cum venerit in profundum malorum contemnit* (*Prov.* XVIII). [Cassiod.] Deinde subdit quid clamaverit : *Domine, exaudi vocem meam*. Deinde aliis verbis idem repetit, dicens, et

VERS. 2. — « Fiant aures tuæ intendentes : in vocem deprecationis meæ. »

Fiant aures tuæ, [Aug.] id est auditus clementiæ *intendentes in vocem deprecationis meæ*. Precibus Deum placeat, ut clementer audiat. Deinde ostendens de quo profundo clamet, ait :

VERS. 3. — « Si iniquitates observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit ? »

Si iniquitates. [Aug.] Hoc est profundum de quo clamat ; sub molibus namque et fluctibus suarum iniquitatum clamat. Circumspectis enim omnibus nullum bonum videns, sed undique mala et catervas scelerum suorum cernens, quasi expavescens exclamat, o *Domine, si iniquitatem* vel iniquitates, *observaveris*, id est ad vindictam æternam servaveris, *Domine, quis sustinebit ?* te judicem ? nullus. Non tantum ego, non dixit. ego non sustinebo, sed quis sustinebit ? quia prope omnis humana vita peccatis suis circumlatratur, omnisque conscientia suis

(181) Ex Aug. XV De civitate Dei, cap. 20.

cogitationibus accusatur, et non est castum cor, quod præsumat de justitia sua. Præsumat ergo de Dei misericordia, scilicet quod apud eum est propitiatio.

VERS. 4. — « Quia apud te propitiatio est; et « propter legem tuam sustinui te, Domine. »

Quia apud te propitiatio est. [Aug.] Quasi dicat : Quia spe clamat, quia est in eo misericordia, quod ita ait, *quia apud te*, etc. Vel ita junge. Nullus potest sustinere, si observaveris iniquitatem; sed tamen non despero, quia apud te *propitiatio est*. In hoc mihi est spes, quia apud te propitiatio, scilicet sacrificium quod pro nobis oblatum est, quo peccata solvit, scilicet innocens sanguis Christi, pro nobis fusus et oblatus, quo deleantur omnia peccata nocentium : quo captivi de manu captivantis inimici redimuntur. In hoc ergo mihi spes est. Nam si judex solum esse velles, et misericors esse nolles, omnes iniquitates observares. Et quis ante te staret in judicio tuo? Una ergo spes est, quia apud te propitiatio est, *et propter legem tuam*, scilicet misericordiæ, cum olim premeres sub lege veteri, reos faciente, *sustinui te, Domine*, scilicet propter legem misericordiæ et charitatis quæ vivificat, sustinui : quæ peccata condonat, et de cætero monet, ne offendat homo. Et si titubavi, remedium dat orandi : *Dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.* VI). Et quia hanc legem dedisti in ipsa necessitate, sustinui te, exspectans quando venias, et liberes ab omni necessitate. Sine hac igitur lege misericordiæ et charitatis, qua alter alterius onera portat, nullus sustinet, vel frustra sustinet. Deinde quasi quis diceret : [Gl. int.] Est-ne verum quod propter illam legem sustinueris? conversio sit ad auditores, et ait : Utique,

VERS. 5. — Sustinuit anima mea in verbo ejus : « speravit anima mea in Domino. »

Sustinuit anima mea in verbo ejus, [Aug.] quod non fallit, quod regnum promisit post veniam. Accepimus quidem veniam peccatorum, sed æternam vitam nondum tenemus : debita sunt deleta, sed merces est adhuc futura, quam speramus in verbo ejus. Si verbum nostrum esset, deberemus timere. Sed quia verbum Dei est, non fallit. Securi ergo speremus in ejus verbum, quod fallere non potest, propter quod subdit, *speravit anima mea in Domino*.

VERS. 6. — « A custodia matutina usque ad no- « ctem; speret Israel in Domino. »

A custodia, vel vigilia, *matutina usque ad noctem*. [Aug.] Ideo dicit a vigilia matutina, quæ est finis noctis, quia Dominus tunc surrexit, quod et in nobis speramus. Et ex tunc hoc cœpit sperare anima nostra, et sperat usque ad noctem, id est usque quo non moriamur. [Alcuin.] Aliter non valet, quia *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* tantum (*Matth.* X). Inde in lege caput et cauda hostiæ Domino offerebatur (*Levit.* III), [Aug.] et quia ea hora Christus immortalis surrexit. Ille ergo sperat a vigilia matutina, qui non aliud a Deo quam immortalitatem sperat.

Speret Israel, etc. [Cassiod.] Secunda pars, ubi est læta conclusio, ubi de se securus prædicat aliis ut semper sperent in Domino. Quasi dicat : Sicut anima mea speravit, similiter speret Israel *in Domino* a custodia matutina usque ad noctem. [Aug.] Sed quomodo sperat peccator quod habuit ille, qui sine peccato erat? bene,

VERS. 7. — « Quia apud Dominum misericordia; « et copiosa apud eum redemptio. »

Quia apud Dominum est *misericordia*; [Aug.] quia ille qui sine peccato præcessit, delet peccata sequentium; *Et apud eum* est *copiosa redemptio*, scilicet sanguis pretiosus, qui totius mundi peccata redemit.

VERS. 8. — « Et ipse redimet Israel ex omnibus « **285** iniquitatibus ejus. »

Et adeo copiosa, [Aug.] quod *ipse* qui sine peccato præcessit, *redimet Israel*. Israel se vendere potuit, et non redimere : ille qui sine peccato est, potest redimere. [Cassiod.] Hic jam dicit, quid sit facturus ille, quem dixit misericordem esse et copiosum, scilicet quod redimet Israel *ex omnibus iniquitatibus ejus*.

COLLATIO IN PSALMUM 126 : « DE PROFUNDIS CLAMAVI. »

VERS. 4. — *Propter legem tuam*. Hunc locum diligenter examinavit D. Hier. ad Suniam et Fretellam, ex cujus pertractatione palam advertimus ipsum legisse biblia Hebraica absque punctorum distinctione, simul et jod, ubi legimus vau, quod vau, et quosdam interpretes prius tenuisse describit, a quibus nostram lectionem habemus in usu, sed præstat eum audire loquentem. Dicitis in Græco vos legisse, ἕνεχεν τοῦ ὀνόματός σου, id est *propter nomen tuum*, et nos confitemur plura exemplaria sic reperiri; sed quia veritati studemus, id quod in Hebr. sit, simpliciter debemus dicere. Pro nomine enim *sine lege* apud eos legitur thira, quod Aquila interpretatus est φόβον, hoc est *timorem*. Symmachus et Theodotion νόμον, id est *legem*, putantes תירה THORAH, propter litterarum jod et vau similitudinem et formam, quæ tamen magnitudine distinguuntur. Quinta editio *terrorem* interpretata est. Sexta verbum. Hactenus D. Hier. Cæterum nunc cum punctis legimus, תורי TIUARE, id est *timeberis*.

VERS. 6. — *A custodia matutina usque ad noctem*. משמרים לבקר שמרים לבקר MISCHOMRIM LABOQER SCHOMRIM LABOQER, quod interpretatur D. Hier., *a vigilia matutina, usque ad vigiliam matutinæ*; Pratensis, *supra observantes mane, supra observantes mane*; Sanctes, *magis quam custodes mane, custodes mane*; Munsterus, *ante custodes matutinos, ante custodes, inquam, matutinos*, ac cæteri pari forma. Quæ translatio eo tendit, quo insinuetur perfecta, indefessa, et jugis in Deum fiducia. Ubi ergo sensus tenetur, verborum cacozelia aspernanda est.

PSALMUS CXXX.

PSALMI TITULUS : « CANTICUM GRADUUM. »

Domine, non est exaltatum. Titulus : *Canticum graduum.* [Cassiod.] Duodecimus gradus est humilitas, quam intus et extra hic se habere ostendit. Intentio : Monet ad humilitatem. Modus : Bipartitus est psalmus. Primo proponens se humilem, pœnam indicit non humili. Secundo suo exemplo ad spem monet, ibi, *speret Israel.* Ostendens ergo se humilem intus et extra, ait ; o

VERS. 1. — « Domine, non est exaltatum cor « meum : neque elati sunt oculi mei. »

Domine, non est exaltatum intus, *cor meum.* [Haym., Cassiod., Aug., Haym.] Per hoc nota contrarium, id est humiliatum est cor meum, quod est sacrificium Deo ; *neque* jam *elati sunt* extra, *oculi mei* quia signum superbiæ exterius non ostendi.

VERS. 2. — « Neque ambulavi in magnis : ne- « que in mirabilibus super me. »

Neque ambulavi superbiendo, *in magnis, neque in mirabilibus super me,* [Aug.] id est non fui superbus, nolui quasi in mirabilibus innotescere hominibus, non quæsivi aliquid supra vires meas, unde apud imperitos jactarem me, ut qui mirabilia sibi optant, sicut Simon Magus in mirabilibus voluit supra se ire, delectatus potentia apostolorum, non justitia. Talia voluit facere, qualia apostoli faciebant, sed non talis esse (*Act.* VIII). Ideo supra se, id est supra vires suas erat quod volebat, sed potius quærendum est ne quis discordet in corpore Christi, quod est Ecclesia, nec majori invideat, sed in alterius bono, ut in suo gaudeat. Et qui in gratiis abundat, magis se humiliet, secundum illud : *Quanto major es, humilia te in omnibus* (*Eccli.* III).

VERS. 3. — « Si non humiliter sentiebam : sed « exaltavi animam meam. »

VERS. 4. — « Sicut ablactatus est super matre « sua, ita retributio in anima mea. »

Si non humiliter, [Gl. int., Aug.] quasi dicat : Non ambulavi in magnis, sed *humiliter sentiebam,* beneficia a Deo mihi data. *Et non exaltavi animam meam,* superbiendo. Totum repete seriatim. Et si non humiliter sentiebam, sed exaltavi animam meam, *ita* fiat *retributio in anima mea.* Ita per eam ego *sicut* aliquis incumbens *super matrem suam,* id est indigens foveri sinu matris, perit, si sit *ablactatus,* id est a lacte matris separatus, obstringit se iste maledicto. [Cassiod., Alcuin.] Hoc autem solemus dicere, quando de causa bene confidimus. Vel ita : Si non humiliter. Utitur similitudine, ablactati in maledicto, agens de Ecclesia in figura lactantis matris. Sicut enim quinque tempora notantur in carnali procreatione et alitione, ita in spirituali. Prius enim concipimur in utero, deinde ibidem alimur, donec in lucem edamur, deinde manibus matris gestamur, et lacte nutrimur quousque ablactati ad mensam patris accedamus. Primum ergo tempus A est conceptionis, secundum alitionis in utero ; tertium emissionis, quartum portationis et lactationis, quintum ablactationis, ita et in utero matris Ecclesiæ, primo concipimur, dum fidei rudimentis instruimur. Inde quasi in ejusdem utero alimur, in eisdem primordiis profitentes ; deinde in lucem edimur dum per baptismum regeneramur. Deinde quasi manibus Ecclesiæ portamur, et lacte nutrimur, cum post baptismum in bonis operibus informamur, et lacte simplicis doctrinæ proficiendo nutrimur, donec jam grandiusculi a lacte matris separati ad mensam Patris accedamus, id est a simpliciori doctrina, ubi prædicatur Verbum caro factum, accedamus ad Verbum in principio apud Deum. Inde est quod Abraham non in nativitate Isaac, non in cir- B cumcisione, sed in ablactatione magnum convivium legitur fecisse (*Gen.* XXI). Hæc quinque tempora sancta observat Ecclesia. Dum enim in quarta feria quartæ hebdomadæ militiæ Christianæ, agonistæ Christi vocantur, quasi Ecclesiæ infantia concipitur. Tunc enim per exorcismum et catechismum rudimentis Christianitatis imbuuntur. Deinde quasi in utero Ecclesiæ aluntur, usque ad Sabbatum sanctum, in quo per baptismum ad lucem generantur. [Alcuin.] Deinde quasi manibus Ecclesiæ gestantur, et lacte nutriuntur usque ad Pentecosten. Quo tempore nulla difficilia indicuntur, non jejunatur, non media nocte surgitur. Soror namque nostra parva est, et ubera non habet (*Cant.* VIII), ideo paulatim nutrienda. Unde tunc illud Petri in Ecclesia cantatur : *Quasi modo geniti infantes, rationabiles sine* C *dolo,* etc. (*II Petr.* II). Postea Spiritu paracleto confirmati, quasi ablactati incipiunt jejunare, et alia difficilia servare. [Aug.] Multi vero pervertunt hunc ordinem, ut hæretici et schismatici, se ante tempus a lacte separantes, unde exstinguuntur : hic vero servasse se dicit, obstringens se maledicto, sic : Quasi dicat : Non modo in aliis fui humilis, sed etiam in scientia, quia humiliter sentiebam, prius nutritus in lacte, quod est Verbum caro factum, ut sic crescerem ad panem angelorum, scilicet ad Verbum quod erat in principio apud Deum. Nam ipse est panis de quo infans pascitur ; panis enim de mensa trajicitur per matris mamillam, ut sic perveniat idem alimentum ad parvum infantem : sic Christus cum esset Verbum in principio apud D Patrem, qualem pro modo suo angeli capiebant, ut panem angelorum manducaret homo, ipsum Verbum caro factum est, ut per carnem panis cœlestis transiret ad infantes. Et secundum hoc ipsum Verbum crucifixum est, sed non est mutatum in hominem : homo mutatus est in illo, ut melior fieret quam erat, non ut ipsa substantia Verbi converteretur. Per id quod homo erat, mortuus, est Deus ; et per id quod Deus erat, homo excitatus est et resurrexit.

Quidquid passus est homo, non potest dici non passus Deus, quia Deus erat homo; sed nemo mutatus in hominem. Quomodo non potes dicere non te passum injuriam? si vestis tua conscindatur, quamvis vestis tua non sis tu, multo magis ergo quidquid patitur caro Christi unita Verbo, debet dici pati Deus, quamvis Verbum nec mori potuerit, nec corrumpi, nec mutari. Sed quidquid horum passus est, in carne passus est. Dominus ergo Christus, panem angelorum fecit nobis lac incarnatus, apparens mortalibus. Et non exaltavi animam meam, ut hæretici, qui si utcunque aliquid ceperint, vel visi sunt capere, inde superbiunt; et cum adhuc teneri super matrem suam sint, et portentur manibus Ecclesiæ, ut crescunt qui portati fuerunt in utero ut nascerentur, a lacte matris ante tempus separantur. Unde exstinguuntur. Quod ego non feci. Et si non feci, sed exaltavi animam meam, ante tempus discedens a lacte. *Ita retributio in anima mea*, sicut fit illi qui ablactatus est habens adhuc necesse incumbere, super matre sua obstringit se esse maledicto. Quasi dicat: Ita fiat mihi ut illi qui supra matrem incumbens, et non grandiusculus ablactatur. Vel ita, egit de humilitate qua parvulus est malitia, non altus superbia. Hic agit de exaltatione, qua altus est secundum scientiam, non humilis. Est enim altitudo bona et mala: similiter et humilitas. Humilis enim debet esse homo propter superbiam, non secundum scientiam. Altus propter sapientiam, non superbiam. Unde Apostolus: *Nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote, ut mentibus perfecti sitis* (*I Cor.* XIV). Bonum est ergo humilem esse propter superbiam cavendam; altum, secundum sapientiam. Sed quidam ne sint superbi, diminuunt se, nihil volunt discere, et remanent in lacte: quos redarguit Apostolus, dicens: *Facti estis, quibus opus est lacte, non solido cibo* (*I Cor.* III). Lactare ergo ut nutriaris et crescas, et ablactatus panem comedas.

Dicit ergo: *Si non humiliter sentiebam, sed exaltavi animam meam*, id est si non mente, sed malitia parvulus fui: *Ita fiat retributio in anima mea*, sicut sit illi qui grandiusculus et adultus est, id est retribuatur mihi, quod retribuitur puero, qui ablactatur a matre, ut jam sit idoneus panem comedere; nec obstringit se hic maledicto, sed asserit sibi bonum reddi. Et est sana sententia, sed discordat quod addit, super matrem, non dicit a matre, vel a lacte matris. Quod si diceret, planus fieret sensus, sed ait: Super matrem, quod non bene convenit. Infirmus enim qui super matrem est, ut prædictum est, si ablactatur, exstinguitur. Bonum est ergo adulto ablactari, sed ei qui super matrem est, perniciosum est. Ne ergo ablacteris quousque super matrem es; sed si adultus errat, redeat ad lac matris; et sic revelabit ei Deus, quod aliter sapit (*Philip.* III), quia *superbis resistit Deus, humilibus dat gratiam* (*Jac.* IV), ut hæc sententia stet, littera legi sic potest. Ita fiat retributio in anima mea, sicut fit illi qui prius incumbens super matrem suam, postea grandiusculus adultus factus est, ablactatus, id est a lacte matris separatus, ut valeat accedere ad mensam Patris. Vel si sunt in littera ablativi casus, idem sensus manifestus est, ut dicatur sic: *Ita fiat retributio in anima mea sicut*, illi qui *est*, *ablactatus super matre sua*, id est a matre sua.

PARS. II. VERS. 5. — « Speret Israel in Domino, « ex hoc nunc et usque in sæculum. »

Speret Israel. [Cassiod., Aug.] Secunda pars, ubi est conclusio psalmi, ubi suo exemplo cæteros monet: Quasi dicat: Et quia ita ago, ergo meo exemplo, *speret Israel in Domino*, quia sic mala sæculi tolerare poterit. Speret dico, *ex hoc nunc et usque in sæculum*, id est semper sine fine, quousque ad æternitatem veniat, quia postea non erit spes, sed res.

286 COLLATIO IN PSALMUM CXXX: « DOMINE, NON, » etc.

VERS. 3. — *Si non humiliter sentiebam; sed exaltavi animam meam.* In versionibus alia ponuntur verba, nihil tamen sonant, quam ex tenore modestiæ nihil sibi tribuere. D. Hieronymus, *si non proposui et silere feci animam meam.* Pratensis, *si non posui et humiliavi animam meam*; Sanctes, *nisi posui et silere feci animam meam.* Munsterus, *si non posui et compescui animam meam;* Pellicanus, *si non modestiæ studui et silui*; interpretes pro Cajetano, *si non æquavi et silere feci animam meam.* Translator ad Campensem, *sed pono et compesco animam meam.* Ecce clare vides, quod intelligentiam assecuti sunt.

Sicut ablactatus est super matre sua, ita retributio in anima mea. Quia in Hebr. ponitur *ablactatio animæ ad infantis ablactationem*, quo significetur mutua collatio similitudinis: idcirco LXX. Apte posuerunt secundo loco, *ita retributio in anima mea*, pro eo quod est, *ita ablactata ad me anima mea*; sic enim fit vicissim utrinque mutua redditio כגמל עלי אמו כגמל עלי נפשי KEGAMUL ALE IMMO CAGAMUL ALAI NAPHSCHI Divus Augustinus ad eum modum interpretatur, *sicut ablactatus ad matrem suam, ita ablactata ad me anima mea*; Pratensis, *sicut ablactatus super matrem suam, sicut ablactatus super me anima mea*; Sanctes quidem de suo addit, *sicut ablactatum super matrem suam, scut ablactatum eam quæ est in me animam meam, hæc faciat mihi Deus, et hæc addat.* Reliqui in commemoratis ferme leguntur.

PSALMUS CXXXI.

PSALMI TITULUS: « CANTICUM GRADUUM. »

Memento, Domine, David. Titulus: *Canticum graduum.* [Aug.] In hoc decimo tertio gradu, jam humilis et mansuetus satagit de ædificatione spiritualis domus Dei, ut et David ad litteram fecit, qui domum Deo ædificare voluit. Et congrue post gradum humilitatis agit de ædificatione domus, quia per humilitatem efficitur aliquis domus Dei. Unde:

Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem et quietum, et trementem sermones meos? (*Isa.* LXVI)

Intentio: [Cassiod.] Monet ut et nos et alios ædificemus domum Deo. Modus: tripartitus est psalmus. Primo ostendens votum ædificandi domum, precatur ut impleat. Secundo ostendit domum ædificatam: et ubi? ibi, *ecce audivimus eam in Ephrata.* Tertio dicit promissiones Dei factas, ædificatæ Sion, ibi, *juravit Dominus David.* [Aug.] Volens ergo ædificare domum Domino, ait in persona totius Christi, o

VERS. 1. — « Memento, Domine, David, et « omnis mansuetudinis ejus. »

Domine Pater, *memento David*, [Aug.] spiritualis manus fortis, qui in mansuetudine diabolum vicit; B *Et omnis mansuetudinis ejus.* Ad litteram, David rex ille filius Jesse, valde mansuetus fuit. Adeo ut Sauli malum pro malo non redderet, quando in spelunca ad quam divertit Saul causa purgandi ventrem datus est in manus ejus: cui pepercit David, nolens eum occidere: erga quem tantam servavit humilitatem, ut illum regem, se vero canem aut pulicem fateretur (*I Reg.* XXIV). Sed non de illo hic agitur. imo de ejus significato. Per illum enim typice significatur ille unus homo, cujus vox sæpe in psalmis auditur, scilicet totus Christus caput et corpus, cujus humilitas et mansuetudo commendatur hic:

VERS. 2. — « Sicut juravit Domino, votum vovit « Deo Jacob. »

Sicut juravit. [Aug.] Quasi dicat: Ad hoc me- C mento ut impleat *sicut juravit et votum vovit*, id est sicut firmiter promisit, et ex voto voluntatis *Domino Deo Jacob*, id est futura attendentium, id est ita memento David ut impleat quod promisit Deo. Nemo præsumat viribus suis, reddere quæ vovit. Qui enim te hortatur ut voveas, ipse te adjuvat ut reddas. Vovit autem Ecclesia in mansuetudine, ut sit domus Dei, quo nihil gratius potest Deo offerri. Domus autem est si sua non quærit, sed gaudet de communi. De propriis enim fuerit mala.

VERS. 3. — « Si introiero in tabernaculum do- « mus meæ, si ascendero in lectum strati mei. »

Si introiero in, etc. usque, *donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob.* [Alcuin.] Hucusque littera suspenditur. Et est aposiopesis. Ac si D diceret: Si hoc vel illud fecero, nunquam de cætero mihi credatur. [Aug.] Quasi dicat: Juravit David Domino dicens: *Si introiero in tabernaculum domus meæ*, id est si quæsiero quæ mea sunt, non quæ Dei. Quasi dicat: Non quæram. Sciebat enim se proprio impediri, ne fiat locus Deo, *et si ascendero in lectum strati mei*, id est si acquievero carni, quasi non acquiescam. Ideo dicit ascendero, quia res privata superbos facit. Et

VERS. 4. — « Si dedero somnum oculis meis, et « palpebris meis dormitationem. »

Si dedero somnum, [Aug.] id est carnalem delectationem *oculis meis* mentis. Quasi dicat: Non dabo; terrenæ felicitates somnia sunt dormientium, quæ cito transeunt. Quomodo enim qui videt thesauros in somnis dormiens dives est, sed evigilans nil reperit, sic qui dormiunt torpentes in divitiis et voluptatibus sæculi, cum evigilaverint post hanc vitam, nihil invenient in manibus suis: quod iste se non fecisse qui vult invenire locum Domino dicit: Si dedero somnum oculis meis, *Et* ut plus dicam. Si dedero *palpebris meis dormitationem* quod minus est quam dormitio. Quasi dicat: Non dabo, est qui non dormit, sed dormitat. Modo enim retrahitur a terrenis, modo revolvitur, illo crebro inclinat caput tanquam qui dormitat. Dum ergo quod minus est, a se removet, de se plus dicit,

VERS. 5. — « Et requiem temporibus meis, donec « inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Ja- « cob. »

ET, [Aug.] ut etiam minus dicam, id est quod minus est a me removeam. Si didero *requiem temporibus meis.* Quasi dicat: Non dabo. A requie temporum somnus venit ad oculos, quia dormituris tempora gravari incipiunt, et cum senserint sibi gravari tempora jam imminet somnus. Cum ergo aliquid temporale te incipit delectare ad peccatum, jam gravantur tibi tempora; sed ne des te illi delectationi, et somnus non venit ad oculos. Ista cogitatione quasi confricans frontem excutis somnum, et sperans locum Domino, *donec inveniam.* Quasi dicat: Non introibo in tabernaculum, non ascendam in lectum, nec cætera quæ sequuntur faciam, donec inveniam *locum Domino*, non quod post illa faciat, sed in loco parato in se et in aliis requiescit Deus ac si diceret: Non illa faciam, sed istud ideo dicit inveniam, quia diu quæsivit. Locum enim Domino in se quærebat, qui super humilem et quietum requiescit (*Isa.* LXVI). Locus autem Dei est, si sua deserit re, vel saltem amorem si se non amat, sed Deum. Deinde quod dixerat locum, dicit tabernaculum, subdens, *tabernaculum Deo Jacob.* Tabernaculum dicitur secundum præsentem statum, in quo militatur. In futuro erit domus pacis, ubi pausabitur. In tabernaculo adhuc gemimus, in domo laudabimus, quia gemitus est peregrinantium laudatio, jam in patria commorantium [Cassiod., Hilar.] Et nota quod Deo Jacob dicit se solvisse, sicut supradixit promisisse. Vel ex persona Christi capitis potest legi ab illo loco: *Si introiero.* Quasi dicat: Juravit David, id est Christus, dicens: *Si introiero in tabernaculum domus meæ*, scilicet cœlestis habitationis. Tabernaculum enim cœlestis et habitatio. *Et si ascendero in lectum strati mei*, id est ad dexteram Patris, ubi est requies et finis laborum. *Et si dedero somnum oculis meis*, id est requiem mortis triduanæ. Deinde aliis verbis idem repetit, *et palpebris meis dormitationem. Et requiem temporibus meis, donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob*, [Alcuin.] id est Ecclesia sancta prædicatione, donec fundata sit aposiopesis. Quasi dicat: Non amplius credatur mihi.

PARS II. VERS. 6. — « Ecce audivimus eam in A « Ephrata : invenimus eam in campis sylvæ. »

Ecce audivimus. [Cassiod., Alcuin.] Secunda pars, ubi ostenditur ædificata domus, et ubi : et precatur ut exaltetur, et ne Judæi penitus, sint alieni. Quasi dicat : Hoc promisit David et implevit. Nam *ecce audivimus eam* neutraliter, [Haym., Gl. int.] scilicet locum, sedem, domum; vel eum scilicet locum vel Deum; vel, eam. Quam eam ? scilicet sedem Domini. *In Ephrata.* Ephrata enim interpretatur *speculum.* [Aug.] Domus ergo Dei futura in lege et prophetis prædicata est, in quibus fuit imago et umbra. Inventa autem est in gentibus, unde subdit : *Invenimus eum,* vel *eam in campis* sylvæ, id est in gentibus incultis, ubi erant vepres idololatriæ, quia quod in imagine, id est in B figura prædicatum est Judæis, in fide gentium manifestatum est. Unde : *Misit Dominus Verbum in Jacob, et cecidit in Israel* (*Isa.* IX). Vel ad litteram ita : Ecce audivimus eum, [Hilar.] scilicet Dominum nasciturum, in Ephrata. Hæc est Bethlehem ubi natus est Dominus. Et invenimus eam in campis sylvæ. Auditum quippe et nasci in Bethlehem, sed propter fidem gentium in campis sylvæ compertus est. Et ut amplius confirmet, dicit se introisse, subdens :

VERS. 7. — « Introibimus in tabernaculum ejus, « adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus. »

Introibimus. [Aug.] Quasi dicat : Nos quoque perseverando in militia, non tantum invenimus, sed *introivimus.* Vel, introibimus *in tabernaculum ejus* C Dei Jacob. Qui intrat ut habitet ipse, a Deo habitatur; ad hanc domum pertinet, qui aliis tanquam vivis lapidibus charitate compaginatus est. Intrat ergo qui diligit; et qui intrat, domus Dei efficitur. Et etiam *adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus* Domini. Domus Dei est ubi debet adorari, præterquam non audit Deus ad vitam æternam. Ille ad domum Dei pertinet qui charitate compaginatus est aliis. Et est sensus : Adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus, Dei, id est ita quod de eis erimus, in quibus stant pedes ejus. Hi sunt qui perseverant usque in finem. Vel ita, ut ad ipsam domum referatur ejus, adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus, scilicet domus Dei. Locus ubi stant pedes domus Domini, Christus est, in quo perseverant. D Deinde conversus ad Dominum ait :

VERS. 8. — « Surge, Domine, in requiem tuam : « tu et arca sanctificationis tuæ. »

Exsurge, Domine, [Aug.] ei dicitur hoc qui dicit : *Dormivi conturbatus* (*Psal.* LVI). Quasi dicat : ut hæc prædicta fiant, o *Domine, surge* a morte *in requiem tuam,* ut jam non conturberis, quia *mors illi ultra non dominabitur* (*Rom.* VI). Et, o Domine, te prius exaltato, exaltetur postea Ecclesia, *tu et arca,* quasi dicat : Surge : Tu, prior et arca ; [Cassiod.] non arca Noe vel Testamenti, quæ figura fuit, sed sanctificationis tuæ, id est Ecclesia surgat quam sanctificasti. [Aug.] Hæc sibi resurrectionem non promitteret, nisi prius resurgeret caput. Et, te eunte ad Patrem

VERS. 9. — « Sacerdotes tui induantur justitia : « et sancti tui exsultent. »

Sacerdotes tui induantur justitia, [Aug.] id est regale sacerdotium induatur fide, quia *justus ex fide vivit* (*Habac.* II). Unde Petrus ait : *Vos estis genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, et populus acquisitionis.* Et *sancti tui* (*I Petr.* II), id est membra tua, accepto pignore Spiritus sancti, *exsultent,* id est lætentur, spe resurrectionis. Et accepit eosdem sacerdotes et sanctos, scilicet omnes fideles. [Alcuin.] Vel per sacerdotes significat prælatos Ecclesiæ, per quos, subjectos fideles; arcam vero quam surgere precatus erat, per partes ipsius Ecclesiæ distinguit dicens : Sacerdotes tui, id est prælati, induantur justitia, et aliis virtutibus. Ut enim in veteri Testimento sacerdotes diversis ornamentis vestium utebantur, ita hi evangelici sacerdotes **287** diversis virtutibus adornantur. Hæc sunt ornamenta quæ Deus exigit. Quæ enim legales pontifices in vestibus gestabant, illa evangelici sacerdotes in cordibus habere debent. Et sancti tui, [Alcuin.] id est minores et subditi exsultent. Deinde ex persona ipsius David rogantis Deum Patrem, subditur :

VERS. 10. — « Propter David servum tuum, non « avertas faciem Christi tui. »

Propter David servum tuum non avertas faciem, [Aug.] penitus a Judæis, o Deus Pater, faciem *Christi tui;* quia enim Christus a Judæis, a quibus crucifixus est, faciem suam avertit ad gentes, rogatur propter reliquias Israel, ut salvæ fiant : quod in apostolis et in pluribus aliis impletum est. Et nota quod ait, propter David, ac si diceret : Mei etiam memento, ut propter me Judæos funditus non repellas.

PARS. III. VERS. 11. — « Juravit Dominus David veritatem, et non frustrabitur eum ; De fructu « ventris tui ponam super sedem tuam. »

Juravit Dominus. [Cassiod.] Tertia pars ubi dicit promissiones Dei factas ædificatæ Sion, id est Ecclesiæ. Et loquitur David in sua vel totius Christi persona. Quasi dicat : Bene dico, propter David, quia *Dominus juravit veritatem David* illi actuali filio Isai. *Et non frustrabitur eum* David. [Aug.] Vel secundum aliam litteram, *non pœnitebit eum* scilicet Dominum. Pœnitere dicit Dominus, non propter consilii, sed operis mutationem. Non enim pœnitentiam patitur Deus, aut in aliquo fallitur, ut velit corrigere in quo erravit. Sed quomodo homo qui pœnitet mutare vult quod fecit, sic ubi audis, quia pœnitet Deum, mutationem ipsam intellige. Aliter facit illam Deus, aliter tu. Tu enim facis, quia erraveras; ille facit, quia vindicat vel liberat. Juravit dico, dicens : *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Poterat dicere, de fructu femoris tui, sed significantius ait, de fructu ventris tui, quia de femina tantum natus est Christus, quo, id est ad quam

feminam vir non accessit. Unde et illud, ex cantu Ecclesiæ : *Et exivit per clausam portam lux et decus*. Christus positus est super sedem David patris sui, juxta illud : *Et dabit illi Deus sedem David patris sui* (*Luc.* I). [Alcuin.] quia quod David temporaliter rexit, Christus spiritualiter. Et non modo illum ponam super sedem throni, sed etiam,

VERS. 12. — « Si custodierint filii tui testamen- « tum meum : et testimonia mea hæc quæ docebo « eos. »

Si custodierint filii tui testamentum meum [Aug.] tunc et filii eorum sedebunt. Meritum videntur facere parentes filiis suis, per hoc quod dicit : Si custodierint filii tui, et filii eorum sedebunt. Sed sciendum est quod homines spem suam dicunt filios generare et relinquere, filii spes eorum sunt. Ideo filiorum nomine spem posuit ; per filios autem filiorum fructus spei accipitur. Et est sensus : *Si filii tui*, id est spes filiorum tuorum, *custodierint testamentum meum*, [Rem.; Hay.] scilicet pactum baptismi, id est si filii tui bene sperantes custodierint pactum baptismi. *Et testimonia mea*, id est præcepta vitæ, scilicet *hæc quæ docebo eos*, non quæ ipsi sibi constituunt.

VERS 13. — « Et filii eorum, usque in sæculum « sedebunt super sedem tuam. »

Et filii eorum [Aug.] id est fructus eorum *usque in sæculum*, id est in æternum, *sedebunt super sedem tuam*, id est tales fructus habebunt, ut spes eorum non fallat ; sed veniat quo sperat. Vel ita : Per filios accipe homines, per filios eorum imitatores : et est : *Si custodierint filii tui*, id est homines ex te nati, *testamentum et testimonia mea hæc quæ docebo eos*. Hoc non mutatur. Et etiam, *filii eorum*, id est sequaces eorum, si custodierint, et distingue, et postea inferas, *usque in sæculum*, [Alcuin.] id est quandiu durabit hoc sæculum, *sedebunt filii tui et filii eorum super sedem tuam*, id est spirituales reges sui et aliorum erunt ut tu temporalis ; si custodierint, sedebunt. [Aug.] Quid ergo si non custodierint, perit promissio ? non, quia si in te non impletur, impletur in alio. Nam et filii David sunt non stirpe, sed cultu Dei et fide. Si ergo non custodiunt testamentum meum, non sunt filii. Non ergo glorieris de carne. [Alcuin.] Vel ita, ut per David intelligatur Christus, et agit de promissione facta Christo hoc modo : *Juravit Dominus* Pater *David*, id est Christo *veritatem et non frustrabitur*, vel *pœnitebit eum*, dicens : *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam*, id est, illos quos paries ad finem, o tu Christe, faciam reges, sed non tamen omnes, sed custodientes testamentum : Si tamen, *custodierint filii tui testamentum meum, et testimonia mea hæc quæ docebo eos*. Hoc non mutatur, *et filii eorum* si custodierint, *sedebunt super sedem tuam*, id est participes erunt tuæ beatitudinis, ut sicut es regiæ potestatis, ita et ipsi pro modo suo. Et hoc *usque in sæculum*, id est in æternum. Hoc est illud sæculum, cujus non

A erit finis. Ac si diceret : non est temporale præmium, sed æternum.

VERS. 14. — « Quoniam elegit Dominus Sion ; « elegit eam in habitationem sibi. »

Quoniam elegit Dominus, [Hilar.] quasi dicat : Hoc promisit Deus, et gratis, non pro meritis, quoniam *elegit Dominus* sola gratia *Sion*, id est Ecclesiam. Ad quid *elegit eam ? in habitationem sibi*, ut spiritualiter habitet, qui ubique est. Elegit, dicens :

VERS. 15. — « Hæc requies mea in sæculum « sæculi : hic habitabo, quoniam elegi eam. »

Hæc est requies mea. [Aug.] Verba Dei Patris sunt hæc, quia sic amat nos Deus, ut dicat se requiescere in nobis, si nos requiescamus in illo. Non enim ipse aliquando turbatur aut requiescet in se ; sed dicit se
B requiescere in nobis, quia nos in illo requiem habemus. *Hæc* est ergo *requies mea*. [Hilar.] ubi scilicet requiesco. Et hoc *in sæculum sæculi*, quia durat in æternum. Hoc ad litteram non posset dici, cum sæpe sit eversa illa, terrena Jerusalem. *hic*, id est in Ecclesia *habitabo*, non merito suo, sed *quoniam elegi eam* dans benedictionem.

VERS. 16. — « Viduam ejus benedicens benedi- « cam ; pauperes ejus saturabo panibus. »

Et benedicens benedicam jugi benedictione *viduam ejus* [Cassiod., Aug.] Vidua est anima omnis quæ intelligit se desertam omni auxilio, nisi solius Dei, et ego *saturabo panibus*, scilicet cœlesti pane. Deus enim est panis qui in carne se lac fecit ; quos saturabo ? *pauperes ejus* Sion, scilicet non præsumentes
C de se, sed de Deo. Unde alibi : *Edent pauperes et saturabuntur* (*Psal.* XXI). Superbi vero saturati sunt in se, nec saturabuntur ; sed humiles quanto plus esuriunt, tanto plus manducant ; et tanto plus esuriunt, quanto magis inanes sunt a sæculo. Plenus fastidit, et quidquid illi daturus est respuit.

VERS. 17. — Sacerdotes ejus induam salu- « tari. Et sancti ejus exsultatione exsultabunt. »

Sacerdotes ejus. (Aug.) id est genus electum, scilicet omnes fideles *induam salutari*, id est Christo, secundum illud : *Quotquot in Christo baptizati estis Christum induistis* (*Gal.* III). *Et sancti ejus*, idem qui et sacerdotes, *exsultatione exsultabunt*, quia induti sunt salutari. (Alcuin.) Non enim in se lux sunt, sed in Domino. Vel distingue inter sacerdotes
D et sanctos, sicut supra. Et est : sacerdotes ejus, id est prælatos induam salutari, id est Christo, ut honesti sint ad docendum, *et sancti ejus* id est subditi *exsultatione exsultabunt* de Christo.

VERS. 18. — « Illuc producam cornu David : pa- « ravi lucernam Christo meo. »

Illuc, vel illic, vel, ibi *producam*, vel suscitabo *cornu David*, (Aug.) id est Christum, ut de Christo præsumatur. Ipse est enim altitudo quam significat cornu non carnalis, sed spiritualis. Ipse est qui baptizat potestate et auctoritate. Ergo secure in eo exsultant, qui bene per cornu significantur, quia cornu carnem excedit, et Ecclesiæ altitudo spiritualis, quæ carnem excedit Christus est, qui per gratiam nobis

carnem vincere præstat (*Joan.* v), cui Joannes lucerna paratur. Unde subdit: *Paravi lucernam Christo meo.* Hæc lucerna est Joannes qui illum ostendendo prædicat, dicens: *Hic est qui baptizat* (*Joan.* I), [Alcuin.] qui Joannes præcurrens Christum nuntiat, homines baptismo assuefaciens viam præparat Verbo. Ipse enim est præco Verbi, paranymphus sponsi, lucerna Christi. Inde est quod in diebus quibus festum non celebratur, unus cereus ante Evangelium defertur. Hic est Joannes qui Christum præcessit prædicando, baptizando. In festivis autem diebus duo cerei præcedunt, quia bini et bini sunt missi apostoli ad prædicandum in Judæam ante Christi mortem et resurrectionem (*Luc.* X).

VERS. 19. — « Inimicos ejus induam confusione : super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea. »

Inimicos autem ejus, id est Christi, *induam confusione*, [Cassiod.] Hoc faciet Filius, cui omne judicium datum est. [Aug.] Sed nota Patrem qui hic loquitur facere quod Filius facit. *Super ipsum autem* Christum *efflorebit sanctificatio mea.* Non tantum erit, sed et efflorebit, quia ipse solus sanctificat, et nemo alius. In eo floret ad gloriam sanctificatio a simili arboris, quæ cum floret pulchrior est. Floret ergo ad gloriam sanctificatio in Christo, in quo est potestas sanctificationis. In homine autem qui fenum est, cujus omnis claritas est, ut flos feni (*Isa.* XL), non posset florere.

COLLATIO IN PSALMUM CXXXI : « MEMENTO, DOMINE, « DAVID, » etc.

VERS. 1. — *Mansuetudinis ejus.* D. Hieronymus et alii transferunt, *afflictionis ejus.* Et licet afflictio quam patienter perpessus est David, ejus mansuetudinem plus satis patefecerit, verumtamen apud Hebræos quoque, qui hic legunt ענותו UNNOTHO, ענו ANAU significat *mansuetum* et *humilem* a themate ענה ANAH hoc est *humiliavit, oppressus est.*

VERS. 5.—*Et requiem temporibus meis.* Istud non habetur in Hebræis codicibus. « Multa autem ut manifestum est, a septuaginta viris, Hebraicæ lectioni non otiose addita comperimus, inquit D. Ambrosius, ac superius multo pluribus ostensum est. » Sciendum tamen hic non accipi tempora, pro ætatum spatiis, sed, pro capitis lateribus. quod apertius liquet ex Græco τοῖς κροτάφοις.

VERS. 6. —*Ecce audivimus eam in Ephrata; invenimus eam in campis sylvæ.* Faber contendit debere legi eum in masculino, quia præcessit, locum. Quod si in feminino legeretur, non haberet quo referretur, nisi foris emendicetur, quemadmodum D. Augustinus subaudit *sedem.* Et recte tamen ex Hebræo, tum ex Græco שמענוה SCHEMAANUHA *audivimus eam*, מצאנוה METZANUHA *invenimus eam*, Græce αὐτήν. Verum est tamen D. Hieronymum, bene vertisse

A sub masculino ; non enim debet, ut ipse sæpius admonet, reddi verbum verbo.

VERS. 7. — *In loco ubi steterunt pedes ejus.* Hebraice legitur להדם רגליו LAHADOM RAGLAU, hoc est *scabellum pedum ejus*; quod et eodem recidit. Nam et locus ubi pedes stant, scabellum utique solet esse, ac utrobique humilis prædicatio apostolorum, et fidelium perseverantia congruenter insinuatur.

VERS. 8. — *Sanctificationis tuæ.* Hebraice dicitur עזך UZECA, *homo est fortitudinis tuæ.* Atqui sancti sunt, qui amore Dei firmiter roborati sunt : et sanctum, firmum sane dicitur. Unde Chaldæus paraphrastes, *et arca in qua est lex tua.*

VERS. 11. — *Non frustrabitur eum.* In feminino genere legitur in Hebr. in Græco similiter ממנה MIMMENAH, αὐτήν. Cæterum legunt divi Hilarius **288** et Augustinus sub masculino. Ille refert ad

B David hic ad Deum, quia legit, *non pœnitebit eum.* Qui vero sub feminino, respiciunt veritatem, a qua Deus non avertetur. In sensu nulla est discrepantia. Nec magni negotii est, mutuum transitum fieri in quavis lingua similitudinis cognatione.

VERS. 16. — *Viduam.* D. Hieronymus vertit *venationem*, et cæteri *viaticum, escam, victum* aut quid simile. At Græci trifariam variant. Quidam codices habent θύραν, id est *januam*, alii θήραν, hoc est *venationem.* Sed obtinuit usus, inquit Hieronymus in Commentariis, et ex parte tangit in quæstionibus, ut unius litteræ demutatione, diceretur χήραν, id est *viduam.* Sed Faber et Cæcus admodum suadent, ut in posterum psallatur *viaticum ejus*, etc. Reclamat D. Hilarius, qui nec ignorat *translationem venationis.* Ait enim : « Quidam translatorum interpretatus esse ita repertus est : *Captionem ejus benedicens benedicam*, tanquam venatoribus et piscatoribus hominum effectis apostolis. hæc eorum bene-

C dicta sit captio, maxime quod Bethsaida ex qua apostoli sunt, per interpretationem linguæ Hebraice, *domus venantium* nuncupetur. Sed nobis sequenda est prima illa, et sub Judæorum temporibus, ante Domini adventum, ad Ecclesiæ doctrinam, consignata translationis auctoritas, *viduam ejus benedicens benedicam.* » Ita Hilarius. Quod autem D. Augustinus legerit et exposuerit *viduam* notius est. Denique in Hebræo legitur צידה TZEDAH. Quod si inclinetur a radice צוד TZOD significat *venationem*, vel *cibum* ; si a radice צדה TZADAH, quod interdum denotat *desolari*, præsertim in passivo, ut est illud Sophon. III: *Desolatæ sunt civitates.* נצדו NITZDU, haud absurde significabit *viduam desolatam* atque *derelictam.* « Vidua, inquit D. Augustinus, est anima quæ se intelligit desertam omni auxilio, nisi solius Dei. »

VERS. 19. — *Sanctificatio mea.* Hebr. נזרו NIZRO, *consecratio, diadema, corona, sanctificatio.* Sed ubi legunt Hebræi per vau, *corona ejus*, Septuaginta le-

D gerunt per jod, notam pronominis primæ personæ, quod frequentissime fit. Unde Hieronymus in Commentariis, de hoc loquens simpliciter retulit citra quodvis pronomen. Scribit ergo, *pro sanctificatione* נזר NEZER, in Hebr. habetur, quod Aquila consecratum interpretatur, et significat laminam ex auro, quæ in fronte pontificis ligabatur sculptum habens nomen Domini.

PSALMUS CXXXII.

PSALMI TITULUS : CANTICUM GRADUUM. »

Ecce quam bonum. Titulus: *Canticum graduum.* [Cassiod.] Quartus decimus gradus est charitas proximi, quæ facit fratres habitare in unum. Unde est benedictio et vita. Et est hic psalmus atomus, id est sine divisione, ubi charitas proximi commendatur, quæ nullam admittit alienationem mentis seu divisionem. Hic ergo vir justus de fratrum cohabitatione exsultans, ait :

VERS. 1. — « Ecce quam bonum et quam jucundum, habitare fratres in unum. »

Ecce (Cassiod.) Quod ostendentis est, quasi plus

ostensione quam lingua explicetur quod dicturus est. *Quam bonum*, id est utile, *et quam jucundum*, id est delectabile, [Hilar.] hoc ideo subdit, quia sunt bona quæ non delectant. Quid est bonum et jucundum? *fratres habitare in unum*. [Aug.] Recte tamen dispositis singulorum officiis quod non impedit unitatem, sed facit quæ unitas erat inter illos, de quibus dicitur : *Erat illis cor unum, et anima una*. [*Act*. 4] Hoc autem quod hic dicit, scilicet habitare in unum, omnibus Christianis convenit, qui in unum debent habitare mente et fide ; sed proprie convenit monasteriis et fratribus in unum cohabitantibus, non modo corde, sed etiam corpore, ut et illis fratribus de Judæa, qui omnibus suis positis ad pedes apostolorum, in unum habitabant de quibus dicitur : *Erat illis cor unum, et anima una ; et erant illis omnia communia* (*ibid.*). Iste namque versus velut dulcis sonus et suavis melodia, toto orbe notissimus, ut tuba Spiritus sancti, divisos corpore congregavit in unum, et monasteria plurima peperit, a quibus tamen benedictio ad cæteros descendit : qui, si non corpore in unum habitant, mente tamen. Et quia ostendendo dixerat, ecce, ostendit quam bonum sit et quam jucundum, subdens :

VERS. 2. — « Sicut unguentum in capite quod « descendit in barbam, barbam Aaron. »

Sicut unguentum. [Aug., Alcuin.] Quasi dicat : Ita est bonum et jucundum habitare fratres in unum. *Sicut unguentum in capite quod descendit in barbam, barbam Aaron*. Dicunt quidam hic fieri comparationem inter cohabitationem fratrum et actualem unctionem Aaron, et rorem Hermon ; sed nihil est, cum hoc magnum non sit, et illi montes magno intervallo divisi sint. Spiritualiter ergo intelligenda sunt. Aaron sacerdos est, qui seipsum obtulit, id est Christus, qui intravit in sancta sanctorum, qui fuit et victima et sacerdos : qui cum in mundo non inveniret mundum quod offerret, seipsum obtulit, qui cum Ecclesia est unus et totus Christus. In capite ejus est unguentum, quia in eo habitavit plenitudo divinitatis corporaliter, (*Colos*. I), cui non est datus spiritus ad mensuram (*Joan*. III), sed a capite Christo ascendente ad cœlos, venit Spiritus sanctus in barbam ejus, id est in fortes, strenuos, alacres : quos barba significat, quæ est indicium virilitatis. Ideoque cum fortem aliquem describimus dicimus : Barbatus est. Descendit ergo unguentum in barbam, primum in apostolos, et in illos qui primos impetus sustinuerunt ; sed vinci non potuerunt, et ab illis descendit etiam in oram vestimenti. Vestis Christi est Ecclesia, quæ est sine macula et ruga (*Ephe*. V) ; ora vestis finis est, in quo vestis perficitur. Hi sunt perfecti qui in unum habitant, qui Christi legem implent, quæ est : *Alter alterius onera portate* (*Gal*. VI). Et est sensus : Ita est illud bonum et jucundum, *sicut unguentum*, [Hier.] id est unctio Spiritus sancti, quæ fuit prius *in capite* Christi. Et dicitur hoc a similitudine regum et sacerdotum, qui in Veteri Testamento in figura

A Christi inungebantur. [Aug.] Quod unguentum postea *descendit* a capite Christi, *in barbam*. Deinde determinat in cujus barbam, subdens, *barbam Aaron*, scilicet Christi veri sacerdotis. Ecce determinatio, id est in apostolos, et alios primitivos sanctos, qui primo pro fide certaverunt ; sed vinci non potuerunt, quia jam caput ipsum præcesserat, a quo descendit unguentum præcedente tali exemplo qui vinceret barbam. Dico descendit in barbam unguentum.

VERS. 3. — « Quod descendit in oram vestimenti « ejus, sicut ros Hermon, qui descendit in montem « Sion. »

Quod unguentum postea *descendit in oram vesti-*
B *menti ejus*, [Hilar.] id est Christi, id est in illos perfectos, qui in unum habitant. Et fit comparatio inter cohabitationem fraternam et spiritualem unctionem, scilicet inter causam et effectum. [Aug., Cassiod., Aug.] Vel ora ad quam descendit unguentum accipitur, non illa quæ est in lateribus vestis, sed quæ capitii vestis est. Tales sunt qui habitant in unum. Sicut enim per istas oras intrat caput hominis ut vestiat se, sic per fraternam concordiam intrat Christus, ut ab Ecclesia vestiatur, et significatur idem per oram vestis, qui et prius, sed juxta aliam proprietatem. Vel per oram quæ est finis vestis, intelliguntur sancti, qui erunt in novissimis temporibus Ecclesiæ, scilicet tempore Antichristi. Est et sensus. Descendit in oram vestimenti ejus, id est
C usque ad extremitates Ecclesiæ in fine mundi, quæ est tunica indivisibilis. Deinde aliis verbis diversa notantibus idem dicit, *sicut ros*. Quasi dicat : Ita bonum est et jucundum habitare fratres in unum, *sicut* bonus est et jucundus *ros Hermon*. Ros de cœlo veniens, gratia est, qua fratres in unum habitant, non suis viribus vel meritis. Hermon, ad litteram, mons est trans Jordanem. Si ergo hoc ad litteram accipiatur, mirum est quod ab eo ros descendit in Sion, imo impossibile, sed spiritualiter intelligendum est. Hermon enim dicitur lumen exaltatum, id est Christus prius in cruce, postea in cœlo exaltatus, a quo ros gratiæ descendit ; in Sion, id est in Ecclesiam. Et est sensus : Ita est illud bonum *sicut ros Hermon*, id est gratia Christi, prius in
D cruce, postea exaltati in cœlo, *qui* ros *descendit in montem Sion*, id est in Ecclesiam. Non enim in uno est Ecclesia, nisi ejus dono et gratia. Idem igitur significat hic Sion, quod supra barba et ora vestimenti. Idem vero ros Hermon, quod supra unguentum, scilicet gratia, per quam fit cohabitatio. Qui enim in uno sine rore charitatis sunt, sunt inquietum jumentum in junctura, quod non trahit, sed turbat. Odiosi enim sunt, molesti sunt, et turbulenti sunt, anxietate sua cæteros turbant, et quærunt quid sinistri de aliis dicant. Hi etiam murmurant, de quibus dicitur etiam in libro Jesu filii Sirach : *Præcordia fatui, rota carri fenum portat, et semper murmurat* (*Eccli*. XXXIII). Hi tales sunt qui relinquuntur in mola, in agro, in lecto (*Matth*. IV),

qui in unum corpore solummodo sunt; cæteri vero assumuntur qui in unum sunt corde. Vel ita: [Haym.] Hermon mons pascualis est, sicut et mons Sion. Per Hermon ergo significantur gentes, quæ pabulum receperunt verbi. [Hilar., Cassiod.] Et est hoc bonum, sicut ros Hermon, id est gratia quam gentes acceperunt. Qui prius descendit in montem Sion, id est super Judæos. Vel per Hermon, qui interpretatur *anathema*, accipiuntur peccatores; per Sion Ecclesia. Ros est tenuis aqua, unde terra germinat; et significat gratiam, qua peccatores convertuntur. Ros ergo ejus, id est Hermon est ros gratiæ, qui peccatores nutrit in bono. Qui ros descendit in montem Sion. Quando illi hoc rore rigati convertuntur ad Ecclesiam, quæ eos recipit. Et est sensus: Ita est etiam illud bonum, sicut ros Hermon, id est gratia nutriens peccatores. Qui descendit in montem Sion, id est quo illi convertuntur ad Ecclesiam.

Vers. 4. — « Quoniam illic mandavit Dominus « benedictionem; et vitam usque in sæculum. »

Quoniam illic. (Aug.) Quasi dicat: Ideo bonum est, et jucundum habitare fratres in unum, *quoniam illic*, id est in fratribus qui habitant in unum *mandavit Dominus benedictionem*, id est hic præcepit, ut hic benedicerent Deum. Concordes enim benedicunt Deum; discordes non. Nam in discordia non est vera benedictio, quia si lingua sonat, cor silet. *Et* mandavit, id est promisit *vitam* in futuro, duraturam *usque in sæculum*, id est in æternum.

COLLATIO IN PSALMUM CXXXI: « ECCE QUAM BONUM ET QUAM, » etc.

Vers. 2. — *Sicut unguentum.* Dicunt Hebræi oleum optimum, quia שֶׁמֶן SCHEMEN, significat *oleum*, et adjiciendo particulam optimum, fiet *unguentum odoriferum*. Et Chaldæus habet, *unguentum bonum*.

PSALMUS CXXXIII.

PSALMI TITULUS: « CANTICUM GRADUUM. »

Ecce nunc benedicite Dominum. Titulus: *Canticum graduum.* Decimus quintus gradus est charitas Dei. [Cassiod., Alcuin., Cassiod.] Et est iste psalmus tertius de charitate Dei, de qua hic agit, sicut supra de charitate proximi, non quod alia gratia sit qua diligitur Deus, et alia qua proximus; sed quia diversos actus habet ipsa virtus, et diversa diliguntur ea. Intentio: monet ad diligendum Deum. Modus: Bipartitus est psalmus. Primo invitat pluraliter benedicere Deum. Secundo optat benedici, ibi, *benedicat*. Monens ergo ad benedicendum ait:

Vers. 1. — **289** « Ecce nunc benedicite Dominum, omnes servi Domini. »

Ecce, [Hier., Hilar.] Demonstrantis est, et quibus faciat hanc demonstrationem determinat: vos *servi Domini* omnes, adunati in unum *nunc*, scilicet tot gradibus conscensis. Vel, nunc, id est in hoc tempore in adversis *benedicite Dominum*, vos dico,

Vers. 2. — « Qui statis in domo Domini, in atriis « domus Dei nostri »

Qui statis, (Cassiod., Hier., Aug.) id est perseveratis, *in domo Domini*, id est in penetralibus, id est majores et perfectiores in Ecclesia, et vos etiam qui statis *in atriis domus Dei nostri*, id est in ingressu, scilicet incipientes. Sunt enim in hac domo diversi stantium ordines. Et nota quod ait, statis, non sedetis, quia servorum non est sedere in domo domini. Vel de eisdem accipitur, et per domum intelligitur Ecclesia, per atria latitudo charitatis. In charitate enim extenditur usque ad inimicos latitudo est. In odio, angustia. Quasi dicat: Vos benedicite, qui statis, id est perseveratis, in domo Domini, id est in Ecclesia, et, qui statis in atriis domus Dei nostri, id est in latitudine charitatis, ubi nullus angustiatur, etc.

Vers. 3. — « In noctibus extollite manus vestras « in sancta; et benedicite Dominum. »

In noctibus, (Aug.) id est in adversis, non solum in diebus prosperitatis, *extollite manus vestras* corporis et operis, (Hilar.) sicut Moyses manus suas levavit pugnante populo Israel contra Amalec (*Exod.* XVII). Extollite, dico, *in sancta*, ut intentione æternorum bonorum operemini. Aliter enim non valet. *Et benedicite Dominum*, nil boni vobis tribuentes, sed totum Deo.

Pars. II. Vers. 4. — « Benedicat te Dominus ex « Sion: qui fecit cœlum et terram. »

Benedicat te, [Cassiod., Alcuin., Aug.] Secunda pars, ubi optat benedici fideles. Quasi dicat: Dixi, benedicite, et ut hoc possitis, *benedicat te Dominus* benedictione quæ est *ex Sion*, qui potest, quia ipse est *qui fecit cœlum et terram*. Nota quod supra hortatur plures benedicere uni; ipse vero unum benedicit tantum, id est benedici hortatur, et precatur quod notat, dicens singulariter, benedicat te, quia et si plures sint, tamen in unum sunt, et unitati benedictio convenit. Unde unus in piscina sanabatur, qui prior descendebat (*Joan.* V). Esto ergo in uno et pervenit ad te benedictio. Attende etiam, quia vir justus qui tot gradibus conscendit benedictionem supernam loco remunerationis accipit: quia omne munus ascendentium, benedictio est.

COLLATIO IN PSALMUM CXXXIII. « ECCE NUNC BENEDICITE DOMINUM, OMNES, » etc.

Vers. 2. — *In atriis domus Dei nostri.* Adjectum est a Septuaginta emphaseos gratia; id enim non est apud eos insolitum, ac cur quædam addiderint vel omiserint, satis multis superius ostensum est. Sed quid de hoc sentiat D. Hilarius dicamus: « Reperi quosdam ambiguos circa hoc, *in atriis domus Domini*, fuisse dicentes. Idcirco hoc a nostra salatoribus primis adjectum esse, quia sub iisdem versibus sequenti psalmo continetur, opinantibus

ipsis, scriptorum vitio in libris Hebraicis fuisse præteritum. Sed novi interpretes. Quæ volunt tractent; nobis vero obsequendum est auctoritati translationum et vetustati. » Hæc ille. Deinde in noctibus revocant Hebræi ad præcedentem versum, sed stare in domo Dei in noctibus, et attollere manus in noctibus, utrumque idipsum designat.

PSALMUS CXXXIV.

PSALMI TITULUS : « ALLELUIA. »

Laudate nomen Domini. Titulus : *alleluia.* [Cassiod.] Post gradus qui ducunt ad æternitatem, congrue ponitur alleluia, ut Ecclesia fruatur laudibus Dei, cui tale munus paratum est. Intentio : Monet ad laudem. Modus : Tripartitus est psalmus. Primo demonstrativa oratione utens propheta, monet Deum laudare, propter ejus potentiam enumerans ejus magnalia. Secundo idolorum cultores redarguit, ibi, simulacra. Tertio omnes ordines monet ad laudes, ibi *domus Israel.* Propheta ergo quasi intentionem suam aperiens, post gradus prædictos stantes in domo alloquitur, ut post beneficia Deum laudent, dicens :

VERS. 1. — « Laudate nomen Domini; laudate « servi Dominum. »

Laudate nomen, id est potentiam, *Domini* [Aug.] Unde vos meliores estis, non ipse. Deus enim nec melior fit, si laudaveris, nec deterior, si vituperaveris, sed tu laudando melior eris, vituperando deterior. Bonus autem ille manet ut est, deinde qui et quare laudare debeant, subdit : laudate, servi, Dominum. Quasi dicat : Quis diceret. Qui debent laudare, et quare ? ecce vos servi estis : et quia servi estis, laudate Dominum, alioquin, id est nisi laudent offendunt, cum ipsi servi sint. Et ipse Dominus, deinde addit :

VERS. 2. — « Qui statis in domo Domini, in atriis « domus Dei nostri. »

Qui statis. [Aug., Cassiod.] Quasi dicat : Vos servi laudate, *qui statis,* non titubantes, non ruitis unde eum laudare debetis. Statis dico *in domo Domini in atriis domus Dei nostri,* id est qui statis, vel in secretario, vel in ingressu. Deinde repetit,

VERS. 3. — « Laudate Dominum quia bonus Do« minus; psallite nomini ejus, quoniam suave. »

Laudate Dominum. [Aug.] Propter hoc laudate *quia bonus est Dominus.* Proprie a quo sunt omnia bona uno verbo laudis causa explicata est. Si enim omnia laudantur, quia bona sunt; præcipua causa laudis est, quia bonus est ex se, et in se cujus bonitas, non qualitas, sed natura est. Ille bono suo, bonus est. Non aliunde participato bono. Ille seipso bonus, non adhærendo alteri bono qui non eguit aliquo ut fieret bonus; sed eguerunt illo cætera, ut fierent bona. Sed quia ipse a nobis non potest videri qualiter in natura sit bonus, vel id est saltem opera videamus. *Psallite nomini ejus quoniam suave,* vel suavis, dum dedit se posse gustari carnem factum, ut de pane angelorum vivat homo : quod est præcipuum inter alia opera. Et ideo ante alia hoc ponitur. Et est, psallite nomini ejus, id est laudate eum, eo quod hoc fecit, quod res nominis sui exigit, cum se incarnatum dedit hominibus gustari. Et hoc ideo, quoniam suave est nomen gustanti, id est res nominis. Et notandum quod ita temperatur laus Dei in hoc psalmo, ut et firmorum sit et infirmorum. Sicut per Moysen, quando mitteret eum ad filios Israel, cum dixisset : *Ego sum qui sum, hæc dices filiis Israel : Qui est misit me ad vos* (*Exod.* III). Quod non capit homo, ideo continuo temperavit et dixit quod potest capi ab homine, ita : *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob* (*ibid.*). Quod nomen propter hominem ne videretur temporale addit : *Hoc nomen mihi est in æternum* (*ibid.*), non quia illi sint æterni, sed quia illos fecit æternos postea sine fine. Habuerunt quippe initium, sed finem non habebunt, in quibus tota Ecclesia intelligitur, totum semen Israel cogitatur.

VERS. 4. — « Quoniam Jacob elegit sibi Dominus, « Israel in possessionem sibi. »

Quoniam Jacob elegit. [Aug., Cassiod., Aug.] Quasi dicat : Ideo psallite, quia ista quæ sequuntur fecit, quæ capere valetis dico, scilicet *quoniam Dominus elegit,* gratia, non merito, *Jacob,* id est Judaicum populum qui intelligitur per Jacob qui interpretatur luctator, et significat illos qui contra spirituales nequitias luctantur. Aliis verbis idem repetit *Israel elegit sibi in possessionem,* ad litteram, cæteras gentes posuit Dominus custodiendas sub angelis; Jacob vero, id est Judaicum populum sibi elegit, quem ut agrum coleret, seminaret, possideret, servaret. Et quasi aliquis quæreret unde scis hoc? subdit :

VERS. 5. — « Quia ego cognovi quod magnus « est Dominus ; et Deus noster præ omnibus « diis »

Quia ego, [Aug.] raptus ad superna *cognovi quod magnus est Dominus,* in se. Quod non omnes possunt scire, sed credant noscenti, qui intravit in sanctuarium Dei, et forte audivit arcana verba et ineffabilia, quæ non licet homini loqui (*II Cor.* XII), qui dixit quod posset hominibus dici; et tenuit apud se quod non posset dici. Si enim diceremus illi : Rogamus te, explica magnitudinem illius. Nonne forte responderet nobis : Non est valde magnus quem video, si a me poterit explicari ? *Et Deus noster* est *præ omnibus diis,* id est super omnes deos, qui sunt in cœlo et in terra, quia eos fecit.

VERS. 6. — « Omnia quæcunque voluit Dominus « fecit in cœlo et in terra, in mari et in omnibus « abyssis. »

Omnia quæcunque. [Aug.] Hic redit ad opera quæ capiantur. Quasi dicat : Magnus est in essentia,

magnus quoque in operibus, quia *Dominus fecit in cœlo et in terra omnia* visibilia et invisibilia *quæcunque voluit.* [Cassiod., Aug.] Breviter concludit omnia, et bene ait, quæcunque voluit. Causa enim omnium quæ fecit voluntas ejus est, et nulla necessitas, et non tantum in cœlo et in terra, [Cassiod., Aug.] sed *in mari,* quod commeatur, *et in omnibus abyssis,* id est in profunditate ignoti oceani, quod firmiter credendum est. Si ergo omnia opera ejus comprehendere non possumus, hoc de eis firmiter teneamus quod omnia facta sunt.

VERS. 7. — « Educens nubes ab extremo terræ; « fulgura in pluviam fecit. »

Educens nubes. [Cassiod.] Quæ fecit narrat ad litteram. Secreta naturæ Deum dicit ministrare. Quasi dicat : Fecit quæ voluit. Ipse dico *educens nubes ab extremo terræ*, id est sive ab imo terræ, unde educes, sive a circumdatione finium terræ, unde educit eas ad medium terræ, ut ibi pluant. Et *fulgura fecit in pluviam* quia fulgura sine pluvia terrerent, et nihil darent; fulgura terrorem, pluvia gaudium facit. Qui ergo terruit fulgure, reficit pluvia. Ipse est etiam

VERS. 8. — « Qui producit ventos de thesauris « suis : qui percussit primogenita Ægypti ab homine « usque ad pecus. »

Qui producit ventos de thesauris suis. [Aug.] Id est de occultis causis nescis unde veniat, sed scis quod jussu Dei flat. Quod enim flat ventus, sentis; sed qua causa flat, vel de quo thesauro rationis eductus sit, nescitur. Ipse est *qui percussit*, etc. Hæc quæ sequuntur in hominibus fecit, propter populum suum. Si dixit quæ amares in creaturis, audi quæ timeas. Ipse est enim *qui percussit primogenita Ægypti ab homine usque ad pecus.* Hoc sæpe repetit ad indicandam potentiam Dei, ut non hæc casu facta putarentur, sed in magna futuri significantia.

VERS. 9. — « Et misit signa et prodigia in medio « tui, Ægypte, in Pharaonem et in omnes servos « ejus. »

Et misit, [Aug.] vel, emisit *signa et prodigia in medio tui,* **290** *Ægypte, in Pharaonem, et in omnes servos ejus.* Hæc ita manifesta sunt, ut expositione magis obscurentur. Dum vero audis, quæ facta sunt in impios, cave ne et in te fiant. Ideo hæc utilia sunt cum leguntur. Deinde quæ Dominus fecerit, postquam populus eductus est de Ægypto, subdit :

VERS. 10. — « Qui percussit gentes multas, et « occidit reges fortes. »

Qui percussit gentes multas, [Aug.] quæ possidebant terram, quam populo suo dare volebat; *et occidit reges fortes.*

VERS. 11. — « Seon regem Amorrhæorum, et Og « regem Basan, et omnia regna Chanaan. »

Seon regem Amorrhæorum et Og regem Basan. [Aug.] Hoc sub Moyse factum fuit. De his in libro Numeri legitur, quod cum prohiberent filios Israel per fines suos transire, percussi sunt ipsi ab eo et possedit Israel terram eorum (*Num.* XXI). *Et omnia regna Chanaan* percussit sub Josue, mortuo jam Moyse. Hæc patent.

VERS. 12. — « Et dedit terram eorum hæreditatem Israel populo suo. »

Et dedit terram. [Aug.] Quasi dicat : illos impios expulit, *et dedit terram eorum hæreditatem, hæreditatem Israel populo suo.* Pro his factis sequitur exsultatio laudis.

VERS. 13. — « Domine nomen tuum in æternum; « Domine, memoriale tuum in generatione et gene« rationem. »

Domine, nomen tuum. [Aug.] Quasi dicat : Cum hæc feceris impletum est os meum laude, et dixi : *Domine, nomen tuum,* etc. Hæc quidem ad litteram quomodo sunt scripta vidimus, sed et aliquid significant quod explicari oportet.

Repetamus ergo ab illo loco: *Omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cœlo et in terra,* etc. Typice hæc in hominibus possumus accipere, et agnoscere. Cœlum enim sunt spirituales, terra carnales. Ex his duobus tanquam cœlo et terra constat Ecclesia; in his facit quæcunque vult. Et etiam *in mari* facit quod vult, id est in infidelibus, in quibus nihil fit sine jussu Dei, nec sæviunt, nisi permittantur a Deo, nec vindicatur in eos, nisi Deus jussit; *et in omnibus abyssis* quæ voluit fecit. Abyssi sunt latentia corda mortalium, profundæ cogitationes hominum. Et ibi facit Deus quod vult, quia interrogat justum et impium, latet cor bonum, latet et cor malum, et in utroque est abyssus; sed Deus hoc videt, quem nihil latet, et consolatur cor bonum, et torquet malum. Et ipse est *educens nubes ab extremo terræ.* Nubes sunt prædicatores. Unde : *Mandabo nubibus meis, ne pluant super eam imbres* (*Isa.* V). Et item : *Qui sunt isti qui ut nubes volant* (*Isa.* LX). Quas nubes non tantum de filiis Israel misit, sed ab extremo terræ excitat, et in fines orbis terræ mittit. Sed quid de ipsis nubibus facit ? [Alcuin.] *Fulgura in pluviam fecit,* id est minas ad misericordiam flexit, de terroribus irrigavit. Prædicatores namque et terrent, et blandiuntur : terrent comminando æterna supplicia; mulcent, promittendo æterna gaudia. Ideoque de manna legitur quod liquescebat ad solem et indurabatur ad ignem (*Exod.* XVI). Manna enim cœlitus datum figura est divini eloquii quod liquescit ad solem, dum mentes fidelium futuræ claritatis promissione lætificat, ut cum ait : *Fulgebunt justi sicut sol in regno Patris eorum.* (*Matth.* XIII). Induratur autem ad ignem, dum peccantium conscientias futuræ pœnæ comminatione adurit, ut illud : *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum exstinguitur et in igne mittitur (Matth.* III). Ideo in veteri lege in veste summi pontificis erat coccus bis tinctus, qui habet speciem ignis (*Exod.* XXVIII). Ignis vero duo facit, urit scilicet et lucet, quia prædicator peccantium cor adurere debet fulgure, id est terrore comminationis, et piorum mentes confovere, et promissione æternæ lucis. Inde est etiam

quod baculus pontificalis ex inferiori parte pungitur, superius in anteriora extenditur, quia prædicator pungere debet vitia carnis, et mentis vires in anteriora dirigere. Ita tamen, ut ad sui considerationem semper redeat, ne cum aliis prædicaverit, ipse reprobus efficiatur (*I Cor.* IX). [Aug.] Et in principio sermonis sui accusator fit sui (*Prov.* XVIII), ne videat festucam in oculo alterius, gestans trabem in suo (*Luc.* VI). Ideo dicitur, fulgura in pluviam fecit. Sequitur : *Qui producit ventos de thesauris suis.* Idem prædicatores et nubes sunt et venti. Nubes sunt propter carnem, venti propter spiritum. Nubes videntur ; venti sentiuntur, et non videntur. Et quia caro de terra est, ideo dicitur : Nubes excitat ab extremo terræ, sed spiritus hominis ignoratur unde veniat. Unde recte dicitur, qui producit ventos de thesauris suis, vel propter aliud, venti dicuntur apostoli, sed totum mundum velociter percurrerunt. *Qui percussit primogenita Ægypti.* Primogenita fides est, unde incipimus bonum, qua via proficit homo in melius. Ægyptus interpretatur *afflictio.* Percussit ergo primogenita Ægypti, quia quicunque affligit Ecclesiam et scandala facit, etsi Christianus dicitur, perdit fidem. Percussit dico, *ab homine usque ad pecus,* id est a docto usque ad indoctum. Homo enim doctum significat, qui et post se trahit indoctas turbas, id est pecora. *Et misit signa et prodigia in medio tui, Ægypte, in Pharaonem et in omnes servos ejus.* Pharao interpretatur *dissipatio ;* Ægyptus, ut diximus, *afflictio.* Dissipatio ergo præcedit ut rex, et sequitur afflictio. Dissipati enim affligunt Ecclesiam, ut enim affligant dissipantur. *Qui percussit gentes multas, et occidit reges fortes.* Quas gentes et quos reges ? *Sehon regem Amorrhæorum,* occidit. Audi nomina sacramentis gravida. Seon interpretatur *tentatio oculorum,* et Amorrhæi interpretantur *amaricantes.* Amaricantes ergo regem habent tentationem oculorum ; tentatio oculorum non est nisi in mendacio oculorum. Putat habere rem, veritatem non habet. Retur enim quod non est, non intuetur quod est. Tentatio ergo oculorum, id est fallacia et simulatio, ut rex præcedit, et sequitur amaricatio. Inde enim amaricant, quia fingunt. Occidit Deus in homine illum regem cum populo suo, quando homo damnat simulationem et diligit veritatem, et desinit amaricare. Occidit etiam alium regem, scilicet Og regem Basan. Og interpretatur *conclusio,* per quod significatur diabolus, [Aug.] qui intercludit viam ad Deum, ne credatur in eum, sicut Christus aperit, et ipse Christus est via. Cui ergo clauditur via, ne credat in Deum Christum, cum venerit Christus, confundetur. Ergo Basan, id est confusio, quia confusio conclusionem sequitur. *Et omnia regna Chanaan.* Chanaan interpretatur *paratus humiliationi.* Et intelligitur hic humiliatio, non quæ virtus est, sed quæ pœna est, de qua dicitur : *Qui se exaltat humiliabitur* (*Luc.* XVIII). Chanaan ergo est omnis superbus, qui modo exaltat cor suum, qui in die judicii humiliabitur : modo autem non humiliatur, sed paratur humiliationi, id est damnationi. *Et dedit terram eorum hæreditatem, hæreditatem Israel populo suo.* Per terram eorum significantur omnes gentes, quæ sunt hæreditas Israel, id est fidelis populi, quam pascunt tribulatione docentes patientiam. Et ideo dicuntur hæreditas Israel, quia eas Israel excolit conformando sibi.

Aliter ab illo loco : *Percussit primogenita Ægypti ab homine usque ad pecus.* Ægyptus mundus est iste, primogenita sunt principalia mundi vitia, quæ destruit in prudentibus et in idiotis. *Et misit signa et prodigia in medio tui, Ægypte* [Hilar., Cassiod.], quia palam et visibiliter signa fecit in mundo, ut in passione terra tremuit, et sol obscuratus est. Et *in Pharaonem, et in omnes servos ejus,* misit signa contra diabolum et malos homines. *Qui percussit gentes multas,* id est innumera vitia, *et occidit reges fortes,* id est dominantia vitia. Vel reges sunt immundi spiritus, qui sunt occisi dum nequeunt in nobis quod volunt. *Sehon regem Amorrhæorum.* Per Amorrhæos intelliguntur vitia. Amara enim sunt qui tollunt beatitudinem, quorum rex, diabolus est, qui dicitur Seon, qui transfigurat se in angelum lucis. Sehon interpretatur *tentatio oculorum,* qui etiam est rex confusionis qui intercludit viam ad Deum. *Et Og regem Basan, et omnia regna Chanaan,* id est omnes illos qui male humiliantur. Chanaan enim dicitur *humiliatio mala,* quando ab honore sancto decidunt. *Et dedit terram eorum hæreditatem, hæreditatem Israel populo suo,* id est cœlestem beatitudinem, quam dæmones per superbiam deseruerunt, dedit fidelibus. Hæc est vera terra promissionis, quæ verius dicitur hæreditas, quæ in pace est, quam illa actualis, quam sæpe amiserunt filii Israel. Ita hæc prædicta spiritualiter sane accipiuntur, cum tam tamen ad litteram factitata sint. Si ergo corporaliter tunc illos occidit Deus, modo etiam non cessat manus ejus. [Aug.] Et ideo ne putares hæc tunc pacta cessasse, inquit : *Domine, nomen tuum,* id est operatio potentiæ tuæ est *in æternum,* id est non cessat manus tua facere hæc in sæculo, quæ tunc prænuntiasti in figura. Et, o *Domine, memoriale tuum* est *in generatione* præsenti, *et generatione* futura. Generatio una est, qua renascimur per baptismum, altera qua resurgemus. In utraque est memoriale Dei, quia non est oblitus Deus in hac vocare, et in illa coronare.

VERS. 14. — « Quia judicabit Dominus populum « suum : et in servis suis deprecabitur. »

Quia judicabit. Causa laudis hic ostenditur. [Hilar., Cassiod.] Quasi dicat : Ideo laudabilis est, quia Dominus *judicabit populum suum* Judaicum, cui tot fecit, prophetas misit, post etiam filium proprium ; sed quia duri fuerunt, *judicabit* eos in futuro; *et in servis suis,* id est in fidelibus, *deprecabitur,* vel consolabitur, cum præmia æterna eis restituet. Ecce gradatio laudis usque ad judicium perducta est. Vel ita ut de præsenti accipiatur, ju-

dicabit. Quasi dicat : Ideo est laudandus, quia præter judicium futurum, Dominus judicabit, in præsenti, populum suum, id est Judæorum. [Aug.] Hoc jam complevit, quia jam judicavit Dominus Judæos, alios assumendo, alios reprobando, quia separati inde sunt justi et remanserunt injusti. Hoc est judicium discretionis de quo ipse ait : *In judicium veni in hunc mundum, ut qui non vident videant, et qui vident cæci fiant* (*Joan.* XIX). Et, illis judicatis, in servis suis deprecabitur, vel advocabitur. Non enim repulit Deus plebem suam, quam præscivit (*Rom.* II). Habet et suos de omnibus gentibus. Unde convertit se Propheta ad exprobranda idola, quæ jam a suis cultoribus irridentur, dicens :

PARS. II. VERS. 15. — « Simulacra gentium « argentum et aurum ; opera manuum homi-« num. »

Simulacra [Cassiod., Alcuin.] Secunda pars, ubi postquam se laudibus Dei explevit, idolorum cultores, irridendo redarguit, quia perfecta laus veritatis est destruere falsitatem. Supra in alio psalmo fuerunt eadem dicta, sed repetita verecundiam augent. Quasi dicat : Deus noster est magnus, *simulacra gentium* autem sunt, *argentum et aurum* quantum ad materiam, *et opera manuum hominum*, quantum ad formam.

VERS. 16. — « Os habent et non loquentur ; ocu-« los habent et non videbunt. »

VERS. 17. — « Aures habent et non audient : « neque enim est spiritus in ore ipsorum. »

Aures habent et non audient. [Cassiod.] Deinde concludit omnia ostendens quod nec hominibus, nec pecoribus possunt comparari, cum ait : *Neque enim est spiritus in ore ipsorum*, [Aug.] id est illa exteriora artifex potuit facere, sed non spiritum dare, nec auditum auribus, nec lucem oculis, nec vocem ori. Hoc scientes, irrident idola, sed quid nescientes?

VERS. 18. — « Similes illis fiant qui faciunt ea, « et omnes qui confidunt in eis. »

Similes illis fiant, [Aug.] interius, *qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis.* Et ita procul dubio fit. Exprimitur namque in eis quædam similitudo idolorum, non quidem in carne eorum, sed in interiori homine. Aures enim habent, nec audiunt Deum ad ipsos clamantem. Oculos habent, non vident fide ; nares habent nec sentiunt bonum odorem Christi.

PARS. II. VERS. 19. — « Domus Israel, benedicite « Domino : **291** domus Aaron, benedicite Do-« mino. »

Domus Israel. [Cassiod.] Tertia pars, ubi post irrisa idola laudes Dei celebrare omnes monet ordines. [Aug.] Quasi dicat : Cultores idolorum similes illis fiant, sed vos qui estis domus Israel, scilicet domus quæ quotidie suscitatur de lapidibus, de quibus potens est Deus filios Abrahæ suscitare (*Matth.* III), *benedicite Domino* ; et vos qui estis *domus Aaron*, scilicet præpositi, *benedicite Domino*, et vos qui estis

VERS. 20. — « Domus Levi, benedicite Domino ; « qui timetis Dominum, benedicite Domino.

Domus Levi, id est ministri, *benedicite Domino*, præpositi et omnes, *qui timetis Dominum*. [Aug.] Scilicet omnes populi, *benedicite Domino* ; præpositi sunt domus Aaron, ministri, domus Levi, populi omnes qui timent, omnes generaliter sunt domus Israel. Omnes ergo una voce dicamus :

VERS. 21. — « Benedictus Dominus ex Sion, qui « habitat in Jerusalem. »

Benedictus Dominus. [Gl. int., Cassiod.] Et loquitur in persona omnium fidelium, vel in propria persona dicit hoc Propheta, et facit quod alios facere docuit. Quasi dicat : Benedicite Domino : et ego ex parte mea dico : *benedictus* sit *Dominus* qui venit *ex Sion*, homo factus, *qui habitat in Jerusalem*, ubi ad litteram prædicavit et multa miracula fecit. [Aug.] Vel, juxta interpretationes nominum, Sion enim interpretatur *speculatio*, Jerusalem *visio pacis*. Nunc ergo ex Sion benedictus est, id est a nobis, qui quandiu in spe vivimus, sumus in Sion quia speculamur quoad veniat ; finita vita, erimus cum illo in æterna civitate, quia ipse est qui habitat in Jerusalem cœlesti, quæ nunquam ruitura est, ubi videbimus eum in æterna pace.

COLLATIO IN PSALMUM CXXXIV : « LAUDATE NOMEN DOMINI, » etc.

VERS. 14. — *In servis suis deprecabitur.* Juxta Hebr. יִתְנֶחָם ITHNEHAM, caperetur passive, hoc est *placabilis erit*, ut vertit D. Hieron., aut, ut alii volunt, *consolabitur*, vel *ignoscet.* Hoc tamen est inusitatum apud Latinos, ut deprecatur sumatur in passiva significatione. Et D. Augustin. legit *advocabitur*. Hilarius et Arnobius, *consolabitur*, quemadmodum etiam habet psalmodia Romana. In Græco est vox passiva, quanquam interdum significantia sit activa παρακληθήσεται. Denique mos Scripturæ est usurpare sicut interdum verba activa, ut tamen actio sit, in altero passio. Exempli gratia Rom. VIII : *Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, hoc est postulare nos facit. Sic accipiendo deprecari active, sensus erit quod Deus faciat suos servos deprecari, ut quocunque verteris, eodem conspiret intelligentia rei.

PSALMUS CXXXV.

PSALMI TITULUS : « ALLELUIA. »

Confitemini Domino. Titulus : *Alleluia*, [Aug.] Psalmus iste laudem Dei continet, ubi etsi multa in laudibus Dei dicantur, maxime tamen hic misericordia Dei commendatur. Unde et diversa initia versuum in unum finem conveniunt, quia quidquid hic dicitur, ad misericordiam Dei refertur, sine qua non subsistitur, quæ omnia operatur. [Cassiod.] In misericordia ergo perseverare monemur. Magna virtus hujus psalmi in Paralipomenon ostenditur,

ubi legitur quod cum cœpissent filii Israel Deum laudare et dicere : *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus* (*II Paral.* v), statim implevit gloria Dei templum Dei. Ita præsto est divinæ gratiæ præsentia, si pure cantatur. Intentio. Monet ad laudem. Modus. Tripartitus est psalmus. Primo, magnificentiam Dei, et totius orbis conditionem exponit. Secundo dicit quæ in Ægypto et in gente Judæorum fecit, in figura nostri, ibi *qui percussit*. Tertio agit de Christianis, ibi *et dedit terram eorum*. Ad laudem ergo Dei invitans ait :

VERS. 1. — « Confitemini Domino, quoniam bo-« nus, quoniam in æternum misericordia ejus. »

Confitemini laudes et peccata *Domino*, [Hilar.] *quoniam bonus* est, quia laudes audit, et peccata dimittit. [Alcuin.] Ideo omnes et semper laudare debemus : modo laudemus, ut cum angelis laudare mereamur. Ipsa laus est nostra refectio, ut nulla videatur similis delectatio. Ipsa est remuneratio, quæ et operatio. Ergo *confitemini Domino*, ideo *quoniam in æternum*, [Cassiod.] id est hic et in futuro est *misericordia ejus*, quia hic parcit, ibi coronat. Vel, in æternum, id est in sæculum præsens est, misericordia ejus, per quam a miseria peccatorum nos liberat. [Aug.] Vel ita, dico : confitemini, nec pro hac confessione estis aliquid temporale sumpturi. Quoniam in æternum, id est post judicium, est misericordia ejus, id est beneficium quod misericorditer præstat, æternum est, quia beatitudo per misericordiam data æterna erit. Deinde ostendens excellentiam illius cui confiteri nos monet, subdit :

VERS. 2. — « Confitemini Deo deorum, quoniam « in æternum misericordia ejus. »

Confitemini Deo deorum. [Aug.] Deos dicit homines, ad quos sermo Dei factus est (*Joan.* x), in alio psalmo, ubi ait : *Ego dixi : Dii estis* (*Psal.* LXXXI). Et non ideo dicuntur dii quod omnes sint boni. Si enim omnes boni essent, non diceret in eodem psalmo : *In medio autem deos dijudicat*. Vel discernit, de quibus etiam subdit :

VERS. 3. — « Confitemini Domino dominorum, « quoniam in æternum misericordia ejus. »

Confitemini Domino dominorum. [Aug.] Pluraliter dicit deos et dominos. Siquidem sunt dii multi, et domini multi, ut ait Apostolus (*I Cor.*, VIII, 5), super quos ipse est

VERS. 4. — « Qui facit mirabilia magna solus, « quoniam in æternum misericordia ejus. »

Qui facit. [Aug.] Sciendum quod sicut in fine versuum ponitur ubique *quoniam in æternum misericordia ejus*, sic in capite omnium, licet non sit positum, subaudiendum est, confitemini : quod apertius est in Græco, ut si diceremus facienti mirabilia, vel ei qui facit mirabilia, ubi necessario subaudiretur, confitemini : quod nostra locutio in his omnibus servare non potuit. Et ideo Latino sermone dici non potest, nisi in quibusdam subaudiatur hoc totum, ei qui facit, vel fecit. Unde obscurum est quod hic dicitur, ita ut possit putari sententia sic jungi : *Qui facit mirabilia, qui fecit cælos*, etc., *quoniam in æternum misericordia ejus*. Quasi dicat : Ideo fecit ista, quia in æternum est misericordia ejus, cum potius pertineant ad misericordiam hi quos a peccatis mundat et de miseria liberat. Hoc autem ad bonitatem, quod cœlum, terram et omnia valde bona creavit ut essent. Dicendum est ergo, etsi positum non sit, confitemini ei qui facit vel fecit, hæc vel illa, ideo, quia ejus misericordia est vobis æterna, ut finis singulorum versuum referatur ad principium, hoc modo : Confitemini ei qui facit mirabilia magna solus, ideo confitemini, quoniam in æternum, etc., ita et in cæteris. Solus Deus dicitur mirabilia facere, quia quæ per homines vel angelos fiunt, ipse facit, et quædam magna, ipse solus sine ministerio hominis vel angeli facit quæ exsequitur dicens :

VERS. 5. — « Qui fecit cœlos in intellectu, quo-« niam in æternum misericordia ejus. »

Qui fecit cœlos in intellectu, [Gl. int.] id est intelligibiles, scilicet empyreum : quod etsi sit corporeum, tamen tantæ est tenuitatis ut a mortali videri non possit,

VERS. 6. — « Qui firmavit terram super aquas, « quoniam in æternum misericordia ejus. »

Qui firmavit terram super aquas. [Aug.] Universam creaturam ergo per se non per creaturam fecit, cujus aliquas excellentiores partes posuit, ex quibus omnia cogitentur, id est intelligibiles cœlos et visibilem terram. Sed quia sunt et visibiles cœli, per eorum luminaria totum cœleste corporeum intelligere nos admonet, subdens :

VERS. 7. — « Qui fecit luminaria magna, quoniam « in æternum misericordia ejus. »

Qui fecit luminaria magna, [Aug.] scilicet solem et lunam et stellas. Vel per cœlos cœlestem machinam accipiamus. Et est sensus : Qui fecit cœlos, non alterius opera secutus, sed in intellectu suo, id est in sapientia sua. Unde : *Omnia in sapientia fecisti* (*Psal.* CIII). Quod dictum est de cœlis, de omnibus aliis debet intelligi hoc modo : Qui firmavit terram super aquas, subaudi intellectu. Sed et quomodo gravior terra ab aquis levioribus portatur ? Sed sive ita, sive aliter sit, ne adversus eos qui se putant ista certis rationibus comperisse contentiose agere videamur, habemus quod de proximo intelligamus. Dicitur enim terra super aquas fundata, eo quod aquis circumfluentibus supereminet, sicut dicitur illa vel illa civitas super mare fundata, non quod mare sub ea sit, sed quia mari supereminet, sicut Dominus super puteum sedit, id est juxta puteum sedit (*Joan.* IV). Quæ fecit luminaria magna ?

VERS. 8. — « Solem in potestatem diei : quo-« niam in æternum misericordia ejus. »

Solem in potestatem diei. [Aug., Cassiod.] Hæc solus per se facit. Sol est potestas diei, quo omnia declarantur.

VERS. 9. — « Lunam et stellas, in potestatem A « noctis, quoniam in æternum misericordia ejus. »

Lunam et stellas fecit *in potestatem noctis*, [Aug.] id est ut sint lux noctis. Vel typice hæc accipi possunt. Fecit ergo in intellectu cœlos, id est spirituales sanctos, quibus non modo credere, sed divina intelligere dedit; simplices autem qui solam fidem tenent, quasi infra cœlos terra dicuntur, qui quia in baptismo quem acceperunt, firma fide consistunt, quasi super aquas terram firmavit. *Qui fecit luminaria magna*, id est dona gratiarum suis fidelibus contulit. Quæ? *Solem in potestatem diei, lunam et stellas in potestatem noctis*. Per solem accipitur donum sapientiæ, quod datur diei, id est spiritualibus, ut possint lucere; per lunam, spiritus scientiæ; per stellas, alia minora dona, quæ dantur nocti, B id est minoribus, ut et ipsi possint lucere in nocte hujus sæculi, hoc est quod Apostolus ait : *Alii per spiritum datur sermo sapientiæ* (*I Cor.* XII), hic est sol; *alii scientia*, hæc est luna; *alii fides, curatio*, etc., hæ sunt stellæ. Nihil enim horum est, quod in nocte hujus sæculi non sit necessarium : postea cessabunt, cum transierit nox ista, et venerit dies. Hæc autem fecit, in potestatem diei, vel noctis, id est, ut potestas sit diei, lucere, vel noctis. Distat autem sapientia a scientia, testante sancto Job, qui quodammodo singula diffiniens ait : *Sapientia est pietas* (*Job* XXVIII), id est Dei cultus, quæ est in cognitione et delectatione ejus, quod semper est et incommutabile manet, quod Deus est : scientia vero est abstinere a malis (*Philipp.* II), id est C in medio pravæ nationis, quasi in nocte hujus sæculi prudenter versari, ut abstinendo quisque ab iniquitate non confundatur tenebris proprii muneris luce discretus; aliter etiam potest dici mystice, ab illo loco : *Qui fecit luminaria magna*, id est cœlestes spiritus, qui sunt ante omnia lucentia. Et *fecit solem*, [Cassiod.] id est sapientes, *in potestatem diei*, ut per eos majores luceant, *et lunam*, id est Ecclesiam, *et stellas*, id est diversos ordines, *in potestatem noctis*, ut per hæc quoque minores luceant

PARS II. VERS. 10. — « Qui percussit Ægyptum, « cum primogenitis eorum, quoniam in æternum « misericordia ejus.

292 *Qui percussit*. [Cassiod., Aug.] Secunda D pars, ubi dicit quæ in Ægypto fecit, et in gente Judæorum sub figura nostri. Et notandum quod supra dixit, quæ solus fecit, hic jam incipit ostendere quæ per angelos vel per homines fecit. Quasi dicat : Confitemini ei *qui percussit Ægyptum cum primogenitis eorum*. Typice ita percussit et sæculum, cum his quæ præcipua putantur in sæculo. [Cassiod.] Primogenita namque Ægypti percussit, quando gloriam sæculi damnavit, quæ putabatur præcipua. Luxus enim, superbia, avaritia sunt, quæ primo generat venter, et ut charos filios amplectitur; sed Deus a se excludit

VERS. 11.— « Qui eduxit Israel de medio eorum, « quoniam in æternum misericordia ejus. »

Qui eduxit Israel de medio eorum. [Aug.] Sic et sanctos de malorum conversatione educit. Eduxit dico,

VERS. 12. — « In manu potenti et brachio ex« celso, quoniam in æternum misericordia ejus. » *In manu potenti et brachio excelso*. [Cassiod., Aug.] Manus Dei est invincibilis actio, quæ a brachio venit, id est ab omni potentia singulari. Hoc est brachium de quo dictum est : *Et brachium Domini cui revelatum ?* (*Isa.* LIII.)

VERS. 13. — « Qui divisit mare Rubrum in di« visiones; quoniam in æternum misericordia « ejus. »

Qui divisit mare Rubrum in divisiones. [Cassiod., Aug.] Ad litteram, in divisiones duodecim, pro numero tribuum, ut singulæ tribus suas vias meandi haberent. Typice, sic per varias vias de mundo ad Deum transitur : per mare quippe Rubrum sæculum accipitur. Vel per mare Rubrum intelligitur baptismus, quem nunc dividit Deus, ut unus et idem baptismus aliis sit in vitam, aliis in mortem.

VERS. 14. — « Et eduxit Israel per medium ejus, « quoniam in æternum misericordia ejus. »

Et eduxit Israel per medium ejus. [Aug.] Sic etiam reducit innovatum populum per lavacra regenerationis.

VERS. 15. — « Et excussit Pharaonem, et virtu« tem ejus in mari Rubro, quoniam in æternum mi« sericordia ejus. »

Et excussit Pharaonem et virtutem ejus in mari Rubro. [Aug., Cassiod.] Ita interimit peccata suorum per baptismum. Vel Pharaonem et virtutem ejus in mari Rubro, id est diabolum cum ministris ejus, celeriter in baptismo excussit, ut pulverem, qui celeriter excutitur. In hac celeritate et virtus deitatis ostenditur, et illi terrenæ sordes esse indicantur, quas solemus excutere (182). Et congrue per Pharaonem diabolus intelligitur. Pharao enim masculos necat et feminas servat : ita diabolus virtutes præfocat et concupiscentiam nutrit.

VERS. 16. — « Qui traduxit populum suum « per desertum, quoniam in æternum misericordia « ejus. »

Qui traduxit populum suum per desertum. [Aug.] Ita et nos per hoc sæculum traduxit, ne in eo pereamus vel adhæreamus.

VERS. 17. — « Qui percussit reges magnos, quo« niam in æternum misericordia ejus. »

VERS. 18. — « Et occidit reges fortes, quoniam « in æternum misericordia ejus. »

Qui percussit reges magnos, et occidit reges fortes, [Aug.] Ita et in fidelibus suis diabolicas et noxias potestates percutit et occidit.

VERS. 19. — « Sehon regem Amorrhæorum, quo« niam in æternum misericordia ejus. »

(182) Ex Orig. hom. 2 in Exodum.

Sehon regem Amorrhæorum. [Aug.] Sic germen inutile, vel calentem tentationem amaricantium occidit.

Vers. 20. — « Et Og regem Basan, quoniam in « æternum misericordia ejus. »

Et Og regem Basan. [Aug.] Ita et coacervantem diabolum regem Basan, id est confusionis. Quid enim coacervat diabolus, nisi confusionem?

Pars iii. Vers. 21. — « Et dedit terram eorum « hæreditatem, quoniam in æternum misericordia « ejus. »

Et dedit terram eorum hæreditatem. [Cassiod.] Tertia pars, ubi descendit ad Christianos, exponens beneficia eis data, ut sic auctorem omnium unum scias.

Vers. 22. — « Hæreditatem Israel servo suo, « quoniam in æternum misericordia ejus. »

Hæreditatem Israel servo suo. [Aug.] Quasi dicat: Ita percussit prædictos reges. *Et dedit terram* eorum hæreditatem, *hæreditatem Israel servo suo.* Sic et quod possidebat diabolus hæreditatem dat semini Abrahæ, quod est Christus. Et accipit per Israel servum, Christum. Vel per Israel servum accipit Christianos, quibus data est promissio Judæorum. [Cassiod.] Et est sensus : Prædicta beneficia ad litteram contulit Judæis. Et dedit terram eorum hæreditatem. Hæreditatem Israel servo suo, id est promissionem eis sub figura factam, dedit Christianis. Etsi enim hoc videatur de Hebræis dici, ad Christianos tamen proprie pertinet, quibus datur promissio illis facta, ad quos proprie pertinet humilitas, quam Christus docuit.

Vers. 23. — « Quia in humilitate nostra memor

A « fuit nostri, quoniam in æternum misericordia « ejus. »

Quia in humilitate nostra, [Cassiod.] scilicet in interiori, quæ est propria Christianis. Vel, *in humilitate,* id est in dejectione, *nostra memor fuit nostri,* quando advenit.

Vers. 24. — « Et redemit nos ab inimicis nostris, « quoniam in æternum misericordia ejus. »

Et redemit nos ab inimicis nostris. [Aug., Cassiod.] Hoc proprie de Christianis, quos redemit sanguine unigeniti Filii. Pro Hebræis enim nullum pretium dedit Ægyptiis.

Vers. 25. — « Qui dat escam omni carni, quo« niam in æternum misericordia ejus. »

Qui dat escam, [Aug.] spiritualem, de qua dici-
B tur : *Caro mea vere est cibus* (*Joan.* vi). *Omni carni,* id est omni generi hominum, Israel scilicet et gentium, non sicut manna soli Judæo dedit. Et quia sic facit, ergo

Vers. 26. — « Confitemini Deo cœli, quoniam in « æternum misericordia ejus. »

Confitemini Deo cœli. [Aug.] Hoc est quod supra dixit, Deo deorum : unde et hic repetit quod ibi subjunxit,

Vers. 27. — « Confitemini Domino dominorum, « quoniam in æternum misericordia ejus. »

Confitemini Domino dominorum. Ideo confitemini, *quoniam in æternum misericordia ejus.*

C COLLATIO IN PSALMUM CXXXV : « CONFITEMINI DOMINO QUONIAM BONUS, » etc.

Pro titulo in Græco ponitur : Alleluia. In Hebræo est finis versus ultimi in superiori psalmo. Illud est perpusillum. Cætera satis conciliata sunt.

PSALMUS CXXXVI.

PSALMI TITULUS : « PSALMUS DAVID PROPTER JEREMIAM.

Super flumina Babylonis. Titulus : *Psalmus David propter Jeremiam.* [Cassiod.] Tertius psalmus de lamentatione Jerusalem est hic de hoc, quia a Babyloniis destructa est. Præcedunt alii duo, scilicet : *Ut quid, Deus, repulisti* (*Psal.* lxxiii), ubi agitur de captivitate facta a Romanis ; et : *Deus, venerunt gentes* (*Psal.* lxxviii), ubi agitur de vastatione facta sub Antiocho (*I Mach.* i). Hic autem agitur de captivitate facta a Nabuchodonosor (*IV Reg.* xxv), quam Jeremias quadruplici alphabeto deploravit, propter quod titulus hujus psalmi nomen ejus continet. Et est sensus : *Psalmus* iste est *David* prophetæ [Aug.] ens vel compositus. *propter,* id est juxta, *Jeremiam,* quia agit de captivitate Judæorum, quam deflevit Jeremias in figura nostri, qui spiritualiter captivi tenemur. Sicut enim duæ fuerunt civitates, Jerusalem et Babylonia, quarum altera afflixit alteram, atque captivavit, ita modo duæ civitates sunt, una bonorum, altera malorum, permistæ corpore, separatæ corde, scilicet Jerusalem et Babylonia. Tenetur ergo Jerusalem captiva in Babylonia, sed non tota. Cives enim ejus sunt angeli, omnis miseriæ exsortes, sed tenetur captiva secundum homines prædestinatos ad gloriam, qui per peccatum captivi sunt, et a patria peregrini. De ea igitur captiva per peccatum hic agitur : de reditu supra egit, in psalmo illo : *Te decet hymnus, Deus, in Sion* (*Psal.* lxiv);
D hic : *Super flumina Babylonis illic sedimus et flevimus.* Si enim cives sumus de Sion, in atriis Jerusalem stamus spe ; sed hic in ista Babylonia, id est in confusione hujus sæculi, non cives habitamus, sed captivi tenemur et sedemus humiles, pœnitendo, confitendo. Sunt autem et alii futuri Jerusalem cives mente, qui jam sunt prædestinatione ; sed adhuc corpore et corde sunt cives Babyloniæ, eique serviunt. Habet enim Babylonia amatores suos consulentes paci temporali, et nihil ultra sperantes, totumque gaudium suum ibi figentes, et videmus eos pro republica terrena plurimum laborantes. Sed quicunque in ea non superbe, sed fideliter versantur, ut quantum intelligunt, fidem exhibeant, quam possunt, et quibus possunt, eos non sinit Deus per-

ire in Babylonia, prædestinavit enim eos cives Jerusalem. Intelligit enim captivitatem eorum, et ostendit eis aliam civitatem pro qua laborent, cui suspirent, ad quam et alios adhortentur. Unde dicit Jesus : *Qui in modico fidelis est, et in magno fidelis est* (*Luc.* XVI). Et rursus : *Si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est quis dabit vobis ?* (*ibid.*) de talibus tamen non agit hic psalmus, sed de illis qui mente et desiderio sunt cives Jerusalem. Intentio. Monet non conformari Babyloniæ, sed in supernam Jerusalem suspirare. Modus. Bipartitus est psalmus. [Cassiod.] Primo captivandos longe post per Nabuchodonosor (quos deflevit Jeremias) hic sua mala flere, nec inter mala oblivisci Jerusalem, inducit in figura nostri. Secundo contra hostes ad Deum fit conversio, ibi, *memor esto.* Propheta ergo in persona captivi qui quasi laudibus stantium in domo excitatus est, lamentationem hanc profundit desiderio patriæ, dicens :

VERS. 1. — « Super flumina Babylonis illic sedimus et flevimus, dum recordaremur tui, Sion. »

Super flumina Babylonis illic, [Aug.] scilicet in tam notabili loco, *sedimus* humiliati, non erecti per superbiam, non jacentes per ruinam. Flumina Babylonis sunt omnia quæ hic amantur et transeunt. Quod attendentes sancti, non se eis amore immiscent, sed supra sedent contemnendo et flent vel eos qui rapiuntur, vel se qui captivi ibi sunt. Unde sequitur : **293** *Et flevimus*, scilicet incolatum nostrum. Sedimus dico et flevimus, *dum recordaremur tui, Sion*, ubi nihil fluit. Non de alia re flevimus nisi pro Sion, ut multi faciunt. Multi enim flent fletu Babylonio, qui et gaudent gaudio Babylonio, quia gaudent lucris et flent pro damnis temporalibus. Utrumque de Babylonia est. [Cassiod.] Flere utique debet quisque, sed recordando Sion. In hostili enim terra dulcis est recordatio patriæ. Et

VERS. 2. — « In salicibus in medio ejus suspendimus organa nostra. »

In salicibus [Aug.], id est in malis quæ sunt, *in medio ejus* Babylonis, quæ scilicet rigantur fluminibus Babylonis, sed steriles sunt in bono opere, et sunt in medio Babylonis, id est multum mali, scilicet cupidi et avari. Sunt enim aliqui in exterioribus partibus Babylonis, id est non sic concupiscentiis obruti. In illis, inquam, salicibus, quæ sunt in medio Babylonis, id est ab illis valde malis, *suspendimus*, id est distulimus et subtraximus, *organa nostra*, id est Scripturas et promissa Dei. Ab his enim porcis et canibus Scripturas avertimus, non eis inferendo alligamus, sed differendo suspendimus. [Cassiod.] Et sciendum quod vis doloris exaggeratur, quando delectatio qua se consolari solebant, suspenditur. Et quia suspendimus organa,

VERS. 3. — « Quia illic interrogaverunt nos qui captivos duxerunt nos, verba cantionum. »

Quia illic, [Aug.] id est in Babylonia, *interrogaverunt nos*, tentantes, non proficientes, *qui captivos duxerunt nos*, scilicet diabolus et angeli ejus, qui interrogare dicuntur, dum illi interrogant in quibus operantur. Quid interrogaverunt ? *Verba cantionum*, vel canticorum, id est rationes aggratulationis et professionis nostræ, ut cum quærunt hujusmodi : Quid prodest Christus ? vel quæ est alia vita ? Nonne ex quo venit Christus, pejora sunt in rebus mundanis, quam fuerunt antea ? et feliciores erant tunc humanæ res quam modo ? Dicant nobis Christiani : Quid boni attulit Christus ? Quare mihi imperas ut credam de Christo, et de alia vita quam non video ?

VERS. 4. — « Et qui abduxerunt nos, hymnum cantate nobis de canticis Sion. »

Et qui abduxerunt nos, [Aug.] a societate angelorum scilicet, vel *adduxerunt*, alia littera, ad has miserias, subaudi interrogaverunt nos verba cantionum dicentes : *hymnum cantate nobis de canticis Sion.* Cantate nobis, sed his respondemus : Babylonia vos portat, Babylonia vos continet, Babylonia vos nutrit : non nostis capere, nisi quod fulget in tempore ; æterna meditari ignoratis, pleni estis cupiditatibus malis. His autem qui sunt malis pleni, non debemus organum percutere ut sonet, sed suspendere. Diabolus enim astute quærit per suos ut irrideat. Unde est respondendum eis sic :

VERS. 5. — « Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena ? »

Quomodo cantabimus. [Aug.] Quasi dicat : Ita ipsi dicunt. Sed nos respondemus eis : *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena ?* Cavendum est ne quis timens talibus displicere, affectet amicitias eorum et incipiat delectari in Babylonia. Passus autem iste undique interrogatores adulantes, irrisores, reprehensores, quasi inter eos periclitans, animum erexit ad recordationem Sion, et constrinxit se juramento, dicens :

VERS. 6. — « Si oblitus fuero tui, Jerusalem, oblivioni detur dextera mea. »

Si oblitus fuero. [Aug.] Quasi dicat : Illis non cantavi, sed *si*, inter verba illorum, *oblitus fuero tui, Jerusalem*, ut illis placere velim, *oblivioni detur*, vel obliviscatur me, alia littera, *dextera mea*, id est vita æterna, quæ est dextera nostra. Unde alibi : *Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me* (*Cant.* II). Sinistra nostra est vita temporalis. Quidquid ergo facis pro vita æterna, dextera operatur ; si et alio intendis, sinistra se immiscuit, et in ea delectatus, quasi in dextera perdit æterna. Nota quod conditionem ponit, quam necesse est fieri, ut scilicet oblitus Jerusalem detur oblivioni. Item ait :

VERS. 7. — « Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui. »

Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui, [Aug.] id est obmutescam et mutus fiam in laudibus Dei, si non fuero tui memor, quod est consolatio fletus et miseriarum : sic contingit ut pronuntiat. Mutus enim fit qui memor ejus non est, quia ut quid sonat, ut quid loquitur, qui canticum Sion non sonat ? Canticum Jerusalem nostra lingua

est, scilicet lingua fidelium ; canticum delectationis sæculi hujus, lingua barbara est. Mutus est Deo qui oblitus est Jerusalem. Unde bene ait : *Si non meminero tui,* scilicet cum amore. Unde subdit :

VERS. 8. — « Si non proposuero tui, Jerusalem, « in principio lætitiæ meæ. »

Si non proposuero tui vel te, o *Jerusalem, in principio lætitiæ meæ,* [Hilar., Haym.] id est si non est mihi præcipua lætitia de te et in te, o Jerusalem (183). Ibi est enim summa lætitia, ubi Deo perfruemur, ubi de fraternitate cohærente securi sumus vel erimus. [Aug.] Nihil enim ibi delectabit nisi bonum. Morietur omnis necessitas et orietur summa felicitas.

PARS II. VERS. 9. — « Memor esto, Domine, filiorum Edom ; in die Jerusalem. »

Memor esto. [Cassiod., Gl. int.] Secunda pars, ubi contra hostes ad Deum fit conversio. Quasi dicat : Ego ita me habeo, sed, o *Domine, memor esto filiorum Edom ; in die Jerusalem.* Edom idem est qui et Esau. Dictus enim Edom, Esau et Seir (*Gen.* XXXVI). Filii autem Edom,[Alcuin.] id est Idumæi, impedimento fuerunt Judæis reædificantibus Jerusalem post reditum de Babylonia, vel in destructione Jerusalem fuerunt conjuncti Babyloniis. Unde postea dicit : *Filia Babylonis.* Et est sensus : Memor ero illorum, id est puniam eos, pro eo quod fecerunt, in die restitutionis, Jerusalem, quam impediunt. Vel in die quo evertere volunt Jerusalem, adjuncti Babyloniis. Ecce qui faciunt :

VERS. 10. — « Qui dicunt : Exinanite, exinanite, « usque ad fundamentum in ea. »

Qui dicunt : Exinanite, exinanite, [Gl. int.] quidquid est *in ea usque ad fundamentum,* id est nec unus remaneat in Jerusalem.

VERS. 11. — « Filia Babylonis misera ; beatus « qui retribuet tibi retributionem tuam, quam re« tribuet nobis. »

Filia Babylonis [Gl. int., Aug., Alcuin.] Quasi dicat : Illi ita, sed, o filia Babylonis, vel, tu etiam filia Babylonis, *misera* es in tua exsultatione et præsumptione. Et dicit filiam Babylonis, Idumæam, quæ Babyloniis se addidit ; sed *beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis.* Deus scilicet retribuet. Quam retributionem ?

VERS. 12. — « Beatus qui tenebit et allidet par« vulos tuos ad petram. »

Beatus, [Aug.] scilicet *qui tenebit et allidet parvulos suos* vel *tuos ad petram.*

[Aug.] Vel mystice potest legi. Esau enim omnes carnales significat, Jacob spirituales. Esau autem appellatus est Edom a cibo quodam lenticulæ rubro, pro quo vendidit primogenita sua minori fratri suo Jacob (*Gen.* XXV). Ille autem concessit cibum voluptatis et sumpsit honorem dignitatis. Ita factus est ille major dignitate, qui erat minor tempore. Major itaque est carnalis homo ; minor spiritualis,

A quia prius est quod animale est, postea quod est spirituale (*I Cor.* XV). Omnis enim homo qui nascitur, carnalis et animalis incipit esse. Si autem a captivitate convertitur, in reditu Jerusalem renovatur, et fit renovatio quædam secundum interiorem hominem. Et sicut ille major frater Esau inimicus fuit Jacob, ita omnes carnales inimici sunt spiritualibus. Unde ait : *Memor ero, Domine, filiorum Edom,* id est carnalium qui sunt inimici sanctorum, id est libera nos ab illis, *in die,* sequestrationis, *Jerusalem,* id est quando sequestrabuntur a Jerusalem, id est ut ipsi mali puniantur et boni coronentur. Qui dicunt : *Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea.* Jerusalem, scilicet in Ecclesia. Dicitur hoc a simili cisternæ. Unde si aqua hauritur,
B ad fundamentum pervenitur ; sed quid prodest etiam vitam talibus tollere, quibus in fundamento, quod est Christus, vita æterna est ? Dum putant mali nocere, coronas dant. [Aug.] Deinde convertens sermonem ad ipsam civitatem malorum ait : Sed, o filia Babylonis, misera es ipsa exsultatione tua et ipsa præsumptione tua et inimicitiis tuis. Nota quod civitas malorum Babylon dicitur et filia Babylonis ; quomodo Dei Ecclesia Sion et filia Sion ? sed per successionem et immutationem facta est filia Babylonis, sicut per successionem Ecclesia fit filia Sion. *Beatus qui retribuet tibi retributionem tuam,* scilicet allisionem spiritualem pro allisione carnali, *quam retribuisti nobis,* scilicet odium pro dilectione nostra. Quam retributionem ? *Beatus qui tenebit et allidet parvulos tuos ad petram,* id est Christum, qui
C reducet ad viam veritatis cives tuos, qui, dum parvuli sunt, possunt reduci, non omnino in malitia obdurati. Vel secundum moralem sensum totum potest accipi. Edom enim qui interpretatur *terrenus* vel *sanguineus* carnalitas est, quæ per illicitos motus tanquam per illicitos suos nos seducit. Et est : *Memor esto, Domine, filiorum Edom,* [Hilar.] id est illicitorum motuum carnis, ut allidas eos *in die Jerusalem,* id est in bonis, qui sunt dies Ecclesiæ. Unde : *Dies diei eructat verbum* (*Psal.* XVIII). Qui dicunt : *Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea.* Coacervatione enim vitiorum subrepit diffidentia, sed *filia Babylonis misera.* Filia Babylonis est caro quæ confusionem peccatorum ingerit, cui digna compensatio datur, ut sicut concitat ad vi-
D tia, ita repressa subdatur virtutibus. *Beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis.* Quod carni retribuere, beatorum est, qui etiam parvulos qui ex carne nascuntur, id est malos motus, antequam crescant, retinent, ne sint liberi, et allidunt ad petram Christum, ut confracti dispereant. *Beatus qui tenebit parvulos tuos,* vel *suos, ad petram.* [Aug.] Ecce digna retributio. Ut enim Babylonia natos in mundo dum parvi sunt, parentum et sæculi hujus suffocat erroribus, ita qui jam juvenes sunt, data agnitione Dei parvulos Babylonis

(183) Ἐὰν μὴ προανατα ξωμαι τὴν Ἱερουσαλήν.

allidunt, nascentes cupiditates, antequam robur accipiant; sic facilius vincuntur, scilicet dum parvulæ sunt, sed et ad petram majores occidendæ sunt.

COLLATIO IN PSALMUM CXXXVI : « SUPER FLUMINA BABYLONIS ILLIC SEDIMUS, » etc.

VERS. 3.—*Qui abduxerunt nos hymnum cantate.* D. Hieronymus. *Qui affligebant nos læti;* Pratensis, *deridentes nos lætitiam* ; Pellicanus, *qui rapuerunt nos lætitiam ;* interpretes pro Cajetano, *ejulatus nostros lætitiam*, ut hæc referantur ad verbum quod præcesserat, nempe *interrogaverunt ;* Campensis, *qui insultabant manifeste nobis, jubebant nos signa lætitiæ edere.* Secus autem Sanctes et Munsterus : Ille, *citharis suspensis verba lætitiæ ;* hic, *cum suspendissemus instrumenta lætitiæ.* Porro omnes in hoc conveniunt, quod שמחה SCHIMEAH, id est *lætitiam*, ubi dicimus *hymnum* copulant superioribus, et nos posterioribus. Quia quando legimus *hymnum cantate*, hi dicunt simpliciter *cantate*, propterea quod jam particulam *hymnum*, aut *lætitiam* denotantem, junxerant, ut dictum est, antecedentibus. De alio vocabulo, תוללינו TOLALENU, est controversia, etiamnum testante Munstero apud Hebr. Quidam enim derivant a radice ילל IALAL, id est *ululavit.* Ululatus autem denotat satis aut *afflictionem*, aut *derisionem*, aut *insultationem.* Alii volunt esse תלינו, hoc est suspendimus, **294** a schemate תלה TALAH. Nos autem sequimur quod certius est.

VERS. 6. — *Oblivioni detur dextera mea.* Sanctes et Munsterus addiderunt de proprio operis sui, quod mere est voluntarium. Id fecisse videntur, eo quod oblivisci in Hebr. est activum, ut aliquid commodum subaudiendum fuerit. Cæterum activum et passivum nihil distant supra apicum affixionem תשכח potest legi תשכח TISCHCAH, vel תשכח TISCHACAH,

A rursus si quidquam subaudiendum erat, poterat id fieri, ut habet translatio Romana; cum persequuntur divi Hilarius et Augustinus, utpote *obliviscatur me dextera mea*, cujus sensus idem erit cum eo, quod est *oblivioni detur dextera mea*, id et quod attestatur D. Hilarius his verbis : « Sed id quod ait, *obliviscatur me dextera mea*, obscurum est per conditionem Latinitatis. Nam secundum Græcitatis proprietatem, qua dictum est, ἐπιλησθείη ἡ δεξιά μου, non ut ipsa obliviscatur, sed ne oblivio ejus fiat ostenditur ; et magni periculi res est, si dexteræ nostræ fiat oblivio. » Denique D. Hier. Pratensis et Pellicanus consentiunt nostræ lectioni. Similiter Chaldæus et Nebiensis.

VERS. 12. — « *Allidet parvulos suos ad petram.* Hebraice, Græce et Latine habetur *tuos*, et sic legerunt omnes antiqui, עלליך OLALALIIC. Verum si exponamus tropologice, quemadmodum faciunt D.
B Hier. in Commentariis, et ad Eustochium de custodia virginitatis, Augustinus, Hilarius et Arnobius, idem sensus erit : *Beatus qui allidet parvulos suos*, hoc est qui cohibebit concupiscentiarum suarum primas titillationes. *Et beatus qui allidet, o filia Babylonis, parvulos suos ad petram*, ut alloqui intelligamur nostrum hominem exteriorem. Secundum historiam vero non perinde quadraret quod hic prædicitur vindicta exercenda in Babylonios ab aliis, jubente Deo, ut beatus sit futurus qui parvulos Babyloniæ alliserit ad petram, quasi in repensationem malorum quæ ipsi Babylonii dura captivitate egerant in parvulos Judæorum. Idcirco vitio librariorum videtur factum, ut legamus *suos* pro *tuos*, nisi velimus abuti pronomine reciproco, pro non reciproco, ac si esset : *Beatus qui allidet parvulos ejus ad petram.* Tamen, ut prædixi, secundum intelligentiam quam tradunt sancti, nihil est scrupuli.

PSALMUS CXXXVII.

PSALMI TITULUS : « PSALMUS IPSI DAVID. »

C *Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo.* Titulus : *Psalmus ipsi David.* [Alcuin.] Captivus qui supra fleverat, sedens super flumina Babylonis, jam quasi reædificata Jerusalem, et templo restituto, et quasi factus concivis illi parti Jerusalem, quæ non fuit captiva, id est angelis exsultat et laudat Christum, cui fit hic psalmus. Et hoc est : *Psalmus* iste fit *ipsi David*, id est Christo, cui fit hujus psalmi tota confessio. Intentio. [Cassiod.] Monet ad laudem, Modus. Bipartitus est psalmus. Primo commendat beneficia sibi data. [Aug.] Secundo dicit quomodo hæc ad omnes dilatentur, ibi, *confiteantur*, etc. Ex voce igitur Ecclesiæ quæ in superioribus est spe, exspectans ibi esse in re, ait :

VERS. 1. — « Confitebor tibi, Domine, in toto
D « corde meo, quoniam audisti omnia verba oris « mei. »

Confitebor tibi, Domine, [Aug.] id est laudabo te, *in toto corde meo.* Totum cor in aram tuæ confessionis impono, totum accende flamma tui amoris. Ideo confitebor, *quoniam audisti verba oris mei* interioris, cui prope est Deus. Longe a Deo non facit, nisi iniquitas sola, cui adhærens intus non clamat ad Deum, etsi extra vociferetur.

VERS. 2. — « In conspectu angelorum psallam « tibi ; adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo. »

In conspectu angelorum psallam tibi. [Aug., Alcuin.] Coram angelis enim psalterium et gaudium mecum est, quod est de superioribus, non coram hominibus, qui de inferioribus gaudentes nesciunt gaudium justi, sed putant miserum quem vident flagellari. Vel ita : In conspectu angelorum psallam tibi, id est laudando propono mihi angelos ut imiter eos, quibus æquari sicut laude nunc, ita dignitate post exspecto. Hi autem in laude Dei nihil aliud sibi proponunt quam ipsum Deum. In conspectu ergo angelorum, id est in ea puritate qua te angeli conspiciunt et laudant, scilicet ut in te solo sibi acquiescant, ego psallam tibi. Inde et Moses jubetur construere tabernaculum Domino, secundum exemplum quod ei monstratum est in monte (*Exod.* XXV). Et *adorabo ad templum sanctum tuum*, id est in templo sancto tuo. Intra nos enim est quo adoremus. Unde Apostolus: *Templum Dei sanctum est, quod estis vos* (*I Cor.* III). Templum enim Dei est sedes Dei. Porro sedes Dei est anima justi (*Sap.* VII). Tamen et angeli templum Dei possunt intelligi, [Aug.] quia et in angelis habitat Deus : angeli sur-

sum, fideles deorsum sunt. Ecclesia ergo sursum, Ecclesia deorsum. Sed si gaudent de spiritualibus, non de terrenis, ad illud templum angelicum, ubi angeli sunt, adorant futuri socii eorum, pro quibus venit Dominus angelorum. Et est, adorabo ad templum sanctum tuum, id est adorabo pro æternis, scilicet ut sim socius angelorum. Et *confitebor nomini tuo*, id est laudabo te.

VERS. 3. — « Super misericordia tua et veritate « tua, quoniam magnificasti super omne nomen « sanctum tuum. »

Super, [Aug.] id est de *misericordia tua* qua vocas, qua peccatorem respicis; *et veritate tua* qua remuneras, qua promissiones reddis. Hæ sunt universæ viæ Domini, misericordia scilicet et veritas (*Psal.* XXIV), quia non sunt aliæ viæ quibus ad nos venit; non sunt aliæ, quibus ad eum veniamus. Has ergo Deo reddamus, misericordiam in subveniendo, veritatem in judicando. His duobus adjuvamur, his promeremur Deum. Deinde quare confiteatur subdit. [Haym.] Ideo scilicet, *quoniam magnificasti sanctum*, id est Christum, *super omne nomen* cœlestium, terrestrium et infernorum (*Philipp.* II). [Cassiod.] Vel, magnificasti *super nos*, alia littera, nomen sanctum tuum, quando nobis cultura tua innotuit. Et quia ita fecisti, ergo

VERS. 4. — « In quacunque die invocavero te, « exaudi me, multiplicabis in anima mea vir« tutem. »

In quacunque die, [Cassiod., Aug.] id est in quocunque tempore, vel quando sine nube cupiditatis, *invocavero te, exaudi me*, quia jam non terrena peto, Novo instructus Testamento. Sed hoc quod sequitur, scilicet *multiplicabis*, id est multiplica, *in anima mea*, non in carne peto, sed in anima. Et quia in anima potest fieri carnalis multiplicatio, addit *virtutem*, quasi dicat : nihil aliud peto in anima, nisi virtutem, in quo plene exprimit sanctum desiderium. Si enim diceret simpliciter, multiplicabis me, de terrena possessione posset intelligi cogitasse. Ideo addit, in anima. Rursus ne in anima vitia cogitares, addit virtutem.

PARS II. VERS. 5. — « Confiteantur tibi, Domine, « omnes reges terræ, quia audierunt omnia verba « oris mei. »

Confiteantur. [Cassiod., Hilar., Aug.] Secunda pars, ubi dicit quomodo hæc bona ad omnes sint dilatanda, quasi meo exemplo. *Confiteantur tibi, Domine, omnes reges terræ*, id est moderati viri, qui carnem regunt et spiritui subdunt. Hoc jam fit quotidie et ita fiet. Jam ostenditur non frustra prædictum, cur debent confiteri, *quia audierunt* obedienter *omnia verba oris tui*, quæ prius erant abscondita in una gente Judæorum, quibus credita sunt eloquia Dei (*Rom.* III); sed modo ubique revelata sunt, et ad omnes gentes missa, quod significatum est in vellere Gedeonis, qui iturus contra Madianitas petiit signum a Domino, scilicet ut vellus irrigaretur, sicca manente area. Deinde petiit ut siccato

A vellere complueretur area (*Judic.* VI). Area est orbis terrarum ; vellus, gens Judæorum in medio orbis terrarum, habens gratiæ sacramentum, non in manifesto, sed in nube secreti, tanquam pluviam in vellere circa vellus area existente sicca , id est toto orbe circa Judæorum gentem, sed expresso vellere, id est revelato figurarum secreto, pluvia in area, id est in toto orbe manifestata est, non operta. Solus Christus suavitas pluviæ est, id est gratiæ. Hunc solum ergo nescis in Scripturis, o Judæe, per quem factæ sunt quem orbis terrarum recipit, quo irrigata est area. Et ita vellere siccato, omnes reges terræ audient omnia verba oris tui. Dico confiteantur reges,

VERS. 6. — « Et cantent in viis Domini, quoniam
B « magna est gloria Domini. »

Et cantent reges terræ, [Aug.] ut viatores cantent, et quo tendunt pervenire festinant. Cantent dico, *in viis Domini*, quæ sunt misericordia et veritas. Quid cantent? hoc : *quoniam magna est gloria Domini*, non regum. Si humiles sunt, hoc amant, hic cantant ; nam etsi extulerint , timeant quod sequitur :

VERS. 7. — « Quoniam excelsus Dominus et hu« milia respicit, et alta a longe cognoscit. »

Quoniam excelsus Dominus. [Aug., Cassiod., Aug.] Et licet sit excelsus, tamen *humilia respicit* oculo misericordiæ. Si ergo volunt respici, sint humiles. Non enim est hic humana conditio, ubi humilis despicitur, superbus respicitur, sed Dominus humiles
C respicit. Si autem aliqui superbi sunt, non eum latent, sed a longe videntur. Unde subdit *et alta*, id est superbos, *a longe* vel longe, *cognoscit*, quia per gratiam non est cum eis, quos tamen perfecte videt. Non ergo hoc agit superbus, ut minus perfecte videatur a Deo ; sed ut non sit cum illo a quo videtur. Alta a longe cognoscit. [Cassiod.] Sed si contingit justis tribulatio, adest Deus vivificator. Et hoc est quod ait, conversus ad Dominum :

VERS. 8. — « Si ambulavero in medio tribulatio« nis, vivificabis me ; et super iram inimicorum « meorum extendisti manum tuam, et salvum me fe« cit dextera tua. »

Si ambulavero in medio tribulationis, [Aug.] quæ semper instat, saltem a diabolo, *vivificabis me*. Vel
D ita : *et alta longe*, alia littera, id est valde superbos, *cognoscit*. Dicit hoc a simili superborum, qui ex nimia superbia non conspiciunt ad pedes suos elata fronte incedentes. Alta longe ergo sunt, id est valde superbi, qui non vere invenerunt tribulationem et dolorem hujus sæculi peregrinationis, æstimantes hic esse patriam et beatitudinem, quia nesciunt vel non amant veram patriam. His ergo quasi nescientibus evenit tribulatio, quia eam non agnoscunt. Econtrario in medio tribulationis sunt, qui in hac vita degentes, eam totam tribulationem esse et miseriam agnoscunt, legentes hunc incolatum. *Si ambulavero*. Quasi dicat : Illos ita, sed si ego ambulavero *in medio tribulationis*, id est si in hac vita fuero

quasi in medio tribulationis, eam totam miseriam reputans et veram patriam quærens, *vivificabis me*. Aliter vero non vivificat aliquem, nisi sit in medio tribulationis. Unde : *Beati qui lugent ;* et : *Væ ridentibus* (*Matth.* v. *Luc.* vi). *Et super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam*, id est super id quod possunt inimici est manus tua. Possunt enim ut plus occidere, sed non a te separare. Vel ita : Super iram inimicorum tuorum extendisti manum tuam, id est amplius vindicas inimicos meos, non diutius licet eis conterere me, quia vel moriuntur, vel convertuntur, ut pauci jam aperte impugnent nomen Christianum. **295** Quanta ira inimicorum sæviebat, quando sanguis martyrum fundebatur ! sed ecce illi qui martyres persequebantur, memorias martyrum inquirunt. [Alcuin.] Vel ita : Et super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam, id est hoc ipsum quod irascuntur mihi. Tua est in illis anin adversio, id est punitio. Est enim irasci eis pœna, non tantum culpa. Dum ergo hoc promittis, super eos vindictæ manum extendis. *Et salvum me fecit dextera tua*, non sinistra, quæ temporaliter salvat. [Aug.] Et est quædam salus in dextera, est alia in sinistra. Salus temporalis in sinistra est, salus æterna in dextera. Non habet Deus in se dexteram vel sinistram, sed dextera Dei dicitur felicitas æterna, sinistra felicitas temporalis. Aliquando ergo non salvat in sinistra sanctos suos, sed semper salvat eos in dextera ; impios autem plerumque salvat in sinistra, non autem in dextera. Et quasi quis diceret : Quare tu non vindicas ? respondet :

VERS. 9. — « Dominus retribuet pro me, Domine, misericordia tua in sæculum : opera manuum tuarum ne despicias. »

Dominus retribuet, [Aug.] vel *retribues*, vel *retribue*, alia littera. Quasi dicat : Ego non retribuo, sed *Dominus retribuet pro me*, quia ego non possum, nec debeo. Unde Apostolus : *Non vosmetipsos defendentes, charissimi, sed date locum iræ* (*Rom.* xii). Unde : *Mihi vindictam et ego retribuam, dicit Dominus* (*Deut.* xxxii). Vel hic est alius intellectus non negligendus, et forte magis est intelligendus ; tangit illud quod in Evangelio legitur de Christo, qui cum vellet solvere censum pro se et pro Petro, illis qui tributum exigebant, dixit Petro : *Vade, et mitte hamum in mare, et piscem qui primo ascenderit tolle, et aperi os ejus, et invenies staterem, id est duas drachmas* (*Matth.* xvii). Stater enim genus est ponderis habens quatuor drachmas. Et addidit : *Da illis pro me et pro te* (*Ibid.*). Hcc specialiter fecit Christus, qui quod non rapuit, pro nobis solvit (*Coloss.* i). Christus ergo primus piscis, hamo mortis captus, primus surgens de mari, quia primogenitus a mortuis, in cujus ore invenimus duas didrachmas, id est quatuor drachmas, scilicet quatuor Evangelia, quibus a vexationibus hujus sæculi liberamur, ne jam debitores remaneamus. Ibi enim omnia peccata nostra solvuntur. Pro nobis ergo reddidit, qui pro se nihil debuit, in quo princeps mundi peccatum non invenit quare occideret (*Joan.* xiv). Ideo iste humiliter ait : Domine, retribue, etc., quasi dicat : Salvasti me, et hoc gratia tua, qua retribues pro me pretium redemptionis. Et, o *Domine, misericordia tua* est *in sæculum*, id est in æternum. Et ideo nolo diem hominis, qui temporalis est ; sed æternum per misericordiam tuam. Et, o Domine, *ne despicias opera manuum tuarum*, id est ne despicias nos quod homines sumus, quod creati a te sumus, vel quod justificati a te sumus, et creati in bonis operibus (*Ephes.* ii). Opera ergo tua in nobis videas, quia opera nostra si videris, damnas ; tua si videris, coronas.

COLLATIO IN PSALMUM CXXXVII : « CONFITEBOR TIBI, DOMINE, IN TOTO CORDE MEO, » etc.

VERS. 1. — *Quoniam audisti verba oris mei*. Hæc clausula non habetur in Hebr. A LXX est addita non continuo post ea verba : *Confitebor tibi in toto corde meo ;* sed interjecto versiculo, *in conspectu angelorum psallam tibi*. De ratione hujusmodi affatim dictum est. Et veteres manifeste legerunt, et interpretamentis suis ornarunt, *quoniam audisti verba oris mei*. Cujusmodi sunt Arnobius, D. Augustinus et Hilarius. Hieronymus quidem indicat non haberi in Hebræo. Nihilominus interpretatur.

VERS. 3. — *Magnificasti super omne nomen sanctum tuum*. In Hebræo pro eo quod est *sanctum tuum*, habetur *verbum tuum*. Sed et quidam ex junioribus censent faciendam esse diastolen post illam particulam *omne*, ac inter *nomen* et *verbum tuum* conjunctionem copulativam infulciendam. Quod si verum sit, ipsi viderint. Igitur ut res dilucidior fiat, referamus in medium multorum versiones. D. Hier., *magnificasti super omne nomen eloquium tuum ;* Pratensis, *magnificasti super omne nomen tuum eloquium tuum* ; Pellicanus et Sanctes consimiliter. Sed Munsterus, *magnificasti super omnia nomen tuum et eloquium tuum*. Nec ab eo recedunt interpretes pro Cajetano. Translator ad Campensem, *eloquium tuum secundum nomen tuum magnificas*. Paraphrasis, *multo namque plura, quam tu verbis tuis promiseras præstitit nobis augustissimum illud nomen tuum*. Quid circa hoc nobis sentiendum sit, audiamus Hieron. ad Suniam et Fretellam : « In Græco reperisse vos dicitis, ἐπὶ πάντας, id est *super omnes*. Sed in LXX legitur ὅτι ἐμεγάλυνας ἐπὶ πᾶν τὸ ὄνομα τὸ ἅγιόν σου, sicut et nos in Latinum vertimus. Cæterum apud Hebr. ita esse cognoscite, *quoniam magnificasti super omne nomen verbum tuum*. Juxta editionem autem Latinam, hic sensus est : *Quoniam magnificasti super omne nomen*, hoc est quod in cœlo et in terra : dici potest *sanctum* Filium tuum. » Hactenus ille. In Hebræo est אמרתך IMRATECA, *verbum tuum*. Et psal. ii legitur super Filio Dei : *Dominus dixit ad me*, ut magnifico illo sensu interpretatur Apostolus Hebr. I. Ac in Hebr. legis verbum אמר AMAR. Unde deflectitur quod hic dicunt *verbum tuum, sive eloquium tuum*.

VERS. 9. — *Retribuet pro me*. Sic Sanctes. D. Hier., *operabitur pro me*. Alii *perficiet pro me*. Munsterus *admiscuit quod placuit*, nempe pietatem suam. יגמר IGMOR, hoc est *retribuet, perficiet, operabitur*. Id valet et vocabulum significat. D. Hilarius interpretator de vindicta soli Deo servanda. Et August. itidem, alteram nihilominus superaddens interpretationem, quod solvendo pares non eramus, adeoque oportuerit Christum pro nobis miseris satisfacere. Chaldæus priorem modum de vindicta sequitur.

PSALMUS CXXXVIII.

PSALMI TITULUS : « IN FINEM PSALMUS DAVID. » A

Domine, probasti me et cognovisti me. Titulus : *In finem psalmus David.* [Aug.] Iste psalmus profunditate mysteriorum plenus est. Unde et obscurissimus est. Hæc autem obscuritas mysteriorum ex peccato primi parentis accessit, cui dictum est : *In labore et sudore vultus tui vesceris pane tuo* (*Gen.* III). Ex primo igitur peccato, hanc pœnam subimus, quod in sudore vultus nostri et labore manducamus panem, qui est Christus, qui ait : *Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi* (*Joan.* VI). Hic panis in prophetis est velatus, in Evangelio revelatus. Subest tamen labor, etiam nunc ad percipienda mysteria ejus. Loquitur autem in hoc psalmo totus Christus, tanquam unus et integer vir, propter nimiam unionem capitis et corporis, quæ unio significata B est in primorum parentum conditione, quia et femina de viro facta est, et dictum est : *Erunt duo in carne una* (*Gen.* II). Quod exponens Apostolus dicit magnum sacramentum hoc esse in Christo et in Ecclesia (*Ephes.* V). Unde vere dicitur, quod jam non duo sunt Christus et Ecclesia, sed una caro, quia Christus de nobis carnem suscepit, non una divinitas nobiscum est, quia ille Creator, nos creatura. Quidquid ergo hic loquitur ex persona susceptæ carnis, et ad caput pertinet, quod jam ascendit in cœlum, et ad membra, quæ adhuc peregrinantur in terra, ut sint duo in voce una, sicut sunt duo in carne una. Quantum vero ad membra, loquitur in persona superioris captivi, qui jam spe in Jerusalem restitutus, memor discessionis suæ, in C qua Deum latere non potuit, in qua et eum secuta est manus Domini. Deliberat non esse ulterius ab eo fugiendum, sed ad eum per eum, et ab irato ad placatum. Unde sibi magna bona dicit esse, et quod non nocent sibi mala sæculi. Et hoc dicit ex persona totius humanæ naturæ revertentis ad Deum, tanquam ex voce prodigi filii de longinqua regione redeuntis ad Patrem (*Luc.* XV). Sensus tituli talis est : *Psalmus* iste dirigens nos *in finem*, id est Christum, attribuitur *David*, id est toti Christo, in cujus persona loquitur hic Propheta. Intentio. Monet non fugere a Deo, sed ad eum per eum. Modus. Quatuor sunt partitiones. Primo agit de notitia Dei, quæ comprehendit omnia opera, et reversi, et exsulantis, quæ cogit eum qui latere non potest reverti, maxime cum manus Dei ibi eum tetigerit. Secundo D dicit non esse a Deo fugiendum, sed ad ipsum, ibi, *quo ibo*. Tertio quanta sit exsultatio revertenti ad Deum dicit, ibi, *confitebor tibi*. Quarto quomodo ei mali non noceant, aperit, ibi, *si occideris*. Ait ergo Propheta ex persona capitis loquentis ad Patrem : O

VERS. 1. — « Domine, probasti me et cognovisti « me ; tu cognovisti sessionem meam, et resurre« ctionem meam. »

Domine. [Aug.] Quasi dicat : Hoc dicit Christus Patri secundum quod homo. Non enim Dominus ejus est Pater ejus, nisi quia dignatus est nasci secundum carnem : Pater est Dei, Dominus est hominis. Ergo quia Pater et Dominus est, Pater est formæ Dei, Dominus est formæ servi : unus tamen et idem Dei et hominis filius. Qui secundum quod homo, ad Patrem ait : *Domine, probasti me* experimentis ut in passione, *et cognovisti me*, ut in resurrectione. Non dicit eum novisse tunc, quod ante non noverat ; sed aliis tunc notum fecit, quem ante non fecerat; ita et probatum aliis ostendit. *Et tu, Domine, cognovisti*, id est voluisti, approbasti, secundum voluntatem tuam factum est. Quid cognovisti ? *sessionem meam*, id est humilitatem in passione, *et resurrectionem meam*, id est glorificationem in resurrectione. Potest et hoc accipi ex voce membrorum. Ut enim Christus caput sedit et resurrexit, sic et sui sedent. Humiles in patientia, surgent erecti in spe vitæ æternæ. Item, sedent confitentes peccata sua ; surgent justificati gratia. Dicamus ergo et nos : Domine probasti me et cognovisti me, quod postea exponit, scilicet tu cognovisti sessionem meam, quod in humilitate patientiam habeo, et peccata confiteor. Et resurrectionem meam, scilicet quod per gratiam justificatus surgo, et in spem vitæ æternæ erigor.

VERS. 2. — « Intellexisti cogitationes meas de « longe ; semitam meam et funiculum meum inve« stigasti. »

Intellexisti. [Aug.] Hoc prius ex persona membrorum, ubi incipit agere de exsilio suo, sub similitudine prodigi filii. Quasi dicat : *Probasti me, et cognovisti me*, et etiam, *intellexisti cogitationes meas de longe*, vel de longinquo, cum adhuc in peregrinatione sum, antequam ad patriam veniam, ut filio minori redeunti occurrit pater, quia intellexit ejus cogitationes de longinquo, qui apud se dixerat egestate confectus : *Surgam, et ibo ad patrem* (*Luc.* XV). Hanc cognitionem præcognoscens, pater ei occurrit. *Et intellexisti semitam meam*, scilicet malam, quam tanquam occultus ivi, patrem meum deserens, *et investigasti funiculum meum*, vel limitem, scilicet quousque perveni, longe quidem ieram : sed tu ibi eras, a cujus oculis longe non eram, ut deprehensus fugitivus loquitur sequente se legitima vindicta Dei vindicantis.

VERS. 3. — « Et omnes vias meas prævidisti, « quia non est sermo in lingua mea. »

Et omnes vias meas, [Aug.] id est opera, *prævidisti ;* **296** et hoc antequam irem eas ; et permisisti ire in laborem, ut redirem si nollem laborare. Hoc modo fateor, *quia non est sermo*, sine veritate scilicet ; vel, *dolus*, alia littera, *in lingua mea*, id est in lingua mei, jam gratia tua justificati. Et vere prævidisti omnes vias meas, quia

VERS. 4. — « Ecce tu, Domine, cognovisti omnia,

« novissima et antiqua ; tu formasti me, et posuisti A
« super me manum tuam. »

Ecce tu, Domine, cognovisti omnia, scilicet *novissima* mea, quando porcos pavi, *et antiqua*, quando partem substantiæ petii. Hoc secundum parabolam, sed mystice antiqua nostra fuerunt, quando per antiquum peccatum lapsi sumus. Novissima est hæc pœna, scilicet quando in hanc mortalitatem venimus, scilicet quæ est ultima, si redire velimus, alioquin restat æterna, *tu formasti me* ad istos labores, ad quos omnes nati sumus. *Et posuisti* vel gravasti, *super me manum tuam*, vindicem gravantem, superbum, salubriter ut erigat humilem, et in gravata manu,

VERS. 5. — « Mirabilis facta est scientia tua ex
« me, conforta est, et non potero ad eam. » B

Mirabilis facta est scientia tua ex me, [Aug.] id est ex peccato meo, mira et incomprehensibilis facta est mihi scientia tua. Mihi enim non facile est contemplari te, quem superbus reliqui, ut prius erat, cum essem apud te, quando dixi : *Da mihi portionem substantiæ meæ. Confortata est* vel invaluit, adeo quod, *et* ego *non potero ad eam* attingere ex me. Ecce in his verbis gentilis populus suæ cæcitatis recordatur, quæ non solum super Judæos, sed etiam super gentes olim invaluit, unde et eadem verba, quæ in Exodo Judæorum cæcitatem significant, ponit hic, scilicet, *posuisti super me manum tuam*. In Exodo enim legitur Dominus dixisse Moysi : *Non poteris videre faciem meam, sed ponam te in foramine petræ, et protegam te dextera mea, donec transeam, tollamque* C *manum meam; et cum transiero, posteriora mea videbis* (*Exod.* XXXIII). Moses est Judaicus populus; manus Domini super eum, ut non videat faciem transeuntis, cæcitas est in Judæis, ut non cognoscant divinitatem Christi, donec per passionem pertransiit de hoc mundo ad Patrem ; post transitum tollit Dominus manum suam, et vidit Moses posteriora sua, quia post resurrectionem ablata est cæcitas eorum qui crucifixerant Dominum. Sicut ergo super gentilem populum posita manu Dei, incomprehensibilis facta est scientia Dei, ita gravata manu super Mosen, id est Judæos, non potuerunt videre Christum esse Deum, donec transiit ad Patrem. Tunc enim prædicante Petro multi de illis conversi sunt. *Conclusit* ergo *Deus omnia in infidelitate, ut omnium miserea-* D *tur* (*Rom.* II).

VERS. 6. — « Quo ibo a spiritu tuo ? et quo a
« facie tua fugiam. »

Quo ibo ? [Aug.] Secunda pars, ubi jam deliberat non esse a Deo fugiendum, sed ad eum, ab irato, ad placatum, quod erit per ipsum. Quasi dicat : Et cum fugitivus te non lateo, cujus limitem vides. *Quo ibo a spiritu tuo*, quo plenus est mundus ? Spiritus enim Domini replevit orbem terrarum, sicut legitur in libro qui Sapientia Salomonis inscribitur (*Sap.* I). *Et quo a facie tua*, id est ab ira tua vel præsentia, *fugiam ?* Se vertit hac et illac, quasi quærens locum fugæ, et dicens :

VERS. 7. — « Si ascendero in cœlum, tu illic es,
« si descendero ad infernum, ades. »

Si ascendero. [Aug.] Quasi dicat : Quo fugiam te iratum ? nusquam, quia *si ascendero in cœlum, tu illic es*, id est, si me superbiendo extulero, invenio te repressorem ; si justitia mea superbiero, tu ibi es ad percutiendum, cujus est vera justitia. Item : *Si descendero ad infernum*, id est si peccando venero in profundum malorum, et nolens confiteri dicam : Quis me videt ? etiam illic *ades* ut vindices. Quo ergo iturus sum, ut faciem tuam fugiam ? id est te iratum non sentiam ? invenit iste consilium.

VERS. 8. — « Si sumpsero pennas meas diluculo ;
« et habitavero in extremis maris. »

Si sumpsero pennas meas. [Aug.] Quasi dicat : Quæro quo fugiam, sed sic potero fugere iratum, scilicet *si sumpsero pennas meas*, id est duas alas charitatis, quas perdideram. Et hoc *in diluculo* virtutum, vel *in directum*, alia littera, scilicet ut nec erigar superba præsumptione, nec mergar desperatione. *Et* si *habitavero* mente, non in medio, ubi mergerer, sed *in extremis maris*, id est in fine sæculi, non ut sæculum amem, sed ejus finem, in quo sit mihi requies. Illuc ergo jam volemus spe et desiderio, habentes alas geminæ charitatis ; sed et ipse illuc nos ducit. Unde subdit :

VERS. 9. — « Etenim illic manus tua deducet me,
« et tenebit me dextera tua. »

Etenim illuc. [Aug.] Quasi dicat : Et potero habitare, *etenim illuc manus tua deducet me*, ut erigar, quasi in aere, non tangens cœlum per elationem, nec terram per desperationem. *Et tenebit me*, ne recidam, sed perseverem, *dextera tua*, id est gratia tua. Considerans autem longinquitatem viæ, et qualiter abundante iniquitate refrigescit charitas (*Matth.* XXIV), subdit :

VERS. 10. — « Et dixi : Forsitan tenebræ conculcabunt me ; et nox illuminatio mea in deliciis
« meis. »

Et dixi : Forsitan. [Aug.] Quasi dicat : Ita cogitavi volare, etc. Et cum cogitarem, *dixi* mihi : *Forsitan tenebræ*, scilicet tot mala sæculi, *conculcabunt me*. Abundat enim iniquitas sæculi, qua pennæ charitatis refrigescere possunt. Et quia in nocte desperavi transire mare, id est per me, ideo *et nox* facta est *illuminatio mea*, id est hæc tota misera vita facta est mihi illuminatio. Et hoc, *in deliciis meis*, id est per delicias meas. Nostræ deliciæ Christus est, de quo exsultamus. Venit enim mulier, scilicet sapientia Dei, quæ drachmam, ubi est imago regis, id est hominem factum ad imaginem Dei, perdiderat, et accendit de se lucernam, quæ de luto est, id est carnem luce divinitatis replevit, noctemque illuminavit, et nocte illuminata invenit drachmam (*Luc.* XV). Vel ita : Nox, quæ prius erat horror, est illuminatio mea in deliciis meis, id est illuminata est, deliciæ meæ. Et bene dico quod a te est illuminata,

VERS. 11. — « Quia tenebræ non obscurabuntur

« a te, et nox sicut dies illuminabitur ; sicut tenebræ « ejus, ita et lumen ejus. »

Quia tenebræ, [Aug.] id est peccata et homines mali, qui cum peccant, utique sunt tenebræ, *non obscurabuntur a te*, sed flagellando erudis homines, ut confiteantur peccata, et confitentes vera luce illuminas. Qui enim non confitetur peccata, tenebras suas tenebrat ; sed si confitetur, Deus illuminat, *et*, o Domine, *nox* hujus noctis *illuminabitur* a te, *sicut* et *dies* ejus noctis. Notandum quod nox illa quam supra posuit, id est hæc vita misera, et noctem habet et diem. Hujus enim nostræ noctis, id est humanæ vitæ miseræ nox, est sæculi adversitas, dies ejusdem prosperitas. Sed si Deus inhabitat in anima promittens aliam lucem, illuminat noctem hujus noctis, sicut diem docens, scilicet non lætari prosperis, vel frangi adversis. Et tunc incipit homo his indifferenter uti. Et sic est ei nox hujus noctis, ut dies ejus ; et in omni tempore benedicit Deum, ut Job. *Sicut tenebræ*, etc. Quasi dicat : et cum hoc sit, *sicut tenebræ ejus* noctis sunt mihi, id est adversa, *ita* indifferenter, *et lumen ejus*, id est prospera. Et si hoc est, tenebræ non conculcabunt me, quem lumen non extollit. Et quasi quis diceret : Unde in hæc differentia est tibi ? respondet,

VERS. 12. — « Quoniam tu possedisti renes meos, « suscepisti me de utero matris meæ. »

Quoniam tu, o Domine, *possedisti renes meos*. [Aug., Gl. int.] Quasi dicat : hæc indifferentia est mihi, quia interior possessor non solum cor, id est cogitationes, tenet, sed etiam renes, id est delectationes, ut non delectet me lux noctis, sed lux sapientiæ. Dico, possedisti, *et suscepisti me*. Præpostere hic dicit. Prius enim est suscipere quam possidere. Suscepisti, inquam, *de utero matris meæ*, [Aug.] id est consuetudine civitatis meæ Babyloniæ, in qua prius sum natus, sum captivus ; ubi non indifferenter habebam lucem et tenebras noctis.

Aliter ab illo loco : *Si ascendero*. Et legitur similiter in persona membrorum, quasi dicat : Nescio quo fugiam a facie tua, quia, *si ascendero* mente *in cœlum*, id est ad supercœlestes angelos, *tu illic es*, quia quod perstitit angelus, tuum est. Et, *si descendero ad infernum*, id est ad eos angelos qui non perstiterunt, *illic* etiam *ades*, per vindictam ; et *si sumpsero pennas meas*, id est, bona facere volo, in diluculo, virtutum ; *et si habitavero in extremis maris*. Hoc non mutatur, scilicet *ades*. Quasi dicat : Non sine te possum hoc facere, et vere : *Etenim illic manus tua deducet me, et tenebit me dextera tua*, hoc non mutatur. *Et dixi*, id est deliberavi, etiam sic : *Forsitan tenebræ conculcabunt me*. Tenebras dicit illam inferiorem partem rationalis creaturæ, nobis contrariam insistentem, scilicet iniquos homines, vel carnem, unde timet. Et est, tenebræ conculcabunt me, id est inferior rationalis creatura, tenens sinistram viam, forsitan conculcabunt me. Ita timebam, sed, et nox facta, *illuminatio mea*, erit *in deliciis meis*, id est illi etiam qui prius nox erant illu-

A minati, erunt in diliciis meis. Bene dico illuminati, *quia tenebræ*, id est peccatores, *nec obscurabuntur a te*, sed illuninabuntur ; *et nox*, id est peccator de gentibus, *illuminabitur* a te *sicut dies*, id est sicut sancti de Judæis. Dico quod nox illuminabitur Deo. *Et sicut* sunt *tenebræ ejus*, noctis, *ita et lumen ejus*, Dei. Quatenus namque agnoscis tenebras tuas, eatenus Deus ignoscit. Sed unde hæc prædicta mihi ? *Quia tu possedisti renes meos, suscepisti me de utero matris meæ*. Hæc non mutantur.

VERS. 13.— « Confitebor tibi, quia terribiliter ma« gnificatus es ; mirabilia opera tua ; et anima mea « cognoscet nimis. »

Confitebor tibi. [Aug.] Tertia pars, ubi dicit quanta est exsultatio et multiplicatio revolanti ad
B Deum, Deo illuminante et renes possidente. Quasi dicat : Quia suscepisti me, ideo *confitebor tibi*, id est laudabo te, *quia terribiliter magnificatus es*, vel *mirificatus es*, id est eo ipso quo te miramur terribilis es, et ita cum tremore gaudemus, quia timemus ne superbi perdamus quod humiles percipimus. *Et mirabilia* sunt *opera tua*, non modo tu es mirabilis ; *et anima mea non cognoscet nimis*, vel *valde*. Jam cognoscit anima mea valde, ante erat mira scientia tua ex me, nec poteram ad eam, sed modo possum, quia noctem illuminasti, renes possides, de utero suscepisti, id est quia venit mihi gratia tua et illuminavit me. Et merito cognoscit, quia

VERS. 14. — « Non est occultatum os meum a te
C « quod fecisti in occulto ; et substantia mea in in« ferioribus terræ. »

Os meum quod fecisti in occulto, non est occultatum a te [Aug.] Os hic dicitur ab osse, non ab ore. Est ergo quædam firmitas interior, quæ est abscondita hominibus ; sed tu qui fecisti eam, vides quæ frangi non potest. Occidi enim possunt sancti, sed flecti nequeunt. Unde hominibus tristes esse extra videbantur ; Deo autem, qui intus videt, gaudent. Unde Apostolus : *Quasi tristes, semper autem gaudentes* (*II Cor*. VI) *et substantia mea* et *in inferioribus terræ*, id est ego subsisto in carne corruptibili, et tamen os non cedit malis hujus regionis inferioris. Non ita mirum est si angelus est fortis, quoniam si caro est fortis, quod est ex osse occulto.

D VERS. 15.—« Imperfectum meum viderunt **297**
« oculi tui ; et in libro tuo omnes scribentur, dies « formabuntur et nemo in eis. »

Imperfectum meum. [Aug.] Qui hucusque locutus est ex persona corporis, hic jam loquitur in persona capitis in eadem voce. Quasi dicat : Mihi fecisti os occultum, sed quid de his fiet in quibus non est hæc fortitudo ? Christus qui ab initio psalmi cœpit loqui, post interposita membrorum verba, item dicit Patri ex persona sua : *Et imperfectum meum viderunt oculi tui*, quia etiam titubantes respicit Deus misericorditer, ut Petrum, ne pereant. *Et in libro tuo*, scilicet in me, quem dedisti formam justitiæ hominibus, *scribentur*, id est instruentur,

et nominabuntur, omnes, non modo perfecti, sed et imperfecti. Non ergo desperent.

[Hilar.] Aliter ab illo loco : *Intellexisti*, et legitur ex persona capitis, scilicet Christi, qui secundum quod homo loquitur Patrem, sicut in primo versu cœpit. Quasi dicat : Probasti me et cognovisti me, intellexisti etiam cogitationes meas de longe, præscientia deitatis hic ostenditur, quæ de longe intelligit, non loco, sed tempore, quia omnia antequam sint videt. *Intellexisti cogitationes meas, semitam meam et funiculum meum investigasti.* Semita ad tacitas cogitationes pertinet, directio ad justa judicia. [Cassiod., Gl. int.] Vel semitam dicit arctiora præcepta, quæ servare docuit; funiculum hæreditatem æternam, quam pro illis observatis promisit. Et omnes vias meas prævidisti. [Hilar.] Viæ pertinent ad humanos actus, quibus in mundo conversatus est. Hæc omnia dico te novisse, quia dolus non est in lingua mea, ut in lingua Adæ et filiorum ejus : ego autem non nisi veritatem loquor, quamvis dixerim quædam quæ videntur sibi adversa, ut illud : *Pater major me est* (*Joan.* XIV), et illud : *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X), quæ non esse contraria ei advertit, qui quid secundum quid dicatur, animadvertit. Secundum humanitatem namque Pater major Filio; secundum divinitatem æqualis est Patri Filius, et cum eo unum. Et vere non est dolus, quia *ecce*, Domine, *tu cognovisti omnia novissima*, de incarnatione, *et antiqua*, scilicet quæ sunt de æterna divinitate. Novissimum est Verbum caro factum (*Joan.* I), scilicet puer natus est nobis (*Isa.* IX); antiquum, *in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum* (*Joan.* I). [Alcuin.] Hæc sunt nova et vetustissima, de quibus in Levitico Moses ait : *Vetustissima veterum comedetis, et novis supervenientibus vetera abjicietis* (*Levit.* XXVI). Alia sunt vetera, alia sunt nova, alia vetustissima. [Hilar., Cassiod.] Vetera sunt promissiones legis et prophetarum de venturo tunc Christo. Nova sunt promissionum impletio, veritatis exhibitio. Vetustissima, quæ ad divinitatis æternitatem pertinent. [Alcuin.] Novis ergo supervenientibus vetera sunt projicienda, sed vetustissima servanda, quia exhibita veritate Dominici adventus, figura et promissio cessare debent. Inde est quod tres missæ in natali celebrantur. In prima de æterna Filii genitura cantatur : *Dominus dixit ad me*; in secunda, de promissione adventus : *Lux fulgebit*, etc.; in tertia, de impletione promissionis : *Puer natus est nobis*. Et quia idem ille qui est Dei Filius, factus est hominis filius, ideo in illo missæ officio ubi cantatur de æterna genitura, *Dominus dixit ad me*, etc., legitur evangelium de temporalis Christi nativitate : *Liber generationis*; et in missa ubi cantatur de temporali Christi nativitate, legitur evangelium agens de æterna Verbi genitura. Cantatur enim : *Puer natus est nobis*; et legitur : *In principio erat Verbum*. Et quia veritate exhibita figuræ cessare debent, ideo officium missæ ad promissionem pertinens sequentibus diebus non repetitur, sed illud quod pertinet ad promissionis completionem, scilicet *Puer natus est nobis*.

Hæc ergo sunt novissima Christi et antiqua, quæ novit Pater et cui Filius revelat, quæ abscondit a sapientibus et prudentibus (*Matth.* XI), id est de scientia intumescentibus, Scribis scilicet et Pharisæis omnibusque hæreticis, [Hilar.] qui novissima et antiqua in Christo recipere refugiunt. *Tu formasti me*, secundum hominem, *et posuisti super me manum tuam*, ut juvares me. Unde : *Manus enim mea auxiliabitur eum* (*Psal.* XVIII). Quam manum non posuisti super primum hominem. *Et scientia tua ex me*, [Cassiod., Gl. int.] id est per meam prædicationem *facta* est mirabilis, hominibus. Scientia enim Patris per Christum prædicata facta est mirabilis hominibus, quibus tot arcana patuerunt. Per illum vero, scilicet per primum hominem, despicabilis fuit. Et *confortata est*, in pectoribus hominum, cum firmiter crediderunt; sed per illum, scilicet Adam, infirmata est. *Et* tamen *non potero* ad eam, [Hilar., Cassiod.] ex eo quod homo, veritas humanæ conditionis ostenditur, cum ait, *non potero ad eam*, quia homo assumptus divinæ substantiæ non potest æquari in scientia vel in alio. Deinde ostendit præsentiam Dei nihil posse latere, subdens : *Quo ibo a spiritu tuo et quo fugiam a facie tua ?* id est a præsentia tua fugiam ? nusquam. Quia *si ascendero in cœlum*, ut in ascensione fecit, *tu illic es*, ubi sum locandus ad dexteram tuam. Et *si descendero ad infernum*, ut fecit cum expiravit, *ades*, cujus virtute debellavit aereas potestates. Et *si sumpsero pennas meas*, quæ potestatis meæ sunt, id est efficaciam deitatis, qua corpus de sepulcro levavit, et hoc *diluculo*, id est ante lucem, *et habitavero in extremis maris*, id est super finem sæculi, tu ades. Has utique pennas sumpsit Christus ante lucem, id est tempore resurrectionis, et habitavit in extremis maris, super sæculi amplissimum finem. Et vere ades; *etenim illuc manus tua deducet me, et tenebit me dextera tua*, id est Filius tuus, scilicet Verbum mihi unitum. *Et dixi* hoc : *Forsitan tenebræ conculcabunt me*. Ironia est, et irrisio opinantium hæc, quod ipse qui est lux mundi conculcetur a tenebris. Non ergo dubitative hoc dicit, sed ad irrisionem illorum qui hæc opinantur. Ac si diceret : Utique hoc non facient, sed ego potius eas conculcabo, quia auferam cæcitatem. *Et*, id est quia, et *nox* erit *illuminatio mea*, id est illi qui prius erant nox, illuminabuntur a me, et illuminati erunt, *in deliciis meis*. Et vere nox est illuminatio, quia *tenebræ*, id est mystica Scripturarum, *non obscurabuntur a te, et nox*, [Cassiod.] id est tenebrosus et obscurus sermo, *illuminabitur sicut dies*, id est patebit sicut apertus sermo, et *sicut* sunt *tenebræ ejus*, Scripturæ, *ita et lumen ejus*, quia in utrisque, scilicet in apertis et in opertis, similis veritas est, et utraque per Christum revelata sunt. [Hilar., Cassiod.] Ideo

tenebræ non conculcabunt me, *quia tu possedisti renes meos*, ut sine peccato fieret conceptus meus et ortus ; *et suscepisti me de utero matris meæ*, virginis ; tua enim operatione totum factum est hoc. Ideo *confitebor* tibi, id est laudabo te, *quia terribiliter* per me *magnificatus es*, per illum, scilicet Adam, decidit homo. Per me eminuit quam sis magnificus. Et *mirabilia* sunt *opera tua*, circa me, ut patuit in passione et in resurrectione et in cæteris. *Et anima mea cognoscet nimis*, quia nemo novit Patrem nisi Filius (*Matth.* XI). [Gl. int.] Et *non est occultatum os meum*, id est divinitas, *a te*, *quod fecisti in occulto*, id est fecisti malis occultum : *et substantia mea*, secundum hominem est, *in inferioribus terræ*, id est de fragili terra. [Aug.] Ille primus homo inter angelos creatus fuit, nec tamen stetit. Ego inter peccatores natus non peccavi. Et ideo, scilicet propter prædicta, *oculi tui viderunt*, misericorditer *imperfectum meum*, id est imperfectos, non modo perfectos, [Gl. int., Haym.] et *in libro*, scilicet in me, *omnes scribentur*, hoc non mutatur. Et *dies*, id est majores, ut apostoli, scilicet de quibus dicitur : *Dies diei eructat verbum* (*Psal.* XVIII), *formabuntur*, in me, a quo perfectionem gratiæ sumunt ; *et nemo*, meorum formabitur, *in eis*, quia non dicuntur esse Petri vel Pauli, sed Christi, a quo Christiani dicuntur. Sed tamen

VERS. 16. — « Mihi autem nimis honorificati sunt « amici tui, Deus ; nimis confortatus est principatus « eorum. »

Mihi autem nimis, [Gl. int.] id est valde *honorificati sunt*, quia sunt *amici tui*, o *Deus*, *et principatus eorum confortatus est nimis*, ultra quam dici possit. [Aug.] Vel *nimis*, ponit pro *valde*. Vel ita, ubi habetur : *Dies formabuntur*, secundum aliorum editionem legitur alia littera, scilicet, *per diem errabunt*, *et nemo in eis*. Dies hic manens adhuc Christus erat, unde dicebat : *Ambulate*, *dum lucem habetis (Joan.* XII), qui inter suos multa mira fecerat, et tamen imperfecti trepidabant, ut Petrus, ne in morte eum perderent (*Matth.* XXVI). Et hoc est quod hic ait, *omnes scribentur*, sed tamen per diem errabunt. Imperfecti adhuc, id est de Christo non recte sentientes, errabunt. Et nemo prorsus fuit in eis, qui non erraret, nec etiam ille qui dixerat : *Tecum ero usque ad mortem* (*Matth.* XVI) ; scilicet Petrus, qui illum confessus fuerat Dei Filium, sed tunc timuit, ne sicut hominis filius moreretur, et non resurgeret ut Dei Filius. Erat utique Filius Dei, erat et filius hominis Filius Dei erat in forma Dei, Patri æqualis ; filius hominis in forma servi, in qua Patre minor est. Timuit ergo Petrus, ne in forma servi periret forma Dei, et non potius præsumpsit, quia forma Dei reviviisceret ex forma servi. Per diem ergo erraverunt, cum hic positum Dominum non intellexerunt ; sed non perierunt, quia imperfectum meum viderunt oculi tui. Et scilicet errabunt, *mihi* tamen *nimis honorificati sunt*. Idem ipsi qui errabunt, et ipsi in quibus nemo fuit, qui non erraret. *Amici tui facti sunt*, o Deus, et *mihi honorificati sunt nimis*, quia factum est in illis os in occulto post resurrectionem, quando sunt induti virtute ex alto. Quo confirmati verbum Dei ubique prædicaverunt, et pro ejus nomine passi sunt, in cujus passione trepidaverunt. *Et nimis confortatus est principatus eorum*, quia facti sunt apostoli duces, et greges, et pastores Ecclesiæ.

VERS. 17. — « Dinumerabo eos, et super arenam « multiplicabuntur ; et surrexi, et adhuc sum te« cum. »

Dinumerabo eos. [Aug.] Quasi dicat : Merito eos confortavi, quia ego, non aliquis homo, dinumerabo eos, quos in fide genuerunt. *Et* ipsi enumerati *super arenam multiplicabuntur*. Quasi dicat : Tam innumerabiles sunt nati per illos qui per diem erraverunt, quam innumerabilis est arena. Dum ait dinumerabo, ostendit quod Deo numerabiles sunt ; subdens vero, super arenam multiplicabuntur, ostendit nobis innumerabiles esse. Vel ita dico : *Confortatus est principatus eorum*, et putasne paucos bonos per eos esse natos ? [Hilar.] Ne putes, quia *dinumerabo eos*, qui sunt stellæ, scilicet bonos. *Et multiplicabuntur super arenam*, id est super Judæos, qui propter sterilitatem arena dicuntur. Unde in promissione dictum est Abrahæ : *Multiplicabo semen tuum*, *sicut stellas cœli*, *et sicut arenas maris* (*Gen.* XXII). Per stellas populus Christianorum intelligitur, qui numerosior est populus Judæorum, qui arenæ comparantur propter sterilitatem. Et hoc totum ideo, *et*, id est quia, *surrexi* a morte *et adhuc sum tecum*, [Aug.] nondum cum ipsis per notitiam, quia nondum agnoscunt, quia non mox post resurrectionem Christum agnoverunt, sicut in Evangelio legitur. Vel ita : surrexi, et adhuc, id est toto tempore vitæ præsentis, tecum sum, id est occultus ad dexteram tuam, donec omnibus videar in judicio. Toto enim hoc tempore Christus in occulto est ad dexteram Patris antequam reveletur in ea claritate in qua venturus est. Vel ita, surrexi, a morte. Hoc non mutatur. [Alcuin.] Et adhuc, id est post mortem, sum tecum, sicut ante mortem. Quod putaverunt se tulisse Judæi. Vel ita, et adhuc, scilicet in ipsa morte, sum tecum : quod non videtur de mortuo. Vel ita, ego surrexi, et licet resurrectio sit signum divinitatis, tamen adhuc sum occultus pluribus, tecum, id est ut tu. Deinde subdit ex persona membrorum quid interea patitur, per commistionem malorum in Ecclesia, et per separationem hæreticorum, dicens :

PARS II. VERS. 18. — « Si occideris, Deus, « peccatores, viri sanguinum, declinate a me. »

Si occideris. [Aug.] Quarta pars, ubi dicit quomodo a malis non noceatur ei. Ordo verborum talis est : Quasi dicat : *Tecum sum*, sed tamen adhuc patior ab hæreticis in corpore meo, quod est Ecclesia, quia, o *Deus*, *si*, id est quando, *occideris peccatores*, id est hæreticos, qui fastu superbiæ se ab aliis corporaliter dividunt, qui occiduntur, cum per su-

perbiam qua tumescunt, amittunt gratiam. Accipiant, vel accipient, ipsi occisi in vanitate, civitates suas, id est populos **298** suos vanos, eorum vanitatem sectantes, qui ipsos nomine justitiæ inflatos sequuntur, dirupta unitate. Est autem occasio inflatis hæreticis, seducentibus populos, separandi se et illos ab unitate, talis scilicet quia mali ibi, id est in Ecclesia sunt, quibus nolunt misceri. Et sunt vere in Ecclesia, non modo boni quos infamant, sed et certe mali. Et hac occasione, se et alios a bonis dividunt corporaliter. Et etiam ideo, quia Deus monet bonos, ut a malis se separent. Ideoque interponit, *viri sanguinum, declinate a me.*

VERS. 16. — « Quia dicitis in cogitatione : Accipiant in vanitate civitates suas. »

Quoniam dices alia littera *in cogitatione.* [Aug.] Quasi dicat : Ideo *accipient* hæretici *in vanitate civitates suas*, id est, ideo seducent in separatione propria populos, *quia* tu, o Deus, *dices*, id est immittes, *in cogitatione*, justi, ut dicat malis hoc : *Viri sanguinum, declinate a me*, id est, quia mones bonos ut a malis se separent, non utique loco, non corpore, sed mente, non aperte adhuc, ne et bonos deserant; sed puritate vitæ. Quod autem modo dicit Deus malis in cogitatione bonorum, in judicio dicet aperte : *Amen dico vobis, non novi vos* (*Matth.* VII). Hæretici ergo qui innocentes sæpe infamant, quos tanquam malos se fugere simulant, videntes malos inter quos triticum gemit, usurpant hanc auctoritatem, et dicunt imperitis ut separent se a malis corporaliter, qui cum bonis sunt; quia Deus monet justos, ut dicant, viri sanguinum, declinate a me. Et ideo nisi id fecerint quod Deus monet eos, non esse justos dicunt; sed non sicut hæretici putant, illud monet Deus. Non enim monet ut ante novissimam ventilationem, ut putant hæretici, se corporaliter dividant a malis, sed per vitæ dissimilitudinem se sejungant a viris sanguinum. Viri autem sanguinum sunt qui oderunt fratres, sicut Joannes dicit : *Qui odit fratrem suum, homicida est* (*I Joan.* III).

VERS. 20 — « Nonne qui oderunt te, Domine, « oderam, et super inimicos tuos tabescebam? »

Nonne qui oderunt te. [Aug.] Quasi dicat : Hæretici non intelligentes accusant in bonis communionem malorum. Sed quid mihi calumniantur, dicit corpus Christi de commistione malorum? Nonne etiam misti illis separati sumus ab illis? quod ita ait : *Nonne, o Domine, oderam* illos *qui oderunt te?* Cur exigunt a me corporalem a malis ante tempus messis separationem, ut ante tempus ventilationis perdam tolerantiam sustinendi paleam? ut antequam omnia genera piscium ad finem sæculi, tanquam ad littus separanda perveniant, retia pacis unitatisque dirumpam? (*Matth.* XIII.) *Et* nonne *super inimicos tuos* quos videbam præterire legem tuam *tabescebam?* utique zelo domus tuæ vidi insensatos. Et tabescebam. Quasi dicat : Sacramentis malorum, non factis communico. Et zelo domus tuæ super eos tabesco, sed tamen

A VERS. 21. — « Perfecto odio oderam illos; inimici facti sunt mihi. »

Perfecto odio oderam illos, [Aug.] id est, iniquitates eorum odi, non naturam. Hoc est perfecto odio odisse, ut nec propter vitia homines oderis, nec propter homines vitia diligas. Quomodo ergo commistione malorum contaminor, sicut calumniantur mihi hæretici? de quibus adjungit : Et *inimici facti sunt mihi*, non tantum Dei, sed et mei inimici sunt in quo illos odio habeo.

VERS. 22. — « Proba me Deus, et scito cor meum; « interroga me, et cognosce semitas meas. »

Proba me, Deus. [Aug.] Hucusque egit de hæreticis et aliis eos sequentibus ab Ecclesia separatis, nunc etiam agit de malis vel fictis sibi conjunctis,
B quos patitur Ecclesia et gemit. Quasi dicat : Hæretici se et alios separant. Ergo cum separatis hæreticis, et suis sequacibus restent mali inseparati, inter quos gemit Ecclesia, quos et patitur, quid ait ipsa? Vide quid, o tu Deus, *proba me, et*, pro id est, *scito cor meum*, quia non consentio factis malorum, tu Deus, proba, tu scito quod non potest homo non hæreticus, qui nec probare novit, nec scire cor meum; sed tu solus qui rimaris occulta cordium. Ecce quid ait proxima Christi inter filias. Hæ sunt voces ejus : *proba me*, Deus, et *scito cor meum.* Hæc conscientia munda est, et species filiæ regis intrinsecus est, quæ est inter filias, ut lilium inter spinas (*Cant.* II). Quasi dicat : Illi sunt inimici; tu vero, Deus, proba me, et scito cor meum. *Interroga me*, ut negare non possim. Quasi dicat : Quæstionibus
C interrogatus, non potest negare quæ gesta sunt; *et cognosce semitas meas*, id est perscrutare consilia et cogitationes. Ut quid? ecce :

VERS. 23. — « Et vide si via iniquitatis in me « est; et deduc me in via æterna. »

Et vide si via iniquitatis in me est, [Aug.] faciendo vel consentiendo. Si quid autem inveneris in via mea, quod oculis tuis displiceat, quia via mea mortalis est. Tu *deduc me in via æterna,* quæ est Christus. Christus enim æternus est, qui dixit : *Ego sum via, veritas et vita* (*Joan.* XIV). In hac ergo via nulla est iniquitas, quia si quis peccat, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum (*I Joan.* XIV).

Vel ex persona capitis potest accipi ab illo loco : *Si occideris.* [Haym., Gl., int.] Quasi dicat : Et quia
D *surrexi et tecum sum*, ideo, o Deus Pater, *si occideris* peccatores, in futuro dicens, *viri sanguinum, declinate a me*, ideo, *quia dicitis* de præconibus meis, *in cogitatione*, quod pejus est quam dicere ore. Hoc, inquam, dicitis : *Accipiant in vanitate civitates,* non quidem in æternitate civitates *suas*, id est populos suos. Si, inquam, occideris, *nonne qui oderunt te, Domine, oderam?* Utique, id est si occideris, et ego occidam. Et nonne *super inimicos tuos tabescebam?* irascendo peccatis eorum? utique. Et *perfecto odio oderam illos;* non mutatur sensus. Et *inimici facti sunt mihi.* Nec hoc mutat. *Proba me, Deus,* [Hier., Cassiod.] quam libere cuncta egerim; *et scito cor*

meum; interroga me et cognosce semitas meas, quibus mundum pertransivi. Et vide *si via iniquitatis in me est*. Hoc secure dicit, in quo princeps mundi nihil invenit, vel habuit. *Et deduc me*, hominem, ad dexteram tuam, *in via æterna*, id est per Verbum tibi coæternum.

COLLATIO IN PSALMUM CXXXVIII : « DOMINE PROBASTI ME, ET COGNOVISTI, » etc.

VERS. 2. — *Cogitationes meas*. Hebr. רעי REI. D. Hieronym. inclinavit id vocabuli a רוע ROA, quia vertit *malum meum*. Sic et interpretes pro Cajetano. Pellican. deformavit a radice רעה REAH, id est *sociavit*, vertit enim *amicum meum*. Videtur secutus Chaldæum interpretem, qui habet, *vestigatus sum quo sim in societate Ecclesiæ tuæ*. Translator ad Campensem a themate רעה RAAH, quia transtulit *prospicis victui meo*. Septuaginta, quibus astipulantur Pratensis, Nebiensis, Sanctes, Munsterus et Campensis ab eodem themate, secundum aliam significantiam.

Funiculum. D. Hieronymus et cæteri juniores traducunt accubitionem, seu accubitum meum. Cæterum dicitur Deus cognoscere funiculum meum, quando novit quousque perventurus sum, ut illic conquiescam, quod est accubare, sicque id sensus emergit, quanquam fortasse Septuaginta acceperint vocabulum per metathesim, quod aliquoties solitum est fieri, ut sit ערבי IRBI, pro רבעי RIBIE. Siquidem ערב EREB. interim notat *tegmen* seu *filum* quod stamini subtexitur.

Investigasti. D. Hieronym. et nonnulli alii, *ventilasti*; Pratensis et Munsterus, circumdedisti זרית ZERITHA. Sed *eventilare* et *investigare* ad propositum idem valent, ac rursus hoc et illud providentiam Dei circa peccatores revocandos insinuant.

VERS. 3. — *Non est sermo*. Romana psalmodia, quam D. Augustinus imitatur, habet *non est dolus*. Et ita nunc Græci codices habent οὐκ ἔστι δόλος. Atqui D. Hieronymus ad Suniam, censet esse de sexta editione. Apud Septuaginta et omnes alios interpretes secus dicit haberi.

VERS. 4. — *Tu cognovisti omnia*. Hic faciunt distinctionem Heb., ac juniores transferunt *totum ipsum*; D. Hieronymus et Nebiensis, *omnia*; Chaldæus paraphrastes, *cogitationes cordis mei omnes*. Deinde quod sequitur, *novissima et antiqua*, copulatur verbo subsequenti, et dicunt, *retrorsum et ante formasti me*. Tota diversitas pendet ex hoc quod Septuaginta אחור AHOR, et קדם QUEDEM, acceperunt sub significatu nominis. Quasi dicat : *Tu cognovisti omnia quæ sunt novissima, et quæ fuerunt ante*. Eoque sensu facienda erat altera periodus in altero ordine. Non enim distinctio pausarum in Hebr. semper facit distinctionem sententiarum. Si Septuaginta sequimur auctoritatem ex visione qua dicitur, *ante et retro*, caballistæ somniant hominem fuisse creatum cum duobus vultibus, anteriori et posteriori.

VERS. 8 — *Si sumpsero pennas meas diluculo*. Ac ad eum modum D. Hieronymus pluraliter *meas*. Cæterum alii vertunt *diluculi* sive *auroræ*, quia in Hebræo est status regiminis, כנפישחר CANPE SCHAHAR. Non dubito Septuaginta legisse aut extulisse כנפי CENAPHAI, id est *pennas meas*. Sic enim et Græci reddunt. In Hebr. autem hæ litteræ כנפי, possunt hoc aut illo modo dici. Idcirco frustra causatur ac rhetoricatur Faber, quod hic *meas* superfluum sit, imo absurdum. Siquidem D. Hilarius putat grande esse mysterium. Interpretatur enim de Christo, qui propria virtute ad immortalitatem evolavit. D. Augustinus *pro diluculo*, legit *in directum*; quod est de veteri translatione.

In extremis maris. Pro *mari*, Sanctes et Campenponunt *occidentem*; ים IAM, *mare* et *plagam oc-* A *cidentalem* significat. « Eo quod mare magnum, inquit Sanctes, est in occidente ad respectum terræ Israel. » Omnes alii stant a Vulgata lectione. Denique sensus ne tantillum quidem variatur.

VERS. 10. — *Et nox illuminatio mea in deliciis meis*. In Hebræo non videtur esse *in deliciis meis*. Sed sciendum quod dictio hic posita, si simpliciter scribatur non signata punctulis, manifeste poteris invenire hoc, *in diliciis meis*. בעדני Nam pronuntiando בעדני BAADANAI, littera num erit essentialis a radice עדן ADAN, quod est *delectari voluptate*. Nec dubito Septuaginta hoc pacto accepisse, alioqui quid somniassent? Nunc autem legunt Hebræi בעדני BAADENI, ubi littera num servilis est, ac vertit D. Hieronymus *circa me*, vel ut alii plerique volunt *pro me*. Quin et Sanctes addidit de suo verbum *occultabit*. Nox, inquit, *occultabit lucem pro me*. Alii non sic accipiunt, sed ut nihil Deum latere possit. Unde D. Hieron. in hoc locum : « In Hebr. sensus iste est : *Et* B *dixi*: *Forsitan tenebræ conculcabunt me; econtrario autem nox ipsa apud te lumen fuit*, *quia nihil celare te potest*. » Quod Symmachus melius interpretatus est, etc., *et nox lux circum me sedet*.

VERS. 11. — *Sicut tenebræ ejus, ita et lumen ejus*. Hic advertendum quod pronomen ejus utrobique est femininum, ac refert noctem quæ mox præcesserat. Id claret ex Græco ὡς τὸ σκότος αὐτῆς, οὕτως καὶ τὸ φῶς αὐτῆς. Cæterum magis arridet D. Augustinus, qui utrumque censet pertinere ad noctem, quam Faber qui vult prius referre noctem, sed posterius diem. In Hebr. nunc non leguntur hæc relativa; verum Septuaginta acceperunt aspirationem he pro relativo feminino, quod solent facere Hebræi, quando addunt punctum, quod vocant mappic. Hebraicantes autem sumunt illud he tanquam paragogen כאחשכה CAHASCHECAH. כורה CAORAH, vel sic כאורה כחשכה.

C VERS. 13.— *Terribiliter magnificatus es*. In Hebr. obscurum est, si ad verbum reddas נוראות נפלתי NORAOTH NIPHILETHI, hoc est *terribiliter mirificatus sum*. D. Hieroynmus legit sub activa significatione, et ut iod sit nota pronominis primæ personæ, aut duo iodim legerat. Dicit enim. *Terribiliter magnificasti me*, nisi quod sensum aliter **229** expressit, quam littera sonaret. Siquidem alii eamdem intelligentiam quasi sequuntur verbis accommodatis. Pratensis ita, *terribiliter et mirifice formatus sum*. Et ad eumdem modum Munsterus et Campensis. Sanctes paulo aliter, *terribilia sunt opera tua, mirabilis sum*. Tantum restat Septuaginta legisse נפלית NIPHLETA, diminutione iod. Nebiensis, et Latina versio respondens Chaldæo, sunt cum Hieronymo.

VERS. 14. — *Non est occultatum os meum a te quod fecisti in occulto*. Omnes interpretes pene conveniunt. Sanctes tamen et Munsterus pro *osse meo* posuerunt *corpus meum*, vel *substantiam corporis* D *mei*. Et Nebiensis *essentiam meam*. Asserit autem Munsterus id se fecisse ex opinione Kimhi, qui accipit עצם ATZAM, pro גוף GUPH, id est pro *corpore*. Sed eodem tendit intelligentia de plasmatione corporis humani, quod non subsistit nisi in ossibus. Unde Chaldæus, *non sunt abscondita ossa mea a te*.

Et substantia mea in inferioribus terræ. Propter verbum רקמתי RUQQAMTI, quod est proprie distinguere variis coloribus, metaphoram diversis modis extulerunt. Eo tandem veniunt, ut mirabilis significetur hominis formatio in utero matris. Sic ergo D. Hieronymus, *imaginatus sum in novissimis terræ*; Pratensis, *formatus sum in inferioribus terræ*; Pellicanus, ingeniosissime, *contextus sum in inferioribus terræ*. Sanctes, *variis membris decoratus fui instar operis phrygionici in vulva, quæ est ut pars inferior terræ;* Munsterus, *variis distinctus membris inferioribus terræ*. Interpretes pro Cajetano et Nebien-

sis, *Acu pictus sum in inferioribus terræ.* Paraphrasis Campensis, *veluti tapetum e nervis et venis, contextus sum in utero matris,* loco magis abdito, quam ullum antrum terræ.

VERS. 15. — *Imperfectum meum,* גלמי GOLMI, omnes interpretantur *massam rudem* et *informem*, seu *fetum in utero incompositum.* Unde D. Hieronymus in Commentariis, *imperfectum* hic pro *incomposito* posuit : quod etiam elementa hominis antequam formentur in utero, cognoscat Deus. Interim nescio quid secutus verterit translator ad Campensem, *errores meos.* Nec enim respondet ei paraphrasis, sicut nec sæpe aliubi. Dicit tamen Sanctes in suo Thesauro, quod eo nomine appellatur *homo rudis,* qui est absque sapientia.

In libro tuo omnes scribentur. Quia ex Hebræo potest indifferenter verti *omnes*, vel *omnia* sub masculino et neutro. Et rursus *omnes* potest referri, vel ad homines, aut dies, aut oculos : ob id consequitur diversitas interpretationum. D. Hieronymus lectionem nostram prorsus sequitur, ac exponit quod *nullus nascatur absque voluntate Dei, nec quisquam ejus subterfugiat notitiam.* Munsterus, Sanctes, Campensis, referunt ad membra corporis, quorum omnium Deus rationem habeat. D. Hilarius vult *omnes* dici de oculis, quos interpretatur apostolos. In Hebræo habetur כלם KULLAM, id est *omnes illi* vel *omnia illa.*

Dies formabuntur et nemo in eis. Hic locus varie redditur ex Hebræo, variat in Græco, et dissimilis est apud Latinos. Pratensis et translator ad Campensem, assonant Septuaginta, et sensus est *dies formatos esse, priusquam aliquis nasceretur, quanquam a Deo prænosceretur nasciturus.* Si tamen altiorem sequamur intelligentiam secundum Septuaginta, interprete. D. Hieronymo, sic exponitur : *Tu omnes in die formas, tu cunctos vis esse filios diei ;* sed nullus est in hominibus, qui non peccato obnoxius fiat, et per hoc filius noctis esse incipiat, nec quisquam eorum luce ipsius diei toto vitæ suæ tempore digna perficiat. Unde et Apostolus ad eos qui filii noctis esse cessaverant loquitur : *Nos autem, fratres, non sumus filii noctis, sed filii diei* (*I Thess.* v). Ex hoc arguitur quod nunc dixeramus in Græco variare. Siquidem colligitur ex verbis his D. Hieronymi Septuaginta vertisse ἡμέρας, hoc est *die*, eo quod carent Græci sexto casu, et ita comperimus plures codices habere, secundum quos, quantum ad hanc partem divi Augustinus et Hilarius suos habent contextus. Alii codices plane habent ἡμέραι, hoc est *dies*, quos sequitur Arnobius vetustus auctor. Unum tamen adnotandum est quod eis, quando dicitur *nemo in eis,* non debeat referri ad dies, sed ad homines : dico si Græcos ac Septuaginta placet tenere. Nam constat apud eos esse masculini generis ἐν αὐτοῖς. Secus autem Heb. quantum ad dies. Hinc D. Hieronymus hoc pacto reddidit : *Dies formati sunt, et non est una in eis.* Quæ quem sensum habeant in Commentariis explicat, etc. Hunc locum Symmachus transtulit, *dies quibus formati sunt, ne una quidem ex eis deest.* Et est sensus : *Omne tempus ætatis, cui jam ab exordio vitæ istius sunt curricula deputata, certo fine decurrit. Nec una dies aut plus aut minus est quantum, Conditor, esse voluisti.* Pellicanus non longe est ab hac sententia. *Dies,* inquit, *observabuntur, et non unus in eis, scilicet est nobis assignatus, ad nostrum arbitrium, sed statuta Periodus vitæ a Deo, præteriri non potest a nobis.* Sanctes et Munsterus, aliam faciunt intelligentiam in qua duo concordant. Ille dicit : *Diebus multis membra formata sunt, nec fuit unum ex eis tibi incognitum.* Hic autem : *Quæ per dies formata sunt, cum adhuc nullum eorum exstaret.* Paraphrasis Campensis secus aliquanto : *Quæ etsi nonnisi multis diebus ad justam magnitudinem excrescere possint, apud te* A *tamen, o Domine, non est ea dierum varietas, sed unus perpetuus dies.* D. Hilarius legit, *die replebuntur,* indicans quosdam codices habere, *die formabuntur.* D. Augustinus, omnino aliam habet lectionem, *per diem errabunt.* In secunda tamen parte conveniunt, *nemo in eis.* Juxta Hilarium, *die,* id est Christo, *replebuntur apostoli, et nemo in eis præter diem,* juxta Augustinum. *Per diem errabunt, scilicet infirmi relinquentes diem Christum, et nemo in eis, quia omnes fugerunt.* Chaldæus paraphastes, alium refert sensum, *in die qua creatus est mundus, a principio creatæ sunt omnes creaturæ, et non in uno die, unico in illis.*

VERS. 16. — *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus.* Omnes fere accedunt præter Sanctem, Munsterum, Campensem ac Nebiensem, *et mihi,* aiunt, *quam pretiosæ fuerunt cogitationes tuæ.* Alteram tamen interpretationem non tacet nec improbat Munsterus in scholio רעיך REECA, anceps B est, commune *cogitationibus, sociis amicis.*

Nimis confortatus est principatus eorum. Qui vertunt pro eo quod est *principatus, capita* aut *principes,* pauxillo distant. Qui vero transtulerant *cogitationes* in præcedenti clausula, perseverantes in illo modo dicunt *summæ earum,* videlicet cogitationum, vel secundum Nebiensem, *computatio earum.* Solus Hieronymus traduxit, *pauperes.* Ex quo arguitur manifeste ipsum legisse sine aleph רשהם RASCHEHEM, ubi habemus ראשהם RASCHEHEM, id quod et tetigit Eugubinus. Sed cum interpretatur de apostolis, eodem recurrit sensus, ut qui fuerint principes, et paupertatis primarii duces.

VERS. 17. — *Dinumerabo eos et super arenam multiplicabuntur.* Nulla est dissonantia apud translatores, nisi quod qui in superiori versu dixerant *cogitationes,* ad eas hunc versiculum, adaptant tantum mutato genere ac re subjecta.

VERS. 18. — *Si occideris, Deus, peccatores ; viri* C *sanguinum, declinate a me.* Solos invenio Sanctem et Campensem, quibus placuerit distare a lectione Vulgata. Ad hoc tamen non cogebat Hebraismus. Itaque dicunt : *Si occideris, Deus, impium, et viros sanguinolentos, quibus dico : Recedite a me.*

VERS. 19. — *Quia dicitis in cogitatione.* Pratensis, *quoniam loquentur de te in scelere ;* Sanctes, *qui dixerunt contra te abominationem ;* Munsterus et Campensis, itidem. Sed fortasse D. Hieronymus, Pellicanus, translator ad Campensem et Nebiensis acceperunt ימרוך IOMERUCA a radice מרה MARAH, id est *rebellis fuit,* quia vertunt, *contradicent tibi scelerate,* aut *rebellant per audaciam,* quanquam regula exigit ימרך IIMRECA. Alii autem ducunt ab אמר AMAR, deficiente aleph. Deinde למזמה LMZIMMAH, a themate זמם ZAMAM, quod est *cogitare scelus.* Et *cogitatio,* de qua in nostra lectione, intelligitur secundum Cassiodorum, *deprava.* Quod autem D habemus sub secunda persona, et si sensus non læditur, eo quod dirigebatur superior sermo ad viros sanguinum, et congrue subdebatur, *quia dicitis,* etc. Verumtamen colligimus Græcos codices variasse, et ex verbis D. Hilarii, et ex lectione quam comperimus nunc in Græcis exemplaribus. Interpretatus proinde hunc locum D. Hilarius, ait : « Latina translatio dum virtutem dicti ignorat, magnam intulit obscuritatem, non discernens ambigui sermonis proprietatem. Quod enim nobiscum scribitur, *quoniam dices in cogitatione,* cum Græcis hoc modo est ὅτι ἐρεῖς εἰς διαλογισμόν, et illud, ἔρεις pronuntiatione distinguitur, ut aut dicis intelligatur, aut contentio. Utrumque enim sub iisdem verbis significatur hoc dicto. Sed hi qui Hebraici sermonis scientiam consecuti sunt, non dicis, sed contentiones in eo quod ἔρεις, translatum est prodiderunt. Et sane ita esse ratio et intelligentia monstrabit. *Viri,* inquit, *sanguinum, declinate a*

me, ac paucis interjectis : Ut igitur, *viri sanguinum* sunt, quorum adulans doctrina est, ita et viri sanguinum, quorum dolosa est doctrina. Dolosa autem doctrina hæreticorum, sub nomine Dei blasphema, sub prætextu religionis impia, sub veritatis specie fallax. Quorum in animo et cogitatione, solum contentionis studium persistit, nihil ad salutem hominum laborant, nihil ad spem acquirunt, nihil pacificum cogitantes, ut omnibus his in cogitationibus labor sit, et pugnam meditentur. » Hæc D. Hilarius. Cæterum alia est lectio apud exemplaria Græca quæ licuit videre, tametsi eodem tendat ὅτι ἐρισταί εἰσι εἰς διαλογισμούς, hoc est *quoniam litigiosi sunt in cogitationibus*, vel ut alii habent ἔστε, hoc est *estis*. Denique contextus quo utitur D. Augustinus est, *dices in cogitatione*. Et in bonam partem refert, juxta quod adducit magister.

Accipiant vel accipient in vanitate. נשוא לשנא NASU LASCHANE, a diversis varie redditur. D. Hieronymus, *elevati sunt frustra*. Pratensis similiter ac Nebiensis. Pellicanus vertit sub nomine, *elevatio inanis*. Interpretes pro Cajetano, active ad verbum, sumpserunt, *elevaverunt frustra*. Sed Sanctes, Munsterus, Campensis addiderunt quod eis videbatur, utpote *nomen tuum*. *Assumpserunt in vanum nomen tuum*, dicit Sanctes ; Musterus, *assumiturque nomen tuum frustra* ; Campensis, *usurpabant contemptim nomen tuum* ; Chaldæus, *qui jurant in vanum patroni inimicitiæ tuæ*. Denique nostra lectio respondet veritati Hebraicæ, quanquam non servatur verbi tempus. Cæterum, ut dicit Sanctes, potest esse hic נשיא NASU, pro נשאו NASEU.

Civitates tuas. Omnes translationes præter eam quæ est Pellicani habent *hostes* vel *adversarios tuos*, in casu convenienti regimini. Certe עריך ARECA, potest esse ab ער OR, quod est *inimicus*, vel ao עיר IR, quod est *civitas*. Pellicanus quidem habet *civitates*, sed pronomen *tuas*, non *suas*, ut in Hebræo. Verum sicut in Græco oportuit variare exemplaria, cum nunc legamus τὰς πόλεις σου ; veteres autem Latini cujusmodi sunt D. Augustinus, Hilarius, Arnobius, Cassiodorus legerunt *civitates suas*, sic non minus probabile est contigisse Hebræo.

VERS. 22. — *Interroga me*. Interpres Latinus videtur legisse in Græco αἴτησον, id est *pete*, pro ἔτασον, id est *examina, scrutare*. Heb. בחנני BEHONENI. Sed Hilarius et Arnobius scribunt *interroga me*, cum Vulgata lectione.

Semitas meas. שרעפי SARCAPAI, hoc est *cogitationes meas*. Et hæ profecto sunt mentis institutiones, quæ non absurde *semitæ cordis* dicuntur. Affectibus etenim quasi quibusdam pedibus ingreditur anima. Unde Chaldæus interpres, *cognosce affectus meos*.

VERS. 23. — *In via æterna*. Ita D. Hieronymus et aliquot alii. Pratensis, Sanctes et interpretes pro Cajetano, vertunt *per viam sæculi*, aut *mundi*, cum tamen testificetur D. Hieronym. ad cap. I, ad Gal. עולם OLAM, maxime cum vau dici de 300 æternitate : Denique haud scio quid sibi velit Paraphrasis Campensis, *puniar æquo animo, ut more aliorum impiorum occidas me*. Verum Eugubinus docet esse Hebraicam dialecton, ut sit *imprecatio*. Si cum impiis sentio, *duc me in viam mundi*, id est in mortem ad quam totus mundus contendit. Et hoc est quod dicit Chaldæus, *deduc me in via rectorum mundi*. Hæc tamen non satis quadrant sententiæ Hieronymi, nec sanctorum expositioni.

PSALMUS CXXXIX.

PSALMI TITULUS : « IN FINEM PSALMUS DAVID. »

Eripe me. Titulus : *In finem psalmus David*. [Aug.] Per David hic intelligitur Ecclesia, quæ est corpus Christi. Et est hic conquestio et gemitus et oratio corporis Christi, inter malos constituti, nondum habentis in re, sed in spe bonum, ubi est est plena exsultatio. In hoc ergo psalmo sonat vox corporis Christi : Hæc est vox nostra, si tamen sumus in corpore Christi ubi quisquis non fuerit in eis erit, inter quos illud corpus gemit, aut membrum Christi, aut hostis Christi erit. Et est sensus tituli : *Psalmus* hic dirigens nos *in finem*, id est in Christum, est *David*, id est Ecclesiæ, quæ hic loquitur.

Intentio : [Cassiod.] Monet ut contra mala sæculi ad Deum oremus. Modus : Tripartitus est psalmus. Prius proponit qui hostes, quæ mala movent, opponens eis preces. Secundo dicit quod auxilium habeat contra mala, ibi, *dixi Domino*. Tertio quæ sint mala inimicorum aperit, ibi, *caput circumitus*, etc. Ecclesia ergo inter malos laborans, clamat : O

VERS. 1.— « Eripe me, Domine, ab homine malo ; « a viro iniquo eripe me. »

Domine, eripe me ab homine malo, [Aug.] non ab uno, sed a toto genere malorum, cum principe suo diabolo, qui et homo dicitur in figura. Unde : *Inimicus homo hoc fecit qui superseminavit zizania* (*Matth.* XIII) ; et vir dicitur, quia fortis ad nocendum, unde subdit : *A viro iniquo eripe me*. Vir iniquus est qui nocet, omnis autem malus nocet. Unde cum dixisset, ab homine malo, quasi exponens subjunxit, a viro iniquo, volens significare quod omnis malus iniquus sit qui nocet sibi ve alii. Alii quidem nocet, vel mox ut malus est vel postea. Sunt enim quidam mali, qui non videntur iniqui, quia non sunt sævi, non sunt asperi, non sunt persequentes, et pressuras hominibus non facientes ; sed tamen luxuriosi, ebriosi, voluptatibus dediti : qui etsi aliis nocere non videantur, sibi tamen nocent, et ita non sunt innocentes. Innocens enim est, qui nec sibi, nec aliis nocet. Si quis tamen alte consideret, etiam aliis nocet, saltem exemplo, quia vivit tecum, et ad id quod agit te invitat, postea vero nocebit et opere. Cum enim quod habet voluptuose vivendo consumpserit ; postea rapit aliis, quod effundere possit. Ex voluptate ergo et luxuria, quibus aliis nocere non videbatur, procedit quo te pungit, sicut spinæ in radice sunt lenes, sed inde procedit quod pungit. Incendatur ergo radix, et non est unde procedat spina. Ita dum aliquis voluptuose vivit, nulli nocere videtur, sed post rapit, quod effundit. Corrigatur ergo voluptas tanquam radix, et non nascetur rapina quæ pungat velut spina. Deinde qualiter mali persequuntur, exsequitur. [Alcuin.] Impugnant tribus modis, scilicet lingua, manu, corde, et de corde præmittit dicens :

VERS. 2. — « Qui cogitaverunt iniquitates in « corde, tota die constituebant prælia. »

Qui cogitaverunt. [Aug.] Quasi dicat : Eripe me a populo malorum, qui etsi in labiis plerumque bona prætendant, tamen *cogitaverunt iniquitates in corde*, ab his maxime eripe, facilius enim vitaretur aperta inimicitia quam occulta. Ille enim difficile vitatur, qui in labiis bona portat, et in corde mala occultat, quia nulla pestis efficacior quam familiaris inimicus et hi tales *tota die*, id est continue *constituebant prælia*, id est schismata et hæreses, contra quæ pugnarem. De cordibus enim talium, bella semper perveniunt, etsi verba sint pacata. Per hoc quod ait, tota die, [Cassiod.] continua eorum nequitia ostenditur, non lassata per moram, deinde qualiter lingua persequantur, ostendit :

VERS. 3. — « Acuerunt linguam suam sicut « serpentes ; venenum aspidum sub labiis eorum. »

Acuerunt linguas suas, [Cassiod.] id est verba nequitiæ suæ polluerunt, addit *sicut serpentes*. [Aug.] Congrue comparat eos serpentibus. In serpente enim astutia et dolus nocendi est. Ideo et serpit, non habens pedes ut audiatur dum venit. In itinere lenis est tractus, sed non rectus. Sic ergo mali serpunt ad nocendum, sub leni contactu verborum habentes occultum venenum. *Venenum aspidum*, id est venenum insanabile, est *sub labiis eorum*. In labiis alia habent. [Hilar.] Deinde de persecutione quæ fit manu, id est opere, subdit dicens :

VERS. 4.— « Custodi me, Domine, de manu pec« catoris ; et ab hominibus iniquis eripe me. »

Custodi me, Domine, de manu peccatoris, [Cassiod.] id est diaboli, quia validus est ad nocendum, unde princeps mundi dicitur (*Joan.* XII). Ideo, iste petit custodiri ab eo, quia per multa diabolus fallit, quæ iste per se nequit præcavere ; *et ab hominibus iniquis*, id est a membris ejus, per quos conatur, quod per se nequit, *eripe me*, ut non noceant. Non dico in causis sæculi, sed in via Domini. Unde subdit :

VERS. 5. — « Qui cogitaverunt supplantare « gressus meos : absconderunt superbi laqueum « mihi. »

Qui cogitaverunt supplantare gressus meos, [Cassiod., Aug.] id est decipere a via Dei, scilicet retrahere, per hoc quod ait, supplantare : nota quod vicinas viæ Dei foveas parant. Deinde qui sunt inimici ostendens subdit, *absconderunt superbi laqueum*, vel, muscipulam *mihi*; superbi hoc nomine breviter totum corpus diaboli ostendit et explicavit. Inde scilicet ex superbia est, quod et justos plerumque se dicunt, cum sint iniqui. Inde est quod nolunt confiteri peccata. Inde etiam est quod invident veris justis. Omnis enim superbus et invidus est, sicut diabolus qui invidit homini quod perdidit. Quia enim amisit regnum, hominem illuc pervenire noluit, et non vult ; et id agit nunc, ut homo illuc non perveniat, unde ille ejectus est.

VERS. 6. — « Et funes extenderunt in laqueum ; « juxta iter scandalum posuerunt mihi. »

Et illi superbi quid fecerunt ? Ecce *extenderunt funes* vel restes *in laqueum mihi*, [Aug.] id est peccata sua, quæ mihi suadent facere, de quibus dicit Isaias : *Væ his qui trahunt peccata, sicut restem longam* (*Isa.* V). Restes dicuntur peccata, quia in peccatis perseverantes addunt peccata peccatis ; et cum deberent accusatione peccati sui corrigi, defensione duplicant, ut qui defendit quod male egit, et plerumque aliis peccatis vult esse munitus propter illa quæ commisit ; fecit adulterium : et ne occidatur parat homicidium ; addit peccato peccatum, scilicet adulterio addit homicidium, et pro illo rursus forte veneficium, et ita producitur restis, non utique de rectis, sed de tortis filis, ut sit ei unde in fine ligentur manus et pedes, et mittatur in tenebras exteriores. Hos igitur funes, extenderunt mihi, dicit vir iste justus : ubi extenderunt ? ecce : *Juxta iter*, vel, *semitas scandalum posuerunt mihi*. Juxta dicit iter, non in itinere. Iter sunt præcepta Dei. Non ergo exeas a via Dei, id est a præceptis Dei, et non ruis in scandala.

PARS II. Διάψαλμα. VERS. 7. — « Dixi Domino : « Deus meus es tu ; exaudi, Domine, vocem depre« cationis meæ. »

Dixi Domino. [Aug.] Secunda pars, ubi dicit quod auxilium sit contra prædicta mala : quasi dicat : Tot modis mali impugnant, et quod remedium est tibi inter tot mala, quid restat in his periculis ? Clamare ad Dominum. Ideoque ego clamans, *dixi Domino : Deus meus es tu*. Illi homines sunt, et non mei ; tu vero es Deus et meus. Magna fiducia hoc dicit. Et si omnium sit Deus, per recreationem, proprie tamen est Deus eorum qui eo fruuntur, deinde petit dicens : *Exaudi, Domine, vocem deprecationis meæ*. Non aliud quæro. Vocem deprecationis meæ, non simpliciter dicit deprecationem meam, sed quasi evidentius exprimens, affectum animi sui, ait, vocem deprecationis meæ. Sunt enim deprecationes malorum sine voce, quia ex bono cordis affectu non proveniunt ; deprecatio justorum vero vocem habet, quia ex medulla dilectionis procedens digna est auditu. Vox enim proprie hominum est et animatorum. Sonus vero cæterorum est. Qui ergo precantur Deum, et non de Deo bene sentiunt, sonum habent et non vocem, quia et ibi vita non est, id est affectus charitatis. Qui vero de Deo bene sentiunt eorum deprecatio habet vocem, quæ est vita et anima deprecationis. Talis itaque dicit : O

VERS. 8. — « Domine, Domine, virtus salutis « meæ, obumbrasti super caput meum in die « belli. »

Domine, Domine, [Aug.] id est verissime Domine, non ut homines domini sunt, qui emunt sacello, tu vero sanguine tuo. Tu, inquam, exaudi, qui es *virtus salutis meæ*, id est qui das vires saluti meæ, id est perseverantiam, qua sim salvus. Hoc dicit iste, quia videbat pericula, videbat mala abundantia, pro quibus refrigescit charitas et abundat iniquitas (*Matth.* XXIV), sed et vidit solatium, scilicet

quod *qui perseveravit usque in finem, hic salvus erit* (*ibid.*). Perseverantia igitur ad virtutem pertinet. Quia ergo difficile est in longinqua via perseverare, ait: Tu es virtus salutis meæ, id est tu das vires perseverandi, ut perseverando sim salvus. Et unde spero quod est virtus, quia *in die belli*, scilicet dum pugno contra filios et contra legem membrorum, *obumbrasti super caput meum*, id est in pugna qua luctor foris contra fictos, et intus contra legem membrorum gratia tua me refrigerat. Ad hoc autem valebit mihi hoc obumbraculum, ut

VERS. 9. — « Non tradas me, Domine, a desi« derio meo peccatori, cogitaverunt contra me, ne « derelinquas me, ne forte exaltentur. »

Non tradas me, Domine, peccatori, [Aug.] id est diabolo *a desiderio meo*, id est ut æstum non patiar a me ipso, a desiderio meo, quo locus fit diabolo, sine quo nihil facit quantumcunque sæviat hostis. Quod ut exemplo clarius fiat : ecce diabolus proponit lucrum, ut trahat te ad fraudem. Non habebit lucrum, nisi fraudes. Lucrum esca est ; fraus laqueus est, quo capiaris, si fraudem feceris. Quem ergo vicit desiderium, cadit in laqueum, sed æstum desiderii, contemperat umbraculum Dei, et nusquam est locus diabolo, nisi ex tuo desiderio. Ideo iste ait: *Non tradas me, Domine, a desiderio meo peccatori*, id est non sinas me tradi per meum desiderium diabolo. [Cassiod.] Taliter dicitur hic tradere qualiter Apostolus dicit: *Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum* (*Rom.* I.) Tradidit quidem relinquendo, sinendo tradi, non malitiam impertiendo. Hoc autem ne fiat, scilicet ne tradatur a desiderio suo peccatori, probabilis res sequitur, ut sicut illi faciunt in malum consilium, ita virtus Dei det auxilium. *Cogitaverunt* inimici *contra me*, et tu, o *Domine*, *ne derelinquas me*, *ne forte* illi *exaltentur*, [Aug.] id est ne de me victo triumphent et gaudeant. Seducto enim homine, gaudet et triumphat diabolus et sui. Unde alibi : *Exsultabunt, si motus fuero* (*Psal.* XII).

PARS III. Διαψαλμά. VERS. 10.— « Caput circum« itus eorum; labor labiorum ipsorum operiet « eos. »

301 *Caput circuitus*. [Aug.] Tertia pars ubi dicit quæ sint mala inimicorum, quasi dicat: Me tegit umbra tua in die belli, sed illos tegit *caput circuitus eorum*, id est superbia, mali eunt in gyrum erroris, ubi est iter sine fine. Hujus circuitus superbia est caput, quia initium omnis peccati superbia est. Et quia omnis superbus fictus est, et omnis fictus mendax, ideo subdit : *Labor labiorum ipsorum*, id est mendacium, *operiet eos*, id est proteget eos et defendet. Mendacium recte dicitur labor ; laborat enim qui fingit quid dicat : veritas autem facile dicitur. Vel, labor labiorum ipsorum, id est falsa et mendax assertio eorum, operiet eos, [Cassiod.] quia de sua falsa assertione superantur. Vel ita : Tu, Domine, es mihi umbraculum, sed caput eorum, scilicet qui cogitant contra me mala, est circuitus, id est diabolus qui nunquam recte incedit, et error et temporalia. Et, labor labiorum ipsorum operiet eos: hoc non mutatur, et præterea

VERS. 11. — « Cadent super eos carbones, in ignem « dejicies eos, in miseriis non subsistent. »

Cadent super eos. [Haym.] Hic in terra, antequam veniat ignis æternus *carbones*, scilicet ignis concupiscentiæ, iræ et luxuriæ. *Et in ignem*, id est in illos carbones, *dejicies eos*, id est permittes dejici. Et dicit idem carbones et ignem. [Aug.] Vel secundum aliam litteram, *cadent super eos carbones ignis in terra, et dejicies eos*, id est in hac vita, antequam veniat ignis æternus. Cadent super eos carbones ignis, scilicet sancti qui ex mortuis revixerunt : qui cum essent *tenebræ aliquando, nunc sunt autem lux in Domino* (*Ephes.* V) ; qui cum alios accendunt, alios dejiciunt Et dejicies eos, scilicet malos. Cum enim vident mali sanctos lucere invident eis, et sic sancti super eos cadunt, quia ex bona vita et prædicatione ipsorum, mali ruinas incurrunt. Unde Apostolus : *Aliis sumus odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem* (*II Cor.* II). Et hi tales *in miseriis* hujus sæculi *non subsistent*, quia in his miseriis impatientes cadunt, id est deficiunt, quas boni patienter transeunt. Vere non subsistent, quia

VERS. 12. — « Vir linguosus non dirigetur in « terra ; virum injustum mala capient in interitu. »

Vir linguosus, [Aug.] cui voluptas est loqui, nec attendit quid dicat : *non dirigetur in terra* hac, id est in hac vita. Vir linguosus namque amat mendacia, non cavens quid loquatur. Ideoque non potest fieri ut dirigatur. Quisquis ergo vult dirigi, magis oportet audire quam loqui, sicut Jacobus ait : *Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum* (*Jac.* I). Nam si quis vera dicat, sed præter necessitatem, vir linguosus est. Perfectius igitur esset omnes audire sponsum, ut Joannes qui non tantum gaudebat quod docebat, quantum quia audiebat, ait : *Amicus sponsi stat, et audit, et gaudio gaudet propter vocem sponsi* (*Joan.* III). Sed propter imperitos necesse est loqui aliquando ut doceantur. Qui ergo semper vult docere, semper vult imperitos habere quos doceat. [Aug.] Gaudium ergo sit taciturnitatis, et sponsum audiendi in voluntate vox doctrinæ sit in necessitate, et ita non erit vir linguosus, qui nunquam dirigitur. Intus audiendum est a veritate, ut intremus in gaudium Domini, sicut dictum est servo fideli : *Intra in gaudium Domini tui* (*Matth.* XXV). Quem vero delectat loquendo foras exire tumidus est : et quia foris est quod amat, mittetur in tenebras exteriores. De interioribus ergo sit gaudium, de exterioribus necessitas, non voluntas. *Virum injustum* ; quasi dicat : Non modo non dirigetur vir linguosus, sed et *mala capiet virum injustum* etiam et justum. Sed injustum capient *in interitu* ; quasi dicat : Omnes volunt se abscondere a malo, quod etiam et boni fugiunt ; sed malum capit omnes bonos, non ad interitum, quia modo et anima coronatur, et in posterum caro repara-

bitur. Malos vero capit ad interitum, quia in miseriis non subsistent; quod non fit inopi, qui etsi capitur malis, non tamen in interitum. *Flagellat* enim *Deus omnem filium quem recipit* (*Hebr.* XII). Hæc mala modo sunt malis, sed et de futuro.

VERS. 13. — « Cognovi quia faciet Dominus judicium inopis, et vindictam pauperum. »

Cognovi ego quod illi non prævident, [Cassiod.] scilicet quia Dominus tandem *faciet*, etsi non modo facit. Faciet dico *judicium inopis* qui esurit justitiam, quærit et pulsat; *et* faciet *vindictam,* [Aug.] vel, *causas,* alia littera, *pauperum* spiritu.

VERS. 14. — « Verumtamen justi confitebuntur nomini tuo; et habitabunt recti cum vultu tuo. »

Verumtamen justi. [Aug.] Hic est conclusio psalmi, ubi dicit, quod si boni liberati sunt, et de inimicis vindicati, non sibi dant, sed Deo. Unde et habitabunt cum eo; [Cassiod.] quasi dicat : Et licet boni modo sint afflicti, *verumtamen justi confitebuntur,* hic inter gravia, quod laudabilius est; et maxime in futuro, dum et causas eorum, et judicium facies. Confitebuntur, dico, *nomini tuo,* [Aug.] quia meritis suis nihil tribuent, sed tuæ misericordiæ. Vel ita sunt, *recti :* qui enim ad se flectit cor, torquet; qui vero intendit in Deum, dirigit. Et ideo ibi in eis requies, ubi cor habent. Unde addit : *Et habitabunt.* Hi quibus male erat in vultu suo, in cujus sudore pacem ederunt. Habitabunt *cum vultu tuo,* quia Deum trinum, prout est, videbunt, et tunc deterso sudore finitisque laboribus, perenni lætitia implebuntur. Et ideo nihil timetur ab eis in mundo.

COLLATIO IN PSALMUM CXXXIX, « ERIPE ME, DOMINE, AB HOMINE MALO, A VIRO, » etc.

VERS. 9. — *Ne tradas me, Domine, a desiderio meo peccatori.* D. Hieronymus et fere cæteri, vertunt, *ne des, Domine, desideria impii,* aut *ne perficias, Domine, desideria impii.* Sed quia Septuaginta subaudiri voluerunt pronomen, *me,* quod non raro
A fit Hebræis, aut aliud si commodum est, ob id paulo diversum reddiderunt sensum. Pellicanus est cum Septuaginta, *non des me, Domine, desiderio impii.* Sed et Septuaginta videntur in voce מאויי accepisse men servile in principio, et iod in fine, ubi legimus מאויי MAAUAIE, a radice אוא IVA, *desideravit.*

Cogitaverunt contra me. D. Hieronym., *scelus ejus;* vel, ut alii habent, *nefarium cogitatum ejus,* seu quid simile. Certe Septuaginta videntur legisse זממי ZEMAMAI, quod potest esse *cogitationes contra me.* Sed habemus nunc per vau, litteram forma paulo distantem ab ipso iod, זממו ZEMAMO,

Ne derelinquas me. Hebr. אל תפק AL TAPHEQ, ubi quoquomodo vertere volueris, juxta diversam vocabuli significantiam in conjugatione hiphil, aliquid conveniens foris emendicandum est. D. Hieronymus vertit, *ne effundas,* sive *ne effundatur,* scilicet in opus. Et Sanctes traduxit, *ne perficias;* Pratensis, *ne consummes;* Munsterus, *non permittas progre-*
B *di.* Et quia id verbi in conjugatione quam dicunt Cal. significat quandoque *impingere,* idcirco recte ad verbum hic verteris, *ne facias impingere,* videlicet me, quod idem valet, *ne derelinquas me.*

VERS. 10. — *Caput circuitus eorum.* Recentiores vertunt, *caput* aut *principem circumdantium me,* sicque sunt cum sensu nostræ lectionis. D. Hieronym. aliud secutus est, cum ait : *amaritudo convivarum meorum.* Siquidem ראש ROSCH, homonymum est, ad *caput, principem,* et *amaritudinem.* Quod sive intelligas de superbia, sive de ipso diabolo, nihil non quadrat. Deinde si מסבי MESIBAI, traxeris a themate סבב SABAB, recte est *circumdantium me;* si autem a סבא significat juxta Hieronymum, *convivas meos.*

VERS. 11. — *In miseriis non subsistent.* Alii in foveas, ut referatur ad verbum superius, *dejicies.* Deinde dicunt, *non resurgent,* aut *ut non resurgant.* Non variatur intelligentia, qua indicatur *desperabi-*
C *lis miseria, per foveas profundas, a quibus nemo potest exsurgere,* במהמרות בל יקומו BEMAHAMOROTH BAL IAQUMU.

VERS. 12. — *Virum injustum mala capient in interitu.* Sic etiam ad verbum Hieronymus. Alii verbis mutatis eumdem sensum referunt. Virum iniquum malum venabitur in expulsiones seu præcipitationes. Venatio est captio præcipitationis, damnatio æterna. Hinc Chaldæus paraphrastes, *virum pravum et malignum venabitur angelus mortis, et detrudet in gehennam.*

PSALMUS CXL.

PSALMI TITULUS : « PSALMUS DAVID. »

Domine, clamavi. Titulus. *Psalmus David.* [Aug.] Psalmus iste subobscurus est. Sunt enim in Scripturis sanctis profunda mysteria, quæ ad hoc absconduntur, ne vilescant; ad hoc quæruntur, ut exerceant; ad hoc aperiuntur, ut pascant. Scriptura enim sacra si nusquam aperta esset, non te pasceret; si nusquam occulta, non te exerceret. Hic tamen non alia dicuntur quam in aliis psalmis dicta sunt, sed eadem, licet diverso modo. Ideo eadem, quia oportet sæpius commemorari quod cogit mundus oblivisci. Ideo etiam divina multipliciter dicta sunt, ut varietas locutionis, fastidium tolleret veritatis. Illud autem de quo hic et in aliis psalmis tractatur, est charitas; charitas vero et amor est, sed non quilibet. Est enim amor æthereus; est et amor tartareus. Amant enim se invicem mali; sed iste amor tartareus est. Alia est charitas Christianorum qua Deum propter se, et proximos propter Deum diligunt, quam Paulus diffinit dicens : *Finis præ-*
D *cepti est charitas, de corde puro et conscientia bona, et fide non ficta* (*Philipp.* I). Alibi vero quasi scientibus loquens dicit : *Finis legis est charitas* (*Rom.* XIII) : et non dicit ibi quæ charitas, quia alibi dixit. Non enim omnia ubique dici, aut possunt, aut debent. Ideoque ibi non dixit, qualis charitas sed ibi determinavit ubi addidit, *de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta.* Purum autem cor in charitate habes secundum Deum, quando diligis hominem qualiter et te ipsum debes diligere; quod non est inter malos. Hæc autem charitas nos Christo compaginat. Per charitatem namque, quasi unus homo est caput et corpus; proprium vero capitis est loqui pro omnibus membris, sicut lingua nostra

personam omnium membrorum suscipit. Ipsa enim pro omnibus verbo fungitur, dicens pro pede : Calcas me ; et pro manu : Vulnerasti me. Ita et Christus, qui est caput pro membris loquitur, cum quibus est unum. Charitas enim unum facit nos cum Christo. Sive ergo caput loquatur sive membra, sive quod dicitur capiti conveniat, sive membris Christus loquitur ; sed in voce ejus quisque agnoscat suam, tanquam hærens in Christi corpore. Aliquando enim dicit quod sibi soli competit, non tamen separat se a verbis nostris ; sed a suis propriis ad nostra redit, et a nostris, interdum ad sua propria transit. Christus ergo per totum hunc psalmum loquitur sive in sua, sive in persona membrorum [Cassiod.] Intentio : Monet ad Deum clamare. Modus : Bipartitus est psalmus. Primo sciens Propheta hominem implicari peccatis, orat ut audiatur subdens a quibus maxime vult liberari. Secundo dicit quod a justo correptus, spernet falsos laudatores, ibi, *corripiet*, etc. In persona ergo hominis peccatis circumventi, ait : O

VERS. 1. — « Domine, clamavi ad te, exaudi me ; « intende voci meæ, cum clamavero ad te. »

Domine, clamavi, [Cassiod., Aug.] jam diu *ad te* : quid clamavi? *Exaudi me*, et item adhuc clamo *intende voci meæ* ; quando ? *Cum clamavero ad te* intentione cordis. Nondum enim finitus est clamor, quia nondum finita est tribulatio. Si finita est tribulatio, finitus sit et clamor. Si vero manet usque ad finem sæculi, nunquam cessit clamor, o Domine,

VERS. 2. — « Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo ; elevatio **302** manuum « mearum sacrificium vespertinum. »

Oratio mea, [Cassiod.] igne charitatis incensa *dirigatur in conspectu tuo sicut incensum,* id est sit tibi incensum, id est bonus odor, in cujus figura in veteri lege incensum dicebatur offerri in odorem suavitatis Deo (*Exod.* XXIX). *Et elevatio manuum mearum*, [Alcuin.] id est operatio mea bona, quæ fit pro æternis, sit tibi *sacrificium vespertinum*, id est placeat tibi, ut sacrificium quod in veteri lege offerebatur, quod erat acceptabilius (*Num.* XXVIII), quia figura erat illius veteris sacrificii, quod in fine mundi in cruce est oblatum. [Cassiod.] In lege namque sacerdos jugiter et mane et vespere offerebat, scilicet quod in vespere offerebatur dignius erat ; vel quia vespera nostra finis est vitæ, potest sacrificium dici vespertinum pœnitentia, quia in fine mundamur. Et est elevatio manuum mearum sit tibi sacrificium vespertinum, id est opera mea bona sic tibi sint accepta, ut pœnitentia quæ agitur in vesperam, scilicet in fine vitæ, in quo si perfecte offerimus recte purgamur. Hoc dicit, ut nemo desperet, qui in fine pœnitet. [Aug.] Vel de Christo potest accipi hoc. Hoc enim de capite omnes intelligunt, qui ad vesperam animam posuit recepturus, non amisit invitus ; sed tamen nos ibi figurati sumus. Quod enim illius pependit in ligno, de nobis accepit. Vespertinum ergo sacrificium est passio Christi, oblatio vi-

A climæ salutaris, quod fecit in resurrectione munus matutinum. Oratio ergo pure directa de corde fideli, tanquam de ara sancta incensum surgit. Et elevatio manuum mearum in cruce expansarum est sacrificium vespertinum, quia tunc animam deposuit. Deinde subdit ex voce corporis : Et o

VERS. 3. — « Pone, Domine, custodiam ori meo : « et ostium circumstantiæ labiis meis. »

Domine, pone custodiam ori, [Cassiod.] vel, cordi *meo*, ne iniqua cogitet, *et* pone *ostium circumstantiæ labiis meis*, ne stulta promat. [Alcuin.] Et dicitur hoc a simili illius qui circumstat ostium, ut non intret vel exeat, cui non licet. Dicit enim Jeremias : *Mors intravit per fenestras nostras* (*Jer.* IX). Et Petrus ait : *Adversarius noster diabolus tanquam leo*
B *rugiens circuit, quærens quem devoret* (*I Petr.* V). [Cassiod.] Et nota quod et cordi et ori petit apponi custodiam. Duplici enim munimine opus est, ut nec cogitatio iniqua sapiat, nec prava voluntas in fatua verba erumpat. Vel ita : Pone custodiam ori meo, ne incongrua verba exeant, et ostium *continentiæ*, alia littera, labiis meis, non dixit claustrum continentiæ, sed ostium. Ostium et clauditur et aperitur : ita et ostium labiorum aperiatur ad confessionem peccati, et claudatur ad excusationem, et ita erit ostium continentiæ non ruinæ. Ad quid prodest hoc ostium ? ad hoc, ut

VERS. 4. — « Non declines cor meum in verba « malitiæ, ad excusandas excusationes in pecca- « tis. »

C *Non declines cor meum*, o Deus. Hoc Christus dicit ex persona Ecclesiæ. [Aug.] Cum enim unum ex membris hoc orat, ipse orat, ut cum alibi dicit in persona membrorum : *Saule, Saule, quid me persequeris ?* (*Act.* IX.) Et item : *Esurivi et non dedistis mihi manducare* (*Matth.* XXV). Ita et hic, *non declines cor meum*, id est meæ Ecclesiæ, cor utique corporis mei, *in verba malitiæ*, scilicet *ad excusandas excusationes in peccatis*, quasi omnia casu agantur.

VERS. 5. — « Cum hominibus operantibus iniqui- « tatem : et non communicabo cum electis eorum. »

Cum hominibus operantibus iniquitatem, [Cassiod. id est sicut excusant homines qui operantur iniquitatem. Et est sensus : Ad hoc pone ostium ut non
D excusem peccatum meum, quod summum vitium dominatur hominibus, unde tardius pœnitent. Unde in libro Regum dicitur : *Quasi peccatum ariolandi est repugnare, et quasi scelus idololatriæ est nolle acquiescere* (*Reg.* XV). Nota quod ait, ad excusandas excusationes in peccatis. [Aug.[Hæc est consuetudo imprudentium, ut deprehensi primum per aliqua falsa se excusent, et inde convicti alia quærant, tempori, vel necessitati mala imputantes, nequando veritati cedant. *Et non communicabo* ; quasi dicat : Non declines cor meum. Et si hoc fuerit, ego *non communicabo*, vel, combinabor *cum electis eorum*, non Dei, id est non·ero socius eorum. Electi eorum sunt, qui se justificant cæterosque despiciunt, ut Pharisæus qui dicebat : *Non sum sicut cæteri hominum*, etc. (*Luc.*

xviii), qui peccata defendunt, quibuscunque modis. Cum talibus non vult iste combinari, id est sociari, ne impediatur ab eis. [Cassiod.] Combinari enim proprie dicuntur, quando duo rei simul uno vinculo ligantur, ut alter alterum impediat, ne sit fuga libera.

PARS II. VERS. 6. — « Corripiet me justus in misericordia et increpabit me ; oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. »

Corripiet me. [Cassiod., Aug.] Secunda pars, ubi fidelis iste jam econtra a justo correctus, spernit falsos laudatores, malis verbo et moribus profuturus, in qua parte etiam custodiri petit ; quasi dicat : Non communicabo cum illis, ut defendam peccata ; sed potius *justus corripiet me, et increpabit me in misericordia.* Non enim odit qui arguit, et eo magis arguit quia non odit. Justus iste Christus est vel quilibet frater, vel ipse idem secundum interiorem hominem corripit se secundum carnem quasi uxorem. *Oleum autem peccatoris,* id est falsa laus adulatoris et simulata dilectio, quæ mentes a rigore veritatis emollit ad noxia, *non impinguet,* vel, impinguabit, *caput meum,* id est mentem meam ; id non crescit caput meum de adulatione falsa, non me delectat oleum peccatoris. Inde est quod et homines cum falsa laude aliquem irriseriut, de illo dicunt : Unxi illi caput. Amet ergo fidelis argui a viro justo in misericordia, et non laudari a peccatore cum irrisione. Habeat secum conscientiæ oleum, quod ille prudentes virgines secum portabant (*Matth.* xxv): non quærat oleum peccatoris.

VERS. 7. — « quoniam adhuc et oratio mea in beneplacitis eorum ; absorpti sunt juncti petræ judices eorum. »

Quoniam adhuc ; [Rem.] quasi dicat : Non impinguet caput meum, et ita vere erit, *quoniam adhuc* futurum est hoc quod dicam, *et* quid est illud ? Ecce, *et oratio mea* erit *in beneplacitis eorum,* id est illi peccatores orabunt pro æternis ut ego. [Aug.] Vel ita conjunge : Non communicabo cum malis, corripiet me justus, quoniam adhuc, exspecta, et oratio mea, erit in beneplacitis eorum. Primis temporibus vituperabantur Christiani, sed adhuc exspecta. Et oratio mea, erit in beneplacitis eorum, id est veniet tempus, quo placebit eis oratio mea, ut dicant : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.* vi). Et item : *Habemus apud Patrem advocatum Jesum* (*I Joan.* ii). Et oratio mea, id est mei capitis, scilicet oratio quam ipse docuit, vel qua ipse interpellat pro nobis, erit in beneplacitis eorum, id est beneplacebit eis. Et etiam *judices eorum,* id est potentes, docti, qui de moribus judicant, ut Plato, Aristoteles, Pythagoras *absorpti sunt juncti petræ,* id est comparati Christo crucifixo. Vel absorpti sunt juxta petram, alia littera. Idem sensus est, id est juxta Christum, id est comparati Christo, per se videntur aliquid dicere, sed junge, id est compara illos Christo, et nihil sunt ; mortui jacent ; stulta sapientia eorum est (184). Surrexit enim Christus, et omnes eum colunt. Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat, in cujus rei figura serpens Moysis dracones magorum devoravit, quia sapientia Christi *stultam fecit sapientiam hujus mundi* (*I Cor.* i). [Aug.] Quid ergo de eis erit ? Ecce ipsi tandem

VERS. 8. — « Audient verba mea quoniam potuerunt ; sicut crassitudo terræ erupta est super terram. »

Audient verba mea. Quare audient ? *quoniam* ipsa verba *potuerunt,* [Aug.] vel prævaluerunt, id est potentiam habent, et prævaluerunt verba mea verbis eorum. Si enim illi locuti sunt diserte, ego vere. Aliud est laudare loquacem, aliud commendare veracem. Præterea verba mea prædicant, qui pro eis nec mori timent, secundum illud : *Ecce ego mitto vos sicut oves in medium luporum* (*Matth.* x) ; et : *Nolite timere eos qui occidunt corpus,* etc. (*Ibid.*); ac si diceret : Nolite timere mortem. Quid ergo mortes illorum fecerunt ? Ecce *sicut crassitudo terræ,* etc.; quasi dicat : Prosunt verba mea eis ; prosunt etiam mortes. Et hoc per simile ostendit, quia sicut crassitudo terræ *erupta est,* vel dirupta est *super terram.* Unde proventus fertilitatis evenit, licet vilis sit res, ita

VERS. 9. — « Dissipata sunt ossa nostra secus infernum, quia ad te, Domine, Domine, oculi mei ; in te speravi, non auferas animam meam. »

Ossa nostra, id est corpora testium Christi *dissipata sunt,* [Aug.] id est ex dissipatione ossium nostrorum summa utilitas venit. Et est congrua comparatio. Crassitudo enim terræ est quædam contemptibilia, unde terra tamen accipit pinguedinem : sic ex eo quod contempsit mundus, accepit pinguedinem, unde seges Ecclesiæ feracius pullularet. Hæc est mors sanctorum, quæ contemptibilis est sæculo, sed pretiosa agricolæ, id est Christo, qui novit ibi utilitatem, ut uberem succum, unde crevit Ecclesia. Contemptibilia enim mundi elegit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt evacuentur ex illis (*I Cor.* i). Modo jam saginata est terra, exsurgente segete Ecclesiæ. Vide sane quomodo nobile præcipuum mundi humiliatum est. Imperator venit Romam, quo festinat ? Ad palatium imperatoris, an ad memoriam piscatoris ? Utique piscatori hominum supplicat. *Secus infernum ;* [Gl. int.] quasi dicat : Dissipata sunt ossa nostra, et hoc, secus infernum, id est pro velle profundorum, id est pro voluntate eorum qui sunt infernus, id est profundi in vitiis. Vel secus infernum dicit, non in inferno, quia etsi communi forte moriuntur, non tamen descendunt in infernum ut mali, sed vita æterna datur illis. Vel ita ab illo loco : *Absorpti,* ubi agit de contradicentibus Christo et Ecclesiæ, scilicet de hæreticis et schismaticis ; quasi dicat : Oratio mea placebit eis, quod si qui

(184) Orig., homil. 14 in Exod.

sunt qui contradicant absorbentur. Et hoc est quod ait, *judices eorum*, scilicet doctores hæretici, *absorpti sunt* a profundo vitiorum, entes *juxta petram*, id est juxta Christum, et non super petram, quia communicant sacramentis, non tamen in Christo sunt. Et ideo merguntur in profundum peccati. Et merito, quia *audient verba mea*, nec corrigentur : quod mirum est, *quoniam* ipsa verba, *potuerunt*, vel prævaluerunt, omnibus aliis verbis. Et ideo magis rei sunt, quia contendunt. *Et sicut crassitudo terræ erupta est super terram*, unde sit morbus in corporibus ; sic tabe malitiæ eorum *dissipata sunt ossa nostra*, id est corpora martyrum Christi. Crassitudo enim terræ quando eructat, aerem corrumpit, et tunc lues in hominibus late diffunditur ; sic superbia eorum tabe malitiæ suæ corpora martyrum sauciat, qui sunt ossa et firmamenta fidelium. [Alcuin.] Vel ita ab illo loco : *Audient*, aliis quæ præcedunt non mutatis, quasi adhuc placebit illis oratio mea, et vere *quia* ipsi *verba mea audient* aure obedientiæ, non sicut Adam qui audivit Dominum dicentem : *De ligno scientiæ boni et mali ne comedas* (*Gen.* II) ; sed non obedivit. Prædestinati autem ad vitam audient aure audiendi verba mea. Quoniam ipsa verba mea *potuerunt*, id est potentiam habent ut penetrent corda. Et ideo audient ea, et recurrentes ad Adam, ejusque excessum recolentes, dicent : Adam fuit perditio nostra, qui non stetit ; stemus nos, ut repatriemus, et dicent : Adam est sicut crassitudo terræ erupta est super terram, quia sicut crassa terra præ abundantiam germinat spinas, ita Adam præ divitiis liberi arbitrii, quasi luxurians terra, lignum vetitum usurpavit : sed sicut agricola eam proscindit, ne ultra luxuriet, ita *dissipata sunt ossa nostra* a Deo, id est Deus dissipavit interiora nostra, ubi osseos, id est firmos nos esse oportuit, id est infirmos et inconstantes nos fecit Deus. Nos dico **303** projectos, *secus infernum*, [Cassiod.] id est maledictioni proximos, *quia* ad te, dicta fragilitate hominis, ad divina remedia confugit. Quasi dicat : Hæc prædicta sunt in nobis, sed, o Domine, non auferas, id est non auferri sinas a bonis tuis, animam meam, et si corpus perimitur. [Aug., Cassiod.] Hoc ideo petit, quia sciebat multos cedere adversis. Ideo non auferas, quia *oculi mei* sunt, ad te, Domine, non ad minas persecutorum. Novi enim quid pro me passus sis, quid promiseris, et per hoc secure *speravi in te*, et ideo *non auferas a me* a bonis tuis, sed spes mea semper sit in te, et oculi mei semper te intendant. Non enim petit iste contra hoc quod sancti volunt, scilicet de sæculo eripi, et esse cum Christo.

VERS. 10. — « Custodi me a laqueo quem statue« runt mihi ; et a scandalis operantium iniquita« tem. »

Custodi me, [Aug., Cassiod.] quasi dicat : Non auferas animam, sed potius *custodi me a laqueo*, vel muscipula, *quem*, vel quam *statuerunt mihi* mali a deceptione, ubi esca ducit ad laqueum ; *et a scandalis* A *operantium iniquitatem*, id est a manifestis perturbationibus inquietorum. Per laqueos et scandala totius mundi mala breviter notat. Laquei enim sunt blandi nexus decipere volentium, et carnis desideria. Si per hos diabolus non perficit nititur scandalis, quæ per inquietos movet.

VERS. 11. — « Cadent in ratiaculo ejus peccato« res ; singulariter sum ego, donec transeam. »

Cadent, [Cassiod.] quasi dicat : Me custodi, sed *peccatores* ruentes de vitio in vitium, *cadent in retiaculum*, vel retiaculo *ejus* iniquitatis. Dicendo, cadent in retiaculum peccatores, aperta verba comparationi ponit. Nam quasi quadam circuitione peccatorum clauduntur, dum de vitio in vitium corruunt, cum istis talibus non vult iste combinari. B Unde addit, *singulariter sum*, quasi dicat : Illi cadent, sed *ego* singulariter, vel singularis sum, quia cum pessimis non ambulat, neque consensum cum eis habet. Singulariter sum dico, *donec*, ut viator, *transeam* viam hujus mundi, quam inoffenso gressu transit, quia nulla voluptate capitur.

[Aug.[Vel aliter ab illo loco : *Custodi me*. Et dicit statuentes laqueum persecutores manifestos, operantes autem iniquitatem, consentientes illis, qui timore persecutionis deficiunt. Et est, ne auferas animam meam, sed potius custodi me *a laqueo* persecutionis, *quem statuerunt mihi*. Hoc faciunt persecutores, qui escam vitæ hujus quasi in muscipulam ponunt. Si amat avis hanc escam, cadit in muscipulam, quia timore mortis persecutioni sucC cumbit. *Et* custodi me *a scandalis operantium iniquitatem*, id est scandalo eorum, qui illis consentiendo labuntur, et ita iniquitatem operantur. Hoc ergo de eis dicitur qui consenserunt illis qui apostaverunt. Ex utrisque vult iste custodiri, id est a terrentibus et a lapsis ; ac si diceret : Custodi me a persecutoribus qui terrent, et a lapsis, qui territi sunt, ut nec illos timeam, nec istos imiter. Et non modo alii operantur iniquitatem ; sed etiam ipsi primi, scilicet apostoli hærentes ori ejus defecerunt. Et hoc est : *Cadent in retiaculum ejus*, scilicet iniquitatis, *peccatores*, id est apostoli, qui usque eo fuerunt peccatores, ut sic amarent vitam istam, ut eam præponerent æternæ. Nondum enim eis factum erat quod in alio psalmo dicitur : *Ego confirmavi coD lumnas ejus* (*Psal.* LXXIV). Deinde ex persona capitis subditur, *singulariter sum*, etc. Nec mutatur vox propter unitatem capitis et corporis. Quasi dicat : Quare est hoc, scilicet quod defecerunt ? Quia singulariter, vel singularis sum ego, id est quia solus sum in tempore passionis, quia nullus cum ea vel ante eum pro nomine ejus passus est, et apostoli defecerunt, et in cruce pendens unum solum latronem comedit. Singularis sum dico, *donec transeam* de mundo ad Patrem. Tunc confirmabo columnas, quia in resurrectione Christi didicerunt mortem non timere. Singularis ego sum, donec transeam : cum vero transiero, multiplicabor. Hoc est illud idem quod in Evangelio ait : *Nisi granum frumenti*

cadens in terra mortuum fuerit, ipsum solum A *manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert* (*Joan.* XII). Et item : *Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me* (*ibid.*). Ergo solus erat antequam esset mortificatus, et a terra exaltatus. Propterea nondum habebant apostoli tales vires. Accepturi erant vires sequendi, quia non habebant vires præcedendi. Nemo enim ante Christum occiditur propter Christum, id est propter confessionem nominis Christi, ne pro nomine Christi moriendo antecederet Christum. Etsi enim multi mortui sunt, martyres sunt. Et licet prophetæ multi talia passi sunt, non tamen ideo moriebantur, quia prænuntiabant Christum ; sed quia peccata hominum dicebant in eos, et eorum iniquitatibus resistebant, et habentur eorum quidam inter martyres. B Nec etiam Joannes, quo major non surrexit inter natos mulierum (*Matth.* XI), pro Christi testimonio occisus est ; sed pro Herodis adulterio, quia dicebat : *Non licet tibi habere uxorem fratris tui* (*Matth.* XIV). Pro lege veritatis vero mortuus est, pro justitia martyr fuit, non pro nomine Christi. Sic et alii antiqui, proprie tamen martyres dicuntur, qui pro confessione nominis Christi patiuntur.

COLLATIO IN PSALMUM CXL : « DOMINE, CLAMAVI AD TE, EXAUDI ME, INTENDE VOCI MEÆ, » etc.

VERS. 3. — *Ostium circumstantiæ labiis meis.* Ferme omnes vertunt, *serva ostium labiorum meorum*, quod idem pollet. Sed Hieronymus transtulit, *serva paupertatem labiorum meorum*. Siquidem דל sine punctis potest efferri דל per KAMETZ, et est C *pauper* sive *paupertas*, aut דל DAL, per patha deficiente thau in fine, et est *janua, ostium*. Interpretes pro Cajetano dixerunt, *elationem*.

VERS. 4. — *Ad excusandas excusationes in peccatis.* D. Hieronymus, *volvere cogitationes impias ;* Munsterus, *ne occuper in operibus impietatis*. Et alii fere ad consimilem modum. Pellicanus tamen accedit ad censum Vulgatæ lectionis, *ut non adinveniam studia in impietate*. Nam עלל ALAL, est *adinvenire* להתעלל LEHITHOLEL, *ad inveniendum*. Deinde עלילות ALILOH, *adinventiones*, recte, *excusationes in peccatis* indicant.

VERS. 5. *Non communicabo cum electis eorum.* D. Hieronymus, *neque comedere in deliciis eorum.* Cæteri etiam ad consimilem modum, verbi gratia, Sanctes, *non comedam cibum voluptatum eorum ;* Munsterus, *non comedam de his quæ sunt eis jucunda*. D Verum eodem recurrit sensus si dixeris, *non communicabo cum his quæ sunt electa*, et *non communicabo cum his quæ sunt eis jucunda* vel *non communicabo cum his qui sunt electi*, et *cum his qui sunt eis jucundi*, sive *deliciosi*. Nam expositio sanctorum est de ipsis hominibus, non item de rebus.

VERS. 6. — *Oleum peccatoris.* D. Hieronymus, *oleum amaritudinis*. Alii *oleum capitis*, alii *oleum primum* seu *præcipuum*. Dictum est in superiori psal ראש ROSCH anceps esse. Et quia interim designat *fel*. Septuaginta et Hieronymus pro *peccatore* aut *peccato* accipiunt. Quo quid amarius ?

Non impinguet caput meum אל יני ראש IANI ROSCH. D. Hieron. est nobiscum, ubi verbum redditur juxta rei commoditatem. Alii enim vertunt, *ne frangat ;* vel *ne prohibeat*, sive *non prohibebit caput meum*. Sic autem est sententia ambigua. Siquidem potest accipi, ne deliciæ peccatoris turbent caput justi, aut sensu converso, ut oleum primum, quod dicunt sit habitum a viro pio loco beneficii, quanquam revera foret durum vulnus. Tantum abest ut injuria reta liet, quin quod est per se molestum candido pectore amplexatur. Quantum vero ad nostram lectionem, nihil magis turbat aut dementat caput, id est mentem hominis, quam fallax adulatio, ut apposite versum sit secundum proprietatem intelligentiæ, non impinguet caput meum.

VERS. 7. — *Oratio mea in beneplacitis eorum,* D. Hieron., *oratio mea pro malitiis eorum.* Et cæteri eodem tendunt. Pratensis, *inter mala eorum.* Sanctes vertit paraphrasticos, *ut eruat me a malis eorum.* Munster., *contra mala eorum* ברעותיהם BERAOTHEHEM. Si eliciatur a radice רוע ROA, procul dubio significat *malitias eorum*. Si a רעה RAAH, aut sit plurale, interim designat *voluntates*, quæ sane beneplacita sunt.

Absorpti sunt. D. Hieron., *sublati sunt ;* Pratensis, *distrahantur ;* Sanctes et interpretes pro Cajetano, *derelicti sunt*. Alii, *præcipitati sunt*, aut simile quid, quod respondet nostræ lectioni. Cæterum נשמטו NISCHMETU, a themate שמט SCHAMAT, quod est *dejecit, dimisit, præcipitavit, excussit*, potest varie reddi.

Juncti petræ. Pratensis, *super cacumina lapidum.* Sanctes et Munsterus, *in locis petrosis*. Ad litteram dicendum foret, *in manibus rupis* seu *petræ* בידי סלע BIDE SELA. Sed juxta phrasin Hebraicam יד IAD, id est manus, cuique rei pro commoditate officii accommodatur. D. Hieronymus dixit *juxta petram*. Consentit Nebiensis.

VERS. 8. — *Audient verba mea quoniam potuerunt.* Alii transferunt pro eo quod est *potuerunt, jucunda, dulcia*, aut *decora fuerunt*, quia Hebræi dicunt נעמו NAEMU. Certe ubi verba placent, ibi efficaciam suam obtinent ; quod est *verba posse* et *prævalere*. Recte admonet Sanctes interpretem Latinum legisse in Græco ἐδυνήθησαν, pro ἡδύνθησαν.

Sicut crassitudo terræ erupta est super terram. D. Hieronymus in eumdem sensum, *sicut agricola, cum scindit terram*. Sive convertas ad superiora, sive referas ad sequentia, scilicet vel quod audientur verba Dei, sicut pinguescit aut fructificat terra, vel quod ossa martyrum instar terræ discissæ contemptim dispergentur. Sanctes et Munsterus admiscuerunt quod tantum libuit, et sequitur Campensis, *sicut qui frangit et dissecat ligna in terra*. Alii non addentes *ligna*, videntur etiam secundum accipere sensum, quem modo indicavimus propter aliam distinctionem versiculorum כמו פלח ובקע בארץ.

VERS. 11. — *Singulariter sum.* Sic et Pellicanus post Chaldæum, *singularis sum*. Cæteri vertunt simul יחד אנכי IAHAD ANOCHI, indifferens est, tamen transferendo simul, ambiguum erit, an simul respiciat superius, ut potc *cadent* simul, an inferius, simul *transibo*, quandoquidem in Hebr. est pausæ membrum in רשעים RESCHAIM.

Donec transibo, Sanctes et Munsterus dicunt, *in sæculum transibo*. D. Hieronymus neutrum ponit, sed tantum, *simul autem ego transibo*. Unum tamen est quod עד AD anceps est, *donec* sive *sæculum*. Hinc Chaldæus *donec tempus transeat*. Et Nebiensis *donec transeam*.

PSALMUS CXLI.

PSALMI TITULUS : « INTELLECTUS DAVID CUM ESSET IN SPELUNCA, ORATIO. »

Voce mea Titulus : *Intellectus David cum esset in spelunca. Oratio.* [Aug.] Psalmus iste quintus est eorum qui nomine orationis intitulantur, ubi non alia dicuntur, quam quæ in aliis psalmis dicta sunt, sed eadem quia repetitione communi consulitur infirmitati, non supervacue iterantur, ut repetita melius memoriæ commendentur. Unde scriptum est in Proverbiis : *Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis* (*Prov.* XXI); vir autem stultus glutit illum, quia sapiens quæ audierit cogitat, et retractando ruminat ; stultus vero glutit, id est non cogitat, oblivioni dat. Et hæc sunt illa munda animalia in lege, quæ ruminant, et ista immunda quæ non ruminant. Quod vero ait, *cum esset David in spelunca*, ad litteram manifestum est. [Alcuin.] David enim fugiens Saulem in spelunca latuit, de quo tamen **304** non hic agitur, sed de significato. David enim significat Christum ; spelunca vero, carnem, vel sæculum, vel sepulcrum. David ergo in spelunca, Christus cum membris est in sæculo, vel Christus in carne, vel in sepulcro. Et est sensus tituli : Hic est *intellectus David*, id est totius Christi, quæ habuit *cum esset in spelunca*, id est in sæculo, vel in carne, vel in sepulcro. [Cassiod.] Et est hic *oratio*. Intentio : Monet nos orare. Modus : Bipartitus est psalmus. Primo ponitur oratio contra mala. Secundo agit de fine malorum, ibi, *clamavi*. In persona ergo totius Christi, quasi de spelunca ad Deum clamantis, ait :

VERS. 1. — « Voce mea ad Dominum clamavi; « voce mea ad Dominum deprecatus sum. »

Voce mea interiori, non strepitu labiorum. *Clamavi ad Dominum.* [Aug.] Deinde hoc quod dixerat exponit, subdens, *voce mea ad Dominum deprecatus sum*, quod enim dixit, clamávi, dicit, deprecatus sum. Quod ideo adjunxit, quia clamant ad Dominum etiam qui blasphemant, ac si diceret : Clamor meus deprecatio est, non murmur, non blasphemia. Et adhuc

VERS. 2. — « Effundo in conspectu ejus orationem meam : et tribulationem meam ante ipsum « pronuntio. »

Effundo copiose ut purum fontem, *orationem meam* factam *in conspectu ejus*, [Cassiod.] id est videt Deus, scilicet in abscondito conscientiæ, ubi solus videt ille qui reddet. Ibi ergo effunde precem tuam; si homines reddunt, ante eos effunde. Si vero redditurus est Deus, in occulto ora, sicut præcipit in Evangelio : *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio ora Patrem tuum ; et qui videt in abscondito reddet tibi* (*Matth.* VI). *Et tribulationem meam*, id est orationem quæ sit in tribulatione *ante ipsum pronuntio*, id est intus de conscientia. Vel innocentia securus in occulto ad eum dirigo. Et hoc facio dicit Ecclesia.

VERS. 3.— « In deficiendo ex me spiritum meum; « et tu cognovisti semitas meas. »

In deficiendo ex me spiritum meum, [Aug.] vel, dum defecit a me spiritus meus, alia littera, id est dum ex me virtus defecit : quod fit, ne de viribus suis præsumat, ne virtutem quam habet, sibi arroget, et sciat quod alius in eo operatur, secundum illud : *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis* (*Matth.* X). Si ergo tuus Spiritus deficit, loquitur in te Spiritus Dei, et forte quia homines audientes, defecit Spiritus meus. Putant eum dejectum. Et addit : *Et tu cognovisti semitas meas*, id est semitas justitiæ et præceptorum, quas illi non vident, qui me captivum putant, per quas illis cadentibus, securus ambulo ;

VERS. 4. — « In via hac qua ambulabam : abs- « conderunt superbi laqueum mihi. »

In via hac, [Aug.] quasi dicat : Si illi putant me dejectum quia spiritus meus defecit, tu me stantem vides, cujus spiritus me vivificat, et illi qui pro Christo me persequuntur, *absconderunt mihi laqueum in via hac qua ambulabam*, id est in Christo. Hoc enim zelant, quod Christi sum. In hac via ponunt laqueum, non secundum rei veritatem, sed quantum ad se, id est quantum ad opinionem suam, quia in via ponere intendunt; sed extra viam ponunt sicut hæretici, non in via ut volunt, sed extra abscondunt laqueum. Unde alibi : Juxta iter scandalum pone mihi (*Psal.* CXXXIX). In via ergo secundum votum eorum ponitur laqueus ; sed juxta viam, secundum rei veritatem. Christus enim est via, qui non sinit eos laqueum ponere in via, ut non sit nobis qua eamus. Sinit tamen ponere juxta viam, ne a via declinemus. In via se putat ponere scandalum qui dicit : Colis Deum crucifixum. Reprehendit enim crucem Christi, quoniam non intelligit. Hoc enim intelligenti non est scandalum, sed gloria. Vel via hic accipitur charitas. Nota quod pluraliter dixit supra, *semitas meas*, hic singulariter *via*, quia multæ sunt viæ, et una; multæ sunt viæ, quia multa sunt præcepta; una est via, quia omnia ad unum, id est ad charitatem rediguntur. In via ergo hac, id est in charitate, quæ in me omnia tolerat, qua ambulabam, pro te patiendo, absconderunt persecutores, juxta opinionem suam, laqueum mihi. Illis autem undique frementibus et crebris exsultationibus exprobrantibus, ego contemnens præsentia,

VERS. 5. — « Considerabam ad dexteram, et vi- « debam : et non erat qui cognosceret me. »

Considerabam ad dexteram, [Aug.] id est ad æterna respiciebam, *et videbam* ipsam dexteram, quam mali non videbant. Qui enim in dexteram attendit, videt ; qui vero in sinistram attendit excæcatur.

Ideoque mali sinistram attendentes, dexteram non A vident. Et hoc est quod sequitur : *Et non erat qui cognosceret me,* cum enim pateris omnia, quis novit quid attendas, utrum in dexteram aut sinistram oculum dirigas ?

Vers. 6. — « Periit fuga a me ; et non est qui « requirat animam meam. »

Periit fuga, [Aug.] quasi dicat : persecutores absconderunt laqueum mihi, sed tamen non fugi, imo *periit fuga a me.* A duobus perit fuga, scilicet a concluso vel a forti. Conclusus enim fugere non valet ; fortis non vult. Et duplex est fuga : Una quæ fit corpore, quam Dominus permittit dicens : *Si vos persecuti fuerint in unam civitatem, fugite in aliam* (*Matth.* x) ; altera, quæ fit animo, quam Dominus in Evangelio vituperat, dicens : *Mercenarius* B *autem et qui non est pastor, videt lupum venientem, et fugit* (*Joan.* x). Talis quidem fuga ab isto perit. Ideoque ait, periit fuga a me, id est non fugi. Ab illo enim periit fuga qui non fugit, quasi circumclusum se dicit, quia sicut circumclusus non fugit corpore, quia non potest, ita iste non fugit mente, quia non vult. Periit ergo fuga ab illo, quia nunquam fugit animo, licet corpore aliquando. *Et non est* de illis persequentibus, *qui requirat animam meam,* non dico ad persequendum, sed ad imitandum. Quæritur enim anima duobus modis, aut a persecutoribus, aut a dilectoribus, sicut fuga perit duobus modis, et a capto, et a forti.

Pars ii. Vers. 7. — « Clamavi ad te, Domine, « dixi : Tu es spes mea ; portio mea in terra vi- C « ventium. »

Clamavi. [Cassiod., Aug., Hilar., Cassiod.] Secunda pars, ubi agit de fine malorum. Quasi dicat : Ita mihi. Et ideo, *clamavi ad te, Domine, et dixi* : *Tu es spes mea.* Hic ideo omnia tolero. *Et portio mea,* tu es, non hic, sed *in terra viventium,* ubi se, ipsum videndum dabit. Vel in persona Christi potest accipi ab illo loco : *Considerabam,* qui in passione etiam a discipulis derelictus ait : *Considerabam ad dexteram,* ad litteram, *et videbam,* si essent ibi apostoli mei. *Et non erat* ibi *qui cognosceret me.* Apostoli enim non stabant ad dexteram ut solebant, quia carnali timore dispersi sunt ; sed ego perstiti. Unde sequitur : *Periit fuga a me,* fuga, scilicet tam corporis quam animi. *Et non est qui requirat ani-* D *mam meam,* quia nulla consolatio ei data est, sed solus ad passionem relictus est. Unde alibi : *Et sustinui qui consolaretur, et non inveni.* Et ideo *clamavi ad te, Domine, et dixi : Tu es spes mea,* qui ex omnibus te eligo, et tu es *portio mea in terra viventium.* Humiliter dicit et communiter portionem sibi esse in terra viventium, cum tota sit sua. Hoc patet ex hoc quod dixit latroni : *Hodie mecum eris in paradiso* (*Luc.* xxiii), qui est terra viventium æternaliter. Deinde sequitur ex persona totius Christi :

Vers. 8. — « Intende ad deprecationem meam, « quia humiliatus sum nimis. »

Intende, [Aug.] quasi dicat : Quia tu es spes mea. Ideo *intende ad deprecationem meam* et necesse est, *quia humiliatus sum nimis.* Humilio enim me intus invisibiliter, et humilior a persequentibus extra visibiliter. Et

Vers. 9. — « Libera me a persequentibus me, « quia confortati sunt super me. »

Libera me a persequentibus me, [Aug.] non ut corpus non ruat, sed anima. Ad hoc enim diabolus per vasa sua, id est per filios diffidentiæ agit persecutionem corporis, ut intus fiat cordis ruina. Si ergo cadente corpore stat anima, muscipula est comminuta. Et necesse est ut liberes, *quia confortati sunt super me.* Crevit enim numerus persequentium, abundat iniquitas, refrigescit charitas (*Matth.* xxiv). Deinde ex persona Ecclesiæ loquens, exponit unde sit liberandus, dicens :

Vers. 10. — « Educ de custodia animam meam « ad confitendum nomini tuo ; me exspectant justi « donec retribuas mihi. »

Educ de custodia, vel carcere, alia littera, *animam meam.* [Aug.] Hæc custodia, vel hic carcer forte est spelunca illa, quam titulus dicit. Hic autem carcer mundus potest dici, ubi omnia vana sunt, quia omnia sub sole vanitas. Unde iste rogat educi animam, quæ inde multa patitur, id est orat educi de hoc mundo, de sub sole, ubi omnia vanitas. Vel carcer dicitur corpus humanum, sed non est magnum de corpore exire, quod et mali habent, et omnes cito vel sero hoc habent ; nec est charitas, si justus ad hoc nimis festinat. Debet enim velle manere in carne, si necesse est propter fratres. Vel potius corpus est carcer, non utique secundum id quod Deus fecit ipsum bonum, sed secundum id quod corrumpitur et aggravat animam, id est corruptio ejus, quæ venit ex peccato carcer est. De qua corruptione iste vult educi, ut fiat incorruptibilis, et in incorruptibili carne quiescat anima, quæ nunc in corruptibili carne gemit et angustiatur. Nunc ergo corpus animæ carcer est, propter corruptionem ; in futuro erit domus propter incorruptionem et libertatem. Merita enim carcerem faciunt, sicut unum habitaculum incluso carcer est, custodi domus est ; libertas domum facit, servitus carcerem. Ita ergo non caro, quam Deus fecit, sed corruptio et tentatio carcer est, de quo precatur educi, dicens : *Educ animam meam de custodia,* vel carcere, id est de corruptione corporis, quia in corruptione quæ est pœna corporis angustiatur, post quas angustias in domo Dei tota vita erit confessio, id est laus Dei. Unde subdit *ad confitendum,* id est ut confiteatur *nomini tuo.* Modo impedit carcer confiteri, *me exspectant justi.* Hoc ex capite, id est ex persona capitis subdit, non mutata voce, quale fuit illud quod supra in fine præcedentis psalmi dixit, *singulariter sum donec transeam.* [Cassiod.] Vel totum ex persona capitis potest accipi ab illo loco : *Libera me a persequentibus me,* Judæis, *quia confortati sunt super me,* me occidendo. Et, o Domine, *educ de custodia,* vel carcere, sepulcri scilicet *animam meam,* id est carnem animæ redden-

dam. Ad quid? *Ad confitendum nomini tuo*, ut pariam A confitentes tibi. Et debes educere, quia *me exspectant justi, donec retribuas mihi*, suscitando me tertia die. Dico *retribuas mihi*, resurrectio enim ipsa, passionis est retributio.

COLLATIO IN PSALMUM CXLI : « VOCE MEA AD DOMINUM CLAMAVI VOCE MEA, etc. »

VERS. 6. — *Periit fuga a me*. D. Hieronymus, Nebiensis, Pellicanus et Sanctes, itidem reliqui transferentes, *periit refugium a me*, expositionem sanctorum labefactant, et oppositum statuunt, quia sancti interpretantur de Christo aut justo, qui non fugit, sed sponte se offert pro veritate defensanda : et tamen non est qui requirat animam ejus, aut imitando aut attingendo. Si autem dixeris, *periit refugium a me*, nihil magis **305** abest a Christo, vel justo. Cæterum מנוס MANOS est *refugium* vel *fuga*.

VERS. 10. — « *Me exspectant justi donec retribuas mihi*. In Hebr. ponitur כתר KITER, quod frequentius sonat *cinxit*, aut *coronavit*. Et quæ illi junguntur, varie reddunt, juxta hanc vel illam rei consequentiam. D. Hieronymus ait, *in me coronabuntur justi, cum retribueris mihi*. Itaque ferme Nebiensis et interpretes pro Cajetano, Pellicanus, *in me circumdabunt justi, quia retribues super me*; Pratensis, *me circumdabunt justi, cum retribueris mihi*; Sanctes, *propter me coronabunt se justi, cum retribuas mihi*; Munsterus, *me cingent justi, eo quod retributionem facturus sis mihi*; translator ad Campensem, *quod si mihi dones, justi sociabunt se mihi*; Paraphrasis, *in modum coronæ justi cingent me, ubi senserint te ultum injuriam meam*. Porro cum כתר KITER, significet interim *exspectavit*, ut Job XXXVI, ubi circa initium capitis legimus *sustine*. In Hebræo habetur כתר KATAR, et Munsterus *exspecta*. Idcirco probe reddiderunt LXX.

PSALMUS CXLII.

PSALMI TITULUS : « PSALMUS DAVID, QUANDO PERSEQUEBATUR EUM FILIUS SUUS ABSALON. » B

Domine, exaudi orationem meam. Titulus : *Psalmus David, quando persequebatur eum filius suus Absalon*. [Cassiod.] Psalmus iste septimus est pœnitentialium psalmorum, qui ideo sunt septem, ut eodem numero quo peccamus, peccata diluamus. Sicut enim in hebdomada mundi hujus peccamus, ita hoc numero psalmorum, remedium pœnitentiæ peccatis opponitur. In quibus psalmis talis est forma, quia a lacrymis incipitur, et in gaudio finis est, ne quis de venia desperet. [Aug.] Historia vero quam titulus tangit, ex libro etiam Regum nota est, ubi legitur Absalon inimicus patri suo exstitisse, et gessisse contra eum, non solum civile, sed etiam domesticum bellum (*II Reg*. XV). De quo tamen C non agit psalmus, sed de significato. David ergo Christum significat, et corpus ejus; Absalon vero Judam vel persecutores, vel pravos motus). Sicut ergo Absalon David, sic Judas persecutus est Christum, et falsi fratres persequuntur corpus ejus, quod est Ecclesia, vel ipsi illiciti motus et carnis desideria, et prava operatio unumquemque fidelem. Et est sensus tituli : *Psalmus* iste, *David* agit de hoc quod significatum est, tunc *quando persequebatur eum filius suus Absalon*. [Cassiod., Alcuin., Aug.] Intentio : Monet ad pœnitentiam et orationem. Modus : Quatuor sunt partitiones. Primo captat per exordium. Secundo narrat mala sua, et quid contra egerit, ibi *quia persecutus est*. Tertio ponitur deprecatio carnis confirmata, ibi, *velociter* D *exaudi me*. Quarto ponitur læta conclusio, ibi, *spiritus tuus*. Ad orandum ergo monens in persona totius Christi, dicit : O

VERS. 1. — « Domine, exaudi orationem meam, « auribus percipe obsecrationem meam, in veritate « tua exaudi me in tua justitia. »

Domine, exaudi orationem meam. [Aug.] Deinde aliis verbis idem repetit, dicens, *auribus*, id est auditu clementiæ tuæ, *percipe obsecrationem*, vel deprecationem *meam*, et iterum repetit, quia repetitio, confirmatio est, *exaudi me in veritate tua*, id est ut verax et justus videaris, qui promisisti, *in justitia tua*, [Greg.] id est propter tuam justitiam, quæ in me est, quam per fidem passionis filii tui a te habeo. A te enim est homini justitia. [Aug.] Et est hic gratiæ commendatio, cum ait, in tua justitia, non in illa quæ est ex lege, quam quidam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti (*Rom*. X). [Cassiod.] Vel justitiam et veritatem dicit, qua parcit pœnitentibus, et damnantes absolvit, et accipit pro eodem veritatem et justitiam. Et est sensus : Exaudi me in veritate tua, in justitia tua, id est secundum justitiam et veritatem, quam pœnitentibus et se accusantibus indulges. Non est hoc contra humilitatem qua petebat audiri, sed veritas et justitia Dei est, ne eum rogante disceptet, ne eum qui se damnat judicet. Unde subdit :

VERS. 2. — « Et non intres in judicium cum « servo tuo, quia non justificabitur in conspectu « tuo omnis vivens. »

Et non intres in judicio, vel judicium *cum servo tuo*, [Rem., Aug.] id est non districte mecum agas in futuro, quia servus tuus sum. Indignum est enim cum servo intrare judicium, ne dicam cum amico. Et si tu dicis me amicum, ego servum; misericordia indigeo, fugitivus ad te redeo, pacem quæro, non sum dignus vocari filius tuus. Non ergo intres mecum in judicium, quia nec ego volo intrare tecum. Intrant judicium cum Domino qui justitiam suam constituunt; quod non iste humilis facit. De illis dicit propheta : *Quid mecum vultis contendere in judicio, omnes dereliquistis me, dicit Dominus* (*Jer*. II). [Cassiod., Aug.] Ecce per hoc quod hic dicit, non intres in judicium, patet quod supra non petivit justitiam judicii futuri, dicendo : Exaudi me in tua justitia, cur hoc times? *quia* etsi apud se, *non* tamen *justificabitur in conspectu tuo*, id est intus, ubi vides, *omnis* homo *vivens*. Hic in carne, quia etsi qui ab hominibus sancti videntur, non tamen Deo qui intus videt, ubi nemo hic vivens, plene est mundus. Ideo Salomon ait : *Ante mortem non lau-*

des hominem (*Eccli.* XI); nec Paulus se perfectum ait, dicens : *Nihil mihi conscius sum, non tamen in hoc justificatus sum* (*I Cor.* IV). Et nota quod ait, omnis vivens. [Cassiod.] Per hoc enim generaliter intelligitur omnis homo, etiam infans, qui originali peccato tenetur. Nemo ergo per se, nisi per gratiam potest liberari. Vel ita : *Non justificabitur in conspectu tuo*, id est tui comparatione, *omnis vivens.* [Hilar., Hier.] Non dicit omnis homo, sed *omnis vivens*, scilicet non apostolus, non propheta, non angeli, non throni, non cæteræ virtutes. Solus enim Deus est, in quem peccatum non cadit, id est non potest cadere. Cætera cum sint liberi arbitrii, in utramque partem possunt flecti, in cujus conspectu astra non sunt munda.

PARS. II. VERS. 3. — « Quia persecutus est inimicus animam meam, humiliavit in terra vitam « meam. »

Quia persecutus est. [Alcuin., Aug.] Secunda pars, ubi est narratio malorum quæ patitur, et dicit quid contra egerit, quasi dicat : Exaudi, libera. Et necesse est, dicit Ecclesia, *quia inimicus*, id est diabolus, vel quicunque, *persecutus est* aperte, vel occulte *animam meam* hoc nos dicimus, hoc caput pro nobis dicit, *et humiliavit* quantum in se est, *in terra*, id est in terrenis, *vitam meam.* Hoc enim agit quicunque persequitur, ut relicta spe cœlesti terram sapiamus, quantum in se est, hoc agit, sed non mihi hoc contingit. Sequitur ex persona corporis prius. Et

VERS. 4. — « Collocavit me in obscuris sicut « mortuos sæculi : et anxiatus est super me spiri- « tus meus, in me turbatum est cor meum. »

Collocavit me inimicus, [Hier., Cassiod., Gl. int.] quantum ad se, *in obscuris*, id est in tenebris vitiorum, *sicut mortuos sæculi*, id est cæteros desperatos. *Et spiritus meus anxiatus est* vicinitate periculi. Spiritus dico extensus, *super me* visa miseria, apud Deum quærens refugium. [Cassiod., Hier.]. Vel quasi extra me factus, *et cor meum turbatum est*, id est sapientia confusa est, *in me*, vel, turbatum est cor meum ad pœnitentiam. Quare turbatum? quia

VERS. 5. — « Memor fui dierum antiquorum, me- « ditatus sum in omnibus operibus tuis; in factis « manuum tuarum meditabar. »

Memor fui dierum antiquorum, [Cassiod.] quibus punitus est Adam : unde mihi timor est. Recolens autem iste quod Deus fecit cœlum et terram, et omnia, et quod bene fecit antiquis patribus, quasi obliviscitur miseriarum mundi. Et ex his quæ fecit Deus se consolatur, dicens : *Et meditatus sum in omnibus operibus tuis*, et non desistens, *in factis manuum tuarum meditabar;* attendens enim quæ in naturalibus fecisti, et quanta bona contulisti antiquis, consolationem habeo ex tua bonitate, spem veniæ assumens. [Aug.] Vel ex persona Christi potest accipi ab illo loco : *Collocavit me in obscuris*, etc. Nam et Christus in obscuris fuit collocatus, scilicet in passione, in sepulcro; sed non ut mor-

A tuus sæculi, quantum ad se, quia cur moreretur non habuit, sed juxta opinionem crucifigentium, collocatus est sicut mortui sæculi, quia eum in morte detinere putaverunt. Ex ejusdem persona : *Et anxiatus est*, vel tædium passus est in me *spiritus meus*, secundum illud : *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Matth.* XXVI). Et item : *Cæpit Jesus pavere et tædere* (*ibid.*) in quo nos figuramur. Transfiguravit enim in se corpus humilitatis nostræ. Et nota quod non ait ex me, sed *in me ;* quasi dicat : Non in aliis, quia omnes deseruerunt eum ; et illi qui inhæserant, recesserunt. Et quia cum mori videbant, aliud aliquid putaverunt, et victi sunt a latrone, qui tunc confessus est, quando ipsi defecerunt. Memor fui, hoc dicunt membra, non

B caput in sua persona. Quomodo enim memor est dierum, per quem factus est omnis dies, et qui nunquam obliviscitur? corpus ergo loquitur inhærens illi in charitate et devota humilitate. Et ait, *memor fui dierum antiquorum*, quibus bona facere, sed non esse cœpisti, *et meditatus sum in omnibus operibus tuis*, quia utique omnia bona sunt in quo percipit, quod quidquid in se boni est, a Deo est. Et *in factis manuum tuarum meditabar ;* ac si diceret : Quæsivi in opere artificem, et in conditis omnibus Conditorem. Creatura tua facta mihi spectaculum, et cum viderem omne bonum esse a te, dicit Ecclesia :

VERS. 6. — « Expandi manus meas ad te, anima « mea sicut terra sine aqua tibi. »

C *Expandi* in oratione, *manus meas ad te*, [Cassiod., Rem., Aug.] formam crucis significans, quæ est salus. Vel, expandi manus meas ad te, id est dilatavi affectus vel opera, quæ prius erant contracta. *Et anima mea* quæ est per se, *sicut terra sine aqua tibi* hæret tibi, non mihi, qui eam rigare non possum. Tu ergo complue eam, ut fructum faciat.

PARS. III. VERS. 7. — « Velociter exaudi me, « Domine, defecit spiritus meus. »

Velociter exaudi me. [Cassiod., Aug.] Tertia pars, ubi ponitur deprecatio carnis confirmata. Quasi dicat : Quia sic sitio, ideo *velociter exaudi me, Domine*, id est cito audi. Quia differebat Deus ad inflammandum desiderium, ac si differretur pluvia ad inflammandam sitim. Si ergo ideo differebas,

D jam da, quia sitit anima in te. Ideo audi, quia *defecit spiritus meus.* Ideo impleat me spiritus tuus, quia defecit meus : jam enim sum pauper spiritu. In quo enim vivit spiritus suus, ille superbus est, spiritu suo extollitur contra Deum. Unde alibi : *Auferes spiritum eorum, et deficient* (*Psal.* CIII). Et quia defecit spiritus meus, id est quia non sum superbus,

VERS. 8. — « Non avertas faciem tuam a me, et « similis ero descendentibus in lacum. »

Non avertas faciem tuam a me, jam humili. [Aug.] Avertisti olim a superbo, et factus sum conturbatus : quod ideo fecisti, ut probarem, quid erat esse a te, Quod ergo abstulisti superbo, jam redde hu-

mili. Ideo non avertas. *Et* id est quia si averteris *similis ero descendentibus in lacum*, id est in profundum peccati, in quo contemnunt homines, et perit confessio. Ille enim **306** descendit in profundum, qui etiam confessionem perdit, ut qui proponit sibi licentiam peccandi sine spe veniæ, habenis iniquitatis effusis. Talis non audit Deum dicentem : *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos* (*Malach.* III). Dico non avertas, sed potius

VERS. 9. — « Auditam fac mihi mane misericor« diam tuam, quia in te speravi. »

Fac mihi auditam misericordiam tuam. Et hoc *mane,* [Cassiod., Aug.] id est post noctem peccatorum. Mane enim est, cum peccata laxantur. Vel, mane, id est post finem sæculi, cum videbimus, quod modo credimus. Ideo fac misericordiam, *quia in te speravi.* In nocte quidem sumus, sed in te speravi, donec transeat iniquitas nocturna. Nox quærit patientiam in exspectando. Lætitiam vero dabit dies. Et quia non satis est in hac nocte sperare, sed opus est aliquid agere, quod per me non possum, ideo precor :

VERS. 10. — « Notam fac mihi viam in qua am« bulem, quia ad te levavi animam meam. »

Notam fac mihi viam in qua ambulem. [Aug.] Hoc fecit Deus, cum propheticum sermonem accendit. Cui, sicut Petrus ait, debemus intendere tanquam *lucernæ in caliginoso loco, donec dies illuscescat* (*II Petr.* I). Ideo etiam et se lumen in testa carnis posuit, ad quod lumen ambulemus, et ad formam servi ambulando, perveniemus ad formam Dei, ad lumen purum, scilicet ad Verbum in principio apud Deum. Et qua fiducia hoc petat, subdit, quia et *animam meam* ad mundum non declinavi, sed *ad te levavi*, non contra te, quia apud te est fons vitæ, ut vas ad fontem attuli. Imple ergo illud. Et ideo

VERS. 11. — « Eripe me de inimicis meis, Do« mine, ad te confugi, doce me facere voluntatem « tuam, quia Deus meus es tu. »

Eripe me de inimicis meis, Domine, [Aug.] scilicet a diabolo, et a suis quos implet. Non enim in solum Judam intravit, imo multi sunt Judæ, quos implet Satanas, in quibus ipse Satanas expugnatur. Illum non visum expugno, illos visos patior. Ideo eripe me, quia non a te, sed *ad te confugi*, a te fugit Adam, et abscondit se inter ligna paradisi. De quo dicit Job : *Tanquam servus fugiens dominum suum, et consecutus est umbram* (*Job* VII). Ad umbram enim a te fugit, ego vero ad te. Et ideo, *doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.* Si enim me non doces, faciam voluntatem meam, et de-

A seret me Deus meus. Ergo doce me, quia Deus meus es tu. Ad alium currerem, si ab alio factus essem ; tu es totum meum, non solum dator hæreditatis, sed ipsa hæreditas. Tu me creasti per Verbum Domini manentem apud te ; etiam recreasti per Verbum carnem factum propter nos. Tu ergo, es Deus meus. Et ideo doce me, ut magister meus.

PARS. IV. — VERS. 12. — « Spiritus tuus bonus de« ducet me in terram rectam, propter nomen tuum, « Domine, vivificabis me in æquitate tua. »

Spiritus tuus. [Alcuin., Aug.] Quarta pars, ubi est læta conclusio ; quasi dicat : Doce me, quod utique facies, quia *spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam*, non spiritus meus malus, qui duxit in terram perversam, sed deduci nullo modo merui, quia,
B o *Domine,* non propter merita mea, sed *propter nomen tuum,* [Haim., Cassiod.] id est ut rem nominis tui impleas, quod est Jesus, *vivificabis me ;* ego me occidi, sed tu vivificabis me, et hoc *in æquitate tua,* non mea. Gratia Dei hic commendatur, quia non ex meritis, sed ex nomine quod est Jesus se vivificandum dicit. Sed cum hac gratia æquitatis meminit, quia licet Deus omnia gratis faciat, justitiæ tamen ejus est supplices vivificare, quos dæmones videt impetere. [Aug.] Vel ita, vivificabis me in æquitate tua. Hoc non mutatur. Propter nomen tuum, Domine, id est ut inde lauderis. Unde alibi : *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam (Psal.* CXIII).

VERS. 13. — « Educes de tribulatione animam
C meam ; et in misericordia tua disperdes omnes « inimicos meos. »

VERS. 14. — « Et perdes omnes qui tribulant « animam meam, quoniam ego servus tuus sum. »

Educes de tribulatione hujus sæculi, *animam meam.* [Cassiod.] Hoc fit quando data venia de sæculo jubet exire quasi de carcere, *et in misericordia tua*, non in merito meo, *disperdes omnes*, hic *inimicos meos*, quia nihil poterunt contra me, *et* in judicio futuro *perdes omnes qui tribulant animam meam*, id est diabolum et omnes obstinatos. Dico tribulant, *quoniam ego servus tuus sum.* Vel merito perdes me tribulantes, quoniam ego servus tuus sum.

COLLATIO IN PSALMUM CXLII : « DOMINE, EXAUDI ORA-
D TIONEM MEAM, AURIBUS PERCIPE, » etc.

VERS. 4. — *Sicut mortuos sæculi.* D. Hieronymus, *sicut mortuos antiquos.* Accedit et Munsterus, *sicut qui ab olim mortui sunt.* Nec abhorret Campensis. Alii autem nobiscum sunt. Et utroque modo potest reddi, ex Hebr. כמתי KEMETHE, quanquam sententia parum aut nihil distet.

PSALMUS CXLIII.

PSALMI TITULUS : « PSALMUS DAVID AD GOLIAM. »

Benedictus Dominus Deus meus. Titulus : *Psalmus David ad Goliam.* [Aug.] Psalmi hujus titulus brevis est numero verborum, sed gravis pondere mysteriorum, sumptus de historia libri Regum, ubi legitur quod cum Philisthæi dimicarent adversus populum Dei, egressus est de castris Philisthæorum quidam nomine Golias, qui improperans Israelitis dicebat : *Eligite ex vobis virum unum, qui mecum ineat singulare certamen ; et si vicerit me, erimus*

vobis servi ; si autem ego vicero, vos nobis servietis (*I Reg.* XVII). Quod cum audisset Saul et viri Israel, timuerunt valde. Tunc forte David, pascens gregem patris sui, missus est ab illo portare panes et quædam alia fratribus suis, qui erant in exercitu Saul. Quo cum venisset David, audivit Philisthæum præfata dicentem, et circumstantibus dixit : *Quid dabitur viro qui percusserit hunc Philisthæum?* (*Ibid.*) Et auditis his verbis adductus est ad Saul, dixitque ei : *Ego servus tuus pugnabo contra Philisthæum hunc.* Cui cum dixisset : *Non poteris, quia puer es, et ille vir bellator fortis* (*ibid.*) ; ait David : *Ego servus tuus leonem et ursum interfeci ;* et *Dominus qui eripuit me de ore leonis et ursi, ipse liberabit me de manu Philisthæi* (*ibid.*) Tunc dixit Saul : *Vade, Dominus sit tecum*, et tradidit ei arma sua, quæ, quia nimis gravia erant. David deposuit, et assumpsit quinque lapides de torrente, quos posuit in petram pastoralem, et fundam tulit in manu : et sic armatus processit contra Philisthæum. Quem cum vidisset Philisthæus, contempsit. Cumque iret contra David, festinans David, misit manum in peram, et tulit unum lapidem, quem funda jecit : nec primo Philisthæum percussit, nec secundo [Alcuin.], sed tertii lapidis jactu percussit eum in fronte, atque dejecit. [Cassiod.] Cumque cecidisset, David currens stetit super eum, et accipiens gladium ejus abscidit caput ejus, et ita victor exstitit. De qua victoria non superbivit, sed totum Deo tribuens, in hoc psalmo gratias agit, [Aug.] et in illa figurali victoria spiritualem Christi et fidelium contra diabolum victoriam significari intellexit, quia *omnia in figura contingebant illis* (*I Cor.* X), et de utraque victoria in hoc psalmo gratias agit.

David ergo totus Christus est, scilicet caput et corpus. Golias, diabolus ; arma Saul, legalia sacramenta sunt, quibus oneratus erat Judaicus populus, scilicet circumcisio, sacrificia, et alia visibilia sacramenta. Sed quia lex non potest vivificare, ut prementia non adjuvantia, in tempore gratiæ Christus et caput et corpus, legis deposuit sacramenta. Et quinque lapides, id est ipsam legem, scilicet quinque libros Mosi tulit de flumine, id est a populo illo, qui per flumen significatur, quia labitur omne sæculum. Per flumen enim sæculum. Ergo in illo flumine, id est illo populo lapides vacabant inutiles. Sed ut lex esset utilis, David accepit vas pastorale, id est gratiam, sine qua lex non poterat impleri, quia plenitudo legis est charitas (*Rom.* XIII), quæ est ex Spiritu sancto. Hoc est ergo lapides mittere in vase pastorali, quo lac mulgere solebat legi, scilicet admiscere gratiam. Sic armatus procedit totus Christus adversus superbum, unum lapidem misit, quo dejecit, quia unitas diabolum vincit ; percussit in fronte, quia ex eo loco corporis sui cecidit, id est in illis membris, ubi signum Christi non habuit. Deinde illo percusso atque dejecto, gladio ejus caput abscidit, quia quando magni ejus credunt, quos ille in manu habebat, et de quibus animas trucidabat, contra eum loquuntur. Et sic caput ejus suo gladio inciditur. Sicut ergo David parvus superbum Goliam de se præsumentem superavit, ita Christus superbum diabolum occidit, id est humilitas superbiam. Deus enim fit humilis, ut diaboli superbiam sternat, et ut superbi qui humiles sanctos dedignarentur sequi, hunc saltem velint imitari. De hac ergo victoria agitur hic. Et est sensus tituli : *Psalmus* iste, est *David* prophetæ, qui hic loquitur in sua vel totius Christi persona. [Cassiod.] Psalmus dico, habitus *ad Goliam*, id est contra Goliam figuralem et spiritualem, quia hic agit David de sua figurali, et mystica Christi victoria, ex qua et sua processit. Agens ergo gratias Deo de sua victoria ut solet homo, precatur etiam ut ille veniat qui diabolum vincat, et fideles liberet. Non insolescit David de victoria, ut solet homo, sed virtuti Dei dat. Et est iste triumphalis psalmus. Intentio : Monet ad gratiarum actiones pro victoria, scilicet quod David figuraliter vicit Goliam. Modus : Bipartitus est psalmus. Primo agit de victoria, scilicet quod David figuraliter vicit Goliam, spiritualiter ipse cum aliis sanctis diabolum, quæ tota victoria inde esse dicitur, quia Christus de ejus semine veniet vincere superbiam mundi, unde adventum ejus precatur. Secundo promittit se victori cantare in Novo et Veteri Testamento, precans eum per eum liberari, ibi *canticum novum.* David ergo non insolescens de victoria, sed humiliter gratias agens Deo, ait :

« Benedictus Dominus Deus meus, qui docet ma« nus meas ad prælium : et digitos meos ad bellum. »

VERS. 1. — *Benedictus* sit *Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium,* [Haym.] quod de prope fit, *et digitos meos ad bellum* quod de longe sit. Deinde ostendens sibi hoc esse ex gratia, subdit :

VERS. 2. — « Misericordia mea et refugium « meum, susceptor meus et liberator meus. »

Misericordia mea et refugium meum. [Haym.] Unde hoc mihi ? A Deo meo, quia ipse est, *misericordia mea et refugium meum*, et *susceptor meus et liberator meus*, et

VERS. 3. — « Protector meus, et in ipso speravi, « qui subdit populum meum sub me. »

Protector meus, [Cassiod.] quia prolixum est multas causas plene explicare breviter singulas singulis verbis tangit. Misericordia ei fuit quando ultimus fratrum in regem vinctus est. Refugium fuit ei, quando contra Goliam consilium dedit ei, ut petra dejiceret eum, cum quo non poterat 307
pugnare. Susceptor fuit ejus quando fecit eum generum regis ; liberator, quando a periculo regiæ iræ liberavit eum ; protector ejus fuit quando David in spelunca jus in Saulem accepit. *Et in ipso speravi* vel sperabo *qui subdit* vel subdis, etc. Post tanta beneficia sibi collata, sit David a tali spe non esse cessandum. Et ideo post enumerata beneficia congrue hoc addit ; quasi dicat : Hæc bona fecit mihi Dominus, et ideo, ego, sperabo in ipso qui subdit,

vel quia tu es, qui subdis *populum meum sub me*. Hoc vel ad litteram de futuro accipitur, quia imperaturus erat populis vel semini suo Christo, populos subdendos prædicit. Deinde post tot beneficia non solum se fatetur exiguum, sed etiam totum genus humanum beneficiis Dei indignum dicens : *Domine, quid est homo*, etc. [Gl. int.] Vel ex persona corporis Christi totum accipi potest. Et quasi humilis David ait : *Benedictus* sit, *Dominus Deus* omnium, sed *meus* proprie, cui me subjeci et dedi, *Qui docet manus meas ad prælium*. Congruus ordo est hic, dum prius ait : *Deus meus*, deinde subdit : *qui docet*, etc. [Aug.] Si enim primo das te Deo, tunc et illo docente et juvante pugnabis. Et digitos meos ad bellum : Non sine causa manus et digitos posuit. Sicut enim in una manu multi digiti sunt, ita in uno spiritu divisiones gratiarum sunt. In digitis ergo notatur divisio operationis, quæ est in radice unitatis, ut Apostolus ait : *Alii datur per spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ per eumdem Spiritum, alii fides*, alii hoc, alii illud, sed *in uno spiritu. Omnia enim operatur unus et idem Spiritus, dividens singulis prout vult* (*I Cor.* XII). Ecce radix unitatis.

His ergo digitis pugnat corpus Christi, et in bellum docte procedit. Et est sensus : *Qui docet manus meas ad prælium, et digitos meos ad bellum*, id est per Spiritum sanctum dat mihi dona gratiarum, quibus me facit et docet pugnare, et procedere ad bellum contra principes tenebrarum et contra carnem, cujus desideriis et illi mala proponunt ; sed vincit ille qui lapidem immittit in lactis exceptorium, id est qui gratiam attendit, qui spiritu Dei ducitur. Et quia in pugnando periclitaris, id est periculum pateris ne vincaris, dic quod sequitur : *Tu es misericordia mea*, id est tu das ut misericors sim, et sic vincam, quia de nullo sic vincitur diabolus inimicus, ut de misericordia, quæ in duobus consistit, scilicet in dando et in dimittendo ; qui enim dimittit, etsi peccavit, dimittetur ei ; qui dat, datur ei. De hac dicit Jacobus : *Superexaltat misericordia judicio* vel *judicium* (*Jac.* II), id est supponitur judicio, quia in quo fuerit inventum opus misericordiæ, et si habuerit forte in judicio quo puniatur, unda misericordiæ quasi aqua peccati ignis exstinguitur ; in quo non est injustus Deus, nec judicii veritatem deserit, cum talibus ignoscit, quia justitia est ut secundum quod quis fecit aliis fiat ei. Unde Dominus ait : *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis* (*Matth.* VII), ac si diceret : Si ignoscis, ignosco ; si est apud te mensura veniæ dandæ, invenies apud me veniæ accipiendæ ; si est apud te mensura tribuendi quod habes, invenies apud me mensuram accipiendi quod non habes. Dimitte ergo, et dimitto ; da, et do, *tu es refugium meum* quasi turris in tribulatione, *et liberator meus*, ne cadam ; *et susceptor meus*, ne in via hæream ; *et protector meus*, ne feriar. Deinde convertens sermonem ad alios ait : *Et in ipso speravi*, in omnibus laboribus et præliis. Deinde ex persona capitis, *qui subdit*, etc. Ecce caput loquitur nobis, vel Patri loquitur dicens : *Qui subdis populum meum sub me*. [Cassiod.] Deinde ex persona David et ipsius Ecclesiæ conjunctim fatentis genus humanum beneficiis Dei indignum, cum despectu et admiratione subditur :

VERS. 4. — « Domine, quid est homo quia innotuisti ei : aut filius hominis quia reputas eum. »

Domine, quid est homo, [Aug.] quasi dicat : Hæc beneficia das. Et o, *Domine, homo*, qui per se fragilis est et peccato, *quid est*, id est quam magnum. Quid est per hoc ? *quia innotuisti ei*, per assumptam humanitatem ; quasi dicat : Per se nihil est, per te dignum quid est. Totum enim quod est, inde est, quia innotuisti ei. Deinde quasi exponens cui quis innotuerit, subdit, *aut*, id est et *filius hominis*, quid est per hoc, etiam *quia reputas*, vel æstimas *eum* alicujus pretii ? Quid est quod eum tanti facis ? pretiosum utique quiddam eum ostendis. Magnum est enim quod Deus æstimat, et tantum facit ut pro eo mittat Filium, vel dederit, cui fit panis, qui est panis angelorum. Non enim sic Deus hominem ut homo, qui charius emit equum quam hominem. »

VERS. 5. — « Homo vanitati similis factus est ; « dies ejus sicut umbra prætereunt. »

Homo vanitati, [Aug] quasi dicat : Quem ita æstimas illum qui per se similis est vanitati et umbræ ? Homo enim qui prius fuit veritati similis, postea peccando *factus est similis vanitati*. Quando enim homo conditus est, veritati similis factus est, sed peccando similis factus est vanitati. Vana enim sunt omnia transitoria in comparatione semper manentis Deitatis. Et quamvis talis sit factus, tamen innotuisti ei, æstimas eum. Ecce hic dicit quid per se homo est, dum dicit, similis vanitati. Vanum est quod de sua substantia cadens vanescit, ut fumus, umbra ; ita et ipse homo tabescit. *Dies ejus*, id est vita ejus motoria, *prætereunt sicut umbra*. Videtur quidem, sed non habet firmitatem manendi ut umbra ; et dum est, in nocte est.

VERS. 6. — « Domine, inclina cœlos tuos, et des- « cende ; tange montes et fumigabunt. »

Domine, inclina cœlos. [Cassiod.] Hoc prius ex persona David precantis pro incarnatione accipitur, qui hic jam aperit quod supra dixit, *innotuisti ei*, quia tunc innotuit Deus homini, quando incarnatus apparuit, quasi dicat : Talis per se est homo, sed ut per se reformetur, o *Domine, inclina cœlos tuos et descende* ad nos, quia hæc nisi inclinata Deitate fieri non poterant. Inclinati sunt cœli, quando virtus et honor supernorum ad hominem descendit, et forma Dei formam servi suscepit. [Aug.] Vel ex persona Ecclesiæ potest hoc dici. Humilis enim David, plenus gratia, id est corpus Christi præsumens de Deo pugnans, hic invocat adjutorium Dei ; quasi dicat In lucta sumus, sed ut non deficiamus, o Domine, inclina cœlos tuos, id est contempera hominibus apostolos, ut humiles dicant aliis excellentiam tuam. Et per eos descende in notitiam aliorum ; *et tange* de tua gratia *montes*, id est elationes terræ,

tumidas granditates, id est superbos, *et fumigabunt*, id est fatebuntur peccata; contra eos autem qui conspiraverunt contra te,

Vers. 7. — « Fulgura coruscationem; et dissi« pabis eos; emitte sagittas tuas, et conturbabis « eos. »

Fulgura, [Aug.] vel fulgora, vel corusca, id est clarifica *coruscationes* vel coruscationem, id est crebresce miraculis, et solvetur conspiratio eorum : quia crebris miraculis territi nil audebunt ; *et dissipabis eos* ad invicem. Ecce bellum Christi contra diabolum; et de eodem subdit : *Emitte sagittas tuas*, id est verba tua, *et conturbabis eos* ad pœnitentiam. [Cassiod.] Deinde Propheta adventum Christi precatur, et ad patrem verba convertit, dicens :

Vers. 8. — « Emitte manum tuam de alto, eripe « me; et libera me de aquis multis, et de manu fi« liorum alienorum. »

Emitte manum. [Cassiod., Aug.] Quasi dicat : Ut hæc fiant *emitte manum tuam*, id est Christum, *de alto* ubi cum Patre est, ut induat carnem. Vel de secundo adventu agit ex persona Ecclesiæ. Quasi dicat : Fac ita modo. In fine autem, *emitte manum tuam de alto*, id est Christum de cœlo ad judicium. Veniet enim ipse Dominus in voce angeli, et in tuba Dei descendet de cœlo (*I Thess.* IV). Deinde ex persona Ecclesiæ subdit, *eripe*. Quasi dicat : Emitte manum et per eam manum *eripe me*, et libera me de aquis multis, id est de populis multis, foris vel intro pugnantibus. Hæ sunt aquæ contradictionis, a quibus eruit Deus humilitatem David. Et quid est de aquis multis? ecce scilicet. *De manu filiorum alienorum*, qui scilicet de averso patre diabolo nati sunt. Qui sunt illi?

Vers. 9. — « Quorum os locutum est vanitatem; « et dextera eorum dextera iniquitatis. »

Quorum os locutum est vanitatem exaggerat eorum malitiam. Unde addit : *Et dextera eorum dextera iniquitatis*. [Hilar.] Id est dextera eorum est sinistra.

Pars. II. Vers. 10. — « Deus canticum novum « cantabo tibi; in psalterio decachordo psallam « tibi. »

Deus canticum. [Cassiod.] Secunda pars, ubi quasi ille quem precabatur victor et liberator jam venerit, ei se cantare in Novo et Veteri Testamento promittit, et per eum precatur liberari ab eis qui beatitudinem putant in terrenis. [Aug.] Quasi dicat : Dicis quod os eorum locutum est vanitatem. Quid ergo tu inter eos in vase pastorali habens quinque lapides agis? quomodo inter eos te habes? Ecce quomodo, o *Deus*, ego *cantabo tibi* inter verba illorum *canticum novum*, id est novi hominis, scilicet canticum Novi Testamenti, canticum de nova gratia. Strepitus enim aquarum contradictionis non facit me obmutescere. Postquam dixit quid cantet, subdit in quo instrumento cantet, scilicet et *in psalterio decachordo psallam tibi*, hoc alio nomine significat legem quam per quinque lapides designavit. Et est sensus : *In*

A *psalterio decachordo psallam tibi*, id est in lege decem præceptorum tibi psallam, tibi gaudebo, tibi cantabo canticum novum, quia plenitudo legis est charitas (*Rom.* XIII), qua qui caret psalterium portare potest, cantare non potest.

Vers. 11. — « Qui das salutem regibus, qui re« demisti servum tuum, de gladio maligno eripe me. »

Qui das salutem. [Aug.] Quasi dicat : Tibi cantabo, *qui das salutem regibus*, id est montibus jam fumigantibus, *qui redemisti David servum tuum*, scilicet totum Christum caput et corpus, et tu qui hæc facis, *eripe me de gladio maligno*, ideo addit *maligno*, quia est benignus gladius quo Deus loquitur veritatem, de quo Dominus ait : *Non veni pacem mittere, sed gladium* (*Matth.* X). Hic est
B gladius bis acutus, utroque acumine præpotens, scilicet Veteris et Novi Testamenti, quo omnis putredo a membris Christi abscinditur. Benignus ergo gladius est, quo illi loquuntur vanitatem. Unde alibi : *Et lingua eorum gladius acutus* (*Psal.* LVI). Quas ergo superius aquas dixit, ipsum hic dicit gladium. Unde et hic addit quod ibi dixit :

Vers. 12. — « Et erue me de manu filiorum alie« norum, quorum os locutum est vanitatem; et dex« tera eorum dextera iniquitatis. »

Erue me de manu filiorum alienorum. [Cassiod.] Hac repetitione reddit iniquos detestabiliores, *quorum os locutum est vanitatem*, scilicet quod terrena sunt beatitudo; *et dextera eorum est dextera iniquitatis*, quia terrena habent pro dextera [Aug.]. Deinde qui
C sunt alieni, et quæ eorum dextera, quæ dicitur iniquitatis, et qualiter locuti sunt vanitatem exponit, dicens :

« Vers. 13. — « Quorum filii sicut novellæ plantationes in juventute sua. »

Quorum filii, etc. [Aug.]. Hic felicitatem eorum enumerat. Hæc est dextera eorum, hæc est vanitas quam loquuntur, dum hæc dicunt esse beatitudinem. Primo ergo ostendens quæ sit eorum dextera, ait : *Quorum filii* sunt *sicut novellæ*, vel novella, *plantationes*, vel plantationis, vel novellæ constabilitæ *in juventute sua*, alia littera. Et.

Vers. 14. — « Filiæ eorum compositæ circum« ornatæ, ut similitudo templi. »

Filiæ eorum, [Aug.] sunt *compositæ* et *circumor*
D *natæ ut similitudo templi*. Et.

Vers. 15. — « Promptuaria eorum plena : eruc« tantia ex hoc in illud. »

Promptuaria eorum vel cellaria, *plena eructantia ex hoc in illud*. Et.

308 Vers. 16. — « Oves eorum fetosæ abun« dantes in egressibus suis; boves eorum crassæ. »

Oves eorum [Aug.] sunt *fetosæ abundantes in egressibus suis; boves eorum crassæ*, vel crassi. Et

Vers. 17. — « Non est ruina maceriæ, neque « transitus, neque clamor in plateis eorum. »

Non est ruina maceriæ, [Aug.] vel sepis, *neque transitus* vel exitus, *neque clamor in plateis eorum* id est nullus tumultus sed pax quieta est, *in plateis*

eorum. Ecce quæ est eorum dextera. Deinde ostendit quam vanitatem loquuntur, subdens :

VERS. 18. — « Beatum dixerunt populum cui « hæc sunt ; beatus populus cujus Dominus Deus « ejus. »

Beatum dixerunt. [Aug.] Quasi dicat : Non hæc quæ habent, arguo tanquam sint mala ; sed inde arguo eos, quia *beatum dixerunt populum cui hæc sunt*. Illud quod est in sinistra, ponentes in dextera. Felicitas quidem est habere filios incolumes, et filias ornatas, et cætera temporalia ; nec præcipitur justis eam fugere, sed non dexteram putare. Non enim inde reprehendit istos quia his abundant, sed quia pro dextera habent, id est pro beatitudine. Et hæc est vanitas quam locuti sunt his Abraham et Jacob abundavit sine amissæ justitiæ damno, felicitas est in his ut dictum est ; sed sinistra, id est temporalis, mortalis, corporalis. Ita hæc ad litteram accipi possunt, ut dictum est [Hier.]. Vel mystice possunt accipi ab illo loco : *Quorum filii*. Et agit de erroribus malorum, et pessimis cogitationibus, ostendens eos esse hæreticos, de quibus etiam quædam ad litteram exponuntur. *Quorum*, scilicet prædictorum, *filii* sunt *sicut novellæ plantationes, in juventute sua*, id est filii eorum sunt novella plantatio, qui non de apostolis sunt fundati, sed de perversitate novitatis generati. Ecce post mala ipsorum enumerata supra, nunc etiam bona eorum accusat, dicens quod filii pravo dogmate sunt generati, qui non antiquis ritibus Patrum viguerunt, sed novis erroribus pullulaverunt. Et *filiæ eorum*, quæ non habent vires constantiæ sunt *compositæ*, qui non natura sunt pulchræ, sed ab hominibus compositæ ; *et circumornatæ ut similitudo templi*. Hæ filiæ sunt cogitationes vel prædicationes eorum, quæ non habent veram Ecclesiam, sed similitudinem. Et *promptuaria eorum*, id est corda, sunt *plena*, id est diversis rebus farcita ; et sunt *eructantia*, quia de illis pessimas eructationes exhalant quæ fetent, et simplices corrumpunt. Eructantia dico, *ex hoc in illud*. [Cassiod.], quia in uno victi fugiunt ad alium instabiles, quia non habent radicem veritatis. Et *oves eorum fetæ* sunt. Hæc ad litteram accipi possunt, quia vult eos ostendere caducis rebus hærere, quasi dicat : Peculium eorum fetosum est, cum ipsi fide sint steriles. Vel mystice, *oves eorum* sunt discipuli eorum. Hæ oves sunt fetosæ, quia ipsi alios plures in errore generant, *abundantes in egressibus suis*. Non ait in ingressibus suis, quia totum quod habere videntur, ab eis egreditur cito perituris. Et *boves eorum sunt crassæ*, ad litteram. Boves eorum non sunt labore macri, sed otio pingues, ut his qui affluunt divitiis, cum ipsi sint a veritate jejuni. Vel mystice : *Boves eorum* sunt magistri, qui sunt crassi, quia terrenis affluunt. *Non est ruina maceriæ, neque transitus, neque clamor in plateis eorum*, ad litteram. Maceria est quæ de solis saxis, in hortis, vel in vineis fit. Sed nec illa ruit illis, adeo prosperi sunt, nec transitus, nec clamor turbidus interrumpit quietem eorum. Vel mystice, maceria

A est ars philosophorum, quæ non potest in eis destrui, [Hier.] ut justi facti transeant ad Christum. Neque clamor Dei, qui est in angusta via quæ ducit ad vitam, est in *plateis eorum*, id est in lata via eorum, quæ ducit ad mortem. Hæc prædicta sunt eis. Et *beatum dixerunt populum cui hæc*, prædicta, *sunt*, filii alieni hoc dixerunt. Sed tu, David, quid dicis ? quid dicis tu corpus Christi ? quid vos non filii alieni ? ecce : *Beatus*, est, *populus cujus Dominus*, est voluntate, ille qui est, *Deus ejus*, potestate. Sciendum est quod de hac victoria quam psalmus iste triumphalis decantat, quasi terminum omnium mundanarum rerum sibi fecit Propheta. Non enim post hanc aliquid dicturus est, vel de Ecclesiæ persecutoribus, vel de ærumnis sæculi, vel de pœniten-

B tia, vel de lamentatione pia, vel de Antichristi elatione ; sed septem reliqui divinis præconiis et cœlesti lætitia pleni sunt, ut quasi repulsis nubibus peccatorum, serenis mentibus ad laudes Dei veniatur. Ea quasi completis omnibus quibus humana ignorantia fuerat instruenda, nunc ad sola præconia Dei vacandum est. Unde specialiter sequens psalmus intitulatur laudatio.

COLLATIO IN PSALMUM 143 : « BENEDICTUS DOMINUS DEUS MEUS QUI DOCET, » etc.

VERS. 4. — *Innotuisti ei*. Hebr. cognovisti eum. ותדעהו VATEDAEHU, idem est sensus. Nam et Deus cognoscit nos, et cognoscimus eum per sua beneficia.

VERS. 13. — A 13 versu usque ad penultimum inclusive, ubi legimus pronomen relativum tertiæ
C personæ, translationes habent per pronomen nos aut noster, juxta exigentiam regiminis, ut sic accipiendo contrarius sit sensus. Nam secundum nos hi versus dicuntur in deteriorem partem, quasi mali suam felicitatem collocent in hujusmodi terrenis. Secundum alios dicerentur ceu bonis omnia prospere succedant. Diversitas oritur ex duobus. Prius est quod in primo versu omnium illorum de quibus loquimur, ponitur אשר ASCHER, quod D. Hier., Neb., Sanctes, et Munst. interpretantur per *ut*, alii per *quia, quoniam*, aut *quomodo*, et LXX per relationem, *quorum*. Id enim particula illa sæpissime designat, ac singulo quoque versu retinuerunt illius vim. Id est enim *filiæ, eorum*, et *quorum filiæ, promptuaria eorum*, et *quorum promptuaria*, et cætera. Deinde ubi legitur pronominis nota נו NU, hoc est *noster*, secundum diversos casus juxta exigentiam, apparet LXX legisse נו cum punctulo dagesch, quod est, *ei, ejus, eum*. Et quanquam sit singularis numeri,
D tamen potest accipi pro *eo, unoquoque illorum*. Talem igitur videntur secuti fuisse intelligentiam. Nunc ad singula quæ singularem faciunt difficultatem descendamus.

VERS. 14. — *Filiæ compositæ circumornatæ ut similitudo templi*. LXX metaphoram quæ erat in Hebr. ad ipsum sensum accommodarunt. Sic enim habet D. Hier. *quasi anguli ornati ad similitudinem templi* ; Pratensis, *velut anguli tesselati*, etc. Sanctes, *sicut anguli incisi palatii* ; paraphrasis, *veluti angulares columnæ, summo studio exornatæ, quales in templis et regum domibus conspiciuntur*. Ac cæteri ad consimilem modum.

VERS. 15. — *Promptuaria plena eructantia ex hoc in illud*. Similiter D. Hier., Pratensis, *anguli pleni redundantes e victu in victum* ; Sanctes, *anguli pleni, educentes de specie in speciem* ; Munsterus, *penuaria plena sint, ut efferant de specie in speciem*. Sic ferme

cæteri. Quantum ad primum vocabulum convenimus. Nam quod aliqui vertunt *angulos*, intelligunt *domus latebras* ac *penuaria*. Sed differimus in novissima parte. Quod enim dicimus, *ex hoc in illud*, ponunt *de victu in victum*, aut *de specie in speciem*. Licet autem non dissideat sensus, hoc aut illo modo, quoniam omnis generis annona utrobique significatur, tamen LXX et D. Hieron. זו zu, pro זן zan, id est *hoc*, pro *victu* aut *specie*. Siquidem citra punctorum distinctionem, non longe distant littera nun finalis et vau. Pellicanus quoque sic legisse videtur, vertit enim, *expensas facientes ex hoc in illud*.

Vers. 16. — *Oves fetosæ, abundantes in egressibus*. Interpretes nostri sententiam tenuerunt, corticem verborum reliquerunt. Dicit D. Hiero: *Pecora in millibus, et innumerabilia in compitis nostris*. Et alii eodem recurrunt.

Boves crassæ. Ad consimilem modum D. Hier. Alii interpretantur, *fortes ad portandum*, מסבלים mesubalim, id est ad verbum *onustos*, ubi subaudiendum est *carne*, et sic *pingues*. Id quod Sanctes indicavit. Nec tamen dissident qui vertunt *aptos ad onera portanda*, quanquam magis quadraret *fortes ad labores sustinendos*, cum bonum sit potius agriculturæ deservire, aut plaustra trahere. Utcunque fuerit, bona habitio jumentorum significatur.

Vers. 17. — *Non est ruina maceriæ neque transitus*. אין פרץ ואין יוצאת en peretz veen iotzeth, ad verbum, *non fractio, non exitus*. Potest intelligi quod nulla sit captivitas, in qua urbium et ædificiorum materies conquassatur. D. Hiero. pene idem. *Non est interruptio, et non est egressus*. Unde Munsterus addidit, *ad captivitatem*, alii referunt ad sterilitatem, quæ non sit. Hinc Sanctes vertit, *non est sterilis neque quæ egrediatur*; Pratensis, *non est fractio, et non est faciens abortivum*.

Vers. 18. — « *Beatum dixerunt populum cui hæc sunt*. Hebræus habet אשרי העם שככה לו ASCHRE HAAM SCHECACHA LO, *beatus populus cui sic ipsi*. Hoc videtur firmare veram felicitatem, quam nostra lectio solum fucatam innuit, et ab hominibus deprædicatam. Quod si intelligatur de rebus ipsis temporalibus, ut sonat littera, non est dubium Christiano contra fidem esse, si beatitudinem constituas in divitiis transitoriis. Debuit ergo subaudiri, ut sane interpretati sunt LXX verbum *dixerunt*, quod et frequentius fit Heb. Unde Munst. psalm. CXVII: *Omnes gentes circuierunt me*. Deinde in sequenti clausula vult subaudiri; ET DIXI: *In nomine Domini, quia ultus sum in eos*. Consimiliter in aliis duobus versiculis sequentibus. Item Sanctes psalm. IX, ubi dicimus: *Quæretur peccatum illius, et non invenietur*, vertit, *quæres impietatem illius, quam dixit quod non invenies*. In Hebr. non habetur *quam dixit*.

PSALMUS CXLIV.

PSALMI TITULUS: « LAUDATIO IPSI DAVID. »

Exaltabo te. Titulus: *Laudatio ipsi David* (185). Breviter continet hic psalmus quæ in divinis Scripturis ad laudem Dei pertinentia late diffunduntur, in quo novem loci laudis distinguntur, ex quibus omnis laus Dei sumitur. Ubicunque enim de laude Dei agitur, legitur vel opera, vel potentia, vel aliquid cæterorum. Ad hujus autem psalmi præconia, sequentes psalmi pertinent, qui cum isto septem sunt. Ut enim septem sunt psalmi pœnitentiæ, ita et septem sunt psalmi laudis, quibus in die laudandus est Deus (*Exod.* XXXVII). Sicut Propheta dicit: *Septies in die laudem dicam tibi*. Sicut et septem sunt spiritus gratiarum, qui laudes Dei concinunt, sicut legitur in Apocalypsi (*Apoc.* V). Juxta hoc sacramentum præcepit Deus Mosi in tabernaculo septem lucernas ponere, perpetuo lumine lucentes. In his septem psalmis sufficienter Deus docuit quomodo laudari velit; ne quis in ejus laude errare possit [Aug.]. Ad hoc enim Spiritu sancto Deus implet sanctos, ut laudent eum, et ne erremus in laudando iter laudis in Scriptura constituit, qui ut bene laudaretur ab homine, seipsum laudavit, ut inveniat homo qualiter laudet eum. Non enim potest hoc dici Deo quod dictum est homini: *Non te laudet os tuum* (*Prov.* XXVII). Si enim se laudat homo, arrogantia est; si Deus se laudat, misericordia est, quia laudando se amabilem facit, et nos amando meliores sumus, non ipse. Ideoque Spiritus ejus in servis suis laudat eum, et tunc seipsum laudat, quia laudari se facit. Et est sensus: Hæc *laudatio* fit *ipsi David*, id est Christo, qui de semine David natus est.

[Cassiod.] Intentio: Monet ad laudem. Modus: Tripartitus est. Primo præmittit Propheta infinitam laudem. Secundo omnes perfecturos Dei laudem novem modis dicit, ibi, generatio, etc. Tertio eadem latius explicat, ibi, miserator, etc. Propheta ergo in persona Ecclesiæ septiformi Spiritu plenæ, laudem promittit dicens: O

309 Vers. 1. — « Exaltabo te, Deus meus rex; « et benedicam nomini tuo in sæculum, et in sæ« culum sæculi. »

Rex, [Aug., Cassiod.] Christe, qui de Juda natus es, unde reges erant in Veteri Testamento, qui es etiam *Deus meus*, scilicet creator et recreator, ego *exaltabo te*, id est te notum faciam prædicando, quod es, *et benedicam nomini tuo*, id est laudabo te, *in sæculum*, scilicet hic, *et in sæculum sæculi*, scilicet in æternum. Qui enim hic non incipit, in futuro mutus erit. Deinde quod dixerat, exponit, dicens:

Vers. 2. — « Per singulos dies benedicam tibi; « et laudabo nomen tuum in sæculum, et in sæcu« lum sæculi. »

Benedicam tibi per singulos dies. [Aug.] Ecce quid dixerat, in sæculum sæculi, sine intermissione in lætis vel tristibus; *et* per hoc, *laudabo nomen tuum in sæculum, et in sæculum sæculi*. [Cassiod., Alcuin.] Qui enim hic per singulos dies Deum laudat, in æterno die merebitur laudare, continua exsultatione. De qua laude alibi dicitur: *In sæcula sæculorum laudabunt te* (*Psal.* LXXXIII), quia semper amabunt, quem semper videbunt, qua visione nihil est delectabilius. [Aug.] Benedicam ergo nunc, per

(185) Ex Cass. in præfatione et conclus. ps.

singulos dies, ut cum venerit unus sine fine dies, eas ex laude in laudem, sicut ex virtute in virtutem. Deinde quasi causam laudis subdit, quia

VERS. 3. — « Magnus Dominus et laudabilis nimis ; et magnitudinis ejus non est finis. »

Magnus est ***Dominus*** in essentia, ***et laudabilis nimis*** vel valde. [Aug.] Hoc uno verbo dedit cogitare quod non potest capi plene. Et nunquam cesses a laudibus. Ideo valde est laudabilis, ***et***, id est quia, ***magnitudinis ejus non est finis***, quia incomprehensibilis est cogitatione vel loco. Et quia non est finis magnitudinis, ideo non potest laudem ejus finire.

PARS. II. VERS. 4. — « Generatio et generatio laudabit opera tua ; et potentiam tuam pronuntiabunt. »

Generatio. [Cassiod.] Secundo omnes perfecturos laudem Dei novem modis promittit. Novem sunt modi laudis, scilicet opera, potentia; magnificentia, sanctitas, mirabilia, virtus terribilium, magnitudo, memoria, justitia, quæ post explicabuntur. Ex his quasi ex locis et seminibus omnis trahitur laus, ad quem modum omnia argumenta de paucitate locorum sumuntur. [Aug.] Quasi dicat : Laudabo ego, *laudabit* etiam *generatio, et generatio*, id est omnis generatio. Repetitio enim dicentis in infinitum misit animum cogitantis. Vel duæ generationes hac repetitione insinuantur, scilicet generatio qua in præsenti nascuntur filii Dei ; et generatio futura, qua filii resurrectionis erunt. De qua dicitur in Evangelio : *In generatione cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ* (*Matth.* XIX). Regenerationem vocavit resurrectionem. *Generatio* ergo et generatio laudabit *opera tua* quæ licet intueri, ut tu lauderis qui talia operaris. Si ergo in magnitudine defecimus, cujus non est finis. Vel, id est saltem, de operibus laudemus operantem, de conditis Conditorem, de creatura Creatorem. Videamus quæ hic fecerit, quæ nobis nota sunt : *Et potentiam tuam*. Hic est secundus locus laudis. Quasi dicat : Laudabunt opera. Et in illis laudandis, *pronuntiabunt potentiam tuam*. Non enim opera laudant, nisi ut virtutem operantis annuntient ; sed quidam eloquentes laudant creaturam obliti Creatoris. Sancti vero laudatores, si opera amant, laudant magis operatorem, et hæc propter illum amant et laudant, quod utique faciendum est. Si enim in rebus factis sentitur aliqua species, vel utilitas, vel virtus. Et laudatur magis in illo qui fecit. Quid enim pulchius est eo qui omnia fecit ? quid utilius, quid potentius ? lauda ergo facta propter facientem. Sed si opera laudas, et te qui es opus Dei laudas, et occurrit illud : *Non te laudet os tuum, et arrogans videris* (*Prov*. XXVII). Sed non est arrogantia, quia Deum in te non laudas. Sequitur tertius locus laudis :

VERS. 5. — « Magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ loquentur, et mirabilia tua narrabunt. »

Magnificentiam gloriæ. [Cassiod.] Deinde quartus locus. Et magnificentiam gloriæ *sanctitatis tuæ loquentur*. Alii libri apertius habent, *magnificentiam majestatis tuæ et sanctitatis tuæ loquentur*. Sequitur quintus locus laudis : ***Et mirabilia tua narrabunt***. Deinde sextus :

VERS. 6. — « Et virtutem terribilium tuorum dicent, et magnitudinem tuam narrabunt. »

Et virtutem terribilium tuorum dicent. [Aug.] Non enim tantum blanditur, sed etiam minatur. Blanditur, ut exhortetur ; minatur ut terreat et corrigat. Si enim non minaretur, nulla esset correctio ; si non blandiretur, nulla esset exhortatio. Est itaque amabilis et terribilis. Dicent ergo virtutem disciplinantis et punientis. Si prædicant regnum æternum, non tacent ignem æternum. Sequitur septimus locus laudis : *Et narrabunt magnitudinem tuam*, cujus non est finis, sed narrabunt ea, cum talem esse laudabunt. Sequitur octavus locus laudis : Et

VERS. 7. — « Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt, et justitia tua exsultabunt. »

Memoriam suavitatis tuæ eructabunt foris, intus ea pleni sunt. [Aug.] Memoriam abundantiæ suavitatis dicit, quod Deus non est oblitus nos oblitos eum, et non oblitus facit nos reminisci sui. Ipse enim per abundantem suavitatem suam, prius nostri memor est vocando, gratia sua nos præveniendo ; inde nos ejus. Et nota quod non ait manducabunt, sed, eructabunt. Manducat enim qui discit, eructat qui docet, hoc tamen eructat quod manducavit. Hæc ergo memoria, quia valde dulcis est, manducanda est et eructanda. Sic ergo manduca ut eructes. Sequitur nonus locus laudis : *Et exsultabunt justitia tua*, non sua, quam scilicet memores tui accipiunt a te. Cui ergo debent quia sunt, illi debent, quia justificati sunt. Nemo ergo Deo tribuat quia est, et sibi tribuat quia justus est. Melius est enim quod sibi vult tribuere, quam quod illi. Totum illi da, in toto ipsum lauda

PARS. III. VERS. 8. — « Miserator et misericors Dominus, patiens et multum misericors. »

Miserator. [Cassiod.] Tertio latius explicat, quæ secundo breviter proposuit. Quasi dicat : Merito in his laudabunt, quia *Dominus* est *miserator* effectu, *et misericors* natura. Partes laudis ponuntur hic, quæ superius positæ sunt, sed non singulæ possunt explicari plene. Quis enim opera vel potentiam ejus ad plenum explicaret ? et sicut supra, ita et hic ab operibus incipit, ut miserator dicatur, dum cadentes restituit. Misericors natura, et dum creat. Et ipse est, *patiens*. Hoc sumitur de secundo loco laudis, scilicet de patientia quam hic laudat, non quod terras suspendit, et maria coercuit, et cœlum stellis depinxit, etc., sed quia tolerat peccantes ut convertantur. [Aug.] Vel ita, ut misericors et miserator pro eodem accipiatur. Quasi dicat : Hæc prædicta laudant et annuntiant, et quod de his laudant et exsultant, tu Domine, fecisti, merita illorum tua dona sunt, quæ per misericordiam eis præstantur. Nam Dominus est miserator et misericors his quibus jam veniam dedit, per quod laudant et exsul-

tant. Et est patiens, his scilicet quibus nondum dedit, sed exspectat ut det. Repetit de misericordia. *Et multum misericors* et generaliter.

VERS. 9. — « Suavis Dominus universis, et miserationes ejus super omnia opera ejus. »

Suavis est Dominus universis, [Cassiod., Aug.] scilicet bonis et malis, et maxime gustantibus se. Hoc de magnificentia sumitur, quia nil magnificentius est quam suavem esse gustantibus, et misericordiam omnibus suis impendere operibus : non autem his quæ diabolus facit, ea enim potius damnat, sed suis misericordiam præstat. Unde subdit : *Et miserationes ejus* sunt, *super* vel in *omnia opera ejus*, quia ipse est qui suum solem facit oriri super bonos et malos (*Matth.* v), et in hujusmodi. Et in hoc quod exspectat in peccato manentes et monet converti, bene omnibus facit, et miserationes omnibus exhibet. Quod si punit, severitas est, non in ejus, sed in tua opera ; si enim tollas opera tua mala, et non in te remaneant nisi opera ejus, non te dimittet miseratio ejus ; si autem tu non dimittas opera tua, erit ejus severitas in opera tua, cum dicet : *Ite, maledicti, in ignem æternum* (*Matth.* xvv). Et quia miseratio tua est super omnia opera tua,

VERS. 10. — « Confiteantur tibi, Domine, omnia « opera tua ; et sancti tui benedicant tibi. »

Domine, confiteantur tibi opera tua, [Aug.] id est laudent te, omne quod est confitetur vel per se, vel per rationales creaturas, sicut ea quæ non habent sensum laudandi, quæ sunt materia laudis, quia dum inquiris, invenis magnam vim in eis quæ a Deo est. *Et sancti tui*, id est angeli et homines in confessione operum tuorum inspicientes, *benedicant tibi*, vel te. Inspiciant creaturam tuam confitentem, et benedicant te, hoc de sanctitate sumitur. Ipsa enim est sanctitas Dei, id est hoc exigit. Sanctitas dicitur, ut ei sancti debeant confiteri. Deinde quid in confitendo dicant, subdit :

VERS. 11. — « Gloriam regni tui dicent : et po« tentiam tuam loquentur. »

Gloriam regni tui dicent, etc. [Aug.] Quasi dicat : Quid enim dicunt ? *Gloriam regni tui dicent, et potentiam tuam loquentur*, id est dicent quam potenter et mirabiliter quidquid facis et disponis in regno. Dicent enim quam gloriosus et mirabilis est Deus qui fecit cœlum et terram, et diversis bonis implevit ; quam potens est Deus qui fecit hæc et continet. Et sumitur hoc de mirabilibus.

VERS. 12. — « Ut notam faciant filiis hominum « potentiam tuam, et gloriam magnificentiæ regni « tui. »

Ut notam faciant. [Aug.] Quasi dicat : Loquentur ad hoc utique, *ut notam faciant filiis hominum potentiam et gloriam*, vel, sicut alii dicunt, *decorem magnificentiæ regni tui*, vel *gloriam magnitudinis decoris regni tui*. [Cassiod.] Hoc sumitur de virtute terribilium. Sanctis enim prædicantibus nota facta est potentia Dei, qua vindicabit in malos. Et gloria regni qua coronabit bonos notificata est, ne igno-

A rata minus quæreretur. Nota etiam facta est, quando apostoli virtutes fecerunt, et per notitiam utriusque quidam timore pœnæ, quidam spe gloriæ convertuntur. Et nota quod post potentiam commendat decorem regni, quod ideo facit, ut potentia nominata amantem non terreat. Habet enim regnum quo delectemur, et illud regnum habet decorem cui magnifico nil comparetur. De cujus regni magnitudine subdit,

VERS. 13. — « Regnum tuum regnum omnium « sæculorum ; et dominatio tua in omni generatione « et generationem. »

Regnum tuum, etc. [Aug.] Quasi dicat : Cujus regni decorem prædicabunt ? Non hujus sæculi. Regnum prædicari ab eis dico, quod et decorem ha-
B bet ; sed non est ubi magnitudo decoris, sed tuum, quia *regnun tuum*, est *regnum omnium sæculorum*, id est æternum, *et dominatio tua* est *in omni generatione et generationem* per successionem. Vel in hac generatione et futura, per quod ostenditur regnum esse forte. [Cassiod.] Laudat enim regnum de perpetuitate et dominationis effectu, et sumitur hoc de magnitudine. Si enim magnum est ad tempus imperare, majus est dominationis terminum non habere.

VERS. 14.—« Fidelis Dominus in omnibus **310** « verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis. »

Fidelis est Dominus in omnibus verbis suis, [Aug.] quia adventus dona complevit, et quidquid promisit
C dedit, et per data fecit fidem cæteris dandis quæ promisit et quasi chirographo scribi fecit ; et sumitur hoc de abundanti suavitate. Unde supra dixit : *Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt, et sanctus in omnibus operibus* ut verax est in promissis, ita sanctus in operatione.

VERS. 15. — « Allevat Dominus omnes qui cor« ruunt, et erigit omnes elisos. »

Dominus allevat omnes qui corruunt, [Cassiod.] scilicet qui nondum corruerunt, sed qui corruere incipiunt. Quos omnes allevare dicitur, non quod omnes allevet, sed quia quicunque allevantur, hoc est per eum, *et erigit omnes elisos*, scilicet qui ruinam peccati, et lapsum passi sunt jam. Corruentes ergo dicit incipientes labi ; et elisos, jam lapsos. Et
D hoc ad abundantiam quoque pertinet, scilicet quod elevat ruentes, et erigit elisos, unde recordatio suavitatis habetur, et in laudibus ejus eructatur. [Aug.] Vel aliter secundum aliam litteram, *allevat Dominus omnes qui decidunt a malis suis*, id est a vitiis et a peccatis, quos omnes allevat Dominus, et accipitur hoc in bono ; vel non de casu a vitiis, sed de eo quod cadunt homines ab his temporalibus hic agit. Sancti enim ut Job qui in hoc sæculo aliquid perdunt, et abjecti fiunt, decidentes sunt, qualiter Job decidit a gloria pristinæ lucis temporalium rerum, quibus nitebat ad tempus ; decidit a gloria domus suæ, et in stercore sedebat. Ita et alii sanctorum multi, sed hos omnes allevat Deus et confirmat, quia

septies cadit justus in die, et resurgit (*Prov.* XXIV). A Impii autem infirmantur in malis. Et erigit omnes elisos ad se scilicet pertinentes, quia superbis resistit. Et quia hæc facis,

VERS. 16. — « Oculi omnium in te sperant, Do- « mine; et tu das escam illorum in tempore oppor- « tuno. »

Oculi, [Cassiod.] id est, intentiones *omnium in te sperant, Domine.* Hic de justitia latius agit ut qui misericordem audit, justum timeat, et justitia est ut sperantes satiet corporaliter et spiritualiter. [Aug.] Unde addit : *Et tu das escam illorum* corporalem vel spiritualem, non passim, sed *in tempore opportuno.* Non enim semper danda est esca, sed in tempore opportuno. Multis enim petentibus salubriter differtur. Dat ergo quasi medicus ægro quod conve- B nit; et quando convenit non ut homo desiderat et petit, ne obsit, si det. Petiit enim Apostolus de angelo Satanæ, ut auferretur ab eo, et non accepit, sed propter perfectionem suam, quia tempus adhuc erat exercendæ infirmitatis. Petiit diabolus ad tentationem Job, et accepit, sed ad damnationem suam. Ipse Christus mori venerat, et tamen transfigurans in se infirmos ait : Pater, *si fieri potest, transeat a me calix iste* (*Matth.* XXVI). Et licet non acciperet quod petere videbatur ait : *Non quod ego volo, sed quod tu vis* (*ibid.*), benedicens in omni tempore.

VERS. 17. — « Aperis tu manum tuam, et imples « omne animal benedictione. »

Aperis tu, etc. [Cassiod.] Quasi dicat : Quam es- C cam das? ecce *aperis tu manum tuam*, id est, benignitatem potentiæ tuæ, quia omnia in potestate ejus sunt, *et imples benedictione omne animal* rationabile, scilicet quod potest benedici. Quasi dicat : Etsi non das aliquando, das tamen in tempore opportuno. Differs quidem, sed non aufers.

VERS. 18. — « Justus Dominus in omnibus viis « suis : et sanctus in omnibus operibus suis. »

Justus est *Dominus.* [Cassiod., Aug., Cassiod.] Ipso nomine justitiam aperit, ut manifeste ostendatur hic laus esse de justitia. Justus dico, *in omnibus viis suis.* Viæ sunt dispositiones et voluntates quæ omnes justæ sunt, etiam si verberat. Justus ergo est et quando cædit et quando curat. Sic confessi sunt Daniel et omnes sancti in tribulationibus, scilicet D quod justa sunt judicia Dei. *Et sanctus in omnibus operibus suis.* Pius, patiens, dator omnium bonorum. Sciendum quod viæ ad dispositionem pertinent, opera ad effectum. Hæc secundum nos dividentur, sed apud illum, hoc est velle quod facere, quia ex ejus voluntate res habent esse. Et

VERS. 19. — « Prope est Dominus omnibus in- « vocantibus eum ; omnibus invocantibus eum in « veritate. »

Dominus [Cassiod.] qui ubique *prope est*, id est propitius *omnibus invocantibus eum*, etsi non facit statim eis quod petunt. Ideo enim magis non facit, quia proprie est, et hoc de justitia sumitur. Sed quibus invocantibus? [Aug.] Omnibus invocantibus eum *in veritate* non secundum vana desideria, quæ aliud quærunt quam ipsum Deum. Et ipse

VERS. 20. — « Voluntatem timentium se faciet, « et deprecationem eorum exaudiet : et salvos fa- « ciet eos. »

Faciet aliquando, [Aug.] etsi non mox ut petunt, *voluntatem timentium se.* Si tamen ideo timent, ut ejus faciant voluntatem, *et deprecationem eorum* de salute *exaudiet et salvos faciet eos.* Deinde concludit de justitia dicens :

VERS. 21. — « Custodit Dominus omnes diligen- « tes se ; et omnes peccatores disperdet. »

Custodit Dominus omnes diligentes se : et omnes peccatores disperdet, [Aug.] id est qui perseverant in peccatis, disperdet. In utroque enim est æquitas. Æquum est et diligentes custodire, et peccatores perdere. Et nota per hoc quod ait, custodit, ostenditur apud eum esse suavitas; per hoc quod ait, disperdet, monstratur apud eum esse veritas.

VERS. 22. — « Laudationem Domini loquetur os « meum ; et benedicat omnis caro nomini sancto « ejus in sæculum et in sæculum sæculi. »

Laudationem. [Cassiod.] Expositis omnibus locis laudis sequitur brevis conclusio, qua concludit quod non potest explicari. Quasi dicat : Quoniam omnia ita se habent, *laudationem Domini loquetur eos meum.* Ecce concludit in laude *et* in eo exemplo *benedicat omnis caro*, id est homo, scilicet conversus ad Deum *nomini sancto ejus*, et hoc in sæculum, id est in præsenti, *et in sæculum sæculi*, in futuro.

COLLATIO IN PSALMUM CXLIV : « EXALTABO TE, DEUS MEUS REX, » etc.

VERS. 3.— « *Magnitudinis ejus non est finis.* Itaque Chældæus D. Hieronymus *pro eo quod non est finis*, dicit *non est investigatio.* Et ferme alii חקר HEQER, sensus est idem. Nam tanta est Dei magnitudo, ut quanto plus investigaveris, tanto magis inveniendum sit. In aliquot versiculis ubi habemus tertiam personam, ubi pluralem Hebr. habent primam singularem sensu illæso, ut exempli gratia, est illud *mirabilia narrabunt.* D. Hieronymus *loquar*, alii *meditabor* ac id genus. Certe Psalmita narrabat Dei mirabilia, ut et nos postea narrabimus, quin in Hebr. modo ponitur singulare, modo plurale intercise, ut palam sit idem esse.

VERS. 8. — *Exsultabunt* D. Hieronymus. et alii *laudabunt* sive *cantabunt* ירננו JERANNENU, vel *jubilabunt.* Hæc profecto *exsultationem* in Dei laudibus aperte demonstrant.

VERS. 14. — *Fidelis Dominus.* Hic versiculus non est in Hebr. Existimo a Septuaginta repositum esse, eo quod hic psalmus scriptus est ordine alphabetario, et si non hic versus poneretur, deficeretur littera nun. Siquidem per id elementi, Hebraice fidelis incipitur נאמן NEEMAN.

PSALMUS CXLV.

PSALMI TITULUS : « ALLELUIA. »

Lauda, anima mea. Titulus : *Alleluia.* [Cassiod., Aug.] Vox ista est quasi musica salutaris, harmonia cœlestis, quæ non solum homines, sed etiam angelos delectat, laudem Dei exprimens, quæ congrue huic psalmo præscribitur, ubi vir justus exhortatur animam suam ad laudem Dei ; quia aliquando in adversis velint nolint perturbatur anima, unde supra dixit : *Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me?* (*Ps.* XLI.) Sed ut auferat ei perturbationem suggerit gaudium de spe, si non de re, animæ perturbatæ et mœrenti dicens : *Spera in Deo quoniam adhuc confitebor illi* (*ibid.*). [Cassiod.] Hac igitur spe erecta anima Deum laudat hic. Intentio : Monet ad laudem. Modus : Tripartitus est. Primo Propheta sibi quasi omnibus consulit laudare, ne in vanis otietur, et quasi acquiescens consilio, asserit se laudaturum ibi, ubi poterit plene. Secundo, alios monet non sperare in homine, ibi, *nolite confiteri.* Tertio docet omnem spem, in omnipotenti ponendam, ibi, *beatus.* Vir itaque justus animam suam ad laudem exhortans ait :

VERS. 1. — « Lauda, anima mea, Dominum, laudabo Dominum in vita mea, psallam Deo meo, « quandiu fuero. »

Lauda, anima mea, Dominum. [Aug.] Quasi dicat : Quid de aliis satagis ? Sta mecum in laude Dei. Sed quare, a quo, et cui hoc consulatur. Si caro dicitur consulere animæ, non videtur esse verum, cum a meliori et digniori soleat inferiori dari consilium. Caro autem inferior est anima. Anima enim licet vituperabilis, quia peccatrix, tamen melior dicitur per naturam corpore laudato in suo genere, quia spiritualis natura præstat corporeæ quam movet, regit, sensificat, et caput ipsa spiritualis natura infinita vicina est substantiæ Dei. Sic aurum vituperatum quia sordidum est præest plumbo in puritate laudato ; sic et malus homo optimo equo. Non ergo datur animæ consilium a carne, quamvis domita valde et pecata quæ tamen mortua est propter peccatum, nunc etiam immortalis facta consulit animæ, quia semper in terra anima est, sed purior pars animæ, scilicet mens, quæ cogitat sapientiam divinam illi inhærens, et in illam inspirans videt quasdam animæ partes, scilicet sensualitatem perturbari motibus sæculi, et cupiditate terrenorum ad exteriora rapi, a quibus ad superiora et interiora revocat eam. Se ergo secundum inferiorem partem exhortans anima, secundum rationem dicit : *Lauda, anima mea, Dominum.* Quid enim tibi placet in hoc sæculo quæ divisa es per tot sæcularium rerum amores ? Quid te occupat mortalium rerum cura ? collige te ad actorem. Hic tibi pax et securitas. Sta ergo mecum, et lauda Dominum. Deinde respondit anima menti, quasi hic prægravata, et non valens ita consistere ut dignum est : *Laudabo* perfecte *in vita*
A *mea* æterna, quæ est vere vita, scilicet cum perfecte ei inhæsero, a quo separari ut modo fit, mors est, hic in morte ista laudo tenuiter, id est exiliter, quia corpus animam aggravat, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem (*Sap.* IX). Sed hic spes consolatur et pascit, in qua quodammodo vivens laudat. Vita erit in futuro. Ideo hic gemo, ibi plene laudabo. Et quomodo laudabis ? Sic laudabo, quia tunc *psallam Deo meo, quandiu fuero*, vel *sum.* Hic est homo et aliis intentus. Et ideo non semper psallit et perfecte, sed in æterno est. [Cassiod.] Non sic psallam, imo, quandiu fuero, vel sum, non ideo hoc dicit quod aliquando non sit, quia in æternum erit, et ideo vere diu. Vel de præsenti potest accipi, psallam. Quasi dicat : In futuro perfecte lau-
B dabo, et etiam hic, ubi non semper ero, psallam Deo meo, quandiu fuero.

311 PARS. II. VERS. 2. — « Nolite confidere « in principibus : in filiis hominum, in quibus non « est salus. »

Nolite confidere. [Aug.] Secunda pars, dato consilio et affirmato quod laudabit ubi plene poterit, quasi longe remotos interim dum mala sunt quibus turbatur anima, monet hic non sperare in homine, sed in Deo. Quasi dicat : Ego laudabo et psallam, vos autem pusilli, qui nondum, vel, id est etiam de Deo speratis, interim dum mala sunt in Deo, non in homine speretis. [Cassiod., Aug.] Quod ita ait : *Nolite confidere in principibus* tenebrarum, id est in dæmonibus ; et *in filiis hominum*, id est in baptistis,
C *in quibus non est salus.* In uno Filio hominis est salus, et in ipso sperate, non quia Filius hominis est, sed quia Filius Dei est ; non propter illud quod suscepit ex te, sed propter illud quod servavit in se, quia Domini est salus. Et in alio psalmo dicitur, non principium sæculi, non baptistarum, qui jactant se dare sancta, quorum tantum sunt instrumenta. Si enim homo aliquid dare posset, minus a Deo peteretur. [Cassiod.] Vel ita, nolite : Respicit Propheta ad novissima tempora consummationis sæculi, et quasi in fine sæculi mente positus cito finienda docet, non amare pro æternis. Quasi dicat : Ita me habeo, ut dixi, et meo exemplo, nolite, vos alii, maxime novissimi, confidere in principibus et in filiis hominum, id est in illis qui maxime temporalia amare suadent, prius ut salutaris medicus mun-
D dat corda prohibendo a noxiis, ut post salutaria infundat monendo salubria. In quibus, id est in filiis hominum, non est salus. Vide enim quid sint.

VERS. 3. — « Exibit spiritus ejus, et revertetur in « terram suam ; in illa die peribunt omnes cogita- « tiones eorum. »

Spiritus, [Aug.] id est anima *ejus*, id est hominis *exibit* subito, quando non vult vel scit *et* exeunte spiritu *revertetur* caro *in terram suam*, unde cepit initium. *Et in illa die*, mortis scilicet, *peribunt*, id

est frustrabuntur, *omnes cogitationes eorum*, quæ in diversos sæculi ambitus tendebant.

PARS. III. VERS. 4. — « Beatus cujus Deus Jacob « adjutor ejus, spes ejus in Domino Deo ipsius; qui « fecit cœlum et terram, mare, et omnia quæ in eis « sunt. »

Beatus cujus. [Cassiod., Aug.] Tertia pars, ubi docet omnem spem in omnipotenti ponendam, quem ex factis describit, ut gentilitas tam frequenter victa quiescit. Et notandum quod supra remotis noxiis docet hic quod salutis est, scilicet in quo sperandum sit. Et quasi quis quæreret : In quo ergo est sperandum? Respondet, in Domino, quia *beatus* est *cujus Deus* est, non angelus vel homo. Sed, Deus *Jacob*, id est qui sperat in illo, qui fuit Deus Jacob. Ipse dico *adjutor ejus*, Jacob, id est adjutor hujus viri Jacob, sicut fuit adjutor illius actualis Jacob. Ipsius Jacob sic fuit adjutor, ut de Jacob faceret Israel, qui jam videret adjutorium, [Aug.] scilicet Israel videret Deum qui est adjutorium, sic si hic non vides, sed habes adjutorem Deum, eris tandem de Jacob Israel, et videns ; et cessabit omnis gemitus et dolor. Dicit ergo, beatus et ille cujus Deus est Deus Jacob adjutor ejus, id est hujus viri Jacob, sicut illius. Cur est beatus? quia *spes ejus* est *in Domino Deo ipsius*, et quia etiam cultoribus dæmonum spes est in Deo suo, determinat in quo debet esse spes, dicens : *Qui fecit*. Quasi dicat : In quo Domino Deo? in illo, qui fecit *cœlum et terram, mare*, [Cassiod., Aug.] id est in Christo, et hoc usque in finem psalmus ostendit, describendo eum per opera. Nam etsi sunt dii multi et domini, nobis tamen unus est Deus, ex quo omnia (*I Cor*. VIII). Et est hic laus ab operibus, quia etsi non ejus substantiam, tamen actus ejus aliquatenus nostra capit notitia, de quibus subdit : *Et omnia* fecit *quæ in eis sunt*, scilicet in cœlo et in terra, in mari. Ita curat et de te inter alia. Omnia, dicit, ne quem alium putes Creatorem. Vel, id est etiam et minorum, et præter cætera addit, hoc aliud ad nos pertinens. Ipse est

VERS. 5. — « Qui custodit veritatem in sæculum, facit judicium injuriam patientibus; dat « escam esurientibus. »

Qui custodit veritatem in sæculum, id est, in æternum. [Cassiod., Aug.] Hic est Christus qui est veritas. Omnis homo mendax. His verbis et amandum prædicat, et timendum in quo custodit veritatem. Ecce *facit judicium* quibus? *patientibus injuriam*; non omnis molestia est injuria, quod enim jure pateris non est injuria, ut quod patitur latro et alii scelerati. Aliud est ergo pati injuriam, aliud pati supplicium. Supplicium enim jure quis patitur; injuria autem juri contraria est *dat* etiam *escam* utramque, scilicet corporalem et spiritualem, *esurientibus*, de quibus dicitur : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam* (*Matth*. v). Non ergo homo se jactet. Quasi dicat : Etenim solus Deus dat hæc duo, scilicet quod facit judicium et dat escam, hoc ad justitiam pertinet. Christus enim justus judex, vindicat patientes propter nomen suum; et dat escam diligentibus se.

VERS. 6. — « Dominus solvit compeditos; Dominus illuminat cæcos. »

VERS. 7. — « Dominus erigit elisos : Dominus « diligit justos. »

Dominus solvit compeditos, [Aug., Cassiod.] mortali corpore. Hos solvit ex mortalibus faciens immortales. Vel, compeditos, culpis *Dominus solvit* a peccatis. Et *Dominus illuminat* sapientia *cæcos* ignorantia, [Aug.] id est eos qui cæci sunt, facit sapientes. Hæc ad abundantiam suavitatis pertinent. *Et elisos* per superbiam *Dominus erigit*, per humilitatem. Quos enim diabolus elidit, Deus dirigit. Et *Dominus diligit justos*, quos locat in æterna beatitudine. Et quia diligit, ideo facit judicium eis injuriam patientibus. Qui sunt justi? et quomodo diligit? ecce justi sunt pupillus et vidua; diligit hos custodiendo. Et hoc est quod ait :

VERS. 8. — « Dominus custodit advenas, pupil- « lum et viduam suscipiet; et vias peccatorum dis- « perdet. »

Dominus custodit advenas, [Aug.] scilicet eos qui dicunt : *Non habemus hic manentem civitatem* (*Hebr*. XIII). *Pupillum et viduam suscipiet*, id est omni ope et auxilio destitutos in hoc sæculo, ut sperent in Deum, et etiam qui habent terrena, et non in eis confidunt, pupilli et viduæ sunt Dei. Vel per advenas Ecclesia intelligitur gentium. Omnis enim Ecclesia gentium adventitia est ad Patres, quorum non carne, sed imitando est filia. Pupilli sunt omnes fideles in hac peregrinatione, quibus absens est Pater; et omnis fidelis anima, est vidua Sponso absente, id est quandiu Sponsus abest. Unde magis Patrem et Sponsum desiderant, et hos omnes Deus protegit, non visus sed desideratus. *Et* ipse *disperdet viam*, vel, vias latas *peccatorum*, qui hic nostram arctam viam irrident, quorum via exterminata nobis quid restat? utique regnum, de quo supponit.

VERS. 9. — « Regnabit Dominus in sæcula, Deus « tuus, Sion, in generatione et generationem. »

Regnabit Dominus in sanctis suis *in sæcula*. [Cassiod.] Hoc de magnificentia sumitur. *Regnabit Dominus*, quando corda nostra erunt in eo firma, quod non modo est. Quis Dominus? *Deus tuus*, o *Sion*, regnabit. Quasi dicat : Ad te pertinet, o Ecclesia, quia tu es ejus regnum, non Babylonia. Deinde quod dixerat in sæcula exponit, *in generatione et generationem*, id est semper.

COLLATIO IN PSALMUM CXLV : « LAUDA, ANIMA MEA, DOMINUM, LAUDABO DOMINUM IN VITA, » etc.

VERS. 3. — *Exibit spiritus ejus et revertetur in terram suam*. Faber et Cæcus volunt dici, *exibit spiritus eorum et revertetur in terram*, cum præcesserit plurale *in filiis hominum*, et item sequatur, *peribunt cogitationes eorum*. Adde quod non congruit spiritum reverti in terram, qui est incorruptibilis. Omnes tamen interpretes et Græci et Latini vertunt singulariter, et ita Hebraice legitur ישוב IASCHUB, id quod

miratur Faber. Desinat autem mirari, quando intel- A ligitur *caro revertetur*. Hinc Munsterus transtulit, *revertetur homo in terram suam*. Et quod ipsi argumentantur plurale præcessisse, præsertim in Græco, nihil obstat quoniam sic accipimus *ab homine exibit* *spiritus ejus et revertetur in terram suam*, id quod translator ad Campensem fecit. Paraphrasis tamen sub plurali exposuit. Nec de hoc est minus digladiandum, cum res sit in syllabis.

PSALMUS CXLVI.

PSALMI TITULUS : « ALLELUIA. »

Laudate Dominum. Titulus : *Alleluia.* [Aug.] Hic agit item de laude Dei, ubi propheta monet laudare colligentem Israel. Intentio : Monet ad laudem Dei. Modus : Bipartitus est psalmus. Primo ostendit quos colligat et quomodo. Secundo post prædicta adhuc hærentes et dubios increpat, ostendens unde possint laudare, scilicet si fuerint humiles, ibi præ- B cinite. Omnes ergo tam majores quam minores ad laudem invitans, ait :

VERS. 1. — « Laudate Dominum, quoniam bonus « est psalmus ; Deo nostro sit jucunda decoraque « laudatio. »

Laudate Dominum. [Aug.] Hoc dicitur omnibus gentibus. Et quasi quæreremus, quare laudabimus? Laudis causam attulit : *Quoniam bonus est psalmus.* Hæc est tota merces laudantium. Quasi dicat : Ideo laudate, quoniam bonum est laudare. Ipsa enim laus Dei est nostra beatitudo. Et notandum quod non dixit quoniam bona est laus, sed ut laudis modum exprimeret, dixit, quoniam bonus est psalmus. Ipse enim psalmus est laus Dei, qui fit non sola voce sed in organo, manibus voci concordantibus. C Per quod significatur quod voci debent opera consonare, quorum laus cessare non debet etiam vocis laude intermissa. Semper ergo laudat, qui semper bene operatur. Qui vero male agit blasphemat. Hæc laus perficietur in æterna gloria, ad quam perventuri modo exerceamur in laude bonorum operum. Bonus ergo est psalmus, quia bona est laus Dei. In laude namque Dei ipse actus est merces, quæ et in futuro erit. Et quia bonus est psalmus, ideo *Deo nostra sit jucunda decoraque laudatio.* Quod utique est, si est decora, id est vitæ moribus speciosa. Jucunda enim est Deo quæ est speciosa, quod non more peccatorum, qui bonæ cantilenæ malis obstrepunt moribus.

VERS. 2. — « Ædificans Jerusalem Dominus, di- D « spersiones Israelis congregabit. »

Ædificans. [Cassiod.] Quasi dicat : Ideo laudandus est Deus, quia *Dominus* est *ædificans*, id est ædificat *Jerusalem* spiritualem, scilicet cœlestem Ecclesiam, quam sic ædificat, quia *dispersiones Israelis*, id est dispersiones fidelium, scilicet fideles dispersos de toto mundo *congregabit* ad regnum. [Aug.] Et est hic laus de factis mirabilibus. Vel ita, et accipit Jerusalem generalem Ecclesiam, cujus pars triumphat in cœlis, pars militat in terris : est enim æterna Jerusalem in cœlis, ubi cives angeli sunt, et ad eam pertinet etiam populus Israel, qui modo per peccatum peregrinus est. Omnes illi qui sunt in magna illa civitate et cœlesti gaudent quibus spectaculum est ipse Deus ; sed nos ab illa civitate peregrinamur peccato expulsi, **312** ne ibi maneremus et mortalitate prægravati, ne illo rediremus. Sed respexit Deus peregrinationem nostram. Vel ipse qui ædificat Jerusalem, etiam lapsam partem restituit, et olim dispersos in Christo collegit, quem misit ad captivitatem nostram redimendam pretio sanguinis. Et est quasi dicat : Dicis ut laudemus Deum. Et quis noster Deus est? [Gl. int.] Dominus ædificavit Jerusalem cœlestem, quam de vivis lapidibus exstruit, ruinam angelicam reparans, et ipse qui ædificat Jerusalem, congregabit [Aug.] in una fide et charitate, dispersiones Israelis, id est fideles olim dispersos quos colligit, ut de illis ædificium cœleste formetur. Sic, id est per talia opera se commendat Deus laudatoribus suis, id est commendat charitatem suam fidelibus. Quid ergo eis daturus est in præmium? Seipsum. Sed quomodo colligit? Quid agit? ut congreget, ecce ipse est

VERS. 3. — « Qui sanat contritos corde, et alli- « gat contritiones eorum. »

Qui sanat. [Aug.] Hic ex parte in futuro plenarie, *contritos corde*, id est eos qui offerunt Deo sacrificium spiritus contribulati. Hos sanat, quia humiles elatos elidit ; sed in futuro, perfecta erit sanitas, ubi corruptibile hoc induet incorruptionem. Modo vero ut medicus fracturas alligat. Unde subdit, *et alligat* nunc *contritiones eorum*, a simili medici. Frangitur enim a medicis, quod tortum est ut fiat postea rectum, sic pravum cor cui displicet Deus, in his quæ fuerit debet frangi et conteri, ut dirigatur. Quod si non potest dirigere vel frangere, et Deus diriget. Frange, inquam, confitendo, pœnitendo, puniendo : quod significat pectorum tonsio. Unde alibi : *Scindite corda vestra* (*Joel.* II). Ad hoc enim eliditur cor, ut contritum dirigatur atque sanetur. Male enim erigitur, quod non primo per contritionem corrigitur. [Hier.] Contere ergo tuum, et Dominus alligat contritiones, qualiter Samaritanus, ille qui descendebat de Jerusalem in Jericho, quando vidit vulneratum jacentem in itinere, colligavit vulnera ejus (*Luc.* X). Cæterum de his qui non obtriverunt cor, dicitur per Isaiam : *Non est malagma imponere, neque oleum, neque alligaturas* (*Isa.* I). [Aug.] Alligamenta autem Dei sunt temporalia sacramenta, quibus interim consolationem habemus, quæ tunc detrahentur cum erit perfecta sanitas ; sic medicus perfecta sanitate detrahit fracturæ ligaturam. Ipse est

VERS. 4. — « Qui numerat multitudinem stellarum ; et omnibus eis nomina vocat. »

Qui numerat multitudinem stellarum. [Aug.] Non est hoc adeo magnum ad litteram, si Deus omnes stellas numerat, cui capelli capitum numerati sunt. Sed stellæ sunt luminaria quædam in Ecclesia quæ lucent inter perversos omnes, scilicet de quibus dicit Apostolus : *In medio nationis pravæ et perversæ apparetis, tanquam luminaria in mundo (Philipp.* II). Tales numerat Dominus in suos, quia *novit Dominus qui sunt ejus* (*II Tim.* II). Si quis vero adumbrata fidei specie se interserit talibus, novit ille qui numerat, quia supra numerum est. Unde alibi : *Multiplicati sunt super numerum* (*Psal.* XXXIX) ; quia intra parietes præsentis Ecclesiæ plures sunt, quam futuri sint in regno Dei. Ideo ait, *qui numerat*, id est, discernit, *multitudinem stellarum*, id est electorum. Novit enim Dominus qui sunt ejus, *et omnibus eis* numeratis *nomina vocat*, vel vocans, quia nomina eorum scripta sunt in libro vitæ, id est in Dei prædestinatione. Hæc novit, hoc est totum præmium nostrum. Unde gaudere debemus non de alis rebus, nec de donis quibusdam spiritualibus, sicut quidam faciunt. Quibus male usis quibusdam donis Spiritus sancti, dicet in fine : *Non novi vos* (*Matth.* VII). Discipulis etiam ait : *Nolite gaudere, quia vobis spiritus subjecti sunt ; sed quia nomina vestra scripta sunt in cœlo* (*Luc.* X). Quod gaudium de prædestinatione in nobis fit per charitatem, sine qua et cætera dona Spiritus sancti, quæ habentur ad tempus, tolluntur, sicut Dominus ait : *Qui habet, dabitur ei ; et qui non habet, et id quod habet auferetur ab eo* (*Matth.* XIII). Habet enim gratiam possidendi nomen, sed non habet charitatem utendi. Vel ad litteram potest dici : *Qui numerat multitudinem stellarum*, hoc patet : *et omnibus eis nomina vocat.* [Cassiod.] Vel sicut habet alia translatio : *Omnes nomine suo vocat*, non alieno, ut astrologi qui eas Jovem, Venerem appellant, et hujusmodi. Vel typice de sanctis potest accipi. Nec mutatur illud a prima sententia, qui numerat multitudinem stellarum, id est sanctorum, et omnibus eis nomina vocat, id est cuique proprium donum dat, alios per humilitatem, alios per castitatem vocando. Vel, omnibus eis nomina vocans, id est omnes sunt in ejus familiaritate. A simili domini dicitur hoc, qui famulorum suorum nomina vovit. Quid plura dicam ?

VERS. 5. — « Magnus Dominus noster, et magna virtus ejus ; et sapientiæ ejus non est numerus. »

Magnus est *Dominus noster.* [Aug.] Plenus gaudia Propheta eructat : quod non potest explicari. Quasi dicat : Tamen cogitabat, prout valebat, *et magna virtus ejus.* Hic est laus a magnitudine. *Et sapientiæ*, vel intelligentiæ *ejus non est numerus*, id est finis. Non potest enim ab aliquo comprehendi. Ille ipse A qui numerat stellas, non potest numerari. Nemo enim ipsum numerum et mensuram et pondus Deus ubi omnia disposuit, potest metiri vel numerare, vel appendere, id est ipsam sapientiam Dei. Sicut enim in libro Sapientiæ dicitur : (186) *Disposuit Deus omnia in numero, mensura et pondere* (*Sap.* II), id est in seipso, qui est mensura omni rei, modos præfigens et numerus omni rei speciem præbens, et pondus omnem rem ad stabilitatem trahens, id est terminans et formans et ordinans omnia quæ incomprehensibilia sunt. [Aug.] Conticescant ergo humanæ voces ; requiescant humanæ cogitationes ad incomprehensibilia Dei, nemo se extendat quasi comprehensurus, sed quasi participaturus. Participes enim erimus, et non hoc quod capiemus eri- B mus, nec totum capiemus. Sed cujus rei participes erimus ? et qualiter erimus participes, cum partes non sint, apud Deum, vel per partes dividatur ? Quis ergo explicet quomodo sint participes unius simplicis plures ? non puto ante dici quam videatur. Confitere ergo infirmitatem, qui pervenire vis ad firmitatem, [Aug.] cujus intelligentiæ non est numerus. Sed in hac difficultate intelligendi, esto mansuetus, et quare ? subdit, quia

VERS. 6. — « Suscipiens mansuetos Dominus, humilians autem peccatores usque, ad terram. »

Dominus est *suscipiens mansuetos*, ad intelligentiam arcanorum. [Aug.] Si ergo vis intelligere, mitis esto, non obscura Scripturarum accuses quæ fecit Deus, ut te exerceat, neque dicas : Sic dice- C retur melius. Sic enim dictum est ut dici debuit. Non corrigat æger medicamenta quæ medicus temperat. Novit medicus quippe eo modificare, ei crede qui te curat. Ante ergo quam scias quare quid dictum sit, non judices, crede ita debuisse dici, ut dictum est. Et hæc pietas facit te capacem. Si autem resistis adversus clausa Dei, vide quid sequitur : *humilians*, etc. ; quasi dicat : Mansuetos suscipit *peccatores autem*, id est immites contrarios mansuetis, est *humilians usque ad terram*, ut terrena tantum de Deo sapiant. Quia enim reprehendunt intelligibilia, ideo sentiunt terrena, de Deo incorporeo corporaliter cogitantes. Hæc facit Deus his qui volunt irridere legem, antequam noscant. Quia ergo magnum est proficere ad intelligibilia et spiritualia, D simus mansueti, pulsemus, faciamus quod sequitur :

PARS. II. VERS. 7. — « Præcinite Domino in confessione ; psallite Deo nostro in cithara. »

Præcinite, vel incipite *Domino in confessione.* [Cassiod., Aug.] Secunda pars, ubi ex prædictis, quasi adhuc hærentes increpat et impellit, ostendens unde possint intelligere, scilicet si humiles et non superbi sint. Quasi dicat : Et ut intelligere valeatis *præcinite*, vel incipite *Domino in confessione* peccatorum et laudis. Te prius accusa, inde Deum lauda. Sic pervenietur ad intelligentiam perspicuam veri-

(186) Ex Aug. libro IV in Gen. cap. 3.

tatis. Sic imago Dei in te reformabitur. Post con- A fessionem vero sequuntur opera bona, unde subdit: *Psallite* operibus *Deo nostro in cithara,* ubi manus sequitur vocem, ita vocem laudis sequantur opera. Et quasi quis quæreret: cui Deo?

VERS. 8. « Qui operit cœlum nubibus; et parat « terræ pluviam. »

Qui operit cœlum nubibus. [Cassiod., Aug.] Ad litteram memorat opera, per quem potestas ostenditur. Vel potius mystice *qui operit cœlum nubibus*, id est qui contegit sacram Scripturam figuris et sacramentis, ut incitet ad quærendum. *Et* ne timeas de operta Scriptura, quia inde *parat* gratis, non meritis habetur, *pluviam terræ*, ad hoc enim voluit quædam obscura esse in Scripturis, ut haberent servi Dei quod interpretando influerent su- B per aures, et corda hominum, excipientium de nubibus Dei saginam lætitiæ spiritualis. Et ipse est

VERS. 9. — « Qui producit in montibus fenum, « et herbam servituti hominum. »

Qui producit fenum et herbam. [Aug.] Ecce fructus pluviæ, non modo in terra humili, sed etiam in montibus, id est in excelsis sæculi, quæ magis amant divitias. Ecce unde produxit, et quibus produxit, *servituti hominum*, id est prædicatoribus qui hominibus serviunt. Unde Apostolus ait: *Nos autem servos vestros per Jesum Christum* (*II Cor.* IV). Hi seminant spiritualia, et recipiunt ab excelsis sæculi *fenum et herbam,* id est, temporalia. Omnia enim quæ dantur Ecclesiæ a divitibus fenum sunt. Et ipse est C

VERS. 10. — « Qui dat jumentis escam ipsorum, « et pullis corvorum invocantibus eum. »

Qui dat jumentis, vel pecoribus, id est simplicibus Ecclesiæ, scilicet gregibus Domini, *escam ipsorum,* [Aug.] id est pabulum divini verbi, quia eos pascit Deus per homines: qui accipiunt fenum, id est, per prædicatores qui largiuntur eis spiritualia, a quibus metunt carnalia, et dat escam *pullis corvorum invocantibus eum.* Corvi sunt gentiles nigri in peccatis. Unde et Judæi qui se solos justos dicebant, omnes gentiles peccatores dicebant. Et vere patres nostri corvi fuerunt, quia peccatores et idololatræ, nos autem non sic remanemus: tamen recte pulli corvorum dicuntur et sumus. [Cassiod., Aug.] Pulli enim corvorum dicuntur rore cœli vesci, et D beneficio ætatis ignorant paternas escas, id est fetores cadaverum: sic filii paganorum non imitantes paternos ritus, innocentes sunt qui invocant, corvus non invocat. Nos vero dimissi invocamus. Ergo dat escam pullis corvorum, id est filiis paganorum, invocantibus eum.

VERS. 11. — « Non in fortitudine equi voluntatem « habebit; nec in tibiis viri beneplacitum erit ei. »

Non in fortitudine equi, [Gl. int.] quasi jumenta pascit et pullos, sed non habebit *voluntatem,* id est beneplacitum, *in fortitudine,* vel in potentatu *equi,* id est in superbia contumacium. Per equum enim superbia intelligitur, quia de equo altior incedit homo. Et cervix ejus vere indicat superbiam. Rapidus etiam est in cursu. *Nec beneplacitum erit ei in tibiis viri,* id est in in composito habitu præsumptuosi et audacis. [Alcuin.] Per virum enim audacem præsumptionem notat. In tibiis notatur incessus incompositus. Vel secundum aliam litteram, *neque in tabernaculis viri,* id est, in conventiculis hæreticorum, *beneplacitum erit ei.* [Aug.] Nota quod non ait, in tabernaculis Dei, sed viri, per hoc designans audacium hæreticorum tabernacula, quia est et tabernaculum Dei, scilicet Ecclesia a qua se dividentes hæretici, sibi tabernacula posuerunt. Unde pullus corvi forte in Ecclesia, carens temporali honore, ait: *Elegi abjectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculo peccatoris (Psal.* LXXXIII). Non enim extra Ecclesiam sibi facit tabernaculum, in quo non sit beneplacitum Deo.

VERS. 12. — « Beneplacitum est Domino super « timentes eum; et in eis qui sperant **313** super « misericordia ejus. »

Beneplacitum. [Gl. int.] Quasi dicat: In superbis et hæreticis et incompositis non est beneplacitum ei. *Beneplacitum est Domino super timentes eum, et in eis qui sperant super misericordia ejus*, id est beneplacitum est Domino, in his qui timent et sperant. Timori spem conjunxit, quia non valet timor sine spe veniæ. [Aug.] Judas enim pœnitens timuit; sed non speravit in misericordia. Ideoque desperando cucurrit ad laqueum, et se suspendit. Qui ergo timet Deum speret, et ab ipso ad ipsum fugiat, ab irato ad placatum. Placabis autem eum si speres in misericordia ejus; atque de cætero ita caveas peccare, ut de præteritis depreceris ut tibi dimittantur.

COLLATIO IN PSALMUM CXLVI: « LAUDATE DOMINUM QUONIAM BONUS EST PSALMUS, » etc.

VERS. 1. —*Laudate Dominum quoniam bonus est psalmus.* Deo *nostro sit jucunda,* etc. Hebr. aliter distinguunt, ut id quod est *Deo nostro*, pertineat ad superiora hoc pacto, *quoniam bonum est canere Deo nostro;* sed ea quæ sequuntur abunde manifestant utrovis posse referri, nec omnes qui transferunt assignant ubique eamdem hypostiginem. Dicit enim Sanctes, *laudate Dominum*, *quoniam bonum est canere Deo nostro, quoniam dulcis, decora est laus.* At Munsterus, *quoniam bonum est canere Deo nostro atque jucundum, optabilis est laus.* Cur autem vertit, *optabilis est laus,* ubi alii dicunt *pulchra est,* rationem reddit, quia Hebraicum נאוה NAVAH, quidam deducunt ab אוה IVAH, hoc est *desideravit*, ut sit passivum ejus, alii autem a נאוה NAVEH, quod *decorum* significat.

VERS. 9. — *Et herbam servituti hominum.* Hæc clausula non invenitur in Hebr. Pleraque alia a LXX abjecta sunt, non sine Spiritus sancti auctoritate, aut quavis alia ratione, ut multis superius non semel discussum est. D. Hilar. deprehendit quosdam codices habere, quosdam non habere. Græci procul dubio hanc partem nunc legunt.

VERS. 11. — *Nec in tibiis viri.* Divi Hilarius et Aug. ac Psalterium Romanum habent, *nec in tabernaculis viri.* Arnobius autem indicat Græce esse *in tibiis*, ἐν ταῖς κνήμαις, quas tamen Hieronym. interpretatur περικνημίδας, hoc est *ornamenta crurum,* quæ tropologice refert ad *incessum libidinosum.* Arnob. accipit pro *stabilitate*, quasi non possimus

per nos stare aut perseverare. Fortasse lectum est in nonnullis Græcis σκηναῖς. Indubie autem im Hebræo legitur *in tibiis*, בשוקי BESCHOQUE.

PSALMUS CXLVII.

PSALMI TITULUS : « ALLELUIA AGGÆI ET ZACHARIÆ (187). »

Lauda, Jerusalem. Titulus: *Alleluia, Aggæi et Zachariæ.* [Aug.] Prophetæ isti in Babylonica captivitate prophetaverunt reparationem Jerusalem, quæ ut Jer. prædixit (*Jer.* XXV), post LXX annos facta est, in qua intellexerunt spiritualem restaurationem cœlestis Jerusalem, eamque sub figura illius prædixerunt, et pro ea Dominum laudaverunt, quæ post LXX annos, id est post volubilitatem totius temporis, quod septem diebus agitur, perficienda est, et pro ea hic Propheta Deum laudat, sicut et prædicti prophetæ sub figura Deum laudaverunt. Et est sensus tituli : Hic est *alleluia*, id est laus Dei. Laus dico, *Aggæi et Zachariæ*, id est de reparatione cœlestis Jerusalem, quam illi prædixerunt, et pro ea Deum laudaverunt, et facit psalmus iste in nobis amorem futuræ Jerusalem, quam multipliciter commendat. Totus quoque hic psalmus potentiam Dei prædicat.

[Cassiod., Aug.] Intentio : Monet ad laudem. Modus : Ripartitus est psalmus. Primo dicit bona futuræ Jerusalem. Secundo dicit quæ bona hic dantur sanctis, ibi, *qui emittit*. In captivitate ergo hujus sæculi adhuc constitutus, Propheta videns beatum populum æternæ Jerusalem præmisso gaudio spei, ante gaudium speciei, quasi conjungens cor etsi non corpus angelis, dicit : O

VERS. 1. — « Lauda, Jerusalem, Dominum ; lauda « Deum tuum, Sion. »

Jerusalem, cœlestis jam secura, *lauda Dominum*. Hoc solum est negotium tuum. Hoc ideo dicit Propheta, ut modo exsultemus in spe, et desideremus ipsam qui audimus eum vel eam sic ructantem Dei laudem ; et repetit : *Lauda, Deum tuum*, o *Sion*. Eadem est Sion et Jerusalem. Jerusalem enim interpretatur *visio pacis*, Sion *speculatio*; vel contemplatio et visio pacis est : contemplatio Christi, qui est pax nostra. Vel secundum aliam editionem, *collauda*, o Jerusalem, Dominum : non simpliciter dico lauda, sed collauda, quia ex multis constas. Tu ergo constans ex multis, collauda. Et o tu, Sion, lauda Deum tuum. Ideo simpliciter subdo, lauda, quia unum facta es, et accipit idem Sion et Jerusalem, quod prius. Et quasi dicat : Quare laudabo? respondet :

VERS. 2. — « Quoniam confortavit seras portarum « tuarum, benedixit filiis tuis in te. »

Quoniam confortavit, vel confirmavit, non tantum posuit, *seras*, vel vectes *portarum tuarum*. Vectium confirmatio non fit nisi clausis portis. Per hoc ergo notat clausam esse januam, admissis prudentibus, et exclusis fatuis virginibus ut nemo jam exeat vel intret. [Aug.] Et congrue post laudis admonitionem subdit de clausis janius. Clausa enim janua Jerusalem secure laudat, quia nemo exit unde doleat. Nemo intrat quem timeat, quia non exit inde amicus, nec intrat illuc alienus, sicut modo fit. Unde et sunt scandala. Et est : *Benedixit filiis tuis in te*, quos olim peperisti, qui jam quiescunt, in te, non foris peregrinantur. Volarunt enim de nido timoris in cælestia et æterna tabernacula, ubi filii sunt et securi. Quis benedixit ?

VERS. 3. — « Qui posuit fines tuos pacem ; et « adipe frumenti satiat te. »

Qui posuit fines tuos pacem, [Aug.] perfectam. Quasi dicat : Quidquid enim intus est, pace fruitur. Extra est gehenna, et in pace illa est saturitas, et nulla indigentia. *Satiat te adipe frumenti*, id est pane qui de cœlo descendit, qui carne clausus in mundo sola fide est cognitus. Tunc autem videbimus, sicut est, et erit illa perfecta saturitas vel securitas.

PARS. II. VERS. 4. — « Qui emittit eloquium suum « terræ, velociter currit sermo ejus. »

Qui emittit. [Cassiod., Aug.] Secunda pars, ubi subdit quæ munera hic dantur electis, per quæ veritas futuri possit agnosci. Quasi dicat : Hæc prædicta erunt ibi, sed quid interim in peregrinatione ista dat nobis ? Ecce ipse est *qui emittit eloquium suum terræ*, id est verbum, assumpta carne, *terræ* ut in terra cognoscatur. Aliter enim non levaremur ad adipem frumenti satiantem, nisi mitteret Verbum terræ, qua gravamur et impedimur ad reditum. In terra enim laboramus fessi, languidi, pigri, frigidi ; sed in eremo nos non deserit, sed manna pluit, quia mittit Verbum suum terræ, et *velociter currit sermo ejus*, [Cassiod.] quia sermo Christi vel Christus cito implevit mundum cognitione veritatis, [Aug.] vel secundum aliam litteram, *usque in velocitatem currit sermo ejus*, vel, verbum quo electius vel expressius dici non potuit. Non ait velox est Verbum ; velox enim fit aliquid velocitate, qua plus vel minus participat, sicut participatione caloris aliquid dicitur calidum, et participatione frigoris frigidum. Est autem aliquid alio magis vel minus, velox vel calidum quanto scilicet velocitate vel calore magis vel minus participat. Et sicut calore quo calent cætera nihil est calidus, in velocitate qua cætera dicuntur velocia nihil est velocius. Sicut ergo de aliquo diceretur, calet usque in calorem, id est adeo calet, quod ipse calor potest dici, sic de Verbo Dei dicitur. Cucurrit usque in velocitatem, id est, adeo ut sit ipsa velocitas, quod tamen per quamdam similitudinem dicitur. Quod enim velox

(187) *Aggæi et Zach.* additum est titulo.

est sicut equus, vel angelus, vel ventus, alicubi est, A non ubique. Velocitas autem ipsa, ubique est, non est in parte, nusquam arctatur, quæ modo non est in equis vel in ventis, sed in aliis infinitis, et in eisdem temporum punctis, ubique terrarum diffunditur. Hoc autem pertinet ad Verbum Dei, scilicet non esse in parte, sed ubique esse per seipsum. Hæc est Sapientia Dei, quæ sicut in libro Sapientiæ legitur: *Attingit a fine usque ad finem fortiter* (*Sap.* VIII), non tamen motu locali, sed immobilitate tanquam si moles aliqua saxea impleat locum aliquem, Dicitur quod attingit a fine ejusdem loci usque ad finem : cum tamen alterum non deserat alterum occupando. Non habet ergo motum illud verbum, et sapientia illa solida est, et ubique. Sed et de sapientiæ spiritu dicitur in libro Sapientiæ, *actus* B *mobilis, certus, incoinquinatus* (*Sap.* VII). Sed hoc facit ipsa velocitas quod Sapientia dicitur actus mobilis, non ut hoc deserat, illud tangat; sed ut ubique semper sit, et nusquam inclusa teneatur. Sed quis sufficit ista cogitare? utique nullus. Est tamen spes ad capiendum verbum, quia prædestinavit nos Deus. Et hoc est quod ait :

VERS. 5. — « Qui dat nivem sicut lanam; nebu« lam sicut cinerem spargit. »

Qui dat nivem sicut lanam nebulam. [Aug.] Hic dicit quæ præstet adventus Christi. Sicut enim nix sursum gelat, et in ima decidit, sic refrigescente charitate decidit humana natura in terras, et pigro corpore involuta, ut nix facta est. Sed in hac nive C prædestinati sunt, qui sunt velut lana, de quibus scilicet aliquid facturus est; lana enim est materia vestis, et de his spiritu adhuc frigidis, qui prædestinati sunt, fit tunica Christi sine macula et ruga. Unde merito vestis Christi in monte refulsit sicut nix, quia de hac nive fit vestis Christi. Et est : *Qui dat nivem*, id est congelatos, *sicut lana*, quæ est materia vestis, id est de congelatis et frigidis, quos prædestinavit facit vestem Christi sine macula et ruga. Sed prædestinati vocandi sunt ad pœnitentiam, secundum illud: *Quos prædestinavit, hos et vocavit* (*Rom.* VIII). Non autem venit vocare justos, sed peccatores, id est peccata et inscitiam suam confitentes; et hos in pœnitentia. Et dum vocat ad pœnitentiam, *nebulam sicut cinerem spargit.* Cinis D ad humilitatem et pœnitentiam pertinet, quia cinis et cilicium sunt arma pœnitentium; nebula vero caliginem peccati, et ignorantiam notat. Et dum vocatur quis ad intelligendum Deum, et dicitur illi : Cape veritatem, incipit velle capere veritatem, et non sufficit, sed patitur caliginem. Adhuc ergo est illi nebula, ut sciat se nescire et non capere posse quod oportet eum scire. Sed si non potest penetrare veritatis arcanum, pœniteat eum peccatorum suorum quibus in hanc difficultatem videndi venit, et ita erit ei salubris nebula, quam spargit Deus ut cinerem, id est tollit per humilitatem pœnitentiæ, quæ significatur per cinerem. Ut et Abraham dicit Deo : *Cinis sum* (*Gen.* XVIII), hæc confessio est humilitas pœnitentis. Ergo nebulam, quæ est pro caligine peccati, spargit sicut cinerem, id est tollit per humilitatem et pœnitentiam, ad quam vocat et qui prædestinavit, et ad pœnitentiam vocavit.

VERS. 6. — « Mittit crystallum suam sicut buc« cellas : ante faciem frigoris ejus quis sustinebit? »

Mittit crystallum suum, vel, *suam sicut buccellas*, vel frusta panis. [Aug.] Crystallum dicit obstinatos, de quibus tamen et alios pascit. Et est sensus : crystallum suum, id est obstinatos quos quidem prædestinavit, qui non facile ut **314** nix solvuntur. Mittit ut buccellas, vel, frusta panis [Aug.] id est tales facit ut pascant alios verbo Dei, et prædicent veritatem, quam impugnabant, quibus sunt quasi panis, Unde ait Apostolus ; *Multi unus panis sumus in Christo* (*I Cor.* X). Omnes ergo unus panis sunt ; singuli vero frusta sunt. Talis fuit Paulus. Ipse namque fuit crystallum, id est durus et nitidus : Durus, quia persecutus est Ecclesiam Dei, obnitens veritati, clamans adversus Evangelium; nitidus fuit, quia in lege peritus, qui tamen postea factus panis veritatem docuit soluta nive, nebula et crystallo *ante faciem.* Hic aggerat periculum, ut major sit gratia liberationi, quasi quidam sint nix, nebula, et crystallum. Hæc autem Deus solvit, sed, nisi solvat, *quis sustinebit*, vel subsistet ante faciem, frigoris, vitiorum et obstinationis? *Frigoris* dico, *ejus*, scilicet Dei. Frigus dicitur esse ejus, non quod faciat illud, sed quia fieri sinit, scilicet quia deserit peccatorem et non vocat, non aperit sensum, non infundit gratiam. Nisi ergo solvat, quis sustinebit? nullus. Et quis alius solvet nisi ipse? nullus. De hoc frigore dicit Apostolus: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in legem peccati mortis. Et quis liberabit me de corpore mortis hujus?* (*Rom.* VII.) Ac si diceret : Frigesco, miser sum, nullus solvit ab hujus frigoris miseria, nisi gratia Dei. Unde et hic subdit :

VERS. 7. — « Emittet verbum suum, et liquefaciet « ea; flabit spiritus ejus et fluent aquæ. »

Emittet verbum suum. [Aug.] Quasi dicat : Etsi nullus possit subsistere per se ante faciem frigoris, non tamen est desperandum, quia *emittet* Dominus *Verbum suum* carne assumpta; *et liquefaciet ea*, scilicet nubem, nebulam, crystallum. Verbo Dei namque veniente, nec frigus, nec obscuritas, nec duritia desperare potest. Salubriter enim liquefiunt, et fluenta beneficii spiritualis superfundunt aliis. *Et flabit spiritus ejus*, scilicet calidus Auster; *et aquæ*, [Aug., Cassiod.] fluenta doctrinæ et gratiæ *fluent* ut inde bibant alii, juxta illud : *Omnes sitientes, venite ad aquas* (*Isa.* LV). Ita mystice hæc prædicta sane accipiuntur. Ad litteram vero manifestata sunt, quia spargit Deus nivem quasi lanam, nebulam ut cinerem. Crystallum facit ut frusta panis candidi. Est autem crystallum species quædam in modum vitri, sed candidum est. Dicitur autem esse nix glacie indurata per multos annos, ut resolvi non pos-

sit. Et congrue hæ tres similitudines hic notantur, A quæ juxta litteram, magna opera Dei monstrant. Sed aliud hæc innuunt mystice intellecta, quod ante prosecuti sumus, et in prosecutione hucusque processimus.

VERS. 8. — « Qui annuntiat verbum suum Jacob, « justitias et judicia sua Israel. »

Qui annuntiat. [Aug.] Quasi dicat : Spiritus ejus flabit. Ejus, inquam, *qui annuntiat verbum suum Jacob,* id est novo populo Christianorum, qui significatur per Jacob ; *et* annuntiat *justitias et judicia sua,* id est justa judicia sua *Israel.* Idem significatur per Israel et Jacob, scilicet populus fidelium, cui annuntiat justa judicia sua, scilicet quod non tantum injusti, imo et justi patiuntur hic pro merito justo Dei judicio. Quod judicium, sicut ait Petrus, incipit B a domo Dei (*I Petr.* IV), in præsentia a fidelibus. Solus enim Christus quæ non rapuit solvit, in quo princeps mundi nil invenit, et si initium est a nobis, quis finis erit eorum qui non credunt Evangelio ? et si vix justus salvabitur, impius ubi parebit ? (*I Petr.* IV) Et hoc judicium Dei, quod scilicet patiuntur justi et injusti pro merito suo, et quomodo justi non meritis suis, sed gratia Dei liberantur, non omni genti nuntiavit Dominus, sed soli Israel, id est novo populo, in quo sunt et gentes.

VERS. 9. — « Non fecit taliter omni nationi : et « judicia sua non manifestavit eis. »

Non fecit taliter omni nationi, vel, genti, *et judicia sua non manifestavit eis.* [Aug., Alcuin.] Jam enim gentes quæ abscisæ de oleastro insertæ sunt bonæ C olivæ, non debent dici gentes, sed populus unus in Christo. Vel ad litteram. Per Jacob et Israel Judæos accipit, quibus per seipsum Christus annuntiat verbum suum, *et judicia sua non manifestavit eis.* Quod non fecit aliis : unde addit : Non fecit taliter omni nationi : et judicia sua non manifestavit eis, quia per se non prædicavit alii nationi vel genti, juxta illud : *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel* (*Matth.* XV). Vide ordinem qui est in prædictis quatuor psalmis laudum Dei ; prius enim de præceptis divini præconii egit. Secundo de perversitate mundi fugienda. Tertio de congregatione Ecclesiæ. Quarto jam collectæ in pace laudes imperat pro sua securitate et dilectione. Illi autem choro de mundi partibus congregato trina exsultatione subnectit esse gaudendum ; tres alios psalmos laudis subjungens, ut in hoc opere gratia Trinitatis eluceat.

COLLATIO IN PSALMUM CXLVII : « LAUDA, JERUSALEM, DOMINUM, » etc.

VERS. 5. — *Nebulam sicut cinerem.* D. Hieronym. scribit in Commentariis, quod Latinus male interpretatus est *nebulam.* Quod enim ὁμίχλη dicitur in Græco, in Hebraico habet כפור KEPHOR, id est *pruinam.* Arnobius quidem legit *nebulam,* interpretatur tamen *pruinam.* Cujus sunt hæc verba, *nebula* quæ sicut cinis spargitur : pruina quæ fruges universas intra terræ viscera clausas impinguat, quæ quanto plus incubuerit satis, tanto uberius proficit in aristis. Attamen ipse D. Hieronymus, ubi vertit Amos IV, *faciens matutinam nebulam,* Septuaginta habet ποιῶν ὄρθρον καὶ ὁμίχλην.

PSALMUS CXLVIII.

PSALMI TITULUS : « ALLELUIA AGGÆI ET ZACHARIÆ (188). »

Laudate Dominum de cœlis. Titulus : *Alleluia Aggæi et Zachariæ.* [Aug.] Aggæus et Zacharias quia in Babylonia captivitate prædixerunt liberationem terrenæ Jerusalem, multum nos exigunt ad futuram liberationem spiritualis Jerusalem, quam sub illa actuali intellexerunt, et pro ea Dominum laudaverunt specialiter. Ut et nos exemplo eorum, quasi contempta hujus nostræ peregrinationis Babylonia securi præmeditemur hic laudem quam in æternum solvemus. Unde et hic Propheta, per paucorum commemorationem universam creaturam hortatur laudare Deum. Omnia enim laudant Deum vel in se, vel in aliis. Sunt enim quædam quæ habent spiritum D laudandi Deum, et laudant in illo affectu, quo illis placet Deus ; quædam vero non habent intellectum, sed quia et ipsa bona sunt in ordine suo et ad pulchritudinem universitatis referuntur. Per se quidem non laudant, sed ab ipsis per attendentes ea laudatur Deus. Et ita quodammodo laudant, quia de illis nascitur in nos laus Dei, ad quam nos monet hic Propheta pro nobis liberatione spirituali, quam prædicti Prophetæ in mysterio futuram significaverunt. Ideoque titulus continet nomina eorum. Et est sensus : Hic est *alleluia,* id est laus Dei *Aggæi et Zachariæ,* id est pro futura liberatione, pro qua prædicti Prophetæ laudaverunt. Intentio : Monet ad laudem. Modus : Bipartitus est psalmus. Primo cœlestia hortatur ad laudes. Secundo terrestria, ibi, *laudate Dominum de terra.* Et congrue primo de cœlis laudatur Deus ; postea de terra. Ipse est enim qui fecit cœlum et terram, et in cœlestibus et terrestribus omnia continentur. Sic ergo aliquibus bona operantibus applaudentes dicimus : Facite, facite. Ita Propheta angelis Deum laudantibus aggratulans ait : O vos, qui estis,

VERS. 1. — « Laudate Dominum de cœlis ; laudate « eum in excelsis. »

De cœlis, [Aug.] scilicet vos angeli, *laudate Dominum.* Non præcipit vel admonet angelos hoc facere, sed adjungit aggratulationem suam eis hoc facientibus, quia placet sibi quod faciunt. Et levato corde cum illis est spe, et repetit : O vos qui estis in *excelsis, laudate eum.* Deinde quibus aggratulationem suam faciat, exprimit.

(188) *Aggæi et Zachariæ* additum est a Septuaginta.

VERS. 2.— « Laudate eum, omnes angeli ejus; lau- A
« date eum, omnes virtutes ejus. »

Laudate eum, omnes angeli ejus; laudate eum, omnes virtutes ejus. [Cassiod.] Virtutes generale nomen est omnium cœlestium spirituum, quandoque tamen pro uno ordine accipitur ; dum vero mittuntur, angeli nominantur.

VERS. 3. — « Laudate eum, sol et luna ; laudate « eum, omnes stellæ et lumen. »

Laudate eum, sol et luna. [Hier.] Notandum quod ab invisibilibus quæ digniora sunt incœpit, deinde ponit visibilia quæ minus sunt digna. Sol enim et luna et omnia visibilia invisibilibus cedunt, de quibus hic incipit dicens : *Laudate eum, sol et luna ; laudate eum, omnes stellæ et lumen.* [Cassiod.]
Et per lumen generaliter accipit omnia lumen haben- B
tia, quæ dinumerari non possunt.

VERS. 4. — « Laudate eum, cœli cœlorum ; et « aquæ quæ super cœlos sunt, laudent nomen Do« mini. »

Laudate eum, cœli cœlorum, [Cassiod.] Pluraliter dicit, quia plures sunt cœli. *Et aquæ, quæ super cœlos sunt* divisæ ab his quæ sub firmamento sunt, *laudent nomen Domini.* Et ita faciunt et cœli et aquæ. Nimia enim laus est, quod et tenuitas cœlorum firma consistit, et aquas quæ graviores sunt sustinet. Quæ, nisi jussæ, defluunt per pruinas ; quæ, sicut dicitur, apertis cœli cataractis per pluviam mittuntur, et quasi quis quæreret ? Quid eis contulit, unde laudent ? subdit, multum.

VERS. 5. — » Quia ipse dixit, et facta sunt ; ipse C
« mandavit, et creata sunt. »

Quia ipse dixit et facta sunt. [Aug.] Ecce his verbis significat Verbum per quod omnia facta sunt. Unde : *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (*Joan.* I). *Ipse* ergo *dixit,* id est Verbum genuit, *et* per ipsum *facta sunt.* [Cassiod.] Hoc dicit contra illos qui dicunt mundum Deo coæternum. *Ipse mandavit* Verbo suo, *et creata sunt.* Prius dixit facta, postea creata, facere enim et nos possumus, sed non creare, quod proprie est de nihilo aliquid facere. Ipse ergo solus creat quod proprium Deitatis est.

VERS. 6.— « Statuit ea in æternum et in sæculum « sæculi ; præceptum posuit et non præteribit. »

Statuit ea, omnia superiora, omnia cœlestia, *in* D
sæculum et in sæculum sæculi, [Aug., Cassiod.] quia etsi erit cœlum novum, Deo tamen bene statuta dicuntur, quæ novantur per ipsum et meliora permanent, et hic est laus a potentia. Omnipotens enim est cujus opera non mutantur. *Et posuit* eis *præceptum,* id est legem et conditionem, scilicet ut laudent eum, *Et non præteribit* quin fiat ; laudant enim omnia vel in se, vel in aliis.

PARS II. VERS. 7.— « Laudate Dominum de terra; « dracones et omnes abyssi. »

Laudate Dominum [Aug.] Secunda pars. Enumeratis cœlestibus descendit ad terrestria. Conversus ergo ad illa tanquam exhortans nos, ut eorum consideratione laudemus Deum, quæ considerata aperiunt laudem Dei, ait : O vos qui estis *de terra, laudate Dominum,* scilicet dracones, etc. Dracones circa aquam versantur, et prodeuntes de speluncis feruntur in aere, et concitatur propter eos aer, quibus non sunt majora animantia super terram. Unde ab eis cœpit. *Et omnes abyssi.* Abyssi sunt profunditates aquarum lactentium et maria omnia. Aer quoque nebulosus ad abyssum pertinet, ubi sunt nubes, venti, tempestates, pluviæ, coruscationes, tonitrua, grando, nix, et generaliter quidquid de humido, **315** et caliginoso aere vult fieri super terram, [Aug.] totum terræ nomine appellavit, quia nimis mutabile est. Hæc autem omnia etsi mutabilia et turbata sint, habent tamen locum et ordinem suum, et pro modo suo implent decorem universitatis, et sic laudant Deum. Ipsa ergo nos consideratione eorum hortatur laudare subdens :

VERS. 8.— « Ignis, grando, nix, glacies, spiritus « procellarum ; quæ faciunt verbum ejus. »

Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, [Aug.] qui laudant nomen Domini. *Quæ* omnia etsi perturbata videantur, quibusdam stultis et casibus agitari, tamen *faciunt verbum ejus.* Hoc ideo dicit, quia visum fuit quibusdam quod Deus superiora regeret, sed hæc inferiora despiceret ; et a casibus regerentur. Sed et hæc agit Deus, et in his minimis laudatur, et alleluia cantatur.

VERS. 9. — « Montes et omnes colles, ligna fru« ctifera et omnes cedri. »

VERS. 10. — « Bestiæ et universa pecora, serpen« tes et volucres pennatæ. »

Montes et omnes colles, ligna fructifera et omnes cedri. [Hier.] *Bestiæ* majores, *et universa pecora, serpentes et volucres pennatæ* laudent, et cætera. Deinde ad homines venit dicens :

VERS. 11. — « Reges terræ et omnes populi, prin« cipes et omnes judices terræ. »

VERS. 12. — « Juvenes et virgines, senes cum « junioribus, laudent nomen Domini, quia exaltatum « est nomen ejus solius. »

Reges terræ et omnes populi, principes et omnes judices terræ. Juvenes et virgines; senes cum junioribus, [Cassiod.] scilicet homines de omni sexu et de omni ætate *laudent nomen Domini.* Et quare ? supponit, laudent a magnificentia, [Aug.] ideo scilicet *quia exaltatum est nomen ejus solius.* Nemo enim exaltatur nisi sub eo.

VERS. 13. — « Confessio ejus super cœlum et « terram ; et exaltavit cornu populi sui. »

Confessio [Aug.] Supradixit prius de cœlo ; postea de terra : hic de omnibus simul. Et accipit per cœlum omnia superiora ; per terram omnia inferiora. Et est, *confessio ejus super cœlum et terram,* id est illum omnia confitentur, vel in se vel in aliis. Pulchritudo omnium vox est confitentium in attendentibus ea, id est attendentes ea, laudant eum, et de terrenis et de cœlestibus, quo non est aliquid melius. Quidquid enim fecit infra illum est, et quid-

quid placet in his minus est quam ipse. Si ergo amas visibile quod fecit, multo magis invisibilem qui fecit. Per visibilia intelliguntur ejus invisibilia. [Cassiod.] Vel, confessio ejus est super cœlum et terram, id est major est laus ejus ex ipso quam ex creaturis, quia magis laudandus propter se, quam propter creaturas. *Exaltabit*, vel *exaltavit*. Quasi dicat : Dico ut laudent, quia exaltatum est nomen ejus. Et ita ideo, quia exaltabit, vel exaltavit *cornu*, id est potestatem et dignitatem *populi sui*. Ecce quid prophetabant Aggæus et Zacharias in captivitate, scilicet exsultationem populi Dei. Modo quidem humile est in tribulationibus cornu populi sui, sed cum venerit Dominus exaltabitur.

Vers. 14. — « Hymnus omnibus sanctis ejus, « filiis Israel, populo appropinquanti sibi. »

Hymnus. [Aug.] Quasi dicat : Exaltabis cornu. Unde modo sit *hymnus omnibus sanctis ejus*, quibus et in fine erit hymnus perpetuus. Unde : *In sæcula sæculorum laudabunt te* (*Psal.* LXXXIII). Hymnus

A autem tria habet, canticum, laudem et Dei, id est hymnus est laus Dei cum cantico. Hunc ergo modo dicant sancti in fine æternum hymnum accepturi. Et qui sunt sancti quibus debet esse hymnus? *filiis Israel*, scilicet sit hymnus, qui sunt filii Israel? qui appropinquant Deo. Et hoc est, *populo*, scilicet *appropinquanti sibi*, non carne, sed fide sit hymnus.

COLLATIO IN PSALMUM CXLVIII : « LAUDATE DOMINUM DE COELIS, » etc.

Vers. 1. — *Quia ipse dixit et facta sunt*. Hæc clausula non est Hebr. Et quæ sequitur: *Ipse mandavit et creata sunt*, videbatur exponere dicere Dei in principio Genes. Ob id interpretes præmiserunt eum tropum loquendi priorem quo posteriori cohæreret.

B Vers. 8. — *Glacies*. Recentiores vertunt *vapor*, quem intelligunt, ut videtur, calidum et siccum, quoniam translator ad Campensem dixit *camna*. Munsterus autem ex suo lexico, adnotat etiam aliquos accipere קיטור QUITOR, pro *glacie*, id quod fecit D. Hieronymus.

PSALMUS CXLIX.

PSALMI TITULUS : « ALLELUIA. »

Cantate Domino. Titulus: *Alleluia* [Cassiod.] Post omnes creaturas, quas in præcedenti psalmo monuit laudare Dominum eo quod ab ipso creatæ sunt, hic proprius et specialius Israel invitat ad novum canticum pro novitate sibi facta, quæ est mirabilior Dei operatio. [Aug., Cassiod.] Hæc est sanctificatio Israel per quam de veteri factus est novus. Intentio: Monet ad laudem. Modus : Bipartitus est psalmus. Primo multis modis monet laudare regem, quia eis benevolus et beneficus est. Secundo agit de gaudiis sanctorum et potestate ibi, *exsultabunt*. Exhortans itaque fideles ad novum canticum, ait :

Vers. 1. — « Cantate Domino canticum novum; « laus ejus in ecclesia sanctorum. »

Cantate Domino canticum novum de mysterio redemptionis, de promissione æternitatis. [Aug.] Quasi dicat : Qui vult cantare hoc canticum, diligat æterna ubi fiat novus. Vetus enim homo canticum vetus cantat de terrenis. Novus homo novum cantat de spiritualibus, canticum, scilicet pacis, canticum charitatis. Quisquis enim sequitur veterem animositatem, non novam charitatem, novum canticum non cantat. Deinde determinat ubi et a quibus debeat cantari hoc canticum dicens, *laus ejus est in ecclesia sanctorum* scilicet. Hæc enim laus non ubicunque, vel a quibuscunque cantanda est, sed in Ecclesia catholica, et a sanctis, qui sunt Israel.

Vers. 2. — « Lætetur Israel in eo qui fecit eum, « et filiæ Sion exsultent in rege suo. »

Lætetur Israel[1], [Aug.] spe licet et hic multa patiatur. Lætetur Israel *in eo qui fecit eum*, etiam secundo ut sit Israel, *et filii*, vel *filiæ Sion*, iidem sunt Israel, et filiæ Sion, *exsultent in rege suo*, id est in Christo, qui est rex et sacerdos. Ut rex enim pugnavit pro nobis de cruce diabolum vincens, ut sacerdos se pro nobis obtulit, nihil inveniens in hominibus quod pro eis offerret.

Vers. 3. — « Laudent nomen ejus in choro, in « tympano et psalterio psallant ei. »

C *Laudent nomen ejus*. [Aug.] Qualiter? *In choro*, id est in concordia morum et *in tympano*, id est in mortificatione carnis, *et psalterio*, id est spirituali operatione *psallant ei*. Et quare psallant, subdit :

Vers. 4. — « Quia beneplacitum est Domino « in populo suo; et exaltavit mansuetos in sa- « lutem. »

Quia beneplacitum est Domino in populo suo [Cassiod.] In prima conditione rerum legimus omnia placuisse Deo, sed post mutatis qualitatibus, et pœnitere et gaudere. Unde : *Pœnitet me fecisse hominem* (*Gen.* VI). Et alibi : Gaudeo *super uno peccatore pœnitentiam agente* (*Luc.* XV). [Aug., Cassiod.] Sed hoc dicit hic, *beneplacitum est Domino in populo suo*, cum peccata dimittit. Vel de futuro potest accipi ab illo loco : *Laus ejus* erit *in ecclesia sanctorum*, id est in futura Jerusalem, et ibi : *Lætetur Israel in eo qui fecit eum : et filiæ Sion exsultent*. In quo? In rege suo, id est in Christo quem nunc videbunt facie ad faciem ; et *laudent nomen ejus in choro*, id est in unitate charitatis, quia jam tunc nulla erit dispersio, sed charissima unitas. Et, in tympano et psalterio psallant ei, id est de hoc quia tympanum et psalterium fuit eis hic. Tunc enim exsultatio erit sanctis de tympano et psalterio, non ipsi actus. Ideo psallant quia *beneplacitum* ibi *Domino in populo suo*, quod tunc apparebit, cum parem angelis faciet. Unde addit, *et exsultabit*, vel exaltavit *mansuetos in salutem* æternam.

VERS. 5. — « Exsultabunt sancti in gloria, læta- A
» buntur in cubilibus suis. »

Exsultabunt. [Cassiod.] Secunda pars, ubi agit de gaudiis sanctorum et potestate. Legitur hæc series prius de præsenti, usque ad finem psalmi. Quasi dicat : In futuro exaltabit mansuetos, et pro eo, *exsultabunt* hic *sancti in gloria*. Gloria est bonorum actuum, frequens laudatio, de qua justi *lætabuntur*. Ubi ? non extra in populari favore, sed *in cubilibus suis*, [Aug.] id est in conscientia. Ideo, quia habent tam bonum Dominum, qui dat peccatoribus veniam et gratiam, immeritis vitam æternam. Fatuus extra in fabulis hominum lætatur ; sanctis vero hic modus gaudii est, ut ad illum referant bona qui dedit.

VERS. 6. — « Exsultationes Dei in gutture eorum, B
« et gladii ancipites in manibus eorum. »

Exsultationes Dei, [Aug.] non fuerunt *in gutture* vel faucibus *eorum*, id est in lingua. Sic enim lætantur in cubilibus et faucibus, id est in corde et lingua, ut non sibi tribuant, quod boni sunt, sed Deo a quo acceperunt quod sunt, et sperant id quod nondum sunt. *Et gladii*, vel frameæ *ancipites*, vel bis acuti, vel acutæ, id est sermo Christi, qui acutus est Veteri et Novo Testamento, erunt *in manibus*, id est in potestate *eorum*, ut dicant ubi velint et cui velint. Ad quid ?

VERS. 7. — « Ad faciendam vindictam in nationi-
« bus, increpationes in populis. »

Ad faciendam vindictam in nationibus, [Aug.] id est ad hoc ut occidant, illo gladio peccatores bis C
acuto, ut sic vivificentur secundum illud : *Ego occidam, et vivere faciam* (*Deut.* XXXII.) Et, ne putares sanguinem fundi exponendo determinat, id est *ad faciendas increpationes*, vel objurgationes, *in populis*. Et.

VERS. 8. — « Ad alligandos reges eorum in com-
« pedibus, et nobiles eorum in manicis ferreis. »

Ad alligandos reges eorum in compedibus, [Aug.] id est in præceptis Dei, *et* ad alligandos *nobiles eorum in manicis*, vel vinculis *ferreis*, id est Dei mandatis, quæ dicuntur vincula ferrea dura, quia sunt et insolubilia. Ut est illud : *Quod Deus conjunxit, homo non separet* (*Matth.* XIX). Et item : *Alligatus es uxori, noli quærere solutionem* (*I Cor.* VII). His vinculis ligantur gentium reges et nobiles D
sæculi ab infirmis et contemptibilibus hujus mundi, quos elegit Dominus, ut fortia confunderet, ipsosque implevit Spiritu sancto, et dedit eis frameas bis acutas ut ad Christi timorem nobilium corda converterent, et sæculari nobilitate contempta paupertatem eligerent et nobilitatem in Christo. Voluit enim prodesse imperatori, de piscatore, non piscatori de imperatore. Per hos ergo ligavit reges et nobiles vinculis ferreis, ne progrederentur ad illicita. Et hoc est judicium quod faciunt sancti, per omnes gentes. Unde subdit :

316 VERS. 9. — « Ut faciant in eis judicium con-
« scriptum : Gloria hæc est omnibus sanctis ejus. »

Ut faciant. [Aug.] Quasi dicat : Ad hoc habent gladios in manibus, *ut faciant in eis judicium conscriptum*, id est a Patribus sancitum. Ista enim antea scripta sunt, et modo complentur. Legebantur enim aliquando nec fiebant ; modo fiunt. Et concludit ita : *Gloria hæc est omnibus sanctis ejus*, ita, scilicet ut dictum est, scilicet per omnes gentes. Per totum mundum hoc agunt sancti, sic gloriantur, sic exsultant in faucibus, sic lætantur in cubilibus, sic exsultabunt in gloria, sic cantant canticum novum, sic dicunt alleluia corde, ore, vita. Vel ita : Hæc est gloria, quasi dicat : Ita et ita faciunt sancti. Et gloria hæc est omnibus sanctis ejus, id est ita consequentur æternam gloriam. [Cassiod.] Vel ita ab illo loco : *Exsultabunt*, et accipit totum de futuro, et prædicatur virtus Dei et potentia in gloria sanctorum ; quasi dicat : Exsultabit mansuetos, et tunc *sancti exsultabunt in gloria*, id est in vindicta malorum. Vindicta enim peccantium gloria est sanctorum. Et *lætabuntur in cubilibus suis*, id est in divisis mansionibus, de quibus Dominus ait : *In domo Patris mei mansiones multæ sunt* (*Joan.* XIV). Et tunc erunt *exsultationes Dei in gutture eorum*, quia in corde et in lingua, non desinunt laudare Deum, a quo æterna habent, *et gladii ancipites*, id est verbum Dei vel sententia judicii de bonis et malis erunt, *in manibus*, id est in potestate *eorum*. Tunc enim potestatem verbi Dei accipientes cum Domino judicabunt, sedentes super duodecim sedes. Et tunc vere fiet vindicta et increpatio in populis. Unde subdit, *ad faciendam*, etc., quasi dicat :Gladios habebunt, in manibus, *ad faciendam vindictam in nationibus*, et *increpationes in populis*. Ecce quanta gloria et gaudium sanctorum tunc erit, quando pauperes, qui erant hic derisui, habebunt hic potestatem vindicare in superbos. *Ad alligandos reges eorum in compedibus, et nobiles eorum in manicis ferreis*, quia tunc reges terræ et nobiles sæculi ligabuntur in compedibus, de quibus non erit liberum exire ; ferent vincula ferrea, ut gravia ad portandum, et quæ non possunt rumpi, scilicet tormenta gehennæ, et sic fiet *judicium conscriptum, ut faciant*. Quasi dicat : Ad hoc habebunt gladios, *ut faciant in eis judicium conscriptum*, id est comprobatum ab angelis et universis sanctis, vel in pluribus Scripturæ locis memoratum. De quo Apostolus : *Nescitis quia angelos judicabimus ?* (*I Cor.* VI.) Et ne putes hanc potestatem esse solis apostolis, addit, et *gloria hæc*, scilicet potestas judicii, *est omnibus sanctis ejus*, scilicet omnibus perfectis, qui pro Christo omnia terrena reliquerunt.

COLLATIO IN PSALMUM CXLIX : « CANTATE DOMINO CANTICUM NOVUM, » etc.

VERS. 2. — *Filiæ Sion*. Tametsi idem polleant filii Sion, et filiæ Sion, manifestum est tamen in Hebræo et in Græco esse filii Sion, ac sic omnes interpretes legunt בני ציון BENE SION, Υἱοὶ Σιών. Denique, Scriptura subinde nunc dicit *filios Sion*, nunc *filias*. Atqui admonemur a D. Hieron. ad Suniam, ubi nulla est sensus mutatio, declinare superfluas contentiones, quas dicit esse ineptias.

Vers. 5. — *In psalterio.* Hebr. כנור cinnor, id est cithara. Sed scribit Hieronymus ad Marcellam in ea epistola quæ disserit quid sit selah Hebræis, quod tunc temporis psalmi juncta voce ad organum canebantur. Ob id non debet esse mirum, quod acceperint *psalterium* pro *cithara.*

Vers. 7. — *Exsultationes Dei.* Hebræus et Græcus habent exaltationes, ac ad eumdem modum legit Arnobius. Heb. רוממות romemoth, Græcus, ὑψώσεις. D. tamen Augustinus legit *exsultationes.* Et ne quis causatur scriptoris vitium, semel et iterum repetit in enarratione, jungens ei quod mox dixerat, *lætabuntur in cubilibus suis.* Utcunque fuerit exsultationes Dei, et exaltationes sunt ejus laudes. Proinde parvi refert.

PSALMUS CL.

PSALMI TITULUS : « ALLELUIA. »

Laudate Dominum in sanctis ejus. Titulus : *Alleluia.* Psalmus iste est tertius eorum, Qui sunt sine divisione. Atomus enim est hic psalmus, in quo intenditur, ut laudetur Deus, quia congregavit sanctos, et deposita fragilitate suæ imagini restituit, et jam conformes gloriæ suæ in beatitudine locavit, ubi est omnis abundantia. Hic ergo agitur de laude Dei in sanctis ejus, qui glorificati sine fine laudant. Monetur enim civitas Dei, scilicet unitas omnium sanctorum, ore et animo canere. In hoc culmen divinæ laudis, omnis psalmodia perducitur, quæ laus hic nuptiali dulcedine decantatur. Quibus ergo Propheta in principio libri hujus recte conversationis formam ostendit, jam in illa cœlesti Jerusalem receptis dicit in eis laudandum esse Deum, quia omnia eis dedit, sic incipiens :

Vers. 1. — « Laudate Dominum in sanctis ejus ; « laudate eum in firmamento virtutis ejus. »

Laudate Dominum in sanctis ejus, pro his quæ sanctis suis dedit. *Laudate eum in firmamento virtutis ejus,* id est pro eo, quia morte sua diabolum superavit, et credentes ad cœlum perduxit. Et

Vers. 2. — « Laudate eum in virtutibus ejus : « laudate eum secundum multitudinem magnitudinis « ejus. »

Laudate eum in virtutibus ejus [Cassiod.], vel in potentatibus ejus, scilicet quia omnia sunt subjecta sub pedibus ejus, cui flectitur omne genu, cœlestium, terrestrium et infernorum, sicut Apostolus ait (*Philipp.* ii). *Laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus,* sed quomodo hoc fieri potest, cum ejus magnitudinis non est finis ? Sed spiritualibus et sanctis dicitur hoc qui sine fine laudant. Et cum non sit finis magnitudinis ejus, secundum eam laudatur, cum sine fine laudatur. Et est laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus, id est sine fine, sicut non est finis magnitudinis ejus. [Cassiod.] Quomodo autem laudari debeat per similitudines mysticas usque ad finem psalmi dicit, subdens :

Vers. 3. — « Laudate eum in sono tubæ, laudate « eum in psalterio et cithara. »

Laudate eum in sono tubæ, laudate eum in psalterio et cithara. [Cassiod.] Quasi dicat : Tuba concrepet regi, psalterium canat Deo, cithara cum reliquis instrumentis canat sponso. Tuba enim terribilis, vel in bello sumitur, vel in adventibus regum apparatur. Psalterium in laudibus Dei sonat, et a summo reddit sonum. Cithara sponso cantat, et ab imo sonat. Hæc omnia humanis actibus comparata, id est considerata, juxta usum humanorum actuum, figuraliter ibi dicuntur laudes Dei personare. In tuba enim rex esse significatur; in psalterio, Deus; in cithara, sponsus. Et est sensus : Laudate eum in sono tubæ, id est laudate ut regem, quia vos in bello diaboli vincere fecit. Et, laudate in psalterio, id est ut Deum, quia vos fecit summos. Et laudate eum in cithara, id est ut sponsum, quia vos ab imis liberavit.

Vers. 4. — « Laudate eum in tympano et choro ; « laudate eum in chordis et organo. »

Laudate eum in tympano et choro, [Aug.] id est in carne mutata, et vocum cordiumque concordia. Tympanum fit de corio extenso in ligno. Chorus vero est temperata vocum collectio. *Laudate eum in chordis et organo.* Chordas ponit pro omni instrumento musico, quod chordarum tensione sonat. Organum est quasi turris fistulis diversis fabricata, flatu follium sonans. [Cassiod.] Et, ut hæc omnia de hominibus acciperes, ad os hominis venit ; et exponens quid sit laudare in chordis et organo, subdit :

Vers 5. — « Laudate eum in cymbalis bene so« nantibus ; laudate eum in cymbalis jubilationis. « Omnis spiritus laudet Dominum. »

Laudate eum in cymbalis bene sonantibus. [Aug., Cassiod.] Cymbala bene sonantia labia nostra sunt, quæ cordi concinna, in laudibus Dei bene sonant, in quibus est similitudo cymbalorum, et harmoniam reddunt. Et ideo inter instrumenta musica bene sunt. Ad litteram, cymbala bene tinnientia sunt ex permistis metallis parvissimæ phialæ, quæ acutum sonum reddunt, et harmoniam faciunt. [Aug., Cassiod.] Et ne putes esse cymbala ista sine anima addit : *Laudate eum in cymbalis jubilationis,* id est in labiis jubilum intus conceptum extra monstrantibus. Et quia omnia spiritualiter intelligi vult, apto fine concludit *omnis spiritus,* scilicet angelicus et humanus, *laudet Dominum;* non caro et sanguis, quæ non possidebunt regnum Dei, non ambitus sæculi ; sed quod est in natura rerum sublimius ad laudem monetur, quod scilicet cœlestia sapit, æterna capit, scilicet spiritus brevis et perfecta scientia de modo divinæ laudis in hoc psalmo docetur, scilicet ut Deum spiritualiter omnia laudent. [Aug.] In his totius musicæ perfectio est. Etenim flatus in tuba pulsus in cithara ; et in cymbalis, vox in choro. Quibus musicis instrumentis significatur spiritualis harmonia, quæ non auribus sed pura mente advertitur. Vel ita

ab illo loco : *Laudate eum in firmamento virtutis ejus*, id est quia sanctos ita firmavit sua virtute, ut amplius non moriantur. Virtus ejus est in hoc firmamento. Est enim virtutis magnæ quod sancti jam non morientur, et mors eis ultra non dominabitur (*Rom.* VI). Et *laudate eum in virtutibus*, vel in potentatibus *ejus*, id est pro potentatu quem sanctis suis contulit. Potentatus enim Dei quem fecit in eis, dicitur quod regnant cum illo in æternum ; et ipsi sancti sunt multitudo magnitudinis ejus. Unde subdit, *laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus*, id est sanctos, quia eos magnos fecit, et tam multos, scilicet millia millium. Unde : *Millia millium ministrabant ei, et decies centena millia assistebant ei* (*Dan.* VII). Idem ipsi sancti sunt in omnibus musicis instrumentis significati, quæ ponit pro significantia divinæ laudis, id est ut significet ea pro quibus laudare debent et quomodo. Et a tuba incipit, dicens : *Laudate eum in sono tubæ*, id est propter excellentissimam laudis claritatem quæ in vobis est, *laudate eum in psalterio et cithara*, id est de cœlestibus et terrestribus, tanquam eum qui fecit cœlum et terram. Psalterium enim a superiori sonat, ut dictum est, cithara ab inferiori. Ideoque per psalterium cœlestia, per citharam terrestria significantur. *Laudate eum in tympano*, id est in carne mutata, quæ est sine omni corruptione. Tympanum enim fit de corio siccato et infirmato. *Et choro*, id est in pacata societate. Et *laudate eum in chordis*, id est in carne jam a corruptione liberata, quam ante per tympanum significaverat ; *et organo*, id est in concordi diversitate. Organum est generale nomen omnium musicorum vasorum, licet usu dicatur organum quod inflatis follibus sonat. Chordæ vero sunt caro jam a corruptione libera, quibus addit organum, non ut singuli sonent, sed ut diversitate concordissima consonent, sicut fit in organo. Habebunt enim sancti tunc differentias suas consonantes, non dissonantes, id est consentientes sicut et diversis vocibus, sed non adversis fit cantus suavis. *Laudate eum in cymbalis bene sonantibus*. Cymbala invicem se tangunt ut sonent. Ideo labiis nostris a quibusdam comparantur, sed melius in cymbalis intelligi puto illos qui invicem se honorantes dant laudem Deo. Et est, *laudate eum in cymbalis bene sonantibus*, id est in his quæ se invicem monentes et honorantes laudant Deum et delectant. Et notandum quia tria sunt genera sonorum, **317** quorum nullum hic prætermittitur. Fit enim sonus voce, ut per chorum ; flatu, ut per tibiam ; pulsu, ut per citharam. Hæc omnia ad hymnos nuptiales pertinent, sed per similitudines non proprietates referuntur ad Dei laudem in sanctis ejus. Ideoque ne putes cymbala sine anima hic intelligi, addit : *Laudate eum in cymbalis jubilationis*. Est enim jubilatio ineffabilis laus quæ non nisi ab anima proficiscitur. *Omnis spiritus laudet Dominum*, qui non nisi spiritualiter laudandus est.

Sciendum quia psalmus iste centesimus quinqua- A gesimus est. Hunc enim librum David composuit in numero centum quinquaginta psalmorum, per hoc nobis magnum commendans sacramentum, quod patebit si quindenarii non ignoretur mysterium. Quod enim valet quindecim in ordine singulorum, id est unitatum, hoc centum quinquaginta in ordine denariorum, et mille quingenti in ordine centenariorum, et quindecim millia in ordine millenariorum, quia, sicut quindenarius ex quindecim unitatibus subcrescit, sic centum quinquaginta ex quindecim denariis, et mille quingenti ex quindecim centenariis, et quindecim millia ex quindecim millenariis. Ideoque quod significatur per quindecim, hoc idem per centum quinquaginta, et per alios duos numeros significatur. Cognito ergo sa- B cramento quindenarii reliquorum non latebit mysterium. Quindecim itaque significat duorum Testamentorum concordiam. Constat enim ex septenario et octonario. Septenarius autem significat Vetus Testamentum, quia in Veteri Testamento observabatur Sabbatum, qui est dies septimus, et septima septimana, et septimus mensis, et septimus annus septimæ decadis, qui jubileus dicitur. Octonarius vero ad Novum Testamentum refertur, quia in Novo Testamento Dominicus dies observatur, qui est octavus post septimum. Idem est et primus post Sabbatum ; et primus in prima rerum conditione, secundum hoc mysterium est numerus psalmorum. Ideo enim centum quinquaginta sunt, qui numerus eodem adnotatur mysterio quo quindenarius, ut ostendatur libri hujus C doctrina, utrique consonare Testamento. Ecce quare hoc numero psalmi conscripti sunt.

Nunc animadvertendum quare per quinquagenas et per tres hoc opus distinguatur. Ideo per quinquagenarium distinguitur, quia hic numerus magnis ac diversis adnotatus est sacramentis. Constat enim hic numerus, scilicet quinquaginta de septima septimanarum, id est de septem septenariis, addito uno, tanquam ipso octavo, ad determinandum quinquagenarium. Per septenarium vero septiformis Spiritus figuratur, et per ipsum quoque quinquagenarium, quia tot diebus completis post resurrectionem venit Spiritus sanctus super congregatos in Christo, qui Spiritus septenario numero præcipue in Scripturis commendatur. Hoc igitur D numero distincti sunt psalmi, ut significetur nos septiformis gratiæ Spiritus sancti fieri participes, si doctrinam psalmorum custodiamus. Ideo etiam hoc numero fit psalmorum distinctio, quia hic numerus, scilicet quinquaginta in quadraginta et decem dividitur. Unde et Christus eum sic divisit, qui quadragesimo die post resurrectionem in cœlum ascendit. Inde post decem dies Spiritum sanctum misit. Per quadraginta vero temporalis habitatio hujus mundi ostenditur. Et lex Moysi per quaternarium ostenditur. Per denarium lex. Quaternarius enim in quadragenario, et ex quatuor et decem in se ductis multiplicato prævalet quantum

ad significationem. Quatuor enim partes habet mundus et annus, et quatuor sunt elementa, ex quibus omnia corpora constant : denarius autem legem significat propter Decalogum mandatorum, quæ fuerunt scripta in tabulis. Huic autem numero, scilicet quadragenario, additur denarius, ut quinquaginta compleantur. Denarius viro vitam æternam significat. Constat enim ex tribus et septem. Ternarius ad sanctam Trinitatem refertur. Septenarius vero qui constat ex tribus et quatuor ad duplicem hominis naturam, qui constat ex anima et corpore. Ad animam pertinet ternarius propter triplicem vim animæ ; quaternarius pertinet ad corpus propter quatuor elementa. Tunc igitur æternitatis beatitudo in nobis perficietur, cum utriusque naturæ nostræ sabbatismo potiti Trinitati increatæ conjungemur. Addito ergo denario quadragenario velut mercede, pro impleta in hac vita lege Dei reddita, ipsa æternitas figuratur. Ideo ergo hoc numero psalmos distinxit, ut significet eos qui in præsenti hujus psalmodiæ doctrinam servant legem implere, et denario æternæ vitæ in futuro coronari, assignata gemina ratione, quare per quinquaginta distincti sunt psalmi. Videndum est quare distinguantur per tres quinquagenas. Ideo scilicet ut insinuetur beata Trinitas, quæ omnia prædicta præstat. Donat enim septiformem gratiam, juvat ad implendam legem, et in futuro remunerat, sicut cum trinitas multiplicat quinquaginta, faciunt centum quinquaginta, qui numerus omnium psalmorum est summa et plenitudo.

(189) Quæri quoque solet utrum unus sit liber Psalmorum, an plures. Hieronymus quinque libros dicit esse propter quinque distinctiones, quæ fiunt per fiat, fiat. Cui obviare videtur quod dicitur in Actibus apostolorum : *Sicut scriptum est in libro Psalmorum* (*Act.* I), non in libris dicit, sed in libro dicit, quasi unus sit liber, non plures, quod tamen superiori non repugnat. Bene namque multi libri, unus liber dicuntur, ut multæ Ecclesiæ una, et multi cœli unum cœlum. Unde Scriptura dicit quod aquæ sunt supra firmamentum, id est cœlum (*Gen.* I). Et eadem ait : *Et aquæ, quæ super cœlos sunt.* Idem significans per cœlos et firmamentum, id est cœlum. Potest etiam dici in libro Psalmorum, id est in aliquo libro illorum quinque, quod tamen in usu locutionis vel non est, vel raro est. Duodecim prophetarum etiam unus liber dicitur, et omnes etiam canonicæ Scripturæ a quibusdam unus liber esse dicuntur, eo quod mirabili et divina unitate concordent. Illud quoque non vacat, sed magna consideratione dignum videtur, quod primus quinquagesimus agit de pœnitentia ; secundus, de misericordia et judicio ; tertius, de laude Dei in sanctis ejus. Isti sunt namque tres status religionis Christianæ. Sic enim ad æternam beatamque vitam tendimus. Prius per pœnitentiam peccata damnamus, vocante Deo ad pœnitentiam, quos apud se in occulto prædestinavit. Inde per misericordiam justificati bene vivimus, ne judicium in futuro timeamus, Deo vocatos justificante hic per misericordiam et timorem judicii, in quo judicio de civitate Domini disperdentur omnes qui operantur iniquitatem. Tandem ad vitam glorificati intramus, ubi Deum sine fine laudamus, ad hoc etiam, id est ad hos tres status designandos, quod Dominus ait in Evangelio : *Ecce ejicio dæmonia, et sanitates perficio hodie et cras, et tertia die consummor* (*Luc.* XIII). Dæmonia ejicit cum nos a peccatis pœnitentiam solvit. Sanitatem perficit cum per misericordiam juste vivere facit. In futuro consummabitur, cum nos coronabit. Quos status etiam in sua passione et dormitatione et evigilatione ostendit. In cruce enim patiendo, de diabolo triumphavit, in sepulcro quievit, in resurrectione exsultavit : ita et nos pœnitentia qua vincimus diabolum, cruciat. Justitia qua a malis quiescimus, tranquillat. Vita æterna, ubi videtur Deus sicut est, glorificat atque jucundat. Pœnitentiæ igitur vox est : *Miserere mei, Deus.* Justitiæ vox est : *Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine.* Vitæ æternæ vox est : *Omnis spiritus laudet Dominum.*

(189) De libris Psalmorum fuse in prologo.

COLLATIO IN PSALMUM CL : « LAUDATE DOMINUM IN SANCTIS EJUS, » etc.

VERS. 1. —*Laudate Dominum in sanctis ejus.* D. Hieronymus, *in sancto ejus* ; alii, *in sanctitate*, sive *sanctuario ejus* ; Septuaginta ἐν τοῖς ἁγίοις. Hæreticus posset calumniari hunc locum, si quispiam adduceret ad causam honoris sanctorum. Sed quanquam sunt infinita loca alia, quibus certo certius demonstratur sanctos esse venerandos honore debito, non tamen extra viam hic locus ad hoc citaretur, vel juxta veritatem Hebraicam. Nam, qui sic vertunt, intelligi volunt de sacrario cœlesti, ut adnotat Munsterus in scholiis. Nemo autem Catholicus potest dubitare virum sanctum esse Dei templum, juxta Epistolam I, Cor. 3 et 6. Et Chaldæus interpretatur, *in domo sanctuarii ejus*. Adde psalm. CXIII, ubi psallimus : *Facta est Judæa sanctificatio ejus*. Hebræi legunt לקדשו LEQUODSCHO, id est si reddas ad verbum, *in sanctificatione ejus*, quod hic legitur, בקדשו BEQUODSCHO. Insuper in principio psalmi CXLVIII, dicebatur : *Laudate Dominum de cœlis; laudate eum in excelsis*, non arbitror aliqua excelsiora esse ipsis sanctis, extra Deum super excelsum. Denique D. Chrysost. in hunc psalmum citans utramque lectionem, nihilominus interpretatur de sanctis. « Alius, inquit, *in sanctos ejus*, alius, *in sanctificatione ejus*. Aut de populo hic ait, aut propter vitam sanctam, et viros sanctos, aut propter sacerdotium. » Hæc ille.

PETRI LOMBARDI

MAGISTRI SENTENTIARUM

PARISIENSIS QUONDAM EPISCOPI

COLLECTANEA

IN OMNES D. PAULI APOSTOLI EPISTOLAS

Ex DD. Augustino, Ambrosio, Hieronymo aliisque nonnullis S. Scripturæ primariis interpretibus summa arte diligentiaque contexta. Opus eximium et anno 1140 conscriptum, nunc primum in lucem edictum.

(*Parisiis, apud hæredes Jodoci Badii Ascensii, 1535, mense Decembri, in-fol.*)

PETRI LOMBARDI PRÆFATIO

Principia rerum requirenda sunt prius, ut earum notitia plenior haberi possit. Tunc enim demum facilius poterit causæ ratio declarari, si ejus origo discatur. Si ergo epistolarum scripturæ post Evangelium editæ modum et rationem ostenderimus, poterit videri verum quod dicimus. Sciendum igitur quod sicut in Veteri Testamento post legis Mosaicæ eruditionem, ubi culturæ divinæ mandata continebantur, prophetica doctrina fuit necessaria, quæ rediviva populi peccata suppliciorum denuntiatione compesceret, atque eumdem populum bonorum repromissionibus ad obediendum ac serviendum Domino viventi commoneret, ita in Novo Testamento post Evangelium, in quo Christianæ religionis ordo et perfectæ sanctitatis doctrina traditur, Epistolarum Pauli et aliorum perutilis secuta est doctrina, ut Ecclesiam Dei contra hæreticas communiret pravitates, et suborientia vitia resecaret, et post futuras quæstiones excluderet. Hi sunt panni, qui ad extrahendum Jeremiam de lacu, funibus circumligati sunt (*Jer.* XXXVIII). Epistolarum siquidem doctrina, legis et prophetiæ atque Evangelii consonis testimoniis, velut triplici fune, circumligata (*Eccle.* IV), de lacu ignorantiæ et infidelitatis peccator ad lucem gratiæ et veritatis educitur. Inter omnes vero epistolarum scriptores, Paulus in tribus et pluribus forte excellit, scilicet in operis profunditate, in fidei assertione et gratiæ commendatione, seu spei sublevatione: In operis profunditate, quia hoc opus et cæteris prolixius est, et ad intelligendum difficilius; in fidei assertione, quia Paulus in lege et prophetis peritus ad fidei catholicæ assertionem congrua auctoritatum legis et prophetiæ induxit testimonia, ut esset basis sub columna; in gratiæ commendatione, seu spei sublevatione, quia contra superbos et arrogantes, et de suis operibus præsumentes, pro

A commendanda Dei gratia fortiter, prudenter atque acriter dimicavit. Quæ nimirum in illo evidentior et clarior apparuit, quia inter alia opera violenter Ecclesiam Dei persecutus, pro quo summo dignus fuit supplicio, pro maledictione consecutus est gratiam, et pro damnatione suscepit misericordiam. In quo ipso spes nostra plurimum sublevatur. Sicut enim cum audimus David homicidam et adulterum per pœnitentiam prophetiæ spiritum recuperasse, omnis veniæ diffidentia peccatori tollitur, ita, cum Paulum prius Ecclesiæ persecutorem, postea factum apostolum et prædicatorem advertimus, non modicum spes nostra attollitur. Inde est quod in Ecclesia hæ Epistolæ Pauli plus cæteris frequentantur ut psalmi David magis aliis prophetis.

B Sciendum vero est quod XIV scripsit Epistolas, X ad Ecclesias, IV ad personas singulas sub hujusmodi mysterii insinuatione, ut scilicet in hoc opere utriusque Testamenti summa contineri monstraretur. Per denarium namque Vetus Testamentum significatur. Quaternarius vero Novi Testament nota est. Ideo itaque XIV scripsit, ut utrique legi se consentire insinuaret, atque æmulorum calumniam dirueret, ut ipsum legis Dei per Moysen datæ destructorem esse calumniantium, eumque in odium Judæorum trahentium; quos placatos habere volens, X ad Ecclesias scripsit. Ut sicut Moyses Israelitico populo a Pharaonis et Ægyptiorum servitute educto X mandatorum doctrinam tradidit, ita et ipse Apostolus Dei Ecclesias a diaboli potestate, et idololatriæ servitute redemptas, X epistolarum doctrina
C informaret. Ideo et XIV scripsit, ut duorum Testamentorum concordiam atque convenientiam significaret, quam et Moyses in duabus tabulis lapideis simul junctis, quibus legis Decalogus inscriptus erat, ostendit. Moyses quoque noster, id est Christus

idem in cœna cum discipulis Pascha celebrans figuravit. Ibi enim lapis reprobatus, quem gessit angulus, mira præstans in oculis nostris, panem supercœlestem cum typico agno conjunxit, finiens Testamentum Vetus et inchoans Novum. Per agnum etenim qui in veteri lege solemnis erat hostia, et panem qui novæ legis sacramenti forma est, duo Testamenta figuravit, atque illa duo conjungens, prædictorum Testamentorum consonantiam declaravit. Est enim rota in medio rotæ, sicut vidit Ezechiel.

Ex prædictis itaque patet mysterii evidentissima ratio, qua Epistolas XIV scripserit et distincte X ad Ecclesias, IV ad personas direxerit. Unde quorumdam insania repercutitur, dicentium Epistolam, quæ ad Hebræos scribitur, non fuisse Pauli, sed Barnabæ, vel Clementis, vel Tertulliani, vel Lucæ. Quos in hunc errorem occasio deduxit hujusmodi, quia nec salutatio ejus nomine intitulata præscribitur, et longe facundiore et splendidiore stylo quam cæteræ edita est. Quibus sufficienter respondetur hoc modo : Quia si ideo non est dicenda Pauli, quia nomen ejus in titulo non habet : ergo nec Barnabæ, nec alicujus prædictorum, cum nullius eorum nomine scripta sit. Nec ob id quoque Pauli non esse putanda est, quia diligentius est scripta, cum naturale sit unicuique plus valere in sua lingua quam in peregrina : illam enim Hebraice, cæteras vero Græce scripsit. Nomen vero suum ideo præmittere noluit, quia Hebræis odiosus erat, eum legis destructorem arbitrantibus. Quocirca de legis atque cæremoniarum abolitione tractaturus, recte nomen suum tacuit, ne præscripti nominis invidia, utilitatem sequentis excluderet lectionis. Est itaque et illa Epistola Pauli, sicut et aliæ.

De ordine quoque Epistolarum quæri solet, quare non ordine sint dispositæ, quo ab Apostolo editæ, quod constat non esse, cum Epistola quæ ad Romanos scribitur, prima ponatur, quæ tamen non est ante alias omnes scripta. Epistolam enim quæ ad Corinthios scribitur, ante istam scripsisse videtur, quia hanc de Corintho scripsisse evidenter monstratur ex eo quod dixit : *Commendo vobis Phœben sororem nostram, ministram Ecclesiæ quæ est Cenchris* (*Rom.* XVI). Cenchris enim dicitur locus Corintho vicinus, imo portus ipsius Corinthi. Ex hoc ergo apparet de Corintho scripta, et ex eo quod dicit : *Salutat vos Caius hospes (ibid.)* ; de quo scribens Corinthiis commemorat dicens : *Gratias ago Deo meo, quod neminem vestrum baptizavi nisi Crispum et Caium* (*I Cor.* I).

Hæc ergo Epistola ad intelligendum cæteris difficilior, in qua Apostolus videtur perfectior, primatum obtinuit in corpore Epistolarum : non quod ab Apostolo prima sit scripta, sed causa dignitatis Romanorum, qui tunc temporis universis gentibus imperabant. Interpretantur autem Romani *sublimes* sive *tonantes*, quia illo tempore, quo Apostolus hanc Epistolam eis misit, cunctis gentibus dominabantur : ideoque sublimiores erant omnibus populis, et intonabant præcepta publica et privata : eorumque fama omnium hominum resonabat in ore. Haimo autem ab Athenis Apostolum scripsisse Romanis dicit his verbis : « Ab Athenis civitate Græcorum scripsit Apostolus Romanis hanc Epistolam, quos non ipse, non Petrus, non aliquis XII apostolorum primum instruxit, sed quidam Judæorum credentium, qui fide Christi ab apostolis percepta, venientes Romam, ubi princeps orbis residebat, cui erant ipsi subjecti, quæ apud Jerosolymam didicerant, Romanis evangelizaverunt. » Attende diligenter, quod Haimo dicit Apostolum ab Athenis scripsisse, Origenes vero, de Corintho. Item inspice quod idem Haimo ait Petrum Romanis primum prædicasse, cum ecclesiastica historia sic contineat : « Claudii temporibus clementia divinæ providentiæ Petrum ad urbem Romam misit. Ille adveniens primus in urbe Roma Evangelii sui clavibus januam regni cœlestis aperuit. » Hieronymus quoque super Epistolam ad Romanos, ubi scriptum est : *Ut aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis* (*Rom.* I), sic ait : « Romanos Petri prædicatione fidem tenentes confirmare se velle Paulus dicit : non quod minus accepissent a Petro, sed ut duobus apostolis attestantibus atque doctoribus, eorum corroboraretur fides. »

Harum itaque auctoritatum conflictum qui videtur dirimentes, dicimus Petrum primum prædicasse Romanis, quantum ad alios apostolos, sed non primum quantum ad omnes credentes. Item, dicimus Athenis Paulum Epistolæ partem scripsisse, Corinthi vero perfecisse, atque inde eam Romanis destinasse. Vel potius igitur prima ponitur, quia primum gradum erroris destruit, scilicet superbiam, omnium malorum radicem, sicut scriptum est : *Initium omnis peccati superbia est* (*Eccli.* X). Quæ natione cœlestis sublimium mentes inhabitat, sub cinere et cilicio latitans. Quæ Romanos adeo occupaverat, ut inter se altercantes, et se sibi invicem præferentes dissensiones et schismata facerent. Erant enim Romani de Judæis et gentibus ad Christum conversi. Judæi autem propter sanctos Patres, a quibus originem ducebant, et propter legem quam soli inter cæteras gentes acceperant, gentiles credentes despiciebant, dicentes propter observantiam legis cui servierant meruisse accipere gratiam Christi, et fidem Evangelii, et propter merita operum legis, sibi venisse Evangelium Domini nostri Jesu Christi. Atque his inflati, gentibus se præferebant dicentes : Nos de lege Abrahæ sumus, cui primum facta est promissio, nos populus peculiaris Dei sumus ; nos de Ægypto forti manu et mirabilibus signis Dominus eduxit ; nos sicco vestigio mare Rubrum transire fecit, in deserto manna pavit, aquam de petra produxit, et aliis sub silentio relictis, nos soli sumus digni legem Dei accipere et ejus voluntatem cognoscere. Ad nos quoque specialiter Dei Filius

venit, ut ipse in Evangelio ait: *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domui Israel* (*Matth.* xv). Gentiles autem contra dicebant: Quanto beneficia plura vobis exhibita memoratis, tanto vos deteriores esse ostenditis. Eisdem siquidem pedibus quibus mare transivistis, ante idolum postea saltavistis, quod et propriis manibus fecistis. Et illo ore quo paulo ante de submersione in Pharaonis et Ægyptiorum laudem Deo persolveratis, idola adorastis. Præterea manna cœlitus datum in deserto fastidistis, cupientes redire in Ægyptum ad ollas carnium. Sæpe etiam Dominum in iram irritastis. Ad ultimum Christum vobis in lege et prophetis promissum occidistis. Nonne itaque vobis digniores sumus, qui ut de Christo audivimus, in eum credidimus? Unde per Prophetam Dominus ait: *Populus quem non congregavi, serviet mihi, in aurem autem obediet mihi* (*Psal.* xvii). Unde constat nos non ex militia sed ex ignorantia deliquisse. Si enim prophetas aut apostolos ante habuissemus, idola non coluissemus. Quod autem de generis nobilitate vos jactatis, si qua talium gloria est, tunc Ismael et Esau possunt pariter gloriari, cum de eisdem parentibus sint nati.

His itaque altercationibus Apostolus se medium interposuit, omnes illorum contentiones hinc inde dirimens, et quasi bonus concionator voce sonora illos alloquens, ad unam omnes concordiam adduxit, ostendens nullos eorum suis meritis esse salvatos (quia omnes et Judæi et gentiles sub peccato tenebantur), sed per gratiam Dei. Pro altercatione itaque prædicta scribit Romanis, confutans modo Judæos, modo gentiles, et docens eos humiliari, ut omnia attribuant gratiæ Dei, et ostendens

A omnibus gratis venisse gratiam fidei Evangelii Christi: quam propterea et gratiam vocari ostendit, quia non quasi debitum justitiæ reddita est, sed gratuito data. Quid enim est gratia? Gratis data, donata, non reddita. Si enim tibi debebatur, antequam gratiam haberes, merces tibi reddita est, non gratia donata. Merito itaque hæc Epistola prima ponitur, quia omnium malorum, ut prædictum est, radicem perimit.

Assignatis rationibus operis, numeri et ordinis Epistolarum, explicato quoque, unde et quare Apostolus Romanis scripsit, superest de materia et intentione et modo tractandi exsequi. Generalis omnium Epistolarum materia est doctrina Evangelii; intentio, monere ad obediendum evangelicæ doctrinæ. B Præter hæc autem in singulis proprias intentiones et materias requiremus. Prima itaque Epistola materiam habet Romanorum vitia, atque gratiæ Dei bona, ad quæ eos hortatur: intentio, vitia eorumdem increpare et ad veram pacem et fraternam concordiam sub manugratiæ humiliare. Modus tractandi talis est: More scribentium epistolas salutationem præmittit, in qua tria facit. Commendat enim personam suam et negotium et auctorem negotii: in quibus congrue captat benevolentiam. Post salutationem vero utriusque partis vitia arguit, ostendens gentiles a naturali ratione, et Judæos a lege exorbitasse. Deinde pluribus modis ostendit justitiam et salutem æque utrisque esse, non per legem, sed per fidem Christi Jesu, ut a lege eos tollat, et in sola fide Christi eos constituat. C Circa finem vero moralis subditur instructio, atque in actione gratiarum finem tenet Epistola. Præmittit autem salutationem, dicens:

IN EPISTOLAM AD ROMANOS.

1 CAPUT PRIMUM.

Vers. 1, 7. — « Paulus servus Jesu Christi, « vocatus apostolus, segregatus in Evangelium Dei, « quod ante promiserat per prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ei ex « semine David secundum carnem, qui prædestina« tus est Filius Dei in virtute, secundum spiritum « sanctificationis ex resurrectione mortuorum Jesu « Christi Domini nostri, per quem accepimus gra« tiam et apostolatum ad obediendum fidei in omni« bus gentibus pro nomine ejus, in quibus estis et « vos vocati Jesu Christi, omnibus qui sunt Romæ « dilectis Dei vocatis sanctis. Gratia vobis et pax a « Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo. »

Hucusque pendet littera ut perficiatur sententia, et subintelligitur, mandat, vel scribit. In hac autem salutatione primum personam commendat quatuor modis, scilicet a nomine, a conditione, a dignitate, ab officio. A nomine, dicens, *Paulus*; a conditione, *servus*; a dignitate, *apostolus*; ab officio, *segregatus in Evangelium Dei*. Ex nomine autem laudem sortitur; si vis ipsius nominis et ratio impositionis animadvertatur. D Paulus enim Hebraice, *quietus* Græce, *modicus* Latine sonat, id est hoc nomen Paulus, quod est Hebraicum origine et inventione, non terminatione, impositum est Apostolo proprie in notam geminæ virtutis, scilicet modicitatis et quietis, quarum alteram notat hoc nomen generali appellatione apud Græcos, id est quietem; alteram, apud Latinos, id est modicitatem. Hoc enim nomen Paulus, cum sit appellativum apud Græcos, Hebræos et Latinos, impositum Apostolo proprium fuit, qui, ut ait Beda super Actus apostolorum, anno passionis et resurrectionis Christi ad fidem venisse perhibetur; tertio vero decimo anno post Christi passionem apostolatum gentium cum Barnaba, et Pauli vocabulum accepisse. Prius enim vocabatur Saulus

a Saule persecutore, quia sicut ille David, ita hic Ecclesiam Dei est persecutus. Quarto autem decimo anno, juxta condictum apostolorum, ad magisterium gentium est profectus. Huic autem sententiæ de nomine Pauli, consentit Augustinus sic dicens : (1) Non ob aliud hoc nomen, quantum mihi videtur, Paulus sibi elegit, nisi ut ostenderet se parvum tanquam minimum apostolorum : ipse primo Saulus, postea Paulus dictus est : nec quasi jactantia aliqua nomen sibi mutavit Apostolus, sed ex Saulo factus est Paulus, id est ex superbo modicus, id est humilis; paulum enim modicum est. [Ambrosius] Immutatum ergo se esse significans, ex Saulo quod interpretatur *inquietudo* vel *tentatio*, Paulum se dicit, id est *quietum*. Qui enim prius tentationes aliis inferebat, post eas passus est. [Victor episcopus Cap.] Porro ex more sanctorum apostolorum id fecisse perhibetur, qui in virtutibus proficientes mutato nomine sunt vocati, ut essent etiam ipso nomine novi, ut Cephas, et filii tonitrui, et hujusmodi. Unde et sancta Ecclesia jam in consuetudinem duxit, ut quos in cathedra beati Petri apostoli sublimat, nomina eis mutet. Vel, sicut Hieronymus ait : Paulus a primo spolio quod sanctæ Ecclesiæ contulit, scilicet a Paulo Sergio proconsule, quem apud Cyprum convertit, hoc nomen sibi imposuit, ut sicut Parthicus, qui Parthos superavit, et Germanicus, qui Germaniam vicit, est dictus, sic ab eo principe quem prius snbjugavit Paulus sit appellatus. [Origenes] Sed, quia nulla tais in Scripturis divinis consuetudo de prehenditur magis placet quod in nostra consuetudine frequenter reperitur. Invenimus enim in Scripturis, alios binis, alios ternis usos esse nominibus, et hoc utique in utroque, ut Salomon qui Ecclesiastes et Idida vocatus est; et Matthæus qui et Levi dictus est, et alia plura in hunc modum. Secundum ergo hanc consuetudinem videtur nobis et Paulus duplici vocitatus vocabulo, sicut scriptum est in Actibus apostolorum : *Saulus qui et Paulus* (*Act.* XIII). Ubi evidenter ostendit Scriptura non ei tunc primum Pauli nomen impositum, sed veteris appellationis id fuisse assignat. A Hieronymo autem in libro Hebraicorum nominum Paulus *mirabilis* sive *electus* interpretari dicitur, quem et Dominus ipse vas electionis vocavit (*Act.* IX), et tam vita quod doctrina mirabilem fecit.

Servus Jesu Christi. Ecce conditio. [Origenes] Sed quærendum est cur servus dicatur, qui alibi scripsit : *Non enim accepistis spiritum servitutis*, etc. (*Rom.* VIII). Et iterum alibi : *Itaque jam non est servus sed liber* (*Gal.* IV). Et Dominus apostolis ait : *Jma non dicam vos servos, sed amicos* (*Joan.* XV). [Haim.] Ad quod dicendum est quod duo sunt genera servitutis : Est enim servitus timoris, et pene servilis; et est servitus amoris et filiationis et humilitatis, qua, instar filii, qui servit, non vult offendere patrem. Si ergo id secundum humilitatis et amoris servitutem dictum putemus, non errabimus,

A [Origenes] Non enim per hoc læditur veritas libertatis in Paulo, quia omni libertate nobilior est servitus Christi. Dicendo ergo servus, nomen humilitatis ponit, ut ad eam provocet superbos quibus scribebat. Et ne misera servitus videatur, non simpliciter ait servus, sed addit, Jesu, id est Salvatoris, cui merito omnes servire debent : ei etenim servire regnare est. *Jesus* vero Hebraice, *sother* [σωτήρ] Græce, Latine *salvator* dicitur. [Haim.] Quod nomen ab angelo fuit impositum Dei Filio, eo quod salvum faciat populum suum a peccatis eorum (*Matth.* I). Addit, Christi, id est regis et sacerdotis. *Christus* enim Græce, *messias* Hebraice, Latine dicitur *unctus*, et in Veteri Testamento reges et sacerdotes ungebantur. Christus autem unctus est, non oleo visibili, sed
B invisibili, id est oleo gratiæ spiritualis. Unde in Psalmo : *Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ* (*Psal.* XLIV). Hoc nomen aliis olim fuit adjectum, sed Jesu factum est proprium. Et est hoc sacramenti nomen. [Augustinus, Haim.] Servum autem Jesu Christi se profitens Apostolus, a lege factorum se exutum ostendit, et utrumque nomen ponendo, id est Jesu Christi, unam Dei et hominis contra hæreticos personam esse testatur, ne alium quidem Jesum, alium vero Christum suspicaremur fuisse, sed unum et eumdem sciremus esse. *Vocatus Apostolus* (2). Ecce dignitas ad quam promotus est, ecce de humili factus est altus. Ac si illis superbis quibus scribebat diceret : Ex servo et humili fecit me Deus apostolum et sublimem, ita et vos humiles sitis ut exaltemini :
C *Qui* enim *se humiliat exaltabitur* (*Luc.* III.) Gratiam vero commendans, non simpliciter ait Apostolus, sed et ponit, vocatus, quasi non a se veniens tanquam sibimet honorem sumeret, sed a Deo vocatus est Apostolus, id est ad apostolatum; et æterna electione, quæ est secundum propositum, et temporali missione qua a Christo missus est, ex qua et apostoli vocati sunt. (3) Nam, sicut Græce *angeli*, Latine *nuntii* vocantur, ita Græce *apostoli*, Latine *missi* vel *legati* appellantur. Vel, vocatus Apostolus, id est dictus ab hominibus excellentia et privilegio nominis, sicut excellenter, cum dicitur Urbs, intelligitur Roma.

Segregatus in Evangelium Dei. Ecce officium. [Ambrosius] Quasi dicat : Paulus dico, segregatus, id est a doctrina Scribarum et Pharisæorum et ab
D utero Synagogæ ubi locum doctoris habebat, utpote Pharisæus separatus in Evangelio Dei, prædicandum. Et dicitur hoc contra Judæos a quorum lege dissimulavit, ut Christum prædicaret, qui quod lex non potuit credentes justificaret. Vel segregatus, [Haim.] id est a grege separatus, scilicet ab aliis apostolis, non mente, sed corpore. Unde Spiritus sanctus in Actibus apostolorum ait : *Segregate mihi Barnabam et Paulum in opus ad quod assumpsi eos* (*Act.* XIII), ut scilicet prædicent nomen meum in gentibus. Unde et hic addidit, in Evangelium, scili-

(1) Augustinus De spiritu et littera, et in psalm. LXXI.

(2) Irenæus mart. in lib. IV contra hæreticos.
(3) Augustinus super Joan.

cet prædicandum in gentibus. [Ambrosius, Haim.] Destinatus est Apostolus gentibus totius orbis prædicator, at reliqui, singulis provinciis facti sunt legati ac prædicatores. Est autem Evangelium, bona annuntiatio, εὖ enim Græce, Latine *bonum*, ἄγγελος *nuntius*, inde Evangelium, *bonum nuntium*, vel bona annuntiatio. Ea vero est de his quæ ad fidem Catholicam et bonos mores pertinent. Evangelium dico, Dei, quasi non ab homine inventum, sed divina inspiratione revelatum. *Quod ante promiserat.* Hic est commendatio negotii, id est Evangelii, quod commendat quatuor modis : A temporis antiquitate, ab auctore, a testibus, a materia. A temporis vero antiquitate et ab auctore simul commendat, sic dicens quod Evangelium ante completionem promiserat gratis Deus Pater. Non venit ut subitum, sed longe ante promissum et pronuntiatum. Unde in Evangelio Joannis : *In hoc verbum verum est, quia alius est qui seminat, et alius qui metit* (*Joan.* IV.) [Ambrosius] Promiserat, dico, *per prophetas suos*, unde Jeremias ait : *Ecce dies veniunt et consummabo testamentum novum super domum Israel, et super domum Juda* (*Jer.* XXXI). Item : *Feriam*, inquit, *vobiscum pactum sempiternum* (*Jer.* XXXII). Idem et alii, qui non ex se, sed ex Deo magni sunt, ut non ex se mendacium loquerentur, sed ex Deo veritatem. Ecce quam vera et magnifica promissio. Nemo enim rem vilem magnis præcursoribus nuntiat. Et ad majorem confirmationem addidit, *in Scripturis*, quasi non modo promiserat verbis, sed etiam in Scripturis, ne daretur oblivioni. Et ad cumulum veræ protestationis, addit, *sanctis*, non ethnicis. Sanctæ sunt, quia vitia damnant, et sacramentum unius Dei et incarnationem Filii Dei continent. Scripturis dico sanctis, non de quibuscunque, sed, *de Filio*, quod omnes ad Filium ducunt. De Filio dico non adoptivo, sed, *suo*, scilicet proprio et sibi consubstantiali, coæterno, coæquali. Et est hæc, commendatio a materia. *Qui factus est*, etc. Ecce commendatio auctoris, quem commendat quatuor modis ; ab origine, ibi, *ex semine David* ; a virtute, ibi, *qui prædestinatus est Filius Dei in virtute* ; a gratia, ibi, *secundum spiritum sanctificationis*, etc. ; a liberalitate, ibi, *per quem accepimus*, etc. [Augustinus] Quasi dicat : Scripturæ sanctæ agunt de Filio, qui Filius factus est *ei*, scilicet Deo Patri, id est ad honorem ejus, factus dico tantum, *secundum carnem*, non secundum divinitatem. Hoc dicit, ne putetur homo tantum. Dicendo namque eum factum secundum carnem, innuit alteram esse naturam, secundum quam est non factus, ☧ scilicet divinam. [Ambrosius] Eum namque qui erat Dei Filius secundum Spiritum sanctum, id est secundum Deum, quia Deus spiritus est, et sine dubio sanctus est, factum dicit secundum carnem juxta illud : *Et Verbum caro factum est* (*Joan.* I), ut jam unus sit Dei et hominis Filius Jesus Christus, qui factus est secundum carnem operè Spiritus sancti de Virgine, id est natus (4). Ubi occurritur impietati hæreticorum, qui obtuso corde hoc capitulum intelligentes, Christum tantum hominem accipiunt ; divinitatem vero in eo non intelligunt. Addendo enim, secundum carnem, servavit divinitati suam dignitatem, qua Christus Verbum Dei est, per quod facta sunt omnia. Non enim factus est secundum id quod Verbum Dei est ; omnia enim per ipsum facta sunt ; nec fieri cum omnibus posset per quem facta sunt omnia, neque ante omnia factus est, ut per eum fierent omnia (5). Ideoque Apostolus, cum factum diceret Christum, addidit, secundum carnem, ut secundum Verbum, quod est Filius Dei, non factum a Deo, sed natum esse monstraret. (6) Factus est autem sine dubio id quod prius non erat secundum carnem ; secundum vero Deum, erat prius : et non erat quando non erat. Factus est autem, ut ita dixerim, humanatus Deus, qui etiam in assumptione carnis, Deus esse non destitit, inconvertibilis manens assumpto convertibili homine, naturam suam non minuens hominis assumpta natura (7). Secundum carnem ergo ex semine David factus est. Deus autem ante sæcula ex Deo natus est (8). Qui ergo erat, factus est. Sed quid erat ? quid est factus ? Verbum erat, Filius Dei erat, filius hominis factus est ; Deus erat, homo factus est ; suscepit humanitatem, non amisit divinitatem ; factus est humilis, mansit sublimis (9). Dei ergo Filius, hominis factus est filius ; natus secundum veritatem naturæ ex Deo Dei Filius, et secundum veritatem naturæ ex homine hominis filius, ut non adoptio ne vel appellatione, sed vere in utraque nativitate filii nomen haberet nascendo, et esset verus Deus et verus homo, unus Filius. Pater enim Deus de sua natura genuit Filium Deum sibi æqualem, et eadem qua ipse naturaliter æternus est, divinitate coæternum. Sed idem Deus Filius cum sit Deus æternus et verus, pro nobis est homo factus verus et plenus. In eo verus, quia veram habet Deus ille humanam naturam ; in eo plenus, quia carnem suscepit humanam et rationalem animam. Unde idem unigenitus Deus, secundo natus dicitur, semel ex Patre, semel ex matre. Natus est enim de Patre, Dei Verbum ; natus de matre, Verbum caro factum. Unus igitur atque idem est Dei Filius, natus ante sæcula, et natus in sæculo. Item : Deus unigenitus dum conciperetur, veritatem carnis accepit ex Virgine ; et cum nasceretur, integritatem virginitatis servavit in matre. Istaque causa est qua Deus factus est filius Virginis, et Virgo facta est mater Unigeniti Dei, ut quem Pater genuit ex æternitate, ipsum Virgo conceptum proferret in tempore. Dei ergo Filius, ut carnem hominis animamque mundaret, susceptione carnis et animæ rationalis animatus est, vel incar-

(4) Augustinus, in Epist. ad Rom.
(5) Ut Arian. dicebant.
(6) Origenes, in Epist. ad Rom.
(7) Cassiod., in psal. IV. lib.
(8) Augustinus, in lib. IV De Trinit.
(9) Id., contra hæreses.

natus (10). Unde etiam se ipso, Christus minor factus est, formam servi accipiens, non enim sic accepit formam servi, ut abjiceret formam Dei, in qua æqualis Patri, ut in forma servi, et in forma Dei idem ipse sit unigenitus Filius. Est ergo Dei Filius Deo Patri natura æqualis, habitu minor : in forma enim servi quam accepit minor est Patre ; in forma Dei, in qua erat antequam hanc accepisset, æqualis est Patri. In forma Dei, Verbum : in forma servi, factus est ex muliere. In forma Dei, hominem fecit ; in forma servi, factus est homo.

(11) Ergo, quia forma Dei accepit formam servi, utrumque Deus, utrumque homo. Christus tamen est Deus æternus et verus, veraciter secundum tempus conceptus et natus ex Virgine. Illo, scilicet Deo facto naturaliter hominis filio, qui unus est naturaliter Filius Dei Patris, qui omnium naturarum Creator et Dominus creavit Virginem, creandus ex Virgine. Hic autem Deus humanam naturam in unitate personæ suscepit, qui se humilians per misericordiam incorruptæ Virginis uterum ex ea nasciturus implevit. Formam ergo, id est naturam servi, in suam accepit Deus ille personam, non enim accepit personam hominis, sed naturam. Cumque tota Trinitas operata sit formationem suscepti hominis, quoniam inseparabilia sunt opera Trinitatis ; solus tamen Filius accepit hominem, id est formam servi, in singularitate sive in unitate personæ, non in unitate seu singularitate divinæ naturæ. Si autem adhuc quæris : Ipsa incarnatio quomodo facta sit ? (12) Ipsum Verbum Dei dico carnem factum, id est hominem factum : non tamen in hoc quod factum est conversum atque mutatum, sed carne ut carnalibus congruenter appareret indutum. Ita sane factum ut ibi sit non tantum Verbum Dei et hominis caro, sed etiam rationalis hominis anima, atque hoc totum et Deus dicatur propter Deum, et homo propter hominem (13). Agnoscamus igitur geminam substantiam Christi ; divinam, scilicet qua æqualis est Patri, et humanam qua major est Pater. Utrumque autem simul, non duo, sed unus est Christus, ne sit quaternitas, non trinitas Deus. Ac per hoc Christus est Deus, anima rationalis et caro. Tanta est enim unio utriusque naturæ ut totum dicatur Deus, totum homo, et vicissim Deus homo, homo Deus (14). Quod si difficile intelligitur, mens fide purgetur magis magisque a peccatis abstinendo, et bona operando. Difficilia enim sunt hæc. [Joan. Damascenus.] Ut tamen breviter dicam, non aliud fuit illa Dei summi exinanitio, nisi formæ servilis, id est naturæ humanæ susceptio. Utraque est igitur in Christo forma, quia utraque vera et plena est in Christo substantia. Inconverse enim et inalterabiliter unitæ sunt adinvicem naturæ, neque divina distante a propria simplicitate, neque humana, aut conversa in divinitatis naturam, aut in non existentiam divisa, neque ex duabus una facta est composita natura (15). Christus ergo una persona est, geminæ substantiæ, nec tamen Deus, vel homo pars hujus personæ dici potest. Alioquin Filius Dei, antequam formam servi susciperet, non erat totus, et crevit cum homo divinitati ejus accessit (16). Sciendum tamen quod non semper factum esse, ad creationem refertur, sicut ibi : *Domine, refugium factus es nobis* (*Psal.* LXXXIX). Et item : *Factus es mihi in salutem* (*Psal.* CXVII). Non utique creationis diffinitio, vel editio hic declaratur, sed nobis in refugium, vel salutem esse dicitur quod prius non erat. (17) Sed quæri potest cum nos Salvatorem nostrum profiteamur, cur Apostolus eum factum dicat, ex semine David, cum aliud sit fieri, aliud nasci. Qui etiam alio loco dixit : *Factum ex muliere* (*Gal.* IV). Aliquid igitur significavit hoc dicto. Quia enim non humano semine concreta est caro Domini in utero Virginis et corpus effecta, sed effectu et virtute Spiritus sancti, ideo Apostolus dicit, factum non natum. Aliud enim est semine admisto, et sanguinis coagulo generari ; aliud non permistione, sed virtute procreari. Possunt homines generare filios homines, sed non facere. Item, etsi non intercessit semen hominis in conceptione Virginis, tamen, quia ex ea carne Christus formatus est, quæ constat ex semine, recte dicitur factus ex semine. Quærens autem utrum debeat dici creatura, vel res creata simpliciter, audiat Augustinum super hoc ita disserentem (18) : *In principio erat Verbum* (*Joan.* I), et : *Verbum caro factum est* (*ibid.*), propter nativitatem incarnationis ejus quæ facta est in tempore ex Virgine ; et : *Omnia per ipsum facta sunt* (*ibid.*) Neque dicit omnia nisi quæ facta sunt, id est omnem creaturam. Unde liquido apparet ipsum factum non esse per quem facta sunt omnia. Etsi factus non est, creatura non est ; si autem creatura non est, ejusdem cum Patre substantiæ est. Omnis enim substantia quæ non est Deus, creatura est ; et quæ creatura non est, Deus est. Si Filius non ejusdem substantiæ est cujus est Pater, ergo facta substantia est ; etsi facta substantia est, non omnia per ipsum facta sunt. At omnia per ipsum facta sunt. Facta igitur substantia non est ; qui tamen, sicut ait Apostolus, factus est ei, scilicet ad honorem Patris, secundum carnem, infectus vero secundum deitatem, factus dico et specialiter, ex semine David, [Haim.] quia Maria fuit de stirpe David, ex cujus semine formata est caro Dominica opere Spiritus sancti, in utero virginali. Sed atten-

(10) Augustinus, in lib. De Tri.
(11) Id , De fide ad Petr.
(12) Id., in IV, De Trin. de modo incarn.
(13) Augustinus, super Joan.
(14) Id., De fide ad Petrum.
(15) Utrum cibus in corpus ut gutta in camino ignis. Augustinus contra Maximinum.
(16) Ambrosius in lib. De Trin.
(17) Id., in lib. Quæstion. Vet. et Nov. T. qui ab ignorantibus intitulatur Augustini.
(18) Augustinus in lib. De Trin. An Christus dicendus sit creatura.

A dendum est quare specialiter hic nominat David, cum constet quod promissio facta est Abrahæ, sicut et David : sed Apostolus, volens gratiam commendare maluit David dicere, qui et criminosus fuit, non de semine Abrahæ, qui justus fuit, ut non pro merito sed gratia natus de David putetur : et etiam ideo ut ex homine rege secundum carnem rex natus ostendatur, sicut de Deo rege rex ante sæcula natus est. Deinde a virtute commendans eum, subdit :

Qui prædestinatus est filius Dei in virtute, secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Jesu Christi Domini nostri. Hic primo videndum est, quid sit prædestinatio, et de quo sit prædestinatio, utrum de eo quod semper fuit, an de eo quod ex tempore fuit; et utrum de persona, an de natura : et, si de persona est, postea attendendum est, secundum quam naturam sit prædestinata (19). Prædestinatio est gratiæ præparatio, qua ab æterno Deus homini Christo et cunctis quos præscivit conformes fieri imagini Filii sui, bona sine meritis præparavit. Præclarissimum enim lumen prædestinationis et gratiæ est, ipse *mediator Dei et hominum homo Christus* (*I Tim.* II). Ille enim homo, ut a Verbo Patri coæterno in unitatem personæ assumptus Filius Dei unigenitus esset, unde hoc meruit, quod ejus bonum qualecunque præcessit, ut ad hanc ineffabilem excellentiam perveniret; faciente ac suscipiente Deo Verbo, ipse ex quo cœpit esse homo, Filius Dei unicus esse cœpit; Filium Dei unicum femina illa gratia plena concepit de Spiritu sancto. Ex Virgine Maria Deus unicus natus est, non carnis cupiditate, sed solo Dei munere. Libera in illo voluntas erat, et tanto magis, quanto magis peccare non poterat. Apparet itaque nobis in nostro capite ipse fons gratiæ, a quo in cuncta membra ejus gratia diffunditur. Ita enim ab initio fidei suæ homo quicunque gratia fit Christianus, sicut gratia homo ille ab initio factus est Christus : de ipso Spiritu hic renatus est, de Spiritu ille natus est : spiritu fit in nobis remissio peccatorum; spiritu factum est in illo ut nullum haberet peccatum (20). Qui fecit illum hominem sine ullis ejus præcedentibus meritis, nullum quod ei dimitteretur, vel origine trahere, vel voluntate perpetrare peccatum, ipse nullis eorum præcedentibus meritis facit credentes in eum quibus dimittat omne peccatum : qui fecit illum talem ut nunquam habuerit nec habiturus sit voluntatem malam, ipse facit in membris ejus ex mala voluntate bonam. Et illum ergo et nos prædestinavit, quia et in illo ut esset caput nostrum, et in nobis ut ejus corpus essemus, non præcessura merita nostra, sed opera futura sua præscivit (21). Hæc se Deus esse facturum profecto ab æterno præscivit. Ipsa est igitur prædestinatio sanctorum, quæ in Sancto sanctorum maxime claruit, quam negare quis non valet, recte intelligentium eloquia veritatis. Humana igitur merita conticescant hic, quæ 3 perierunt per Adam, et gratia regnet per Jesum Christum. Quisquis in capite nostro præcedentia merita singularis illius generationis invenerit, ipse in nobis membris ejus præcedentia merita fidei et regenerationis requirat. (22) Neque enim Christo tributum est, nec nobis pro aliquo merito, sed gratis tributum est. Ille quippe nos fecit credere in Christum, qui nobis fecit in quem credimus Christum. Ille facit in nobis principium fidei, qui fecit hominem principem fidei et perfectorem Jesum. (23) Nullum igitur est illustrius prædestinationis exemplum, quam ipse mediator. Quisquis ergo fidelis vult eam bene intelligere, attendat Christum atque in B illo inveniet, et se ipsum qui in eo veram humanam naturam credit suscipiente Deo Verbo ita sublimatam, ut qui suscepit et quod suscepit, una esset in Trinitate persona. Neque enim in homine assumpto Trinitas facta est, sed Trinitas mansit, assumptione illa ineffabili faciente personæ unius in Deo et homine veritatem. Hoc de ipsa prædestinatione sufficiat.

Deinde videamus, utrum de re quæ semper fuerit, vel de eo quod non semper fuerit sit ipsa prædestinatio, et utrum de persona an de natura. Eumdem sane ipsum, qui secundum carnem factus est ex semine David, prædestinatum dicit Filium Dei in virtute. Item, (24) recte quippe dicitur Filius Dei non prædestinatus, secundum id quod est, Verbum Dei, Deus apud Deum. (25) Utquid enim prædestinare-C tur, cum jam esset qui jam erat sine initio, sine termino sempiternus? Illud autem prædestinandum erat quod nondum erat, ut sic suo tempore fieret, quemadmodum prædestinatum erat, ante tempora ut fieret. Quisquis ergo Filium Dei prædestinatum negat, hunc eumdem Filium hominis negat (26). Prædestinatus est ergo Jesus, ut qui futurus erat secundum carnem filius David, esset in virtute Filius Dei. Item, in quantum homo factus est Filius Dei, prædestinatum esse dicimus. Ecce ex his patet prædestinationem esse de persona, id est de Christo Jesu, non secundum id quod semper fuit, sed secundum id quod non semper fuit, id est non secundum divinitatem, sed secundum humanitatem. Et est sensus : Christus factus est secundum carnem; qui, D Christus secundum quod est homo, est prædestinatus, id est sola gratia præelectus, ad hoc, ut ipse homo sit Filius Dei, non utique adoptivus ut nos sumus, sed in virtute, id est in eadem potentia cum Patre; non per gratiam adoptionis, sed per unionem Verbi, id est per gratiam qua humana ejus natura unita est Verbo. Non ergo per adoptionem filius, neque adoptivus filius. Dicit enim Ambrosius : Volvi et revolvi divinam Scripturam, et Filium Dei

(19) Augustinus, De prædest.
(20) Id., De bono preseverantiæ.
(21) Id., De prædest.
(22) Id., De tract. psal. CXVIII.
(23) Augustinus, De bono perseverantiæ.
(24) Id., in Epist. ad Rom.
(25) Id., super Joan.
(26) Id., in libro ad Prosperum et Hilarium.

nusquam adoptivum inveni. Sed, sicut Christus in A quantum Deus est, naturaliter habet, ut sit naturalis Dei Filius, et sit Deus; ita, in quantum homo per gratiam habet, ut sit idem Filius Dei, naturalis. (27) De Filio vero, hoc est de Domino nostro Jesu Christo scriptum est, quod semper cum Patre fuit, et nunquam eum, ut esset, voluntas paterna præcessit; et ille quidem natura Filius est, nos vero adoptione; ille vero nunquam Filius non fuit, nos, antequam essemus, prædestinati sumus, et tunc spiritum adoptionis accepimus, quando credidimus in Filium Dei. (28) Contendunt hæretici adimere Patri quod Pater est, dum volunt Filio auferre quod Filius est. Adimunt autem, cum dicunt, quod non de natura sit Filius. Non ex natura autem est, quando non eadem in se habet natus et generans. Neque enim B Filius est, cui alia ac dissimilis erit a Patre substantia. Pater autem quomodo erit si non quod in se est substantiæ atque naturæ genuerit in Filio? Dominus dicens: *Clarifica Filium tuum* (*Joan.* XVII), non solo nomine contestatus est se esse Filium Dei, sed et proprietate. Nos filii Dei sumus, sed non talis hic Filius. Hic enim verus et proprius est Filius, origine, non adoptione; veritate, non nuncupatione; nativitate, non creatione. (29) Idem natura Filius est, quia eamdem naturam quam ille qui genuit habet. Nos sumus filii gratia, non natura: Unigenitus autem natura, non gratia. An hoc etiam in ipso Filio ad hominem referendum est? Ita sane; quod enim Unigenitus est, æqualis Patri, non est gratiæ, sed naturæ: quod autem in unitate personæ Unigeniti assumptus est homo, gratiæ est, non naturæ (30). C

Quæri solet a quibusdam, an secundum quod homo Christus sit Deus, vel Dei Filius: Quod ita esse, ita probare conantur: Christus secundum quod homo prædestinatus est, ut sit Dei Filius; sed illud est quod ut sit prædestinatus est. Ergo, quia prædestinatus est, secundum quod homo ut sit Filius Dei, etiam secundum quod homo est Filius Dei. Ad quod respondemus, dicentes Christum esse id ad quod prædestinatus est, ut sit; sed non est illud secundum id, secundum quod prædestinatus est. Est enim prædestinatus, ut sit Dei Filius. Et ipse itaque est vere Filius Dei, sed prædestinatus est ad hoc, secundum quod homo, quia per gratiam hoc accepit, secundum quod homo; ipse tamen secundum quod homo non est illud, nisi forte, secundum uni- D tatis sit expressivum personæ, secundum enim aliquando conditionem humanæ naturæ vel divinæ exprimit, aliquando unitatem personæ, conditionem naturæ, ut cum dicitur, secundum quod homo, id est in quantum homo, vel secundum quod Deus, id est in quantum Deus, unitatem personæ exprimit, ut cum dicitur, Christus secundum quod homo dimittit peccata, id est ipse homo, qui est Christus, vel persona ipsa quæ est homo. Aliquando etiam, secundum notat causam, ut cum dicitur, secundum divinitatem judicabit, id est ex virtute divinitatis. Hæ distinctiones suis locis diligenter animadvertendæ sunt.

Quæri etiam solet utrum Christus, secundum quod homo, sit persona. Ad quod dicimus: Si secundum causam vel conditionem naturæ notat, secundum quod homo non est persona, quia ex eo quod homo vel in quantum homo est, persona non est, quia, si ex eo quod homo est, persona est, ergo vel tertia in Trinitate, vel alia; sed alia non est. Ergo tertia in Trinitate; ergo Deus, item. Ideo in quantum homo non dicitur persona, quia non est in quantum homo personali proprietate discretus a Patre et Spiritu sancto, quia in quantum homo non est genitus a Patre, vel Filius Patris. Filiatio autem proprietas est, quia persona Filii distinguitur ab aliis. Sed, si in quantum homo, non est persona tertia in Trinitate, quomodo ergo supra dixit Augustinus: Qui suscepit et quod suscepit una est in Trinitate persona. Hæc enim auctoritas innuere videtur quod natura humana cum Verbo sit una persona in Trinitate. Quod si est, ergo natura humana cum Verbo est Deus. Ergo aliqua natura cum Verbo est Deus, quæ non semper fuit Deus. Ergo non tantum divina natura est Deus, sed et alia. Quod quia absurdum videtur, et alia plurima quæ sequuntur inconvenientia, prædicta Augustini verba, et illis ubicunque inventa fuerint similia, hoc modo intelligenda nobis videntur. Qui suscepit et quod suscepit, una est in Trinitate persona, id est ita Deus suscepit hominem quod eadem persona quæ prius erat, immutata permansit. Unio enim suscipientis et suscepti unitatem personæ, nec divisit nec variavit: et tunc factum est, ut illa persona, quæ ante erat Deus, eadem homo esset. Unde super Joannem ait: Quando Verbum caro factum est, una persona facta est Verbum et homo, id est tunc factum est ut eadem persona quod est Deus esset homo. Movet nos quoque quomodo supra dixerit Augustinus illum hominem assumptum a Verbo, cum ille sit persona, et persona non sit assumpta. Alibi (31) quoque expressius idem dicit quo magis movemur: Si quis dixerit atque crediderit hominem Jesum Christum a Filio Dei assumptum non fuisse, anathema sit. Et ita videtur quod persona a persona sit assumpta, quod nefas est dicere aut sentire. Prædictarum auctoritatum verba sic intelligi sane possunt, ut homo Christus sive homo ille, ideo dicatur assumptus a Verbo, quia anima ejus et caro, in quibus subsistit homo, sunt assumpta a Verbo, ut ad ipsius hominis Christi naturam respicias, non ad personam, cum assumptum dicis. Item, quæri solet utrum homo ille cœpit esse, vel semper fuerit, sicut simpliciter enuntiamus Christum, vel Dei Filium semper fuisse nec cœpisse. De hoc Augustinus ita ait (32): Habuit

(27) Hieron. super Epist. ad Ephes.
(28) Hilarius in lib. II contra Arium.
(29) Id., lib. III.
(30) Hilar., in serm. 29, super Joan. in serm. 20.
(31) Id., in sermone de fide ad Petr.
(32) Id., super Joan.

aliquando Dei Filius quod nondum habuit idem ipse hominis filius, quia nondum erat homo. Item, sic nos electi, quomodo ille clarificatus, quia, priusquam mundus esset, nec nos eramus, nec ipse *mediator Dei et hominum homo Christus Jesus* (*I Tim.* II). Item (33), Christus noster, etsi forte homo recens est, tamen æternus Deus est. Alibi autem legitur quod puer ille creaverit stellas, et ipse Christus ait : *Ego principium qui et loquor vobis* (*Joan.* VIII).

His itaque auctoritatibus in nullo refragantes dicimus quod ille homo, quantum homo est, esse cœpit ; in quantum est Verbum, semper fuit. In hujusmodi enim locutionibus sine adjectione determinationis, nihil responderi convenit. Unde Augustinus (34) : Pater per ipsum in quantum Verbum ejus est, etiam quæ futura sunt fecit ; sed profecto secundum id quod homo est, ipsum pro nobis glorificavit (35). Ipse ergo secundum quod homo prædestinatus est, id est sine meritis sola gratia præelectus, non solum ut esset caput nostrum, et ut nec origine traheret, nec voluntate perpetraret peccatum, et ut e mortali natura clarificaretur in immortalem, sed etiam ut esset Filius Dei in virtute, id est in eadem potentia cum Patre. Et quod ipse sit Filius Dei, potest videri ex hoc quod conceptus est et natus, secundum Spiritum sanctificationis, id est quia ex Spiritu sancto conceptus est. Considera vero quia non fuit ei Spiritus sanctus pro semine, nec dicimus illum patrem esse hominis Christi, ne dicantur duo esse patres. Sed de Spiritu sancto conceptus dicitur, ideo, quia operatione Spiritus, per quem omnia sanctificantur. [Haimo] Et Dei munere facta est illa conceptio. [Aug.] Probatur etiam esse Filius Dei, ex resurrectione mortuorum Jesu Christi Domini nostri, id est suorum, id est quia mortuos fecit secum resurgere, qui fuerunt ejus, quia ad se pertinebant, secundum illud : *Multa corpora sanctorum qui dormierant resurrexerunt cum eo* (*Matth.* XXVII). [Haimo] Et nota quod proprium nomen posuit pro pronomine, more Hebraico, quæ locutio in Scripturis est usitatissima, et in veteribus præcipue libris celeberrima, ut : *Fecit Moses, sicut præcepit Dominus Mosi* (*Exod.* XXXVIII) [36]. Vel ita, secundum spiritum ; quasi dicat : Christus probatur esse Filius Dei, secundum spiritum, id est quia suis dedit spiritum sanctificationis, sanctificationis dico inceptæ ex resurrectione animæ, id est a remissione peccatorum per quam anima resurgit a vitiis. (37) Est enim duplex resurrectio una animæ, altera corporis. De resurrectione animæ ait Apostolus in sequenti : *Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit tibi Christus* (*Ephes.* V). Resurrectione, dico, mortuorum Domini nostri Jesu Christi, id est eorum qui mortui erant in peccatis, qui dicuntur Christi, quia nos nullus alius curare potuit, qualiter aliquis curandus a medico, illius medici dicitur infirmus. Potest etiam de humana natura hoc accipi, quod ait Apostolus, qui prædestinatus est, ut etiam ipsa vere dicatur prædestinata. Unde ait Augustinus (37*) : Prædestinata est ista humanæ naturæ tanta et tam excelsa et summa subvectio, ut quo attolleretur altius non haberet, sicut pro nobis ipsa divinitas que usque se deponeret humilius non habuit, quam suscepta natura hominis cum infirmitate carnis usque ad mortem crucis. De hoc eodem Haimo ait : Non de Verbo loquitur hic Apostolus, sed de homine, qui non erat antequam factus esset : humanitas enim, quæ non erat antea, illa prædestinata est, secundum hoc sic lege litteram : qui Christus secundum quod homo, prædestinatus est, id est ejus humanitas prædestinata est, et præordinata sine suis meritis, ut esset Filius Dei in virtute, id est esset assumpta a Verbo existente in eadem virtute divinitatis cum Patre, et unita illi in unitate personæ. Secundum spiritum sanctificationis : Hoc ad illud refertur, quod supra dictum est, factus est ex semine David secundum carnem. Jungatur ergo ita, qui factus est ex semine David secundum carnem ; factus dico, secundum spiritum sanctificationis, id est secundum operationem Spiritus sancti, qui sanctos facit homines, qui etiam formavit et sanctificavit ipsum hominem in utero virginali ex semine mulieris, sine semine viri. Ex resurrectione mortuorum. Hoc refertur ad illud quod dixit, Filius Dei, quasi dicat : Et quod ipse est Filius Dei, cui humana natura unita est, patet ex resurrectione mortuorum Jesu Christi Domini nostri, id est suorum, id est ex hoc quod secum mortuos resurgere fecit. Et hunc ordinem verborum etiam Augustinus ponit, sed dicit alterum ordinem certiorem et meliorem videri. Vel ita potest legi, ut prædestinatus sicut præscitus accipiatur et referatur hoc, ad cognitionem hominum, sicut et illud : *Ero illorum Deus* (*II Cor.* VI), id est cognoscar, et sit sensus : [Ambrosius] Qui Dei Filius qui latebat in carne quid esset, præsdestinatus est id est, præscitus ab æterno, manifestari Filius Dei virtute resurgendi, scilicet cum resurgat a mortuis. Omnis enim ambiguitas et diffidentia, resurrectione ejus calcata est et compressa. Nam in morte ejus etiam discipuli ejus dubitavere, sed in resurrectione virtus divinitatis emicuit, sicut ait : *Cum ego exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum* (*Joan.* XII), id est tunc cognoscar omnium esse Dominus. Præscitus est itaque manifestari Filius Dei in virtute resurrectionis secundum Spiritum sanctificantem, id est quia suis dedit Spiritum sanctum. Deinde quam virtutem dixerit, exponit, subdens : Ex resurrectione mortuorum ; neque dicit ex resurrectione Christi, sed mortuorum Jesu Christi Domini nostri, quia sua resurrectio nostram facit

(33) Hilarius, super Psal.
(34) Id., super Joan.
(35) Id., De prædest. sanctorum ; in lib. De bono persev. ; super Joan. in Epist. ad Rom.
(36) Hilarius, ex tract. psal. LXVII.
(37) Id., in Epist. ad Rom.
(37*) Ex tract. psal. CXVIII.

generalem resurrectionem. Ac si diceret, manifestatus Dei Filius ex resurrectione mortuorum Jesu Christi Domini nostri, id est quia resurrexit; per quod etiam nos in anima et corpore resurgere fecit. Unde videtur mortem destruxisse ut nos redimeret: quare et Dominum nostrum vocat, dicens Jesu Christi Domini nostri. In hoc vere apparet Dominus quod mortuus mortem vicit. Hæc enim major virtus et victoria videtur in Christo quod ea potestate operatur mortuus qua operatus fuerat vivus.

Per quem accepimus. Hic commendat eum a liberalitate. (38) Hic enim ostenditur quid auctor ei contulit; quasi dicat, talis est Christus per quem talem nos apostoli cum aliis fidelibus accepimus, id est qui talis dedit gratiam, scilicet remissionem peccatorum et patientiam omnium laborum, [Ambrosius] per quam remunerabimur in futuro, et alia dona quæ omnia nobis data sunt gratis et accipimus nos soli apostoli apostolatum, [Augustinus] id est auctoritatem et legationem prædicandi. [Haimo] Accepit enim apostolus gratiam per Christum cum omnibus fidelibus; apostolatum vero, non cum omnibus, sed cum apostolis tantum: [Origenes] et ideo congrue non tantummodo apostolatum dicit se accepisse, (39) ne ingratus existeret gratiæ, qua illi peccata dimissa sunt, ut nemo audeat dicere vitæ prioris meritis se ad Evangelium esse perductum, cum nec ipsi Apostoli qui cæteris supereminent apostolatum accipere potuissent, nisi prius cum cæteris gratiam, quæ peccatores sanat et justificat, accepissent. [Ambrosius] Ideoque opportune tenens ordinem causæ, ait, accepimus *gratiam et apostolatum*, id est potestatem apostolatus. Ubi? *In omnibus gentibus*. Ergo in Judæis, quia Judæis cohabitatione sunt, in gentibus. Vel accepimus apostolatum, non solum in una gente Judæorum, sed etiam in omnibus gentibus. Ad quid? *Ad obediendum fidei*, id est ut faciam ego cum apostolis aliis eos obedire fidei Christi, accepimus apostolatum: et hoc *pro nomine ejus*, scilicet Christi, id est vice ejus, quia ejus vicarii sumus. Vel pro nomine ejus dilatando, id est pro ejus gloria non nostra, sicut vos Romani facitis. Deinde ut familiarius admoneat, convertit se ad eos dicens: *In quibus*, id est inter quas gentes, [Haimo] et vos Romani, id est Judæi et gentiles Romæ habitantes, estis *vocati* per gratiam et interiorem inspirationem *Jesu Christi*, id est a Jesu Christo. Genitivus pro ablativo, more Græco. [Augustinus, Ambrosius] Vel vocati estis, ut sitis Jesu Christi, qui omnium gentium salus est. Cum audiunt Romani inter cæteros se vocatos, scire possunt quod non debent sub lege agere, quia sine lege susceperunt cæteræ gentes fidem Christi, cæteri populi vocati sunt sine lege Moysi, et hi eam servare debent. *Omnibus qui sunt Romæ dilectis Dei vocatis sanctis*. Hucusque pendet littera, quasi dicat, Paulus talis et talis scribit, omnibus qui sunt Romæ, non aliis, sed dilectis Dei, id est dilectis a Deo.

A Quamvis enim Romanis scribat, illis tamen se scribere significat, qui in charitate Dei sunt. Qui sunt hi, nisi qui de Filio Dei recte sentiunt? hi sunt sancti et vocati dicuntur. [Augustinus] Et adverte quia etiam hic significavit Apostolus benignitatem Dei potius quam meritum illorum. Non enim ait diligentibus Deum, sed dilectis Dei. Prior enim dilexit nos ante omnia merita, ut nos eum dilecti diligeremus. Unde etiam addidit, vocatis sanctis, ut nemo sibi tribuat quod vocatus est. [Ambrosius] Non enim ita intelligendum est quod ait, vocatis sanctis, tanquam ideo vocati sint quod sancti erant, sed ideo effecti sancti quia vocati sunt: [Haimo, Augustinus] Et ideo vocati, quia dilecti, ut sit sensus, scribit dilectis Dei vocatis sanctis, id est illis quos dilexit, B ut ad sanctitatem vocaret, qua sancti essent sanctificati per baptismum. Restat autem ut Apostolus dicat salutem et compleatur usitatum Epistolæ principium: ideo subdit:

Gratia vobis, etc., pro eo quod alii solent dicere salutem, ait, gratia vobis, etc. Quasi dicat: Apostolus scribit Romanis, et in scribendo salutat, sic optando dicens, gratia sit vobis, id est remissio peccatorum. Ea enim est gratia qua justificatur impius, et fit justus qui prius fuerat impius, et ideo percipiendæ hujus gratiæ merita nulla præcedunt, quia meritis impii non gratia sed pœna debetur, nec ista esset gratia, si non daretur gratuita, sed debita redderetur. [Ambrosius] Addit: *Et pax*, scilicet sit vobis, id est reconciliatio ad Deum et tranquillitas C mentis. (40) Sicut enim gratia Dei est, qua donantur nobis peccata, ita pax est qua ex inimicis reconciliamur Deo; tamen sciamus etiam utrumque scilicet gratiam et pacem ad generalem Dei gratiam pertinere, etsi ita distincta sint. Et, ut ostendat universum bonum esse a Deo, subdit: *A Deo*, quasi dicat: Hæc scilicet gratia et pax sint vobis a Deo Patre nostro, id est ab eo qui potest dare, quia Deus est, et vult, quia Pater. [Ambrosius] Et ut sine Christo nullam esse pacem et gratiam doceret, adjecit, *et Domino Jesu Christo*, sine quo nulla bona sunt nobis. (41) Quod autem non adjungit Spiritum sanctum, non mihi alia ratio videtur, nisi quia ipsum donum Dei Spiritum sanctum intelligimus. Gratia porro et pax quid aliud est quam donum Dei? Unde nullo modo hominibus gratia dari potest qua, liberamur a D peccatis, et pax qua reconciliamur Deo, nisi in Spiritu sancto: et ideo ipsa Trinitas pariterque incommutabilis unitas in ista salutatione cognoscitur. [Haimo] Unitas apparet, per hoc quod ait, a Deo. De hoc eodem ita ait Haimo: Spiritus sancti nomen non posuit, quoniam in donis suis comprehendit eum, id est in gratia et pace, quia enim per eum divinitus honorantur electi, ideo in donis suis intelligitur.

VERS. 8-10. — « Primum quidem gratias ago Deo « meo per Jesum Christum pro omnibus vobis:

(38) August. in epist. ad Rom.
(39) Ibid.

(40) August. in lib. Retract.
(41) Id., in Epist. ad Rom.

« quia fides vestra annuntiatur in universo mundo. « Testis enim est mihi Deus, cui servio in spiritu « meo in Evangelio Filii ejus, quod sine intermissione « memoriam vestri facio semper in orationibus meis, « obsecrans si quo modo tandem aliquando prospe- « rum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad « vos. »

Præmissa salutatione, ante alia de bonis eorum gratias agit. [Augustinus] Gratias vero agere Deo est sentire omnia bona a Deo data esse, et pro eo laudare voce et opere et corde. Finita ergo præfatione, prius lenit eos quibus scribit, post graviter eosdem increpaturus. Congaudet enim hic de bono incœpto eorum, et præcipue in hoc gaudere se dicit, quia fides illorum in omni loco currebat, quamvis enim fidem non accepissent, secundum regulam ab auctoribus traditam veritatis, tamen, quia quod de uno Deo audierant, interposito nomine Christi cœperant venerari, gratulatur Apostolus, sciens illos posse proficere. Per quod etiam charitatem suam erga illos ostendit, et hortatur ad profectum, ita dicens : *Primum quidem*, quasi dicat, quod incœpistis perficite, quia adeo bonum est quod de eo ante alia Deo gratias refero ; et hoc est, primum quidem, id est ante omnia *ago gratias Deo pro omnibus vobis*, quod et vos ipsi faciatis. Hæc ante omnia se agere dicit, quia fides illorum multis proficit. Nam et illi qui crediderant roborati sunt, videntes principes suos fratres sibi factos in fide, et qui non crediderant, facile poterant credere eorum exemplo, prompte enim facit inferior quod viderit fieri a potiore. [Haimo] Vel ita, *ago gratias Deo meo pro omnibus*, scilicet *vobis* et aliis ; et cum pro aliis, primum quidem, id est præcipue pro vobis de quibus magna utilitas venit, sicut ante dictum est, cui ago gratias. Deo meo, quem scilicet meum facio, quod non vos, Romani facitis. Non est otiose accipiendum, quod ait, Deo meo, non enim vox ista potest esse, nisi sanctorum quorum Deus dicitur, sicut Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob. Cum ergo omnium unus sit Deus per naturam, eo quod sit Creator omnium, illis tamen proprie per gratiam Deus dicitur esse, qui merito fidei et justitiæ, ejus cultores esse probantur. [Ambrosius] Per quod ago gratias ? non per legem neque prophetiam, sed per Jesum Christum mediatorem Dei et hominum, per quem Deus vobis dedit omnia bona, quia ipse est minister **5** omnium beneficiorum Dei. Deinde quare pro eis præcipue vel ante omnia gratias agat, ostendit subdens : *Quia fides vestra*, quasi dicat : Cum multa sint talia in vobis, pro quibus gratias agere debeo (erant enim disciplina mirabiles, et boni operis cupidi, studiosique magis agendi bene quam loquendi, in hoc tamen præcipue gratias ago, quia fides vestra, etsi non perfecta, *annuntiatur in universo mundo*, quia Roma caput mundi erat, et ideo fidei illorum fama omnem locum peragrabat, unde proficerent multi. Et nota quod non laudat Apostolus fidem illorum, tanquam perfectam, sed facilitatem fidei, quia in auditu auris crediderunt, et votum erga Christum, id est affectum propensum, quem erga Christum habebant. *Testis est*, etc. Dixit se pro illis gratias agere, nunc dicit se pro eisdem orare, in quo etiam affectum suum circa illos ostendit, ut suadeat illis charitatem. Ad hoc autem Deum testem dat cui servit, dicens : Testis est *enim Deus* ut melius sibi credatur quod dicturus est.

(42) Præmissa est igitur auctoritas, id est juramentum quo sit fides dicendis : Nisi forte quis dicat quod non juraverit, quia non dixit per Deum, sed dixit testis est Deus : ridiculum est putare hoc ; si dicas, per Deum, juras ; si dicas, testis est Deus, non juras ? Quid enim est per Deum, nisi testis est Deus ? aut quid est testis, est Deus, nisi per Deum ? Ecce dico charitati vestræ, et qui per lapidem jurat falsum, perjurus est, quia creatorem Deum adhibet testem. Nec facit Apostolus qui hic et alibi sæpe juravit, contra Domini mandatum, qui volens justitiam nostram abundare plus quam Scribarum et Pharisæorum, dicit in Evangelio : *Ego vobis dico, non jurare omnino* (*Matth.* VI). Et item : *Sit sermo vester, est, est, non, non. Quod amplius est, a malo est* (*ibid.*) Ibi enim prohibuit Dominus quod est malum, suasit bonum, quod est appetendum, indulsit quod est necessarium ; prohibuit enim falsum, vel sine necessitate jurare, suasit verum loqui : indulsit juramentum, quod est necessarium, cum ait, quod amplius est. Juramentum enim faciendum est in necessariis, cum pigri sint homines credere quod eis est utile ; non est juratio bona, id est appetenda, non tamen mala, id est prohibita, cum est necessaria, licet sit a malo infirmitatis eorum quibus aliquid dicitur. Si enim jurare cogeris, scias de necessitate venire infirmitatis eorum quibus aliquid persuades, quæ infirmitas utique malum est unde nos quotidie liberari precamur, dicentes : *Libera nos a malo* (*Matth.* VI). Ideoque non dixit Dominus quod amplius est, malum est : tu enim non facis malum qui bene uteris juratione, ut alteri suadeas quod utile est, sed a malo est illius. Et notandum quia multum interest, si exigit jurationem, qui novit illum juraturum falsum, an non. Qui autem nescit et ideo dicit : Jura mihi, ut ei fides sit, non audeo dicere non esse peccatum, tamen humana tentatio est : si autem novit fecisse et cogit jurare, homicida est. Jurat ergo sine peccato Apostolus, cum ait : Testis est mihi Deus, etc., quasi dicat : Quod habetis Domino imputo. Et recte, nam habenda ab eo oro : et vere, quia *sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus*. Vel ita, se dixit gratias agere, modo exponit quando gratias agit, scilicet in orationibus, et quomodo, scilicet sine intermissione, [Haimo] quasi dicat : Pro vobis gratias ago, et hoc modo,

(42) Aug., De sermone in monte.

quia in orationibus *meis* quæ pro vobis, et pro aliis fiunt, semper habitis in horis constitutis ad orandum. Facio memoriam, id est Deum memorem. Memor dicitur Deus esse cum dat, oblitus cum cessat. Et hoc, sine intermissione. [Ambros.] Vel facio memoriam vestri sine intermissione. Hoc ideo dixit Apostolus, scilicet se esse memorem illorum in orationibus, ut seminet in illis charitatem, id est ut eum ament, et sic desiderent eum audire. Quis enim non amet eum quem audit memorem sui esse! Quod autem ita sit, juramento affirmat, testis, etc. quasi dicat : Et credendum est ita esse ut dico. Enim id est quia testis est mihi Deus, et ideo non est tutum mentiri, cum nihil eum lateat. Cui servio in spiritu meo, non in carne, id est in voluntate quia enim Deus spiritus est, animo illi debet serviri. Vel servio, non in carne, id est in carnalibus observantiis, sed in spiritu meo, id est in spiritalibus, scilicet in fide, spe et charitate : *In quo servio? In Evangelio*, prædicando, non in lege, non in circumcisione, non in eo quod Moyses servus tradidit, sed in eo quod Filius unicus docuit. Quantum enim distat servus a domino, tantum distat Evangelium a lege. Evangelio dico *Filii ejus*, quod scilicet Filius ejus tradidit, non scribendo, sed mentibus inspirando,

Obsecrans, si quomodo tandem aliquando prosperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos. Quasi dicat : Pro vobis gratias ago et oro. Ego dico obsecrans, id est per obsecrationes tentans. Obsecratio est per sacra adjuratio, ut per nativitatem et passionem. Tentans, inquam, si quomodo, id est aliquo modo, prospero vel adverso scilicet quacunque ex causa, facili vel difficili, habeam tandem, scilicet post longa desideria, aliquando, scilicet hieme, vel æstate, iter veniendi ad vos; iter dico prosperum, quod non reputat Apostolus esse, nisi ita sit ut perveniat ad illos quibus desiderat donum Dei prædicare. Prosperum enim iter est, non incassum laborem itineris subire. Prosperum iter habeam, prosperum dico, in voluntate Dei, secundum voluntatem Dei, non sicut mali qui reputant prosperitatem sibi esse in suo malo perpetrato. Sunt enim quidam, qui per Dei permissionem non voluntatem prosperum iter videntur sibi accipere ad malum, si aliquod scelus perpetraverunt. [Orig.] Hoc ergo voluit intelligi Apostolus, addens, in voluntate Dei, quia non semper prosperitas itineris Dei voluntate perficitur, quia multi in rebus sæculi prosperis utuntur successibus, et exsultant in prosperitatibus suis, sed non est talis prosperitas in voluntate Dei. [Ambros.] Apostolus vero iter solummodo reputat prosperum, si sit in voluntate Dei, quia tunc utilis erit adventus Apostoli.

VERS. 11, 12. — « Desidero enim videre vos, ut « aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis ad confir- « mandos vos, id est simul consolari in vobis per « eam quæ invicem est fidem vestram atque « meam. »

A Quasi dicat : Ideo obsecro venire ad vos, *enim*, id est quia *desidero videre vos*. His, quos scripto corrigebat, et a carnali sensu abstrahebat, ideo sui præsentiam necessariam dicit, quia ea quæ scribit etiam perverse possunt accipi, quia aliter dicta solent ad aliud referri ab hæreticis. Ideo ergo desiderat eos videre, ut præsens doctrinam evangelicam sensu quo scribit eis tradat, ne sub auctoritate litterarum ejus non auferretur, sed confirmaretur error, et etiam ideo, ut quæ verbis suadere non poterat, præsens suaderet virtute miraculorum. Sed deinde desiderii sui causam exponens, addit : *Ut aliquid*, quasi dicat : Ad hoc desidero vos videre, ut *impertiar vobis aliquid gratiæ spiritualis*, id est vos participes faciam gratuiti beneficii Dei scilicet do-
B ctrinæ evangelicæ. Gratiæ autem dico, non carnalis sed spiritualis, quia modo carnaliter sapitis. Cum enim dicit, gratiæ spiritualis, carnalem illos sensum assecutos significat, [Augustinus] quia sub nomine Christi, Judæi eis contraria Christo tradiderant. Qui consulens infirmitati humanæ, fide sola addita legi naturali, humanum genus salvari decrevit. Impertiar spiritualem gratiam, *ad confirmandos vos*, [Ambrosius] quia aliquid jam habetis, *id est consolari in vobis simul*, vel, id est *ut consolemur vobiscum*, alia littera, *per eam quæ invicem est fidem vestram atque meam*; quasi dicat : Desidero vobis impertiri gratiam ad confirmationem, quæ confirmatio adeo est mihi grata, quia id, scilicet vos confirmari, est me consolari in vobis. Hoc ideo dicit, quia, etsi congaudeat facilitati fidei illorum,
C dolet tamen de non recta fide. Aliena enim dolebat vitia, quasi sua. Addit simul, quasi dicat : Hæc consolatio mea fiet simul vobiscum, quia et vos consolabimini. Modo enim ego sum desolatus, sicut et vos, etsi non sentitis, sed sic consolaremur simul. Vel secundum aliam litteram sic potest legi, eodem sensu manente; quasi dicat : Desidero venire, ut impertiar vobis gratiam ad confirmandos vos, id est ut consolemur vobiscum. Deinde per quid fiat consolatio, subdit, consolari dico per eam fidem non utique novam, sed vestram atque meam, quæ est invicem, id est communis, id est per hoc potest esse consolatio, si unius ejusdemque fidei sumus in Christo; vel, per eam fidem vestram atque meam quæ est invicem, id est quæ per dile-
D ctionem operatur.

VERS. 13. — « Nolo autem vos ignorare, fratres, « quia sæpe proposui venire ad vos, et prohibitus « sum usque adhuc, ut aliquem fructum habeam « in vobis, sicut et in cæteris gentibus. »

Propositum et votum suum ostendit Apostolus, quod quædam illos scire non ambigit per eos fratres qui a Jerusalem vel a confinibus civitatibus, causa aliqua sive religionis gratia Romam veniebant. Cumque sæpe vellet venire, et prohiberetur, sic factum est, ut scriberet Epistolam, ne diu in malo detenti difficilius corrigerentur, quasi quis diceret : Desideras venire, cur ergo non venis? Ait : *Quia*

prohibitus sum, cum hoc proposuerim. [Haimo] *Nolo autem*, vel non arbitror, *vos ignorare, fratres*, hoc, scilicet *quia sæpe proposui*, non solum volui *venire ad vos, et prohibitus sum* venire, aliquibus impedimentis Deo id agente, [Ambrosius] sed putetis culpa vestra fieri, ut modo dignos vos paretis. Non ergo otiose se prohibitum dicit, sed et causas morarum discernit, qui et hos ut se præparent adhortatus est, [Orig.] ut audientes gratiam sibi spiritalem ministrandam fore, dignos se efficerent a vitiis carnalibus abstinentes ad excipiendam eam. Prohibitus sum dico *usque adhuc*, id est usque in præsens. Per hoc ostenditur, id etiam esse curæ Deo, quo unusquisque apostolorum vel debeat ire, vel non debeat, et quod dispensatione quadam, aliis quidem sinat prædicare verbum Dei, aliis prohibeat. *Fratres*, autem eos vocat, non solum, (6) quia renati erant, sed etiam, quia erant inter eos qui recte sentirent, licet pauci; unde supra dixit, vocatis sanctis. *Ut aliquem fructum habeam in vobis, sicut et in cæteris gentibus*, quasi dicat: Ideo desidero venire, ut habeam in vobis fructum, id est ut vos fructificetis per meam prædicationem; vel, ut habeam fructum aliquem in vobis, id est ut ego aliquod præmium pro vobis acquiram. Pro utilitate ergo communi, cupidum se veniendi ad hos declarat, ut et hi salutem spiritualis gratiæ consequantur, rectam habentes fidei professionem: et hic fructum habeat apud Deum, ministerii sui. Fructum habeam in vobis, dico, sicut et in cæteris gentibus. Exemplo cæterarum gentium lacescit illos ad fidem rectam, promptior enim fit quis ad rem sibi traditam, si illi multos videat assentiri.

VERS. 14, 15. — « Græcis ac barbaris, sapientibus et insipientibus debitor sum: ita quod in me promptum est, et vobis qui Romæ estis evangelizare. »

[Haimo] Quasi dicat: Ideo volo fructum habere in omnibus, quia debitor sum omnibus evangelizare. *Græcis ac barbaris*, id est omnibus gentibus. Græcos præposuit, quia ab eis omnis philosophia mundana exordium sumpsit; barbaros vero eos dicit, qui sunt quasi exleges, qui nec Hebræi, nec Græci, nec Latini sunt. *Et debitor sum evangelizare, sapientibus et insipientibus*, ut nemo de utroque populo excludatur. [Ambros.] Sapientes vero dicit illos qui mundialibus rationibus eruditi erant, insipientes qui illarum rerum imperiti sunt. His autem omnibus se debitorem testatur, quia missus ad omnes; nulli enim gentium populo specialius debetur hæc prædicatio, quia ad hoc missus fuit, ut omnibus prædicaret, qui ad hoc accepit doctrinam ut aliis traderet. De Judæis autem tacet, quia magister gentium erat; et sicut aliis debeo, ita *et vobis qui Romæ estis* debeo evangelizare, quia omnibus debitor sum. Quod tale scilicet evangelizare vobis, *in me promptum est*. Et si ego ad hoc paratus sum, ergo alterius culpa remansit. Quamvis missum se dicat præ-

A dicare omnibus gentibus promptum tamen Romanis se asserit evangelizare, apud quos regni Romani caput est, et sedes. Ad membra enim pertinet, si caput inquietum non fuerit. Ideo Romanorum pacem optat, ut non multum se jactet Satanas, et ut meliores sui operis fructus habeat.

VERS. 16. — « Non enim erubesco Evangelium. « Virtus enim Dei est in salutem omni credenti, « Judæo primum et Græco. »

Quasi dicat: In me promptum est, et vere, quia *non erubesco Evangelium*, sicut illi qui falsa prædicant, et qui crucem Christi putant ignominiam. [Haimo] Hoc enim dicto tangit eos qui non recta tradiderant; vel qui de cruce confundebantur, de qua potius gloriari deberent cum ipso Apostolo. Ideo non erubesco Evan-
B gelium, quia ipsum Evangelium *est virtus Dei*, id est virtutem Dei annuntiat, non infirmitatem; sapientiam non insipientiam. *Quod enim infirmum Dei, fortius est hominibus; et quod stultum Dei est, sapientius est hominibus* (*I Cor.* I). Vel Evangelium est virtus Dei, nobis credentibus, non aliis: quia per doctrinam evangelicam peccatum dimittitur credenti, et, cum res exigit, fiunt miracula quibus commendatur doctrina. Quia enim incredibile videbatur quod prædicabatur, ideo signis et prodigiis ab apostolis factis firmabatur, ne diffiderent homines de his quæ dicebant qui tanta faciebant. [Ambros.] Nulli enim dubium est virtuti verba cedere. Ideoque non se dicit Apostolus erubescere de Evangelio Dei; illos autem erubescere significat, quia quod tradiderant, in re-
C prehensionem veniebat, nec quoquam virtutis testimonio firmabatur, et discordabat, a doctrina evangelica et apostolica. Evangelium igitur est virtus Dei, quia invitat ad fidem, et dat salutem omni credenti dum peccata remittit, et justificat, ut a secunda morte detineri non valeat, signatus mysterio crucis. Unde subdit: Evangelium dico, valens *in salutem omni credenti*. Quod vero dixit omni, determinat: *Judæo primum* credenti, *et Græco*, id est gentili, quod in Græco manifestum est. In Græco enim gentilem significat. Quamvis autem præponat Judæum causa patrum, tamen et ipsum simili modo indigere dicit dono Evangelii Christi. Si itaque et Judæus non justificatur nisi ex fide Christi, quid ergo opus est esse sub lege? [Hesychius] Vel ita: Judæo primum et Græco, quasi dicat: Evangelium
D valet in salutem omni credenti; Evangelium dico, necessarium Judæo, et Græco, id est gentili; sed primum, id est maxime Judæo. Judæi enim hanc Evangelii salutem et liberationem habebant necessariam valde, utpote etiam alios seducentes.

VERS. 17. — « Justitia enim Dei in eo revelatur « ex fide in fidem, sicut scriptum est: Justus autem « ex fide vivit. »

[Haimo] Quasi dicat: Vere Evangelium est credenti in salutem, quia est ei in justitiam, quæ est causa salutis, quod clare ostenditur in ipso Evangelio. Et hoc est quod ait: *Justitia enim Dei revelatur in eo,*

scilicet Evangelio. (43) Justitia Dei est qua gratis justificat impium per fidem sine operibus legis, ut alibi dicit Apostolus : *Inveniar in eo non habens meam justitiam quæ ex lege est, sed eam quæ ex fide est* (*Philip.* III). (44) Hæc est justitia Dei, quæ in Testamento Veteri velata, in Novo revelatur; quæ ideo justitia Dei dicitur, quia impartiendo eam justos facit. [Ambros.] Hanc autem justitiam Evangelium revelat, ipso effectu, [Haimo] scilicet dum dat fidem homini per quam justificatur, qui credit Deum justum et veracem in promissis. Revelat etiam hanc justitiam Verbo, dum in eo dicitur : *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit* (*Marc.* XVI), id est justus. [Ambr. Magnus] Vel justitia Dei est, quia quod promisit dedit, quæ justitia revelatur, in eo qui credit se consecutum, quod promiserat Deus per prophetas suos. Qui enim hoc credit et confitetur, justum Deum probat, et testis est justitiæ ejus. Et loquitur Apostolus hic contra Judæos, qui negant hunc esse Christum, quem promisit Deus. Secundum hoc, ita lege : Bene dixi esse in salutem omni credenti, quia in eo qui credit, sive Judæus sit, sive Græcus, revelatur justitia Dei, id est justus apparet Deus et verax. In eo vero qui non credit, injustus videtur ; negat enim veracem esse Deum, qui non credit eum dedisse quod promisit. Unde subdit : *Ex fide in fidem ;* quasi dicat : Justitia Dei revelatur, tendens ex fide Dei promittentis in fidem hominis, qui credit ei, quia in credente justus apparet Deus. Vel secundum alteram præmissam sententiam sic procede : Justitia Dei est ex fide, hæc autem justitia fidei, est ei homini qui transit ex fide in fidem. [Haimo] Hoc dicit, propter omnes partes fidei, ut omnis qui vult per fidem justificari universos articulos Symboli habeat, ut transeat Judæus et quicunque alius ex fide Veteris Testamenti, ubi unus Deus colebatur, in fidem Novi Testamenti, ubi Pater, et Filius, et Spiritus sanctus colitur, ex fide primi adventus in fidem secundi, ut utrumque credat ex fide primæ resurrectionis, quæ est in anima, in fidem secundæ quæ erit in corporibus*;* ex fide promissionis, in fidem redditionis. ut credat Deum promisisse ac reddidisse, vel redditurum fore ; (45) ex fide prædicatorum in fidem populorum, ut credat quod credunt majores et minores ; ex fide seminantium, id est prophetarum, in fidem metentium, id est apostolorum transeat justificandus, vel transeundum fore intelligat de fide verborum et spei in fidem rerum et speciei. [Haimo] Est enim fides qua creduntur quæ non videntur, quæ proprie dicitur fides. (46) Sed tamen etiam est fides rerum, qua non verbis, sed rebus ipsis præsentibus creditur : quod erit, cum per speciem manifestam se contemplandam sanctis præbebit ipsa Dei sapientia. Non ergo esset justitia fidei, nisi esset absconditum quod prædicatum crederemus, et credendo ad videndum perveniremus. (47) Dicit ergo justitiam illi esse qui transit ex fide verborum quibus credimus quæ non videmus, in fidem rerum qua credita obtinebimus, scilicet ex fide in qua ministratur Deo, in illam ubi fruatur Deo, quæ tamen improprie dicitur fides. Et quia de fide fit mentio hic, videndum est quid sit fides, et quot modis accipiatur fides, et de quibus sit. Fides est virtus qua creduntur quæ non videntur, apparentia enim non habent fidem, sed agnitionem. Fides enim est, quod non vides credere. (48) Accipitur autem fides tribus modis scilicet pro eo quod creditur, et est virtus ; et pro eo quod creditur, et non est virtus ; et pro eo quod creditur. Fides enim qua creditur, cum charitate virtus est, et hoc est fundamentum omnium bonorum, in qua nemo perit. Hæc fideles facit, et vere Christianos. Alia vero dæmonum est, et nomine tenus Christianorum ; nam et *dæmones credunt, et contremiscunt* (*Jac.* II). Hæc est, informis qualitas mentis, quæ dicitur informis, quia sociam non habet charitatem, quæ est forma omnium virtutum. Pro eo autem quod creditur accipitur fides, sicut ibi : *Hæc est fides Catholica, quam nisi*, etc., (49) ita hic accipitur cum ait, ex fide in fidem. Fidei enim quæ creditur, id est Symboli fidei, multæ sunt partes, quarum aliquæ sunt hic positæ. Eodem quoque modo accipitur fides, cum dicitur fides Catholica, quasi quod universaliter ab omnibus credendum est.

Solet autem a quibusdam inquiri utrum illa informis qualitas mentis quæ in malo dicitur Christiano fides, qua universa credit, quæ verus Christianus credit, accendente charitate, remaneat, et fiat virtus, an ipsa eliminetur, et alia succedat qualitas quæ virtus sit. Ad quod potius divinum oraculum implorandum videtur, quam aliquid a nobis diffiniendum. Utrumlibet tamen sine periculo dici potest. Est autem fides de bonis, et de malis, et de præteritis, et de præsentibus, et de futuris. [Ambr.] Spes autem de futuris tantum, et de bonis. *Sicut scriptum est :* convertit se Apostolus ad exemplum prophetæ Habacuc, [August.] ut declaret olim ostensum non justificari hominem per legem apud Deum, sed per fidem; quasi dicat : Ex fide est justitia, et ita ex fide est salus, non ex lege, sicut scriptum est in Habacuc : *Justus autem ex fide vivit.* Sic expone : Justus est ex fide, omnis ⁊ qui justus est, [Aug.] et ita, vivit, non vita ista quæ præsens est, sed futura, id est æterna, quæ est merces fidei. Merces enim fidei est videre quod credidimus antequam videremus. Sciendum autem aliter esse in Habacuc quam hic posuit Apostolus. In Habacuc enim ita est : *Justus autem meus, ex sua fide vivet.* (*Habac.* II). Sed et hoc, et alia plura testimonia quæ

(43) Ambros. ad Opert.
(44) August., De spiritu.
(45) Primasius, in Apoc.
(46) August., in lib. Quæstionum evange.
(47) Ibid. In psal. CIX.
(48) August., in homil. quadam.
(49) Ex Athan. Symb.

ponit ab Hebraicæ veritatis translatione, qua nunc utimur, videntur discordare. Quod ideo est, quia aliquando sumit a LXX Interpretibus, aliquando, sicut loquens eodem spiritu quo prophetæ, sensum sumit tantummodo suis utens verbis suaque dispositione.

VERS. 18, 19.— « Revelatur enim ira Dei de cœlo « super omnem impietatem et injustitiam hominum « eorum, qui veritatem Dei in injustitia detinent, « quia quod notum est Dei manifestum est in illis. « Deus enim illis revelavit. »

(50) Commendata pietate fidei, qua justificati grati Deo esse debemus, contrarium detestando, id est impietatem, subinfert, quod gentiles inflati, et leves in idolorum figmenta tanquam deciderunt, ubi non requiescerent, sed confracti desilirent in lapides. Hic enim specialiter aggreditur gentiles, secundum priorem statum, quia jactant bonam naturam, et excusant turpitudines per ignorantiam. Econtra autem Apostolus dicit eos, et prius habuisse notitiam, et perdidisse per culpam, et bonam naturam sibi ipsis a Deo relictam in omnia mala præcipitatam. Quasi dicat : Ex fide est justitia, et inde, salus (51), quia ex impietate est injustitia, et inde ira, id est pœna, et hoc revelatur in Evangelio Dei, et hoc est : *Revelatur enim* in Evangelio, *ira Dei*, id est pœna. Quoties ira Dei legitur, non perturbatio animi ejus est intelligenda, sed judicium quo irrogatur pœna pro peccato. [Haimo.] Dei, dico, venturi *de cœlo* ad judicium ; ira, dico, processura *super omnem impietatem et injustitiam.* Non dicit super omnes impios, sed quod plus est super omnem impietatem et injustitiam, id est super omnes impietatis et injustitiæ partes. [Orig.] Impietas est in Deum peccare, iniquitas in homines. Vel impius pro infideli hic ponitur, id est a pietate religionis alienus, sicut idololatra. Iniquus vero dicitur qui pravitate operis ab æquitate discordat. [Haimo.] Et est sensus : Vindicta Dei de cœlo venturi ad judicium vivorum, et mortuorum in Evangelio manifestatur ventura super omnem impietatem et injustitiam. [Ambros.] Vel ita lege : Ira Dei, ventura super omnem impietatem et injustitiam, revelatur de cœlo. Quod accusat eos quia indicavit eis Creatorem vel Salvatorem. Ex ipsa enim cœli fabrica iratus illis Deus ostenditur, qui ideo tam pulchra astra condidit, ut ex his quantus et quam admirabilis Creator eorum est possit agnosci, et solus adorari. Reum igitur facit Apostolus gentilem per legem naturæ, per quam potuit deprehendere fabrica mundi testificante auctorem Deum solum diligendum ; sed injustitia et impietas in eis apparet, dum hæc videntes dissimulant a veritate, non fatentes unum Deum. Unde subdit :

Eorum qui veritatem Dei in injustitia detinent, quasi quis diceret : (52) Cur est eis ira Dei de impietate, cum non cognoverunt Deum ? ad quod re-

A spondet, merito est eis ira, quia poterant quidem cognoscere Deum, et aliqui etiam eorum partim cognoverunt, sed sibi tollunt malentes morari injuste in sua voluptate. [Haimo] Sic lege litteram : Hominum, dico, eorum qui veritatem Dei, id est veram de Deo cognitionem detinent, cum sponte se eis offerat ; ipsi dico manentes in injustitia, id est in opere malo. (53) Bonum est quod tenent, sed malum est ubi tenent. Veritatem enim tenent, sed in iniquitate. Invenisti enim Deum, o tu gentilis, o philosophe, et colis idolum ; invenisti veritatem, et ipsam detines in injustitia ; et quod per Dei opera cognovisti, per hominis opera perdidisti. Totum considerasti rerum ordinem, et non vis attendere quod mundus opus Dei sit ; idolum opus fabri. Si B faber idolo sicut dedit figuram, daret et cor, ab ipso idolo faber adoraretur. Quomodo ergo homo faber tuus Deus non est, si homo idoli faber est ? Quis est Deus tuus qui fecit te ? Quis est Deus fabri ? Qui fecit illum. Ergo si idolum cor haberet, nonne fabrum adoraret qui fecit illud ? Ecce quomodo detinent veritatem Dei in injustitia. Occurrebat autem Apostolo, ut ei diceretur : Unde illi veritatem detinent, ad quos locutus non est Deus ? nec legem acceperunt, sicut populus Israel ? Respondet, et ostendit unde : *Quia quod notum est Dei, manifestum est in illis : Deus enim revelavit illis ;* quasi dicat : Vere detinent veritatem Dei, qua hoc Dei quod notum est, id est quod de Deo noscibile est, manifestum est in illis, ductu rationis ; quasi dicat : In se habent unde noscere possint. Quod cognoscibile est de Deo, C scilicet naturalem rationem. Ideo dicit quod de Deo cognoscibile est, quia multa sunt quæ de Deo per naturam sciri non possunt, ut de mysterio redemptionis et incarnationis. [Orig.] Notum Dei est, hoc quod ex hujus mundi dispositione, et naturali ratione assequi possumus. Ignotum vero Dei, est ratio substantiæ ejus, vel naturæ, quæ omnem latet creaturam. Similiter et mysterium humanæ liberationis. [Ambros.] Et vere manifestum est in illis quod est noscibile de Deo, quia non solum ratio naturalis ad hoc profuit, sed et Deus illis revelavit, vel manifestavit per opus suum, per quod eos adjuvit. Hoc dicit, ne sola natura sufficere videretur. Ut enim Deus, qui natura invisibilis est, etiam a visibilibus posset sciri, opus fecit quod opificem D visibilitate sui manifestavit, ut per certum incertum posset sciri, et ille esse Deus omnium crederetur qui hoc fecit quod ab his impossibile est fieri. (54) Hæc philosophi nobiles quæsierunt, quasi interrogantes creaturas de Creatore, et omnium specie ac dispositione quasi voce respondente ex arte artificem cognoverunt.

VERS. 20-23. — « Invisibilia enim ipsius a crea- « tura mundi, per ea quæ facta sunt intellecta « conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus et « divinitas, ita ut sint inexcusabiles. Quia cum co-

(50) August., De spiritu et lit.
(51) Id., De civitate Dei.
(52) August., in sermone quodam.

(53) August., De verb. Dom.
(54) Ibid.

« gnovissent Deum non sicut Deum glorificaverunt, « aut gratias egerunt ; sed evanuerunt in cogitatio« nibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum. « Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt ; « et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei, in si« militudinem imaginis corruptibilis hominis, et« volucrum, et quadrupedum, et serpentium. »

Ostendit quid de Deo, et quomodo scire potuerunt, et quasi quis quæreret, quomodo potuit id quod notum est Dei, manifestum esse in illis qui non acceperunt legem, subdit : *Invisibilia enim*, etc. Et notandum quia cum Deus una sit et simplex essentia, nec ex diversitate aliqua constet, pluraliter tamen dicit, invisibilia ; quia pluribus modis per ea quæ facta sunt cognoscitur, scilicet quod æternus, ex perpetuitate creaturarum ; omnipotens, ex magnitudine creaturarum, et hujusmodi. Ex quorum etiam gubernatione virtus ejus conspicitur ; et ex eo quod omnia replet, ejus divinitas, id est bonitas, intelligitur. Et hoc est quod ait : Vere quod Dei notum est manifestum est in illis. *Enim*, id est quia, *invisibilia ipsius*, id est ipse natura invisibilis intellecta, non corporea, vel imaginaria visione, sed tantum intellecta ea vi mentis, quæ dicitur intellectus. *Intellecta*, dico, *per ea quæ facta sunt*, et si non per legem scriptam quam non habuerunt, *conspiciuntur a creatura mundi*, id est ab homine, non solum ab angelis. [Haimo.] Homo vero creatura mundi dicitur per excellentiam, quia excellit inter alias creaturas, vel quia convenientiam habet cum omni creatura. Est enim localiter in loco, ut quodlibet corpus ; sentit cum animalibus, intelligit cum angelis. Unde in Evangelio Dominus ait : *Prædicate Evangelium omni creaturæ* (*Marc.* XVI), id est homini. Et attende quod ait : Ipsa invisibilia intellecta per ea quæ facta sunt, (55) quia per cœlum et terram, et alias creaturas, quas immensas et perpetuas esse intellexerunt, ipsum Conditorem incomparabilem, immensum, æternum mente conspexerunt. Viderunt enim summi philosophi, quos cæteris non immerito fama atque gloria prælatos cernimus, nullum corpus esse Deum : et ideo cuncta corpora transcenderunt quærentes Deum. Viderunt etiam quidquid mutabile est, non esse summum Deum ; et ideo animam omnem mutabilesque spiritus transcenderunt. Deinde viderunt omnem speciem in re quacunque mutabili, quæ naturaliter est, omneque universi mundi corpus non posse esse nisi ab illo qui incommutabiliter et simpliciter est, quia non aliud est illi esse, aliud vivere, aliud intelligere, beatum esse ; sed quod est illi vivere, intelligere, beatum esse, hoc est illi esse. Propter hanc incommutabilitatem, et simplicitatem intellexerunt eum, omnia ista fecisse, et a nullo fieri potuisse. Consideraverunt enim quidquid est in substantiis, vel corpus esse, vel spiritum ; meliusque aliquid spiritum esse, quam corpus ; speciemque corporis esse A sensibilem ; spiritus vero speciem intelligibilem et intelligibilem speciem sensibili prætulerunt. Sensibilia dicimus, quæ visu tactuque corporis sentiri queunt ; intelligibilia quæ conspectu mentis queunt intelligi.

Cum igitur in eorum conspectu corpus et animus magis minusque speciosa essent ; si autem omni specie carere possent, nulla omnino esset, viderunt esse aliquid ubi esset prima et incommutabilis species, ideoque incomparabilis (56) atque ibi esse rerum principium rectissime crediderunt, quod factum non esset, et ex quo cuncta facta essent : (56) atque sic invisibilia Dei intellecta per ea quæ facta sunt conspiciuntur. Sed mirum est quod dixit esse invisibilia ; et rursus dixit, conspi- B ciuntur ; sed addendo intellecta, determinatur modus visionis. Tria enim genera visionis in Scripturis inveniuntur. Est enim visio corporalis, spiritualis vel imaginaria, et intellectualis. De tertio genere est ista visio, quam hic commemorat Apostolus. Hac enim visione videtur Deus, cum per pietatem fidei, et agnitionem morum optimorum corda mundantur. Vel ita lege litteram : Vere quod notum est Dei, manifestum est in illis, quia invisibilia ipsius mundi conspiciuntur, id est intellectu mentis capiuntur, per ea quæ facta sunt a creatura mundi, id est a constitutione mundi. Et ut omnino impietas excusari non possit, adjecit : *Virtus* quæ omnia gubernat, conspicitur per ea quæ facta sunt, *et divinitas*, [Ambros.] id est bonitas Dei quæ omnia replet, similiter per eadem conspicitur. [Haimo ; C August.] Vel sicut quidam volunt potest hic intelligi Trinitas ut per invisibilia intelligatur Pater ; per virtutem, Filius ; per divinitatem, Spiritus sanctus : ut sit sensus, invisibilia ipsius, id est Pater ; sempiterna quoque virtus ejus, id est Filius, et divinitas, id est Spiritus sanctus, intellecta conspiciuntur per ea quæ facta sunt a creatura mundi. Secundum hoc videtur quod per ea quæ facta sunt illius summæ Trinitatis notitiam habuerint gentium philosophi. Alibi vero dicit Augustinus philosophos non pertigisse usque ad notitiam tertiæ personæ, scilicet Spiritus sancti, in illo videlicet loco super Exodum, ubi magi Pharaonis defecerunt in tertio signo, non in primo vel secundo, quia summi gentium philosophi, inquit, πέρὶ τοῦ ἀγαθοῦ, id est de D summo bono, scilicet Patre, et de νοῦ, id est mente ejus, scilicet Filio, philosophati sunt. Sed in tertio signo defecerunt magi, quia usque ad tertiam personam non valuerunt pervenire philosophi. Quomodo ergo hic dicitur, quod tres personas per facta intellexerunt, vel cognoverunt ? Ad quod dicimus eos hanc distinctionem summæ Trinitatis, quam fides Catholica profitetur nullatenus habuisse, vel habere potuisse absque doctrinæ, vel internæ inspirationis revelatione. Fit enim revelatio tribus modis, per opera, per doctrinam, per inspirationem.

(55) August., De civit. Dei.

(56) Id., contra Manichæos.

Revelavit eis Deus per opera veritatem, sed non A per doctrinam vel per inspirationem. Viderunt ergo de longinquo veritatem, sed non appropinquaverunt per humilitatem. [Aug.] Non ergo illas tres personas ideo dicuntur intellexisse, quod eas distincte veraciter et proprie intellexerint : sed quia illa esse cognoverunt in Deo, quæ illis tribus personis in sacra Scriptura frequenter solent distinctim ac specialiter attribui, scilicet potentia, sapientia, bonitas. Potentia enim Patri, sapientia Filio, bonitas Spiritui sancto sæpe attribuitur : tum una eademque sit potentia, et sapientia, et bonitas trium personarum, et tres illi eadem bonitas, sapientia et potentia sunt : quod quare fiat, non est otiosum inquirere. Sicut enim ex motibus et administratione corporis animam, quam non vides, intelligis, B sic ex administratione totius mundi, et regimine omnium Creatorem intellexerunt.

Ita ut sint inexcusabiles. (57) Illos quippe inexcusabiles Scriptura dicit, quos non latet veritas, et in eis perseverat iniquitas. De hoc, scilicet *quia* cum per naturalem rationem et creaturæ revelationem *cognovissent Deum*, [Haimo, Ambros., August.] usque adeo ut faterentur unum principium esse, a quo omnia initium sortita sunt, *non sicut Deum glorificaverunt*, bene vivendo et colendo ; *aut*, id est et, *gratias* non *egerunt*, de cognitione, sed sibi attribuerunt, in quo vani et falsi fuerunt. Unde subdit : *Sed evanuerunt in cogitationibus*, putantes se aliquid esse, cum nihil sint, quod vere vanitas erat. Cogitationibus dico *suis*, quæ scilicet a se ipsis sunt, non a Deo. Et ideo, scilicet quia Deum non glorificaverunt, C *cor*, id est ratio *eorum*, quia ab eis credita est esse, *obscuratum est*, tumore superbiæ obdurante, ita ut sit *insipiens*, id est paulatim usque ad insipientiam cor eorum deductum est. Nebula enim erroris contexit cor illorum, quia cum Creatorem ex creaturis cognovissent, nec sicut Deum glorificassent, amplius obtusi sunt. Unde obscuratum est cor eorum ? Ecce ex hac superbia, *dicentes* ore vel corde, *se esse sapientes* a se non a Deo, *stulti facti sunt* in Deum. Ecce illa duo quæ dixerat, hic aperte signat, scilicet quomodo evanuerunt, quod ostendit, ibi, dicentes se esse sapientes, ubi culpa monstratur ; et quomodo obscuratum est cor eorum, ibi, stulti facti sunt, quod est vindicta. Sapientes enim in naturis rerum, stulti facti sunt in Deo. [Ambrosius] Investi- D gabant enim rationem physicam, perscrutantes cursus siderum et quantitates elementorum ; Deum autem eorum spernebant. Ideoque stulti sunt. Si enim hæc laudanda sunt, quanto magis Creator illorum ? (58) Viderunt ergo quo veniendum esset, sed ingrati ei qui illis præstitit ut viderent, sibi voluerunt attribuere quod videbant ; (59) et facti superbi, amiserunt etiam quod videbant ; elisi sunt, vel cæcati sunt, quia superbi erant. Superbia caput peccati est, de qua dictum est : *Initium omnis peccati superbia est* (*Eccli.* x). Superbierunt autem dicentes se esse sapientes. Non debebant sibi arrogare quod Deus donaverat, nec se jactare ex eo quod non a se ipsis, sed ab illo habebant. Quod utique illis credendum fuit, ut ad hoc tenendum quod videre poterant, ab illo sanarentur qui dederat ut viderent. Si enim hoc facerent, humilitatem servarent, et possent purgari, atque illi beatissimæ contemplationi cohærere. (60) Quia vero superbia erat in eis, obumbravit eos cæcitas. Quod enim curiositate invenerunt, per superbiam perdiderunt. Quod enim Deus dederat gratis, tulit ingratis. (61) Et conversi sunt a veritate, ad idola et simulacra, et ad culturas dæmoniorum : et adoraverunt creaturam, contempto Creatore. Unde subdit : *Et mutaverunt*. Ecce quomodo obscuratum est cor eorum, ut videlicet majestatem invisibilis Dei, quem ex creaturis cognoverant, non in homines, sed (quod pejus est et inexcusabile crimen), in similitudinem hominum immutarent, ut forma corruptibilis, Deus ab eis vocetur, hoc est simulacrum hominis, ut quos vivos hoc nomine donare non audeant, mortuorum imagines in gloriam Dei reciperent. Quanta hebetudo ! quanta est stultitia eorum, apud quos plus potest imago quam veritas ! et potiores sunt mortui quam vivi ! A vivo enim Deo recedentes, mortuis favent. [Ambros.] De quorum numero et ipsi sunt, sicut in libro Salomonis dicitur : *Mortuus mortuum fingit, operibus iniquis* (*Sap.* xv). Lege litteram, quasi dicat : Non solum sensu et cogitatione peccaverunt, sed etiam opere. Et id est quia, *gloriam incorruptibilis Dei*, id est culturam debitam Deo, qui incorruptibilis est, mutaverunt, quantum ad se, prius, *in similitudinem imaginis corruptibilis hominis*, id est in imaginem ejus cui erat assimilata. *Et*, postea, in similitudinem imaginis *volucrum*. Ecce major hebetudo ! *et*, inde, *quadrupedum*, *et* deinde *serpentium*. [August.] Hæc dixit ad cumulum hebetudinis ostendendum. Sic enim Dei majestatem et gloriam minuerunt, ut horum quæ minima et parva sunt similitudini, Dei honorificentiam darent. Hic ergo damnat simulacra impiorum in quibus alii solem, alii terram, alii homines mortuos, et hujusmodi plura venerabantur. Ideo autem dicit, in similitudinem hominis, et volucrum, et quadrupedum, et serpentium, quia horum simulacra diversis temporibus a Romanis colebantur. Mos enim fuit ab antiquo Romanis adorare simulacra hominum, ut Romuli, Jovis, et aliorum, et maxime ab adventu Æneæ in Italiam. Volucrum autem et quadrupedum, et serpentium simulacra coluerunt, ex quo Alexandria ab Augusto victa est, et Romæ subjugata.

VERS. 24, 25. — « Propter quod tradidit illos « Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, « ut contumeliis afficiant corpora sua in semet-

(57) August., Ad Valentinum monachum.
(58) Aug., super Joan.
(59) Id., De spiritu et litt.

(60) August., in sermone de monte.
(61) August., De verb. Dom.

« ipsis, quia commutaverunt veritatem Dei in mendacium, et coluerunt, et servierunt creaturæ potius quam Creatori, qui est benedictus in sæcula. Amen. »

Hic item vindicta Dei contra eos ostenditur. [August., Ambrosius] Quia enim ad injuriam Creatoris Dei, figmenta et similitudines rerum deificaverunt, traditi sunt illudendi desideriis carnis, non ut illa gererent quæ nolebant, sed ut illa perficerent quæ desiderabant. [Orig.] Tradere autem est permittere, non incitare aut immittere. Præcedentibus quippe culparum causis, jure et merito deseruntur a Deo hi qui veritatem Dei in iniquitate detinent, et Creatoris gloriam creaturæ attribuunt, et per hoc deseruntur, et traduntur desideriis. Ista vero peccata, quia de superbia sunt, non solum peccata, sed etiam supplicia sunt. (62) Omne quippe peccatum quod tamen citius pœnitendo non tegitur, aut peccatum est, et causa peccati : aut peccatum, et pœna peccati. [Gregorius.] Peccatum namque quod pœnitentia non diluitur, suo pondere mox ad aliud trahit. Unde fit ut non solum peccatum sit, sed et causa peccati. Ex illo quippe culpa subsequens oritur. Peccatum vero quod ex peccato oritur, non solum peccatum, sed et pœna peccati est, quia justo judicio Deus cor peccantis obnubilat, ut præcedentis peccati merito, etiam in alia cadat. Quem enim liberare noluit, deserendo percussit, et hoc est quod ait : *Propter quod*, [Haimo] scilicet propter idololatriam, et quia cultum et religionem Dei imaginibus tradiderunt, *Deus tradidit illos*, id est subtrahendo gratiam tradi permisit. Nihil enim absque ejus permissione fit, etiam in malis. Ista utique obscuratio, vindicta, et pœna jam fuit, et tamen per hanc pœnam, id est per cordis cæcitatem quæ fit deserente luce sapientiæ, in plura et graviora peccata collapsi sunt. Tradidit, dico, prius *in desideria cordis*, cordis dico; quod erat *eorum*, id est a Deo sibi ipsis relictum, a quibus sic paratum fuit, non a Deo, et post ea tradidit illos *in immunditiam*, id est in actum immunditiæ, ut ipso actu operarentur turpitudinem tantam, *ut afficiant corpora sua contumeliis*, quantum ad naturam, id est ut corpora naturaliter repugnantia, quadam vi applicarent, et vitio aptiora facerent. [Augustinus] Et ostenditur hic item vindicta, qua traditi sunt, non modo in desideria prava, sed et in immundas actiones et contumeliosas, quibus afficiunt et inficiunt corpora sua. Ipsi dico habentes hæc, *in semetipsis*, id non aliunde, sed a semetipsis. (63) Non enim habet homo hæc a Deo, sed dicitur his tradi, quia desertus a Deo cedit his atque consentit : vincitur, capitur, trahitur, possidetur. A quo enim quis victus est, huic et servus addictus est; et fit peccatum consequens pœna præcedentis peccati. Vel ita, afficiant cor, ipsi dico agentes, contumeliis in semetipsis, id est in suo sexu, masculi cum masculis, feminæ cum feminis.

A Diligenter animadvertendum est quod hic, et subsequenter ait : Tradidit Deus, [Augustinus] qui hominum malitiam non facit, intentator enim malorum. Qui ergo dicit Deum homines ad ista non cogere, sed dignos deseri tantum deserere, verissime dicit. (64) Deserit autem Deus non apponendo gratiam, vel appositam subtrahendo. Manifestum est enim Deum operari in cordibus hominum ad inclinandas voluntates eorum quocunque voluerit, sive ad bona pro misericordia sua, sive ad mala pro meritis eorum; [Ambrosius] judicio utique suo, aliquando aperto, aliquando occulto, semper autem justo. Et nota quod dicitur Deus operari in cordibus hominum ad inclinandam voluntatem eorum ad malum : quod non ita intelligendum est, quasi Deus B malitiam impertiat, sed quia sicut apponit gratiam, unde inclinatur hominum voluntas ad bonum, ita subtrahit a quibusdam, qua subtracta incurvatur voluntas eorum ad malum.

Quia commutaverunt veritatem Dei in mendacium, et coluerunt, et servierunt creaturæ potius quam Creatori, qui est benedictus in sæcula. Amen. Hic exsequitur latius per partes culpam eorum, et pœnam, ut comparet invicem, et est hic repetitio prædictorum. [August.] Ostendit enim per partes eos mutasse gloriam Dei, scilicet quod Deum putaverunt qui non erat, et coluerunt, et servierunt creaturæ potius quam Creatori. Et exsequitur subsequenter partes immunditiæ, scilicet quod feminæ in feminas, masculi in masculos turpitudinem operabantur; in quibus comparat pœnam culpæ, ut sicut C contra naturam creantem peccaverunt, ita in natura propria punirentur, unde concludit in subsequenti sic : *Et mercedem erroris quam oportuit* (*infra*, 27), etc., quasi dicat : Illi afficiunt, id est deturpant corpora sua. Qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium, [Ambros.] id est id quod de Deo verum est, dederunt idolo, scilicet quod sit Deus; et dicit hic veritatem Dei, quod supra vocavit gloriam Dei. Veritas quippe Dei est gloria Dei. (65) Veritatem Dei tenere, est unum Deum colere; veritatem in mendacium convertere, est creaturæ servire pro Creatore. Vera enim religio in unius constat veri Dei servitio. Ipsa namque veritas verus Deus est. Ipsa enim una veritas est, una vere divinitas, et ita non possunt duo veri dii veraciter dici, D sicut ipsa una veritas naturaliter non potest dividi. Verum itaque Deum colere, veroque Deo servire, non est utique veritatem Dei in mendacium commutare. [Ambros.] Ille autem Dei veritatem commutat in mendacium, qui Deo non vero æstimat serviendum. Commutaverunt ergo veritatem Dei in mendacium, dum nomen Dei qui verus est, dederunt his qui non sunt dii. Lapidibus enim et lignis atque metallis auferentes quod sunt, dantes quod non sunt, ut Dei veritas sit mendacium, ut quando lapidem dicunt Deum esse, non enim negant Deum, sed

(62) August., in serm. quodam.
(63) Aug., contra Julianum.

(64) August., De lib. arbit.
(65) Fulgentius ad Donatum.

serviunt creaturæ potius quam Creatori : hoc est mutare verum in falsum. Ut enim viderentur digne hæc colere, Dei nomen et honorem eis imposuerunt. (66) Veritas quippe creaturæ a Deo est, sed non est Deus, quam illi in mendacium convertunt, creaturas tanquam Creatorem colentes. Sed ne quis dicat : Non colo simulacra, sed res eorum, ut solem et lunam, et hujusmodi, addit, et coluerunt creaturam, diligenter orando eam ; sed et servierunt actibus creaturæ. [Ambros.] Hic damnat ea quæ in simulacris intelligebant. Servierunt, dico, creaturæ potius quam Creatori, quasi illud esset melius. Qui tamen licet ab illis privetur honore suo, est benedictus, id est super omnia exaltatus, et hoc, *in* sæcula, id est sine fine. Amen ; quasi dicat : Hoc est verum, quod Deo vero est benedictio in sæcula. Diis autem gentium ad tempus impietas dat honorem, ideoque quod illi dicunt, est falsitas.

Vers. 26, 27. — « Propterea tradidit illos Deus « in passiones ignominiæ. Nam feminæ eorum im« mutaverunt naturalem usum im eum usum qui « est contra naturam. Similiter autem et masculi « relicto naturali usu feminæ exarserunt in deside« riis suis in invicem, masculi in masculos turpitu« dinem operantes, et mercedem quam oportuit « erroris sui in semetipsis recipientes. »

Iterum hic vindicta repetitur. Quasi dicat : Et quia ita peccaverunt in naturam creantem, *propterea tradidit illos Deus*, id est tradi permisit. Hic item vindicta repetitur sicut ante repetiit culpam. *In passiones ignominiæ*, id est voluptates carnis, quæ etsi delectant, sunt passiones naturæ non nominandæ. [Haimo] Ignominia eorum dicitur quasi sine nomine dignitatis. Inde ignominiosus, qui desinit habere dignitatis nomen, dum in aliquo crimine deprehenditur. Tradidit ergo illos Deus prius in passiones ignominiæ, id est in ardorem libidinis, quæ est passio naturæ, nec nominanda. Postea tradidit in ipsum actum libidinis, et vere. *Nam feminæ eorum immutaverunt naturalem usum* viri legitimi *in eum usum qui est contra naturam*, inter se, scilicet agentes. [Haimo] Naturalis usus est ut vir et mulier in uno concubitu coeant ; contra vero naturam, ut masculus masculum polluat, et mulier mulierem. Si quis vero relicta conjuge aliam cognoverit, turpitudinem operatur, et peccat ; sed non est contra naturam. Qui vero et cum ipsa conjuge alio modo quam decet dormierit, contra naturam operatur. *Similiter autem et masculi relicto naturali usu feminæ exarserunt in desideriis suis invicem* : ecce peccata voluntatis. Desideriis, dico, suis, quæ scilicet a se sunt, non a Deo. [Ambros.] Hæc irato Deo propter idololatriam humano generi provenisse, testatur Apostolus, ut femina feminam, masculus masculum turpi desiderio ad usum appeteret indebitum. Quod enim est mutare naturalem usum, in

A eum qui est contra naturam, nisi sublato usu concesso aliter uti quam concessum est, cum illa pars corporis non habeat hujusmodi usum datum a natura. Quod enim habet homo concessa et licita, in alium ordinem conversa, et aliter facta, quam sunt concessa, peccatum sunt. (67) Si jam putas, o Juliane, Apostolum ex hoc laudasse libidinem, quia usum feminæ dixit esse naturalem, omnem profecto usum feminæ laudare compellis. At per hoc, et ea quæ committuntur cum feminis stupra laudabis, quia et illic utiqne usus naturalis est, quamvis damnandus, quia legitimus non est. Unde et filii non legitimi, sed naturales vocantur, qui inde nascuntur. Non ergo concupiscentiam carnis in illo verbo laudavit Apostolus, sed naturalem usum ap- B pellavit illum usum, unde natura humana potest nascendo subsistere. Nec dixit usum conjugalem, sed naturalem, eum volens intelligi qui fit in membris ad hoc creatis, ut per ea possit ad generandum sexus uterque misceri. (68) Ac per hoc cum eisdem membris aliquis, etiam meretrici miscetur, naturalis usus est, nec tamen laudabilis, sed culpabilis, ab ea vero parte corporis quæ non ad generandum est constituta. Si etiam quis cum uxore utatur, contra naturam est et flagitiosum. *Masculi in masculos.* Quasi dicat : non tantum exarserunt, sed etiam masculi fuerunt *turpitudinem operantes* actu in masculos. Et ita fuerunt *recipientes mercedem erroris sui*, id est pro errore suo, *quam oportuit*, scilicet quæ peccato congrua fuit, id est receperunt vindi- C ctam dignam culpa. [Ambros., August.] Quantum enim idololatria per impium et gravissimum delictum, tantum et compensatio ejus horrenda et persordida est passio quam receperunt. *In semetipsis*, scilicet in natura sua vindicantes Deum, id est vindictam Dei sustinentes in suo sexu, scilicet deformitatem operantes (69). Et nota quod dicit eos oportuisse istam mercedem recipere. Hic utique vides causam propter quam traditi sunt sine ulla ambiguitate monstratam. Dixit enim quid mali ante fecissent, et postea adjunxit : *Propterea tradidit*, etc. (70) Proinde præcedentis hæc est pœna peccati, et tamen ipsa peccatum est. Judicio enim justissimo Dei traditi sunt, sive deserendo, sive alio modo explicabili, vel inexplicabili. In passiones ignominiæ, ut crimina criminibus vindicarentur, et supplicia D peccantium non tamen sint tormenta, sed etiam vitiorum incrementa. Sed istas pauci vident pœnas. Propterea eas maxime commemorat Apostolus, enumerat multa quæ peccata sunt, et pœnæ peccati. Inter primum enim peccatum apostasiæ, et ultimam pœnam ignis æterni, media quæ sunt, et peccata sunt, et pœnæ sunt.

Vers. 28-31. — « Et sicut non probaverunt « Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in re« probum sensum, ut faciant ea quæ non conve-

(66) August., De unico baptismo.
(67) Aug., contra Julianum hæreticum.
(68) Id., in eodem.

(69) Aug., contra Julianum hæreticum.
(70) Aug., contra adversarium legis et prophetarum.

« niunt; repletos omni iniquitate, malitia, fornica- A
« tione, avaritia, nequitia, plenos invidia, homicidio,
« contentione, dolo, malignitate, susurrones, de-
« tractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos,
« elatos, inventores malorum, parentibus non obe-
« dientes, insipientes, incompositos, sine affectione
« absque fœdere, sine misericordia. »

Et sicut, vel quia *non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum.* [Ambros.] Ecce item quia nondum resipiscunt in alia cadunt pro eadem culpa. Per hoc autem quod dicit, sicut, pœnam peccato assimilat, ut sicut peccaverunt in sensu Dei, arbitrantes Deum nescire mala sua, sic puniti sunt in proprio sensu. Et hoc est et sicut probaverunt, id est putaverunt, Deum non habere in notitia peccata hominum, ita tradidit B illos in reprobum sensum, etc., vel ita, ut legitur ibi, quia non, sicut, hoc modo. Et quia non probaverunt Deum habere in notitia sua, id est quia non noverunt Deum, quod ratio probabat eis. Vel, quia probaverunt, id est putaverunt, Deum non habere in notitia mala, id est Deum nescire vel negligere mala hominum, ideo tradidit illos Deus in reprobum sensum. [Orig.] scilicet ut nihil intelligant, nisi quod a probitate remotum est, quos sua cæcitas a veritatis lumine funditus excludit. Tradidit, dico, *ut faciant* opere *ea, quæ non conveniunt* rationi. Illos dico *repletos omni iniquitate*, quasi non parum habentes. Deinde enumerat iniquitatis partes, ut apertius accuset. **10** Illos dico *repletos malitia.* Malitia est quando damnum molitur quis alicui. C *Fornicatione.* Fornicatio est omnis usus carnalis commistionis præter legitimum concubitum. *Avaritia.* Avaritia est multum acquirere nec superflua pauperibus erogare. *Nequitia.* Nequitia est temeritas, quando quis audet quod nequit; vel, nequitia est intemperantia sui. Illos dico *plenos invidia*, id est dolore alieni boni. [Haimo.] Invidus enim dicitur qui alterius felicitate torquetur, et sic scinditur in duplicem passionem, cum aut quod ipse est alium esse non vult, aut alium videns meliorem, dolet se non esse consimilem.

Homicidiis, pluraliter dicit, quia sunt homicidia actus et voluntatis. *Contentione.* Contentio est impugnatio veritatis per confidentiam clamoris. *Dolo.* Dolus est quando aliud simulatur, et aliud agitur. D *Malignitate.* Malignitas est mala voluntas cum ultra non potest, vel de beneficiis gratiam non referre. *Susurrones*, inter amicos discordias seminantes. *Detractores*, qui aliorum bona negant vel invertunt, et ne levia putentur susurratio et detractio, quia in verbis sunt, addit de eis: *Deo odibiles, et contumeliosos*, qui dictis vel factis contumelias et turpia inferunt. *Superbos* in honoribus. *Elatos.* Elati sunt illi qui nolunt pati priorem vel parem. *Inventores malorum*, qui novum genus mali cujuscunque inveniunt verbo vel opere. *Parentibus*, carnalibus vel spiritualibus, *non obedientes*, scilicet feris indomitiores. *Insipientes*, id est non discernentes inter bonum et malum. *Incompositos*, habitu vel incessu. Incompositio corporis indicat qualitatem mentis. *Sine affectione*, id est sine dilectione proximi. *Absque fœdere*, id est sine societate, sine misericordia, quia non compatiuntur miseris.

VERS. 32. — « Qui cum justitiam Dei cognovis-
« sent, non intellexerunt quoniam qui talia agunt
« digni sunt morte, non solum qui ea faciunt, sed
« etiam qui consentiunt facientibus. »

Qui cum justitiam, etc. Item hic ostendit eos ulterius cadere, dicens, qui tales cum *cognovissent* prius ratione. Justitia Dei, id est justum Deum. *Non* tamen *intellexerunt*, hoc scilicet *quoniam qui talia agunt, digni sunt morte* æterna. Ne putarentur his pœnis prædictis tantum affligi, quibus delectantur, addit hic ultimam mortem æternam. Et *non solum qui faciunt* ea, digni sunt morte, *sed etiam qui consentiunt facientibus*, ut nullus excusetur. [Ambros.] Consentire est tacere cum possis arguere, vel errorem adulando fovere.

CAPUT II.

VERS. 1, 2. — « Propter quod inexcusabilis es, o
« homo omnis qui judicas. In quo enim judicas al-
« terum, te ipsum condemnas. Eadem enim agis
« quæ judicas. Scimus enim quoniam judicium Dei
« est secundum veritatem in eos qui talia agunt. »

Supra contra gentiles locutus est, superbiam eorum, et turpitudines, in quas propter eam traditi sunt detestans: [Haimo] Hic autem communiter de gentibus et Judæis agit, qui se invicem judicabant, nec tamen a malis cessabant. Quasi dicat: *Propter quod*, scilicet quia omnis faciens et consentiens est dignus morte, *inexcusabilis es, o homo*, scilicet carnis. *Omnis*, scilicet tam Judæus quam gentilis, *qui judicas alterum*, id est damnas, in quo ostendis te esse quod non es, id est justum. Judæus judicat gentilem, secundum priorem statum: et gentilis Judæum, et uterque homo, non spiritus, id est carnalis, non spiritualis, et uterque inexcusabilis. Si enim gentilem judicat Judæus de idololatria, et ipse idololatra; si gentilis Judæum de legis prævaricatione, et ipse prævaricator est legis naturalis; ideoque uterque inexcusabilis est. Vel specialiter propter Judæos hæc dicit, etsi nondum eos nominatim exprimit, qui in lege gloriantur, et agunt ea quæ damnant in aliis, sicut in sequenti ostenditur. Et quia nondum nominatim eos exprimit, ideo in sequenti nominat. Et quia non solum qui in lege peccaverunt peribunt, sed etiam qui sine lege peccaverunt; ideo et de gentibus ibidem addidit dicens: *Iram in omnem animam hominis operantis malum, Judæi et Græci, et gloria omni operanti bonum Judæo et Græco.* [Haimo] Quasi dicat: Propter quod, scilicet quia gentiles prædicta facientes sunt inexcusabiles, multo magis, o homo omnis qui judicas, id est o Judæe, qui per legem instructus alios damnas, inexcusabilis es, quia te ipsum non servas ab his in quibus alios reprehendis. Quod autem inexcusabiles sint probat, sive specialiter de Judæis sive communiter de Judæis et gentibus; quasi di-

est : Vere inexcusabilis es tu qui judicas. *In quo enim alterum judicas, te ipsum condemnas*, id est tu ipse es testis damnationis tuæ, dum alium judicas. Quare hoc ? Enim, id est quia eadem agis quæ judicas, id est in aliis reprehendis. Scimus enim, vel autem, quoniam judicium Dei est, secundum veritatem in eos qui talia agunt. Inanem excusationem Judæorum et gentilium sua auctoritate destruit hic Apostolus. Posset enim in excusationem sui peccati dicere Judæus : et si eadem ago quæ judico, me tamen Judæum defendit genus et lex; et contra gentilis : me defendit ignorantia. Contra quod Apostolus ait : *Scimus*, etc., ostendens Judæos non posse excusari per legem vel genus, nec illos per ignorantiam. [August.] Ignorantia enim in eis qui intelligere noluerunt, peccatum est ; et in eis qui non potuerunt, pœna peccati. Scimus, etc. [Haimo] Quasi dicat : Vos ita opinamini, sed nos scimus quia judicium, etc., vel si est ibi *enim*, ita lege : Vere inexcusabilis es, quia scimus, *quia judicium Dei est secundum veritatem*, id est æquitatem rei, non secundum acceptionem personarum, *in eos*, id est contra eos, *qui talia agunt*, sive Judæi, sive gentiles sint, id est in eos qui illa faciunt quæ in aliis reprehendunt. Homines in judicio attendunt personas potentium divitum propinquorum, sed Dei judicium in hoc verum est, quia qui verax est non attendit personam, sed vitæ meritum. [Joan. Dam.] Humanum quippe judicium multis modis corrumpitur, amore, odio, timore. Sæpe judicium integritate violatur, et contra justitiæ regulam interdum misericordia inclinatur. [Ambros., Orig.] Judicium vero Dei est secundum veritatem, quia unicuique reddet secundum mensuram boni vel mali. Veritas quippe judicii hoc postulat, ut malus mala, bonus recipiat bona. Sed illud in hoc loco videtur ostendi, quod solius Dei sit secundum veritatem judicium, quia corda hominum nosse solius Dei est, et mentis secreta dignoscere. Sunt enim quædam quæ committuntur opere quidem malo, animo autem non malo, ut si quis verbi causa hominem non voluntate occiderit. Alia vero sunt opere quidem bono, sed animo non bono, ut si quis misericordiæ opus non pro mandato Dei, sed ut laudetur ab hominibus faciat.

VERS. 3-6. — « Existimas autem hoc, o homo qui « judicas eos qui talia agunt, et facis ea, quia tu « effugies judicium Dei ? An divitias bonitatis ejus, « et patientiæ, et longanimitatis contemnis ? Ignoras « quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te addu« cit ? Secundum autem duritiam tuam et impœni« tens cor, thezaurizas tibi iram in die iræ et reve« lationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique se« cundum opera ejus. »

Quasi dicat : Nos apostoli ita scimus, sed tu, *o homo*, scilicet carnalis, non spiritualis, omnis *qui judicas eos qui talia agunt*, qualia supra memoravimus. *Et* tamen *facis ea existimas*, id est opinaris, hoc, scilicet *quia tu effugies* quocunque modo *judicium Dei ?* et an hoc facis ? Quasi dicat : Mirum est. Et est hic increpatio cum ironia. Irascitur enim eis Apostolus, quia impunitatem sibi promittunt, alios judicantes. [Ambros.] Et cum hoc capitulum generaliter agat contra Judæos, et gentiles, potest etiam specialiter accipi contra quemlibet superstitiosum prælatum Ecclesiæ, qui per hypocrisim examen fallit intuentium ; ut cum puniendus sit, honore dignus appareat. Similiter et de Judæo, qui simulat quod non est. Et ideo congrue ait, judicas quasi aliorum doctor ; non te accusas, sed alios, impunitatem sperans, quia hæc potestas data est tibi, et non est in mundo, qui te judicet. Sed etsi desit ad præsens qui te judicet, effugere tamen judicium Dei quod in mundo evasisti, in futuro non poteris. Et quasi ille diceret : Cur ergo non punit ? Ait Apostolus : Quia bonus Deus exspectat te. Quod tu ignoras, et ideo contemnis. Et hoc est :

Tu *contemnis divitias bonitatis ejus*, [Orig., Haimo] id est copiosam bonitatem ejus. Copiosa est bonitas Dei quæ multis peccantibus multa bona ministrat, blandiens ut ad pœnitentiam attrahat. *Et* contemnis divitias *patientiæ*, id est copiosam patientiam Dei, quæ tot et tanta peccantes sustinet, nec cito eos punit. Subdit, *et* contemnis divitias, *longanimitatis* ejus, [August., Orig.] id est copiosam longanimitatem Dei, quæ non ad horam est, sed longa, et per multa exspectans tempora. Hanc exhibet Deus, quia modo tempus est misericordiæ. Et, an hoc facis ? Quasi dicat : Mirum ! Videtur autem longanimitas, quæ alibi sustentatio dicitur, a patientia differre, quia qui infirmitate magis quam proposito delinquunt, sustentari per longanimitatem dicuntur : qui vero pertinaci mente exsultant in delictis suis, ferri patienter dicendi sunt. [Haimo] Patientia ergo est qua per superbiam, et pertinaci mente peccantes non statim punit. Longanimitas est qua per infirmitatem, et non deliberati animi malitiam peccantes diu portat, exspectans ad pœnitentiam. [August.] Hæc autem contemnit qui non sic utitur ad pœnitentiam, ut Deus intendit, sed ad impunitatem vertit. Quem ut sollicitum faciat atque apertius redarguat, addit : *Ignoras* quare contemnis bonitatem Dei, et etiam : Ignoras *quoniam benignitas Dei adducit te*, quantum in se est, *ad pœnitentiam ?* Ecce Deum misericordem nescis. Et an hoc facis ? Quasi dicat : Mirum est ! Severe in his omnibus loquitur, quia mala mens non revocatur ad vitam nisi timore. [Ambros.] Et attende in his tribus versibus tres peccatorum gradus adnotatos. Peccas enim, o homo, dum tu impunitatem promittis : quod ibi notatur, existimas autem, etc. Item, gravius peccas, quia contemnis bonitatem Dei. Unde ibi, an divitias bonitatis, etc. Et gravissime peccas, quia ignoras te contemnere. Unde ibi, ignoras, etc. An hoc facis ? Increpatio est ; quasi dicat : Mirum est ! *Secundum autem duritiam tuam et impœnitens cor* **1 1** *thesaurizas tibi iram ;* quasi dicat : Benignitas Dei te adducit ad pœnitentiam, sed non adduceris. Imo

Thesaurizas tibi iram, id est accumulas tibi vindictam : et hoc, *secundum duritiam tuam, et cor impœnitens*, id est quia durus es, et in malo tuo pertinax, de quo nec corde pœnites. Sunt, enim quidam quibus mala quæ agunt displicent, et ducti pœnitentia cordis, quatenus eis datur, ex eis exire laborant, de quibus non loquitur hic. Sunt alii quibus placent mala, et de misericordia Dei nimis præsumentes, et patientia abutentes, in eis pertinaciter perdurant. [August.] In quo illius ostendunt patientiam, et suam accumulant sarcinam deterius peccando. Sunt alii quibus displicent quidem mala, sed quoniam ea gravia esse intelligunt, putant sibi jam non posse ignosci, sicut Cain qui dixit : *Major est iniquitas mea quam ut veniam merear* (*Gen.* IV). (71) Et hac desperatione subrepit eis, ut quidquid libuerit tanquam damnationi destinati sine pœnitentia faciant. Illi ergo nimia spe Deum non justum autumant, isti vero desperatione Deum non bonum existimant. Ex utroque igitur periclitabuntur, et sperando et desperando. (72) Contrariis rebus, et contrariis affectionibus laborantes peribunt. Ista enim duo occidunt animas scilicet desperatio, et perversa spes. His duobus fit blasphemia in Spiritum sanctum. Unde dicitur in Evangelio : *Quid peccaverit*, id est blasphemiæ verbum dixerit, *in Spiritum sanctum non remittetur ei hic neque in futuro (Matth.* XII). De quo et Joannes in Epistola canonica ait : *Est peccatum ad mortem, non pro eo dico ut oret quis* (73). Peccatum ad mortem, vel in Spiritum sanctum committitur duobus modis, scilicet per obstinationem, vel deperationem. Obstinatio est indurare in malitia mentis pertinacia, per quam fit homo impœnitens ; et hæc impœnitentia est blasphemia in Spiritum sanctum. Desperatio est qua quis penitus diffidit de Dei bonitate. Et utrumque dicitur peccatum in Spiritum sanctum, quia Spiritus sanctus amor est Patris et Filii, atque benignitas quæ tanta est cujus finis non est. (74) Vere igitur in Spiritum sanctum delinquunt qui suam malitiam Dei bonitatem excedere putant, tollentes in hoc turbulentissimo iniquitatum mari, portum divinæ indulgentiæ, quo se recipiant fluctuantes. Atque ipsa desperatione addunt peccata peccatis, dicentes : Misericordia nulla est, et super peccatores necessaria damnatio debetur, qui etiam pertinaciter malo inhærent in Spiritum sanctum, id est contra Dei bonitatem peccant, quæ eos patientissime sustinens, plurimis donat bonis atque ad correctionem et pœnitentiam undique vocat. Vocat enim beneficiis creaturæ, vocat impartiendo tempus vivendi, vocat per flagellum correctionis, vocat per misericordiam consolationis ; sed observa ne longitudine misericordiæ Dei, male utendo thesaurizes tibi iram. Non tibi videatur sic Deus misericors, ut non videatur justus ; non ita justus, ut

(71) Augustinus super Joan.
(72) Id., De verb. Dom.
(73) Id., De peccato in Spiritum sanctum.
(74) Id., De verb. Domini.

A misereri non velit. Ad hoc non parcitur homini, ut convertatur, et non sit, qui damnetur.

(75) Solet hic quæri quare peccatum in Spiritum sanctum irremissibile dicatur. De quo diversi varie sentiunt. Alii enim ideo dicunt irremissibile, qui aliter peccantes pœnitere non possunt, habentes corda indurata, velut lapides, sicut de diabolo dicitur : *Induratum est cor ejus tanquam lapis* (*Job.* XLI). Alii vero dicunt, ideo dici irremissibile, quia taliter peccantes nunquam pœnitent, cum tamen possint, et ideo nunquam eis remittitur. (76) Utrinque vero in assertionem suæ opinionis auctoritates in medium conferunt. Augustinus namque ait : Ista impœnitentia, vel cor impœnitens quandiu quisque in hac carne vivit, non potest judicari. De nullo enim desperandum est, B quandiu patientia Dei ad pœnitentiam adducit. Paganus est hodie. Judæus infidelis est hodie, quid si cras amplectatur Catholicam pacem, et sequatur Catholicam veritatem ? Quid si isti quos in quocunque genere erroris notas, et tanquam desperatissimos damnas antequam finiant istam vitam agant pœnitentiam, et inveniant veram vitam in futuro ? Nolite ergo antequam tempus veniat quemquam judicare. (77) Item, præbendo patientiam Dominus dat locum pœnitentiæ, nolens aliquem perire, id est digna morte facere, vel adhuc damnare. Super Matthæum autem contra dicitur : Tanta est labes illius peccati, ut deprecandi humilitatem subire non possit, etiamsi peccatum suum mala conscientia cognoscere et enuntiare cogatur. Super Marcum quoque dicitur quod taliter peccans digne pœnitere C non potest. Advertentes igitur utramque auctoritatem attestationem sine præjudicio alicujus illarum partium dicimus, ideo irremissibile nobis videri dici, non quæ nunquam pœniteant, vel pœnitere non possint, sed quia vix raroque atque difficulter pœniteant. Unde Augustinus ait super illum locum Psalmi : *Convertam in profundum maris*, id est eos qui erant desperatissimi. Unde Joannes caute non ait, dico ut non quis oret, sed non *dico ut non quis oret* (*I Joan.* V). Et quod dicuntur tales non posse pœnitere, vel humilitatem deprecandi subire, intelligendum est, non posse nisi vix, et difficulter et raro. Unde Augustinus ait : Quasi invitus in reos vindicat Dominus, qui invitam non mortem a principio constituit homines. Ipse enim infert sibi interitum, qui medentis contempsit D consilium Domini. Ergo dum tempus est, pravitatem suam unusquisque deserat, Dei patientiam pertimescat, ne, quem nunc tranquillum despicit, iratum postmodum evadere nequaquam possit. Tales Apostolus deterrens ait : Thesaurizas tibi iram, id est accumulas tibi vindictam. [Hier.] Perspicuum enim est iram in Deum non cadere, sed clementissimum vitiis nostris ad vindictam provocari. Iram dico exercendam, *in die iræ, et revelatione justi judicii Dei*. [Am-

(75) Ibid.
(76) Ibid.
(77) Id., contra Julianum hæreticum.

brosius] Tempus judicii appellat diem iræ et revelationis. A Diem vocat, non pro tempore, sed quia omnia tunc erunt aperta quæ modo sunt occulta ; iræ, quantum ad peccatores qui tunc punientur ; revelationis, quia tunc revelabitur quod a nobis modo nescitur, ut confiteantur etiam inviti justum judicium Dei, quod modo futurum negatur. Bene dixit, justi judicii, quia ipse est qui reddet unicuique juxta opera sua. (78) *Reddet* enim Deus tunc *unicuique secundum opera sua*, quo modo illis quos liberat non reddit secundum opera sua. Cujus etiam erga iniquos modo est larga bonitas. [Gaudentius, August.] In futuro autem reddet mala pro malis, quoniam justus est ; et bona pro malis, quoniam bonus est : et bona pro bonis, quoniam bonus et justus est ; tantum mala pro bonis non reddet, quoniam injustus non est. B Reddet ergo mala pro malis, scilicet pœnam pro injustitia, ut in reprobis : et bona pro malis, scilicet gratiam pro injustitia, ut in parvulis ; et bona pro bonis, scilicet gratiam pro gratia, ut in adultis, qui bona operando vitam meruerunt. Sed forte aliquis quæret : Quomodo secundum opera reddet, et juste retribuet, cum pro temporali opere peccati perpetuo puniatur ? Ad quod respondetur sic : [Gregorius.] Ad districti judicis justitiam pertinet ut nunquam careant supplicio, quorum mens in hac vita nunquam voluit carere peccato ; et nullus detur iniquo terminus ultionis, qui, quandiu valuit, habere noluit terminum criminis. Postremo quæritur utrum mala voluntas atque conscientia reproborum in gehenna punitorum sit peccatum, vel tantum pœna : et si peccatum est, utrum per illud C mereantur pœnam. Ad quod dicimus, post hanc vitam non esse tempus merendi, sed recipiendi. Nullus enim meretur, nisi dum in corpore est, sicut in consequentibus epistolarum locis legitur. Ideo quidam concedunt malam illam voluntatem quæ est in reprobis, post hanc vitam peccatum quidem esse, id est culpam simul et pœnam, sed per eam nihil mereri, sicut bona voluntas in electis quidem bonum est, et gloriosa remuneratio, sed per eam nihil merentur. Alii vero dicunt illam malam voluntatem tantum pœnam esse et non culpam. Si enim, inquiunt, culpa est, et puniri non meretur, impunita remanet, et ita nonnullum peccatum impunitum relinquit Deus, cum auctoritas dicat nullum malum impunitum, et nullum bonum irremuneratum. Ad D quod alii respondent illud accipiendum fore de commissis vitæ præsentis, nec tamen illud impunitum concedunt, quia mala illa voluntas, non tantum culpa, verum etiam pœna est. Deinde exsequitur Apostolus quomodo reddat singulis secundum opera, sic dicens :

VERS. 7-9.— « His quidem qui secundum patientiam boni operis gloriam et honorem et incorruptionem quærentibus vitam æternam, his autem qui sunt ex contentione, et qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira et indignatio, tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum, Judæi primum et Græci. »

His quidem, etc., [Ambros.] id est qui bene usi patientia Dei operantur bona, reddet *gloriam*, quia fulgebunt ut sol in regno Patris sui ; *et honorem*, quia ad dexteram Dei sancti erunt. *Et incorruptionem*, quia quod habebunt permanebit sine fine. Hoc ideo adjecit, ut illa gloria et alter honor ille intelligeretur, quam in præsenti habetur. In præsenti enim honor et gloria frequenter amittitur, quia corruptibilis est, et qui dat, et qui accipit. In futuro autem incorruptibilis datur honor et gloria. *His qui sunt secundum patientiam Dei boni operis quærentibus vitam æternam*, id est qui hac intentione bona operati sunt, ut habeant vitam æternam, non ut videantur ab hominibus, sicut hypocritæ faciunt. *His autem qui sunt ex contentione*, id est qui contendunt inter se, ut vos Romani facitis, vel qui contendunt cum Deo nolentes pœnitere, cum ipse multis modis ad pœnitentiam vocet. *Et qui non acquiescunt veritati*, cum eis dicitur : *Credunt autem iniquitati*, id est impunitati diffidentes de Dei judicio futuro. His, inquam, talibus erit post judicium *ira*, id est pœna materialis vel spiritualis : et in ipso die judicii erit ejus *indignatio*, quia sibi ipsis indignabuntur ; et interim ante judicium post carnis absolutionem erit eis *tribulatio et angustia*, in anima sola ; post judicium autem erit ira et indignatio, ut dictum est. Vel ita ut duo sequentia sint expositio duorum præcedentium ; quasi dicat : Illis talibus erit ira Dei, id est videbitur Deus iratus, in quo omnis tranquillitas et nulla est perturbatio. Nam Dei natura ab his passionibus immunis est. Et ne videantur irasci, et non vindicare, subdit : 12 indignatio, quia addens supra iram, injuriam suam Deum vindicaturum significat. Unde prædicta exponens subdit, tribulatio et angustia. Et appellatur tribulatio quod prius ira, et angustia quod prius indignatio. *In omnem animam hominis operantis malum, Judæi primum, et Græci*. Quod supra indiffinite dixerat, dicendo : his qui sunt, etc., hic universaliter dicit, ut includat Judæum, et gentilem. [Haimo, Ambros.] Quasi dicat : Hæc pœna veniet in omnem animam, tam Judæi quam gentilis, operantis malum. In hoc opere non solum facta significat, sed etiam perfidiæ professionem. De incredulo enim agit, et ideo in animam dixit, ut spirituales pœnas intelligas, quia anima increduli pro perfidia arctabitur spirituali pœna. In omnem dico animam, Judæi primum, id est maxime, quia etiam scriptam legem habuit, et Græci id est gentilis. [Ambros.] Judæum semper anteponit, prærogativa Patrum, ut aut coronetur prius, aut damnetur gravius qui credens propter Abraham honorificentior est, diffidens autem pejus tractandus est, quia donum promissum Patribus refutavit.

(78) August. ad Valentinum.

VERS. 10-13. — « Gloria autem et honor et pax « omni operanti bonum, Judæo primum et Græco. Non « enim est acceptio personarum apud Deum. Qui« cunque enim sine lege peccaverunt, sine lege per« ibunt; et quicunque in lege peccaverunt, per legem « judicabuntur. Non enim auditores legis justi sunt « apud Deum; sed factores legis justificabuntur. »

Pax, quod supra, incorruptio, erit *omni operanti bonum*, *Judæo primum*, tempore operanti, vel primum, id est maxime operanti bonum; quia melius instructus, melius operatur; *et Græco*, id est gentili. *Non enim est*, etc.; quasi dicat : Coæquo Judæum et gentilem in pœna et gloria. *Enim*, id est quia, *non est acceptio personarum apud Deum*, id est quia Deus judicat, non secundum personas, sed secundum merita, quia utrosque secundum modum peccati damnat. [Ambros.] Non enim prærogativa generis sequitur ut suscipiat causa patrum diffidentem, aut abjiciat a se propter indignitatem causa Patrum credentem; sed unumquemque proprio merito, aut remunerat, aut condemnat. Et vere. Enim, id est quia, *quicunque peccaverunt sine lege*, scilicet scripta, id est gentiles, *peribunt*, id est damnabuntur, *sine lege*, id est non pro legis prævaricatione. Nisi de lege scripta diceret, quomodo diceret sine lege peccare, cum omnes subditi sint naturali legi : sed de Mosi lege dicit, cui Judæi obnoxii sunt. [Aug.] Aiebat enim Apostolus, hic de illa lege, quam dedit Dominus per Mosen populo Israel. Ideo ergo sine lege dixit eos, id est gentiles peccare, quia non acceperant legem quam se accepisse gloriabantur Judæi : ideoque ait, quicunque sine lege peccaverunt, scilicet scripta quæ per Mosen data est sine lege, peribunt. (79) *Et quicunque in lege*, id est legem scriptam habentes, *peccaverunt*, id est Judæi, *judicabuntur per legem*, id est etiam pro legis prævaricatione, in quo aggravat eos. Qui ergo noverunt divina mandata, aufertur ab eis excusatio quam solent habere homines de ignorantia, sed nec ipsi sine pœna erunt qui legem Dei nesciunt; et licet gravius sit hominem peccare scientem quam nescientem, non tamen ideo fugiendum est ad ignorantiæ tenebras, ut in eis quisque excusationem requirat. Aliud est enim nescisse, aliud scire noluisse. (80) Ignorantia quippe quæ non est eorum qui scire nolunt, sed qui tanquam simpliciter nesciunt, neminem sic excusat ut sempiterno igne non ardeat, sed fortasse ut mitius ardeat, si propterea non credit quia non audivit quod crederet : ideoque inexcusabilis est omnis peccator, vel reatu originis, vel additamento impropriæ voluntatis; sive qui novit, sive qui non novit, sive qui judicat, sive qui non judicat, quia et ipsa ignorantia in eis qui intelligere noluerunt, peccatum est; in eis vero qui non potuerunt, pœna peccati : ergo utrisque jam non est excusatio, sed justa debetur damnatio. Ideo ait de utrisque, qui sine lege peccaverunt sine lege peribunt, et qui in lege peccaverunt per legem judicabuntur. (81) Quod autem ait, judicabuntur, non ita est intelligendum, ut quasi per ignem salvi fiant, ut quidam dicunt, sed prorsus peribunt. Nonnulli enim Catholici tractatores in his verbis Apostoli parumper intendendo aliter quam res se habet sapuerunt, ut dicerent illos perire qui sine lege peccaverunt. Hos autem qui in lege peccaverunt, judicari tantum, et non perire; tanquam per pœnas purgatorias credantur esse purgandi sicut ille de quo dictum est : *Ille autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem* (*I Cor.*, III). [Aug.] Sed hoc merito fundamenti bonum intelligitur, de quo ibi agebat Apostolus. Hic autem de Judæis ait Apostolus, qui sine fundamento Christo sunt. Quis autem Christianus dicat non perire Judæum, si non credat in Christum, sed tantummodo judicari, cum Christus ipse dicat : Quod tolerabilius erit Sodomæ in judicio quam Judæis in Christum non credentibus, qui tanta in eis fecit mirabilia? (*Matth.* X). Et item dicit quod excusationem non habebunt de peccato infidelitatis, quia venit et locutus est eis (*Joan.* XV), de quo habent excusationem illi, quibus nec per se, nec per suos locutus est, qui tamen non effugient damnationem, quia qui sine lege peccaverunt, sine lege peribunt, leviora tamen passuri. Cui enim plus committitur, plus ab eo exigitur; et servus sciens voluntatem domini sui, et non faciens, multis vapulabit (*Luc.* XII). Non enim, etc., et quasi aliquis diceret : Dicis eos qui in lege peccaverunt, per legem judicari, sed nonne lex sola salvat? ait enim, quia non facit justos. Et hoc est : Vere etiam legem habentes judicabuntur. *Non enim auditores legis justi sunt apud Deum*, etsi apud homines, id est non pro auditu legis solo aliqui justi sunt apud Deum; *sed factores legis*, id est illi qui legem opere implent [Ambros.], scilicet qui credunt in Christum, quem lex promisit, quicunque sint quod quidem est per gratiam, *justificabuntur*, id est justi habebuntur, [Aug.] justi deputabuntur apud Deum et homines. (82) Vel ita lege, factores legis justificabuntur, id est justi fient a Deo, ut sint factores. Non enim ita est intelligendum ut dicat eos qui ante erant factores legis, postea justificari; sed potius sic, ut sciamus aliter non esse factores legis, nisi justificentur; ut non justificatio factoribus accedat, sed ut factores justificatio præcedat. Ut si diceretur, homines creabuntur, non possit intelligi eos creari, qui ante erant homines, sed ipsa creatione fieri ut sint homines. Sic ergo intelligendum est hic, factores legis justificabuntur, id est gratia justificat eos, ut adimpleant legem, quia non faciunt ut justificentur, sed justificantur ut faciant. [August.] In aliis tamen quibusdam aliter invenitur, ut cum dicitur : Facientes bonum honorabuntur, et

(79) Augustinus ad Valentinum.
(80) Id., libro De ignor. peccat.
(81) Id., in psal. CXVIII.
(82) August., De sp. et lit.

homines liberabuntur. Intelligitur equidem honor accedere jam bonis, et liberatio illis qui jam erant homines, sed non ita hic accipiendum est, sed potius sicut supra dictum est.

VERS. 14-16. — « Cum enim gentes quæ legem « non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, « ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex : « qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus « suis ; testimonium reddente illis conscientia ip- « sorum et inter se invicem cogitationum accu- « santium, aut etiam defendentium, in die cum « judicabit Deus occulta hominum, secundum Evan- « gelium meum per Jesum Christum. »

Dixerat supra gentilem, si male operaretur, damnari, et salvari, si bene operaretur [Remigius] : sed cum legem non habeat, quasi nesciat quid sit bonum, quidve malum, videretur sibi neutrum debere imputari. [Hilarius, August.] Contra quod Apostolus ait : Etsi non habeat scriptam legem, habet tamen naturalem, qua intelligit, et sibi conscius est quid sit bonum, quidve malum. Lex enim naturalis est, injuriam nemini inferre, nihil alie num præripere, a fraude et perjurio abstinere, alieno conjugio non insidiari, et cætera talia ; et ut breviter dicatur, nolle aliis facere quod tibi non vis fieri (83) : quod evangelicæ concordat doctrinæ. Proinde non videtur hic alios significasse sub nomine gentium quam eos qui ad Evangelium pertinent. Ne moveat quod naturaliter dixit quæ legis sunt facere, non spiritu Dei, non fide, non gratia. Hoc enim agit spiritus gratiæ, ut imaginem Dei in qua naturaliter facti sumus instauret in nobis. Vitium quippe contra naturam est quod utique sanat gratia. Non ergo usque adeo in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea lineamenta remanserint. Non omnino deletum est quod ibi per imaginem Dei, cum crearetur, impressum est. Proinde vitio sanato per gratiam naturaliter fiunt ea quæ legis sunt : non quod per naturæ nomen, ut dictum est, negata sit gratia, sed potius per gratiam reparata natura, qua gratia interiori homine innovato lex justitiæ scribitur quam deleverat culpa. Hoc enim illic scribitur per renovationem quod deletum erat per vetustatem. Et ideo talis, etsi legem Mosi scriptam non habeat, credendum est bene vel male operari, et merito salvari sive damnari : bene operari dico, et salvari quod tamen non est nisi per gratiam et fidem quæ renovat naturalem imaginem Dei in homine sopitam, sine qua renovatione male operatur quis et damnatur, accusante eum conscientia. [Orig., Ambros.] Quasi dicat : Vere factores justificabuntur, quia etiam gentes. Et hoc est : *Cum enim gentes quæ legem*, scriptam Mosi, *non habent, naturaliter faciunt ea quæ legis sunt,* id est naturali ratione illuminata per gratiam discernunt facienda et vitanda, quæ faceret lex ; vel *faciunt ea quæ legis sunt,* id

A est credere in Christum et Deum, quamvis *ejusmodi legem non habentes*, id est in scriptam *ipsi sibi, sunt lex* id est valent sibi legem, *qui ostendunt*, indiciis operum, *opus legis scriptum in cordibus suis*, id est firmiter infixum rationi eorum, dum illa opera laudant, quæ lex jubet, illa damnant, quæ lex prohibet. [Ambros.] Vel, *opus legis* est fides quam ultro habent in cordibus, id est in intimo affectu, ubi fides per dilectionem operatur, quam cum quis exhibet Deo, naturali indicio ostendit semetipsum legem sibi esse, quia quod mandat lex, facit, scilicet ut credat in Christum.

Testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationum accusantium aut B *etiam defendentium;* quasi dicat : Opus legis habent scriptum in cordibus suis, unde ipsi testes erunt sibi in futuro boni et mali : inde scientes merito damnari, vel salvari. Et hoc est, naturaliter faciunt ea quæ legis sunt, **13** conscientia ipsorum, reddente testimonium salutis vel damnationis, etsi aliis non videatur. [Ambrosius] Et non solum conscientia operum, sed etiam conscientia cogitationum, id est malarum et bonarum cogitationum invicem accusantium eos. Et dicitur hoc de non credentibus, aut etiam defendentium, Hoc dicitur de credentibus. Non credentes enim accusabunt cogitationes malæ ; credentes vero, defendent bonæ. Et hoc, inter se, quia illæ illos accusabunt, istæ hos defendent. Vel sunt hic genitivi pro ablativis more Græcorum, qui ablativis carent. Unde in li- C bris quorumdam per ablativos scriptum reperitur, sic : *Et inter se cogitationibus invicem accusantibus, aut etiam defendentibus.* Reddet autem eis testimonium conscientia *in die*, judicii futuri, *cum judicabit Deus occulta hominum,* id est ea quæ modo hic occulta sunt. Judicabit, dico, *per Jesum Christum,* quod totum est certum. *Secundum Evangelium meum.* [Origenes] Sciendum autem quod in illa die cogitationes accusabunt animas vel defendent : non utique illæ cogitationes quæ tunc erunt, sed istæ quæ nunc sunt in nobis, quarum notæ quædam et signacula relinquentur in corde nostro velut in cera : quæ in occulto nunc pectoris posita, in illa die revelari dicuntur. Per Jesum Christum, quia Pater neminem judicat, sed omne judicium D dedit Filio. Et hoc secundum Evangelium meum, Pauli, id est quod Paulus annuntiat.

VERS. 17-27. — « Si autem tu Judæus cognomi- « naris, et requiescis in lege, et gloriaris in Deo, « et nosti voluntatem ejus, et probas utiliora in- « structus per legem confidis te ipsum esse ducem « cæcorum, lumen eorum qui in tenebris sunt, « eruditorem insipientium, magistrum infantium, « habentem formam scientiæ et veritatis in lege. « Qui ergo alium doces, te ipsum non doces ? Qui « prædicas non furandum, furaris ? Qui dicis non

(83) August, De litt. et sp.

« mœchandum, mœcharis? Qui abominaris idola, « sacrilegium facis? Qui in lege gloriaris, per prævaricationem legis Deum inhonoras? Nomen « enim Dei per vos blasphematur inter gentes, sicut « scriptum est; circumcisio quidem prodest si legem observes; si autem prævaricator legis sis, « circumcisio tua præputium facta est. Si igitur « præputium illius in circumcisionem reputabitur, et « judicabit id quod ex natura est præputium, legem consummans, te qui per litteram et circumcisionem prævaricator es legis? »

Si autem tu Judæus cognominaris, etc., vel, *tu autem Judæus cognominaris,* alia littera. Hic Judæos specialiter aggreditur, gravius accusans eos de peccatis, eo quod plura habent auxilia; quasi dicat: gentilis tantum habet naturalem legem. Tu autem, o Judæe, plura habes, qui cognominaris Judæus, a Juda patriarcha, quasi ex cognatione hoc nomen tibi venit. *Et requiescis in lege*, id est non vagaris erroribus, certus quid debeas observare, sicut vagantur illi qui sunt sine lege. *Et gloriaris in Deo*, id est de cognitione Dei. *Et nosti voluntatem ejus*, [Haimo] de redemptione humani generis, quam tibi per prophetas nuntiavit. *Et probas utiliora*, id est de utilibus utiliora scis eligere, quia es *instructus, per legem*, et *confidis te ipsum ducem esse cæcorum*, id est non intelligentium, et confidis te ipsum esse *lumen eorum qui in tenebris sunt*, id est confidis quod etiam illuminare potes eos qui in tenebris sunt. Cæcos et in tenebris existentes dicit gentiles, qui et ratione privati cæci sunt, et si quid sciunt tamen in tenebris sunt. Et confidis te esse *eruditorem insipientium*, id est Judæorum nondum provectorum. Et *magistrum infantium*, id est Judæorum qui de lege adhuc disserere nesciunt. Et confidis te esse *habentem formam*, id est perfectionem, *scientiæ in lege*; et non tantum scientiæ, sed etiam *veritatis*, ut aliis exemplum scientiæ legis sis et veritatis. Non sine causa utrumque posuit, scilicet scientiæ et veritatis. Quidam enim scientiam et intellectum alicujus libri habent, et ita sentiunt sicut auctor ipse sensit. Non tamen habent inde veritatem, quia nesciunt quomodo sit verum, nec etiam esse verum; sed Judæus jactat se habere sensum legis, et scire verum esse ipsum sensum legis, ita ut aliis scire volentibus sit exemplar. Et cum hæc omnia habeas, o Judæe, *qui ergo alium doces, cur te ipsum non doces?* Vel si superius in littera est. Si, leges ita; quasi hæc et illa habes. Et si ita est, qui ergo alium doces, cur, te ipsum non doces? et *qui prædicas non furandum*, sicut lex dicit, cur *furaris?* scilicet sensum de Christo in lege. Et *qui dicis non esse mœchandum, mœcharis?* id est veritatem Christi de lege tollis, et mendacium ponis. Et cur hoc facis? Et *qui abominaris idola, sacrilegium facis?* Christum negando vel cultum Dei dando idolis: quod sæpe fecerunt Judæi. Et cur hoc facis? Et tu *qui in lege gloriaris, per prævaricationem legis*, id est quia sensum legis qui est de

A incarnatione Christi, et divinitate præteris. *Deum inhonoras*, id est causa es quare alii inhonorent. Et vere. *Nomen enim Dei*, hodie *blasphematur per vos inter gentes*, [Augustinus] dum testimonium quod Pater dedit de Filio suo non recipitis in quo Patri detrahitur, quia in Christo Pater blasphematur, sicut ipse ait: *Qui me recipit*, non me solum *recipit*, sed *eum qui me misit* (*Matth.* x). Et ideo inter gentes blasphematur nomen Dei per Judæos, quia credentibus gentibus Judæi suadere nitebantur Christum non esse dicendum Deum. Et nota quia verbis Ezechielis prophetæ utitur Apostolus pro suis, qui Ezechiel ad Judæos sui temporis hoc dicebat: *Nomen Dei blasphematur per vos inter gentes* (*Ezech.* xxxvi), quia olim gentes non animadvertebant B Judæos sibi traditos pro noxiis suis, sed idolis suis dabant gloriam de victoria, quasi Judæorum Deum vicissent in Judæis, et quod aliunde hæc verba sumpserit Apostolus ostendit dicens: *Sicut scriptum est*, in Ezechiele de contemporaneis suis. *Circumcisio quidem prodest tibi, si legem observes*, etc. Ostendit supra legem non juvare eos ad obtinendam justitiam et vitam. Modo ostendit circumcisionem non juvare, quasi dicat: Et cum Judæi sint tales, o Judææ, circumcisio quidem prodest tibi, qui es de genere Abraham: si tamen legem observes, [Haimo, Ambrosius] id est spiritualiter custodias, ut Christo credas, quem lex promisit, ut deponas omnia turpia, ut cor circumcidas. Prodest ergo ad vitam spiritualiter; et hoc et alia sacramenta C legis intelligenti, quia obediendo Deo facit ei signum veritatis ut pie gaudeat, et spirituali suavitate veritatem comtemplans in Christum credat. Prodest etiam rudi populo litteram legis sectanti, dum sub timore Dei custoditur.

Quæritur autem quomodo hic dicat circumcisionem prodesse cum in sequenti dicat: *Si circumcidimini, Christus vobis nihil proderit* (*Gal.* v). Ad quod respondemus hoc dici secundum status diversorum temporum. Nam secundum statum veteris legis olim profuit circumcisio, sed non profuit ad salutem sine spiritualis legis observantia. Unde hic ait: Tempore autem gratiæ postquam exhibita est veritas non modo non prodest, sed etiam obest. Unde in sequentibus dicit: *Si circumcidimini*, etc. *Si autem prævaricator legis* es; quasi dicat: Tunc D prodest circumcisio si legem observes; si autem prævaricator legis *sis*, id est si non imples quod circumcisio exigit, scilicet ut credas in Christum, *circumcisio tua*, carnalis, *facta est præputium*, id est non plus valet quam præputium. Deinde a contrariis inferens, subdit: *Si igitur*, etc.; quasi dicat: Et quia circumcisio tua, o Judææ, fit præputium si legem præteris, *igitur si præputium*, id est gentilis quilibet custodiat justitias legis. [Ambrosius] id est mandata per quæ justificatur homo, vel fidem Christi quem lex ad justificationem venturum cecinit, quam ipsa dare non potuit. Nonne præputium *illius reputabitur in circumcisionem?* ut sit fi-

lius Abrahæ qui est Pater fidei ; quasi dicat : Nemo potest hoc negare. Et præputium, id est gentilis, *consummans*, id est perficiens, *legem* ; *quod est* ei *ex natura* illuminata et adjuta per gratiam, dico perficiens legem, scilicet credendo in Christum in lege promissum. Nonne *judicabit* te, o Judæe, qui quamvis doctus sis *per litteram*, id est per scriptam legem, *et circumcisionem*, quæ est signum depositionis vitiorum, tamen *prævaricator legis es*? [Haimo] id est nonne comparatione sui te damnabilem ostendit, qui non per naturam, neque per legem, neque per circumcisionem novisti, quod ille novit per naturam, id est Christum. Quasi dicat : Damnabit utique. Et ita patet quod lex non juvat. [Origenes] Videtur ergo in præsenti loco præputium dicere gentes, quæ in præputio carnis ad fidem Christi venerunt, quas legem spiritualem servantes comparat et præfert Judæis, qui per litteram et circumcisionem carnis prævaricatores sunt legis, quos et judicandos ab aliis dicit.

VERS. 28, 29. — « Non enim qui in manifesto « Judæus est, neque quæ in manifesto in carne est « circumcisio ; sed qui in abscondito Judæus est. « Et circumcisio cordis in spiritu non littera, cu- « jus laus non ex hominibus, sed ex Deo est. »

Quasi dicat : Bene potest Judæus fieri gentilis, et gentilis Judæus, sicut dictum est. *Non enim* vere *Judæus est, qui in manifesto* tantum Judæus est, scilicet et nomine et natione, et qui labiis confitetur, corde est remotus. Judæus enim interpretatur *confitens*, qui enim vere credit et vere confitetur, vere Judæus est. *Neque* illa est vera *circumcisio quæ in manifesto est*, scilicet quæ manu facta est. *In carne*, id est in ablatione cutis ; *sed* ille est vere Judæus, *qui est Judæus in abscondito* cordis, id est qui est ex corde confitens. Et illa est vera circumcisio, quæ est *circumcisio*, id est mundatio *cordis*, ipsa, dico, facta *in spiritu*, id est per Spiritum sanctum, scilicet *non littera*, id est non lapideis cultris, ut littera legis in figura docebat. **14** *Cujus* circumcisionis *laus*, id est quæ circumcisio vere laudabilis, *non ex hominibus, sed ex Deo est*, id est ex gratia Dei. [Origenes, Augustinus] Circumcisio enim cordis est quæ purificat animam, et vitiorum maculas abscindit, ideoque talis circumcisio non ex hominibus est, sed ex Deo est, (84) qua illicita concupiscentia amputatur : quod non fit littera docente et minante, sed Spiritu juvante et subsequente. [Augustinus] Vel ita, cujus hominis laus, illius scilicet qui in occulto est Judæus et circumcisus, non ex hominibus, Judæis qui terrena sapiunt, et in carne gloriantur, sed ex Deo est. (85) Laudat enim Deus credentem, non carne circumcisum. Judæorum laus est ex hominibus, qui si faciunt quod lex jubet sine spiritu, faciunt timore pœnæ, non amore justitiæ, [Haimo] qui sunt in carne Judæi, in corde pagani, [Augustinus, Am-

A brosius] Et ita non est coram Deo, quod apparet coram homine. Qui vero in spiritu gloriatur, hujus laus a Deo est. Spiritu enim credit, per quod placet Deo. Et ille vere beatus est, qui coram Deo justus est.

CAPUT III.

VERS. 1-3. — « Quid ergo amplius est Judæo, aut « quæ utilitas circumcisionis ? Multum per omnem « modum. Primum quidem, quia credita sunt illis « eloquia Dei. Quid enim si quidam illorum non « crediderunt ? Nunquid incredulitas illorum fidem « Dei evacuavit ? Absit ! »

Hucusque demonstravit Apostolus quod non est apud Deum acceptio personarum, et eousque pervenit
B ut diceret quod Judæus carnalis fit gentilis, et gentilis spiritualis fit vere Judæus. Ideoque nunc objicit quod videt sibi nunc posse objici, ut solvat scilicet quæ dignitas sit Judæo, secundum priorem statum, major quam gentili. Quasi dicat : Quandoquidem Judæus fit gentilis et econverso, ergo *quid amplius est*, secundum priorem statum, *Judæo*, de lege, vel de legalibus observantiis, qui dicitur populus peculiaris Dei, quam gentili qui dicitur canis immundus. *Aut quæ* est ei *utilitas circumcisionis*, id est quid consecutus est de circumcisione ? Ad hoc respondet : Valuit quidem olim, sed non ideo digniores sunt in fide. Et hoc est quod ait, *multum*, amplius est Judæo secundum priorem statum, quam gentili. Et hoc, *per omnem modum*. Omnis modus est vel in administratione temporalium, vel in rese-
C ratione spiritualium, in quo utroque multa Judæis Deus fecit, quæ non gentibus, et ita secundum priorem statum digniores fuerunt. *Primum quidem*, prætermittens Apostolus de minoribus, id est de temporalibus, exemplum de præcipuis ponit, id est de spiritualibus, scilicet de eloquiis Dei. Quasi dicat : Ut alia minora de temporalibus prætermittam, hoc primum, id est præcipuum quidem pono, scilicet de eloquiis, quod factum est Judæis, scilicet *quia eloquia Dei*, id est lex et prophetæ *sunt credita illis*, ut amicis, per quæ intelligerent de futura redemptione, quæ promissa erat fieri per Christum. Quanquam ergo multa significet Apostolus quæ ad honorificentiam pertineant seminis Abrahæ, [Ambrosius] hoc tamen solum aperte memorat, quia maxime
D laudis eorum est, ut legem per quam addiscerent rectum a perverso distinguere, digni judicarentur accipere : et ideo plus est Judæis secundum priorem statum quam gentibus. Sed dices : Non ideo plus factum est eis, quia non crediderunt eloquiis, ut Christum promissum redemptorem reciperent quidam eorum. Ad quod respondet dicens : *Quid enim*, etc., quasi dicat : Etsi non crediderunt quidam, non tamen ideo minus profuit credentibus. Quid enim obfuit credentibus, *si quidam illorum non crediderunt ?* Non ideo minus factum est credentibus. Nam etsi quidam eorum non crediderunt, non ideo

(84) Augustinus, De spiritu et lit.

(85) Id., in Epist. ad Romanum.

fides evacuata est. Et hoc est : *Nunquid incredulitas eorum evacuavit*, id est inexpletam fecit *fidem Dei? Absit*, quod evacuata sit ! [Origenes] Fidem Dei dicit, vel quod quidam Judæorum crediderunt Deo ; vel exhibitionem ejus boni, quod Deus homini promiserat. Quorumdam autem infidelitas non effecit ut quidam ad fidem Christi non accederent, vel ut Deus promissionem suam credentibus non impleret, id est non effecit quin aliqui Judæorum sint fideles Deo, credendo in Christum ; vel ut Deus non sit fidelis in promissis illis qui credunt. Non enim quia aliqui credere noluerunt idcirco præjudicabitur cæteris Judæis, ne digni dicantur accipere quod promisit Deus fidelibus : quippe cum sic facta fuerit promissio, ut credentibus proficeret. [Ambrosius] Ut autem firmaret Apostolus quod supra dixit, scilicet quia Deus in promissione sua fidelis est, subdit :

VERS. 4. — « Est autem Deus verax ; omnis « autem homo mendax, sicut scriptum est : Ut justi- « ficeris in sermonibus tuis, et vincas cum judi- « caris. »

Est autem Deus verax, etc., quasi dicat : Incredulitas illorum non evacuavit fidem Dei, sed potius Deus verax est, id est implens promissa. *Omnis autem homo mendax* ex se, etiam Judæus, et ita indignus est promissione. Hoc ideo dicit ne dignior Judæus videatur in novo statu, quam gentilis. [Ambrosius] Hac Prophetæ auctoritate, monstrat et Deum esse veracem, quod pertinet ad superiorum confirmationem ; et hominem esse mendacem, quod pertinet ad hominis indignitatem. Hoc autem scilicet omnis homo mendax, ideo addit Apostolus, ut appareat promissionem Dei factam esse et completam, non propter aliquam hominis dignitatem, sed propter misericordiam Dei, ut gratia Dei detur indignis, et commendabilior sit gratia Dei. [Haimo] Deus autem dicitur verax, id est invariabilis tam in essentia quam in promissione. Homo mendax dicitur, id est nec habens verum esse, nec in qua conditus est, et per peccata diffluens. Hominis est enim fallere et falli : quem tempora et naturæ imbecillitas faciunt esse mutabilem. Natura enim quæ fallitur non absurde dicitur mendax. Deus autem apud quem nil futurum est immutabilis perseverat. Vel, omnis homo est mendax, scilicet qui non credit quod promisit Deus, qui negat Deum implesse promissa. Hoc facit maxime Judæus, qui diffidens de promissis Dei, mendax est, et Deum mendacem pronuntiat, quoniam promissis ejus non credit, quem vincit Deus dum dat promissa. [Ambrosius.] Et est sensus utriusque sententiæ talis : Omnis homo, contradicens promissionibus Dei, mendax est. [Haimo] Vel, omnis homo in quantum a se ipso est mendax est, id est labilis in essentia, et per peccata diffluens. Quod autem verax Deus sit prophetico exemplo confirmat subdens, *sicut scriptum est*, quasi dicat : Deus est verax, sicut scriptum in David (*Psal.* L). *Ut justificeris in sermonibus tuis et vincas cum judicaris.* [Haimo] Quasi dicat David : Ego peccavi et malum feci in adulterio et homicidio, ut tu, o Deus, mittendo Filium de stirpe mea sicut promisisti, in sermonibus justificeris, qui sunt de promissionibus Filii, id est justus esse, et ex sola justitia non ex meis meritis complesse comproberis, et vincas, implendo promissa, cum judicaris a populis non debere implere promissa propter mea peccata, id est non mittere Filium de stirpe mea. David enim postquam factus est adulter, et homicida uxorem Uriæ accipiendo, et illum gladio filiorum Amon occidendo, dicebant multi : Vacua efficietur promissio Dei, quæ facta est David, scilicet quod ex semine ejus Christus nasciturus sit, quia non nascetur Christus de homicida et adultero. Sed falsum erit quod sibi pollicitum asserebat. [Ambrosius] Deus autem verax est, quia misit Christum de semine David, sicut promisit ; et sic vincit cum judicatur, quia dat quod daturus negatur. Cumque dat quod judicatur non daturus, vincit, ostendens se veracem, illum autem mendacem qui non credit verbis ejus. Et est hic, ut consecutivum, non affectivum vel causativum. Vel ita ut sit, ut causativum et respicit ad illud quod David prædixerat. A peccato meo munda me, quasi dicat : Ideo munda me ut justificeris, id est ut justus et verax comproberis, in sermonibus tuis, [Haimo] qui sunt de venia ingemiscentis. Dixisti enim : *Quacunque hora peccator ingemuerit, omnium iniquitatum ejus non recordabor amplius* (*Ezech.* XVIII). Et vincas, indulgentiam peccati mihi dando ; cum judicaris, ab hominibus mihi veniam non dare. Dicebant enim quidam David adeo graviter deliquisse, quod veniam peccatorum non posset habere. [Origenes.] Quos Deus mendaces ostendit, et se veracem exhibuit, quando ei indulsit. [Ambrosius.] Vel ita, et respicit ad illud quod dixerat, tibi soli peccavi ; quasi dicat : Tibi tantum dico me peccasse qui vides quod homines non vident, qui et adeo justus es, ut dum ego et omnes peccamus, tu solus justificeris, id est justus appareas in omnibus sermonibus tuis, id est in omnibus promissis tuis.

Et vincas, id est superes omnes in justitia, cum judicaris, id est cum aliis in judicio compararis. Tantæ enim misericordiæ est Deus, ut velit comparari hominem secum. Unde per Isaiam ait : *Judicate inter me et vineam meam* (*Isa.* V). [Origenes.] Superat enim Deus in judicio homini comparatus. Invenitur enim dedisse homini omnes affectus, omnesque motus, quibus ad virtutes niti posset et progredi. Insuper etiam vim rationis inseruit, qua agnosceret quid deberet agere vel cavere. His autem acceptis homo neglexit iter virtutis incedere, cui ex Deo nil defuit, ipse vero invenitur defuisse his quæ a Deo data sunt sibi. Merito ergo dicitur talem in judicio Deus vincere, et justificari in verbis suis. Vel ita, tibi soli peccavi, qui a Deo justus es, ut justificeris, id est verax comproberis in omnibus sermonibus tuis. Solus enim inter homines per omnia verum dicere potuit homo Deus. Et adeo justus es, ut vincas, id est ut superes omnes homines in justitia, cum, id est

quamvis injuste, judicaris a Judæis. [Augustinus] Justus enim judex a peccatoribus est judicatus injuste, et in eo tamen, id est in justitia vincit omnes homines. Huic itaque nullum peccatum habenti, dicit David : *Tibi soli peccavi,* qui adeo justus es, *ut justificeris in sermonibus et vincas cum judicaris.* (*Psal.* 5.) Tu enim qui superas omnes judices in justitia, qui solus juste judicans, injuste judicaris. Vel aliis non mutatis, illud potest ita dici : Et vincas cum judicaris. Quasi dicat : Tu talis es ut justificeris in sermonibus tuis et talis etiam, ut vincas cum judicaris, id est quando judicaris a Pilato et a Judæis. Vicit enim homo Deus quando judicatus est, quia propter illam humilitatem dedit ei Deus Pater nomen quod est super omne nomen (*Philipp.* II). Hic tamen sensus non pertinet **15** ad superius argumentum, id est ad sui propositi demonstrationem, scilicet ad probandum quod Deus sit verax, sed est additum ex abundanti.

VERS. 5, 8. — « Si autem iniquitas nostra justitiam Dei commendat, quid dicemus ? Nunquid iniquus est Deus, qui infert iram ? Secundum hominem dico. Absit ! Alioqui quomodo judicabit Deus hunc mundum ? Si enim veritas Dei in meo mendacio abundabit in gloriam ipsius, quid adhuc et ego tanquam peccator judicor ? et non sicut blasphemamur ? et sicut aiunt quidam nos dicere : Faciamus mala, ut veniant bona ? quorum damnatio justa est. »

[Ambrosius.] Ostenditur hic sensus qui ex verbis David prophetæ, quibus ipse dixit : Peccavi ut justificeris, injuste trahebatur a carnalibus, causam divinæ justificationis nostra peccata fore intelligentibus. Erant enim quidam qui dicebant Deum velle nos peccare, ideo, ut comparatione nostri justus appareret, et, dum peccatum nobis dimitteret, quod misericors sit, patefaceret. Dicebant etiam eum velle nos mentiri, ut ipse solus verax inveniretur. Quod si ita esset, injuste ab illo damnaremur. Contra illos tales loquitur hic Apostolus, quia non est hic sensus in verbis Prophetæ, sed malevolorum hominum prava interpretatione extorquetur, asserentium quod peccata hominum et actus mali Dei justificationi proficiant, et per mala nostra justus appareat, et injustitia nostra justum illum ostendat. Dixit enim supra quod verax est Deus, et omnis homo mendax, et quod indignis dat bona, in quo apparet commendabilior ejus gratia et justitia. Unde carnalis dicens Deum uti malis quasi instrumento ad gloriam suam, eo rem deducit, ut dicat Deum iniquum qui peccata punit quæ sibi prosunt. Si enim injustitia nostra ei proficit, sine dubio iniquus est si damnat peccantem. Quod removet Apostolus hic dicens : *Si autem;* quasi dicat : Deus est verax, et omnis homo est mendax, cui indigno dat bona, in quo apparet commendabilior gratia ejus et justitia. [Haimo.] Si autem, hoc est, ita et *iniquitas nostra commendat justitiam Dei,* [Fulgentius, Haimo.] id est laudabilem facit justitiam et sanctitatem Dei.

Quid dicemus ? id est ex hoc quid sequi videtur ? quod *iniquus est Deus, qui* propter peccata *infert iram,* id est vindictam et condemnationem. Iram namque hoc loco Apostolus pro condemnatione posuit, quia Deus illius rei ultor est, cujus auctor non est, id est iniquitatis, quam potest Deus punire non facere. Etiam est sensus : Si iniquitas nostra Deum laudabilem facit, et quanto amplius peccamus tanto ei placet, secundum quod stolidissimi dicunt; et eo amplius justitia ejus et sanctitas crescit et apparet, iniquus est Deus inferendo vindictam pro malis quæ vult ut faciamus. Si enim vult ut peccemus, ut quidam stultorum dicunt, ergo quando damnat hominem peccatorem iniquus est. [Augustinus.] Sed nunquid Deus iniquus est qui infert iram ? Videtur utique hoc quibusdam. Sed *absit !* ut sit iniquus, et quod nostra iniquitas commendet illum. [Haimo.] Si enim commendaret illum, ipse non vindicaret, quia justus est. Et quia hoc verum non est quod Deus sit iniquus, vel quod nostra iniquitas Deum commendet, addit Apostolus : *Secundum hominem dico,* id est secundum intelligentiam carnalis hominis, quia hæc quæstio carnalium est, quos constat et errare et falli, et fallere. [Ambrosius.] Nam Deus immutabilis perseverat, non potest non amare quod fecit. Non enim vult nos peccare, et quia justus est, ideo infert iram peccanti. Cum ergo peccatori justa pœna redditur, non est iniquitas, sed justitia apud Deum (86). Quo modo enim ex hoc justus videbitur Deus, quia adversatur injustitiæ; inducit enim iram hominibus pro eo quod in semetipsis locum injustitiæ dederunt. Non ergo injustus videtur Deus qui est ipsa justitia, cum irascitur adversus injustitiam. Cui enim non decet esse propitium, sed pervenit ira ejus etiam in homines, qui se ministros injustitiæ cui Deus irascitur, præbuerunt. Non est ergo iniquus Deus.

Alioquin, [Ambrosius] id est nisi hoc est quod non iniquus est Deus. *Quomodo judicabit Deus hunc mundum ?* Quasi dicat : Non potest esse justus Judex. Quomodo enim judicabit si iniquus est ? Quasi dicat : Male, bonis scilicet dans mala, et malis bona. *Si enim veritas,* etc. Interjecta remotione iniquitatis Dei, id est interposita demonstratione qua ostenditur quod Deus non est iniquus, unde apparet verba Prophetæ non eo quo dictum est sensu accipienda, redit Apostolus ad probationem carnalis nitentis probare quod si Deus punit malos iniquus est. Quasi dicat : Vere si iniquitas nostra justitiam Dei commendat, iniquus est Deus quia punit. *Enim,* id est, quia *si in meo mendacio,* id est, per meum peccatum, *veritas,* id est, justitia Dei *abundavit,* id est crevit in gloriam ipsius id est

(86) Augustinus, De natura boni.

si ex meo peccato gloriosior est, ergo *quid adhuc*, id A est cur etiam nunc non solum in futuro, *judicor ego tanquam peccator*, quod non sum. Manifestum est enim, quia si ad gloriam Dei proficit mendacium hominum, ut ille solus verus appareat, non sint dicendi peccatores qui peccant quia non voluntate sed impulsu ejus videbuntur peccare. Quod absit! [Haimo.] Accipitur hic veritas, quod supra justitia; et mendacium, quod supra iniquitas. Et est sensus : Si Deus meo mendacio, id est peccato verax appareat, quare me judicat tanquam peccatorem etiam in præsenti, non modo in futuro? Vel, quid judicor tanquam peccator etiam adhuc, id est post conversionem, postquam dedit bona indigno, unde gloriosus paret. Ante conversionem enim cum male mererer, ex meis non erat gloriosior. Et est sensus, ac si B diceret, quod ante remissionem videri poterat, post videri non debet, scilicet quod ego peccator judicandus sum, quia nunc certum est quod dimittendi veritas non abundasset in gloriam, nisi peccassem. *Et non sicut*, item aliud infert falsum Apostolus ex eodem quod dixerat, scilicet si veritas Dei ex meo mendacio abundavit in gloria. Quasi dicat : Et si istud est, scilicet quod veritas Dei in peccato abundet in gloriam, cur scilicet non facimus nos mala ut veniant bona, id est ut crescat justitia et gloria Dei? Sicut *blasphemamur*, nos apostoli.

Et sicut aiunt quidam nos dicere, id est sicut imponitur nobis apostolis blasphemando a quibusdam hoc sentire et dixisse, et etiam prædicasse quod est blasphemia. [Haimo, Ambrosius, Augustinus.] C Quid imponitur nobis, dixisse? hoc scilicet : *Faciamus mala ut veniant bona*. Quidam enim perversi homines non intelligentes et ad reprehendendum proclives cum audissent a Paulo, et ab aliis apostolis prædicari : *Ubi abundavit delictum superabundavit et gratia* (*Rom.* v); dixerunt apostolos prædicasse, faciamus mala ut veniant bona, [Haimo.] et dicebant : Quanto ergo amplius majora mala commiserimus, tanto amplius majora bona percipiemus, et majorem gratiam, quia Deus vult ut peccemus, ut habeat quid dimittat, et ipse misericors appareat. Vel ita potest continuari hæc littera, cum præcedentibus, scilicet, si enim, ut proprius conjungatur, cum præcedenti littera quam ante. Quasi dicat : *Quomodo judicabit Deus hunc mundum*, si est iniquus? Quasi dicat, non recte, quod D in parte ostendit, quia nec modo juste judicaret me, quasi peccatorem, quod ego non sum, et vere. *Si enim veritas*, etc. Sententia verborum non mutatur a prima expositione. *Quorum damnatio*, etc. Quasi dicat : Quidam imponunt nobis, *quorum*, talium, *damnatio justa est*, et ideo non est credendum eis.

Vers. 9, 18. — « Quid igitur? Præcellimus eos? « nequaquam. Causati enim sumus Judæos et Græ« cos omnes sub peccato esse, sicut scriptum est : « Quia non est justus quisquam, non est intelli« gens : non est requirens Deum. Omnes declina« verunt, simul inutiles facti sunt : non est qui fa« ciat bonum; non est usque ad unum. Sepulcrum « patens est guttur eorum; linguis suis dolose « agebant; venenum aspidum sub labiis eorum. « Quorum os maledictione et amaritudine plenum « est, veloces pedes eorum ad effundendum sangui« nem. Contritio et infelicitas in viis eorum, et « viam pacis non cognoverunt, non est timor Dei « ante oculos eorum. »

Quid igitur? [Origenes, Ambrosius.] Apostolus velut arbiter quidam medius inter eos qui ex circumcisione crediderant, et eos qui ex gentibus venerant, tam Judæos quam Græcos reos esse supra ostendit, ubi etiam demonstravit personarum acceptionem apud Deum non esse, ubi etiam quæsivit quod quærendum esse putavit, scilicet quid amplius sit Judæo secundum priorem statum. Et respondet, multum. Et in quo maxime demonstravit. Modo quæritur utrum in hoc statu gratiæ plus sit Judæo quam gentili; et respondet, non. Imo pares sunt, in hac gratia Evangelii, quasi dicat : Quia plus fecit Deus Judæo in priori statu, et quod bona eis implevit non est ex aliquo eorum merito.

Quid igitur? dicemus, *præcellimus eos?* [Haimo.] scilicet gentiles in hac gratia. *Nequaquam*, quia *non est personarum acceptio apud Deum, sed in omni gente qui timet Deum hic acceptus est illi* (*Act.* x). Vere non sumus nos Judæi digniores gentibus in hac gratia. *Causati enim sumus*. Id rationibus ostendimus superius, *omnes*, scilicet *Judæos et Græcos*, *sub peccato esse*, ante hanc gratiam, quia Judæi, prævaricando naturalem legem et scriptam, et gentiles naturalem, inventi sunt peccatores, sicut supra ostensum est. Et ideo nullum præcellit alterum et in statu gratiæ. [Augustinus.] His verbis dirimit Apostolus contentionem, et litem componit quæ inter Judæos et gentiles orta erat, cum illi tanquam ex meritis operum legis, sibi redditum Evangelii præmium arbitrarentur; illi contra Judæis se præferre gestiebant tanquam interfectoribus Domini. Deinde propheticum testimonium subdit, quo ostendit etiam Judæos reos, de quibus minus videtur, **16** quia sub lege Dei vivere videbantur, dicens : *Sicut scriptum est*. Quasi dicat : Omnes sunt sub peccato. Sicut scriptum est, de Judæis de quibus minus videretur, *quia non est justus quisquam*, scilicet qui non venit ad Christum. Ideo non est justus, quia *non est intelligens*, id est quia non intelligit Christum esse Deum : et quod non intelligit, ex culpa sua est. Quia *non est requirens Deum*, id est quia non requirit Deum. Ex operibus enim poterant quærere et invenire quod Christus erat Deus, Non requirit dico, sed potius declinat ab eo. Et hoc est : *Omnes declinaverunt*. [Ambrosius] Nemini enim dubium est, quia omnes non quærentes Deum declinant ab eo, et inclinantur ad malum. *Simul*, scilicet cum ipsa declinatione, *inutiles facti sunt*, quia et alios declinare fecerunt. [Augustinus] Adeo

declinaverunt, quia *non est aliquis* de illis, *qui faciat bonum*, *non est* utique *usque ad unum*, id est nec etiam unus. Vel, non est qui faciat bonum non est usque ad unum, scilicet præter unum Christum, quia nullus nisi Christus bonum facit. Christus enim tantum bonum in se, et in suis facit. *Sepulcrum*. Quasi dicat : Ita declinaverunt, ut diximus, et ita aliis inutiles fuerunt, quod *guttur eorum est sepulcrum patens*, id est fetor verborum et operum eorum corrumpit alios, et hiat recipere illos mortuos. [Ambrosius.] Nam malis mancipati bonos si posset fieri, devorare vellent, ut sicut sepulcrum patet ad recipienda cadavera, ita et adversus bonos guttura illorum. Et si non audent apertis malis persequi, *linguis suis*, id est malis, *dolose agebant*, verbis bona dicentes, sed malum corde cogitantes, quia *venenum aspidum*, id est odium insanabile erat, *sub labiis eorum*, id est sub corde eorum, quia hujusmodi hominum verba muscipula sunt. Ad hoc enim loquuntur ut decipiant. Ut sicut per labia serpentis peremptorium venenum infusum est, ita per labia eorum dolus et captio. *Quorum* etiam *os plenum est*, abundanter, *maledictione* [Haimo], id est, verbis maledicis, ut *Dæmonium habes*, et hujusmodi et, *amaritudine*, id est amaris minis. Et etiam *pedes*, id est affectus *eorum* sunt *veloces ad effundendum sanguinem* Christi et suorum. Quasi dicat : Homicidæ sunt ex deliberatione, ad bonum segnes, ad parricidium sunt voloces, sed inde erit eis hæc pœna scilicet, quia *contritio*, id est temporalis pœna, *et infelicitas*, id est æterna damnatio erit *in viis*, id est in operibus, *eorum*, id est, pro actionibus suis malis veniet eis contritio, et infelicitas. Talia enim faciunt, unde conterentur in hoc sæculo, per Titum et Vespasianum ; et in futuro erunt infelices puniti anima et corpore. Et hoc ideo, quia *viam pacis*, id est Christum, *non cognoverunt*. [Haimo, Origenes.] Deum enim vitiorum bellis semper urgentur, viam pacis ignorant, id est Christum, per quem est pax multa diligentibus nomen Domini ; nec saltem timor Dei eos reflexit a malo, quia *non est timor Dei ante oculos eorum*. [Ambrosius.] Non enim habent Dei timorem, qui est initium sapientiæ. De his dicit Jeremias : *Tunc omnes surrexerunt in prophetam Domini volentes occidere eum* (*Jer*. XXVI); et subjecti : *Omnis autem populus, non permisit illos* (*ibid*.). Sed contrarium videtur quod omnes insurrexisse dixit, et omnem populum non permisisse. Omnes ergo dixit insurrexisse, scilicet malos, et omnem populum non permisisse, scilicet bonos ; et hic enim, non quia dicit, omnes declinaverunt, totam penitus plebem significat, sed alteram partem plebis. Semper enim duo populi sunt in una plebe. Hic est enim populus quem increpat Dominus, dicens sub nomine Jerusalem *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis prophetas* (*Luc*. XIII); et item : *Generatio mala et adultera* (*Matth*. XVI). [Ambrosius.] De qua Isaias ait : *Væ genti peccatrici semini nequam*, etc. (*Isa*. I).

VERS. 19, 20. — « Scimus autem, quoniam quæcunque lex loquitur, his qui in lege sunt loquitur, ut omne os obstruatur, et subditus fiat omnis mundus Deo, quia ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram illo. »

Scimus autem, etc. Ostendit Judæos ante gratiam fuisse sub peccato auctoritate Scripturæ David, sed ne Judæi auctoritatis David verba inverterent, et alio detorquerent, ait : *Scimus*, etc. Quasi dicat : Hoc David dicit : Nos autem scimus *quoniam quæcunque loquitur lex*, *loquitur his qui in lege sunt*, supple et de his qui in lege sunt. [Haimo.] Lex enim aliquando appellatur generaliter Vetus Testamentum, aliquando pro parte Veteris Testamenti accipitur, sicut ibi : *Aperuit Dominus discipulis sensum, ut intelligerent de Deo quæ scripta erant in lege et prophetis et psalmis* (*Luc*. XXIV). Nonnunquam vero psalmi lex vocantur ; sicut Dominus ait. *In lege vestra scriptum est : Ego dixi : Dii estis, et filii Excelsi omnes* (*Joan*. VIII). Et alibi. *Ut impleatur sermo qui in lege eorum scriptus est : Quia odio habuerunt me gratis* (*Joan*. XV.) Ita et hic psalmi dicuntur lex, id est nomine legis intelliguntur, quia informant. Ut ergo ostenderet Apostolus ea quæ superius dixit de psalmo pertinere ad Judæos, quorum superbia confringenda erat, dixit : Scimus, quoniam quæcunque lex loquitur, in loco isto, id est psalmi, his loquitur qui in lege sunt, id est Judæis legem habentibus. *Ut*, ita, *omne os*, etiam Judæorum, *obstruatur*, (87) a sua gloria *et omnis mundus*, id est omnis homo, scilicet non tantum gentilis sine lege reus de impietate, sed etiam Judæus reus de legis transgressione, *fiat subditus Deo :* totum ei tribuens, [Haimo.] quia omnes peccatores sunt inventi, et gratia sunt salvati, non meritis. *Quia ex operibus*, etc. Hic incipit agere plenius de lege, ut ostendat justitiam non esse ex ea ; quasi dicat : Dico ut omnis mundus subditus sit Deo : quod debet, quia certum est, quod *ex operibus legis*, *non justificabitur coram illo*, scilicet coram Deo, etsi coram hominibus, *omnis caro*, (88) id est homo, vel carnaliter vivens ; et ideo illi qui cum sub lege essent Christo crediderunt, non quia justi erant, sed ut justificarentur, venerunt ad gratiam fidei. Destruitur autem hic superbia gloriantium de operibus legis, ne gratia fidei videretur non necessaria, sed etiam opera legis justificare crederentur. [Augustinus.] Opera autem legis dicuntur quæ cum lege instituta, et terminata sunt, ut erant cæremonialia et figurativa quæ nunquam valuerunt conscientiam mundare, etiamsi cum charitate et devotione fierent. Si vero quæritur, quare illa facta in charitate non justificarent, sicut nunc opera bona quæ facimus in charitate justificant, respondemus quia illa non fuerunt instituta in justificationem, sed in futurorum significationem, et peccati et infir-

(87) Augustinus, De spiritu et lit.

(88) Id., De spiritu et littera.

mitatis ostensionem. Ex illis ergo nemo justificabitur, coram illo, scilicet Deo, qui intima videt, [Haimo.] scilicet utrum ex amore justitiæ quod agatur, vel timore pœnæ, quod non vident homines. Hic item quæritur : Nunquid Moyses, David et alii boni ex lege non fuerunt justificati? Ad quod dicitur : Fuerunt quidem justificati, sed non ex operibus legis. Unde Petrus ait : *Quid tentatis nobis imponere jugum*, etc.? (*Act.* xv.) Sicut ergo nos salvamur modo per fidem Christi, sic et illi salvabantur. Et quare non ex operibus : Quia lex non venit tollere peccata, sed ostendere et punire. [Haimo. Ambrosius.] Decrevit enim Deus per sacramentum mysterii fidei, quod in Christo est, hominem justificari, non per legem, quia lex non justificat apud Deum, sed fides. De lege autem loquimur secundum cæremonialia, ut dictum est, non secundum moralia, quæ utique justificant, et in Evangelio consummantur.

VERS. 20, 21. — « Per legem enim cognitio peccati. Nunc autem sine lege, justitia Dei manife- « stata est, testificata a lege et prophetis. »

Per legem enim (89). Quasi dicat : Vere ex lege non est justitia, quia, per legem tantum est cognitio peccati, non consumptio. Si ergo cognoscunt et non cavent, prævaricatio est; et ita ira, id est pœna debetur. Cavere autem non potest homo peccatum, si non adjuvet gratia, ut cognitum caveatur : et ita sine dubio lex iram operatur, sicut in sequenti dicetur. [Haimo.] Quod ideo dicitur, quia ira Dei major est in prævaricatore, qui per legem noscit peccatum, et tamen facit. Quod autem dicit per legem peccatum cognosci, non ideo hoc dicit quod peccata ante legem prorsus nescirentur, cum etiam Joseph accusatus de crimine missus sit in carcerem; et fratres ejus dixerunt : *Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum* (*Gen.* XLII). Sed ideo dicuntur peccata cognosci per legem, quia quædam cognita sunt peccata, quæ ante ignorabantur esse peccata; et quædam graviora per legem cognita sunt, quam ante putarentur; et communiter omnia non impune futura apud Deum per legem cognita sunt. *Nunc autem*, etc. [Augustinus.] Quasi dicat : Ex operibus legis non fuit olim justitia. Nunc autem, [Ambrosius.] id est in hac gratia, quod est nunc, id est in adventu Christi, in tempore gratiæ, *justitia Dei*, non hominis data est, *sine lege*, id est sine legis auxilio : et non solum data est , sed etiam, *manifestata est*, non dubie, sed miraculis, scilicet *Domino cooperante et sermonem confirmante*, *sequentibus signis* (*Marc.* XVI). [Haimo, Augustinus.] Justitia autem Dei dicitur hic, non qua ipse justus est qui essentialiter justitia est; sed qua induit impium, quando misericorditer de infideli facit fidelem. Et ut homines certius credant, addit, justitia, dico, *testificata*, vel, testimonium habens *a lege et prophetis*. [Ambrosius] Quia lex eam multis sacramentis præfiguravit, eo ipso etiam lex perhibet testimonium justitiæ Dei, quia in ea nemo justificatur. (89*) Cum enim lex non justificat impium de prævaricatione convictum, mittit ad justificantem Deum, atque ita perhibet testimonium justitiæ Dei, dum jubendo et minando, et neminem justificando satis indicat dono Dei hominem justificari. [Haimo.] Prophetæ vero perhibent testimonium id prænuntiando quod Christi implevit adventus : Prænuntiaverunt enim Christum qui factus est nobis sapientia et justitia, et sanctificatio, et redemptio. [Augustinus, Ambrosius] Idcirco autem Dei justitia dicitur quæ magis proprie videretur dicenda misericordia, quia de promissione originem 17 habet, et cum promissum Dei redditur justitia Dei dicitur. Justitia enim est, quia exsolutum est quod Promissum est ; et cum suscipit confugientes ad se, justitia Dei dicitur, quia non suscipere iniquitas est.

VERS. 22-26. — « Justitia autem Dei, per fidem « Jesu Christi, in omnes, et super omnes qui cre- « dunt in eum. Non enim est distinctio. Omnes « enim peccaverunt; et egent gloria Dei, justificati « gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ « est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propi- « tiatorem per fidem in sanguine ipsius ad osten- « sionem justitiæ suæ, propter remissionem præce- « dentium delictorum in sustentatione Dei ad osten- « sionem justitiæ ejus in hoc tempore, ut sit ipse « justus, et justificans eum, qui ex fide est Jesu « Christi. »

Justitia autem. Quasi dicat : Dixi justitiam esse ex Deo, [Haimo.] Hæc autem justitia Dei est, id est hæc justificatio qua justificamur a Deo est per fidem Jesu Christi, id est per fidem qua creditur in Christum, justificatorem impiorum, quia fides impetrat quod lex imperat (90). Sicut autem ista fides Christi est dicta, non qua credit Christus, sic illa justitia Dei, non qua justus est Deus. Utrumque enim nostrum est, sed ideo Dei et Christi dicitur, quia ejus nobis largitate donatur. Justitia ergo Dei sine lege est, sed non sine lege manifesta. Quomodo enim per legem testificata, si sine lege manifestata? sed justitia Dei sine lege est, quam Deus per spiritum gratiæ credenti confert sine adjutorio legis, id est non adjutis lege, sed non sine lege ostendit, quia per legem ostendit homini infirmitatem suam, ut ad ejus misericordiam per fidem confugiens sanaretur. Ideoque de sapientia ejus dicitur, quod legem et misericordiam in lingua portet : legem, qua reos ostendat superbos; misericordiam vero, qua justificet humiliatos. Ergo justitia est per fidem Christi. Hæc autem justitia venit in omnes, et, ut magis proprie dicatur, *super omnes*, quia cœlitus data est, scilicet super omnes Judæos et gentiles, *qui credunt in eum*.

(89) Augustinus, De gratia et libero arb.
(89*) Id., contra Pelagianos.

(90) Augustinus, De spiritu et littera.

Et vere in omnes. *Non enim est distinctio* Judæi et gentilis. *Omnes enim*, [Haimo.] tam Judæi quam gentiles, *peccaverunt*, vel in semetipsis vel in Adam, quia sine peccato non sunt, vel quod originaliter traxerunt, vel quod malis moribus addiderunt (90*). Peccatum enim primi hominis non solum ipsum, sed etiam omne vitiavit genus humanum, quia ex eo omnes damnationem simul et culpam suscepimus, *peccaverunt* ergo omnes cum ex uno peccatore omnes nascuntur peccatores. *Et egent*, adhuc quotidie *gloria Dei*, id est justitia Dei, non sua (91*). Quæ ideo dicitur gloria Dei, quia per hoc Deus gloriosus apparet. Omnes igitur peccatores invenit gratia Christi, quia solus sine peccato venit. Et omnes egent gloria Dei, id est, ut ipse liberet, qui potest ; non tu qui liberatore indiges (91*). Hæc igitur Christi gratia sine qua nec infantes, nec grandes salvi fieri possunt, non meritis redditur, sed gratis datur, propter quod et gratia nominatur (92). Universa enim massa pœnas debet, et si omnibus debitum damnationis supplicium redderetur, non injuste procul dubio redderetur. Qui ergo inde per gratiam liberantur, non vasa meritorum suorum, sed vasa misericordiæ nominantur recte. Quisque ergo agat gratias misericordiæ Dei quos voluit liberantis, quia recte nullus posset justitiam culpare universos, si vellet, damnantis. Omnes enim peccaverunt et egent gloria Dei, id est indulgentia et venia peccatorum. [Haimo.] Unde gloriosus apparet Deus. Et quia omnes peccaverunt, ergo justificati sunt *gratis*, id est sine meritis pæcedentibus (92*). Et hoc, *per gratiam ipsius*, id est per gratuita dona. Gratia quippe Dei donum Dei est, donum autem maximum, ipse Spiritus sanctus est. Non igitur justificati sunt per legem, non per propriam voluntatem, sed per gratiam Christi ; non quod sine voluntate nostra fiat, sed voluntas nostra ostenditur infirma per legem, ut sanet gratia voluntatem, et sana voluntas impleat legem, non constituta sub lege, nec indigens lege (93). Ipsa igitur est gratia qua justificatur impius, et ideo præcipiendæ hujus gratiæ merita nulla præcedunt, quia meritis impii non gratia, sed pœna debetur, nec ista esset gratia si non daretur gratuita (93*). Datur autem gratuita, quia nihil boni ante feceramus, unde hæc mereremur, quia nihil præcesserat in meritis nostris, nisi unde damnari deberemus. Non invenit igitur merita bonorum, sed merita suppliciorum. Ergo justificati sunt gratis, quia nil operati erant. Per gratiam ipsius, [Ambrosius.] quia fide justificati sunt, et præcipue, *per redemptionem, quæ est nobis, in Christo Jesu*, nusquam alibi, id est per pretium datum pro nobis a Christo Jesu. De quo Petrus ait, *Quia non corruptibilibus argento, vel auro, redempti estis, sed pretioso sanguine unigeniti Filii Dei (I Petr.* I) (94).

A Nempe ut justificarentur homines divina gratia, Veritas de Maria nata est, ut posset pro illis justificandis offerre sacrificium passionis et crucis. Nisi enim a nobis sumeret carnem mortalem, Christus mori non posset.

Notandum vero quia recte dicitur redemisse nos, non emisse. Ipsius enim ante per naturam fueramus, sed nostris delictis alienati fuimus. Si ergo ad peccata non redeamus, fructuosa erit nobis redemptio Christi. *Quem* Christum, *Deus* Pater *proposuit*, id est longe ante disposuit, et prædixit ; vel, proposuit, id est palam omnibus posuit propitiatorem, [Haimo.] id est misericordem, et hoc, *per fidem in sanguine ipsius*, id est per fidem passionis, sine qua nihil placet Deo. Vel, per fidem B in sanguine ipsius, id est per fidem et passionem. Hæc simul jungit, quia neutrum sine altero valet, dico quod proposuit eum propitiatorem, ad hoc utique [Ambrosius], scilicet *ad ostensionem justitiæ suæ*, id est ut ostenderet se veracem in promissis, scilicet ut nos a peccatis liberaret, sicut ante promiserat. Quod cum implevit justum se esse ostendit, quæ ostensio necessaria fuit, non solum pro remissione præsentium, sed etiam *propter remissionem præcedentium delictorum*, scilicet eorum quæ præcesserunt Christi adventum, delictorum dico existentium *in sustentatione Dei*, Deo, scilicet patiente et non puniente tunc. Sustentatio enim Dei est, ubi peccator non statim punitur ut peccat, sed per patientiam Dei adducitur ad pœnitentiam. [Origenes.] Quiddam igitur sublime dicit Apostolus, sci- C licet quod Deus proposuit Filium suum, propitiatorem humano generi. Per fidem in sanguine ipsius, id est per fidem et sanguinis sui effusionem, ut per hoc ostenderet justitiam suam dum eis remitteret præcedentia delicta quæ pessimis tyrannis serviendo contraxerant, eo tempore quo sustinebat, et patiebatur Deus hoc fieri, [Haimo, Origenes.] quia diu sustinet et supportat peccata hominum. Quod nisi esset, in primo homine finis hominis per judicium fuisset. Ad quid autem tunc pateretur, et sustineret, ostendit subdens, scilicet ad ostensionem justitiæ ejus in hoc tempore. [Haimo.] Justitia hic accipitur, qua justificat Deus credentes in Christum. Vel ipse Christus qui justificat peccatores. Et est sensus : Ad hoc patiebatur delicta ut ostenderet in D hoc tempore Christi suam justitiam quæ justos facit, scilicet quod ipse justificat et salvat. [Ambrosius.] Quod nullo alio tempore fieri potuit, nisi quo Deus dedit quod olim promiserat dandum. Vel ita, propter remissionem delictorum, non tantum præsentium hominum, sed etiam hominum præcedentium Christi adventum. Delictorum, dico, existentium in sustentatione Dei. Illi enim justi qui præcesserunt Christi adventum in inferno tenebantur,

(90*) Id., De natura et gratia.
(91) Id., ex lib. Hyponosticon.
(91*) Id., in psal. XXX.
(92) Id., De natura et gratia.
(92*) Id., De spiritu et littera.
(93) Id., De verbis Domini.
(93*) Id , in libro ad Sixtum.
(94) Id., in psal. XXXIII.

usque ad Christi passionem, ubi nec pœnis opprimebantur, nec tamen Deum videbant, quod erat eis pœna. Hoc autem erat eis pro peccato primi hominis, sive pro peccato originali, propter quod occlusus erat aditus regni cœlorum, qui per Christi passionem est reseratus. Unde Zacharias : *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua* (*Zach.* IX). Super hunc locum dicit Hieronymus : In resurrectione Christi, justi, qui pro peccato Adæ vincti in inferno tenebantur, resurrexerunt.

Solet autem quæri utrum antiquis justis qui in inferno tenebantur peccata essent remissa per fidem et pœnitentiam, quem eos vere habuisse constat; et si remissa erant omnia, qua de causa apud inferos detinebantur. Ad quod dicimus, quod omnia erant eis dimissa per fidem et pœnitentiam, sed omnimodum remissionis effectum consecuti non fuerant. Est enim duplex remissionis effectus, scilicet carere pœna, et frui gloria. Alterum habuerunt ante Christi mortem, quia pœnam actualem non sentiebant; alterum vero non, quia Deum non videbant, sed per Christi mortem data est eis gloria divinæ visionis a qua differebantur Deo sustentante eorum delicta. Ad ostensionem justitiæ ejus *in hoc tempore,* id est ut ostenderet in tempore mortis Christi justitiam suam qua coronat sperantes in se, *ut sit* ipse. [Ambrosius.] Quasi dicat : Ita justitiam ostendit, ut ipse sit, id est esse appareat, *justus,* in promissis, dans quod promisit, aliter non posset juvare. *Et* sit *justificans,* id est justum faciens, *eum qui est ex fide Jesu Chsisti,* non ex lege, id est qui credit in Christum.

VERS. 27. — « Ubi est ergo gloriatio tua ? Exclusa « est. Per quam legem ? Factorum ? Non. Sed per « legem fidei. Arbitramur enim justificari hominem « per fidem sine operibus legis. »

Ubi est, etc. Reddita ratione ad eos loquitur qui agunt sub lege, ostendens quod sine causa glorientur, blandientes sibi de lege, et de genere Abrahæ, videntes non justificari hominem apud Deum, nisi per fidem. Quasi dicat : (94*) Quia ex fide sine lege est justitia, ergo, o Judæe, *ubi est gloria tua ?* Non potest gloriari; nam illa vitiosa gloriatio tua de superbia veniens *exclusa est*, id est ablata est. Et *per quam legem*, scilicet exclusa est ?]Haimo.] Interrogat Judæum, ut consideret per quam legem exclusa est superba gloriatio. Nunquid per legem *factorum ?* id est per legem Moysi, quæ carnalia mandabat. *Non. Sed per legem fidei.* [Augustinus.] Quasi dicat : Attende per quid exclusa est, non per laborem operum, sed facilitatem fidei. Vel ita, et agit de gloriatione bona. Quasi dicat : Quia ex fide est justitia (95). Ubi est ergo, o Judæe, gloriatio tua ; id est, quid est in quo debes gloriari ? Exclusa est gloriatio tua. Gloriationem laudabilem dicit quæ in Domino est,
A eamque exclusam dicit, id est ut emineret expressam ; non ut abscederet, pulsam. Unde et exclusores dicuntur quidam artifices argentarii, in qua significatione etiam accipitur illud in Psalmo : *Ut excludantur qui probati sunt argento* (*Psal.* LXVII), id est ut emineant hi, qui probati sunt eloquio Domini, ita et hic dicitur exclusa est, id est manifestata est, et expressa. Gloriatio tua, id est manifestum est in quo debes gloriari, scilicet non in lege factorum, sed in lege **18** fidei, et hoc est quod subdit : Per quam legem ? scilicet debes gloriari, per legem factorum ? Non, sed per legem fidei.

Quæritur autem quare lex Mosi dicitur lex factorum, et non lex Evangelii, dicatur lex operum sed fidei, sed justitiæ, sed spiritus. Quod operæ pretium
B est considerare, si tamen valemus advertere atque discernere. Magna enim res est, lex enim Evangelii etsi non habet opera veterum sacramentorum, circumcisionis scilicet, atque cæterorum, habet tamen opera in sacramentis suis, huic tempori congruis, et habet opera misericordiæ in moralibus præceptis. Quare ergo et ipsa non dicitur lex factorum ? Ad quod breviter dicam, quod lex quæ dicitur operum, minando imperabat, sed gratiam facienti non præstabat. Lex autem quæ dicitur fidei, opera quidem mandat, sed credendo impetrat, ut fiant, et illa opera sequuntur justitiam. Non enim ex ipsis est justitia, sed ipsa sunt ex justitia. Ideoque non justitiam operum, sed opera justitiæ dicimus. Itaque lex non operum, sed justitiæ vel fidei vel gratiæ dicitur, quia gratiam perficiendi opera præstat,
C et justos facit per fidem. Lex autem operum, ubi jubebantur opera, sed non dabatur gratia. Per legem operum dicit Deus homini : Fac quod jubeo ; per legem fidei dicit homo Deo : Da quod jubes. Ideo enim jubet lex ut admoneat quid faciat fides, ut cui jubetur, si non potest, sciat quid petat. Si autem continuo potest et obedienter facit, debet etiam scire quo donante possit. Arbitramur enim quod lex fidei justificet, ab auctoritate sua ostendit. Quasi dicat : Vere per fidem justitia est. Nos *enim,* apostoli sic, *arbitramur*, scilicet *hominem* quemcunque etiam gentilem, *justificari per fidem sine operibus legis*, carnalibus, [Ambrosius.] id est sine circumcisione, aut neomeniis, aut veneratione Sabbati, vel sine operibus legis quibuslibet etiam moralibus.
D [Augustinus.] Sed hoc intelligendum est de operibus præcedentibus fidem, non sequentibus, sine quibus inanis est fides, ut ait Jacobus : *Fides sine operibus mortua est* (*Jac.* II). Et ipse Paulus ait : *Si habuero omnem fidem, charitatem autem non habuero, nihil sum (I Cor.* XIII). (95*) Bene igitur Apostolus fidem prædicans gentibus, ut ostenderet non merito bonorum operum perveniri ad fidem, sed fidem sequi bona opera, dicit hominem justificari per fidem sine operibus legis, non quin credens post per di-

(94*) Augustinus, De spiritu et littera.
(95) Id., De spiritu et littera.

(95*) Augustinus, De fide et operibus.

lectionem operari debeat, ut Abraham voluit filium immolare (96). Sequuntur enim opera justificatum, non præcedunt justificandum, sed sola fide sine operibus præcedentibus fit homo justus, ut non magis sint justi qui opera legis timore fecerant; cum fides per dilectionem operetur in corde, etiam si foris non exeat in opere (96*). Nam fides quæ per dilectionem operatur, et si non sit in quo exterius operetur, in corde tamen serviens fervensque servatur (97). Et non meritis priorum operum, ad justitiam fidei venitur, in quo Judæi se præferebant : bona opera etiam ante fidem inania sunt. Ita enim mihi videntur esse ut magnæ vires et cursus celerrimus præter viam. Nemo ergo computet vere bona opera ante fidem, ubi fides non erat, bonum opus non erat. Bonum enim opus intentio facit, intentionem fides dirigit. Non valde attendas quid homo faciat, sed quid cum facit attendat, quo lacertos optimæ gubernationis dirigat.

VERS. 29-31. — « An Judæorum Deum tantum? « Nonne et gentium? Imo et gentium. Quoniam quidem unus est Deus qui justificat circumcisionem « ex fide, et præputium per fidem. Legem ergo de- « struimus per fidem? Absit! Sed legem statui- « mus. »

An Judæorum Deus tantum? Quasi dicat : Arbitramur quemcunque hominem justificari per fidem, quod credendum est, quia etiam gentium Creator est. Et hoc est quod ait, an Judæorum Deus tantum, id est creator est, ut eorum tantum per hoc sit credendus justificator. *Nonne et gentium* creator est ut Judæorum? *Imo et gentium* creator est ut Judæorum, ut eorumdem credatur ita justificator ut Judæorum. Et vere utrorumque est ipse Deus. *Quoniam quidem unus est Deus,* id est creator est omnium. Quasi dicat : Cum aliis modis possit probari, hoc unum pono, et cum unus sit omnium Deus, justificat æqualiter omnes per eamdem causam, id est per fidem. Et hoc est : [Augustinus.] Dico unus est Deus *qui justificat circumcisionem*, id est Judæos, *ex fide.* Et justificat *præputium*, id est immundos gentiles, *per fidem* (97*). Non ad aliquam differentiam dictum est hoc, tanquam aliud sit ex fide et aliud per fidem, sed ad varietatem locutionis. [Ambrosius.] Idem est enim quod dicit ex fide et per fidem, quia Apostolus sæpe mutat præpositiones in eodem sensu; et quia dicimus omnes justificari per fidem. *Ergo legem destruimus per fidem? Absit!* Non enim destruitur lex, cum impleta secundum spiritum, cessat secundum litteram. Unde subdit : *Sed statuimus,* id est confirmamus, *legem,* quia hoc gratia fidei est per quam impletur lex, quæ sine fide infirma esset. Firmatur enim status legis, quia mystica et cæremonialia spiritualiter implentur : et quod minus in moralibus continebat, in Evangelio additur; et quod promittebat eis venturum, fides advenisse testatur. Mystica ergo et promittentia in Evangelio impleta sunt, secundum spiritualem intelligentiam. Littera vero occidens, tollitur, moralia autem, in quibus minus continebatur, etiam secundum litteram in Evangelio consummentur.

CAPUT IV.

VERS. 1-8. — « Quid ergo dicemus invenisse « Abraham patrem nostrum secundum carnem? Si « enim Abraham ex operibus justificatus est, habet « gloriam, sed non apud Deum. Quid enim dicit « Scriptura? Credidit Abraham Deo, et reputatum » est illi ad justitiam. Ei autem qui operatur, mer- » ces non imputatur secundum gratiam, sed secun- « dum debitum. Ei vero qui non operatur, credenti « autem in eum qui justificat impium, reputatur « fides ejus ad justitiam secundum propositum gra- « tiæ Dei, sicut et David dicit, beatitudinem homi- « nis, cui Deus accepto fert justitiam sine operi- « bus : Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et « quorum tecta sunt peccata. Beatus vir cui non « imputavit Dominus peccatum. »

Quod superius dixerat hominem justificari per fidem, ostendit per Abraham, in quo omnes confidunt, qui per fidem adeptus est justitiam et promissionem, et paternitatem. Quasi dicat : Et quia nemo justus est sine fide, ergo nec Abraham. *Quid ergo dicemus Abraham patrem nostrum*, quem, scilicet imitari debemus, *invenisse secundum carnem,* id est ex operibus legis? Dicemus quod fuit justus ex eis? Non. [Ambrosius.] Quia *si Abraham justificatus est ex operibus legis*, id est si ex carnali observatione vere justus est quod utique impossibile est, sequitur hoc aliud impossibile, scilicet quod ipse *habet gloriam* æternam, quæ ex justitia sequitur; *sed* a se habet eam, *non apud Deum,* id est non a Deo. [Origenes.] Vel ita, videtur sæpe Apostolus ostendere quod duæ quædam sunt justificationes, quarum unam ex operibus nominat, aliam vero ex fide. Et illam quidem quæ ex operibus est, dicit habere gloriam, sed apud hominem, non apud Deum : Illam vero quæ est ex fide dicit habere gloriam apud Deum, qui inspicit corda hominum, et scit qui credit in occulto, vel non. Et est sensus : Si ergo Abraham ex operibus legis justificatus est, ipse habet gloriam, de hac justificatione, sed apud homines; non secundum Deum (98), quia hæc justificatio est in opinione hominum, et non apud Deum quia non vera est. Avertat Deus talem gloriam, et illud potius teneamus, *qui gloriatur, in Domino glorietur.* [Haimo.] Multi enim gloriantur de operibus, cum sint mali; sicut ille Pharisæus gloriabatur, qui cum publicano in templum ascenderat, et opera sua jactabat dicens : *Non sum sicut cæteri homi-*

(96) Id., in lib. XXXIII Quæst.
(96*) Id., de fide et operibus.
(97) Id., in psal. XXXI.
(97*) Augustinus, De spiritu et litt.
(98) Augustinus in psal. XXXI.

num, etc. (*Luc.* XVIII). [Augustinus.] Si ergo ex operibus justificatus est Abraham, non habet gloriam apud Deum, quia qui fecerit, inquit, legem vivet in ea, id est non morietur hic ut reus, nec tamen meritum ex hoc habebit apud Deum, sed fidei causa. Abraham autem gloriam habet apud Deum. Non ergo justificatus est ex operibus ; et si hoc est, tunc ex fide justus est. Quod probat subdens : *Quid enim Scriptura dicit*, in Genesi ? [Haimo.] Quasi dicat : Attende, quid dicat, et unde justus sit. Ecce : *Credidit Abraham Deo*, dicenti : *In semine tuo benedicentur omnes gentes* (*Gen.* XXII), et alia hujusmodi. Et ipsum credere *reputatum est illi ad justitiam*, id est fuit ei sufficiens causa justitiæ ad salutem, et est aliis : sed tamen *ei qui operatur*, id est qui habet tempus operandi, *merces non imputatur*, id est non dabitur, *secundum gratiam* fidei tantum, *sed secundum debitum* operationis suæ. *Ei vero qui non operatur*, id est qui non habet tempus operandi sicut Abraham habuit, *credenti autem in eum qui justificat impium*, [Ambrosius.] id est, si credit in Christum qui gratis peccata impio dimittit, *fides ejus* sola *reputatur ad justitiam*, id est sufficit ad justitiam quam opera non meruerunt, et ita sufficit ad salutem (98*). Attende quod ait credenti in eum, non ei. Non enim continuo qui credit ei credit in eum. Aliud enim est credere in eum, aliud credere ei, aliud credere illum (99). Nam et dæmones credebant ei, sed non credebant in eum. Et nos credimus Paulo, credimus et Petro, sed non in Paulum vel Petrum. Credere illi est credere esse vera ea quæ loquitur, quod et mali faciunt. [Augustinus.] Credere illum est, credere quod ipse sit Deus, quod et mali faciunt. Qui vero est credere in eum ? credendo amare, credendo diligere, credendo in eum ire, et ejus membris incorporari. Hæc est fides quam a nobis exigit Deus, et non invenit quid exigat, nisi donaverit quod inveniat (99*). Per hanc fidem justificatur impius, id est de impio fit pius, ut deinde ipsa fides incipiat per dilectionem operari. Ea quippe sola bona opera dicenda sunt, quæ fiunt per dilectionem Dei. Hæc autem necesse est ut antecedat fides, ut inde ista non ab istis alia incipiat, quia

19 nullus operatur bene, nisi prius credat in Deum (100). Non ergo dicit Apostolus mercedem reddi secundum meritum operis tanquam opera quæ Deus remunerat ex nobis sint, imo ex gratia Dei sunt. Nam Deus per gratiam dedit peccatoribus fidem per quam justificarentur, ut per fidem juste viverent, id est bene operarentur. Quod ergo bene operamur jam accepta gratia, non nobis, sed illi tribuendum est, qui per gratiam nos justificavit. Nam si debitam ante gratiam mercedem vellet reddere, pœnam redderet peccatoribus debitam (101). Non ergo tibi blandiaris de meritis, cum tibi reddi mercedem secundum debitum operis audis, tanquam non sit in opere gratia retribuentis, sicut in fide est gratia justificantis. [Origenes.] Vix enim mihi suadeo ullum opus dici ex debito remunerationem Dei deposcere, cum etiam hoc ipsum quod agere aliquid possumus, vel cogitare, vel proloqui, ipsius dono et largitione faciamus.

Secundum propositum. Quasi dicat : Sine operibus præcedentibus justificatur impius, [Origenes. et hoc secundum propositum gratiæ Dei, id est secundum gratiam Dei propositam hominibus credentibus : Vel, secundum quod Deus longe ante proposuit. Vel ita ab illo loco : *Ei autem*, et agit contra illos qui merito præcedentium operum legis vel quorumlibet dicebant sibi datam esse fidei gratiam. [Augustinus.] Quod si ita est, *merces non imputatur secundum gratiam*, sed *secundum debitum*. Quod si ita est, jam non est gratia. Si enim gratia est, gratis datur. Quid est gratis datur ? Nihil boni fecisti, et datur tibi remissio peccatorum. Attenduntur opera tua, et inveniuntur omnia mala. Malis operibus quid debetur, nisi damnatio ? bonis quid debetur ? merces scilicet regnum cœlorum. Quasi dicat : Abraham ex fide est justus, sed ei qui operatur illa carnalia legis opera, vel aliqua bona ut gratiam fidei et justificationis mereatur, si merces est, ei non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum, id est, non est ex gratia sed ex debito meriti sui. *Ei vero qui non operatur, credenti autem in eum qui justificat impium*, id est, illi qui non facit hæc carnalia legis opera, sed tantum credit in Christum, et gentilis facit ; [Ambrosius.] vel qui non facit quælibet bona opera ante fidem sed tantum credit, *fides ejus reputatur ad justitiam*, id est sufficit ad justitiam, et ita attribuit aliis quod dixit de Abraham, scilicet quod si est justus ex operibus, habet gloriam, sed non apud Deum : sed habet gloriam Abraham apud Deum, et ideo ex fide justus est. Dico quod ex fide est justitia, et hoc est *secundum propositum gratiæ Dei* ; sic enim decrevit Deus, ut, cessante onere legis, fides justificet. Hoc autem innuit exemplo prophetæ David, subdens : *Sicut*, etc. Quasi dicat : Dico quod ex gratia et justitia et salus, *sicut et David dicit beatitudinem*, hic et in futuro esse *hominis* illius *cui Deus accepto*, id est acceptabili tempore, hoc est tempore adventus Christi [Haimo.] vel adverbialiter dixit, accepto quasi acceptabiliter, id est gratis, *fert*, id est quasi impotenti accedere infert, *justitiam*, id est remissionem, et opera bona, et hoc sine præcedentibus operibus. *Beati quorum*, etc. Exposito sensu verborum Prophetæ breviter ponit ipsa verba quia David dicit, his utique verbis : *Beati sunt illi, quorum iniquitates*, [Ambrosius] sine opere et labore pœnitentiæ *remissæ sunt a Deo* per baptismum, ut jam non dominetur peccatum in mortali corpore, et si sit. Et intelligitur hic per iniquitates originale peccatum, scilicet

(98*) Id., super Joan.
(99) Beda, De fide.
(99*) Id., in psal. LXVI.

(100) Augustinus prioribus in epist. ad Romanum.
(101) Id., De fide ad Petrum.

fomes peccati, qui dicitur concupiscentia, vel concupiscibilitas, sive lex membrorum, sive languor naturæ, et aliis nominibus. Ista aut concupiscentia, vel concupiscibilitas quæ dicitur fomes peccati, ante baptismum culpa est et pœna; post baptismum autem pœna est et non culpa, quod parvulum habilem concupiscere, vel non concupiscere facit. (102) Addultum vero etiam concupiscere, quæ licet in regeneratis jam non deputetur in peccatum, quæcunque tamen proles nascitur, obligata est originali peccato.

Dimittitur ergo concupiscentia carnis, in baptismate, non ut non sit, sed ut non imputetur peccatum, hoc est enim non habere peccatum, non esse reum peccati. [Augustinus.] Quomodo enim alia peccata prætereunt actu et remanent reatu, ut homicidia et similia, ita econtrario fieri potest, ut concupiscentia, id est ut concupiscibilitas prætereat reatu, et maneat actu. De hac ita ait Augustinus : Manet quippe in corpore mortis hujus carnalis concupiscentia, cujus vitiosis desideriis nos non obedire præcipimur, quæ tamen concupiscentia quotidie minuitur in proficientibus et continentibus. Quia enim dum sibi invicem vir mulierque miscentur, sine libidine non est parentum concubitus, ob hoc filiorum ex eadem carne nascentium, non potest sine peccato esse conceptus, ubi peccatum non transmittit propagatio, sed libido; nec fecunditas humanæ naturæ facit homines cum peccato nasci, sed feditas libidinis quam homines habent ex illius primi justissima condemnatione peccati. Ideo beatus David propter originale peccatum quo naturaliter obstricti filii sunt iræ, dicit : *In iniquitatibus conceptus sum et in peccatis concepit me mater mea* (*Psal.* L.) Ecce ex his liquet concupiscentiam esse originale peccatum (103). Originale autem dicitur, quia ex vitiosa originis nostræ conditione trahitur. Non enim quia ab Adam descendimus per carnis propaginem ideo originali peccato tenemur, cum et Christus ab eo descenderit qui omni peccato caruit; sed quia vitiosa lege concipiendi, ex peccato primi hominis accedenti, concepti sumus, id est canis concupiscentia, ideo peccati rei sumus, quod originale dicitur. Ecce breviter assignatum est quid sit originale peccatum, et quare dicatur originale, et quare imputetur posteris, et quomodo in baptismate remittatur, ut scilicet non remaneat post baptismum culpa, sed pœna : et illud quod remaneat non jam dominetur, si perseveret homo in gratia baptismi. Ideo caute ait : *Beati quorum remissæ sunt*, etc., mitigatæ et quantum ad culpam deletæ, sed non quantum ad pœnam, et *quorum peccata*, actualia, *tecta sunt* in baptismo. Peccata dicit quæ sunt in actu, quæ ita in baptismo tecta sunt ut ultra non videantur a Deo ad pœnam, quia hoc est Deum videre peccata. Omnes beati habent quod volunt, non tamen omnes qui habent quod volunt, continuo sunt beati : continuo autem miseri sunt, quod vel non habent quod volunt, vel id habent quod non recte volunt. Beatus igitur non est, nisi qui habet omnia quæ vult, et nihil vult mala. Et quia nullus est sine peccato originali, vel veniali, subdit : *Beatus*, vir (104) cui non imputavit Dominus ad pœnam *peccatum*, originale quod aliunde est, vel veniale. [Ambrosius.] Vel aliter, tres gradus delictorum fecit. Videtur enim tripertita ratio in his dictis propter delictorum varietatem. Primus gradus iniquitas, vel impietas est, scilicet cum Creator non agnoscitur, id est infidelitas. Secundus gradus est in operibus gravium peccatorum. Tertius vero, levium. Remittere vero et regere, et non imputare unius rationis et sensus sunt verba, quia et cum tegit remittit, et cum remittit non imputat. Sed ad laudem gratiæ Dei prolixius loquitur :

VERS. 9-12. — « Beatitudo hæc in circumcisione « tantum manet, an etiam in præputio? Dicimus « enim, quia reputata est Abrahæ fides ad justi« tiam. Quomodo ergo reputata est? In circumci« sione, an in præputio? Non in circumcisione, sed « in præputio. Et signum accepit circumcisionis si« gnaculum justitiæ fidei quæ est in præputio : ut « sit Pater omnium credentium per præputium, ut « reputetur et illis ad justitiam : et sit pater circum« cisionis non his tantum qui sunt ex circum« cisione, sed et his qui sectantur vestigia fidei quæ « est in præputio patris nostri Abrahæ. »

Beatitudo hæc, etc. Ex verbis Prophetæ probavit beatitudinem esse ex gratia per fidem, nunc quærit in quibus sit, an in Judæis tantum an etiam in gentibus. Quasi dicat : cum constet quod beatitudo ex gratia sit per fidem, modo quæratur in quibus sit. *Beatitudo* ergo *hæc tantum manet in circumcisione*, hoc est in Judæis, *an etiam in præputio*, id est in gentibus; id est, nunquid beatitudo. Abrahæ filiis solis concessa est, an etiam his qui ex gentibus sunt? Deinde hujus quæstionis rationem aperit dicens; *Dicimus enim*, etc. Quasi dicat : Hoc ideo quæro, quia dicimus ex sensu legis loquentes, *Quia fides reputata est Abrahæ ad justitiam* non circumcisio; id est vobis legem intelligentibus constat de Abraham quod justus sed per fidem. Et cum hoc constet, quomodo ergo reputata est, id est in quo statu, cum esset, *in circumcisione*, an etiam *in præputio*, id est postquam circumcisus est vel antequam esset circumcisus. Et, sicut in eo videbitur sic in aliis credi poterit. Deinde solvit utrique simul quæstioni respondens : *Non in circumcisione tantum*, id est in Judæis, hæc est beatitudo, *sed* etiam *in præputio*, id est in gentibus similiter : non in circumcisione tantum, id est tempore circumcisionis reputata est fides Abrahæ ad justitiam, sed in præputio, id est tempore præputii. *Et signum accepit*, etc. Respondet Apostolus his quæ objici recte poterant, scilicet cum ante circumcisionem per fidem justus esset, quare fuerit circumcisus. Et quasi quis diceret :

(102) Augustinus, De nupt. et concupisc.
(103) Id., ibid.
(104) Augustinus, De Trinitat.

Cum ante circumcisionem justus esset Abraham, cur ergo circumcisus? [Augustinus, Ambrosius.] Respondet non sine causa, et non superflue. Sed *accepit signum circumcisionis*, id est, accepit circumcisionem in signum, scilicet non qua fieret, sed qua justus ostenderetur. Quasi dicat : Accepit circumcisionem, quæ circumcisio est *justitiæ* signum jam habitæ. Non ergo circumcisio aliquid magnæ dignitatis habebat, sed signum erat ei tantum. Circumcisio enim exterior dicitur signum interioris circumcisionis, tale scilicet signum, quod sit signaculum, id est habens similitudinem signatæ rei. Ut sicut carne libidinis homo in circumcisione spoliatur, sic anima spolietur omnibus sordibus primæ nativitatis. Et quia nondum dixerat cujus rei signum sit, subdit, *justitiæ fidei*. Quasi dicat : Accepit circumcisionem in signum hujus rei, scilicet justitiæ fidei, id est justitiæ quæ ex fide, [Origenes.] vel alio modo, et alia ratione dicitur signaculum, quasi dicat : Accepit circumcisionem in signum, quod signum est signaculum, id est celans quoddam mysterium quod celatur inimicis, id est infidelibus, et servatur amicis, id est fidelibus ad similitudinem sigilli quod imprimitur, ut quod occultum volumus esse, omnibus non pateat. Hoc est autem mysterium quod circumcisio quasi celatum continet, scilicet quod sicut in octava die circumciditur homo,
20 sic in octava ætate post finem septem dierum sæculi, auferetur omnis vetustas, culpæ, scilicet et pœnæ. [Alcuinus.] Hic videndum est in quo primo instituta fuerit circumcisio, et quare, et quid conferret, et quare mutata fuerit tempore gratiæ, succedente baptismo. Abrahæ primum circumcisio commendata est, ut sub lege mandati esset, et sic probaretur an compleret vel non. Sicut Adam mandatum accepit, ne de ligno manducaret, ad probationem obedientiæ, et sicut percepta fuit circumcisio Abrahæ, ita et semini ejus, id est Hebræis ex eo nascituris. Et fiebat octava die, lapideo cultro in carne præputii sicut præceptum erat. [Strabus, Augustinus, Ambrosius.] Quinque autem de causis data fuit circumcisio. Primum, ut per obedientiam mandati Abraham placeret Deo, cui per prævaricationem Adam displicuerat. Secundo, in signum magnæ fidei Abrahæ. Cridìdit enim se habiturum filium in quo benedicerentur omnes gentes per fidem, et per quem spiritualis circumcisio impleretur, sicut justificatus est et ipse. Tertio, ut hoc signo discerneretur a cæteris nationibus ille populus. Quarto, ut circumcisio facta in virili membro per quod generatur creatura mortalium, et in quo libido solet dominari, castitatem mentis et corporis servandam, et impudicitiam recidendam indicet. Quinto, ideo præcepta fuit, quia non posset melius significari per Christum tolli originale peccatum : cum præputio quippe omnis homo nascitur, quemadmodum et cum originali peccato : et circumcisus

A præputiatum gignit, trajiciens in illum quo ipse jam caruit, sicut baptizatus in filium quem carne generat reatum trajicit originis, a quo ipse jam liber erat. In carne præputii ideo jussa est fieri, quia in remedium instituta est, scilicet contra originale peccatum, quod a parentibus contrahimus ; concepti in concupiscentia, quæ in parte illa magis dominatur ; et quia in illo membro culpam inobedientiæ primus homo cognovit, decuit ut in hoc membro obedientiæ acciperet. Fiebat autem octava die lapideo cultro, quia post septenarium vitæ hujus in octava ætate, quæ erit resurgentium, omnis ab electis per petram Christum abscidetur corruptio carnis et spiritus, quando liberabimur a servitute corruptionis : et per Christi resurrectionem in octava
B factam, circumcidetur a peccatis anima cujusque credentis in eum. Duæ itaque sunt res illius sacramenti : scilicet circumcisio a peccatis in hoc præsenti, et circumcisio ob omni corruptione in futuro. Conferebat autem circumcisio suo tempore remissionem peccatorum, sicut et nunc baptismus. [Bed.] Idem enim salutiferæ curationis auxilium circumcisio in lege contra originalis peccati vulnus præbebat, quod baptismus agere revelatæ tempore gratiæ consuevit, excepto quod regni cœlestis januam, necdum intrare poterant, tantum in sinu Abrahæ post mortem beata requie consolati supernæ pacis ingressum spe felici exspectabant (105). Item, quod apud nos valet aqua baptismi, hoc egit apud veteres, vel pro parvulis sola fides, vel pro majoribus virtus sacrificii, vel pro his qui prodierunt de
C Abrahæ stirpe, mysterium circumcisionis. Ecce ex his auctoritatibus patet, per circumcisionem peccatorum fieri remissionem, sicut et per baptismum. Cur ergo mutata est circumcisio per baptismum? Quia sacramentum baptismatis perfectius est, quia et magis commune, et magis gratiæ plenum. In circumcisione namque tantum peccata remittebantur, sed non gratia ad bene operandum, per eam præstabatur, nec virtutes dabantur vel augebantur. In baptismo autem peccata dimittuntur, et gratia cooperandi confertur, et virtutes augentur.

Ideo recte Apostolus ait quod Abraham accepit circumcisionem tantum in signum, quod est *signaculum*, in signum, dico, *justitiæ fidei*, *quæ* justitia fidei, vel fides *est* ipsi Abrahæ *in præputio*, id est in
D tempore præputii, scilicet antequam circumcideretur ; et ideo in tempore præputii habuit ex fide justitiam, *ut* ipse *sit*, id est ut ostendatur esse *pater*, id est fidei auctor exemplo, *omnium credentium*. Si pater dico etiam, *per præputium*, id est tempore præputii. Vel, per præputium, id est id quod est ei datum in tempore præputii, id est post fidem. Nota diligenter, per insolentem præpositionem, id est præter solitum hic positam, quæ nonnulla animadversa explicat. Potest enim sic intelligi : Per præputium, id est in præputio, ut dicitur per illud tem-

(105) Greg., in Moralibus.

pus, id est in illo tempore vel per præputium, id est per id quod est datum ei in tempore præputii. Si enim post circumcisionem, diceretur ex ea hoc accepisse, hic agit de paternitate, quam per fidem, Abraham consecutus est. [Ambrosius, Haimo.] Nam per carnem Judæorum tantum pater est; fide vero omnium credentium tam Judæorum quam gentium, ita eorum pater est. *Ut* et illis, credentibus, *reputetur*, ipsum credere, *ad justitiam*, id est ad remissionem peccatorum et bona opera, et ita sit, *pater* spiritualis *circumcisionis*, id est auctor justitiæ quæ ex fide sit per exemplum.

Non tantum his qui sunt ex circumcisione, carnali: [Haimo.] id est Judæis, est Abraham pater, vel reputatur fides ad justitiam, *sed et his*, quicumque sint, *qui sectantur vestigia fidei Abrahæ*, ut ita ample credant, sicut ille credidit. Abrahæ dico, *patris nostri*, id est patris omnium credentium. Quæ fides data est ei, *in præputio*, id est in tempore præputii, sicut jam dictum est. Non enim, etc. Dixit quod Abraham non per legem, sed per fidem justitiam consecutus est, et paternitatem. Nunc de promissione agens addit, quod per eamdem fidem promissionem habuit, et hæreditatem. [Ambrosius.] Quasi dicat: Per fidem est paternitas, quia per eam est promissio, non per legem vel circumcisionem quæ nondum erant, et hoc est:

VERS. 13-15. — « Non enim per legem facta est « promissio ipsi Abrahæ aut semini ejus ut hæres « esset mundi, sed per justitiam fidei. Si enim qui « ex lege hæredes sunt, exinanita et fides, abolita « est promissio. Lex enim iram operatur. Ubi enim « non est lex, nec prævaricatio. »

Non enim per legem facta est promissio, ipsi Abrahæ, aut semini ejus, [Ambrosius, Haimo.] id est ad opus seminis ejus, scilicet credentium omnium qui sunt semen Abrahæ, non carne sed imitatione. [Ambrosius.] Vel, semini ejus, id est Christo, cui dicitur facta promissio, quia in eo implenda erat. Quæ promissio? hæc scilicet *ut esset hæres mundi*. Nondum enim lex data erat, quando hæc promissio facta est. Abraham dicitur hæres mundi, id est possessor aliquorum de toto mundo qui eum imitentur, [Haimo.] quia omnes credentes per fidem filii sunt Abrahæ, et ipse in Christo qui ex eo natus est, possidet omnia. Abraham ergo mundi hæres est, et in se et in semine suo, id est Christo: sed in se, per exemplum; Christus autem hæres est, id est Dominus mundi, secundum potestatem, per quem benedictio filiis Abrahæ fit, cui dedit Pater gentes, de terminos terræ, sicut ait David: *Dabo ei gentes*, etc. (*Psal.* II). Itaque in illo est impleta promissio qua dictum est Abrahæ: *Patrem multarum gentium posui te* (*Gen.* XVII). Et item: *In semine tuo, benedicentur omnes gentes* (*Gen.* XXII), et alia hujusmodi. Hæc promissio, ut dictum est, non est facta per legem, sed per justitiam fidei, per quam benedicuntur homines, fiunt filii Abrahæ. *Si enim*, etc.

A Dixit per justitiam fidei promissionem hæreditatis factam Abrahæ, non per legem: nunc dicit, per eamdem justitiam fidei fieri hæredes Abrahæ, non per legem. Quasi dicat: Vere Abraham non est hæres mundi per legem, quia filii ejus non sunt per legem. Qui filii dicuntur hic hæredes? [Ambrosius.] scilicet quos ille habet possidentes. Et vere, non, quia si hoc verum esset, scilicet *si*, illi *qui sunt hæredes tantum ex lege sunt*, id est, esse dicuntur hæredes, hæc inconvenientia sequuntur, quod *fides est exinanita*, id est frustrata, qua constat justum fuisse Abraham. *Et promissio est abolita*, [Augustinus.] id est inexpleta ut nulli sint hæredes. *Lex enim*, non facit aliquos hæredes, nam potius, *operatur iram*, id est pœnam. Ad hoc enim data est ut reos faceret B delinquentes, non efficienti causa, sed non adjuvante gratia. Vel ut reos faceret temporalibus pœnis, iram operatur, non prævaricationem: ex ea enim est prævaricatio. [Ambrosius.] Quod qualiter dictum sit, aperit dicens: *Ubi enim non est lex*. Quasi dicat: Ideo ex lege esse iram et prævaricationem, quia sine ea non est. Ubi enim non est lex, *nec prævaricatio*. Hoc ideo dicit, quia sublatis de lege data est venia; justificatis, nulla est prævaricatio. [Augustinus.] Justificati enim sunt qui per prævaricationem legis fuerant peccatores. Nota quod non ait ubi non est lex, non est iniquitas; sed ait, non est prævaricatio. Omnis enim legem præteriens iniquus est, sed non omnis iniquus est legem præteriens. Qui enim legem non acceperunt, iniqui dici possunt, prævaricatores autem dici non possunt. C In hoc ergo ostendit quod prævaricatio omnino esse non possit, ubi lex non fuerit, nec ira tanta, sine lege.

VERS. 16, 18. — « Ideo ex fide ut secundum gra- « tiam firma sit promissio omni semini, non ei qui « ex lege est solum, sed et ei qui ex fide est Abra- « hæ, qui pater est omnium nostrum; sicut scriptum « est: Quia patrem multarum gentium posui te ante « Deum cui credidisti, qui vivificat mortuos, et vocat « ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt. Qui con- « tra spem in spem credidit, ut fieret pater multa- « rum gentium, secundum quod dictum est ei. « Sic erit semen tuum, sicut stellæ cœli et arena « maris. »

D *Ideo ex fide*, etc. [Augustinus.] Ex prædictis infert, ex fide hæredes Abrahæ: Quasi dicat: Et quia hæc inconvenientia sequerentur, si ex lege essent hæredes, *ideo*, ex toto patet quod sunt hæredes, *ex fide*, [Ambrosius.] quæ est domum misericordiæ. Et sic est firma promissio omni semini Abrahæ. Unde subdit: *ut firma sit promissio omni semini* Abrahæ, id est Judæo et gentili imitatori. Solis enim imitantibus firma est promissio, scilicet quod filii sunt Dei. Firma sit dico secundum gratiam fidei, non secundum merita legalium operum, seu quorumlibet fidem præcedentium. Firma enim promissio esse non potest omni semini, nisi ex fide, quia origo promissionis ex fide est, per quam purgandi sunt

ut digni sint dici filii Dei. *Non ei*, etc. (106). Quasi dicat : Firma est promissio per gratiam fidei omni semini, *non solum ei qui ex lege est*, id est non tantum ei qui ex veteri lege venit ad novam, id est Judæis, *sed et ei*, quicunque sit, *qui ex fide est Abrahæ*, id est qui sequitur fidem Abrahæ quam, 21 Gentilis habuit, ut esset justus. [Haym., Ambros.] Vel ita, firma est promissio omni semini et non tantum *ei*, qui solus est ex lege, id est qui de operibus legis præsumit, quia hic talis a gratia Dei excidit ; sed ei solummodo qui est ex fide Abrahæ, id est qui imitatur fidem Abrahæ. Et ideo causa fidei a lege recedendum est, ut firma promissio. Lex enim sine gratia promissionis non solum non aufert, verum etiam auget peccatum (107) ; non quia fit efficiens causa peccati, cum sit sancta et bona ; sed quia ea data, augmentum peccati accessit, quod sine ea non accessisset. Multa enim sunt quæ dicuntur efficere aliqua, non quod ipsa efficiant, sed quia sine ipsis non fierent illa quæ fiunt. *Qui*, Abraham, *est pater*, id est institutor per exemplum fidei, *omnium nostrum*, scilicet credentium pater est, *sicut scriptum est*, in Genesi. [Haimo.] Quasi dicat : Hoc est in quo consentit auctoritas dicens : *Quia posui te*, o Abraham, id est constitui te, *patrem*, id est auctorem, secundum fidem, non modo circumcisorum Judæorum, sed et *multarum gentium*, in quo percutitur Judæorum superbia, qui gloriantur de progenie Abraham descendere. [August.] Non enim carnaliter circumcisæ genti tantum factus est pater, sed etiam incircumcisis gentibus, fidem Abrahæ imitantibus. Te, dico, qui es *ante Deum*, id est places Deo, *cui credidisti*. [Haimo.] Quasi dicat : Per fidem ei places, *qui vivificat*. Hæc sunt verba Apostoli. Quasi dicat : Et ipse est cui merito credendum est, quia ipse est qui vivificat, per fidem et gratiam, *mortuos*, id est Judæos mortuos in peccatis. In hunc ergo secure creditur, qui mortuos justificat. *Et vocat*, per gratiam, *ea quæ non sunt*, id est gentiles qui nil videbantur esse, *tanquam ea quæ sunt*, id est Judæos qui aliquid esse videbantur. Qui enim adhærent ei per fidem et dilectionem, esse dicuntur ; qui vero in peccatis mortui sunt, sicut erant gentiles, quia non adhærerent ei qui vere est, non esse dicuntur. [Augustinus.] Vel ita, secundum aliam litteram ; *qui vocat ea quæ non sunt tanquam sint* : non ait, ut sint, sed tanquam sint, quia prædestinata sunt, et disposita. Sic enim ea quæ futura sunt, jam apud Deum sunt ; apud Deum quippe jam factum est, quod ejus dispositione, vel prædestinatione futurum est. Unde alibi : *Qui fecit quæ futura sunt* ; et alibi : *Qui elegit nos ante mundi constitutionem* (*Ephes.* I). Quis sufficit hoc explicare ? (108) Eliguntur qui non sunt, nec errat qui eligit, nec vane eligit. Eligit tamen, et habet electos quos creaturus est eligendos, quos habet apud semetipsum, non in natura sua, sed in præsentia sua. Nondum erant, quibus promittebatur ; sed quibus promissum est, et ipsi promissi sunt. Vocat ergo quæ non sunt, tanquam quæ sint, id est his qui non sunt, disponit et præparat ab æterno gratiam justificationis et glorificationis, apponendam in tempore tanquam sint, id est tanquam illis qui jam sunt apud Deum per prædestinationem : in quo sola apparet gratia. [Aug.] Non enim homo qui non erat, promeruit ut esset, vel ut bonus esset, vel beatus. Si enim promeruit, jam erat, sed nondum erat, ergo non promeruit ; sed electionis gratiam habuit, ut totum corpus Christi dicat : *Gratia Dei sum, id quod sum* (*I Cor.* XV). Communis (109) enim est natura omnibus, sed non gratia ; nisi ipsa natura putetur esse gratia, quia gratis concessa est. Excepta ergo illa gratia, de qua modo non agitur qua condita est humana natura, scilicet qua homines sumus, quæ Christianis paganisque communis est ; hæc est major gratia, et solis electis concessa, non quod per Verbum homines creati sumus, sed quod per Verbum carnem factum fideles beatique facti sumus. Vel vocat, id est agnoscit, ea quæ non sunt, in actu, tanquam ea quæ sunt. *Qui contra spem*, etc. Commendato illo cui credidit Abraham, incipit commendare fidem ipsius Abrahæ, ut alii eum imitentur. Quasi dicat : Merito Abraham est pater omnium, qui contra spem (110), priorem, quæ erat de natura, id est secundum naturalem consuetudinem, *credidit*, *Deo promittenti, in spem*, id est sperans et secure expectans quod promissum erat. Prior spes, secundum naturam fuit, [Haimo.] scilicet dum juvenis et juvencula secundum naturam speravit, sobolem nec tamen habuit ; modo contrarium illi spei speravit, scilicet ut vetulus ex vetula et sterili generaret ex Dei potentia, quæ spes est gratiæ. Credidit, dico, *ut* ita, *fieret*, *pater multarum gentium*. Per fidem ita impleri credidit, scilicet secundum quod dictum est ei, id est promissum, in Genesi scilicet : *Sic erit semen tuum, sicut stellæ cœli, et arena maris*, id est innumerabiles erunt, qui et boni per stellas significantur ; et mali, qui per arenam intelliguntur. Ita Abraham credidit,

VERS. 19-23. — « Et non infirmatus est in fide, « nec consideravit corpus suum emortuum, cum « jam fere centum esset annorum, et emortuam « vulvam Saræ. In repromissione etiam Dei non « hæsitavit diffidentia ; sed confortatus est fide, « dans gloriam Deo : plenissime sciens quia quæ- « cunque promisit Deus, potens est et facere. Ideo « et reputatum est illi ad justitiam. »

Et non infirmatus est in fide. [Haimo.] Infirmatur ille qui hæsitat, etsi causam, qua posset infirmari, haberet, scilicet suam senectutem, et Saræ sterilitatem et senectutem. Unde ait : *Nec conside-*

(106) Augustinus, De bap. parv.
(107) Id., in psal. CXVIII.
(108) Id., De verb. Dom.
(109) Id., De ver. Apostoli.
(110) Id., in V lib. de Trinitate.

ravit corpus suum esse *emortuum*, ab opere generandi filios, *cum fere centum esset annorum*. Et similiter non consideravit, *vulva Saræ* esse, *emortuam*. Non sine causa hæc et alia contra naturam fecit Deus. [Ambros.] Ideo enim talia fecit ut errorem auferret, et se omnipotentem Deum omnium monstraret. Aliqui enim inflati ratione mundi, Deum neglexerunt. Ideo quæ mundo impossibilia sunt, fecit Deus, ut qui per hæc crederent salvarentur, Dei dominio mancipati. Attendendum est etiam quod non præter magnæ rei figuram, Isaac contra naturam generationis humanæ fuit promissus. Hoc enim fuit in signum, Dei filium contra naturam humanam et rationem ex homine nasciturum, filiosque hominum per spiritum regenerationis ex peccatoribus filios Dei, ex mortalibus immortales generandos. Et non solum in promissione non hæsitavit Abraham, sed *etiam in repromissione Dei*, id est quando iterum angelus promisit : *Secundum tempus hoc veniam, et erit Saræ filius*. Etsi ipsa promissio differretur, *Non* tamen *hæsitavit diffidentia; sed confortatus*, id est confirmatus *est fide, dans gloriam Deo*, de constantia fidei; *plenissime sciens*, multo intuitu virtutis Dei, *quia quæcunque promisit Deus, potens est facere*, ut promittere, id est ita leviter potest facere, ut promittere. Hoc gentes imitari debent, ut scilicet credant, sicut Abraham credidit, scilicet Deum posse quæcunque promisit (111). Et nota quod non ait, quæcunque prædixit, vel præscivit, sed quæcunque promisit potens est facere, quia omne quod promisit ipse facit; et si enim faciunt homines bona quæ promisit, ipse tamen facit, quia facit ut illi faciant, non illi faciunt ut ipse faciat quod promisit (112). Alioquin ut Dei promissa impleantur, non in Dei, sed in hominum est potestate. Promisit ergo quod ipse facturus fuerat, non quod homines. Non enim de nostræ voluntatis potestate, sed de sua prædestinatione promisit. Congrue ergo non ait prædixit, vel præscivit. Nam et aliena facta potest prædicere atque præscire ; sed promisit, ut hoc intelligeretur promittere quod ipse facit. Non enim ipse promittit, et alius facit : quod jam non esset promittere, sed tantum prædicere. *Ideo*, etc. Quasi dicat : Quia Abraham confortatus est fide, ideo et ipsum credere *reputatum est ei ad justitiam*. Quasi dicat : Per hoc quod credidit, et accepit promissum, et justus factus est. Et quasi aliquis diceret : Quid hæc ad nos ? subdit :

VERS. 23-25. — « Non est autem scriptum tantum propter ipsum, quia reputatum est illi ad justitiam ; sed et propter nos, quibus reputabitur credentibus in eum, qui suscitavit Jesum Christum Dominum nostrum a mortuis, qui traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram. »

Non autem scriptum est tantum propter ipsum, id
A est propter laudem ipsius, hoc scilicet *quia reputatum est illi ad justitiam* ; *sed et propter nos* instruendos, *quibus reputabitur* fides ad justitiam *credentibus in eum*, scilicet Deum Patrem, *qui suscitavit Dominum nostrum Jesum Christum*. [Haimo.] Quasi dicat : Qui hæc fecit, nobis proderit. Suscitavit dico, *a mortuis*, id est a sepulcro, qui proprie locus est mortuorum. Pater suscitavit Filium, et ipse Filius secundum quod Deus suscitavit semetipsum. Quod idem operatus est et Spiritus sanctus. *Qui*, Christus a Deo Patre, a Juda, a Pilato, *traditus est in mortem propter delicta nostra* tollenda, jure diaboli destructo. *Et resurrexit propter justificationem nostram*, id est ut juste vivamus, quod aliter non poteramus. [Aug.] Nota quod utraque, id est
B mors et resurrectio Christi, delicta nostra tollunt, et utraque justificant ; tamen mors Christi sola interitum vitæ veteris significat, et in sola resurrectione, nova vita signatur ; quæ a justificatione incipit, et in immortalitate perficietur. Ideoque congrue quantum ad significationis diversitatem verba divisit dicens : Traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram.

CAPUT V.

VERS. 1, 2. — « Justificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem habemus accessum per fidem in gratiam istam in qua stamus et gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. »

22 Ostendit justitiam esse ex gratia fidei, sine
C lege. Hic ostendit ex eadem alia plura bona esse. Quasi dicat : Quia ex fide est justificatio, igitur pacem habete cum Deo. Quasi dicat : Hæc dissensio quæ inter vos est, contra Deum est. [Haimo.] Judæi namque et gens inter se disceptabant : et Judæi quidem de antiquæ legis operibus, gentiles vero de nova Christi vocatione, præsumptive gloriabantur, et merita jactabant ; ideoque utrorumque jactantiam reprimens, ad pacem monet, et ne indignentur se eis annumerat. Quasi dicat : Quia ex fide est justitia, *igitur* et nos *justificati ex fide*, non ex lege, non ex nobis, id est non propter aliquod meritum nostrum quod præcesserit fidem. *Pacem habeamus ad Deum*, quam non habetis, vos Romani, dum invicem arrogatis. (113) Attende quod hic ait : justificati
D ex fide. Qui supradixit justificati gratis per gratiam, hoc ideo dixit ne ipsa fides superba sit : nec dicat sibi, si ex fide, quomodo gratis ? Quod enim fides meretur, cur non potius redditur quam donatur ? Non dicat ista homo fidelis, quia cum dixerit : Ut merear justificationem habeo fidem, respondetur ei : *Quid habes quod non accepisti ?* (*Cor.* IV.) Cum ergo fides impetrat justificationem, sicut unicuique Deus partitus est mensuram fidei, non gratiam Dei, aliquid meriti præcedit humani, sed ipsa gratia meretur augeri, ut aucta mereatur et perfici, volun-

(111) Augustinus, De correctione et gratia.
(112) Id., ad Prosperum et Hilar.

(113) August., ad Bonifac pap.

tate comitante, non ducente, pedissequa, non prævia. [Ambrosius.] Vere igitur ex fide justificati sumus, et per eam pacem habeamus ad Deum. Pacem namque cum Deo habere fides facit, non lex : hæc enim nos reconciliat Deo, sublatis peccatis, quæ nos fecerant inimicos. [Cassiodorus] Pacem autem ille habet cum Deo, qui adversum mandata ejus contraria voluntate non litigat, qui sequitur jussa Domini, et ad omne præceptum divinum suum flectit arbitrium. Pax enim vera est, concordare moribus probis, et litigare cum vitiis. [Paulinus.] Contra pax hujus mundi, quæ peramica est vitiis, Deo dissidet, quam Christus non venit mittere sed tollere. Dico, habeamus pacem ad Deum, [Ambros.] quia ei reconciliati sumus per ministerium gratiæ, scilicet *per Dominum nostrum Jesum Christum*, id est per auxilium et gratiam ejus. *Per quem* etc. Enumerat beneficia, quæ a Christo habentur, dicens, per quem Christum, id est cujus ope : *Habemus accessum per fidem,* [Haimo.] id est introitum, vel aditum, non modo ad Deum, sed etiam *in gratiam istam*, id est in bonam vitæ observantiam, *in qua stamus*, [Ambrosius] spe supernæ claritatis erecti, qui ante occidimus in Adam, *et gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei,* id est angelorum vel sanctorum, id est gloriamur de eo quod speramus, gloriam quam filii Dei habent, scilicet angeli vel sancti.

VERS. 3-5. — « Non solum autem, sed et gloria« mur in tribulationibus, scientes quod tribulatio « patientiam operatur, patientia autem probatio« nem, probatio vero spem. Spes autem non con« fundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus « nostris per Spiritum sanctum, qui datus est « nobis. »

Non solum autem, gloriamur de spe gloriæ, *sed etiam gloriamur*, per gratiam ejus, *in tribulationibus*, quas pro Christo patimur, quibus itur ad gloriam. Per tribulationes enim oportet nos intrare in regnum cœlorum, vel Dei (*Act.* XIV). Ideoque gloriandum in his dicit, [Joannes Dam.] spei enim addita tribulatio augmentum facit præmii, indexque est fixæ spei tribulatio. Non enim est magnum gloriari in lætis ; recti corde. etiam in tribulationibus glorientur, magnitudinem præmii cognoscentes, de tribulatione finienda, infinitum præmium acquisituri. *Scientes*, etc. Quasi dicat : Cur gloriamur? quia sumus *scientes quod tribulatio operatur patientiam*, [Haimo.] quia per exercitium tribulationis docetur aliquis strenuus, dum fortiter tolerat tormenta, [Augustinus.] per quod sancti martyres vicerunt sævitiam tyrannorum. Operatur ergo patientiam vel eam augendo, vel potius ostendendo. Quod autem tribulatio non tollit patientiam, sed auget, hoc facit charitas, quæ est proprium donum Spiritus sancti. Patientia operatur probationem, id est purificationem. (114) Quanto magis enim quis patitur, tanto purior redditur, dum anima fidelis non resistens ordinationi Dei, non diligit ejus voluntatem, cujus malitiæ potestas datur in bonos, sed ejus voluntatem a quo hæc potestas datur. Cum ergo quis intelligens quod non est potestas, vel dæmonum, vel persecutorum, nisi a Deo, sustinet patienter, probatur, id est bonus esse monstratur, et efficitur melior, tanquam aurum quod per ignem et purum ostenditur et purius redditur. Hæc vero *probatio* operatur *spem*, id est certitudinem futuræ gloriæ. [Haimo. Ambrosius.] Spes enim est certa exspectatio futuræ gloriæ, quæ humanæ rationi vana videtur, sed testimonio virtutis, id est patientiæ vel miraculorum firmatur. [Haimo.] Qui enim inter tribulationes, et adversa probabilis existit per patientiam, ille securus præmium futuræ beatitudinis exspectat. [Ambros.] *Spes autem* hæc, quamvis stulti et hebetes a perfidis judicemur, credentes ea quæ mundana carent ratione, *non* tamen *confundit,* id est non facit erubescere, quia impletur. Confunditur enim qui quod sperabat non invenit, sicut contingit illi qui sperat in homine. Hæc autem spes ideo non confundit, quia est in Deo, qui non falli, nec fallere potest, non in homine mendace ; maledictus enim qui spem suam ponit in homine.

Quia charitas. Quasi dicat : Dico quod spes non confundit, id est impletur, et constat eam esse implendam ex eo quia charitas Dei est, *diffusa in cordibus nostris per Spiritum sanctum* [Augustinus.] Non enim a nobis est charitas nobis. *Qui* Spiritus *datus est nobis*, id est ex eo constat eam implendam, quia jam Spiritum sanctum in arrham habemus, quo charitate diffusa in cordibus nostris, Deum late diligimus. [Haimo.] Verbum effusionis largitatem muneris notat, sicut et in Joel : *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem* (*Joel* II). [Ambrosius, Augustinus.] Fidele autem promissum Dei esse probat Spiritus sanctus datus nobis, qui est pignus implendæ spei. Attende quod gradatim Apostolus perducit usque ad charitatem Dei, quæ major est aliis : quam cum dicit nos habere per donum Spiritus, monstrat illa omnia Deo esse tribuenda. (115) Ergo unde est tibi, o homo, charitas, nisi quia diffusa est per Spiritum sanctum in cordibus ? Ideoque ne quis eam putaret se habere per proprium arbitrium, cum dixisset, charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, addidit per Spiritum sanctum qui datus est nobis. (116) A quo, nisi ab illo qui ascendit in altum, id est ad Patrem ? ipse enim dedit dona hominibus (*Ephes.* IV) Insinuatur nobis auctoritas in Patre, nativitas in Filio, communitas Patris Filiique in Spiritu sancto, æqualitas in tribus. Quod ergo commune est Patri et Filio, per hoc nos voluit habere communionem, et inter nos, et secum, quod ambo habent unum, id est per Spiritum sanctum Deum, et donum Dei. In hoc enim Divinitati reconciliamur, eaque delectamur. Sicut enim veritate dicimus, ita charitate

(114) Augustinus, in lib. Quæst. num. 83.
(115) Id., ad Julianum.

(116) Id., De blasphemia Spiritus sancti.

diligimus, ut et plenius cognoscamus, et beati cognito perfruamur : et quia peccatis alienabamur a possessione verorum bonorum, ideo data est charitas quæ operit multitudinem peccatorum (*I Petr.* IV). (117) Arbitror ergo ideo Spiritum sanctum bis datum, ut nobis commendarentur duo præcepta charitatis, scilicet diliges Deum, et diliges proximum. Una est charitas, et duo præcepta ; unus spiritus, et duo data : quia non alia charitas proximum diligit, nisi illa quæ diligit Deum. Qua ergo charitate proximum diligimus, ipsa Deum diligimus. Sed quia aliud est Deus, aliud proximus, etsi una charitate diliguntur, non sunt tamen unum quæ diliguntur. (118) Et ideo forte dicuntur duo præcepta, et alterum majus, et alterum minus. Hæc autem charitas, ut ait Apostolus, diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis. A quo datur ! Ab illo, ut diximus, qui dedit dona hominibus. Quæ dona ? Spiritum sanctum, qui tale dat donum qualis est ipse. (119) Magna est misericordia ejus. Donum dat æquale sibi, quia donum ejus Spiritus sanctus est, unus Deus, tota Trinitas est. Diffundit ergo charitatem in cordibus nostris Spiritus Patris et Filii, quem cum Patre amamus et Filio. Ipse ut diligeretur nobis dedit, qui non dilectus nos dilexit. (120) Ipse est fons de quo Scriptura dicit : Fons aquæ vivæ sit tibi proprius, et nemo alienus communicet tibi. Alieni enim sunt omnes qui non diligunt Deum ; et ipse fons est Spiritus sancti, quem non possunt accipere mali ; et charitas est, quam habere et malus esse non potest aliquis. Intelligamus ergo in dilectione Spiritum sanctum esse, sed nomen Christi, et baptismum habere, et corpus Domini sumere, et cætera sacramenta habere, et malus esse, potest. Charitas ergo est, proprium donum Spiritus et singularis fons. Et attende quod dicendo charitatem diffusam per Spiritum qui datus est nobis, ostendit quod Spiritus et Deus est, et Dei donum est : vel ita, ut accipiatur charitas Dei, non qua nos, id est secundum quam nos diligimus Deum, sed qua ipse diligit nos. Quasi ideo spes non confundit ; quia charitas Dei diffusa est erga nos, id est quia Deus late diligit nos. [Ambrosius.] Et hoc habemus, in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, qui facit nos intelligere charitatem Dei erga nos, qui diversis linguis præstitit ut etiam imperiti loquerentur cum interpretationibus ; per quod et spes nostra confirmatur, et charitas Dei in nobis commendatur, ut quia charos Dei falli impossibile est, securos nos faceret de promissione, quia Deus est qui promisit, et his quos charos vult habere, promisit.

VERS. 6. 7. — « Ut quid enim Christus, cum « adhuc infirmi essemus secundum tempus pro im- « piis mortuus est ? vix enim pro justo quis mori- « tur, nam pro bono forsitan quis audeat mori ? »

23 *Ut quid enim*. Ostendit supra quod spes implebitur per hoc quod Christus diligit nos, vel nos eum per Spiritum ; nunc idem ostendit per hoc quod Christus mortuus est, quod et divinæ dilectionis effectus est, et causa spei nostræ implendæ. Quasi dicat : Cum nos Deus diligat, vel nos eum diligamus per Spiritum sanctum, constat quod spes implebitur, quia nisi ita sit, frustra passus est Christus. Et hoc est, vere spes implebitur, *enim*, id est quia nisi spes implenda sit, *ut quid Christus mortuus est*, id est cur tam magnum fecit, scilicet ut moreretur ? Et hoc, *pro impiis*, id est pro dilectione impiorum. Vel pro impiis, id est vice impiorum qui deberent mori in æternum merito impietatis. Pro impiis, dico, non qui olim fuissent, et non tunc, sed potius mortuus est pro nobis impiis. *Cum essemus adhuc infirmi*, in peccatis, et ita medico indigentes, mortuus est, dico et hoc, *secundum tempus*, id est per triduum tantum, quia die tertia resurrexit. [Ambrosius, August.] Ne ergo desperes de ejus potentia, cujus apparet in morte benevolentia, et a quo tales arrhas accepimus, quod donavit impiis mortem suam, qui servat justis vitam suam. Mortuus est pro te, o homo mortalis, ut vivas cum illo ; suscepit mortem nostram, ut donaret nobis vitam suam. Incredibilius est quod mortuus est æternus, quam ut in æternum vivat mortalis. Jam quod est incredibilius tenemus, scilicet quod propter homines mortuus est Deus. Num est ergo victurus homo cum Deo ? num mortalis victurus est in æternum propter quem mortuus est qui vivit in æternum ? Sed quomodo mortuus est, et unde, et potest mori Deus ? Accepit ex te unde moreretur pro te ; induit se ut moreretur pro te, induet te ut cum illo vivas ; induit se carne mortali in virginitate matris, induet te vita perenni in æqualitate Patris. Ecce quomodo amatus es non amandus. Amatus enim es turpis et fœdus, antequam esset in te quod amari dignum esset. Amatus es prius, ut dignus fieres qui amareris ; dilectus es prius, ut diligentem postea diligeres. Impius enim eras, damnari merueras : et tamen pro te mortuus est Christus. Vel secundum seriem verborum potest legi littera sic, non mutata sententia : Quasi dicat : Vere spes implebitur. *Ut quid enim*, nisi spes implenda sit, *Christus*, *cum infirmi essemus*, *mortuus est pro nobis impiis*, id est pro nobis qui adeo infirmi eramus, quod etiam impii. Mortuus dico, *secundum tempus*. Et est sensus : Pro nihilo tam magnum fecit Christus, nisi spes nostra implenda esset. Et vere magnum est hoc quod fecit. *Vix enim moritur quis*, id est raro moritur aliquis etiam, *pro justo*, [Haimo.] id est pro dilectione justi, et boni, nedum pro impio. Ideo raro dico : *Nam forsitan* potest inveniri, *quis*, id est aliquis qui *audeat mori pro bono*. [Ambrosius] Quasi dicat : Sed difficile est invenire, qui hoc faciat ; Christus autem

(117) Augustin., in sermone de ascensione.
(118) Id., De verbis Apostoli.
(119) Id., in libro Sententiarum Prosperi.
(120) Id., ex ser. Epistolæ Joannis.

pro impietatibus populi adhuc non sui, mortuus est. Vel ita, ut fiat distinctio inter justum et bonum. Justus enim pro exercitio virtutum hic dicitur, qui et bonus est; sed est bonus, qui non est justus, scilicet qui natus est in simplicitate; innocens, qui nondum laboravit, ut amplificaret se bonis, ut sunt parvuli in baptismo mundati. Justus autem bonum naturæ suæ exercitio melioravit, et licet justus secundum modum quo hic accipitur melior sit quam bonus, innocentiæ tamen causa est miserabilior quam justitiæ, quia non est hujusmodi justitiæ sine severitate. Et est sensus : Vere magnum fecit Christus moriendo pro impiis. Vix enim moritur quis pro justo, qui habet exercitium virtutum. Ideo dico pro justo; nam pro bono, id est simplici et innocenti, forsitan quis audeat mori. Dicendo de justo, vix et quis; et de bono, forsitan, et quis audeat : utrumque difficile ostendit, et rarum, sed alterum difficilius et rarius.

VERS. 8-10. — « Commendat autem charitatem suam « Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores « essemus, secundum tempus Christus pro nobis « mortuus est. Multo igitur magis nunc justificati in « sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum. « Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus « Deo per mortem Filii ejus, multo magis recon« ciliati salvi erimus in vita ipsius. »

Commendat, etc. Quasi dicat : Pro justo, vel pro bono vix moritur aliquis, sed Christus pro nobis peccatoribus mortuus est. In hoc *autem Deus commendat suam charitatem*, id est in hoc laudabilior ejus charitas apparet quæ est effusa *in nobis*, qui indigni ea fuimus. In hoc enim magnus effectus dilectionis mittentis Patris, et venientis Filii nobis est exhibitus, *quoniam, cum adhuc essemus*. Quasi dicat : Dico quod Deus commendat charitatem in nobis, ita utique commendat, *quoniam Christus mortuus est pro nobis, cum adhuc essemus peccatores*, id est in hoc commendat quod Christus mortuus est pro nobis peccatoribus. Et si hoc est, quod utique est, igitur *justificati* sumus nunc, remissione peccatorum facta, *in sanguine ipsius*, id est per mortem ejus. Et si hoc est, quod utique est, *multo magis* nos jam justi *salvi erimus per ipsum*, viventem. Gravius est enim pro peccato mori, et peccatum tollere, quam jam justos et jam cooperantes salvare. Salvi erimus, dico, *ab ira*, id est a pœna æterna, cujus causa non est nisi peccatum quod abstulit. [Haimo.] Licet enim plerisque in locis iram Dei legamus, non est putandum tamen quod in illum cadat ulla perturbatio, qui semper idem manet, et in tranquillitate judicat; sed ira appellatur vindicta, et ultio ipsius. Advertendum est quod ad commendationem divinæ dilectionis sæpe Apostolus iterat de morte Christi, et ad repressionem humani tumoris, hominis repetit infirmitatem. Dixerat enim supra : Christus mortuus est pro impiis, et iterum repetit hic, Christus pro nobis mortuus est, cum adhuc peccatores essemus. [Augustinus.] Ecce, dum oderat nos secundum peccata, amabat secundum quod opus ejus eramus, quod et fecit ante mundi constitutionem (121). Incomprehensibilis est enim dilectio qua nos diligit Deus atque immutabilis. Non enim ex quo ei reconciliati sumus, per sanguinem Filii ejus, nos cœpit diligere; sed ante mundum, prius quam omnino aliquid essemus dilexit nos, ut cum ejus Unigenito etiam nos filii ejus essemus. Quod ergo nos reconciliati sumus Deo per mortem Christi, non sic est intelligendum, quasi ideo nos reconciliaverit ei Christus, ut jam inciperet amare quos oderat, [Aug.] sicut reconciliatur inimicus inimico, ut deinde sint amici, et se invicem diligant qui ante se invicem oderant : sed jam nos Deo diligenti reconciliati sumus, cum quo propter peccatum inimicitias habebamus. Habebat enim ille charitatem erga nos, etiam cum inimicitias exercebamus adversus eum, operando iniquitatem (122). Sicut enim ei dictum est : *Odisti omnes qui operantur iniquitatem* (*Psal.* v). Ita et illud ei dictum est : *Nihil odisti eorum quæ fecisti* (*Sap.* XI). Proinde miro et divino modo etiam quando nos oderat diligebat. Oderat enim nos quales ipse non fecerat, et quia iniquitas nostra non penitus consumpserat ejus opus. Noverat simul in unoquoque nostrum, et odisse quod feceramus, et amare quod fecerat. Et hoc quidem intelligi in omnibus potest. Quis ergo possit eloqui digne quantum diligat membra unigeniti Filii sui, et quanto amplius Unigenitum suum? Ex his ergo non meritum nostrum, sed Dei misericordia commendatur, quia nos tales et tantum dilexit, ut pro nobis impiis moreretur; quod est testimonium atque pignus ejus dilectionis, *qui* enim *proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus illum tradidit, quomodo non etiam cum illo nobis omnia donavit?* (*Rom.* VIII.) Dicendum utique hoc erat, scilicet quantum nos dilexerit, et quales : quantum, ne desperaremus, et ipsa desperatione non auderemus erigi in eum; quales, ne superbiremus et superbientes de meritis nostris magis ab illo resiliremus et in nostra fortitudine magis deficeremus.

Illud quoque attendendum est quod dicit nos justificatos in sanguine Christi, et reconciliatos Deo, tanquam non alio modo posset nos reconciliare, et justificare nisi per mortem Christi (123), de quo dicimus, quod fuit et alius modus possibilis Deo, qui omnia potest, sed nullus alius nostræ miseriæ sanandæ fuit convenientior. Quid enim mentes nostras tantum erigit, et ab immortalitatis desperatione liberat, quam quod tanti nos fecit Deus, ut Dei Filius immutabiliter bonus in se manens quod erat, et a nobis et pro nobis accipiens quod non erat, præter naturæ suæ detrimentum dignatus nostrum inire consortium, sine ullo merito suo malo, mala nostra moriendo perferret, et credentibus dona

(121) August., super Joan.
(122) Id., in eodem.
(123) August. in lib. De Trinit.

sua sine ullis meritis nostris indebita largitate conferret? Quia et ea quæ dicuntur merita nostra bona, dona sunt ejus. Dona namque Dei sunt merita nostra, quibus ad summum bonum pervenimus. (124) Est præterea alia ratio quare potius isto modo quam alio liberare voluit, quia sic, scilicet per mortem Christi, justitia superatur diabolus, non potentia. Quod quomodo factum sit, ut pateat explicabo, prout potero. Quadam justitia Dei in potestatem diaboli traditum est genus humanum, peccato primi hominis in omnes utriusque sexus commistione nascentes originaliter transeunte, et debito primorum parentum obligante, quocirca omnes homines ab origine sunt sub principe diabolo. Unde Apostolus: *Eramus natura filii iræ* (*Ephes.* II), [Augustinus.] natura scilicet, ut est depravata peccato, non ut est creata ab initio. Modus autem ille quo traditus est homo in potestatem diaboli, non ita debet intelligi, tanquam Deus hoc fecerit, aut fieri jusserit, sed quod tantum permisit, juste tamen illo deserente, peccantem peccati auctor illico invasit: non tamen Deus continuit in ira miserationes suas, nec hominem a lege suæ potestatis amisit, quando in potestate diaboli esse permisit, sed inter mala pœnalia, etiam malis multa præstitit bona, et tandem hominem quem commistio peccatorum diabolo subdidit, remissione peccatorum donata, per sanguinem Christi eruit a diabolo, ut sic justitia vinceretur **24** diabolus, non potentia. Sed qua justitia? Jesu Christi. Et quomodo victus est ea? quia cum in eo nihil morte dignum inveniret, occidit eum tamen. Et utique justum est, ut debitores quos tenebat liberi dimittantur in eum credentes, quem sine ullo debito occidit. Ideo autem potentia vincere noluit, quia diabolus vitio perversitatis suæ amator est potentiæ, et desertor oppugnatorque justitiæ, in quo homines magis eum imitantur, qui, neglecta vel etiam perosa justitia, potentiæ magis student, ejusque vel adeptione lætantur, vel cupiditate inflammantur. Ideoque placuit Deo, ut non potentia sed justitia vincens, hominem erueret, in quo homo eum imitari disceret. Postea vero in resurrectione secuta est potentia. Justitia ergo prius, et potentia postea. Diabolum vicit justitia, quia nullum peccatum habuit, et ab illo injustissimo occisus est; potentia, quia revixit mortuus nunquam postea moriturus.

Sed nonne jure æquissimo diabolum vinceret si potentia tantum Christus cum illo agere voluisset? Utique. Sed postposuit Christus quod potuit, ut prius ageret quod oportuit. Ad hoc autem erat opus illum esse et hominem, et Deum. Nisi enim homo esset, non posset occidi; nisi Deus esset, non crederetur voluisse quod potuit, sed non potuisse quod voluit. Justitia ergo humilitatis hominem liberavit, quæ sola potentia æquissime liberare potuit. Si enim tres illi in causam venirent, scilicet Deus, A homo, diabolus, diabolus et homo quid adversus Deum dicerent? omnino non haberent, atque in actione causæ penitus deficerent. Diabolus enim injuriam fecisse Deo convinceretur, quia servum ejus, id est hominem, et fraudulenter abduxit, et violenter tenuit. Homo etiam injuriam fecisse Deo convinceretur, quia præcepta ejus contempsit, et se alieno domino mancipans, suæ servitutis damnum intulit. Homini quoque injuriam fecisse convinceretur diabolus, quia illum et prius promittendo bona decepit, et post mala inferendo, nocuit. Injuste igitur diabolus quantum ad se tenebat hominem, sed homo juste tenebatur, quia diabolus nunquam meruit potestatem habere super hominem, sed homo meruit per culpam pati diaboli tyrannidem. Si igitur B Deus, qui utique præerat, potentia hominem liberare vellet, sola suæ jussionis virtute hominem poterat justissime liberare, sed propter causam prædictam justitia humilitatis uti maluit, unde et Filium pro nobis in mortem tradidit, per quam justificati sumus et reconciliati Deo. [August.] Hoc est pretium reconciliationis nostræ, quod Christus obtulit Deo Patri, ut placaretur, non quod ante non dilexit nos, ex qua dilectione Filium pro nobis tradidit, nec Filius quasi non parcente Patre sibi, nobis velut invitus est traditus, et cum de ipso dictum sit, tradidit semetipsum. Hoc ergo sicut et omnia alia Pater et Filius, et amborum Spiritus simul et concorditer operantur. Sed si ante nos diligebat Deus, quomodo per mortem Christi ei sumus reconciliati, et ab ira liberati? Ad quod dicimus, quod ira Dei, qui cum C tranquillitate judicat, nihil est aliud quam justa vindicta. (125) Si ergo justa divina vindicta tale nomen acceperit, reconciliatio Dei recte intelligitur, cum talis ira finitur, scilicet cum a reatu pœnæ absolvimur. Non enim inimici eramus Deo, nisi quemadmodum justitiæ sunt inimica peccata, et ideo remissis peccatis tales inimicitiæ finiuntur, et reconciliantur justo, quos ipse justificat. Peccata enim nostra diabolus tenebat, et per illa nos merito agebat in mortem; sed tantum valuit ille sanguis ut homines ab æterna morte debita liberaverit mors Christi indebita, quos tamen etiam inimicos utique dilexit. Unde recte sequitur: *Si enim per mortem Filii*, quasi dicat: Vere jam vivens poterit amicos factos salvare. Enim, id est quia nos *reconciliati sumus* Deo, D [Augustinus] qui prius juste eramus sub potestate diaboli, natura depravata peccato. Reconciliati dico *per mortem filii ejus*, cum adhuc essemus inimici, non quocunque modo peccatores. Et si hoc est quod utique est, ergo *multo magis*, *nos reconciliati erimus*, [Ambrosius] non modo ab ira liberati, sed etiam *salvi*, et hoc *in vita ipsius*, id est per vitam ipsius, scilicet quia resurrexit a mortuis. Et est sensus: Inde certum est quod vivens poterit amicos salvare, quia mortuus potuit justificare: quo facto inimici ex peccato sunt reconciliati. Nam amici Dei. [Au-

(124) Augustinus, in eodem.

(125) August., De Trinitate.

gustinus] Et nota quod idem hic dicit, per mortem reconciliati, quo supra, in sanguine justificati. Dico, salvi erimus.

VERS. 11. — « Non solum autem, sed et gloriamur « in Deo per Dominum nostrum Jesum Christum, « per quem nunc reconciliationem accepimus. »

Non solum autem salvi erimus, *sed et gloriamur*, jam spe de hoc quod erimus *in Deo*, id est idem cum Deo in futuro, non per naturam, sed per dilectionem et voluntatem, quia nihil diligemus, vel volemus nisi quod Deus. Vel gloriamur in præsenti, non in nobis, sed *in Deo*, et hoc non per nos, sed *per Dominum nostrum Jesum Christum*, *per quem jam nunc in præsenti reconciliationem* ad Deum *accepimus*, qui a Deo, peccante Adam, discessimus.

VERS. 12, 13. — « Propterea sicut per unum ho- « minem peccatum in hunc mundum intravit, et « per peccatum mors, et ita in omnes homines « mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt. Us- « que ad legem enim peccatum erat in mundo. »

Propterea sicut. [Ambrosius] Dixit supra per Christum reconciliatorem esse justitiam et vitam, et quod possit esse per eum. Per similitudinem in minori, id est per simile et minus probare intendit. Sicut enim per Adam purum hominem peccatum est et mors, ita per Christum hominem et Deum potest esse justitia et vita. Et quia per Adam peccatum est et mors, multo magis justitia per Christum potest esse et vita, ut quia etiam unus Adam peccavit in omnibus, unus Christus Filius Dei peccatum vinceret in omnibus. (126) Prolixius ergo Apostolus hic de duobus hominibus disputat, scilicet de primo Adam, per cujus peccatum tanquam hæreditariis malis posteri ejus obligati sumus; et de secundo Adam, quo, solvente pro nobis quod non debebat, a debitis et paternis et propriis liberati sumus. Quia ergo per illum unum diabolus tenebat omnes, per ejus vitiatam carnem concupiscentialiter generatos, justum est ut per hunc unum dimittat omnes per ejus immaculatam gratiam spiritualiter regeneratos. Et hoc est quod ait : *Propterea sicut* etc. Insiste litteræ, ita ut a minori, et a simili ratiocinationis ordo ostendatur; quasi dicat : Dico quod per Christum est justitia et vita : et propterea per Christum justitia et vita procedit in omnes, per ejus gratiam regeneratos; subaudi, quia *per unum hominem*, scilicet per Adam a quo propagati sumus, *peccatum* originale *intravit in hunc mundum*, pro eodem peccato miserum, id est in omnes homines. (127) Mundum appellavit universum genus humanum. Sicut enim ab uno illo homine sunt, sic ab eodem peccato immunes esse non possunt, nisi ab ejus reatu per Christi baptismum absolvantur. (128) Ecce a minori probavit. Modo a simili idem ostendatur et legatur : sicut quod dimissum fuerat; quasi dicat : Ita per unum Christum est justitia ita et vita sicut per unum hominem peccatum intravit in hunc mundum. Et non mutatur sensus. *Et per peccatum mors*, [Ambros.] id est dissolutio animæ et corporis intravit in ipsum Adam. *Et ita* per ipsum, *mors pertransivit in omnes homines* per ejus vitiatam carnem genitos.

[Orig.] Quæritur quomodo per unum hominem, et non magis per unam mulierem, dicat Apostolus peccatum introisse in mundum, cum a muliere initium peccati fuerit, et ante a serpente, sive a diabolo. Ad quod dicimus Apostolum in his consuetudinis ordinem tenuisse, dum successionem posteritatis humanæ quæ peccato et morti ex eo venienti succubuit, non mulieri, sed viro attribuit. Non enim a muliere posteritas, sed ex viro nominari solet : et ob hoc, mortalis posteritas, et corporalis, successio viro potius, tanquam auctori, et non mulieri deputatur. (129) Vel quia mulier de viro, et utriusque una caro est, et ideo sive a muliere, sive ab Adam dicatur, utrumque ad primum hominem pertinet. Præterea sciendum est hæreticos quosdam, qui nominati sunt Pelagiani, dixisse peccatum primæ transgressionis in alios homines non propagatione, sed mutatione transisse. Unde etiam in parvulis nolunt credere, per baptismum solvi originale peccatum quod in nascentibus nullum esse omnino contendunt. Sed si Apostolus peccatum imitationis, non propagationis intelligi voluisset, ejus principem, non Adam, sed diabolum daret, de quo in libro Sapientiæ dicitur : *Invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum* (*Sap.* II). Et quia non vult intelligi hoc esse factum propagatione, sed imitatione, continuo subjunxit Scriptura : *Imitantur autem eum qui sunt ex parte ipsius* (*ibid.*), imitantur quidem Adam quotquot per inobedientiam transgrediuntur mandatum Dei. Sed aliud est quod exemplum est voluntate peccantibus, aliud quod origo est cum peccato nascentibus. Nam et Christum imitantur sancti ad sequendam justitiam sed præter hanc imitationem, gratia ejus illuminationem justificationemque nostram, etiam intrinsecus operatur, quæ etiam baptizatos parvulos suo inserit corpori, qui nondum valent aliquem imitari. Sicut ergo Christus præter imitationis exemplum dat etiam sui spiritus aliquam occultissimam fidelibus gratiam, quam latenter etiam infundit parvulis, sic et Adam præter imitationis exemplum, occulta etiam tabe carnalis concupiscentiæ suæ tabificavit in se omnes de sua stirpe venturos. Unde recte subdit : *In quo omnes peccaverunt*; quasi dicat : merito per eum in omnes mors intravit, quia causa mortis per eum in omnes intravit, id est peccatum. [Augustinus.] Et hoc est, *in quo*, scilicet Adam, *omnes peccaverunt*, ut in materia, non solum ejus exemplo, ut quidam dicunt. (130) Omnes enim illi unus homo fuerant, id est ab eo originale peccatum traximus, qui omnium

(126) August. in lib. XIII. De Trinitate.
(127) Id., in Enchirid.
(128) Id., ad consult. Hilarii.
(129) Augustinus, De baptismo parvulorum.
(130) Id., ibid.

nostrum origo et materia fuit, ex quo secundum propaginis successionem per carnis concupiscentiam descendimus. Vel in quo peccato omnes peccaverunt proprie et circumspecte, et sine ambiguitate, dixit Apostolus hoc, in quo peccaverunt, sive enim intelligatur in quo, scilicet homine, sive in quo scilicet peccato, manifestum est. Alia enim sunt propria peccata, in quibus tantum peccant quorum peccata sunt; aliud hoc unum in quo omnes peccaverunt, quando omnes illi unus homo fuerant. Manifestum est itaque omnes in Adam peccasse, quasi in massa. [Ambrosius] Ipse enim per peccatum corruptus, quos genuit omnes nati sunt sub peccato. Ex eo igitur cuncti sunt peccatores, *usque ad legem*. (131) Et quasi dicat quis : In omnes pertransiit peccatum. Quid ergo egit lex? Nonne illa reconciliare potuit ut peccatum non transiret in omnes? Non, inquit, usque ad legem enim scriptam, vel naturalem, id est sub lege, etiam *peccatum* [Haimo.] originale et actuale, *erat in mundo*, id est in homine. (132) Quia nec lex potuit auferre peccatum, sed auxit, sive naturalis in qua quisque jam ratione utens incipit peccato originali addere propria; sive scripta, quæ per Mosen data est populo, quæ subintravit ut abundaret delictum. (133) Non ergo ideo dicit Apostolus, usque ad legem peccatum fuisse in mundo quod deinceps in nemine fuerit, sed quia non poterat per litteram legis auferri quod solo spiritu gratiæ poterat fieri, ne quis fidens de viribus putaret libero arbitrio legem potuisse sufficere, et Christi gratiam derideret.

VERS. 13, 14. — « Peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset; sed regnavit mors ab Adam usque ad Mosen etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ, qui est forma futuri. »

Peccatum autem; [Augustinus] quasi dicat : Peccatum erat in mundo, sed homines non imputabant quia cæci erant. Et hoc est : *peccatum autem non imputabatur*, (134) id est ignorabat, et peccatum esse non putabatur ab hominibus. Non dico a Deo, cujus judicio qui sine lege peccaverunt, sine lege peribunt; non imputabatur, dico, *cum lex non esset*, quæ peccatum prohibet. (135) Non dicit, peccatum non erat, sed non imputabatur, quia non erat sive lex rationis in parvulo, sive lex litteræ in populo, qua arguente demonstraretur peccatum. *Sed regnavit*, etc., [Haimo.] quasi peccatum non imputabatur ante legem, *sed* tamen *mors*, id est peccatum vel damnatio, *regnavit ab Adam usque ad Mosen*, (136) et usque ad legem quæ per Mosen divinitus promulgata est, quia nec ipsa potuit regnum mortis auferre. Regnum autem mortis vult intelligi quando ita damnatur in hominibus reatus peccati, ut eos ad vitam æternam, quæ vere vita est, venire non sinat; sed ad secundam, quæ pœnaliter æterna est, mortem trahit, id est ad gehennam, hoc regnum mortis sola in quolibet homine gratia destruit Salvatoris, quæ operata est etiam in antiquis sanctis; qui, antequam Christus in carnem veniret, ad ejus adjuvantem gratiam non ad legis litteram, tantum jubentem, non adjuvantem pertinebant. Hoc enim occultabatur in Veteri Testamento pro temporum dispensatione justissima, quod nunc revelatur in Novo. In omnes regnavit mors, præter illos qui Christi gratia adjuti sunt. Regnavit, dico, *etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ*, id est qui non sua propria voluntate peccaverunt sicut Adam, sed originali vitio tenebantur obstricti, quod ab eo traxerunt, per quod traherentur ad condemnationem, nisi gratia Christi juvarentur. (137) Et nota quod dicendo usque ad legem, vel usque ad Mosen includit quia etiam tunc, scilicet sub lege peccatum erat et mors, id est damnatio. (138) Sciendum quidem est plerosque Latinos codices sic habere: *Regnavit mors ab Adam usque ad Mosen in eos qui peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ*. Quod *etiam* ipsum illi qui legunt ad superiorem referunt intellectum, ut in similitudinem prævaricationis Adæ peccasse accipiant illos qui in illo peccaverunt, ut ei similes crearentur, scilicet sicut ex homine homines, ita ex peccatore peccatores, et ex morituro morituri, damnatoque damnandi. Græci autem codices, unde interpretatio facta est in Latinum, aut omnes, aut pene omnes habent, id quod primum positum est.

Vel aliis non mutatis, ab illo loco sic legi potest : *Sed regnavit*, et accipitur de corporali morte, quasi peccatum non imputabatur, id est ignorabatur ante legem; sed effectus indicabat, quia *mors* corporalis regnavit quotidie per aliquas passiones; et tandem dissolvendo, *ab Adam usque ad Mosen*, cum minus videretur; regnavit dico, non solum in his qui per se prævaricando mortem meruisse viderentur, sed *etiam in eos qui peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ*, id est in pueros qui nihil a se addiderunt prævaricando legem. Vel ita ab illo loco, *usque ad legem*, etc.; [Ambrosius] quasi dicat : Bene dixi peccatum pertransisse in omnes, enim, id est quia usque ad legem, id est etiam ante legem, peccatum erat in mundo, cum non ita videretur, lege non docente. Dico, peccatum erat in mundo, *peccatum autem non imputabatur*, apud Deum, *cum lex non esset*. Imputabatur quidem peccatum apud homines, sed non apud Deum, apud quem putabatur impune futurum, cum nesciretur vindicaturus. Asserebant enim homines Deum incuriosum esse, et ideo apud eum impune futura peccata, sed non apud homines. Non enim lex naturalis penitus obtorpuerat, quia non ignorabant quod non debebant facere,

(131) Augustinus, Contra Julianum.
(132) Id., De baptismo parvulorum.
(133) Id., ad Hilarium.
(134) Id., De baptismo parvulorum.
(135) Augustinus, ad Hilarium.
(136) Id., De baptismo parvulorum.
(137) Id., contra Julianum.
(138) Id., De baptismo parvulorum.

aliis, quod pati nolebant. Nam usque adeo pecca- A tum non erat ignotum inter homines quod Joseph, quamvis per calumniam, tum quasi reus clausus est in carcere, et pistor, et pincerna Pharaonis. Peccatum ergo non imputabatur, cum lex non esset, non dico apud homines, sed apud Deum. Sed ubi lex data est, noverunt Deum curare humana, et judicare. Sed regnavit, quasi dicat : Ante legem non imputabatur peccatum, *sed regnavit mors*, animæ secure possidente homines diabolo pro impunitate credita. Impune etenim peccare se putantes, magis delinquebant, certa hæc peccata promptiores, quæ mundus quasi licita nutriebat. Quo facto gaudebat Satanas, securus, quod ex causa Adæ derelictum a Deo hominem possidebat. Regnavit, dico, *ab Adam usque ad Mosen*, per quem rediit cognitio unius Dei, B quia per eum data est lex in qua præcipiebatur de uno Deo colendo. Regnavit ergo mors usque ad Mosen, id est usque ad legem, quia jam tunc datum est hominibus remedium quo possent liberari ; sub qua tamen si essent similes prævaricationi Adæ, in eos mors regnaret, sed lex data est in initio regressionis de Ægypto docens, de uno Deo ne regnaret mors, scilicet diabolus, vel peccatum, et cœpit in Judæa primum destrui regnum mortis. Nunc vero ubique destruitur per Christi gratiam. Et nota hic, *usque* accipi exclusivum, *in eos qui peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ.* Alia littera in qua non legitur *etiam* et *non :* quasi dicat : Mors regnavit usque ad Mosen, non tamen in omnes, sed in eos qui peccaverunt in similitudinem prævaricationis C Adæ, id est in similes prævaricatori Adæ ; qui scilicet neglecto Creatore servierunt creaturæ, deos sibi constituentes, quos colerent ad injuriam Dei, sicut ille loco Dei diabolo consensit. Peccatum enim Adæ non longe ab idololatria est, qui contempto Creatoris præcepto diaboli suasioni consentiens, quasi in loco Dei diabolum statuit, et sicut Deus esse voluit. Fuerunt autem qui peccaverunt, non præterito Deo ; qui enim intellexit sive ex traduce, sive indicio naturali, et veneratus est Deum nulli honorificentiam nominis ac majestatis impartiens, si peccavit, quia impossibile erat non peccare, sub Deo peccavit, non in Deum. Ideoque in eos mors non regnavit, sed in hos qui in similitudinem Adæ peccaverunt, id est qui sub specie idolorum servierunt diabolo. Tales erant fere omnes usque ad legem ; perpauci. ut Abra- D ham, uni Deo servierunt, et non in eos regnavit mors, quia post mortem istam quæ prima dicitur, ad secundam non pervenerunt, quæ æternaliter punit ; imo sub spe servati sunt in adventu Christi liberandi, sicut de Abraham legitur, quia quamvis apud inferos fuerit discretus, tamen longo intervallo erat a peccatoribus, ita ut chaos ingens esset inter justos et peccatores (*Luc.* XVI). Et sciendum quod liberos qui aliter habent dicit Ambrosius esse corruptos, ubi scilicet scriptum est mortem regnasse, etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ. Quæ littera etiam in Græcis codicibus legitur : quod quidam ita intelligunt, quia dicunt mortem corporum regnasse in cultores unius Dei, etiam usque ad Mosen, sed cur non usque ad finem sæculi ? Sunt tamen quidam Latini codices quos constat a veteribus Græcis translatos, quasi ita habent in eos qui peccaverunt, etc., quos incorruptos simplicitas temporum servavit, et probat. Postquam vero a concordia animis dissidentibus, et hæreticis pertubantibus moveri quæstionem cœperunt, multa tam in Græcis quam in Latinis codicibus ab hæreticis contentionis studio mu-
26 tata sunt, qui cum propria auctoritate uti non possunt ad victoriam, verba legis adulterant, ut sensum suum quasi verbis legis asserant, et contradicentibus sibi, quasi auctoritate resistant. Qui Adam,. *est forma*, id est similitudo ; *futuri*, scilicet Christi, quantum ad Adam tunc futuri. Adam autem dicitur forma futuri, id est Christi, quia jam tunc decrevit Deus in mysterio, id est in occulto suo disposuit per unum Christum emendare quod per unum Adam peccatum erat. Unde dicitur in Apocalypsi : *Agnus occisus est ab origine mundi.* Et forma futuri, id est Christi, dicitur a contrario, quia *sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo vivificabuntur* (*I Cor.* XV). Sicut in illo illud, ita in isto fit istud. (139) Sed hæc forma, non ex omni parte conformis est, sicut subsequenter ostenditur. Vel forma Christi dicitur, quia sicut ille sine coitu a Deo factus est, ita Christus ex Virgine Spiritu sancto cooperante processit. Vel Adam dicitur forma Christi, quia sicut ille pater est omnium secundum carnem, sic Christus pater est omnium secundum fidem. Et sicut ex latere illius dormientis assumpta est costa, unde formata est Eva, sic ex istius latere profluxerunt sacramenta, scilicet aqua ablutionis, et sanguis redemptionis, per quæ salvatur Ecclesia. [Remigius] Ideoque sicut ille communicare potuit filiis suis peccatum et mortem, sic iste suis justitiam suam et vitam, et etiam iste plus boni suis confert quam ille mali, et ideo potest magis salvare quam ille perdere. Et hoc est quod subdit.

VERS. 15, 16. — « Sed non sicut delictum, ita « et donum. Si enim unius delicto, multi mortui « sunt, multo magis gratia Dei, et donum in gratia « unius hominis Jesu Christi in plures abundavit ; « et non sicut per unum peccatum, ita et donum : « nam judicium quidem ex uno in condemnatio- « nem, gratia autem ex multis delictis in justifica- « tionem. »

Sed non sicut. Quasi dicat : Adam est forma, Christi, id est similes sunt Christus et Adam, *sed, non sicut delictum* Adæ est, *ita* est *et donum,* Christi id est majus est donum Christi quam delictum Adæ et ideo non sic est efficax peccatum Adæ ad damna-

(139) Aug., Contra Julianum hæreticum. Joan. Da.

tionem, ut gratia Christi ad salvationem : quod est dicere : Non sunt pares causæ eorum, nec etiam pares sunt effectus causarum. Quod ibi ostenditur. Et non sicut per unum ; sed præmittit quo probat causas Adæ et Christi non esse pares, dicens : Si *enim unius ;* quasi dicat : Vere non ita est donum Christi, ut delictum Adæ, quia delictum Adæ unum est, quo multi mortui sunt ; Christi vero gratia multiplex est, qua multi vivificati. Si vero unum delictum multos mortificare potuit, patet quod multiplex gratia vivificare multo magis possit. Causa enim Christi est gratia abundans, ex qua omnia bona sunt homini, sine qua nil habet boni. Causa Adæ est peccatum illud originale, cujus rei sunt omnes carnaliter geniti ; (140) cætera peccata habent ex se multa, etsi ex illo originali sint ad peccandum magis proni. Præterea etiam his qui per Christum redimuntur temporaliter valet forma mortis ex Adam ; in æternum autem valebit vitæ forma per Christum. Quamvis igitur Adam sit forma futuri, plus tamen præstat regeneratis Christus, quam eis generatis Adam nocuerat. Et bene hæc causa Christi omnibus suis prodest, quia si causa Adæ omnibus suis nocuit, tunc et hæc hoc potuit suis : et hoc est, *si enim*, etc., quasi dicat : Vere non ita est donum ut delictum. Enim, id est quia, *unius* hominis Adæ *delicto* uno quidem, etsi ipsi plura admiserit, in posteros tamen non nisi unum originale transmisit, *multi*, scilicet omnes filii sui ex eo carnaliter geniti, *mortui sunt*, id est peccatores constituti, etsi, hoc est tunc, *gratia Dei et donum*, id est gratuitum donum, vel gratia, id est remissio peccatorum, et donum, scilicet alia dona sancti Spiritus, *multo magis abundavit*, id est multo magis abundans transiit, *in plures*, id est omnes filios ejus. Abundans autem et major res omnibus suis magis prodest, quia non solum illud originale, sed etiam addita peccata solvit. Hoc autem donum datur, *in gratia unius hominis Jesu Christi*, id est per gratiam Christi. [Haimo] Gratiam dicit perfectionem virtutum quæ in Christo homine fuit, qui per suam bonitatem, de sua plenitudine nobis tribuit. (141) Et nota, *plures*, non ibi poni comparative, sed absolute, tanquam diceret *multos*. Non enim plures justificantur per Christum, quam condemnantur per Adam ; sed ita dicendum est multo magis abundavit, ut donum Christi delicto Adæ comparetur et præferatur. Adam quippe ex uno delicto reos genuit multos, Christi autem gratia, etiam delicta propriæ voluntatis, quæ originali culpæ in qua nati sunt addiderunt, solvit atque donavit. Major est ergo causa Christi quam causa Adæ. Et nunc sicut hic ostendit dispares esse effectus causarum ; quasi dicat : Non solum causæ sunt dispares, sed etiam effectus. *Et* id est quia, *non sicut per unum peccatum*, fit, *ita fit et* per *donum*, sed plus fit per donum, et hoc probat. Nam judicium Dei est procedens, ex uno tantum delicto originali ab Adam traducto, in condemnationem corporalis et æternæ mortis. *Gratia autem* Christi, non *ex uno* tantum, sed *ex multis delictis*, procedit in *justificationem*, quia non solum ignoscit, sed etiam justificat. (142) Et attende quod dictum est, *judicium ex uno in condemnationem*, quod non ideo dictum est, quod illud solum quod originaliter trahitur in judicio sit damnandum, sed quia etiam illud, si solum sit, damnationem facit. Christi autem gratia, non solum illud quod originaliter trahitur, sed etiam multa actualia dimittit, et insuper justificat, id est de impio pium facit, ac deinde de bono in melius proficere. Ecce in his ostendit effectus causarum Christi et Adæ dispares esse. Effectus causæ Adæ, id est peccati quod intulit, est non omnis damnatio, sed quæ pro illo uno debetur. Sunt enim, et ex nostris additis, aliæ damnationes. Effectus autem donorum Christi, cum remotis omnibus peccatis originalibus et actualibus, omnis justificatio et vita æterna, de qua addit in sequenti versu subdens :

VERS. 17. — « Si enim unius delicto mors regna-« vit per unum, multo magis abundantiam gratiæ « et donationis et justitiæ accipientes in vita regna-« bunt per unum Jesum Christum. »

Si enim, quasi dicat : Gratia Christi procedit in justificationem, et bene hoc suis est, per unum Christum, quia si illa, id est damnatio, per unum Adam suis est, tunc et hoc potuit Christi gratia : et vere hoc potest, quia etiam in vitam æternam ducit. Et recte. [Augustinus] *Enim*, id est quia, in *unius delicto*, etiamsi propria non adderentur, *mors*, id est dissolutio animæ et corporis, *regnavit*, etiam ante mortem passiones inferens, *per unum*, Adam, quia quas vires habuit in illo, in omnes posteros exercuit, quorum materia ille fuit, sicut et culpa ejus solius fuit, quæ in omnes transfusa est, etsi, hoc est tunc homines, *accipientes a Deo* non a se habentes, *abundantiam gratiæ*, id est remissionis peccatorum. [Haimo] Abundantiam dicit, quia etiam propria solvuntur. Et abundantiam, *donationis* id est charismatum. *et justitiæ*, id est bonæ operationis. *Multo magis regnabunt per unum Jesum Christum in vita*, æterna, [Augustinus] id est æternaliter in incorruptione. Multo magis, dicit hos regnare, quia multo major res est hic, quam sit in regno mortis. Vel multo magis regnabunt in vita, quam in eis regnavit mors, quia in vita regnabunt æternaliter, mors autem regnavit in eis temporaliter et cum fine.

VERS. 18, 19. — « Igitur sicut per unius delictum « in omnes homines in condemnationem, sic et per « unius justitiam in omnes homines in justificatio-« nem vitæ. Sicut enim per inobedientiam unius

(140) August. ad Hilarium.
(141) Id., De baptismo parvulorum.

(142) Id., in Enchirid.

« hominis peccatores constituti sunt multi, ita per « unius obeditionem justi constituentur multi. »

Igitur sicut per unius delictum, etc. Ex prædictis infert disputationem suam in eodem quod proposuerat, concludens : Quandoquidem Adam est forma Christi futuri, et quia majus est donum Christi, et plus confert, igitur sicut, id est quam digne. Per unius delictum, transiens, non imitatione, sed propagatione, *in omnes homines*, itum est ab homine vel processit sententia Dei *in condemnationem* corporis et animæ, *sic, et, per unius justitiam*, valentem, *in omnes homines*, si ipsi velint, itum est ab homine, vel processit sententia Dei *in justificationem* quæ est causa *vitæ*. (143) Attende quod Apostolus videns non sola imitatione Adæ fieri peccatores, sed propagatione, nec sola imitatione Christi justificari, sed regeneratione spirituali, dixit omnes et omnes, non quod omnes geniti per Adam regenerentur per Christum, sed quia, sicut nullius carnalis generatio est, nisi per Adam, sic spiritualis nullius regeneratio est nisi per Christum. Si qui essent præter Adam generati, et si qui præter Christum regenerati, non diceret, omnes et omnes ; **27** sicut autem nullus est homo præter illam generationem, sic nullus est justus præter istam. Nemo enim nascitur nisi in concupiscentia carnali, quæ tracta est ex primo homine ; et nemo renascitur nisi gratia spirituali, quæ data est a secundo homine ; eosdem post dicit multos, sed aliter, ab illo loco, sed non sicut delictum, etc., dixerat quod Adam est forma futuri. Forma utique in hoc est quod unus emendat, quod unus peccavit ; sed tamen causa Adæ, non est talis qualis causa Christi, quia unum est delictum Adæ, quo multi, id est similiter prævaricantes, mortui sunt ; gratia vero Christi in plures transit, quia et in hos, et in non similiter prævaricantes. Et attende quod agit hic de actuali peccato Adæ in quo dicit mortuos illos qui actualiter peccaverunt ad similitudinem ejus, et legitur, plures, comparative, quasi dicat : Vere non est ita donum ut delictum. Si enim in unius delicto mortui sunt, scilicet imitantes prævaricationem ejus, multo magis gratia Dei, et donum in gratia unius hominis, Christi Jesu abundat in plures. Plures enim gratiam consequuntur per Christum, quam mortui sunt delicto Adæ, quo mortui sunt qui in similitudine prævaricationis Adæ peccaverunt ; gratia autem Christi, et in eos qui similiter peccaverunt, et in eos qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ abundavit. Nam et in multos qui neglecto Deo servierunt creaturæ, ne ab hac vita decedentes a secunda morte exciperentur, et in cultores unius Dei qui paterno peccato ex Dei sententia apud inferos tenebantur, gratia abundavit in descensu Salvatoris, in omnibus dans indulgentiam cum triumpho, sublatis eis in cœlum. Et non sicut per unum peccatum fit, ita fit et

A per donum. Nam judicium Dei procedit ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis, in justificationem vitæ. Manifeste ergo diversum est, quia in uno peccato Adæ similes ei, damnati sunt ; gratia vero non ex uno, sed ex multis peccatis justificavit homines, et etiam in vitam perduxit, quod bene potuit. *Enim*, id est quia, *in unius hominis delicto*, per unum *regnavit mors*, scilicet diabolus vel peccatum. Et attende quod ait mors regnavit, non regnat, concordans superiori sensui, ubi dixit mortem regnasse usque ad Mosen, quia qui per legem noto Dei judicio timorem ejus habuerunt, sublati sunt de mortis imperio. Ante vero dum sine lege timor Dei in terris non erat, mors in similes Adæ prævaluit ; et si ibi regnavit mors, multo magis ho- B mines accipientes abundantiam gratiæ et donationis, et justitiæ in vita regnabunt per unum Dominum Jesum Christum, id est multo magis gratia regnare debet, quæ in plures transiit quam mors, et vitam confert æternam. Quod autem post dicit omnes, similiter peccantes accipit Item omnes credentes dicit, et hoc est quod subdit : [Ambrosius] Igitur si per unius delictum transiens in omnes homines, similiter peccatum est in condemnationem, sic et per unius justitiam, transeuntem in omnes homines credentes, itum est in justificationem vitæ. Non enim est generalis damnatio, vel justificatio in omnibus. Unde postea ait : Multi, sicut enim, etc. Hic jam determinat delictum unius, ut sicut ille merito peccati perdidit, ita iste merito justitiæ nos C liberasse videatur, et ordinem assignationis, unde superius loqui cœperat, scilicet qualiter Adam sit forma futuri, explicat hic, dicens :

Sicut enim per inobedientiam unius hominis, scilicet Adæ, *peccatores constituti sunt multi*, id est omnes sui qui non sunt Christi, *ita*, et merito, *per obedientiam* hominis *unius*, id est Christi, *justi constituuntur multi*, id est omnes sui. Et nota quod non ait per unius Dei vel Verbi, sed per unius hominis obedientiam justificari ; ne putes antiquos justos solo verbo Dei, id est solius verbi fide sine fide incarnationis liberari, sine qua, nec antiqui, nec moderni liberari potuerunt (144). Illa enim sana fides est, qua credimus nullum hominem, sive majoris, sive parvulæ ætatis, liberari a contagione mortis antiquæ, et obligatione peccati quod prima na- D tivitate contraxit, nisi per unum mediatorem Dei et hominum, hominem Christum Jesum, cujus hominis, ejusdemque Dei saluberrima fide, etiam illi justi salvi facti sunt, qui priusquam veniret in carnem, crediderunt in carne venturum. Eadem fides namque est, et nostra, et illorum, proinde cum omnes justi, id est veraces Dei cultores sive ante incarnationem, sive post, nec vixerint, nec vivant, nisi ex fide incarnationis Christi, profectoque scriptum est non esse aliud nomen sub cœlo in quo oportet salvari nos, ex illo tempore valet ad sal-

(143) Augustinus, De baptismo parvulorum.

(144) Augustinus, ad Optatum.

vandum genus humanum, ex quo in Adam vitiatum A est. Ille unus unum peccatum misit in mundum, iste vero unus non solum illud unum, sed cuncta abstulit quæ addita invenit. Ecce ostensum est quomodo Christi gratia Adæ delictum superat, quia non solum originale ab Adam propagatum, sed etiam actualia supradicta solvit, et justitiam ac vitam præstat, quæ gratia antequam operetur in homine, ipsius est, atque infidelis. Per fidem enim impius justificatur. Sicut ergo per fidei virtutem adultus justificatur, ita et per fidei sacramentum parvulus, id est de impio fit pius, de infideli fidelis. (145) Sed quærit Julianus per quid peccatum in parvulo invenitur, inquiens : Non peccat iste qui nascitur, non peccat ille qui genuit, non peccat ille qui credidit. Per quas ergo rimas inter tot præsidia innocentiæ peccatum fingis ingressum ? Ei respondet sancta pagina. Per unum hominem, ait Apostolus, peccatum in mundum intravit per unius inobedientiam, ait Apostolus ; quid quærit amplius ? Quid apertius, quid quærit inculcatius ? Quid quærit latentem rimam, cum habeat apertissimam januam ? Item inquit, si per hominem peccatum intravit in mundum, peccatum, vel ex voluntate, vel ex natura est ; si autem ex voluntate est, mala est voluntas quæ peccatum facit ; si autem ex natura, mala est natura. Cui respondeo : Ex voluntate, peccatum est. Quæritur forte utrum originale peccatum fit ex voluntate. Respondeo, prorsus et originale peccatum ex voluntate esse, quia hoc ex voluntate primi hominis seminatum est, ut et in illo esset, et in omnes transiret. Quod autem dixit, si ex natura C peccatum est, tunc mala est natura. Quæso ut, si potest respondeat. Manifestum est ex voluntate mala, tanquam ex arbore mala fieri omnia opera mala tanquam fructus malos ; sed ipsam malam voluntatem unde dicet exortam, nisi ex bono ? Si enim ex angelo, quid est angelus nisi bonum opus Dei ? Si ex homine, quid erat ipse homo, nisi bonum opus Dei ? Imo quid erant hæc duo antequam in eis oriretur mala voluntas, nisi bonum opus Dei, et bona, et laudanda natura ? Ergo ex bono oritur malum, nec fuit homini, unde oriri posset, nisi ex bono. Dico ergo quia malam voluntatem nullum malum præcessit. Item dicit : Si natura opus Dei est, per opus Dei opus diaboli transire non sinitur. Sed nonne opus diaboli, quando primum fuit in angelo, qui D diabolus factus est, ortum est in opere Dei ? Quapropter si malum, quod omnino nusquam erat, in Dei opere oriri potuit, cur malum, quod jam alicubi erat, per opus Dei transire non potuit ? homines autem sunt opus Dei. (146) Pertransiit ergo opus diaboli per opus Dei, et quia diabolus est factura vel opus Dei, pertransiit opus operis Dei per opus Dei, et venit usque ad parvulos, qui in ramo nil commiserunt, sed in radice perierunt : nil habent mali, nisi quod de fonte traxerunt, nisi quod de origine traxerunt. (147) Communis ergo fuit perditio, et communis est inventio. Sicut enim per inobedientiam Adæ, multi constituentur peccatores reatu, et ita per Christi obedientiam justi constituentur multi.

VERS. 20, 21. — « Lex autem subintravit ut « abundaret delictum ; ubi autem abundavit deli- « ctum, superabundavit gratia, ut sicut regnavit « peccatum in mortem, ita et gratia regnet per « justitiam in vitam æternam, per Jesum Christum « Dominum nostrum. »

Lex autem. Ostenderat Christum dimittere omnia peccata, tam originalia quam actualia. Hic addit B etiam quod a peccato legis liberat, et a prævaricatione, ut Judæi Christo magis sint obnoxii, (148) quasi dicat : Per Christum est justificatio ; *lex autem* Mosi *subintravit*, id est latenter intravit, post culpam originalem et actualem, vel post naturalem legem. *Ut abundaret delictum*, id est ut homo superbe fidens de suis viribus acciperet præcepta, in quibus deficiens et factus est etiam prævaricator, liberatorem salvatoremque requireret, atque eum ita humilem factum timor legis, tanquam pædagogus, ad fidem gratiamque perduceret. Oportebat ergo ut superbis, et de libertate sui arbitrii præsumentibus lex daretur, qua prævaricata suam infirmitatem, et legis insufficientiam peccatum non consumentis intelligentes humiliarentur, et ad subvenientem currerent gratiam. (149) Natis enim in peccatis, et viribus suis multum assignantibus, datur lex a Deo ad domandam superbiam, qua dicebant : Non deest qui impleat, sed deest qui jubeat. Eorum igitur superbiam domare volens Deus, legem dedit, quasi dicens hominibus : Ecce do vobis præcepta, ne putetis deesse jubentem, non deesse qui jubeat ; (150) sed deest qui impleat, quia homo in peccatis natus non valet implere, ideoque natus est Christus, id est gratia quæ sanaret. Hac ergo dispensatione lex data est ut crescente peccato humiliarentur superbi, et humiliati confiterentur, et confessi sanarentur. Non crudeliter hoc fecit Deus, sed consilio medicinæ. Aliquando enim homo videtur **28** sibi sanus, et ægrotat, et quia non sentit morbum, medicum non quærit. Augetur morbus, crescit molestia, quæritur medicus, et totum sanatur corpus. (151) Magnum ergo Dei consilium fuit, ut per legem abundaret delictum, ut in austeritate legis suam intelligentes infirmitatem, infirmi ad medicum confugerent, et auxilium gratiæ quærerent. (152) Per legem autem dicitur abundasse delictum, non quia lex delictum juberet, sed quia eo quod gratia ibi non erat, auctum est ex prohibitione desiderium, et tunc ex propria quasi virtute factum est grande vitium.

(145) Augustinus, contra Julianum hæreticum.
(146) Id., de baptismo parvulorum.
(147) Id., De spiritu et littera.
(148) Id., ad Eutropium et Paulinum.
(149) Augustinus, super Joan.
(150) Id., in psalm. CII.
(151) Id., ad Hilarium.
(152) Id., ex procem. epistolæ ad Romanos.

Sic ergo abundavit peccatum, quia et concupiscentia (A) ex prohibitione ardentior facta est, et peccantibus contra legem prævaricationis crimen accessit. Consilium autem Dei quo legem dedit, Judæos nescisse, satis significavit isto verbo, lex subintravit, etc. Vel ita : *Lex subintravit ut abundaret delictum*, id est in lege data abundavit delictum. Dicit enim hic Apostolus quid provenerit data lege, nunquid fecerit lex ? Data erat lex in adjutorium naturæ, ut quia ipsi naturæ quodammodo sunt inserta justitiæ semina, adderetur lex, cujus auctoritate et magisterio ingenium naturale proficeret ad fructum justitiæ faciendum. [Ambrosius] Sicut enim nativitas nisi nutrimenta habeat, interit, quibus fota adolescat, ita et naturale ingenium justitiæ nisi habeat quod respiciat, et veneretur, non facile proficit, (B) sed ægrotat, et supervenientibus cedit peccatis. Consuetudine enim delinquendi premitur ne crescat in fructum, et per hoc exstinguitur. Providenter ergo, et ad bonum data est lex, sed populus veterem usum sequens multiplicavit peccata. Ipso enim usu plus cœpit peccare quam ante peccaverat ; et sic factum est ut data lege non minuerentur, sed abundarent peccata diabolo invertente legem bonam in malum, contra quod omnia Deus dimisit, sicut consequenter ostenditur. Vel ita :

Lex subintravit ut abundaret delictum, id est ad hoc data fuit, ut per eam abundantius cognosceretur delictum. (153) Si enim lex non fuisset, peccatum lateret ; sed per legem genera peccatorum, et prævaricationis crimen homo agnovit, ut qui in sordibus erat prævaricando, magis sordesceret, id est se sordidum (C) cognosceret. [Ambrosius] Lex ergo auctor est boni. Demonstranda enim fuerat homini feditas languoris sui, ut videret non modo doctorem sibi esse necessarium, verum etiam adjutorem. (154) Præterea data fuit lex, ut mediocris prædagogum haberet, et perfectus signum, et durus sentiret flagellum. Et quia hic de lege magnus sermo occurrit, videndum est quibus modis lex accipiatur, et cui populo data sit, et quare illi, et non alii ; et quibus, et pro quibus de illo populo data sit, postremo quibus de causis data sit, summatim dicendum est. Lex ergo aliquando dicitur tota Scriptura Veteris Testamenti, aliquando scriptura quinque librorum Mosi, aliquando Decalogus scriptus in tabulis, aliquando cæremonialia tantum, id est figuratura secundum (D) litteram, aliquando littera cum spirituali intelligentia, aliquando observantia alicujus mandati, sicut in eadem lege sæpe dicitur : Hæc est lex Paschæ, hæc est lex lepræ, hæc est holocaustorum lex, et hujusmodi. Inde est quod sancti de lege varia loquentes dissentire atque contraria dicere videntur. Ait enim Dominus per Ezechielem : *Dedi eis præcepta non bona, et justificationes non bonas, in quibus non vivent* (*Ezech.* xx). Cui concordat Apostolus dicens : *Lex neminem ad perfectum duxit* (*Hebr.* VII). Et item : *Lex iram operatur.* [Beda] Et hic, *lex subintravit ut abundaret*, etc. (*Rom.* IV). Et Dominus in Evangelio : *Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Pharisæorum*, etc. (*Matth.* V). His autem videntur contraria hæc alia : Justitia legis suo tempore custodita, non solum bona temporalia, sed et vitam conferebat æternam. Et Apostolus ait : *Itaque lex quidem sancta, et mandatum sanctum, et justum, et bonum* (*Rom.* XII). Et Dominus in Evangelio : *Non veni solvere legem, sed adimplere* (*Matth.* V).

Ut hæc ergo sicut videntur non esse contraria pateat, sciendum est hæc esse dicta secundum diversas legis acceptiones. Cum enim dicitur, dedi eis præcepta non bona, et justificationes non bonas in quibus non vivent, intelligendum est hoc de præceptis legalium cæremoniarum, quæ dicuntur non bona, non quia mala essent, sed quia bonos non faciebant observantes, secundum litteram. Hoc modo, et alia accipienda sunt quæ dicta sunt in hac parte. Quæ autem e contrario dicuntur, accipienda sunt de lege secundum spiritualem intellectum, et secundum moralia, quæ in Evangelio non tolluntur, sed adimplentur, sicut in Matthæo ostenditur. Lex autem data est populo Judæorum tantum, ideo quia ille populus solus unum Deum colens dignus erat, cui eloquia Dei crederentur, cæteris idola colentibus. Ideo etiam quia de hoc populo nasciturus erat Dei Filius, et ideo data fuit ei lex, per quam illud intelligeret, et Dei Filium venturum exspectaret. Cum lex data sit illi soli populo, data est etiam omnibus generibus hominum qui erant in illo populo, sed non pro omnibus. Erant enim in illo populo tria genera hominum, scilicet duri, insipientes et perfecti. His omnibus data est lex, sed non pro omnibus data est, duris in flagellum, insipientibus in pædagogum, justis in signum. Sed non pro justis data est lex. Ut enim alibi ait Apostolus : *Justo lex posita non est* (*I Tim.* I), quia per eam justitiæ nil accrevit. Legem autem hic accipimus secundum legalia. Legalia vero dicimus, quæ in lege instituta sunt, et cum lege terminata. Lex autem data est ad domandum superbum, ad flagellandum durum, ad instituendum insipientem, ad ostensionem delicti et humanæ infirmitatis, ad manifestationem et testimonium gratiæ, et futurorum significationem. Ubi autem hic agit de virtute gratiæ, et quanta efficit gratia ostendit ; quasi dicat : Lege data abundavit delictum, sed non ideo despiciatur Judæus, quia abundavit, etc. (155) Vel ita continua : Delictum abundavit, per legem, sed etiam hoc sanat Christus, qui *ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia*, omnia condonans. Totum enim quod de Adam traxisti, totum quod tuis pravis moribus addidisti, dimisit, totum delevit, orationem docuit, certamen in-

(153) Aug., super Lucam.
(154) Id., de spir. et lit.

(155) Aug., De verbis Apostoli.

dixit, laboranti subvenit, victorem coronabit. [Orig., A Ambros.] Vel superabundavit gratia, quia non solum a præteritis peccatis absolvit, verum etiam a futuris commonuit. Vel superabundavit, quia gratia Christi, etiam his proficit quos diabolus vincere non potuit; et quia peccatum ad tempus regnavit, gratia autem in æternum. *Ut sicut regnavit*, etc., quasi dicat : Dico quod gratia superabundavit, eo tamen tenore, ne quis confisus gratiæ securius peccet, sed vigeat gratia, et per justitiam ducat ad vitam, sicut viguerat peccatum ducens in mortem, et hoc est quod ait, ut sicut, quasi eo tenore, dico gratiam superabundare, *ut sicut peccatum*, quod etiam præter Adam est, quod lege data abundavit, quod non est originis, sed propriæ voluntatis. [Haimo] *Regnavit*, ducens, *in mortem* æternam, *ita et gratia*, re- B missionis peccatorum *regnet* in electis, per justitiam bonorum operum perducens eos, *in vitam æternam ;* et hoc, *per Jesum Christum Dominum nostrum*, sine quo nulla justitia est, sicut aliqua peccata præter Adam sunt. Ideo cum dixisset, sicut regnavit peccatum in mundum, non addidit per unum, vel per Adam, quia de illo peccato hic agebat, quod non ex Adam traxerunt homines, sed sua voluntate addiderunt (156). Cum autem dicit, gratia regnet; et cum addidit, per Jesum Christum Dominum nostrum, quia per eum non tantum originalis, sed etiam voluntariorum fuit remissio peccatorum. Ab Adam autem tantummodo illud trahitur, quod est originale.

CAPUT VI.

C

VERS. 1, 2. — « Quid ergo dicemus? Permanebi« mus in peccato, ut gratia abundet? Absit! Qui « enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc vi« vemus in illo? »

Quia ergo dicemus? (157) Objicit Apostolus quod videt a perversis posse objici. Quidam enim perversi audientes prædicationem Pauli, et aliorum apostolorum, ubi debuerunt accipere vitam, acceperunt mortem, dicentes apostolos prædicare quod quanto amplius homo peccaret, tanto magis Deo placeret, et majorem gratiam consequeretur. [August.] Hoc autem perversi accipiunt ex illo loco ubi dictum est : Ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia, tanquam dixerit propter abundantiam gratiæ prodesse peccatum. Hoc dicere est esse ingratos D gratiæ, et hoc est quod opponendo sibi ait : Quid ergo dicemus? quasi dicat : Et quia gratia viget, ubi delictum abundavit. Quid ergo dicemus? Dicemus, scilicet hoc quod *permanebimus in peccato, ut gratia abundet*, ut quidam nobis imponunt? *Absit!* ut nos hoc dicamus. (158) Non est enim permanendum in peccato, ut quidam nos dicere existimant pro majori gratia. Non enim peccantis merito, sed subvenientis auxilio superabundavit gratia, ubi abundavit delictum. Non enim permanendum est in peccato ut regnet gratia, sed potius per ipsam gratiam debemus, et possumus, peccato esse quasi mortui et sepulti, et resurgere in justitiam ipsius in vitam æternam. Quod consequenter ostendit Apostolus, et prius quod mortui sumus peccato, subdens : *Qui enim*, vel, si enim, quasi dicat : Vere non est permanendum. Enim, id est quia, *mortui sumus peccato*, in baptismo, id est liberati sumus a peccato, ut jam non dominetur in nobis per gratiam Dei. Mori enim peccato, est liberari a peccato. Et si hoc est, *quomodo*, etc.; vel si est ibi, *qui* ita leges, et qui, hoc jam habemus. Quomodo, id est qua ratione, *adhuc*, post tantum beneficium, *vivemus in illo?* et reddemus vires hosti? Cum enim hoc præstiterit gratia ut moreremur peccato, quid aliud facimus, si vivimus in eo, nisi ut gratiæ simus ingrati? Neque **29** enim qui laudat beneficium medicinæ, prodesse morbos dicit, et vulnera a quibus illa hominem sanat; sed quanto laudibus majoribus medicina prædicatur, tanto magis vituperantur et horrentur vulnera et morbi a quibus liberat : quæ ita laudatur, sicut laus gratiæ et prædicatio, vituperatio est delictorum.

VERS. 3. - 5 — « An ignoratis, fratres, quia qui« cunque baptizati sumus in Christo Jesu in morte « ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus « cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo « Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita « et nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim com« plantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul « et resurrectionis erimus. »

An ignoratis, etc. Hic confirmat quod dixerat, scilicet quod mortui peccato quod fit in baptismo, non debemus ei iterum vivere, ut iterum mori sit ei necesse, quia cum baptizamur commorimur Christo, et hoc est quod ait, an ignoratis, etc.; et quasi quis diceret : An mortui sumus peccato? Respondet utique, sumus, *quia* nos, quicunque, id est cujuscunque conditionis, *baptizati sumus*, id est a vitiis purificati, *in Christo Jesu*, id est in institutione Christi quæ est in nomine Trinitatis vel in operatione ipsius, qui baptizat vere. Baptizati sumus in morte ipsius, id est in similitudine mortis Christi, ut sicut Christus semel mortuus est carne, et semper vivit, ita nos semel mortui malo per baptismum, semper vivamus bono. [Haimo.] Vel in morte ipsius dicit nos baptizari, quia mors ejus causa est hujus purificationis. Et an ignoratis, vos hoc, o fratres? quasi dicat : Hoc non debetis ignorare. Nota quia sæpe illos arguit de ignorantia.

Consepulti enim sumus. Quasi dicat : [Augustinus, Haimo.] Vere in baptismate sumus similes mortis Christi, quia etiam consepulti sumus fide in baptismo *cum illo*, id est ad similitudinem ejus. Nos, dico, ducti, *per baptismum in mortem*, id est in peccatorum abolitionem. Ad hoc enim sumus commor-

(156) August., De baptismo parvulorum.
(157) Id., De spiritu.

(158) Augustinus, De spiritu et littera.

tui et consepulti, *ut quomodo Christus resurrexit*, longe *a mortuis* remotus, et hoc, *per gloriam Patris*, id est per Verbum Patris homini unitum, vel per gratiam Dei. *Ita* et tam firmiter nos a vitiis resurgentes ad bona opera *ambulemus*, de bono in melius, positi *in novitate vitæ*, per justitiam fidei et spem gloriæ. *Si enim*; quasi dicat : Dico ambulemus in novitate quod possumus. Si enim nos explantati, ad similitudinem arboris, de mala terra, *facti sumus*, a Deo : complantati, firmiter hærentes, *similitudini mortis*, id est si a veteri ritu remoti firmiter hæremus bono Deo faciente, et similes morti Christi sumus. Simul, id est mox, et *erimus*, complantati *similitudini resurrectionis* Christi, id est firmiter hærebimus similitudini resurrectionis Christi, ut sicut Christus deposita vetustate a morte novus resurrexit, ita et *nos in novitate vitæ ambulemus*. [Ambrosius] Tunc dicit nos posse fieri similes resurrectioni, si similitudini mortis ejus facti fuerimus complantati, id est in baptismo omnia vitia deponentes, postmodum non peccemus. Hæc enim similitudo mortis præstabit similitudinem resurrectionis, ut in novitate vitæ ambulemus. [Augustinus] Nota quod mors qua peccato mortui in baptismo dicimur, et vita qua nunc in justitia et post æternaliter cum Christo victuri sumus, in morte et resurrectione Christi demonstrata sunt. Mors enim Christi et resurrectio, non tantum res, sed etiam sacramenta sunt. (159) Quidquid enim gestum est in cruce Christi, in sepultura, in resurrectione, in ascensione, et in sedere ad dexteram Patris, ita gestum est, ut his rebus mystice non tantum dictis, sed gestis, configuretur vita Christiana. Attende ergo singula quæ facta sunt in his prædictis, et qualiter ex eis Christiana vita configuretur in Christo qui vixerat vetus homo, id est vetustate a primo hōmine contracta, non secundum culpam, sed secundum pœnam, famem scilicet et sitim, et hujusmodi. Hoc modo ipsam vetustatem finivit et deposuit, ut dolorem crucis sustinens sic haberet membra distenta in cruce et fixa, ne ad priores actus moverentur, a quibus etiam sepultus quievit, humanis subtractus aspectibus, per hæc exigens a nobis, ut nostram vetustatem peccatorum cum gemitu et dolore pœnitentiæ deponamus, et membra nostra continentiæ atque justitiæ clavis confixa habeamus, ne ad priora mala redeamus, a quibus etiam ita perfecte quiescamus, ut nec eorum visio nec memoria habeatur; et sic ad bona resurgentes in novitate vitæ ambulemus, de virtute in virtutem ascendentes, quousque in dextera Dei locati Deum deorum sicut est videamus. [Augustinus] In cruce ergo est dolor confessorum, in sepultura requies absolutorum, in resurrectione vita justorum, in ascensione profectus perfectorum, in consessu ad dexteram gloria beatorum. Hæc autem non solum a nobis exigit Christus in sacramento passionis, sed etiam si volumus imitari efficit. Unde subditur:

Vers. 6-11. — « Hoc scientes, quia vetus homo « noster simul crucifixus est ut destruatur corpus « peccati, ut ultra non serviamus peccato. Qui enim « mortuus est, justificatus est a peccato. Si autem « mortui sumus cum Christo, credimus quia simul « etiam vivemus cum illo, scientes quod Christus « resurgens ex mortuis, jam non moritur; mors illi « ultra non dominabitur. Quod enim mortuus est « peccato mortuus est semel; quod autem vivit, vi« vit Deo. Ita et vos existimate vos mortuos quidem « esse peccato, viventes autem Deo in Christo Jesu. »

Hoc scientes quia vetus homo, etc. Dixit nos per baptismum mortuos esse peccato, et ideo non debere amplius vivere in illo, sed in novitate vitæ ambulare, et per quid hoc liceat ostendit, scilicet *quia vetus homo crucifixus est*, etc. [Augustinus] Quasi dicat : Dico, ambulemus in novitate vitæ. Nos dico, scientes hoc, quia vetus homo, id est fomes peccati et consuetudo *noster*, id est qui ex nobis est, non ex Deo, *simul*, cum Christo crucifixus est, id est cum crucifixione Christi ita debilitatus est, *ut destruatur*, etc. (160) Vel, vetus homo noster, si cum Christo crucifixus, id est veteres actus nostri morte Christi crucifixi, id est mortui sunt ita ut destruatur, dominante ratione, *corpus peccati*, id est omnia crimina quæ simul sunt quasi corpus et congeries peccati. Gratia autem Dei qui in similitudine carnis peccati in cruce pependit, per baptismum id agitur, ut vetus homo crucifigatur, et corpus peccati destruatur, non ita ut in ipsa vivente carne concupiscentia respersa et innita repente absumatur et non sit, sed ne obsit mortuo quæ inerat nato. Nam si post baptismum vixerit in carne, habet concupiscentiam cum qua pugnet, eamque adjuvante Deo superet, si tamen non in vacuum gratiam Dei suscepit, si reprobus esse noluerit. Non itaque hoc præstatur in baptismo, nisi forte miraculo ineffabili Creatoris, ut lex peccati, quæ est in membris prorsus exstinguatur et non sit; sed ut quidquid mali ab homine factum, dictum, cogitatum est, cum eidem concupiscentiæ subjecta mente serviret, totum aboleatur, ac velut factum non fuerit habeatur. [Ambrosius] Ipsa vero concupiscentia, soluto reatus vinculo quo per illam diabolus animam retinebat et a suo Creatore separabat, maneat in certamine quo corpus nostrum castigamus, et servituti subjicimus. Vetustas itaque nostra pœnæ et culpæ, quæ est ex maledicto primi hominis in cruce Christi destructa est, qui nostram mortalitatem suscepit, et peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum, in cujus peccati et mortis figura etiam Moses in eremo super lignum exaltavit serpentem; persuasione quippe serpentis, homo in damnationem mortis incidit. Itaque serpens, ad significationis ip-

(159) Augustinus, in Ench.

(160) August., De bapt. parv.

sius mortis convenienter in ligno exaltatus est. In illa enim figura serpens pendebat in ligno. Quid autem pependit in ligno crucis nisi mors Domini, ut mortem moriendo superaret, et maledictum geminæ vetustatis nostræ factus maledictum (*Gal.* III) pro nobis consumeret?

Qualiter autem vetustas nostra in cruce consumpta sit videamus. Vetustas nostra sicut et maledictio in duobus consistit, scilicet in culpa et in pœna. Alterum assumpsit Christus, id est pœnam. Unde et dicitur factus maledictum, et utrumque in nobis consumpsit, quia nostram duplam vetustatem sua simpla consumpsit. Unde et uno die et duabus noctibus in sepulcro quievit. Per unum diem simpla ejus vetustas signatur, per duas noctes gemina nostra vetustas. Quievit ergo in sepulcro una die et duabus noctibus, quia sua simpla vetustate nostram geminam tulit. Et qualiter videamus. Culpam delevit Christus, et præsentem et præteritam et futuram. Præterita peccata tulit ea remittendo, præsentia, homines ab eis retrahendo, et item remittendo; futura vero non ea remittendo tulit, sed gratiam qua vitarentur conferendo. Ergo futura tulit, quia ut non fierent fecit. Pœnam quoque similiter consumpsit. Est autem pœna duplex, gehennalis et temporalis. Gehennalem prorsus delevit, ut eam non sentiant vere pœnitentes; temporalem vero nondum penitus tulit. Manet enim fames, sitis, mors et hujusmodi; sed regnum et dominium ejus dejecit, et tandem in novissimo eamdem penitus exterminabit. Sicut aliquis capiens hostem atrocissimum non statim interficit eum, sed patitur eum cum dedecore et dolore aliquantulum vivere, ita et Christus pœnam quasi prius alligavit, in futuro autem perimet. Victa ergo mors cum triumpho est, et cum ea diabolus, sed nondum penitus interempta. Inde est quod Petrus ante passionem ad vocem ancillæ negavit, postea vero ante reges et præsides ductus non cessit. Ideoque congrue ait Apostolus: Vetus homo noster crucifixus est, id est debilitatus ira, ut destruatur corpus peccati, carne subdita spiritui, ita *ut ultra non* **30** *serviamus peccato*, non dico ut non sit, sed ut non cogamur servire et vere non cogimur, quia justificati sumus. Et vere: *qui enim est mortuus* peccato, id est qui liberatus est a peccato, ut nos sumus, *justificatus est a peccato*, id est justus et liber est a peccato. *Si autem mortui sumus cum Christo*, id est si ita mortui sumus peccato, sicut Christus mortuus semel est pœnæ, credimus, etiam quia simul vivemus cum Christo, id est non alibi, sed ibidem cum eo. Id est dicere, si mortui sumus Christo, id est similes morti ejus, sicut supradictum est, præter prædicta hoc habebimus, quia vivemus cum eo in æterna vita. Vivemus dico, et tali vita quali ipse.

Scientes quod Christus resurgens longe ex mortuis remotus, *jam*, id est posthac, *non moritur*, id est dissolvitur, dissolutione animæ et carnis. *Et mors illi ultra non dominabitur*, aliqua passione. *Quod enim mortuus est*, etc., quasi dicat: Vere Christus jam non moritur, quia Christus mortuus est semel; *semel* ideo, quia mortuus *peccato*, id est pro peccato tollendo quod una morte fecit, quæ ad hoc sufficit. (161) Vel mortuus est peccato, id est peccati similitudini, id est carni in qua non erat peccatum, sed similitudo peccati, cui mortuus est quando moriendo exutus est carne mortali simili peccatrici. In quo sacramentum baptismatis, quod in nobis celebratur, commendat Apostolus. (162) Ut quomodo ille semel moriendo similitudini peccati mortuus prædicatur, ita quicunque in illo fuerit baptizatus eidem rei cujus fuerit illa similitudo, moriatur, id est peccato, et vivat a lavacro renascendo, sicut ipse a sepulcro resurgendo quamlibet ætatem gerat. (163) A parvulo enim recenter nato usque ad decrepitum senem, sicut nullus est prohibendus a baptismo, ita nullus est qui peccato non moriatur in baptismo, sed parvuli tantum originali, majores vero etiam actualibus quæ originali addiderunt. (164) Nota etiam quod Apostolus hoc dicendo voluit intelligere mortem Deum non fecisse, quam utique Deus non fecit, sed homo manibus et verbis accersivit. Attende quod hic et alibi Augustinus Deum mortem dicit non fecisse. Idem tamen alibi ita dicit: (165) Videndum est ne male intelligatur quod dixi, Deus mali auctor non est, qui et omnium quæ sunt auctor est, quia in quantum sunt, in tantum bona sunt; et ne tamen inde putetur non ab illo esse pœna malorum, quæ utique malum est his qui puniuntur. Sed hoc ita dixi, quemadmodum dictum est: *Deus mortem non fecit* (*Sap.* I); cum alibi scriptum sit: *Mors et vita a Domino Deo est* (*Eccli.* XI). Malorum ergo pœna, quæ a Deo est, malum est quidem malis, sed in bonis Dei operibus est numerando, quoniam justum est ut mali puniantur, et utique bonum est omne quod justum est. Sic ergo dicitur Deus non fecisse mortem, quia non fecit illud pro quo mors infligitur, id est peccatum. Non enim Deo auctore fit homo deterior, sed vitium voluntatis est quo homo est deterior, quod vitium longe est a Dei voluntate. Deo autem auctore cum dicitur, Deo volente dicitur. Quod autem quasi dicat: Mors non dominabitur Christo, sed potius vivit. Et quod vivit, non qualitercunque vivit; sed vivit Deo, id est ad similitudinem Dei Patris, quia sicut Patris vita, ita et vita Christi; nullam inquietudinem recipit, ita et nos. Quidquid supra dixit esse hominibus per gratiam Christi, hic Romanis attribuit quasi dicat: Sicut semel Christus mortuus est, et postea semper vivit, *ita et vos*, o Romani, *existimate quidem vos mortuos esse peccato*, vivere autem virtutibus Deo, id est in honorem Dei. Et est sensus: Sicut Christus mortuus est semel, ita peccatum in vobis semel moriatur, ut

(161) Augustinus contra Max. hæreticum.
(162) Id., contra Julian. hæreticum.
(163) Id., in Ench.
(164) Augustinus, ex lib. Hiponosticon.
(165) Id., de retractatione librorum.

non oporteat iterari; et sicut Christus semper vivit, A ita et vos semper vivatis virtutibus, et hoc in Christo Jesu Domino nostro, id est in opere Christi, alibi nulla spes est.

VERS. 12-14. — « Non ergo regnet peccatum in « vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis « ejus. Sed neque exhibeatis membra vestra, arma « iniquitatis peccato, sed exhibete vos Deo, tanquam « ex mortuis viventes, et membra vestra, arma jus- « titiæ Deo. Peccatum enim vobis non dominabitur. « Non enim sub lege estis, sed sub gratia. »

Non ergo regnet, [Ambrosius] quia supra dixit nos mortuos peccato esse, et non debere vivere in eo, cum nemo sine peccato sit, determinat a quibus maxime est cavendum, ut scilicet, non obediamus B concupiscentiis, quasi concludat illud quod supra quærebatur, scilicet, permanebimus in peccato; quasi dicat : Quia ita mortui estis peccato, ergo peccatum, id est fomes peccati, etsi sit, non tamen regnet *in corpore vestro,* scilicet quod est vestri juris per gratiam. *Corpore* dico nunc *mortali* per peccatum; sed fiet immortale in futuro, si non regnet modo peccatum. Vel non regnet peccatum in corpore hoc mortali, in æternum, id est quod per hoc moriturum est in æternum quod regnaverit peccatum (166). Lex carnis est quam hic Apostolus appellat peccatum, cum ait : Peccatum non regnet, quia lex vel peccatum non sic manet in membris eorum qui ex aqua et spiritu renati sunt, tanquam non sit eis facta remissio peccatorum interfectis omnibus quibus separamur a Deo, sed ramanet in vetustate C carnis tanquam superatum, et peremptum; nisi illicito consensu quodammodo reviviscat, et in regnum proprium dominationemque revocetur. Non regnet, dico, ita *ut obediatis* consentiendo et operando, *concupiscentiis ejus,* etsi cupitis ex infirmitate. [Augustinus] Si enim consenseris, regnat peccatum. Et non solum non obediatis, *sed* etiam *neque exhibeatis membra* peccato, id est concupiscentiæ, quæ tunc sunt, *arma iniquitatis,* id est quibus impleatur iniquitas. Et est sensus : Non solum non obediatis concupiscentiæ, sed nec concupiscatis : quod est exhibere, et habilia facere membra peccato, quæ tunc sunt arma iniquitatis. Hic autem nota quod concupiscentia aliquando est nomen fomitis, scilicet vitii innati, aliquando actus interioris, qui est etiam D in primo motu qui dicitur propassio; et in secundo, qui dicitur delectatio; et in tertio, qui dicitur consensus. Hic autem non prohibet concupiscentiam quæ est in primo motu, quia non est in potestate nostra quin surgat, sed gratia Dei compescere possumus, ne usque ad delectationem et consensum perveniat quod prohibet, scilicet ut mente non delecteris, vel consentias concupiscentiæ carnis, quæ ex languore veniens rebellat adversum te. Languor autem iste tyrannus est qui movet mala desideria. Est ergo in nobis mala concupiscentia quæ non est permittenda regnare. Sunt etiam ejus desideria quæ sunt actuales concupiscentiæ, quæ sunt arma diaboli. [Ambrosius] Per ea enim occasio datur illi ut deserente nos Deo accepta potestate illudat et mortificet. Si vis ergo esse victor tyranni et inimicum inermem invenire, et sic tibi subjicere, non obedias concupiscentiæ male operando, nec etiam concupiscatis delectando vel consentiendo. *Sed* potius *exhibete,* id est habiles facite *vos Deo;* vos, dico, *tanquam ex mortuis viventes.* Quasi dicat : Exhibere vos Deo debetis et potestis, quia estis viventes virtutibus; et debetis, quia prius mortui eratis in peccatis, etsi implere non potestis opere quod bonum est. Vel, id est saltem velitis per quod habiles eritis et præparati. Et hoc est quod dicit cum subdit, *et membra vestra* exhibete *Deo,* ut sint *arma justitiæ,* quibus scilicet impleatur justitia. Sicut enim peccato arma præbemus membra nostra cum male agimus, ut verbi gratia, si surgenti damus iræ, vel linguam ad maledicendum, vel manus ad percutiendum, ita et justitiæ arma damus cum recte conversamur, membra vestra custodientes ab omni turpitudine. Peccatum enim, quasi dicat : Quod dixi facite, quod et leviter potestis. *Peccatum enim vobis jam non dominabitur,* ut olim solebat. *Non enim estis sub lege* quæ non juvabat, sed estis sub gratia, quæ refrigerat et juvat, ut etiam legis quisque sit factor, sine qua gratia, sub lege positus tantummodo erit legis auditor.

VERS. 15-18. — « Quid ergo? Peccabimus, quo- « niam non sumus sub lege, sed sub gratia? Absit! « An nescitis quoniam cui exhibetis vos servos ad « obediendum, servi estis ejus cui obedistis, sive « peccati ad mortem, sive obeditionis ad justitiam? « Gratias autem Deo, quod fuistis servi peccati; obe- « distis autem ex corde, in eam formam doctrinæ, « in qua traditi estis. Liberati autem a peccato, servi « facti estis justitiæ. »

Quid ergo? quasi dicat : Quia non sumus sub lege quæ terret, sed sub gratia quæ bonum promittit. Quid ergo faciemus? an scilicet, *peccabimus* [Haim.] hac fiducia, *quoniam non sumus sub lege, sed sub gratia?* Hoc quidam dicebant, qui legem quasi cohærentem gratiæ prædicabant tenendam. Quod Apostolus removens ait : *Absit!* Vel ita : Dixi vos sub gratia esse non sub lege, et quoniam lex a Deo est, ne per hoc ei forte opponeretur, ipse sibi opponit; quasi dicat : Quia lex a Deo est. Quid ergo dicemus? dicemus hoc scilicet quod peccabimus, quoniam non sub lege, sed sub gratia sumus, id est quod legem dimisimus pro gratia? Absit! *An nescitis,* ne aliud profitentes, aliud faciamus; et cum Dei servi dicimur, gestis servi diaboli inveniamur, præmonet, et denuntiat nos esse servos ejus cujus voluntatem explemus operibus. Quasi dicat : Non debetis peccare, sed bene operari. [Ambrosius] *Quoniam cui exhibetis,* id est affectatis *vos servos,* ut pro-

(166) August., De bapt. parv.

nos *ad obediendum* consentiendo et operando, *servi estis*, id est cogemini quadam necessitate quam importat consuetudo ad voluntatem, *ejus, cui obedistis*, id est postequam ei obedistis; etsi non ante cum primum exhiberetis vos servos. Et an nescitis hoc? Servi estis, dico, id est *sive peccati*, ducentis, *ad mortem*, id est ad peccatum majus, vel ad æternam pœnam; *sive obeditionis*, id est justitiæ ducentis *ad justitiam*, majorem, vel ad æternam vitam.

31 *Gratias*, etc., quasi dicat: Ejus estis cui vos datis; ego *autem gratias* ago Deo de eo quod cum prius essetis servi peccati non modo, et hoc est quod ait sic lege litteram; quasi dicat: Ita est ut dixi, et hoc in vobis apparet, qui *fuistis* aliquando *servi peccati*, nunc autem *obedistis*, et per hoc estis facti servi justitiæ, id est Christi. Obedistis dico non specietenus, sed *ex corde*, id est animi judicio, quia per naturam non per legem, ex voluntate non ex timore obedistis fidei. De hoc autem, ago gratias Deo, scilicet, quod cum prius essetis tales, modo non estis, vos dico tendentes *in eam formam doctrinæ*, id est in doctrinam quæ est forma nostra. Doctrina Evangelii est forma quæ imaginem Dei deformatam restituit. In eam formam, dico *in quam* formam non per vos, sed gratia Dei, *traditi estis*, et per hoc *liberati* estis, per alium, *a peccato*, id est a fomite peccati ne regnet, *servi* autem *facti estis justitiæ*, consentiendo et operando.

Vers. 19-21. — « Humanum dico, propter infirmitatem carnis vestræ. Sicut enim exhibuistis « membra vestra servire immunditiæ et iniquitati « ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra « servire justitiæ in sanctificationem. Cum enim « servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ. Quem « ergo fructum habuistis tunc in illis in quibus « nunc erubescitis?

Humanum dico, etc. Hactenus ostendit Apostolus non esse peccandum. Hic dicit quid deinceps sit agendum, scilicet ut serviatur justitiæ, de quo nullus est qui possit se excusare, quia nullus est qui non possit bene operari, saltem voluntate, quod item est per gratiam. [Ambrosius] et ne religio Christiana quasi importabilis et aspera videretur, et ideo fugeretur, quiddam humanum, id est leve præcipit, [Origenes] scilicet ea mensura servire Deo, qua prius fabulabamur peccato, cum utique propensius deberet serviri Deo quam peccato; quippe cum hic salus, illic damnatio sit, [Ambrosius, Origenes] Quasi dicat: Et quia liberi estis a peccato, ideo dico, id est præcipio vobis. Quiddam humanum, id est leve et sine onere, quod quidem est adultæ sed non consummatæ justitiæ. Et hoc dico *propter infirmitatem carnis vestræ*, id est quæ est ex carne vestra, pro qua humanum dico, quia majora deberem dicere si possetis ferre, quia plus servitutis debetis justitiæ quam peccato; sed parco infirmitati vestræ non exigens plus boni a vobis, quam fecistis mali. *Sicut enim*, etc. Hic ostendit illud humanum, pudorem incutiens illis dum dicit, ut hoc saltem dependant justitiæ, quod prius immunditiæ detulerant. [Origenes] Quid ergo tam humanum, id est tam leve, tam sine onere quod prorsus nulla possit carnis infirmitas excusare? Quasi dicat: Vere humanum dico, quia hoc humanum. *Sicut enim exhibuistis*, id est voluntate duce præparastis, *membra vestra*, quæ vestri juris essent, si velletis, *servire* operando *immunditiæ* carnis, id est luxuriæ, quæ corpus inquinat, *et iniquitati* mentis, quæ etsi corpus non inquinet animam tamen corrumpit. Iniquitati dico ducenti, *ad iniquitatem*, id est ad mali consummationem. *Ita*, id est similiter *nunc*, cum sitis liberati a peccato, *exhibete*, id est præparate, *membra vestra*, quæ vestri juris sunt, *servire* operando, *justitiæ* ducenti, *in sanctificationem*, id est ad boni consummationem. Et est sensus. (167) Sicut tunc nullus timor coegit vos ad peccandum, sed libido voluptasque pecati duxit, sic modo ad juste vivendum, non vos supplicii metus urgeat, sed delectatio charitasque justitiæ ducat. Et hæc quidem, quantum mihi videtur, nondum est perfecta, sed quodammodo adulta justitia. Unde non frustra dicit, humanum. Humanum enim est quod ait: Sicut exhibuistis vos immunditiæ, ita exhibete vos nunc justitiæ, quia plus etiam debet amari justitia quam tunc fuerit iniquitas, ut scilicet pro justitia toleret homo dolores, et contemnat omnia, etiam mortem. Suavior est enim justitia et lucidior quam iniquitas, et ideo magis amanda. Appende enim justitiam et iniquitatem. Tantumne amanda est justitia, quomodo amata est illa? absit ut sic, et utinam vel sic ametur! Ergo plus amanda, plus omnino. In iniquitate consecutus es voluptatem, pro justitia tolera dolorem. Ecce plus, sed non dicit Apostolus plus, sed, sicut. [Augustinus] Si ergo non plus servitur justitiæ, vel, id est saltem tantum serviatur, quantum tunc iniquitati serviebatur. Hoc dicit ne fides, quasi aspera et importabilis fugiatur. Inveniuntur tamen forsitan aliqui qui, sicut justitiæ peccati voluptatem præposuerunt, (168) ita præponant justitiæ delectationem voluptatibus carnis, pro justitia tamen pœnas mortemque pati formident. Humanum est hoc. Parum est ut contemnas quidquid te delectabat, contemne etiam quidquid terrebat, carceres, tormenta, etiam mortem. In utroque gradu, amatores justitiæ vos, præparate.

Cum enim, etc., quasi dicat: Ideo serviendum est justitiæ. Enim, id est quia cum *estis servi peccati*, id est cum peccatum dominaretur vobis, *liberi fuistis* justitiæ, id est caruistis dominio justitiæ (169) Servi addicti, quæso, qualis potest esse libertas? Libertas servi est, quando eum peccare delectat, quod est ex libero arbitrio: liberaliter enim servit, qui voluntatem domini libenter facit. Ac per

(167) Augustinus, ad Anastasium.
(168) Id., in eodem.
(169) Augustinus, in Ench.

hoc ad peccandum liber est quia peccati servus est, A sic et justitiæ libere servit, qui amat, qui lætatur. Ipsa est vere libertas propter recte facti lætitiam, simul et pia servitus propter præcepti obedientiam. Hæc est ergo bona servitus et libertas; illa vero mala.

Quem ergo, etc., quasi dicat : Cum servi essetis peccato, caruistis justitia, et etiam fuit vobis fructus talis unde erubescatis, et finis mors æterna. Et hoc dicit sub interrogatione ; quasi dicat : Caruistis justitia. *Quem ergo fructum habuistis tunc ?* quasi dicat : Malum scilicet majorem turpitudinem habuistis dico, *in illis* turpitudinibus peccatorum, *in quibus*, id est in quarum memoria *erubescitis nunc*, cum sanæ mentis estis. (170) Est enim temporalis confusio quædam scilicet utilis pertubatio animi B respicientis peccata sua, et respectione horrentis, et horrore erubescentis, et erubescendo corrigentis. Et nota quod ideo mala priora memorat Apostolus, quia hæc rememoratio facit priora abhorrere, et magis obnoxios gratiæ.

VERS. 21-23. — « Nam finis illorum, mors est. « Nunc vero liberati a peccato, servi autem facti « Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, « finem vero vitam æternam. Stipendia enim pec- « cati, mors; gratia autem Dei, vita æterna in « Christo Jesu Domino nostro. »

Nam finis, quasi dicat : De fructu quæro, nam de fine patet, scilicet quod finis *illorum*, scilicet exitus vitæ, et actuum, *est mors* æterna, quæ illis operibus et talia operantibus succedit. [Ambrosius,] A morte enim peccati ad mortem æternam C transitur. Ecce libertas illorum et maculis plena, et pœnarum squaloribus est mancipata. [Haimo.] De talibus dicit propheta : *Computruerunt jumenta in stercore suo* (*Joel* I). Jumenta dicuntur homines irrationabiliter viventes sine honestate morum et conversationis. Jumenta ergo in stercore putrescere est in fetore luxuriæ, et turpitudine vitiorum, vitam finire. *Nunc* autem : quasi dicat : Ita fuit tunc, cum serviretis peccato. *Nunc vero* cum conversi estis, *liberati* estis a peccato, cujus tunc servi eratis. (171) Nota quod supradixit eos liberos fuisse justitiæ, non liberatos ; nunc autem a peccato non liberos dicit, ne sibi hoc tribuant, sed dicit provide ac vigilanter liberatos, referens hoc ad illam Domini sententiam : *Si filius vos liberaverit*, D *vere liberi eritis* (*Joan.* VIII). Sed hæc voluntas quæ in malis libera est, quia delectatur malis, ideo non est in bonis libera, quia liberata non est; nec potest homo aliquid boni velle, nisi adjuvetur ab eo qui malum non potest velle. Et ideo hic vigilantissime dixit liberatos a peccato, et supra, liberos justitiæ. Liberum enim arbitrium usque adeo in peccatore non periit. ut per ipsum peccent, maxime omnes qui cum delectatione peccant, et quibus placet, quod eis libet. Liberi ergo a justitia non sunt nisi arbitrio libertatis ; liberati autem a peccato non sunt, nisi gratia Salvatoris. (172) *Servi autem ;* quasi dicat : Liberati estis a peccato, servi autem estis *facti* quasi per alium Deo, qui tunc liberi fuistis justititiæ, et Vos liberati et servi *facti habetis* in præsenti *fructum vestrum*, id est congruum ; vos dico ducti, *in sanctificationem*, id est in virtutum consummationem; *finem vero* habebitis *vitam æternam*, [Ambrosius] id est in exitu et fine vitæ, habebitis vitam quæ est sine fine. *Stipendia enim*, etc., quasi dicat : Vere finis illorum *mors* est, quia mors æterna est stipendia *peccati*, id est digna retributio pro peccato. *Vita autem æterna*, quæ est finis justorum sola Dei gratia datur, et hoc *in Christo Jesu Domino nostro*, id est per Jesum Christum. [Haimo.] Attende quod loquens de remuneratione peccati, stipendium nominavit, et de remuneratione electorum dixit gratiam Dei, quia militant diabolo propriam mercedem accipiunt, quasi dicat : Stipendium, id est diabolicæ malitiæ debitum. [Augustinus, Haimo.] Stipendium enim dicitur a stipe pendenda, id est substantia ponderanda. Antiquitus enim potius ponderabatur pecunia quam numerabatur, quæ militibus pro patria militantibus ex publico ærario tribuebatur. (173) Ideo dixit stipendium peccati mors, ut mortem peccato non immerito illatam, sed debitam demonstraret. Stipendia enim quasi emeritorum sunt, et stipendium pro opere diabolicæ militiæ debitum redditur, non donatur. Gratia vero, nisi gratis est, gratia non est. Intelligendum igitur est etiam bona ipsa hominis merita esse Dei munera, quibus cum vita æterna redditur, quid nisi gratia pro gratia datur ? et quia merita ex gratia sunt, et ita gratia pro gratia reddetur. (174) Posset ergo recte dicere stipendium justitiæ, vita æterna, sed maluit gratia Dei dicere vita æterna, ut intelligeremus Deum ad vitam æternam pro sua miseratione nos perducere, non meritis nostris. (175) Quid enim est meritum hominis ante gratiam, cum omne bonum meritum uostrum non in nobis faciat nisi gratia ? **32** Quippe cum Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronat quam merita sua. Unde vita æterna quæ in fine a Deo meritis præcedentibus redditur, quia eadem merita quibus redditur non a nobis sunt, sed in nobis facta sunt per gratiam, recte et ipsa, gratia nuncupatur, quia gratis datur : nec ideo gratis, quia non meritis datur, sed quia data sunt et ipsa merita, quibus datur. (176) Confitendum est ergo ideo gratiam vitam æternam vocari, quia his meritis redditur, quæ gratia contulit homini. Unde in Evangelio legitur et gratiam pro gratia, id est pro eis meritis quæ contulit gratia. Certum enim est vitam æternam bonis operibus reddi, sed ipsa opera

(170) Augustinus, in psal. XXX.
(171) Id., ad Bonifa.
(172) Id., in eodem.
(173) Id., in Ench.

(174) Augustinus, ad Valentium.
(175) Id., ad Sixtum presbyterum.
(176) Id., De cor. et gratia.

quibus reddetur, ad gratiam Dei pertinere. Unde Dominus ait: *Sine me nihil potestis facere* (*Joan.* xv). (177) Accipimus ergo gratiam pro gratia, sed gratiam glorificationis pro gratia justificationis indebitæ. Gratia enim justificationis omne meritum malum delevit, indebito beneficio, et confirmat jugi auxilio, cui gratia glorificationis juste redditur in primo.

CAPUT VII.

VERS. 1-3. — « An ignoratis, fratres, scientibus « enim legem loquor, quia lex in homine dominatur, quanto tempore vivit? Nam quæ sub viro est « mulier, vivente viro, alligata est legi; si autem « mortuus fuerit vir ejus, soluta est a lege viri. Igi- « tur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum « alio viro; si autem mortuus fuerit vir ejus, libe- « rata est a lege viri, ut non sit adultera, si fuerit « cum alio viro. »

An ignoratis, fratres, etc. Hactenus egit de vi gratiæ, ostendens ex ea non ex lege esse salutem: nunc dicit quod lex ultra non est tenenda, et agit de fine legis, et priori inutilitate legis. Non ergo mirentur Romani, quia Apostolus ait: *Non estis sub lege, sed sub gratia* (*Rom.* vi). Supra enim dicebatur lex non justificare; hic dicitur debere cessare, quia data est usque ad Christum; quasi dicat: Aliquis diceret: Cur dicis per Christum esse vitam, et non per legis observantiam? Respondetur: Quia jam finem habet ipsa lex, et non dat vitam, sed auget peccatum. Et hoc est quod dicit sub interrogatione, et est ordo verborum talis: *An ignoratis*, o *fratres*, hoc scilicet ignoratis, *quia lex* Mosi *in homine dominatur*, ut ei obebiat homo, *quanto tempore vivit*, id est quandiu statum habet ipsa lex? quod non debetis ignorare. Enim, id est quia vos scitis legem, scilicet Mosi. Erant enim Romani de Judæis et gentibus. Et ego *loquor scientibus legem*, in qua quod dico manifestatur, si spiritualiter intelligatur. Deinde per simile illud ostendit subdens, (178) nam quæ juro, per quam similitudinem explanat et probat quod dixerat. Sicut enim *mulier vivente viro, alligata est legi* viri. *Si autem mortuus fuerit, soluta est*, ita dum lex statum habet ei subjectus est homo, cum vero desinet habere statum, solvitur homo. Vel ita, an ignoratis? Agit de lege naturali. [Ambrosius] Ut enim firmet animos eorum in doctrina Evangelii, et retrahat a lege Mosi, utitur exemplo humanæ legis, ut per terrena suadeat cœlestia. Sciunt utique legem Romani, quia non sunt barbari, sed naturalem justitiam comprehenderunt partim ex se, partim ex Græcis, sicut et Græci ex Hebræis. Et hoc est, quasi dicat: Ideo dico per Christum et non per legem Mosi, quia lex finem habet, quod patet per exemplum humanæ legis. [Ambrosius] An ignoratis, fratres, quia lex naturæ quæ generalis est, sed non per omnes sui partes, ab omnibus recipitur vel observatur? In homine domina-

A tur, quanto tempore vitæ, id est quandiu statum habet. Mortua enim dicitur lex, cum cessat ejus auctoritas. Non debetis hoc ignorare, quia vos scitis legem naturalem. Et ego loquor scientibus legem, hoc de lege naturali litteris inscripta, sive consuetudine hominum comprobata ait, sub qua erant Judæi, Græci, Latini. Hæc enim lex generalis est; postea vero specialem legem proponit, per quam etiam vult probare apertius assertionem suam. Gradatim enim vult eis tradere veritatem. Unde subdit: *Nam quæ sub vero est*, etc. Vere dum statum habet lex dominatur, sicut per hoc exemplum ostendo. Nam mulier quæ sub viro est, viro vivente alligata est legi viri, ut non possit discedere ab eo, sic et lex, Mosi quandiu statum habet, debet servari. Hoc

B ergo sequenti exemplo apertius docet Christianum a lege factorum exutum, non ab omni lege, sicut mulier liberatur a lege viri, mortuo viro, non a lege naturæ, nec ultra debet Christianus esse sub lege. Si enim ei lex vivit, adulter est, non prodest ei Christianum dici, et hoc ostendit positum exemplum exsequendo: *Si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est a lege viri.* Similiter si lex statum amittit, solvitur homo; et quia vivente viro alligata est legi viri, *igitur vivente marito vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro:* sic qui prævaricatur lege stante peccat. *Si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est a lege viri:* [Ambrosius] ita sublata lege data remissione peccatorum hi qui juncti sunt Evangelio per gratiam liberati sunt. Ut non sit, etc., quasi dicat: Ita libera est mulier, ut non sit adultera si

C fuerit cum alio viro: sic, finita lege non prævaricatur qui ad Christum transit, dimissis figuris. Mortua enim lege non sunt adulteri qui cum Christo sunt, imo si quis servans legem mortuam, vult esse fidei, adulter in utroque, nec prodest ei Christus.

VERS. 4-6. — « Itaque, fratres mei, et vos mortificati estis legi per corpus Christi, ut sitis alte- « rius qui ex mortuis resurrexit, ut fructificetis « Deo. Cum enim essemus in carne, passiones pec- « catorum quæ per legem erant, operabantur in « membris nostris, ut fructificarent morti. Nunc au- « tem soluti sumus a lege mortis, in qua detineba- « mur, ita ut serviamus in novitate spiritus, et non « in vetustate litteræ. »

C *Itaque, fratres mei.* (179) Hucusque similitudo est. Dehinc incipit rem loqui, pro qua similitudinem induxit, et infert a simili; quasi dicat: Quia ita est inter virum et mulierem. Itaque juxta hanc similitudinem, fratres mei, *et vos* ut nos apostoli, *mortificati estis legi*, dimissis peccatis, [Ambrosius] id est mihi debetis legi, quæ data est usque ad Christum; quasi dicat: Non modo dimisistis legem sed etiam facti estis, ut mortui legi, id est figurativis. Ita enim hic appellatur lex. Mortificati, dico, *per corpus Christi*, id est per mysterium incarnationis, vel per completionem veritatis, ad hoc estis

(177) Augustinus, Fulgentius.
(178) Id., lib. LXXXIII Quæstion.

(179) Augustinus, lib. LXXXIII Quæstion.

mortificati legi, *ut* vos *sitis alterius*, id est Christi cujus non pudeat vos esse, quia ipse est *qui ex mortuis resurrexit*, cujus utique sumus *ut* modo *fructificemus Deo*, qui prius fructificabamus morti sub lege, et vere modo fructificamus *Deo*, et non olim. *Cum enim essemus in carne*, id est quæ carnis sunt operantes quod erat sub lege, *passiones peccatorum*, id est concupiscentiæ quæ sunt causa peccatorum mortalium, [Augustinus] id est consensus operis, sub quibus tanquam sub viro dominante agebat anima, antequam gratia veniret per fidem, *quæ*, passiones *per legem erant*, vel notæ vel etiam auctæ, vitio faciente, *operabantur in membris nostris*, [Ambrosius] id est ducebant membra nostra ad mala opera, ita *ut fructificarent morti*, id est ut facerent digna æterna morte. (180) *Nunc autem cum sumus Christi*, soluti sumus, remissis peccatis, *a lege*, quæ est causa *mortis*, id est peccati. Aucta est enim concupiscentia, cum lex prohiberet ubi non erat fides; et ad cumulum peccatorum prævaricationis crimen additum est, quia ubi non est lex, nec prævaricatio. [Ambrosius] Vel lex mortis ideo dicta est, quia peccantes interficit, et reos punit. *In qua lege detinebamur*, nec unquam nisi gratia Dei solveremur. Soluti sumus, dico, *ita ut serviamus in novitate spiritus, et non in vetustate litteræ*, id est serviamus operibus novi hominis Christi, quæ non nostris viribus, vel lege attingimus, sed gratia Spiritus sancti, in quibus est sic immorandum, ut nihil addatur de operibus legis quæ vetusta sunt. Vel, serviamus in novitate, spiritus, id est lege fidei, quæ est in animo innovato, quæ etiam hominem facit spiritualem, et ideo recte dicitur lex spiritus. Et non in vetustate litteræ, id est non secundum litteram quæ senuit, quia cessavit. [Augustinus] Attende quod in præcedenti similitudine tria sunt, scilicet vir, mulier, lex viri, et rursum in hac propter quam similitudo inducta fuit, similiter tria, anima, peccatorum lex. Hoc solum hic diversum est, quod in illa vir moritur, ut a lege viri soluta mulier nubat cui velit; hic autem non peccatum, sed ipsa anima moritur peccato. (181) Prædictis namque passionibus ipsa anima moritur quæ jam servit mente legi Dei, quamvis ipsæ passiones nondum mortuæ sunt, quandiu carne servit legi peccati. Restat ergo adhuc aliquid ei qui est sub gratia, quod eum tamen non vincat, nec captivum ducat. Quid ergo? Hic quæritur utrum ipsa lex sit mala, quia videbatur culpasse legem dicendo passiones peccatorum esse per legem, et eamdem vocando legem mortis et vetustatem litteræ; quæ verba male intellecta fomitem insaniæ furori Manichæorum subministrarent. (182) Manichæi enim legem Mosi dicunt non a Deo datam, et eam Evangelio contrariam esse contendunt, et quando cum eis agitur, prædictis testimoniis Apostoli quæ non intelligunt, conantur convincere

A Catholicos. Quod ergo sensit Apostolus posse intelligi, opponit, ut et hoc se intellexisse neget, et legem legis ipsius laude defendat, et quo sensu prædicta dixerit verba, aperiat : quasi dicat : Quando quidem lex mortis est, et auxit vires peccati detinens a bona operatione.

Vers. 7, 8. — « Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit! Sed peccatum non cognovi, nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret : Non concupisces. Occasione autem accepta, peccatum per mandatum, operatum est in me **33** omnem concupiscentiam. »

Quid ergo dicemus? Dicemus quia *lex peccatum*, id est docens vel faciens peccare. Vel talis pro qua donata peccavit auctor ejus, quasi malæ rei? Absit!
B non enim lex mala est, *sed* potius bona, quia peccatum *non cognovi, nisi per legem*, [Ambrosius] id est quia peccatum fecit cognoscere, quia prius nesciebantur quædam vel esse peccata, vel adeo esse gravia, vel esse punienda. Non ergo adeo prius cognovi peccatum, nisi per legem per quam innotuit, vel esse peccatum quod ignorabatur, vel esse grave, vel esse puniendum. Per hoc ostendit legem non esse peccatum, sed indicem peccati. (183) Quare intelligitur legem ad hoc datam esse, non ut peccatum insereretur, vel exstirparetur, sed tantum ut demonstraretur quod animam faceret ream, ut quia peccatum sine gratia Dei vinci non possit, ipsa reatus sollicitudine, ad percipiendam gratiam converteretur. Quod autem per legem notum sit peccatum ostendit in parte. *Nam concupiscentiam;* quasi di-
C cat : Peccatum non cognovi nisi per legem, sicut in hoc uno patet. *Nam concupiscentiam nesciebam*, vel peccatum esse, vel tam grave, *nisi lex diceret : Non concupisces*. [Augustinus] Ad probandum per legem cognosci peccatum, hoc elegit Apostolus quod est generale peccatum, scilicet concupiscentia. Unde omnia mala veniunt. Bona ergo lex quæ dum hoc prohibet, omnia mortalia prohibet. Non est lex peccatum, sed insinuatrix peccati. Per eam factus est homo doctus, sed pejus est victus, dum sine gratia Christi erat. Et nota quod ait, nesciebam, non pro se hoc dicit, sed in persona sua generalem agit causam. Sed quæritur quæ sit ista concupiscentia. [Hieronymus] Dicunt quidam illam esse quæ prohibetur in Decalogo cum dicitur : *Non concupisces rem*
D *proximi*, vel *uxorem proximi* (*Exod.* xx). Alii ergo generaliter quamlibet concupiscentiam quorumlibet prohibitorum. *Occasione autem*, etc. Ecce ostensum est quod lex bona est quæ peccatum prohibet, et ostendit; sed tamen ex ea malum accessit, quia peccatum, id est fomes peccati, scilicet vitium concupiscentiæ, quod et carnalitas appellatur. [Ambrosius] Vel, peccatum, id est diabolus qui est auctor peccati, *operatum est in me omnem concupiscentiam*, id est consensus delectationis et operis. [Augusti-

(180) August., lib. LXXXIII Quæstion.
(181) Id., in eod.

(182) Augustinus, De verb. Domini.
(183) Id., ad Simplic.

nus] Aucta est enim concupiscentia ex prohibitione legis, quando adhuc deerat gratia liberantis; vel omnem concupiscentiam, id est omne peccatum; omnem enim dicens concupiscentiam, cuncta peccata significat. [Ambrosius] Erat enim ante peccatum, sed non omne, quando crimen prævaricationis adhuc deerat. (184) Sed modo omne peccatum accessit, quia etiam prævaricatio. Operatum est, dico, *occasione accepta per mandatum*, id est per legem. [Augustiuus] Fomes occasionem accipit per mandatum, quia talis est nostra carnalitas, ut ardentius desideret prohibita, quibus non memoratis jaceret quasi sopita, [Ambrosius] et diabolus etiam ex mandato accepit occasionem, quia videns legem in auxilium hominibus datam, magis exarsit iracundia adversus hominem, et magis institit ut verteret legem illis in perniciem, cum prius quasi secure possidens minus tentaret. Vel, peccatum, id est diabolus vel fomes, est operatum in me omnem concupiscentiam. Non mutatur sensus horum verborum. Et hoc per mandatum operatum dico, occasione accepta, in ipsis rebus, ut visa muliere, vel auro, et hujusmodi. Attende recte dici peccatum operatum omnem concupiscentiam per mandatum, vel occasionem accepisse per mandatum. Minor enim erat concupiscentia ante legem, quando securus peccabat homo (185). Ibat enim post concupiscentiam, et quo trahebat, currebat, ejusque illecebras blandas, et ex carnali suavitate jucundas magnam felicitatem putabat. Sed veniente lege quasi opposito obice, vidit homo malum suum, voluit refrenare concupiscentiam, non ire post eam, strinxit se, conatus est homo de se præsumens concupiscentiæ fluvium siccare, sed non valuit. Frenatus quidem et fluvius concupiscentiæ, oppositis obicibus legis, sed non siccatus; imo quia de se non de gratia homo præsumpsit, aucta est concupiscentia opposita lege, et quæ prius eum ducebat obice nullo, obruit eum obice rupto. Per legem enim doctus, ea prævaricata pejus est victus, et factus est legis prævaricator qui fuit ante nescius peccator; et ideo bene dicit omnem concupiscentiam. Omnis enim est quando transcendit legem.

VERS. 8-11. — « Sine lege enim peccatum mortuum erat. Ego autem vivebam sine lege aliquando. Sed cum venisset mandatum, peccatum revixit. Ego autem mortuus sum, et inventum est mihi mandatum quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem. Nam peccatum occasione accepta per mandatum seduxit me, et per illud occidit. »

Sine lege enim, etc. Bene dixi per mandatum, *sine lege enim*, id est cum lex non erat, *peccatum*, id est diabolus seu fomes peccati *mortuum erat*, id est debile, quia non ita sæviebat ad illusionem hominum ante legem. [Ambrosius, Augustinus.] Patet quod non ex sua persona, sed ex persona hominis generaliter, loquitur Apostolus; et notatur hic primus

A actus hominis ante legem, id est loquitur hic in persona hominis ante legem. *Ego autem*. Quasi dicat: Ante legem peccatum erat mortuum. Ego autem, rationalis homo, *aliquando*, id est in tempore ante legem, *vivebam*, ad comparationem hujus mortis cum essem, *sine lege*. Nota duos homines in eodem, scilicet interiorem et exteriorem, id est rationem et fomitem: qui est in carne, interiorem dicit assentire legi, et ejus testimonio, bonam esse legem approbat; exteriorem vero dicit contra interiorem, et contra legem repugnare et captivare, et per legem majorem potestatem peccandi habere. *Sed cum venisset*. Hic notatur secundus actus sub lege, id est hic loquitur Apostolus in satu hominis positi sub lege. Quasi dicat: Sine lege vivebam, sed cum venisset

B *mandatum legis*, *peccatum* prius sopitum, [Augustinus] id est exterior homo, scilicet fomes peccati, *revixit*, id est cœpit apparere et rebellare. *Ego autem* interior homo *mortuus sum* aucto peccato et addita prævaricatione; vel ita ab illo loco, *sine lege*, et agit de peccato concupiscentiæ, et de aliis quæ per legem nota fuerunt, et respicit ad illud quod prædixerat, scilicet peccatum non cognovi nisi per legem, quasi dicat, et vere non nisi per legem. Quia sine lege peccatum mortuum est, id est ignotum latebat, non apparebat, omnino tanquam sepultum ignorabatur (186). Ego autem vivebam sine lege aliquando, id est videbar mihi vivere, quia non terrebar morte ex peccato, quia non apparebat. Quasi dica :Nesciebam esse peccatum, et ideo secure vivebam, quasi Deus non esset judicaturus actus hu-

C manos (187). Sed cum venisset mandatum peccatum revixit, id est apparuit et innotuit mihi; nec tamen ait vixit, sed revixit, quia vixerat aliquando in paradiso, quando contra præceptum datum satis apparebat admissum; sed cum homines nati peccatores sine mandato viverent, tanquam mortuum latebat, sequebaturque concupiscentias carnis sine cognitione, quia sine cohibitione; sed, data lege, peccatum in notitiam nati hominis revixit quod in notitiam primam facti hominis, aliquando jam vixerat. Ego autem mortuus sum, [Augustinus] id est novi me mortuum, quia vidit se reum esse apud Deum ex his quæ peccabat. [Ambrosius] (188) Ante enim erat sibi ignotus peccator, sed modo factus est sibi manifestus prævaricator. *Et* ita *inventum est* alicui bene

D attendenti, *mandatum legis*, quod erat ad vitam obedienti vel observanti, vel erat ad vitam intentione dantis, quia bonum erat, hoc idem non aliud esse, ad mortem æternam, mihi non observanti, et peccanti. Ad mortem autem non est ex sui vitio, sed ratione prædictæ occasionis. *Nam peccatum*. Quia dixerat peccatum esse ad mortem, quomodo hoc sit determinat. Quasit dicat: Quomodo mihi est mandatum ad mortem? [Ambrosius] Ecce, quia per illud seductus sum falsa dulcedine, diabolo vel fomita.

(184) Augustinus ad Simplic.
(185) Id., De verbis Domini.
(186) Id., De verbis Apostoli.

(187) Augustinus, ad Bonifac.
(188) Id., De verbis Domini.

Et hoc est, *nam peccatum*, id est carnalitas vel diabolus, [Augustinus] *fefellit me* vel *seduxit*, id est a bono ad malum traxit me. *Occasione accepta per mandatum*. Quia quod concupiscitur, dulcius fit dum vetatur, et sic peccatum fallit per mandatum. (189) Ex prohibitione namque ubi charitas deficit, desiderium mali crescit, quo aucto dulcius fit quod prohibetur, et ita peccatum fallit falsa dulcedine. Fallax enim est dulcedo quam plures atque majores pœnarum amaritudines sequuntur, et non solum seduxit per mandatum, sed etiam *per illud*, mandatum *occidit*, quia etiam prævaricationis accessit reatus (190). Gladio ergo quem portabas te inimicus occidit, armis tuis te vicit, armis tuis te interemit. Mandato enim tanquam gladio armatus eras, ut inimicum occideres, quod non vales, si de te præsumis. Esto ergo humilis, non de te præsumas, et poteris vincere. Vide ergo parvum David contra magnum Goliam, sed in Dei nomine præsumentem non in viribus suis: *Tu venis*, inquit, *ad me cum clypeo et lancea, ego in nomine Domini omnipotentis*, sic omnino, et non aliter prosternitur inimicus. Vel ita lege : Dico quod peccatum me seduxit, et per illud, id est per hoc quod seduxit, occidit me, id est ad æternam damnationem perduxit.

VERS 12, 13. — « Itaque lex quidem sancta, et « mandatum sanctum, et justum et bonum. Quod « ergo bonum est, mihi factum est mors ? Absit. Sed « peccatum ut appareat peccatum, per bonum ope- « ratum est mihi mortem, ut fiat supra modum, « peccans peccatum per mandatum. »

Itaque lex quidem sancta, et mandatum, etc. [Augustinus] Supra legem peccatum esse negavit, defendens eam a crimine, hic eamdem sui laude defendit. Aliud est a crimine objecto defendere, aliud debito præconio prædicare. Crimen objectum fuit, ubi dictum est, *lex peccatum est*. **34** Defensio subsecuta est cum ait : Absit ! Uno verbo defensa est veritas, quia magna est defendentis auctoritas. [Ambrosius.] Hic autem uberrima laude legem commendat, ne quid suspicionis adversæ remaneret in lege. Quasi dicat : Quia lex est ad vitam, et bona jubet et mala prohibet, et fecit peccatum agnoscere. *Itaque lex quidem* est *sancta*, id est sane docens, *et mandatum*, id est quod per eam præcipitur, est *sanctum* in se, *et justum*, id est justificans peccatorem, *et bonum*, id est utile vitam acquirens. Quid ergo ! Hic quæritur utrum lex, et si sit bona, sit tamen efficiendo damnosa. Quod ex prædictis videbatur posse colligi. Dixerat enim mandatum esse ad mortem, et item dixerat esse bonum. Unde minus intelligentibus videri potest bonum effecisse mortem. Quod sibi opponens removet, et quo intellectu dixerat mandatum esse ad mortem, exponit contra quosdam impios qui dicebant Vetus

A Testamentum esse a principe tenebrarum, Novum autem a Domino. Quasi dicat : Constat legem esse bonam, et cum constet modo quod bona est lex, et tamen ex ea mihi est mors, ut supradictum est ; ergo quod bonum est mihi factum est mors, id est datur hoc bonum mihi a Deo, ita ut sit efficiens causa mortis : *Absit !* Non enim est ex ipsa lege mors, sed ex vitio hominis, quia non lex, sed fomes est efficiens causa mortis, qui bonam rem vertit in malum (191). Sicut enim medicina non est causa mortis, si ostendat venena mortifera, licet his mali homines abutantur ad mortem suam, vel aliorum ; sic lex quæ venena peccatorum demonstrat, et hominem libertate sua abutentem quasi freno cohibet, et composito gressu incedere docet, non efficiens causa
B peccati est, sed potius vitium hominis, id est fomes, et hoc est quod subdit, *sed peccatum*, id est fomes peccati, *operatum est mihi mortem*, id est peccatum actuale, quod est causa mortis. Operatum est dico, *per bonum*, id est per legem, non quia et ipsa sit efficiens causa, sed quia ex ea accepit occasionem, sicut prædictum est, operatum est dico, ita, *ut appareat peccatum*, id est efficiens causa peccati, quod tunc apparet, quando rationem trahit ad consensum, et ad operandum. (192) Vel ita : Peccatum, id est fomes peccati, operatum est mortem, id est peccatum et hoc per bonum, id est per legem, non utique efficientem peccatum, sed potius demonstrantem et prohibentem illud, ita ut per eam appareat peccatum, non dico ut sit per eam, sed appareat, quia etiam erat quando non apparebat, si-
C cut supradictum est, *concupiscentiam nesciebam* esse peccatum, *nisi lex diceret : Non concupisces*. Non dixit, non habebam. (193) Bonum ergo est lex quæ sanctitate sua et justitia, malum esse concupiscentiam quam nesciebam ostendit. Non igitur imputo legi Dei, sed vitio meo peccatum, bona est enim lex, sed sine gratia tantum ostendit peccatum, non intulit. Ergo lex semper bona est, sive obsit inanibus gratia, sive prosit plenis gratia. Multa enim sunt bona quæ tamen quibusdam vitio ipsorum sunt noxia, sicut sol sanos quidem oculos mulcet, dolentibus auget dolorem. Similiter ergo lex prodest habentibus gratiam, quæ est mentium sanitas. Inanibus obest non suo, sed illorum vitio. Dico operatum est mihi mortem, in tantum, *ut peccatum*, id est fomes
D peccati, *fiat peccans*, id est peccare faciens, *supra modum*, [Ambrosius] id est plusquam ante, non mediocriter, quia etiam prævaricatio accessit. Fiat peccans dico, et hoc, [Augustinus] *per mandatum*, sine quo non tantum ardebat fomes, et per quod accrevit prævaricatio. Concupiscentia enim carnis quæ radix est malorum per mandatum magis prævaluit non defecit. Lex enim concupiscentiam non exstinxit. Ubi enim non est gratia liberatoris auget peccati desiderium, prohibitio peccatorum (194). Ideo ergo

(189) Augustinus, ad Simplic.
(190) Id., De verbis Domini.
(191) Hieronymus ad Alcasium.
(192) Augustinus, De verbis Domini.
(193) Id., lib. contra Faust.
(194) Id., 83 Quæstion.

dixit, per mandatum, quia prævaricatio addita est cum peccandi libidine. Et ideo dixit, supramodum, quia per legem non defecit, sed magis solutis cupiditatibus crevit. [Ambrosius] Vel per peccatum hic intelligitur diabolus, quia per bonum Dei incensus est iracundia contra hominem, et contraria atque illicita illi suasit, quia ei vidit a Domino provideri, in quo apparet peccatum, id est inimicus. Et hoc est peccatum, id est diabolus, operatum est mihi mortem, incensus per bonum, id est per legem, ita ut appareat, peccatum, id est inimicus, dum videns homini provideri per legem illicita suasit, ut pro vita ex lege ei mors proveniret. Operatum est dico in tantum, ut peccatum fiat peccans, id est peccare faciens. Supramodum, id est plusquam ante, et hoc, per mandatum, quo dato magis institit, ut hominem gravioribus pœnis subjiceret. Per legem enim accepit occasionem operari homini mortem.

VERS. 14. — « Scimus enim quia lex spiritualis est; « ego autem carnalis sum, venumdatus sub pec- « cato. »

Scimus enim, etc. Quasi dicat : Vere *lex* non est malum, sed est bonum, enim, id est, *quia* scimus quod ***spiritualis est***, id est spiritum hominis alens, dum de spiritualibus instruit, vel, spiritualis, id est a Spiritu sancto data. [Ambrosius] Attende quod lex Mosi et justa dicitur et spiritualis. Lex autem Evangelii dicitur lex spiritus ! Malis enim, id est quantum ad malos quos punit lex Mosi justa esse dicitur, bonis vero spiritualis est, quia peccatum prohibet, et visibilia coli. Lex ergo Mosi spiritualis dicitur, quia in ea sunt quæ Dei sunt, et quia spiritualiter intelligenda est. [Augustinus] Lex autem spiritus dicitur lex Evangelii, quia ibi Deus ipse est. Ibi ergo sunt verba, hic res est. *Ego autem*, hucusque legem excusavit, quod non debet refundi in eam culpam. Hic dicit quod non refundi debet in principalem naturam, id est rationem, secundum illud quod a Deo habet, et ita non in Creatorem, sed in homines qui ex se vitiati sunt, ut pravis moribus resistere nequeant. Quasi dicat : ***Lex spiritualis est, ego autem carnalis sum***, id est impotens animæ vitio resistere diabolo, quod vitium per concupiscentiam genitus ex carne contraxi. Et unde hoc sit, subdit : *Ego*, dico, ***venumdatus*** in primo parente ita ut sim, ***sub peccato***. [Augustinus.] Quasi dicat : Ecce unde infirmus sum, scilicet ex culpa primi hominis qui pro delectatione cibi vetiti se et omnes alios vendidit. (195) Adam enim vendidit se prior, ac per hoc omne semen ejus subjectum peccato, ut potestate sui uti non possit circa obedientiam legis. Adæ quippe prævaricatione atque, ut ita dicam, damnosa negotiatione fraudulentaque comestione venditi sumus. Omnem enim prolem suam serpentis persuasione seductus, illiciti cibi perceptione perpetuæ servituti addixit. Soletque hic mos inter vendentes ementesque servari, ut is qui se cupit alieno domino mancipari aliquid pretii pro jactura propriæ libertatis et additione perpetuæ servitutis, a suo consequatur emptore, quod etiam inter Adam et serpentem manifestum est intercessisse. Ille enim pretium libertatis noxiæ, et mortiferi pomi a serpente accipiens, a naturali libertate discessit. Maluit enim se perpetuæ ejus servituti dedere, a quo vetiti pomi letale pretium acceperat, quam deinceps conditione præcepti constringi, et ita non immerito omnem posteritatis progeniem ejus subdidit famulatui, cujus effectus est servus. (196) Vendere nos potuit, sed redimere non valuit. Vendidit nos consensu peccati, redimimur justitia fidei. Sanguis enim innocens datus est pro nobis ut redimeremur. In venditore ergo erubescat superbia, in redemptore glorietur gratia. Vendidit se homo per liberum arbitrium, sub dominante iniquitate, et accepit pro pretio exiguam de arbore vitæ voluptatem. Creatus est ergo primus homo rectus sine culpa, sine vitio, sed ipse non rectum fecit se, quia deseruit imperatorem, et divertit ad desertorem, cadensque a manu figuli vas fractum est, quod Deus permisit, ut miseria sua probaret, quia sine Deo nihil potest. Se ergo et alios vendidit, voluntaria concupiscentia ut sub peccato, id est servi peccati sint. Quia enim continere cum posset noluit, inflictum est ei non posse cum velit. Per malum velle perdidit bonum posse, et factus captivus dicit, venumdatus sum sub peccato. [Ambrosius] Vel unusquisque vendidit se consuetudine propriæ voluntatis.

VERS. 15-18. — « Quod enim operor, non intel- « ligo. Non enim quod volo bonum, hoc ago, sed « quod odi malum, illud facio. Si autem quod nolo, « illud facio, consentio legi quoniam bona est. Nunc « autem, jam non ego operor illud, sed quod habi- « tat in me peccatum ; scio enim quia non habitat « in me (hoc est in carne mea) bonum. »

Quod enim operor, etc. Probat quod servus est peccati, et loquitur in persona hominis sub lege. Quasi dicat : Vere sub peccato sum, id est, ut servus peccati sum, [Ambrosius] quia *quod operor* secundum exteriorem hominem dimittendo bona vel faciendo mala, ***intelligo***, secundum interiorem hominem ***non*** esse operandum, quia aliud videt se per legem scire, et aliud agere. [Haimo.] Nota quia personam duorum hominum assumit hic Apostolus interioris, id est mentis, et exterioris, id est carnis, vel carnalitatis. *Non enim*, etc. Quasi dicat : Vere operor quod non intelligo, quia et dimitto bonum quod volo, et facio malum quod nolo. Et est probatio a partibus et ab effectu. Dimittere enim bonum, et facere malum, sunt partes operari malum. Dicitur enim larga acceptione et consueta locutione etiam ille operari malum qui dimittit bonum. Volo autem et nolo sunt effectus *intelligo*. Ex eo enim quod quisque intelligit aliquid esse bonum et aliud malum, vult il-

(195) August. in lib. Collat.

(196) Augustinus, De ver. Apostoli.

lud et non illud. [Ambrosius] Et hoc est, *non enim* A *hoc ago*, id est *bonum* secundum exteriorem hominem, *quod* bonum ego interior, *volo*, id est approbo. Subjectus enim peccato facit quod non vult, qua naturaliter quidem vult bonum, sed voluntas hæc caret effectu, nisi gratia Dei addiderit velle suum ad amandum bonum quod ad effectum potest perduci. Est enim triplex velle, scilicet velle naturæ, velle gratiæ, velle vitii. **35** Velle naturæ per se impotens est, nec palmam meretur, et vincitur atque trahitur a velle vitii, nisi velle gratiæ subveniat, quod velle vitii fugat, et velle naturæ liberat. Ideo iste non redemptus gratia carens ait : *Non ago hoc quod volo, sed facio illud quod odio*, id est malum. *Si autem*, etc. Supra ostendit carnalem esse servum peccati, ex quo est malum. [Ambrosius] Hic alterum ostendit, id est bonam B naturam a Deo creatam quæ consentit legi, et malum naturaliter non facit, quod prohibet lex, et ita probat legem esse bonam, quia naturæ suæ dicit esse quod mandat lex, dum invitus facit quod vetat lex. Quasi dicat : Non ago quod volo, et ago quod nolo. *Si autem hoc*, id est si *quod nolo* dimittere, tamen dimitto lege illud præcipiente, et quod nolo facere, *illud* tamen *facio*, lege illud prohibente, tunc ego, secundum interiorem hominem *consentio legi*, id est idem volo quod lex, quæ quod nolo prohibet, et quod volo præcipit, dico consentio legi, et testis sum *quoniam bona est*. *Nunc autem*, quia consentit legi nolens quod prohibet, declarat aliud esse cujus impulsu hoc agit, id est peccatum. Quasi dicat : Dixi facio malum, sed non ego interior facio. Quod nunc patet, quia nolo illud, et consentio legi. C Et hoc est : *Nunc autem*, ego interior, *jam* scilicet sub lege, ante tempus gratiæ, *non operor illud*, [Augustinus] sed peccatum, id est lex carnis, ad quam diabolus ut ad suam legem accedit, *quod habitat*, id est semper est *in me*, id est *in carne mea*. Vel, in me, id est contra salutem meam (197). Cavendum est ne quis arbitretur his verbis auferri a nobis liberum arbitrium, quod non ita est. Nunc enim homo describitur sub lege positus ante gratiam. Tunc enim homo peccati convincitur, dum viribus suis juste vivere conatur sine adjutorio liberantis gratiæ, quæ liberum arbitrium liberat, ut liberatori credat, atque ita non peccet contra legem. Scio enim, quasi dicat : Per hoc patet quod peccatum habitat in carne. *Enim*, id est quia *bonum non* D *habitat in me*, et hoc est in carne mea, scilicet sensuali homine. [Ambrosius] Et hoc scio, quia non habitat, etc. Quomodo habitat in carne peccatum cum non sit substantia, sed privatio boni? Ecce primi hominis corpus corruptum est per peccatum, ipsaque corruptio per conditionem offensionis manet in corpore, robur tenens Deum sententiæ datæ in Adam, cujus consortio anima maculatur peccato. [Augustinus] Per id ergo quod facti causa manet, in hac habitare dicitur peccatum in carne, hæc est lex carnis, ad quam diabolus accedit, [Ambrosius] ut hominem malis suggestionibus decipiat, ne faciat homo quod lex præcipit.

Vers. 18-20. — « Nam velle adjacet mihi ; perficere autem bonum, non invenio. Non enim quod volo bonum, hoc facio, sed quod nolo malum hoc ago. Si autem quod nolo illud facio, jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. »

Nam velle. Quasi dicat : Vere non habitat in me bonum, quia nec bonum velle, nec bonum perficere ; bonum velle, non, *nam velle* bonum *adjacet mihi*, id est juxta carnem jacet, et quiescit, impotens per se surgere ad bene operandum. Juxta carnem ergo jacet velle, quia naturale est, quodammodo velle bonum per rationem, sed tale est hoc velle quod semper vi carnis superatur. Velle autem Dei carnem superat. [Ambrosius.] Attende quia bona sunt quæ jubet lex, adeo ut naturaliter amet homo, et facere velit, sed deest virtus perficiendi, unde subdit : Perficere autem bonum prorsus non invenio, quia sic pressus est dominatione peccati, ut non possit ire quo vult, nec valeat vel audeat contradicere, quia potestatis ejus alter est Dominus. Ergo etsi velit, non tamen potest perficere bonum, quia ex Deo tantum est, cujus gratia adhuc caret. *Non enim*, quasi dicat : Dico quod *bonum perficere* non *invenio*, quod in parte de qua minus videretur ostendo, quia nec etiam illud bonum quod volo invenio, *sed* e contrario *malum*, quia etiam illud *quod nolo*, et hoc est : Non enim *ago hoc* bonum quod volo, sed e contrario, *facio hoc malum quod nolo*. Vel ita continua : Non invenio bonum, nec mirum, quia non est ibi, et vere non. *Non enim quod volo*, etc. Hoc ideo dicit quia multi stulti sunt qui non inveniunt bonum in aliqua re quod tamen ibi est. *Si autem quod nolo*, etc. Concludit superiorem sententiam, quod scilicet non operatur malum. Quasi dicat : ego non facio quod volo, et facio quod nolo. *Si autem facio illud quod nolo*, scilicet dimittere bonum, et facere malum, ergo *ego non operor illud*, id est malum ex quo prior quæstio concluditur, scilicet quod consentit legi Dei. Ego non operor, *sed quod inhabitat in me peccatum*, id est fomes peccati, vel carnalis concupiscentia unde omnia oriuntur peccata, (omne enim peccatum mortale concupiscendo committitur) qua iste ad peccatum trahitur, pressus enim peccato non suam, sed illius voluntatem perficit. [Ambrosius.] Sed nunquid quia invitum hominem dicit peccare, immunis debet videri a crimine? non utique. Ipsius enim vitio et desiderio hæc cœpta sunt, quia enim mancipavit se per assensum peccato, jure dominatur illius. Hoc ideo dicit, ut notet de quantis malis Deus hominem eruit, et quæ exitia ex Adam traxit, cui nec lex subvenire potuit. Per hæc ergo beneficia Christi demonstrat qui de tantis liberat.

(197) Augustinus in procemio Epistolæ ad Rom.

VERS. 21-23. — « Invenio igitur legem volenti « mihi facere bonum, quoniam mihi malum adjacet. « Condelector enim legi Dei, secundum interiorem « hominem. Video autem aliam legem in membris « meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivan- « tem me in lege peccati, quæ est in membris meis. »

Invenio igitur. [Ambrosius.] Dixerat legem esse bonam, et naturam esse bonam, quæ idem vult, et eidem consentit. Hic adjungit *legem* bonæ naturæ adjutricem, et tamen exterior homo, id est fomes peccati qui est ex carne, illa duo juncta vincit, ut homo per neutrum se posse evadere videns, obnoxius sit gratiæ. Quasi dicat : Quia ego non operor malum, imo nolo. Igitur invenio legem esse bonam, id est utilem et adjutricem, *mihi,* id est rationi, dum docet quid bonum vel quid malum sit, mihi dico *volenti facere bonum.* Quasi dicat : Ex eo probo legem esse bonam, quia nolo facere quod ipsa jubet, *quoniam mihi,* etc. Quasi dicat : Bene dico volenti tantum, quia perficere bonum non possum, ideo quoniam, id est quia *malum adjacet,* id est prope est insidians, mihi, rationi. In carne enim est quasi ad januam animæ, et ideo cogit aliud facere, quam vult homo et lex. *Condelector enim,* etc. Quasi dicat : Vere lex est bonum rationi, quia condelector *legi Dei,* volens quod ipsa jubet, et gaudens juvari ab ea. Condelector, dico, *secundum interiorem hominem.* Interior homo animus est, quem dicit oblectari his quæ a lege traduntur, quia in anima non habitat peccatum, sed in carne, id est causa peccati non est ex anima, sed ex carne, quia caro est ex origine carnis peccatricis, et per traducem omnis caro fit peccati, quia enim caro ex Adam traducitur, peccatum in se habet, id est causam peccati; si anima traduceretur, et ipsa haberet, quia anima Adæ peccavit; si vero peccatum in se haberet homo, non se cognosceret; nunc autem cognoscit se, et condelectatur legi Dei. *Video autem.* Quasi dicat : Dico condelector legi Dei. Sed *video aliam legem,* scilicet fomitem peccati, qui regnat, *in membris meis,* ut in oculo ad concupiscendum, in manu ad operandum, et hujusmodi, *repugnantem legi mentis meæ,* id est legi et rationi meæ conjunctis in unum. Fomes autem qui est ex carne, et repugnat menti, recte dicitur lex, quia legitime factum est, ut qui non obedivit suo superiori, ei non serviat suum inferius, id est caro. Supra te est Dominus tuus, infra te caro tua. Servi meliori ut serviat tibi inferior. Contempsisti superiorem, torqueris ab inferiori. Dico repugnantem, *et,* etiam *captivantem me,* vel captivum ducentem me, per consensum et operationem, quia consuetudine peccandi dominatur, captivantem dico, vel ducentem *in legem peccati,* id est in peccatum quod dicitur lex, quia dominatur. *Quæ* lex, ut prædictum est, *est in membris meis,* id est ex carne. Quanto autem vicinior, tanto est periculosior. (198). Hæc est lex mala, quisque carnali consuetudine implicatus astringitur; hanc repugnare ait legi mentis suæ, et se captivare. Unde intelligitur ille homo describi qui non est sub gratia. Et quia captivat me, ergo

VERS. 24-25. « Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei, per Je- « sum Christum Dominum nostrum. Igitur ego « ipse mente servio legi, carne autem legi peccati. »

Infelix ego homo sum, [Ambrosius] quia natus est sub peccato, hostem secum habens peccatum, per quod aditum ad illum habet Satanas. Gradus enim fabricavit Adam per quos ad filios ejus exspoliator ascendat, nisi clementissimus Dominus protegat. Propter quod subdit : Et *quis me liberabit.* Quasi dicat : Infelix sum, et cum per me non possum liberari. Quis me liberabit *de corpore mortis hujus?* id est de dominio carnis in qua mors est. Non potest facere hoc nisi magnus aliquis. Sed ecce quis me liberabit? non lex Mosi, non propriæ vires liberi arbitrii. Sed *gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum,* quem vera misericordia dedit nobis, ut per eum peccatorum remissione percepta, homo relevetur, ut de cætero possit resipiscere presso peccato. Potest enim homo exoneratus malis resistere adversario, potestate recepta contra illum dum juvatur a Deo. Et attende quod hic inducit quartam legem fidei, potiorem lege Mosi, quam et gratiam vocat. Quatuor enim leges in hac serie memorantur, scilicet lex naturæ, lex membrorum, quæ pro una cum lege peccati accipitur, lex Mosi, quarta lex fidei. Et notatur hic tertius actus, id est status hominis, in lege spiritus. **36** Loquitur enim hic Apostolus in persona hominis, sub gratia degentis. *Igitur ego ipse,* etc. Quia dixit se gratia esse liberatum, ne quis torpeat securus quasi peccatum non ultra noceat; determinat quomodo facta sit liberatio, scilicet si in gratia manserit. Alioquin peccatum quidem iterum occupat. Quasi dicat : Quia liberat gratia, [Ambrosius] igitur ego, id est rationalis et interior homo, licet habens fomitem peccati ut prius, tamen *servio,* id est potens sum servire *legi Dei*; et hoc mente, id est voluntate. Jam enim liber animus et in consuetudinem bonam revocatus gratia adjuvante, malas suggestiones potest spernere, et contraria superare. *Carne autem.* Quasi dicat : Mente servio legi Dei, carne autem servio *legi peccati,* et ideo non remissius agendum, sed cavendum est ne regnet. Aliter etiam potest legi ab illo loco : *Ego autem carnalis sum,* loquitur enim Apostolus in persona sua, vel alicujus justi sub gratia constituti. Dicit autem Augustinus (199), aliquando sibi visum fuisse in hoc Apostoli sermone describi hominem sub lege, ut ante dictum est, sed ut ait non est nisi homo gratiæ qui hic loquitur, qui condelectatur legi Dei, et consentit : qui non operatur malum, nec vult, et qui ignorat, id est non approbat, et cui nihil dam-

(198) Augustinus in proœmio Epistolæ ad Rom.

(199) Id., contra Pelagianos ad Bonifacium.

nationis nunc est sicut in sequenti ostenditur, et tamen adhuc se esse carnalem, dicit his verbis : *Ego autem carnalis sum.* Quasi dicat : Lex est spiritualis, ego autem carnalis sum (200). Hæc non indecenter etiam de seipso dicit Apostolus, secundum carnem quandiu hic vivit, propter carnis motus quos sentit, et hoc etiam benedicit omnis sanctus. Idem ergo spiritualis est idemque carnalis ; spiritualis, quia secundum spiritum vivit ; carnalis, quia carnis concupiscentias sentit. Sed non totus carnalis, quia concupiscentiis non consentit. Ex parte igitur mortali carnalis est, ex parte spirituali spiritualis (201). Ex parte meliori, spiritualis, ex parte inferiori carnalis est. Et quia hoc ex peccato primi hominis accessit, subdit : Ego, dico, venumdatus sub peccato, id est pretio malæ voluptatis Adæ, subjectus peccato, id est concupiscentiæ. Hoc enim peccati nomine appellat. Unde oriuntur omnia peccata, id est carnali concupiscentia (202). Quidquid enim peccatorum est in dictis, in factis, in cogitationibus, non oritur nisi ex mala concupiscentia, quæ a peccato facta est, et si consentientem traxerit atque illexerit, concipit paritque peccatum.

A peccato ergo est, id est a fomite, et peccatum nisi refrenetur, generat. Quod enim determinat qualiter se carnalem dixerat, quia non operatur quod approbat, et hoc est, vere sub peccato sum. *Quod enim operor, non intelligo* (203,) *vel ignoro* (204) ; alia littera, id est non approbo, non accepto, non mihi placet, non consentio. Aliter enim videretur contrarium esse illi sententiæ qua dixit, *peccatum ut appareat peccatum per mandatum.* Quomodo enim apparet si ignoratur ? Sed ignoro, sic dictum est, hoc loco, ut intelligatur, non approbo. Secundum hanc locutionem dicit Dominus peccatoribus : *Non novi vos* (*Matth.* VII). Non enim eum aliquid latet. Sed quia peccata non inveniuntur in regulis præceptorum quas habet veritas, ideo ipsa Veritas dicit, *non novi ;* et Apostolus dicit, *ignoro,* et vere *non approbo. Non enim ago hoc bonum quod volo*, scilicet non concupiscere ; sed potius facio illud malum quod odi, id est concupisco ex carne ; et si non assensum præbeo ex ratione, adhuc confligo, nondum vici. Magnum est mihi certamen, quia et si concupiscentiæ non consentio, tamen adhuc concupisco, et quod nolo facio. Facio ergo quod nolo, facio quod odio. Quid odio ? concupiscere. [Augustinus] Non enim est intelligendum quod Apostolus vellet esse castus, et esset adulter, vel misericors et esset crudelis, et alia hujusmodi ; sed audiens legem dicentem, non concupiscas, vitium agnovit, et odit ; bellum habuit, quia volebat non concupiscere, et concupiscebat. Ideo dicit, quod nolo facio, id est concupisco. Non quod post concupiscentiam eat Apostolus, et eum ad mala trahat. Luctabatur, non subjugabatur. De se hæc tibi proponit, ne de hoc desperes vitæ. Constituit tibi ante oculos pugnam suam, ne timeres tuam. Si enim hoc non dixisset Apostolus, cum videres concupiscentiam moveri in membris tuis, desperares, et diceres : Si ad Deum pertinerem, non sic moverer. Vide autem Apostolum pugnantem, et noli te facere desperantem (205). *Si autem,* etc. Quasi dicat : Odio quod facio, *si autem quod nolo*, ex mente, *illud facio* ex carne, id est nolo illud quod facio, scilicet concupiscere, ergo *consentio legi*, id est legem laudat voluntas mea, quæ non consentit concupiscentiæ carnis, quod lex prohibet quæ dicit, *non concupisces*, quia quod nolo consentio legi, non quia illud ago. Quod enim lex odit, ago, id est non approbat, dum consentire prohibet, cui in hoc consentio ; et quia concupiscentiæ resisto, averto mentem, nego arma, teneo membra. Et tamen fit in me quod nolo, quod non vult et lex. Volo idem cum lege, quia quod non vult nolo, et tamen facio, sed ei non consentio, imo legi et testis sum quia bona est, quoniam idem volo quod lex. Dicit enim lex, *non concupisces*, et ego nolo concupiscere ; si vellem concupiscere, legi non consentire. Nunc autem quod non vult nolo, et quod vult volo, et quod jubet facio, quia concupiscentiæ non consentio. [Augustinus] Fervet ergo pugna non concupiscere. Namque omnino perfecti est ; post concupiscentias vero non ire luctantis est, et laborantis. Attende quomodo dicat Augustinus hic legem nolle quod nolebat Apostolus. Illud enim quod Apostolus nolebat, et tamen faciebat, concupiscentia est, quæ est in primo motu quæ est veniale peccatum. Si ergo lex dicitur illam nolle, id est prohibere, tunc prohibet veniale peccatum, et jubet aliquid quod omnino fieri non potest. Præterea contrarium videtur ei, quod alibi legitur ubi dicitur prohiberi quod non potestatis nostræ est. Illud vero permitti quod vitare non possumus super illum locum : *Irascimini, et nolite peccare* (*Psal.* IV). Ad quod dicimus legem omnem illicitam concupiscentiam nolle. Sed aliter dicitur nolle concupiscentiam quæ est in primo motu, aliter concupiscentiam delectationis et consensus. Illam quippe non vult, id est reprobat, detestatur, peccatum esse ostendit. Hanc vero non modo ostendit esse punctum, verum etiam prohibet, ut intelligatur quod dictum est, *non concupisces*, id est concupiscentiam carnis, omnino peccatum esse scito, et quantum vales caveto (206). Nunc autem dico facio quod nolo, nunc autem, ego interior homo, jam redemptus jam accepta gratia Christi, qui fui ante sub peccato venumdatus, *non operor illud.* Libera est enim mens, sed caro captiva. Unde subdit *sed peccatum*, [Augustinus] id est fomes peccati, *qui habitat in me*, hoc est in carne mea ; etsi

(200) Augustinus de verb. Apostoli.
(201) Id., lib. 83 Quæstion.
(202) Id., contra Julia.
(203) Id., de verb. Apostoli.
(204) Augustinus, lib. 83 Quæstion.
(205) Id., De verb. Apostoli.
(206) Id., in eod.

hoc habitet, vivit tamen iste sanctus ex fide non consentiendo ei. Sunt enim desideria mala, sed si non regnant, ipse non facit. Faceret autem si consentiret. Motus enim malorum desideriorum non ipse operabatur, quibus non consentiebat ad perpetranda peccata (207). Multum vero fallitur homo, qui consentiens concupiscentiæ carnis suæ, et quod illa desiderat decernens facere, et statuens putat sibi adhuc esse dicendum, non ego operor illud, etiamsi oderit quia consentit, simul enim est utrumque, et ipse odit, quia malum esse novit, et ipse facit quia facere statuit. Si vero etiam illud addat, ut quod facere statuit in corde, opere compleat et dicat. Non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum, ideo quia cum decernit et facit, displicet sibi, tantum errat, ut nec seipsum agnoscat, quando cum ex toto ipse sit, et corde statuente, et corpore implente adhuc seipsum esse non putat. Qui ergo dicit, non ego operor illud, si tantummodo concupiscit, verum dicit, non cordis consensione decernit, aut etiam ministerio corporis perficit (208). Motum porro illiciti desiderii, cui non obediendo, non cum operamur : ideo et nos agere dicimur, quoniam non est naturæ vigor alienæ, sed languor nostræ naturæ qui eum operatur a quo in futuro liberabimur, quia vero non sumus hic sine peccato, ideo habemus desideria peccati, sed jam nos ea non operamur, non eis obediendo, sed quod in nobis habitat peccatum eadem commovendo. Et magnum est hoc, quod cum sit ex carne concupiscentia, et ad carnem pertinent corporis membra, non tamen regnat peccatum, id est carnis concupiscentia.

Scio enim. Quasi dicat : Bene dixi peccatum in me habitare, *scio enim quod non habitet in me, hoc est in carne mea, bonum* (209). Hoc utique ait, quia vitium carnis in re bona non est bonum : quod cum esse destiterit, caro erit ; sed jam vitiata vel vitiosa non erit (210). Hic enim est concupiscentiæ vitium, quod mens quoque sed ex carne contrahit. Natura quippe humana non opere Dei cum vitio primitus est instituta, sed ex voluntatis arbitrio primorum hominum venienti vitio, est sauciata. *Nam velle*, vere bonum non habitat in carne. *Nam velle bonum adjacet mihi*, id est in me est : *Perficere autem bonum non invenio*, hoc est in me non est (211). Non ait facere, sed perficere, quia non nihil facit ; rebellat enim concupiscentiæ, et non consentit. Delectat enim uxor aliena, et non annuit ; mentem avertit, in secretarium mentis intrat, videt foris strepentem concupiscentiam et intus mundat conscientiam mali (212). Agit ergo bonum, quia concupiscentiæ non consentit, sed non perficit bonum, scilicet ut omnino non concupiscat, sic et hostis ejus scilicet concupiscentia agit malum, quia movet malum desiderium, et non perficit malum, quia non pertrahit ad malum, et in isto bello est tota vita sanctorum. *Non enim*, etc. Quasi dicat : Vere non perficio bonum. *Non enim ago hoc bonum quod volo*, [Augustinus] id est non concupiscere ; *sed facio hoc malum quod nolo*, id est concupisco. *Si autem quod nolo illud facio, non ego* interior *operor illud, sed peccatum*, id est fomes peccati, *quod habitat in me*, quia non mente consentio, sed carne concupisco ; et quia ego non operor, *igitur invenio legem* esse bonam, quia ostendit malum *mihi*, id est rationi, *volenti facere bonum :* volenti dico tantum, quia, id est *quia malum adjacet mihi*, id est vitium concupiscentiæ inest mihi. Et vere volo bonum, *condelector* **37** *enim legi Dei*, et hoc *secundum interiorem hominem*, id est intus in mente quæ sæpe vel interior, vel superior homo dicitur, ex eo quod intus et desuper a Spiritu sancto fecundata superioribus intendit (213). Ecce partim libertas reddita est, scilicet secundum mentem.

His atque hujusmodi consideratis in ista Scripturæ apostolicæ circumstantia recte intelligitur Apostolus, non se solum in sua persona, verum etiam alios sub gratia constitutos significasse. Utrum enim ex propria persona Apostoli, an ex universalis hominis persona sub gratia positi, hoc melius accipiatur, non omnino perspicuum est. *Video autem*, etc. Quasi dicat : *Condelector legi, video autem aliam legem in membris meis* (214). Ecce partim restat infirmitas. Lex quæ in membris est repugnans menti, vitium carnis est quod ex pœna peccati, et ex traduce mortis provenit (215), sed lex ista quæ est in membris, remissa est regeneratione spirituali, et manet in carne mortali : remissa est, quia reatus solutus est sacramento quo renascuntur fideles ; manet autem, quia operatur desideria, contra quæ dimicant fideles. *Repugnantem legi mentis meæ*, id est legi et rationi conjunctis ; *et captivantem me*, ex carne, non mente *in legem peccati*, id est in motum concupiscentiæ (216). Ipsa enim concupiscentia est lex peccati. Lex autem membrorum, vel carnis est morbidus quidam affectus, vel languor qui commovet illicitum desiderium, id est carnalem concupiscentiam, quam legem peccati vocat, quæ hoc carnale nostrum captivum tenet (217). Lex ergo carnis me captivat sub ipsa lege peccati, id est sub concupiscentia sua. Captivum autem me ducit non ex mente, sed ex carne ; non ex toto, sed ex parte, quia mens repugnat, et condelectatur legi Dei. Sic de ipso Apostolo convenienter accipitur, qui dicit se captivum duci ex carne. Mens enim non consentit peccato titillanti, suggerenti, blandienti, quia habet

(207) Augustinus, contra Julia. De nupt. et concupisc.
(208) Id., De verb. Apostoli.
(209) Id., in ser. quodam.
(210) Id., contra Julia.
(211) Id., De verbis Apostoli.
(212) Augustinus, in ser. de spirituali certamine.
(213) Id., super Joan.
(214) Id., super Joan.
(215) Id., contra Julianum hæreticum.
(216) Id., ad Valerium.
(217) Id., De verbis Domini.

interius alias delectationes, delectationibus carnis nulla ex parte conferendas. Mors ergo contendit, sed mens non consentit; et est in me, quiddam mortuum, et quiddam vivum (218). Vel lex peccati accipitur consensus et operatio peccati. Lex vero carnis vel membrorum, primus motus concupiscentiæ et hoc est, *video legem aliam*, scilicet concupiscentiæ motum, in membris meis, ut in oculo ad concupiscendum, sic et in aliis, *repugnantem legi mentis meæ*. Hoc non mutatur (219). *Et captivantem*, id est captivare me conantem, *in lege peccati*, ad consentiendum mente, implendumque opere peccatum. Vel potius eadem est lex membrorum, et lex peccati, scilicet carnalis concupiscentia, ut sit sensus, *captivantem me in lege peccati*, hoc est sub lege ipsa (220). *Qui est in membris meis*. Captivat autem me, ut prædictum est, ex carne, non ex mente. Quid mihi sperandum? Exspectanda est liberatio in Christo (221). Nam ego, spiritualis homo, quia carnalis, *infelix* sum, non in mente, sed in carne, etc., *quis me liberabit de corpore mortis hujus*, id est de congregatione imminentium malorum, scilicet de motibus concupiscentiæ quibus nostrum corpus percutitur, in quo habitat peccatum? Vel, *de corpore mortis hujus*, id est de corpore isto, secundum quod mortale est. [August.] Non enim sic liberabitur, ut hoc corpus non habeat. Habebit enim hoc corpus, sed non jam mortis hujus. Ipsum erit, et non ipsum erit: ipsum erit, quia ipsa creatio erit; non ipsum erit, quia mortale non erit. Liberabitur autem tunc, cum mortale hoc induet immortalitatem, ubi nulla concupiscentia remanebit. Sed a quo liberabitur id? per quem? *Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum*. Sicut enim per unum hominem mors fuit, ita et per unum hominem erit resurrectio mortuorum. Sed modo interim quid erit? pugna, lucta. Unde subdit: *Igitur ego ipse* etc. (222). Quasi dicat: Mente condelector legi, et carne captivus ducor. *Igitur ego ipse*, id est unus et idem prorsus, mente et carne servio, sed *mente servio, legi Dei*, non consentiendo peccato, *carne* autem servio *legi peccati*, concupiscendo. Ergo ego ipse servio in carne; ego ipse servio in mente (223). Non enim duo sumus inter nos contrariis de diversis principiis venientes, sed ego ipse mente servio legi Dei. Carne autem servio legi peccati, quandiu languor obluctatur saluti. Non enim alius in carne, et alius in mente, quia ego in mente, et ego in carne, et magis sum in mente quam in carne (224). Non enim sunt duæ naturæ contrariæ, ut Manichæi mentiuntur, sed ex utroque unus homo, quia unus est Deus a quo factus est homo. Mente igitur non consentio, carne concupisco. Semper itaque pugna est in corpore mortis hujus, quia ipsa concupiscentia cum qua nati sumus, finiri non potest quandiu vivimus; quotidie minui potest, finiri non potest.

CAPUT VIII.

VERS. 1, 2. — « Nihil ergo nunc damnationis est « his qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum « carnem ambulant. Lex enim spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me a lege peccati et mortis. »

Nihil ergo etc. Quasi dicat: Quia mente servio legi, *ergo nihil damnationis* est, *nunc*, et si ante, non tamen nunc, cum in Christo sunt (225). Non est dico, *his qui sunt in Christo Jesu*, in quo omnia solvuntur, et ideo nihil damnationis est illis, quia etsi maculæ ex carne sunt, non obsunt, etsi enim habent desideria carnis, quibus non consentiunt, etsi lex in membris eorum repugnat legi mentis; tamen nil damnationis est, quia per gratiam baptismatis et lavacrum regenerationis solutus est, et ipse reatus cum quo erat natus, et quidquid antea consensisti male concupiscentiæ, sive cogitatione, sive locutione, sive actione. Deinde qui sint in Christo, determinat dicens: *Qui non ambulant secundum carnem*. Quasi dicat: His nil damnationis qui non ambulant secundum carnem, id est qui non obediunt carni, etsi aliquando cadunt. *Lex enim*. Hic ostendit per quid gratia Dei liberat, scilicet per Spiritum sanctum. Dixit autem nil damnationis esse his qui non ambulant secundum carnem, et quasi quis diceret: Potesne secundum carnem non ambulare? Respondet: Possum, quia *lex spiritus*, etc. Vel sic continua: Ideo nihil damnationis est, quia lex spiritus, id est Spiritus sanctus, qui docet quid agendum sit, quid non, qui est dator vitæ, *liberavit me a lege peccati et mortis*, id est a lege Mosi quæ per peccatum, id est per prævaricationem est causa mortis. Et hoc *in Christo Jesu*, id est per Christum qui dat ipsum spiritum. [Ambrosius] Vel ita, lex spiritus accipitur, lex fidei quæ dicitur spiritus, quia Deus, cujus fides est, spiritus est (226). Discernendæ hic sunt tres leges, et satis necessaria est ista discretio. *Lex*, inquit, *spiritus vitæ;* ecce una lex; *a lege peccati et mortis*, ecce altera lex; et *quod impossibile erat legi*, ecce tertia lex. Hæc est lex per Mosen data in monte Sina. Duæ ergo leges hic bonæ sunt, scilicet lex fidei quæ peccatum tollit, et lex Mosi quæ peccatum ostendit et prohibet, lex vero peccati mala, quia reos facit. [Augustinus, Ambrosius] Videndum etiam quid intersit, cum dicitur lex spiritualis, quod prædictum est de lege Mosi; et cum dicitur lex spiritus: quod hic dicitur de lege fidei. Hoc interest quod lex Mosi dicitur spiritualis, ideo quia prohibet peccare, sed non dicitur spiritus, vel vitæ, quia non vivificavit, remissis peccatis. Hæc autem dicitur lex spiritus vitæ, quia et peccari non vult, et a morte revocat; et quia

(218) Augustinus, ad Valerium.
(219) Id., in eodem.
(220) Id., De verbis Apostoli.
(221) Id., contra Adamantem.
(222) Id., super Joan.
(223) Augustiuus, De verbis Apostoli.
(224) Id., de ver. Apost.
(225) Id, in sermone de concup. carnis.
(226) Id., De verb. Apost.

spiritu, id est mente creditur, et spiritus est quod creditur, et spiritus est cujus fides est. [Augustinus, Haimo] Quasi dicat : Ideo nihil damnationis, lex spiritus vitæ, id est lex fidei, per quam vivificamur, quam spiritus ponit in corde, liberavit me. Quæ liberatio facta est in Christo Jesu qui per fidem justificat, et sine cujus fide non est justificatio. Unde liberavit ? (227) A lege peccati et mortis, id est a consensu et operatione peccati, quæ est causa mortis : quod non potuit tertia lex Mosi. Lex carnis, ut prædictum est, non est Dei, sed peccati et mortis, et hæc reos facit ; lex autem Mosi sancta et Dei est, quæ ostendit malum, sed non tollit ; lex autem spiritus, quæ est lex fidei et gratiæ, malum tollit.

VERS. 3-5. — « Nam quod impossibile erat legi, « in quo infirmabatur per carnem, Deus Filium « suum mittens in similitudinem carnis peccati, et « de peccato damnavit peccatum in carne, ut justi- « ficatio legis impleretur in nobis, qui non secun- « dum carnem ambulamus, sed secundum spiritum. « Qui enim secundum carnem sunt, quæ carnis « sunt sapiunt ; qui vero secundum spiritum sunt, « quæ sunt spiritus sentiunt. »

Nam quod impossibile. Quomodo in Christo facta sit liberatio, hic exponit. Quasi dicat : [August.] Bene dico in Christo Jesu nos liberatos, nam Deus est in Christo Filio suo, et ita per eum potest fieri liberatio nostra, quæ non poterat fieri per legem, et hoc est. Nam Deus Pater misit Filium, id est visibilem fecit Filium suum, id est sibi consubstantialem : non misit ubi non erat qui ubique est : venit in Virginem, qui ante in virgine erat, quam creavit, elegit ; quam elegerat, creavit ; attulit Virgini fecunditatem, non abstulit integritatem veniens in uterum Virginis. Sed si ante ibi erat, quomodo venit ? quia ibi alio modo cœpit esse quam ante erat. Fuit enim ibi per unionem naturæ, qualiter ante non erat. Ita etiam et in mundo erat, et in mundum
38 venisse dicitur, quia visibilis mundo apparuit. Misit dico, *in similitudinem carnis peccati*, non in carnem peccatricem, sed in ei similem per passibilitatem, et mortalitatem, et alios defectus (228). Cætera vero omnis hominum caro peccati est, sola illius non est caro peccati, quia non eum mater concupiscentia, sed gratia concepit. Habet tamen similitudinem carnis peccati, quia esurivit, sitivit, dormivit, et hujusmodi [Ambrosius]. Licet ergo eadem caro Christi sit quæ et nostra, non tamen ita facta est in utero, sicut nostra ; est enim in utero sanctificata, et nata sine peccato, et nec ipse in illa unquam peccavit. In pœna ergo similis est nostræ, non in qualitate peccati ; [Orig.] venit enim ad corpus immaculatum, naturam quidem corporis habuit, pollutionem tamen peccati quæ ex concupiscentiæ motu concepta est, omnino non habuit. Ideo ergo non erat caro peccati, quia non ex carnali delectatione nata ; sed tamen erat similis, quia mortalis. In hanc similitudinem misit Deus Filium, ut sic damnaret peccatum. Unde subdit : *Et de peccato*, quasi misit Filium, et *mittens*, id est per hominem faciens cognoscibilem et visibilem, *damnavit peccatum*, id est destruxit diabolum, *de peccato*, facto in carne Christi, id est pro peccato quod fecit in carne Christi. [Ambrosius.] Per hoc enim amisit dominium retentarum animarum, sicut supra ostensum est. Vel, damnavit peccatum, id est debilitavit peccatum, id est fomitem peccati procedentem de peccato Adæ damnavit. Dico in carne Christi, cum qua vetus homo noster crucifixus est, sicut supra monstratum est. [August.] Vel, damnavit peccatum omne, id est delevit, *in carne* Christi ; et qualiter in carne ostendit, de peccato, id est pro eo quod factus est hostia pro peccato. Portavit enim peccata nostra in corpore suo super lignum, ibique delevit. [August.] Ita hoc dicit, sicut in Veteri Testamento peccata dicebantur sacrificia pro peccatis, ita per eum damnatur peccatum. *Ut justificatio legis*, id est justitia quam lex Mosi promisit, *impleretur*, id est consummaretur, *in nobis*. Lex enim Mosi tantum præcipit, sed lex spiritus implet, in nobis, dico, talibus, *qui non ambulamus*, actibus, *secundum carnem*, etsi aliquando cadamus, *sed secundum spiritum* (229). Non ambulat secundum carnem qui non agit opera carnis ; secundum spiritum ambulat qui juvatur spiritu in mente ne post concupiscentias eat. Ecce duo dixit per Christum facta, scilicet peccatum damnatum, et justitiam impletam, ad quæ duo perficienda legem dicit esse invalidam, addens, quod impossibile etc. Quasi dicat : Damnavit peccatum, quod, scilicet damnare peccatum, erat impossibile legi, naturali, vel scriptæ, implevit justitiam, *in quo*, id est in qua re, scilicet in justificatione implenda, *infirmabatur* lex *per carnem*, id est per carnales observantias quæ non poterant justificare, vel, *per carnem*, id est per fomitem peccati, scilicet per carnalitatem quæ rebellabat, et audita lege amplius est incitata, et sic infirma est lex litteræ per carnem, et ideo ei erat impossibile liberare a lege peccati et mortis. *Qui enim* etc. Vere ambulans secundum carnem non est justus, quia nec etiam ille qui est secundum eam. Et hoc est, *qui enim secundum carnem sunt*, id est qui mente consentiunt carni, non sunt justi. Cur non ? Quia *sapiunt* ea *quæ carnis sunt*, id est intenti et curiosi sunt in carnalibus, carnalia pro summis bonis concupiscentes ; quod repugnat justitiæ. *Qui vero* : Probat quod ambulans secundum spiritum est justus, qui etiam ille qui est secundum eum. Et hoc est quod ait, ille *qui* est *secundum carnem* carnalia sapit ; *qui vero secundum spiritum* sanctum, vel, rationem *sunt*, consensu, id est consentiunt his quæ Spiritus sanctus docet, vel ratio insinuat, *sentiunt ea quæ spiritus sunt*, [Haimo] id est solliciti sunt ad ea implenda quæ spiritus approbat.

VERS. 6, 7. — « Nam prudentia carnis, mors est ;

(227) Augustinus, De verb. Apost.
(228) Id., De verbis Apostoli.

(229) Id., De eod.

« prudentia autem spiritus, vita et pax, quoniam « sapientia carnis inimica est Deo. Legi enim Dei « non est subjecta, nec enim potest. »

Nam prudentia carnis. Quasi dicat : Vere ille qui sapit ea quæ carnis sunt, non est justus. *Nam prudentia carnis est mors* æterna, id est dignus est morte æterna, qui habet prudentiam carnis ; quod est cum studiosus implet quæ carnis sunt, appetendo bona temporalia, et fugiendo mala ; et cum naturas rerum tantum sequitur ; quod est grave peccatum. *Prudentia autem* ideo dicitur, cum res stulta sit, quia ita videtur sæcularibus hominibus. Prudentia carnis est mors. *Prudentia autem spiritus,* quæ est cum studiose quis agit spiritualia, est *vita,* id est causa vitæ in futuro, *et* hic *pax* mentis, vel est vita et pax, id est vita cum pace quæ erit in futuro. Vere prudentia carnis est mors, *quia sapientia carnis,* scilicet quæ adeo intendit carnalibus, *inimica est Deo,* id est qui sapit secundum carnem, inimicus est Deo, quem sibi finem non constituit, vel quia nil putat Deum posse præter quod in naturis rerum videtur [Ambrosius]. Et vere inimica est Deo, *legi enim Dei non est subjecta,* scilicet sapiens secundum carnem, bonis institutionibus Dei non obedit (230). Nota quod hæc numerando deterret a carnis obedientia, et vere non est subjecta legi Dei, *nec enim potest* esse subjecta. Quid est non potest ? Non homo potest ? non anima potest ? non ipsa caro, quæ Dei creatura est ? potest utique : sed prudentia carnis non potest ; id est natura potest, vitium non potest. Sed medicus ad hoc venit ut pellat vitium. Venit enim Salvator ad genus humanum, nullum sanum invenit, id est magnus medicus venit, ad sanandum vitium, quo sancto, reparata est natura, et dicitur hoc contra Manichæos qui volebant aliam contra Deum inducere naturam mali, hoc verbo Apostoli suum confirmantes errorem. Sed unus homo eademque natura, a bono Deo condita bona, quæ heri sapiebat secundum carnem, hodie secundum spiritum sapit, quæ dum vitium habet non potest subjici legi Dei, sicut claudicatio non potest subjici rectæ ambulationi. Tolle vero claudicationem, et videbis rectam ambulationem. Ita excluso vitio, sanata est natura. Quid autem per singula immoror ?

VERS. 8-11. — « Qui autem in carne sunt, Deo « placere non possunt. Vos autem in carne non es« tis, sed in spiritu ; si tamen spiritus Dei habitat « in vobis. Si quis autem spiritum Christi non ha« bet, hic non est ejus. Si autem Christus in vobis « est, corpus quidem mortuum est propter pecca« tum ; spiritus vero vivit propter justificationem. « Quod si spiritus ejus qui suscitavit Jesum a mor« tuis, habitat in vobis, qui suscitavit Jesum Christum « a mortuis vivificabit et mortalia corpora vestra, « propter inhabitantem spiritum ejus in vobis. »

Qui autem in carne sunt, id est qui post concupiscentias carnis eunt, et carnis voluptatibus delectantur, *Deo placere non possunt. Vos autem.* Verba ad ipsos Romanos convertit, et quod esse in carne, non vita, sed vitio intellexerit, ostendit. Quasi dicat : Qui in carne sunt, non placent Deo, *vos autem,* o Romani, *non estis in carne,* id est non facitis opera carnis. [Ambrosius] Quasi dicat : Non pro vobis dictum illud est superius, *sed estis in spiritu,* id est in his quæ suadet ratio, ita *tamen* hoc dico, *si spiritus Dei habitat in vobis.* Ecce hic docet quomodo quis ambulet secundum spiritum, scilicet si habeat spiritum Dei. Et nota quod ambigue dixit hoc, quia in legem inducti nondum perfectæ erant fidei, sed spes est proficiendi. *Si quis autem.* Quasi dicat : Si quis habet spiritum Dei, non est in carne. *Si quis autem non habet spiritum Christi,* id est Dei, quia etiam idem est spiritus Dei et spiritus Christi, *hic non est ejus*, id est Christi membrum. Ecce unde est secundum carnem ambulare, ex eo scilicet quod quis non habet spiritum Christi, quod est dum vivit secundum sensum carnis, vel secundum gesta carnis, id est dum mente consentit carni, vel ejus opera actum explet. Secundum quæ duo supra distinctum est, inter ambulare secundum carnem, et esse secundum carnem. *Si autem.* Quasi dicat : Qui non habet spiritum Christi, non est ejus, sed *si Christus in vobis est,* qui est idem cum Spiritu sancto. Quod est dicere : Si spiritus Christi in vobis est, *corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus vero vivit propter justificationem,* id est licet hoc sit quod corpus est mortuum, tamen spiritus vivit. [August.] Nota quod non ait mortale, sed mortuum ; mortale quidem fuit ante peccatum, id est potens mori ; sed post peccatum fuit mortuum, id est habens in se necessitatem moriendi. Et ideo congrue addidit, propter peccatum, scilicet originale. Unde est hæc mortalitas, vel, mortuum est propter peccatum, scilicet vitandum, propter hoc enim hæc infirmitas reservatur, ut per hanc pœnam quam sentit, magis timeat peccare. [Ambrosius] Vel nomine corporis totum hominem significat, sicut propheta Ezechiel, e converso totum hominem animæ nomine significavit, dicens : *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur (Ezech.* XVIII). Qui autem in peccatis mortuus prius erat, per gratiam spiritus postea vivit. Et est sensus : Si spiritus Christi in vobis est, licet corpus mortuum est, id est homo mortuus fuerit, propter peccatum, id est in peccatis, spiritus tamen, id est anima quæ fuerat impia, vivit, quia Deo, qui est vita, jungitur. Et hoc propter justificationem, id est peccatorum remissionem quæ est ex Spiritu sancto. *Quod si spiritus* etc. Quasi dicat : Hoc jam est vobis, quod spiritus, id est anima vivit per justitiam. Quod, id est sed *si spiritus ejus,* id est Dei Patris, *qui suscitavit Christum a mortuis.* Hæc est causa, quare suscitabit alios, quia Christus suscitatus est. *Habitat in vobis,* dico quod qui hoc potuit, scilicet *qui suscitavit Christum Jesum a mortuis*, sicut dictum est, *vivificabit*, *et*, id est etiam, *corpora*

(230) Augustinus, De verbis Apostoli.

39 *vestra*, id est impassibilia et immortalia corpora vestra (231); *mortalia*, non ait mortua, quæ modo sunt, cum et supra dixisset corpus mortuum; sed ait mortalia, quale fuit corpus hominis etiam ante peccatum. Tunc enim mortale erat, sed non mortuum, quia poterat mori si peccaret homo, sed non habebat in se necessitatem moriendi, sicut hoc corpus nostrum potest esse ægrotabile, quamvis non sit ægrum, et ita illud corpus jam tunc erat mortale, sed propter peccatum factum est mortuum, id est necessario moriturum. Ante peccatum ergo corpus erat animale, scilicet quod non necesse esset mori, modo mortuum est, scilicet quod necesse est mori. Animale, idem est quod mortale. Bene ergo ait, mortalia, et non ait mortua, quia in resurrectione, cum mortale hoc induet immortalitatem, non solum necessitatis moriendi quam modo habet, sed nec etiam mortalitas, quam corpus animale habuit ante peccatum, remanebit, et hoc fit non pro nostra dignitate, nec propter nostra merita, (232) sed *propter spiritum ejus inhabitantem in nobis*, id est propter suam misericordiam, per quam Spiritus sancti gratia habitat in nobis. Evidentissime apparet, sed non tantum spiritus, sed et corporis mortem propter peccatum hominem meruisse, et per Spiritum sanctum utrumque liberatum a Christo. (233) Dono namque ejus quod animæ datur, id est Spiritu sancto, non solum anima cui datur, salva et pacata, et sancta fit, sed etiam ipsum corpus vivificabitur, eritque in natura sua mundissimum. Et est hic evidentissimum testimonium de resurrectione, et tam præclara et aperta sententia, ut non expositore, sed lectore indigeat. Et notatur hic quartus actus hominis. (234) In hac namque Apostoli serie quatuor hominis actiones designantur. Prima fuit ante legem, secunda sub lege, tertia sub gratia, quarta in vita æterna. In prima actione ante legem, nulla pugna est cum voluptatibus hujus sæculi; in secunda sub lege, pugnamus, sed vincimur; in tertia, pugnamus et vincimus; in quarta, non est pugna sed quies, et pax æterna, quia nobis subjugatur nostrum inferius, quod ideo non subdebatur, quia superiorem nobis Deum deserueramus. (235) Attende etiam quod Spiritus sanctus et spiritus Patris est dictus, ubi legitur: *Si autem spiritus ejus qui suscitavit Christum*; et spiritus Filii, ubi legitur: *Qui autem spiritum Christi non habet*, quia Spiritus sanctus de utroque procedit. Non enim duo sunt Spiritus sancti: unus Patris et alter Filii, sed potius unus Patris et Filii. Sicut ergo Filius non est a seipso, sed ab illo de quo natus est: ita et Spiritus sanctus non a seipso est, sed ab illo de quo procedit, id est a Patre et Filio. Distinguere autem inter illam generationem, et hanc processionem nescio, non valeo, non sufficio, quia et illa, et ista ineffabilis est. Ideoque sicut Propheta de Filio loquens ait: *Generationem ejus quis enarrabit?* (*Isa.* LIII) ita de Spiritu sancto verissime dicitur: Processionem ejus quis enarrabit? Hæc ergo trinitas unius ejusdemque substantiæ est, quia Filius non de aliqua materia est, sed nec de nihilo est, sed de quo genitus est, et Spiritus sanctus non de aliqua materia, vel de nihilo, sed inde est unde procedit. Ergo, fratres, etc. Quasi dicat: Quia hæc bona a spiritu habemus, ex carne autem non est nisi mors.

VERS. 12-14. — « Ergo, fratres, debitores sumus « spiritui, non carni, ut secundum carnem vivamus. « Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini; « si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vi« vetis. Quicunque enim spiritu Dei aguntur, hi sunt « filii Dei. »

Ergo, fratres, debitores sumus spiritui, id est, ex debito servire debemus et obedire Spiritui sancto, vel rationi, *non carni*, ita, *ut secundum carnem vivamus*, id est secundum carnis voluptatem, etsi necessaria ei ministrare debeamus, quia caro non est malum. Creatura enim Dei est, et ab eo condita, a quo anima, nec illa est pars Dei, nec illa. Tota enim Trinitas est unus Deus, summe bonus. Anima vero magnum bonum est, non tamen summum. Item caro nec summum bonum, nec magnum est, sed parvum. Anima ergo vivens inter summum et parvum bonum, id est inter Deum et carnem, inferior Deo, et carne superior debitrix est Deo, ut secundum eum vivat, non carni, ut secundum carnis delectationes vivat: quod non est faciendum. *Si enim secundum carnem vixeritis moriemini.* [Ambrosius.] Hoc ideo dicit, quia ex sensibus corporis vitia nascuntur quæ carni deputantur. *Si autem mortificaveritis facta carnis*, id est si penitus abjeceritis quæ caro voluptuose exigit, et hoc *Spiritu* sancto, quod mox determinat ubi ait, *spiritu Dei*, vel *spiritu* nostro quod tamen non est nisi agente spiritu Dei, si hoc, inquam, feceritis, *vivetis*, hic in justitia, in futuro in gloria. Hoc est enim opus nostrum in hac vita, scilicet actiones carnis spiritu mortificare, non concupiscentiis ejus consentiendo, et ipsas etiam concupiscentias minuendo, et ne se extolleret humanus animus, vel spiritus, et se ad hoc sufficientem jactaret, subdit: *Quicunque enim aguntur*. Quasi dicat: Quod facere potestis, qui filii estis, et vere. Qui enim aguntur, id est reguntur, *spiritu Dei*, non suo, non lege minante, præcipiente, promittente, non adjuvante, *hi sunt filii Dei*, id est ex dilectione servientes. Vel aguntur dicit, non reguntur, ut magnum gratiæ effectum ostendat. Plus est enim agi quam regi. (236) Agi enim dicimus aliquem quasi vix aliquid agentem; regi aliquem dicimus, quasi aliquid agentem. Qui enim agitur, agere vix aliquid intelligitur; qui autem regitur, aliquid agit, et ideo

(231) Augusti. De baptismo parvulorum.
(232) Id., De baptismo parvulorum.
(233) Id., De vera religione.
(234) Augustinus in psal. CXVIII.
(235) Id., contra Maximianum.
(236) Id., in lib. senten. Prosperi.

agitur ut recte agat. (237) Ut ergo multum præstitisse gratia Salvatoris intelligatur, dixit, aguntur, non ut nil agant, sed quia impetu gratiæ aguntur, vix tamen ut agant. Nam tanto magis efficitur quis filius bonus quanto largius datur ei a Patre spiritus vel sanctus bonus, quo agitur et agit, et sic bene agit, si a bono agitur. (238) Quando ergo non agit, vel non omnino faciendo, vel non ex charitate faciendo, oret ut quod nondum habet accipiat.

VERS. 15. — « Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore; sed accepistis spiritum « adoptionis filiorum. »

Non enim, etc. Quasi dicat : Filii esse debetis et non servi. *Non enim accepistis iterum*, ut olim in lege, ***spiritum servitutis in timore***, id est spiritum B qui vos invitos timore pœnæ servire faciat. *Sed accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei*, id est Spiritum sanctum datorem bonorum per quæ filii fiunt, quod est ex misericordia Dei. (239) Cave ne ex eo quod ait servitutis, et spiritum adoptionis, diversum intelligas spiritum, cum sit unus atque idem spiritus, ille duntaxat, qui immunitate Trinitatis Spiritus sanctus accipitur. Quod Apostolus etiam ostendit dicens, iterum. Idem ergo spiritus est, sed propter diversa opera dissimiliter accipitur, ut Ægyptiis spiritus iræ dicitur, quibus aqua divisa spiritu nocuit; filiis Israel non dicitur iræ, quibus aqua divisa profuit. Similiter spiritus timoris dicitur esse Judæis, quia eodem spiritu in quo tabulis lex scripta est, timor incussus est eis, qui gratiam nondum intelligebant de sua infirmitate, C et peccatis per legem convicti. Spiritus autem libertatis dicitur esse his quibus impartitur ejus opere gratia, et regeneratio in vitam valens æternam, id est fides quæ per dilectionem operatur (*Gal.* v) (240), non per timorem, non formidando pœnam, sed amando justitiam. Unde est ergo ista dilectio, nisi et unde ipsa fides, id est a Spiritu sancto? Non enim esset in nobis nisi diffunderetur in cordibus per spiritum. Charitas autem Dei dicta est diffundi in cordibus nostris, non qua nos ipse diligit, sed qua nos facit dilectores suos, sicut justitia dicitur Dei, qua nos justi ejus munere efficimur, et Domini salus, qua nos salvat; et fides Christi, qua nos fideles facit. (241) Unus ergo spiritus est qui duos timores facit. Duo enim timores hic insinuantur, unus qui est in per- D fecta charitate, scilicet timor castus, alter qui non est in charitate, scilicet servilis, in quo quamvis Deo credatur, non tamen in Deum : etsi bonum fiat, tamen non bene. (242) Nemo enim invitus bene facit, etiam si bonum est quod facit. Hi autem duo timores faciunt duo genera servorum. Est enim servus qui est et filius, qui timet dominum et honorat patrem. Unde per Malachiam Dominus ait : ***Si Dominus sum, ubi est timor meus? Si pater, ubi*** A ***est amor meus?*** (*Mal.* I) Et est servus qui timet pœnam, sed non diligit justitiam. Et quia de timoribus fit mentio, sciendum est præter naturalem timorem qui omnibus inest, quatuor esse timores, scilicet mundanum qui malus est, nec a Deo est; et servilem, qui bonus est et a Deo, sed non sufficiens; et initialem, qui bonus est et sufficiens : et castum, qui bonus est et perficiens, de quo hic agitur. Ipse enim generat nos filios

VERS. 15, 16. — « In quo clamamus, Abba Pater. « Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filii Dei. »

In quo. Quasi dicat : Dedit spiritum adoptionis, in quo, id est per quem nos liberi, de utroque populo in Ecclesia collecti, ***clamamus*** intense, scilicet non ingrati. Clamor iste cordis est non labiorum, intus sonat auribus Dei, qualiter Susanna clauso ore labiisque immotis clamabat. Judæi quidem clamabant : Abba; gentiles vero, Pater. Quod tamen idem est. Abba enim Hebraice, Pater Latine dicitur; sed propter sacramentum, utrumque posuit Apostolus. Sicut et Marcus utrumque Dominum in passione dixisse commemorat. Et fortasse Dominus propter sacramentum Ecclesiæ insinuandum utrumque dixit, cui factus est angularis lapis, venienti partim ex Hebræis, ad quos pertinet, Abba, partim ex gentibus, ad quos pertinet, Pater, **40** quia Ecclesia est de utroque populo in uno angulari lapide collecta, qui fecit utraque unum, ut unus esset grex, et unus pastor; cui Ecclesiæ bonus magister compatiens in se ostendit filios ejus, scilicet martyres, non debere desperare, si qua forte tempore passionis eorum, ex humana fragilitate tristitia irrepit cum eam vicerint, voluntati suæ præponendo voluntatem Dei. Eleganter ergo, et non frustra duarum linguarum verba posuit, et idem significantia propter universum populum, qui de Judæis et gentibus in unitatem fidei vocatus est.

Ipse enim, etc. Quasi dicat : Vere filii sumus, hoc enim recognoscere facit Spiritus, scilicet nostrum spiritum. Et hoc est : Ipse enim *Spiritus* sanctus ***testimonium reddit spiritui nostro***, id est recognoscere facit mente nostra, dum per eum facta remissione non agimus, de quo *quod sumus filii Dei* [Ambrosius] (243) hoc facit cognoscere Spiritus sanctus, dum scilicet in Ecclesia fit remissio peccatorum in Spiritu sancto, quam remissionem cum Trinitas faciat, proprie tamen ad Spiritum sanctum intelligitur pertinere, quia Spiritus communis est Patri et Filio, amborumque unio, per quem fit societas et unitas, qua efficimur unum corpus unici Filii Dei. (244) Unitas enim nos compaginat, quam facit charitas, et charitas non est nisi a Spiritu sancto. Ergo spiritus est qui vivificat, quia viva facit membra :

(237) Augustinus, De cor. et gra.
(238) Id., in psal. CXVIII.
(239) Id., in lib. Questionum Exodi.
(240) Id., De spiritu et littera.
(241) Augustinus, super Joan.
(242) Id., in lib. Sententiarum Prosperi
(243) Id., De blasph.
(244) Id., super Joannem.

nec viva facit, nisi quæ in corpore quod vegetat in- A venerit, sicut spiritus hominis non vivificat membrum, quod separatum invenerit a corpore. Hæc dicuntur ut amemus unitatem, et timeamus separationem. Nil enim sic debet Christianus formidare quam separari a corpore Christi, propter hanc societatem Spiritus sanctus descendit super viros congregatos in unum, qui et omnibus linguis locuti sunt, quia per linguas consonantior est societas humani generis. [Ambrosius] Spiritus ergo testimonium filiorum Dei reddidit, cum dono spiritus in eis signum paternum videtur.

VERS. 17-19. — « Si autem filii, et hæredes, hæ« redes quidem Dei, cohæredes autem Christi, si ta« men compatimur, ut et glorificemur. Existimo enim « quod non sint condignæ passiones hujus tempo- B « ris ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. « Nam exspectatio creaturæ revelationem filiorum « Dei exspectat. » (245)

Si autem, etc. Quasi dicat : Filii sumus, hoc autem est quod non est parvum, vel leve. *Si enim filii sumus et hæredes*, id est ejusdem gloriæ participes, *hæredes quidem Dei*, quia ejus fruemur beatitudine, *cohæredes autem Christi*, in quo et cum quo beati erimus. Unde dicitur, quia similes ei erimus. Nota quod cum hæres dicatur, cum jam hæreditas morte decessoris firma teneatur, nec alio modo possit intelligi, hæres secundum quod dicitur humanis legibus, nos tamen hæredes Dei dicimur, et si non decebat, quia hæreditatem æternam nos filii sponsi, et sponsæ speramus quam in futuro possidebimus, non Patris morte, qui mori non potest, C qui est hæreditas nostra. (246) Vel potest dici, quod decedet secundum modum cognitionis, quo nunc cognoscitur a nobis. Nunc enim ex parte cognoscimus, et per speculum videmus. Decedet ergo ut tunc non videatur per speculum in ænigmate sicut nunc, sed facie ad faciem. Potest etiam dici quod Christus caput nostrum in passione decedens, nobis reliquit pacis ecclesiasticæ possessionem, sicut ipse ait: *Pacem meam relinquo vobis* (*Joan.* XIV). Attende etiam quod Christus hæreditas suorum est, et ipse hæreditas ejus. Unde : *Dabo tibi gentes hæreditatem* (*Psal.* II). Et econverso, *Dominus pars hæreditatis meæ et calicis mei* (*Psal.* XV). Sed quo merito sumus hæredes ? Ecce, *si tamen compatimur*. Quasi dicat : Dico quod sumus cohæredes Christi, si ta- D men compatimur, id est ad ejus similitudinem patimur, quod pertinet ad illud, quod supradixerat, *si facta carnis mortificaveritis*. Mortificare autem facta carnis nemo potest, unde erit vita sine molestia, cui necessaria est patientia. Patimur dico hac intentione, *ut glorificemur*. *Existimo enim*, quasi dicat: Dico si compatimur, et patiendum est pro gloria habenda, *existimo enim*, id est scio, *quod passiones hujus temporis*, id est temporales et momentanæ simul omnes, *non sunt condignæ*, id est sufficientes, si districte ageretur nobiscum, *ad promerendam futuram gloriam*. Tribulatio namque est cum fine, merces sine fine erit, et multo major erit tibi gloria, quam hic labor. *Quæ* gloria etsi nunc occulta sit quam oculus non vidit, nec auris audivit, tamen *revelabitur omnibus*, bonis et malis, non quidem esse in malis, sed tantum esse *in nobis*, bonis. Ecce hoc facit spiritus quod merita non possunt. Revelabitur, et vere, quod probat auctoritate expectantium. *Nam exspectatio creaturæ*, etc., usque ibi, *spe enim salvi*. (247) Hoc capitulum obscurum est, quia non satis hic apparet, quid nunc vocet creaturam. Dicitur autem secundam catholicam disciplinam creatura quidquid fecit et condidit Deus Pater per Filium, qui non potest appellari creatura, quoniam per Christum facta sunt omnia. Hic autem videtur ostendere esse diversa, creaturam et filios, cum dicit, *creatura exspectat revelationem filiorum*, et, *creatura liberabitur a servitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei*. Quasi non simus non creatura, sed filii Dei. Item dicit, *omnis creatura ingemiscit, et parturit usque adhuc*, non solum autem illa, sed et nosipsi, tanquam aliud simus nos, aliud omnis creatura. Sciendum ergo quod nosipsi dicimur creatura et filii, sed quod sumus creatura, apparet ; quod autem filii Dei, nondum apparet, sicut Joannes ait : *Charissimi, filii Dei sumus, sed nondum apparuit quid erimus ; cum autem apparuerit ei similes erimus* (*I Joan.* III). [Augustinus] Distincte ergo nunc ante gloriam illam qua apparebit quod sumus. Vocamur creatura secundum quod modo anima et corpore dolemus, dum facta carnis per abstinentiam mortificamus, dum adversorum aculeos per patientiam sustinemus, quales nunc apparemus. Filii autem Dei dicimur secundum adoptionem, et secundum quod futuri sumus, quando apparebit quid erimus, quod nunc adoptione meremur. Itaque non naturæ alterius, sed alterius qualitatis diversitate a creatura filios, quasi distinguens ait : Exspectatio creaturæ, id est exspectans creatura, exspectat. Quasi dicat : Assidue in actu exspectandi est ; geminatio namque assiduitatem notat. Exspectat, dico, revelationem filiorum Dei, id est quando apparebit qualis futura est. Non enim creatura revelationem naturæ alterius exspectat, sed ipsa qualis nunc est, exspectat quando sit qualis futura est, ut si diceretur, operante pictore subjectis sibi coloribus, et ad opus ejus paratis exspectatio colorum manifestationem imaginis exspectat, nunc quia tunc alii erunt, aut non colores erunt. Sed quia aliam dignitatem habebunt. Vel simpliciter creatura dicuntur boni, eo quod manent in creatione Dei ; vel iidem boni per excellentiam dicuntur creatura, quia sunt causa omnium. Hæc ergo creatura exspectat, quia nondum apparet quod est, revelationem filiorum Dei, et ideo omnia toleranda sunt, ut illud obtineat quod exspectat.

(245) August., De 83 Quæst.
(246) Id., super Joannem.
(247) Id., De 83 Quæst.

VERS. 20-23. — « Vanitati enim creatura subjecta est, non volens, sed propter eum qui subjecit eam in spe, quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit et parturit usque adhuc. Non solum autem illa, sed et nosipsi primitias spiritus habentes et ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei, exspectantes redemptionem corporis nostri. »

Vanitati, etc. Procede prius secundum illam sententiam, ubi per creaturam accipiuntur boni. Quasi dicat : Creatura exspectat, et necesse est ei exspectare, quia vanitati subjecta est. Et potest exspectare, quia non amat vana, quæ sunt omnia mundana. Et hoc est quod ait : *Vanitati etenim creatura*, id est boni, *subjecta est non volens*, [Augustinus] id est non amans ista caduca quæ vana sunt. Unde Salomon : *Vanitas vanitatum et omnia vanitas* (*Eccle.* I). Omnia enim quæ nascuntur infirma, et corruptibilia sunt, ac per hoc vana, quia statum suum tenere non possunt. Corruptio ergo ipsa est vanitas, cui subjecta est creatura. Dico subjecta est vanitati, sed tamen patienter ferens *propter eum qui subjecit eam in spe*, id est patienter sustinet sciens Deum subjecisse ad conservationem humilitatis, sed non sine solatio spei hujus, scilicet quia et ipsa creatura *liberabitur in* futuro, ut Christus caput nostrum jam liberatus est. Vel, vanitati enim, etc. Sicut supradictum est, creatura dicitur quidquid modo in nobis dolet, id est nosipsi secundum quod corpore et anima dolemus. Quæ utique creatura est dum carnem mortificamus per jejunia et adversa. Et hæc creatura, ut prædictum est, exspectat modo quod erit in futuro. Quasi dicat : Necesse est exspectare, quia creatura, [Augustinus] id est homo qui modo tantum creatura videtur, vanitati subjecta est, et hoc nolens, id est non sponte. Homo quippe sponte peccavit, sed non sponte damnatus est. Peccatum itaque fuit spontaneum ; contra præceptum facere veritatis, sed non sponte fert pœnam peccati. Luit enim meritas pœnas, peccati vero pœna est quod subjicitur fallaciæ. Dico quod non est subjecta sponte ; sed *propter eum qui subjecit eam*, id est propter justitiam et clementiam ejus, qui et peccatum punit, et peccantem sanare intendit, qui eam subjecit *in spe*, hac utique ; *quia ipsa creatura liberabitur*, sicut nos apostoli. Per hoc enim quod non ait simpliciter ipsa, sed, et ipsa facit intelligi, quod nec de ipsis desperandum est, qui nondum crediderunt, quia et ipsi credituri sunt, et liberabuntur, qui nondum sunt filii Dei. Sed tantum creatura modo dicuntur, cum alii nondum gratiam adoptionis receperunt. Homo enim sigillo imaginis propter peccatum amisso remansit tantummodo creatura. Et *ipsa* utique *creatura*, quæ modo ita vocatur cum nondum est filiorum forma perfecta, *liberabitur*, ut nos apostoli, qui jam filii sumus, etsi nondum apparet quid erimus, liberabitur dico, *a servitute corruptionis*, vel interius, [Ambrosius] id est a cura quærendi victum, et vestitum, et alia quibus servitur nostræ mortalitati, veniens *in libertatem gloriæ filiorum Dei*, id est in gloriosam libertatem quam habebunt filii Dei. Et hæc omnia per spiritum fient.

Scimus enim, quasi dicat : Vere creatura subjecta est vanitati, non volens. *Scimus enim*, quasi dicat : Exsperto credite, quod *omnis creatura ingemiscit*. Omnis creatura dicitur homo, quia omnis creatura in homine numeratur, non quod in eo sint omnes angeli, et supereminentes virtutes, et cœlum, et terra, et mare, et omnia quæ in eis sunt, sed quia omnis creatura est, vel corporalis, vel animalis, vel spiritualis (248). Corporalis per loca tenditur, animalis vivificat corporalem, spiritualis regit animalem. Et tunc bene regit, cum seipsam Deo regendam subjicit. Hæc autem omnis creatura in homine est, quia homo intelligit spiritu, ut angeli ; et sentit anima ; et corpore localiter est, et movetur. Omnis igitur creatura in homine est, quia intelligit, vivit, corpus habet ; sed non nota in ipso est, quia sunt præter eum, et angeli, et alia quæ intelligunt, vivunt, et sunt. Simile dictum est, omnis homo videt solem, sed non totus, quia oculus tantum. [Haimo.] Omnis ergo creatura, sed non tota, id est homo qui habet communionem, cum omni creatura pro sua dejectione, ingemiscit. Quasi dicat : Semper in hoc nova est, quod notat per inchoativum verbum, et pro desiderio patriæ cœlestis. Parturit, id est cum dolore operatur, quasi dicat, pro irriguo inferiori et superiori, in labore est et in sollicitudine. Et hoc, *usque adhuc*, id est usque ad mortem. Vel, usque adhuc, quia ita omnes præcedentes patres fecerunt, usque in præsens. Vel, usque adhuc, dicit, quia etsi aliquis in sinu Abrahæ jam constitutus dolore destitit, tamen in illis qui nondum sunt liberati, omnis creatura ingemiscit et dolet adhuc, sicut et quæ præcessit, quia in his qui nondum sunt liberati, omnis dolor est propter spiritum, et animam et corpus. Cum ergo omnis homo ingemiscit et dolet, omnis creatura ingemiscit et dolet. Non enim hac universali locutione colligit singula omnium generum, sed genera omnia singulorum. *Non solum autem* creatura illa ingemiscit et dolet, *sed et nos ipsi* apostoli, qui majores alii sumus, per hoc quod *primitias spiritus habemus*, unde subdit, nos dico, *habentes primitias spiritus*, id est Spiritum sanctum, et tempore prius et cæteris abundantius : nos inquam, et ipsi intra nos, vel, in nobis gemimus, et est sensus : Non solum autem creatura illa dolet, id est non solum in homine corpus, et anima, et spiritus dolent ex difficultatibus corporis, [Augustinus] sed et nosipsi, scilicet apostoli, primitias spiritus habentes, quorum jam spiritus quasi in sacrificium oblati sunt Deo, et di-

(248) Aug., De 83 Quæst.

vino charitatis igne succensi, *gemimus* in nobis A ipsis, præter corpus, id est exceptis corporis molestiis suspirantes æternæ Jerusalem. Nos dico, *exspectantes*, secure et fortiter, nec dilatione, nec adversis fracti, *adoptionem* perfectam *filiorum Dei*, id est ut corpus etiam beneficium adoptionis accipiat et, ex omni parte filii Dei sint. Hæc enim adoptio quæ jam facta est in his qui crediderunt, spiritu non corpore facta est. Nondum enim corpus reformatum est in illam cœlestem mutationem, ut spiritus jam mutatus est, reconciliatione fidei ab erroribus conversus ad Dominum. Ergo etiam in his qui crediderunt exspectat adhuc adoptionem corporis. Deinde quid dixerit adoptionem exponit scilicet, *redemptionem corporis nostri*, scilicet ut ipsum corpus redimatur a mortalitate, quod prius emptum fuit a peccato. [August.] B Vel, nosipsi apostoli miseriam habentes, ut alii gemimus in nos, vel in nobis ipsis carne et mente, quia in nobis est, unde gemimus, non solum pro aliis.

Hoc capitulum si ita ut tractatum est aperiatur, non incidimus in illas molestias, quibus plerique homines contra catholicam disciplinam quædam dicere cogantur. Scio enim vanos hæreticos de hoc capitulo multa impia et inepta jactasse, quia enim Apostolus universaliter ait : *Omnis creatura ingemiscit*, etc. Dicunt quidam, ut Origenes, quod etiam dignior creatura, id est summi angeli sublimesque virtutes doleant et gemant, antequam liberemur penitus. Sed non est verum. Nam etsi nos adjuvant, sine dolore hoc facere credendi sunt, ne miseri exi- C stimentur, præsertim quia dixit eamdem creaturam quæ ingemiscit et dolet, vanitati subjectam esse, quod de summis et excellentibus angelis nefas est dicere, scilicet quod subjecti sint vanitati, et a corruptione liberandi. Sed omnis in homine dolet, et omnis in homine liberabitur, etsi non in omnibus hominibus. Vel ita, *omnis creatura ingemiscit et parturit*, etc. [August.] Parturire dolere est. [Ambrosius.] Omnis autem creatura per quotidianum laborem ingemiscit, et dolet usque adhuc, id est usque modo, scilicet quandiu legitur. Omnis ergo creatura ingemiscit et parturit, id est omnia elementa cum labore sua explent officia, sicut sol et luna, non sine labore statuta, sibi implent spatia; quod est causa nostri. Unde quiescent nobis assumptis, et ideo diligenter nos paremus, non solum autem illa, D scilicet elementorum creatura ingemiscit, *sed et nosipsi*, etc., post creaturam mundanam adjicit, etiam nos exspectare, hoc et ingemiscere ad Deum, ut hinc liberemur, quia Christianis mundus hic pelagus est.

VERS. 24-26. — « Spe enim salvi facti sumus. « Spes autem quæ videtur non est spes. Nam quod « videt quis, quid sperat? Si autem quod non vide« mus speramus, per patientiam exspectamus. Si« militer autem et spiritus adjuvat infirmitatem no« stram. Nam quid oremus, sicut oportet, nescimus; « sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus ine« narrabilibus. »

Spe enim. Quasi dicat: Dixi quod exspectamus, et non diffidenter; nam certi sumus, quasi jam salvi simus. Et hoc est, spe enim, quasi quodam merito, *salvi*, non dico simpliciter sumus, sed, *facti sumus;* non enim a nobis est salus. Hæc ideo dicit spe nos esse salvos, quia nondum res est, et ita adhuc sub vanitate sumus. *Spes autem*. Quasi dicat : Spes salvat, hæc autem non est de re visibili. Et hoc est : *Spes autem quæ videtur*, id est res sperata quæ videtur, non est spes, id est non est subjecta spei virtuti, quæ non est nisi de non apparentibus ; et vere non, quia qua ratione videretur spes hæc ? et hoc est. *Nam quod videt quis quid, sperat ?* id est cur vel quomodo sperat, id est dicitur sperare? quasi dicat : Nullo modo. Hoc ideo dicit ut majus meritum spei videatur, et ideo debeat salvare. *Si autem*. Quasi dicat : Quod videtur non speratur, sed potius quod non videtur; si autem hoc est, id est si *speramus quod non videmus*, crescit hoc meritum, dum *per patientiam*, quæ est adversorum, diu *exspectamus*, adhuc in vanis agentes quæ sub sole sunt. Et ideo gemimus quia patientes adversa exspectamus quod non videmus, et hæc omnia nobis sunt ex spiritu. *Similiter autem*. Quasi dicat : Non solum in prædictis adjuvat nos spiritus ; sed similiter, id est per eamdem gratiam suam spiritus, dum exspectamus quod non videmus, *adjuvat*, ad orandum, *infirmitatem nostram*, docens et faciens nos orare sicut oportet. [Ambrosius.] Quia enim, ut superius dictum est, ingemiscimus, et in dolore positi liberari petimus, et quæ longe futura sunt mox fieri volumus, aut cito tolli ea per quæ ad interitum perveniamus, ideo spiritus adjuvat infirmitatem nostram, ne vel ante tempus, vel contraria petamus. Infirma enim est oratio, quæ contra rationem postulat, ideoque oportet infirmitatem hanc a Spiritu sancto adjuvari. Adjuvat autem quia non sinit vel ante peti quam debeat, vel contraria (249). Et nota quia non solum illud quod oratio impetrat, sed etiam ipsa oratio inter gratiæ munera reperitur. Quidquid enim oratio impetrat, evidenter ostenditur donum Dei esse, ne homo existimet a seipso esse : quod si in potestate haberet, non utique posceret, sed ipsum orare ex gratia est. Nulla enim orationis præcedunt merita, quibus non gratuita dentur, sed debita reddantur, jam enim gratia non esset. Et necesse est ut spiritus adjuvet. [Ambrosius.] *Nam* nos *nescimus*. Ecce infirmitas, *quid oremus*, *sicut oportet* orari. Ecce infirmitatem orationis nostræ ignorantiam esse declarat. Fallimur enim putantes prodesse quod poscimus, cum non prosit, ut ipsi Paulo contigit, dum oraret ut spiritus ab eo discederet, qui ex responso Dei didicit contra se esse quod petebat. Est etiam aliquando superba et stulta petitio, sicut fuit duo-

(249) August. ad Sixtum.

rum apostolorum, quibus dictum est : *Nescitis quid petatis* (*Matth.* xx). A

Sed ipse. Quasi dicat : Nescimus quod oremus : Sed ipse *spiritus postulat*, non contra nos, sed *pro nobis*, id est ipse facit nos postulare, et hoc *gemitibus inenarrabilibus* (250), quod facit nos gemere plus quam dici potest, tum pro hoc exsilio, tum pro desiderio patriæ, vel gemitibus inenarrabilibus, id est qui fiunt de re inenarrabili. Quomodo enim narretur quando desideratur quod ignoratur, nec tamen omnino ignoratur? Nam si penitus ignoraretur, non desideraretur; et rursus si videretur, gemitibus non quæreretur (251). Et sciendum quod secundum eamdem locutionis figuram, qua dicitur apostolis a Domino : *Spiritus loquitur in vobis* (*Matth.* x), ait hic Apostolus, *spiritus postulat gemitibus* (252). B Non enim Spiritus sanctus gemit, quasi indigeat, aut angustias patiatur, sed quia ipse nos movet ad orandum cum gemimus; et quod ipso movente nos facimus, ipse facere dictus est (253). Ita ergo dictum est, spiritus postulat, non quod alicujus rei Spiritus sanctus sit indigens, sed quia nos postulare facit, nobisque interpellandi et gemendi inspirat affectum. Adjutorium igitur Spiritus sancti hic expressum est (254). Charitas enim quæ per Spiritum sanctum facta est in nobis, ipsa gemit, ipsa orat. Contra hanc aures claudere non novit, qui illam dedit. (255) Non ergo sic est intelligendum quod hic ait, ut æstimemus Spiritum sanctum qui in Trinitate incommutabilis Deus est cum Patre et Filio, ita interpellare pro sanctis tanquam aliquem qui non sit Deus, sed dictum est postulat pro C sanctis **42** quia postulare facit sanctos; non enim spiritus, scilicet in semetipso in suæ æternitate substantiæ gemit, sed in nobis, quia gemere nos facit. Hic gemitus columbæ est. Hoc modo locutionis dictum est : *Tentat vos Deus, Deus vester, ut sciat si diligitis eum* (*Deut.* xiii), id est ut scire vos faciat (256). Hoc locutionis tropo dicitur frigus pigrum, quia pigros facit; et dies lætus vel tristis, quia lætos vel tristes facit. Similiter de die illa dicitur Filius non scire, quia non facit nos scire. Hoc etiam modo locutionis, dixit Deus ad Abraham : *Nunc cognovi quia timeas Deum* (*Gen.* xxii), id est cognoscere feci (257). Ita etiam quod alibi ait Apostolus, nunc autem cognoscentes Deum, imo cogniti a Deo, ita dictum est ut intelligamus Deum in nobis fecisse cognitionem D suam. Quid enim est quod ait : Cogniti estis a Deo (*Gal.* iv), id est cognitores suos vos facit. Facit enim Deus nos cognoscere se, unde dicimur cogniti ab eo. Quæ omnia sic debere intelligi, docet Apostolus, qui cum in loco quodam dicat : *Misit spiritum clamantem*, Abba *Pater* (*Gal.* iv), alibi, quasi hoc exponens ait : *In quo clamamus* Abba, Pater (258).

Sic itaque et hic aperiens qualiter adjuvet infirmitatem nostram ait, *spiritus postulat pro nobis*, etc. Et sciendum quod aliter adjuvat nondum inhabitans, aliter inhabitans. Nondum inhabitans adjuvat, ut sint fideles; inhabitans adjuvat jam fideles.

VERS. 27-28. — « Qui autem scrutatur corda, « scit quid desideret spiritus, quia secundum Deum « postulat pro sanctis. Scimus autem quoniam di« ligentibus Deum omnia cooperantur in bonum his « qui secundum propositum vocati sunt sancti. »

Qui autem. Quasi dicat : Spiritus facit postulare, et etiam impetrat, id est facit impetrare, quasi dicat : Non solum postulat, sed etiam idem ipse spiritus qui *scrutatur corda* ut sciat gemitus inenarrabiles, *scit*, id est approbat et implet, *quid desideret*, id est quod desiderare facit, quia postulat pro sanctis, id est loco sanctorum, id est sanctos facit postulare, quod est *secundum Deum*, id est quod Deus vult. Scrutari autem spiritus dicitur corda, non quasi quærens quod nesciat, sed quia nihil est occultum quod non sciat. *Scimus autem*, etc., quasi dicat : Non solum hoc facit spiritus quod prædictum est, sed etiam idem spiritus facit omnia venire in bonum, prospera, vel adversa diligentibus Deum. Hoc *autem scimus*, nos majores et doctores, quorum auctoritati credendum est. Hoc, scilicet scimus quoniam per Spiritum sanctum, *omnia cooperantur in bonum*, vel procedunt in verum bonum. Vel, *Spiritus sanctus cooperatur*, alia littera, *omnia in verum bonum.* Quibus? *Diligentibus Deum*, servando mandata, et perseverando usque in finem Unde subdit : *His*, etc., quasi dicat : non recedentibus omnia cooperantur in bonum, quod ita ait, his, scilicet *qui sunt vocati* per prædicatores, vel interius, *sancti*, id est ad sanctitatem. Et hoc non propter meritum suum, sed *secundum propositum* Dei, id est secundum præscientiam et prædestinationem. (Augustinus.) Quasi dicat : Quod vocati sunt, non aliunde est quam a prædestinatione Dei. Et inde est quod omnia cooperantur in bonum, non ex meritis eorum; talibus omnia cooperantur in bonum. Tales enim Deus consolatur prosperis, et exercet adversis (259). Nam propria ipsorum infirmitate exercetur humilitas, afflictione patientia, paterna contradictione, sapientia, odio, benevolentia. Et usque adeo talibus Deus omnia cooperatur in bonum, ut si qui eorum deviant, et exorbitant, etiam hoc ipsum eis faciat proficere in bonum, quia humiliores redeunt atque ditiores. Discunt enim cum tremore se exsultare debere, non sibi arrogando tanquam de sua virtute fiduciam permanendi. Unde : *Servite Domino in timore*, etc. (*Psal.* ii), et alibi : *Non alta sapientes* (*Rom.* xii) (260). Quamvis ergo ipsa mors carnis de peccato primi hominis originaliter venerit,

(250) Augustinus, ad Probam de orando Deum.
(251) Id., De bono persev.
(252) Id., contra Manichæos.
(253) Id., ad Sixtum.
(254) Id., ad Sixtum.
(255) Id., super Epist. Joan.
(256) Augustinus, contra Max.
(257) Id., in eod.
(258) Id., ad Sixtum.
(259) Id., De cor. et gra.
(260) Id., De Trinitate.

tamen bonus ejus usus gloriosissimos martyres fecit. Ideoque non solum ipsa, sed etiam omnia hujus sæculi mala, labores, doloresque hominum quanquam de peccatorum et maxime de originalis peccati meritis veniant, quo facta est et ipsa vita vinculo mortis obstricta, tamen etiam remissis peccatis remanere debuerunt (261), ut haberet homo cum quibus pro veritate certaret, et unde exerceretur virtus fidelium, ut novus homo inter hæc mala novo sæculo præparetur, miseriam quam meruit vita ista damnata sapienter tolerans, et quia finietur prudenter gratulans. Prosunt igitur ista mala, quæ fideles pie perferunt, vel ad demenda peccata, vel ad exercendam probandamque justitiam, vel ad demonstrandam hujus vitæ miseriam. Deinde exponens qui sunt qui vocentur secundum propositum, subdit :

VERS. 29. — « Nam quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. »

Nam quos præscivit. Quasi dicat : Vere omnia cooperantur in bonum, quia præscire et prædestinare, etc. Et hoc est. [Remigius, Augustinus] Nam Deus prædestinavit, id est per appositam gratiam præparavit, ut verbo prædicationis crederent illos, *quos præscivit*, id est longe ante prænovit. Hoc est propositum de quo dixit, secundum propositum vocati, præscivit dico, *fieri conformes*, in puritate vitæ modo, et postea in beatitudine, cujus *conformes imaginis Filii ejus*, id est Filii quæ est imago Patris usquequaque eadem cum Patre. Unde dicitur : *Qui videt me, videt et Patrem* (*Joan.* XIV). Et nota quod improprie accipitur hic prædestinatio secundum quod exposuimus (262). Accipitur enim de præsenti, scilicet pro gratiæ appositione, per quam præparantur ad recipiendum verbum. Proprie autem prædestinatio est præscientia et præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur quicunque liberantur (262*). Prædestinatio igitur est gratiæ præparatio, quæ sine præscientia esse non potest. Potest autem sine prædestinatione esse præscientia. Prædestinatione quippe Deus ea præscivit quæ fuerat ipse facturus, sed præscivit Deus etiam quæ non est ipse facturus, id est omnia mala, quia etsi sunt quædam quæ ita peccata sunt, ut etiam pene sint peccati, secundum illud, *tradidit illos*, etc. (*Rom.* I), non tamen peccatum Dei est, sed judicium. Quocirca prædestinatio Dei, quæ in bono est, gratiæ est, ut dixi, præparatio : gratia vero est, ut dixi, prædestinationis effectus, et secundum hoc ita expone litteram. [August., Ambrosius.] Nam Deus prædestinavit, id est in præscientia apud se ab æterno præparavit, id est ad præmia promissa elegit quos præscivit fieri conformes imaginis Filii ejus, ut scilicet portemus imaginem cœlestis, id est Christi, sicut portavimus imaginem terreni Adæ. [Fulgentius] Sua igitur bona quibuscunque Deus donat, procul dubio se donaturum esse præscivit, et in sua præscientia præparavit. Sciendum vero quia præparavit Deus, et malis ignem æternum, illis utique quos juste præparavit ad luenda supplicia, nec tamen præparavit ad facienda peccata (263). Præparavit enim Deus quod divina æquitas redderet, non quod humana iniquitas amitteret. Non enim sicut præparavit sanctos ad justitiam percipiendam, sic præparavit iniquos ad justitiam amittendam, quia pravitatis præparator nunquam fuit. Hæc igitur regula inconcusse tenenda est peccatores in peccatis præscitos esse, non præparatos, pœnam autem esse præparatam secundum quod præsciti sunt. *Ut sit ipse.* Quasi dicat : Dico conformes, ita tamen ut *in multis fratribus*, id est inter multos fratres, ipse *sit primogenitus*, id est jure hæreditatem Patris obtinens et aliis dispertiens, quod primogenitorum est. [Ambrosius] Vel primogenitus dicitur, quia ante omnem creaturam non factus, sed natus est, et quia primus sine peccato natus, et primus impassibilis resurgens, in quo habet fratres (263*). Nam secundum id quod Unigenitus est, non habet fratres; secundum id autem quod primogenitus est, fratres vocare dignatus est omnes qui per ejus primatum in Dei gratia renascuntur.

VERS. 30-32. — « Quos autem prædestinavit, hos et vocavit, et quos vocavit, hos et justificavit; quos autem justificavit, illos et magnificavit. Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui etiam proprio Filio suo non pepercit; sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? »

Quos autem, [Augustinus] quasi dicat : Quos præscivit, illos prædestinavit. *Quos autem prædestinavit*, quod fuit antequam essemus, *hos*, quamvis ante aversos, *et vocavit* per prædicatores, quia præparati erant in præscientia, vel vocavit, scilicet interiori vocatione (264). Est enim exterior vocatio, et interior. Exterior est quæ fit per prædicatores, quæ est communis bonorum et malorum, interior vero tantum electorum est. Vocare enim est cognitionem de fide adjuvare, vel compungere eum quem sciat audire, et hæc vocatio, ut diximus, est electorum tantum. Hac vocatione impletur prædestinatio. Est et alia vocatio quæ fit per prædicatores, de qua dictum est : *Multi vocati, pauci vero electi* (*Matth.* XX). *Et quos vocavit*, scilicet secundum propositum, quia sunt et non electi, vocati exterius, *hos et justificavit* remissione peccatorum, et bona operatione. *Quos autem justificavit*, dum peccatores essent, *illos et magnificavit*, [August.] omni genere virtutum [Ambrosius, August.] Vel ponitur præteritum pro futuro, ut sit sensus : Magnificavit, id est magnificabit æterna remuneratione, ut similes Deo sint. Hoc au-

(261) August., De Trinitate.
(262) Id., De bono persever.
(262*) Id., De prædest. sanctorum.
(263) Id., De bono persev.
(263*) Id., De symbolo.
(264) Ambrosius ad Opertum.

tem futurum est, sed dicitur per præteritum, quia dicitur fecisse quæ ab æterno disposuit facere. Unde Isaias : Qui fecit quæ futura sunt, talibus, ut dictum est, omnia cooperantur in bonum, etiam quod deviant, et hoc scilicet ut inde cautiores sint, et in se non fidentes. Hoc ergo de præscitis intelligitur, et non de aliis; etsi enim ad tempus quidam credant, et boni videantur, tamen quia non permanent, non magnificantur. [August.] Nota quod cum hic sint quatuor memorata, scilicet prædestinatio, vocatio, justificatio et magnificatio, unum est in Deo, et tria in nobis. Prædestinatio enim nostra non in nobis est, sed in occulto apud Deum in ejus præscientia; tria vero reliqua in nobis, etc. Hæc omnia præscitis sunt. Quid ergo dicemus ad hæc, id est contra hæc, vel quid dicemus ad hæc, beneficia Dei aspicientes **43** hoc utique quod nullus persecutorum potest nobis nocere? *Si enim Deus pro nobis* est, ut prædictum est prædestinando non existentes, vocando aversos, justificando peccatores, glorificando mortales, *quis contra nos* est? Nullus prorsus potest nocere, sed omnia cooperantur in bonum. Possunt enim mali ut plus perimere corpus et dilaniare, sed animam invictam educit auxiliator Deus. *Qui etiam*. Quasi dicat : Dico quod Deus pro nobis est, qui præter alia etiam Filium suum pro nobis dedit. Et hoc est, *qui etiam Filio suo*, id est consubstantiali, *non pepercit*, *sed pro nobis omnibus*, etiam peccatoribus, quod majus est, id est pro reparatione omnium tradidit illum; et si Filium dedit pro nobis, *quomodo non donavit vobis etiam cum illo omnia*, id est in præsenti justitiam, et in futuro vitam æternam, quod minus est. Quasi dicat : Non potest hoc negari. [Ambrosius] Minus est enim nobis omnia donare quam nostri causa illum morti tradere (265) : vel cum illo omnia donavit nobis, id est superiora, æqualia, inferiora quippe nostra sunt superiora ad videndum, ut Deus trinitas; nostra sunt æqualia ad convivendum, ut angeli, quibus æquabimur in futuro, modo vero inferiores sumus; nostra sunt inferiora ad dominandum, et sunt quædam nunc superiora, ut sublimes angeli et universa cœlestia Dei ministeria, quæ modo nostra sunt non dominio, sed usu, sicut res domini famulorum sunt, non dominii potestate, sed utendi facultate, quia utuntur eis ad victum, vel ornamentum, vel aliud hujusmodi. Angeli igitur nunc superiores sunt, et in futuro erunt pares, ita aliter modo nostri sunt, et aliter erunt in futuro. Nota quod hic dicitur quia Pater tradidit Filium. Verum calicis hujus auctor est, etiam ipse qui bibit (266). Unde Apostolus ait, Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis. Si ergo Pater Filium tradidit et Filius seipsum, Judas quid fecit! Pater tradendo Filium bene fecit; Filius tradendo seipsum bene fecit; Judas tradendo Magistrum pro avaritia male fecit. Non enim quod nobis præstitum est de passione Christi, malitiæ Judæ deputabitur. Habebit ille mercedem malitiæ, Christus laudem gratiæ. Et cum hoc sit,

VERS. 33-39 — « Quis accusabit adversus electos Dei? Deus qui justificat. Quis est qui condemnet? Christus Jesus qui mortuus est, imo qui et resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Quis ergo nos separabit a charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an persecutio, an gladius? Sicut scriptum est : Quia propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oves occisionis. Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro. »

Quis accusabit, ita ut ejus accusatio sit *adversus electos Dei*, id est ut noceat electis Dei quos præscivit ad vitam? utique nullius accusatio illis nocet. Nisus autem diaboli accusatio dicitur. Vere nullus nocet, quia nec Deus, nec alius. Alius enim non potest, *Deus* non vult, quia ipse est *qui justificat*. Nunquid ergo vult accusare suos? non. Et cum nullus accuset, *quis est qui condemnet*, id est qui possit inferre mortem? nullus poterit inferre qui velit. Solus enim Christus posset, sed non vult. Nunquid enim *Christus Jesus qui mortuus est* pro illis, vult damnare? dico mortuus, *imo qui et resurrexit*, quod majus est, ut et nos resurgamus, *qui* etiam, quod est maximum, *est ad dexteram Dei*, id est æqualis Patri, scilicet in honore quo Deus Pater est, vel ad dexteram Patris, [Ambrosius, Haimo] id est in potioribus bonis Dei, *qui etiam* medius inter Deum et homines, *interpellat pro nobis*, non voce, sed miseratione et repræsentatione humanitatis, dum quotidie hominem quem assumpsit et grave genus mortis quod pro nobis sustinuit, vultui paterno offert, ut nostri misereatur: cujus postulatio cum tantus sit non potest contemni. *Quis ergo*. Quasi dicat : Et cum hæc prædicta sint nobis a Deo, *quis ergo separabit nos a charitate Dei?* Nunquid separabunt nos hæc adversa, scilicet separabit nos *tribulatio*, id est corporis afflictio? *an angustia*, id est mentis anxietas? *an persecutio*, quæ est de loco ad locum? *an fames*, id est penuria cibi? *an nuditas*, id est penuria vestitus? *an periculum*, id est apparatus mortis? *an gladius*, id est ipsa mors? nil utique eorum separabit. *Sicut scriptum est* in Psalmo, his verbis : *Quia mortificamur*, variis tormentis, et hoc : *propter te*, id est quia ibi inseparabiliter hæremus, mortificamur dico *tota die*, id est tota vita. Vel aliter, sicut scriptum est. Quasi enim aliquis diceret : Cur ita commemoras? fiunt ne vo-

(265) Augustinus in lib. Quæst. Evangelii.

(266) Id., supra Joan.

bis hæc mala? Responsio. Utique ista mala sunt nobis, sicut scriptum est, quia propter te mortificamur tota die (267). Nota quod ait propter te, per hoc causam notat, sine qua corona martyrii non redditur. Martyrem enim non facit pœna, sed causa; nam et rei cum Christo passi sunt, quibus similis erat Christus in pœna, sed dissimilis in causa, quia propter nos passus est, ut et nos propter ipsum patiamur, et in utraque causa sua, scilicet propter nos et nostra, propter ipsum, consultum est nobis. *Æstimati sumus*, sine respectu misericordiæ, *ut oves occisionis*, quæ scilicet non prosunt nisi occisæ. Ecce mala hæc sunt nobis. *Sed in his omnibus*, scilicet tribulationibus, tormentisque positi, *superamus*, [Haimo, Ambrosius] id est superiores efficimur, et hoc non propter nos, sed *propter eum qui dilexit nos*, cujus beneficium superat prædicta. Superamus dico et vere. Certus enim sum, ex promissione Dei dicentis : *Non te deseram neque derelinquam* (*Hebr.* XIII). *Quia neque mors*, quam minantur; *neque vita* promissa *separabit me a Deo*, *neque angeli*, minor ordo, *neque principatus*, scilicet mediocris ordo; *neque virtutes*, scilicet major ordo, qui etiam miracula facit : [Ambrosius] hi autem ordines accipiuntur de malis angelis, vel de bonis, si fieri posset; *neque instantia*, scilicet præsentia bona vel mala; *neque futura*, bona vel mala; *neque fortitudo*, id est alicujus violentia; *neque altitudo* humanæ potestatis, vel elevatio Satanæ, [Augustinus] scilicet si diabolus in altitudinem se nobis ostendat subornatus fallaciis patris sui, ad seducendum nos; *neque profundum*, id est sapientia alicujus; vel, *neque profundum*, id est si diabolus monstret infernum, vel minetur præcipitium; vel, *neque altitudo*, *neque profundum* id est neque prospera, neque adversa. Unde Salomon ait : *Divitias et paupertates ne dederis mihi, ne repletus mendax fiam, vel pauper rapiam, et perjurem nomen Dei* (*Prov.* XXX). Multi enim peccant altitudine, multi necessitate. Contra hoc proponitur Achas in Isaia, qui nolebat petere a Domino signum, neque in alto, neque in profundo (*Isa.* VII), remedium de Christo qui neque elatus fuit de potestate qua æqualis erat Patri, nec turbatus dejectione mortis : quod est signum in alto, et in profundo, ne ille, vel regia potestate extolleretur, vel ærumna turbaretur, sicut tunc erat pro bello Assyriorum. *Neque creatura* quælibet, *alia* a prædictis, vel alia, id est nova, scilicet contra naturam facta, ut equus bipes, si fiat ut fecit Jamnes et Mambres, qui fuerant magi Pharaonis. Nil inquam istorum, *poterit nos separare a charitate* Dei, qua eum diligimus, quia omnibus melior est (268). Si ergo nulla res ab ejus charitate nos separat, quid esse non solum melius, sed etiam certius hoc bono potest? Id ipsum enim quod diligimus Deum mori non potest, nisi dum quis non diligit Deum, cui mors ipsa est non diligere Deum, quod nihil aliud est quam ei quid-

A quam in diligendo præponere. Charitas igitur Dei hic dicta est virtus quæ animi nostri rectissima affectio est, quæ conjungit nos Deo; *quæ* charitas *est* nobis, non quidem a nobis, sed *in Christo Jesu Domino nostro*, id est a Christo. Vel charitatem Dei dicit, qua Deus diligit nos, a qua non separatur, nisi qui a Deo dividitur; quæ charitas nobis ostensa est, in Christo Jesu Domino nostro. Deus enim charitatem suam in Christo nobis ostendit, quem pro nobis tradidit.

CAPUT IX.

VERS. 1-5. — « Veritatem dico in Christo Jesu, « non mentior, testimonium mihi perhibente con« scientia mea in Spiritu sancto : Quoniam tristitia « mihi est magna et continuus dolor cordi meo.
B « Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo « pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secun« dum carnem, qui sunt Israelitæ, quorum adoptio « est filiorum, et gloria, et testamentum, et legisla« tio, et obsequium, et promissa, quorum patres, « ex quibus est Christus secundum carnem, qui « est super omnia Deus benedictus in sæcula. « Amen. »

Veritatem dico. [Ambrosius] Quia contra Judæos superius visus est loqui, qui ex lege justificari se putant, nunc votum et affectum suum circa eos ostendit, quod jurando firmat, ut firmius credatur, ac per hoc dolet genus suum secundum carnem beneficio Christi privari. Quasi dicat : Aspere locutus sum contra Judæos, hoc autem fuit ex dilectione, non ex inimicitia. Veritatem enim dico, *et non*
C *mentior*, in aliqua parte positus, *in Christo Jesu*, *conscientia mihi perhibente testimonium*, et si vos non creditis, conscientia, dico, fundata, *in spiritu sancto*. Quasi dicat : Et ipse spiritus testis est, de hoc scilicet *quoniam mihi est magna tristitia*, id est stupor mentis, *et continuus dolor cordi meo*, non specie tenus, sed intimo corde. Unde est dolor? pro fratribus meis, id est Judæis a Christo errantibus, et vere doleo, quia adeo, quod, *optabam ego ipse esse anathema*, id est separatus a *Christo* pro eisdem *fratribus meis*, [Haimo] id est si fieri posset, vellem ad horam, vel in hac vita, vel post mortem separari a Christo, ut fratres mei crederent. [Ambrosius] Attende quod optabam, ait, non opto, quia scit tale, id est ita honestum membrum nullo
D præcedente vitio, non posse separari a Christo tamen affectum et dilectionem circa illos ostendit, de quibus multa præconia consequenter enumerat, ut omnibus pro eis dolorem incutiat, quia non recipiendo Salvatorem, prærogativam patrum et promissionis perdiderunt, pejores etiam gentibus facti, quas prius abominabantur. Propensius enim malum est dignitatem perdidisse, quam non habuisse. Deinde merito dolere ostendit se, subdens; *qui sunt cognati mei secundum carnem*, et ideo amplius juvandi. *Qui sunt Israelitæ* veri, secundum bonos,

(267) Augustinus in sermone in natali Domini.

(268) Id., De Moralibus Catholicæ Ecclesiæ.

vel genere secundum omnes, et ipsi sunt *quorum est adoptio filiorum* Dei, id est ad quos pertinet adoptio, quia olim fuerunt adoptati filii et *gloria*, quia dicebantur populus peculiaris Dei, vel modo est eis gloria, per miracula quæ faciunt, *et testamentum* novum, *et legislatio*, scilicet quid vetus lex per figuram ferret, *et obsequium*, id est cultus unius Dei, *et* quorum *promissa* sunt, scilicet quibus factæ sunt promissiones, *quorum* sunt *patres*. Ecce laus a prioribus. Deinde sumitur laus a posterioribus cum ait, *ex quibus Christus est secundum carnem*, hoc est quod in Psalmo dicitur : *Homo natus est in ea* (*Psal.* LXXXVI). Qui Christus etsi secundum carnem sit natus de patribus, tamen est super omnia Deus benedictus in sæcula. Unde in eodem psalmo dicitur, *fundavit eam altissimus, Amen*. Quasi dicat : Verum est, quod ipse est Deus.

VERS. 6-8. — « Non autem quod exciderit Verbum Dei. Non enim omnes qui ex Israel sunt, hi sunt Israelitæ, neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filii sunt Abrahæ; sed in Isaac vocabitur tibi semen, id est non qui filii carnis, hi filii Dei; sed qui filii sunt promissionis æstimantur in semine. »

Non autem quod exciderit, vel *non autem excidit*. [Ambrosius] Quia dolebat Apostolus de Judæis, consolatur dolorem suum, inveniens scriptum non omnes esse salvandos, sed tantum similes Isaac, ut illis solis condoleat qui non crediderunt. Possunt tamen credere : de quibus non est valde dolendum, quia non sunt prædestinati ad vitam. Quis enim plangat eum, qui olim mortuus haberetur? Hos namque olim Deus non salvandos decrevit præscius, non personarum acceptor. Nullum enim damnat antequam peccet, nullum coronat antequam vincat; sed præscientia definitum habet qualis uniuscujusque sit futura voluntas ex qua damnetur, vel coronetur. Quasi dicat : Judæi non credunt in Salvatorem, unde mihi dolor est : sed hoc est, inquit, quod Deus dixit futurum, ut non omnes filii carnis sint semen Abrahæ, sed qui fidem habent, per quam natus est Isaac : et hoc est, Judæi non credunt. Non autem ideo verum est, quod excidit verbum Dei; vel, non autem ideo exciderit verbum Dei, id est non irrita facta est promissio Dei, etsi non omnes salvi sint. Quamvis enim quidam ex eis erraverint, tamen illi qui sunt veri Israelitæ salvantur, ut promissum erat. Et hoc est quod ait : *Non enim omnes*, [Ambrosius, August.] quasi dicat : Vere non est inexpleta promissio, etsi non omnes sint salvi, quia non omnes, *qui ex Israel sunt*, secundum carnem, hi sunt Israelitæ, id est ad Israel vere pertinentes; *neque qui sunt semen Abrahæ*, secundum carnem, hi *sunt filii*, id est hæredes Abrahæ. In his ostendit quod sola gratia, non genus, facit filios Dei. Aliter ab illo loco : *Veritatem dico*. Qualiter gratia confirmatus sit Apostolus supra ostendit dicens, nil eum posse dividere a Christo. Nunc vero quantum prius erraverit, dum Christi Ecclesiam persequebatur, cum dolore exponit. In quo Dei gratia commendatur. Quasi dicat : Modo nil potest me separare a Christo, sed olim sui ego separatus, unde modo doleo. Quod juramento firmat dicens, *veritatem dico, et non mentior* in aliquo positus, in Christo Jesu testimonium mihi perhibente conscientia mea, fundata *in Spiritu sancto*, eidem contestante de hoc, *quoniam mihi est tristitia magna*, id est stupor mentis, *et continuus dolor*, id est compunctio, *cordi meo*, de malis quæ prius feci, et sic ipsa mala jam in bonum convertuntur. Et merito doleo, quia multum peccavi. *Optabam* enim *ego ipse*, qui modo sum Apostolus, *esse anathema*, [Haimo] id est separatio aliorum, *a Christo*. Anathema enim dicitur *separatio* et *separatus* : et hoc, *pro fratribus meis*, id est pro Judæis qui sunt fratres, in lege, quorum legem volebam defendere. Vel, pro fratribus meis, id est pro his retrahendis a Christo, qui modo sunt fratres in fide, qui etiam sunt, cognati mei secundum carnem. Et ita gravius peccabam, *qui sunt* Israelitæ veri, *quorum est adoptio filiorum Dei*, id est ad quos pertinet, etc., sicut superius exposita sunt percurre usque ibi, *Amen*. Quasi dicat : Qui huic veritati olim contradicebam, modo confirmo. *Non autem*, etc., dixit quod promissio æternæ hæreditatis facta est Judæis, sed quia ipsi ex magna parte non crediderunt, videbatur verbum Dei non esse impletum. Ad quod respondet. Quod etsi in quibusdam non est impletum, in aliis tamen impletum est et in gentibus credentibus qui sunt veri filii Abrahæ. Quasi dicat : Erraverunt Judæi, sed non ideo excidit verbum Dei, id est non ideo inexpleta fuit promissio. Nam verbum Dei excidere est promissa non implere. Vere non excidit, etsi quidam non salventur. *Non enim omnes qui ex Israel sunt, hi sunt Israelitæ, neque qui sunt semen Abrahæ, omnes filii Abrahæ sunt.* Hæc non mutantur. *Sed* illi sunt filii Abrahæ qui sunt similes Isaac, quia ita dicit Scriptura in Genesi, *in Isaac vocabitur tibi semen*, id est in semine reputabuntur similes Isaac, qui sunt præfigurati ab eo (269). In Isaac quippe qui promissus est filius Abrahæ figurati sunt, non qui se ipsos justos, sed quos Deus facit. Unde per prophetam dicit Ecclesiæ : Ego sum Dominus qui facio (270). Isti sunt filii liberæ quæ sursum est, quæ est mater nostra. Filii vero carnis sunt terrena Jerusalem, quæ servit cum filiis suis : et sicut Isaac non meruit ut nasciturus promitteretur, sic et isti : sed sola gratia promissa est eis, et data filiorum adoptio. Ideoque congruenter, ait, vocabitur, quia ex Dei vocatione, est aliquis semen Abrahæ. [Ambrosius] Ideo autem dicit in Isaac, et non in Jacob vel Esau, quia alia causa est in Isaac, alia in Jacob, alia in Esau, quia Isaac in typo Christi natus est; Jacob vero et Esau typum habent duorum populorum, id est credentium, et non credentium. Fuerunt tamen boni et fideles de Esau

(269) Augustinus in Julianum.

(270) Id., De gestis Pelagii.

quod probat Job, qui fuit ex filiis Esau, quintus ab Abraham, hoc est nepos Esau. [August.] Deinde exponit ipse Apostolus auctoritatem subdens, *id est non qui filii carnis sunt, hi* sunt *filii Dei*, idem est quod filii Abrahæ, id est non sunt humano opere filii Dei, *sed qui sunt filii promissionis*, id est qui sola Dei promissione generantur, ut Isaac, *æstimantur in semine*, quia ex Dei vocatione sunt. Quod autem Isaac ex Dei promissione sit, ostendit ex ipsis verbis promissionis subdens :

VERS. 9-13. — « Promissionis enim verbum hoc « est : Secundum hoc tempus veniam, et erit Saræ « filius. Non solum autem illa, sed et Rebecca ex « uno concubitu habens Isaac patris nostri. Cum « enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egis- « sent aut mali, ut secundum electionem proposi- « tum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vo- « cante dictum est ei : Quia major serviet minori, « sicut scriptum est : Jacob dilexi, Esau autem odio « habui. »

Promissionis, etc. Et quasi quis quæreret an Isaac et promissione est, respondet utique, *promissionis enim verbum hoc est*, in Genesi. *Secundum hoc tempus*, scilicet eodem die revoluto anno, *veniam* ad te, o Abraham, et hoc efficiam quod, *erit filius Saræ*, id est quod Sara habebit filium. *Non solum autem illa*, scilicet Sara, habuit promissionem, *sed* etiam *Rebecca* habuit promissionem, *habens* scilicet duos filios, *ex uno concubitu Isaac;* hoc dicit, ne viderentur merita parentum esse differentia in generatis. Non enim potest dici tunc genitus Esau, quando parentes mali, et tunc genitus Jacob quando parentes erant boni. Isaac dico, patris, id est institutoris, *nostri*, quem scilicet imitari debemus, si volumus esse filii Dei. Et nota quod promissio facta Saræ ostendit quod propter genus nullus salvabitur, cum Ismael de Abraham natus reprobatus sit, de quo eodem Isaac natus sola gratia est salvatus. Ista vero promissio facta Rebeccæ, ostendit quod propter nullum meritum suum, vel parentum aliquis eligitur, sed sola gratia (271). Vigilantissime igitur ait, ex uno concubitu, ne paternis meritis vel maternis tribueretur, quod alter bonus, alter malus fuit. *Cum enim*, etc. Quasi dicat : Rebecca habuit promissionem, et vere, quia hanc, *major*, id est Esau, *serviet minori*, id est Jacob. Et ne quis putet hoc fieri ex præcedente merito illorum, *enim*, id est quia hoc, *dictum est ei*, id est matri, *cum nondum nati fuissent*, et quia possent in utero, etiam luctando aliquid meruisse videri, subdit, *aut* cum nondum *egissent aliquid boni*, *aut mali*. Ideo dictum est, *ut propositum Dei*, id est præcientia Dei *maneret*, id est impleretur, id est impleri intelligeretur *secundum electionem*, id est secundum gratiam quæ elegit sicut prævidit, non secundum debitum meritorum, quia eligendos

A ipse fecit, non invenit, non ex operibus, sicut ostendit : non pro meritis præcedentibus illud fuisse dictum, ita nec pro futuris meritis amborum dictum fuisse hic ostendit. Quasi dicat : Dico non pro præcedentibus meritis, illud dictum esse. Item, dico quod, *non ex operibus*, bonis futuris, vel malis, quæ bona vel mala non erant futura, nisi apposita gratia, vel subtracta, *sed ex vocante*, vel ex vocatione, id est ex gratia vocantis Dei, *dictum est ei*, id est Rebeccæ in Genesi, hoc scilicet, *major serviet minori*. Quod ad litteram de illis duobus fratribus ita potest intelligi, id est Esau proficiet fratri suo Jacob persequendo eum; boni enim ex afflictionibus malorum proficiunt, dum eorum patientia exercetur (272). Vel ad litteram, hoc etiam aliter potest B dici, quia Idumæi qui de Esau descenderunt, qui etiam Edom dicitur, subditi fuerunt filiis Israel, et in tempore David eis servierunt; sed magis in hac prophetia intenditur, quod populus Judæorum major, id est in cultu unius Dei prior, minori, id est posteriori populo Christianorum esset serviturus. Judæi namque capsarii nostri sunt, qui nobis codices portant. *Sicut* **45** *scriptum* est. Quasi dicat : Ita hoc ex gratia dictum est in Genesi, cum nondum nati essent, sed nascituri, sicut Malachias dicit de eisdem jam præteritis scilicet quod Jacob gratia sit electus, non merito, Esau vero subtracta gratia sit reprobatus. Et hoc est quod ait, sicut scriptum est in Malachia.

Jacob dilexi, Esau autem odio habui. [Ambros.] C Sciendum quod alterum elegit præscientia, alterum sprevit, et in illo quem elegit propositum Dei manet, id est impletur, quia ita evenit ut præsciit; et in illo quem sprevit similiter manet, quia ita fit ut præsciit, hoc autem quod habetur in Malachia, scilicet Jacob dilexi, Esau autem odio habui. Jam de judicio dicit Deus. Illud vero, scilicet major serviet minori, de præscientia ait, præsciendo enim quid quisque illorum futurus esset, dixit illud in Genesi Deus. Et dum illud prædiceret se futurorum præscium ostendit, et nil absque sua præscientia venire posse monstravit. Hoc aliud vero quod in Malachia est, de jam præteritis dicitur, ex quorum vita ante acta et operibus apparebat, alterum salvandum, alterum damnandum, et de actis judicium fieri solet, et notis. Ideo ergo illud dixit Deus ante futurum judi- D cium, ut judicaturus crederetur, et secundum merita redditurus (273). Ideo etiam illud dixit Deus, ut intelligeretur hoc apertum esse, postea per prophetam, quod antequam illi nascerentur erat in Dei prædestinatione per gratiam. Nam in Jacob antequam natus fecisset aliquid boni, quid diligebat, nisi gratuitum misericordiæ suæ donum? et in Esau quid oderat antequam natus fecisset aliquid mali, nisi originale peccatum? nam nec in illo diligeret justitiam quam nullam ille fecerat, neque in isto

(271) August. ad Simplicianum.
(272) Id., De Quæst. 83.

(273) Id., ad Sixtum presbyterum.

odisset naturam quam bonam ipse fecerat ; sed quoniam rem stupendam de nondum natis nec aliquid boni vel mali agentibus proposuerat, scilicet quod unum Deus dilexerit, alterum oderit, quomodo hoc recte fuerit cum nil egissent, quia res, ut dictum est, stupenda est, sibi objicit exprimens, unde moveri posset auditor, et ait :

VERS. 14, 15. — « Quid ergo dicemus ? Nunquid « iniquitas apud Deum ? Absit ! Mosi enim dicit : « Miserebor cui misertus sum, et misericordiam « præstabo cui miserebor. »

Quid ergo dicemus ? Quasi dicat : Quia sine omni merito elegit hunc, et illum reprobavit. Ergo quid dicemus (274) ? *Nunquid* dicemus quod *iniquitas* si *apud Deum ?* id est dicetur iniquus Deus. Iniquum enim videtur ut sine ullis bonorum, vel malorum meritis operum, unum diligat, et alterum odit, qua in re si futura bona hujus vel mala illius, quæ utique Deus præsciebat attenderet, non diceret, *non ex operibus*, sed diceret ex operibus. [Ambros.] Quia ergo sine meritis alterum elegit, alterum reprobavit. Nunquid ideo iniquus ? Absit ! Non enim iniquus est, quia unum dilexit et alterum odit (275), quia hunc, id est Jacob, per misericordiam elegit ; illum scilicet Esau per justitiam reprobavit. In quo neutro est iniquitas. Nemo autem dicat Deum quia futura opera prævidebat alterum elegisse, alterum reprobasse ; [Ambros.] sed potius ne quisquam de suorum operum meritis audeat gloriari ; ad Dei gratiam et gloriam commendandam valere quod dixit, demonstrat, subdens : *Mosi enim.* Quasi dicat : Vere homo per misericordiam elegit, quia ita dicit Moses. Deus enim dixit Mosi, id est Deus inductus a Mose dixit : *Miserebor*, vocando interius, *cujus misereor*, prædestinando. Ecce nulla merita præcedunt pro quibus eligatur, sed sola gratia prædestinantis et ex qua vocatur et salvatur. Unde subdit : *Et misericordiam præstabo*, vitam æternam dando, *cujus misereor*, vocando. Vel ita, quasi dicat : Non est iniquus Deus, sed justus, scit enim quid faciat, nec retractandum est ejus judicium. Mosi enim dicit : Miserebor cujus misertus ero, id est illius miserebor vocando et gratiam apponendo, cui præscius eram, quod misericordiam daturus essem, sciens illum convertendum, et apud me permansurum. Deinde repetit ut repetitione magis confirmet, et misericordiam præstabo ei cui misericordiam præstitero, id est illi misericordiam dabo, quem præscio post errorem toto corde reversurum ad me, hoc est dare illi cui dandum est, et non dare illi cui dandum non est, ut eum vocet quam sciat obedire ; illum vero non, quem sciat non obedire, quia non in voluntate potentis, sed in arbitrio dantis debet esse quod datur. An enim dandum sit, dantis debet judicio pensari. Et quamvis periculosum sit judicium Dei discernere, tamen propter hæsitantes ne putent injustum judicium Dei, A quod non injuste judicat, rebus potius probemus quam verbis. Duo enim fuerunt, Saul et David. Inquiramus in historiis qualis unusquisque eorum reperiatur, post judicium præscientiæ Dei. Videamus ergo si Saul in necessitate ita se gessit, ut David, qui accepta misericordia Domini minime contempsit, et post veniam peccatorum tam bene perstitit. Saul vero non auditus, non in prece perstitit, sed impatiens et de Dei judicio indignatus, ad idola quæ prius damnaverat conversus, ab eis auxilium requisivit. [Ambros.] Unde juste reprobatus a præscio videtur. Ex hoc enim justum esse judicium præscientiæ Dei etiam nolentibus manifestatur.

VERS. 16, 17. — « Igitur non volentis neque cur- « rentis, sed miserentis est Dei. Dicit enim Scri- B « ptura Pharaoni : Quia in hoc ipsum excitavi te, ut « ostendam in te virtutem meam, et ut annuntietur « nomen meum in universa terra. »

Igitur non est volentis. Quasi dicat : Quia ex misericordia gratuita præparat quos vult et vocat, igitur velle bonum, non est volentis, *neque* currere, id est operari, est *currentis* hominis, *sed miserentis est Dei*, id est non est ex libero arbitrio hominis bonum volentis, vel operantis, ipsa bona voluntas vel operatio est, sed ex misericordia Dei qui per gratiam appositam facit nos velle et currere (276). Ecce non propter futura quæ prævideret elegit. Ubi ergo sunt merita ? ubi opera vel præterita vel futura tanquam liberi arbitrii viribus impleta sive adimplenda ? Nonne apertam protulit Apostolus de gratuitæ gratiæ, id C est veræ gratiæ commendatione sententiam cum ait, non est volentis neque currentis (277). Hoc si attenderes, o Juliane, non extenderes contra gratiam merita voluntatis, cum audias : *Non est volentis neque currentis*, sed *miserentis Dei*. Non ergo ideo misertus est Deus Jacob, quia Jacob voluit et cucurrit ; sed ideo voluit et cucurrit, quia misertus est Deus. Paratur enim voluntas a Domino, et a Domino gressus hominis diriguntur (*Prov.* XVI). Ideoque congrue ait, non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei (278), non quia hoc sine voluntate nostra agatur, sed quia voluntas nostra nil boni agit, nisi divinitus adjuvetur. Unde alibi Apostolus : *Non ego autem, sed misericordia Dei mecum* (*I Cor.* XV). Non ideo hoc ait, quia nil boni agebat, sed quia D nil ageret si illa non adjuvaret. Ita et hoc dicit : Non est volentis, sed miserentis Dei (279), non quia nulla est hominis voluntas, atque cursus, sed quia nil potest, nisi ille misereatur. Deus enim est qui operatur in nobis velle et operari bonum, sed cum homo credere, vel sperare non possit, nisi velit, nec pervenire ad palmam, nisi voluntate currat, quomodo dicit, non est volentis neque currentis, nisi quia etipsa voluntas præparatur a Domino ? Forte aliquis accipiet hoc sensu dictum esse, non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei, tanquam

(274) August., in Ench.
(275) Id., ad Sixtum.
(276) Id., ad Sixtum.
(277) Id., contra Julian. hæreticum.
(278) Id., De perfect. just.
(279) Id., in Ench.

diceretur, non sufficit sola voluntas hominis, si non sit et misericordia Dei. Cui dicitur econtrario, non sufficit etiam misericordia Dei, si non sit voluntas hominis ; ac per hoc si recte dictum est illud, quia id voluntas hominis sola non implet, cur non etiam a contrario recte dicitur non miserentis est Dei, sed volentis hominis, quia id misericordia Dei sola non implet. [August.] Restat ergo ut ideo recte dictum intelligatur, ut totum Deo detur qui hominis voluntatem bonam, et præparat adjuvandam, et adjuvat præparatam ; volentem prævenit ut velit, volentem subsequitur ne frustra velit. Cum autem Dei misericordiam commendasset verbis prædictis, ut etiam judicium Dei commendaret, et apud eum iniquitatem non esse ostenderet, subjunxit : *Dicit enim Scriptura Pharaoni.* Quasi dicat : Sicut Jacob per misericordiam elegit, ita per justitiam Esau reprobavit. Vere illum per justitiam reprobavit, quia hoc dicit Scriptura, inducens Deum loquentem Pharaoni, quem per judicium sicut Esau reprobavit. Vel ita continua. Quasi dicat : Misericordiæ est velle vel currere, ex judicio autem non ex iniquitate ; contra sicut apparet in Pharaone ; dicit enim Scriptura, etc., ac si diceret : Ex apposita gratia, quod quidem est per misericordiam, sunt bona, quia et ea subtracta quod quidem est per justitiam, fiunt mala, sicut apparet in Pharaone. Dicit enim, etc. Vel ita continua : Ex misericordia est velle vel currere, quod apparet in aliis qui sunt ex eadem massa, cui debita est perditio, ut in Pharaone apparet. Dicit enim Scriptura, id est Dominus in ea Pharaoni : *Quia in hoc ipsum*, quod non continuatur hic, sed legitur ac si non esset, quasi *excitavi te*, o Pharao, malus quidem eras, sed quasi sopitus. Ego autem ostendens tibi signa quæ feci per Mosen, excitavi te in hoc ipsum, id est in hanc eamdem malitiam, ut deterior fias ; et hoc justum est, ut qui in sordibus est nec resipiscere vult, sordescat adhuc (*Apoc.* XXII), id est meritum hominis id exigit ut ipse qui non vult peccatum deserere peccato implius contaminetur, sicut Pharao qui visis signis debuisset corrigi, sed deterior factus est vitio suo. Nec hoc inutile fuit, sed ut, *in te*, indurato, id est per te indurantum, vel in te, id est contra te, *ostendam*, bonis, *virtutem meam*, ut in signis Ægyptiis feci. Ecce hic patet quod etiam malis bene utitur Deus. Ostendam dico, et per ostensam virtutem *annuntietur nomen meum in universa terra.* Nota quia exemplum de Pharaone qui justo judicio Dei reprobatus est, pertinet ad Esau qui eodem judicio æquissimo, licet occulto, reprobatus est, sicut Jacob per misericordiam electus. Vec ita : *Quia in hoc ipsum excitavi*, alii codices sic habent, *in hoc ipso resuscitavi* vel *servavi te*, et est servavi te, o Pharao. Hoc dicit ei Deus, cum tantis malis esset reus, ut indignus esset vivere, quem tamen Deus reservavit in hoc ipso, id est **46** ad hoc ut in eo ostenderet virtutem

A suam, id est ut multa signa et plagæ ostenderentur in eum. Vel suscitavi te, suscitatus dictus est, quia eum apud Deum mortuus esset, modicum tamen tempus accepit vitæ, ut in eo Dei virtutem omnes gentes addiscerent, et non esse alium Deum præter illum qui Judæorum erat.

VERS. 18. — « Ergo cujus vult miseretur, et « quem vult indurat. »

Ergo cujus vult. [Ambrosius] Hic concludit de utroque, scilicet de misericordia et judicio, et ex præmissis exemplis, ubi apparet gratuita misericordia, et justum judicium infert. Quasi dicat : Quia miseretur Deus Jacob gratis, ergo patet quod cujus vult miseretur gratuito ; et quia Esau et Pharaonem reprobavit, ergo patet quia quem vult indurat justo B judicio (280). Si autem quærimus meritum obdurationis et misericordiæ, obdurationis meritum invenimus ; misericordiæ vero meritum non invenimus, quia nullum est misericordiæ meritum, ne gratia evacuetur, si non gratis donatur, sed meritis redditur. Meritum autem obdurationis est peccatum totius massæ damnatæ, nec obdurat Deus impartiendo malitiam, sed non impartiendo gratiam, sicut nec digni sunt : quibus enim non impartitur, nec digni sunt, nec merentur, potius ut non impartiatur, hoc digni sunt, hoc merentur. [Augustinus] Quisquis igitur obduratus est, se obduratum debite et quisquis adjutus, se adjutum gratis agnoscat (281). Miseretur ergo magna bonitate et obdurat nulla iniquitate, ut nec liberatus de suis meritis glorietur, nec damnatus nisi de suis meritis conqueratur. Sola C enim gratia Redemptor discernit a perditis, quos in una perditionis concreaverat massa ab origine ducta perditionis causa communis. Universum quippe genus humanum tam justo judicio Dei in apostatica radice damnatum est, ut etiam, si nullus inde liberaretur, nemo recte posset vituperare Dei justitiam. In illis vero qui liberantur ostenditur, pluribus non liberatis, et in damnatione justa derelictis quid commeruisset universa conspersio, et quo etiam istos debitum judicium Dei duceret, nisi ejus indebita misericordia subvenisset (282). Non ergo intelligendum est quod Deus ita induret, quasi quemquam peccare cogat, sed tantum quibusdam peccatoribus misericordiam justificationis suæ non largitur, et ob hoc eos obdurare dicitur, quia non D eorum miseretur, non quia impellit ut peccent, eorum autem non miseretur quibus gratiam non esse præbendam æquitate occultissima et ab humanis sensibus remotissima judicat, quam non aperit Apostolus, sed miratur, ubi ait : *O altitudo divitiarum scientiæ et sapientiæ Dei !* (*Rom.* XI.) Universa namque massa merito damnata, contumeliam debitam, cui vult reddit Dei justitia ; honorem indebitum donat cui vult Dei gratia, non meritorum prærogativa, non fatali necessitate, non temeritate fortunæ, sed clausa altitudine sapientiæ et scientiæ

(280) Augustinus, ad Sixtum.
(281) Id., in Ench.
(282) Id., ad Simplic.

suæ (283). Multi de isto profundo quærentes reddere rationem atque secundum conjecturas cordis inscrutabilem altitudinem judiciorum Dei cogitare conantes in fabulas vanitatis abierunt, dicentes quia animæ sursum in cœlo peccant, et secundum sua peccata ad corpora pro meritis diriguntur, et dignis sibi quasi carceribus includuntur. Ierunt hi tales post cogitationes suas, et volentes disputare de Dei profundo, mersi sunt in profundum, dicentes animas in cœlo ante conversatas, et ibi aliquid boni vel mali egisse, et pro meritis ad corpora terrena detrusas esse. Hoc autem respuit Catholica fides propter evidentem Apostoli sententiam qua ait : *Cum nondum nati essent, aut aliquid boni vel mali egissent* (284). Melior ergo est fidelis ignorantia, quam temeraria scientia. *Ergo cujus vult miserétur* gratuita misericordia, *et quem vult indurat* veritate rectissima (285). Quis porro tam impie desipiat, ut dicat Deum hominem quas et quando voluerint, in bonum non posse convertere, cum voluntati ejus nil resistat, sed cum facit, per misericordiam facit, cum autem non facit, per judicium non facit (286). Miseretur utique secundum gratiam quæ gratis datus ; obdurat autem secundum judicium quod meritis redditur. Unde datur intelligi ut obduratio Dei sit, nolle misereri, ut non ab illo irrogetur aliquid quo sit homo deterior, sed tantum quo sit melior non irrogetur. Ideoque non quomodo dictum est *non est volentis neque currentis sed miserentis Dei* : ita etiam dictum est, non est volentis neque currentis, sed obdurantis Dei, [Augustinus] quia non obdurat impartiendo aliquid mali, sed non largiendo bonum. Quod facit æquitate sua, sicut ex misericordia sua gratiam præstat. Constat itaque quod nullus liberatur nisi gratuita misericordia, et nullus damnatur nisi æquissima justitia (287). Sed cur potius hunc quam illum liberet, vel non liberet, scrutetur qui potest tam magnum profundum judiciorum Dei, verumtamen caveat præcipitium (288). Cur ergo illum liberet et non illum, nolo ut a me quæras, homo sum, profundum nimis esse adverto, non penetro, expavesco, non scrutor. Inscrutabilia enim sunt judicia Dei. Præterea notandum est vel obduratio Dei tantum temporalis est. Obdurat enim temporaliter, non ab æterno. Reprobatio vero alia ab æterno, alia temporaliter. Quæ autem temporaliter est, idem est quod obduratio, scilicet desertio. Quæ autem ab æterno est, hoc est quod Deus præscit aliquem damnandum. Similiter diligenter distinguendum est de prædestinatione, electione, dilectione et odio.

VERS. 19, 21.— « Dicis itaque mihi : Quid adhuc « quæritur ? Voluntati enim ejus quis resistit ? O « homo, tu quis es qui respondeas Deo ? Nunquid « dicit figmentum ei qui se finxit : quid me fecisti « sic ? An non habet potestatem figulus luti ex eadem « massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud « vero in contumeliam ? »

Dicis itaque mihi, quia dixerat, *cui vult miseretur, et quem vult indurat,* videbatur carnali, quod sicut non ex meritis est quod miseretur, ita non esse ex meritis quod obdurat. Videbatur etiam ex voluntate Dei esse, cui resisti non potest, quod aliquis est malus. Hoc igitur ex persona contradicentis Apostolus sibi objicit. Quasi dicat : Quia ex voluntate est quod miseretur vel obdurat. Dicis itaque mihi hoc : Quid quæritur, id est quare inquiritur ? *Adhuc,* id est postquam constat ex voluntate Dei esse obdurationem, cur, inquam, quæritur unde alius sit bonus, alius sit malus ? non est opus hoc inquiri, quia talis erit quisque, qualem vult eum Deus esse. *Voluntati enim ejus,* qui nos obdurat, quis resistit ? [Augustinus] Quasi dicat : Nullus. Et ita ex voluntate ejus est aliquis bonus vel malus dicit carnalis, et ideo injuste alium salvat, alium damnat, vel, quid quæritur ab aliquo ut benefaciat, id est cur nititur aliquis benefacere ? Adhuc, scilicet postquam constat ex voluntate Dei esse, cum nil possit, nisi quod Deus vult. Voluntati enim ejus quis resistit ? Vel ita cum ex voluntate sit obduratio, *quid quæritur,* id est cur conqueritur Deus si offendimus ? Adhuc, id est cur conqueritur de peccatis hominum, cum ipsi nequeant vitare quod Deus vult ? (289) Conqueritur enim Deus sæpe de hominibus, sicut per innumera apparet sacræ Scripturæ loca, quod nolunt credere et recte vivere, contra quod carnales in voluptatibus suis viventes sic solent, sicut dictum est, murmurare, et loqui adversus Deum, et voluntati ejus, non vitio suo deputare quod mali sunt. Quos redarguit Apostolus, revocans ab hujusmodi præsumptione, et hujus impudentiam quæstionis ita retundit. *O homo,* etc. (290) Hoc autem non facit ex inopia reddendæ rationis, sed hominem ad suæ capacitatis considerationem revocat dicens, o homo (291). Quasi dicat : Te et illum attende. Tu es homo, ille est Deus. *Tu,* inquam, o homo, id est caro, non spiritus, id est carnalis, non spiritualis ; tu miser cui displicet quod Deus conqueritur, et qui murmuras contra Deum, quod alium reprobat et alium eligit. *Quis es,* id est cujus valentiæ es, *qui respondeas,* id est intelligas quæ facit, id est cur hujus miseretur, et te indurat. Quasi dicat : Si tibi diceretur, nescires respondere, id est intelligere pro tua carnalitate, nec te ad hoc juvat sapientia tua, nec aliqua virtus tua. [Ambrosius] Vel quis es ? qui respondeas, id est contradicas, *Deo,* id est rationibus contra Deum agas quod injuste eligat vel reprobet ? Magna indignitas est, et

(283) August., De verb. Apostoli.
(284) Id., ad Bonifac.
(285) Id., in Ench.
(286) Id., contra Julian.
(287) Id., ad Sixtum.
(288) Id., De verb. Apostoli.
(289) Id., ad Simplic.
(290) Id., in eodem.
(291) Id., De verb. Apostoli.

præsumptio hominem contradicere Deo, iniquum justo, malum bono, imperitum perfecto, infirmum firmissimo, mortalem immortali, servum domino, creaturam Creatori. Movetur autem iniquus eo quod de eadem massa creatos alios justificat Deus, alios reprobat. Ad hoc autem ostendendum recte fieri, utitur verbis Isaiæ, et figmenti similitudine, quod adversus figulum non habet vocem conquerendi, dicens : *Nunquid figmentum dicit ei qui se finxit*, id est ei a quo factum est, et qui nil ei debet, hoc scilicet : *Quid me fecisti sic ?* Quasi dicat : Non potest contra factorum suum opus conqueri, sic et tu homo fingeris a Deo, et ideo nequis adversum Deum causari quare fecit te sic, vel non sic (292). Si enim pecus loqui posset et diceret Deo : Quare me pecudem fecisti, cum istum feceris hominem, non juste succenseres, et diceres : O pecus, tu quis es qui respondeas Deo ? quia vero questionis hujus ratio ex hoc illi firma videtur quod ex una massa facti sunt, reprobandi et justificandi, subdit : *An non habet.* Quasi dicat : Vere non potest dicere opus factori, quare me fecisti sic, quia figulus luti, id est qui de luto operatur. *An non habet justam potestatem facere ex eadem massa aliud quidem vas in honorem*, *aliud vero in contumeliam ?* habet utique. [Ambrosius]Manifestum est aliqua vasa fieri ad honorem, quæ ad usus honestos sunt necessaria ; alia vero ad contumeliam, quæ usibus sunt culinarum necessaria : unius tamen esse substantiæ, sed differre opificis voluntate. Ita et Deus, cum ex una eademque massa omnes simus in substantia, et cuncti peccatores, alii miseretur, et alterum despicit, non sine justitia. In figulo enim sola voluntas est ; in Deo autem, voluntas cum justitia. Sicut igitur vas quod non fit in honorem, sed in contumeliam, si vile est, ex luto habet, non ex figulo ; sic tota massa **47** humani generis, non ex Deo, sed suo vitio juste corrupta et lutosa est. Ideoque si inde vas in honorem fit, misericordia est ; si in contumeliam justum est, quia hoc erat ex natura (293). Tota enim natura in ipsa radice vitiata divino judicio debitæ damnationi est subjecta, et merito peccati universa damnata. [Augustinus] Cum ergo id supplicii recipiant vasa iræ quod omnibus debebatur, et ab illa liberentur vasa misericordiæ, in altero æquitas, in altero misericordia perspicua est (294). Massa enim illa si media esset, ut sicut nil boni, ita nil peccati haberet, non frustra videretur iniquitas, ut ex ea fierent vasa in contumeliam. Cum vero per liberum arbitrium primi hominis in condemnationem universa defluxerit, procul dubio quod ex ea fiunt vasa in honorem, non est ipsius justitiæ, quæ gratiam in illa præcessit, sed Dei misericordiæ (295). Quod vero in contumeliam, non iniquitati Dei, quæ penitus nulla est, sed judicio deputandum est (296). Bene autem dispensavit Dominus, ut nec omnes damnaret, nec omnes liberaret : si enim omnes liberarentur, lateret quid peccato per justitiam deberetur ; si nemo liberaretur, lateret quod gratia largiretur, quia procul dubio, quantum pertinet ad originale peccatum, omnes pares erant, sed misericordia quos voluit discrevit. Ibi gratuita est indulgentia, ubi justa posset esse vindicta. Ecce ex his justitia Dei apparet, in his qui non habent tempus operandi, scilicet in parvulis ; de his autem qui habent tempus operandi, subdit :

VERS. 22, 23. — « Quod si Deus volens ostendere iram et notam facere potentiam, sustinuit « in multa patientia vasa iræ apta in interitum, ut « ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ quæ præparavit in gloriam. »

Quod si volens. Vel quid si Deus volens. Quasi dicat : Jam ostensum est quod et si Deus nil boni det homini, non tamen iniquus est. Sed quid dices, si quibusdam etiam bona dedit, scilicet cum essent apti iræ in interitum, sustinuit in multa patientia, et hoc est quod ait. Quasi dicat : Non esset iniquus Deus, etsi nihil daret boni, sed dat bonum quibusdam, per quod apparet bonus. Quia *sustinuit vasa iræ apta in interitum in multa patientia.* Patientia et longanimitas Dei est quandiu sustinet malos, ut, si velint, corrigantur, vel in incœpta malitia perdurantes ordinate disperdat. (297) Diu enim exspectati inexcusabiles sunt, et ideo exspectavit eos Deus, cum sciret non credituros, et ut utatur illis quasi instrumento ad salutem bonorum. [Ambrosius] Novit enim Deus bene uti malis, in quibus humanam naturam non ad malitiam creat, (298) sed perfert eos patienter quousque scit oportere, non inaniter, sed utens eis ad admonitionem vel exercitationem bonorum. (299) Nullum enim Deus vel angelorum vel hominum crearet, quem malum futurum esse præsciret, nisi pariter nosset quibus eos bonorum usibus commendaret. (300) Dico quod sustinuit malos, et interim dum exspectabat, ostendit eis multis indiciis vel ipsos aliquando puniendos, vel alios coram eis, iram suam futuram, id est pœnam æternam ut sibi caverent, et in hoc quod sustinuit eos, et iram eis ostendit. Notam fecit potentiam suam, scilicet quod per malos purgat bonos. Si autem hoc est, scilicet quod Deus *volens ostendere iram et notam facere potentiam* suam, *sustinuit vasa iræ apta in interitum in multa patientia,* quid respondeas Deo ? vel quid dices ? quasi dicat : Poteris dicere quod juste gratiam subtrahit talibus, et damnat eos qui ita exspectati de peccatis noluerunt resipiscere, sed hac prædicta gratia abusi sunt. Ecce hic osten-

(292) August., De verb. Apostoli.
(293) Id., super Joannem.
(294) Id., ad Bonifac.
(295) Id., De civ. Dei.
(296) Id., ad Bonifacium.
(297) Id., ad Sixtum.
(298) Id., ad Simplic.
(299) Id., super Exod.
(300) Id., ex lib. Sent. Prosperi.

ditur justitia circa eos qui habent tempus operandi. *Ut ostenderet.* Quasi dicat : Ad hoc patitur Deus malos, et præostendit eis iram, et ad notitiam suam attrahit, ut sic ostenderet *in vasa misericordiæ*, id est electis per misericordiam, *divitias gloriæ suæ,* id est quam dives et quam magna sit gloriosa misericordia sua. Ob hoc enim dat tot bona malis, et tandiu eos tolerat, ut convincat eos juste damnari ; et ut fideles magis eum diligant, quibus gratiam malis non communem ipse conservavit. Vel ostenderet hic vasa misericordiæ, id est in electis, divitias gloriæ suæ, id est copiosam et gloriosam misericordiam suam, per fornacem tribulationis, quam tolerant a malis, quia quanto magis tribulationibus exercentur, tanto puriores et meliores gratia Dei operante redduntur. Vel de futuro potest legi sic quod si volens. Quasi dicat : Non esset iniquus Deus, etiam si nil boni daret. Sed quid dices, si etiam bona dedit, et dedit utique quia Deus ? Sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, id est malos quos cum posset judicare statim, diu sustinuit ut conqueri non possint damnati. [Ambrosius] Ideo ergo exspectati sunt ut inexcusabiles deperirent, quos præscivit non credituros. Deus dico volens ostendere, in futuro, iram suam, id est pœnam æternam, in perditis quos male usos patientia sua æternaliter damnabit ; et volens facere notam potentiam suam in salvandis, quos tunc glorificabit, cum vindictam sanguinis eorum super malos exercebit, qui cum ante putaretur, non judicaturus quia diu dissimulavit, judicando potens videbitur. Ut ostenderet, quasi dicat : ita modo sustinuit vasa iræ, ut in futuro sæculo ostenderet, per comparationem reproborum, in vasa misericordiæ, id est electis per misericordiam, divitias suas, id est copiosam et gloriosam misericordiam suam. Ostendit enim quantum fecit eis quos liberavit et glorificavit, cum illi quos deseruit pœnam habent, quæ pariter omnibus debebatur. Nota quia ex verbis Apostoli quibus usus est in hoc sermone, dicens : Jacob gratis dilectum et electum a Deo ; Esau autem judicio reprobatum sicut Pharaonem, et alios quos voluntate sua Deus obdurat, ostenditur quod quidam sunt, quibus nec gratiam apponit Deus, ut Esau et Pharaoni, cum aliis infert eam quasi coactis ut apostolo Paulo. [Ambrosius] In his autem causis præscientia Dei flagitanda est quia non aliter evenit quam futurum novit. Præscientia enim Dei est qua diffinitum habet, qualis uniuscujusque futura erit voluntas, per quam aut damnetur aut coronetur. Præsciens itaque Deus aliquos malæ voluntatis futuros, non habuit eos in numero bonorum, sicut et de præscientia Pharaonem damnandum esse censuit, sciens eum non se correcturum, Apostolum vero Paulum elegit præscius quod futurus esset fidelis. Sunt autem et alii quidam, quibus gratia data est in usum, ut Sauli, Judæ, et illis discipulis quibus in Evangelio Dominus dixit : *Ecce nomina vestra scripta sunt in cœlo* (*Luc.* X), et post abierunt retro. Sed hoc de eis Dominus dixit, propter justitiam cui deserviebant, quia hoc est justum ut unicuique respondeat pro merito. Ac si diceret : Digni estis nunc vita æterna, quia erant boni. Frequenter enim ante sunt mali, qui futuri sunt boni ; et aliquoties prius sunt boni, qui futuri sunt et permansuri mali. Tales erant illi, et ideo nomina eorum erant scripta in cœlo propter justitiam, cui deserviebant ; secundum vero præscientiam, in numero erant malorum. De justitia enim judicat Deus, non de præscientia, quia justitia non Dei præscientia causa est quare apud Deum aliquis dignus sit vita. Unde et Mosi dicit : *Si quis peccaverit ante me, delebo eum de libro vitæ* (*Exod.* XXXII) ; ut secundum justitiam judicis videatur deleri cum peccat, juxta præscientiam tamen in libro vitæ nunquam fuerat. Unde Joannes ait : *Ex nobis exierunt, sed ex nobis non erant (Joan.* II). Econtrario vero tunc aliquis videtur ascribi, cum malus esse desinit, qui tamen secundum præscientiam nunquam defuit. Cum igitur ex gratuita misericordia apponat gratiam quibus vult, et liberet quos vult, manifeste ostenditur dives et gloriosa bonitas ejus in vasa misericordiæ, *quæ præparavit,* similiter exspectando, sicut exspectat vasa iræ. [Augustinus] Præparavit dico, *in gloriam futuram.* Omnes enim sustinet Deus, sciens exitus singulorum, et utique bonis prodest quod malos exspectat.

VERS. 24-26. — « Quos et vocavit, non solum « ex Judæis, sed etiam ex gentibus, sicut in Osee « dicit : Vocabo non plebem meam, plebem meam ; « et non dilectam, dilectam ; et non misericordiam « consecutam, misericordiam consecutam. Et erit « in loco ubi dictum est eis : Non plebs mea vos, « ibi vocabuntur filii Dei vivi. »

Quos et vocavit. Cum ostensum sit quod ex sola gratia sint filii, incipit probare per auctoritates prophetarum quod hi sunt ex utroque populo. Quasi dicat : Illos qui sunt vasa misericordiæ præparavit in gloriam. (301) Quos et vocavit, per prædicatores et interius, cum sint ex una massa Adæ, de qua et mali qui sunt vasa iræ cui debita erat damnatio. Tota quippe ista massa juste damnationis reciperet debitum, nisi ex ea faceret non solum justus, sed etiam misericors figulus alia vasa in honorem secundum gratiam, non secundum debitum, dum et parvulis subvenit quorum nulla merita dici possunt ; et majores prævenit, ut habere aliqua bona merita possint, (302) quia stirpe inobedientiæ ducitur propago peccati atque supplicii, non conditione divina, sed voluntatis iniquitate vitiata natura quæ a Deo est condita bona. Si ergo male vivunt homines de suo est, vel quod originaliter traxerunt, vel quod insuper addiderunt ; ideo non se excusent homines, qui nolunt recte vivere dicentes : Quid nos fecimus quod nos male vivimus, cum gratiam unde bene vi-

(301) Augustinus ad Optat.

(302) Id., ad Sixtum.

veremus non accepimus? Non veraciter possunt se excusare. Si enim vasa iræ sunt quibus debita perditio redditur, hoc sibi imputent, quia ex massa sunt quam merito peccati Deus juste damnavit. Si autem vasa misericordiæ sunt quibus ex eadem massa factis, supplicium reddere noluit, non se inflent, sed ipsum glorificent qui eis misericordiam indebitam præstitit. Vocavit, dico, *Non solum ex Judæis, sed etiam ex gentibus*, et primum pro gentibus auctoritatem Osee ponit, dicens : *Sicut in Osee dicit Deus*. Quasi dicat : Non Osee ex se hoc dicit, sed Deus in illo : *Vocabo non plebem meam,* id est gentes quæ
48 prius non noverunt me, nec dicebantur plebs mea ; *plebem meam,* ut scilicet cognoscant me, et dicantur plebs mea ; *et non dilectam meam,* scilicet gentilem vocabo, *dilectam meam,* scilicet ut dilectione serviant ; *et non misericordiam consecutam,* vocabo *misericordiam consecutam,* ut scilicet ad æternam gloriam perveniant. [Haimo] *Et erit* istud, quod dicam, scilicet quod *in loco*, id est in toto mundo, *ubi dictum est* : *Non plebs mea vos*, *ibi* in toto mundo, *vocabuntur filii Dei.* [Ambrosius] Vel, in loco, id est in Judæa et inter ipsos Judæos qui dicebant : Dei populus non estis, ibi vocabuntur filii Dei ab eisdem Judæis.

VERS. 27-29. — « Isaias autem clamat pro Israel : « Si fuerit numerus filiorum Israel tanquam arena « maris, reliquiæ salvæ fient. Verbum autem con- « summans et abbrevians in æquitate, quia verbum « breviatum faciet Dominus super terram. Et sicut « prædixit Isaias : Nisi Dominus sabaoth reliquisset « nobis semen, sicut Sodoma facti essemus, et sic- « ut Gomorrha similes fuissemus. »

Isaias autem ait. Hic ponit auctoritatem Isaiæ pro Judæis. Quasi dicat : Osee ita pro gentibus dicit, Isaias autem *clamat* aperte *pro Israel*, id est pro Judæis, dicens : *si fuerit numerus filiorum Israel tanquam arena maris*, id est licet sint innumerabiles filii Israel. Tamen, solummodo, *reliquiæ salvæ* fient. Ecce sic dicitur salus Judæorum, ut major pars sit excæcata. Vel arenæ comparat propter sterilitatem. [Augustinus.] Et est, si fuerit numerus filiorum Israel tanquam arena maris, id est licet sint steriles a gratia fidei, et fructu boni operis, non tamen ideo radix patriarcharum periit. Vel, in nos, reliquiæ salvæ fient, id est illi quos mihi reliqui, cum alios repuli. Vel, qui ab aliis relinquuntur, ut viles, vel pauci. Deinde subdit propheta, per quid salvi fiant, scilicet per verbum Evangelii, ut gloria legalium operum excludatur. Quasi dicat : Vere salvi fient. Dominus enim faciet *verbum consummans et abbrevians*, id est verbum Evangelii, quod dicitur consummans, quia ad perfectionem ducit ; et abbrevians, quia omnia legalia in uno Christo abbreviavit (303), ut compendio fidei per gratiam salvet, non per innumeras observantias, quibus ille populus serviliter premebatur, et hoc licet verbis abbreviet, tamen æquum est priori verbo legis unde subdit, abbrevians, dico, *in æquitate*, ut nil desit ad justitiam de omnibus figurativis. Vel ideo dicitur, abbrevians in æquitate, quia quæ æqua sunt retinet, ut moralia quæ jus est tolli, ut figuras recidit. Et ne quis dubitet de eo, propheta repetitione confirmat dicens : *Quia* Dominus, qui prius fecit verbum legis prolixum, ens super terram, id est ens in terra homo factus, *faciet verbum breviatum*, contra antiquum verbum quod Deum fecisse constat. [Hieronymus] Vel, verbum consummatum et abbreviatum est charitas, quæ dicitur verbum consummans vel consummatum, quia consummat, et abbrevians, sive abbreviatum, quia in eo pendet lex et prophetæ ; duobus enim mandatis charitas universa abbreviat. Et sicut prædixit : Adhuc ponit auctoritatem Isaiæ, commendans illud verbum. Quasi dicat : Deus fecit verbum, et hoc verbum tam necessarium erat, quod, sicut prædixit Isaias, *nisi Dominus Sabaoth*, id est virtutum, vel exercituum, *reliquisset nobis semen*, id est verbum Evangelii, vel Christum, qui fructum vitæ protulit, *facti essemus sicut Sodoma*, etc. [Ambr.] Vel per semen accipiuntur reliquiæ salvandæ, de quibus supra egit, id est apostoli et alii boni, quasi reliquiæ salvæ fient, quia nisi per illas prædicatum esset verbum Dei, gentes perissent. Et hoc est quod ait, nisi Dominus Sabaoth, id est exercituum, quando alios excæcavit, reliquisset nobis, id est ad nostram utilitatem, semen, id est apostolos de quibus seges Christi crevit, facti essemus sicut Sodoma, quæ interpretatur *muta*, id est muti essemus ad confitendum. *Et fuissemus similes sicut Gomorrha*, quæ interpretatur *aspera*, id est, sine gratia asperi essemus spinis vitiorum operti. Et nota quod non sine causa posuit *similes* et *sicut*, cum alterum posset sufficere. Sed hoc ideo fecit ut per alterum notet similitudinem culpæ nostræ, et illorum ; per alterum similitudinem pœnæ. Quasi dicat : Pares essemus in pœna, quia similes essemus in culpa.

VERS. 30-35. — « Quid ergo dicemus : Quod gen- « tes quæ non sectabantur justitiam, apprehende- « runt justitiam, justitiam autem quæ ex fide est ; « Israel vero sectando legem justitiæ, in legem jus- « titiæ non pervenit. Quare ? Quia non ex fide, sed « quasi ex operibus. « Offenderunt enim in lapi- « dem offensionis ; sicut scriptum est : Ecce pono « in Sion lapidem offensionis et petram scandali, « et omnis qui credit in eum non confundetur. »

Quid ergo ? Auditis Osee et Isaiæ auctoritatibus inquirit intellectum prophetarum, ne Judæi aliter inverterent. [Ambrosius] Quasi dicat : Quia ita dicit Osee et Isaias, *Quid ergo dicemus ?* id est, quo intellectu prædicta prophetarum verba esse dicta intelligemus ? hoc utique *quod gentes quæ* per opera legis *non sectabantur justitiam*, id est non præsumebant justificari, ex legalibus observantiis, *appre-*

(303) Augustinus ad Simplic.

henderunt (304), quasi subito et firmiter, *justitiam*, non qualemcunque, *sed* eam *justitiam quæ est ex fide*, quæ per gratiam est, quam impetrando ex Deo, non ex seipsis præsumendo, justitiam apprehenderunt. *Israel vero sectando*, et hoc item ex prophetia Isaiæ. Quasi dicat : Gentes consecutæ justitiam sunt ; Israel vero sectando, per opera legalia, *legem* justitiæ, id est legem Mosi quæ est justitiæ, si bene sit intellecta : vel, sectando legem justitiæ, id est justitiam legis quæ est ex timore pœnæ, non ex amore justitiæ *non pervenit in legem justitiæ*, id est innocentiam, etc., quæ lex vere docet, et ideo competenter dicit, sectando. Secutus enim est Judæus legem, quasi retro, quia nunquam attingit spiritualem intelligentiam qua justificaretur. *Quare* non pervenit ? Quasi dicat : Attende diligenter, quare, scilicet *quia non ex fide*, quærebat justificari, *sed ex operibus legis*, quasi hæc possent justificare (305). Ideo ergo Judæus non pervenit in legem justitiæ, quia non ex fide quærebat justitiam ; quia non petivit illam a Deo, non credidit in eum qui justificat impium, non credens Deum operari in homine quo justificetur, justificatio autem ex fide impetratur. Unde ergo contigerit, ut non crederent, supponit, *offenderunt enim*. Quasi quis quæreret cur fidem non habent Judæi ? respondet, quia offenderunt *in lapidem offensionis*, id est quia offensionem pro tumore superbiæ suæ, id est excæcationem in Christo passi sunt qui dicitur lapis offensionis quadam ratione similitudinis. Christus enim latens in humilitate habilis fuit offendere ad similitudinem parvi lapidis a quo non cavetur. [Augustinus] Sperabatur enim venturus a populo Judæorum, et quia humilis venit, non est agnotus ; quia lapis parvus erat, in illum offenderunt, et fracti sunt ; sed crevit lapis, ut Daniel ait : *Et factus est mons magnus qui replevit totam terram* (*Dan.* II). Sed quia primo humilis venit, offenderunt in illum Judæi : cui ei attestatur Isaias. Unde subditur : *Sicut scriptum est in Isaia ; Ecce*. Quasi dicat : In evidenti, patenter, *pono*, id est nasci facio, *in Sion*, id est in Judæis, *lapidem offensionis*, id est Christum, a quo, quasi parvo lapillo non caveatur, *et petram scandali*, id est eumdem Christum ex toto conterentem malos in futuro et contristantem. Lapis ergo offensionis dicitur Christus secundum statum quo apparuit hic malis ; petra scandali, secundum quod in futuro faciet malis. [Origenes] Scandalum enim dicitur cum in via obex aliquis invenitur qui gressus incedentis impediat, quia igitur hi qui erant in Sion viam non bonam incedentes, et iter perditionis concito pede currentes, Christum in futuro sentient vindicem, ideo petra scandali dicitur. Vel sicut petra dicitur ante politionem, et lapis per politionem ; ita Christus et petra dicitur ante politionem, et lapis per politionem. Politio autem Christi passio fuit, qua infirmitatis miseriam deposuit, Christus ergo ante passionem fuit petra scandali, quia illo tempore scandalizati sunt in eum Judæi irascentes et indignantes, quod Filium Dei se faceret. Lapis vero offensionis fuit Christus in politione, id est in passione, quando maxime offenderunt, et excæcati sunt, Deum non esse credentes quem mortuum videbant, a qua offensione quosdam liberat fides. [Haimo] Unde subdit : *Et omnis qui crediderit*, quasi non modo non est ipse offensio malis, sed remuneratio erit bonis ; quia omnis sive sit Judæus sive gentilis, qui crediderit *in eum*, non confundetur, cum venerit in futuro.

CAPUT X.

VERS. 1-4. — « Fratres, voluntas quidem cordis « mei, et obsecratio ad Deum, fit pro illis in salu« tem. Testimonium enim perhibeo illis quod æmu« lationem quidem Dei habent ; sed non secundum « scientiam. Ignorantes enim justitiam Dei, et suam « quærentes statuere, justitiæ Dei non sunt sub« jecti. Finis enim legis Christus ad justitiam omni « credenti. »

Ne ex odio videatur Apostolus loqui contra Judæos, vel ne gentes eos ex toto abjicerent, subdit, *fratres*, cur offenderunt, et tamen, o fratres, *voluntas* quidem mea est, ut salventur, et hæc voluntas non utique ficta, sed est *cordis mei*, id est vera, et etiam *obsecratio fit* a me *ad Deum pro illis* offendentibus, et hoc *in salutem*, id est ut Deus det illis fidem per quam salventur (306). Attende quia per hoc quod Apostolus deprecatur pro non credentibus, ut credant, pro adversis ut convertantur, innuit quod ex gratia detur, quia nec ipsa conversio sine Dei adjutorio fit (307). Voluntas enim ut ad vera credenda moveatur, non sibi sufficit, nisi per gratiam Deus opituletur. Unde ipse ait : *Nemo venit ad me, nisi* **49** *ei datum fuerit a Patre meo* (*Joan.* V). *Testimonium enim*. Quasi dicat : Obsecro pro illis et justum est et necesse, justum est, quia æmulationem Dei habent ; et necesse est, quia secundum scientiam, et hoc est quod ait, testimonium enim, ego qui olim similis *illis* fui, *perhibeo* illis de hoc, *quia æmulationem quidem Dei habent*, id est zelum Dei. Et ideo justum est orare pro eis, *sed non secundum scientiam*, diligendi. [Haimo] Stultum est enim legem venerari, et Deum legis persequi, stultum est etiam Patrem confiteri et Filium negare. Et est sensus : Pro dilectione Dei putant se facere, sed veram Dei dilectionem non habent, et ideo necesse est pro eis orare. [Ambrosius] De his autem hoc dicit, qui non invidia et malevolentia, ut Scribæ et Pharisæi sed errore Christum tradiderunt. Quibus Petrus ait : *Scio, fratres, quia per ignorantiam hoc egistis* (*Act.* III). Illi ergo æmulationem Dei habentes, sed voluntatem et consilium ejus nescientes, contra Deum agebant quem se defendere testabantur. [Augustinus] Quomodo autem non secundum scien-

(304) Augustinus, De spir. et litt.
(305) Id., in eod.

(306) Id., De verb. apost.
(307) Id., ad Paulum.

tiam habeant zelum, ostendit subdens : *Ignorantes enim*, etc. Quasi dicat : Vere non secundum scientiam habent zelum, quia, *ignorantes Dei justitiam*, non qua Deus justus est, sed quæ homini est ex Deo, id est quam dat homini, quæ est per fidem Christi, quæ est a Deo qui justificat impium, *et quærentes*, vel volentes, ut superbi *statuere suam*, (308) quæ est per carnales observantias, quæ dicitur sua illorum, non quia lex ab illis est constituta, sed in lege quæ ex Deo est suam justitiam constituebant, [Ambrosius] cum eamdem legem suis viribus implere posse credebant ut merita præcederent gratiam, non gratia præcederet justitiam. (309) Hoc, inquam, facientes, *non sunt subjecti justitiæ Dei*, qua justificat credentes, id est non credunt per fidem impios justificari. Hæc est enim justitia Dei, quæ non in præcepto legis quo timor incutitur, sed in adjutorio gratiæ ipsi constituta est. [Augustinus] Unde subdit : *Finis enim*. Quasi dicat : Vere ignorant justitiam Dei, quia ignorant Christum, qui *Christus*, finis est *legis*, id est qui adimplet in se et in nobis quod lex prædixit. (310) Qui etiam valet *ad justitiam omni credenti*, id est qui est dator justitiæ omni credenti. Ex Christo ergo non ex lege est justitia, quia si per legem scriptam vel naturalem esset justitia sine fide Christi, ergo Christus gratis moreretur. Si autem non gratis mortuus est, ergo in illo solo justificatur impius, cui credenti in eum deputatur fides ad justitiam. (311) Omni ergo humana natura et justificari et redimi ab ira, id est a vindicta nullo modo potest, nisi per fidem, et sacramentum sanguinis Christi. Finis enim Christus, in quo lex justitiæ non consumitur, sed impletur. (312) Omnis enim perfectio in ipso est, ultra quem non est quo spes se extendat. Finis etiam fidelium Christus est. Ad quam cum pervenerit currentis intentio, non habet amplius quod possit invenire, sed habet in quo debeat permanere. Finis ergo dicitur, non quia consumit, sed quia perficit. Perficit ergo justitiam per fidem sine operibus legis, et sunt opera quæ videntur bona sine fide Christi ; et non sunt tamen vera bona, quia non referuntur ad eum finem ex quo sunt bona, id est ad Christum qui est finis legis ad justitiam non utique humanam, sed divinam. Est enim humana justitia, et est divina. De humana ait ibi : *Moses enim*. De divina vero ait ibi, *quæ autem*, etc. De humana utique prius agens subdit :

VERS. 5-7. — « Moses enim scripsit, quoniam « justitiam quæ ex lege est, qui fecerit homo vivet « in ea. Quæ autem ex fide est justitia, sic dicit : « Ne dixeris in corde tuo : Quis ascendet in cœlum ? « id est Christum deducere, aut, quis descendet in « abyssum ? hoc est Christum a mortuis revocare. »

Moses enim. [Ambrosius] Quasi dicat : Vere Christus tantum est justitia ad salutem, quia justitia legis tantum ad præsentem vitam valet. Et hoc ostendit Moses : Moses enim scripsit in Numeris et in Levitico, *quoniam homo qui fecerit*, quasi sine gratia adjuvante, *justitiam quæ ex lege est*, quæ est ex timore, non ex amore, *vivet in ea* [Augustinus], id est non punietur legali pœna, quia lex Mosi reos illos non faciebat, si servaretur, id est vivebant faciendo legem. Et vocat hic justitiam legis opera illa legalia. Unde et in Mose ita habetur : *Qui fecerit ea, vivet in illis* (*Levit.* XVIII). Timebant utique ne si non ea fecissent, paterentur lapidationem, vel aliquid hujusmodi. Vivet ergo in ea, id est habebit hoc præmium ne ista morte puniatur. Non est ergo magna justitia timere, nec habet meritum apud Deum. Aliud est ergo non justificari apud Deum, aliud non omnino justificari. Qui omnino non justificatur, nec illa servat quæ temporale habent præmium, nec illa quæ æternum ; qui vero in operibus legis justificatur, temporalem inde exspectat mercedem, nec justificatur apud Deum ; sed tamen et ista quædam est, ut sic dicam, terrena carnalisque justitia. Deinde de justitia fidei subdit, *quæ autem*. Quasi dicat : De illa justitia legis ita dixit Moses ; sed de justitia quæ *est ex fide*, id est de justitia fidei, sic Moses dicit in Deuteronomio : *Ne dixeris*, etc. (*Deut.* XXX). [Ambrosius] Vel ipsa justitia, quæ est ex fide *sic dicit* in corde hominis, scilicet quod observata ducit ad cœlum, non observata ducit ad abyssum. Et hoc est quod ait, *ne dixeris*. Hæc autem justitia fidei est, ne dubitetur de spe Dei quæ est in Christo, ne diffidat homo Christum spoliasse infernum, et cum animabus cœlum ascendisse, ex quibus efficitur justus. De hac ergo dicit Moses, vel ipsa in corde hominis hoc dicit.

O homo, *ne dixeris in corde tuo*, id est ne saltem cogites : *Quis ascendet in cœlum*, id est nullus homo ascendet in cœlum. Ideo ne hoc cogites, quia qui hoc cogitat negat Christum ascendisse. Et hoc est quod subdit, quia id cogitare est deducere Christum, id est negare Christum ascendisse. Et sunt hæc verba Apostoli, hoc est Christum, etc., de quibus aperit sensum præmissorum verborum Mosi. Aut ne cogites. *Quis descendet in abyssum*, scilicet in infernum, id est nullus descendet, quod est pro non observata lege. Ideo ne cogites, quia *hoc* cogitare *est Christum revocare a mortuis*, id est credere quod Christus non descendit in infernum, quia si illi qui justitiam non observant, non descendent, tunc Abraham et antiqui patres multo minus descenderunt. Si autem illi non descenderunt, tunc nec Christus qui non nisi pro illis liberandis descendit. Et sunt item hæc verba Apostoli, ubi ait : Hoc est Christum. Vel ita, ne dixeris. Quasi dicat : Cum audieris post resurrectionem prædicari Christum ascendisse in cœlum, ne dixeris, id est noli dicere

(308) August., De gratia et libero arb.
(309) Id., in eod.
(310) Id., De natura et gratia.
(311) Id., in lib. Sent. Prosp.
(312) Id., super Joannem.

in corde tuo, mendacium est. Quis enim ascendet in cœlum, ideo ne hoc dicas, quia hoc dicere est Christum de cœlo deducere, quantum ad te pertinet quia hæc infelicitas, quantum in te est. Christum de cœlo ad terram deducit. Et similiter cum audis prædicari quod Christus ad infernum descendit, noli dicere mendacium est. Quis enim descendet in abyssum ? ideo ne hoc dicas, quia hoc dicere est Christum revocare ex mortuis, quantum in te est.

VERS. 8-13. — « Sed quid dicit Scriptura ? Prope « est verbum in ore tuo, et in corde tuo. Hoc est « verbum fidei quod prædicamus, quia si confitearis « in ore tuo Dominum Jesum, et in corde tuo cre- « dideris quod Deus illum suscitavit a mortuis, sal- « vus eris. Corde enim creditur ad justitiam, ore « autem confessio fit ad salutem. Dicit enim Scri- « ptura : Omnis qui credit in illum, non confun- « detur. Non enim est distinctio Judæi et Græci. « Nam idem Dominus omnium dives in omnes qui « invocant illum. Omnis enim quicunque invoca- « verit nomen Domini salvus erit. »

Sed quid. Quasi dicat : Ne hoc dixeris, sed potius hoc crede de verbo quod Scriptura dicit de eo in Deuteronomio. Quid inde dicit ! [Haimo, Ambrosius] Ecce, *Verbum*, id est Christus, qui est Verbum in principio apud Patrem, vel verbum, id est Christi prædicatio et doctrina, *prope est*, id est utile, quia justificat et salvat : verba veteris legis longe absistebant a justificatione et salute. Vel, prope est, quia non est aliquid inconveniens vel dicere vel credere, quia non longe a natura animorum et loquendi ratione quod nobis dicitur ut credamus. Et hoc verbum debet esse *in ore tuo* ad confitendum, *et in corde* ad credendum. Deinde Apostolus Scripturam Mosi exponit, dicens : Hoc est verbum fidei quod prædicamus, quo et baptisma consecratur. De hoc verbo Dominus ait : *Jam vos mundi estis propter verbum quod locutus sum vobis* (*Joan.* XV) Non ait propter baptismum. Quare ? nisi quia et in aqua verbum mundat. Detrahe verbum, et quid est aqua nisi aqua ! Accedit verbum ad elementum. Unde est ista tanta virtus aquæ, ut corpus tangat et cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur ! Nam et in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud est virtus immanens. *Quia si confitearis.* [Augustinus] Quasi dicat : Et prope debet esse verbum, quia si confitearis *in ore tuo*, non opera legis. Sed *Dominum Jesum* resurrexisse, cum aliquis impugnat. Vel, quod Christus est Dominus Jesus, id est salvator, *et in corde tuo credideris quod illum excitavit* vel *suscitavit a mortuis, salvus eris.* Ecce laus fidei et merces fidei ; laus fidei est si credideris quia Dominus est Jesus, et quia resurrexit ; merces vero, salus æterna. *Corde enim.* Quasi dicat : Vere credere dat salutem, quia dat justitiam quæ est causa salutis. *Corde enim creditur ad justitiam*, id est per fidem cordis justificatur aliquis, id est de impio fit pius ; *ore autem*, post cordis fidem, aliter enim non valet, *confessio fit*, non modo ad justitiam, sed etiam *ad salutem*, quæ confessio superadditur fidei, [Augustinus] ut in martyribus qui inter tormenta imminentia, fidem, quam corde tenebant, ore confessi sunt. Non ergo incassum additum est, ore confessio fit ad salutem. (313) Nam pene omnes qui Christum coram persecutoribus negaverunt, quod de illo credebant, corde tenuerunt, et tamen ore non confitendo perierunt, nisi illi qui pœnitentia revixerunt, ut Petrus qui illa negatione intus veritatem tenebat, et foris mendacium proferebat. Cur enim lacrymis diluit, quod ore negaverat, saluti faciebat, quod corde tenebatur. (314) Quærens ergo a Deo pacem non aliud habeat in professione oris, aliud in arcano cordis. Nil enim prodest hoc esse in corde quod verum est, sed hoc dicitur voce quod falsum est, quia veritas et credenda et loquenda est. (315) Et nota quod non ait simpliciter creditur, sed corde creditur, quia cætera potest homo nolens credere non nisi volens, intrare ecclesiam, et accedere ad altare potest nolens, sed non credere, ideoque congrue ait, corde creditur. (316) De hac autem radice cordis surgat confessio. Confiteri enim est dicere quid sit in corde. Si enim aliud est in corde, aliud **50** in ore, loqui est, non confiteri. (317) Quod ergo est in corde debet esse in ore, quia non sine causa signum crucis fit in fronte, id est in sede pudoris, ne Christi opprobrio Christianus erubescat. Peccatum fuit Petrum ore negare, cum corde crederet. Discedat ergo mala verecundia, accedat salubris confessio, non erubescamus de Christi nomine. Insultetur nobis, quia credimus in Christum crucifixum, plane dico, quia in occisum, sed hoc in illo occisum est quod sumpsit de me, non quo fecit me. *Dicit enim Scriptura.* Quasi dicat : Vere corde creditur ad justitiam. Dicit Scriptura per Isaiam : *Omnis* non tantum Judæus, sed etiam gentilis, *qui credit in illum, non confundetur*, id est non erubescet in futuro, etsi hic videatur confundi. Et bene dixi omnis, *non enim est distinctio Judæi et Græci*, sed in omni gente qui timet Deum hic acceptus est illi. Et vere non est distinctio. [Ambrosius] *Nam idem* est *Dominus*, id est Creator *omnium dives in omnes*, id est sufficiens ditare omnes *qui invocant illum*, fide et opere ; aliis non est ipse dives, quia participes non sunt bonorum ejus ; qui autem invocant recipient æternam remunerationem. Deinde ab auctoritate Isaiæ probat quod dixerat, *omnis enim* Judæus vel Græcus, *quicunque nomen Domini* id est Filium Patris, *invocaverit*, bene se ei subjiciendo, *salvus erit*, in æterna beatitudine. Oratio ergo necessaria

(313) Augustinus, in lib. contra mendacium.
(314) Id., in lib. Sent. Pros.
(315) Id., super Joannem.
(316) Id., in psal. XXX.
(317) Id. De ver. Apostoli.

est. Orans enim invocat, sed hoc vere non potest A nisi prius credat. Qui ergo vere invocant, non modo credunt, sed etiam orant, ut postquam crediderit alicujus animus non desinat id postulare quod promisit Deus toto corde vigilantibus, quia credere dat remissionem peccatorum. Invocare autem impetrat promissa Dei. Ut autem ostendat quod non est vera invocatio sine fide, subdit, *quomodo ergo*, vel autem [Augustinus] probato quod de utroque populo assumuntur, ostendit per quid, scilicet per promissionem utriusque factam, quam qui non receperit inexcusabilis est. Quasi dicat : Invocatio salvat, ergo oportet credere.

VERS. 14, 15. — « Quomodo ergo invocabunt in « quem non crediderunt ? Aut quomodo credent quem « non audierunt ? Quomodo autem audient sine præ- B « dicante ? Quomodo vero prædicabunt, nisi mittan- « tur ? Sicut scriptum est : Quam speciosi pedes « evangelizantium pacem, evangelizantium bona. »

Quomodo invocabitur, etc., vel ita continua si est ibi autem. Quasi dicat qui invocat salvus erit. Hoc autem non potest aliquis adversus, quia quo modo invocabunt *in quem non crediderunt?* non invocabunt nisi credant. *Aut quomodo credent ei quem non audierunt.* Quasi dicat : Non credent nisi audiant, nec olim aliquis credidit qui non aliquo modo audivit, vel interius, vel exterius. [Ambrosius] Vel quomodo credent ei quem non audierint, id est cui non obedierunt. Apertum est, quia non creditur illi cui obedientia negatur. *Quomodo autem audient sine prædicante?* id est nisi prædicetur eis, quasi dicat : Non au- C dient nisi prædicetur. Vel, quomodo autem sine prædicante, id est si prædicanti resistant? Nec hoc obscurum est, quia qui prædicanti resistit, auctorem ejus non recipit. *Quomodo vero prædicabunt, nisi mittantur?* Neque istud recipit quæstionem, quia non sunt veri apostoli nisi missi, nec prædicabunt nisi mittantur. Nulla enim signa virtutum his perhibent testimonium. Ecce patet quod et ad gentes missi sunt prædicatores. Et sic refellit eos Apostolus quem putabant Judæis tantum prædicandum esse Evangelium. Hæc autem ad ipsam gratiam commendandam valent, ut per hoc totum bonum nostrum a gratia provenire ostendatur. Dicit enim quod credere ex auditu est, audire ex prædicatione, prædicare ex missione Dei, ut ita totum descendat ex fonte gratiæ. D Prædicatio autem vere est ex missione, quia etiam pseudo bene nuntiantes misit Deus, qui in bono malis novit uti. Aliquando etiam et malos malis mittit in ira, id est prædicare permittit malos malis ad eorumdem pœnam, ut vicissim per se pereant, sicut justum est meritis eorum exigentibus. *Sicut scriptum est.* Quasi dicat : Non prædicabunt nisi mittantur, sed missi sunt, sicut scriptum est in Isaia, vel in Naum propheta : *Quam speciosi sunt pedes,* [Haimo] id est adventus apostolorum qui illuminant mundum, in quo apparet illos a Deo missos. Alioquin hoc non poterant facere. *Evangelizantium* [Ambrosius] id est annuntiantium pacem, id est reconciliationem inter populum et populum diruta macerie legalis ritus in Judæis, et idololatriæ in gentibus, et inter Deum impios per fidem justificantem, et homines in eum credentes. *Evangelizantium* etiam *bona* futura, id est pacem super pacem, quia regnum Dei pax est. Quasi dicat : Valde speciosi sunt, quia illuminant mundum et quia evangelizant, id est bene nuntiant ; bene enim nuntiant qui quod ore prædicant, opere complent.

VERS. 16, 17. — « Sed non omnes obediunt « Evangelio. Isaias enim dicit : Domine, quis credi- « dit auditui nostro ? Ergo fides ex auditu, auditus « autem per verbum Christi. »

Sed non. Quasi dicat : Omnes audierunt per apostolos : *Sed non omnes obedierunt Evangelio.* Cum enim ex gratia sit auditus, necessaria est enim alia gratia quæ cor moveat. [Augustinus] Quod vero omnes non obedierunt, prophetico firmat testimonio, aliquos non omnes obedire his verbis. *Isaias enim dicit : Domine, quis credidit auditui nostro*, id est his quæ a nobis audierunt, vel quæ nos audivimus a te, (318) quasi dicat : Aliquis credidit, non omnis. Quidam inter se mussitant, et ubi possunt proclamant, et turbulenta disceptatione contendunt, dicentes : Quid fecerunt Judæi, vel quæ culpa eorum fuit, si necesse erat, ut sermo impleretur Isaiæ quem dixit. [Augustinus] Quam quæstionem urgent et profundiorem faciunt, per ea quæ leguntur in Evangelio Joannis. Ait enim : *Propterea non poterant credere quod dixit Isaias : excæcavit oculos eorum et induravit cor eorum* (*Joan.* XII). Quibus respondemus quod Deus præscius futurorum per prophetam prædixit infidelitatem Judæorum, sed non fecit, neque præscisset mala eorum, nisi ea haberent. (319) Non enim ideo quemque Deus cogit ad peccandum, quia futura hominum peccata prænovit, illorum enim præscivit peccata, non sua. Ideoque si ea quam ille præscivit, ipsorum non sunt, ipsorum non vera ille præscivit ; sed quia illius præscientia falli non potest, sine dubio non alius, sed ipsi peccant, quos Deus peccaturos esse præscivit : et ideo, si non malum, sed bonum facere voluissent, non malum facturi prævidērentur ab eo qui novit quod sit quisque facturus, et quod pro ejus opere sit eis redditurus. [Augustinus] Sed ex verbis Evangelii prædictis magis nos urgent quam ex illis Isaiæ. Dicunt enim nobis, si non poterant credere, quod peccatum est hominis non facientis quod non potest facere. Si autem non credendo peccaverunt, potuerunt ergo credere et non fecerunt. Si autem potuerunt, quomodo dicit Evangelium, non poterant credere, quia dixit Isaias : Excæcavit oculos eorum, et induravit cor eorum. Etiam tantum procedunt, quod gravius est, ut ad Deum referant causam, qui vel quare non crediderunt, quoniam ipse excæcavit eos, et indura-

(318) Augustinus, super Joannem.

(319) Id., in eodem.

vit. Audistis propositam quæstionem et quam profunda sit cernitis, sed respondemus ut possumus. Si a me quæratur quare credere non poterant, respondeo quia nolebant. Malam quippe eorum voluntatem prævidit Deus, et per prophetam prænuntiavit. Sed aliam causam, inquies, dixit propheta, non voluntatis eorum, hanc scilicet excæcavit oculos eorum et induravit cor eorum. Sed hic respondeo eorum voluntatem hoc meruisse. (320) Sicut enim excæcat Deus, sic obdurat, quod est deserendo, non faciendo, et hoc meruit voluntas. Hoc enim meritum cæcitatis et duritiæ superbientis audacia et voluntatis, inflixit. Si ergo dicitur, non possunt Judæi credere, quia Isaias prædixit, respondeo imo non possunt quia nolunt, quod Deus præscivit et prædixit non fecit. [Augustinus.] Non igitur mirum est quod non poterant credere, quorum voluntas sic superba erat, ut tantum suis viribus attribuerent, ut negarent necessarium sibi esse divinum auxilium ad bene vivendum. Quotquot enim tam superbe sapiunt non possunt credere in Christum, non quia mutari homines in melius non possunt, sed quandiu talia sapiunt, non possunt credere. Sicut ergo quod Deus seipsum negare non potest, laus est voluntatis divinæ, ita quod illi non poterant credere culpa est voluntatis humanæ. Si quis istam quæstionem melius novit exponere, absit, ut non sim paratior discere quam docere. Ergo quasi dicat quia aliquis credit auditui et si non omnes. *Ergo fides*, aliquando et si non ubique est, *ex auditu*, et si enim Deus intus doceat, tamen præco exterius nuntiat. *Auditus autem* est non per nostra merita, sed *per verbum Christi*, id est per gratiam Christi doctores verbi Evangelici nobis mittentis. Nisi enim dicatur aliquid, nec audiri potest nec credi.

VERS. 18, 21. — « Sed dico: Nunquid non au-
« dierunt? Et quidem in omnem terram exivit sonus
« eorum, et in fines orbis terræ verba eorum. Sed di-
« co : Nunquid Israel non cognovit? Primus Moyses
« dicit : Ego ad æmulationem vos adducam in non
« gentem, in gentem insipientem, in iram vos mittam.
« Isaias autem audet et dicit : Inventus sum a non
« quærentibus me, palam apparui his qui me non
« interrogabant. Ad Israel autem dicit : Tota die ex-
« pandi manus meas ad populum non credentem,
« sed contradicentem mihi. »

Sed dico. Quasi dicat : Ex auditu crediderunt, sed qui se volunt excusare quod non crediderunt. Quasi dicat : Non audierunt, dico, *nunquid non audierunt ?* [Haimo] Audierunt utique, sicut in psalmo ostendit David dicens : *Sonus*, id est fama, apostolorum vel *eorum exivit*, quidem, *et*, id est etiam, *in omnem terram*, id est non modo proximi, sed etiam ultimi audierunt, (321) vel, equidem alia littera, id est certe, in omnem terram exivit sonus eorum, et ita inexcusabiles sunt, *et in fines orbis terræ*, id est ex omni parte audita sunt. Tempore autem Aposto-

A li nec hoc impletum est, sed Spiritu sancto revelante videt implendum in posteris. Quamvis ergo locutus sit præteriti temporis verbis, tamen quod fuerat futurum prædixit, non quod jam factum atque completum esset, sicut et ipse Propheta quo usus est teste, non ait exiturus est. Sed exiit sonus eorum, quod utique nondum erat factum. (322) Dicendo ergo, eorum non solum de apostolis, sed de eorum præteritis intelligi voluit, sicut et illud non solum apostolis dicitur : *Testes mihi eritis usque ad ultimum terræ* (*Act*. I); et illud : *Vobiscum sum usque ad consummationem sæculi (Marc*. XVI) ; et illud : *Cum videritis hæc omnia, scitote quia prope est in januis* (*Matth*. XXIV). *Sed dico*, probavit omnes audisse et ita Judæos audisse constat, sed quia possent et audisse

B et non cognovisse, affirmat etiam eos cognovisse ; quasi dicat : Omnes quidem audierunt, sed de Judæis specialiter dico : *Nunquid Israel non cognovit ?* cognovit utique. Quia *Moyses* qui *primus*, id est maximus, fuit inter alios *dicit* eos cognovisse. Vel primus, id est antequam alii dicerent, dicit **51**
eos cognovisse quod et alii post eum dixerunt. Israel autem dicitur cognovisse doctrinam Evangelii, et Christi adventum, quia contradicere non potuit ratione, vel auctoritate, sed non vere cognovit, ut menti eorum bene sederet. Deinde verba Mosi ex persona Dei Patris loquentis in Deuteronomio ponit, dicens : *Ego adducam vos*, id est permittam vos adduci *ad æmulationem* habitam *in non gentem*, id est contra gentiles, id est ad invidiam de conversione gentilium, qui prius dicebantur non gens,

C quia sine lege erant. Vel modo sunt non gens, quia non gentiliter vivunt. [Ambrosius] Invidia enim Judæis est, dum gentes eorum Deum suum dicunt, et promissiones et legem eorum et prophetas ad se pertinere. *In gentem*, id est contra gentem, *insipientem*, id est contra gentiles, qui Deum verum non noverant. *Mittam vos in iram*, id est permittam vos irasci et persequi, et cum hoc factum videant, attendant quod venerit. Et non tantum Moses hoc dicit, sed et *Isaias*, et si prævideret sibi pœnam imminere, tamen *audet, et dicit* ex persona Christi.

Inventus autem *sum a non quærentibus me*, scilicet gentilibus, id est sponte obtuli me illis qui per se non quærebant me, et inde est invidia Judæorum. *Et palam*, id est in manifesto, *apparui his*, *qui me*

D *non interrogabant* ab illis. *Ab Israel autem*, etc. Quasi dicat : Ita hoc pertinens ad gentes dicit Isaias, ad Israel autem pertinens, hoc aliud dicit ex persona Christi. *Tota die expandi manus meas*. [Haimo] Hoc non dicit de manibus extensis in cruce, ubi tota die non fuit, sed de operibus quæ illi populo exhibuit. Et est tota die, id est toto tempore quo cum eis commoratus sum, et mundum illuminavi. Manus meas, id est opera, et affectus, expandi ad populum Judæum, id est ampliora ostendi Judæis, quia nullum beneficium eis negavit. [Ambrosius, Haimo]

(320) August., in eodem.
(321) Id. ad Isichium.

(322) Id., in eodem.

Nam mortuos illorum suscitavit, diversas infirmitates curavit. Ille dicitur manus expandere, qui poscentibus beneficia largiter tribuit. Vel de manibus extensis in cruce potest accipi, ut positum sit totum pro parte. Tota ergo die, id est diei parte totius. *Expandi in cruce manus meas ad populum non credentem, sed contradicentem*, quod pejus est, *mihi*.

CAPUT XI.

VERS. 1-4. — « Dico ergo : Nunquid Deus repulit « populum suum ? Absit ! Nam et ego Israelita sum « ex semine Abraham, de tribu Benjamin. Non re- « pulit Dominus plebem suam quam præscivit. An « nescitis in Elia quid dicit Scriptura, quemadmo- « dum interpellat Deum adversum Israel ? Domine, « prophetas tuos occiderunt, altaria tua suffode- « runt, et ego relictus sum solus, et quærunt animam « meam. Sed quid dicit illi divinum responsum ? « Reliqui mihi septem millia virorum, qui non cur- « vaverunt genua ante Baal. »

Dico ergo quia tot auctoribus confutavit Judæos, insultare possent gentes, dicentes ex toto repulsos esse, contra quos incipit sic : Dico ergo, etc. Quia enim populum Israel incredulum ostendit, ne omnem Israel diffidentem dixisse putaretur, ostendit Deum non repulisse hæreditatem suam. Quasi dicat : Quia dixi Israel esse populum non credentem. Ergo dico, id est dicere videor quod Deus ex toto repulit *populum suum*, vel hæreditatem suam, id est Judæos quibus bona fecit. [Haimo, Ambrosius] Sed *nunquid*, hoc dico, vel,

Nunquid repulit Deus ? Absit ! Si enim dico Judæos esse infideles, non tamen omnes, et si Deus repulit eos ex parte, non tamen ex toto, quia me et alios prædestinatos non repulit. Nam et ego Israelita sum, id est Judæus, non proselytus, quod semine Abrahæ et ex tribu Benjamin. Quasi dicat : Ab Abraham descendit per lineam Benjamin, hoc ideo dicit ne putaretur esse de Ismael.

Non repulit. Quasi dicat : Sicut me non repulit, similiter non repulit *Deus plebem suam, quam præscivit* salvandam ; præscivit enim posuit *pro prædestinavit*. Sic enim debere hoc accipi ex sequentibus patet. Ideo autem dixit, quem præscivit, ne iterum superbiant Judæi ex eo quod dixit eos non repulsos et plebem Dei. *An nescitis ?* Quasi dicat : Ita reliquias in hoc tempore non repulit Dominus, sed salvavit sicut tempore Eliæ multos sibi reservavit, cum solus sibi Elias videretur ; qui si ignoravit non mirum si isti ignorant. [Ambrosius] Tempore namque Eliæ quando Achab rex Samariæ dedit filiam suam Joram regi Juda, tunc omnes Judæi videbantur idololatræ, ita ut Elias putaret se relictum solum in cultu Dei. Quando Achab rex Samariæ et Jezabel uxor ejus pseudoprophetis credentes, prophetas Dei persequebantur, qui in speluncis se occultabant, et ipsi item Achab et Jezabel populum ad idololatriam hortabantur, sed ostendit Deus Eliæ quod non remanserat

A solus, et hoc est quod ait : *An nescitis quid dicit Scriptura*, id est liber Regum, *in Elia*, id est ubi de Elia loquitur, scilicet *quemadmodum interpellat*, id est inter se et illos *Deum* judicem vocat, *adversum Israel*, dicens : *Domine, prophetas tuos occiderunt ;* hoc sub Jezabel factum est, *et altaria tua suffoderunt*, id est a fundamento subverterunt, *et ego relictus sum solus* in cultu divino, *et quærunt animam meam*, id est vitam, tollere. *Sed quid ?* Quasi dicat : Putavit se solum, *sed quid dicit* Scriptura illi dixisse *responsum divinum ?* [Ambrosius] Ecce, *reliqui*, id est per gratiam reservavi, *mihi septem millia virorum ;* id est omnes bonos, per septenarium enim universitas, per millenarium perfectio designatur, *qui non curvaverunt genua sua ante*
B *Baal*, qui erat Deus Achab et Jezabel.

VERS. 5-10. — « Sic ergo et in hoc tempore, « reliquiæ secundum electionem gratiæ Dei salvæ « factæ sunt. Si autem gratia, jam non ex operibus. « Alioquin gratia jam non est gratia. Quid ergo ? « Quod quærebat Israel, hoc non est consecutus, « electio aut consecuta est, cæteri vero excæcati « sunt, sicut scriptum est : Dedit illis Deus spiritum « compunctionis, oculos ut non videant, et aures « ut non audiant usque in hodiernum diem. Et Da- « vid dicit : Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, et in captionem, et in scandalum et in « retributionem illis. Obscurentur oculi eorum ne « videant, et dorsum eorum semper incurva. »

C *Sic ergo et in hoc tempore usque*. Quasi dicat : Quia tunc erant multi boni, etsi nesciret Elias. Sic ergo, id est ita latenter ; vel, sic id est per eamdem gratiam, et in hoc tempore gratiæ ubi facilius est. Reliquiæ salvæ fient, [Ambrosius] vel factæ sunt, et hoc non secundum merita, sed *secundum electionem gratiæ*, id est per gratiam qua electi sunt. Unde Dominus ait : *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos* (*Joan.* XV). Neque enim ante credideramus in eum, ut eligeret nos. Nam si credentes jam elegit, electos elegit. *Si autem :* Quasi dicat : Dixit per gratiam salvari. (323) *Si autem gratia*, id est per gratiam salvi sunt, *jam non ex operibus legis alioquin*, id est si per opera legis sunt salvi sunt, *gratia jam non est gratia*, sed debitum. Constat autem gratiam esse gratiam. *Quid ergo ?* Audito quod reliquiæ salvæ fac-
D tæ sunt gratia, non ex operibus. Quid ergo dicendum est ? hoc, scilicet quod *Israel non est consecutus hoc quod quærebat*, id est ex operibus justitiam legis. *Electio autem consecuta est*, id est per gratiam electi justitiam per fidem receperunt. *Cæteri vero*, non solum non consecuti sunt justitiam, sed etiam *excæcati sunt* vel fuerunt per judicium. (324) Electio igitur gratiæ est non meritorum, excæcatio vero meritorum est. Excæcati enim sunt quia credere noluerunt, sicut et illi quia voluerunt crediderunt. [Ambrosius] Misericordia igitur et judicium in ipsis voluntatibus facta sunt Deo illis per misericordiam

(323) Augustinus, super Joannem.

(324) Id., De prædest. sanctorum.

gratiam apponente, istos vero per judicium deserente. Quicunque enim cum intellexisset noluit credere, id debet consequi quod vult, scilicet ne de cætero possit credere. In voluntate ergo sua adjuti sunt, non immissa malitia, sed deserente gratia, ut quia scientes verum dicerent esse falsum, de cætero non intelligerent quod verum est, et hoc meruit invidia malæ voluntatis. [Haimo] Non ita autem est de illis qui errore hoc agunt. Deinde auctoritate Isaiæ probat Judæos ex parte fuisse excæcatos dicens : *Sicut scriptum est* in Isaia, licet et aliis verbis : *Dedit illis enim Deus spiritum compunctionis*, id est malum, id est permisit eos habere malam compunctionem. Malam enim compunctionem hic significat, qua sæpe fit ut etiam bonum sit homini molestum, sicut Pharisæis displicebat doctrina Christi. Spiritum ergo compunctionis appellat mentem invidentem, qua inviderunt doctrinæ Christi et saluti gentium. Dedit etiam, *oculos*, id est rationem, quæ per se videre potest, sed ipsi ita habent, *ut non videant*, per se, *et aures*, id est rationem, quæ alio docente intelligit, sed ipsi ita habent, *ut non audiant*. Et est sensus : Rationem eis dedit, qua tamen nec per se intelligunt quæ per se possent intelligere si vellent, nec alio docente intelligunt, quæ per alium possent scire. Hæc autem eorum cæcitas durat, *usque in hodiernum diem*, id est quandiu poterit dici hodiernus dies, id est usque in præsentem diem omnium ad quos hoc scriptum perveniet. Deinde autoritate Prophetæ idem confirmat subdens : *Et David dicit : Mensa eorum*, id est malitia quam mihi obtulerunt, quam dicitur fuisse, *coram ipsis*, quia iniquitatem noverunt, et tamen in ea præstiterunt, *fiat ipsis in laqueum :* quasi dicat : Sicut seipsos acetum mihi obtulerunt, sic fiat illis, ipsa iniquitas laqueus, ut eos impediat ; *et in captionem*, ut eos teneat ; *et in scandalum et in retributionem*, id est sit causa scandali et pœnæ æternæ. Vel mensam vocat Scripturam sanctam, ubi fidelium animæ spirituali cibo reficiuntur et saginantur. Judæi vero de littera legis præsumentes et spiritualem intelligentiam contemnentes ad mensam sedent esurientes. Hæc ergo mensa, id est Scriptura sacra, eorum, id est eis ante alios oblata, *coram ipsis*, posita dicitur, quia in ejus carnalibus observantiis delectantur. Vel coram eis ideo posita dicitur, quia si rationi vellent intendere possent intelligere. Hæc, inquam, mensa fiat illis in laqueum. Scriptura enim quæ intelligentibus est panis refectionis illaqueat dum male intelligitur, et propterea prædicatio Christi respuitur. Et fiat eis in
52 captionem et scandalum et retributionem. Et ita facta est Judæis. Fuit enim eis Scriptura legis causa captivitatis, dum zelo ejus Christum occiderunt, et illa captivitate fuit eis causa scandali et opprobrii, et post erit causa æternæ damnationis, quæ specialiter retributio dicitur. *Obscurentur oculi eorum*, id est ratio quæ videt, *ne videant* se peccare,
A quasi dicat : Quia sine causa non viderunt, fiat eis non videre ; *et dorsum*, id est liberum arbitrium quod debet erigi sursum, *semper incurva*, id est peccatis aggrava. [Haimo] Nota quod hæc verba non optantis voto, sed prædicentis officio dicuntur.

VERS. 11, 12. — « Dico ergo : Nunquid sic offenderunt ut caderent ? Absit ! Sed illorum delicto salus gentibus, ut illos æmulentur. Quod si delictum eorum divitiæ sunt mundi, diminutio eorum divitiæ gentium, quanto magis plenitudo eorum ? »

Dico ergo : Quasi dicat : Auctoritate prophetarum, dico Judæos esse excæcatos. Hoc ergo dicendo dico, [Haimo] id est dicere videor et reputor, quod *sic offenderunt, ut*, non tantum, *caderent* sine reparatione et utilitate. Sed nunquid putatis quod irre-
B cuperabiliter, sine utilitate ceciderint, quia dico excæcatos auctoritate prophetarum ? Imo et casus eorum prodest et possunt restitui, ne quis adeo despiciat eos. Nunquid enim sic offenderunt, ut inutiliter vel irrecuperabiliter caderent ? *Absit !* Ut inutilis sit casus eorum, sed potius utilis, quia *illorum delicto*, quo cæci Deum occiderunt, [Augustinus] vel verbum repulerunt, *salus* facta est *gentibus ;* ad quas relictis Judæis apostoli conversi sunt, ex quorum voce in Actibus apostolorum dicitur ad Judæos : *Quia repulistis verbum Dei, ecce convertimur ad gentes* (*Act.* XIII). Et ita ex eorum delicto quo repulerunt Verbum fuit salus gentibus. (325) Fuit etiam ex delicto quo Ipsum occiderunt salus gentibus, dum Judæi, pro peccato mortis Christi
C vastati, infelicius a Romanis, et divisi per mundum, funditusque a suo regno eradicati in testimonium sunt, non fictas de Christo esse prophetias quas apostoli gentibus de Christo exposuerunt, *Ut illos*: Quasi dicat : Salus facta est gentibus, ita ut Judæi zelo legis et patrum, *æmulentur* illos, id est gentiles, id est invideant eis, eosque odio habeant. Vel in bono potest accipi sic, quasi dicat : salus facta est gentibus, ita ut Judæi æmulentur, id est imitentur illos, id est gentiles. Hoc sæpe factum est, et plenius fiet in fine sæculi, quando Judæi Christianos sequentur in fide Christi. Tunc enim manus Mosi revocabitur in sinum, tunc Moses noster revertetur ad matrem et ad fratres. Potest etiam sic intelligi, quasi dicat : Salus erit gentibus, ita ut
D gentes æmulentur illos, id est imitentur illos, id est Judæos, ut credant sicut et ipsi credebant. Vel, ut gentes æmulentur, id est Dei æmulatione circa opera Judæorum mala moveantur. *Quod si delictum.* Dixi, delictum Judæorum prodesse, quod si est, magis eorum conversio proderit ; et hoc est quod ait. Quasi dicat : Delicto eorum salus est gentibus. [Augustinus] *Quod*, id est sed, *si delictum eorum*, quo Christum occiderunt vel verbum repulerunt, [Ambrosius, Haimo] *divitiæ sunt mundi*, id est si eorum delicto ditatus est mundus :

(325) Augustinus, De judic. Dei.

et si *diminutio*, id est abjectio *eorum*, *divitiæ* sunt *gentium*, id est si pauci de eis conversi, ut apostoli ditaverunt gentes, *quanto magis plenitudo eorum*, quod in fine mundi convertetur, erit divitiæ gentium, id est si malum eorum vertit Deus in bonum, id est in divitias mundi, multo magis bonum eorum, scilicet cum in fine mundi plenitudo eorum conversa ditabit gentes doctrina et exemplo. In quo ostendit nec inutilem nec irrecuperabilem casum Judæorum, et quasi aliquis quæreret an poterunt converti ? ait : Poterunt utique.

VERS. 13-24. — « Vobis enim dico gentibus : « Quandiu quidem ego sum gentium Apostolus, « ministerium meum honorificabo, si quo modo ad « æmulandum provocem carnem meam, et salvos « faciam aliquos ex illis. Si enim amissio eorum, » reconciliatio est mundi : quæ assumptio nisi vita « ex mortuis? Quod si deliberatio sancta est, et « massa : et si radix sancta, et rami. Quod si ali« qui ex ramis fracti sunt, tu autem cum oleaster « esses insertus es in illis, et socius radicis et pin« guedinis olivæ factus es, noli gloriari adversus « ramos. Quod si gloriaris, non tu radicem portas, « sed radix te. Dicis ergo : Fracti sunt rami, ut « ego inserar. Bene. Propter incredulitatem fracti « sunt. Tu autem fide stas ? Noli altum sapere, sed « time. Si enim Deus naturalibus ramis non peper« cit, ne forte nec tibi parcat. Vide ergo bonitatem « et severitatem Dei. In eos quidem qui ceciderunt, « severitatem ; in te autem , bonitatem Dei , si per« manseris in bonitate, alioquin et tu excideris. « Sed et illi si non permanserint. in incredulitate, « inserentur ; potens est enim Deus iterum inse« rere illos. Nam si et tu ex naturali excisus es « oleastro, et contra naturam insertus es in bonam « olivam, quanto magis hi qui secundum naturam « inserentur suæ olivæ ? »

Vobis enim dico gentibus, id est gentilibus qui mihi proprii estis, hoc scilicet, quod *quandiu ego sum Apostolus* quidem *gentium* , quod semper est, et non Judæorum, quia ad gentes missus sum, *honorificabo ministerium meum ;* etsi Apostolus gentium sum, tamen honorifico ministerium meum ultra hoc quod debeo superaddendo, ut etiam de Judæis laborem, tentans *si quomodo,* scilicet vel cum prosperitate , vel cum adversitate *provocem*, id est provocare valeam *carnem meam*, id est Judæos de quibus natus sum, *ad æmulandum,* id est imitandum me, et cum pluribus modis experiar convertere Judæos ut si hac non succedit via, aggrediar aliam viam, quod non facerem si de salute eorum desperarem; provocem, dico, ad æmulandum, ut sic *salvos faciam*, gratia Dei adjuvante, saltem *aliquos ex illis. Si enim*, quasi dicat : Et ideo de illis laboro, quia utilis erit assumptio eorum ad informationem gentium. Et vere : (326) *Si enim amissio eorum* , id est infidelitas *reconciliatio est mundi,* *quæ* erit *assumptio* reliquorum, *nisi vita* gentium *ex mortuis*, id est ex eo quod mortuæ sunt. Quod autem Judæi possunt assumi ad reprimendam superbiam quorumdam gentilium forte dicentium totum genus esse damnatum, probat per naturæ similitudinem subdens : *Quod si delibatio*. Quasi dicat : Dixi quod assumptio eorum erit multum utilis, quam ne dicatis, o gentiles non posse fieri, quasi totum genus sit repudiatum. Quod, id est quia, si delibatio facta est, id est si pauci de illis assumpti ad fidem, ubi apostoli et alii discipuli sunt facti sancti. Tunc *et massa est sancta*, id est gens potest sanctificari. Est autem delibatio parva ex aliqua re assumptio ad experimentum totius massæ, ut ex cibo vel potu. Cum enim delibatio unius substantiæ sit cum massa, non potest esse delibatio sancta, et massa immunda. Delibatio enim de massa est. *Et si radix* est *sancta*, id est si patriarchæ a quibus contrahunt humorem fidei sancti fuerunt, tunc *rami*, id est illi qui de genere eorum excreverunt, in eorum fide fundati, sancti sunt. [Haimo] Sicut enim radix bona bonum succum diffundit in ramos, ubi fiunt fructus boni saporis, ita apostoli et alii qui originem duxerunt a sanctis patribus et eorum fidem imitati sunt, boni et sancti fuerunt. *Quod si aliqui.* Probat adhuc Judæos posse assumi ut reprimat gentes , quasi dicat : Rami possunt sanctificari, quod, id est sed , si aliqui *ex ramis* naturalibus *fracti sunt,* id est a promissione excisi, scilicet ipsi blasphemi et impii de populo Judæorum. *Tu autem*, o gentilis *cum esses oleaster* (327), id est sterilis naturaliter et amarus, *insertus es*, id est aliena operatione conjunctus, *in illis*, id est in loco fractorum, *et factus es socius*, id est particeps, *radicis*, scilicet patriarcharum et prophetarum, *et pinguedinis*, id est apostolorum, qui præ omnibus habent spiritum radicis, dico, et pinguedinis *olivæ*, id est populi Judaici fructiferi ante adventum Christi. Si, inquam, hoc est,

Noli gloriari adversus ramos fractos, id est noli insultare malis alterius. Et si enim putata est oliva non tamen amputata. (328) Illi enim superbi et blasphemi per fragmentum jam ibi non sunt. Oleaster non ibi erat, ibi est. Illi per superbiam frangi meruerunt, iste per humilitatem inseri meruit. Illi amiserunt radicem, et iste tenuit eam, et factus est socius radicis, et pinguedinis olivæ in spe promissionis, [Ambrosius] quia non credentibus multis Judæorum, et gentes insitæ sunt per fidem in spe promissionis, ut dolor esset Judæis. Hoc autem dicitur contra morem et legem insertionis. Bona etenim arbor in non bonam inseri solet. Hic autem non bona in bonam. Dicit enim oleastrum insertum, ut surculus fructum radicis afferat. Noli ergo gaudere in incredulitate illorum. Ut enim ait Salomon : Displicet Deo qui insultat malis alterius. Nec enim causa gentium abjecti sunt, sed quia non cre-

(326) Augustinus, De civit. Dei.
(327) Id., supra Joannem.
(328) August., in psal. CXXXIII.

diderunt, precandi gentibus occasionem dederunt. Vel, noli gloriari ad ramos stantes. *Quod si gloriaris* adversus illos, dicitur tibi, o gentilis, quod *non tu radicem portas, sed radix te*, id est gens illa nil a te habet, sed ab ea fidem habes. Dicis ergo, o gentilis, *fracti sunt rami, ut ego inserar.* Quasi dicat : Si non contra stantes , vel contra eos licet gloriari dicit gentilis, qui causa insertionis meæ repulsi sunt, quod removet Apostolus, ita dicens : *Bene* dicis, id est verum est quod dicis, scilicet quod fracti sunt, sed quod addis ut ego inserar, illud non est causa efficiens , sed *fracti sunt, propter incredulitatem* suam, id est suo vitio. Unde tibi, opportunitas salutis fuit non propter te. Non enim Judæi sunt reprobati a Deo ut gentes intrarent, sed ipsi seipsos reprobos fecerunt spernentes Dei donum. Unde et occasionem dederunt gentibus ad salutem. Quam extollentiam reprimi vult, ut magis saluti congaudeatur, non infirmitati insultetur. Facile enim decipitur qui gaudet alienis malis.

Tu autem fide stas, (329) Quasi dicat: Vide gratiam Novi Testamenti. Quod stas Dei beneficium est, non tuum meritum. Et ideo, noli altum sapere, id est superbe sapere, ne et tu frangaris per superbiam ut ille per incredulitatem, *sed time*, caste time, scilicet offendere, non scilicet incidas in supplicium, sed ne amittas tantæ gratiæ beneficium, **53** timor enim castus est, cum cavet anima, ne Deus illam desertus deserar. (330) Et timere debes: *Si enim non pepercit Deus naturalibus ramis*, id est Judæis, qui quodammodo naturales rami sunt, prærogativa patrum quibus facta est promissio, vide, scilicet *ne* hoc *forte*, contingat, quod utique contingere potest, ut *nec tibi* alieno *parcat*. [Ambrosius, Haimo] Si enim Deus Judæis non pepercit, qui a sanctis patribus originem ducebant, et ex quorum gente ipse carnem assumpsit, multo magis nec vobis parcet, si a fide recesseritis, vel in superbiam intumueritis. Deinde duobus præmissis, duo alia reddens subdit: *Vide ergo*. Quasi dicat: Quia fide stas, Vide ergo *bonitatem*; et quia illi per incredulitatem fracti sunt, vide *severitatem*, id est districtam justitiam Dei. Bonitatem et severitatem Dei memorat, quia bonitate suadet et severitate terret. Utrumque ergo, o gentilis, adverte, et per utrumque disce humiliari. *In eos quidem qui ceciderunt*, vide *severitatem*; *in te autem*, vide *bonitatem Dei*, qua tibi beneficium confert. Dico in te esse bonitatem Dei, tamen hac conditione, si *permanseris in bonitate*, ut scilicet totum Deo tribuas. *Alioquin*, id est nisi tu permanseris, *et tu*, sicut et illi, *excideris* a sancta radice, et senties Dei severitatem, *Sed et illi*. Quasi dicat: Non solum tu excideris, si non permanseris in bono: sed, et illi, id est Judæi, *si non permanserint in incredulitate inserentur*, et ideo non sunt despiciendi. Dico si non permanserint, quod utique potest fieri. *Potens est enim Deus inserere illud* [*illos*] *iterum*. *Nam si*, quasi

A dicat : potens est inserere et vere. Nam inserentur, et hoc a minori probat loquens ad gentilem , quasi vere inserentur. *Nam tu* , o gentilis, *excisus es ex oleastro*, id est ritibus gentilium sterilium, *naturali*, tibi quia inde etiam natus es. Idololatria enim, et hujusmodi gentibus ex usu sunt quasi naturalia. *Et insertus es in bonam olivam*, id est unitus es per fidem patriarchis et apostolis, qui pinguedinem sancti Spiritus habuerunt. [Ambrosius] Oliva enim hic intelligitur fides patriarcharum. Insertus es, dico, et hic *contra naturam*, quia naturale est ut surculum bonæ arboris inseramus in truncum malæ, non surculum malæ in truncum bonæ. Et hoc insititio dicitur. (331) Dicitur autem humano more contra naturam esse, quod est contra naturæ usum, mor-
B talibus notum, sicut est illud, ut surculus fructum radici ferat. Id enim contra naturam, dicit Apostolus quod est contra consuetudinem naturæ, quam notitia humana comprehendit. Deus autem creator et conditor omnium naturarum , nil contra naturam facit, quia id est naturæ, vel naturale cuique rei quod facit, a quo est omnis modus, numerus, ordo naturæ, sed tamen non incongrue dicitur aliquid facere contra naturam, quando facit contra id quod novimus in natura. Hanc enim etiam cognitum nobis cursum appellamus, solitumque naturæ, contra quem cum Deus aliquid facit, magnalia, vel mirabilia dicuntur, vel nominantur. Contra vero illam summam naturæ legem a notitia remotam, sive impiorum, sive infirmorum, tam Deus nullo modo facit, quam contra seipsum non facit. *Quanto*
C *magis*. Quasi dicat : Et si hoc est quod utique est, quanto magis *hi qui* sunt *secundum naturam*, id est Judæi qui sunt edocti in lege cultum Dei, *inserentur suæ olivæ*, id est unientur suo populo.

Vers. 25-32. — « Nolo enim vos ignorare, fratres, mysterium hoc, ut non sitis vobis ipsis sapientes, quia cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret, sicut scriptum est : Veniet ex Sion qui eripiat et avertat impietatem a Jacob. Et hoc illis a me testamentum cum abstulero peccata eorum. Secundum Evangelium quidem inimici propter vos, secundum electionem autem charissimi propter patres. Sine pœnitentia enim sunt dona et vocatio Dei. Sicut enim aliquando et vos non credi-
D distis Deo ; nunc autem misericordiam consecuti estis propter incredulitatem illorum, ita et isti nunc non crediderunt in vestram misericordiam, ut et ipsi misericordiam consequantur. Conclusit enim Deus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur. »

Nolo enim. Quasi dicat : Inserentur Judæi. Et vere quia et interim quidam et tandem in fine plenitudo. Et hoc volo vos scire, et hoc est quod ait : *Nolo enim vos, o fratres, ignorare*, id est nolo quod vos ignoretis *mysterium hoc*, id est hoc occultum Dei judi-

(329) Augustinus, De quæst. nat.
(330) Id., in serm. de timore Domini.
(331) Id., contra Faust.

cium, mysterium dico, *ut non sitis ipsis vobis sapientes*, id est ideo voco mysterium, ne putetis vos hoc vestro ingenio posse discutere. Et quod sit illud mysterium quod non vult eos ignorare ostendit, scilicet *quia cæcitas*, non ex natura, sed ex culpa eorum, *contigit in Israel*, et hoc *ex parte*. Non enim omnes excæcati sunt. Contigit dico, *donec plenitudo gentium intraret*, id est ut intraret, et donec intraret ut causa notetur et terminus, *et sic*, scilicet postquam intraverit, *omnis Israel*, prædicante Elia et Enoch, *salvus fieret*, æmulando gentes, sic, etc., quasi dicat: Israel salvus fiet, *sicut scriptum est*, in Isaia : *Veniet* secundum carnem *ex Sion*, id est de Judæis, *qui eripiat*, quasi vi, quod et interim est quando aliquis Judæorum vix convertitur, *et avertat*, voluntarie, quod erit in fine quando facile convertentur, *a Jacob*, id est a Judæis, *impietatem*, id est infidelitatem, vel legalis observantiæ cultum. Cultus enim Judæorum ab adventu Christi impietas est. *Et hoc testamentum erit illis a me*, id est hæc promissio complebitur illis a me, quia ego ipse faciam quod promisi. Quando? *Cum abstulero*, id est remisero, *peccata eorum*, hoc erit in fine, quando in prædicatione Eliæ et Enoch convertentur Judæi. (332) Unde per Malachiam dicitur : ***Mittam vobis Eliam Thesbiten qui convertet corda patrum ad filios, et corda filiorum ad patres, ut etiam intelligant filii, sicut patres***, id est prophetæ intellexerunt (*Malach.* IV.) [Haimo] Sic enim cor patrum convertetur ad filios, cum intelligentia eorum perducetur ad filios, et cor filiorum ad patres, dum id quod filii senserunt illi sentient, et isti, ***secundum Evangelium***, quasi dicat: Tunc convertentur Judæi, sed modo inimici sunt Deo, et nobis ; et hoc secundum Evangelium, id est propter Evangelium, quod contra legem eorum est, non propter genus. [Ambrosius] Et hoc totum fit *propter vos*, id est ad utilitatem vestram, o gentes, ut scilicet vobis esset locus intrandi ad fidem. Error enim Judæorum gentibus aperuit viam ante tempus intrandi ad fidem. Prius enim ubique omnibus Judæis prædicandum erat, et tunc demum gentibus. Sed quoniam non crediderunt Judæi, ablatum est eis regnum et datum est gentibus. Ipsorum igitur occasione gratiam Dei gentes citius perceperunt. Vel ita : Tunc convertentur, sed modo inimici quidem sunt Dei, et nostri interim ex se, id est ex suo vitio, sed hoc est secundum Evangelium, et propter vos, id est ad profectum Evangelii et vestrum. [Augustinus] Inimicitia enim eorum qua Christum occiderunt, Evangelio sine dubitatione profecit (333) Et hoc ostendit ex Dei dispositione venisse, qui bene uti novit, etiam malis non quod eis prosint, sed ipso illis bene utente, prosunt electis. Ergo in malorum potestate peccare, ut autem peccando hoc, vel hoc, illa malitia faciant, non est in eorum potestate, sed Dei permittentis. Ex se ergo possent inimicari, quod proficit Evangelio Deo utente malis ad bonum,

A ut cum faciant contra voluntatem, id est præceptum Dei, impleatur tamen de illis, et sinit ab illis voluntas Dei sapienter omnia disponentis, *Secundum electionem autem.* Quasi dicat : Quidam Judæorum sunt inimici secundum Evangelium, et propter vos ; [Ambrosius] quidam autem eorum sunt *charissimi* et electi, et hoc non est propter eorum merita, sed secundum electionem, id est quia per gratiam sunt electi, et *propter patres*, [August.] id est promissiones patribus factas, quia dilectio Dei in his exuscitatur memoria bonorum patrum, quorum prærogativa plurima a Deo beneficia perceperunt. Electi ergo sunt dilecti propter patres, quibus hæc promissa sunt.

Ecce ostensum est in his verbis prædictis, quare B pars Judæorum excæcata est, scilicet suo vitio, et propter gentes, et pars illuminata. scilicet gratia electionis, et propter patres. Etsi enim quasi de eisdem loquatur, dicendo, inimici et dilecti, quia una gens erat omnium illorum ; alii tamen sunt inimici Dei. alii charissimi et dilecti. (334) *Sine pœnitentia enim.* Quasi dicat : Dico quod secundum electionem, et propter patres sunt salvandi, quia non sunt vocati ea vocatione qua multi non præsciti vocantur, qui tamen pereunt, de qua dictum est : Multi vocati, etc. (*Matth.* XXII), sed illa qua vocantur electi, ad quam qui pertinent omnes sunt docibiles Dei, nec potest eorum quisquam dicere, credidi, ut sic vocarer, quia prævenit eum misericordia Dei, qua vocatus est ut crederet. Quæ vocatio est sine pœnitentia, id est sine mutatione, quia qui audit a C Patre venit ad Filium, qui non perdit quidquam de omni dato ; quisquis vero perit, non inde fuit : qui inde est, omnino non perit. Propter quod Joannes ait : ***A nobis exierunt, sed ex nobis non fuerunt*** (*I Joan.* II). [August.] Fuerunt enim de multitudine vocatorum, sed non de paucitate electorum. Si enim fuissent de nobis, mansissent utique nobiscum. Et hoc est quod ait : Quasi dicat : Vere sunt salvandi secundum electionem, et propter patres, quia *dona*, id est promissiones, *et vocatio Dei*, id est electio Dei ab æterno, *sunt* sine pœnitentia, id est sine immutatione consilii Dei, vel ita : Ideo dico secundum electionem, quia quibus Deus fidem inspirat, sine præcedente eorum pœnitentia inspirat. Et hoc est, sine pœnitentia enim D **54** præcedente sunt dona et vocatio Dei ; id est gratuita et interior vocatio, qua Deus vocat ad fidem quod nullius meritum prævenit. [Ambrosius] Vel ita : Dixerat, veniet qui avertat impietatem a Jacob, et hoc erit, cum abstulero peccata eorum. Sed ne quis putet eos non posse accipere misericordiam, quia non videt eos exteriori pœnitentia affligi, ait : *Sine pœnitentia,* quasi dicat : Nemo diffidat de eis, et si non exterius plangant, quia vocatio Dei qua vocat ad fidem et dona, id est remissio peccatorum quam præstat in baptismo, sunt sine pœni-

(332) Augustinus, De civit. Dei.
(333) Id., De prædest. sanctor.

(334) Aug. De prædest. sanctor.

tentia exteriori. Verum est, quia gratia Dei in baptismo non requirit gemitum, vel planctum, vel opus aliquod, nisi solam fidem et cordis contritionem; et omnia gratis condonat. Hæc ideo dicit, ne putent illos non posse accipere misericordiam, quia eos dolere non vident. *Sicut enim.* Hic ostendit posse fieri ut impietas avertatur a Jacob, quia et a gentibus ablata est, quæ aliquando non crediderunt. Quasi dicat : Ita opus erat ut alii Judæorum essent inimici, et alii electi. Sicut enim et vos, o gentiles, *aliquando*, id est longo tempore plus quam isti, *non credidistis Deo*, quod valuit ad hoc, ut humiles modo credatis, id est qua ratione permisit vos olim Deus non credere, scilicet ne causam superbiæ haberetis postea conversi. *Nunc autem*, id est nuper *consecuti estis misericordiam*, probato quod deficit natura, id est quod per liberum arbitrium juvari non potestis. Consecuti estis dico, et hoc, *propter incredulitatem illorum*, quæ est aliqua causa vestræ misericordiæ. *Ita et isti*, id est Judæi, *nunc non crediderunt*, ne postea conversi materiam in lege gloriandi habeant. Non crediderunt, dico, venientes, *in vestram misericordiam*, id est non habuerunt fidei gratiam, per Dei misericordiam sicut et nos. Non crediderunt, dico, *ut et ipsi* humiliati *consequantur* vobiscum *misericordiam*, id est fidei gratiam. Ideo itaque de utriusque, id est de Judæis et gentibus ita factum est, quia *Deus conclusit*, [Haimo] id est permisit concludi omnia, id est Judæos et gentes, *in incredulitate*, [Ambrosius] quia aliter ex superbia ruerent. (335) Hic videtur aliquo modo mysterium exponere. *Conclusit enim Deus omnia in incredulitate, ut* de amaritudine infidelitatis suæ pœnitendo confusi, et ad dulcedinem misericordiæ Dei credendo conversi, humiliores permanerent, et ut gratia muneris esset gratissima, et clamarent : Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine. (*Psal.* XXX). Conclusit, dico, tamen ita *ut misereatur omnium*, [Ambrosius] id est Judæorum et gentilium quod nullum damnaturus sit, quod quidam falso opinati sunt.

VERS. 33-36. — « O altitudo divitiarum sapientiæ « et scientiæ Dei ! quam incomprehensibilia sunt ju« dicia ejus, et investigabiles viæ ejus ? Quis enim « cognovit sensum Domini ? aut quis consiliarius « ejus fuit ? aut quis prior dedit illi, et retribuetur « ei ? Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso « sunt omnia, ipsi gloria in sæcula sæculorum. « Amen. »

O altitudo, etc. Præmiserat sententiam miræ profunditatis, scilicet quod Deus conclusit omnia in incredulitate, ut omnium misereatur, cujus profunditate, velut horrore percussus, et velut abyssi altitudinem expavescens Apostolus exclamat : O altitudo. etc. (336) Valde enim parvum sensum habemus ad discutiendam justitiam judiciorum Dei, ad discutiendam gratuitam gratiam nullis meritis præ-

A cedentibus redditam ; nec tam movet nos quod gratia præstatur indignis, quam quod indignis æque aliis denegatur. (337) Scio enim quod sicut impossibilitas, ita et iniquitas non est apud Deum ; et scio quod resistit superbis, et humilibus dat gratiam. Illud vero obscurum est, quare quibusdam indignis dat, quibusdam negat. Aliquid est in abdito et profundo judiciorum Dei. Similiter nec illud perspicuum est, quare hoc modo salvaverit Judæos et gentes, ut prius permitteret eos concludi in infidelitate. Si quis ergo quærat, quare sic salvantur, cum multi alii modi salvationum sint, hoc se nescire per animi rationem innuit Apostolus. [Ambrosius] Quasi dicat : Excæcavit Deus gentes et Judæos ad tempus, ut omnium misereatur. Quare sic

B factum sit, non putes posse comprehendi. Hæc est enim altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quæ gentiles et Judæos multifaria providentia acquisivit ad vitam. Hanc igitur admiratur Apostolus dicens : *O altitudo divitiarum*, hoc dicit quia multa scit, et profunda *sapientiæ*, [Haimo] quæ est de rebus spiritualibus, *et scientiæ* Dei, quæ est de mundanis. Omnium enim divinarum humanarumque rerum sublimis et profunda cognitio est apud Deum, qui solus sicut sunt omnia intuetur, ad cujus notitiam omnis sensus noster retunditur. *Quam incomprehensibilia*, etc. Quasi dicat : Sicut sapientia et scientia ejus sunt incomprehensibiles, sic et judicia pro quibus cepit de sapientia et scientia. Et hoc est : *Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus*, id est dispositiones de omnibus rebus. *Et* quam *inve-*

C *stigabiles viæ ejus*, id est impletiones dispositionis, quia nec in exhibitione potest cognosci quod disposuit. Deinde, utens verbis Isaiæ, altam esse sapientiam Dei probat subdens : *Quis enim?* Quasi dicat : Vere est alta sapientia et scientia. *Quis enim cognovit*, hoc Isaias dicit, *sensum Domini ?* in sapientia et scientia? *Aut quis consiliarius ejus fuit ?* in dispositione vel exhibitione rerum, id est quis fuit cujus consilio ageret, vel qui ejus consilium sciret? [Ambrosius] Patris consiliarius est unigenitus Filius ejus, qui et Angelus magni consilii appellatur ; sed ex hominibus et angelis nullus ei fuit consiliarius. *Aut quis prior ?* quasi dicat : Et si judicia Dei non possumus scire, saltem hoc constat quod sola gratia dat bona, non ex præcedenti merito. Et hoc

D est quod ait : *Aut quis prior dedit illi* fidem et bona opera, priusquam ab ejus gratia præveniretur? *et retribuetur ei*, merces a Deo ex hoc quod fidem suam prior dedit illi? Nullus. [August.] *Quoniam* potius *omnia sunt ex ipso* Patre, ex quo Filius est ; [Haimo] *et per ipsum*, Filium, per quem omnia facta sunt ; [August.] *et in ipso*, Spiritu sancto, quia sola dilectione creavit, et conservat omnia. [Haimo] Ecce trinitas personarum hic ostenditur, et essentiæ unitas. Tres enim diversæ præpositiones, scilicet *ex*, *per*, *in* distinctionem personarum

(335) Augustinus, De civit. Dei.
(336) Augustinus, De cor. et grat.
(337) Id., De spiritu et lit.

indicant. [Augustinus] *Ipse* vero, id est pronomen repetitum identitatem substantiæ insinuat, sicut et illud quod subdit, *ipsi gloria*, non dicit ipsis. Non enim duos, aut tres deos fides Catholica prædicat, sed ipsam Trinitatem, unum Deum, non ut eadem Trinitas simul possit dici aliquando Pater, aliquando Filius, aliquando Spiritus sanctus, sicut Sabellius credit; sed ut Pater non sit, nisi Pater; et Filius non sit, nisi Filius; et Spiritus sanctus, non nisi Spiritus sanctus. Et hæc Trinitas, non nisi unus Deus. Hanc Trinitatem Apostolus creditur insinuasse, cum dicit, ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia. (338) Cum audimus omnia esse ex Deo, omnes utique naturas intelligere debemus, et omnia quæ naturaliter sunt. Neque enim ex ipso sunt peccata quæ naturam non servant, sed vitiant, quæ peccata de voluntate peccantium nascuntur, et cum in Deo sint omnia quæ condidit, non tamen inquinant eum qui peccant. De cujus sapientia dicitur: *Attingit omnia (Sap.* VIII), propter suam munditiam, et nil inquinatum in eam incurrit. Attendendum etiam est quod non ait de ipso, sed ex ipso sunt omnia. Ex ipso enim non hoc significat penitus quod de ipso. Quod enim de ipso est, potest dici ex ipso, sed non omne quod ex ipso est, potest dici esse ex ipso, quia non est de substantia sua. Ex ipso enim sunt cœlum et terra, quia ipse fecit ea; non autem de ipso, quia non de substantia sua. [Augustinus] Sicut aliquis homo si gignat filium et faciat domum, ex ipso est domus, ex ipso est Filius; sed filius de ipso, domus vero de ligno, et de terra est. (339) *Oportet* igitur ut Creatorem, per ea quæ facta sunt, intellectu conspicientes Trinitatem intelligamus, cujus Trinitatis vestigium in creaturis apparet. In illa enim Trinitate summa est origo omnium rerum, et perfectissima pulchritudo, et beatissima dilectio. Itaque illa tria a se invicem determinari videntur, et in se infinita sunt. Ita et singula sunt in singulis, et omnia in singulis, et singula in omnibus, et unum omnia. Non ergo confuse accipiendum est quod ait Apostolus ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia. Ex ipso dicit propter Patrem, et per ipsum propter Filium in ipso propter Spiritum sanctum. Non ait ex ipsis, per ipsos, et in ipsis; nec ait ipsis gloria, sed ipsi. Insinuare volens hanc Trinitatem unum Deum esse. [August.] Illud vero vigilanter intende, ne quia Patrem volens intelligi, dicit ex ipso, sic intelligas omnia esse ex Patre, ut neges omnia esse ex Filio, vel ex Spiritu sancto, cum ex Patre, et per Patrem, et in Patre omnia esse sane dici possit, similiter de Filio et Spiritu sancto dici potest. Ac per hoc dum dicitur ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia, sine dubio Patris, et Filii, et Spiritus sancti demonstrabitur æqualitas. (340) Et quia non ante nominaverat Patrem, vel Filium, vel Spiritum sanctum,

A sed Deum et Dominum, quod ipsa Trinitas dici potest, singula horum trium referri ad singulos voluit, subdens ex ipso. (341) Religet ergo vos vera religio uni omnipotenti Deo, quia inter mentem nostram qua illum intelligimus, patrem et veritatem, id est lucem interiorem, per quam illum intelligimus nulla interposita est creatura. [August.] Quare ipsam quoque veritatem nulla ex parte dissimilem; in ipso, et cum ipso Patre veneremur: quæ forma est omnium, quæ ab uno facta sunt, et ad unum referuntur, quæ tamen omnia neque fierent a Patre per Filium, neque suis finibus salva essent, nisi Deus summe bonus esset, qui et nulli naturæ quæ ab ipso bona esset, invidit: et in ipso bono, alia quantum vellent, alia quantum possent, ut

B manerent, dedit, quare ipsum donum Dei cum Patre et Filio æque incommutabile colere, et tenere nos convenit, unius substantiæ trinitatem Deum a quo sumus, per quem sumus, in quo sumus, **55** a quo discessimus, cui dissimiles facti sumus, a quo perire non permissi sumus, principium ad quod recurrimus, et formam quam sequimur, et gratiam per quam reconciliamur, unum quo auctore conditi sumus; et similitudinem ejus, per quam ad unitatem reformamur; et pacem, qua unitati adhæremus, scilicet Deum, qui dixit: Fiat; et Verbum, per quod factum est omne quod substantialiter et naturaliter factum est; et donum benignitatis ejus qua placuit, et conciliatum est auctori suo, ut non interiret quod ab eo per Verbum factum est. (342) Et hæ sunt res quibus fruendum est,

C scilicet Pater et Filius et Spiritus sanctus, eademque Trinitas, una quædam summa res est, communisque omnibus fruentibus ea; si tamen res dici debeat, et non rerum omnium causa, si tamen et causa. Non enim facile nomen, quod tantæ excellentiæ conveniat, inveniri potest, nisi quod melius dicitur, ita Trinitas hæc unus Deus, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, ita Pater et Filius et Spiritus sanctus, singulus quisque eorum Deus est, et simul omnes, unus Deus; et singulus quisque horum plena est substantia, et simul omnes una substantia. (343) Pater nec est Filius, nec Spiritus sanctus; Filius nec est Pater, nec Spiritus sanctus; Spiritus sanctus, nec Pater, nec Filius, sed Pater tantum Pater, et Filius tantum Filius; et Spiritus

D sanctus, tantum Spiritus sanctus. Eadem tribus æternitas, eadem incommutabilitas, eadem majestas, eadem potestas. In Patre unitas, in Filio æqualitas, in Spiritu sancto unitatis æqualitatisque concordia. Et tria hæc, dicimus unum omnia propter Patrem, æqualia omnia propter Filium, connexa omnia propter Spiritum sanctum; tamen unum, scilicet Dominum esse solum, cui servitus illa debetur, quæ latria Græco vocabulo nuncupatur. Patri, enim

(338) August. De natura boni.
(339) Id.., De Trinitate.
(340) Id., in eodem.
(341) Id., De vera religione.
(342) Id., De doctrina Christiana.
(343) Id., in lib. VI, De Trin.

et Filio et Spiritui sancto latria debetur. (344) Pater non habet Patrem, de quo sit; Filius autem de Patre est, ut sit, atque ut illi coæternus sit. Imago enim si perfecte implet illud cujus imago est, ipsa coæquatur ei, non illud imagini suæ, ubi jam est summa congruentia et prima æqualitas et prima similitudo, nulla in re dissidens et nullo modo inæqualis et nulla ex parte dissimilis; sed ad identidem respondit ei, cujus imago est, ubi est summa et prima vita, cui non est aliud vivere et aliud intelligere, sed id quod est ei intelligere, hoc est vivere et hoc esse est. Unum est hoc tanquam Verbum perfectum, cui non desit aliquid: et ars quædam omnipotentis atque sapientis Dei, plena omnium rationum viventium incommutabilium; et omnes unum in ea, sicut ipsa unum denuo, cum quo unum, ubi omnia novit Deus, quæ fecit per ipsam, et ideo cum discedant et succedant tempora, non discedit vel succedit aliquid scientiæ Dei. Non enim quæ creata sunt, ideo sciuntur a Deo, quia facta sunt. An non potius ideo facta sunt, quia immutabiliter a Deo sciuntur? Ille igitur ineffabilis quidam complexus Patris et imaginis, non est sine perfruitione, sine charitate, sine gaudio. Illa igitur dilectio, delectatio, felicitas, vel beatitudo, si tamen humana lingua vel voce digne dicitur, est in Trinitate Spiritus sanctus non genitus, sed genitoris genitique suavitas, ingenti largitate atque ubertate perfundens omnes creaturas pro captu earum ut ordinem suum teneant. Hæc igitur omnia quæ arte divina facta sunt, et unitatem quamdam in se ostendunt et speciem et ordinem. Nam quodque horum creatorum et unum aliquid est, et aliqua specie formatur, et ordinem aliquem petit, aut tenet, et ita in creaturis, ut prædiximus, vestigium prælucet Trinitatis. Nam propter hoc naturam summi boni simplicem esse dicimus, quia est in ea Pater solus, aut Filius in ea solus, aut Spiritus sanctus, id est quia sola est ista, non inde Trinitas, sine substantia personarum, sicut Sabelliani putaverunt; sed ideo simplex dicitur, quia est hoc quod habet, excepto quod relative quoque persona ad alteram dicitur, nec est ipsa. Nam utique Pater habet Filium, ad quem relative dicitur, nec tamen est Filius; et Filius habet Patrem, non tamen ipse est Pater. Propter hoc itaque et natura hæc dicitur simplex, quod non sit aliud habens, et aliud id quod habet, sicut et in cæteris rebus est. Non enim habens liquorem, liquor est, nec corpus color, nec aer lux. Non ergo Pater solus, nec solus Filius, nec solus Spiritus sanctus, Deus est; sed ipsa Trinitas, unus Deus est solus. *Ipsi gloria*, quasi dicat: Et cum talis sit, *ipsi* secundum substantiam singulariter uni sit *gloria*, non ipsis, et hoc *in sæcula sæculorum. Amen.*

CAPUT XII.

VERS. 1, 2. — « Obsecro itaque vos, fratres, per « misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra « hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. Et nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in novitate « sensus vestri; ut probetis quæ sit voluntas Dei « bona, et beneplacens, et perfecta. »

Obsecro vos itaque. [Ambrosius] Post tractatum legis et fidei et naturam Judaici populi et gentilis ad bonam vitam agendam hortatur. Hucusque enim ne alter adversus alterum superbiret monuit. Hinc moralis admonitio, qua monet ut alter de alterius utilitate laboret, quasi dicat: Quia in ipso sunt omnia. *Itaque obsecro vos, fratres.* Quasi dicat: Quod rogo, fraternitas exigit, obsecro dico, et hoc, *per misericordiam Dei,* id est per apostolatum misericorditer mihi a Deo commissum, vel per misericordiam a Deo vobis factam et exhibitam. Quod rogo, *ut exhibeatis*, id est offeratis, *corpora vestra,* non tamen mentes, sed etiam corpora licet caro repugnet, offeratis, dico, *hostiam*, in mortificatione carnalium desideriorum, viventem, per bona opera; *sanctam,* in Deo, scilicet firmam, *Deo placentem,* ut bona intentione faciatis. (345) Verum enim sacrificium est omne quod agitur, ut inhæreamus Deo; relatum scilicet ad illum finem boni, quo beati veraciter esse possimus. Unde et ipse homo Dei nomine consecratus, et Deo votus in quantum mundo morimur, ut juvat Deo, sacrificium est verum. [Ambrosius] Tunc ergo corpora nostra sunt hostia Deo acceptabilis, si ipsa incontaminata servemus, dissimiles illis qui voluptatibus carnis serviunt. Et nota quod ait hostiam viventem olim quod, apud veteres, oblata hostia occidebatur, ut homines causa peccati, æternæ morti subjecti ostenderentur. Hunc autem quia per donum Dei purificati sunt homines, et a secunda morte liberati, vivam hostiam debent offerre ut sit signum vitæ æternæ. Non enim sicut tunc, corpora pro corporibus immolantur, sed corporum vitia perimuntur. (346) *Rationabile,* quasi dicat: Exhibete corpora vestra hostiam; tamen, *obsequium vestrum,* totum in prædictis sit, rationabile, id est cum discretione ne quid minus sit, sed cum temperantia vestra corpora castigetis, ut non naturæ defectu cogantur dissolvi, sed vitiis mori. *Et nolite.* Hic anima jubetur in sacrificium Deo offerri, sicut ante jusserat Deo corpora offerri. Si enim corpus quo inferiore tanquam famulo, vel instrumento utitur anima, cum ejus bonus usus et rectus ad Deum refertur, sacrificium est, multo magis anima ipsa sit sacrificium, cum igne divini amoris accensa, formam concupiscentiæ sæcularis amittit, et Deo se referens ei tanquam incommutabili formæ subdita reformatur. Et hoc est quod ait: quasi dicat: Offerte corpora vestra, et etiam animas hoc modo: Nolite, in vestra enim manu est, *conformari huic sæculo,* id est formam concupiscentiæ sæcularis accipere. [August.] Sed

(344) Augustinus, in lib. VI, De Trin.
(345) Id., ad Maxim.
(346) Id., De civit. Dei.

reformamini, qui in Adam fuistis deformati, quia in eo partim est amissa imago Dei (347). Nam si non amisisset homo imaginem Dei, et rursum si totum amisisset, non diceretur, reformamini *in novitate sensus vestri* vel mentis vestræ, ut incipiat illa imago ab illo reformari, a quo formata est. Non enim reformare se ipsam potest, sicut potuit deformare : vel reformamini, quasi dicat : Item itemque, de die in diem quæ reformatio fit in his qui semper proficiunt, et in ea quæ ante sunt, se extendunt, novum hominem Christum, imitantes. Unde subdit : Reformamini, dico, in novitate sensus vestri, vel mentis vestræ, id est mentem cui non damnantur peccata reformamini ad modum novi hominis. (348) Et nota quod hic est generalis prohibitio, et generalis jussio; prohibitio enim est, nolite conformari huic sæculo. Jussio autem est, sed reformamini in novitate sensus vestri. Illud pertinet ad non concupiscere, hoc ad diligere ; illud ad continentiam, hoc ad justitiam ; illud ad declinandum a malo, hoc ad faciendum bonum. Non concupiscendo enim vetustate exspoliamur et diligendo novitate induimur. Ad hoc utique reformamini, *ut* in vobis ipsis experimento *probetis quæ sit voluntas Dei*, id est quid Deus velit, quæ voluntas est *bona*, quia quidquid Deus vult bonum est. Et beneplacitis illis qui intelligunt et experti sunt. *Et perfecta* in omni bonitate, ut nihil sit melius. Et nota quia voluntas Dei dicitur, sive ipsa qua vult quæ in Deo Deus est, sive illud quod vult : hic autem accipitur Dei voluntas qua vult, quæ semper impletur, quæ beneplacitum Dei vel dispositio interdum appellatur. De qua Propheta ait : *Omnia quæcunque voluit fecit* (*Psal.* CXIII), et Apostolus : *Voluntati ejus quis resistit ?* (*Rom.* IX). Omnia ergo bona quæ fiunt, Deus, fieri vult, quorum ipse auctor est, mala vero non vult fieri, nec tamen vult non fieri. Si enim vellet non fieri, et fierent, voluntati ejus aliquid resisteret ; sed tamen fieri ea præscit. Præterea voluntas Dei dicitur ejus operatio vel permissio. Unde Augustinus (349) : Non fit aliquid quod Omnipotens fieri non velit, vel sinendo ut fiat, vel ipse faciendo. Item voluntas fieri dicitur interdum ejus consilium, vel approbatio, præceptio, vel prohibitio.

56 VERS. 3.— « Dico enim, per gratiam quæ data « est mihi, omnibus qui sunt inter vos, non plus sapere « quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, « et unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei. »

Dico enim per gratiam. Quasi dicat : Illud obsecro ut non conformemini sæculo, sed reformemini in novitate sensus vestri. Hoc autem prohibeo, dico enim per gratiam apostolatus, id est auctoritate apostolica, *quæ data est mihi, non plus sapere*, id est investigare de mysteriis divinis, quam oportet sapere, *sed sapere ad sobrietatem*, vel, ad temperantiam, id est sine præsumptione, et temperanter, A quod præceptum, omnes hæretici transgressi sunt. Et hoc dico non omnibus vobis, sed *omnibus qui sunt inter vos* tales, quia nec omnes hoc agebant, sed quidam inter illos. (350) Et sciendum quia hoc est sacrificium Christianorum, ut multi unum corpus sint in Christo. Hoc enim in sacramento altaris fidelibus voto demonstratur Ecclesiæ, quæ in ea re quam offert significatur. Sicut enim panis ex multis conficitur granis, ita ex multis fidelium membris sancta constat Ecclesia, qui Creatoris sui participatione congauderet, cujus munere sancti sunt et unum, quod in sequenti ostenditur, ubi ait : *Multi unum corpus sumus in Christo* (*I Cor.* X). Quod non potest fieri, nisi sapiant ad sobrietatem quod hic præcipit. *Et unicuique.* Sicut monuit ne de priori B statu superbiant, ita ne de donis quæ in fide recipiuntur. Quasi dicat : Præcipio non plus sapere quam oportet, et præcipio, scilicet majori vel minori sapere, *sicut divisit Deus mensuram fidei*, id est ea ratione qua Deus dedit unicuique divisim dona mensurata, quæ fides meretur. Quod ideo fecit, ut nec indigeat, et sit subserviendi materia, ut ita sit mutua dilectio. [Ambrosius] Aperte ostendit Apostolus in his verbis hoc debere nos sapere quod justitiæ terminos non egrediatur, ut non nobis solis utile sit, sed et nulli obsit. Vel, ita : Et unicuique præcipio non plus sapere, sicut divisit mensuram fidei, id est secundum fidem quam Deus mensurate dividit. [August.] Nam et fidem mensurate partitur Deus unicuique, (351) et hæc est operans per dilectionem sine qua nulla cujusque bona opera existi- C manda sunt ; ex qua omnis justitia sumit initium ; quæ non est tribuenda libero arbitrio, nec illis præcedentibus meritis, quia inde incipiunt omnia bona quæcunque merita. Opera quippe bona fiunt ab homine, fides autem fit in homine, sine qua illa a nullo fiunt homine. Fides ergo donum Dei est quam partitus Deus unicuique, sicut et alia dona sancti Spiritus, sine quo Spiritu sancto constat Christum nos diligere, et ejus mandata servare non posse : et id nos posse atque agere tanto minus, quanto illum percipimus minus ; tanto amplius, quanto illum percipimus amplius. Ideoque non solum non habenti, verum etiam habenti non incassum promittitur ; non habenti quidem ut habeatur ; habenti autem ut amplius habeatur. Nam si ab alio minus, D ab alio non plus haberetur, sanctus Eliseus sancto Eliæ non diceret : *Spiritus qui est in te duplo sit in me* (*IV Reg.* II). Christo autem, qui est Dei Filius, non ad mensuram datus est spiritus, quia in illo habitat omnis plenitudo divinitatis. Neque enim sine gratia Spiritus sancti, est mediator Dei et hominum homo Christus. Quod enim unigenitus est Filius, æqualis Patri, non est gratiæ sed naturæ. Quod autem in unitate personæ Unigeniti assumptus est homo, gratiæ et non naturæ. Cæteris autem omnibus

(347) Augustinus, De Trinitate.
(348) Id., De perfect. justit. hom.
(349) Id., in enchirid.

(350) Augustinus, De civit. Dei.
(351) Id., ad Julianum.

ad mensuram datur, et datus additur, donec unicuique pro modo suæ perfectionis propria mensura compleatur. Unde Joannes de Christo loquens ait : *Non enim ad mensuram Deus dat spiritum* (*Joan.* III). Cæteris vero dividitur, non quidem ipse spiritus, sed dona ejus. Et sciendum quod obtemperandum est Apostolo præcipienti unicuique sapere secundum mensuram fidei. (352) Si enim pro viribus suis alitur infans, crescit ut plus capiat ; si autem vires suæ capacitatis excedit, deficit antequam crescat.

VERS. 4-15. — « Sicut enim in uno corpore multa « membra habemus, omnia autem membra non « eumdem actum habent, ita multi unum corpus « sumus in Christo ; singuli autem alter alterius « membra, habentes donationes secundum gratiam « quæ data est nobis, differentes ; sive prophetiam, « secundum rationem fidei ; sive ministerium, in « ministrando ; sive qui docet, in doctrina ; qui ex« hortatur, in exhortando ; qui tribuit, in simplici« tate ; qui præest, in sollicitudine ; qui miseretur, « in hilaritate ; dilectio, sine simulatione ; odientes « malum, adhærentes bono, charitatem fraternitatis « invicem diligentes, honore invicem prævenientes, « sollicitudine non pigri, spiritu ferventes, Domino « servientes, spe gaudentes, in tribulatione patientes, « orationi instantes, necessitatibus sanctorum com« municantes, hospitalitatem sectantes. Benedicite « persequentibus vos. Benedicite, et nolite maledice« re. Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus. »

Sicut enim. Quasi dicat : Ideo mensurate divisit dona, quia multi unum corpus sumus, et ideo omnia necessaria danda, sed non in uno, et hoc est quod ait, *Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non habent eumdem actum, ita* nos, *multi*, per diversa dona, *unum corpus sumus in Christo,* invicem subserviendo. Ecce corporis exemplo docet non posse nos singulos habere omnia, ac per hoc curam nostri invicem nos agere debere, quia invicem officiis nostris indigemus. *Singuli autem.* Quasi dicat : Omnes unum corpus sumus in Christo, singuli autem sumus *membra, alter* quidem est membrum *alterius*, et ita sumus aliis servientes et aliis indigentes. Ideo dicitur singuli, quia nullus excluditur, major vel minor. *Habentes autem*, vel, *igitur*. Quasi dicat : Singuli sumus membra, ad hoc, autem sumus habentes *donationes differentes*, id est dona differentia. Habentes dico *secundum gratiam, quæ data est nobis.* Vel ita lege, quasi dicat : Singuli sumus membra. Igitur, in differentibus donis hoc agatur. Et hoc est quod ait, quia sumus membra. Igitur habentes donationes secundum gratiam quæ data est nobis, scilicet simus membra alter alterius. Quæ autem illæ sint gratiæ, ex quarum diversitate dicuntur membra, et qualiter in illis nobis invicem subservire debeamus aperit dicens : *sive* habentes *prophetiam*, id est revelationem futurorum, vel quorum-

A libet occultorum, simus membra aliorum, ut illis prophetemus. Habentes dico, *secundum rationem fidei*, quia, ut exigit fides eorum, vel auditorum datur prophetia. [Ambrosius] Et nota quod in enumeratione gratiarum a prophetia incipit, quæ est prima probatio, quod fides nostra sit rationabilis, quia credentes accepto spiritu prophetabant. *Sive ministerium* ecclesiasticum habentes, ut presbyteri simus, membra aliorum *in ministrando* assidue. *Sive qui docet*, id est qui habet gratiam docendi sit membrum alterius, *in doctrina*, id est in exhibitione doctrinæ. *Qui exhortatur*, id est qui habet gratiam exhortandi sit membrum alterius in exhortando. *Qui tribuit*, eleemosynas tribuat, non in duplicitate præsentis et futuræ gloriæ, sed *in simplicitate* futuræ

B gloriæ, et ita sit membrum alterius. Et *qui præest*, ut princeps præsit ; in sollicitudine, id est ut sollicite agat, et ita sit membrum alterius ; et qui *miseretur*, id est qui habet gratiam compatiendi oppresso hoc faciat *in hilaritate*, id est læto animo subveniat, et ita sit membrum alterius, quoniam in multis offendimus omnes (*Jac.* III), [Aug., Hier.] suggerit Apostolus Dominicam et quotidianam medicinam. Hæc enim miseratio est quotidiana medicina quotidianis et si levioribus tamen vulneribus et multis. Judicium enim sine misericordia fiet illi qui non fecit misericordiam (*Jac.* II). Unde Dominus ait : *Dimittite et dimittetur vobis. Date et dabitur vobis* (*Luc.* VI). Et hoc utique justum est ut dimittatur dimittenti, et detur danti. Inest quippe Deo et misericordia judicanti, et judicium miserenti. Quisquis

C vero quasi nimis justus et securus judicium exspectat sine misericordia, iram provocat. [Ambrosius] Misericordia hæc est multiplex, scilicet dare alii, peccanti ignoscere, oppresso subvenire, etc. [Aug.] Et ideo non superflue hoc subdit de misericordia, ponendum unum misericordiæ membrum, cum præmissum sit aliud membrum misericordiæ ubi ait, qui tribuit in simplicitate, hoc dicit in hilaritate. Simplicitas excludit hypocrisim. Hilaritas gaudium ostendit fretum spe futuri. Omnis ergo misericordia, et simpliciter, et cum gaudio debet fieri. *Dilectio* qua diversa dona uniuntur, sit *sine simulatione*, et sic erit alter alterius membrum ; et sitis *odientes malum et adhærentes bono* ; ut nec dilectio amici faciat malum amare, nec malum faciat bonum

D dimittere, et sitis *diligentes invicem charitatem fraternitatis*, id est quod fratres charitatem habent inter se ; vel sitis volentes a fratribus rediligi ; et sitis *invicem prævenientes* vos *honore*, id est in qualibet reverentia. [Ambrosius] Aliter non est fraternus amor, nisi mutuis se præveniant obsequiis, et sitis *in sollicitudine non pigri*, id est si solliciti estis corde non sitis pigri opere. Maledictus enim est, sicut Jeremias ait, qui opus Dei fecerit negligenter (*Jer.* XLVIII), [Haimo] quia pigri in conversatione divina sine spe sunt. (353) Et ideo ut pigritiæ frigus

(352) **Augustinus, De civitate Dei.**

(353) **Id., De blasphemia Spiritus sancti.**

pellatur, sitis *ferventes spiritu*, id est igne charitatis, et si actu non potestis implere quod vultis. Ideo autem dicit, ferventes, quia Spiritus sanctus ignis est quo fervet charitas, quæ diffunditur in cordibus nostris per Spiritum **57** sanctum: cui fervori contrarium est, quod dicit Dominus : *Refrigescet charitas multorum* (*Matth.* XXIV). De hoc igne Dominus ait : *Ignem veni mittere in terram* (*Luc.* XII). *Domino*, vel tempori. Quasi dicat : Quamvis dixerim, ut spiritu ferventes sitis, tamen non passim, et importune verba Dei ingeratis, sed tempori, id est opportunitati sitis *servientes*, ut modeste cum honestate, et aptis locis, et personis, et apto tempore fidei verba loquamini. Vel dando proximo sitis Domino servientes. Quasi dicat : Quod proximo impenditis, credite vos impendere Deo et in his sitis, *gaudentes spe*, ut nonnisi æterna speretis, et inde gaudeatis. Certi enim de futuris gaudent, quia sperant certissime se accepturos, et ideo patientes sunt in tribulationibus. Unde subdit, *in tribulatione*. (354) Quasi dicat : Hoc agite quæ dixi, etsi in his bonis mala occurrunt, sitis *patientes in tribulationibus* : et ut possitis mala pati, sitis *instantes orationi*, quia adhuc differtur res, et ideo necessaria est oratio. *Necessitatibus*, quasi dicat : Patiamini. Et *necessitatibus sanctorum* sitis *communicantes*, vestra, id est sanctis passis vestra communia facite, et recipite sanctos in hospitio, quod ita ait : sitis *sectantes hospitalitatem*, exemplo Abrahæ et Lot. [Ambrosius] Et etiam, *benedicite*, id est bona orate, *persequentibus vos*. Per hoc removet eos a communi consuetudine, ne irato animo incitati, ut prius facile maledicant, sed magis victa iracundia benedicant, ut laudetur Dominica disciplina. Ideoque repetit, ut hoc semper faciendum doceat dicens, benedicite. Quasi dicat : Item itemque. *Et nolite maledicere*. Quasi dicat, benedictio vestra sit sine admistione amaritudinis. Et etiam debetis *cum gaudentibus gaudere* de profectu, et debetis *cum flentibus flere;* de eo unde flendum sit, ut de lapsu alicujus, vel de gloriæ dilatione. Et sitis

VERS. 16-21. — « Idipsum invicem sentientes, « non alta sapientes, sed humilibus consentientes. « Nolite esse prudentes apud vosmetipsos, nulli ma« lum pro malo reddentes, providentes bona non « tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus ho« minibus. Si fieri potest (quod ex vobis est) cum « omnibus hominibus pacem habentes, non vosmet« ipsos defendentes, charissimi, sed date locum « iræ. Scriptum est enim : Mihi vindictam, et ego « retribuam, dicit Dominus. Sed si esurierit inimi« cus tuus ciba illum ; si sitit, potum da illi ; hoc « enim faciens, carbones ignis congeres super caput « ejus. Noli vinci a malo, sed vince in bono malum. »

Idipsum invicem sentientes, cum illis in gaudio, vel in fletu. [Ambrosius] Et pro his omnibus prædictis et aliis, *non* sitis *sapientes alta*, in corde sal- A tem ; sed sitis *consentientes humilibus*, id est humilium imitatores. (354*) Et nota quod non ait, colloquentes humilibus, sed consentientes, quod non sit ore tantum, quia tunc vera est humilitas, si non est lingua sola, sicut hypocrita qui dicit se peccatum non habere foris, fingit humilitatem, intus amplectitur vanitatem. Ergo in corde et in ore non habet veritatem. [Ambrosius] Ideo ergo dixit, non alta sapientes, ne sit elatio in animo, et ne præsumentes de se condoleant aliis, sed exprobrent, quasi peccatoribus. Hæc est superbia quæ cum se præponit offendit. Deinde adjunxit : *sed humilibus consentientes*, ut aliena causa sit eorum, ut ita gratiam habeant apud Deum qui superbis resistit, et humilibus dat gratiam (*I Petr.* V). Et *nolite esse* B *prudentes apud vosmetipsos*, id est ne prudentiam vestram apud vos tantum, sed magis apud proximos exerceatis, etiamsi quis eorum offendit. Unde subdit : *Nulli* sitis *reddentes malum pro malo*, etiamsi qui offendant vos. [Ambrosius] Deinde monet ne etiam licita cum scandalo fiant, dicens : Et sitis *providentes bona, non tantum coram Deo*, id est in secreto cordis, *sed etiam coram omnibus hominibus*, ut non fiat scandalum, sed bonum exemplum, quia illud fieri debet, quod et Deo non displiceat et fratri scandalum non sit. Et etiam sitis, *habentes pacem cum omnibus hominibus si fieri potest*, ut assentiant, si vero non potest fieri, malorum iniquitate merente, saltem *quod ex vobis est*, facite, scilicet quod ad vos pertinet, id est pacem cum eis habete quantum in vobis est, ut etiam cum his qui C oderunt pacem sitis pacifici (*Psal.* CXIX). Vel sitis habentes pacem cum omnibus hominibus, si fieri potest, ideo dicit, si fieri potest, quia difficile est. Quod tamen licet sit difficile, est ex vobis, id est in potestate vestra, scilicet habere pacem cum omnibus. Et non sitis *defendentes vosmetipsos charissimi*, id est non sitis referientes adversarios. *Sed date locum iræ*, id est judicio Dei. (355) Attende quod non præcipit ut nolint sancti vindicari a Deo quod clamant sancti, sed ut non seipsos vindicantes dent locum iræ Dei, qui dixit : *Mihi vindictam*, ad quem in Apocalypsi sancti clamant : *Vindica, Domine, sanguinem nostrum* (*Apoc.* VI). Quod aliter oporteat accipi, non est prætereundum, ne videantur sancti, propter exsaturandum odium desiderare vindi- D ctam, quod ab eorum perfectione longe est. Non ergo vindictam volunt propter exsaturandum odium ; sed tamen scriptum est : *Lætabitur justus cum viderit vindictam* (*Psal.* LVII). Præcipit autem Apostolus hic, ut dictum est, ut non ipsi se vindicantes dent locum iræ Dei. Sed si vult bonus, ut Deus inimicum puniat, ubi ergo est illud : *Diligite inimicos vestros, benefacite illis qui oderunt vos* (*Matth.* V), et illud, *Non reddentes malum pro malo ?* Nonne hoc est reddere malum pro malo ? et non diligit, nec bonum facit inimico ? Cum igitur et homo justus et homo malus de

(354) Augustinus, in psal. LXXXIII.

(354*) Id., psal. CXXX.
(355) Id., in psal. LXXXVIII.

inimicis suis velint a Domino vindicari, in quo discernuntur. Sed bonus magis cupit corrigi inimicum quam puniri, et cum Deus punit non delectatur de pœna inimici, quia non odit eum, sed de judicio Dei, quia Deum diligit. Hoc ei placet quod Domino, quia et Deus, quem in hoc sequitur, pluit hic super justos et injustos (*Matth.* v) : tamen et in hoc sæculo asperis corripit, et pertinaces in fine damnabit. [Haimo] Huic ergo reservanda est vindicta. Unde ait, date locum iræ, id est vindictæ Dei, vel, iræ adversariorum. Ille dat locum iræ adversarii, qui permittit adversario facere quod vult. Et debetis dare locum iræ Dei. *Scriptum est enim* in Proverbiis : *Mihi vindictam* reservavi, vel vos reservate, *et ego retribuam dicit Dominus*, id est vindicabo, et qui non facit Deum contemnit. *Sed si esurierit*. Nota insolentiam *sed* conjunctionis ; ita est enim prosequendum, quasi non sit ibi interposita utraque conjunctio. Ac si diceret sine *sed*, si esurierit, etc. Vel ita potest legi ut neutra superfluat conjunctio. Quasi dicat : Non solum non defendatis vos, *sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum ; si sitit, potum da illi*, id est in vitæ necessariis subveni illi. *Hoc enim faciens*. Quasi dicat : Ideo facito hoc, quia hoc faciens *congeres carbones ignis*, id est fervorem charitatis, vel sancti Spiritus, vel urentem pœnitentiæ ardorem, *super caput ejus*, id est mentem ejus. Et si non pœnitet, tamen, noli vinci *a malo*, *sed vince malum in bono*, id est in patiendo, quia si repercutis, similis ei nequam fies. Bonitate ergo contende contra illum. (356) Et est vera contentio et salubre certamen, ut sit bonus contra malum, non ut sint duo mali ; si tu jam non es malus, opta malo ut sit bonus, displiceat tibi quod malus est, placeat ut fiat bonus, ne sint duo mali.

CAPUT XIII.

Vers. 1-6 — « Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi a « Deo : quæ autem sunt, a Deo ordinatæ sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, « qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Nam principes non sunt timori boni operis, « sed mali. Vis autem non timere potestatem ? Bonum fac, et habebis laudem ex illa ; Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, « time. Non enim sine causa gladium portat. Dei « enim minister est, vindex in iram ei qui male « agit. Ideoque necessitati subditi estote, non solum « propter iram, sed etiam propter conscientiam. « Ideo enim et tributa præstatis, ministri enim « Dei sunt, in hoc ipsum servientes. »

Omnis anima. Et hic ad humilitatem invitat, videbatur enim quibusdam quod mali domini, et maxime infideles, non debent fidelibus dominari : etsi boni et fideles essent, bonis et fidelibus deberent esse pares. (357) Quam superbiam removet hic Apostolus a parte superiore, id est anima significans totum hominem. Quid est enim omnis anima, nisi omnis homo ? Quasi dicat : Omnia prædicta servanda sunt, etsi ita perfecti estis in corpore Christi, tamen omnis anima, subdita sit, id est omnis homo subditus sit, quem nomine animæ, ideo significo ut non solum in corpore, sed et voluntate serviatis. [Haimo, Augustinus] *Omnis* ergo *anima subdita sit*, ut etiam voluntate serviat homo, *potestatibus* sæcularibus, bonis vel malis, scilicet regibus, principibus, tribunis, centurionibus, et aliis hujusmodi. Si enim bonus fuerit qui tibi præest, nutritor tuus est ; malus si fuerit, tentator tuus est. Et nutrimenta libenter accipe, et in tentatione approbare. Esto ergo aurum, et attende mundum istum quasi fornacem aurificis. Sit ergo omnis anima subdita potestatibus *sublimioribus*, id est in hoc qui sublimes sunt, id est in mundanis. Vel causa notatur cum dicit sublimioribus, id est quia sublimiores sunt. *Non est enim*. Probat quod debent subdi hoc modo : Quia omnis potestas est a Deo, sed quæ *a Deo datæ sunt, ordinatæ sunt*. Igitur potestas ordinata, **58** id est quicunque habet potestatem Dei, ordinatione habet.

Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Et hoc est quod dicit, quasi dicat : Ideo debes subjici potestati, quia *non est potestas* alicui homini vel bono vel malo, *nisi a Deo* data. Unde Pilato Dominus ait: *Non haberes in me potestatem, nisi datum esset tibi desuper* (*Joan.* XIX). Malitia hominum, cupiditatem nocendi per se habet ; potestatem si ille non dat, non habet. Ideoque diabolus antequam aliquid tolleret Job, dicebat Domino : *Mitte manum tuam* (*Job* I), id est da potestatem, quia etiam nocentium potestas, non est nisi a Deo. Sicut scriptum est, loquente Sapientia : *Per me reges regnant, et tyranni per me tenent terram* (*Prov.* VIII). Unde Job de Domino ait : *Qui facit regnare hypocritam propter perversitatem populi* (*Job* XXXIV). Et de populo Israel dicit Deus : *Dedi eis regem in ira mea* (*Ose.* XIII). (358) Nocendi voluntas potest esse ab hominis animo ; potestas autem non est nisi a Deo ; et hæc est abdita aptaque justitia. Injustum enim non est ut improbis accipientibus nocendi potestatem bonorum patientia probetur et malorum iniquitas puniatur. Nam per potestatem diabolo datam, et Job probatus est ut justus appareret, et tentatus est Petrus, ne de se præsumeret, et Paulus colaphizatus ne se extolleret, et Judas damnatus ut se suspenderet. Cum ergo Deus justos faciat suos per potestatem diabolo datam, tunc pro iniqua nocendi voluntate, quæ diaboli ipsius fuit, ei reddetur in fine supplicium. Quæ autem sunt a Deo ordinata, id est rationabiliter ab eo disposita sunt. Job ait : *Deus potentes non abjicit, cum et ipse sit potens* (*Psal.* XVI). Gregorius Deum imitari desiderat, qui fastigium

(356) Augustinus, super psal. XXXIII.
(357) Id., super Joannem.
(358) Id., De natura boni.

potentiæ alienis intentus utilitatibus, et non suis laudibus administrat. Qui prælatus cæteris prodesse appetit, non præesse. Timoris namque elatio, non ordo potestatis in crimine est, potentiam tribuit; elationem vero potentiæ malitia nostræ mentis invenit. Tollamus ergo quod de nostro intulimus, et bona sunt quæ Domino largiente possidemus, quia nequaquam justa potentia, sed actio prava damnatur. *Itaque qui resistit*, vel dolo, vel vi, *potestati*, id est homini habenti potestatem, in his scilicet quæ ad potestatem pertinent, ut in tributo, et hujusmodi, *Dei ordinationi resistit*, id est habenti potestatem Dei ordinatione. Non ergo secundum Dei ordinationem agit. De potestate bona patet quod Deus præfecit eam rationabiliter; de mala etiam videri potest dum boni per eam purgantur, et mali damnantur, et ipsa deterius præcipitatur. Et nota quod nomine potestatis interdum accipitur potestas ipsa quæ datur alicui a Deo, aliquando ipse homo habens potestatem, quod diligens lector distinguat. *Qui autem*, quasi dicat : Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Hoc autem tam grave est, quod, qui ei resistit, ipsi sibi acquirit damnationem. Et ideo non deberet quis resistere, sed subjici. Si tamen illud jubeat quod non debes facere, hic sane contemne potestatem timendo majorem potestatem. Ipsos humanarum rerum gradus adverte, si quid jusserit curator, nunquid faciendum est, si contra proconsulem jubeat ? Rursum, si quid ipse proconsul jubeat, et aliud jubeat imperator, nunquid dubitatur illo contempto illi esse serviendum ? ergo si aliud imperator, aliud Deus jubeat, contempto illo, obtemperandum est Deo.

Nam principes. Quasi dicat : Merito acquirunt damnationem qui potestati resistunt. Nam principes boni vel mali *non sunt, timori boni operis, sed mali*, id est non sunt ad timorem his qui bene operantur, sed his qui male. Si enim bonus est princeps bene operantem non punit, sed diligit. Si vero malus est non nocet bono, sed purgat eum. Malus vero debet timere, qui instituti sunt principes ut mala puniant. Principes dicit illos quia propter corrigendam vitam, et prohibendo adversa creantur, Dei habentes imaginem, ut sub uno cæteri sint. *Vis autem*. Quasi dicat : Male operantibus sunt timori, tu autem vis *non timere potestatem*, quæcunque sit sive bona, sive mala, *fac bonum, et* non est unde timeas, imo *habebis laudem ex illa* ; etsi mala est, dum tibi causa est majoris coronæ. Si autem justa est potestas, habebis laudem ex illa, etiam ipsa laudante (359). Si iniqua est, habebis laudem ex illa, non ipsa laudante, sed ipsa tibi laudis occasionem præbente. Vere ex illa laudem habebis. *Dei enim minister est tibi in bonum*, id est tibi est faciens bonum sive bonus, sive malus sit, quia exercet, vel datus est a Deo in bonum tuum, ut tueatur te et tua. Manifestum est enim quod ideo dati sunt rectores a Deo, ne malum fiat bonis. *Si autem male feceris*. Quasi dicat : Bono non est timendum ; si autem male feceris *time*. Et timendum est, enim, id est quia *portat gladium*, id est habet judiciariam potestatem, *non sine causa*, sed ut malos puniat, et hoc ostendit subdens. *Dei enim minister est*, id est loco Dei vindicat, ipse dico existens *vindex in iram Dei*, id est propter offensam Dei vindicandam. Vel vindex in iram Dei futuram ostendendam, id est propter vindictam Dei futuram ostendendam, quia hæc punitio vindicat persistentes in malo, gravius esse puniendos. Dico quod vindex est, et hoc, *ei*, id est ad damnum ejus *qui malum agit*, et quia minister Dei est, *ideo subditi estote* ei, *quasi ex necessitate*, vel *necessitati*, alia littera, id est necessariæ ordinationi, *subditi estote*, et hoc *non solum propter iram* principis, vel Dei vitandam, *sed propter conscientiam*, scilicet ut munda sit vestra mens, prælatum a Deo diligendo, licet enim omnes fideles in quantum fideles sunt unum sint in Christo, in cujus fide non est distantia Judæi et Græci, Domini et servi, et hujusmodi; differentia tamen est in conversatione mortali, et ejus ordinem in hujus vitæ itinere servandum esse apostoli præcipiunt. Alia sunt enim quæ servamus in unitate fidei sine ulla distantia ; alia in ordine hujus vitæ tanquam in via, ne nomen Domini, et doctrina blasphemetur. *Ideo enim*, hæc est probatio subjectionis, quasi dicat : Subditi esse debetis, quia etiam ideo, id est ad ostendendam subjectionem, *præstatis tributa*, quod est signum subjectionis, non ait solvitis, sed præstatis, quasi reddituris, quia reddunt serviendo in defensionem, dum pugnant pro patria, et dum agunt judicia ; præstatis tributa, vos dico servientes Deo, *in hoc ipsum*, id est propter hoc ipsum servitis Deo, quod illis tributa datis. Vere per hoc servitis Deo ; *ministri enim Dei sunt*. Ad hoc enim instituti sunt, ut boni laudentur, mali puniantur. Vel ita : ministri enim, quasi dicat : Debetis præstare tributa, quia ministri Dei sunt. Ipsi dico *servientes* vobis, dum patriam defendunt, *in hoc ipsum*, id est propter hoc, scilicet propter tributum serviunt vobis in defensione patriæ, et quia ministri Dei sunt.

VERS. 7-10. — « Reddite ergo omnibus debita, « cui tributum tributum, cui vectigal vectigal, cui « timorem timorem, cui honorem honorem. Nemini « quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis. Qui « enim diligit proximum, legem implevit. Nam : « Non adulterabis : Non occides : Non furaberis : « Non falsum testimonium dices : Non concupisces ; « et si quod est aliud mandatum, in hoc verbo in« stauratur : Diliges proximum tuum sicut teipsum. « Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo « ergo legis est dilectio. »

Reddite omnibus debita, [Haimo] ut sic laudetur disciplina evangelica, hoc modo, *cui* debetis *tributum* reddite *tributum*. Tributum dicit quod regio-

(359) Aug., in serm. sancti Laurentii.

nes solvunt; *cui* debetis *vectigal,* reddite *vectigal.* A Vectigal dicitur stipendium, quod datur dominis quando per patrias vehuntur; vel tributum dicitur, quod domi solvitur, vectigal quod ad domum domini vehitur. *Cui* debetis *timorem* reddite *timorem*, ut Dominum timeamus, et personas vereamur. *Cui honorem* debetis, reddite *honorem*, ut assurgere, et hujusmodi. Quis per singula? *Nemini quidquam debeatis nisi ut invicem diligatis*, id est cætera ita solvite ut non debeatis aliquid. (360) Charitatem vero ita solvite ut semper debeatis. Sola enim charitas est quæ etiam reddita semper detinet debitorem. Redditur enim cum impenditur. Debetur autem si reddita fuerit, quia nullum est tempus quo ipsa danda non sit, nec cum redditur amittitur, sed potius reddendo multiplicatur. Habendo enim redditur non carendo; ut pecunia quæ reddi non potest, nisi habeatur, nec haberi nisi reddatur. Imo cum redditur ab homine, crescit in homine, et tanto major acquiritur, quanto pluribus redditur. Hic autem fit mentio de charitate, quia valet ad humilitatem prædictam. [Ambrosius] Et nota quod pacem nos supra monuit habere ad omnes. Hic autem dilectionem dicit esse habendam inter fratres quod notat dicendo, *invicem*. Aliter enim vere fratres non sunt, et vere dilectio est habenda, quia *qui diligit proximum, legem implevit*. Et hoc per partes ostendit, dicens: *Nam*: *Non*, quasi dicat: Vere implevit, nam hoc præceptum: *Non adulterabis*; et hoc: *Non occides*; et hoc: *Non furaberis*; et hoc: *Non falsum testimonium dices*; et hoc: *Non concupisces* rem proximi tui. *Et si quod est aliud mandatum*, per Moysen datum, *instauratur*, id est continetur et impletur. *In hoc verbo*, id est in hoc mandato, quod Moyses fecit in Levitico, scilicet: *Diliges proximum tuum sicut teipsum*. (361) In bono diligendus est proximus, non in malo, quoniam *qui diligit iniquitatem, odit animam suam* (*Psal.* XI); et ita non seipsum diligit, quia nec proximum sicut seipsum. Et nota quia cum duo sint præcepta charitatis, in quibus tota lex pendet et prophetæ (*Matth.* XXII), pro utroque sæpe unum ponitur, non immerito, quia Deus, nec sine proximo, nec proximus sine Deo diligi potest. Hic autem dilectio proximi ideo commemoratur, quia dilectio proximi in factis apparet. (362) Dilectio vero Dei amplius latet, et ideo hanc spiritualius ponit, de qua Dominus ait: *Mandatum novum do vobis ut diligatis invicem (Joan.* XIII), ubi illud mandatum majus dilectionis Dei videtur esse prætermissum. Sed bene intelligentibus utrumque invenitur in singulis, quia **59** qui diligit Deum, non potest eum contemnere quem Deus præcipit diligi. Et qui sancte ac spiritualiter diligit proximum, quid in eo diligit nisi Deum? Ipsa est dilectio ab omni mundana dilectione discreta, quam distinguendo Dominus ait: *Sicut dilexi vos* (*ibid.*). Quid enim nisi Deum dilexit in nobis, non quem habebamus, sed ut haberemus; sicut medicus diligere dicitur ægros? et quid in eis diligit nisi salutem, quam cupit utique revocare, non morbum quem venit expellere? (363) Sic ergo et nos invicem diligamus, ait, quantum possumus invicem ad habendum Deum in nobis curam dilectionis attrahamus. Tunc est quippe optimus homo, cum tota vita sua pergit, in incommutabilem vitam, et toto affectu inhæret illi. Si autem se propter se diligit, non se refert ad Deum, sed ad seipsum conversus, non ad incommutabile aliquid convertitur, et ideo jam cum defectu aliquo se fruitur. Si ergo teipsum, B non propter te debes diligere, sed propter illum ubi dilectionis tuæ rectissimus finis est, non succenseat alius homo, si etiam ipsum propter Deum diligis. Hæc enim est regula dilectionis divinitus constituta, ut diligas proximum propter Deum. Deum vero ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, ut scilicet omnes cogitationes tuas, et omnem vitam, et omnem intellectum in illum conferas, a quo habes ea ipsa quæ confers. Nemo ergo diligit proximum, nisi diligat Deum. (364) Quantum ergo potest, proximo impendat quem diligit, sicut seipsum, ut et ille diligat Deum, quem si ipse non diligit, nec se, nec proximum diligit. [Augustinus] Amator enim Dei, amator est sui; et non diligens Deum non diligit proximum, quia non diligit seipsum. (365) Qui autem se propter habendum Deum diligunt, ipsi se C diligunt. Ergo ut se diligant, Deum diligunt. Non est hæc dilectio in omnibus hominibus. Pauci enim se diligunt, ut sit Deus omnia in omnibus (*I Cor.* XV).

Dilectio. Quasi dicat: Vere qui diligit proximum, bene facit, quia *dilectio proximi non operatur malum,* (366) id est diligens proximum, nullum malum mortale operatur. Proximum omnem hominem oportet intelligi, quia nemo est, cum quo sit operandum malum. Qui ergo amat homines, aut quia justi sunt, aut ut justi sint, amare debet. Sic enim et seipsum amare debet, scilicet vel quia justus est, vel ut justus sit. Qui enim aliter se diligit, injuste se diligit, quia ad hoc se diligit ut sit injustus. Ad hæc ergo ut sit malus, ergo jam non se diligit. Qui enim diligit iniquitatem, odit animam suam. Et quia di- D lectio non agit malum: *Ergo dilectio est plenitudo legis,* id est qui diligit plene implet legem. (367) Ubi enim charitas est quid est quod possit deesse? Ubi autem non est, quid est quod possit prodesse? Cur ergo non dicimus qui hanc virtutem habet, habere omnes, cum plenitudo legis sit charitas, quæ quanto magis est in homine, tanto magis virtute est præditus. (368) Quanto autem minus, tanto minus

(360) August., ad Cœlestinum.
(361) Id., De Trin.
(362) Id., sup. Joan.
(363) Id., De doctrina Christiana.
(364) Id., ad Hieron.
(365) Id., super Joannem.
(366) Aug. in psal. XI.
(367) Id., super Joannem.
(368) Id., ad Hieronym.

inest virtus. Quanto minus inest virtus, tanto magis inest vitium. (369) In hac Decalogus legis impletur. Decalogus enim legis decem præcepta habet, quæ sic sunt distributa ut tria pertineant ad Deum, septem pertineant ad hominem. Est enim bellum quod secum agit homo, dimicans contra concupiscentias malas, et frenans avaritiam, elidens superbiam, suffocans ambitionem, trucidans libidinem. Has pugnas fac in occulto, et non vinceris in aperto. Ad hoc docentur manus nostræ ad prælium. Non est hoc in spectaculis vestris venator, quod citharista. Aliud agit venator, aliud citharista. In spectaculo Dei unum est, tangis easdem decem chordas, et feras occidis. Utrumque simul facis? tangis primam chordam qua unus colitur Deus, cecidit bestia superstitionis. Tangis secundam chordam, quia non accipis nomen Dei tui in vanum, cecidit bestia erroris et nefandarum hæresum. Tangis tertiam chordam, ubi pro spe futuræ quietis facis quidquid facis, interficitur crudelior cæteris bestiis amor sæculi hujus. Propter amorem hujus sæculi laborant homines in omnibus negotiis, tu autem in omnibus operibus tuis labora, non propter amorem sæculi, sed pro sempiterna requie quam promittit Deus. *Honora patrem tuum et matrem tuam*, tangis quartam chordam, ut honorem parentibus deferas, et cecidit bestia impietatis. *Non mœchaberis*, tangis quintam chordam, cecidit bestia libidinis. *Non occides*, tangis sextam chordam, cecidit bestia crudelitatis. *Non furtum facies*, tangis septimam chordam, et cecidit bestia rapacitatis. *Non falsum testimonium dices*, tangis octavam chordam, et cecidit bestia falsitatis. *Non concupisces uxorem proximi tui*, tangis nonam chordam, et cecidit bestia adulterinæ cogitationis. Aliud est enim non facere aliquid tale propter uxorem propriam, aliud non appetere alienam uxorem. Ideo duo præcepta sunt : *non mœchaberis*, et *non concupisces uxorem proximi tui*. *Non concupisces rem proximi tui*, tangis decimam chordam, et cecidit bestia cupiditatis. Ita cadentibus omnibus bestiis, securus, et innocens in Dei dilectione et humana societate versaris.

VERS. 14. — « Et hoc scientes tempus, quia « hora est jam nos de somno surgere, nunc enim « propior est nostra salus, quam cum credidimus. « Nox præcessit, dies autem appropinquavit. Abji« ciamus ergo opera tenebrarum, et induamur « arma lucis, sicut in die honeste ambulemus, non « in commessationibus et ebrietatibus, non in cu« bilibus et impudicitiis, non in contentione et « æmulatione, sed induimini Dominum Jesum « Christum, et carnis curam ne feceritis in desi« deriis. »

Et hoc scientes. Alia commendatio charitatis est hic. Supradixit quod malum non facit. Hic dicit quod etiam opportunitatem parat bene operandi. Quasi dicat : Scimus quia dilectio malum non operatur, et hoc etiam scimus, *quia hora est jam nos de somno surgere*. Et nos, hoc scientes, *abjiciamus*, etc. Vel ita sicut quidam libri habent, *hoc tempus* : quasi dicat : *Dilectio est plenitudo legis, et nos scientes hoc tempus*, scilicet gratiæ, *abjiciamus*, etc. [Ambrosius] Quod debemus, *quia* jam, scilicet ex quo dilectionem habuimus, *est nobis hora*, id est opportunitas, sed brevis, *surgere de somno*, id est de torpore bene operandi et negligentia vel ignorantia quæ per somnum significatur hic, et debemus surgere nunc. *Nunc enim nostra salus*, id est æterna quæ nobis promittitur, *est propior*, id est magis debita per bona opera, *quam* tunc, *cum* tantummodo *credidimus*. Manifestum enim est quia post lavacrum aliquis bene operans et studens charitati vicinus est æternæ vitæ. Bona enim vita signum est et causa salutis futuræ ; baptismus vero est ad veniam ; vita bona etiam ad coronam. Quia ergo credidimus et operati sumus, turpius est nisi surgamus. Vel, nunc est, scilicet hoc tempore, propior nostra salus, quam credidimus, quia plus morti proximi sumus.

Nox præcessit, etc. [Haimo] Item hic ostenditur cur surgere debent, quasi dicat : Ideo etiam debetis surgere, quia, nox infidelitatis et ignorantiæ præcessit, id est fuit, sed modo non est, cujus memoria monet, ut caveatis. *Dies autem*, id est æterna beatitudo *appropinquavit*, dum peccata sunt remissa, dum justi estis per gratiam. Vel ita, debetis surgere, quia nox præcessit, id est vetus homo qui in baptismo præteriit, scilicet fomes peccati. Dies autem appropinquavit, scilicet sol justitiæ Christus, cujus luce veritatem didicerunt, ut sciant quid agendum sit. Prius enim ignorantes Christum in tenebris erant. At ubi lux orta est, transierunt a falso ad verum. *Ergo*, scilicet propter intersertas causas, *abjiciamus opera tenebrarum*, id est opera mala quæ ex tenebris ignorantiæ venerunt, vel quæ tenebras amant, et ad tenebras ducunt. *Et induamur*, tanquam ornamentum, *arma lucis*, id est virtutes quæ sunt arma, quæ exigit lux, id est fides ; et, acceptis virtutibus, *ambulemus honeste*, id est in actu earum exerceamur *sicut* decet *in die* fidei. Quæ autem sunt opera tenebrarum ostendit, subdens : *Non in commessationibus*. [Haimo] Quasi dicat : Ambulemus honeste, sed non in his, scilicet non commessationibus, id est luxuriosis conviviis, quæ aut collatione omnium celebrantur, aut vicibus solent a contubernalibus exhiberi. *Et ebrietatibus*, id est immoderatis potationibus. Brian enim genere masculino dicimus calicem aptum potationi, a quo dicitur ebrietas, quæ est nimia potatio vini. *Non in cubilibus*, id est in pigritia dormientium, *et impudicitiis*, id est in luxuria quæ in cibo et potu nimio venit. Et ideo post commessationem et ebrietatem posuit, *non in contentione et æmulatione*, ambulemus, sicut solebant facere se invicem præferendo, in quo minor

(369) Augustinus, in serm. de x chordis.

invidebat majori, et ita erat contentio, id est æmulatio. (370) Et nota Romanos in his tangi, et ideo non est eis jus gloriandi. Horum autem morborum superbia est mater, et humanæ laudis aviditas, quæ etiam hypocrisim sæpe generat. Huic non resistitur nisi crebris divinorum librorum testimoniis incutiatur timor et charitas Dei. *Sed induite.* (371) Quasi dicat : Ne faciatis prædicta. Sed induite, vel *induimini Dominum nostrum Jesum Christum,* id est formam Christi in omnibus, quem induti non cogemini servire carni. Unde subdit : *Et carnis curam ne feceritis,* non dico in necessariis ad sustentationem, sed in desideriis illicitis. Sic enim sumenda sunt alimenta quemadmodum medicamenta. (372) Fames enim et sitis ut quidam dolores urunt, et sicut febres necant, nisi alimentorum medicina succurrat, quæ præsto est ex consolatione munerum Dei, qui regnum Dei quærentibus omnia adjicienda promisit. (373) Sic ergo sumenda est alimonia ut medicina, sed dum ad quietem satietatis ab indigentia transitur in ipso transitu insidiatur laqueus concupiscentiæ, et cum salus debeat esse causa edendi adjungit se tanquam pedissequa periculosa jucunditas, et sæpe conatur præire, ut ejus causa fiat quod salutis causa faciendum erat, et sæpe incertum fit, utrum necessaria corporis cura subsidium petat, an voluptaria cupiditas fallaciæ ministerium suppetat. Ad hoc incertum hilarescit infelix **60** anima gaudens non apparere quid satis est moderationi valetudinis, ut obtentu salutis obumbret negotium voluptatis. Nec idem utriusque modus est ; nam quod saluti sat est delectationi pater est.

CAPUT XIV.

VERS. 1-3. — « Infirmum autem in fide assu- « mite, non in disceptationibus cogitationum. Alius « enim credit manducare se omnia, qui autem infir- « mus est, olus manducet. Is qui manducat non man- « ducantem non spernat, et qui non manducat, man- « ducantem non judicet : Deus enim illum assum- « psit. »

Infirmum autem in fide. [Ambrosius] Quia ex Judæis erant qui Romanos ad fidem Christi assumpserant admista lege ; ideo quibusdam videbatur cibos debere discerni, sicut lex mandabat, et hi non erant perfectæ fidei. Aliis vero qui Christum sine lege sequebantur videbatur econtrario, scilicet licere edere omnes cibos ; perfectæ enim fidei est nullum cibum discernere et immundum putare, quia omnia munda sunt mundis ; sed quidam infirmi ut dictum est, censebant, vel dicebant a quibusdam abstinendum, et ita inter Romanos erat contentio. Unde præcipit hic Apostolus tales assumere, non abjicere ; sed patiendo ad fidem erigere exemplo et verbo, etsi incognitum est quo quis animo faciat, non inde disceptare. Tales igitur Apostolus tanquam ægros me-

A dicis offerens ait : *Infirmum autem,* etc., quasi dicat : In nobis honesti sitis, ut dictum est. *Infirmum autem in fide,* [Haimo] id est illum qui nondum perfecte credit, scilicet qui non credit ut credendum est, *assumite* ad sanandum. [August.] Sicut Christus ægros assumpsit ut eos sanaret, assumite dico, *non in disceptationibus cogitationum,* id est non ita ut de occultis judicetis eum reum. Non est enim damnandus, cujus cogitatio non est aperta, vel de quo nescimus qualis post futurus sit. Non igitur nobis usurpemus dijudicare cogitationes aliorum, sed Deo præbeamus cogitationes nostras, et faciem boni videntes gaudeamus ; cor vero Deo committamus, pro quo oremus. Dico, assumite infirmum, et sunt inter vos quidam qui hoc possunt. *Alius enim* vestrum, in fide

B perfectus, *credit se* posse *manducare omnia,* humanis usibus data ; [Ambrosius] et hic talis potest assumere alios. *Qui autem infirmus est,* id est qui cibos discernit reputans alios mundos, alios immundos, *manducet olus.* Hic indiget assumi qui permittitur edere olus, in quo nulla quæstio est, in cujus esu omnis secta consentit. Infirmus ergo est qui cibos discernit, eo quod Judæi prohibiti sunt edere, hunc suo judicio dicit relinquendum Apostolus, ne cum scrupulo edat. Vel infirmus dicitur pronus ad casum, qui facile impetu libidinis sternitur. Quasi dicat : Licet perfecta fides sit quæ omnia licere credit , tamen qui infirmus est, id est qui timet casus vitiorum, manducet olus, id est tenues et aridos cibos qui non fomentum vitiorum, et abstineat ab illis quibus libido excitatur. Crassitudo enim carnium,

C et deliciosæ epulæ provocant corpus ad libidinem. *Is qui manducat.* Supra præcepit non disceptare de cogitationibus aliorum. [Ambrosius] Hic præcipit non spernere illos. Quasi dicat, et cum hæc ita sint, is qui manducat omnia indifferenter *non spernat non manducantem,* id est abstinentem, quia voluntatis est edere, vel non edere, et ideo quæstio huic fieri non debet. Omnia enim voluntati humanæ subjaceant, sicut dominio humano subjecta sunt. (374) *Et qui non manducat* omnia, *non judicet manducantem* tanquam reum, id est non credat et asserat eum peccare, cum nesciat quo animo faciat. De manifestis enim, non de occultis judicandum est. Manifesta vero sunt quæ non possunt animo bono fieri, ut sunt stupra, blasphemiæ, furta, et hujusmodi ;

D de quibus judicare permittitur nobis. De quibus etiam dicitur : *Ex fructibus eorum cognoscetis eos* (*Matth.* VII). Sed ea quæ dubium est, quo animo fiant, in meliorem partem interpretamur, ut de cibis, quia possunt bono animo et simplici corde sine vitio concupiscentiæ quicunque humani cibi indifferenter sumi. De talibus enim rebus quæ possunt bono animo fieri, et non bono, volebant illi, cum homines essent, ferre sententiam in occulta cordis, de quibus solus Deus judicat. Unde dicitur : *Nolite ante tempus judicare* (*I Cor.* IV). Sunt ergo quædam

(370) Augustinus ad Aurelianum episcopum.
(371) Id., in lib. Confess.
(372) Id., De serm. in mont.
(373) Id., in lib. Confess.
(374) Id., De sermone in monte.

media facta, quæ ignoramus quo animo fiant, quia A et bono et malo fieri possunt. De quibus temerarium est judicare, maxime ut non condemnemus. Deus enim. Quasi dicat : Neuter alterum judicet, uterque enim servus Dei est. Et hoc est. *Deus enim illum*, scilicet manducantem, *assumpsit* ad fidem, etc., hoc est, ergo.

Vers. 4-6. — « Tu quis es qui judicas alienum « servum ? Domino suo stat aut cadit ; stabit autem ; « potens est enim Deus statuere illum. Nam alius « judicat diem inter diem, alius autem judicat om- « nem diem. Unusquisque in suo sensu abundet. « Qui sapit diem, Domino sapit, et qui manducat, « Domino manducat, gratias enim agit Deo. Et qui « non manducat, Domino non manducat, et gratias « agit Deo. » B

Tu quis es, id est cujus valentiæ es, *qui judicas alienum servum ?* id est damnandum affirmas ? quod non debes, cum sit alterius servus. Manifestum est enim servum non debere conservi voluntatem judicare, *Suo*, etc., quasi dicat : De incognito corde alieni servi, tu non habes judicare, quia suo *domino*, id est ad honorem domini sui, *stat*, qui stat, *aut cadit*, suo domino, quia ad eum pertinet etiam casus cadentis, qui erigere potest, vel judicare. Stat, aut cadit, ideo dicit, quia ambiguum est, quia forsitan stat qui putatur cadere ; vel, suo domino stat aut cadit, quia qua conscientia edat vel non edat, Deus judex est, cujus servus est. *Stabit autem*, id est stare poterit, domino suo, quia neque si edit reus est ; neque si non edit, culpabilis est, si tamen de- C votione hoc agit. Vel ita : Stabit autem, quamvis de omnibus regeneratis, et pie viventibus loqueretur Apostolus, dicens servum alienum, continuo tamen respexit ad prædestinatos cum ait, stabit autem, hoc de prædestinatis dicit. Et ne sibi stare arrogent subdit : *Potens est enim Deus statuere illum,* de quo nulli est ambiguum. Per hoc autem quod ait, stat aut cadit, ostendit se nescire quo animo ille se agat in dubiis. Cum vero addit, stabit autem, hic innuit quod ambigua debemus in meliorem partem vertere, et plus salutem quam mortem reorum optare, et in futuro spem boni habere, et si aliter sit in præsenti. *Nam alius judicat*. Supradixit quod alii omnia manducant, alii non omnia, de generibus ciborum agens ; hic dicit quod alii omni, alii aliquo certo tempore D abstinent, et utrumque recte posse fieri dicit, quasi dicat : Dico, stabit, et potest credi staturus esse, quia quod agit ex judicio Dei agit, et hoc est quod ait : Nam alius judicat, dicit esse eligendum in abstinentia interpositum, *inter diem* et *diem*. [Haimo] *Alius autem omnem diem judicat* esse eligendum in abstinentia, id est quidam certis diebus, quidam omni tempore putant esse abstinendum. *Unusquisque* autem eorum *in suo sensu*, in sua conscientia, *abundet*, in melius, ut qui edit cum gratiarum actione edat, et qui abstinet pro Deo faciat. Vel, in suo sensu, id est in suo consilio dimittatur ne scandalum passus, a charitate quæ est mater omnium virtutum recedat. Dico quod in suo sensu sit abundans. Et ita faciet, *qui sapit diem* omnem. [Ambrosius] Vel, inter diem et diem, Deo *Domino sapit*, id est ad honorem Domini facit, quia Deo placere in hoc se putat. *Et* similiter *qui manducat* omnia, *manducat Domino*, id est ad laudem Domini et honorem, cujus omnia creata credit munda ; et quia ei serviturus illis sustentatur, et quod Domino manducet, effectus indicat ; *gratias enim agit Deo*, pro omnibus creaturis quibus sustentatur et pascitur. *Et* similiter *qui non manducat*, id est qui abstinet, *Domino*, id est ad honorem Domini est, quod *non manducat*, effectus indicat, *et*, id est quia, *gratias agit Deo*, pro collatis sibi abstinentia, et debemus edere vel non edere Domino. Enim, id est quia.

Vers. 7-13. — « Nemo enim nostrum sibi vivit, « et nemo sibi moritur. Sive enim vivimus, Domino « vivimus ; sive morimur, Domino morimur. Sive « ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus. In « hoc enim Christus mortuus est, et resurrexit, ut « et vivorum et mortuorum dominetur. Tu autem « quid judicas fratrem tuum ? aut tu quare spernis « fratrem tuum ? Omnes enim stabimus ante tribu- « nal Christi. Scriptum est enim : Vivo ego, dicit « Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu, et « omnis lingua confitebitur Deo. Itaque unusquisque « nostrum pro se rationem reddet Deo. Non ergo « amplius invicem judicemus ; sed hoc judicate ma- « gis, ne ponatis offendiculum fratri vel scanda- « lum. »

Nemo nostrum, fidelium, *vivit*, spiritualiter, scilicet in virtutibus, *sibi*, id est suæ voluntati. Qui enim lege frenatur et regitur, non sibi vivit, sed Deo qui legem dedit. Si lex non esset, sibi quisque viveret, aut *nemo* nostrum *moritur*, vitiis sicut fit in baptismo ; *sibi*, id est ut sibi placeat : sed Domino, quo judice damnatur, vel coronatur. Vel nemo vivit virtutibus, aut moritur **61** vitiis, sibi, sed Domino. Et vere nemo, sibi. *Sive enim vivimus*, vita virtutum, *Domino vivimus*, id est a Domino judicandi, vel ut ei placeamus. *Sive morimur*, vitiis et peccatis, *Domino morimur*, id est ad similitudinem Christi, in cujus morte baptizati sumus ; ut sicut Christus semel mortuus est, et semper vivit, ita et nos semel mortui peccato in baptismo, semper vivamus Deo. Vel ita : Nemo enim vivit temporaliter, scilicet conjunctione animæ et corporis, aut moritur, dissolutione animæ et corporis, sibi, id est ad laudem suam, sed Dei. Sicut enim magnitudinis ejus non est finis, sic nostræ laudis non erit finis. Non enim cum mortui fuerimus in hac carne desinemus laudare Deum, et secundum hoc de fidelibus tantum agit. Vel sibi, id est a se judicandus, sed a Domino, secundum hoc de bonis ac malis accipitur. Et vere nemo sibi, sed Domino. Et hoc est : *Sive enim vivimus*, corporali vita, Domino vivimus, id est ad laudem Domini, vel sub judicio Domini ; *sive morimur*, temporaliter, Domino morimur, id est ad laudem Domini, vel a Do-

mino judicandi. Et quia utrumque est a Domino, [Ambrosius] ergo, sive vivimus sive morimur *Domini sumus* servi. (375) Vel,·Domini, id est a Domino sumus judicandi. Cur ergo judicat homo? *In hoc enim*. Quasi dicat : Vere Domini sumus, quia pretio sanguinis eruit nos, nec tenebit mors illum pro quo mortuus est liber in mortuis. Et hoc est quod ait : In hoc enim *Christus mortuus est et resurrexit ut dominetur*, id est intelligatur dominari, *et vivorum et mortuorum*, et utrosque judicare, et accipit ad litteram vivos et mortuos. Hoc jam ideo·dicit, ut non putetur Christus tantum judicare de mortuis, quasi dum vivunt hominibus sit commissum judicium, sed post mortem Deo. Hoc enim insipientium dogma perversum tradidit. Sed melius est ut utrorumque dicatur Christus dominari, et utrosque judicare, quia quibus dedit filios Dei fieri, illi et nunc et post mortem regnant cum Christo. (376) Sed aliter nunc regnant cum illo sancti ejus. Aliter tunc regnabunt. Nunc regnant, quia quæ sursum sunt sapiunt et quærunt ; postremo regnabunt cum illo, ita ut sint in regno ejus, et sint etiam illi regnum ejus, quia et animæ piorum mortuorum non separantur ab Ecclesia, quæ etiam nunc est regnum Christi, quia regnat nunc cum Christo Ecclesia in vivis et mortuis. Alioquin nec ad altare Dei fieret memoria eorum in communicatione corporis Christi. Ergo fideles etiam defuncti, membra sunt ejus. Ideo ergo mortuus est, et resurrexit, ut ostenderetur Dominus atque judex vivorum et mortuorum. Vel ita, ut mortuos et vivos mystice accipiamus. Quasi dicat : Vere Domini sumus. In hoc enim Christus mortuus est et resurrexit ut dominetur vivorum et mortuorum, id est ut ad Dominium suum traheret viventes in virtutibus et mortuos in peccatis. [Ambrosius] Per Christum enim creatura, quæ pro peccato alienata erat ab auctore, et facta captiva, est liberata, quem Pater de cœlo misit ad terras, ne opus ejus periret, pro quibus liberandis et adjuvandis, Christus venit, mortuus est, et resurrexit. Mortuus enim est ut mortuos in peccatis liberet a peccatis, dum vixit, vivus salutis viam ostendit ; resurrexit, ut justificatos secum vivere faciat. Ex perditis ergo reformavit sibi servos.

Tu autem. Quasi dicat : Ex his apparet quod Christus debet dominari. Tu autem, manducans omnia, *quid judicas fratrem tuum* non manducantem ? *Aut tu*, non manducans, *quare spernis fratrem tuum* manducantem ? Non ita debes facere. *Omnes enim stabimus*, ut judicandi, *ante tribunal Christi*, id est ante judicem Deum sedentem. Et dicitur hoc a simili. Tribunal enim sedes judicum est, quæ in excelso locatur, ut judex ab omnibus videatur, et ipse ex eminenti loco omnes valeat intueri ; ita et Christus quasi in tribunali sedebit, quia et ab omnibus videbitur, et ipse omnium conscientias videbit et

A causas dijudicabit. Et vere, *scriptum est enim* in Isaia : *Vivo ego, dicit Dominus*. Quasi dicat : Qui olim fui mortuus jam vivo in potentia, quæ in hoc patet. *Quoniam flectetur mihi* in judicio, *omne genu*, etiam inimicorum, *et omnis lingua*, id est conscientia cognoscens me esse Deum, *confitebitur* quid egerit mihi *Deo*. Et quia Scriptura ita dicit. *Itaque unusquisque nostrum*, judicandus a Domino, *reddet Deo pro se rationem*, non eludet ibi per ambages. Et, quia pro se quisque reddet rationem, *non ergo amplius*, sicut hactenus facimus, *invicem judicemus* nos, ex opinione, quasi non usurpemus nobis, quod ad nos non pertinet. (377) Non reprehendamus ea quæ nescimus quo animo fiant ; vel etiam, si aperta sint, non ita reprehendamus ut de sanitate desperemus. B In his enim duobus temerarium est judicium, scilicet cum incertum est quo animo quidque factum est ; vel cum incertum est qualis futurus sit qui nunc bonus vel malus manifeste apparet, et vel superbia est vel invidentia, de his judicare quod maxime faciunt qui magis amant clamare, vituperare quam emendare et corrigere. Unde dicitur : *Nolite judicare et non judicabimini* (*Matth.* VII), *sed magis judicate*, id est observando discernite quod prosit, ut hoc, scilicet *ne ponatis fratribus offendiculum*, id est aliquid unde pereat frater vestro exemplo idem faciens, *vel scandalum*, id est contristationem : quod minus est.

VERS. 14-20. — « Scio et confido in Domino Jesu « quia nihil commune per ipsum, nisi ei qui existi- « mat quid commune esse, illi commune est. Si enim C « propter cibum frater tuus contristatur, jam non « secundum charitatem ambulas. Noli cibo tuo il- « lum perdere, pro quo Christus mortuus est. Non « ergo blasphemetur bonum nostrum. Non est enim « regnum Dei esca et potus, sed justitia et pax et « gaudium in Spiritu sancto. Qui enim in hoc servit « Christo, placet Deo, et probatus est hominibus. « Itaque quæ pacis sunt sectemur, et quæ ædifica- « tionis sunt invicem custodiamus. Noli propter es- « eam destruere opus Dei. »

Scio, etc. Quasi dicat : Dico ne ponatis fratri offendiculum, non autem dico, offendiculum vel scandalum, eo quod cibus sit immundus, quia, scio, per hoc *et*, id est quia, *confido in Domino Jesu*, id est per hoc quod confidentia est mihi in Jesu, qui postD quam venit absolvit a lege, *quia nihil* est *commune*, id est immundum, *per ipsum*, id est per adventum ejus, vel per ejus creationem. Nota quia commune ponit pro immundo, et est tractum a vasis quæ ante erant omnibus usibus communia, quorum quædam postea sacrificiis dedicata jam non communia, sed sancta dicebantur. Vel tractum est a Judæis, quia ipsi Judæi dicebantur prius proprius populus Dei. [Haimo.] Alii vero omnes dicebantur communes et immundi, et ita Judæi cibos ex lege concessos tantum dicebant mundos. Quibus autem gentes com-

(375) Augustinus, in Ench.
(376) Id., De civ. Dei.

(377) Id., De civ. Dei.

muniter utebantur illos communes, id est immun- A dos appellabant, nihil est commune, dico, *nisi ei qui existimat quid commune esse*, sed *illi* pro conscientia qua hoc æstimat, *commune est*. Unde Dominus in Evangelio ait : *Non quod intrat in os coinquinat hominem, sed quod procedit ex corde coinquinat hominem (Matth.* xv). [Ambrosius.] Qui hoc existimat est infirmus, de quo supra dixit : *olus manducet*. Dubitando enim infirmus est, apud istum immundum est quod putat non edendum. *Si enim*. Quasi dicat : ideo ne ponas offendiculum vel scandalum fratri, quia si *propter cibum frater tuus*, non dico scandalizatur, sed, quod minus est, saltem *contristatur*, *jam* ex hoc solo patet quod *non ambulas secundum charitatem*. In quo peccas, scilicet quod non ambulas secundum charitatem. Cave ergo ne contristes cibo B tuo fratrem tuum. Plus autem cave ne perdas. Unde subdit : *Noli cibo tuo illum perdere pro quo Christus* tantum quidem fecit quod *mortuus est*, ex cujus morte cognoscitur quantum valeat salus fratris. Debes ergo illum confirmare in bonum, non scandalizare, nec pro re frivola facere illi scrupulum ; et quandoquidem frater constristatur, vel perditur cibo, tuo. *Non ergo blasphemetur bonum nostrum*, id est per hoc minimum cætera bona non offuscentur, quia qui habet opera bona, si reprehendatur in re minima, bonum suum offuscat, et incipit bonum ejus blasphemari per malum. Unde Ezechiel : *Justitia justi non profecerit ei, si erraverit* (*Ezech*. xviii). Vel, non blasphemetur bonum vestrum, id est comestio in se bona non sit blasphemabilis. Quod est, dum alii nocet, et quia nocet, abstine, quia non est causa re- C gni Dei : Quod si esset, pro nullius scandalo omitteres. Et quod non sit causa regni Dei dicit sic : *Non enim*, etc. Quasi dicat : Ideo, abstine, quia *esca et potus non est regnum Dei*, id est horum usu non acquiritur regnum Dei sicut nec amittitur. Non enim usus ciborum, sed concupiscentia est refrenanda. Non *enim* interest omnino quid alimentorum vel quantum quis accipiat, dum modo id faciat, pro congruentia hominum cum quibus vivit, et personæ suæ et valetudinis suæ necessitate, sed quanta facilitate et serenitate animi careat his, cum vel oportet vel etiam necesse est his carere ut dicere possit : *Scio abundare et penuriam pati* (*Philipp*. iv), sic justificatur sapientia a filiis suis, qui intelligunt nec in abstinendo nec in man- D ducando esse justitiam, sed in æquanimitate tolerandi inopiam et intemperantia non se corrumpendi, per abundantiam atque opportune sumendi vel non sumendi. Justificatur igitur sapientia a filiis suis qui intelligunt utendis terrenis opportuna tempora debere esse. Facilitatem vero carendi talibus et amorem fruendi æternis, non variari oportere per tempora, sed perpetuo retinere. Unde subdit : *Sed justitia*. Quasi dicat : Esca et potus non est causa regni, sed justitia, ut fratri facias quod tibi vis ; *et pax*, id est concordia quæ est effectus justitiæ, *et gaudium*, non utique in Epistolis ut multi solent, sed *in Spiritu sancto*, id est de bonis Spiritus sancti non superbire, sed humiliter et grate accipere. Hoc gaudium oritur de fraterna pace, sicut de disceptatione nascitur ira, ubi non est Spiritus **62** sanctus qui in solis pacificis est, cujus gratia hæc tria sunt in aliquo, quæ non in vobis sunt, o Romani. Qui enim. Quasi dicat : Vere justitia et pax causa regni est. *Qui enim in hoc*, scilicet in justitia pace et gaudio, *servit Christo*, *placet Deo*, qui hoc præcipit, qui nulli scandalum fecit, *et probatus est hominibus*. [Ambrosius] Distingue. Placet utique Deo, secundum quod gaudium est in Spiritu sancto. Probatus vero habetur hominibus, secundum justitiam et pacem, et quia disceptatio discordiam parit. *Itaque* dimissis temerariis judiciis, *sectemur quæ pacis sunt*, non discordiæ, *et custodiamus invicem*, scilicet Judæus erga gentilem, et gentilis erga Judæum, *quæ ædificationis sunt*, cum pace docendo alios, ut cæteri ædificentur, vel jam ædificati conserventur. *Noli*, etc. Quasi dicat : Hæc sectemur, sed non destruamus opus Dei. Vel ita junge : Ideo iterum non debes cum offendiculo fratris edere, quia destrueres opus Dei. Et noli, *propter escam*, sumptam vel non sumptam, *destruere opus Dei*, id est fidem et alias virtutes, et bona quæ in eis Deus operatus est, non dico propter escam quin munda sit, quia

Vers. 20, 23. — « Omnia quidem sunt munda, « sed malum est homini qui per offendiculum man« ducat. Bonum est non manducare carnem, et non « bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, « aut scandalizatur, aut infirmatur. Tu fidem habes ? « penes temetipsum habe coram Deo. Beatus qui non « judicat seipsum in eo quod probat. Qui autem discer« nit si manducaverit, damnatus est, quia non ex fide. « Omne autem quod non est ex fide, peccatum est. »

Omnia, creata *quidem*, *munda sunt*, quia, ut in Genesi legitur, omnia fecit Deus valde bona *(Gen.* i). [Ambrosius.] *Sed malum est homini*, *qui manducat per offendiculum*, aliorum, quanto magis Dei, ut Adam pomum, Esau lentem, Judæi carnes in deserto. (378) Dei enim non parva in Israelitis erat offensio, repudiare quod dabat sapientia, et murmurare, quia id deerat in quod inhiabat concupiscentia. Fastidiebant quippe quod habebant, et quod non habebant impudenter petebant. (379) Petierunt culpabili concupiscentia quod malo suo impetraverunt ; concupierunt carnibus vesci, quibus pluebatur manna de cœlo, ut sciremus non Dei creaturam esse culpabilem, quia creatura Dei omnis bona est ; sed inobedientiam contumacem, et inordinatam cupiditatem ; non propter porcum, sed propter pomum mortem primus homo invenit ; et Esau primatum suum perdidit, non propter gallinam, sed propter lenticulam. Non ergo immunditiam obsonii

(378) Augustinus, super Joan.

(379) Id., in psal. lxxii.

timeo, sed immunditiam cupiditatis. (380) Scio enim Noe omne genus carnis quod cibo esset usui manducare concessum, Eliam cibo carnis refectum, Joannem mirabili abstinentia præditum animalibus, id est locustis in escam cedentibus non fuisse pollutum; et scio Esau lenticulæ concupiscentia deceptum, et David propter aquæ desiderium a seipso reprehensum, et Regem nostrum non de carne, sed de pane tentatum. *Bonum est.* Quasi dicat : Ab his pro offendiculo debes abstinere, quia etiam ab omni carne et vino. Bonum est tibi, o homo, *non manducare carnem, et non bibere vinum, neque* aliquid facere, *in quo frater tuus offenditur*, perturbatus, nesciens quid teneat, id est in quo esset ei causa damnationis. Offenditur enim, quia a fide recta discedit. *Aut scandalizatur*, id est contristatur. *Aut infirmatur*, ut dubitet, etsi non offenditur. Infirmatur enim qui non recedit, sed dubitare incipit. *Tu fidem.* Quasi dicat : Hoc bene potes facere, quia de tuo bono nihil perdis, et hoc est, tu *habes* fidem, qua credis omnia esse munda et edenda, et hoc, *penes temetipsum*, id est in corde, quam, scilicet nullus auferat. *Habe*, tantum, *coram Deo*, non coram abstinente ne ei noceas, ut ita pacem serves cum fratre, quod est utile apud Deum. [Ambrosius.] Ideo istud fac, quia *beatus* est ille qui *non judicat semetipsum*, id est qui non facit se culpabilem, *in eo quod probat*, id est in eo quod bonum esse judicat, nocendo aliis de suo bono. Vel, beatus est qui non judicat se in eo quod probat, id est qui non aliud facit quam quod bonum æstimat. Beatum ergo dicit qui non aliud facit quam quod utile probat, sed proprio judicio illum censet fore damnandum, qui quod dicit se non debere facere facit. *Qui autem.* Quasi dicat : Ille est beatus, sed qui *discernit* cibos, reputando alios mundos, alios immundos; *si manducaverit*, cum illa conscientia, *damnatus est.* [Haimo., Ambrosius.] Verum est quia qui judicat non edendum et edit, damnatus est. Ipse enim reum se facit, quando id quod inutile sibi asserit facit. Ideo damnatus est, *quia non* manducat, *ex fide*, id est secundum conscientiam. Contra fidem utique edit, qui edendum non credit. *Omne autem*, etiam si bonum sit in se, *quod non est ex fide*, id est quod fit contra fidem ut credamus malum esse, *peccatum est*, non tamen omne quod fit cum fide, bonum est, quia ignorantia quæ est ex culpa nocet. Omne igitur quod ad conscientiam pertinet, si aliter fiat dicit esse peccatum, quamvis etiam fiat quod bonum est, si tamen non faciendum credatur, vel sic non faciendum ut fit, peccatum est. [Haimo.] Vel ita, conversus ad fidem Christi qui discernit cibos, postea judicans alios mundos, alios immundos. Damnatus est, id est damnationem sibi acquirit, et præcipue, si manducaverit. Qui non manducavit ex fide, id est quia infideliter egit non credens omnia munda esse, dubitans in fide, et ea comedens quæ immunda putat, et ita non secundum fidem agit. Fides enim nostra vult ut homo agat hoc quod bene intelligit esse agendum, et peccatum est quod aliter fit, quam probatum est. (381) Peccat ergo ille qui ad fidem conversus est in hoc quia cibos discernit, et in hoc maxime si manducat, quia non ex fide agit, sed tanquam infidelis. Omne autem quod non ex fide, est peccatum, id est omnis infidelium vita peccatum est, quia omnis infideliter vivens vel agens, vehementer peccat, et nil bonum est sine summo bono, ubi deest agnitio æternæ et incommutabilis veritatis, falsa virtus etiam in optimis moribus.

CAPUT XV.

VERS. 1, 7. — « Debemus autem nos firmiores « imbecillitates infirmorum sustinere, et non nobis « placere. Unusquisque vestrum proximo suo pla- « ceat in bonum, ad ædificationem. Etenim Christus « non sibi placuit, sed, sicut scriptum est : Impro- « peria improperantium tibi ceciderunt super me « Quæcunque enim scripta sunt, ad nostram do- « ctrinam scripta sunt, ut per patientiam et conso- « lationem Scripturarum, spem habeamus. Deus au- « tem patientiæ et solatii, det vobis idipsum sapere in « alterutrum, secundum Jesum Christum, ut unanimes « uno ore honorificetis Deum et Patrem Domini no- « stri Jesu Christi. Propter quod suscipite invicem, « sicut et Christus suscepit vos in honorem Dei. »

Debemus autem. Quasi dicat : Infirmus si edit damnatur, sed *nos firmiores* debemus, non provocare, non contemnere, sed *sustinere*, id est pati et erigere, *imbecillitates infirmorum*, cum illi non possint se ad nos erigere; *et* debemus *non nobis placere*, id est non nostræ voluntati obedire, id est non quod nobis tantum placeat vindicare, sed quod fratri, quia invicem curam agere debemus. [Ambrosius.] Ille dicitur sibi placere qui ita facit quod sibi bonum videtur, ut non curet, sive placeat, sive non placeat proximo, quod non convenit. Sed potius *unusquisque nostrum* charitati studens, *placeat*, id est placere curet, *proximo suo*, id est omni homini non in malum, sed *in bonum*, id est ad id quod utile est, *ad ædificationem.* [Haimo.] Et vere non debemus nobis placere, *etenim Christus non sibi placuit*, id est quod non placeret carni fecit, sicut ipse dicit in Evangelio : *Non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui misit me* (*Joan.* VI). Non sibi placuit dico, *sed* Deo Patri, *sicut scriptum est* in Psalmis : *Improperia*, Psalmographus ex persona Salvatoris verba facit Deo Patri dicens, improperia, vel detractiones Judæorum *improperantium tibi* in me, o Pater, *ceciderunt super me*, id est causa fuerunt oppressionis meæ, id est cum facerem voluntatem tuam, o Deus, in hoc, quia ejeci malos de templo quod fecerunt speluncam latronum, et in omnibus aliis Judæi mihi improperia ingesserunt, quia dixerunt me peccare in te, qui potius me non

(380) Augustinus, sup. Joan.

(381) Id., in libro Sent. Prosperi.

recipiendo quem misisti exprobraverunt te, et peccaverunt in te, non recipiendo me, et ideo me occiderunt, quasi peccantem in Deum, et sic peccata peccantium in Deum, ceciderunt super Christum, quia innocens a peccatoribus occiditur quasi blasphemus. *Quæcunque enim scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt,* Quasi quis quæreret, quid hæc ad nos pertinent, quæ de Christo dicis? Respondet, multum ad nos pertinent (Augustinus) quæcunque enim scripta sunt, de Christo in divinis libris. Unde dicit supra, scriptum est, ad nostram doctrinam scripta sunt. Christi enim vita, et vitæ nostræ, et morum est disciplina; deinde subjungit utilitatem divinæ lectionis dicens: *Ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus,* id est per ea scripta doceamur pati pro proximis, et consolemur in ea per exemplum Christi, et ita speremus quod Christus accepit. *Deus autem.* Quasi dicat: Scriptura sacra est ad doctrinam per quam patientia et solatium habetur, sed Deus, qui est dator *patientiæ et solatii det vobis sapere idipsum,* id est indifferenter, et hoc *in alterutrum,* scilicet ut quod unus sentit alter sentiat et hoc non præter Christum, sed *secundum Jesum Christum, ut,* secundum doctrinam **63** Christi sapiatis, ut *unanimes,* [Augustinus] id est eadem voluntate, et *uno ore,* id est eadem vocis confessione, *honorificetis Deum et Patrem Domini nostri Jesu Christi,* id est honorificetis eum qui est Deus essentia, qui et Creator est, et qui Pater Christi natura, et nostri gratia, qui benevolus apparet Christum mittendo. Quia ergo Creator est, et quia benevolus, honorificate eum idem sapiendo. Quasi dicat : Nisi idem sapiatis, Deum honorare non poteritis. *Propter quod,* scilicet ut Deum honoretis, *suscipite invicem,* infirmos *sicut et Christus suscepit vos,* id est infirmos, *in honorem Dei,* id est ut faceret vos immortales.

VERS. 8-14. — « Dico enim Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem « Dei ad confirmandas promissiones patrum; gen« tes autem super misericordia honorare Deum, « sicut scriptum est: Propterea confitebor tibi in « gentibus, Domine, et nomini tuo cantabo. Et ite« rum dicit : Lætamini, gentes, cum plebe ejus. Et « iterum : Laudate, omnes gentes, Dominum, et ma« gnificate eum, omnes populi. Et rursus Isaias « ait : Erit radix Jesse, et qui exsurget regere gen« tes, in eum gentes sperabunt. Deus autem spei « repleat vos omni gaudio et pace in credendo, ut « abundetis in spe et virtute Spiritus sancti. Certus « sum autem, fratres mei, et ego ipse de vobis, « quoniam et ipsi pleni estis dilectione, repleti om« ni scientia, ita ut possitis alterutrum monere. »

Dico enim. Vere Christus suscepit infirmos, quia Judæos et gentes. Judæos utique ita suscepit, ut esset minister eorum, id est apostolus et prædicator eorum, et hoc est quod ait, dico enim *Christum Jesum fuisse ministrum,* id est apostolum et prædicatorem, *circumcisionis,* id est Judæorum ad quos corporaliter

A venit, sicut ipse dixit: *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel* (*Matth.* XV), id est Christus minister fuit Judæorum. [Ambrosius] Et hoc *propter veritatem Dei,* scilicet *ad confirmandas promissiones patrum,* id est ut verus esset, id est ut se esse veracem ostenderet in promissis, et compleret promissa patribus Judæorum; promiserat enim Abrahæ : *In semine tuo benedicentur omnes gentes* (*Gen.* XXVIII). Et David : *De fructu ventris tui, ponam super sedem tuam* (*Psal.* CXXXI). Et item dixit : *Orietur stella ex Jacob* (*Num.* XXIV). Ecce ex his patet quia non repulit Deus Judæos, quibus proprie veritas exhibita est, gentibus vero misericordia præstita est, quibus nulla promissio facta erat. Impleta ergo est veritas Dei in Israelitis qui crediderunt. B Venit unus paries ex circumcisione applicans se ad lapidem angularem, sed ille lapis angulum non faceret, nisi in se parietem alium susciperet. Ille itaque paries, tanquam pertinet ad veritatem ; ille vero alius ad misericordiam. Unde subdit : *Gentes autem.* Quasi dicat : Non modo Judæos Christus assumpsit propter veritatem, sed et gentes sumpsit propter misericordiam. Et ideo dico gentes debere *honorare Deum super,* id est de, *misericordia,* qua eas non pro eis missus, nec ad eas missus suscepit, et velut oves adduxit. Hoc autem testimonio prophetico probat subdens, *sicut scriptum est* in Psalmo cujus auctoritate confirmat de gentibus quod assumptæ sunt de quibus minus videretur. Propter hoc, vel *propterea confitebor tibi in gentibus,* id est faciam tibi confitentes de gentibus. [Ambros.] Con- C fessio autem non tantum peccatorum est, sed et laudis Dei. *Et nomini tuo cantabo,* id est faciam cantantes tibi canticum novum, et cum lætitia te laudantes. *Et iterum* Isaias *dicit* : *Lætamini,* o *gentes,* quia assumptæ estis, ut sitis unum ovile, *cum plebe ejus,* id est cum Judæis, quia cum eis unum estis. *Et iterum* David dicit : *Laudate, omnes gentes, Dominum. Et* laudantibus omnibus gentibus Deum, *omnes populi,* scilicet duodecim tribus, *magnificate eum*, qui auxit numerum plebis suæ gentibus adjectis. *Et rursus Isaias,* quiddam ad idem pertinens, *ait* : *Jesse,* qui fuit pater David, qui et Esai dictus est, *erit radix.* David arbor fuit, quæ per ramum, id est Mariam fecit fructum Christum, quia Maria genuit Christum, dico quod Jesse erit radix, *et* ex D hac radice erit ille *qui exsurget* a morte *regere gentes,* per fidem et opera bona. Et ideo *gentes sperabunt in eum. Deus autem spei.* Quasi dicat : Moneo vos invicem suscipere, Deus autem, dator spei, [Haimo] id est qui dat spem, vel Deus spei, id est in quo speramus, *repleat vos omni gaudio,* spirituali, ut nec unus vestrum doleat, sicut solebatis dolere in lite. *Et,* ut possitis gaudere, repleat vos, *pace,* habita, *in credendo,* id est det vobis pacem, id est concordiam adinvicem, et hoc utique erit si sit sana fides, *ut abundetis.* Quasi dicat : Hæc prædicta det vobis Deus, ut per ista habita abundetis, *in spe,* id est certiores sitis de æterna beatitudine. *Et* abunde-

tis *in virtute Spiritus sancti*, id est in fortitudine bonæ operationis quæ datur per Spiritum sanctum. *Certus sum autem*, vel, *enim*, ne videretur intelligere Apostolus omnes esse discordes, et ad corrigendum insipientes, removet hoc quod ideo incipit, ut admoneat perfectiores de correctione minorum. Et inde proponit se exemplum qui laborat de aliis, et opus est ut isti hæc faciant cum ipse aliis impeditus ad eos venire non possit. Quasi dicat : Et si ita moneo vos suscipere invicem, non tamen omnes indigetis hac admonitione. Certus sum enim, etc. Vel, si est in littera, *autem*, sic junge, moneo vos suscipe, sed tamen, *et ego ipse*, qui ita loquor, certus sum, *de vobis*, *o fratres mei*, de hoc, *quoniam*, *et* vos *ipsi*, non solum ego, *pleni estis dilectione*, qua velitis bonum, et *repleti scientia*, qua possitis cognoscere, *omni*, scilicet veteris et novæ legis, *ita* repleti estis his duobus, *ut possitis*, nisi culpa vestra remaneat *monere* vos, ut non dicam docere, *alterutrum*, [Ambrosius] id est vicissim alter alterum. Nota, quia per hanc laudem provocat eos ad meliora more exhortantis. Qui enim videt se laudari, laborat ut vera sint quæ dicuntur. Unde nec dicit eos se docere, sed monere, id est non dicit ut se doceant, sed moneant, quasi quod sciatur, sed subterfugit animo, hoc enim solet moneri, quod cum sciatur aliquando, subterfugit animo aut negligenter habetur.

VERS. 15-22. — « Audacius autem scripsi vobis, « fratres, ex parte, tanquam in memoriam vos re» ducens propter gratiam quæ est data mihi a Deo, « ut sim minister Christi Jesu in gentibus, sanctifi« cans Evangelium Dei, ut fiat oblatio gentium ac« cepta et sanctificata in Spiritu sancto. Habeo igi« tur gloriam in Christo Jesu ad Deum. Non enim « audeo aliquid loqui eorum quæ per me non efficit « Christus in obedientiam gentium in verbo et fa« ctis, in virtute signorum et prodigiorum, in vir« tute Spiritus sancti, ita ut ab Jerusalem per cir« cuitum usque ad Illyricum repleverim Evangelium « Christi. Sic autem prædicavi Evangelium hoc, non « ubi nominatus est Christus, ne super alienum fun« damentum ædificarem ; sed, sicut scriptum est : « Quoniam quibus non est annuntiatum de eo vide« bunt, et qui non audierunt de eo intelligent. Pro« pter quod et impediebar plurimum venire ad vos, « et prohibitus sum usque adhuc. »

Audacius autem. Quasi dicat : Pleni estis dilectione et scientia, sed tamen, et si pleni sitis, audacius, id est aliquantulum audacter, *scripsi vobis*, o *fratres*, dico *ex parte* perfectorum, id est perfectis omnibus ; nam quantum ad alios non esset audacia. Vel scripsi, ex parte, scilicet Ecclesiæ Dei, vel, ex parte, scilicet Epistolæ. [Haimo] Scripsi dico, non quasi putans vos insipientes, sed, *tanquam reducens vos in memoriam*, id est quasi faciens vos memores quid agere debeatis. In quo eos quasi oblitos latenter arguit. Dico quod scripsi vobis audacter, sed non temere, quia hoc ad me pertinet, *propter gratiam, quæ data est mihi*, id est propter apostolatum mihi datum, *a Deo*. Quasi dicat : Pro officio meo omittere non potui, data est mihi dico gratia ad hoc, *ut sim minister Christi Jesu*, quæ, scilicet ipse non alius instruit. [Ambrosius] Minister dico, *in gentibus*. Non ergo temere scribit eis, sed Apostolus gentium audet omnibus gentibus scribere, auctoritate sibi data per gratiam Dei. Ego dico, *sanctificans*, id est sanctum esse ostendens, et confirmans, *Evangelium Dei*, bona operatione et miraculis, *ut oblatio gentium fiat accepta*, Deo, *et sanctificata*, id est ut gentes quas offero sint acceptæ Deo, fidei perfectione ; et sanctificatæ bona operatione, et hoc *in Spiritu sancto*, cujus gratia est fides, et bonum opus. Et, quia ita ago, *habeo igitur gloriam*, id est meritum dignum gloria, sic et vos, si de fratribus laboratis, gloriam dico referendam, *ad Deum in Christo Jesu*, id est per Christum Jesum, cujus gratia hoc ago. Habeo dico gloriam, et recte, *non enim audeo*, ut pseudo, *loqui aliquid eorum quæ per me non efficit Christus*, id est ea loquor tantum quæ per me, id est ministerio meo Christus efficit, *in obedientiam gentium*, id est ut gentes obediant Evangelio. Hoc ideo dicit Apostolus, ut nil minus se posse probet quam apostoli qui cum Christo fuerunt, nec aliquid minus inter gentes virtutum operatum esse. Efficit dico, *verbo et factis*, etiam *virtute in signorum* minorum, *et prodigiorum* majorum, id est per prædicationem meam, et bonam operationem, et per potentiam majorum et minorum miraculorum, factorum *in virtute Spiritus sancti*, qui in me talia operatur, quo in me operante, *ita* laboravi *ut repleverim*, id est plene prædicaverim, *Evangelium Christi per circuitum*, id est circumquaque **64** *ab Jerusalem usque Illyricum* mare, in quo magna Spiritus sancti virtus apparet quod tot gentes per me Evangelium receperunt. *Hoc autem Evangelium prædicavi sic*, id est in tali loco *ubi non est nominatus Christus* a pseudoapostolis, quare? *Ne ædificarem super alienum fundamentum*. [Ambrosius] Si enim aliud facerem hoc inde contingeret, quod ædificarem super alienum fundamentum, id est super doctrinam a pseudoapostolis traditam. Non sine causa Apostolus hoc fecit, quia sciebat pseudoapostolos aliter quam oportebat Christum tradere, et sub nomine Christi falsa docere, quod postea corrigere maximi laboris erat. Ideo sollicitus erat prævenire pseudo, et veritatem integre tradere ubi nondum nominatus erat Christus, ut integra linea, et superficies ordinata, incolume fundamenti robur exhiberet, quod testimonio prophetæ probat subdens, *Sicut scriptum est*. Vel pro bonis apostolis hoc dicit, sicut autem prædicavi, et hoc non ubi nominatus est Christus, ab aliis apostolis. Quare? Ne ædificarem super alienum fundamentum, id est prædicarem jam per alios conversis, non quod hoc non facerem si contigisset, sed malebam jacere fundamentum fidei ubi non erat, quam super aliorum prædicationem. Hoc autem prophetico testimonio

confirmat dicens, Sicut scriptum est. Quasi dicat : Ita hoc feci, sicut scriptum est in Isaia, *quoniam quibus non est* prius *annuntiatum de eo*, id est de Christo, ipsi *videbunt*, id est credent, *et qui non audierunt* prius alicujus prædicationem, *intelligent* meam prædicationem esse veram. Ut enim verus esset et inviolabilis de verbo Dei intellectus, festinavit Apostolus gentes veritate imbuere. *Propter quod*, scilicet quia tot prædicavi, *impediebar plurimum venire ad vos*, sicut et in initio epistolæ dixit, *quia sæpe* [inquit] *proposui venire ad vos, et prohibitus sum usque adhuc*. Quod nunc absolvit, ostendens qua causa sit impeditus, ut scilicet excluderet pseudoapostolorum prava commenta. Denique, postquam omnibus in circuitu prædicavit, vacare sibi dicit venire Romam, quod olim optaverat, venturum tamen se pro tempore promittit, quo in Hispaniam erat iturus, ita subdens :

VERS. 23-33. — « Nunc vero ulterius locum non « habens in his regionibus, cupiditatem autem ha« bens veniendi ad vos ex multis jam præcedenti« bus annis, cum in Hispaniam proficisci cœpero, « spero quod præteriens videam vos, et a vobis « deducar illuc, si vobis primum ex parte fruitus « fuero. Nunc igitur proficiscar in Jerusalem mi« nistrare sanctis. Probaverunt enim Macedonia et « Achaia collationem aliquam facere in pauperes « sanctorum qui sunt in Jerusalam. Placuit enim « illis, et debitores sunt eorum. Nam, si spiritualium « eorum participes facti sunt gentiles, debent et in « carnalibus ministrare eis. Hoc igitur cum con« summavero et assignavero eis fructum hunc, per « vos proficiscar in Hispaniam. Scio autem quoniam « veniens ad vos, in abundantia benedictionis Christi « veniam. Obsecro ergo vos, fratres, per Dominum, « nostrum Jesum Christum, et per charitatem « sancti Spiritus, ut adjuvetis me in orationibus ve« stris pro me ad Deum, ut liberer ab infidelibus qui « sunt in Judæa, et obsequii mei oblatio accepta fiat « in Jerusalem sanctis, ut veniam ad vos in gaudio « per voluntatem Dei, et refrigerer vobiscum. Deus « autem pacis sit cum omnibus vobis. Amen. »

Nunc vero ulterius non habens locum, id est causam morandi, *in his regionibus*, *cupiditatem autem veniendi ad vos habens ex multis jam præcedentibus annis, cum cœpi proficisci in Hispaniam*. [Ambrosius] Hoc ideo dicit, quia et hos præoccupare festinat, et quia ad illos difficile iter fuerit pseudoapostolis, jam tardare licuit, cum, inquam, illuc proficisci cœpero.

Spero. Quasi dicat : Ex me nil possum, sed in misericordia spero *quod videam vos*, sed, *præteriens*, quia non indigetis longa mora, sed interim vos præparetis ne me a cæteris retardetis. Videam vos dico, *et a vobis deducar illuc*, scilicet in Hispaniam, *si* tamen *vobis primum fruitus fuero*, id est de fructu vestro lætatus *ex parte* illa quæ modo discors est. Vel, ex parte temporis, id est aliquandiu, et quia hic non habeo locum, et vos videre desi-

A dero. *Igitur nunc*, id est indilate, *proficiscar in Jerusalem ministrare sanctis*, [Augustinus, Ambrosius] qui omnium rerum venditarum pretia posuerunt ante pedes apostolorum, et passi sunt a contribulibus suis. De his communis cura erat omnibus apostolis. Proficiscar ministrare

Probaverunt enim, non eos coegi. Macedones, et Achaici vel Achæi, vel *Macedonia et Achaia collationem facere aliquam in pauperes sanctorum qui sunt in Jerusalem*. Hi totos dederunt se divinis obsequiis, nil mundanum curantes, exemplum bonæ conversationis præbebant credentibus [Ambrosius]. Istis interdum fecerant Achaici et Macedones collectam, per quam rem ad hujusmodi opera Romanos Apostolus invitat, quia per misericordiam Dei B vivit, et justificatus est ; pius debet esse causa fratris. *Placuit*. Quasi dicat : Bene dico probaverunt. Placuit *enim illis, et* etiam *debitores* esse *eorum*, adeo vult amplius eos esse misericordes, ut et hoc deberi dicat ab eo qui misericordiam exspectat ; et vere sunt debitores. *Nam, si gentiles facti sunt participes spiritualium*, id est prædicationis et sacramentorum, *eorum*, id est Judæorum qui miserunt eis prædicatores ab Hierosolymis, *debent*, utique, *et* ipsi *ministrare eis in carnalibus*, id est Judæis. *Hoc igitur*. Quasi dicat : Quia illis hoc placuit, scilicet facere communionem sanctis, qui sunt in Jerusalem. Igitur, *cum consummavero* hoc, id est cum perfecero opus ministrationis, *et assignavero eis*, id est sub signo cujusque Ecclesiæ, ostendero eis *fructum hunc, proficiscar, in Hispaniam*, et hoc, *per* C *vos*. Et ideo interim corrigite vos. *Scio autem*. Quasi dicat : Per vos transibo, sed tamen scio, certus de gratia Dei, *quoniam* jam diu *veniens* voto *ad vos*, tandem *veniam* reipsa, et hoc, *in abundantia benedictionis Christi*, id est ita quod vobis multum prodero per benedictionem Christi. Hæc autem benedictio est virtus signorum qua confirmati sunt. Et quia venturus sum, *obsecro ergo vos*, *fratres*, *per Dominum nostrum Jesum Christum*, id est si eum diligitis, *et per charitatem Spiritus sancti*, id est si in vobis est charitas quam facit Spiritus sanctus habere, *ut adjuvetis me in orationibus vestris*, directis *ad Deum*, id est per orationes vestras ad Deum factas. Non ideo hoc dicit Apostolus, quia ipse minus mereatur quam illi minores, sed ordi- D nem sequitur, ut ab Ecclesia pro rectore suo fiat oratio. Et bene utique rogat Apostolus minores pro se orare. Multi enim minimi, dum congregantur unanimes, fiunt magni, et multorum preces impossibile est ut non impetrent. Si ergo cupiunt eum videre, orent ut liberatum eum recipiant cum gaudio charitatis. Unde subdit, *ut liberer*. Quasi dicat : Obsecro ut juvetis me in orationibus. In hoc scilicet oretis pro me, ut liberer *ab infidelibus*, *qui sunt in Judæa*, ne quod defero auferant. *Et* ita *oblatio obsequii mei*, id est mihi injuncti, *fiat accepta*. Quasi dicat : sufficiens, non diminuta, *sanctis* qui sunt *in Jerusalem*. Vel fiat illis oblatio

accepta, ut illi intellecta charitate Apostoli erga seipsos, cum illo unanimes Deo gratias agant. Magnus enim profectus est ei, cujus ministerio multi facti læti Deum laudant. Orate ita fieri, *ut* hoc facto *veniam ad vos in gaudio per voluntatem Dei*. Hoc dicit ut ostendat omnia cum Dei voluntate se agere. *Et refrigerer vobiscum*, quod erit illis pacatis. *Deus autem pacis*. Quasi dicat : Venturum me spero ad vos; sed sive veniam, sive non, Deus pacis *sit cum omnibus vobis*. Deus pacis Christus est qui ait : *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis* (*Joan.* XIV), qui cum suis est usque ad consummationem sæculi, sicut ipse ait : *Vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII). Ita cum istis cupit eum Apostolus esse. *Amen*, Quod est confirmatio sui desiderii.

CAPUT XVI.

VERS. 1-16. — « Commendo autem vobis Phœben sororem nostram, quæ est in ministerio Ecclesiæ, quæ est Cenchris, ut eam suscipiatis in Domino digne sanctis, et assistatis ei in quocunque negotio vestri indiguerit. Etenim ipsa quoque astitit multis, et mihi ipsi. Salutate Priscam et Aquilam adjutores meos in Christo Jesu (qui pro anima mea suas cervices supposuerunt, quibus non solus ego gratias ago, sed et cunctæ Ecclesiæ gentium) et domesticam Ecclesiam eorum. Salutate Epænetum dilectum mihi, qui est primitivus Asiæ in Christo Jesu. Salutate Mariam, quæ multum laboravit in vobis. Salutate Andronicum et Juliam cognatos et concaptivos meos, qui sunt nobiles in apostolis, qui et ante me fuerunt in Christo. Salutate Ampliatum dilectissimum mihi in Domino. Salutate Urbanum adjutorem nostrum in Christo Jesu, et Stachyn dilectum meum. Salutate Apellen probum in Christo. **65** Salutate eos qui sunt ex Aristoboli domo. Salutate Herodionem cognatum meum. Salutate eos qui sunt ex Narcissi domo, qui sunt in Domino. Salutate Tryphænam et Tryphosam, quæ laborant in Domino. Salutate Persidam charissimam, quæ multum laboraverit in Domino. Salutate Rufum electum in Domino, et matrem ejus et meam. Salutate Asyncritum Phlegontem, Hermam, Patrobam, Hermem et qui cum eis sunt fratres. Salutate Philologum et Juliam, Nereum et sororem ejus, et Olympiadem, et omnes qui cum eis sunt sanctos. Salutate invicem in osculo sancto. Salutant vos omnes Ecclesiæ Christi. »

Commendo vobis, id est commendabilem vobis ostendo *Phæben sororem nostram* vel meam, in fide, *quæ est in ministerio Ecclesiæ, quæ est Cenchris*. [Haimo.] Phœbe ditissima mulier fuit, et nobilissima, quæ Ecclesiam in loco quæ dicitur Cenchris sustentabat sua substantia. Ea vero tunc temporis pro aliquo negotio Romam profecta est per quam forsan hanc Epistolam misit. Commendo, dico, *ut suscipiatis eam in Domino*, vel pro Domino, *digne sanctis*, ut dignum est sanctos suscipere. Vel sicut quidam A codices habent, *suscipiatis digne satis*, id est valde honeste et honorifice; *et assistatis ei*, id est auxiliemini ei, *in quocunque negotio indiguerit vestri*. Et justum est; *etenim ipsa quoque astitit multis, et mihi ipsi. Salutate Priscam* vel *Priscellam*, Prisca enim ipsa est quæ et Priscella vocabatur in Actibus apostolorum. Priscillam *et Aquilam, adjutores meos in Christo Jesu*, id est in prædicatione Christi Jesu. [Ambrosius.] Aquila vir Priscellæ fuit, qui adjutores Apostoli fuerunt, et Romam non otiose, sed ad confirmationem Romanorum venerant : sic et omnes alii quos salutat hic, Romæ fuisse intelliguntur. Hos autem iterum laudat, ut pericula pro eo pati non abnuisse dicat, subdens : *Qui pro anima mea*, id est liberanda, *supposuerunt suas cervices* gladio, in B ministrando mihi, *quibus non ego solus gratias ago, sed et cunctæ Ecclesiæ gentium*, quia hi laborant ad profectum gentium, exhortantes fidem Christi qui pericula pro Apostolo pati non recusaverunt. Unde et Romani eis obedire debent. *Et* salutate *domesticam Ecclesiam*, id est familiam, *eorum. Salutate Epænetum dilectum mihi, qui primitivus est Asiæ in Christo*, id est qui primus in Asia credidit in Christum. *Salutate Mariam, quæ multum laboravit in vobis*, quæ impensius laboravit ad exhortationem eorum quæ discordiam protulit ad Apostolum. *Salutate Andronicum et Juniam cognatos meos*, quia Judæi sunt; *et concaptivos*, quia causa fidei passi sunt captivitatem. [Haimo, Augustinus] Spiritualiter quoque cognati sunt, quia spiritu Apostolo erant conjuncti, et spiritualiter concaptivi secundum illud : C *Quandiu sumus in corpore peregrinamur a Domino* (*II Cor.* V). *Qui sunt nobiles in apostolis*, id est in prædicatoribus. Id est famosi inter prædicatores, *qui et ante me fuerunt in Christo*, id est in fide Christi. *Salutate Ampliatum dilectissimum mihi in Domino*. Iste amicus erat Apostolo in Domino, sed non concaptivus. *Salutate Urbanum adjutorem nostrum in Christo*, id est qui operis particeps, et socius mihi est, et aliis in exhortatione fidei. *Stachyn dilectum meum*, [Ambrosius] qui amicus meus proprius est, etsi non adjutor et particeps operis. *Salutate Apellen probum*, id est probatum, *in Christo*. Per tentationes enim iste inventus est fidelis in Christo, quem salutat, etsi non amicus esset vel particeps operis. *Salutate eos qui sunt ex Aristoboli domo*. Aristobolus D ille solebat congregare fratres in Christo, quos salutat Apostolus adeo probans factum illius. *Salutate Herodionem cognatum meum. Salutate eos qui sunt ex Narcissi domo*. Narcissus iste dicitur fuisse presbyter sicut legitur in aliis codicibus, qui peregrinando confirmabat sanctos fratres, quia qui tunc præsens non aderat suos salutat Apostolus, et quia non omnium illorum merita noverat, discernit subdens : *qui sunt in Domino*, id est eos quos dignos videritis quia non omnes digni erant. *Salutate Tryphænam et Tryphosam, quæ laborant in Domino*, scilicet in ministerio sanctorum, et in angustiis. *Salutate Persidam charissimam* meam, *quæ multum*, scilicet plusquam

prædictæ, *laboraverit in Domino*. Labor est hic et in A exhortatione et in ministerio sanctorum, et in pressura, et in egestate propter Christum. *Salutate Rufum electum in Domino*, quia promotus erat ad res Domini agendas, scilicet ad sacerdotium ; *et matrem ejus*, carne ; *et meam*, beneficiis. [Haimo] Pro sanctitate ejus vocat eam Apostolus matrem suam, cui filium proponit pro ecclesiastico officio. *Salutate Asyncritum, Phlegontem, Hermam, Patrobam, Hermem, et qui cum eis sunt fratres*. [Ambrosius] Hos omnes simul salutat, quia sciebat eos esse junctos in Christiana amicitia. *Salutate Philologum et Juliam, Nereum et sororem ejus, et Olympiadem, et omnes qui cum eis sunt sanctos*. Hi omnes simul unanimes erant, et ideo simul salutat eos. *Salutate* omnes vos *invicem in osculo sancto*. Omnes quibus scribit, et quos B noverat jubet salutare se invicem in osculo sancto, id est in pace Christi, ut religiosa sint oscula, non carnalia. *Salutant vos omnes Ecclesiæ*, horum locorum. Ecclesiæ, dico, *Christi*, id est quæ in Christo confidunt, non in alia re.

VERS 17-21. — « Rogo autem vos, fratres, ut observetis eos qui dissensiones et offendicula præter doctrinam quam vos didicistis faciunt, et declinate ab illis. Hujusmodi enim Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri, et per dulces sermones et benedictiones seducunt corda innocentium. Vestra enim obedientia in omni loco divulgata est. Gaudeo igitur in vobis, sed volo vos sapientes esse in bono, et simplices in malo. Deus autem pacis conterat Satanam sub pedibus vestris velociter. Gratia Domini nostri Jesu Christ vobiscum. Salutat vos Timotheus adjutor meus, et Lucius, et Jason, et Sosipater, cognati mei. Saluto vos ego Tertius, qui scripsi Epistolam, in Domino. Salutat vos Caius hospes meus, et universa Ecclesia. Salutat vos Erastus arcarius civitatis, et Quartus frater. Gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis. Amen. »

Rogo autem. [Ambrosius.] Quasi dicat : Hos prædictos salutate, et imitamini. Hos autem alios vitate. Et hoc rogo *vos*, o *fratres*, *ut observetis*, id est discernatis, *eos qui faciunt dissensiones et offendicula*, id est qui faciunt vos dissentire et offendere invicem. Illos dico docentes, *præter doctrinam quam vos didicistis*, a veris apostolis, quia illi de lege agebant, D quia cogebant credentes judaizare. In hoc pseudoapostolos tangit, quos in tota Epistola cavendos esse monet. Observetis dico, *et declinate ab illis*, etiam debetis. *Hujusmodi enim*, homines, *non serviunt Christo Domino nostro, sed suo ventri*. Aliis enim adulantur, et aliis detrahunt ut possint suum ventrem implere. *Et per dulces sermones et benedictiones seducunt corda innocentium*. [Haimo] Compositis enim verbis suam traditionem commendabant, quibus simplicium corda decipiebant. *Vestra enim*. Quasi dicat : Ideo moneo vos vitare illos, quia fides vestra et obedientia ubique laudatur. Et hoc est : Vestra enim *obedientia divulgata est in omni loco*, quia estis in capite mundi, et sic exemplo vestro jam possunt alii corrumpi. Vel, rogo vos vitare, et secure, quia obedientia vestra, id est facilitas obedientiæ vestræ, divulgata est in omni loco ; ubique enim notum est, quia leviter obedisti, quod bonum est, et inde gaudeo. Unde subdit : *Gaudeo igitur in vobis, sed volo vos esse*, id est ut vos sitis, *sapientes in bono*, discernendo, *et* sitis *simplices in malo*, id est sine aliqua parte mali. *Deus autem*. Quasi dicat : Volo ut sitis sapientes. Deus autem, dator *pacis*, scilicet Christus, *conterat Satanam*, id est falsos prædicatores, vel quemlibet vobis adversantem hominem vel diabolum, *sub pedibus vestris*, ut scilicet vos lædere non voleat ; sed potius, si diabolus est, conteratis caput ejus, sicut Evæ dictum est (*Gen.* III). In figura Ecclesiæ vel sensualitatis, id est primos motus suggestionum ejus contemnatis. [Ambrosius.] Et hoc faciet *velociter*, scilicet in adventu meo. Quod ut fiat, *gratia Domini nostri Jesu Christi* sit *vobiscum*. [Augustinus] Vel, interim autem, gratia Domini, etc. Gratiam quam promisit in adventu suo jam optat eis. *Salutat vos Timotheus adjutor meus*, [Ambrosius] qui est quasi coepiscopus ; *et Lucius, et Jason, et Sosipater*. Quasi dicat : His estis curæ, qui *cognati mei* sunt genere vel fide. Ecce tot et tanti congaudent cœpto vestro, et ideo perseverare vos decet. *Saluto vos ego Tertius*, nomine, non numero, *qui scripsi Epistolam, in Domino*. Iste Tertius erat notarius Apostoli, cui concessit sub nomine suo salutare. *Salutat vos Caius hospes meus*. Hic est ille cui Joannes scripsit in Epistola canonica gaudens, quia fratri- C bus his sumptus ministrabat ; *et universa Ecclesia*. Supra dixerat omnes Ecclesias salutare illos, et hic dicit universam Ecclesiam salutare illos : Quod puto non otiose dictum, vel superflue, nil enim tantus vir superfluum posuit, sed hic dicit Ecclesiam alterius provinciæ unde Caius erat. *Salutat vos Erastus arcarius civitatis* Atheniensium. [Haimo] Arcarius dicitur ab arce. Quasi dicat, princeps. Vel potius dicitur ab arca, quia præerat arcæ, ubi ponebantur census tributorum et vectigalium, vel dispensator civitatis, *et Quartus frater*. Quartus proprium nomen est sicut et Tertius. *Gratia*. Quasi dicat : Isti hoc modo salutant vos, gratia Domini, etc. Vel, hi prædicti salutant vos, et ego ipse subscribo propria manu, gratia *Domini sit cum omnibus vobis. Amen.*

VERS. 25-27. — « Ei autem, qui potens est vos confirmare, juxta Evangelium meum et prædicationem Jesu Christi, secundum revelationem mysterii temporibus æternis taciti, quod nunc patefactum est per Scripturas prophetarum, secundum præceptum æterni Dei ad obeditionem fidei, in cunctis gentibus cogniti, soli sapienti Deo per Jesum Christum, cui honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen. »

66 *Ei autem*, quasi dicat : Ego sic moneo vos. *Ei autem*, scilicet Deo Trinitati, *qui potens est vos confirmare* in fide perfecta, sit *honor et gloria*, a quo solo omnia bona sunt. In quo Epistolæ, nota-

tur summa, quia hoc principaliter intendit Apostolus, illos monere, ut omnia gratiæ Dei attribuant. Dico qui potens est confirmare vos, et hoc, *juxta Evangelium meum*, a quo non discordat prædicatio Christi, unde subdit : *Et* secundum *prædicationem Jesu Christi*. Quod Evangelium, quæ etiam prædicatio est, *secundum revelationem mysterii taciti æternis temporibus*, id est secundum quod revelatum est mihi de occulto Dei consilio, et ab æterno tacito. [Haimo] Æterna enim tempora dicit quæ præcesserunt mundi exordium. Vel, quod Evangelium est secundum revelationem mysterii taciti æternis temporibus, id est revelat ipsum mysterium tacitum a mundi exordio. Mysterium dicit incarnationem Christi et cætera talia, quæ æternis temporibus erant abscondita, quia licet ex aliqua parte antiquis Patribus cognita fuissent, plene tamen a nullo fuerunt præscita, quousque suo tempore per Jesum Christum sunt revelata, Scripturis prophetarum ab eo reseratis, testimonium dantibus huic prædicationi, et hoc est quod dicit : *Quod*, mysterium *patefactum est* a Christo *per Scripturas prophetarum*, reseratas ab eo. Patefactum est dico, et hoc *secundum præceptum*, id est dispensationem *æterni Dei*, qui ab æterno hoc ordinavit, quasi dicat, non est fictum. Solus Deus proprie æternus dicitur. (382) Dicitur autem et ignis æternus, et pœna æterna, sed non sicut Deus dicitur æternus. Ignis enim dicitur æternus, eo quod sine fine sit ; non est tamen sine initio, Deus autem etiam sine initio. Illa est ergo vera æternitas, quæ est vera immortalitas. Hac est illa summa incommutabilitas, quam solus Deus habet qui immutari omnino non potest. Aliud est enim aliquid non mutari, cum possit mutari ; aliud autem non posse prorsus mutari. Sicut ergo dicitur homo bonus non tamen sicut Deus, de quo dictum est : *Nemo bonus nisi solus Deus* (*Matth.* XIX), et sicut dicitur anima immortalis, non tamen sicut Deus, de quo dictum est : *Solus habet immortalitatem* (*I Tim.* VI). Et sicut homo dicitur sapiens, non tamen sicut Deus, de quo dictum est : *Soli sapienti Deo* ; sic dicitur ignis æternus, non tamen sicut Deus, cujus solius immortalitas ipsa est vera æternitas. *Ad obeditionem*. Quasi dicat : Patefactum est illud mysterium ; et hoc, *in cunctis gentibus ad obeditionem*. Vel *ad obediendum*, id est ut obediant *fidei* bene operando.

Dico mysterii *tacite*, utique aliis sed *cogniti* soli sapienti Deo, quia, etsi modo sit hominibus revelatum cum soli Deo cognitum est qui solus perfecte novit, cur ita factum est ? In quo reprimit inquisitores qui quærunt cur tantum distulit Deus venire, cur tot gentes perire permisit. In hoc autem quod ait, soli sapienti Deo, error quibusdam subrepit, (383) arbitrantibus hic solum Patrem significari, et solum vere sapientem esse, cum tamen non sit dictum soli sapienti Patri, sed soli sapienti Deo, et

A Deus unus ipsa est Trinitas, ut sic intelligamus solum Deum sapientem, sicut intelligimus solum potentem, id est Patrem et Filium et Spiritum sanctum, qui est unus et solus Deus, cui soli servire jubemur. Si tamen dixisset Apostolus, soli sapienti Patri, nec si tamen separaret Filium vel Spiritum sanctum, sicut in Apocalypsi de Filio legitur, qui habet nomen scriptum quod nemo scit nisi ipse (*Apoc.* XIV). Nec ideo tamen dicitur Pater nescire hoc nomen, a quo est Filius inseparabilis. Sicut ergo scit Pater quod nemo scire dictus est, nisi Filius, quia inseparabiles sunt Pater et Filius, sic etiam si dictum esset soli sapienti Patri, simul intelligi deberet etiam Filius et Spiritus sanctus, quia inseparabiles sunt. Dico quod mysterium patefactum est,
B et hoc *per Jesum Christum cui*, scilicet soli Deo, vel, cui, scilicet Christo, est *honor*, a nobis, *et gloria*, in sæcula, quia ipse est vera gloria, et beatitudo, et summum bonum, et hoc, *in sæcula sæculorum*, id est sine fine. Ecce ostensum quomodo *ei*, et *cui*, legi possint. Quidam autem legunt sine cui, si autem auferas cui, absoluta est lectio, sed beatus Augustinus dicit apponi, et tradit quomodo debet accipi ut non superfluat, et legit alio modo quam prius dictum est, sic : *Ei autem*. Quasi dicat : Potens est vos confirmare ut scilicet Deo Patri, vel Deo Trinitati. Potens est dico, *juxta Evangelium meum, et prædicationem Jesu Christi, secundum revelationem mysterii temporibus æternis taciti*. Hæc non mutantur. (384) *Quod* mysterium *nunc patefactum est*, per Spiritum sanctum vel per Christum. Et hoc, *per*
C *Scripturas* prophetarum secundum præceptum Dei, *ad obeditionem fidei in cunctis gentibus cogniti, cui soli sapienti Deo*. Hæc non mutantur. *Cui*, inquam, id est Deo Trinitati, vel Deo Patri *sit honor et gloria per Jesum Christum*, *cui* cum *honor* a nobis, *gloria* in sæcula. Quod additur cui gloria, cum sufficeret ei gloria, inusitatæ nostræ linguæ est locutio, non sensus ambiguus. Idem est enim dicere, ordine inusitato verborum, ei gloria, per Jesum Christum cui est gloria, quod usitato ordine dicere ei gloria, cui per Jesum Christum est gloria. Quid enim sensui deperit sive hoc sive illo modo dicatur ? Per Christum vero est Patri gloria, id est clara cum laude notitia quia per eum innotuit hominibus Deus Trinitas, quod est mysterium tacitum ab æternis temporibus,
D quod per Christum revelatum est. Quod ergo interpositum est per Jesum Christum, non debet accipi tanquam dicatur soli sapienti Deo per Jesum Christum, ut scilicet Deus solus sapiens per Jesum Christum sapiens esse intelligatur, non participando sed gignendo sapientiam, quæ est Christus Jesus, sed potius ita debet accipi ut intelligatur per Jesum Christum gloria esse soli sapienti Deo. Quis enim audeat dicere per Jesum Christum fieri ut sit sapiens Deus Pater, cum secundum substantiam suam non dubitandum sit eum sapientem esse ? po-

(382) Augustinus, De natura boni.
(383) Id., contra Maximum.

(384) Id., contra Maximum.

tiusque sit substantia Filii per gignentem Patrem quam substantia Patris per genitum Filium? Restat ergo ut soli sapienti Deo, gloria sit, per Jesum Christum, id est clara cum laude notitia, qua innotuit gentibus Deus Trinitas. Ideo per Christum, quia ut alia taceam ipse præcepit gentes baptizari in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ubi præcipue commendata est hujus individuæ gloria Trinitatis. Deus itaque, qui est ipsa Trinitas, propterea solus sapiens recte dicitur, quia solus secundum suam A substantiam sapiens est, non secundum accedentem participationem sapientiæ, qualiter sapiens est rationalis creatura. Ideo ergo dixit soli sapienti Deo quia Deus est Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, et ista Trinitas est solus sapiens Deus, qui nec unquam potuit esse insipiens, nec unquam poterit per gratiam particeps esse sapientiæ, sed sapiens immobilitate, atque immutabilitate naturæ. Ei, ergo, sit gloria per Christum, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

IN EPISTOLAM I AD CORINTHIOS.

ARGUMENTUM.

Corinthii sunt Achaici, et hi similiter ab Apostolo audierunt verbum veritatis, et subversi sunt multifarie a falsis apostolis, quidam a philosophiæ verbosa eloquentia, alii secta legis Judaicæ inducti sunt. Hos revocat Apostolus ad veram fidem et evangelicam sapientiam, scribens eis ab Epheso per Timotheum.

CAPUT PRIMUM.

VERS. 1-3. — *Paulus, vocatus Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, et Sosthenes frater Ecclesiæ Dei quæ est Corinthi, sanctificatis in Christo Jesu, vocatis sanctis, cum omnibus qui invocant nomen Domini nostri Jesu Christi, in omni loco ipsorum et nostro. Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo.*

Hanc epistolam scribit Apostolus Corinthiis. [Ambrosius] Corinthii autem sunt Achaici, hi ab ipso Apostolo sunt conversi, qui præcepto Domini admonitus resedit apud Corinthios annum unum et menses sex, docens inter eos verbum Dei ; sed post per pseudoapostolos multifarie subversi sunt, ut scilicet de baptistis se jactarent, unitatem Ecclesiæ scindentes, et sacramentorum virtutem, et usum ex ministrorum meritis judicantes. Putabant enim sacramenta majoris esse usus, si per bonos tractarentur, majoris autem vel minoris esse usus si per magis vel minus bonos darentur. Ita quoque subversi erant ut contempto Apostolo de sapientibus sæculi se jactarent, quorum eloquentia et terrena philosophia delectabantur, ut sub nomine Christi his imbuerentur quæ contraria sunt fidei. Inflati quoque erant eo quod non iret ad eos Apostolus. Fornicatorem quoque qui uxorem patris tenebat inter se esse patiebantur. Sunt et alia capitula in suis locis notanda. [Ambrosius.] De his et hujusmodi magna cum fiducia et charitatis affectu scribit eis Apostolus, aliquando commonens, aliquando blandiens, aliquando arguens. Nam multæ sunt causæ propter quas scribit eis Apostolus, ab erroribus ad rectam fidem et a schismatibus eos revocans ad unitatem.

B Est igitur intentio Apostoli in hac Epistola Corinthios ab erroribus et chismatibus ad fidem rectam, et a vitiis et aliis peccatis ad bonos mores revocare, et in eis confirmare. Modus talis, huic Epistolæ sicut et aliis salutationem præscribit, et nomen suum quod celebre erat omnibus gentibus, præponit ut magistri nomine audito acquiescant correctioni, et quia eis vilis erat apponit dignitatis nomina non humilitatis, ut servus, post salutationem pro donis eorum qui boni erant inter eos gratias agit. Deinde increpat illos qui de baptistis se jactabant, post retrahit eos ab amore terrenæ sapientiæ. Deinde redarguit eos de fornicatore quem inter se esse ferebant. Deinde increpat eos quia **67** sibi invicem injurias, et fraudes faciebant, et infidelium examina re-
C quirebant. Postea instruit eos de matrimoniis, et de perceptione Eucharistiæ, ubi plurimum errabant, et de aliis plurimis. Circa finem vero subditur moralis admonitio. Præmittit autem salutationem dicens :

Paulus vocatus, [Ambrosius] id est electus a Deo, *Apostolus Christi Jesu,* id est Dei voluntate missus ad prædicandum Christum. Vel, vocatus, id est ab hominibus privilegio nominis dictus, Apostolus Christi Jesu. Hic aliter incipit quam ad Romanos, quia alia causa est hic quam ibi. Hic enim non vocat se servum sicut ibi, quia opus erat hic potius auctoritate, et commendatione contra superbiam Corinthiorum apud quos viluerat. Apostolus dico, et hoc non per iram, sed *per voluntatem Dei,* quod non illi vestri pseudo qui nec missi sunt a Deo,
D nec verum est quod dicunt. *Et Sosthenes frater.* Hic dicitur Apostolo de eis nuntiasse, et ideo eum sibi in hac salutatione adjungit, per hoc indicans quod pro illis valde sollicitus erat. Ecce per eum qui inter eos conversabatur, culpas eorum se scire innuit. Ideo autem frater dicit, quia per hoc removet suspicionem sinistram ab illo, ostendens quod non malo animo de eis nuntiavit, sed ex charitate, et desiderio correctionis. Paulus, inquam, et Sosthenes, scribit hanc Epistolam *Ecclesiæ Dei,* non ho-

minum, ut vos facitis eam, arbitrantes ministeriorum dispensatores esse gratiarum auctores. Ita enim esset Ecclesia hominum, non Dei. Quos autem Ecclesiam Dei dicat, aperit subdens, scilicet *sanctificatis*, in baptismo, et hoc *in Christo Jesu*, id est per Christum Jesum, non per homines, imo a pseudo eversi sunt. Ipsis dico, *vocatis sanctis*, id est vocatis per prædicatores, et deinde sancti sunt. Vel, vocatis sanctis, id est præelectis a Deo ad hoc ut sancti sint. Hoc ideo dicit ut ostendat nil boni esse ab homine, sed totum a Deo. His inquam Apostolus scribit, *cum omnibus*, id est et omnibus scribit suffraganeis Corinthi, qui in eisdem vitiis laborant. Unde subdit : *Qui in omni loco*, Corinthiorum, *ipsorum et nostro*, id est primitus mihi commisso, *invocant nomen Domini*, non aliud a Deo, qui vere invocant dum servi ejus sunt. De quibus dicitur, prope est omnibus invocantibus eum in veritate. Hoc enim invocat aliquid quod vult ad se venire. Quid est invocare, nisi in se vocare : (1) Qui ergo Deum invocat ut dives fiat, Deum non invocat. Nam, cum dicis : Deus, da mihi divitias, non vis ut ad te veniat ipse Deus, sed ut divitiæ veniant ad te. Deus autem gratis se vult coli et diligi. Hoc est enim caste amare, non quia dat aliquid præter se, sed quia dat se. Talibus dicit Apostolus ; *Qui invocant nomen Domini nostri Jesu Christi*, id est Salvatoris et regis, quem vere invocant dum ab eo credunt se salvari et regi. *Gratia vobis*, etc. Ecce salutatio. Quasi dicat : Paulus et Sosthenes scribunt vobis hanc Epistolam, et ante alia salutant vos, optantes ut gratia sit vobis, stantibus ut maneant, lapsis ut redeant. *Et pax*, id est mentis tranquillitas. Et hoc *a Deo Patre et Domino nostro Jesu Christo*, qui ab eo quidem personali proprietate distinctus est, sed unus cum ipso unitate substantiæ Deus. Ideo ergo Patrem nominavit et Christum, ne unio personæ inter eos esse putetur.

VERS. 4-12. — *Gratias ago Deo meo semper pro vobis, in gratia Dei quæ data est vobis in Christo Jesu, quia in omnibus divites facti estis in illo, in omni verbo et in omni scientia, sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis, ita ut nihil vobis desit in ulla gratia exspectantibus revelationem Domini nostri Jesu Christi, qui et confirmabit vos usque in finem sine crimine, in die adventus Domini nostri Jesu Chisti. Fidelis Deus per quem vocati estis in societatem Filii ejus Jesu Christi Domini nostri. Obsecro autem vos, fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata. Sitis autem perfecti in eodem sensu, et in eadem scientia. Significatum est enim mihi de vobis, fratres mei, ab his qui sunt Chloes, quia contentiones sunt inter vos. Hoc autem dico quod unusquisque vestrum dicit : Ego quidem sum Pauli ; ego autem Apollo : ego vero Cephæ ; ego autem Christi.*

Gratias ago, etc. Hic gratias agit de donis illorum qui boni erant inter eos. In illa enim plebe alii

A erant boni qui digni erant laude, alii digni increpatione. Post salutationem ergo primum proponit de bonis ut his aliis conformentur dicens : *Gratias ago*, etc., corde, lingua et opere, *Deo*, [Ambrosius] a quo omnia esse credo, non ab hominibus, *meo* omnium quidem Deus potestate qua creat, sed eorum proprie dicitur Deus, qui eum diligunt, qui eum tenent, qui illum possident, quibus subvenit, qui ab illo alieni non sunt. *Semper pro vobis*, et hoc, *in gratia Dei, quæ data est vobis*, id est dum considero gratiam, id est dona Dei. Quæ data sunt vobis et hoc, *in Christo Jesu*, id est a Christo non aliunde et hæc gratia a Deo est multiplex, *quia in omnibus* donis, *facti estis divites in illo*, id est in Christo, non in homine. Et quia dixit in omnibus illos esse ditatos, B supponit partes aliquas, scilicet divites facti estis, *in omni verbo*, id est in omni genere linguarum vel, in omni verbo, id est in omni modo prædicandi scilicet mediocribus et perfectis et minoribus. *Et in omni scientia*, id est Scripturarum intellectu. Et in his ditati ita estis, quod ita tenetis, *sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis*, id est ita verba et scientiam tenetis de eo quod de Christo prædicavi, sicut testimonio prophetarum confirmavi. Vel, ditati estis, id est donis repleti, sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis, id est quia firmiter tenetis fidem quam prædicavi vobis. Dico quod divites estis, *ita ut nihil desit vobis in ulla gratia* sancti Spiritus. Vobis, dico, *exspectantibus*, cum desiderio, quia certi inde et parati, *revelationem Domini nostri Jesu Christi*, id est visionem Christi, C et cognitionem quæ post mortem præstatur cuique fideli. Vel revelationem dicit, quæ erit in die judicii quam impii timent. *Qui et confirmabit vos.* Quasi dicat : Exspectatis revelationem Christi, a qua exspectatione non deficietis. Ipse est enim qui et confirmabit vos *usque in finem*, cujusque, ita ut sitis *sine crimine*, etsi non sine peccato. Confirmabit, dico. Usque in finem, id est *in die adventus Domini nostri Jesu Christi.* Cujus adventus intelligitur, cum cuique post mortem manifestatur. Vel ita, confirmabit vos, dico, semper mente euntes in illum diem, scilicet in diem adventus Christi, etc. *Fidelis Deus.* Quasi dicat : Confirmabit et vere, quia Deus est fidelis, id est verus in promissis, *per quem vocati estis*, cum essetis aversi. Qui ergo aversos vocavit, D facilius confirmabit. Vocavit, dico, *in societatem*, non modo angelorum vel apostolorum, sed *filii ejus Domini nostri Jesu Christi. Obsecro autem vos, fratres.* Hucusque bonos laudavit : His laudatis invitat alios, ad horum simile. Quasi dicat : Pro bonis gratias ago, vos autem, alios, o fratres, obsecro *per nomen Domini nostri Jesu Christi*, id est si vultis esse ejus a quo nominamini Christiani, *ut dicatis omnes* oris confessione ; et interius habeatis in corde *idipsum*, quod dicunt prædicti, *et non sint in vobis schismata*, id est divisiones ; sed *sitis in eodem sensu*, id est

(1) Augustinus, in psal. xxxv.

in eadem voluntate qua prædicti. *Et in eadem scientia.* id est in eadem intelligentia. Ita quod perfecti sitis, hoc ideo dico, quia *significatum mihi,* litteris *est, de vobis* tamen, o *fratres mei, ab his qui sunt Chloes.* Chloes locus est ubi illi erant qui apostolo significaverunt. Vel, qui sunt Chloes, id est, illius matronæ ; Chloes enim potest esse nomen vel loci vel personæ. Aliquibus enim videtur locus esse, ut si diceretur, ab his qui sunt Antiochiæ ; aliquibus videtur femina fuisse Deo devota, cum qua multi essent colentes Deum. Quid enim significatum est *de vobis* : hoc scilicet, *quia contentiones sunt inter vos,* de disciplina Dominica. *Hoc autem dico.* Hic contra baptistas agere incipit, de quibus illi gloriabantur. Quasi dicat : Non solum scio contentiones quæ sunt inter vos, sed et verba quæ dicitis. Et hoc est : Hoc autem dico *quod unusquisque vestrum dicit.* Nam alius dicit hoc, scilicet : *Ego quidem sum Pauli :* alius illud dicit : *Ego* sum *Apollo ;* alius vero ; *Ego* sum *Cephæ.* Quasi dicat : Alius dicit : Ego sum baptizatus baptismo illius ; alius dicit : Ego illius. Sed hoc dicere est quasi idololatria. Et sciendum quia sub nomine suo, et apostolorum bonorum notat pseudo. Nam illi quos nominat sine dubio boni erant, sed sub horum specie falsos apostolos tangit, ne si diceret in nomine illius vel illius, videretur eis invidere, et sibi velle attribuere. Vel ideo apposuit nomina bonorum apostolorum, ut ostendat, quia si in nomine majorum non est gloriandum, nec in nomine illorum, quorum doctrina prava est. Inter eos autem hos laude dignos designat qui dicebant se esse Christi. Unde subdit : Alius autem dicit : *Ego* sum *Christi,* baptismo baptizatus. (2) Hic bene dicit quales supra laudavit, qui tales sunt, ostium habent per quod intrandum est, quod est Christus, per quem cognoscitur Pater. Nemo enim novit Filium nisi Pater, neque Patrem nisi Filius, et cui vult Filius revelare. Sicut ergo ipse per se novit Patrem, nos autem per illum ; sic intrat in ovile per se, et nos per ipsum ostium. Christus enim se prædicat, et nos Christum prædicamus, et ideo ipse per seipsum, et nos per ipsum intramus. Christus ergo ostium est et pastor intrando per se, et quod pastor est dedit etiam suis, quia et Petrus pastor, et Paulus pastor, et alii sunt pastores. Ostium vero nemo nostrum se dicit. Hoc enim sibi proprie tenuit. Nullus ergo ostium est nisi Christus, et si pastores sint alii. Sed, quia oves indisciplinatæ cœperunt facere schismata, et alia ostia sibi ponere quibus intrarent, non ut congregarentur, sed ut errarent et dividerentur, dicentes ; Ego sum Pauli, etc., subdit :

68 VERS. 13.— *Divisus est Christus? Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati estis?*

Divisus est Christus? Quasi dicat : Discite quantum erretis, et quantum de Deo præsumatis, et quantum hominibus tribuatis, qui inter eos gloriam partimini. [Ambrosius] Divisus est ergo Christus, secundum vos. Quasi dicat : Multos facitis Christos, id est datores gloriarum. Adeo enim errabant isti ut putarent gratiam dari ab homine, non modo quasi ministro sed auctore. Vel putabant Christum in baptismo magis operari per meliorem baptistam, et minus per minus bonum, et ideo ait : *Divisus est Christus?* Quasi dicat : Qui operatur idem in omnibus divisus est, quantum ad vos, dum creditur in isto plus operari, in illo minus. Vel ita, quia hæc dicitis, ideo Christus modo a vobis divisus est, id est separatus. Vehementer isti errabant, quia ostia sibi præter Christum constituebant, et fundamenta diversa ponere præsumebant, cum unum sit fundamentum Ecclesiæ quod nemo mutare potest, scilicet Christus Jesus. Ipse enim solus est petra, supra quam fundata est Ecclesia, a qua nominatus est Petrus, Domino ad illum dicente : (3) *Tu es Petrus,* etc. (*Matth.*, XVI.) Simon enim antea vocabatur. Hoc autem nomen, scilicet Petrus, a Domino ei impositum est. Et dicitur Petrus in figura Christiani populi, a petra Christo. Quia enim petra Christus dicitur, et Petrus dicitur populus Christianus. Ita ergo Petrus a petra, non petra a Petro dicitur, quomodo non a Christiano Christus, sed a Christo Christianus vocatur. Tu es ergo, inquit, Petrus dictus a Petra, quam confessus es, quam cognovisti, dicens : *Tu es Christus Filius Dei,* et *supra hanc petram,* id est super meipsum Filium Dei, non super te ædificabo *Ecclesiam meam,* super me ædificabo te et alios, non me super te. Non enim dicuntur esse Petri, sed Christi, non a Petro petrini, sed a Christo Christiani, ne esset spes in homine. Maledictus enim qui spem suam ponit in homine (*Jer.* XVII). (4) Et ne essent tot baptismi quot servi, mysterium quidem baptizandi dedit Christus servis suis, potestatem vero sibi retinuit. Quam si vellet poterat dare, ut servus daret baptismum suum tanquam vice sua ; et potestatem suam poterat constituere in aliquo servo, ut tanta vis esset in baptismo servi, quantam vim habet baptismus a Domino datus. Sed hoc noluit, ideo. Ut in homine non esset spes baptizatorum. Noluit enim servum ponere spem in servo. Baptizat enim servus ut minister, baptizat autem Dominus tanquam potestatem habens. Et potuit hanc potestatem servo dare, ut dictum est, sed noluit. Si enim daret hanc potestatem servis, id est ut ipsorum esset quod Domini erat, tot essent baptismi quot essent servi, ut quomodo dictus est baptismus Joannis, sic diceretur Petri baptismus, baptismus Pauli, et hujusmodi. Ille enim baptismus, Joannis dictus est. Sed forte aliquis dicet : Proba nobis quod ille baptismus Joannis dictus est. Probabo, ipsa Veritate dicente, quando interrogavit Judæos: *Baptismus Joannis unde est?* (*Matth.*, XXI.) Ergone tot baptismi dicerentur

(2) Augustinus, super Joan.
(3) Id., ex tract. Evangelii.
(4) Id., super Joannem.

quot essent servi qui baptizarent, sibi tenuit Dominus potestatem baptizandi, servis ministerium dedit. Si ergo servus dicit se baptizare, recte dicit, sed tanquam minister baptizat, et ideo non differt sive bonus sive malus cui baptizandi contigit ministerium. (5) Inde etiam nemo dicit, baptismus meus, cum tamen dicat, Evangelium meum, prudentia mea, gloria mea, licet hæc sint a Deo. In quibus differentia est ; in his enim alius alio doctior est, et alius alio melius operatur, in evangelizando, nec sunt omnes æquali sapientia præditi ; alius autem alio magis minusve baptizatus, sive ab inferiore sive a majore baptizetur, dici non potest.

Ad hoc autem quod dicit Augustinus Christum potestatem baptismi servis posse dedisse, opponitur sic a quibusdam. Potestas sive potentia Dei essentia divina est, quia non est aliud Deo esse, alliud posse. Si ergo non potuit eis dare, ut essent quod ipse, nec potuit dare posse suum, vel potentiam suam, scilicet quæ ipse est : alioquin, si potentiam suam potuit eis dare, quæ ipse est, potuit eis dare ut ipsi essent quod ipse est. Ad quod dicimus quod non potuit eis Christus dare, ut essent quod ipse est, et tamen potuit eis dare potestatem quam habet, id est potestatem qua possent remittere peccata, quod ipse solus potest. Hæc est enim quam dicit potestatem baptismi, scilicet potestas remittendi peccata. Potuit ergo eis dare auctoritatem baptismi quibus contulit ministerium, ita tamen ut ipse principalis auctor existeret. Potestatem vero qua ipse est, sive posse suum quod est suum esse, eis potuisse dare non dicimus, qualiter dicimus eum dedisse nobis scire quod ipse scit, et dedisse prophetis scientiam futurorum quam habet, non quod nobis dederit esse quod habet, vel prophetis scientiam quæ est essentia divina, sed quia nobis dedit per gratiam scire futura, quæ ab æterno ipse novit natura. Alii dicunt potestatem baptismi, ut in nomine eorum daretur baptismus, in quo fieret remissio peccatorum, sicut fuit in nomine Christi, et hoc potuit dare, sed noluit.

Nunquid Paulus. Quasi dicat : Vos dicitis ego sum Pauli, ego Apollo, etc. Sed nunquid Paulus *crucifixus est pro vobis,* id est ut sit vobis auctor salutis ? *Aut in nomine Pauli baptizati estis,* scilicet quod peccata dimitterem vobis ? quasi dicat : Non. (6) Revocat illos ad unum nomen qui multa nomina sibi facere volebant, repellit eos ab amore hominis, ut Christus ametur. Quasi dicat : Nolo ut mei sitis, sed mecum sitis, mecum estote, omnes illius sumus qui pro nobis crucifixus est. Dimittuntur enim nobis peccata per nomen ejus, non per nomen alicujus hominis. Unde Joannes ait : *Scribo vobis, filioli, quia remittuntur vobis peccata per nomen ejus* (*Joan.* II). (7) Et nota quod per hoc verum quod tenebant illi Corinthii, facit illos erubescere de falsis

A quæ tenebant. Hoc enim erat proprium et detestabile eorum vitium, quod dicebant, ego sum Pauli, nec illos quos in schismata dissiluisse redarguit, arbitror veram fidem habuisse in hoc quod dicebant, ego sum Pauli, etc. Hoc enim falsum erat. Quod vero sciebant Christum pro se esse crucifixum, et se in ejus nomine, non Pauli baptizatos, non erroris eorum, sed divini muneris erat, hanc Dei veritatem in iniquitate suorum schismatum detinebant. Per hanc ergo veritatem quam tenebant, ipsorum falsitatem convincit. Verum, quippe baptismum habebant, et ex ejus veritate, ut corrigerent falsitatem ab ipso audiunt, nunquid Paulus, etc. Prorsus fieri potest ut aliqui verum habeant baptismum, et non veram habeant fidem, sicut isti. Per veritatem

B ergo quam habebant corrigit falsitatem quam tenebant, sicut per Christi resurrectionem quam credebant probat resurrectionem mortuorum quam negabant. (8) Erant enim inter eos qui mortuos resurgere non credebant, credebant tamen Christum resurrexisse.

VERS. 14-18. — *Gratias ago Deo meo, quod neminem vestrum baptizavi, nisi Crispum et Caium, ne quis dicat quod in nomine meo baptizati estis. Baptizavi autem et Stephanæ domum. Cæterum nescio si quem alium vestrum baptizaverim. Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare, non in sapientia verbi, ut non evacuetur crux Christi. Verbum enim crucis pereuntibus quidem stultitia est, his autem qui salvi fiunt, id est nobis, Dei virtus est.*

Gratias ago, etc. Quasi dicat : Et quia baptismis

C gloriamini. Ago gratias *Deo* meo, etc., de hoc *quod neminem vestrum* contendentium *baptizavi.* Nullum enim vestrum baptizavi, *nisi Crispum et Caium,* qui non sunt de contentione vestra. Et non ideo hoc dico quin bonum sit baptizare ; sed, *ne quis dicat quod baptizati estis in nomine meo,* de quo magis gloriaremini. (9) Poterat quidem, ut dictum est, Dominus Jesus, si voluisset baptismi sui potestatem dare alicui, vel aliquibus præcipuis servis suis, ut quemadmodum per virgam florentem demonstratus est Aaron sacerdos, ita per aliquod signum demonstrarentur excellentioris dignitatis ministri, et dispensatores mysteriorum qui soli baptizare deberent. Sed, si hoc fieret ipsorum jam baptismus diceretur quamvis eis a Domino attributus, sicut baptismus

D Joannis fuit. Ideo Apostolus agit Deo gratias quod neminem eorum baptizavit, qui tanquam obliti in cujus nomine baptizati essent, per hominum nomina se dividebant. Cum enim tantum valet baptismus per hominem contemptibilem, quantum per apostolum datus, ita nec illius nec illius, sed Christi esse cognoscitur, quod Joannes per speciem columbæ se didicisse testatur. Nam secundum quid aliud dixerit : Et *ego nesciebam eum* (*Joan.* I), non plane video, nisi quia secundum aliquid eum sciebat, et secun-

(5) Augustinus, in eod.
(6) Id., in psal. LXXII.
(7) Id., De unico baptismo.

(8) Id., in eod.
(9) Id., contra baptistas, De bapt.

dum aliquid eum nesciebat : sciebat quidem sponsum esse et Filium Dei, sed nesciebat utrum esset daturus aliis potestatem baptismi, an proprium baptismum esset habiturus, et baptismi potestatem recepturus. Sed hoc per Spiritum didicit, velut per columbam descendentem et manentem super Christum. Unde ad ipsum dicitur : *Super quem videris Spiritum quasi columbam manentem et descendentem, hic est qui baptizat* (*ibid.*). *Baptizavi autem.* Quasi dicat : Non solum illos prædictos baptizaverim, sed etiam baptizavi *Stephanæ domum*, id est illius matronæ familiam quæ non est de hac contentione. *Cæterum*, quasi dicat : De his certus sum quod baptizaverim eos. Cæterum *nescio si quem alium vestrum*, qui sit de contentiosis, *baptizaverim. Non enim.* Ratio hic ostenditur cur tam paucos baptizavi. Quasi dicat : Ideo tam paucos baptizavi, quia non *misit me Christus baptizare*, quod a minoribus fieri potest, ne retardaretur a prædicatione, de qua subdit, *sed evangelizare.* (10) Perfecte enim baptizare etiam minus docti possunt, perfecte autem evangelizare multo difficilioris et rarioris est operis. Ideo doctor gentium pluribus excellentior evangelizare se missum dicit, non baptizare.

Hoc tamen necessitate **69** instante interdum egit. *Non in sapientia.* Quasi dicat : Dico quod misit me evangelizare, non utique, in sapientia *verbi*, id est in sapientia philosophorum, quæ dicitur sapientia verbi, quia dicitur sapientia etsi non sit. Vel ideo dicitur sapientia verbi, quia verbosos facit, ideo non misit me in sapientia verbi, *ut non evacuetur crux Christi.* (11) Per illam enim sapientiam crux Christi, id est mors Christi evacuatur, et impossibile secundum naturam judicatur, ut Deus immortalis moreretur. Vel, evacuatur crux Christi, si quomodo, vel bona natura, vel alio aliquo modo præter eam credatur esse justitia et vita æterna. Acute quippe videntur hæc dici, sed in sapientia verbi, qua evacuatur crux Christi. Non est ista sapientia desursum descendens. Si ergo secundum Scripturas sapiamus, non cogimur contra Christi gratiam disputare, et ea dicere quibus demonstrare conemur naturam humanam, neque in parvulis medico indigere, quia sana est, et in majoribus sibi ad justitiam, si velint, posse sufficere. (12) Quocirca non præsumit Apostolus in sapientia verbi prædicare, sed Scripturarum auctoritate contentus simplicitati studet, potius quam tumori. Vel non misit me prædicare in sapientia verbi, id est in lepore et ornatu verborum, quia prædicatio Christiana non indiget pompa, et cultu sermonis ne videatur esse ex versutia, et calliditate humanæ sapientiæ non ex veritate. [Ambrosius] Ibi enim compositio verborum quæritur, ubi teste Veritate ipsa se non commendat Veritas sicut in sapientia mundana. Qui ergo fidem Christi verbis exornare vult, obscurat illam splendore verborum, ut non

(10) Augustinus, contra Pelagium.
(11) Ambrosius, De natura et gratia.

A illa, sed ipse laudetur. Ideo causam ostendens, quare non in sapientia verbi, addit, ut non evacuetur crux Christi, sicut pseudoapostoli, ne stulti viderentur prudentibus mundi, in sapientia humana Christum prædicabant dupliciter, scilicet eloquentiæ studentes, et quæ mundus stulta judicat. Evitantes verbum enim. Quasi dicat : Quis quæreret an evacuaretur crux Christi ? respondet : Utique. *Verbum enim*, id est prædicatio *crucis stultitia quidem est*, id est esse videtur *pereuntibus*, id est sapientibus hujus mundi, quorum sapientia perit, et falsa ostenditur, et inde ipsi damnandi sunt. Ideoque pro eo quod debebat dicere sapientibus, dixit pereuntibus. *His autem.* Quasi dicat, pereuntibus verbum crucis stultitia est. Sed his *qui salvi fiunt*, B *id est nobis*, scilicet credentibus, *virtus Dei est*, quia credentes in cruce Christi virtutem Dei intelligunt, dum sciunt quod occisus diabolum vicit, et hominem liberavit. Vel, virtus Dei est id est, virtutem dat credentibus, per quam, cum res exigit, fiunt miracula.

VERS. 19, 22. — *Scriptum est enim : Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo. Ubi sapiens, ubi scriba, ubi inquisitor hujus sæculi ? Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi ? Nam quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes, quoniam Judæi signa petunt, et Græci sapientiam quærunt.*

C *Scriptum est enim.* Quasi dicat : Ideo non misit me prædicare in sapientia, quia prædixerat quod eam non reciperet in prædicatione evangelica ; sed perderet, et reprobaret de collegio prædicatorum suorum, et hoc est quod ait : *Scriptum est enim* in Abdia : *Perdam sapientiam sapientium* sæculi, *et prudentiam prudentium reprobabo*, id est sapientiam mundanam, et prudentiam eliminabo. A prædicatoribus Evangelii, ut tales sapientes inter prædicatores non recipiam, et sic est factum. *Ubi* est enim *sapiens*, inter prædicatores ? inter quos si esse voluerit, sapientiam illam abjicere oportuit. Et Nota quod primum ponit genus ; deinde subdit species, dicens : *Ubi scriba ? ubi inquisitor hujus sæculi !* Sapiens genus est utriusque, scilicet scribæ et inquisitoris. D Scriba est qui etiam de moribus et artibus præcepta dat. Conquisitor est qui secreta naturæ rimatur. Tales enim recipit Deus inter prædicatores, sed stultos fecit. Unde subdit : *Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi ?* Vel ita : Scriptum est enim. Quasi dicat : Benedico, pereuntibus ; sic enim Scriptum est, scilicet quod proderet, et reprobam falsamque faceret sapientiam hujus mundi : et hoc est, perdam, id est irritam faciam sapientiam sapientium. [August.] Non utique meam in eis perdam, sed illam quæ est eorum quam sibi

(12) August., contra Felicianum.

arrogant. [Hier.] Non enim vera sapientia, et vera prudentia perditur a Domino, sed falsi nominis scientia quam sibi thesaurizant lingua mendacii, et deficiunt scrutantes scrutinia. Et prudentiam prudentium reprobabo, quam scilicet excogitavit ad aliquid probandum. Non ideo hoc dicit ut veritatis intelligentia possit a Deo reprobari, sed quia eorum prudentia reprobatur, qui in sua eruditione confidunt. Ubi sapiens? [Ambrosius, Haimo] Probatæ, falsæ scilicet scientiæ, insultat Apostolus dicens: Ubi sapiens? tam de Judæis quam de gentibus, quasi nil valet. Et est hæc invectio in Judæos et gentiles, unde distincte de utroque subdit: Ubi scriba de Judæis? Ubi inquisitor hujus sæculi, id est gentilis naturas rerum tantum inquirens? Quasi dicat: Victa est eorum sapientia, et stultitia facta. Nam scriba Judæorum, et legis doctores, etsi nil impossibile Deo credunt, tamen, quia in lege non adeo aperte habent, diffidunt Dei Filium esse mortuum, et hujusmodi; gentilibus vero pro humana ratione stultitia est. Sed nonne stultam fecit sapientiam hujus mundi? Sapientia est hujus mundi, ubi infirmum et stultum Dei contemnitur, quæ est secundum rationes mundi, quæ impossibile judicat quæ in naturis rerum non videt. Hanc autem Deus stultam fecit, possibile fore declarando atque faciendo quod ipsa impossibile judicat. *Nam quia*, quasi dicat: Vere sapientiam mundi stultam fecit Deus, quia per stultitiam salvat credentes; et hoc placuit ei facere, et hoc est quod ait: Nam *placuit Deo*, ex beneplacito enim ejus est, *salvos facere credentes*, et hoc, *per stultitiam prædicationis*, id est per prædicatores imperitos in mundana sapientia, qui stulti videbantur. Vel, per stultitiam prædicationis, id est per rem prædicatam quæ stulta videtur, sicut est passio Christi, et mors, ubi est humilitas. [Ambrosius] Et cur hoc fecerit ostendit per id quod in serie præmisit, scilicet quia *mundus non cognovit Deum*, *per*, id est propter, *sapientiam* suam, id est sapientes mundi non cognoverunt Deum propter sapientiam suam, ubi est superbia. (13) Non cognoverunt, dico, Judæi per sapientiam, id est per Filium incarnatum, qui cum in carne manifestatus est Filius Dei, in hunc mundum missus est. (14) Non igitur per locorum spatia veniendo, sed in carne mortali mortalibus apparendo, venisse a Deo dicitur. Illuc ergo venit ubi erat, quia erat in hoc mundo, quia mundus per eum factus est, et mundus eum non cognovit (*Joan.* I). (15) Hæc est lux quæ in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt (*ibid.*). Ut autem comprehenderetur, ideo Verbum caro factum est (*ibid.*). (16) Sicut enim curatio via est ad sanitatem, sic medicina sapientiæ Dei per hominis susceptionem nostris est accommodata vulneribus, de quibusdam contrariis curans, et de quibusdam similibus. Serpentis enim sapientia, id est astutia, decepti sumus, Dei sapientia liberamur. Et sicut illa sapientia

A vocabatur; erat autem stultitia, sic ista, quæ vocatur stultitia sapientia est. Ecce contraria. Similia vero sunt, quod per feminam deceptos per feminam liberavit, homo homines, mortalis mortales. [Ambrosius] Vel ita, dico, quod non cognovit mundus per sapientiam suam, et hoc factum est in Dei sapientia, et hoc fecit Deus alto consilio, scilicet ne superbirent, et ut fides et salus cognoscatur esse ex Deo, non ex sapientia humana, *quoniam et Judæi*. Quasi dicat: Non cognovit mundus per sapientiam Deum. ideo, quoniam Judæi, consueti ab antiquo, *petunt signa* potentiæ, nescientes humilitatem Dei, *et Græci*, id est gentiles, *quærunt sapientiam*, non veram, sed quæ ingenio hominis sapientia videatur, scilicet utrum quod prædicatur, natura patiatur.

B VERS. 23, 31. — *Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis Judæis atque Græcis Christum Dei virtutem et Dei sapientiam. Quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus. Et quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. Videte enim vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus ut confundat sapientes. Et infirma mundi elegit Deus ut confundat fortia; et ignobilia mundi et contemptibilia elegit Deus et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret, ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus. Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est no-*
C *bis sapientia a Deo et justitia, et sanctificatio et redemptio, ut, quemadmodum scriptum est, qui gloriatur, in Domino glorietur.*

Nos autem, contra, *prædicamus*, scilicet *Christum crucifixum*, *Judæis quidem scandalum*. Quasi dicat: Quod non est Judæis signum potentiæ, sed scandalum, quia irascuntur contra prædicatores rubore sceleris sui; *gentibus autem stultitiam*. Quasi dicat: Hoc quod prædicamus videtur gentibus stultitia, ita et vobis si de sapientibus estis. Vel ita continet: Ideo videtur stultitia quod prædicamus, quoniam Judæi petunt signa, et Græci sapientiam quærunt. Nos autem, contra facimus, 70 scilicet prædicamus Christum Judæis quod scandalum est, gentibus autem stultitia; et tamen per istam stulti-
D tiam salvat Deus credentes, ut dictum est. Ipsis autem, sic junge: Dico quoniam petunt signa Judæi, et Græci sapientiam. In crucifixione quam prædicamus est magna virtus Dei, et magna sapientia Dei. Quod videtur, vel apparet Judæis atque Græcis, non utique omnibus, sed *ipsis vocatis*, [August.] id est ipsis qui vocati sunt ad vitam, non communi vocatione, sed illa qua præsciti vocantur. Illis enim apparet Christi passio virtus, et sapientia, ut scilicet salus sit ex Deo, non ex arbitrio Judæi, vel Græci, et si reprobis aliter videtur. Ipsis ergo vocatis prædicamus *Christum*, id

(13) August., De Trinitate.
(14) Id., super psal. XXXIII.
(15) Id., De Trinitate.
(16) Id., super Joannem.

est *crucifixum*, scilicet *Dei virtutem, et Dei sapientiam*, id est Christi crucifixionem, in qua apparet virtus Dei, quod mortuus vicit mortem, id est diabolum et Judæum; et Dei sapientiam, qua callide diabolum decepit [Ambrosius]. Vel, ipsis vocatis prædicamus Christum, id est Christi fidem, vel passionem, scilicet Dei virtutem, quod per fidem eorum, et peccata remittuntur, et dæmones pelluntur; et cum res exigit, miracula fiunt; et Dei sapientiam, quia credentes in Christum crucifixum, intelligunt Christum esse Dei sapientiam. (17) Christus enim sapientia Patris est, sicut virtus Patris; ipse est Verbum Patris, et manus Patris, per quem tanquam manu et verbo Pater omnia fecit. Unde : *Opera manuum tuarum sunt cæli* (*Hebr.* I). Et item : *Verbo Domini cæli firmati sunt* (*Psal.* XXXII). Quod ergo verbo, hoc manu; et quod manu, hoc verbo fecit.

Potest ergo sic accipi : Prædicamus Christum esse Dei sapientiam, et Dei virtutem. Cave ne intelligas Filium dici sapientiam Dei tanquam ipse solus sit intelligens, vel sapiens sibi, et Patri, et Spiritui sancto. (18) Si enim ibi solus Filius intelligitur sapiens, et sibi, et Patri, et Spiritui sancto, ad illam reditur absurditatem, ut Pater, nec sit sapiens de seipso, sed de Filio; nec sapientia sapientiam genuerit, sed ea sapientia dicatur Pater sapiens esse, quam genuit. Ubi enim non est intelligentia, nec sapientia esse potest. Et ideo si Pater non intelligit ipse sibi, sed Filius intelligit Patri, profecto Filius Patrem sapientem facit; et si hoc Deo esse quod sapere, et ea illi essentia quæ sapientia, non Filius a Patre quod verum est, sed a Filio potius Pater habet essentiam quod falsissimum est. Est ergo Deus Pater sapiens, ea quæ ipse est sua sapientia; et Filius sapientia Patris est sapiens, de sapientia quæ est Pater de quo est genitus Filius. Sic et Pater est intelligens ea quæ ipse est sua intelligentia, Filius autem intelligentia Patris, est intelligens de intelligentia quæ est Patri, de qua genitus est. *Quia quod*, etc. Quasi dicat : Vere in crucifixione Christi est Dei virtus, et Dei sapientia. *Quia quod stultum est Dei*, id est quod sapientibus mundi videtur stultum de Deo, ut passio et mors, *sapientius est hominibus*, id est quam homines possunt videre vel esse. *Et quod infirmum est Dei, fortius est hominibus*. [Ambrosius] Sine dubio cœlestia vincunt terrestria, et ideo infirmum Dei non vere est infirmum, sed videtur, quia infirmitas Christi magna victoria est; cum enim victus est, vicit mortem quam nemo gigas evasit. *Videte enim*. Quasi dicat : Vere stultum et infirmum Dei, sapientius et fortius est hominibus, quod in vobis potestis experiri. *Videte enim vocationem vestram*, o *fratres*, id est per quos vocati estis. Insipientes enim et infirmi vos vocaverunt, inter stulta et infirma mundi annumerati sunt. Tales sunt vocato-

A res vestri, qui tamen confundunt sapientes et fortes; et vere sunt tales, *quia non multi*, de vocatoribus sunt; *secundum carnem sapientes*, id est secundum sapientiam humanam; *non multi potentes*, lata dominatione; *non multi nobiles*, generis claritudine. Primo nulli tales fuerunt inter doctores Christianæ fidei, quando duodecim apostoli sunt electi. Vel non multi dicit, non ait nulli, forsan pro se qui solus inter apostolos sæcularium litterarum peritus, et terrenarum opum dives, Romanæ dignitatis parentela conspicuus fuit, qui tamen hæc nihili pendit, nec usus est eis. *Sed quæ stulta*, etc. Quasi dicat : Non sapientes elegit, sed potius, *elegit Deus quæ stulta sunt mundi*, id est ignaros mundanæ sapientiæ, *ut confundat*, id est ut faciat erubescere,
B et ad insipientiam redigat *sapientes*. *Et infirma mundi elegit Deus*, id est impotentes, *ut confundat fortia*, ut Neronem. *Et ignobilia mundi, et* quod plus est, *contemptibilia elegit Deus*, et *ea quæ non sunt*, id est ignobiles et contemptibiles, qui nil esse videbantur, elegit Deus, *ut destrueret*, id est vincendo humiliaret, *ea quæ sunt*, id est quæ cum ex se nihil sint, tamen aliquid esse sibi videntur.

Ecce contra ordinationem Dei faciunt aperte qui sapientiam sæculi jactant, cum Deus humilitatem proponat. [Ambrosius] Venit enim humilis Deus quærere humiles non altos, qui, etsi primum elegerit pauperes, indoctos, infirmos, non tamen reliquit sapientes, divites et nobiles; sed si eos primos eligeret, merito talium rerum viderentur sibi
C eligi, atque inflati de his rebus salutem humilitatis non reciperent, et ita esset in eis superbia qua homo cecidit. Ideoque non elegit reges, vel senatores, vel philosophos, vel oratores. Imo elegit plebeios, pauperes, indoctos piscatores. Nisi fideliter præcederet piscator, non humiliter sequeretur orator. Unde Nathanael doctus non est in apostolum electus. Ut autem humilitatis causa, hæc esse facta intelligantur, subdit : *Ut non glorietur*, etc. Quasi dicat : Ideo infirmos elegit et non sapientes, *ut non glorietur omnis caro*, id est ut nullus homo justus, vel injustus glorietur ex se, sed de Deo. Quod ostenditur ibi : *Qui gloriatur* in *Domino glorietur*. Non glorietur de se, dico, *in conspectu ejus*, scilicet Dei, vel sui ipsius, id est si Deum conspi-
D cit, vel se attendat. *Ex ipso autem*. [August.] Quasi dicat : Tales elegit Deus, sed tamen vos estis in Christo Jesu, id est in fide Christi. Et hoc, ex ipso, id est per ipsum Christum, non per nos. Vel ita junge : dico ut non glorietur aliquis ex se, sed tamen est alia bona gloria, scilicet quod, *ex ipso vos estis in Christo Jesu*, *qui* Christus *factus est nobis sapientia a Deo*, id est illuminans vos ad veritatem. (19) Ideo autem dicitur, factus est nobis sapientia, quia temporaliter, id est ex aliquo tempore nos ad illum convertimur, ut cum illo maneamus in

(17) Ambros., in psal. XVIII.
(18) Aug., De Trin.
(19) August., in lib. De Trin.

æternum, et ipsa sapientia caro facta est, et habitavit in nobis, et hoc facit, id est nos illuminat, quia factus est nobis *justitia*, id est quia prius justificat nos bona operatione. Justitia enim quæ vivit in seipsa, procul dubio Deus est, atque incommutabiliter vivit. Sicut autem cum sit in se vita, etiam nobis fit vita, cum ejus efficimur participes : ita cum in se sit justitia, etiam nobis fit justitia, cum ei cohærendo juste vivamus, et per hoc est ipse nobis justitia, quia prius est *sanctificatio*, id est quia prius in baptismo mundat nos. Et hoc ideo, quia prius est factus nobis *redemptio*, id est quia prius redemit nos patiendo. Et hoc totum ideo sic factum est *ut* nullus glorietur nisi de bonis Dei, *quemadmodum scriptum est* in Jeremia : *Qui gloriatur, in Domino glorietur*. In Jeremia tamen sic habetur : *In hoc glorietur qui gloriatur scire, et nosse me, quia ego Dominus* (*Jer*. x).

CAPUT II.

VERS. 1-8. — *Et ego cum venissem ad vos, fratres, veni non in sublimitate sermonis aut sapientiæ, annuntians vobis testimonium Christi. Non enim judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum. Et ego in infirmitate, et timore, et tremore multo fui apud vos; et sermo meus, et prædicatio mea, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis, ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei. Sapientiam autem loquimur inter perfectos, sapientiam vero non hujus sæculi, neque principum hujus sæculi, qui destruuntur, sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram, quam nemo principum hujus sæculi cognovit. Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.*

Et ego cum venissem ad vos. Quasi dicat : Sicut et alii non sapientes electi sunt ad apostolatum, ita et, id est etiam ego, qui eram sapiens, fui quasi non essem sapiens, cum venissem ad vos, o *fratres*, quia *veni* ad vos *non in sublimitate sermonis*, secundum logicam, scilicet ut logicis rationibus uterer; *aut in sublimitate sapientiæ*, secundum physicam, ut physicis rationibus illud confirmarem, quæ duo in pseudo laudatis contra Deum; sed veni, *annuntians vobis testimonium Christi*, id est ea quæ de Christo testati sunt prophetæ. *Non enim judicavi*. Quasi dicat : Vere non per illam sublimitatem veni, quia nec etiam per eam quæ de Deo est, et hoc ex judicio mentis feci. *Judicavi enim me non scire aliquid inter vos*, minus capaces, *nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum*, id est nisi hoc quod Christus est rector et salvator noster. (20) Et hoc per crucifixionem. Et sciendum quod Christum prædicat non solum qui fidem astruit, sed etiam qui mores quibus in eo vivitur instruit. Hoc intelligi potest, etiam in eo quod commemorat Apostolus, cum ait : Nil judicavi me scire inter vos nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum. In crucifixo enim dicitur, quia vetus homo crucifixus est, ut ultra non serviamus peccato (*Rom*. VI). Non ergo ita accipiendum est quod hic dicit Apostolus tanquam ea tantum dixerit quæ sunt credenda de Christo, sed etiam quæ observanda in vita, et **71** moribus ei accedit qui accedit ad compaginem corporis. *Et ego*, etc. [Augustinus] Quasi dicat : Humilis fuit prædicatio mea apud vos, humilis etiam et persona. Quod ita ait, *et ego fui apud vos in infirmitate*, id est in tribulatione, *et timore* animi, id est anxio animo; *et tremore multo* corporis : *Et sermo meus*, qui privatim fiebat, *et prædicatio mea*, quæ fiebat in communi, *non fuit in persuasibilibus verbis humanæ sapientiæ*. Quia etsi persuasibilia fuerint verba mea, non tamen per humanam sapientiam, ut verba pseudoapostolorum. *Sed* fuit in *ostentione spiritus et virtutis*, id est in sermone et prædicatione mea ostendi me habere Spiritum sanctum, et virtutem in miraculis faciendis.

Ideo ita feci, *ut fides vestra non sit*, id est non esse intelligatur, *in sapientia hominum, sed in virtute Dei*, id est ut fides vestra non attribuatur homini, sed Deo. *Sapientiam autem*. Quasi dicat : Inter vos incapaces simpliciter locuti sumus, sapientiam autem, quæ est de secretis Dei, *loquimur inter perfectos*. Hic dicit non perfectos cognitores et doctores, quibus opus non est doceri, sed auditores jam capaces. Quam sapientiam? *non vero sapientiam hujus sæculi*, quæ humanis rationibus nititur; *neque*, sapientiam *principum hujus sæculi*, id est malignorum spiritum, vel philosophorum, qui principes mundi videbantur, *qui destruuntur*, id est quorum sapientia destruitur. *Sed loquimur Dei sapientiam*, id est Christum, in quo ostensa Dei est sapientia de redemptione hominum. Loquimur, dico, *in mysterio*, id est exponendo mysteria Veteris Testamenti, in quibus Christus significatur, ut in hostia Abel, vel Abrahæ. [Ambrosius] *Quæ*, sapientia Dei, *abscondita est*, ut nesciant pseudo quia non in verbis, sed in virtute est; non humana ratione comprehensibilis, sed spiritus efficacia credibilis. Quam sapientiam *Deus prædestinavit*, id est præparavit, *ante sæcula*, id est ante quam mundus esset, *in gloriam nostram*, scilicet apostolorum, qui eam prædicamus. Vel in gloriam nostram, scilicet omnium credentium, ut scilicet omnes per eam, æternam gloriam consequamur. *Quam nemo*. Quasi dicat : Bene dico abscondita est, quia ipsa est sapientia, quam nemo *principum hujus sæculi*, id est dæmonum, vel philosophorum, vel doctorum in lege, *cognovit*. Quod inde apparet : *Enim*, id est quia *si cognovissent* dæmones sapientiam Dei, de redemptione humani generis per Christi mortem implendam, *nunquam crucifixissent Dominum gloriæ*, id est non suggessissent crucifigi, quia non suggereret eum dia-

(20) August., De fide et opere.

bolus crucifigi, per quem jus suum se perdere sciret. Vel de Judæis potest accipi, quorum quidam cognoverunt Christum ; alii vero non cognoverunt. De ignorantibus dicit Petrus : *Scio, fratres, quia per ignorantiam id gessistis (Act.* III). Isti non cognoscebant illum esse qui in lege promissus erat eis. Majores vero, ut principes sacerdotum, Scribæ et Pharisæi cognoverunt ipsum esse qui in lege promissus erat ; sed Deum esse, vel Filium Dei nescierunt. Et ideo de utrisque sic potest accipi : si cognovissent, vel minores illum esse Messiam in lege promissum, vel majores illum Deum esse, vel Dei Filium, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. (21) Non enim hoc facerent, si Deum esse scirent. Si enim dæmones Deum factum hominem non intellexerunt, quanto magis homines ? Non igitur illum B aliter scierunt dæmones, quam scierunt principes. Sciebant enim ipsum esse qui promissus erat in lege, non tamen mysterium ejus quod Filius Dei erat, et ab æterno ; neque sciebant sacramentum incarnationis, passionis et redemptionis.

Quod ergo in Evangelio clamant dæmones : *Quid nobis et tibi, Jesu Fili Dei* (*Marc.* v) ? magis ex suspicione quam ex cognitione dixisse credendi sunt. Vel, si cognovissent, ita quod menti eorum bene sederet, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Nota quod ait, Dominum gloriæ crucifixerunt. (22) Ex forma enim servi crucifixus est, et tamen Dominus gloriæ crucifixus est. Talis enim erat illa susceptio quæ Deum hominem faceret, et hominem Deum. Quid tamen propter quid, et secundum quid dicatur prudens, et diligens, et pius lector intelligat. Nam ecce dicimus C quia secundum id quod Deus est, glorificat suos ; secundum hoc, scilicet quod Dominus gloriæ est, et tamen Dominus gloriæ crucifixus est, quia recte dicitur Deus crucifixus, non ex virtute divinitatis, sed ex infirmitate carnis. Una enim persona est Christus, Deus et homo. Ideo dicitur : *nemo ascendit in cœlum nisi qui de cœlo descendit* (*Joan.* III) (23). Si ergo attendas distinctionem substantiarum, Filius Dei descendit, et filius hominis crucifixus est : si autem unitatem personæ, et filius hominis descendit, et Filius Dei crucifixus est. Propter hanc autem unitatem personæ, non solum filium hominis descendisse de cœlo, sed etiam dixit esse in cœlo cum loqueretur in terra. Absit ut sic Christus senserit mortem, ut quantum in se vita, vitam per- D diderit. (24) Si enim hoc ita esset, vitæ fons aruisset. Sensit igitur mortem participatione humani affectus, quem sponte susceperat ; non naturæ suæ perdidit potentiam, per quam cuncta vivificat. Sic in sepulcro carnem suam commoriendo non deseruit, sicut in utero virginis cum nascendo formavit. Mortuus est ergo non discedente vita, sicut passus est non pereunte potentia. Nemo aufert animam ejus ab eo, quia potestatem habet ponendi, et potestatem sumendi. Ecce habes auctorem operis, ponet animam suam ; ecce habes opus auctoritatis, et ut generaliter concludam, quoties in carne Christus aliquid patitur, opus auctoris est, quia enim potestate sua non alio cogente perpetitur. Ipse auctor est operis. Non ergo ad Mariam locali motu verbi divinitatis venit, sed ineffabili potentiæ suæ plenitudine non privata ; nec dimisit Patrem Christus cum venit in Virginem. Ubique totus, ubique perfectus. Uno igitur eodemque tempore totus erat in inferno, totus in cœlo, vere mortuus, vere vivus, in quo et mortem susceptio mortalitatis excepit, et vitam divinitas non perdidit. Mortem igitur Dei Filius, et in anima non pertulit, et in majestate non sensit, sed tantum participatione infirmitatis rex gloriæ crucifixus est.

VERS. 9-13. — *Sicut scriptum est : Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus his qui diligunt illum. Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum. Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est ? Ita et quæ Dei sunt nemo cognovit, nisi Spiritus Dei. Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ donata sunt nobis, quæ et loquimur non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina Spiritus, spiritualibus spiritualia comparantes.*

Sicut, etc. [August.] Quasi dicat : Dico si cognovissent, non crucifixissent, sed non cognoverunt, *sicut scriptum est* in Isaia, ubi hoc est scriptum : *Quod oculus* corporis *non vidit*, quia non est color ; *nec auris audivit*, quia non est sonus ; *nec in cor hominis ascendit*, quia non est homo, id est carnalis, sed spiritus, id est spiritualis qui novit. Et est sensus : Oculus non vidit, etc. id est visu corporeo, vel auditu non potest cognosci, nec ejus hominis ratione qui non est spiritus. Non enim cognoscitur hoc ratione ejus qui carnalis est, non spiritualis. Vel, non ascendit in cor hominis, quia non est aliquid terrenum. [Ambrosius] Quod enim in cor hominis ascendit, infra cor hominis est. Ideo in cor hominis ascendit, quia supra illud est cor quo ascendit. Quod enim ascendit in cor hominis de imo est ad hominem ; quo autem ascendit cor hominis, sursum est ab homine. Infra ergo cor hominis est quod in cor ascendit ; supra cor est æternum, ad quod cor ascendit, et hoc est quod Deus reservat bonis. Unde subdit : *Quæ præparavit Deus.* Vel, non ascendit in cor hominis, id est alicujus carnalis. Tunc res dicitur ascendere in cor, cum bene intellecta placet. Quæ præparavit. Quasi dicat : Non vidit oculus, nec audivit auris, scilicet ea quæ Deus præparavit, in præmium *his qui diligunt illum.* Hæc est sapientia Dei, id est Christus qui diligentibus Deum in præmium præparatus est, quem nemo principum cognovit. *Nobis autem.* Quasi dicat : Illi non nove-

(21) Aug., in lib. Quæst. Nov. et Vet. Test.
(22) Id., in lib. De Trinitate.
(23) Id., contra Maximinum.
(24) Id., contra Felicianum.

runt, sed nobis spiritibus, non hominibus, id est spiritualibus, non carnalibus, quod pseudo non sunt, *revelavit Deus* quæ præparavit diligentibus se. Intelligimus enim Deum præparatum bonis in præmium. Revelavit, dico, et hoc per Spiritum sanctum. Nota quod in Isaia ita habetur : *Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti diligentibus te* (*Isa.* LXIV). Quod pene idem est in sensu cum eo quod Apostolus posuit, et sicut ibi dicitur *absque te*, ita et hic bene addit Apostolus nobis, *revelavit Deus per Spiritum suum.*

Et bene per eum. *Spiritus enim scrutatur omnia*, et id est *etiam profunda Dei*, ut de essentia Dei. Scrutari autem dicitur Spiritus Dei omnia, non utique ut quod nescit inveniat, sed quia nihil relinquit omnino quod nesciat. [Augustinus] Vel ideo dicit, quod Spiritus Dei scrutatur omnia, quia scrutari te facit. Quod enim dono ipsius tu facis, ille facere dicitur, quia sine illo tu non faceres. *Quis enim.* Quasi dicat : Vere Spiritus Dei, et non alius scit omnia quæ Dei sunt. Quod a minori ostenditur. *Quis enim hominum scit* ea *quæ sunt hominis* alicujus, id est voluntates et secreta, *nisi spiritus*, id est animus, *hominis* ipsius, et non alterius, *qui in ipso est ?* [Ambrosius.]

Manifestum est enim cogitationes nostras a nullo sciri, nisi ab animo nostro, quem spiritum dicit Apostolus. *Ita et quæ Dei sunt,* scilicet occulta et secreta Dei, *nemo cognovit*, qui adhuc sit homo, id est carnalis, *nisi Spiritus Dei*, id est Spiritus sanctus, et illi quos cognoscere facit. Unde subdit : *Nos*
72 *autem.* Quasi dicat : Spiritus Dei novit. *Nos autem accepimus* eum, *non* utique accepimus *spiritum hujus mundi*, [Augustinus] id est spiritum pythonicum, qui solet conjecturis quæ mundi sunt divinare, qui per Sibyllam locutus est, qui per verisimilia sæpe fallitur, et fallit. Vel, non accepimus spiritum hujus mundi, id est spiritum elationis, quo doceamur sapientiam mundi, *sed* accepimus *spiritum qui ex Deo* est. (25) Spiritus ergo Dei, spiritus charitatis est ; spiritus hujus mundi, elationis est. Non vos moveat quod tantum Spiritus sanctus hic nominatur, et solus scire dicitur quæ Dei sunt. Ab hac enim scientia non excluditur Pater, vel Filius ; sicut ab eo quod Pater et Christus dicitur solus et verus Deus, non excluditur Spiritus sanctus, cum dicitur : *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* (*Joan.* XVII). (26) Attende etiam quod ait, accepimus Spiritum Dei. Spiritus utique, scilicet Patris et Filii est, nec non et noster. Quod enim datum est, et ad eum qui dedit refertur, et ad eos quibus dedit. Itaque Spiritus sanctus, non tantum Patris et Filii qui dederunt ; sed etiam noster dicitur qui accepimus ; et non est ille spiritus noster quo sumus, quia ipse spiritus est hominis qui in ipso est, et ipsum tamen spiritum qui hominis dicitur accepimus ; sed aliud est quod accepimus ut essemus ; aliud quod accepimus ut sancti essemus. Spiritus autem hominis in Scripturis accipitur ipsa anima, vel ipsius animæ potentia rationalis. Dedit enim nobis naturam ut essemus, animam ut viveremus, mentem ut intelligeremus. *Ut sciamus.* Quasi dicat : Ad hoc accepimus spiritum, *ut* per eum *sciamus quæ a Deo donata sunt nobis.* (27) Inde ergo probatur quod Spiritum Dei accepimus, quia hoc scimus quod utique scire expedit, quia sine hac scientia nemo beatus est. Multi quippe habent dona Dei, et nescientes a quo habeant, impia vanitate jactantur. Nemo autem de donis Dei beatus est, qui danti est ingratus. Unde in Evangelio, *qui habet dabitur ei* (*Luc.* VIII). [Augustinus] Plene enim habere, est scire unde habeas ; non habere autem, nescire unde habeas. Qui ergo non habet, id est nescit unde habeat id quod habet, auferetur ab eo. *Quæ et loquimur.* Quasi dicat : Scimus quæ a Deo donata sunt nobis. Quæ et loquimur ; illi, scilicet pseudo, alia loquuntur. [Hieronymus] Loquimur dico, *non in verbis humanæ sapientiæ doctis,* ratione vel ornatu. Malebat enim illa ostendere sola puritate veritatis, quam eloquii tinctione fucare. *Sed in doctrina Spiritus* sancti, quia Spiritus sanctus interius docet auditores ; loquimur, dico, ita moderanter omnia scilicet *comparantes*, id est tradentes, *spiritualia spiritualibus,* quod, vos, Corinthii, non estis, et ideo culpa vestra, et non nostra, quod majora non diximus vobis.

VERS. 14-16. — *Animalis autem homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei ; stultitia enim est illi, et non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur. Spiritualis autem judicat omnia, et ipsa a nemine judicatur, sicut scriptum est : Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis instruxit eum ? Nos autem sensum Christi habemus.*

Animalis autem homo. Quasi dicat : Nos scimus quæ donata sunt nobis, sed animalis homo, ut pseudo sunt, *non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei,* ut partum Virginis, et resurrectionem. [Augustinus] Nil enim æstimat posse fieri, nisi quod novit quomodo fiat. (28) Homo autem dicitur animal, vel vita, vel animi sensu. Vita animalis dicitur quæ fertur dissoluta lascivia animæ suæ quam intra naturalis ordinis metas spiritus rector non continet, eo quod ipse Deo regendum non subjicit. Animi vero sensu dicitur animalis, qui de Deo juxta corporum phantasiam, vel legis litteram, vel rationem philosophicam judicat. Quare autem animalis ea quæ Dei sunt non percipit, subdit, *stultitia enim est illi*, secundum humanum sensum, et ideo non potest intelligere spiritualia. *Et* vere animalis *non potest intelligere* spiritualia, *quia examinatur*, id est examinatio, et comprobatio fit illorum spiritualium tantum, *spiritualiter*, id est a spiri-

(25) Aug. contra Maximinum.
(26) Id., De Trin.
(27) Id., De sanct. viduit.
(28) Aug. in lib. LXXXIII Quæst.

tuali. Et impersonaliter legitur, examinatur. Vel ita, vere animalis non intelligit spiritualia, quia spiritualiter, id est per spiritualia tantum, examinatur animalis, id est probatur quod animalis est, quia audita improbat, et non ob aliud ei proponuntur nisi ut examinetur. *Spiritualis autem.* Quasi dicat : Animalis non potest intelligere, *spiritualis autem judicat*, id est intelligit et discernit, *omnia*, non quidem quæ continet divina scientia, sed quæ ad justitiam et vitam sufficiunt, scilicet omnia judicanda. [Augustinus] Spiritualis autem est homo vita vel scientia ; spiritualis est vita, qui spiritum Domini habens rectorem, animam regit ; scientia vero spiritualis est, qui etsi ex parte et per speculum videt, tamen de Deo secundum imagines corporum, vel legis litteram, vel humanam philosophiam non sapit, sed Spiritui Dei Deus subjectus, certissime ac fideliter, judicat omnia, certa fide occultorum non patenti cognitione. *Et ipse a nemine*, scilicet a nullo homine animali, *judicatur*, id est intelligitur, utrum bene an male intelligat. Vel, a nemine judicatur, id est reprehenditur, et hoc probat dicens : *Quis enim* animalis novit, id est *cognovit sensum Domini*, qui hæc fecit, per quem sapientia mundi stulta est, et ejus sensum nos habemus, et ideo non possunt non illi vestri judicare, ut solent. *Aut quis instruxit eum*, ut dicat quid hoc fecisti sic? Quasi dicat, nullus. Si autem non possunt cognoscere sensum Domini, ergo nec nostrum, quia nos qui jam ultra homines sumus, unus spiritus cum Deo, *habemus sensum Christi*, fide certa tenentes ea quæ Christi sunt.

CAPUT III.

VERS. 1-8. — *Et ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tanquam parvulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam, nondum enim poteratis, sed nec nunc quidem potestis. Adhuc enim carnales estis. Cum enim sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis? Cum enim quis dicat : Ego quidem sum Pauli; alius autem : Ego Apollo. Nonne homines estis? Quid igitur est Apollo? Quid vero Paulus? Ministri ejus cui credidistis. Et unicuique sicut Dominus dedit : Ego plantavi; Apollo rigavit, sed Deus nunc incrementum dedit. Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Qui plantat autem et qui rigat unum sunt.*

Et ego fratres. Quasi dicat : Dico quod sensum Christi habemus, et tamen, o fratres, ego, qui possem, *non potui,* id est non debui, loqui vobis *quasi spiritualibus*, id est sicut soleo spiritualibus loqui, *sed quasi carnalibus.* Et hoc tam diligenter feci, quia *dedi vobis potum lac*, id est facilem doctrinam et dulcem et nutrientem, *tanquam parvulus in Christo*, id est in cognitione Christi, *non escam dedi* vobis, id est non altiora prædicavi vobis; quare? quia nondum poteratis capere. Ecce secundum hoc ostenditur quod Apostolus illis tanquam incapacibus minora, non altiora prædicavit. Vel ita, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, etc. [Augustinus] Est quæstio utrum spirituales homines habeant aliquid in doctrina quod carnalibus taceant, et spiritualibus dicant. Quod utique videtur ex his verbis Apostoli. Dominus etiam ait : *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo* (*Joan.* XVI). Secundum quam intelligentiam hæc verba Apostoli supra exposuimus, sed est alius intellectus in his non negligendus. (29) Scire enim debet charitas vestra quod nulla videtur necessitas, ut aliqua secreta doctrinæ taceantur fidelibus parvulis, seorsum dicenda majoribus, id est intelligentioribus, cum eadem prædicaret Apostolus spiritualibus et carnalibus, quique pro modo suo capiebant illi, ut parvuli, isti ut majores, illi ut lactis alimentum, isti ut cibi solidamentum, quia etsi non audivit amplius, tamen intelligitur amplius. Non enim æqualiter mente percipitur, etiam quod in fide pariter ab utrisque recipitur. Ideo Apostolus ait : Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus, id est non potestis accipere quod dicebam, quasi spirituales, sed quasi carnales. (30) Et tanquam parvulis in Christo lac dedi vobis potum, non escam, id est quod prædicavi vobis, fuit vobis quasi lactis potus, non solidus cibus. Sicut enim crux Christi, aliis stultitia, aliis scandalum, vocatis autem sanctis est virtus Dei et sapientia, ita idem aliis est lac, aliis est cibus, secundum quod capacitas eorum plus vel minus capit, ut hi qui dicunt, ego sum illius, vel illius, aliter acceperunt de crucifixo, quam ille qui dixit : *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi* (*Gal.* VI). Eadem simul audiunt spirituales et carnales, et quique pro suo modo capiunt ; nec necesse est ut aliqua secreta taceantur parvulis, dicenda perfectis. Ideoque dicit Apostolus, non potui vobis loqui, quasi spiritualibus, etc. ; quod est dicere, non potuistis quod dicebam intelligere, ut spirituales, sed ut carnales. Si enim spirituales essent, non dicerent : Ego sum Pauli. *Nondum enim.* Quasi dicat : Bene dixi tanquam parvulis, quia nondum, quandiu vobiscum eram, poteratis capere escam, ut spirituales, **73** nondum quidem potestis escam recipere, etsi ab illis edocti sitis, scilicet a pseudo. *Adhuc enim estis carnales.* [Ambrosius] Arguit eos hic valde qui querebantur se dudum non audisse spiritualia, cum adhuc indigni essent audire. Carnales autem iidem sunt qui et animales ; carnales a carne, animales ab anima dicuntur. *Cum enim sit.* Quasi dicat : Vere estis carnales. Cum enim sit *inter vos zelus*, id est invidia de baptistis, *et contentio*, in verbis, *nonne carnales estis*, eo quod ab homine aliquid putatis esse? Et nonne *secundum hominem ambulatis?* id est in pejus proficitis? utique. *Cum enim* quis. Ecce

(29) Augustinus, super Joannem.

(30) Id., super Joannem.

expositio zeli, et contentionis. Quasi dicat : Nonne secundum hominem ambulatis, cum enim quis dicat : *Ego quidem sum Pauli ; alius autem : Ego Apollo ?* non est hoc peccatum minus a gentilitate. Nonne homines estis ? id est carnales ut sperantes in Deo sunt dii ? Et quandoquidem in his gloriamini, *quid igitur est Apollo ? quid vero etiam Paulus,* qui major est ? Suntne ipsi gratiæ quæ in sacramentis datur auctores ? non utique, sed tantummodo *ministri Dei cui credidistis.* Quasi dicat : Non sunt Deus qui det, sed sunt ministri per quos det ; nec magis per meliores dat in baptismo, quam per minus bonos. Et ideo in Deo gloriandum est, non in eis. Ministri sunt, dico, et hoc non faciunt uno eodemque modo, sed sicut Dominus dedit unicuique, id est sicut divisit officia singulis. Nam *ego* Paulus *plantavi,* id est prædicatione ad fidem converti ; *Apollo rigavit* baptismo ; *sed Deus,* non nos, *incrementum dedit* muneris. Et quia Deus tantum dat incrementum ex se, *itaque neque qui plantat est aliquid,* dando ex se ; *neque qui rigat, sed Deus* solus *qui dat* intrinsecus *incrementum. Qui autem.* Quasi dicat : Plantat Paulus, Apollo rigat ; *qui autem plantat, et qui rigat, unum sunt,* id est indifferentes. Extrinsecus enim tantum operantur. Nisi ergo revelet ille qui intus est, quid prodest quod faciunt ? Frustra quidem operarius omnia moliretur extrinsecus, nisi Creator intrinsecus latenter operaretur. Ideo ait, unum sunt, sicut genere naturæ, ita ministerii ratione. [Augustinus] Hoc ideo dicit, quia posset videri quod et si nihil dant ex se, tamen Deus magis per hunc, quam per illum dari.

VERS. 8-13.— *Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem. Dei enim sumus adjutores. Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis. Secundum gratiam Dei quæ data est mihi, ut sapiens architectus fundamentum posui; alius autem superædificat. Unusquisque autem videat quomodo superædificet. Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus. Si quis autem superædificat supra fundamentum hoc , aurum , argentum , lapides pretiosos, ligna, fenum, stipulam; uniuscujusque opus manifestum erit.*

Unusquisque autem. Quasi dicat : In dando non differunt, sed in labore et mercede, et hoc est quod ait: *Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem*, forinsecus ministrandi. Bene dixi, mercedem. *Sumus enim adjutores Dei,* in colendo agro Dominico, non depravatores, ut quidam aiunt. Et si ergo non damus incrementum, impendimus tamen aliquod adjumentum. Quod inde patet, quod vos estis Dei agricultura, dum exstirpantur vitia. Et *estis Dei ædificatio,* impositione virtutum. (31) Apertissime ostenditur ex his verbis quod Deus est agricola, nos autem Dei agricultura sumus, quia colit nos ad fructum, et Dei ædificium,

A quia qui colit nos, habitat in nobis ; et ita idem est ager, et ædificium, quod non est in rebus visibilibus. Apostoli etiam possunt dici agricolæ ; agricola enim est qui plantat et qui rigat ; sed quoniam nec hoc de suo habent, sed sicut Deus divisit unicuique, rectius ipse dicitur agricola. Apostoli vero operarii ipsius agricolæ : et hoc ipsum ab ipso impertitis viribus, et donata gratia. Homo enim agricola vineam colit, et cætera adhibet quæ pertinent ad agricolarum diligentiam, incrementum vero dare sacramentis non potest, formare fructus non potest. Deus autem qui omnia potest, proprie agricola est. Nota quod nos colimus Deum, et Deus colit nos ; sed non sic colimus Deum ut inde melior fiat. Colimus enim adorando eum, non orando ; ille autem sic colit nos, quod meliores nos reddit, *secundum*
B *gratiam.* Quasi dicat : Dei agricultura et ædificatio vos estis, quibus ego *posui* prædicatione *fundamentum,* id est fidem Christi, non aliam, sed quæ per dilectionem operatur. Posui, dico, *ut architectus,* id est princeps ædificii, *sapiens,* id est discretione utens ; et hoc *secundum gratiam quæ data est mihi,* id est per apostolatum mihi gratis datum. Quasi dicat: Non a me hoc habui. Ego posui fundamentum ; *alius autem,* super hoc fundamentum *ædificat,* bona opera, quod utique non uno modo fit ; sed *unusquisque videat quomodo*, id est cujusmodi opera, *superædificet.* De superædificatione videndum est tantum : (32) *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere,* ad quod videntur niti pseudo, *præter id quod positum est* a me, qui *est Christus Jesus,* id
C est Christi fides, scilicet quæ per dilectionem operatur, per quam Christus habitat in cordibus : alia non est fundamentum. Hæc autem neminem sinit perire. Fides enim Christianæ gratiæ, id est quæ per dilectionem operatur, posita in fundamento neminem perire permittit. *Si quis autem.* Quasi dicat : Fundamentum nemo potest mutare, sed de superædificatione videndum est, quia manifestum erit cujusque opus, et hoc est quod ait : (33) *Si quis autem supra fundamentum hoc superædificat aurum et argentum, lapides pretiosos, lignum, fenum, stipulam, uniuscujusque opus manifestum erit.* Quod ita intelligendum quidam putant, ut illi videantur superædificare super hoc fundamentum, aurum, argentum, lapides prætiosos, qui fidei quæ est in Christo
D Jesu bona opera adjiciunt, *illi autem,* ligna, fenum, stipulam, qui cum eamdem fidem habeant, male operantur. Unde arbitrantur per quasdam pœnas ignis posse purgari ad salutem percipiendam merito fundamenti. [Augustinus] Hoc si ita est, falsa ergo erunt illa quæ obscuritatem ambiguitatemque non habent, scilicet : *Si omnem habeam fidem, charitatem autem non habeam, nihil sum* (*I Cor.* XIII), falsum erit et illud : *Neque fornicatores, neque avari,* etc. *regnum Dei possidebunt* (*I Cor.* VI). Illud denique quomodo verum est : *fides sine operibus mortua est ?*

(31) Aug. in lib. Sen. Prosper.
(32) Id., De fide et opere.

(33) Id., De fide et opere.

(*Jac.* II). Aliter ergo intelligendum est quod hic A dicit Apostolus. Hoc autem si subtilius disserere coner, vereor ne ad intelligendum difficilior sit ipsa expositio. Enitar tamen, quantum Dominus adjuvat, breviter et dilucide, quantum potero, expedire quæ sentio. Supra fundamentum Christianæ fidei, alius superædificat aurum, argentum, lapides pretiosos, is videlicet qui cogitat quæ Dei sunt, quomodo placeat Deo; alius ædificat super hoc fundamentum, lignum, fenum, stipulam, is videlicet qui cogitat quæ mundi sunt, quomodo placeat mundo. Non enim hæc tria de malis operibus accipienda sunt, quasi fides sine operibus salvet, quod non est; sed ligna, fenum, stipulam, non absurde possunt accipi sæcularium rerum, quamvis licite concessarum tales cupiditates, ut amitti sine animi dolore non possint. B Qui ergo adhuc amant sæcularia, et negotiis terrenis implicati sunt, et dediti sunt vinculis quibusdam et affectionibus carnis domibus suis, conjugibus, possessionibus, et tamen Christiani sunt, ita ut cor eorum non recedat a Christo, et nil præponant Christo, ædificant lignum, fenum, stipulam; et ut apertius dicam, qui circa divitias suas quodam carnali affectu tenetur, et tamen ex eis multas eleemosynas facit, nec tamen ad eas augendas fraudem vel aliquid rapinæ molitur, nec earum minuendarum vel amittendarum metu in aliquod crimen labitur, lignum, fenum, stipulam ædificat. Qui autem bene vivunt, et Deum honorant, et laudant, et patientes sunt in tribulationibus, et desiderant patriam, aurum, argentum, lapides pretiosos ædificant. Hæc enim C tria ædificant contemptores sæculi, qui omnia sua pauperibus dant, vel qui tanquam non habentes habent. Nec frustra tria et tria expressit. Aurum enim ædificant, in contemplatione Dei, argentum in dilectione proximi, lapides pretiosos in operibus bonis, quæ non consumuntur ab igne, sed nihil vel parum sentiunt. Lignum, fenum, stipulam ædificant, qui et si aliena non rapiunt, rebus tamen infirmitati concessis aliqua delectatione inhærent, qui secundum suos amandi hæc modos, diutius ut lignum, vel minus ut fenum, vel minimum ut stipula ignem sustinebunt. Et quia hæc Deo non præponunt, salvi erunt per fundamentum. Qui vero hæc Deo præponunt, vel crimina committunt, non superædificant, sed destruunt fundamentum. Et est sensus : Si quis ædificat super fundamentum hoc, id est supra fidem D Christi, aurum, contemplando Deum; argentum, diligendo proximum; lapides pretiosos, bona opera faciendo, id est qui tales sunt, ut tantum cogitent quæ Dei sunt. Et si quis ædificat lignum, fenum, stipulam, id est qui his temporalibus infirmitati humanæ concessis utuntur cum aliquo amore, scilicet dum divisi cogitant quæ mundi sunt, quibus sine dolore carere non possunt, uniuscujusque opus manifestum erit tandem, et si non modo. Et vere,

VERS. 13-15. —*Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur, et uniuscujusque opus quale sit ignis probabit. Si cujus opus manserit quod superædificavit, mercedem accipiet. Si cujus opus arserit, detrimentum patietur ; ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.*

Dies enim Domini, id est dies judicii, in quo secreta patebunt, *declarabit* cujusque opus. Hic est dies hominis pro nutu suo agentis; sed in judicio, vel in morte, cujusque est dies Domini, secundum merita judicantis. Et vere declarabit, *quia in igne*, id est in pœna purgatoria hominis, *revelabitur*, quicunque modo 74 neget, *et uniuscujusque opus quale fuerit*, id est firmum vel solubile, *ignis* futuri judicii *probabit*; duos enim ignes legimus futuros, unum æternum quo æternaliter punientur reprobi, qui sequitur judicium, alterum qui præcedet quo exuretur facies mundi hujus, qui emundabit eos qui superædificaverunt lignum, fenum, stipulam. (34) Qui autem superædificaverunt aurum, argentum, lapides pretiosos, de utroque igne securi sunt, non solum de illo æterno quo in æternum cruciaturus est impios, sed etiam de illo emendatorio quo purgabuntur quidam salvandi. Ignis enim extremi judicii tandiu durabit, quousque purgati sint qui salvandi erant. *Et si cujus opus manserit* inconsumptum in illo igne, *quod superædificavit accipiet mercedem*, quia nihil perdet, et quod amavit inveniet. [Augustinus] Sed, *si cujus opus arserit*, id est cremabile erit, ille *patietur detrimentum* minoris gloriæ. (35) Vel, patietur aliquid pœnæ; *ipse autem salvus erit*, propter fundamentum Christum cui nihil præposuit. Sic tamen salvus erit, *quasi* rem cremabilem ferens, *per ignem* transitoriæ tribulationis, qua cremata evadit ipse, et post istius sane corporis mortem, donec veniatur ad diem damnationis et remunerationis, si hoc temporis intervallo spiritus defunctorum qui ædificarunt lignum, fenum, stipulam. Hujusmodi ignem dicuntur perpeti, quem alii non sentiunt, qui hujusmodi ædificia secum non portaverunt, ut inveniant ignem transitoriæ tribulationis, venialia cremantem : non redarguo, quia forsitan verum est, sed quia dicitur, salvus erit, contemnitur ille ignis. Gravior tamen ille erit ignis, quam quidquid potest homo pati in hac vita. (36) Vel ita potest dici dies Domini, ut de die præsenti, et igne præsenti accipiatur. Nam etiam hic dies Domini est, dum judicium incipit a domo Dei (*I Petr.* IV), id est a salvandis, incipit pœna quæ consummabitur in reprobis. Ideo enim hic puniuntur electi, ut ibi non puniantur, in quo die est etiam ignis tribulationis quo uritur amor temporalium rerum, dum homines contristantur amissis. Unde dicitur : *Tribulationem carnis habebunt hujusmodi* (*I Cor.* VII). [Augustinus]. Quod enim sine illiciente amore non habent, sine urente dolore non perdunt. Quasi dicat : Manifestum erit; dies enim Domini, scilicet dies præsentis tri-

(34) Augustinus, in psalmo CXXIII.
(35) Id., De civit. Dei.
(36) Id., in psalmo CXXII.

bulationis declarabit, et vere quia igne tribulationis declarabitur. Eamdem quippe tribulationem ignem vocat, *et uniuscujusque opus quale sit*, scilicet firmum, vel solubile, ignis præsentis judicii probabit; hoc igne illius opus non exuritur, qui non ea dilexit, quorum amissione crucietur; cui non est natum quidquid temporaliter fluit. Exuritur autem illius opus, qui hæc temporalia dilexit, quoniam sine dolore non pereunt, quæ cum amore possessa sunt. Si cujus opus manserit, in igne, ut opus illorum quos amissio temporalium non cruciat. Qui superædificat, mercedem accipiet non solum post finem quando hoc sumet unde cogitavit, sed etiam in hac vita ubi habet requiem suam anima contemnentis omnia (37) Si cujus opus arserit, id est cremabile erit, patietur detrimentum; quia quod dilexit perdet, et pro eo quod dilexit, hic vel in futuro punietur. Sed quoniam alterutra conditione proposita eis potius mallet carere quam Christo, nec timore amittendi talia deserit Christum, quamvis doleat cum amittit, salvus quidem erit ipse. Quod sic tamen erit, quasi per ignem, quia et si uritur dolore amissorum, non tamen ea præfert Deo. Etsi ergo urit eum dolor amissorum, non subvertit, neque consumit eum fundamenti stabilitate, et incorruptione munitum. [Augustinus] Et ideo salvus erit, sed quasi per ignem. Iste ignis est tentatio tribulationis, de qua scriptum est : *Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis* (*Eccli.* XXVII).

Hic quæri solet quomodo opus illius exuri dicatur, qui ædificat lignum, fenum, stipulam, cum non de malis accipiantur operibus, ut dictum est. Non enim opus ardet, vel detrimentum patitur, nisi malum fuerit. Aut igitur non ardent opera per illa tria signata, aut mala sunt. Ad quod dicunt quidam per illa tria mala opera non intelligi, sed bona quæ ad sustentationem sui, et suorum aliqui faciunt, vel ad sustentationem indigentium ex misericordia, sed quia hæc opera faciunt cum aliquo amore temporalium, ideo hæc opera dicuntur arsura, non quod eo puniantur, quia hæc faciunt, sed quia terrenum affectum aliquem habent cum hæc faciunt : nec ille terrenus affectus est adeo malus, ut destruat fundamentum, id est fidem quæ per charitatem operatur. Simul ergo et charitatem, et talem affectum aliqui habent. Talis enim affectus venialis est. Vel potius lignum, fenum, stipula accipiuntur non opera bona, nec mala quæ sint damnabilia, sed peccata venialia. Unde Gregorius (38) : Quamvis hoc de igne tribulationis præsentis possit intelligi, tamen si quis de igne futuræ purgationis accipiat, pensandum sollicite est, quia illum dixit per ignem posse salvari, non qui super hoc fundamentum ferrum, vel æs, vel plumbum ædificat, id est peccata majora, et ideo duriora, atque tunc insolubilia; sed qui ædificat ligna, fenum, stipulam, id est peccata minima atque levissima, quæ ignis facile consumat. De quibus tamen, licet minimis, illic nihil purgationis quis obtinebit, nisi in hac vita positus hoc promereatur. (39) De hoc autem ait Augustinus. Non sibi quisque polliceatur habens nefaria opera regnum Dei; et dicat : quoniam habeo signum Christi, et sacramenta, non delebor in æternum, sed per ignem salvus ero. Ait enim Apostolus : *Fundamentum positum est*, etc. Quid est etiam inquiunt, quod sequitur, alius superædificat aurum, argentum, lapides pretiosos; alius lignum, fenum, stipulam. Hoc est qui supra fundamentum justa opera ædificat, aurum, argentum, lapides pretiosos ædificat; si autem peccata, lignum, fenum, stipulam. Cyrillus quoque ait : (40) Natura peccati similis est materiæ, quæ cito consumitur igni, quam ædificari Apostolus a peccatoribus dicit, qui supra fundamentum Christi ædificant lignum, fenum, stipulam. In quo manifeste ostenditur esse quædam peccata ita levia, ut stipulæ comparentur, feno et lignis. Sciendum quoque quod sicut fundamentum corporalis fabricæ est imo, ita fundamentum spiritualis fabricæ est in summo : ideoque sicut parietum pondus tendit ad ima, ubi est suum fundamentum, ita spiritualis ædificatio tendit ad summa, ubi suum est fundamentum. Nam et ponderum gemina sunt genera, quorum alia ima petunt, ut lapis super aquam positus, et aqua super oleum. Alia vero summa petunt, ut ignis et oleum. Semper enim superiora ignis petit. Et oleum etiam subter aquam fusum non se patitur. Sic Ecclesia nunc in imo posita tendit ad cœlum, ubi fundamentum ejus est Christus, sedens ad dexteram Patris.

Vel aliter potest accipi ab illo loco : *Ut sapiens architectus fundamentum posui. — Sapiens architectus* est qui secundum disciplinam auctoris collocat fundamentum, id est qui secundum traditionem Salvatoris evangelizat. Alius autem superædificat, scilicet illi qui venientes post apostolos docent, sive boni, sive mali sint. [Augustinus] Sed videant ut ædificatio congruat fundamento. Unde subdit : *Unusquisque autem videat quomodo superædificet*, utrum secundum nos qui sumus veri Christi apostoli, an secundum alios, ne si obliqua fuerint et frivola quæ superædificant, ruinam faciant, manente tamen incolumi fundamento, quia etsi male aliquis docuerit, tamen Christi nomen permanet. Ideo de superædificatione videndum est. *Fundamentum enim nemo potest ponere, præter id quod positum est Jesus.* [Ambrosius] Quia nemo præter Christum, loquens sua commenta commendaret, ideo quamvis aliqui hæretici sint, non tamen docent nisi sub nomine Christi, ut res contrarias et absurdas nominis dignitas acceptabiles faciat. *Si quis autem superædificet supra fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, lignum, fenum, stipulam; uniuscujusque opus manifestum erit.* In auro, argento, lapidibus prestiosis præclaram doctrinam significat. In tribus aliis frivola et vana doctrina significatur, quæ etsi modo fallit.

(37) Aug., De fide et opere.
(38) Greg., in lib. Dialog.
(39) Augustinus, in psalmo LXX.
(40) Cyrillus in Leviticum.

in igne tamen apparebit, quia ardebit bona permanente. Et vere manifestum erit, dies enim Domini declarabit quia in igne revelatur, id est mala doctrina in igne omnibus apparebit, nunc enim quosdam fallit. *Et uniuscujusque opus quale fuerit ignis probabit*, quia si in aliquo non invenerit quod exurat, manifestat illum fuisse bonum doctorem ; mala vero doctrina ignis esca est. *Si cujus opus manserit quod superædificavit, mercedem accipiet.* Cum enim nihil in eo sordis inventum fuerit pravæ doctrinæ, sicut ignis non consumit aurum, argentum, lapides pretiosos, ita et bonus magister incorruptibilis permanebit, et erit ei merces vita æterna. *Si cujus opus arserit, detrimentum patietur.* Opus quod ardere dicitur mala doctrina est, quæ interibit : detrimentum pati, est pœnam perpeti. Quis enim in pœna positus jacturam non sentit? *Ipse autem salvus erit*, quia non interibit substantia qua constat, id est bona doctrina in qua fundatus est, sicut doctrina mala peribit, quæ accidens est. Salvus erit, dico, *sic tamen quasi per ignem*, quia non sine pœna erit salvus. Per hoc enim ostendit salvum illum futurum, sed pœnas ignis passurum, ut per ignem purgatus fiat salvus, et cum perfidi in æternum pereant, prodest illis ex parte credidisse Christum.

VERS. 16-20. — *Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. Nemo se seducat. Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat ut sit sapiens. Sapientia enim hujus mundi stultitia est apud Deum. Scriptum est enim : Comprehendam sapientes in astutia eorum; et iterum : Dominus novit cogitationes sapientium, quoniam vanæ sunt.*

Nescitis quia templum Dei estis, etc., sic continet : Iste salvus erit per ignem qui a fundamento non discedit; sed si quis, vel pseudoapostolus male docendo, vel homo ei assentiendo, *templum Dei*, *quod vos estis*, *volaverit* in se, vel in aliis volens subvertere fundamentum, et Catholicam societatem disjungere, *disperdet illum Deus* corpore et anima, quasi sacrilegum. [Augustinus] Et merito, *templum enim Dei sanctum est*, a tempore baptismi, quia in nemine habitat Deus, quem non ante Spiritus sanctus sanctificet et purget, quasi templum Dei, *quod estis vos*, secundum animam et secundum corpus. Cavete **75** ergo vobis, *quia vos estis templum*, id est tales in quibus, scilicet Deus sedet et habitat. Templum dico Dei, id est Spiritus sancti. Unde subdit : *Et Spiritus Dei*, id est Spiritus sanctus *habitat in vobis*, qui vos consummat in bonis, et nescitis hoc. [Augustinus] Nota quod Spiritus sanctus dicitur hic Deus. [Ambrosius] Cum enim præmiserit, estis templum Dei, non subdit, et Deus habitat, (41) sed Spiritus Dei in vobis habitat, in quo aperte ostendit Spiritum Dei esse Deum. Ubique adest Spiritus sanctus, ad homines in æternam vitam regenerandos ; et non est eis Deus, imo vero est Deus verus, quia vera Dei membra templum ejus sunt, et utique subjectum est templum illi cujus est templum. Quomodo ergo rex non est cujus templum est, quæ membra sunt regis? Quomodo etiam non considet Patri et Filio qui replevit Filium, qui etiam membra Filii suam possidet domum? Deinde cum de Patre procedat, quomodo cum Patre non sedet? Cum ipsa sessio non sit utique cogitanda carnaliter, et cum etiam de membris ejus dicat Apostolus : *Suscitavit et consedere fecit in cœlestibus* (*Ephes.* II). Quomodo ergo Spiritui sancto subtrahitur a nobis, quisquis ille est confessus, tanquam sedere cum Patre et Filio sit indignus, qui nos eadem sede efficit dignos? Spiritus ergo sanctus, et in cœlestibus sedet cum Patre et Filio, et in templo suo habitat, scilicet in sanctis qui sunt templum Dei, modo secundum fidem ambulantes, et templum Dei erunt aliquando etiam secundum speciem, qualiter etiam nunc templum sunt angeli Dei.

[Augustinus] Sed dicit aliquis : Antequam faceret Deus cœlum et terram, antequam faceret sanctos, ubi habitabat? In se habitat Deus apud te, et apud se est. Non ergo sic sunt sancti domus Dei, ut ipsa subtracta cadat Deus. Imo sic habitat Deus in sanctis, ut si ipse discesserit, cadant. (42) Præterea sciendum quod non dici nisi stultissime potest Spiritum sanctum non habere locum in nostro corpore, quod totum nostra anima impleverit; stultius etiam dicitur angustiis alicubi impediri Trinitatem, ut Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, alicubi simul esse non possint. Verum illud est multo mirabilius, quod cum Deus ubique sit totus, non tamen in omnibus habitat. [Augustinus] Quis porro audeat opinari, nisi inseparabilitatem Trinitatis penitus ignoret, quod in aliquo potuit habitare Pater, aut Filius, in quo non habitat Spiritus sanctus? Aut in aliquo Spiritus sanctus, in quo non est Pater, aut Filius? Attendendum igitur est ubique esse Deum per divinitatis præsentiam, sed non ubique per inhabitationis gratiam. Propter hanc enim habitationem, ubi gratia dilectionis ejus agnoscitur, non dicimus : *Pater noster qui es* ubique, cum et hoc verum sit, sed qui es *in cœlis* (*Matth.* VI). Illud quoque mirabile est quod Deus est inhabitator quorumdam nondum cognoscentium Deum, et non quorumdam cognoscentium Deum. Illi enim ad templum Dei non pertinent, qui cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificant ; et ad templum Dei pertinent parvuli sanctificati sacramento Christi, et regenerati Spiritu sancto, quod nondum possunt cognoscere Deum. Igitur quem potuerunt illi nosse, nec habere, isti potuerunt habere antequam nosse. Beatissimi autem sunt illi quibus hoc est Deum habere quod nosse. Christianis ergo et fidelibus loquens ait, templum Dei estis, etc. [Ambrosius] Hoc præmisit, ideo ut compungat illos qui turpiter viventes cor-

(41) Aug., contra Maximin.

(42) Id., ad Dardan.

pora sua violant, maxime illi qui uxorem patris A habet, et quasi templum Dei violans disperdetur. Ideo *nemo seducat se,* vel nos, quasi Deus hoc negligat, sed potius, *si quis inter vos videtur sapiens esse in hoc sæculo,* id est secundum sapientiam hujus sæculi, *stultus fiat* apud se, et Deum contra naturam credat posse. *Ut ita sit* vere *sapiens,* quia stultus sæculo prudens est Deo. Et merito apud se stultus est, quia ita est apud Deum. *Sapientia enim hujus mundi stultitia est apud Deum,* id est sapientiam illam stultitiam Deus probat, qui facit quod mundus posse fieri negat. Et nota quod aliquando in Scripturis sapientia ponitur pro astutia, abusione verbi, non proprietate. Quod autem mundi sapientia fit stultitia confirmat auctoritate. *Scriptum est enim* in Job : *Comprehendam,* id est falsos ostendam *sapientes* mundi *in astutia eorum,* faciendo aliter quam ipsi dicunt. *Et iterum,* in Psalmo scriptum est : *Dominus novit cogitationes sapientium* mundi, vel hominum, scilicet carnalium, *quoniam vanæ sunt,* id est falsæ, et quia stultitia est apud Deum sapientia mundi.

VERS. 21-23. — *Nemo itaque glorietur in hominibus. Omnia enim vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, sive mundus, sive vita, sive mors, sive præsentia, sive futura. Omnia enim vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei.*

Nemo itaque glorietur in hominibus, baptistis, vel doctoribus, quasi melius ab uno quam ab alio recipiat, cum non sint datores gratiarum, sive boni, sive mali sint, sed tamen ministri. *Omnia enim vestra sunt.* Quasi dicat : Non debetis in hominibus gloriari, quia vestri sunt, et vere, quia omnia vestra sunt, id est ad serviendum vobis data, et non est gloriandum, nisi de rebus excellentioribus. Et de quibus dixerit omnia vestri sunt, aperit subdens : *Sive Paulus, sive Apollo,* qui sunt de majoribus, *sive Cephas,* qui omnibus major, quasi non solum minores vestri sunt, sed etiam majores. Et hoc ideo dicit ut non singulos doctores sibi defendant cum omnibus utantur. [Ambrosius] Deinde exsequitur de aliis quæ sunt eorum, *sive mundus* noster est, *sive vita* præsens, *sive mors.* Mundus itaque noster est, si de illo secundum Dei voluntatem sentimus, et cursus ejus in Dei voluntate ponimus. Vita præsens nostra est, si modeste et cum gloria Dei agitur. Mors nostra est, si spe futuri libenter pro Christo morimur. *Sive præsentia* nostra sunt, quibus sustentati Deo serviunt, *sive futura,* spe quorum serviunt; præsentia enim nostra sunt, si sic utimur eis ad sustentationem, ut non offendamus. Futura nostra sunt, si ea credentes, magis optamus. Vel ita : Sive mundus noster est. Hoc ideo dicit, quia etiam elementa mundi nobis serviunt, sive vita doctorum, sive mors, eorumdem nostra est. Nam et vita et mors doctorum ad ædificationem subditis esse debent. Vel per vitam sanctos homines, et doctores, et angelos accipe, qui student profectui fidelium; per mortem diabolum, et membra ejus accipe, qui dum persequuntur, utilitati servorum Dei serviunt. Alia non mutantur. *Omnia enim,* vel autem. Quasi dicat : Hæc nostra sunt, quia omnia, quotquot sunt in mundo, vestra sunt. *Vos autem* estis *Christi,* non hominis. Et ideo non in homine gloriandum, sed in Christo cujus sumus creatione et recreatione. Hoc ideo dicit Apostolus, ut sicut hæc nostro judicio concessa sunt, et subjecta, ita nos Christo subjiciamus. *Christus autem* est *Dei* Patris proprius Filius, ejus faciens voluntatem, ut et nos ipsius faciamus. Et si famuli Christi sumus, cur ergo ad injuriam Christi de hominibus aliquid speratis ? [August.] Cavendum est B ne sic intelligatur, Christus est Dei, qualiter illud, omnia vestra sunt. Et illud, vos, estis Christi, (43) nam omnia illis, et illi Christo subduntur, ut res dissimiles, et in natura diversæ. Christus autem subditur Deo Patri, non tanquam dissimilis aut alterius naturæ, sed tanquam Patris Filius. (44) Sciendum etiam quod in hac enumeratione rerum sibi connexarum, qua dicitur, omnia vestra, vos Christi, Christus Dei, nulla fit commemoratio Spiritus sancti, sicut nec ibi : *Caput mulieris vir, caput viri Christus, caput Christi Deus* (*I Cor.* XI). Ideo utique quia fere nunquam in his quæ sibi connexa sunt, numerari solet ipsa connexio. Connexio autem Patris, et Filii est Spiritus Sanctus, qui est deitas Patris et Filii, et ipsa deitas dilectio est secundum illud : *Deus charitas est* (*I Joan.* IV). Tacito ergo C nomine Spiritus sancti, dicit : Vos estis Christi, Christus Dei, et ita mediante Christo vos estis Dei.

CAPUT IV.

VERS. 1-5. — *Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores ministeriorum Dei. Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. Mihi autem pro minimo est ut a vobis judicer, aut ab humano die. Sed neque meipsum judico, nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum. Qui autem judicat me, Dominus est, Itaque nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium, et tunc laus erit unicuique a Deo.*

D *Sic nos existimet homo.* Hactenus egit de gloria pseudo, hinc agit de suo contemptu. [Ambrosius] Quasi dicat : Et cum hoc sit, scilicet quod Deus est auctor, nos autem adjutores sumus, nec nimis, nec minus de nobis arbitremini, sed potius, *homo* quilibet *sic existimet nos,* non ut dominos, sed *ut ministros Christi,* quod non pseudo sunt. Hoc ideo ait Apostolus, quia de eo minus sentiebant, sed sic homo sentiat ut Deus, qui eum elegit, et sic existimet nos, (45) *ut dispensatores ministeriorum Dei,* vel *mysteriorum Dei,* quia secundum modum cujusque mysteria dividimus, vel ministeria. Et scien-

(43) Augustinus, in lib. LXXXIII Quæstionum.
(44) Id., De symbolo.

(45) Augustinus, ad Audacem.

dum quia non solum boni, sed etiam mali dispensatores sunt. Si enim per bonos nos dispensaretur, non recte Apostolus diceret : *Imitatores mei estote* (*I Cor.* IV). Rursus si per malos non dispensaretur, non diceret Dominus de quibusdam : *Quæ dicunt, facite ; quæ autem faciunt, nolite facere* (*Matth.* XXIII). Dispensatores sunt per quorum ministerium pervenitur ad æternam salutem. Non enim esse salutis illius dispensatorem per verbum et sacramentum, est illius esse participem. *Hic jam quæritur*, etc. Quasi dicat : Ita de nobis existimandum est ut dixi, sed *hic*, id est inter nos quod non alibi, *jam*, scilicet in præsenti cum exspectandum esset donec Deus judicet, *quæritur quis inter dispensatores inveniatur ut fidelis*, scilicet cui possit credi ut bene dispenset. *Mihi autem,* quasi dicat : Hoc inter vos quæritur quod non esset quærendum, **76** sed quidquid alii faciant. *Mihi pro minimo est ut a vobis judicer*, quasi infidelis dispensator, *aut ab humano die*, id est humano intellectu, qui non videt occulta, et potest falli. Vel, ab humano die, id est ab hominibus, dum sunt in suo die, et non est dies Domini. Humano dicit, quia est dies Domini quo judicabit. [Augustinus] Quando unusquisque pro se rationem reddet, tunc secreta cordium patebunt. *Sed neque*. Quasi dicat : Minimum mihi est, si a vobis, vel ab aliis judicer. *Sed neque* ego, qui melius me novi quam vos, *judico meipsum*, et ita periculum est vobis de ignotis cordis mei, vel aliorum judicare. Tanta enim profunditas credenda est esse in homine, quæ lateat ipsum hominem, in quo est, ut in Petro, profunditas infirmitatis latebat, cum se cum Domino moriturum temere promittebat. (46) Cum ergo quisque de se, aut non omnino, aut vix possit veram ferre sententiam, quomodo potest de alio judicare cum nemo scit quid agatur in homine nisi spiritus hominis. Ideo Apostolus non præsumens de se definitam dare sententiam, ait : Neque meipsum judico qui melius me novi quam illi, sed melius me novit Deus quam ego, et ideo illi relinquendum est judicium. *Nihil enim mihi conscius sum.* [Augustinus] Id est in nullo me remordet conscientia mea, *sed non in hoc justificatus sum*, id est non ideo me justum puto, quia potest esse quod nescio. *Delicta enim quis intelligit?* (*Psal.* XVIII.) Et quis gloriatur mundum se habere cor? Humiliat se Apostolus hoc dicens, ut homo loquitur, qui potest habere culpam nescius. *Qui autem.* [Ambrosius] Quasi dicat : Neque ego debeo me judicare neque vos, sed *qui judicat me Dominus est*, id est qui potest et debet me judicare, Dominus solus est, qui novit omnia ; et quia Dominus est qui potest judicare, *itaque nolite judicare ante tempus* judicii, scilicet *quousque veniat Dominus* judicare. Aliter enim injuria judici fit, quia judicis injuria est, si ante judicium ejus a servo procedat sententia. Ecce judicium prohibet Apostolus, quia occulta sunt nobis corda hominum. In his plerumque nostra credulitas fallitur, (47) Sed cavendum est ne perniciosa opinatione fallamur, ut quia non possumus hominum indagare conscientiam, de ipsis rebus habeamus veram certamque sententiam, hoc modo, ut si nescimus an ille, vel ille homo sit impudicus pudicusve, vel justus, sive injustus. (48) Oderimus tamen impudicitiam et injustitiam; et pudicitiam, et justitiam diligamus. Et hæc appetenda, illaque vitanda in Dei veritate conspiciamus, ut cum de ipsis rebus quod appetendum est, appetimus, et quod devitandum est vitamus, ignoscatur nobis qui de hominibus aliquando imo assidue non vera sentimus. Hæc enim ad humanam tentationem pertinent, sine qua ista vita non ducitur. Unde Apostolus : *Tentatio vos non apprehendat nisi humana* (*I Cor.* X). Et si ergo suspiciones vitare non possumus, quia homines sumus, judicia tamen, id est definitas firmasque sententias, continere debemus. Si ergo suspicamur quod est humana tentatio, saltem non judicemus. Quando ergo non erratur in rebus ut recta sit improbatio vitiorum virtutumque approbatio, profecto si erratur in hominibus, venialis est humana tentatio. Quod autem perniciosum est prohibet Apostolus dicens : Nolite ante tempus judicare quoadusque veniat Dominus, *qui et illuminabit*, id est aperta faciet *abscondita tenebrarum*, id est peccatorum, *et manifestabit consilia cordium,* id est bonas cogitationes. [Ambrosius] Quia gesta et cogitata bona, vel mala tunc erunt aperta. Et quia tunc erunt omnia nota omnibus, poterunt de se judicare, et de aliis. *Et tunc unicuique* bene agenti, vel cogitanti *erit* pro modo suo *laus*, id est remuneratio *a Deo*. Hic autem nescitur quis sit laude dignus. Hæc autem, quia superius dixerit illos dixisse, ego sum Pauli, ego Apollo, cum tamen hoc forsan nullus dixerit, aperit hic. Quasi dicat : Dixi non esse gloriandum in nobis.

VERS. 6-9. —*Hæc autem, fratres, transfiguravi in me et Apollo propter vos, ut in vobis discatis, ne supra quam scriptum est, unus adversus alterum infletur pro alio. Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Jam saturati estis, jam divites facti estis. Sine nobis regnatis, et utinam regnetis ut et nos vobiscum regnemus. Puto enim quod Deus nos apostolos novissimos ostendit tanquam morti destinatos, quia spectaculum facti sumus mundo, et angelis et hominibus.*

Hæc autem, o fratres, in me et Apollo transfiguravi, cum in nobis non gloriaremini, id est me et Apollo proposui figuram pro omnibus, ut ab omnibus abhorreatur hoc, sicut a nobis. [Ambrosius] Hæc ergo in se, et Apollo transfiguravit dum pseudo et apostolorum gloriam, et traditiones perversas sub sua persona et Apollo evacuat, summatim illos designans, non sigillatim, ne major nasceretur discordia. Nemo enim audiens nomen suum taxari, vel

(46) Aug. in lib. VIII, quæst. 83.
(47) Id., super Job.
(48) Id., in eodem.

ejus cui favet contentus est tacere, tacito vero nomine, audiens de se aliquid dictum dissimulat. Et hoc feci, *propter vos*, id est propter utilitatem vestram. Hanc scilicet *ut in nobis*, qui majores sumus, *discatis*, *ne unus infletur adversus alium*, *pro se alio*, ab illo, id est meliori quam ille, id est quasi sit alius ab illo, id est melior qui nullus est quantum ad se, vel quantum ad ministerium. Vel, infletur pro doctore alio, a ministris aliis, id est meliore quam alii sint. Infletur dico, agendo *supra*, id est ultra, et aliter *quam scriptum est* in Jeremia, scilicet : *Qui gloriatur, in Domino glorietur* (*Jer.* IX ; *II Cor.* X). In quo debes gloriari, non in homine. (49) *Quis enim te discernit* a massa perditorum ? nullus, nisi Deus solus ipse separat te a perditis. Sed quia homo inflatus posset respondere, vel voce, cogitatione, et dicere : Discernit me fides mea, et oratio mea, et justitia mea, occurrit Apostolus subdens: *Quid autem*. Quasi dicat : Dico quis te discernit, sed dicis fides tua, vel oratio tua, vel justitia. Item interrogo : *Quid habes* boni, *quod non accepisti* a Deo ? [Augustinus] Sciendum est neminem posse discerni ab illa perditionis massa, nisi qui hoc bonum habet, ut credat quod quidquid boni habet gratia Salvatoris accepit. Sciendum etiam quod sicut supra temerarium judicium prohibuit, ita hic aliud genus arrogantiæ admonere conatur, scilicet ne homo superbiat propter aliquam gratiam a Deo sibi datam, putans se eam habere, a se, vel a ministro, quod Apostolus redarguens ait, quid habes quod non accepisti : *Si autem accepisti* a Deo; *quid gloriaris in te*, vel in illis, *quasi non acceperis* a Deo ; sed a te, vel ab illis ? Vel ita, ne unus infletur adversus alium, pro baptista alio, id est meliore quam sit alius, et non debes. Quis enim baptista, quantumcunque bonus sit, discernit te ab eo qui baptizatus est a minus bono ? Quasi dicat : Si baptizatus es a Petro, quomodo discernis ab eo qui baptizatus est a Paulo? Nihil utique illi habet a baptista, nihil tu. Quid autem hic redarguit illos eosdem qui gloriabantur de magisterio pseudo, contemnentes doctrinam Apostoli. [Ambrosius] Quasi dicat : Gloriaris pro illis. Sed quid habes ab illis, quod non accepisti a me ? Ad unum videtur loqui, sed ad partem plebis loquitur, Si autem accepisti a me, quid gloriaris contra me, quasi non idem acceperis a me ?

Hoc dicit contra illos qui eadem quæ ab Apostolo acceperant, audientes de magisterio pseudoapostolorum gloriabantur, qui per eloquentiam se commendantes, gloriam in se vertebant, cum Apostolus se contemptibilem videri fecerat, ut gloriam Deo faceret. Ideo Apostolus ironice eis loquitur, quasi concedens quod eis de seipsis videbatur, cum subdit : *Jam saturati*. Quasi dicat : Increpo vos. Quid dicens gloriaris, etc., sed non recte videor hoc facere, quia vos jam, id est tam cito, saturati estis, id est pleni Spiritu sancto. Et *jam divites facti estis*. Quasi

A dicat : Et alios saturare potestis. Ironia est, ac si diceret : Non est ita. Irascentis enim verba sunt, non confirmantis. *Et regnatis*, id est regitis vos, *sine nobis*. [Ambrosius]. Sic putabant illi gloriantes de pseudoapostolis. *Et utinam* vere *regnetis !* Vere regnare, est de spe et promissis Dei securum esse, et in adversis gaudere. Nota quia ut pius pater etiam his ingratis filiis bene optat. Regnetis, dico, ita *ut et nos regnemus vobiscum*. Non dico vos nobiscum, cum nos sequi dedignemini ; sed dico nos vobiscum, ut nos sequamur vos, si non vultis sequi nos quos quidem sequi deberetis, quia nos revera regnamus. Sed timeo ne sine vobis. *Puto enim*. Quasi dicat : Vos sine nobis putatis regnare, et hoc ideo, quia puto ; quasi dicat : Quod nullatenus putandum est.
B Ironice enim loquitur, *quod* per mala quæ patimur, *Deus ostendit nos apostolos novissimos*, id est vilissimos de quibus non curet, *tanquam morti destinatos*, id est quasi ad nullam utilitatem, sed morti reservatos. Quod per hoc videtur, *quia facti sumus mundo spectaculum*. Ad spectaculum enim nostri, quasi ad monstrum conveniunt homines, per quod magis probamur amici Dei. Vel ita : Puto enim : quasi dicat : Ideo deberetis regnare, quia ego puto, et certus sum, quod Deus ostendit nos apostolos novissimos, id est similes novissimis sanctis, scilicet Eliæ et Enoch, in tribulationibus ; nos dico, tanquam morti destinatos, quia ita fit nobis, ut illis qui a victoribus morti servabantur, ad quod spectaculum conveniebat populus, sicut ad derisionem Eliæ et Enoch tunc convenient, et modo ad derisionem
C apostolorum conveniunt mali. Unde subdit : *Quia spectaculum facti sumus mundo*. Quid nomine mundi intellexerit, subdit : *Et angelis, et hominibus* (50), id est utrisque, bonis vel malis ; sed bonis, ut confortent et laudent ; malis, ut insultent et vituperent. Boni enim angeli et boni homines laudant, et mali irrident. Hæc sunt dextra et sinistra. His utimur, quasi armis ad feriendum hostem, id est diabolum, scilicet laudantibus et vituperantibus. Sed nec ista elevant, nec illa frangunt.

☩☩ Vers. 10-14.— *Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo. Nos infirmi, vos autem fortes. Vos nobiles, nos autem ignobiles. Usque in hanc horam, et esurimus, et sitimus, et nudi sumus, et colaphis cædimur, et instabiles sumus, et labora-*
D *mus*, *operantes manibus nostris. Maledicimur, et benedicimus ; persecutionem patimur, et sustinemus ; blasphemamur, et obsecramus ; tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus omnium peripsema usque adhuc. Non ut confundam vos, hæc scribo, sed ut filios meos charissimos moneo.*

Et *nos stulti sumus propter Christum*, cujus crucem prædicamus. Quod vos tacentes, videmini in Christo prudentes. Uude subdit : *Vos autem prudentes in Christo* , et est hic increpatio cum ironia. Quasi dicat : Quod totum contra est. [Ambrosius]

(49) Aug., De cor. et grat.

(50) Augustinus in psalmis 11.

Item : *Nos infirmi* sumus, id est afflicti. *Vos autem fortes* potestate et securi. *Vos nobiles*, id est reverendi. *Nos autem ignobiles*, id est despecti. Et *usque in hanc horam,* id est continue, id est usque ad hoc tempus, *et esurimus, et sitimus, et nudi sumus* ; libere enim et sine adulatione veritatem prædicantes, et gesta pravæ vitæ arguentes, gratiam apud homines non habent ; *et colaphis cædimur, et instabiles sumus,* quia pro persecutione mutamus loca. Fugamur enim a perfidis, ne plures doceamus ; *et laboramus manibus nostris,* scilicet nobis necessariis *operantes,* quia nemo dat nobis. Et *maledicimur, et benedicimus,* hortando alios ad bonum ; et *persecutiones,* id est tormenta *patimur, et* patienter *sustinemus* ; et *blasphemamur,* quasi magi et malefici, *et obsecramus* Deum pro illis ; vel eos, ne blasphement nos ; et *facti sumus,* id est reputati, *tanquam purgamenta hujus mundi,* de quibus manentibus mundus inquinetur, vel abjectis purgetur. Quia facti sumus *peripsema omnium.* Peripsema purgamentum est ferri, vel pomi, et quidquid de qualibet materia ut purgatior reddatur, abjicitur, ut limatura æris, et hujusmodi, et quælibet domorum quisquilia. Per hæc omnia vero probamur in Christo prudentes et fortes, etsi illis aliter videatur. Quasi dicat : Abjectiores omnibus facti sumus, et hoc *usque adhuc,* id est continue, usque ad hoc tempus. *Non ut confundam vos,* aspera blandis mitigat ut salutaris medicus. Quasi dicat : Etsi dixerim vos inflatos, etc., amen, non *hæc scribo* ut confundam vos, id est ut erubescentiam faciam vobis ; *sed moneo* vos, *ut filios meos charissimos,* pro quibus tot mala passus sum. Et bene dixi, quod vos estis filii. Nam ego pater sum. Et hoc est quod ait :

Vers. 15-21. — « *Nam si decem millia pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres. Nam in Christo Jesu per Evangelium ego vos genui. Rogo ergo vos, imitatores mei estote, sicut et ego Christi. Ideo misi ad vos Timotheum, qui est filius meus charissimus, et fidelis in Domino, qui vos commonefaciat vias meas, quæ sunt in Christo Jesu, sicut ubique in omni Ecclesia doceo. Tanquam non venturus sim ad vos, sic inflati sunt quidam. Veniam autem ad vos cito, si Dominus voluerit ; et cognoscam non sermonem eorum qui inflati sunt, sed virtutem. Non enim in sermone est regnum Dei, sed in virtute. Quid vultis ? In virga veniam ad vos, an in charitate et spiritu mansuetudinis ?*

Nam si habeatis decem millia pedagogorum. Finitum pro infinito posuit, id est quantamlibet multitudinem eruditorum *in Christo,* qui non genuerunt vos ; *sed* tamen *non* habetis *multos patres,* qui genuissent vos in fide Christi. *Nam ego* tantum *genui vos,* non in me, sed *in Christo Jesu,* id est in fide Christi. Et hoc *per Evangelium,* id est per prædicationem meam. (51) Cum prædixisset, ego genui vos in Christo, addidit, per Evangelium, ne ipsius putaretur esse quod Dei est. Ait enim Dominus in Evangelio : Ne vobis dicatis patrem in terra, unus enim est Pater vester Deus (*Matth.* XXIII). Quod non ideo dixit, ut hoc nomen cæteris tollatur, sed ne gratia Dei qua in æternam vitam generamur naturæ vel potestati, vel etiam sanctitati cujusquam hominis tribuatur. Appellantur quidem et alii patres, sed non sicut Deus Pater unus est, qui regenerat Spiritu sancto, quos facit filios ad hæreditatem æternam ; homines vero dicuntur patres propter honoris gratiam, propter ætatem curamque pietatis. Notandum etiam quod dum loquens Corinthiis pædogogos nominat pueros illos esse significat. *Rogo ergo vos.* Quasi dicat : Quia genui vos, ergo, o fratres, *estote imitatores mei,* non pseudoapostolorum, *sicut et ego Christi,* imitator sum. Et hoc *rogo vos,* quia ex debito mihi obedire debetis. *Ideo* etiam, scilicet ut imitemini me, *misi ad vos Timotheum,* per hunc creditur missa eis Epistola, *qui est filius meus* in fide, *et charissimus,* bene agendo, *et fidelis* in Domino, id est in prædicatione Domini, *qui vos commonefaciat vias meas,* id est instructiones meas, *quæ sunt in Christo Jesu,* et ideo tenendæ. Commonefaciat dico, ita, *sicut ego doceo* eas ubique terrarum, *in omni Ecclesia* ; et ideo authentice. Dico misi Timotheum, et opus erat mitti. Quia *quidam* vet strum *sic inflati sunt* de philosophis, quorum terrena sapientia glorientur, *tanquam non sim venturus ad vos. Veniam autem cito ad vos.* [Ambrosius] Ecce post commonitionem promittit se ire ad illos, sed si Dominus permitteret. Unde subdit : *Si Dominus voluerit.* Quasi dicat : Veniam ad vos nisi culpa vestra impedierit. Ideo dicit, si Dominus voluerit, ut ostenderet, si non iret Deum voluisse, causa utique indignationis illorum. Veniam dico, *et cognoscam,* id est probabo, et quæram, *non sermonem* humanæ sapientiæ, *sed virtutem,* in fide et bona operatione, *eorum qui inflati sunt* superbia alta sapiendi et cæteros judicandi. *Non enim.* Quasi dicat : Ideo non quæram sermonem, quia *regnum Dei,* id est causa regni Dei, non *est in sermone, sed in virtute,* id est non sermo humanæ sapientiæ, sed virtus est causa regni. *Quid vultis,* etc. Quasi dicat : Ego vere veniam. Sed quid horum vultis, scilicet an *veniam ad vos in virga* correctionis, ubi etsi sit charitas non tamen esse videtur ; *an in charitate,* id est in manifesta dilectione, ut bona suppleam, *et spiritu mansuetudinis,* ut peccatis parcam ? Terroris verba infert, ut inflati humiliarentur, et se præpararent ad recipiendum eum. Absit ut pii filii dicerent : Si in virga correctionis venturus es, noli venire. Melius est enim erudiri in virga patris quam in blandimento perire prædonis.

CAPUT V.

Vers. 1-5. — *Omnino auditur inter vos fornicatio, et talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat. Et vos inflati estis,*

(51) Augustin., in psal. LXXVII.

et non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio vestrum qui hoc opus fecit. Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi ut præsens eum qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Jesu Christi, congregatis vobis et meo spiritu, cum virtute Domini Jesu tradere hujusmodi hominem Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi.

Omnino inter vos, etc. Hic redarguit illum fornicatorem qui uxorem patris tenebat, et illos qui illum tolerabant. Erant enim ipsi participes, dum paterentur reum tam ingentis peccati secum incorreptum convenire. Non ergo solum illum aperte reum mortis, sed etiam adhærentes illi non immunes a crimine demonstrabat. Quasi dicat : Quæro an ad vos veniam in virga, et opus est virga, nisi vos corrigitis. Quia *auditur omnino*, id est ab omnibus, *inter vos*, qui inflati estis, nec corrigitis. Quid auditur? *Fornicatio*, res utique infamis, *et talis* est, illa fornicatio, *qualis nec* etiam *inter gentes*, ut grave istud peccatum ostenderet nec ab his etiam dicit admitti qui Deum nesciunt. Deinde criminis prodit genus, dicens : *Ita ut uxorem patris aliquis habeat.* Et hoc publice, ubi testibus opus non est. Publice enim novercam suam loco uxoris habebat, nec tergiversatione aliqua poterat tegi crimen. Sciendum quod causa hujus fornicationis, scilicet de uxore patris, incipit de fornicatione, postea monebit de omni carnali videlicet et spirituali. *Et vos*, tamen. Quasi dicat : Et cum tantum scelus sit inter vos, tamen *vos inflati estis* vento superbiæ, quæ pellit misericordiam, quam si unum membrum patitur, compatiuntur cætera. *Et non habuistis luctum*, id est dolorem, pro peccatis illius, quod *magis* faciendum esset ita utique dolere deberetis, *ut qui hoc opus*, quod nullo modo tegi poterat fecit, *tollatur de medio vestrum*, quia omnes estis participes. *Ego quidem.* Quasi dicat : Vos non tulistis eum qui præsentes eratis, sed *ego absens quidem corpore*, *præsens autem spiritu*, id est sollicitudine mentis et providens vobis, *jam* sine mora, *judicavi cum qui sic operatus est*, ut præsens, ac si præsens essem, judicavi, dico, *in nomine Domini nostri Jesu Christi*, id est in vice ejus. Et hoc modo judicavi, scilicet *tradere hujusmodi* reum *Satanæ*, *vobis congregatis et in* eo *spiritu cum virtute Domini Jesu*, id est hoc modo judicavi, ut vos congregati in unum sine aliqua dissensione quibus mea auctoritas, et virtus Christi cooperabitur, tradatis hujusmodi Satanæ.

Vel ita potest ordinari littera hoc modo : *Judicavi*, scilicet *vobis congregatis et meo spiritu cum virtute Domini Jesu tradere hujusmodi Satanæ in nomine Domini nostri Jesu Christi*, id est ut vos congregati, tradatis hujusmodi Satanæ in nomine Domini, id est ad honorem Domini, et gloriam, cujus gloria est in hujusmodi judicio, non pro odio vestro judicavi tradere Satanæ. Et hoc *in interitum carnis*, id est ut Satanas eum corporaliter vexet, et sic ille resipiscat. Hanc enim potestatem dicitur habuisse Apostolus, ut cum aliquem a stultitia sua non posset dimovere, diabolo eum vexandum traderet, quousque pœnitentiam profitens a malo desisteret. Unde subdit : *Ut spiritus ejus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi*, id est ut anima ejus salva sit, hic scilicet si quando illius cor visitat Dominus, si quando luceat illi Dominus in corde. Et appellat diem Domini, ortum lucis scilicet appositionem gratiæ. Vel anima salva sit, in die Domini nostri Jesu Christi, id est in die judicii. (52) Ex his verbis manifestat Apostolus non se odio sed amore illud fecisse. Sic enim Apostolus non crudeliter sed amabiliter, et zelo charitatis Satanæ tradidit, sicut Moses in cultores idoli paucos quidem vindicavit in præsens terrens, in posterum disciplinam sanciens. Nam eum nulla crudelitate, sed magna dilectione fecisse quod fecit, apertissime cognoscitur in verbis ejus pro peccatis Judæorum orantis et dicentis ad Dominum : *Aut dimitte illis, aut dele me de libro tuo* (*Exod.* XXXII).(53) Sic et Elias et alii viri boni nonnulla peccata morte punierunt, quia sic et viventibus utilis metus incutiebatur, et illis qui morte puniebantur non ipsa mors nocebat, sed peccatum quod augeri posset, si viverent, minuebatur ; non temere judicabant, quibus tale judicium donaverat Deus. Inde est quod Elias multos morte affecit, et propria manu et igne divinitus impetrato. Unde et hoc exemplum Eliæ non reprehendit Christus in discipulis memorantibus quod ab eo factum sit, et petentibus etiam sibi ipsis dari potestatem dandi ignem de sublimi ad consumendum eos qui sibi hospitium non præberent (*Luc.* IX). Sed ignorantiam vindicandi in apostolis reprehendit, quia odio non amore correctionis desiderabant vindictam. Tales vindictæ etiam in Novo Testamento non defuerunt. Nam et Petrus sic et in Ananiam et uxorem ejus vindicasse legitur, quando exanimes ceciderunt nec resuscitati sunt (*Act.* V). Vel ita, tradidit, etc., ut non de illa corporali vexatione accipiatur, sed de privatione ecclesiasticæ communionis, quæ fit per excommunicationem. Quasi dicat : Judicavi eum qui hujusmodi est tradere Satanæ, scilicet ab Ecclesia expellere, admonitionem ecclesiasticam ab illo suspendere, et liberum illi facere ire in interitum carnis, scilicet facere secundum quod expetit caro ejus in interitum illum ducens. [Ambrosius] Omnis enim carnalis voluptas a diabolo est, et ideo cum huic voluptati relinquitur, traditur Satanæ, et cum carnis desiderio se jungit anima, interitum patitur. Non autem hæc amaritudine odii facit, sed ea intentione, ut expulsio hæc ad revocandum illum valeat. Unde subdit ut spiritus ejus salvus sit in die adventus Domini nostri Jesu Christi, id est ut anima ejus salva sit in die judicii. Vel ideo tradidit eum Apostolus Satanæ, abjiciendo ab Ecclesia ut Spiritus sanctus, quo conta-

(52) Augustinus, De sermone in monte.

(53) Id., De sermone in monte.

minati nudantur, salvus sit eis non amissus. In die Domini, scilicet in die judicii. Nisi enim ejectus fuisset, non fieret salvus spiritus Ecclesiæ in die judicii. Deserebat enim omnes contaminationis causa, ut in Die Domini nudi a Spiritu sancto invenirentur.

VERS. 6-8. — *Non est bona gloriatio vestra. Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit? Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi. Etenim pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ et nequitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis.*

Non bona est. Quasi dicat : Et quia talis fornicator inter vos est, igitur *non bona est gloriatio vestra*, qua justos vos esse jactatis qui talem inter vos patimini ; et si ergo in aliis boni sitis hæc tamen gloriatio mala est, quia hæc omnia bona impedit, *quia modicum fermentum,* id est consensus hujus peccati, quod cognitum non arguitur, *totam massam corrumpit,* [Ambrosius] id est omnes contaminat, qui cum possint arguere dissimulant. Participes enim erant dum paterentur reum. Sed si quis potestatem non habet quem sicut reum abjicere vel probare non valet, immunis est, et judicis non est sine accusatore damnare, ut nec Christus Judam abjecit, quia non est accusatus. Vel, modicum fermentum, id est unus fornicator alios suo exemplo ad peccatum trahendo, totam massam corrumpit, id est omnes qui norunt et non devitant. Et an *nescitis?* hoc, *expurgate.* Quasi dicat : Et quia modicum fermentum vos corrumpit, ergo, expurgate vos, ejiciendo a vobis, *vetus fermentum*, [Augustinus] id est eum qui corrumpit vos, qui est membrum veteris hominis, et acidus. Ejecto igitur illo fornicatore vetus fermentum ejicitur. Expurgate, dico, *ut sitis,* id est perseveretis, *nova conspersio,* id est innovati virtutibus et sine corruptione peccati, *sicut estis,* facti in baptismo *azymi,* id est a corruptione peccati puri. Conspersio enim est farina per aquam glutinata, sine fermento : idem est et azyma. Vult ergo Apostolus ut isti sint nova conspersio, id est unum quid per dilectionem, et a corruptione peccati puri sicut in baptismo, sicut facti azymi, id est mundi, sine corruptione. Zyma enim græce, latine dicitur *fermentum. Etenim* (54) quasi dicat : Ideo puri esse debemus, *etenim* id est quia *Christus immolatus,* quem scilicet edere debemus, *est pascha nostrum* scilicet per quem transire debemus de mundo ad Patrem. Pascha enim non sicut quidam existimant Græcum nomen est, sed Hebræum. Opportunissime amen occurrit in hoc nomine quædam congruentia utrarumque linguarum. Quia enim pati, Græce πάσχειν dicitur, ideo pascha passio putatur esse, vel hoc nomine a passione sic appellatum. In sua vero lingua, id est in Hebræa pascha *transitus* dicitur, ideo quia tunc primum pascha celebravit populus Dei, quando ex Ægypto fugientes mare Rubrum transierunt. Nunc figura illa prophetica in veritate completa est, cum sicut ovis ad immolandum ducitur Christus, cujus sanguine illitis postibus nostris, id est cujus signo crucis signatis frontibus nostris, a perditione hujus sæculi tanquam a captivitate Ægyptiaca liberamur, et saluberrimum transitum agimus cum a diabolo transimus ad Christum. Ab isto instabili sæculo ad ejus fundatissimum regnum. Ideo enim ad permanentem Deum transimus, ne cum hoc mundo transeunte transeamus. Pascha immolatio est, non transitus sicut quibusdam videtur. [Ambrosius] Prius enim pascha est, et sic transitus, quia ante exemplum est Salvatoris, et sic salus. *Itaque.* Quasi dicat : Et quia Christus immolatus est pascha nostrum, *itaque epulemur non in fermento veteri,* id est in corruptione veteri, quia aliter non transiremus. Deinde fermentum corruptionis per partes distinguit, id est *neque in fermento malitiæ,* quæ in alium exerceatur ; *et nequitiæ,* quam in se quis habet. Malitia enim est iniquitas quæ fit in alium, nequitia est iniquitas quam in se quis committit. *Sed in azymis sinceritatis et veritatis,* id est in sinceritate a vitiis et veritate bonorum operum quæ per azymos significantur. Vel, in azymis sinceritatis, id est novæ vitæ, et veritatis, ut sine omni fraude simus, id est ut sinceritas mundam vitam faciat, et veritas omnem fraudem excludat.

VERS. 9-13. —*Scripsi vobis in epistola : Ne commisceamini fornicariis. Non utique fornicariis hujus mundi, aut avaris aut rapacibus, aut idolis servientibus, alioquin debueratis de hoc mundo exisse. Nunc autem scripsi vobis non commisceri. Si is qui frater nominatur inter vos est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum hujusmodi nec cibum sumere. Quid enim mihi de his qui foris sunt judicare? Nonne de his qui intus sunt vos judicatis? Nam eos qui foris sunt Deus judicabit. Auferte malum ex vobis ipsis.*

Scripsi vobis. Quasi dicat : Moneo vos ab hoc purgare, et sine hac admonitione debueratis facere, quia jam *in* alia *Epistola,* scripsi vobis, hoc scilicet : *Non commisceamini fornicariis.* [Ambrosius] Significat se prius scripsisse eis aliam Epistolam ubi monuit illos ne jungerent se malæ vitæ hominibus ; et quia non intellexerant quæ scripserat qualiter accipienda sint, determinat : *Non utique fornicariis hujus mundi,* id est gentilibus, qui post varias concupiscentias suas euntes fornicantur a Deo, quibus misceri non prohibuit, sicut isti prius intellexerant. Aut ne commisceamini *avaris, aut rapacibus, aut idolis servientibus.* Hæc et in illa Epistola prohibuerat, quæ et modo debent observare. A fratribus talibus scripsit esse recedendum, qui sunt fornicarii, vel avari, vel rapaces, vel idololatræ, sed non a gentilibus. *Alioquin,* id est si præcepissem gentilibus non commisceri, *debueratis exisse de hoc*

(54) Augustin., super Joan.

mundo, id est necesse esset de mundana conversa- A
tione exire, cum ubique tales sint. Non enim possunt homines in hoc mundo viventes nisi cum talibus vivere, nec etiam possent tales Christo lucrari, si colloquium eorum vitarent, et convivium. Unde et Dominus cum peccatoribus et publicanis comedit. Vel ita dico, ne commisceamini, alioquin, id est si commisceamini, debueratis de hoc mundo exisse, id est melius esset vobis mori. Compendium enim est male agentibus, si citius moriantur, quam diutius in peccatis versentur. *Nunc autem scripsi*, vel ergo. Quasi dicat : Quia non de illis scripsi. Ergo nunc apparet quod scripsi *vobis*, *non commisceri*, etc.
79 Vel ita junge tunc *scripsi*, et non bene accepistis ; *nunc autem* determinate *scripsi* vobis non commisceri, hoc modo, scilicet : *Si is qui nomina-* B
tur frater, etsi non sit, *est fornicator*, nominabilis et manifestus, et falce evangelica præcisus vel notatus. Vel secundum aliam litteram : *Si quis frater nominatur fornicator*, idem sensus, *aut avarus*, *aut idolis serviens*, *aut maledicus*, id est detractor, *aut rapax*, *aut iracundus*, *aut ebriosus* usu. In his omnibus notat eos. *Cum hujusmodi*, id est cum his et aliis similibus scripsi et scribo, jussi et jubeo, *nec cibum sumere*, nedum orare, ut sic erubescens corrigatur. Attende quod non simpliciter jubet, non cibum sumere cum fornicatoribus vel avaris et cæteris ; sed præmittit :

Si quis frater nominatur. [Ambrosius] Per hoc enim quod ait frater, ostendit quod cum infideli et gentili non prohibuit cibum sumere. Qui etiam alibi ait : *Si quis vocat vos ex infidelibus ad* C
cœnam, et vultis ire, omne quod appositum fuerit manducate (*Cor.* x). (55) Dicendo autem nominatur, ostendit non temere et quomodo libet, sed per judicium auferendos malos esse ab Ecclesiæ communione, et si per judicium auferre non possunt, tollerentur potius. Nos enim a communione quemque prohibere non possumus, nisi aut sponte confessum, aut in aliquo judicio vel ecclesiastico, vel sæculari nominatum atque convictum. Hoc igitur dicendo noluit hominem ab homine judicari, ex arbitrio suspicionis, vel etiam extra ordinarium usurpato judicio, sed potius ex lege Dei secundum ordinem Ecclesiæ, sive ultro confessum, sive accusatum et convictum. [Ambrosius] Eam igitur nominationem hic intelligi voluit Apostolus, quæ fit D
in quemque cum sententia ordine judiciario, atque integritate profertur. Nam si nominatio quælibet sufficit, multi damnandi sunt innocentes, quia sæpe falso in quoquam crimina nominantur. Quid enim? Quod non de gentilibus agat, sed de fratribus prædictis criminibus notatis, hic ostendit. Quasi dicat : De his dico tantum qui fratres sunt. *Quid enim mihi est*, id est mihi attinet, *judicare de his qui foris sunt ?* id est extra Ecclesiam. His enim potius blandiendum est. Ac si dicat : Nil attinet ad me de his judicare. Sed his qui intus sunt, in Ecclesia professione et nomine, nonne vos vidi ? utique ; in his enim putredo secanda est. *Nam eos qui foris sunt Deus* tantum *judicabit ;* non nobis commisit ut eos nunc judicemus. Et quia jubeo non commisceri talibus, ergo auferte malum hominem ex vobisipsis, qui inde inquinamini.

CAPUT VI.

VERS. 1-6. — *Audet aliquis vestrum, habens negotium adversus alterum, judicari apud iniquos et non apud sanctos? An nescitis quoniam sancti de hoc mundo judicabunt? Et si in vobis judicabitur mundus, indigni estis qui de minimis judicetis? Nescitis quoniam angelos judicabimus, quanto magis sæcularia? Sæcularia igitur judicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad judicandum. Ad verecundiam vestram dico : Si non est inter vos sapiens quisquam, qui possit judicare inter fratrem suum, sed frater cum fratre judicio contendit ; et hoc apud infideles ?*

Audet aliquis. Occasione hujus judicii de quo supra tractavit, incipit agere de judiciis in quibus multis modis peccabant, scilicet quod contemptis fidelibus infideles judices adibant, vel stultos judices instituebant, et litigabant, fraudabant, et alia hujusmodi. Quasi dicat : Dixi quod debetis judicare de his qui intus sunt, et cum hoc debeatis, *aliquis vestrum habens negotium adversus alterum* fidelem, *audet judicari apud iniquos*, [Ambros.] id est infideles, qui iniqui sunt fidelibus quocunque modo possunt, et leges divinas aut omnino spernunt, aut propter opprimendos bonos falsa expositione interpretantur ; *et non* potius *apud sanctos*, qui Domini timentes justitiam, et legum veritati salva charitate, et charitati salva veritate judicando deservirent ? Quasi dicat : Revera audacia est, et stultitia hoc facere. Et quasi aliquis diceret : Debentne sancti de hujusmodi judicare ? Et ait : *An nescitis quoniam sancti de hoc mundo judicabunt*, qui in errore est ? Quod non otiose dixit Apostolus. Ideo enim dixit de hoc mundo, ut et alterum ostendat, quia est et alter superior. De hoc autem judicabunt sancti meliores facti comparatione, quia exemplo fidei illorum, perfidia hujus mundi damnabitur. Judicabunt etiam auctoritate et potestate. *Et si in vobis judicabitur mundus*, id est per vos, quia aliquos sanctos habetis qui judicabunt, *indigni estis qui judicetis de istis minimis*. Quasi dicat : Non et vere de his potestis judicare, *quoniam judicabimus* etiam *angelos* apostatas, qui cum essent creati digni, id est in dignitate, tamen lapsi sunt, cum isti fragiles stent, et ideo etiam angeli judicabuntur, quia impugnantes sanctos, victi sunt ab eis. Et nescitis vos hoc, scilicet quod angelos judicabimus, et *quanto magis* possumus judicare *sæcularia*, id est de rebus sæculi ? *Sæcularia igitur*, etc. Sicut jam reprehendit eos, qui causas agebant apud infideles, contemptis fidelibus, ita nunc reprehendit eos quod contemptibiles judi-

(55) Augustinus, in lib. De pœnitentia.

ces, licet fideles constituebant. Quasi dicat : Et quia debetis judicare, igitur *si habueritis sæcularia judicia,* ideo dicit, si habueritis, quia nec habenda sunt, sed potius est condonandum, vel contemnendum. Si, inquam, habueritis, *constituite ad judicandum illos contemptibiles,* id est indiscretos et viles, *qui sunt in Ecclesia.* Quasi dicat : Hoc est quod vos fecistis. Unde coacti fratres recurrunt ad illos, id est ad infideles, hoc redarguit in eis Apostolus, ironice eis loquens, et quia sic fieri non debet, adjecit : *Ad verecundiam,* vel reverentiam vestram dico. Quasi dicat : Non impero, sed memoro, ut verecundemini, et debetis erubescere, quia *non est inter vos quisquam sic,* id est adeo *sapiens, qui possit judicare inter fratrem* et fratrem *suum,* ut ita necesse sit ut stultos statuatis judices. Et hi tamen potius statuendi sunt, quam ad infideles judices eatur, si desunt sapientes ; sic, inquam, non est sapiens. *Sed frater cum fratre in judicio contendit ;* quod malum est, *et hoc apud infideles ;* quod pejus. Vel ita, sæcularia igitur. Quia dixerat Apostolus eos posse de his minimis judicare, determinat qui ad hujusmodi negotia definienda sint constituendi, scilicet contemptibiles qui sunt in Ecclesia ; majores enim spiritualibus intendere debent. Quasi dicat : Et quia judicare debetis, igitur hoc modo facite. Si sæcularia negotia habueritis, constituite ad judicandum qui sunt in Ecclesia contemptibiles, id est aliquos sapientes, qui tamen sunt minoris meriti. (53) Apostoli enim prædicando circumeuntes talibus non vacabant. Sapientes ergo qui in locis consistebant fideles et sancti, non qui hac atque hac propter Evangelium discurrebant, talium negotiorum examinatores esse voluit. A quibus nos excusare non possumus, etsi velimus. [Augustinus.] Christum enim testem invoco, quoniam mallem per singulos dies certis horis aliquid manibus operari, et cæteras horas habere liberas ad legendum, orandum, vel ad agendum aliquid de divinis litteris, quam tumultuosissimas perplexitates causarum pati de negotiis sæcularibus, vel judicando dirimendis, vel interveniendo præcidendis. Dico constituite contemptibiles. Hoc autem ad reverentiam vestram dico, ut videlicet ii terrenas causas examinent, qui exteriorum rerum sapientiam perceperunt. Qui autem spiritualibus donis ditati sunt, terrenis non debent negotiis implicari, ut dum non coguntur inferiora bona disponere, valeant bonis superioribus deservire. Sed curandum magnopere est ut hi qui donis spiritualibus emicant nequaquam proximorum infirmantium negotia funditus deserant ; sed hæc aliis quibus dignum est tractanda committant vel per se gerant. Sic non est. Redit ad illud quod supra redarguit, scilicet quod ad infideles judices ibant. Quasi dicat : Non debetis judicari apud infideles. Quia sic non est inter vos quisquam sapiens, etc., usque apud infideles. Quasi dicat : Est utique inter vos

(53) **Augustinus, De opere monachorum.**

A sapiens qui potest judicare. [Gregorius] Eosdem enim quos contemptibiles nominaverat, sapientes postea vocat, cum ait, sic non est inter vos.

VERS. 7-12. — *Jam quidem omnino delictum est in vobis, quod judicia habetis inter vos. Quare non magis injuriam accipitis ? Quare non magis fraudem patimini ? Sed vos injuriam facitis et fraudatis, et hoc fratribus. An nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt ? Nolite errare ; neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt. Et hæc aliquando quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri* B *Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri. Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.*

Jam quidem. Quasi dicat : Quia contentiose et apud infideles vestra repetitis non simpliciter. *Jam quidem omnino delictum est in vobis,* id est ex hoc solo delictum est in vobis, scilicet *qui judicia* hujusmodi *habetis inter vos,* inter quos non decet. Peccatum enim est litigare **80** cum pax esse debeat. (54) Ex hoc apparet, quia peccatum est judicium habere contra aliquem. Sed ne excuses quod juste hoc agis, quia pateris injuriam quam judicii sententia vis a te removeri, occurrit et ait : *Quare non magis injuriam,* id est apertam violentiam, *accipitis ? Quare non magis* occultam *fraudem patimini.* Quasi dicat : Mirum est quod non potius hoc facitis. Unde et Dominus ait : *Si quis voluerit tunicam tuam tollere, et judicio* C *tecum contendere, dimitte ei et pallium* (*Matth.* V). Et alibi : *Qui abstulerit tua, noli repetere* (*Luc.* VI). Sed tamen hoc secundum veniam infirmis Apostolus concedit, cum sinit in Ecclesia talia judicia finiri inter fratres, fratribus judicantibus, extra Ecclesiam vero hæc fieri terribiliter vetat. Ut autem prædicta verba Augustini, quibus ait, peccatum est judicium habere contra fratrem, sane intelligantur, dicendum est hic quid in hujusmodi liceat, vel conveniat perfectis et quid non ; et quid liceat infirmis vel non. Perfectis igitur licet sua repetere simpliciter, scilicet sine causa, sine lite, sine judicio ; sed non convenit eis inde movere causam ante judicem. Infirmis vero licet repetere sua, movendo causam ante judicem, et judicium habendo contra fratrem ; sed non D contentiose vel fraudulenter, nec apud infideles judices. *Sed vos.* Quasi dicat : Debetis injuriam pati et fraudem quod non facitis, *sed potius vos facitis injuriam,* id est apertam violentiam, dum contenditis ; *et fraudatis,* dum judices corrumpitis donis ; *et hoc facitis fratribus,* quos juvare deberetis. Hoc facitis, et sic regnum perditis. Et pejus est quia scientes. Nam *an nescitis quia iniqui* quilibet *non possidebunt regnum Dei ?* Ergo nec salutem, quia non est salus præter regnum. *Nolite errare,* quasi de misericordia confisi, quia *neque fornicarii, neque idolis servientes ;*

(54) **Augustinus, in Ench.**

singula horum sufficiunt ad regnum tollendum; *neque adulteri, neque molles*, id est pathici, *neque masculorum concubitores, neque avari;* in his omnibus nota eos argui; *neque fures, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt. Et hæc* quidem, id est tales, *fuistis*, sed *abluti estis* in baptismo, et ideo turpius est, si reditis. Et non solum abluti, *sed sanctificati estis*, id est confirmati ad bene operandum, Spiritu sancto dato. Et non modo sanctificati, *sed justificati estis*, scilicet bene operando. Nota sed repetitam conjunctionem non parvum pondus dare sententiæ. *In nomine.* Quasi dicat : Abluti estis, et hoc *in nomine Domini nostri Jesu Christi*, et Spiritu Dei nostri, id est operatione Spiritus sancti. *Omnia mihi licent*, etc. Quia dixi id potius esse ferendum, quam causas male agere, ne quis putet sua ullo modo repetenda supponit. Omnia, etc. Quasi dicat : Non est contendendum cum fratre tamen omnia mea licent, id est licita sunt repeti, id est omnia mea licet repetere mihi, *sed* tamen *non* repetam, quia *non omnia expediunt* ad cursum meum, sed impediunt. Item per aliam causam idem ostendit dicens :

VERS. 12, 13. — *Omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate. Esca ventri, et venter escis; Deus autem et hunc et has destruet.*

Omnia mihi licent, id est licita sunt; *sed* tamen *ego* non repetam, quia cum sim liber, *sub potestate nullius redigar* hominis vel rei, id est nolo redigi sub potestate judicis, vel nolo esse sub dominio alicujus rei, ut causa ejus fratrem offendam. Tunc enim res super nos dominium habet, cum amorem ejus amori proximi præponimus. *Esca*, etc. Quasi dicat : Propter hoc quod dixi non sunt repetenda, tamen propter hoc licet repetere, quia *esca* debetur *ventri*, pro quo creata est. Reficimus enim quotidianas ruinas corporis edendo et bibendo. Per escam, nota necessaria naturæ; *et venter* debetur *escis*, quia aliter non potest sustentari; et ideo licet nostra repetere. *Deus autem*, [August.] Quasi dicat : Esca debetur ventri, et venter escis, sed non multum pro his laborandum est, quia destruentur; et hoc est quod subdit, *Deus autem*, et hoc et illud, vel, *hunc et has*, id est ventrem et escas, *destruet*, secundum hunc statum : quod erit, cum corruptibile, hoc induet incorruptionem (*I Cor.* XV). (55) Vel ita, omnia mihi licent : De his dicit quæ ad escam pertinent. Erant enim inter eos qui cibos discernebant, judicantes alios mundos, alios immundos. Alii omnibus cibis vescendum esse putabant. Quasi dicat : Non solum in judiciis et in aliis prædictis offenditis, sed etiam in cibis. Omnia quidem mihi licent, id est omnibus cibis vesci licet, non legali doctrina, sed libera potestate. (56) Sed non omnia expediunt. Nota quod potest aliquid licere et non expedire; expedire autem quod non licet non potest, ac per hoc non omnia quæ licita sunt, id est quæ nullo præcepto Do-

A mini prohibentur, expediunt. Omnia vero illicita non expediunt. Sicut enim omnis qui Christi sanguine redemptus est homo est, non tamen omnis qui homo est, etiam Christi sanguine redemptus est. Ita omne quod non licet non expedit, nec tamen omne quod non expedit etiam non licet. Ut igitur inter id quod licet et expedit, et quod non licet, atque ideo non expedit, aliquo certo fine nitamur distinguere. [Augustinus] Fateor quod ea mihi videntur licere et non expedire, quæ per justitiam, quæ coram Deo est, permittuntur; sed propter offensionem hominum, ne ob hoc impediantur ad salutem, vitanda sunt; ea vero non licere, et ideo non expedire; quæ sic ipsa justitia vetantur, ut facienda non sint, etiamsi ab eis laudentur quibus in notitia fuerint prolata. Quod si ita est, ideo non nisi illicita

B prohibentur a Domino, ut ea quæ licita sunt, et non expediunt, non legis vinculo, sed libera dilectionis beneficentia et consilio charitatis caveantur. Hæc sunt quæ amplius erogantur saucio, qui curandus ad stabulum Samaritani illius miseratione perductus est. (57) Hæc non præcipiuntur a Domino, quamvis Domino moneantur offerri, ut tanto intelligantur esse graviora, quanto magis ostenduntur indebita. Illicita ergo prohibentur, licita vero quæ non expediunt libere caveantur. Omnia mihi licent. Hic repetit quod dixerat ut addat quod non dixerat, scilicet sed et ego, etc. Quasi dicat : Omnia mihi licita sunt, sed ego sub nullius rei potestate redigar; quod facerem, si cum offendiculo fratris manducarem : ita enim amore escæ fratrem offenderem. Esca, etc.

C [Augustinus] Quasi dicat : Vere omnia mihi licent, quia esca debetur ventri, et venter escis. Non mutantur ista. Unde et post, Apostolus ait : *Omne quod in macello venit manducate* (*I Cor.* X), sed non cum scandalo manducandum est. Unde alibi dicit : *Non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem* (*I Cor.* VIII). Itemque alibi : *Omnia quidem munda sunt, sed malum est homini qui per offendiculum manducat* (*Rom.* XIV). Deus autem. Quasi dicat : Esca debetur ventri, et venter escis, sed tamen non edam cum scandalo, quia Deus et hoc et illud, vel, hunc et has destruet. [Ambrosius] Vel ita, omnia licent : Præmittit hic Apostolus quod postea plenius acturus est. Dicit enim quod sibi licet ab aliis sumptus accipere, sicut alii apostoli accipie-

D bant a subditis suis. Sed quoniam sciebat pseudo occasionem quærere accipiendi, noluit ab his accipere, ne causa ventris vigor ecclesiasticæ veritatis torpesceret. Quod ergo dicit Apostolus, omnia licent, non de malis, sed de bonis intelligi oportet. Quibusdam enim videtur propter libertatem concessi arbitrii hoc Apostolum dixisse, quasi omnia liceant, sed non expediant, sed nunquam dicitur licere quod prohibetur. Unde et Joannes ad Herodem ait : *Non licet tibi habere uxorem fratris tui* (*Marc.* VI). Quod si illud esset quod illi aiunt, de-

(55) Augustinus, ad Polentum.
(56) Id., in eodem.

(57) Id., in eodem.

buit dicere, licet tibi, sed non expedit. Et Dominus similiter mulieri Chananææ ait: *Non licet panem filiorum mittere canibus* (*Matth.* xv). Et ideo quod ait Apostolus, omnia mihi licent, non agitur de malis sed de bonis. Quasi dicat : Vos me contemnitis, et aliis inferiorem, quia sumptus non accipio, æstimatis : sed non ideo dimitto quin mihi liceat accipere. Nam omnia mihi licent quæ et coapostolis, quæ lex naturalis habet, non Mosi qui multa pro duritia illius populi prohibuit. Hoc dicit quia licebat ei sumptus accipere, unde post acturus est; sed noluit quia non expedit. Unde subdit, sed non omnia expediunt, sicut non expedit accipere sumptus. Si enim ab his acciperet quos in tantis vitiis arguebat, auctoritatem magisterii inclinaret. Non enim potest instanter argui a quo accipitur, maxime cum ille promptus sit ad dandum ut sibi humiliet præpositum. Unde et dicit : Sed ego sub nullius redigar potestate, minuendo libertatem meam, reprehendendo quod facerem, si sumptus ab eis susciperem. Pseudo autem apostoli qui non causa religionis, sed quæstus prædicant, nolunt amari esse peccantibus. Esca, etc. Vere licet mihi accipere necessarios sumptus, quia esca debetur ventri, et venter escis ; sed non tamen accipiam, quia Deus et hoc et illud destruet. Non mutatur horum verborum sensus. Vel ita omnia licent. Quasi dicat : Illi qui prædicta vitia habent, non possidebunt regnum, et ideo vitanda sunt, quia etiam si licerent, fugienda essent. Ponatur enim quod omnia licent, id est ponat aliquis licere omnia, non quia illi liceant, sed quia licere quibusdam videntur ideo quia non impendent legalia tormenta, sed non omnia expediunt, quia propter se vitanda sunt. Item repetit omnia licent, sed ego sub nullius redigar potestate. Cum enim mens concepta desideria sequitur, et amor cujuslibet rei ubi dominatur, servire rebus convincitur, quarum amore superatur. Esca, etc. Quasi dicat : Sub nullius redigar potestate ; et vere, quia nec etiam pro esca, etsi esca debeatur ventri, et venter escæ. Deus autem et hoc et illud destruet.

VERS. 13-17. — *Corpus autem non fornicationi, sed Domino, et Dominus corpori. Deus vero et Dominum suscitavit, et nos suscitabit per virtutem suam. Nescitis quoniam* **81** *corpora vestra membra sunt Christi ? Tollens ergo membra Christi faciam membra meretricis ? Absit ! An nescitis quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur ? Erunt enim, inquit, duo in carne una. Qui autem adhæret Domino unus spiritus est.*

Corpus autem. [Ambrosius] Hic redit Apostolus ad superiorem sensum, quasi esca debetur ventri, et venter escis, sed corpus *non* debetur *fornicationi*. Et ideo de hoc judicium non potest prætermitti, ut vos, o Corinthii, soletis, *sed* debetur *Domino*, id est servitio Domini, *et Dominus* debetur *corpori*, ut glorificet illud et suscitet, et suscitabit, quia *et Dominum suscitavit Deus*. Si vero suscitavit Dominum, *et nos suscitabit per virtutem suam*, cui nihil est impossibile. *Nescitis quoniam.* Quasi dicat : Corpus non debetur fornicationi, sed Domino, *quoniam corpora* nostra, non solum animæ, *sunt membra Christi*, ut eum imitemur. Et nescitis, vos hoc. Attende quod corpora nostra dicit esse membra Christi, quoniam Christus caput nostrum est, (58) eo quod homo factus est propter nos, corpus autem ejus Ecclesia est. Si ergo Christus tantummodo animam humanam susciperet, membra ejus non essent nisi animæ nostræ, quia vero corpus suscepit, per quod etiam caput est nobis, qui ex anima et corpore constamus, profecto illius membra sunt corpora nostra, quia enim corpus accipit et corporum caput est. Si ergo aliquis cupiens fornicari vilescat sibi, et in seipso contemnat seipsum, non in se contemnat Christum. Non dicat : Faciam hoc, nihil sum, quia corpus ejus membrum Christi est. Et cum Christi membra sint corpora nostra, *tollens ergo* a servitio Christi *membra Christi*, cui in te parcendum est, *faciam meretricis?* Ut ejus serviam voluntati ? itane viluit dignitas ista quæ tam benigne præstita est? Absit, ut hoc fiat ! [Augustinus] Notandum quia corpora nostra quæ hic dicit Apostolus esse membra Christi, alibi dicit esse templum Spiritus sancti, propter corpus Christi, quod ex genere corporis nostri suscepit ; (59) corpora nostra membra sunt Christi propter inhabitantem spiritum Christi, eadem corpora sunt templum Spiritus sancti. Et non potest non esse sanctum corpus, quo sanctificato utitur spiritus. (60) Ut alia taceam non possunt simul esse membrum Christi, et membra meretricis ; nec isti dicendi sunt manducare corpus Christi qui sunt membra meretricis. Hoc est enim non sacramento tenus, sed revera corpus Christi manducare, in Christo manere, ut in illo maneat et Christus.

Non itaque manent in Christo qui non sunt membra Christi, nec sunt membra ejus, qui sunt membra meretricis. *An nescitis ?* Quasi dicat : Ideo non decet ut tollam membra Christi, et faciam membra meretricis, *quoniam qui adhæret meretrici*, *unum* corpus efficitur cum ea. [Ambrosius] Fornicatio enim ambos et unum corpus facit ; ut quomodo in natura sic et in macula unum sunt. Et an nescitis hoc ? et quasi quis quæreret an unum sunt, respondet : Utique. Quia, inquit, liber Genesis etiam de legitime conjunctis : *Erunt duo in carne una,* id est carnali opere, quod inter conjuges potest fieri sine peccato, et etiam in carne sunt secundum naturam, quia in natura sunt unum vir et mulier. Manifestum est enim, non quia mulier de viro ambo in carne una sunt. *Qui autem.* Quasi dicat : Quia adhæret meretrici unum est cum ea. *Qui autem adhæret Domino*, semper Dei faciens voluntatem, non una caro, sed *unus spiritus est* cum Spiritu Domini,

(58) August., de verb. Apost.
(59) Id., in eod.
(60) Id., De civit. Dei.

cum quo est unus spiritus, non substantiæ identitate. Diversæ enim substantiæ sunt spiritus hominis et Spiritus Domini, sed quia accedit iste spiritus ad participationem naturæ veritatis et beatitudinis illius. [Augustinus] Unus ergo spiritus est cum Spiritu Dei, cum ei sic adhæret ut sit particeps beatitudinis : quod plene erit cum satiabitur desiderium ejus in bonis immutabilibus, scilicet in ipsa Trinitate Domino suo, cujus imago est. Non ergo spiritus hominis ita est unum vel unus cum Spiritus Dei, sicut Filius cum Patre unum est, et unus Deus. Sic enim dicimus de Patre et Filio, unum sunt, quia unius substantiæ duo sunt ; et dicimus, unus est, sed addimus quid unus, scilicet unus Deus. Diligenter attende, quod quando de rebus duabus vel pluribus dicitur, unus est ; et additur quid unus vel quid una, et de his quæ diversæ, et de his quæ sunt unius substantiæ dici potest. (61) Diversæ enim substantiæ sunt spiritus hominis, et Spiritus Dei ; et tunc dicitur, qui adhæret Domino, unus spiritus est. Ubi autem dicitur de duobus aut pluribus minister nec additur quid unum, non diversæ intelliguntur, sed unius esse substantiæ, sicut dictum est : *Qui plantat et qui rigat unum sunt* (*Joan.* x). Item : *Ego et pater unum sumus* (*I Cor.* III). Si ergo de his quæ diversæ substantiæ sunt recte dicitur quod sint unus spiritus, quanto magis quæ unius substantiæ sunt recte dicuntur unus Deus esse.

VERS. 18-20.—*Fugite fornicationem. Omne enim peccatum quodcunque fecerit homo, extra corpus est ; qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri? Empti enim estis pretio magno. Glorificate et portate Deum in corpore vestro.*

Fugite. [Haimo.] Quasi dicat : Qui adhæret meretrici unum corpus efficitur, ideo *fugite fornicationem.* Cum aliis nempe vitiis potest exspectari conflictus, sed hanc fugite, ne approximetis, quia non aliter melius potest vinci. [Augustinus] Et fugere debetis : *Omne enim peccatum quodcunque fecerit homo,* excepta fornicatione, *extra corpus est,* id est sine corporis contaminatione. Cætera enim peccata animam tantum maculant. *Qui autem fornicatur, in corpus suum peccat,* quia fornicatio non modo animam, sed etiam corpus contaminat. Non enim sine desiderio carnis quæ habet proprium motum, anima concupiscit carnaliter, quamvis caro sine anima nil possit. Vel ita, omne peccatum. Quasi dicat : Ideo debetis fugere fornicationem, quia omne peccatum aliud quodcunque fecerit homo extra corpus est, id est extra vinculum carnalis concupiscentiæ sunt cætera peccata comparatione hujus, etsi per corpus gerantur. (62) Hic enim anima sub corpore est. Alia enim peccata, etsi per corpus committantur, non tamen animum humanum concupiscentiæ carnali ita efficiunt, obstrictum et obnoxium, sicut in solo opere fornicationis corporalis fit cum misceri facit animum vis libidinis cum ipso corpore, et unum cum ipso quodammodo cui agglutinatur, unde subdit : *Qui autem fornicatur, in corpus suum peccat.* [Augustinus] Hic enim proprie servit anima corpori, in tantum, ut nihil aliud in ipso momento et experimento, hujus tam magni flagitii cogitare homini liceat, aut intendere, quia mentem captivam subdit ipsa submersio et absorbitio libidinis quia libidinis ardore quo nullus major est ; voluptas ipsius corporis animum servum tenet, efficitque captivum. Liberum enim est animo in aliis quibusque sæcularibus, et unum aliquid eorum operari, et eodem tempore alibi cogitationes eorum distendere : quod in fornicationis opere ac tempore non licet animo. Sic enim totus homo absorbetur a carne, ut jam dici non possit, ipse animus suus est, sed simul totus homo dici possit caro. Ut secundum hoc recte diei possint duo esse in carne una, hæc quidem dicta sunt de speciali fornicatione hujus corporis. Verum quia non modo fornicatio in sacris litteris specialiter sed generaliter etiam accipitur, conemur, Deo adjuvante, et hoc aliter dicere. Generalis enim fornicatio humanæ animæ est cum aliquis non adhærens Deo adhæret mundo, unde dicitur : *Amicus mundi, inimicus est Dei* (*Jac.* IV). Et item : *Si quis dilexerit mundum, dilectio Patris non est in illo* (*Joan.* II). Qui ergo hærens mundo longe est a Deo, in corpus suum peccat, quia corporali concupiscentia in quæque temporalia animus distrahitur, serviens potius creaturæ quam Creatori. Sed qui hæret Deo non mundo, quodcunque aliud peccatum a concupiscentia carnali alienum fragilitate humana incurrit, vel ignorando, vel negligendo, vel obliviscendo extra corpus peccat, ut hoc sit quod dictum est, omne peccatum quodcunque fecerit homo extra corpus est, quia non corporali vel temporali concupiscentia peccat, sed humana tentatione quæ facile ignoscitur. Cum autem adhæret mundo, temporaliter diligit et concupiscit, merito in corpus suum peccare dicitur, quia universæ concupiscentiæ carnali deditus et subditus est tanquam totus creaturæ servus ab ipso Creatore alienus. Sic ergo, quantum mihi videtur, salva fide intelligi potest utriusque fornicationis malum, scilicet specialis et universalis in hoc capitulo.

Vel ita potest legi : *Omne enim,* etc. [Hieronymus] Quasi dicat : Ideo fugite fornicationem, quia *omne* aliud *peccatum quodcunque fecerit homo, extra corpus est,* id est extra conjugem, quæ dicitur corpus viri qui est ejus caput : aliud peccatum non fit contra honorem conjugii. (63) *Qui autem fornicatur in corpus suum peccat,* id est contra honorem sui corporis scilicet conjugis suæ agit. *An nescitis.* Quasi dicat : Ideo item fugienda est fornicatio, *quoniam*

(61) Augustinus, contra Maximinum.
(62) Id., in sermone de eadem re.

(63) Augustinus, contra Maximinum.

certum est quod *membra*, id est corpora, *vestra templum sunt Spiritus sancti,* id est templum dicatum opere Spiritus sancti, qui et in vobis habitat, unde subdit, *qui in vobis est*, qui Deus templi est. *Quem habetis a Deo*, et ita eum hospitem et Deum datorem offenderetis. Ex hoc patet quia Spiritus sanctus Deus est, quod vos negatis. Si enim Spiritus sanctus, non esset Deus, templum utique nos ipsos non haberet, non solum autem Spiritus sanctus, sed etiam Pater et Filius templum nos habent. Templum ergo Dei, hoc est totius sanctæ Trinitatis, sancta Ecclesia est. Et an nescitis hoc? *Et non estis*. Alia causa hic ostenditur quare debent fugere fornicationem. Quasi dicat : Item propter hoc fugite, *et*, id est quia, *non estis vestri juris*, id est potestatis vestræ, sed Dei qui vos emit a diabolo. Unde subdit : *Empti enim estis pretio magno*, sanguinis Jesu Christi. Et quia ita est, ergo *glorificate Deum*, scilicet Spiritum sanctum, cum Patre et Filio, id est per bona opera aliis gloriosum ostendite; *et*, licet adversa urgeant, tamen *portate Deum in corpore vestro*, id est carnis molestias et quælibet adversa propter Deum sustinete. Vel, portate Deum in corpore vestro, **82** ut secundum legem ejus ambuletis. [Ambrosius] Per legem enim ejus ipse videtur esse in nobis. Portare ergo Deum est imaginem Dei in rebus bene gestis ostendere. Et est sensus : Portate Deum in corpore vestro, (64) id est si non parcis tibi propter te, vel parce tibi propter Deum qui sibi fecit te domum; quam si evertis, peccas in Deum : quod grave est genus peccati. Aliud vero genus est peccare in hominem. Hæc enim duo genera sunt peccatorum, peccare scilicet in Deum et peccare in hominem. Peccatur autem in Deum, etiam corrumpendo templum ejus.

CAPUT VII.

VERS. 1, 2. — *De quibus autem scripsistis mihi : Bonum est homini mulierem non tangere. Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquæque suum virum habeat.*

De quibus autem scripsistis mihi. Occasione fornicationis quam prohibet, de nuptiis continuat, de quibus illi quæsierant. [Ambrosius] Cum enim pseudo per hypocrisim, ut cæteris puriores esse viderentur, nuptias improbarent, et spernendas dicerent, quia hoc non placuit Corinthiis, qui non delectabantur hac sententia, hoc solum ab Apostolo quæsierunt per Epistolam prætermissis cæteris, quibus hic respondet tractans de conjugio fidelium et infidelium. Et agit tripliciter de ipso, scilicet secundum consilium, secundum indulgentiam, secundum præceptum, quorum singula suis locis diligens lector distinguat.

Hic dicendum est breviter quod sit conjugium, et quæ sit efficiens causa conjugii, et causam propter quam contrahi debeat, et quæ legitimæ sint personæ A ad contrahendum matrimonium, et quæ sint bona conjugii quibus excusatur carnalis coitus. Conjugium utique, sive matrimonium, est maritalis conjunctio maris et feminæ inter legitimas personas, individualem vitæ consuetudinem retinens. Hac autem descriptione matrimonium fidelium ac legitimorum tantum includitur, et est bona res conjugium. Est enim unum de sacramentis Ecclesiæ, tenens imaginem conjunctionis Christi et Ecclesiæ, sicut Apostolus ait : Hoc autem dico magnum sacramentum esse in Christo et in Ecclesia (*Ephes.* v). Constat itaque rem bonam esse conjugium; quod quidam hæretici negant, nuptias detestantes, quas Christus approbans nuptiis interfuit, et eas miraculo commendavit. Hoc etiam propter hoc apparet, quia B primum conjugium inter primos parentes instituit. Apostolus etiam ait : *Virgo non peccat*, si nubat. Matrimonii autem efficiens causa est consensus maritalis de præsenti per verba expressus, secundum illud Nicolai papæ : Sufficiat solus secundum legem eorum consensus, de quorum conjunctionibus agitur. Qui si solus in nuptiis defuerit, cætera etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur. Unde est etiam illud : [Ambrosius] Matrimonium non facit coitus, sed voluntas. Hinc etiam illud : Non defloratio virgnitatis, sed pactio conjugalis matrimonium facit. Causa vero propter quam contrahi debet, est procreatio prolis, vitatio fornicationis. Sunt et aliæ causæ honestæ, ut inimicorum reconciliatio, et pacis rei integratio, et hujusmodi. Personæ autem legitimæ ad matrimonium sunt, juxta institutionem C Ecclesiæ. Aliæ namque fuere legitimæ in exordio nostræ originis, et ante legem Mosi. Aliæ sub lege, aliæ in tempore gratiæ. Item in primitiva Ecclesia quædam erant legitimæ, quæ modo non sunt; et earum quæ modo legitimæ sunt vel illegitimæ, quædam sunt plene legitimæ, quædam omnino illegitimæ, quædam neutræ. Plene legitimæ sunt quas non impedit votum continentiæ, vel ordo, vel cognatio, vel dispar cultus, vel conditio, vel naturæ frigiditas. Omnino autem illegitimæ per votum, per ordinem, per cognationem, per disparem cultum. Neutræ vero, id est nec omnino illegitimæ, nec plene legitimæ sunt, per conditionem vel frigiditatem. Si enim tales nescientes conjuncti fuerint, possunt permanere quibusdam causis accidentibus, et eisdem D deficientibus dividi. [Ambrosius] Bona vero conjugii sunt tria, scilicet fides, proles, sacramentum : Fides, ne cum alio vel alia coeatur; proles, ut religiose educetur; sacramentum, ne conjugium separetur. Separatio autem gemina est, corporalis scilicet et sacramentalis. Corporaliter vero non debent separari, nisi ex communi consensu, quod interdum fit causa religionis; sacramentaliter vero separari nequeunt, dum vivunt, si plene legitimæ sint personæ. Et attende quod tertium bonum conjugii dicitur sacramentum, ideo non quia sit ipsum conjugium, sed quia ejusdem rei signum est, id est spi-

(64) Ambros., in serm. de duobus generibus peccatorum.

ritualis et inseparabilis conjunctionis Christi et Ecclesiæ. His tribus bonis excusatur coitus carnalis, qui est inter conjuges, ita ut vel non sit peccatum vel sit veniale. Quando enim causa prolis conveniunt tantum, sic excusatur ut non sit peccatum, quando vero causa concupiscentiæ satiandæ et refrenandæ, veniale est. Unde Augustinus (65) : Conjugalis concubitus generandi gratia non habet culpam ; concupiscentiæ vero satiandæ, sed tamen cum conjuge, habet culpam, propter thori fidem, venialem. Item, quod conjugati victi concupiscentia utuntur invicem ultra necessitatem liberos procreandi, ponam in his pro quibus quotidie dicimus : *Dimitte nobis debita nostra sicut,* etc. (*Matth.* VI). Ubi autem hæc bona non sunt, nullam habet coitus excusationem. Unde dicitur : Omnis vehemens amator propriæ uxoris, adulter est. Contingit autem sæpe contrahi conjugium, in quo hæc bona non reperiuntur : quia nec fides servatur, nec proles religiose educatur. Hæc de his sufficiant. Quasi dicat: Fornicatio fugienda est, sed nubere licet. Et hoc est quod ait : *De quibus autem scripsistis mihi,* id est, de his quæ scripsistis mihi. Hoc dico : *Bonum est homini non tangere mulierem, propter fornicationem.* Quasi dicat : Bonum est non tangere, sed tamen propter fornicationem vitandam *unusquisque habeat suam,* non alienam, *uxorem,* non concubinam. Hoc ideo dicitur, ut excludantur illi qui divinis auctoritatibus uxores habere non possunt. Et similiter, unaquæque mulier *habeat suum virum,* scilicet legitimum. Hoc dicit Apostolus secundum indulgentiam non secundum præceptum. [Fulgentius] Peritus enim medicinæ cœlestis Apostolus, non tam sanos instituit, quam infirmis medicamenta monstravit. [Gregorius] Magnum itaque bonum est mulierem non tangere, quod debet omnis fidelis principaliter observare. Tamen si quis adhuc plus est de sua infirmitate sollicitus quam de Domini virtute securus, si continentiam non novit, uxore utatur. (66) Sed quia nuptiæ tales esse non possunt quales primorum hominum esse potuerunt, sint tales quales sanctorum patrum fuerunt, ut carnis concupiscentiæ quæ necessario est in corpore mortis hujus non serviatur ; sed ipsa potius non nisi ad propagandam prolem servire cogatur : et sic infirmitas incontinentiæ, ne cadat in ruinam flagitiorum, excipitur honestate nuptiarum.

VERS. 3-6. — *Uxori vir debitum reddat, similiter autem et uxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir ; similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi ; et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram. Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium.*

(65) Augustinus, De bono conjugali.
(66) Id., De nup. et conjug.

A *Uxori vir debitum reddat.* Quasi dicat : Concedo viro habere uxorem, et mulieri virum ; et postquam conjuncti fuerint, vir reddat debitum uxori, *similiter et uxor viro.* [Ambrosius] Invicem sibi subjici in hac causa dicit, ut una sit illorum voluptas in lege naturæ. Ideo alter alteri reddat, quia *mulier non habet potestatem sui corporis* ad alium, *sed vir ; similiter autem vir non habet potestatem sui corporis* ad aliam, *sed mulier.* In hoc pares sunt vir et mulier, quia neque viro neque mulieri corpus suum licet alii tradere. [Augustinus] Invicem enim sibi debitores sunt in hac causa, ne peccandi detur occasio, in aliis vero præest vir. Ergo hic non dominium tollitur viro, sed vitium. (67) Debent ergo sibi conjugati ad illicitos concubitus evitandos
B mutuam quodammodo servitutem ; ut etsi alteri eorum perpetua continentia placeat, nisi ex alterius consensu, non possit. Sed ad hoc, uxor non habet potestatem sui corporis, sed vir. Similiter vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier. Ut etiam quod non filiorum procreandorum, sed infirmitatis et incontinentiæ causa expetit, vel ille de matrimonio, vel illa non sibi alterutrum negent, ne per hoc incidant in damnabiles corruptelas. Reddere enim debitum conjugale nullius est criminis ; exigere autem ultra generandi necessitatem, culpæ est venialis ; fornicari autem vel mœchari puniendi est criminis. *Nolite,* etc. Quasi dicat : Et quia nec vir nec mulier potestatem sui corporis habet, ergo *nolite fraudare invicem,* id est subtrahere debitum, quod posset esse causa adulterii. [Augustinus] Hoc ideo
C dicit Apostolus ut conveniant in re uxoria, ne dissensio generet fornicationem. Nolite dico, *nisi forte ex consensu ad tempus,* scilicet ut ex condicto abstineatis propter gratiarum actiones, unde subdit, *ut vacetis* expeditius *orationi.* Ut enim misereatur Deus, mundius exorandus est. Et si munda sint conjugia, tamen etiam a licitis abstinendum est, ut facilius ad effectum deducatur oratio. *Et iterum revertimini in idipsum,* id est naturalem usum. Ubi et si culpa est, tamen venialis est : [Ambrosius] quod non est in fornicatione. Revertimini, dico, *ne tentet vos Satanas propter* intemperantiam, vel *incontinentiam vestram,* [Augustinus] ne occasio detur diabolo trahendi in laqueum fornicationis **83** vel adulterii. [Ambrosius] Hoc enim ideo dicit Apostolus, ut for-
D nicationem excludat, non ut ad meliorem vitam tendentibus iter claudat. Et quia Apostolus dixerat, unusquisque habeat suam, et quæque suum, et item revertimini, ne videretur hoc præcipiendo dixisse subdit :

Hoc autem totum *dico secundum indulgentiam, non secundum imperium.* Et ideo non peccat qui aliter agit, id est qui continet, imo peccat qui sic agit. Quia aliqua culpa est ibi, sed levis. Propter hujusmodi peccata, oportet quotidie crebroque

(67) Id., De bono conjugali. Hic aliter August. dicit quam supra.

orare Dominum et dicere : *Dimitte nobis debita nostra*, etc. (68) Non ergo illud præcepit Apostolus, sed permisit. Aliud est enim quod permittitur infirmitati, aliud quod præcipitur fidei. Quod ostendit ex eo quod ait, hoc dico secundum indulgentiam, non secundum imperium. Quasi dicat : Non hoc jubeo castitati, sed permitto infirmitati, non est laudabile, sed veniale. Sed forte aliquis dicet, si hoc secundum veniam concessit Apostolus, ergo peccatum sunt nuptiæ. Cui enim venia nisi peccato conceditur, ubi est incontinentiæ malum ? Plane quod infirmitati concessit Apostolus secundum veniam, audeo dicere peccatum esse. Veniam namque concedens Apostolus, concubitum attendit conjugatorum, ubi est incontinentiæ malum. Incontinentiæ malum est quod vir cognoscit uxorem etiam ultra necessitatem procreandi liberos, sed et ibi est nuptiarum bonum. (69) Non enim quia incontinentia malum est, ideo connubium quod est præter intentionem generationis non est bonum, imo vero non propter illud malum culpabile est hoc bonum; sed illud malum fit veniale, propter bonum nuptiale, quod est tripartitum, scilicet fides, proles, sacramentum : Fides, ne cum alio vel alia coeatur; proles, ut religiose educetur; sacramentum, ne conjugium separetur. Hoc bonum nuptiarum non reprehendit Apostolus, sed malum incontinentiæ. (70) Concubitus enim necessarius causa generandi inculpabilis, et solus ipse nuptialis est. Ille vero qui ultra necessitatem progreditur, non rationi, sed libidini obsequitur. Cum igitur culpabilis non sit generandi intentione concubitus, qui proprie nuptiis imputandus est, quid secundum veniam concedit Apostolus, nisi quod conjuges debitum carnis exposcunt, non voluntate propaginis, sed voluptate libidinis ? quæ tamen voluptas non propter nuptias cadit in culpam, sed propter nuptias accipit veniam. Quocirca etiam hinc sunt laudabiles nuptiæ, quia etiam illud quod non pertinet ad se, ignosci faciunt propter se. Neque enim iste concubitus, quo servitur concupiscentiæ, agitur, ut impleatur fetus quem postulant nuptiæ. (71) Omnino igitur in genere suo nuptiæ bonæ sunt, quia fidem thori servant, et prolis suscipiendæ causa utrumque sexum commiscent, et impietatem separationis horrent.

VERS. 7-11. — *Volo autem omnes homines esse sicut meipsum. Sed unusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius vero sic. Dico autem non nuptis et viduis; bonum est illis si sic permanserint sicut et ego. Quod si non se continent, nubant : melius est enim nubere quam uri. His autem qui matrimonio juncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere. Quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat.*

Volo autem. Quasi dicat : Hoc indulgeo. Sed ta-
A men *volo omnes homines esse* castos *sicut meipsum*. Quantum ad benevolum et sollicitum magistrum pertinet, omnes tales, si fieri posset, volebat esse sicut seipsum, id est continentes. Sed etsi non sint omnes casti, habent tamen alia quibus salvari possunt, quod ita ait : *Sed unusquisque habet donum ex Deo*, quia et conjugium est ex Deo sicut continentia. Donum dico proprium, id est sibi competens, quia in hoc quisque adjuvatur, quod appetit avidius. *Alius quidem sic*, scilicet in conjugio potest salvari; *alius vero sic*, scilicet in viduali vel virginali continentia. [Ambrosius] Et ideo non debet quis constringi, ne prohibitus a licitis, admittat illicita; sed ipse quid sequatur sibi eligat, sed tamen in hoc propensiorem esse melius est. (72) Satis
B hic ostendit etiam pudicitiam conjugalem esse donum Dei; non tantum enim continentium, sed etiam conjugatorum castitas, donum Dei est. *Dico autem*. Quasi dicat : Conjuncti debitum reddant, sed *non nuptis*, id est virginibus, *et viduis dico*, quod *bonum est illis si sic*, id est caste *permanserint*, vel, eant sicut ego, *quod si non continent*, *nubant* legitime. Et quare hoc dicat, adjungit : *Melius est enim nubere quam uri*, id est ardere libidine. Uri enim est desideriis angi vel vinci. [Ambrosius.] Non igitur ideo dicit melius, quod bonum sit uri, et nubere melius, sed consuetudinem locutionis est secutus. *His autem*. Quasi dicat : Hoc consulo non conjunctis. *Sed his qui matrimonio juncti sunt præcipio non ego*, quasi hoc præceptum invenerim, *sed Dominus* in propria persona præcipit, *uxorem a viro non*
C *discedere*, hoc supple, nisi causa fornicationis. (73) Hæc est enim causa quam Christus excepit, quæ hic tacetur, quia notissima est, scilicet causa fornicationis. Hanc enim solam causam excepit Dominus; cæteras vero universas molestias, si quæ forte exstiterint, jubet pro fide conjugii, et pro castitate fortiter sustineri. Et nota quod aliud est discedere, aliud est communi consensu continere. Illud enim malum est, hoc bonum; et dicitur de conjugio, ubi uterque fidelis est. *Quod si*. Quasi dicat : Non discedat, *quod si discesserit*, scilicet causa fornicationis, præcipio *manere innuptam*, viro vivente, *aut reconciliari viro suo*, si ipsa non continet. [Augustinus] Si enim se non continet, mulier viro debet potius reconciliari quam alteri nubere. *Et* similiter,
D *vir non dimittat uxorem suam*, nisi causa fornicationis. Præter quam non debet vir dimittere uxorem, quia faceret eam mœchari. Quod si illa est adultera, ipse non facit, sed adulteram dimittit. Supplendum est hic quod de uxore præmisit, scilicet quod si dimiserit, ne ducat aliam, vel reconcilietur uxori. Similis enim forma servatur in viro, et in muliere. Ambrosius tamen dicit : Ideo non subdit hoc de viro sicut de muliere, quia licet viro aliam ducere, quia inferior non omnino hac lege

(68) Augustinus, in sermone de ver. Apostoli.
(69) Id., super Genesim.
(70) Id., De bono conjugio.
(71) Id., contra Julianum hæreticum.
(72) Id., De nupt. et conjug.
(73) Id., De sermone in monte.

utitur qua potior. Quod a falsariis dicitur esse appositum. Nam cæteris. Postquam egit de conjugio fidelium, transit ad imparia conjugia. Quasi dicat : Ubi uterque fidelis est, hoc præceptum Domini dedi.

VERS. 12-14 — *Nam cæteris ego dico, non Dominus : Si quis frater uxorem habet infidelem, et hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et si qua mulier habet virum infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum. Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, et sanctificata mulier infidelis per virum fidelem. Alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt.*

Nam cæteris, scilicet ubi non est uterque fidelis, quod in initio Ecclesiæ contingit, cum Evangelium gentibus prædicari cœpit, *ego dico,* ex Deo quidem, *non Dominus* proprio ore, quod *si quis frater*, id est si quis fidelis conversus ad fidem in conjugio, *habet uxorem infidelem, et hæc consenserit habitare cum illo, non dimittat illam.* [Augustinus] Non hoc præcipit Apostolus, sed consulit, ut si quis aliter agat non sit transgressor, sicut et post de virginibus consulit. Monet ergo quod est lucrandi occasio, cum posset licite relinquere, sed non expedit. Tunc enim non expedit id quod licitum est, quando permittitur quidem, sed usus ipsius potestatis aliis affert impedimentum salutis, sicut est illud unde jam diu loquimur, scilicet discessio fidelis ab infideli, quam non prohibet Dominus, quia coram illo non est injusta. Sed Apostolus ne fiat, consilio charitatis suadet, ut nemo in ea remissionis necessitate teneatur, sed consilii voluntate libere faciat. Hoc ergo mihi visum est Apostolum monendo dixisse. Conjux enim fidelis licite potest relinquere infidelem. (74) Idololatria enim et quælibet noxia superstitio fornicatio est, et Dominus causa fornicationis permisit quidem uxorem dimitti, sed non jussit : et sic dedit Apostolo locum monendi, ut qui voluerit, non dimittat infidelem quæ forsan fiet fidelis : et qui voluerit, licite dimittere possit. (75) Quia enim fidelis infidelem relinquere licite potest, ideo Dominus non prohibet. Quod enim Dominus prohibet, fieri omnino non licet : hoc autem fieri licet. Nam si fornicatio carnis detestanda est in conjuge, quanto magis fornicatio mentis, id est infidelitas. Sed quia ita licitum est, ut non expediat, ne propter conjugum separationes ipsam doctrinam salutis homines offensi exhorreant, intendit Apostolus et monet non fieri. Si ergo ab infidelibus nec jubentur a Domino, nec prohibentur fideles recedere. Nam si dimittere tales juberentur a Domino, nullus esset locus consilii admonentis Apostoli, ne hoc fieret. Legitur tamen quod Esdras propheta, imo Dominus per eum non modo permisit, sed etiam jussit Israelitis uxores dimittere alienigenas, per quas ibant ad deos alienos (*I Esdr.* x); non illæ per maritos acquirebantur Deo. Recte itaque hoc præcepit, quia nondum tanta gratia Salvatoris illuxerat. Et per Moysen Dominus jusserat, ne quis uxorem alienigenam duceret (*Num.* xviii). Merito ergo quas duxerant Domino prohibente, Domino jubente dimiserunt. [Augustinus] Non enim imputandum matrimonium quod extra decretum Dei factum est, sed cum cognoscitur emendandum est. (76) Cum vero cœpisset gentibus Evangelium prædicari, jam conjunctos gentiles gentilibus comperit conjuges, ex quibus si non ambo crederent, sed unus vel una, et infidelis cum fideli consentit habitare, nec prohiberi a Domino debuit fidelis infidelem dimittere, nec juberi, ideo nec prohiberi, quia justitia permittit a fornicante discedere; et infidelis hominis fornicatio est major **84**, in corde. Ideo autem nec juberi, quia non contra jussionem Domini gentiles fuerunt ambo conjuncti. Licitum ergo erat per justitiam, sed licitum non erat faciendum propter liberam benevolentiam; quod dixerat de viro subdit de muliere.

Et si qua mulier habet virum infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non dimittat illum : deinde consilii causam et finem supponit dicens ; *Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem,* vel in muliere fideli; *et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem,* vel in viro fideli. (77) Credo jam provenerat ut nonnullæ feminæ per viros fideles, et viri per uxores fideles in fidem venirent, quia sæpe hoc contigit quod alter per alterum ad fidem convertitur. Vel ita, sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem, id est mundus est vir infidelis quantum ad fidelem mulierem, quia nullam ex ejus conjunctione immunditiam mulier fidelis patitur; et sanctificata est mulier, etc., id est munda est mulier infidelis quantum ad virum fidelem, quia vir fidelis ex ejus conjunctione non contaminatur. Veram enim fidelis habet pudicitiam etiam cum infideli conjuge. *Alioquin,* etc. [Ambrosius] Quasi dicat : Dico ut non dimittat fidelis infidelem consentientem habitare. Alioquin, [Haimo] id est si disceditis, si dimittitis invicem volentes cohabitare, et aliis vos copulatis, [Ambrosius] et ita non est legale matrimonium, adulteri estis, *et filii vestri,* qui de hac copula nascuntur, *immundi essent,* id est spurii sunt. *Nunc autem,* si permanetis, filii vestri *sancti sunt,* id est mundi, quia de licitis conjugiis nati sunt, et sub Creatoris veneratione nati sunt ex pare. Vel ita, ut agat de filiis jam natis quæ in fidelitate remanent, si vicissim se dimittunt. Quasi dicat : Dico ut fidelis non dimittat infidelem. Alioquin, id est si vos invicem dimittitis, filii vestri, qui majorem partem sequuntur, immundi essent, id est in infidelitate remanebunt : major enim tunc erat numerus infidelium quam fidelium. (78) Nunc autem filii vestri sancti sunt, id est Christiani, sive uno ex parentibus auctore, sive utroque, quod non fieret

(74) Augustinus, de sermone in monte.
(75) Id., ad Polentium.
(76) Id., in eodem.
(77) Id., de sermone.
(78) Id., de serm. in monte.

si uno credente dissociaretur conjugium, et non toleretur infidelitas conjugis usque ad opportunitatem credendi.

VERS. 15-19. — *Quod si infidelis discedit, discedat; non enim servituti subjectus est frater aut soror in ejusmodi. In pace autem vocavit vos Deus. Unde enim scis, mulier, si virum salvum facies? aut unde scis, vir, si mulierem salvam facies? Nisi unicuique sicut divisit Dominus. Unumquemque sicut vocavit Deus, ita ambulet, et sicut in omnibus Ecclesiis doceo. Circumcisus aliquis vocatus est, non adducat præputium. In præputio aliquis vocatus est, non circumcidatur. Circumcisio nihil est, et præputium nihil est, sed observatio mandatorum Dei.*

Quod si infidelis, etc. Quasi dicat : Fidelis non dimittat infidelem consentientem habitare. *Quod si infidelis*, vir vel mulier, *discedit*, odio fidei, *discedat*, non pro eo fidem fidelis deserat. (79) Eo enim modo mulier infidelis rectissime dimittitur, si viro suo dicat : Non ero uxor tua nisi mihi de latrocinio divitias congeras, nisi solita lenocinia exerceas, et hujusmodi. [Ambrosius] Tunc ille cui uxor hæc dicit, si veraciter Christianus est, plus tenebitur amore divinæ gratiæ, quam carnis uxoriæ, et membrum quod eum scandalizat fortiter amputat. *Non est enim.* Quasi dicat : Ideo dico discedat, *non est enim servituti subjectus frater* fidelis, *aut soror in hujusmodi*, scilicet in cohabitatione, et in aliis talibus, id est non cogitur fidelis sequi infidelem odio fidei discedentem. Sed quandiu in pace simul esse possunt non separentur, si in eo poterant vocari, in eo manendum est. Et ideo ait non est subjectus, quia non debetur reverentia conjugii ei qui horret conjugii auctorem. Non est enim ratum matrimonium quod sine Dei devotione est, et ideo non est peccatum ei qui dimittitur propter Deum, si alii se copulaverit. Contumelia enim Creatoris solvit jus matrimonii circa eum qui relinquitur ne accusetur alii copulatus. Infidelis autem discedens et in Deum et in matrimonium peccat. Itaque non est ei fides servanda conjugii, quia Deo recessit, ne audiret nomen Christi. Si vero ambo crediderint per cognitionem Dei, confirmatur conjugium. Nota quod Ambrosius sibi contradicere videtur. Supra enim dixit, quod si fidelis dimittens infidelem alii copulaverit se adulter est; hic vero dicit quod ei dimisso non est peccatum si alii se copulaverit, quod a quibusdam sic determinatur. [Augustinus] Aliud est si dimittat infidelem volentem cohabitare vel commanere, et aliud si dimittitur propter Deum ab illo qui abhorret nomen Christi. Ibi benevolentiæ lex non servatur, hic veritas custoditur. Ideoque cum liceat semper dimittere, non tamen semper licet se alii copulare, sed tunc tantum cum propter Deum dimittitur. Vel ut alii dicunt potest se alii semper copulare fideli, sed non alii infideli. *In pace autem.* Quasi dicat : Fidelis non est subjectus servituti in hujusmodi sed pacem debet servare, [Ambrosius] quia in pace *vocavit nos* Deus, et ideo non debemus esse causa discordiæ. Et non oportet nos litigare cum discedente, quia odio fidei discedit. (80) Unde enim supra hortatus est ne fidelis deserat infidelem per ea quæ forte evenerunt, id est quia sanctificatus est vir, etc. Nunc quia eadem fieri possunt, idem hortatur reddens rationem cur non expediat, ut fidelis dimittat infidelem, quamvis liceat. [Ambrosius] Hæc autem non jubente lege sed libera charitate fiunt. Quasi dicat : Vere manendum est cum infideli, quia, *unde scis, tu mulier* fidelis, *si virum* infidelem *salvum facies?* Hoc ideo dicit quia forsan possunt credere qui non horrent nomen Christi. Deinde dicit viro idem de muliere : *Aut unde scis, vir* fidelis, *si mulierem* infidelem *salvam facies?* Unde, inquam, hoc scis, o vir vel mulier, *nisi* ita habeas te ad tuum comparem, *sicut Deus divisit unicuique*, id est sicut dedit utrique, scilicet viro præesse, uxori subesse? Vel quomodo scis hoc quod prædictum est nisi patienter exspectes fieri, sicut divisit Deus unicuique? [Ambrosius] Divisit enim cuique quando salvetur, id est scit quando credet, et sustinet donec credat; sic et tu exspecta. Et quomodo scis, o vir vel mulier, quod prædictum est, nisi quisque vestrum *ambulet* scilicet perseveranter, et si non statim proficit ita, *sicut Deus vocavit unumquemque*, id est in eo statu in quo Deus quemque vocavit, non a quo, ut scilicet conjux cum conjuge perseveranter maneat. Ne quis autem forte diceret quod solis Corinthiis, et non cæteris fidelibus hoc prædicaret, ait : Et hoc ita prædico in vestra Ecclesia, *sicut in omnibus Ecclesiis*, hoc est ubique, *doceo*. Tenendum est ergo vobis quod omnes tenent. *Circumcisus.* Quasi dicat : In eo statu potest quisque manere, scilicet conjugii, sicut in cæteris, quæ saluti impedimentum non afferunt, ut verbi gratia, *si aliquis circumcisus vocatus est, non adducat*, id est non cogatur adducere *præputium*, id est ritus gentilium. Et si *in præputio aliquis vocatus est, non circumcidatur*, id est non cogatur ad Judaicos ritus. Servat Apostolus ubique quod congruere videt, sive Ecclesiis gentium sive Judæorum. [Augustinus] Nusquam enim aufert consuetudinem, quæ servata non impedit salutem, monens ne in talibus spes salutis ponatur, etiamsi pro offensione infirmorum fratrum serventur. Unde et dicit nil esse, subdens : *Circumcisio enim nihil est, et præputium nihil est.* Quia ad salutem nec prodest nec obest, hoc vel illud, id est Judaicus vel gentilis ritus, *sed observatio mandatorum Dei.*

VERS. 20-28. — *Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. Servus vocatus es, non sit tibi curæ, sed, et si potes fieri liber, magis utere. Qui enim in Domino vocatus est servus, libertus est Domini. Similiter qui liber vocatus est, servus est. Christi. Pretio empti estis, nolite fieri servi hominum. Unusquisque ergo in quo vocatus est frater, in*

(79) Augustinus, De fide.

(80) Id. ad Polen.

hoc permaneat apud Deum. De virginibus autem A *præceptum Domini non habeo, consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus a Deo, ut sim fidelis. Existimo enim hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quoniam bonum est homini sic esse. Alligatus es uxori? noli quærere solutionem. Solutus es ab uxore? noli quærere uxorem. Si autem acceperis uxorem non peccasti; et si nupserit virgo non peccavit. Tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi. Ego autem vobis parco.*

Unusquisque. Quasi dicat : Gentilis non adducat circumcisionem, vel Judæus præputium. Sed *unusquisque permaneat in ea vocatione*, id est in ea conditione, vocationi non repugnante, *in qua* non a qua, *vocatus est.* [Augustinus] Hoc enim ad eas conditiones vel consuetudines vitæ retulit, quæ nihil B obsunt fidei bonisque moribus. Sicut conjux, sic et latro ad Christi fidem vocatur; sed ille in conjugio, non a conjugio; iste vero non in latrocinio, sed a latrocinio. Non enim necesse est ut conjuges desinant esse conjuges propter Christi fidem, sicut necesse est ut latrones desinant esse latrones. *Servus*, etc. Supraposuit unum exemplum de ritu vivendi; hic aliud de conditionis officio. Quasi dicat : Quisque permaneat in quo vocatus est, sicut *si servus vocatus es, non sit tibi curæ*, quasi velis hoc effugere, *sed si potes fieri liber, magis utere* servitute, [Ambrosius] quia hæc est causa humilitatis quæ ad eam quæ in Domino est pertinet libertatem, quia quanto quis **85** propter Deum despectior est in hoc sæculo, tanto magis exaltabitur in futuro : *Qui enim in Domino vocatus.* C Quasi dicat : Ideo non debet esse curæ, si quis vocatus est servus, quia æque ut dominus suus servus est Christi. Quod ita ait : *Qui enim* existens *servus vocatus est in Domino*, id est in fide Domini, vel in operatione Domini, *libertus est Domini.* Ac si diceret, servus Domini est, sed honestius nomen posuit dicendo libertus, quod esse recte dicitur, quia ereptus est a peccatis, quæ servos faciunt. [Ambrosius] *Similiter qui vocatus, dum liber* esset, vel a Deo per elationem, quod crimen est, vel ab homine per conditionem, *servus est Christi*, quod profectus est. Ergo nec servus conditione despiciatur, nec liber elatus servo se præponat. *Pretio*, etc. Quasi dicat : Uterque servus Christi est, quod utique justum est, quia *empti estis pretio*, id est sanguine Christi. Et quia empti estis, *nolite fieri servi* D *hominum*, ita, scilicet ut postponatis servitium Dei. Quasi dicat : Quia empti estis, reddite vicem emptori ut servi sitis Christi, non hominum. Ili sunt servi hominum qui humanis se subjiciunt superstitionibus, quod contingit vobis si dicatis : *Ego sum Pauli, ego Apollo*, et hujusmodi. *Unusquisque*, etc. Quod supradixerat hic iterat, ut plene commendet dicens, *unusquisque frater* in hoc statu *maneat apud Deum*, id est in observatione mandatorum Dei, *in quo vocatus est*, non a quo vocatus est, quia nullus status nocet, in quo aliquis vocatur.

De virginibus autem. Superius ubi ait : *Dico autem non nuptis et viduis*, non tantum virginibus, sed etiam viduis continendi consilium dedit. Nunc iterum dat de virginibus idem consilium. Quasi dicat : De conjunctis præceptum Domini dedi, ubi uterque est fidelis; vel meum consilium, ubi alter est infidelis. *De virginibus autem non habeo præceptum Domini*, aliqua lege præcipientis ut contineant, vel nubant. [Augustinus] *Consilium autem* a Spiritu sancto mihi inspiratum do, idem quod supra dedi, scilicet non nubendi, sed continendi, nisi tamen aliud licet. Consilium do, *tanquam consecutus a Domino misericordiam*, id est apostolatum, ita *ut sim fidelis* in dispensatione mihi credita, ac per hoc constat quod sum idoneus in dandis consiliis salutaribus. [Ambrosius] *Existimo ergo.* Quasi dicat : Quia Apostolus sum et fidelis, ergo hoc consilium do, scilicet non nubendi, quia *existimo* hoc, id est in virginitate manere, *bonum esse propter instantem necessitatem* conjugii vitandam. Necessitatem dicit penuriam sæculi, quam sæpe patiuntur conjugati. Infirmis infirmam rationem prætendit. Posset enim digniorem reddidisse rationem virginitatis munus amplius commendando. (81) Supergreditur enim virginitas conditionem humanæ naturæ, per quam homines angelis assimilantur. Major tamen victoria virginum quam angelorum. Angeli enim sine carne vivunt, virgines vero in carne triumphant. Inde est quod in tabernaculo Domini supremum operimentum erat de pellibus hyacinthinis, per quod intelligitur cælibum vita. Habet enim hyacinthus speciem similem throno, ita qui in carne virgineam puritatem servant, supercœlestibus similantur. *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati, et sequuntur Agnum quocunque ierit* (*Apoc.* XIV). *Quoniam*, etc. Quasi dicat : Ita existimo ut dixi, et bene quoniam vere ita est, *bonum est homini sic esse*, id est in virginitate; et licet sit hoc, bonum tamen si *alligatus es uxori*, *noli quærere solutionem*, et si instat necessitas. Sed si *solutus es ab uxore, noli quærere uxorem*, si potes continere. [Haimo, Ambrosius] Hæc consilia sunt quæ nullo Domini constringentis imperio, in potestate dimissa sunt. In his audiendus est Apostolus, in spiritu scilicet monens et consulens. *Si autem.* Quasi dicat : Noli quærere, sed tamen, *si acceperis uxorem, non peccasti*; *et* similiter *si nupserit virgo, non peccavit. Tribulationem*, etc. Quasi dicat : Non peccant si nubunt vel ducunt, tamen levius est esse sine conjugio, quia *hujusmodi*, scilicet conjugati, *habebunt tribulationem carnis.* [Haimo.] pro rebus necessariis providendis sibi et filiis. *Ego autem.* Quasi dicat : Consulo evitare conjugium, quod et tamen concedo. Sed in his *ego parco vobis*, dum consulo hæc evitare quæ tribulationes carnis et sollicitu-

(81) Ambrosius, De institutione viduarum.

dines memoratas habent, vel dum concedo vobis A quod vultis, parco vobis, etsi grave sit.

VERS. 29-35. — *Hoc itaque dico, fratres : Tempus breve est, reliquum est ut et qui habent uxores, tanquam non habentes sint, et qui flent tanquam non flentes, et qui gaudent tanquam non gaudentes, et qui emunt tanquam non possidentes, et qui utuntur hoc mundo tanquam non utantur. Præterit enim figura hujus mundi. Volo autem vos sine sollicitudine esse. Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est. Et mulier innupta et virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta et corpore et spiritu; quæ autem nupta* B *est cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro. Porro hoc ad utilitatem vestram dico, non ut laqueum vobis injiciam, sed ad id quod honestum est, et quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi.*

Hoc itaque, hic ad temperantiam monet. Quasi dicat : Quia conjungemini, dum sine peccato potest fieri. *Itaque hoc consilium do vobis*. [Augustinus] Dico vobis, o *fratres*, quoniam *tempus breve est*, quo non generatione carnali propagandus est populus Dei, sed regeneratione spirituali colligendus. Et quia tempus breve *reliquum est*, id est hoc solum restat agendum, *ut qui habent uxores sint tanquam non habentes*, (82) studendo Dei servitio, non operi carnis : Quod utique facit, qui habet uxorem; C reddit, non exigit debitum. Et qui propter infirmitatem propriam ducit uxorem plangens potius, quia sine uxore esse non potuit, quam gaudens, quia duxit, et maxime qui pari consensu continentiam servant. (83) Beatiora sane conjugia judicanda sunt, quæ sive filiis procreatis, sive in prole contempta continentiam pari consensu servare poterunt. *Et qui flent*, pro casibus conjugii, vel pro aliqua tristitia sæculi, sint *tanquam non flentes*, et spe futuri boni non cedant, vel frangantur; *et qui gaudent* pro aliqua prosperitate sæculi, sint *tanquam non gaudentes*, ut intus timeant spiritualiter corrumpi ; *et qui emunt*, ut faciunt conjugati, qui provident filiis, sint *tanquam non possidentes*, scilicet non apponant cor perituris rebus ; sed sic habeant, ut amore illis non hæreant. (84) Et ut universaliter colligam, *qui utun-* D *tur hoc mundo*, sint *tanquam non utantur*, ut scilicet ex bonis ejus faciant bona, non mali fiant : quæ bona ne putentur mala, bonis dantur. Itemque tollentur ut probentur, ne vero putentur magna vel summa, dantur et malis. Itemque eis tolluntur ut crucientur. *Præterit enim*. [Haimo, Augustinus] Quasi dicat : Ideo hæc mundi alia quasi non sint sunt æstimanda, quia *figura*, id est pulchritudo non substantia, *hujus mundi præterit*, id est quotidiè senescit, et tandem in judicio mundanorum ignium cum flagratione peribit. Non substantia, sed figura atque ipsa libera substantia eas qualitates habebit, quæ corporibus immortalibus mirabili mutatione conveniant. Et ideo non dixit mundus perit, sed figura, quia substantia non perit, sed qualitas. *Volo autem*. Quasi dicat : Si nubitis, hoc facere consulo. Sed magis *volo vos esse sine sollicitudine* rei uxoriæ ; qua diminuta in Dei rebus propensius vigilatur. Et recte hoc volo, *qui sine uxore est sollicitus est*, ut compleat *ea quæ Domini sunt, et quomodo placeat* interiori pulchritudine *Deo*, non quomodo ei serviat. *Qui autem cum uxore est, sollicitus est* de his *quæ sunt mundi*, scilicet de domo regenda, et hujusmodi, *quomodo et placeat uxori*. [Haimo] Magna enim amarutido est in domo uxor tristis, *et divisus est*, non natura, sed actu, quia partim Deo, partim servit mundo. *Et* similiter *mulier innupta*, id est vidua, *et virgo cogitat quæ sunt Domini*. [Augustinus] Jam non cogitat ne damnetur a Deo, quod facit timor custos malorum. [Fulgentius] Hæc autem de damnatione non timens, et de salute secura, cogitat tantum *quæ sunt Domini*, scilicet, *ut sit sancta corpore*, id est actionibus quæ geruntur ministerio corporis, *et spiritu*, id est voluntate. (85) Hoc etiam et nupta fidelis, et casta facit : quæ non modo spiritu, sed etiam corpore sancta est, non enim potest fieri, ut non sit sanctum corpus, quo sanctificatus utitur spiritus. Sed amplius innupta hoc facit, quæ libera a necessitatibus mundanis, quibus constricta est nupta, intensius vacat cœlestibus præceptis. *Quæ autem nupta est, cogitat quæ mundi sunt*, et *quomodo viro placeat*. Non ideo hoc dicit, ut et ipsa sancta non sit corpore et spiritu, sed minus quam innupta. Hæc itaque loquens Apostolus de innuptis et nuptis, ampliorem innuptarum et in corpore et in spiritu sanctificationem intelligi voluit, non corpus nuptarum omni sanctificatione privavit. *Porro hoc*. Quasi dicat : Consulo non nubere, sed *hoc dico ad vestram utilitatem majorem*, scilicet ut expeditius Deo serviatis, *non ut*, si incontinentes estis, *injiciam vobis laqueum* fornicationis. Non hoc dico ut laqueum vobis injiciam, sed hoc dico, *ad id* tendens *quod honestum est*, scilicet ut homo sit castus animo et corpore. [Augustinus] Non hoc ideo dicit quod turpe sit conjugium, sed quod hoc honestius est. Et ad id tendo *quod præbeat facultatem*, vel facilitatem alicui observandi **86** se Domino *sine impedimento*, quod est in conjugio. (86) Cum igitur ait ad id quod honestum est, non matrimonium turpe esse monstravit, sed quod honesto erat honestius, generalis honesti nomine commendavit, quia honestius quid est, nisi quod magis honestum. Sicut ergo bono melius, et beato beatius est, sicut honesto honestius est, quod honestum voluit appellare.

VERS. 36-40. — *Si quis autem turpem se videri existimat super virgine sua, quod sit superadulta; et ita oportet fieri, quod vult faciat; non peccat si nu-*

(82) Augustinus in psalmo CXLVII.
(83) Id., De sermone in monte.
(84) Id., In epistola ad justificandum comitem.
(85) Id., De sancta viduitate.
(86) Id., De sancta viduitate.

bat. Nam qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, et hoc judicavit in corde suo servare virginem suam, bene facit. Igitur et qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit; et qui non jungit melius facit. Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit: quod si dormierit vir ejus, liberata est a lege; cui autem vult nubat, tantum in Domino. Beatior autem erit, si sic permanserit secundum meum consilium. Puto autem quod et ego Spiritum Dei habeam.

Si quis autem. Sicut de virginibus determinavit quid sit melius et honestius, sic et de custodibus virginum determinat quid illis sit faciendum, si virgines continere voluerint, vel noluerint. Quasi dicat : Hoc est honestius et expeditius, scilicet esse sine conjugio, sed tamen *si quis existimat se videri* quandoque *turpem super*, id est de *virgine sua*, eo *quod* vel quæ *sit superadulta*, scilicet ultra pubertatem, *et ita oportet fieri*, [Ambrosius] scilicet ut nubat, quia virgo non vult continere. *Quod vult* virgo, *faciat custos*, quia *non peccat* custos, *si nubat* virgo. Hoc ideo dicit, ne et si virgo non peccat, custos ejus videatur peccare. Ideo dico, si oportet, non peccat. *Nam* de isto alio patet, quia bene facit, non tantum non peccat ille, scilicet *qui statuit in corde suo* servare virginem suam, non ingerens ei fomitem nuptiarum. [Augustinus] Statuit, dico, *firmus* in proposito suo, non curans, vel sobolem, vel aliud hujusmodi, *Et non habens necessitatem*, cum virgo velit continere, sed *habens potestatem*, secundum alumnæ continentiam, *voluntatis suæ* perficiendæ. Ille qui hoc statuit, bene facit, et ille, utique qui hoc non ex levitate statuit, sed *in corde judicavit*, id est ex judicio mentis bonum esse discernit, et quia oportet fieri ut diximus, *igitur qui matrimonio jungit virginem suam bene facit*, quia licet quod facit. [Ambrosius] *Et qui non jungit*, cum habeat potestatem suæ voluntatis, *melius facit*, quia apud Deum meritum illi collocat, et a sæculi sollicitudine liberat illam, et ideo recte ait, melius facit. [Augustinus] Melius est enim quod licet et expedit, quam quod licet et non expedit. (87) Hic enim bene utitur homo malo, ibi vero bene utitur bono. Duo enim hæc, scilicet bonum et malum, et alia duo, scilicet usus bonus et usus malus, sibimet adjuncta, quatuor differentias faciunt. Bene utitur aliquis bono continentiam dedicans Deo. Male utitur quis bono continentiam dedicans idolo. Male utitur quis malo concupiscentiam relaxans adulterio. Bene utitur malo concupiscentiam restringens connubio. Sicut ergo melius est bene bono, quam bene uti malo, cum utrumque sit bonum, ita qui dat virginem suam nuptui bene facit; et qui non dat, melius facit. Bonum est enim pudicitia conjugalis, sed melius continentia virginalis vel vidualis. (88) Mulier alligata est, etc. Quasi dicat : Virgo potest nubere, similiter et vidua potest nubere, sed beatius est continere. Et hoc est quod ait : *Mulier alligata est legi viri quanto tempore vir ejus vivit*, ut non liceat alii nubere. *Quod si dormierit vir ejus, liberata est a lege* viri et permittitur ei ut *cui vult nubat*. [Augustinus] Ideo dicit, cui vult, quia invitæ nuptiæ solent proventus malos habere. Cum vero dicit, nubat, lege loquitur naturali, quanquam primæ nuptiæ tantum a Domino sint institutæ, secundæ vero permissæ sunt. Denique primæ nuptiæ sub benedictione Dei celebrantur sublimiter, secundæ vero etiam in præsenti carent gloria. Nubat dico, et hoc *tantum in Domino*, faciat scilicet sine turpitudinis suspicione, et viro suæ religionis nubat. Vel ita continua : *mulier*, etc. Quasi dicat : Virgo quocunque tempore potest nubere, sed conjugata, etiamsi causa fornicationis dimissa est, non potest, dum vivit vir ejus. Quia mulier alligata est legi viri quanto tempore vir ejus vivit, quod si dormierit vir ejus, liberata est, cui vult nubat, tantum in Domino. *Beatior autem erit, si sic*, id est innupta, *permanserit secundum meum consilium.* (89) Satis ostendit beatam esse, et post mortem viri, iterum in Domino nubentem fidelem ; sed beatiorem, non nubentem. Unde maximæ Cataphrygarum et Novatianorum hæreses concidunt, quas buccis sonantibus non sapientibus Tertullianus inflavit, dum secundas nuptias tanquam illicitas maledico dente concidit, quas omnino licitas Apostolus sobria mente concedit. De tertiis autem et quartis, et de ultra pluribus nuptiis solent homines movere quæstionem, sed quis audeat definire quod nec Apostolum video definivisse ? Ait enim : Si dormierit vir ejus, etc. Non dicit primus, vel secundus, vel tertius, vel quotuslibet. Nec nobis definiendum est quod non definit Apostolus. Unde, ut breviter respondeam, nec ullas debeo damnare, nec eis verecundiam numerositatis auferre. Ipse etiam Christus, Apostoli ac noster magister et Dominus, septemviram mulierem in Evangelio non damnat, nec dicit in resurrectione non posse esse ; sed tantum ait : *Neque nubent neque nubentur* (*Matth.* XXII). Unde nec contra humanæ verecundiæ sensum audeo dicere, ut quoties voluerint, nubant, nec ex meo corde præter Scripturæ sanctæ auctoritatem quotaslibet nuptias audeo condemnare. (90) Quod autem dicitur univiræ viduæ, hoc omni dicitur viduæ, scilicet beatior erit, si sic permanserit secundum meum consilium. Et ne quis hoc consilium tanquam humanum et non divinum putaret contemnendum, adjecit : *Puto autem quod ego*, sicut et alii apostoli, *spiritum Dei habeo*, quo inspirante, hæc et alia suadeo, quod vos non putatis (91). Nota quod dicens, puto, non dubitat Apostolus, sed contemptores increpat, ut et Dominus non dubitat, sed increpat

(87) Augusti., De baptismo parvulorum.
(88) Id., De sancta viduitate.
(89) Id., De sancta viduitate.
(90) Id., ad Polentium.
(91) Id., super Joan.

dicens : *Si me sciretis, forsitan et Patren meum sciretis* (*Joan.* VIII). Et alibi: *Cum venevit Filius hominis, putas inveniat fidem in terra? Luc.* XVIII) Verbo dubitatiouis arguitur infidélitas, non opinatur divinitas.

CAPUT. VIII.

VERS. 1-4. — *De his autem quæ idolis immolantur, scimus quia omnes scientiam habemus. Scientia inflat charitas vero ædificat. Si quis autem se existimat scire aliquid, nondum cognovit quemadmodum oporteat eum scire. Si quis autem diligit Deum, hic cognitus est ab eo. De escis autem quæ idolis immolantur, scimus quia nihil est idolum in mundo, et quod nullus Deus nisi unus.*

De his autem quæ idolis, etc. Supra egit de nuptiis, de quibus ipsi quæsierant. Hic agit de idolothytis, id est immolatitiis idolorum, in quibus adeo indiscretum usum quidam habebant, ut ex eo aut scandalizarentur, aut saltem contunderentur infirmi : et ipsi qui licitis inordinate utebantur, ecclesiasticam in se formam confunderent, et unitatem scinderent. Scientes enim omnia ex creatione munda, immolata idolis coram infirmis in idolio manducabant. Quod infirmi videntes, putabant eos edere sub veneratione idoli, et exemplo eorum sub veneratione idoli edebant. Illos igitur increpat Apostolus hic. Quasi dicat : De his prædictis quæsistis, et docui, sed de istis aliis non fuit opus quærere, quia de istis scitis ut ego. Et hoc est quod ait : *De his autem quæ idolis immolantur*, an licet edere vel non? *Scimus*. Quasi dicat : Ego scio, et vos scitis æque mecum, quod licet ea comedere. Vere scimus ego et vos, *quoniam omnes scientiam habemus* de Creatore et creaturis. Hoc dicit de his inter eos majoribus, qui habentes scientiam cum offendiculo minorum edebant : quos primum arguit, nec sufficienter scire dicit, quia offendiculum proximi non vitabant. Alii autem ignari sub veneratione idoli edebant. *Scientia*. [Augustinus] Quasi dicat : Habetis scientiam, sed non valet hæc scientia, quia facit vos superbire contra ignaros. *Scientia* enim, si sola est, *inflat*, id est in superbiam extollit; *charitas vero*, quæ non inflatur, *ædificat* infirmos : quæ quod eis obesse potest dimittit. (92) Et ideo eam habete, non inflantem scientiam. Addite scientiæ charitatem, et utilis erit scientia. Per se enim inutilis est scientia, cum charitate utilis est : per se inflat in superbiam, ut dæmones, qui Græco nomine a scientia sic sunt nominati, in quibus scientia est sine charitate. Propter hoc autem vitium, id est elationem scientiæ reprimendam, datus est Paulo stimulus Satanæ, a quo tunditur ne erigatur. [Augustinus] *Præponenda est* etiam scientia scientiæ. Melius est enim scire infirmitatem nostram, quam naturam rerum. Laudabilior enim est animus cui nota est infirmitas sua, quam qui ea non respecta, siderum viam scrutatur, et terrarum fundamenta, et cœlorum fastigia; sed meliores sunt qui apponunt nosse seipsos, quia scientiam talem scilicet qui apponit, apponit dolorem peregrinationis ex desiderio patriæ et conditoris. *Si quis autem*. Quasi dicat : Habetis scientiam de idolothytis, sed nec perfecta scientia est illa, quia et *si quis existimat se scire aliquid*, scilicet quod licet eis uti, *nondum* tamen *cognovit* 87 *quemadmodum oporteat eum scire*, id est nondum novit quod sic ea scientia debeat uti, ne noceat alii. [Ambrosius] Ipsos ergo qui de scientia gloriantur, ostendit non ita cognovisse, sicut cognoscendum est. Dum enim charitatem quæ omnium bonorum mater est, non sectantur, non sciunt sicut oportet. *Si quis autem*. Quasi dicat. Hic non perfecte scit, sed qui diligit fratrem, vere scit Deo approbante, et hoc est quod ait :

Si quis autem diligit Deum, hic cognitus est, id est approbatus ab eo. Hic diligit Deum, qui charitatis causa scientiam mitigat, ut prosit fratri, pro quo Christus mortuus est. [Haimo.] *De escis autem*. Vituperata scientia eorum, tandem aperit quæ est ea. Supra enim non dixerat quæ esset eorum scientia, sed hic ostendit. Quasi dicat : His prædictis modis non valet scientia, sed tamen in hoc vera est, quod de escis, *quæ idolis immolantur, scimus* ego et vos, quod licet comedi, et quod ab idolo non contaminatæ sunt; et scimus *quia nihil est idolum in mundo*, id est inter creaturas mundi. (93) Materiam enim Deus formavit, sed stultitia hominum formam dedit. Habet quidem formam quamdam humanam, sed ipse homo per verbum factus est. Quæcunque enim facta sunt naturaliter, quæcunque sunt in creaturis, facta sunt per Verbum ; sed forma hominis in idolo non est facta per Verbum, sicut peccatum non est factum per Verbum, sed est nihil, et nihil sunt homines dum peccant. Vel, idolum nihil est in mundo, id est illud quod putabant idolum esse, nihil est. Existimabant enim idolum esse personam subsistentem ex simulacro et spiritu præsidente. Vel, idolum nihil est in mundo, id est nullius rei quæ sit in mundo similitudinem habens. Idolum enim hic appellat speciem quam non videt oculus, sed animus sibi fingit. Ut si quis humanis membris caput canis, vel arietis formet, vel in uno habitu hominis duas facies, et hujusmodi, qui hoc facit, non similitudinem, sed idolum facit. Facit enim quod non habet aliud simile sui, sed quod mens otiosa et curiosa reperit. Ideo distincte dictum est in lege : *Non facies idolum neque omnem similitudinem rei* (*Exod.* XX ; *Levit.* XXVI). Similitudo vero est cum aliquid ex his quæ sunt, vel in cœlo, vel in terra, vel in aquis formatur. Et scimus *quia nullus Deus est nisi unus*. Hoc dicit ne putetur esse Deus in idolo. (94) Unus enim tantum Deus est Pater, et

(92) Aug. De civi. Dei.
(93) August. super Joannem.
(94) Id. contra Maximinum hæreticum.

Filius, et Spiritus sanctus, id est ipsa Trinitas unus Deus est, nullaque fit partium in Deitatis unitate divisio. Non enim Deus Pater pars est Dei. Tres enim personæ sunt, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Et hi tres quia unius substantiæ sunt, unum sunt, et summe unum sunt, quia ibi nulla naturarum, nulla est diversitas voluntatum. Si enim natura unum essent, et consensione non essent, non summe unum essent. Si vero in natura dispares essent, unum non essent. [Augustinus] Porro Christus una persona est geminæ substantiæ, quia Deus et homo est; nec tamen Deus, vel homo pars hujus personæ dici potest. Alioquin Dei Filius antequam sumeret formam servi non erat totus, et crevit, cum homo divinitati ejus accessit. Quod si in una persona pars non potest esse Deus, quanto magis pars Trinitatis esse non potest, quicunque unus in tribus? Hujus ergo Trinitatis, nec tertia pars est unus, nec majus aliquid omnes, quam singuli. Tu nempe dixisti unum Deum ex partibus non esse compositum, et hoc de patre vis intelligi. Ille, inquis, virtus est ingenita simplex. Hujus autem virtutis quam simplicem esse dixisti, nunquid partes sunt bonitas, sapientia, clementia, et potentia? Si dixeris, partes sunt, simplex ergo virtus ex partibus constat, quæ te diffiniente unus est Deus, ergo Deum ex partibus compositum esse dicis. Non dico, inquis, non sunt ergo partes. Si ergo in una Patris persona, et illa invenis, et partes non invenis; quanto magis Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, et propter individuam deitatem unus est Deus, et propter uniuscujusque proprietatem tres personæ sunt, et propter singulorum perfectionem partes nullius Dei non sunt? Virtus est Pater, virtus est Filius, virtus est Spiritus sanctus. Hoc verum dicis, sed quod virtutem de virtute genitam, et virtutem de virtute procedentem, non vis eamdem naturam habere? Hoc falsum dicis. Hoc contra fidem catholicam dicis.

VERS. 5-7.—*Nam etsi sunt qui dicantur dii, sive in cœlo sive in terra, siquidem sunt dii multi, et domini multi, nobis tamen unus Deus Pater, ex quo omnia, et nos in illo; et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum. Sed non in omnibus est scientia. Quidam autem cum conscientia usque nunc idoli quasi idolothytum manducant, et conscientia ipsorum, cum sit infirma polluitur.*

Nam etsi, etc. [Augustinus] Quasi dicat : Unus tantum est Deus. Et vere ; *nam etsi sunt qui dicantur dii,* participatione deitatis, ut sancti, *sive in cœlo,* jam recepti, ut qui de corpore exierunt, *sive in terra,* morantes, ut qui adhuc in mortali corpore peregrinantur, et non falso putatos, dico deos, sed in veritate Dei sunt, *siquidem multi sunt dii,* participatione deitatis ut sancti, *et* sunt *domini multi,* qui aliis præsunt : apostoli in terra, archangeli in cœlo. Etsi, inquam, hoc sit nobis, *tamen* est tantum *unus Deus Pater,* qui naturaliter, et substantive est Deus unus cum Filio et Spiritu sancto. Dicitur enim tribus modis Deus, substantive, adoptive, nuncupative. Substantive dicitur Deus Trinitas; adoptive, sancti qui per adoptionis gratiam dii sunt; nuncupative, dæmones et idola, quia nomine tantum dii sunt, non natura vel participatione. (95) De diis adoptivis dictum est, etsi sint qui dicantur dii, sive in cœlo, sive in terra, siquidem dii sunt multi, et domini multi. Eos enim intelligi voluit qui digne etiam dicuntur dii, ita sane ut latria, quæ interpretatur latine *servitus,* eis non debeatur, qui prohibiti sunt in lege maledici, ubi legitur : *Diis non maledices,* vel *detrahes.* (*Exod.* XXII). Sed non sunt jussi sacrificiis, vel ullis latriæ obsequiis honorari. [Ambrosius, Haimo.] Vel potest etiam de nuncupativis diis dici illud, nam etsi sunt qui dicuntur dii, a gentibus, sive in cœlo, ut sol et luna, sive in terra, ut Apollo, vel Esculapius, Hercules, et hujusmodi : ideo dixi dicantur, siquidem dii sunt multi, opinione paganorum, et domini multi, nobis tamen est tantum unus Deus Pater, cui credimus, et nos in se credentes facit deos, secundum illud : *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in eum* (*Joan.* I). [Augustinus] Nobis ergo unus est Deus, gentibus vero plures quos noster terret, id est dæmones; qui volentes videri dii sibi exigunt illa quæ Deo vero debentur, scilicet aras, sacrificia, et alia hujusmodi. Noster vero Deus homines deos facit, qui non est factus, et ideo est verus Deus. Deos autem homines esse appellatos invenimus in illo psalmo : *Deus stetit in synagoga deorum (Psal.* LXXXI.). Et item : *Ego dixi : Dii estis* (*ibid*).

Sed quæritur, si homines dii vocantur, utrum angeli vocandi sint dii cum hominibus sanctis, quibus maximum præmium promittitur æqualitas angelorum. Et in Scripturis quidem nescio, utrum vel possit, vel facile possit reperiri aperte angelos dictos deos. Si ergo nusquam in divinis eloquiis reperitur ea mihi causa potissimum occurrit, quare angeli non dicuntur dii, ne ab hominibus putarentur colendi; ne homines ad hoc inclinarentur, ut servitium religionis quæ liturgia vel latria dicitur, angelis exhiberent, sed nomine officii multo utilius vocantur angeli, qui Latine dicuntur *nuntii,* ut ille colatur, cujus sunt nuntii. Quod ergo dicitur Deus deorum *(Psal.* XLIX), Rex magnus super omnes deos (*Psal.* LXXXI), non nisi de sanctis accipitur, quibus est unus Deus Pater. Deinde ostendit quod recte dicitur, et Deus, et Pater. Quasi dicat : Vere est Deus. Quia ipse est *ex quo* credimus esse *omnia.* Et vere Pater est, quia credimus *nos* foveri *in illo,* id est in illius gratia. Quæritur si debeat dici quod Christus sit nobis Pater, vel Spiritus sanctus. Sane dicimus quod debet, quia gratia qua regeneramur, ita est Filii, et Spiritus sancti, ut Patris;

(95) Augustinus, in libro Quæstionum.

et quidquid est nobis a Patre, est nobis a Filio et A a Spiritu sancto. Et ideo dicimus quod Deus Trinitas unus nobis est Pater, una majestas, vel unus magister qui regnat, qui illuminat, sicut unus Creator. Sed item quæritur, si Deus Trinitas unus nobis est Pater, an sit ille Pater, qui æternaliter Pater est Filium gignendo, an non, et si non, an sit alius Pater. Ad quod dicimus quod non simpliciter debeat dici, Deus Trinitas est Pater, ne intelligatur persona Patris. Sed est nobis Pater, nec ille Pater qui est tertia persona, nec alius, sed est Deus unus qui est nobis Pater ex tempore, et qui est ille Pater, sicut Filius est unus Deus cum Patre, nec tamen est Deus qui genuit. [Ambrosius] *Et* nobis est *Jesus Christus unus* Deus, et *Dominus*, cum Patre in substantia, id est nobis unus Deus est, B et Dominus Pater et Christus, *per quem* Christum *omnia* creata sunt. Omnia enim a Patre, sed per Filium creata sunt. (96) Nec alia per Filium, alia per Patrem, sed eadem. Alioquin jam non omnia per Patrem, nec omnia per Filium. Si autem omnia per Patrem, et omnia per Filium, ergo eadem per Patrem quæ per Filium facta sunt. Æqualis ergo est Patri Filius, et inseparabilis operatio utriusque. *Et nos per ipsum* Christum sumus in Deo, quia per ipsum reformati sumus in cognitione Dei, per quem fueramus creati. *Sed,* etc. Quasi dicat : Nos hoc scimus quod unus est Deus. *Sed non in omnibus est* hæc *scientia*, id est non omnes mysterium unius Dei cognoscimus. *Quidam autem*, vel *enim*. Quasi dicat : Vere non in C omnibus est hæc scientia, quia *quidam*, etc., vel nos scimus quia idolum nihil est. Sed *quidam manducant* de sacrificiis *cum conscientia idoli*, quia putant idolum aliquid divinum esse. Et hoc, *usque nunc*, id est etiam nunc post conversionem, sicut ante conversionem. [Ambrosius] Manducant, dico, cum conscientia et *quasi idolothytum*, id est cum reverentia idoli, quasi aliqua illic esset divinitas. *Et conscientia* [illegible] *ipsorum* cum sit infirma, polluitur per illos qui habent scientiam unius Dei, sed non cum charitate, per quos in hunc errorem infirmi inducebantur, quorum non cibus polluitur, sed conscientia.

VERS. 8-13.— *Esca autem non commendat nos Deo. Neque enim si manducaverimus abundabimus, neque si non manducaverimus deficiemus. Videte* D *autem ne forte hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis. Si enim quis viderit eum qui habet scientiam in idolo recumbentem, nonne conscientia ejus, cum sit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta, et peribit infirmus in tua conscientia frater, propter quem Christus mortuus est ? Sic autem peccantes in fratres, et percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. Quapropter, si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.*

Esca autem. Quasi dicat : Illis nocet vestra comestio, nobis autem non prodest, quia esca sumpta, vel non sumpta, *non commendat nos Deo*, sed fides escæ, qua creduntur omnia creata a Deo munda. Et vere. *Neque si non manducaverimus deficiemus*, id est minus habebimus bonum ; *neque si manducaverimus abundabimus*, in bono virtutum, vel beatitudinis, sed ex fide ejus tantum. *Videte autem.* Quasi dicat : Quantum ad vos nihil est esca ipsa. [Haimo.] Sed videte *ne forte hæc licentia vestra fiat offendiculum infirmis* in fide, qui nesciunt adhuc idolum nihil esse, et potest esse offendiculum. *Si quis enim* infirmus *viderit eum qui habet scientiam, recumbentem in idolio*, id est in præsentia idoli, *nonne conscientia ejus, cum sit infirma, per se ædificabitur ad manducandum idolothyta*, id est ad manducandum carnes sacrificiorum sicut idolothyta ? Videns enim quis fratrem peritum in idolio sacrificata edere incipit et ipse edere, non illa conscientia qua ille peritiæ causa sciens nihil esse idolum, sed esse putat ille unum, cum videt fratrem peritum illic edere, nec horrere ; *et* ita *peribit infirmus frater in tua conscientia,* id est quia te sapientem videt comedere, putans sub idoli veneratione, *propter quem* salvandum *Christus mortuus est*, et ita graviter peccas. *Sic autem.* Quasi dicat : Ita in fratres peccatis. Sed *sic peccantes in fratres, et percutientes conscientiam* ipsorum *infirmam, in Christo* peccatis, cujus membra sunt. Cum enim charitatis non æmuli sunt, qua Christus nos liberavit, peccant in Christo, non in Christum, quia in Christum peccare, est negare Christum. In Christo autem peccare, est in his quæ Christi sunt peccare. Sicut hic qui sub lege est, in lege dicitur peccare, ita hi qui in Christo sunt, in Christo peccare dicuntur. In Christo ergo peccatis, cujus regnum diminuitis. Et quia in Christo peccatis, *quapropter*, abstinete sicut et ego etiam ab omni carne, quia *si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo*, non solum immolata, sed etiam omnem *carnem in æternum,* id est nec hic nec in futuro. Sicut enim constat quod non post mortem, sic certus sum quod nec in vita manducabo, non quod mala sit esca, sed *ne scandalizem fratrem meum.*

CAPUT IX.

VERS. 1-7.— *Non sum liber? Non sum Apostolus ? Nonne Christum Jesum Dominum nostrum vidi? Nonne opus meum vos estis in Domino ? Et si aliis non sum apostolus, sed tamen vobis sum. Nam signaculum apostolatus mei vos estis in Domino. Mea defensio apud eos qui me interrogant, hæc est : Nunquid non habemus potestatem manducandi et bibendi? Nunquid non habemus potestatem sororem mulierem circumducendi, sicut et cæteri apostoli et fratres Domini, et Cephas ? Aut ego solus et Barnabas non habemus potestatem hoc operandi? Quis militat suis stipendiis unquam? Quis*

(96) Augustinus, de Trinitate.

plantavit vineam, et de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, et de lacte gregis non manducat?

Non sum liber? Incipit se proponere in exemplum, ut sicut ipse abstinet a licitis pro scandalo fratrum vitando, ita et illi abstineant. Ipse enim apostolica dignitate potestatem habens non operari manibus, sed de Evangelio vivere, ne quem tamen accipiendo scandalizaret, abstinuit. Quasi dicat : Abstinete ab hoc licito, quia et ego habeo libertatem accipiendi stipendia, et tamen non accipio. Et vere habeo libertatem. Nunquid enim non sum liber accipere? Utique liber sum accipere, quia licet mihi quod et aliis apostolis, scilicet de Evangelio vivere. Hoc etsi sic inductum sit, intendit tamen comprobare se apostolum, quia occasione pseudoapostolorum minus de eo senserunt Corinthii. Unde subdit : *Non sum apostolus?* [Haimo.] Quasi dicat : Vere sum liber, quia sum apostolus, et vere sum apostolus, quia Christum vidi, pro quo, id est si non viderem, minus viderer apostolus, et hoc est quod dicit, sub interrogatione loquens ut iratus : *Nonne Dominum nostrum Jesum Christum vidi* in via, vel in templo Hierosolymis, dum orarem? *Nonne?* Quasi dicat : Vere sum ego apostolus, quia vos estis opus apostolatus mei. Et hoc dicit sub interrogatione : *Nonne opus meum vos estis*, o Corinthii? tamen, *in Domino*, id est Domino cooperante. Vel, in Domino, id est in gloriam Domini. Et quia estis opus meum. Ideo *et si non sum apostolus aliis*, id est Judæis quorum legem evacuabat, *sed tamen vobis*, qui per me conversi estis, *sum* apostolus, quia vos estis opus meum perfectum. Et vere vobis sum apostolus ; *nam signaculum*, id est forma, *apostolatus mei vos estis in Domino*, id est Domino auctore, a simili sigilli, quia in vobis apparet quod ego sum apostolus, dum ea habetis per me, quæ et alii. Per alios apostolos, et ideo per vos apud alios qui dubitant, apostolus defendor. Et hoc est quod ait : *Mea defensio*, hoc est, vos scilicet *apud alios qui de me interrogant* utrum sim apostolus. Et quia sum apostolus, *nunquid*, ego et mei, *non habemus potestatem manducandi et bibendi vestra*, id est vivendi de stipendiis vestris? [Augustinus] Quasi dicat : Utique habemus. Permisit enim Dominus, sed non jussit apostolis accipere necessaria a subditis, ut quisquis vellet eo uteretur quod sibi liceret ex Domini constitutione ; si quis vero uti nollet, non contra jussum faceret, sed de suo jure cederet. Potestas vero est, non jussio Domini, accipere sumptus. Et *nunquid non habemus potestatem circumducendi* nobiscum *sororem mulierem*, ut nobis ministret, *sicut et cæteri apostoli, et* etiam *fratres Domini*, qui majores sunt, sicut Jacobus, et Judas et reliqui, *et Cephas*, id est Petrus, qui est princeps apostolorum? [Haimo.] Non hoc reprehendit, sed eorum more sibi probat licere. Mulieres enim desiderio doctrinæ Dominicæ et cupidæ virtutum sequebantur apostolos ministrantes et sumptus et servitia, sicut et Salvatorem secutæ sunt ministrantes ei de facultatibus suis. (97) Dominus enim noster cui angeli ministrabant infirmis compatiens loculos habuit, in quibus mitteretur pecunia a fidelibus data victui necessaria, quos commendavit Judæ, ut etiam fures, si non possemus vitare, disceremus in Ecclesia tolerare. Et mulieres ministraturas sequi se voluit, ostendens quid a plebibus deberetur evangelistis. [Augustinus] Ideo etiam Dominus in comitatu suo mulieres habuit, ne viderentur alienæ a salute, quæ et ministrabant ei sicut et apostolis. *Aut ego.* Quasi dicat : Cæteri apostoli hanc potestatem, Domino constituente, habuerunt. *Aut*, id est an, *ego solus et Barnabas non habemus*, secundum vos utique, *potestatem hoc operandi?* Quasi dicat : Habemus potestatem hoc operandi, id est accipiendi. Operandi enim ait pro accipiendi, ut honestius loqueretur. Vel secundum aliam litteram, quæ habet : *Non habemus potestatem non operandi?* Quasi dicat : Habemus utique potestatem non operandi manibus nostris, id est cessandi a labore manuum. Et ne, quia abstinet, coapostolos reprehendisse videretur, addit : *Quis militat*, etc. Probat hic per similitudines humanas id licere sibi et aliis, et supponit auctoritatem legis, et ipsius Domini tandem. Quasi dicat : Recte utique sive nos, sive illi, hanc potestatem habemus. *Quis enim militat suis stipendiis unquam? Et quis plantavit vineam, et de fructu ejus non edit? Et quis pascit gregem, et de lacte non manducat?* Utique nullus. Lac gregis dicitur quidquid a plebe præpositis datur. His verbis satis Apostolus indicat non sibi aliquid usurpasse ultra debitum coapostolos suos ; sed sicut Dominus constituit, ex Evangelio viventes panem gratuitum manducabant, ab eis sumptum quibus gratuitam gratiam prædicabant. Hæc quidem secundum humanæ consuetudinis licentiam dicta sunt.

VERS. 8-15. — *Nunquid secundum hominem hæc dico? An et hæc lex non dicit? Scriptum est enim in lege Moysi : Non alligabis os bovi trituranti. Nunquid de bobus cura est Deo? An propter nos utique hoc dicit? Nam propter nos scripta sunt, quoniam debet in spe qui arat arare, et qui triturat, in spe fructus percipiendi.* **89** *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus? Si alii potestatis vestræ participes sunt quare non potius nos? Sed non usi sumus hac potestate, sed omnia sustinemus, ne quod offendiculum demus Evangelio Christi. Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sasacrario sunt edunt? et qui altario deserviunt, cum altario participant? Ita et Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere. Ego autem nullo horum usus sum.*

Sed *nunquid secundum hominem*, tantum, *hæc dico*, id est humana similitudine tantum hoc probo? *An non et lex dicit hæc*, id est nonne lex Moysi idem

(97) Augustinus, De opere monachorum.

bis prædicatorem vivere de Evangelio, id est de prædicatione, sed ne hoc videatur ad litteram esse dictum, subdit : *Nunquid de bobus cura est Deo ?* id est ut de eis in lege præcipiat ? Non pro bobus, hoc dicit, quia propter nos tantum dicit, quod ita ait : *An propter nos, utique hoc dicit ?* Quasi dicat : Dicit utique. *Nam*, etc. [Ambrosius] Quasi dicat : Vere hoc propter nos dicit, quia hæc et alia eodem spectantia, *propter nos scripta sunt*, ut hoc ipsum verum est. *Quoniam qui arat*, id est prædicator qui corda aperit ad fidem, *debet arare in spe* stipendiorum temporalium, non propter hanc spem ; non enim hæc debet esse intentio sua, et finis in ministerio suo. *Et qui triturat*, id est bonos a malis, quasi grana a paleis discernit, morum qualitate, debet hoc similiter facere, *in spe percipiendi fructus* stipendiorum. *Si nos vobis*. Postquam probavit per similitudines, nunc probat per rationes quod licet eis accipere. Quasi dicat : Vere potestatem accipiendi habemus, quia *si nos seminavimus vobis spiritualia*, scilicet ea quæ spiritum vestrum vivificant, vel quæ a Spiritu sancto data sunt, [Augustinus] scilicet verbum Dei, et mysterium regni cœlorum, *est magnum si nos metamus* ad sustentationem *vestra carnalia*, id est hæc temporalia quæ vitæ et indigentiæ carnis indulta sunt. *Si alii*. Item a minori probat sibi licere sumptus ab eis accipere, dicens : *Si alii*, scilicet pseudo, *sunt participes vestræ potestatis*, id est tam potenter utuntur vestris, ut vos ipsi, *quare non potius nos* apostoli qui causa salutis vestræ laboramus. *Sed tamen*, etc. Quasi dicat : Ecce manifestum est, quia licet nobis accipere, *sed tamen non sumus usi hac potestate*. Et quia forsan eum non egere dicerent, contra hoc subdit Apostolus : *Sed omnia sustinemus ne quod offendiculum demus Evangelio Christi*, quia si acciperet Apostolus, jam pseudo libere acciperent, et sic in prædicatione durarent, et ita impedimentum fieret Evangelio. [Ambrosius] Ut ergo regulæ Christianæ jus maneret, licita quasi illicita fecit. Vel ideo hoc dicit, quia forsan et hi avari erant, et ideo Apostolum odirent, si quidquam ab eis acciperet. Vel hoc ideo dicit, quia si acciperet ab eis, putarent se emisse licentiam peccandi, et ita libertatem arguendi Apostolus minueret.

Nescitis, etc. Redit rursus ad illud quod inceperat, etiam atque etiam commendans, id est pluribus modis ostendens, quod sibi liceat accipere, et tamen non faciet. Naturalis ratio etiam hoc habet, ut quis vivat inde, ubi laborat. Hic ergo item probat se potestatem habere accipiendi, per similitudinem sacerdotum gentilium vel Judæorum, cui rei naturalis ratio consentit, ut nec leve faciat, nec otiosum quod tantis testimoniis commendat. Quasi dicat : Vere licet mihi accipere, quod per hoc patet, *quoniam qui in sacrario*, id est templo, *operantur*, ut artifices, *quæ de sacrario sunt edunt*, *et qui altario* [Ambrosius] Et nescitis, hoc, vel illud : de gentilibus sacerdotibus dicit, scilicet, qui in sacrario operantur ; et hoc de Judæis, scilicet, qui altario deserviunt. Per sacrarium enim intelligit templum gentilium ; per altare Judæorum, quorum utrorumque ministri eorum quæ offeruntur partem sumunt. Et sicut hic fit, *ita et Dominus* Christus *ordinavit*, id est rationabiliter disposuit de prædicatoribus ; ordinavit enim *his qui annuntiant Evangelium*, id est prædicatoribus quid disposuit ? scilicet, *vivere de Evangelio*. Hoc rationabiliter fecit ut expeditiores sint ad prædicandum verbum Dei, quam licentiam Dominus dedit eis, quando misit eos ad prædicandum dicens : *Ecce ego mitto vos*, etc. (*Luc.* X). Et post paulo : *In eadem domo manete edentes, et bibentes quæ apud illos sunt. Dignus est enim operarius mercede sua* (*ibid.*) *Ego autem*. Quasi dicat : Tot modis licere constat. *Ego autem nullo horum*, id est auctoritate, vel exemplo, *usus sum*, in accipiendo. [Augustinus] Et ne forte quisquam arbitraretur, ideo eum non accepisse, quia illi non dederant, et de sua potestate hæc toties hac de causa dixisse, ut deinceps darent, subdit :

VERS. 15-17. — *Non autem scripsi hæc, ut ita fiant in me : bonum est enim mihi magis mori, quam ut gloriam meam quis evacuet. Nam et si evangelizavero, non est mihi gloria; necessitas enim mihi incumbit. Væ enim mihi est, si non evangelizavero ! Si enim volens hoc ago, mercedem habeo ; si autem invitus, dispensatio mihi credita est.*

Non scripsi. Quasi dicat : non sum usus, sed nec uti volo, quod ita ait, *non scripsi autem hæc*, scilicet quod liceat accipere, *ut ita* hæc *in me fiant*, id est ut ego accipiam. *Bonum est enim*. Quasi dicat : Vere non ideo scripsi ut accipiam, quia si sumerem perderem gloriam. *Et bonum est mihi magis mori*, id est malo ego mori ; vel volo magis mori, id est affligi, *quam ut quis evacuet gloriam meam* : quod esset si acciperem, id est evangelizarem ut acciperem (98). Gloriam suam dicit, quam habet apud Deum infirmis compatiens. Quisquis enim eo quod sibi debetur uti non vult, amplius impendit Ecclesiæ. Maximam igitur gloriam habet Apostolus apud Deum, non exigendo stipendii debitum ab infirmis, sed de suis laboribus transigendo quotidianum victum. Hoc est quod stabulario, ad quem vulneratus ille qui incidit in latrones perductus est, Dominus ait : *Si quid amplius erogaveris in redeundo, reddam tibi* (*Luc.* X). [Ambrosius] Amplius erogabat Apostolus qui suis stipendiis militabat. Vel gloriam suam dicit, quam apud Deum habet, de hoc quod pseudo repellebat a prædicatione non accipiendo, qui non nisi pro temporalibus prædicabant. Ideo enim Apostolus abstinet a sumptibus, ne sit forma accipiendi pseudo apostolis rapacibus. *Nam si*. Quasi quæreret aliquis : An evacuaretur gloria, si

(98) Augustinus, De opere monachorum.

evangelizares, ut ita hæc in te fierent? Respondet: Utique, quia non ex dilectione prædicarem, et ita non esset gloria. *Nam si evangelizavero* tantum, ita quod non pro dilectione Dei et proximi illud faciam, et ex libera voluntate, *non est mihi gloria* apud Deum. Et vere de hoc solo non est gloria, quia necesse est hoc pro injunctione; quod ita ait: *Necessitas enim* præcepti *mihi incumbit:* nec audeo omittere, quia væ erit mihi. Unde subdit: *Væ enim mihi est, si non evangelizavero*, sicut injunctum est mihi. *Si autem*. Quasi dicat: si necessitate facio, non est mihi gloria, sed *si volens hoc ago*, id est si voluntas adjungatur necessitati, ut ex dilectione prædicem, *habeo mercedem* æternam. *Si autem invitus* ago, *dispensatio* tantum *mihi credita est*, quia etsi mercedem non habeo, aliis tamen dispenso et proficio. Manifestum est enim quia nemo accipit remunerationem apud Deum ejus rei quam invitus facit. Si autem voluntarius facit, dignus est mercede, quia consentit Deo, et quod voluntate fit, melius fit. Qui autem indevotus aliquid facit, non voluntate, sed necessitate facit, quia facit invitus quod sibi præceptum est.

Vel ita, ab illo loco, *nam si*, ubi dicit gloriam evacuari suam si pro sumptibus quibus sustentetur prædicet, quod utique videretur si non abstineret, ubi expediret: [Ambrosius] Quasi dicat: Vere evacuaretur gloria mea; *nam si evangelizavero*, ut ita hæc fiant in me (99), id est si ideo evangelizavero ut ad illa perveniam, et finem Evangelii in cibo, et potu, et vestitu collocavero, *non est mihi gloria*, apud Deum: Quare non est gloria si ita evangelizavero? (100) Quia tunc esset pro necessitate. Et hoc est, quia *necessitas* sustentandæ hujus vitæ *mihi incumbit*. Et vere. *Væ enim*, id est penuria mihi est sicut pseudo, *si non evangelizavero*, id est malo meo non evangelizabo, quia fame cruciabor, et unde vivam non habebo. Hæc est ergo necessitas quæ mihi incumbit ut evangelizem, quia unde vivam non habeo. Vel ut acquiram temporalem fructum de prædicatione æternorum. Sic enim necessitas est in evangelizando, non voluntas. *Si autem volens*, id est sine ulla necessitate hujus vitæ, *hoc ago*, *mercedem habeo*, sempiternam; *si autem invitus* hoc ago, ut qui necessitate hujus vitæ cogar, *dispensatio est mihi credita*, id est aliis provideo, non mihi. Et est sensus: (1) Si coactus inopia earum rerum quæ temporali vitæ sunt necessariæ, prædico Evangelium, alii per me habebunt mercedem, ego autem non, quia ipsum Evangelium non diligo, sed ejus pretium in illis temporalibus constitutum. [Augustinus] Quod nefas est fieri, ut non tanquam filius ministret quisque Evangelium, sed tanquam servus cui dispensatio credita est, ut tanquam alienum erogans, nihil inde ipse capiat præter cibaria. Alibi tamen et se dispensatorem dicit Apostolus. Potest enim et servus **90** in filiorum numero adoptatus eamdem rem, in qua cohæredi sortem meruit, fide-

A liter dispensare participibus suis. Hic autem dispensator talis intelligitur, ut quasi servus alienum dispenset, unde ipse nil capiet præter cibaria. Alibi vero, ut dictum est, dispensator dicitur, qui ut filius ministrat Evangelium cohæredibus suis. Ergo simplici corde debemus operari bonum. Non ergo debemus ideo evangelizare, ut manducemus; sed ideo manducare, ut evangelizemus, ut cibus non sit bonum quod appetitur, sed necessarium quod adjicitur, ut illud impleatur: *Quærite primum regnum Dei, et hæc omnia adjicientur vobis* (*Matth.* VI). Non dixit primum quærite regnum Dei, et deinde quærite ista, quamvis sint necessaria: sed ait, *hæc omnia adjicientur vobis*, id est hæc consequentur, si illa quæratis; ne cum illa quæritis, illinc avertamini.
B Aut ne duos fines constituatis, ut et regnum propter se appetatur, et ista necessaria propter illud. Ergo propter regnum Dei tantum debemus operari omnia, non solam vel cum regno Dei mercedem temporalem meditari.

VERS. 18-22. — *Quæ est ergo merces mea? Ut Evangelium prædicans, sine sumptu ponam Evangelium, ut non abutar potestate mea in Evangelio. Nam cum liber essem ex omnibus, omnium me servum feci, ut plures lucrifacerem. Et factus sum Judæis tanquam Judæus, ut Judæos lucrarer. His qui sub lege sunt, quasi sub lege essem, cum ipse non essem sub lege, ut eos qui sub lege erant lucrifacerem. His qui sine lege erant, tanquam sine lege essem, cum sine lege Dei non essem, sed in lege essem*
C *Christi, ut lucrifacerem eos qui sine erant. Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.*

Quæ est ergo. Quasi dicat: Quia ex voluntate est merces, ergo videamus quomodo. Quod dicit sub interrogatione ita: *Quæ est ergo merces mea?* id est quid faciendo et quomodo mercedem æternam habebo? Respondet: Ita, scilicet habebo mercedem, si tantam regni habeo charitatem, *ut prædicans Evangelium Christi*, etiam *sine sumptu, ponam*, id est stabiliam illud *Evangelium*, *ut non abutar potestate mea in Evangelio* prædicando; [Augustinus] quod esset si acciperet, quia tunc non libere argueret, nec infirmis compateretur. Et est sensus:
D Mercedem habeo, si ex dilectione ita facio, ut potius patiar penuriam, quam abutar potestate: quod utique facerem, si sumptuosum credentibus Evangelium esse importune exigendo, vel indiscrete accipiendo monstrarem. Unde forte hoc contingeret, quod putarent ad hoc sibi evangelizari, ut Evangelium venderetur, per quod etiam vigor evangelicæ auctoritatis, et arguendi libertas torpesceret. [Ambrosius] Humanæ etiam infirmitati non compateretur, propter quod etiam multa alia feci. Unde sequitur: *Nam cum liber essem*. Quasi dicat: Hoc utique quod dixi faciam; nam et majus feci, scilicet

(99) Augustinus, De sermone in monte.
(100) Id., De opere monachorum.

(1) Id., De sermone in monte.

becillium exhibuit, ut eos per patientiam firmaret ad salutem futuram, confovens animos illorum. Et hoc feci, *ut plures lucrifacerem*, id est lucrum prædicationis meæ facerem. Et etiam me modificavi omnibus ; quod ita ait : *Factus sum Judæis tanquam Judæus*, in cibis accipiendis vel non accipiendis, et in hujusmodi. [Haimo] Et Thimotheum etiam circumcidit, quæ non quasi simulasse videtur, quod solent adulatores facere. [Augustinus] Vir enim divinus et medicus spiritualis, sciens omnium causas et vulnera, magna industria confovet illos, et compatitur. Factus est ergo Judæis tanquam Judæus, quia propter scandalum illorum circumcidit Timotheum, et purificatus ascendit in templum, ne occasionem per eum acciperent blasphemandi. Et hoc ideo, ut *lucrifacerem*, vel *lucrarer* Christo. [Haimo] Et *his qui sub lege sunt*, scilicet Samaritanis, qui quinque libros tantum Moysi recipiunt, quibus non coutuntur Judæi, factus sum *quasi essem sub lege*, dum non negat legem esse a Deo, sed ex ea docet Christum, sicut mulier Samaritana, per legem docta, dixit : *Scio quia Messias venit. Cum* tamen ego *ipse non essem sub lege* serviliter. Et quare eis ita factus sum ? *ut lucrifacerem eos qui sub lege erant*. Qui sub lege erant Samaritani intelliguntur. Sunt autem ex origine Persarum et Assyriorum, quos rex Assyriorum, sublatis filiis Israel, ad incolenda loca Samariæ posuit. Et factus sum his qui sine lege erant, id est gentibus, tanquam sine lege essem, dum eis assentit secundum philosophicas rationes mundum esse factum a Deo, et quæ in eo facta sunt, et animam esse immortalem, et ab ipso nos originem habere, et hujusmodi. *Cum* tamen *non essem sine lege Dei*, sed in lege Christi, non in Judaica. Et ideo ita factus sum, *ut lucrifacerem eos qui sine lege erant*, id est gentiles.

Et factus sum infirmis in fide *infirmus*, abstinendo a licitis. Quare ? *Ut lucrifacerem infirmos*. Quid per singula ? *Omnibus omnia factus sum*, quasi omnium sectarum essem. Prudens enim et spiritualis Apostolus omnibus cessit, propositum tamen veræ religionis non excessit, quia ubi si cessit, ad hoc cessit ut proficeret. Unde subdit : *Ut omnes facerem salvos*.

Attende quod in his verbis : *Factus sum Judæis tanquam Judæus*, etc., dissentire videntur Hyeronymus et Augustinus. Vult enim Hieronymus quod non Judæus vere fuerit, et legalia non vere servaverit, sed dispensatorie simulaverit. Volebat enim legalia illa post Christum sine peccato non posse servari. Augustinus vero ait quod nullo modo se Judæum, vel illa legalia servare simulavit ; sed vere Judæus fuerit, et vere non spem ponens illa legalia servaverit, quæ dicebat post Christum sine peccato

cultu idolorum, quia in Christo Jesu, nec circumcisio est aliquid, nec præputium (*Gal.* v). Dispensatorie itaque simulabat se Judæum. Sed Augustinus dicit hoc fieri compassione misericordiæ, non simulatione : ut qui ministrat ægroto, sit quasi æger ; non cum se febres habere mentitur, sed cum animo condolentis cogitat quomodo serviri sibi velit si ægrotaret. Ait enim Augustinus ita : *Factus sum Judæis tanquam Judæus ;* quod non simulandi versutia dixit, sed compatiendi misericordia, id est non ita hoc dixit, ut se fingeret Judæum, sicut qui-
B dam putant. Libere enim illa fecit, sicut ait : *Circumcisus quis vocatus est, non adducat præputium* (*I Cor.* VII), id est non sic vivat quasi præputium adduxerit. Et alibi ait : *Circumcisio tua præputium facta est* (*Rom.* II). Secundum igitur hanc sententiam suam, fecit illa quæ non intelligentibus, et parum attendentibus finxisse putatus est. Judæus enim erat, et circumcisus vocatus, noluit adducere præputium, id est noluit ita vivere, ac si circumcisus non esset (2). Hoc enim jam in potestate habebat, et sub lege quidem serviliter non erat. Vere ergo non ficte ut Judæus quod erat, vixit, sicut nec fallaciter gentilem se finxit ; sed licite omnibus cibis quos etiam damnant Judæi permisit uti, cui omnis creatura Dei non simulate, sed vere bona erat. Sicut ergo hos ritus gentilium vere, sic et Ju-
C dæorum sacramenta non fallaciter suscepit, ut illis simplex, istis esset duplex, aliud habens in corde, aliud in ostensione. Cum enim a te quæsissem in epistola quomodo ideo putetur factus Judæis tanquam Judæus, quia fallaciter suscepit sacramenta Judæorum, cum et gentibus factus sit tanquam gentilis, nec tamen fallaciter susceperit ritus gentilium. Tu respondisti : Et eo factum gentibus tanquam gentilem, quod indifferenter permiserit vesci cibis omnibus, etiam quos damnant Judæi. Quæro ergo utrum et hoc simulate fecerit, quod si absurdissimum atque falsissimum est, ergo et illa in quibus Judæorum consuetudini congruebat, libertate prudenti, non necessitate servili, vel dispensatione fallaci agebat. Cur enim oleastro inserto veritatem
D servavit, et naturalibus ramis nescio quod dispensatorium simulationis velamen obtendit ? Ita etiam cum dicit : *Quis infirmatur, et ego non infirmor ?* (*II Cor.* XI.) Non infirmitatem alterius simulavit, sed doluit ; ita etiam quod factus est infirmis infirmus, non erat mendacium, sed vere hoc dixit, sicut et cætera superius ubi dixit, et sibi sumptus deberi ; et tamen abstinuit ne videretur Evangelii venditor et ne verbi Dei cursum apud imperitos in mal suspicionem decidens impediret. Noluit acci quod ei jure Dominico debebatur : nec idec

(2) Augustinus idem dicit in epistola ad Hieronymum.

noluit utique mentitus est. Non enim dixit non sibi deberi, sed deberi ostendit, et debito se usum non esse, nec omnino uti velle professus est, eo ipso factus infirmis infirmus. Non est ergo fallax et versipellis simulatio, sed omnibus congruit ejus misericors compassio, portatque infirmitatem eorum in compassionis similitudine, non fallens mendacii fictione, ita eis, scilicet Judæo vel pagano subveniendo, sicut ipse sibi similis esset, subveniri voluisset, quasi infirmitates eorum ipse haberet. Fit enim quasi ægrotus qui ministrat ægroto, non cum febres se habere mentitur, sed cum animo condolentis cogitat, quomodo sibi vellet serviri, si ægrotaret. Se ergo Judæis dixit tanquam Judæum, et gentilibus tanquam gentilem, non ideo quod misericorditer illa simulaverit, sed quia ea sic non simulavit quæ fecit similia Judæis, sicut nec ea quæ fecit similia gentibus; **91** et sic omnibus omnia factus est, non mentientis astu, sed compatientis affectu, id est non omnia mala eorum fallaciter agendo, sed omnium malis tanquam sua essent misericorditer medicando, aliis agens quæ sibi fieri vellet, si opus esset. Cogitat enim ut homo se esse potuisse in eis vitiis in quibus sunt alii. Unde alibi dicit : *Considerans teipsum ne et tu tenteris* (*Gal.* VI).

VERS. 23-27. — *Omnia autem facio propter Evangelium, ut particeps ejus efficiar. Nescitis quod hi qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? Sic currite, ut comprehendatis. Omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. Ego igitur sic curro, non quasi in incertum, sic pugno non quasi aerem verberans; sed castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte, cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.*

Omnia. Ecce quare omnibus se contemperat; quasi dicat : Omnibus omnia factus sum, etc. Hæc autem omnia facio propter Evangelium, ut currat sine impedimento; et *ut efficiar particeps* promissionum *ejus*, id est justitiæ et beatitudinis æternæ. *Nescitis quod hi qui in stadio*, etc. Agonistarum similitudine ostendit faciendum quod dixit, id est abstinendum ab his quæ contraria sunt. Quasi dicat : Propter Evangelium omnia prædicta facio, recte utique, quia nisi omnia fecero et ab omnibus quæ contra sunt abstinuero, non habebo præmium, sicut per similitudinem apparet. *Nescitis enim quod hi qui in stadio currunt, omnes quidem currunt* : In labore quidem pares sunt, *sed unus accipit bravium*. Bravium est præmium cursus. [Augustinus] Similiter et vos, *sic currite*, per opera charitatis perseverantes usque in finem, *ut comprehendatis* bravium æternæ vocationis. Vel ita, nescitis, etc. [Ambrosius] Ostendit hoc exemplo quanta est utilitas legis nostræ, in qua non uni, sed omnibus promissa est palma, quod non in illo stadio, in illo

A spetaculo. Ibi enim unus tantum accipit bravium, cæteri victi discedunt, qui similiter laboraverunt; hic autem non est sic. (3) Quotquot enim currunt, si perseveranter currunt, accipiunt : et qui prior venerit, exspectat ut coronetur cum posteriori. Agonem quippe istum non cupiditas, sed charitas facit. Omnes currentes amant se, et ipse amor cursus est. Quasi dicat : Ideo sic omnibus insto, quia omnes possunt habere coronam, quod non in agone mundiali. Nescitis enim quod hi qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed tantum unus, hic vero omnis, accipit bravium; vos autem omnes, sic currite, ut comprehendatis. Vel ita, nescitis, quasi dicat : Ideo sic omnibus insto, quia etsi multi vocati, tamen pauci sunt electi. Ideoque insto, ut vel

B sic ex multis pauci salventur, sicut apparet in hoc simili. Nescitis quod hi qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus, quasi dicat rarus, non omnis accipit bravium. Et quia non omnis currens accipit, ideo sic, id est tam perfecte currite, ut comprehendatis. Et nota quod convenit hæc sententia cum prima in parte.

Omnis autem, vel, enim. Quasi dicat : Vere sic est nitendum, quia etiam in minori hoc apparet, ubi unus accipit, enim, id est quia *omnis qui contendit*, etc. Vel ita junge : Ita facite ut dixi, hæc autem debere fieri, in minori apparet, quia *omnis qui contendit in agone, ab omnibus se abstinet*, quæ præmium agonis impediunt; ita et vos ab offendiculis debetis abstinere. (4) Attende quod de

C rebus non laudandis trahuntur multæ similitudines, ut in Evangelio de iniquo judice, qui viduam nolebat audire; et de illo pigro qui non propter amicitiam, sed tædio victus panes commodat petenti; et in psalmo datur similitudo de marso, qui incantat ut educat aspidem de tenebrosa caverna. Et ita hinc non commendatur agonistica, et ludrica, et tamen inde similitudo trahitur. *Et illi*. Quasi dicat : Vere debemus abstinere ab offendiculis, cum illi abstineant a contrariis, quia res major est hic. Et, id est quia, *illi quidem* abstineant, *ut accipiant corruptibilem coronam*, *nos autem* abstinere debemus ut accipiamus coronam *incorruptam*. [Ambrosius] Nobis enim non terrenis et marcescentibus floribus, sed æternis conserta gemmis in modum regalis diadematis, spiritualis corona serva-

D tur. Et quia talis corona servatur, *igitur ego sic*, id est tam legitime operando, *curro*, *non quasi in incertum*, id est ut sim incertus de præmio. In incertum currit, qui talia facit, ut ex quibusdam sperare, ex aliis possit desperare. Hoc autem se non fecisse dicit Apostolus, in quo ponit se aliis in exemplum. *Sic pugno*, contra hostes, *non quasi aerem verberans*, id est non verbis, sed rebus contendo, vel non inaniter pugno, ut qui pro hoste ferit aerem, *sed castigo corpus meum*, id est reprimo illicitos motus corporis, *et in servitutem* rationis

(3) Augustinus, in psal. XXVIII.

(4) Id., in psal. LVII.

caverim, ipse reprobus efficiar, id est a Deo reprobatus. [Augustinus] Suo timore nos terruit Apostolus. Quid enim facit agnus ubi tremit aries? Nos ergo terret suo exemplo, dicens se timere quod cito contingere posset, tunc aliis magis cavendum est ne offendendo sint reprobi.

CAPUT X.

Vers. 1-4. — *Nolo enim vos ignorare, fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes mare transierunt, et omnes in Moyse baptizati sunt in nube et in mari, et omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt, et omnes eumdem potum spiritalem biberunt. Bibebant autem de spiritali consequente eos petra, petra autem erat Christus.*

Nolo enim, etc. In præcedentibus abstinere a licitis inductione similium, et exemplo sui docuit. Hic, exemplo Judæorum qui negligentia sua offenderunt, nos sollicitos facit, ostendens antiquos, per sacramentorum veterum communicationem, pœnam non evasisse. Quasi dicat: Volenti comprehendere sic est agendum, ut dixi: Non enim baptismus et cætera sacramenta sufficiunt, ut quidam putant, sicut nec Judæis beneficia Dei valuerunt, cum post peccarent.

Nolo enim vos ignorare, o fratres, *quoniam patres nostri*, id est institutores nostræ fidei. *Omnes*, scilicet tam boni quam mali, *fuerunt sub nube*, protegente eos ab æstu et contra Ægyptios, ne viderentur ab eis. Vel, sub nube fuerunt, quia in figura nostri contingebant illis omnia. *Et omnes transierunt*, mersis hostibus, *mare* Rubrum; *et omnes in Moyse*, id est in ducatu Moysi, *baptizati sunt in nube et in mari*. [Ambrosius] id est purgati per visa signa illa; quia per ea, et a morte imminente liberati sunt; et ab ignorantia Dei quæ premebat tunc omnes gentes mundati, præparati sunt ad accipiendam legem: *et omnes eamdem escam spiritualem manducaverunt*, scilicet manna; *et eumdem potum spiritalem biberunt*, scilicet aquam de petra. Manna, et aquam quæ fluxit de petra, dicit spiritualia, quia non natura, non mundi lege, sed Dei virtute parata sunt, sine elementorum commistione, habentia etiam in se figuram futuri mysterii, quod non sumimus in memoriam Christi. Ideoque panis angelorum dictus est, quia virtute qua angeli subsistunt creatus est, hoc significans quia de cœlis venturus erat, qui spiritualiter pasceret. Unde et manna prius Dominico die venit de cœlo ad saturitatem populi. Ideoque secundum hoc recte escam, et potum illorum dicit spiritualem, id est spirituale aliquid significantem. *Bibebant autem de spiritali petra*, quia Dei

deserto hujus mundi si
consequente, id est secı
De qua subdit:
Petra autem erat Ch
Solet enim res quæ s
significat nominari. Er
per substantiam, sed p
recte petra sequens, dic
Christus. Ubi enim defi
gium, aderat Christus.
illis, sed Christus.
Vel, *patres nostri*, n
B miles sumus, non illi
bonis patribus, *omnes*
mare transierunt. Hæc
Moyse baptizati sunt in
zati dicuntur in Moyse
illa omnia gerebant fig
est baptismi. Moyses e
tum sanctum, mare Ru
sanguine Christi conse
significat fideles; mo
ablutionem peccatorum.
runt figuræ. Illa tunc
stra salute complentur,
tiabantur, nunc præte
cognoscuntur. Et est o
C duce, baptizati sunt in
signum baptismi acce
bus idem valuit. (6) E
mare transierunt. Hic
baptizati sunt in Moys
ergo figura maris tant
quantum valebit? Si
trajectum populum ad n
bebit Christus in veritate
per eum populo? per ba
dentes occisis omnibus
Quo trajecit? ad mann
vivus qui de cœlo desc
manducantes escam ea
nos. (7) Cum dicit spirit
liter intelligi in Christo,
D scilicet quod spirituali
unum exponit, scilicet
aperto cuncta fulserun
unum, in cætera intr
sensus: Manducaverunt
et spiritualem; sed spi
nos; corporalem vero a
significat Christum, et
Alii vero, scilicet qui no
runt et mortui sunt æte
et alii boni. Quare? (8)

(5) Augustinus, super Joannem.
(6) Id., super Joannem.

(7) Id., contra Faustum.
(8) Id., super Joannem.

ritualiter intellexerunt, spiritualiter esurierunt, spiritualiter gustaverunt, ut spiritualiter satiarentur, et nos hodie accipimus visibilem cibum; sed aliud est sacramentum, aliud virtus sacramenti. Sacramenta illa fuerunt, sacramenta sunt et nostra, et utique ejusdem rei. Manna enim Christum significavit : hunc panem significat altare Dei, id est in altari est quod significat. Christus enim est panis qui de cœlo descendit (*Joan.* VI.) *Si quis manducaverit ex hoc pane, non morietur in æternum* (*ibid.*): sed quod pertinet ad veritatem sacramenti, non ad visibile sacramentum : qui manducat intus non foris, qui manducat corde, non qui premit speciem, scilicet dente (9). Ideo Apostolus vigilanter, non simpliciter ait, *manducaverunt eamdem escam*, sed addit *spiritalem*, quia spiritualem eamdem manducaverunt quam et nos. Nam corporalem alteram, quia illi manna, nos aliud, ita et vigilanter ait, patres nostri, non illorum, per hoc tantum bonos significans, quibus nos similes sumus, non illi fuerunt qui eamdem spiritualem escam manducaverunt, quam et nos. Et tamen aliud illi, aliud nos, sed specie visibili, aliud tamen quod idem significaret, virtute spirituali. *Et omnes biberunt potum*, utique corporalem et *spiritualem*. Sed spiritualem *eumdem*, quem et nos; corporalem vero alteram, id est aquam quæ fuit signum sanguinis Christi, et idem credentibus effecit (10). Spiritualem ergo dicit potum, quem biberunt ipsi et nos bibimus, quia idem illorum potus et noster significatur. Ideoque idem spiritualis potus et cibus noster et illorum, quia idem in mysterio est cibus et potus illorum qui noster, sed significatione idem, non specie; quia idem Christus illis in petra est figuratus, nobis in carne manifestatus, et in altari sub specie panis significatus (11). Insignis utique diversis eadem est fides, sed illi venturum, nos venisse credimus. Ideo non ait simpliciter, eumdem potum biberunt, sed addit, spiritualem; spiritualem enim eumdem biberunt, quem nos, corporalem non eumdem. Quid enim biberunt? *Bibebant autem de spiritali, consequente eos petra;* spirituali, scilicet quæ Christum significabat, et fide idem fuit. Manete ergo in fide, videte signa variata. Ibi enim petra erat Christus, nobis quod in altari Dei ponitur, est Christus. Si speciem visibilem attendas, aliud est; si intelligibilem significationem, eumdem potum spiritualem biberunt (12). Erant enim in illo populo, etiam qui spiritualiter intelligerent, habentes fidem quæ postea revelata est, non ad legis litteram, sed ad gratiam spiritus pertinentem; et secundum hoc, eumdem potum liberunt de spirituali petra. De qua? (13) Petra autem erat Christus. In signo autem percussa est petra de virga bis. Gemina percussio, duo ligna crucis significat. De petra educta est aqua accedente, virga; quia ligno accedente ad petram Christum, gratia spiritualis manavit (14). Multum hæc locutio notanda est, ubi aliqua significantia, earum rerum quas significant nomine appellantur.

VERS. 5-11. — *Sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo; nam prostrati sunt in deserto. Hæc autem in figura facta sunt nostri, ut non simus concupiscentes malorum, sicut et illi concupierunt. Neque idololatræ efficiamini, sicut quidam ex ipsis, quemadmodum scriptum est : Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere. Neque fornicemur, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt, et ceciderunt una die viginti tria millia. Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentaverunt, et a serpentibus perierunt. Neque murmuraveritis, sicut quidam eorum murmuraverunt, et perierunt ab exterminatore. Hæc autem omnia in figura contingebant illis; scripta sunt autem ad correptionem nostram in quos fines sæculorum devenerunt.*

Sed non. Ostendit temporalia beneficia Judæis collata, tam bonis quam malis, et tamen mali perierunt. Quasi dicat : His omnibus beneficiis ad litteram usi sunt Judæi, *sed non est beneplacitum Deo in pluribus eorum*, Judæorum, scilicet in illis qui offenderunt Deum. Cum dicit, non in pluribus, ostendit quod aliqui erant ibi, in quibus beneplacitum est Deo. Et cum essent omnibus communia sacramenta, non tamen omnibus communis erat gratia, quæ est virtus sacramentorum. Ita etiam nunc, baptismus communis est omnibus baptizatis, sed non virtus baptismi, id est ipsa gratia. *Nam*, etc. Quasi dicat : Inde apparet quod in quibusdam eorum non est beneplacitum Deo. *Nam*, id est quia *prostrati sunt in deserto*. [Augustinus] Ne autem putetis homines finxisse hæc, subdit : *Hæc autem sunt*, non dico dicta vel scripta, sed *facta in figura nostri* (15). Non enim propter ipsos tantum, hæc facta sunt, sed propter nos, scilicet propter correptionem nostram. Iste enim pœnæ figuræ fuerunt nostrarum pœnarum. Quantæ ergo pœnæ sunt, quarum illæ figuræ fuerunt. Sicut enim in bonis multo melius est, id quod per figuram signatur quam ipsa figura, ut regnum cœlorum melius est quam terra promissionis, ita in malis longe pejus est quod significatur quam figura significans, ut gehenna pejor est quantumlibet atroci pœna temporali. Omnes enim pœnæ minores gehenna, et ideo vigilantia majore cavendæ. *Ut non*, etc. Quasi dicat : In figura nostri facta sunt, ita *ut* considerantes illorum supplicia, *non simus concupiscentes malorum, sicut et illi concupierunt*, id est non ita peccemus sicut illi, ne similiter pereamus. *Neque efficiamini idololatræ*, per idolothyta. [Ambrosius] Illos enim tangit qui in idolio epulabantur, putantes se immunes a crimine. Non efficiamini dico, *sicut quidam ex ipsis*

(9) Augustinus, super Joannem.
(10) Id., in psalmo LXXIV.
(11) Id., super Joannem.
(12) Id., in psalmo LXXVII.
(13) Id., super Joannem.
(14) Id., in lib. Locutionem.
(15) Id., in psal. LXVII.

Per commemorationem illorum notat ea quæ in Corinthiis sunt, ostendens quam graviter punita sint in Judæis : *Et surrexerunt ludere*, id est ludos facere in veneratione vituli ; Vel, ludere, id est adorare, quod est ludo puerorum simile. Facilis utique ad lusum est pueritia. Quid autem lusui puerili tam simile est quam idola adorare? [Ambrosius] *Neque fornicemur,* ut aliqui in vobis faciunt, *sicut quidam ex ipsis fornicati sunt* cum Madianitis mulieribus, *et* ideo *ciderunt una die viginti tria millia. Neque tentemus Christum*, ut faciunt illi qui desperant de resurrectione, *sicut quidam eorum tentaverunt*, dicentes: *Nunquid poterit parare mensam in deserto*? (*Psal.* XVII). Nota Christum esse Deum quem tentaverunt Judæi. *Et* ideo *a serpentibus perierunt*, donec serpens æneus erectus est, quem qui intuebantur a morsibus serpentium sanabantur. *Neque murmuraveritis* ut contra me facitis, vel qui minora dona Spiritus habent contra Deum, *sicut quidam eorum murmuraverunt* contra Moysen, *et* ideo *perierunt ab exterminatore* angelo, qui extra terminos promissæ terræ eos percussit. *Hæc autem omnia.* Quasi dicat: Propter sua peccata hæc eis contigerunt, et non modo propter hoc, sed etiam ut figuraretur, quod pro similibus periremus, et hoc est quod ait : *Hæc autem omnia contingebant illis in figura nostri. Scripta sunt autem ad.* [Ambrosius] Per hæc enim exempla ad correctiorem vitam provocamur, ut aut præmium si obedientes fuerimus, aut propensiorem pœnam inobedientes mereamur. Ad hoc enim relatæ sunt peccantium pœnæ ut corrigamur : aliter erit major pœna. [Augustinus] Ecce hic aperuit cur illæ litteræ veteris testamenti accipiuntur a nobis, et cur illa rerum signa jam non sit necesse observari a nobis. Dum enim dicit, *scripta sunt ad correptionem nostram*, demonstrat quanta nobis cura legenda et intelligenda sint. Cum vero dixit, *in figura,* ostendit jam non esse opus ut figurarum prænuntiantium celebrationi serviamus, cum res ipsa manifesta sit. Ad correptionem nostram, dico, *in quos*, scilicet nos, *devenerunt fines sæculorum,* id est sexta ætas, qui in ultima ætate sæculi sumus, et tot exemplis priorum magis corrigi debemus. Vel, fines sæculorum devenerunt in nos, id est sæcularitas et carnalitas, scilicet amor rerum temporalium in nobis finitur per Christum, et ideo turpius est, si peccamus.

VERS. 12-15. — *Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat. Tentatio vos non apprehendat, nisi humana. Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione etiam proventum ut possitis sustinere. Propter quod, charissimi mihi, fugite ab idolorum*

neficiis usi perierunt, *itaque* eorum consideratione, *qui se existimat stare*, per bona opera, *videat ne cadat* a se. A Deo enim stat qui stat, a se cadit qui cadit. Ideo ait, videat ne cadat peccando, vel peccare alios faciendo. Ut illi qui præsumentes de scientia, cum scandalo fratrum edebant idolothyta, et de doctrina pseudoapostolorum gloriantes, judicabant Apostolum , cum ipsi essent rei. Superbiam ergo amputat ne per eam tententur, sicut Judæi tentati sunt, et perierunt, quia sicut illi Mosi detrahentes Deum tentaverunt, ita hi detrahentes Apo-
B stolo Deum tentant. Dico ne cadat, non quod penitus aliquis sine casu sit, sed *tentatio*, id est peccati delectatio, *non apprehendat vos*, id est non ducat rationem in consensum, et omnino nulla sit in vobis tentatio *nisi humana*, id est nisi de his sine quibus ista vita non agitur. Vel, non apprehendat vos tentatio *nisi humana.* [Augustinus] Hortatur, ut humana tentatio illos apprehendat non alia. Humana enim tentatio est, ut in necessitate, vel pressura non diffidat homo de Deo, auxilium humanum requirendo. [Ambrosius] Propter Christum ergo pati, humana tentatio est, per quam proficitur apud Deum (16). Vel humana tentatio est aliter sapere quam res se habeat cum bono animo. Nimis autem amando sententiam suam, vel invidendo melioribus usque ad præcidendæ communionis, et condendi
C schismatis, vel hæresis sacrilegium pervenire, diabolica præsumptio est ; in nullo autem aliter sapere quam res se habet, angelica perfectio est (17). Humana igitur tentatio est, credo, cum bono quis animo secundum humanam tamen fragilitatem iu aliquo labitur consilio, vel cum irritatur in fratrem studio corrigendi, plus tamen quam Christiana tranquillitas postulat. Et quia homines sumus, sed spe angeli sumus, quibus in resurrectione æquabimur, si non est in vobis perfectio angeli, non sit præsumptio diaboli. Ideo ait, tentatio vestra non apprehendat, et si fiat, quam permittit Deus per Satanam fieri ad probandos vel exercendos bonos, et puniendos malos ; non apprehendat, dico, nisi humana. *Fidelis autem Deus.* Quasi dicat : Ego vos ad hoc
D hortor, sed Deus est fidelis, id est verus in promissionibus, qui se protectorem suorum electorum fore promisit, *qui non patietur vos,* pro se tribulatos, *tentari supra id quod potestis* ferre, quia vel cadere non sinit, vel a casu erigit. *Sed faciet cum tentatione etiam proventum*, id est virtutis augmentum. Qui enim dat tentanti diabolo licentiam, ipse dat tentatis misericordiam. Ita facit proventum, *ut possitis* perseveranter *sustinere*, ne deficiatis in lucta, sed vincatis, quod fit per humilitatem. Humilitas enim custodit in omni tentatione, ut illi non cre-

(16) Augustinus, De sermone in monte.

(17) Id., De bapt. parvulorum.

pent in fornace, qui non habent ventum superbiæ. *Propter quod.* Quasi dicat : Quia sola sacramenta non salvant, et quia qui cadit punitur, et quia auxilium Dei non deest, propter quod, o *charissimi mihi, fugite ab idolorum cultura*, id est abstinete ab omni satietate idololatriæ, ne per hoc nascatur in Deum tentatio. Nemo ergo sit assiduus in idolio, nil speret de eo. De eo enim sperare est, de Deo dubitare, ut Saul, relicto Deo qui ei fuerat pro delicto iratus, ad idololatriam rediit sperans aliquid de ea, cui et in præsenti obfuit, et in futuro gehennam ultricem generavit. Ideo Apostolus istos hortatur fugere ab idololatriæ superstitione, scilicet ne comedant sapientes idolothyta cum offendiculo infirmorum, quibus idololatræ videntur. Vel ne ipsi infirmi idololatræ sint, edendo sub idoli veneratione, et putando idolum aliquid esse. Et, ut fugiatis, *loquor* vobis *ut prudentibus*, id est loquor vobis altum quid, quasi prudentibus. Et ideo *vos ipsi judicate*, id est diligenter dijudicate *quæ dico*, scilicet hoc. *calix*, etc. Vel ita ut prudentibus loquor. Quasi dicat : Moneo vos fugere ab idololatria, et hoc monendo, loquor infirmis qui sunt inter vos ut supra locutus sum. Prudentibus, et vos ipsi judicate quæ dico, an vera et bona sint : quod per similitudinem et exemplum novi sacramenti ostendit, ut facilius suadeat, quia cui verba non satisfaciunt, solent exempla suadere. Ait itaque :

VERS. 16-18. — ***Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Et panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Quoniam unus panis et unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane et de uno calice participamus. Videte Israel secundum carnem. Nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris?***

Calix benedictionis, etc. Quasi dicat : Ideo fugiendum est a cultura idolorum, quia comedens idolothytum, ut idolothytum, unum est cum dæmone, sicut per corpus Christi digne et spiritualiter sumptum, unum est cum ipso Christo, quia *calix*, id est potus sanguinis Christi, *benedictionis*, id est per quem benedicitur participans, *cui* et nos *benedicimus*, id est quem nos fideles exaltamus, credendo et gratias agendo. Vel, calix benedictionis cui benedicimus, id est potus calicis, qui non solum a Christo in cœna est benedictus, sed cui etiam nos sacerdotes quot die benedicimus, *nonne communicatio sanguinis Christi est?* id est nonne facit nos habere quamdam communionem cum vita Christi? Quasi dicat : Utique facit. *Et panis quem frangimus* in sacramento, id est participatio fracti panis in altari, *nonne participatio corporis Domini est*, id est nonne facit nos unum esse cum ipso? facit utique (18). Nam quando Christus manducatur, vita manducatur. Sed quis audeat manducare Dominum suum? Et tamen invitans nos ad manducandum ait: *Qui manducat me, vivit propter me* (*Joan.* VI). Nec occiditur Christus, ut manducetur ; sed mortuos vivificat, quando manducatur ; reficit, non deficit. Et vivit manducatus, quia surrexit occisus. Nec quando manducamus, partes de illo facimus. Et quidem in sacramento sic fit. [Augustinus] Et norunt fideles quemadmodum manducent carnem Christi. Unusquisque accipit partem suam. Unde et ipsa gratia partes vocantur. Per partes manducatur in sacramento, et manet integer totus in cœlo : manet integer totus in corde tuo. Totus enim erat apud Patrem, quando venit in Virginem ; implevit illam, nec recessit ab illo. Venit in carnem, ut eum homines manducarent, et manebat apud Patrem integer, ut angelos pasceret. *Quoniam unus panis.* Exponit quomodo calix benedictionis et panis fiant accipienti caro et sanguis Christi. [Ambrosius] Quasi dicat : Per hoc sumus unum cum Christo, *quoniam omnes qui participamus*, spiritualiter et digne, *de uno pane*, scilicet corpore Christi, et *de uno calice*, scilicet sanguine Christi, licet multi simus, tamen ***sumus unus panis***, unione fidei et spei et charitatis. *Et unum corpus* illius capitis, quod est Christus, sumus per subministrationem operum charitatis, id est unum sumus, una Ecclesia, id est uniti vinculo fidei, spei, et charitatis, et mutua operum Dei exhibitione. [Augustinus, Haimo] Per unitatem enim panis, et unitatem corporis, fidem et charitatem oportet intelligi : quæ si desint, judicium sibi sumit (19). Et quia unum sumus, unum sentire debere dicit, ut fides una unum habet sensum et opus. Typice autem unus panis et unum corpus Ecclesia Christi dicitur, pro eo quod sicut unus panis ex multis granis et unum corpus ex multis membris componitur, sic Ecclesia Christi ex multis membris componitur, sic Ecclesia Christi ex multis fidelibus charitate copulante connectitur. Hoc mysterium pacis et unitatis nostræ, Christus in sua mensa consecravit ; qui accipit mysterium unitatis, et qui non tenet vinculum pacis, non mysterium accipit pro se, sed contra se. Nullique ambigendum est tunc quemque corporis et sanguinis Dominici participem fieri, quando membrum corporis Christi efficitur, nec alienari ab illius panis calicisque consortio, etiam si antequam illum panem edat et calicem bibat, de hoc sæculo in unitate corporis Christi constitutus abscedat, quia illius sacramenti beneficio non privatur, quando ille hoc quod illud sacramentum significat invenitur. In illo enim sacramento corpus et sanguinem suum commendavit nobis, qui etiam fecit nos ipsos. Nam et corpus ipsius facti sumus. *Videte Israel.* Similitudo inducitur hic ad intelligendum quod supra dictum est. Quasi dicat : Qui de uno pane et calice participant, sunt participes corporis Christi ; quod per hanc similitudinem apparet. *Videte* enim ***Israel secundum carnem***, id est Israel carnalem, et carnalia legis præcepta servantem, et in umbris sacrificiorum ser-

(18) Augustinus, De eucharistia.

(19) Id., De sacramentis fidelium.

vientem, ideo ait, secundum carnem, quia etiam est Israel secundum spiritum. Videte, dico, *nonne* enim *qui edunt hostias* illas legis, scilicet carnalis Israel, *participes sunt altaris ?* [Augustinus] Sunt utique. Sic qui edunt carnem Christi et sanguinem ejus bibunt, participes ejus sunt. Vel ita potest legi, ut Israel sit vocativi casus. Quasi dicat : Ita est de nobis sumentibus panem et calicem, et o vos qui estis Israel, id est homines videntes Deum, videte, id est discite qualiter se habent ea quæ sunt secundum carnem, id est carnalia, scilicet idololatria. Sicut enim nos de uno pane et uno calice percipientes sumus conformes corporis Christi, sic qui edunt hostias, idolis oblatas, sunt participes altaris erroris, id est dæmonis. Et nonne ? utique ita est.

VERS. 19-23. — *Quid ergo ? Dico quod idolis immolatum sit aliquid ? aut quod idolum sit aliquid ? Sed quæ immolant gentes, dæmoniis immolant, et non Deo. Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum, quia non potestis calicem Domini bibere, et calicem dæmoniorum. Non potestis mensæ Domini participes esse, et mensæ dæmoniorum. An æmulamur Dominum ? Nunquid fortiores illo sumus ? Omnia mihi licent,* **94** *sed non omnia expediunt. Omnia mihi licent, sed non omnia ædificant.*

Quid ergo ? Quasi dicat : Quod dico, fugite a cultura idolorum. *Quid ergo ? Dico,* id est dicere videor, quod idolis immolatum sit aliquid magnum ? Non hoc dico, sed potius dico quod ea, *quæ gentes immolant, dæmoniis immolant, non Deo.* [Haimo] quia in idolo diabolus colitur, qui est pejor idolo (20). Et quia ab idololatria prohibebat, unde locus iste sumpsit exordium, ne putarent ideo non nocere, si de sacrificiis ederent idolorum ; quia idolum nihil est, confirmavit et idolum nihil esse, et se non prohibere ista, ideo quod idolum aliquid sit, sed quia dæmoniis, et non Deo immolantur. Non ergo se excusent quia idolis insensatis dediti non sunt, dæmoniis magis dediti sunt, quod est periculosius (21). Nam si tantum idola colerent, sicut eos non adjuvarent, ita illis nihil nocerent, quia nec idola, nec eis immolata aliquid sunt, id est nihil per se possunt, sive ad juvandum sive ad nocendum, sed malis spiritibus est insita malitia quædam, et malevolentia nocendi nobis. *Nolo autem vos.* Dico quod immolant dæmoniis : ego autem nolo vos, qui fideles estis, *fieri socios dæmoniorum* : quod non est ex natura rei immolatitiæ, sed conscientia idoli, vel conscientia fratris qui percutitur exemplo vestro (22). Ad hoc genus etiam pertinent consultationes et pacta quædam significationum cum dæmonibus placita atque fœderata, qualia sunt molimina magicarum artium, aruspicum, et augurum, atque ligaturæ et remedia quæ fiunt in præcantationibus, et quibusdam votis, vel in quibusdam rebus suspendendis et illigandis, nec illi ab hoc

A genere perniciosæ superstitionis segregandi sunt, qui genethliaci, ob natalium dierum considerationes, nunc autem vulgo mathematici vocantur, qui conantur actionum eventa prædicere. Ideo nolo, *quia non potestis bibere calicem Domini,* simul *et calicem dæmoniorum,* id est non potestis simul uniri Deo et dæmonio. Et prorsus, *non potestis esse participes mensæ Dei, et mensæ dæmoniorum,* id est non potestis esse unum cum Deo et cum dæmoniis. Deinde se illis annumerans, ait : *An æmulamur Dominum,* id est ad iram provocamus eum, vel invidemus ei idolothyta comedentes ? Quasi dicat : Non debemus hoc facere. Videntur illi æmulari, et invidere Domino, regnum cujus diminuunt, qui cum scandalo fratrum comedunt idolothyta imitatores diaboli.

B Zelo enim invidiæ Satanas idololatriam invenit, ut homines negando Deum idolis serviant, et Creator sibi debitum cultum perdat. [Ambrosius] Sic et isti videntur zelare Dominum, unde male cedet eis, cum non fortiores eo sint. Unde subdit : *Nunquid fortiores sumus illo, ut valeamus ei resistere ?* Non omnia mihi licent, et si illos peccare dicam qui comedunt idolothyta, non tamen dico illicitos esse hos cibos, quia *omnia mihi licent.* [Augustinus] De his dicit quæ ad escam pertinent, *sed non omnia expediunt,* id est adjuvant me in cursu, sed magis impediunt. Deinde idem aliter infringit dicens : *Omnia mihi licent.* Potestate liberi arbitrii et doctrina legis naturalis. [Ambrosius] Omnia enim secundum legem naturalem licent, quia omnia munda sunt ; de cibis enim et carne idolis immolata hic agitur. Ideo recte

C ait, licent, id est præcepto Domini nullo prohibentur. Vel, omnia licent, non quia omnia liceant, etiam illicita. Sed ecce ponamus omnia licere. *Sed non omnia ædificant* proximos, ut quis facit, dum comedens idolothytum. Et scandalum facit proximo. Et ideo,

VERS. 24-33. — *Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius. Omne quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Domini est terra, et plenitudo ejus. Si quis vocat vos infidelium ad cœnam, et vultis ire, omne quod vobis apponitur, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Si quis autem dixerit : Hoc immolatum est idolis ; nolite manducare propter illum qui indicavit, et propter conscientiam. Con-*

D *scientiam autem dico, non tuam, sed alterius. Ut quid enim libertas mea judicatur ab aliena conscientia ? Si ego cum gratia participo, quid blasphemor pro eo quod gratias ago ? Sive ergo manducatis, sive bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. Sine offensione estote Judæis et gentibus, et Ecclesiæ Dei, sicut et ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant.*

Nemo quærat, tantum, quod suum est, id est quod sibi tantum aliquo modo utile est, sed quod alterius, ideoque a licitis aliquando temperandum

(20) Augustinus, contra inimicum legis.
(21) Id., in psal. XXVI.
(22) Id., De Christiana doctrina.

est, ut prosit alii. [Ambrosius] Et quia omnia licita sunt, et tamen non est utendum semper eis, determinat quomodo liceat edere vel non edere, dicens : *Omne quod in macello venit*, id est, est vel venditur, *manducate*, si vultis, *nihil interrogantes*, scilicet an immolatitium sit vel non, vel hujusmodi, et hoc *propter conscientiam*, astantis infirmi. Dico manducate omnia, quod quidem secure potestis facere, quia auctoritate teste, *Domini est terra et plenitudo ejus*, id est omnia quibus impletur terra, et non potest esse immundum quod Domini est. Item, *si quis autem infidelium vocat vos ad cœnam, et vultis ire, omne quod vobis apponitur manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Si quis autem dixerit: Hoc immolatum* est idolis, *nolite manducare*. Quare? Non quia immundus sit cibus, sed *propter illum qui indicavit*, ne credat te manducare sub veneratione idoli, et glorietur in superstitione sua ; et qui idolis servit, gloriabitur quasi venereris idola, et confirmabitur in errore suo, quia videt te libenter appetere idolothytum, et fratribus datur malum exemplum. Hoc ergo sapientibus loquor, qui contemnentes idolum quia nihil est, manducabant de sacrificio cum scandalo infirmorum. Dico propter illum, *et propter conscientiam* aliorum, scilicet ut mox determinat dicens : *Conscientiam autem dico non tuam*, quæ firma est, *sed alterius*, scilicet infirmi. *Ut quid enim*, etc. Quasi dicat : Pro alio dimittendum est, quia si aliter facerem, de licito damnabilis essem ; et de actione gratiarum, vituperarer ab imperitis qui putarent me sentire idolum aliquid magnum esse : quod ne contingat, magnopere cavendum est. *Ut quid enim libertas mea judicatur ab aliena conscientia?* id est cur ita ago ut de eo quod libere licet damner propter alium, qui inde aliquod suspicatur improperium ? Quasi dicat : Cum ab idoli devotione conscientia mea sit libera, quid opus est ut puter causa venerationis idoli edere ? Judicor enim non distare ab idololatria. *Si* ergo *ego cum gratia*, id est agendo gratias Deo, *participo*, id est edo, *quid blasphemor*, id est cur cado in blasphemiam imperitorum, *pro eo quod gratias ago*, et quia hæc mala contingunt inde, *sive ergo manducatis, sive bebitis, vel aliud quodcunque facitis, omnia facite in gloriam Dei*, id est in laudem Dei, scilicet cum invocatione Creatoris, ut in actibus conversatione vestra laudetur Deus. Si enim hæc recte fiunt, laudes Dei sunt.

(23) Non solum igitur vox tua sonet laudes Dei, sed etiam opera tua concordent cum voce tua. Cum enim voce cantaveris, silebit aliquando vita ; sed sic, cantas ut nunquam sileas. Si enim ore clamas, et fraudem cogitas, siluisti a laude Dei, et (quod gravius est) in blasphemiam perrexisti. Cum enim laudatur Deus de bono opere tuo, laudas Deum ; et cum blasphematur Deus de malo opere tuo, blasphemas Deum. Si ergo quod manducas et bibis ad refectionem corporis sumis, et reparationem membrorum gratias agens et qui tibi præbuit mortali et fragili ista supplementorum solatia, cibus tuus, et potus laudat Deum. [Haimo] Si vero modum naturæ debitum immoderatione voracitatis excedas, et vinolentia te ingurgites, quantaslibet laudes Dei sonet lingua tua, vita blasphemat. Et *sine offensione estote Judæis*, qui abborrent idola, *et gentibus*, quæ sic non arguuntur, sed in suo errore firmantur ; *et Ecclesiæ Dei*, quantum ad infirmos qui sunt in Ecclesiæ, quibus fiunt offendicula, dum eorum exemplo adhærent his quæ inimica sunt Deo. Estote, dico, ut placeatis omnibus, *sicut et ego*, qui per omnia omnibus placeo, sine scandalo cujusquam agens. Hoc est enim per omnia omnibus placere, sine scandalo cujusquam agere ad profectum aliorum, ut et illis et huic sit utile (24). Attende quod hic ut et illis et huic sit utile (24). Attende quod hic ait : *Omnibus placeo*. Alibi vero ait : *Si hominibus placerem, Christi servus non essem (Gal. I)*. Placerem autem dixit, quantum in seipso est, id est quantum ad ejus voluntatem pertinet. Ac si diceret : Si placere vellem, si placere quærerem, servus Dei non essem. Qui autem hominibus placet propter veritatem, jam non ipse illis, sed ipsa veritas placet. Si autem homo propter seipsum placet, id est propter privatam et propriam gloriam placere quærit, superbia est, et ideo non placet. Cum autem propter veritatem hominibus placet, jam non homo, sed Deus placet. Utrumque ergo recte dici potest : Et ego placeo, et ego non placeo. Si enim adsit bonus intellector piusque pulsator, patebit utrumque, et nulla inter se repugnantia repellet intrantem. Illud etiam non moveat quod dico, placeo omnibus. Nunquid placebat persecutoribus suis ? Sed placebat omni generi hominum quod Christi congregabat Ecclesiam, sive jam intus positis, sive introducendis in eam. Et ut ostendat quod propter veritatem placebat, addit : *Non quærens quod mihi* tantum *utile est, sed quod multis*, et non aliquid terrenum utile quæro, sed *ut salvi fiant*.

95 CAPUT XI.

VERS. 1-3. — *Imitatores mei estote sicut et ego Christi. Laudo autem vos, fratres, quod per omnia mei memores estis ; et sicut tradidi vobis præcepta mea tenetis. Volo autem vos scire quod omnis viri caput Christus est ; caput autem mulieris, vir ; caput vero Christi. Deus.*

Imitatores mei. Quasi dicat : Dico, ut sitis sine offensione. In hoc, ut nullum offendatis, *imitatores mei estote, sicut et ego Christi*, et ita per me eritis imitatores Christi, qui nullum offendit, sed omnes salvare venit. (25) In Ecclesia namque gradus sunt ordinati majorum et minorum, ut illi exemplo procedant ; hi vero imitatione sequantur. Sed et illi qui exemplo præcedunt, nunquid neminem sequuntur ? Si neminem sequuntur, errabunt. Sequuntur ergo et illi aliquem, id est Christum. *Laudo autem*. Hic agere incipit de velationibus in quibus arguit illos

(23) Augustinus, in psal. CLX.
(24) Id., De cor. et grat.

(25) Augustinus in psal. XXXIII.

suas traditiones non servantes, quia illorum aliqui viri velato capite, et aliquæ mulieres non velato orabant aut prophetabant. [Ambrosius] Unde succenset eis Apostolus, quia cum esset eis Apostolus, immemores erant traditionum ejus. Quasi dicat : De aliis culpo vos, sed de hoc *laudo vos*, o *fratres*, et si de aliis culpo, tamen de hoc laudo *quod per omnia estis memores mei*, id est meæ auctoritatis, *et mea præcepta tenetis*, tam perfecte *sicut tradidi vobis*, ironia est quod sic loquitur eis Apostolus, quia non ejus traditionem servabant, nec ejus auctoritatem sequebantur. Ac per hoc, quasi noviter tradidit illis dicens : *Volo autem*. Quasi dicat : Non tenetis præcepta mea. *Volo autem vos scire*, o *fratres*, quiddam utile ad sequentia, quod vos non attenditis, scilicet *quod Christus est caput omnis viri*, id est Dominus, quia cum non esset, per eum creatus est. *Caput autem mulieris* est *vir*, quia ex ejus costa, sed Dei virtute formata est : et ideo debet subjici viro, de quo per Christum facta est. *Caput vero Christi* est *Deus* Pater, quia ab ipso genitus est. Dignum ergo est ut Filii caput Pater dicatur quasi genitor ejus. Una ergo dictio diversam habet intelligentiam. Aliter enim dicitur Christus caput viri, aliter vir caput mulieris, aliter Deus caput Christi. (26) Vel nomine viri intelligitur hic spiritus non ille Spiritus sanctus, qui cum Patre et Filio incommutabilis manet, et dignis animis incommutabiliter datur ; sed spiritus hominis, qui quasi animæ maritus animalem affectionem tanquam conjugem regit. De quo dicit Apostolus : *Nemo scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis* (*I Cor.* II). De quo etiam Dominus ait mulieri Samaritanæ : *Vade, voca virum tuum* (*Joan.* IV). Hic ergo spiritus cum præsens est, id est intentus est, et se pietate subjicit Deo, intelligit spiritualiter quæ dicuntur luce sapientiæ illustratus. (27) Hujus viri Christus caput est, quia spiritus hominis regitur a sapientia Dei quæ Christus est. Et sicut in capite sunt omnes sensus corporales, ita et in Christo sunt omnes spirituales, id est plenitudo gratiarum, de qua accipit vir iste. Per hoc autem est vir caput mulieris, id est rector animalitatis quæ regitur a spiritu, tanquam mulier a viro. Caput vero Christi est Deus Pater, quia Filius a Patre est, et de Patre, non Pater a Filio vel de Filio (28) Ille hujus principium, unde et caput ejus dicitur, et Christus principium, sed non Patris. Hic vero illius imago nulla ex parte dissimilis, et omnino æqualis Filius Patri debet quod est, etiam hoc quod Patri æqualis est, et quod principium est. Pater vero nulli debet quidquid est. Vel Dei nomine hic intelligitur Trinitas. (29) Sed si Deus omnia simul tria hic intelligitur, quomodo caput Christi est Deus, id est caput Christi est Trinitas, cum in Trinitate sit Christus, ut sit Trinitas ? An quod Pater est cum Filio et Spiritu sancto, caput est ei, quod est solus Filius ? Cum Filio enim et Spiritu sancto Pater Deus est, Filius autem solus homo factus est, secundum quam humilitatem ejus, etiam eo major est Pater ; et secundum hoc vere dicitur, quia quod illi cum Patre et Spiritu sancto unum est, caput sit hominis mediatoris quod ipse solus est. Si enim mentem recte dicimus principale hominis, id est quasi caput humanæ substantiæ, cum ipse homo cum mente sit homo, cur non multo congruentius Verbum cum Patre simul Deus. Deus dicitur esse caput Christi, quamvis Christus homo, nisi cum Verbo quod caro factum est intelligi non possit. Est ergo Deus, id est divina essentia, vel Trinitas. (30) Caput Christi secundum quod homo, quia divinitas utpote creatrix est creaturæ assumptæ. Hac interpretatione non potestas Filii minuitur, sed misericordia prædicatur.

VERS. 4- 7. — *Omnis vir orans aut prophetans velato capite, deturpat caput suum. Omnis autem mulier orans aut prophetans, non velato capite, deturpat caput suum. Unum enim est ac si decalvetur. Nam si non velatur mulier, tondeatur. Si vero turpe est mulieri tonderi aut decalvari, velet caput suum. Vir quidem non debet velare caput suum, quoniam imago et gloria Dei est ; mulier autem gloria viri est.*

Omnis vir. Quasi dicat : Et quia viri caput Christus est, sine alio mediante, et per Christum Deus, ideo insignum libertatis, vir non debet habere velum, quod est subjectionis signum, quia vir omnis, etiam potens vel sapiens, *orans* aliquid a Deo, *aut prophetans*, id est Scripturas reserans, *velato capite*, quasi non sit liberæ mentis, *deturpat caput suum*, id est turpe est ei illud agere velato capite. In aliis enim, ubi opus est, potest velare, sed nondum suo judici se offert, et colloquitur, ubi conditionem suam necesse est profiteri. *Omnis autem mulier orans*, quæ inferior est et subjecta viro, quia vir caput est mulieris, orans aut prophetans *non velato capite*, scilicet sine signo subjectionis quam debet viro, quasi nihil sit medium ad Deum, *deturpat caput suum*. Et vere. *Unum est enim*, id est tantumdem est ad turpitudinem, *ac si decalvetur*. *Nam si non velatur*. Quasi dicat : Non velata idem, ac si decalvetur : quod et fiet utique quia aut decalvabitur aut tondebitur. Quod constat eam nolle. Et hoc ita ait : *Nam si non velatur mulier, tondeatur*. *Si vero*. Quasi dicat : Mulier non velata decalvetur, vel etiam tondeatur ; sed *si turpe est mulieri tonderi aut decalvari, velet caput suum*. *Vir quidem*, qui major est, *non debet velare caput suum*, id est subjectionis habere signum, quasi non sit liber ad Deum. Velamen hic intelligendum est non omne, sed quoddam, quo utebantur antiqui, et adhuc etiam utuntur plerique alicubi, quo totum caput obvolvebatur, et est pene simile velamini mulierum. *Quoniam*, etc. [Ambrosius] Quasi dicat : Vir non debet velare, et honor

(26) Augustinus, in libr. Quæst LXXXIII.
(27) Id., contra Manichæos.
(28) Id., in Symbolo.
(29) Id., De Trinitate.
(30) Id., in eod.

obstat ne velet, *quoniam vir est imago et gloria Dei* A quæ non debet abscondi. Incongruum est enim ut imago et gloria Dei celetur quæ videtur in viro. Vir enim ad imaginem Dei factus est, non mulier. Sed quæ est imago Dei in viro? hæc scilicet quod unus Deus, unum fecit hominem, ut sicut ex eo omnia sunt, sic ex isto omnes homines essent, ut unius Dei invisibilis unus homo visibilis imaginem gerat in terris, ut unus Deus in uno homine auctoritatem unius principii videretur conservare ad confusionem diaboli, qui neglecto uno Deo sibi dominium usurpare voluit. Inde igitur vir est imago Dei, quia sicut ex Deo sunt omnia, sic ex Adam omnes homines: et sic conservat auctoritatem principii, quod ab uno Deo sunt omnia, contra illum qui Deus esse voluit. [Haimo] Vel in hoc habet similitudinem Dei, quia B sicut de latere Christi in morte dormientis origo Ecclesiæ fluxit, scilicet sanguis et aqua quibus significantur sacramenta per quæ salvatur Ecclesia; sic de latere Adæ nata est sibi sponsa, quia inde sumpta costa de qua formata est Eva. Et sicut Christus præest, et regit Ecclesiam, et Ecclesia subservit ei, ita vir præest et regit mulierem, et ideo non habeat vir signum subjectionis, sed libertatis et prælationis. Et gloria Dei est vir, quia ex eo est, et quia Deum principaliter glorificat. Mulier autem gloria est viri. Ex quo ipsa est, et cui subservit. Vel vir dicitur esse imago Dei, quia principaliter creatus est ad imaginem Dei in quo naturaliter amplius quam in muliere viget ratio, quasi ipse sit ratio. (31) Et attende diligenter quod hic dicitur homo imago Dei; et in Genesi legitur: *Factus ad imaginem* C *Dei* (*Gen.* IX), ubi dicitur: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Gen.* I). Et nota etiam quod pluraliter dictum est, faciamus, et, nostram, quod nisi ex relativis accipi non oportet. Non enim intelligendum est, ut facerent dii, vel ut ad imaginem deorum sit factus, sed ut facerent Pater et Filius et Spiritus sanctus. Ad imaginem ergo Patris et Filii et Spiritus sancti, ut subsisteret homo imago Dei factus est, et quia non omnino æqualis fiebat illa imago Dei, tanquam non ab illo nata, sed ab illo creata, hujus rei significandæ causa ita esse imago Dei dicitur, ut ad imaginem factus esse non sileatur, quia non est ei æqualis, sed quadam similitudine accedit. Non enim locorum intervallo, sed similitudine acceditur ad Deum, et dissimilitudine D receditur ab eo. Homo ergo cum sit imago, propter imparem similitudinem dictus est etiam ad imaginem Dei factus. Filius autem imago Patris, et non ad imaginem, in quantum Deus est, quia æqualis est Patri, cujus solius imago est. Homo autem imago Trinitatis est, et ad imaginem. (32) Unde: fecit Deus hominem ad imaginem suam, ut sicut Deus præest omnibus creaturis per omnipotentiam, sic homo universis animalibus terrenis per intelligentiam præesset. Et ipse est gloria Dei, cum **96** Dei sapientiam sequitur. Mulier autem gloria viri est, quia facta est in adjutorium viri non ad carnalem concupiscentiam, quia nec corruptibilia corpora tunc habebant, antequam eos mortalitas invaderet, sed ut haberet vir gloriam de ea, cum eam præiret ad Deum, et se ei daret imitandum sanctitate, sicut ipse gloria Dei esset, cum ejus sapientiam sequeretur. Unde subdit:

VERS. 8-10. — *Non enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro. Etenim non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum. Ideo debet mulier velamen habere supra caput suum, et propter angelos.*

Non enim, etc. Quasi dicat: Mulier est gloria viri, non vir, ejus. Quod ostendit ordo creationis, quia *non est vir*, scilicet Adam, *ex muliere*, scilicet Eva; *sed mulier*, scilicet Eva, est, *ex viro*, scilicet Adam. Et alia ratio est cur mulier est gloria viri: *Etenim*, id est quia, *non est creatus vir*, scilicet Adam, *propter mulierem*, id est in auxilium Evæ; *sed mulier*, id est Eva, *propter virum*, id est in adjutorium viri. [Ambrosius.] Et *ideo*, scilicet ut ostendatur mulier subjecta viro, et, quia per eam prævaricatio cœpit, *debet mulier habere velamen super caput*, ut non habeat caput liberum in Ecclesia, sine velamine; *et* hoc *propter angelos*, id est propter reverentiam sacerdotum, quia nuntii Dei sunt, ut sicut ante judicem Domini, ita ante vicarium ejus sacerdotem sit subjecta viro. Vel, propter angelos, scilicet ne sacerdotes in ejus faciem inspicientes irritentur ad libidinem (33). Aliter ab illo loco: *Quoniam imago*, etc. Apostolus dicit quod vir est imago Dei. Et ideo velamen capitis ei demit, quod mulieri adhibendum monet, quia ipsa non est imago Dei. Sed quid dicemus ad hæc? cur et mulier non est imago Dei? videtur utique hoc contrarium esse illi quod in Genesi dicitur: *Fecit Deus hominem ad imaginem Dei, masculum et feminam fecit eos* (*Gen.* I). [Augustinus.] Quod ergo vir est imago Dei, ut non velet caput, et non mulier ut velet? Sed credo hoc esse in natura humanæ mentis, quod dicit Apostolus. Et mystice loquitur de velatione; aliter enim nisi aliquod secretum referatur, inane est quod dicitur. Sicut enim non solum veracissima ratio, sed etiam ipsius Apostoli declarat auctoritas, homo factus est ad imaginem Dei, non secundum formam corporis, sed secundum rationalem mentem in qua dicitur renovari in agnitione Dei ab eodem Apostolo: *Renovamini spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem qui secundum Deum creatus est* (*Ephes.* IV). Et alibi: *Induite novum hominem qui renovatur in agnitione Dei, secundum imaginem ejus qui creavit eum* (*Coloss.* III). Si (34) ergo spiritu mentis nostræ renovamur, et ipse est novus homo, qui renovatur in agnitione Dei secundum imaginem ejus qui creavit eum, nulli dubium est hominem esse factum ad imaginem Dei, non secundum corpus, neque secundum quamlibet animi partem, sed secundum rationalem mentem; ubi potest esse cognitio Dei, ubi et nullus sexus

(31) Augustinus, De Trinitate.
(32) Id., De catechizandis rudib.
(33) Id., De Trinitate.
(34) Id., In eod.

est, scilicet in spiritu mentis, sed idem est ibi femina cum viro, et mulier cum viro, id est tota illa substantia una est imago Dei, quia natura ipsa humana et ad imaginem Dei facta est et imago Dei, et ipsa tota est imago Dei, quia in utroque sexu imago Dei completur, a qua imagine femina non separatur, sicut nec a gratia renovationis et reformatione imaginis Dei excluditur (35). Habet utique mulier mentem suam rationalem secundum quam et ipsa facta est ad imaginem Dei (36). Nihil ergo feminam alienat a consortio imaginis, quæ et in ipsa prima conditione hominis habebat mentem rationalem, secundum quam ipsa etiam facta est ad imaginem Dei. Fecit ergo Deus hominem totum ad imaginem suam, hoc utique secundum spiritum; sed propter unitatem conjunctionis inquit : *Fecit Deus hominem ad imaginem Dei*. Et ne quisquam putaret solum spiritum hominis factum in quo imago Dei est, subjunxit : *Masculum et feminam fecit eos*, hoc secundum corpus, ubi duo esse discernuntur secundum sexum, cum prius singularem numerum posuerit, propter conjunctionis unitatem.

Est ergo in mentibus eorum communis natura, sed in sexu corporis significatur distributio mentis. Est enim pars animæ vel mentis eminens, quæ se extendit in id quod æternum est, contemplando veritatem, et hæc est imago Dei, quæ æternis rationibus conspiciendis vel consulendis adhæret, et ideo non est cohibenda velo ut se inde contineat, et ideo vir non debet velare caput. Est et altera pars animæ inferior, quæ derivatur ad actionem temporalium quadam intentione, et sic ipsa anima ex qua parte consulit veritatem et conspicit, imago Dei est. Ex qua vero intendit ad agenda ista inferiora, non est imago Dei; quia vero in his rebus corporalibus temporalibusque periculosa est nimis in inferiora progressio. Ideo habet potestatem super caput qua cohibeatur, quod indicat velamen capitis mulieris. Quod ergo ad totum virum pertinet, imago Dei est (37). Quod vero ad eam solam pertinet quæ ei in adjutorium tribuitur, non est imago Dei; quia non est imago Dei, nisi quod inhæret incommutabili veritati. In cujus rei figura Apostolus dicit virum tantum esse imaginem et gloriam Dei, mulierem autem gloriam viri (38). Hoc igitur, etsi in duobus hominibus diversi exterius sexus figuratum sit, tamen in eodem uno interiori homine intelligitur, cujus superior vis, id est ratio, vir dicitur, vel principale mentis quia debet regere inferius sensualitatem, et iste *vir est imago Dei*, quia inhæret contemplandæ incommutabili veritati, *et gloria Dei*, dum ratio subjugat sibi sensualitatem : quod tunc ordinatissime fit, cum caput viri Christus est.

Mulier autem gloria est viri. Mulier est ipsa sensualitas, quæ bene significatur per mulierem, quia in femina naturaliter prævalet, quæ subserviendo gloria est rationis. Ideoque dicitur : *Non est bonum solum esse hominem* (*Gen.* II). Ad hoc enim bonum erat ut fieret, ut non solum anima dominaretur corpori quod servilem locum obtinet, sed etiam virilis ratio subjugaret sibi animalem partem, ut appetitum animalem per quem voluptates corporis operamur, habeat mens interior tanquam virilis ratio subjugatum; sic debet vir feminam regere, nec eam permittere dominari in virum (39). Quod si animalis pars immoderato progressu nimis in exteriora prolabitur, consentiente capite suo, scilicet ratione, id est non eam cohibente atque refrenante, illa quæ in specula consilii præsidet virili portione, perversa est et misera domus ubi mulier dominatur in virum. Inveteraturque interior homo inter inimicos suos, invidos virtutis, scilicet dæmones, æternorumque visio ab ipso etiam viro cum conjuge ad instar primorum parentum vetitum manducante subtrahitur, ut lumen oculorum ejus non sit cum illo, et sic ab illa illustratione veritatis mox ambo nudati apertis oculis conscientiæ ad videndum quam indecori et inhonesti sunt, tanquam folia dulcium fructuum sine ipsis fructibus, id est sine bonis operibus bona verba contexunt, ut male viventes bene loquendo turpitudinem suam contegant. Da memoriæ quia secundum quosdam sensualis motus animæ est pro serpente, inferior portio rationis pro muliere, superior portio rationis est pro viro. Illecebræ consentire est cibum vetitum edere. Si sola cogitationis delectatio est, femina sola comedit; si vero mala cogitatio in actum mittitur, vel voluntas perficiendi adsit, tunc etiam vir cum femina cibum vetitum gustat. Alii vero non improbabiliter ponunt sensum corporis pro serpente, sensualitatem pro femina, rationem pro viro. Hæc autem disputatio qua in mente uniuscujusque hominis quæsivimus quoddam rationale conjugium contemplationis et actionis officiis per quædam singula distributis, tamen in utroque mentis unitate servata, ad hoc tantummodo audienda est, ut intelligatur Apostolus imaginem Dei tantum viro tribuendo, non etiam feminæ, quamvis in diverso sexu duorum hominum aliquid tamen significare voluisse quod in uno homine quæreretur. *Non enim*. Quasi dicat : Mulier, id est sensualitas est, gloria viri, id est rationis de qua non est vir. *Non est enim vir*, id est ratio. *Ex muliere*, id est sensualitate, ut a sensuali portione regatur rationalis, *sed mulier*; id est sensualitas est, *ex viro*, scilicet ut ab eo regatur. Ac si diceret, distributio utriusque indicat, ut quod spirituale est regat illud quod animale est et non e diverso. Et sic decet; *etenim*, id est quia, *non est creatus vir*, id est rationalis *propter mulierem*, scilicet ut serviat sensualitati; sed econtrario *mulier propter virum*, id est sensualitas, ut subserviat rationi : et ideo mulier debet habere velamen super caput, scilicet ad signifi-

(35) Augustinus, super Gen.
(36) Id., De Trinitate.
(37) Id., super Gen.

(38) Id., contra Manichæos.
(39) Id., De Trinitate.

candum quod sensualitas debet subjici rationi. *Propter angelos*, grata est enim sanctis angelis et sacrata et pia significatio. Nam Deus non ad tempus videt, nec aliquid novi est in ejus visione et scientia, cum aliquod temporaliter et transitorie geritur, sicut inde afficiuntur sensus vel carnales hominum, vel etiam cœlestes angelorum (40). Angelici enim spiritus nobis adesse credendi sunt, maxime cum divinis mancipamur obsequiis, id est cum ecclesiam ingressi vel lectionibus sacris aurem accommodamus, vel psalmodiæ operam damus, vel orationi incumbimus, vel missarum solemnia celebramus. Ideo Apostolus monet mulieres habere velamen propter angelos. Nec dubitari licet, ubi corporis Dominici et sanguinis mysteria geruntur, supernorum civium adesse conventus, qui monumentum, quo venerabile corpus fuerat positum et unde resurgendo abscesserat, tam sedulis excubiis servarunt.

VERS. 11-17. — *Verumtamen neque vir sine muliere, neque mulier sine viro in Domino. Nam sicut mulier de viro, ita et vir per mulierem. Omnia autem ex Deo. Vos ipsi judicate.* **97** *Decet mulierem non velatam orare Deum? Nec ipsa natura docet vos, quod vir quidem si comam nutriat ignominia est illi; mulier vero si comam nutriat gloria est illi; quoniam capilli pro velamine ei dati sunt. Si quis autem videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei. Hoc autem præcipio, non laudans quod non in melius, sed in deterius convenitis.*

Verumtamen. Quamvis in primis, id est in prima conditione, non sit vir de femina, sed e diverso. [Ambrosius.] *Verumtamen,* in subsequenti generatione non est hoc, quia *neque vir sine muliere* est, *neque mulier sine viro in Domino*, scilicet secundum Dominum, id est secundum operationem Domini, in quo alter sine altero non creatur, qui etiam primitus creavit ex uno ambos, id est ex una materia, quia mulierem de viro formavit, et ambos in natura fecit unum, et quod unum in natura sint, confirmat Apostolus. *Nam sicut mulier* prius *de viro* facta est, ita et *vir* postea nascitur *per mulierem. Omnia autem.* Postquam gradatim singula dixit ut omnia Deo uni principio subjiceret, addit, *omnia autem*, scilicet et corpus et anima utriusque, *ex Deo* auctore sunt ; hoc ideo dicit ut neque mulier de subjectione doleat, nec vir de exaltatione superbiat. Vel ita. *Verumtamen*. Quasi dicat : Licet per mulierem prævaricatio cœperit, et viro subjecta sit, verumtamen nec vir sine muliere, nec mulier sine viro est in Domino, id est fide Christi ; quia non ita se habet uter, id est alter eorum in Christo Domino, ut, admisso viro, mulier excludatur a salute, neque, admissa muliere, vir excludatur. Reddit autem causam quod, altero admisso, alter non sit excludendus, subdens, nam sicut mulier

A de viro, ita vir per mulierem. Hoc non mutatur. Vos autem. Quia Corinthii ejus traditionem non servaverant, propter quod superius eis succenset, ubi dicit : *Laudo vos*, etc. Ideo non ex auctoritate traditionis quam neglexerant suadet veritatem, sed ex natura quæ docet ut velatæ sint mulieres in ecclesia, ubi eas revelatas esse illi patiebantur, agentes contra sacramentum velationis et ordinem creationis. Quasi dicat : Et cum hæc prædicta ita sint, vos ipsi judicate istud, *an decet mulierem non velatam, orare Deum ? nec ipsa natura docet vos ?* Natura nos docet *quod*, id est quia *vir quidem si comam nutriat, ignominia est illi* (41). Hic secundum legem locutus est, quæ prohibet virum esse comatum. Quod si quis opponat de Samuele, et prophetis Veteris Testamenti qui capita sua non tondebant, cogitet quod B intersit inter illud velamentum mysticum et hanc tonsuram. De Nazareis aliud est, quibus specialiter præceptum est in Deuteronomio, ut comam nutriant. Illud enim velamentum, id est coma sanctorum idem significabat quod velamen positum super faciem Mosi, id est velamen lectionis Veteris Testamenti. Hæc autem tonsura revelationem evangelicæ gratiæ significat. Coma ergo Samuelis et prophetarum pro velamine Veteris Testamenti olim habita, nunc in revelatione Evangelii deponitur. De qua dicit Apostolus : *Cum transieris ad Christum auferetur velamen (II Cor.* III). *Mulier, si comam nutriat gloria est illi.* [Augustinus] Ideo gloria est mulieri, quia naturaliter hoc habet pro velamine. Unde subdit : *Quoniam capilli pro velamine ei dati* C *sunt.* [Ambrosius] Coma enim indicium velaminis est, ideo naturaliter hoc honestum est ut velata sit mulier, et obediat, ut naturæ voluntas addatur, quæ ad hoc habet velamen ut ream se cognoscat, et subditam, et ideo gloria est illi, si comam habet, quia naturaliter habet.

Ad hoc enim naturalis ratio consentit, et ideo vir non naturaliter comatus est, quia non est revelandus, et lex etiam prohibet virum esse comatum. *Si quis autem*. Post rationem redditam, ut vincat contentiosos, ponit auctoritatem, quia dissertatione non vult uti, sed auctoritate. Quasi dicat : Natura etiam docet quod trado. *Si quis autem videtur contentiosus esse*, [Ambrosius] scilicet qui non vult acquiescere nobis, dicimus quod nos, Judæi, id est D nos apostoli qui de Judæis sumus, *non habemus talem consuetudinem*, *neque Ecclesia Dei*, [Augustinus, Hieronymus, Ambrosius] de aliis gentibus ad fidem Christi vocata, id est nec Moses nec Christus sic docuit, scilicet ut vir velet caput et non mulier. *Hoc autem*, quod dictum est de velandis capitibus, *ego præcipio* observari, auctoritate præcepti utitur Apostolus, ut obtemperent. Valde enim iniquum est velle sibi obtemperari a minoribus, et nolle obtemperare majoribus (42). Et hic ostendit quædam esse de quibus non est disputandum, sed auctori præcipienti acquiescendum. Unde ait : Hoc autem

(40) Beda, in homelia quadam dicenda in Pascha.
(41) Augustinus. De opere monachorum.
(42) Id., De opere monachorum.

præcipio, scilicet ut non disserentis solertia requiratur, sed præcipientis auctoritas attendatur; *non laudans quod non in melius*, etc. Postquam egit de velamine capitis, ubi plurimum a veritate deviabant, incipit de Dominica cœna agere, in qua ipsi iidem multum peccabant. Quasi dicat : Quod dictum est de velando vel non velando capite, præcipio utique, non laudans, sed improbans, quam *convenitis ad Dominicam cœnam, non in melius*, scilicet ut diceret, *sed in deterius*, id est non ad usum perfectionis, sed ad detrimentum damnationis, quod ex pluribus potest ostendi.

Vers. 18-20. — *Primum quidem convenientibus vobis in ecclesiam, audio scissuras esse inter vos, et ex parte credo. Nam oportet et hæreses esse, ut, qui probati sunt, manifesti fiant in vobis. Convenientibus ergo vobis in unum, jam non est Dominicam cœnam manducare.*

Primum quidem. Ex hoc quod *vobis convenientibus in Ecclesiam* Dei, quod exigit unitatem charitatis, ut sicut ibi corporaliter conveniunt homines, ita et spiritualiter, scilicet affectu charitatis uniantur, *audio scissuras*, id est discordias *esse inter vos* [Ambrosius] Nota quod dicendo, primum, ostendit quod primum malum dissensio est, unde cætera oriuntur. Ubi enim dissensio est, nihil rectum est, audio scissuras esse inter vos ; et, id est etiam *credo*, esse *ex parte*, id est in quibusdam vestrum, quod non est inutile bonis. *Nam oportet*, id est utile est etiam *hæreses esse*, sicut erant in his qui dubitabant de resurrectione ; scissuræ autem erant pro donis spiritualibus (43). Videns enim diabolus templa dæmonum deseri, et in nomen liberantis Mediatoris currere genus humanum, movit hæreticos qui sub vocabulo Christiano doctrinæ resisterent Christianæ. Qui enim in Ecclesia Christi morbidum aliquid pravumque sapiunt, si correcti ut sanum rectumque sapiant, resistunt contumaciter suaque pestifera dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt, hæretici fiunt, et habentur in exercitibus inimicis. [Augustinus] Et hi etiam sic malo suo prosunt veris Catholicis, dum Deus utitur etiam malis bene, et *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum* (*Rom.* VIII). Omnes enim inimici Ecclesiæ vel errore cæcati, vel malitia depravati prosunt, quia si accipiunt potestatem corporaliter affligendi, exercent ejus patientiam ; si vero male sentiendo adversantur, exercent ejus sapientiam. Ab adversario enim mota quæstio, discendi existit occasio. Multa quidem ad fidem Catholicam pertinentia, dum hæreticorum callida inquietudine exagitantur, ut adversus eos defendi possint, et considerantur diligentius, et intelliguntur clarius, et prædicantur instantius. Exstiterunt plures qui cœlestium verborum simplicitatem pro voluntatis suæ sensu, non veritatis ipsius absolutione susciperent, aliter interpretantes quam dictorum virtus postulet. De intelligentia enim hæresis, non de scriptura est, et sensus non sermo crimen est (44). Hæreticorum enim genus callidum non spiritu sapientiæ sed impatientiæ, dum pacem Catholicam perturbant, in usum cedit proficientium, secundum illud, filius eruditus sapiens erit, inprudente autem ministro utetur (45). Utamur ergo etiam hæreticis non ut eorum approbemus errores, sed ut Catholicam doctrinam adversus eorum insidias asserentes, vigilentiores, et cautiores simus. Prosunt ergo nobis hæretici, non verum docendo quod nesciunt, sed ad verum quærendum et aperiendum Catholicos excitando (46). Ideoque divina providentia hæreticos esse multos permittit, ut cum insultant nobis et interrogant nos quæ nescimus, et sic excutiamus pigritiam, et divinas Scripturas nosse cupiamus. Unde ait : *Oportet hæreses esse*. Non vult Apostolus nec optat ut hæreses sint, sed quia sic futurum est, dicit, et quia hoc utile est. Ad quid autem est utile? ut non tantum reprobi, qui dicunt ego sum Pauli, sed etiam *qui probati sunt in vobis*, id est inter vos, sicut illi qui dicunt ego sum Christi, *manifesti fiant* hominibus. Hi enim Deo probati sunt, qui bene possunt docere, sed manifesti hominibus esse non possunt, nisi cum docent. Docere autem nolunt, nisi eos qui doceri quærunt, sed multi ad quærendum pigri sunt, nisi per molestias et insultationes hæreticorum quasi de somno excitentur (47). Hæreticus vero est qui alicujus temporalis commodi, et maxime gloriæ principatusque sui gratia falsa ac novas opiniones vel gignit vel sequitur ; qui autem hujusmodi credit, imaginatione veritatis ac pietatis illusus est.

Convenientibus, etc. Hic redarguit eos de hoc quod corpus Dominicum non eo ordine sumebant quo sumi oportebat. Inter prandia enim vel post prandia, eucharistiam sumebant, quod jejuni potius facere deberent. Hujus autem rei faciendæ occasionem sumpserunt ex eo quod Dominus manducantibus discipulis accepit panem et benedixit, et eis tradidit jam celebrato veteri Pascha. Quasi dicat : Et quia in vobis scissuræ sunt, ergo, *convenientibus vobis in unum*, quod fieri quidem debet non tam corporum consortio quam cordium conglutino ; *jam*, id est hoc solo quod scissuræ sunt **98** in vobis, *non est*, id est non licet, *manducare Dominicam cœnam*. Vel, jam, id est in præsenti hoc damnum habetis, scilicet quod non est, id est non licet vobis, manducare Dominicam cœnam, in futuro pejus erit vobis (48) Dominicam cœnam dicit acceptionem eucharistiæ, quam non debent pransi sumere, vel mensis suis miscere, ut faciebant illi quos arguit Apostolus, sed jejuni, in honorem tanti sacramenti. Licet enim Christus post

(43) Augustinus, De civit. Dei.
(44) Id., eodem.
(45) Id., De vera religione.
(46) Id., contra Manichæos.
(47) Id., De utilitate credendi.
(48) Id., ad Januarium.

cœnam dederit discipulis suis corpus et sanguinem suum, non ideo tamen calumniandum est universæ Ecclesiæ, quod a jejunis semper sumitur. Nam Salvator, quo vehementius commendaret mysterii illius altitudinem, ultimum hoc voluit infigere cordibus, et memoriæ discipulorum, a quibus ad passionem digressurus erat (49). Quo autem ordine deinceps sumeretur, apostolis, per quos Ecclesias dispositurus erat, servavit docendum.

VERS. 21-22. — *Unusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum. Et alius quidem esurit, alius autem ebrius est. Nunquid domos non habetis ad manducandum et bibendum? Aut ecclesiam Dei contemnitis, et confunditis eos qui non habent? Quid dicam vobis? Laudo vos? in hoc non laudo.*

Unusquisque enim. Quasi dicat : Ideo non licet vobis manducare, quia *unusquisque* vestrum, contendentium ante Dominicam cœnam, *præsumit*, non ad erogandum pauperibus, sed *ad manducandum cœnam suam. Et alius quidem esurit,* cui nihil datis; *alius autem ebrius est,* cum sobrii esse deberetis. Multipliciter tangit eos, qui autem pransi sumebant corpus Domini, et de prandio suo luxurioso nihil tribuebant esurientibus, et hoc faciebant in ecclesia. *Nunquid non.* Quasi dicat : Cœnam vestram manducatis ante Dominicam, nec pauperibus tribuitis, sed *nunquid habetis domos ad manducandum et bibendum?* Quasi dicat : In domibus potius hoc esset faciendum; *aut ecclesiam Dei,* id est domum orationis, *contemnitis?* Quasi dicat : Quod vere facitis, et si non putatis, *et confunditis,* id est erubescere facitis *eos qui non habent,* utique facitis. (50) Nota quod in Ecclesia homines sunt de quibus dicitur : *Ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam* (*Ephes.* V); hoc tamen nomine vocari ipsam domum orationis, Apostolus testatur dicens : An ecclesiam Dei contemnitis : et hoc quotidianus usus loquendi obtinuit, ut in ecclesiam prodire vel confugere non dicatur, nisi qui ad locum ipsum parietesque prodierit, vel confugerit, quibus Ecclesiæ congregatio continetur. Vel aliter potest legi. *Unusquisque enim,* etc. Notat illos qui munera quæ offerebant altaribus sibi resumebant, nec aliis non habentibus communicari sinebant. Offerebant enim divites panem et vinum abundanter, ut benedictione et consecratione sacerdotali consecraretur, et Dominici corporis et sanguinis sacramentum confiteretur. Post celebrationem vero sacri mysterii, et consecrationem panis et vini suas oblationes vindicabant, et aliis non communicantes soli sumebant, ut inde etiam inebriarentur aliis esurientibus. Quasi dicat : Ideo non licet nobis manducare Dominicam cœnam, quia unusquisque enim ad manducandum suam cœnam, resumens totum quod obtulit, et alius quidem esurit, alius autem ebrius est, et ita agitis contra significationem, et ordinem sacramenti. [Ambrosius] Munus enim oblatum totius populi fit, id est universis communicari debet, quia

A in uno pane omnes figurantur. Per id enim quod omnes unum sunt, de uno sumere oportet. Hos ergo notat qui in ecclesia, ubi causa unitatis et mysterii convenitur, suas oblationes causa dissensionis quam pseudo seminaverunt sibi vindicabant. Tantas enim dissensiones inter eos pseudo seminaverant, ut suas zelarent oblationes et vindicarent, cum una eademque prece omnium oblationes benedicerentur, et hoc ita faciebant, ut cæteri unde offerrent non habentes, pudore confunderentur, non sumentes partem, et hoc tam cito agebant, ut supernæ mentes nihil invenirent quod ederent. Et dum sic agerent domi potius hæc agenda dicit quam in ecclesia, subdens : *Nunquid domos,* etc., quæ patent usque ibi. *Quid dicam?* Quasi dicat : Et cum hæc facitis, *quid dicam vobis?* B Non invenio quid dignum sit vobis. *Laudo vos* in aliis, sed *in hoc non laudo*, id est in hoc nihil laudabile invenio in vobis. Vel ita distingue litteram. *Laudo vos in hoc?* utique, *non laudo.* Sed ut corrigantur de errore suo, formam quæ a Christo in hujusmodi re data est, iterat subdens :

VERS. 23, 24. — *Ego enim accepi a Domino quod et tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, et gratias agens fregit et dixit : Accipite et manducate. Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur; hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem, postquam cœnavit, dicens : Hic calix novum testamentum est in meo sanguine. Hoc facite quotiescunque bibetis in meam commemorationem.*

C *Ego enim.* Quasi dicat : Ideo non laudo vos de hoc, quia corpus Domini est quod sumere debetis, et in ejus commemoratione. Quod et ego et a Domino accepi, id est didici, et vobis tradidi, scilicet, *quoniam Dominus noster Jesus Christus in qua nocte tradebatur,* scilicet jam imminente passione, in nocte enim passus, id est ad patiendum captus et detentus ad lucem resurrectionis venit. Tunc, inquam, *accepit panem, et gratias agens,* de reparatione hominum sic futura; *fregit,* unum omnibus dedit, ut in unitate maneant; et dum fregit, spontaneam suam passionem ostendit. Fregit autem in sacramento, scilicet secundum quod videbatur, et integrum esse a fidelibus credebatur, *et dixit : Accipite et manducate,* scilicet ut conformes mihi sitis. Ipsa enim sa- D cramentalis assumptio capitis et membrorum unionem designat, et facit digne celebrata. Dixit etiam : *Hoc,* quod aliud videtur, *est corpus meum.* Illud idem substantialiter, *quod pro nobis tradetur.* [Augustinus] Non ergo quia aliquis non ad salutem accipit; ideo minus est corpus et sanguis quod accipit. *Hoc,* quod dixi, *facite,* id est corpus meum accipite et manducate, *in meam commemorationem,* id est in memoriam passionis et mortis meæ, ut sicut præcessi sequamini. *Similiter,* scilicet pro nostra salute et exhortatione, *et calicem* accepit, *postquam cœnavit,* scilicet jam finito veteri Pascha dicens : *Hic ca-*

(49) Augustinus, ad Januarium.

(50) Id., in libro quæst. Levit.

lix est novum testamentum in meo sanguine. Quasi dicat : Id quod continet hic calix est meus sanguis, in quo effuso confirmatur novum testamentum, id est doctrina evangelica, quia testamentum in mortuis confirmatur. Vel, est novum testamentum, id est nova promissio non temporalis, sed æterni boni. In veteri enim lege carnalia offerebantur, et carnalia juxta litteram promittebantur. In novo autem ubi sacerdos est victima, cœleste est quod offertur, et cœleste est quod promittitur. Testamentum enim novum vel vetus, etiam in sacra pagina accipitur, sive doctrina in qua continetur promissio, vetus vel novum, sive ipsa promissio. Et dicit : *Quotiescunque sumitis, facite in meam commemorationem*, id est in memoriam passionis meæ et mortis. [Ambrosius] Ostendit Apostolus ex his verbis mysterium eucharistiæ inter cœnandum celebratum non cœnam esse. Medicina enim spiritalis est, quæ cum reverentia degustata purificat sibi devotum, et memoria est nostræ redemptionis, ut Redemptoris nostri memores, majora ab eo consequi mereamur. Et quia in morte Christi liberati sumus, hujus in edendo et bibendo carnem et sanguinem memores esse debemus, in hoc consecuti novum testamentum, quod est nova lex, quæ obedientem sibi tradit cœlestibus regnis. Testamentum ergo sanguine constitutum est, quia beneficii divini sanguis testis est. Unde ad tuitionem corporis et animæ percipimus, quia caro Christi pro salute corporis, sanguis vero pro anima nostra sumitur. Et effusus est sicut præfiguravit Moses, dicens : *Caro*, inquit, *pro corpore nostro offertur; sanguis vero pro anima* (*Lev.* XVII). Ideoque non manducandum esse sanguinem lex præcipit. Et quia de corpore Domini plenior hic tractatus occurrit, breviter quæ de sacramento corporis et sanguinis scienda sunt videamus.

Itaque Dominus noster Jesus Christus de hoc mundo ad invisibilia æternæ majestatis transiturus celebrato sacramento veteris Paschæ, post typicum agnum in ultimo corpus suum et sanguinem in specie panis, vini tradidit discipulis. Ubi diligenter animadvertendum est quare post typici agni sacramentum sui corporis et sanguinis sacramentum dedit apostolis, et quare sub alia specie; et cum sub alia, quare potius sub ista; et cum sub ista, quare sub duplici. Deinde quare aqua admisceatur, post quid a bonis et quid a malis sumatur; deinde quæ ibi videntur esse vel fieri, utrum vere sint vel non.

Sciendum igitur ideo, post celebratum vetus Pascha, Dominum corpus et sanguinem suum dedisse discipulis, ut ostenderet veteris legis sacramenta cessatura inter quæ præcipuum erat agni paschalis sacramentum, et novæ legis sacramenta instituenda inter quæ excellit Dominici corporis sacramentum. Ideoque etiam post alia dedit, ut memoriæ discipulorum tenacius infigeretur, et ab Ecclesia deinceps frequentaretur. Sub alia vero specie ideo tradidit, et a fidelibus deinceps sumendum instituit, ut fides haberet meritum quæ non est de

A his quæ videntur, quia fides non habet meritum cui, h. r. p. ex [*sic*] Et ne abhorreret oculus quod teneret manus, et ne ab incredulis nobis insultaretur; in hac enim specie tradidit **99** quia res hujus speciei expressam habet similitudinem cum utraque re hujus sacramenti, contenta scilicet et significata, et significata et non contenta. Res contenta et significata est caro Christi quam de Virgine traxit, et sanguis quem pro nobis fudit. Res autem significata, et non contenta est unitas Ecclesiæ in prædestinatis vocatis, justificatis et glorificatis. Hæc est duplex caro Christi. Unde Hier. ait : Dupliciter intelligitur caro Christi, vel illa quæ crucifixa est et sepulta, vel illa spiritualis atque divina de qua ipse dicit : *Caro mea vere ci-* B *bus est, et sanguis meus vere est potus (Joan.* VI). Et item : *Qui manducat meam carnem in me manet et ego in eo,* (*ibid.*). Sunt itaque tria in hoc sacramento consideranda, unum quod tantum est sacramentum, alterum quod est sacramentum et res, tertium quod res et non sacramentum. Sacramentum et non res est species visibilis panis vel vini. Sacramentum et res, caro Christi propria et sanguis. Res et non sacramentum est mystica Christi caro. Porro species illa visibilis sacramentum est geminæ rei, contentæ scilicet et significatæ. Sacramentum vero est sacræ rei signum, et species illa utramque rem significat, et utriusque rei gerit expressam similitudinem. Nam sicut panis præ cæteris cibis corpus reficit et sustentat et vinum hominem lætificat atque inebriat, sic caro Christi interiorem hominem C magis cæteris gratiis spiritualiter reficit et saginat, quem et sanguis spiritualiter lætificat, et sic inebriat, ut sobrium reddat. Unde : *Calix tuus inebrians, quam præclarus est* (*Psal.* XXII). Habet etiam similitudinem cum re significata tantum, quæ est unitas fidelium, quia sicut ex multis granis conficitur unus panis, et ex pluribus acinis vinum in unum confluit, sic ex multis fidelium personis unitas Ecclesiæ constat, cujus etiam sacramentum est corpus Christi proprium quod de Virgine sumpsit; quia sicut corpus Christi ex multis membris puris et ab omni macula peccati immunibus constat, ita et unitas ecclesiastica ex multis personis mundis et immaculatis consistit. In cujus rei typo facta est arca Domini de lignis techni, quæ D sunt imputribilia et albæ spinæ similia. Ecce quare in hac specie dedit. Cum autem totus Christus sub specie panis, totus sub specie vini sumatur, cur non in una, sed in duabus dedit? Ideo ut ostenderetur Christus totam humanam naturam, id est animam et corpus assumpsisse, ut utrumque redimeret. Panis enim ad corpus refertur, vinum ad animam, quia vinum operatur sanguinem, in quo sedes animæ a physicis esse dicitur. Ideo ergo in duabus speciebus celebratur hoc sacramentum, ut animæ et carnis susceptio in Christo, et utriusque liberatio in nobis significetur. Ideo vero apponitur aqua, ut ostendatur nostra redemptio facta per Christi pas-

sionem, et ejus passio procurata pro nostra dilectione. Aqua enim genus humanum significat. Unde in Apocalypsi : *Aquæ quas vidisti*, *populi sunt* (*Apoc.* XVII), et gentes, quorum salus non posset esse sine passione Domini, nec Domini passio sine populi dilectione. Nisi enim nos diligeret, pro nobis se morti non traderet.

Post hæc videndum utrum a bonis et malis corpus Christi et sanguis sumatur. (51) Verumtamen ante hoc ostendi oportet verum corpus Christi esse in altari, quod a quibusdam incredulis esse negatur, quos et ipsa Veritas confutat, dicens : *Accipite, hoc est corpus meum*, et sanctorum auctoritates in medium deductæ. Ait enim Ambrosius : Antequam consecretur panis est et vinum, ubi autem verba Christi operata fuerint, corpus et sanguis Christi efficitur. Item : Sermo Christi qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quæ sunt mutare in id quod non erant? Item Eusebius : Invisibilis sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis et sanguinis sui verbi sui secreta potestate commutat. Item : (52) Est quidem etiam in peccatoribus et indigne sumentibus vera Christi caro et verus sanguis, sed essentia, non salubri efficientia. Item : (53) Multi accipiunt corpus Domini indigni, de quibus Apostolus : *Qui manducat corpus Domini, et sanguinem bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit.* Per quod docemur quam sit cavendum male accipere bonum. Ecce enim factum est malum, dum male accipitur bonum, sicut contra Apostolo factum est bonum, cum bene accipitur malum, id est dum stimulus Satanæ ei datur, et patienter portatur. Ecce ex his sanctorum testimoniis liquet verum Christi corpus esse in altari, et non modo a bonis, verum etiam a malis sumi.

His autem quædam videntur repugnare quæ silentio prætereunda non sunt. Ait enim Augustinus : Bonus accipit sacramentum et rem sacramenti, malus vero sacramentum et non rem. Ad quod dicemus sacramentum hic appellari corpus Domini de Virgine sumptum ; rem autem spiritualem carnem Christi quæ est unitas fidelium. Bonus ergo accipit sacramentum, id est carnem Christi propriam et sanguinem, et rem, id est unitatem fidelium, et gratiæ augmentum ; malus vero accipit sacramentum, id est corpus Christi sub sacramento, et non rem, id est unitatem Ecclesiæ. Et est : Bonus manducat spiritualiter et sacramentaliter ; malus vero sacramentaliter tantum. Item : Non manducans manducat, et manducans non manducat, id est non manducans sacramentaliter, manducat spiritualiter, et manducans sacramentaliter, non manducat spiritualiter. Ad quod videtur illa Collecta pertinere : *Perficiant in nobis, Domine, quæsumus, tua sacramenta quod continent, ut quæ nunc specie gerimus, rerum veritate capiamus, per Dominum,* etc., id est ut sicut sub specie sacramentali carnem Christi sumimus, ita rei veritate, id est spiritualiter carnem Christi sumamus. Vel aliter : *Perficiant in nobis*, etc., id est per hæc sacramenta præsta nobis, ut qui Christum sub sacramento videmus et sumimus, in futuro eumdem facie ad faciem, sicut est, videamus. Illud quoque huic veritati contrarie videtur quod Veritas dixit : Non hoc corpus quod videtis manducaturi estis, et bibituri illum sanguinem quem fusuri sunt qui me crucifigent, sed sacramentum aliquod commendavi vobis. Ex his verbis calumniatores veritatis audaciam sumunt oblatrandi nobis, quibus ne amodo errare liceat, illud involutum evolvimus. *Non hoc corpus*, etc., id est non in hac specie manducaturi estis, sed in sacramento non morsibus discerptum et laceratum, ut putatis, sed integrum et illæsum. Cum autem panis vel vinum a sanctis dicatur, et a cunctis fidelibus credatur transire in substantiam corporis et sanguinis, quæ sit illa conversio an formalis an substantialis quæri solet. Quod autem formalis non sit manifestum est, quia forma panis et vini remanet. Utrum vero sit substantialis perspicuum non est. Quidam enim dicunt sic substantiam in substantiam transire vel converti, ut hæc fiat illa, nec illa augetur, nec concedunt quod hæc esse illa vere dici possit. Alii autem sic dicunt hanc in illam transire vel converti, quia sub illis accidentibus sub quibus prius erat substantia panis et vini, post consecrationem est substantia corporis et sanguinis, quibus tamen ipsum corpus non afficitur. Nos autem incerta relinquentes, quod ex auctoritatibus certum est profitemur, scilicet substantiam panis et vini in substantiam corporis et sanguinis Dominici converti, modum vero conversionis ignorare non erubescimus fateri. De priori autem substantia quædam remanent, scilicet color, sapor, forma, pondus, quæ prioris substantiæ accidentia fuerunt, quæ nec ipsum Christi corpus afficiunt, nec in eo fundantur. Si vero quæritur ubi fundentur, dicimus nobis potius videri quod sint sine subjecto quam in subjecto.

De fractione etiam illa quæri solet, quæ ibi fieri videtur cujus rei vel in qua re sit, cumque ibi non sit alia substantia quam corpus Christi, si in aliqua substantia est, in ipso corpore esse videtur, sed contra, cum ipsum corpus incorruptibile sit, quia immortale est et impassibile, in ipso non posse esse videtur. Unde et Christus redarguit carnalem sensum discipulorum, qui putabant Christi carnem sicut aliam in partes esse dividendam et morsibus lacerandam. Ideo plures dicunt quod non est ibi fractio, sed videtur tantum. Quibus objicitur, quod Ambrosius ait : Nihil falsum putandum est in sacrificio veritatis, vel sicut fit in magorum præstigiis, ubi delusione quadam falluntur oculi, ut videant esse quod non est. Ad quod illi dicunt : Non fallit nos visus nec fallitur : quod esset, si crede-

(51) Augustinus, De sacramentis.
(52) Gregorius in lib. Dialogi III.
(53) Augustinus, De verbis Evangelii.

retur sic frangi, ut videtur; nec illusio est, quia ad utilitatem fidei, non ad deceptionem sic fit. Alii dicunt quod ibi fit fractio, non quidem in corpore, sed in ipsa forma panis sacramentali, quod videtur Apostolus velle dicens : *Panis quem frangimus*. Item Augustinus : Quando Christus manducatur vita manducatur, nec partes de illo facimus, et quidem in sacramento sic fit. Item : Unusquisque partem suam accipit, per partes manducatur et manet integer. Ecce ex his patet quod integrum et incorruptum corpus Christi manducatur, et si fractio vel partitio ibi est, non in ipso est, sed in sacramento esse videtur. Alii dicunt quod ibi fit fractio et nullius rei, quia ibi nihil frangitur. Sicut enim sunt ibi accidentia sine subjecto, sic mirabiliter potest ibi esse fractio in accidenti, et sine omni re quæ frangatur. Magnum est enim et inscrutabile istud mysterium. Unde Ambrosius : Quid quæris naturæ ordinem in Christi corpore, cum præter naturam fit ipse Domini partus ex Virgine, credere jubemur, discutere non permittimur. Sciendum etiam quod licet diversæ sint ibi species panis et vini, non tamen duo sacramenta dici debent, sed unum, quia sub utraque specie idem sumitur. Sciendum etiam quod in prolatione illorum verborum : *Hoc est corpus meum*, et, *hic est calix*, mysterium consumatur, et panis in corpus Christi convertitur.

Solet etiam quæri quale dederit apostolis, dicemus quale tunc erat, id est passibile et mortale.

Præterea quæri solet si non est ibi substantialis conversio uti quibusdam placet, sed quodam locutionis tropo dicatur transire vel converti hoc in illud, eo scilicet quod sub illis accidentibus sumatur, sub quibus erat substantia panis et vini, quod
100 de ipsa substantia panis et vini factum sit. Ad quod illi respondent, vel in præjacentem materiam resolutam, vel in nihilum redactam, quod potest ille facere qui de nihilo cuncta creavit.

Solet etiam quæri si aqua non apponatur oblivione, vel negligentia, an irritum sit. Quod cum de auctoritate nobis certum non sit, sine assertione quod nobis videtur, dicemus. Quod si non animo introducendi hæresim, sed oblivione prætermittitur, non ideo minus conficitur. Verumtamen graviter puniendum est, nec Græci aquam addunt. Illud etiam sciendum quod a brutis animalibus corpus Christi non sumitur, etsi videatur. Quid ergo sumit materia? quid manducat? Forte vel nihil, vel substantiam panis sub speciem suam reductam. Post hæc partes illæ quæ ibi videntur fieri quid significent videamus. [Sergius papa] Triforme est corpus Christi : pars oblatæ in calicem missa, corpus Christi quod jam resurrexit monstrat; pars comesta, ambulantem adhuc super terram; pars in altari usque ad finem remanens missæ, corpora sanctorum usque in finem sæculi in sepulcris jacentia.

VERS. 26-29. — *Quotiescunque enim manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat. Itaque quicunque manducaverit panem et biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat. Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini.*

Quotiescunque, etc. Hic exponit in quam Christi commemorationem sumatur, mortis scilicet. Quasi dicat : Ideo debetis sumere in memoriam passionis : *Quotiescunque enim manducabitis panem hunc et calicem bibetis mortem Domini*, pro vobis factam, *annuntiabitis*, id est repræsentabitis quod utique faciendum est, *donec* Dominus *veniat* ad judicium, quia hoc non mutabitur usque tunc, sicut sacramenta Judæorum, et quia in commemoratione mortis debet sumi. *Itaque quicunque manducaverit hunc panem, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini.* (54) Ecce ex his patet quod sancta obsunt malis, in bonis sunt ad salutem, in malis ad judicium. Utique sanctum est quod accipimus, nec ideo reus est qui accipit, quia illa res mala est quam accipit, sed quia ille malus male accipit, quod accipit. Quam cavendum est igitur male accipere bonum, quia male acceptum obest malis, sicut ediverso, mala patienter portata prosunt bonis, ut Paulo angelus Satanæ. [Ambrosius] Attende quod ait : *Qui manducat et bibit indigne*. Indignus est qui aliter celebrat mysterium eucharistiæ quam a Christo traditum est, et qui non devota mente accedit ad eucharistiam vel in voluntate peccandi manens. Et ille talis, *reus est corporis et sanguinis Domini*, quia beneficium ejus intuitum ducit. Vel, reus est, etc., id est mortis Christi pœnas dabit, ac si Christum occiderit punietur. Vel, reus est, etc., (55) id est de bono male sumpto maculam trahet. Ideoque recte Apostolus consulit subdens : *Probet autem homo*, id est examinet et purget seipsum, ut si peccata sunt quotidiana, vel non sint mortifera, et dimittat confratri accessurus ad altare, et dicat : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.* VI), et sic securus accedens, *de pane illo edat, et de calice bibat*. Panis est salutaris, non venenum mortiferum quod edis. Sed vide si dimittis debitoribus; nam si non dimittis mentiris, et ei mentiris quem non fallis. Mentiri Deo potes, sed ipsum fallere non potes. Intus enim te inspicit et examinat. Dico, probet se quisque, nam qui aliter agit, mortem sumit. Et hoc est quod subdit : *Qui enim manducat et bibit indigne*, ut qui in crimine est, vel qui irreverenter tractat, *judicium*, id est damnationem, *manducat et bibit*, et hoc sibi non tibi. (56) Secure ergo tolera malum bonus, ut venias ad præmia bonorum : non potest te inquinare malus. Nam et Judas cum Petro conversari potuit, sed eum inquinare non valuit, et ad ipsam Domini

(54) Augustinus super Joan.
(55) Ibid.
(56) Ibid.

cam cœnam pariter accessit, sed Petrus accepit ad A vitam, Judas ad mortem. *Non*, etc. [Augustinus] Quasi dicat : Propter hoc judicium manducat qui indigne manducat, quia non est dijudicans, id est discernens *corpus Domini* ab aliis cibis, sed indiscrete et negligenter sumit, venerationem singulariter debitam non exhibens. Per hoc docet devote et cum timore accedendum esse ad communionem, quia Dominus est cujus caro sumitur ut gratiam videamur reddere Redemptori.

(57) Quæritur an quotidie sit sumenda eucharistia, an eligendi sint dies, quibus homo purius continentiusque vivens ad tantum sacramentum dignus accedat. Huic quæstioni recte respondet, qui monet ut præcipue in Christi pace permaneatur, et ut quisque faciat quod secundum fidem pie credit esse fa- B ciendum. Nam et Zachæus et centurio, cum alter Christum in domum suam gaudens receperit (*Luc.* XIX) ; alter vero dixerit : *Non sum dignus ut intres sub tectum meum* (*Luc.* VII), Salvatorem honorificaverunt, licet diverso, et quasi contrario modo. Ad hanc etiam similitudinem valet quod in antiquo populo unicuique piorum manna secundum propriam voluntatem in ore sapiebat, sic in ore cujusque Christiani, Christi corpus vel quotidie, vel certis horis sumptum. Nam aliquis honorando non audet quotidie sumere, et alius honorando non audet ullo die prætermittere. Contemptum solum non vult iste cibus, sicut nec manna fastidium. Ideo Apostolus contra eos qui a cæteris cibis singulari veneratione hunc non discernebant, ait : *Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit;* et addit : *Non dijudicans corpus Domini.* (58) Item quæritur quomodo hic aliquis manducans, dicatur judicium manducare cum Dominus dicat : *Qui manducat me, ipse vivet propter me* (*Joan.* VI). Ad quod dicimus duos esse modos manducandi, unum sacramentalem quo manducant tam mali quam boni, alterum spiritualem quo soli boni manducant, secundum illud : Quid est Christum manducare ? (59) Non est hoc solum in sacramento corpus ejus accipere, sed in ipso manere, et habere Christum in se manentem. Spiritualiter enim manducat, qui in unitate Christi et Ecclesiæ quam ipsum sacramentum significat manet. (60) Nam qui discordat a Christo, nec carnem Christi manducat, nec sanguinem bibit, etsi sacramentum tantæ rei ad judicium quotidie accipiat. De hac spi- D ritali manducatione ait Augustinus : Utquid paras dentem et ventrem ? crede et manducasti. *Ideo inter vos*, etc. Hic imaginem judicii futuri ostendit in eos, qui inconsiderate corpus Domini accipiunt, ut hinc cæteri discerent non inultum esse corpus Domini irreverenter accipere, et exemplo illorum territi emendentur, quasi dicat, quia indigne sumunt.

VERS. 30-34. — *Ideo inter vos multi infirmi et imbecilles, et dormiunt multi. Quod si nosmetipsos dijudicaremus, non utique iudicaremur. Dum judicamur autem, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur. Itaque, fratres mei, cum convenitis ad manducandum, invicem exspectate. Si quis esurit, domi manducet, ut non in judicium conveniatis. Cætera autem, cum venero, disponam.*

Ideo inter vos multi infirmi, febribus et aliis infirmitatibus, *et imbecilles*, longa invaletudine, *et multi dormiunt*, [Ambrosius] id est moriuntur morte corporali : hoc autem fit ad correctionem aliorum. Quod *si vos.* [Augustinus] Quasi dicat : Ita hæc mala ex indigna assumptione veniunt. Sed si mentis nostræ tribunal ascendentes accusante cogitatione, et teste conscientia, *nosmetipsos dijudicaremus*, pœnitendo, et timore tanquam carnifice nos torquente, quasi quidam animæ confitentis sanguis per lacrymas proflueret, *non judicaremur*, id est non puniremur a Deo. Nam quicunque se judicaverit non damnabitur. (61) Versetur ergo ante oculos imago judicii futuri, et ascendat homo adversum se tribunal mentis suæ, constituat se ante faciem suam, atque constituto in corde judicio adsit accusatrix cogitatio et testis conscientia et carnifex timor. [Augustinus] Inde quidam sanguis non confitentis per lacrymas profluat. Postremo ab ipsa mente sententia talis proferatur, ut se indignum homo judicet participatione corporis et sanguinis Domini, ut qui separari a regno timet per ultimam sententiam, ad tempus per ecclesiasticam disciplinam a sacramento C cœlestis panis separetur. (62) Indigne enim accipit, si tunc accipit cum debet agere pœnitentiam. Ergo prius se judicet, et severitate pœnitentiæ se exerceat, ut a seipso judicatus non judicetur a Domino. (63) Peccata enim sive parva, sive magna sint, impunita esse non possunt, quia vel homine pœnitente, vel Deo judicante plectuntur. Cessat autem vindicta divina, si confessio præcurrat humana. Unde ait : Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur, id est non puniremur vel prædictis infirmitatibus, vel pœna æterna. *Dum judicamur autem.* [Ambrosius] Quasi dicat : Dico non judicaremur, sed nec judicium temporalis pœnæ aliis est inutile, quia, dum judicamur his temporalibus pœnis, *a Domino corripimur*, secundum alios, quia timore pœnæ nostræ alii emendantur, in paucis enim est omnium emendatio. (64) Vel nos ipsi corripimur pœna nostra qua judicamur, id est punimur, quia eisdem etiam qui patiuntur pœna propria est aliquando purgatio, ut prophetæ Abdo qui prohibitus ab altero propheta comedit, sicut legitur in libro Regum : (65) *Hæc dicit Dominus, quia inobediens fuisti, et non custodisti* **101** *mandatum quod præcepit tibi Dominus*

(57) Augustinus ad Adrianum.
(58) Id., in sermone De blasph. Spiritus sancti.
(59) Id., De verbis Evangelii.
(60) Id., in libro ser. Proverb.
(61) Id., De pœnitent.

(62) Id., ad Januarium.
(63) Id., De lib. S. Prosp.
(64) Id., ad Paulinum episcopum.
(65) Aliter in historia.

dicit Jesus est Dominus, nisi a Spiritu sancto, a quo est omne verum. Omne enim verum a quocunque dicatur, a Spiritu sancto est. Non enim adulatione hominum Jesus dicitur Dominus, ut est in idolis, quæ ex hominibus dii vocantur, cum non sint. Homo enim invenit, vel diabolus, ut Deus dicatur qui non est, sed quod Jesus dicitur Dominus Spiritus sanctus veritate professum est. Non est ergo favor hominum et beneficium quod Jesus Dominus dicitur, sed donum Dei, qui mysterium suum hominibus declaravit ; nec qui hoc dicit præstat beneficium religioni, sed accipit, ut gratia hominum, cum quod idola dii dicuntur, cum non sint. Unde et antistites eorum hominibus subjecti sunt. In regula vero Christiana aliter est, quia non præstant religioni beneficium, dicentes Deum esse Jesum, sed accipiunt unde humiliari debent, ut patiantur se argui, non quærant adulationibus deliniri.

Vers. 4-10. — *Divisiones vero gratiarum sunt, idem autem Spiritus. Et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus. Et divisiones operationum sunt, idem vero Deus qui operatur omnia in omnibus. Unicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem. Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii autem sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum, alteri fides in eodem Spiritu, alii gratia sanitatum in uno Spiritu, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum.*

Divisiones, etc. Præmisso fonte gratiarum ipsas gratias divisas ostendit. Quasi dicat : Hoc est commune omnibus quod nemo potest vitare malum et facere bonum nisi per Spiritum. Sed divisiones gratiarum, id est gratiæ divisæ sunt. Non ergo minor desperet, nec major superbiat, dum audit gratias. Gratias autem hic appellat diversos gradus et ordines qui sunt in officiis Ecclesiæ. [Ambrosius] Sic enim qui dicit Jesus et Dominus, ex gratia habet, ita in officiis Ecclesiæ, gratia est quæ non est divisa per tres personas, sed indiscrete trium personarum, id est Patris et Filii et Spiritus sancti, unum est opus, quas personas subsequenter significat per tria nomina quæ ponit, scilicet Spiritus, Dominus, Deus. [Augustinus] Vel gratias hic dicit ipsas virtutes gratis a Deo datas, sicut fidem, spem et hujusmodi. Et est : *Divisiones gratiarum*, id est donorum Spiritus sancti, scilicet virtutes quæ gratis dantur ; *idem autem Spiritus* est dator omnium, æque quantum ad se benignus omnibus. *Et divisiones ministrationum sunt*, quibus alii aliis subserviant, *idem autem Dominus*, scilicet Filius dans singulis pro arbitrio suo. *Et divisiones operationum sunt*, quia et sunt opera majora, et opera minora, *idem vero* dator, scilicet *Deus* Pater. Nota quod prius virtutes significavit, dicendo gratiarum, quarum effectus significat, dicendo

A nimis, et operationum. Earum enim effectus sunt, quantum ad proximos ministratio, quantum ad se, operatio. Quod vero dicit singulariter, Spiritus, Dominus, Deus, eadem prorsus substantia deitatis intelligitur, sed trinitas in personis. Ne vero Pater et Filius et Spiritus sanctus, alia et alia separatim operari viderentur, ex eo quod Spiritui gratias, et Domino ministrationes, et Deo operationes supposuerat, omnia referens ad unum Deum, subdit quod *Deus operatur omnia* necessaria *in omnibus*, non uni omnia tribuit, sed in omnibus omnia operatur, ut quod non habet quis in se, habeat in alio, et sic maneat charitas et humilitas (68). Si enim humilis es et amas unitatem, tibi habet quisquis in illa aliquid habet, tolle invidiam et tuum est quod habeo ;
B livor separat, charitas jungit. Sicut in humano **102** corpore oculus solus videt, sed non sibi soli, sic Spiritum sanctum habes, si Ecclesiam amas. Amas autem, si in ejus compage consistis et charitate. Hæc charitas est donum Spiritus sancti, quod superat omnia ut post dicet. *Unicuique autem.* [Ambrosius] Quasi dicat : Diversa sunt dona, et non ad meritum alicujus hominis singulariter dantur, sed ad utilitatem Ecclesiæ ædificandæ, quod ita ait : *Unicuique autem datur manifestatio Spiritus*, id est gratia, per quam patet quod in eo est Spiritus sanctus. *Ad utilitatem* Ecclesiæ, quia etiam minor qui est in ea prodest (69). Nota quod Deus, cum sit natura incorporea et incommutabiliter viva, æterna stabilitate in seipso manens, totus adest rebus omnibus, et singulis totus, sed in quibus
C habitat, habent eum pro suæ capacitatis diversitate, alii plus, alii minus, quos ipse sibi dilectissimum templum gratia suæ bonitatis ædificat, de quibus exsequitur Apostolus per partes determinans quod dixerat. *Alii quidem per Spiritum*, non per meritum, *datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum.* (70) Distingue inter sapientiam et scientiam. Sapientia est in contemplatione æternorum. Et quid est in æternis nisi Deus ? cujus solius immutabilis est natura. Scientia vero est in actione temporalium. Unde Job : *Ecce pietas est sapientia, abstinere a malis scientia est* (*Job.* XXVIII). Pietatem hoc loco posuit Dei cultum, quæ Græce dicitur *theosebia*. Et quis cultus est, nisi amor et cognitio ejus ? Scientia vero quam dixit
D esse abstinere a malis, rerum procul dubio temporalium est, quia in temporalibus mala sunt, in quibus caute et prudenter conversandum est. Cui autem datur sapientia, quasi sol est ; cui scientia, luna in nocte sæculi. Illi quibus cætera dantur, stellæ sunt, quia et hæc in nocte necessaria sunt. Unde in Psalmo : *Solem in potestatem diei, lunam et stellas in potestatem noctis* (*Psal.* CXXXV). [Augustinus] Et nota quod non simpliciter ait, alii datur sapientia, alii scientia, sed ait, *sermo sapientiæ* et *sermo scientiæ*, per hoc significans quia non solum

(68) Augustinus, super Joannem.
(69) Id., ad Dardanum de præsentia Dei.
(70) Id., De Trinitate.

temnenda, vel præferenda est, quasi ex se perfecta sit, nec hominibus gloria Dei danda, quia unus et idem Deus in omnibus operatur. *Nam*, etc. Ostendit per similitudinem humani corporis, unitatem corporis Christi, id est Ecclesiæ habere varietatem officiorum, et diversitatem hanc non tollere unitatem, sicut humani corporis unitas non in singularitate consistit, sed in multis membris ut invicem sibi præstent quod debent. Quasi dicat : Bene omnes fideles sunt unum corpus, *nam et corpus* humanum cui Ecclesia similis est, *non est unum membrum, sed multa*, ita in Ecclesia non omnes unius officii et doni sunt. Et quia unus spiritus dat omnia, *si dixerit pes*, id est aliquis, cui donum inferius datum est : *Quoniam non sum manus*, id est tam dignus ut ille cui operatio virtutum datur, *non sum de corpore, num*. Vel, *num. ideo non est de corpore*, quia enim de primis non est, *num ideo non est necessarius ; et* similiter *si dixerit auris*, id est ille qui habet scientiam : *Quia non sum oculus*, id est tam dignus ut ille qui habet sermonem sapientiæ, *num*, vel, *non sum de corpore, ideo non est de corpore* ? est utique, quia si non est illud potest esse aliud. Item : *Si totum corpus* esset *oculus, ubi* esset *auditus* ? id est auris. Et *si totum* esset *auditus*, id est auris, *ubi* esset *odoratus* ? [Augustinus] id est nares, per quod intelligitur ille cui datur discretio spirituum. Quasi dicat : Si in Ecclesia omnes essent unius officii, quomodo impleretur necessitas corporis, cujus gubernationi diversis opus est.

VERS. 18-30. — *Nunc autem posuit Deus membra, unumquodque eorum in corpore, sicut voluit. Quod si essent omnia unum membrum, ubi corpus? Nunc autem multa quidem membra, unum autem corpus. Non potest autem dicere oculus manui :* **103** *Opera tua non indigeo ; aut iterum caput pedibus : Non estis mihi necessarii. Sed multo magis quæ videntur membra corporis infirmiora esse necessariora sunt. Et quæ putamus ignobiliora membra esse corporis, his honorem abundantiorem circumdamus. Et quæ inhonesta sunt nostra, abundantiorem honestatem habent. Honesta autem nostra nullius egent. Sed Deus temperavit corpus ei cui deerat abundantiorem tribuendo honorem, ut non sit schisma in corpore, sed in idipsum pro invicem sollicita sint membra. Et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra ; sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra. Vos autem estis corpus Christi, et membra de membro. Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum apostolos, secundo prophetas, tertio doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum. Nunquid omnes apostoli ? nunquid omnes prophetæ nunquid omnes doctores ? nunquid omnes virtutes ? nunquid omnes gratiam habent curationum ? nunquid omnes linguis loquuntur ? nunquid omnes interpretantur ?*

Nunc autem. Quasi dicat : Sed propter inconvenientia hæc vitanda, *nunc posuit Deus*, id est providentia et rationabili voluntate aptavit *membra* diversa *in corpore*, ut nihil desit illi, ita et in Ecclesia diversas personas, quibus tribuit munera diversa, et *unumquodque eorum* membrorum, scilicet majus vel minus posuit, *in corpore*, id est in constitutione corporis, *sicut voluit*, id est sicut sibi visum est, modo multa membra sunt in corpore. *Quod si essent omnia unum membrum, ubi* esset *corpus*, quod non nisi diversis subsistere potest ? Quasi dicat : Non modo periret multitudo sensuum, sed etiam corpus. Ita si in Ecclesia omnes essent unius officii et indignitatis, non dicerentur membra, neque corpus. *Nunc autem* ne corpus pereat, *multa quidem membra* sunt, *unum autem corpus* est, de omnibus. *Non potest autem*. Quasi dicat : Diversa sunt membra, sed majora non possunt dicere minoribus quod eis non egeant. [Ambrosius] Et hoc est quod ait : *Non potest autem dicere oculus manui* : *Opera tua non indigeo*, quia si oculus prævidet manus operatur ; *aut iterum caput pedibus* non potest dicere : *Non estis mihi necessarii*. Ita in Ecclesia, potior non potest dicere inferiori : Non es mihi necessarius. Potest enim aliquid humilis, quod non sublimis. Potest ferrum quod non potest aurum ; ipsa etiam dignitas non subjectis contemptibilis est. Officium est enim per quod dignitas constat. Magnus imperator necessarium habet exercitum, ideoque subdit : *Sed multo magis membra corporis quæ videntur infirmiora esse*, id est justiora, *necessaria sunt*, aliquando. Et ideo ipsa inferiora a superioribus non debent sperni, sed amplius honorari. Unde subdit : *Et quæ putamus ignobiliora esse membra corporis, his circumdamus abundantiorem* vestimentorum *honorem*. Ita et minus dignis in Ecclesia exhortatio necessaria est, quia illis aliquis honor detur, ut fiant utiles ; *et quæ inhonesta* vestra *sunt, ut pudenda, habent abundantiorem honestatem* a vobis celantibus ea. (75) Attende quod ait, inhonesta. Absit ut in membris sanctorum sit aliqua turpitudo! sed dicuntur inhonesta, quia non habent eam speciem decoris quam habent ea quæ in promptu sunt ; vel propter legem membrorum quæ de peccato venit. Non de prima institutione nostræ naturæ, usus membrorum illicitus turpis est, non membra ipsa. Ita et in Ecclesia illi qui per aliquod peccatum inhonesti sunt, abundantius adjuvantur consolationibus et orationibus, ut honesti fiant. Vel per inhonesta membra significantur quidam fatrum, qui, cum sint inhonesti egestate et habitu, habent tamen abundanter honorem, quia sunt aliquando vitæ mundioris. *Honesta autem* vestra *membra*, quæ per se satis honoris habent, *nullius egent* eorum quæ illis inhonestis fiunt, sed per ea sunt alia honoranda. Ita et fratribus in quibus studium peritæ conversationis ornavit honestas, nihil est quod a nobis addatur. *Sed Deus*. [Ambrosius]

(75) **August., contra Faustum.**

quæ charitas, ut oleum non potest premi in imo, sed superexcellit. (77) Attende quanta est charitas quæ, si desit, frustra habentur cætera; si autem adsit alicui habentur omnia, vel in se, vel in aliis. Quam cum habere cœperit, Spiritum sanctum habebit; quam si non habuerit, sine Spiritu sancto erit. Et sicut corpus sine anima mortuum est, sic anima sine charitate mortua deputabitur. Hæc est enim vestis nuptialis qua induti convivæ securi discumbunt. (78) Hac veste pellitur frigus, quo frigebat Petrus calefaciens se ad prunas Caiphæ. Hæc sola est quæ dividit inter filios regni et filios perditionis. Dantur quidem et alia per spiritum munera, sed sine charitate nihil prosunt. (79) Nisi ergo tantum impertiatur cuique Spiritus sanctus, ut eum Dei et proximi faciat amatorem, a sinistra non transfertur ad dexteram, nec Spiritus sanctus proprie dicitur donum, nisi per dilectionem qua cætera tenentur. Unde Dominus ait : *Qui habet dabitur ei, et qui non habet etiam id quod habet auferetur ab eo* (*Luc.* VIII) quia qui habet charitatem, addetur ei : qui vero non habet, etsi ad tempus habet, hæc dona auferentur. Habet quod gratiam possidendi nomen Christianum, sed non habet charitatem utendi re nominis; et ideo quod habet auferetur. [Augustinus] *Et si habuero prophetiam* futurorum, quam et mali habuerunt, ut Balaam et Saul et Caiphas; [Ambrosius] *et si noverim mysteria omnia*, id est occulta Novi et Veteris Testamenti, quæ etiam mali noscunt, ut Judas cum apostolis, et diabolus qui, ut Ezechiel dicit, mysteria divina novit, cum in paradiso Dei illum fuisse, et pretiosos lapides habuisse testatur, sed nihil illi profuit, quia sine charitate in superbiam prosiluit; *et si noverim omnem scientiam*, divinam et humanam, ut Scribæ et Pharisæi, unde Dominus ait: *Vos habetis clavem scientiæ, sed nec intratis, nec alios intrare sinitis* (*Matth.* XXIII); *et si habuero omnem fidem*, de omni re unde est habenda, *fidem*, dico ita perfectam *ut montes transferam*, ad litteram, vel dæmones a patientibus, *charitatem autem non habuero, nihil sum*, id est nihil mihi prodest ad vitam. [Augustinus, Ambrosius] Et si illa magna sint, habent illa utique etiam mali, quæ et confitebuntur in judicio ubi non audebunt etiam mentiri; quibus non dicetur: Non habuistis, sed : *Non novi vos* (*Matth.* VII). quia sine charitate habuerunt.

VERS. 3-9.—*Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Charitas patiens est, benigna est. Charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non guadet super iniquitate, congaudet autem veritati, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Charitas nunquam excidit, sive prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur. Ex parte enim cognoscimus, et ex parte prophetamus.*

Et si distribuero omnes facultates meas, id est quidquid mihi licet habere, *in cibos*, id est in necessaria, *pauperum*, non divitum qui reddunt. Et nota quod ait, distribuero. Per hoc enim cautela eleemosynæ docetur, ut non uni, sed multis detur, ut pluribus prosit. *Et si tradidero corpus meum*, ut Laurentius fecit, *ita ut ardeam.* (80) Vel, at. Quod et jactanter fit aliquando. *Charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Sine charitate quippe hoc potest esse, sed non prodesse; (81) sicut et opera bona, non ex quantitate sui, sed ex charitate plus vel minus prosunt. Impar quidem facultas est multum vel parum danti, sed non impar charitas, et ideo tantum est dare calicem aquæ, quantum fuit Zachæo dare dimidium patrimonii. [Augustinus] In charitate dignoscuntur discipuli Christi, non in prophetia, fide et aliis. Dilectio enim quæ est ex Deo, et Deus est proprie Spiritus sanctus est, per quem in nobis diffunditur Deus charitas, per quem nos tota inhabitat Trinitas, quocirca, rectissime Spiritus sanctus cum sit Deus, vocatur etiam donum Dei, *Charitas patiens est*, etc. Quasi dicat : Item charitas ideo dignior est, quia hæc bona affert. Charitas enim patiens est, habitu patientiæ in anima, *benigna est*, larga egenis. *Charitas non æmulatur*, id est non invidet. Quia non eam aliena contristat felicitas, sed alterius bonum diligit ut suum, *non agit perperam*, id est perverse, *non inflatur*, si prospere cedit, *non est ambitiosa*, id est non vult aliis præponi, *non quærit quæ sua sunt* tantum, sed quæ aliorum. Vel, non quærit quæ sua sunt, id est ablata sibi non repetit, quia non est amatrix pecuniæ. *Non irritatur*, id est non provocatur ad iram, et non solummodo non nocet alicui, sed *non cogitat malum, non gaudet super iniquitate*, sed dolet videns aliquem ruere in iniquitatem, *congaudet autem veritati*, id est operibus justitiæ, vel verbis veritatis, *omnia suffert*, in actu pro veritate, sicut in Noe apparet, qui multa sustinuit, *omnia credit*, (82) quæ veritas suadet, sicut in Abraham apparuit, qui credidit Deo vocanti et promittenti. Et nota quod ait, *omnia credit*, non dicit omnibus, quia non omnibus, sed Deo tantum credit, *omnia sperat*, quæ veritas promitit, ut apparet in antiquis patribus, id est in populo Israel, qui speraverunt habere quod promittebat Deus, *omnia sustinet*, id est promissa omnia patienter exspectat, sicut apparet in ipso capite, id est in Christo, qui patienter exspectavit gloriam resurrectionis et ascensionis. Hæc sunt arma quibus miles Christi armatur, cujus armaturæ, quasi præcipua arma præmisit patriam et benignitatem. (83) Quarum

(77) Augustinus, super Joan.
(78) Id., De miraculis v panum.
(79) Id., De Trinitate.
(80) Id., De Trinitate,
(81) Id., in psalm. CXX.
(82) Id., De quatuor virtutibus.
(83) Id., super Ezech.

mate, id est obscure, *tunc autem* videbimus *facie ad faciem*, id est manifeste, a simili recto vultu se intuentium. Est enim quædam visio hujus temporis, erit altera visio futuri. Ista est per fidem, illa erit per speciem. Et *nunc*, non solum alii, sed etiam ego ipse, *cognosco ex parte*, id est obscure, imperfecte, *tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum*, id est videbo promissa, sicut videor a promittente, id est cognoscam Deum, sicut et ipse me cognovit, scilicet sicut ipse est. Hoc est præsentem esse ad Deum, ubi Christus est. Vel, cognoscam sicut et cognitus sum, id est sicut præscitus sum cognoscere, quod modo est secretum. *Nunc autem*. Quasi dicat : Tunc cognoscam, sed nunc ut ad id perveniam, *manent hæc tria*. Quasi dicat : Quæ pauca sunt, sed multum utilia, scilicet *fides, spes, charitas*, quibus scientia et prophetia militant, sine quibus nullius justi est vita perfecta, quæ tamen in his, etiam comparatione futuri imperfecta est. (87) *Major autem his*, vel *horum*, *est charitas*, quæ his discedentibus permanebit aucta, cui fides et spes hic non possunt deesse, sed fides et spes sine charitate possunt esse, quamvis non sit pia fides, vel spes sine charitate. Et quia major aliis est charitas. Ergo

CAPUT XIV.

VERS. 1-5.— *Sectamini charitatem, æmulamini spiritualia, magis autem ut prophetis. Qui enim loquitur lingua, non hominibus loquitur, sed Deo. Nemo enim audit. Spiritus autem loquitur mysteria. Nam qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem et exhortationem et consolationem. Qui loquitur lingua, semetipsum ædificat ; qui autem prophetat, Ecclesiam Dei ædificat. Volo autem omnes vos loqui linguis, magis autem prophetare. Nam major est qui prophetat quam qui loquitur linguis, nisi forte interpretetur, ut Ecclesia ædificationem accipiat.*

Sectamini toto desiderio *charitatem*, quæ est dulce et salubre vinculum mentium, sine qua dives pauper est, et in qua pauper dives. Et *æmulamini* etiam, id est desiderate alia *spiritualia*, id est alia dona Spiritus sancti. [Ambrosius] Sed post charitatem *magis autem* desiderate, *ut prophetis*, quam loquamini linguis, id est magis prophetias quam linguas. Et ita vere faciendum est. *Qui enim loquitur lingua*, incognita et peregrina, *non hominibus loquitur*, id est intelligentiæ hominum. Et ita ex hac re nullus est eis profectus, *sed Deo*, cujus laudes dicit, qui et intelligit, ideo non hominibus loquitur. *Enim*, id est quia, *nemo*, qui sit, homo, id est carnalis, *audit*, id est intelligit quæ dicit. *Spiritus autem*, Quasi dicat : Et quia nemo intelligit, certum est quod non ipse homo, sed *Spiritus* sanctus *loquitur* per eum *mysteria*, scilicet de Deo secreta. (88) Vel ita : Qui enim, ut aliter accipiatur lingua, et fiat distinctio inter spiritum et mentem, quia enim in lingua, id est in membro illo corporis quod movemus, in ore

A cum loquimur, signa rerum dantur, non res ipsæ proferuntur. Ideo translato verbo linguam hic dicit prolationem, ubi sunt significationes velut imagines rerum, quæ ut intelligantur indigent mente, id est intellectu mentis. Dum vero non intelliguntur, dicuntur in spiritu, non in mente. Mens autem hic accipitur superior vis animæ, spiritus vis ejusdem, animæ inferior mente, cui rerum imagines imprimuntur. Lingua ergo est quælibet signorum prolatio, quo cum intellectus accedit, quæ est mentis, vel revelatio fit, vel agnitio, vel prophetia, vel doctrina : de quibus subsequenter aget. Et sciendum quia loquens lingua, aliquando non intelligebat, aliquando intelligebat, sed aliis exponere non valebat, sed aliquis forte interpretabatur aliquando, et videbat

B et intelligebat et interpretabatur, ut, verbi gratia, (89) Pharao in spiritu vidit septem spicas et septem boves, illorumque prolatio, quasi lingua fuit, sed non intellexit quid significarent. Ideoque propheta non erat. Proinde cui signa per aliquas rerum corporalium similitudines demonstrabantur in spiritu, si non intelligerentur, nondum erat propheta. Magisque propheta dicendus est, qui interpretatur quod alius videt, quam is qui videt, ut Joseph magis quam Pharao. Pharao vidit spiritu. Joseph mente ; illius spiritus informatus est ut videret imagines ; hujus mens illuminata, ut intelligeret veritatem. Et ideo in illo erat lingua, in isto prophetia, quia in illo rerum imaginatio, in isto imaginationis interpretatio. Minus est ergo propheta qui rerum significatarum solo spiritu prævidet ima-

C gines, et magis est propheta, qui solo earum intellectu præditus est. Sed maxime propheta, qui utroque præcellit, ut qui videt in spiritu significationes, et eas mente intelligat, ut Daniel, qui et somnum regis quod viderat dixit, et quid significaret aperuit. Nam et ipsæ etiam imagines in spiritu ejus expressæ sunt, et earum intellectus revelatus in mente est.

Secundum hoc prosequere litteram. Quasi dicat : Ideo magis desideranda est prophetia quam lingua, quia *qui loquitur lingua*, id est qui profert aliqua signa sine intellectu, *non hominibus loquitur*, *sed Deo*. Hoc non mutatur. Et vere non hominibus. *Nemo enim audit :* nec hoc mutatur. *Spiritus autem* hominis, non mens, *loquitur mysteria*. [Augustinus] Vel, *spiritu*, alia littera, non mente, *loquitur* ille *mysteria*. Spi-

D ritus hic potest intelligi animæ vis inferior, cui imagines rerum et verborum insigniuntur. *Nam*, etc. Quasi dicat : Bene de isto dico quod non loquitur hominibus. *Nam qui prophetat*, mente intelligendo, et interpretationes aperiendo, id est qui exponit Scripturas quæ multis occultæ sunt, *hominibus loquitur*, id est intelligentiæ hominum. Quod valet *ad ædificationem* insipientium, *et exhortationem* provectorum, *et consolationem* desolatorum. Ideo item melius est prophetare quam loqui linguis, quia **106** *qui loquitur lingua*, quod est loqui spiritu, *semetipsum ædificat*, si tamen intelligit. [Ambrosius]

(87) Augustinus, De doctrina Christiana.
(88) Id., super Genesim.

(89) Id., super Genesim.

Qui autem prophetat, quod est loqui mente, *Ecclesiam ædificat*, quantum ad se. Quamvis autem sic prophetiam linguæ præponam, tamen *volo vos omnes loqui linguis*, quod est donum Dei. Et ideo magis volo, non prohibeo, *magis autem* volo vos *prophetare*, quam linguis loqui, quia plus prodest. Quare magis volo hoc ? *Nam*, id est quia, *major est*, id est dignior, *qui prophetat, quam qui loquitur linguis, nisi forte interpretetur*, id est exponere valeat, quod dicit, quod raro est. Interpretetur dico, *ut Ecclesia accipiat ædificationem*.

VERS. 6-14. — *Nunc autem, fratres, si venero ad vos linguis loquens, quid vobis prodero, nisi vobis loquar, aut in revelatione, aut in scientia, aut in prophetia. aut in doctrina ? Tamen quæ sine anima sunt vocem dantia, sive tibia, sive cithara, nisi distinctionem sonitum dederint, quomodo scietur id quod canitur, aut quod citharizatur? Etenim si incertam vocem det tuba, quis parabit se ad bellum ? Ita et vos per linguam, nisi manifestum sermonem dederitis, quomodo scietur id quod dicitur? Eritis enim in aera loquentes. Tam multa, ut puta genera linguarum, sunt in hoc mundo, et nihil sine voce est. Si ergo nesciero virtutem vocis, ero ei cui loquar barbarus, et qui loquitur mihi barbarus. Sic et vos, quoniam æmulatores estis spirituum ad ædificationem Ecclesiæ, quærite ut abundetis. Et ideo qui loquitur lingua, oret ut interpretatur. Nam si orem lingua, spiritus meus orat, mens autem mea sine fructu est.*

Nunc autem dixi quod major est qui prophetat quam qui loquitur lingua. Hoc autem in meipso autem videre potestis, quod lingua non prodest ubi prophetia prodest. Quia, o *fratres, si venero nunc*, quando fideles estis, *ad vos linguis loquens, quid vobis prodero* ? Nihil. Quid ergo tunc lingua proderat, quando infideles eratis ? Quid, inquam, prodest, ubi *loquar vobis, aut in revelatione*, scilicet ut exponam vobis revelationem ? Revelatio est ubi per figuras ostenduntur quædam mysteria, ut in Apocalypsi. Quid ergo prodest nisi signis, id est linguæ accesserit intellectus, ut non spiritu tantum, sed et mente agatur ? Nihil. *Aut in scientia*, scilicet ut exponam ea quæ ad sciendum pertinent, ea sunt quæ fidem illuminant, ut de natura deitatis; *aut in prophetia*, scilicet ut exponam Scripturam quæ de futuris agit; *aut in doctrina*, scilicet ut exponam Scripturas quæ mores informant [Ambrosius] Vel revelatio est, subita aliquarum rerum ostensio per spiritum facta. Unde post ait : *Si cui sedenti revelatum fuerit*, etc. Prophetia est ut Isaiæ vel cæterorum, quam sine humana industria Spiritus sanctus revelat; scientia est eorum quæ proprio studio didicit, doctrina eorum quæ alio docente assecutus est. *Tamen*, etc. Per similitudinem quorumdam inanimatorum ostendit linguas sive prophetias inutiles esse. Quasi dicat : Per me ostendi linguam non valere sine interprete. Per me dico qui sum rationalis, tamen per inanimata idem possum ostendere, *quia quæ sine anima*, etc. Vel ita continua. Quasi dicat : Quamvis linguas appetatis, tamen illa *quæ sine anima sunt vocem dantia*, scilicet *sive tibia, sive cithara, nisi dederint distinctiones sonituum*, distinctos et intelligibiles sonos, *quomodo scietur quod canitur* tibia, *aut quod citharizatur*, id est quis indicare poterit modos, vel consonantias cantilenæ ? *Etenim*. Item, per aliam similitudinem idem ostendit. Quasi dicat : Vere de istis nescietur, quia nec de tuba. *Etenim si tuba det incertam vocem*. Judæis erat usus tubæ in festis et bellis diversis sonis. Si ergo det incertam vocem, scilicet quæ bellum non significet, *quis parabit se ad bellum* ? Quasi dicat : Vox illa nescitur, id est non intelligitur, quod effectus indicat, quia nemo se parat ad bellum. *Ita et vos loquentes per linguam*, quorumlibet signorum, vel incognitam, *nisi sermonem manifestum* per interpretationem *dederitis*, qui debetis ad bellum contra dæmones homines hortari, *quomodo scient*, id est intelligent, *id quod dicitur* a vobis ? Nullo modo. Et vere nescietur ; *eritis enim loquentes in aera*, id est ad aures hominum inanis aeris ictu, non ad corda hominum intellectu. Ideo eritis loquentes in aera, quia *tam multa* eritis loquentes, *ut puta*, multa *sunt genera linguarum in hoc mundo*. [Ambrosius] Multæ quidem sunt linguæ in mundo, sed habent proprias significationes vocum ut intelligantur. Unde subdit : *Et nihil est sine voce*. Quod totum est dicere, tantum valet hæc locutio, ac si omnibus linguis loqueremini, quas nullus unquam intelligeret, et de omnibus rebus in unaquaque lingua, quia nulla res est sine sua voce , in unaquaque lingua.

Vel ita distingue litteram : Ideo nescitur, quia eritis in aera loquentes. Nam multa, ut puta, multa sunt genera linguarum in hoc mundo, et in singulis linguis nihil est sine voce, id est quia loquimini omnibus linguis, et de omnibus rebus.

Si ergo. Quasi dicat : Quia alii sine interprete non intelligerent. *Ergo si nesciero virtutem vocis*, id est interpretationem significationis vocis quam profero, *ero barbarus*, id est non intellectus *ei cui loquar*, id est quem instruere debeo. Et ille *qui loquitur*, id est qui instruit, *mihi* est *barbarus*, id est non intellectus. Vel, qui audit, alia littera, cui sensui potest aptari etiam illud, qui loquitur, ut passive accipiatur, ut sit sensus ; qui loquitur, id est qui instruitur ; vel qui audit, quod est idem, erit *mihi barbarus*, id est nec ipse me, nec ego ipsum intelligo. *Sic et vos*, etc. Quasi dicat : Sicut dico de me quod ero barbarus sine interpretatione, *sic et vos* eritis barbari sine interpretatione. Et ideo *quærite, ut abundetis* donis *ad ædificationem Ecclesiæ*, quod est per interpretationem. Hoc ideo dico, *quoniam estis æmulatores spirituum*, id est desideratis dona sancti Spiritus. Vel sub una distinctione potest legi, hoc modo : Sic, id est propter hoc, ne sitis barbari, et vos, ut ego, quærite, ut abundetis ad ædificationem Ecclesiæ, quoniam æmulatores estis spirituum. *Et ideo*. Quasi dicat : Et quia ædificare debetis, *ideo et qui loquitur lingua oret* Deum, *ut interpretetur*, id est interpretandi gratia sibi detur. Vel, sic oret, id est sic

loquatur, ut etiam interpretetur, id est exponit. Nam si alter fecerit, non valet, et hoc est quod subdit : *Nam si orem*, id est loquar, *lingua*, sine interpretatione, *spiritus meus*, scilicet Spiritus sanctus a Deo mihi datus, *erat*, id est facit me loqui. (90) Vel, spiritus, id est ratio, orat, id est facit me loqui, id quod bonum esse putat. Vel spiritus hic vocatur, vis animæ inferior mente, ubi corporalium rerum similitudines imprimuntur, ut verbi gratia spiritus Pharaonis informatus est ut videret imagines; mens vero Joseph illuminata est ut intelligeret. [Ambrosius] Et est : spiritus meus orat, id est vis illa animæ inferior cui impressæ sunt imagines rerum, facit me loqui, *mens autem mea*, id est altera superior vis animæ, *est sine fructu*, id est sine intelligentia earum rerum quæ dico, et ideo inde non instruitur. Ita enim fit, si lingua incognita quis loquatur, vel signa aliquarum rerum sine intellectu proferat, sicut solent Latini homines Græce cantare, oblectati sono verborum, nescientes tamen quid dicant.

VERS. 15-22. — *Quid ergo est? Orabo spiritu, orabo et mente. Psallam spiritu, psallam in mente. Cæterum si benedixeris spiritu, quis supplet locum idiotæ? Quomodo dicet amen super tuam benedictionem? Quoniam quid dicas nescit. Nam tu quidem bene gratias agis, sed alter non ædificatur. Gratias ago Deo meo quod omnium vestrum lingua loquor. Sed in ecclesia volo quinque verba sensu meo loqui, ut et alios instruam, quam decem millia verborum in lingua. Fratres, nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote, sensibus autem perfecti estote. In lege enim scriptum est : Quoniam in aliis linguis et in labiis aliis loquar populo huic, et nec sic exaudient me, dicit Dominus. Itaque linguæ in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus; prophetiæ autem non infidelibus, sed fidelibus.*

Quid ergo est ? utile. Quid ergo est faciendum ? Ecce, *orabo*, id est loquar, *spiritu*, id est voluntate. Vel, lingua, a Spiritu sancto data, orabo *et mente*, id est intelligentia mentis. (91) Vel, *orabo* spiritu, orabo et mente, id est ita loqui approbabo ut et signa rerum formentur in spiritu, et eorum intellectus refulgeat in mente, sicut *psallam spiritu*, id est melodia cantus quod minus est. Et *psallam mente*, id est spiritali intelligentia mentis quod plus est, id est sic psallam ut et consonantiam vocis intelligam, et similiter concordiam in membris Ecclesiæ esse debere. *Cæterum*. Quasi dicat : Ita est orandum vel psallendum ut dixi. Sed si aliter feceris, scilicet *si benedixeris*, id est aliqua bona dixeris, *spiritu*, id est lingua per spiritum data, *quis supplet locum idiotæ*, id est illitterati et rudis. Quasi dicat : Nullus. Nec etiam sapiens, quia non intelligit. Deinde aperiens quis sit locus idiotæ, subdit : *Quomodo dicet*,
107 aliquis, *amen*. Hic est locus idiotæ etiam mul-

A tum intentus, *super tuam benedictionem*, ut intelligat eam, nullo modo. *Quoniam quid dicas nescit*. (92) Nota quod hoc verbum, amen, nec Græcum est, nec Latinum, sed Hebræum, et interpretatur *verum*. Cumque posset dici, verum, ubi dicitur amen, nec Græcus tamen nec Latinus interpres ausus est, vel transferre, ne vilesceret nudatum, sed honorem haberet velamento secreti. *Nam et tu*. Quasi dicat : Ideo dico super tuam benedictionem. Nam tu, etc. Vel ita continua. Quasi dicat : Hoc noto quod idiota habet locum. *Nam* hoc non noto, vel arguo, quod agis, quia *tu quidem bene gratias agis*, in lingua. Hoc dicit ne donum Spiritus videatur reprehendere. [Ambrosius] Agis gratias, dico, *sed alter non ædificatur*. Et ne forte quasi æmulis videretur dicere per invidiam deprimens in aliis quod in se non
B haberet, ostendit omnium horum se loqui linguis, subdens : *Gratias ago*. Hic proponit se exemplum quod non deberent loqui linguis, nisi ad ædificationem, sicut ipse facit, qui omnes linguas novit, quasi dicat : Non in vobis vitupero quod ipse non habeo *quod*, id est quia, ego *loquor linguas omnium vestrum*, id est qua loquitur aliquis vestrum. Et inde, *gratias ago Deo meo*. Dico quod omnium linguis loquor, *sed in ecclesia*, cui esse debeo utilis, *volo* magis *loqui quinque*, id est pauca, *verba meo sensu*, scilicet ut intelligam, *ut alios* de fide et moribus *instruam, quam decem millia verborum*, id est infinita verba, *in lingua*. Sic et vos, o *fratres* in ecclesia, agite scilicet, *nolite effici*, per imperitiam,
C *pueri sensibus*, qui verba exprimunt quæ non intelligunt. Nolite ergo esse pueri sensibus, ut non intelligatis quæ dicitis sicut pueri, sed juxta exemplum quod proponit Dominus dicens : *Efficiamini sicut parvuli* (*Matth.* XVIII). Estote *parvuli malitia* ut, scilicet per innocentiam, sitis remoti a malitia, ut sunt parvuli, *sensibus autem perfecti estote*, ut intelligatis plene quod dicitis. Et studeatis his quæ prosunt fratribus, quod est perfectio sensus, dicente Salomone. Scire legem sensus est optimus. *In lege enim*, vel, quidem. Ratio hic ostenditur quare non deberent quærere linguas, quia linguæ in signum sunt infidelibus quod ipsi jam non sunt. Et non sunt ad ædificationem quæ in Ecclesia est necessaria jam fidelibus. Quasi dicat : Ideo ne quæratis linguas. Quia est *in lege*, id est in prophetia
D Isaiæ, quæ hic dicitur lex, *scriptum est* hoc. *Quoniam*, etc. Vel, in lege, scilicet in Isaia, quidem scriptum est, hoc scilicet : *Quoniam in aliis linguis et in aliis labiis*, id est diversis generibus linguarum, *loquar*, per apostolos, *populo huic*, scilicet Judaico, et hoc faciam, ut vel sic exaudiant me, *et nec sic*, id est signo miraculi, *exaudient me, dicit Dominus*. In quo notat linguas esse datas in signum infidelibus. Unde subdit : *Itaque*, etc. Quasi dicat : Quia linguis locutus est, ut hoc signo crederent. *Itaque linguæ sunt in signum non fidelibus*, qui crederent omnia posse Deum, *sed infidelibus*, ad fidem

(90) Augustinus super Genesim.
(91) Ibid.

(92) Id., super Joan.

novitate miraculis movendis. Vel, ita in lege, etc. Dicit linguas quibus velatur veritas non esse appetendas, quia etiam omnia velamina legis veteris Dominus per prophetam esse mutanda dixit, ut fidelibus perspicua fieret veritas in Novo Testamento, remoto legalium figurarum velamine. Et hac similitudine ostendit linguas, quibus obtegitur veritas, non esse appetendas, nec dari propter fideles, sed infideles, sicut in veteri lege velamen erat, ut indignis et infidelibus velaretur veritas, quasi dicat : Ideo ne quæratis linguas, quia scriptum est in lege hoc : *Quoniam loquar* populo *huic, in aliis linguis*, scilicet non de Sabbato, et neomeniis, et circumcisione, et hujusmodi, sed Novum Testamentum. Et aliis labiis, id est aliis verbis, scilicet de spiritualibus, non de terrenis. *Et nec sic exaudient me, dicit Dominus*. Hoc de his dixit, quos præscivit non credituros, quibus propter peccata non patet, vel non placet veritas. Et hoc : Itaque, patet, quod linguæ aliquando in signum sunt non fidelium, sed infidelium, quia dum dat Deus loqui linguis sine interpretatione, significatur propter infideles hoc fieri, ne eis reveletur veritas. Vel ita : aliis linguis loqui, et aliis labiis dicit parabolice et obscure loqui, qualiter incredulis loquitur Dominus ; fidelibus autem in revelatione veritatis. Unde Dominus apostolis ait : *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis (Luc.* x). Et velamine incognitæ linguæ obscurantur sermones Dei, ne videantur a perfidis, et ideo lingua non est appetenda, et convenit in parte cum præcedente lectione ; utraque enim est Ambrosii. Quasi dicat : Ideo ne quæratis linguas, quia scriptum est in lege hoc. Quoniam loquitur populo huic, malevolo, in aliis linguis et aliis labiis quam fidelibus et benevolis, qui autem in revelatione qua indigni sunt, sed in parabolis dicitur eis Evangelium. Et sic non exaudient me, dicit Dominus, sicut nec digni sunt. Itaque a simili infert. Quasi dicat : Quia parabolice et obscure loquitur Deus perfidis et malevolis propter ipsorum malitiam. Itaque per hoc patet, quod linguæ in signum sunt, non fidelium sed infidelium, id est sermones Dei incognita lingua obscuri sunt, ne videantur a perfidis, ut, cum audiuntur signum sit, quia propter perfidiam factum est, ut audientes non intelligant. Hoc utique fit infidelibus quibus teguntur sensus. Fidelibus vero convenit prophetia, non lingua incognita. Unde subdit : *Prophetiæ autem*, ut sensibus perfecti sint fideles, datæ sunt, *non infidelibus*, ne sanctum detur canibus, *sed fidelibus*, ut ædificentur.

VERS. 23-33.— *Si ergo conveniat universa Ecclesia in unum, et omnes linguis loquantur, intrent autem idiotæ aut infideles, nonne dicent : Quid insaritis ? Si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis vel idiota, convincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus. Occulta enim cordis ejus manifesta fiunt, et ita cadens in faciem adorabit Deum, pronuntians quod vere Deus in vobis sit. Quid ergo est, fra-*

A *tres ? Cum conveniti*
mum habet, doctrinam
guam habet, interpret
ficationem fiant. Siv
dum duos, aut, ut mult
interpretetur. Si aute
in ecclesia ; sibi aute
autem duo aut tres
Quod si alii revelatu
Potestis enim omnes
omnes discant, et om
prophetarum prophet
dissensionis est Dei
omnibus Ecclesiis san
Si ergo. Alia ratio
B rent loqui linguis tant
sunt in signum, et no
si universa Ecclesia c
loquantur linguis, si
quis idiota vel infideli
Quasi dicat : Arreptitii
alterum non intelligat
inconditus multitudini
[Ambrosius] Aut forte
audiunt putabunt ess
guis canatur, quia pu
apud paganos, quibus
vocantur, sacra velan
illudi. Omnis enim i
falsa pro veris ostendi
tibus illuduntur. Apud
C tum est, sed simplic
Deus, quia si nullus
ductio, quæ linguis
revelari. *Si autem*. Q
tur linguis, illud inco
omnes viritim *prophet*
tem quis infidelis au
errore *ab omnibus*,
ostenditur *ab omnib*
quia *occulta cordis ej*
sciebat esse peccata,
nibus illorum. *Et ita*
lians se, *adorabit Deu*
cavit, *pronuntians* or
quod Deus vere sit in
D determinare quomod
dicat : Quandoquidem
linguarum, ergo qui
est ? scilicet hoc : *Cu*
linguis ad ædificatione
Nam *unusquisque ves*
potest uti ad ædificati
verbi gratia, alius *ha*
Dei per canticum. Vel
tia Dei psalmos intellig
doctrinam, de moribus
lem sensum per pruden
id est revelationem ;
linguarum, vel scriptu

alia, *ad ædificationem fiant,* id est fieri debent. *Sive* A etc. Quasi dicat : Cætera suis modis ad ædificationem agenda sunt, lingua vero sic est utendum : *Sive quis*, id est si aliquis, *lingua loquitur secundum duos,* fiat locutio, *aut* secundum *tres*, *ut multum* fit, id est duo vel tres loquantur, et non plures quam tres, ut occupent diem loquentes linguis, et non sit locus prophetis Scripturas disserentibus, qui totius Ecclesiæ sunt illuminatores. Dico ut locutio linguæ fiat secundum duos aut tres, et hoc idem fiat
108 *per partes* Ecclesiæ. Vel ut unus post alterum loquatur, vel intercise, et ubicunque vel quandocunque quis loquatur, *unus* sit qui *interpretetur,* id est aliquis sit qui exponat populo. *Si autem non fuerit interpres, taceat* linguis, loquens, *in Ecclesia,* ubi nihil debet esse, ubi ædificatio ; *sibi* B *autem loquatur,* linguis, id est tacite oret Deum. Sibi loquitur, qui compungitur ex his quæ dicit. *Et* hic *Deo* loquatur, id est ad honorem Dei, quem laudat vel honorat. *Prophetæ* etiam *duo* tantum, *aut tres dicant* sigillatim, non plures ergo debent esse qui linguis loquuntur. Ideo dicit duo vel tres, quia sufficit sermo tot hominum. Et in ore duorum vel trium stat omne verbum (*Deut.* XIX). *Cæteri* autem tacite *dijudicent,* quid dicant, an accipiendum sit an non. *Quod si* aliquid melius *revelatum fuerit* per Spiritum sanctum, *sedenti,* id est illi qui audiebat, *prior* prophetans *taceat*, et det illi locum ut dicat. Quia datur aliquando inferiori quod non superiori. Ideo dico ut det locum : *potestis enim omnes*, etiam sedens, accepta prophetandi gratia, prophetare, non tamen simul, ne perturbatio fiat, sed C *per singulos, ut,* ita ordinato usu prophetiæ, *omnes*, etiam majores, *discant*, *et omnes*, etiam minores, *exhortentur* alios. *Et spiritus*. Quasi dicat : Loquens debet cedere sedenti, *et*, id est quia, *spiritus prophetarum subjecti sunt prophetis,* id est Spiritus sanctus, qui unus est. Sed pluraliter dicit, propter multos prophetas quos replet, vel propter plura dona ejus : *subjectus est prophetis*, ut quando volunt tacere, et quando volunt loqui possint, et non cogit eos, ut Pythonicus, clamare aliqua vel subticere. Unde si prior non cedit, videtur non esse Spiritus Dei. Subjectus etiam dicitur spiritus, dum suggerit, et juvat bonos conatus. *Non enim*. Quasi dicat : Vere subjectus est. Quia *non est dissensionis Deus*, id est discordiæ auctor, *sed pacis*, et ideo alter ce- D dat alteri. Dissensionis autem Deus esset, si quos replet simul loqui compelleret, quod non facit : potius facit ut alter alteri cedat ; aliter dissensionis esset, et non pacis. Hæc autem de ordinabili usu linguarum et prophetiæ, sicut in nostra Ecclesia doceo. Et ita vobis dico, *sicut in omnibus Ecclesiis* etiam *sanctorum doceo.* Quasi dicat : Non est novum, vel singulare quod vobis dico. Ideo firmiter tenete.

VERS. 34-40. — *Mulieres in ecclesiis taceant ; non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut et lex dicit. Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent. Turpe est enim mulieri loqui in ecclesia. An a vobis verbum Dei processit, aut in vos solos pervenit ? Si quis videtur propheta esse, aut spiritualis, cognoscat quæ scribo vobis, quia Domini sunt mandata. Si quis autem ignorat, ignorabitur. Itaque, fratres, æmulamini prophetare, et loqui linguis nolite prohibere. Omnia autem honeste et secundum ordinem fiant in vobis.*

Mulieres. [Augustinus] Quasi dicat : Etsi dixi quod potestis omnes prophetare, tamen *mulieres taceant in ecclesiis*, ut nec loquantur linguis nec prophetent. *Non enim permittitur eis* ab aliqua auctoritate *loqui* in ecclesia, *sed* potius præcipitur *esse subditas viris*, quod velum innuit. *Sicut et lex dicit*, in Genesi : *Sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui. Si quid autem volunt discere, interrogent viros suos*, et hoc *domi*, tantum. *Turpe est enim mulieri loqui in ecclesia*, quia contra disciplinam ecclesiasticam est. [Ambrosius] Et quia pro peccato quod induxit mulier, semper debet verecundari. *An a vobis*, quia forte de linguis et prophetia quibusdam Apostolus non recte locutus fuisse videretur, ne aliter ordinare præsumerent, quia et in aliis suas institutiones mutaverant, subditur increpatio qua arguit eos. Quasi suis institutionibus dimissis aliquas novas vellent inducere quod non possent. Quia ab eis non processit verbum Dei, nec soli acceperunt, quod ait sub interrogatione, ita : *An a vobis ?* Quasi dicat : Non debetis mutare quod tradidi, quia *an processit verbum Dei a vobis*, ad nos, imo a nobis ad vos. Ideo ita arguit eos, quia sic se jactabant Corinthii, quasi beneficium darent accedentes ad fidem, non acciperent, et exemplo eorum cæteræ gentes vocarentur ad fidem. Ideo illos iterum arguit subdens : *Aut in vos solos pervenit* verbum Dei. Quasi dicat : Non, imo in alios plures. Et ideo quod alii tenent, tenete. Ideo sic arguit eos, quia tales se præbebant elatione vanitatis, quasi si ipsi non obedirent verbis fidei, nemo crederet. *Si quis videtur propheta esse, aut spiritualis,* etc. Quasi dicat : Item ideo mea præcepta tenere debetis, *quia quæ scribo vobis, mandata Domini sunt*, et oportet ut ita, *cognoscat* ea esse, si quis vere est propheta, aut spiritualis, ut videtur esse. Alioquin si contra vadit, nec propheta est nec spiritualis. Hæc dicens tangit pseudoapostolos, qui pro desideriis hominum non divina, sed terrena docebant. Ideo dicit, propheta vel spiritualis, quia sunt spirituales qui non sunt prophetæ, qui non habent notitiam de futuris. *Si quis autem.* [Haimo] Quasi dicat : Mandata sunt Dei quæ scribo, sed *si quis ignorat* hæc esse mandata Dei, et non vult credere esse mandata Dei, *ignorabitur* a Deo in futuro, id est reprobabitur, et non cognoscetur esse inter prædestinatos, ut in Evangelio legitur, Dominus dicturus malis : *Nescio vos* (*Matth.* XXV), id est non novi vos esse meos, vel inter prædestinatos.

stolus scientiam spiritualium quæ docet, et spiritualiter debere intelligi sciens, ait, *si quis*. Quasi dicat: Tenete quod dixi, et spiritualiter, et vere hæc intelligite. Et hoc est quod ait, si quis videtur propheta esse, aut spiritualis, id est si quis est quod videtur, cognoscat, id est vere et spiritualiter intelligat, quæ scribo vobis, quia vere spiritualia sunt. Per hoc innuit difficilia esse verba Epistolarum, cum a propheta vel spirituali jubet cognosci. (94) Et nota quod ait, si quis videtur propheta aut spiritualis, quod utique non est, si non ita esse cognoscit. Qui enim vere est, ita esse cognoscit. Et ideo cognoscat quia Domini sunt mandata. Si quis autem hæc ignorat, ignorabitur. Non de omnibus quæ scripsit, dicit hæc Apostolus, tanquam ista pœna sint illi plectendi, qui non valent discernere ineffabilem Trinitatis unitatem. Pusilli enim in Christi cruce gloriantes, et si ignorant quæ subtilissime disseruntur, tamen ad gloriam perveniunt, quia non perit unus de pusillis, pro quibus mortuus est Christus. Non igitur hoc dicit de his quæ vix ad paucorum intelligentiam, eamque exiguam quantulacunque in hac vita de re tanta esse potest, perveniunt, sed de prædictis quæ fidem et mores ædificant, scilicet ut linguis prophetia præponatur, ut illa non perturbate agantur. Quasi prophetiæ spiritus etiam invitos loqui cogeret, ut mulieres taceant in Ecclesia, ut omnia honeste et secundum ordinem fiant. Coercet ergo et ad pacificum ordinem revocat inquietos, tanto ad seditionem faciliores, quanto sibi videbantur spiritu excellentiæ, cum superbiendo cuncta turbarent. Et est, si quis ignorat hæc prædicta, sive magnus, sive parvus sit, ignorabitur, id est improbabitur. [Augustinus] Non enim si ad scientiam referas, ignorat Deus aliquos, vel aliqua, qui tamen in judicio dicet: *Non novi vos* (*Matth.* VII); sed eorum improbatio hoc verbo insinuata est. *Itaque*. [Ambrosius] Quasi dicat: Quia interpretatio ædificat. *Itaque, o fratres, æmulamini*, id est desiderate *prophetare, et* tamen *loqui linguis nolite prohibere*, ne fiat dissensio. *Omnia autem*. Quasi dicat: Dico, nolite prohibere, sed *omnia* tam hæc quam alia facite in vobis, non pueriliter sed *honeste*, scilicet cum pace, *et secundum ordinem* prædictum, ut utilius minus utili præponatur.

CAPUT XV.

VERS. 1-9. — *Notum autem vobis facio, fratres, Evangelium, quod prædicavi vobis, quod et accepistis, in quo et statis, per quod et salvamini, qua ratione prædicaverim vobis, si tenetis, nisi frustra credidistis. Tradidi enim vobis in primis quod et accepi, quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum Scripturas, et quia sepultus est, et quia resurrexit tertia die secundum Scripturas, quidam autem dormierunt. Deinde visus est Jacobo, deinde apostolis omnibus. Novissime autem omnium tanquam abortivo visus est mihi. Ego enim sum minimus apostolorum, qui non sum dignus vocari apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei.*

Notum autem. [Ambrosius] Finito tractatu de donis Spiritus sancti, agit de resurrectione mortuorum. Hac utique causa, quia cum ipso docente recte credidissent de ea, postea tamen quorundam **109** praviloquiis corrupti ab hac fide recesserant. Ipsam ergo futuram probat primo per resurrectionem Christi, deinde per alia multa. Quasi dicat: De spi-
B ritualibus hucusque docui, sed modo, o *fratres, facio vobis notum Evangelium* de resurrectione mortuorum, *quod* jam *prædicavi vobis*. Quasi dicat: Non est novum, *quod et accepistis*, id est dignum acceptione judicastis; *in quo et statis*, id est stare datur vobis qui sine eo caditis, *per quod et salvamini*, jam exercitudine spei, et salvabimini in futuro in veritate rei et speciei, si tamen retinetis *qua ratione prædicaverim vobis*, id est si tenetis illud Evangelium de resurrectione mortuorum ea ratione qua confirmavi vobis, id est per resurrectionem Christi: tenetis dico, *nisi frustra credidistis*, id est aut tenetis resurrectionem mortuorum, aut incassum est fides, quæ non accipitur nisi spe resurrectionis. Vel ita: nisi. Quasi dicat: salvabimini, dico, nisi
C frustra credidistis illud idem quod prædicavi vobis ad confirmationem resurrectionis mortuorum. *Tradidi enim* istud *vobis in primis*, id est inter maxima, et adhuc trado *quod et accepi* a Spiritu sancto non finxi, scilicet *quoniam Christus mortuus est*, non pro sua necessitate, sed *pro peccatis nostris*. Et hoc dico, *secundum Scripturas* Veteris Testamenti, quæ mortem Christi futuram cecinerunt. Unde Isaias: *Ut ovis ad occisionem ductus est* (*Isa.* LIII). Et item: *Tolletur a terra vita ejus ab iniquitatibus populi mei* (*ibid.*). Ductus est ad mortem; *et* etiam tradidi *quia sepultus est*: [Haimo] et hoc similiter secundum Scripturas. Ait enim Isaias: *Dabit impios pro sepultura, et divites pro morte sua* (*ibid.*). Et item: Erit, inquit, *sepulcrum ejus gloriosum* (*Isa.* XI). Et etiam tradidi, *quia resurrexit*,
D probata vera morte, et hoc tam cito, scilicet *tertia die*, ut ea potestate credatur nos posse suscitare. Et hoc dixi: *Secundum Scripturas*. [Ambrosius] Inquit enim Osee: *Post biduum vivificabit nos, et in die tertio resurgemus, et vivemus in conspectu ejus* (*Ose.* VI.) Si autem mortuus et sepultus resurrexit, ne, dubitetis mortuos et sepultos resurgere. Et etiam tradidi, *quia visus est*, post resurrectionem, *Cephæ*, id est Petro, priusquam aliis viris quibus apparuisse legitur in Evangelio. (95) Aliter contrarium esset quod primo mulieribus apparuisse legitur.

(93) Augustinus, super Joannem.
(94) Id. ad Encodium.

(95) Id., De consensu evangelistarum.

Et post hæc visus est *undecim* apostolis in conclavi. (96) Alia littera habet *duodecim*, quod per synecdochen accipitur. Ubi enim pars major est aut potior, solet ejus nomine etiam illud comprehendere quod ad ipsum nomen non pertinet, qualiter illud dictum est: *Nonne ego vos duodecim elegi* (*Joan.* VI), cum tamen Judas de electis non esset: ita et hic dicitur. Hunc enim numerum verum cum articulo Græci codices habent, ut non quicunque XII, sed illi in eo numero intelligantur, (97) sed undecim nonnulli codices habent, quod credo perturbatos homines, emendasse. Neutrum tamen veritati repugnat. *Deinde visus est plusquam quingentis fratribus simul*, hoc non in Evangelio legitur. *Ex quibus multi manent usque adhuc*,, qui testes sunt, si quæritis ab eis. *Quidam autem* illorum *dormierunt*, id est mortui sunt, in hoc testimonio permanentes. [Ambrosius] *Deinde visus est Jacobo* singulariter; nec hoc in Evangelio est; *deinde apostolis omnibus* apparuit in ascensione. *Novissime autem omnium*, scilicet post ascensionem, *visus est et mihi*, primum de cœlo, post oranti in templo. Mihi, dico, *tanquam abortivo*, id est simili abortivo, quia coactus est ad Deum converti, ut abortivus cogitur nasci. Vel abortivus dicitur, quia extra tempus natus, in Christo apostolatum accepit, jam Christo in cœlum assumpto. Abortivus enim dicitur qui extra tempus legitimum et congruum nascitur, id est antequam debeat vel post. [Haimo] Sic et Paulus hic dictus est abortivus, quia tardius natus est in Christo quam debuisset. Vel similis abortivo dicitur, quia minor aliis apostolis erat consideratione præteriti status, vel tempore. Unde subdit: *Ego enim* etc., quasi dicat: Recte post omnes apparuit mihi, quia *ego sum minimus apostolorum*, consideratione præteritorum, et dicit hoc causa humilitatis. [Ambrosius] Vel minor erat aliis tempore vocatione, quia ultimus vocatus est, non dignitate, labore, prædicatione. *Qui* etiam *non sum dignus vocari apostolus*, [Haimo] si mea præcedentia attendantur merita. Unde subdit: *Quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei*, [Ambrosius, Haimo] firmius testimonium est ab inimico, quod ante fuerat apostolus.

VERS. 10-19. — *Gratia autem Dei sun id quod sum; et gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi: non ego autem, sed gratia Dei mecum. Sive enim ego sive illi, sic prædicavimus, et sic credidistis. Si autem Christus prædicatur quod resurrexit a mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis quoniam resurrectio mortuorum non est? Si autem resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit. Si autem Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, inanis est et fides vestra. Invenimur autem et falsi testes Dei, quoniam testimonium diximus adversus Deum quod suscitaverit Christum quem non suscitavit, si mortui non resurgunt. Nam si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit.* A *Quod si Christus non resurrexit, vana est fides vestra. Adhuc enim estis in peccatis vestris. Ergo et qui dormierunt in Christo, perierunt. Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.*

Et quasi quis quæreret: Si non est dignus vocari apostolus, cur ergo apostolus! Respondet: *Gratia Dei sum id quod sum*, id est apostolus. Deo dat gloriam qui eum elegit, non sibi, et recte, gratiam nominat. [Augustinus] Primum enim sola gratia dat Deus, cum non præcedant nisi mala merita, sed post, per gratiam incipiunt bona merita. Meritum enim fuit in Paulo, cum persequebatur Ecclesiam Dei, sed malum. (98) Cum ergo haberet hoc meritum malum, redditum est ei bonum pro malo, quod B ostendit cum ait: Gratia Dei sum id quod sum. Et ut ostenderet etiam liberum arbitrium, addit: *Et gratia ejus*, [Augustinus] id est apostolatus, *in me non fuit vacua*, [Ambrosius] id est otiosa, quia propter hoc quod persecutor fuit, non minor gratia fuit ei in apostolatu. Non fuit vacua dico, *sed abundantius omnibus illis*, sigillatim *laboravi*, (99) quia in tot populis in quot illi non laboraverunt, hoc tamen magis impletum est, quia et de opere manuum vixit, nec Evangelio minus fecit. Et ne ipsa voluntas sine gratia Dei putetur aliquid posse, subdit: *Non ego autem* solus sine gratia operor, *sed gratia Dei mecum*, id est cum libero arbitrio. [Augustinus] Plane, cum data fuerit gratia, incipiunt esse merita nostra bona. Per illam tamen, quia si C illa se subtraxerit, cadit homo. *Sive enim*. Quasi dicat: Mortuus surrexit, et vere, quia *sic prædicamus*, scilicet Christum surrexisse, *sive ego*, *sive illi*, alii apostoli. Vel ita continet. Quasi dicat: Laboravimus ego et alii apostoli, et vere, quia in hac prædicatione, quod ita ait, sive enim ego sive illi sic prædicavimus, ubique scilicet Christum surrexisse; et *vos sic credidistis*: Arguit eos, quia, cum hæc fides manifesta sit, apud omnes Ecclesias, illi inde desciverant. Vel ita continet. Quasi dicat: Vere per gratiam hoc habeo, quia sive ego sive illi, id est ego et illi; sic, id est per gratiam, prædicavimus, et vos sic, id est per gratiam, credidistis.

Si autem. Hucusque ostendit Christum resurrexisse. Nunc per resurrectionem ejus probat resur- D rectionem mortuorum. Quasi dicat: Ita constat Christum resurrexisse a morte. *Si autem*, hoc est, scilicet si *Christus resurrexit a mortuis*, qui est efficiens causa resurrectionis mortuorum, quod prædicatur, ab omnibus veris apostolis, *quomodo dicunt quidam in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non* est futura. *Si autem*. Quasi dicat: Dicunt quidam non esse futuram, sed si hoc est, id est *si resurrectio mortuorum non est* futura, dicendum est quod *neque Christus resurrexit*, [Ambrosius] qui totum propter suos fecit. Hæc pseudoapostoli tradiderant, qui negabant veritatem dicentes Christum nec ve-

(96) Augustinus, in libro Quæst. sup. Gen.
(97) Id., De consensu evangelistarum.

(98) Id., de gratia et libero arbitrio.
(99) Id., super Joan.

rexit, prædicatio nostra est inanis, id est inutilis, *et fides vestra*, similiter est *inanis*, id est inutilis, cum nulla remuneratio sit futura, quod vos non vultis. *Invenimur autem*, et non solum hoc inconveniens sequitur, sed etiam hoc aliud, quia nos apostoli, quibus omnes credunt, invenimur *falsi testes Dei*, qui de falsa laude sua irascitur, *quoniam diximus testimonium adversus Deum*, scilicet *qui et suscitavit Jesum Christum, quem non suscitavit, si mortui non resurgunt.*

(100) Perhorrendum est aliquid falsi de Deo dicere, et si ad laudem ei videant pertinere, quia non minori, sed majori fortassis scelere in Deo laudatur falsitas, B quam vituperatur veritas. *Nam si.* Quasi dicat : Deus non suscitavit Jesum, si mortui non resurgunt ; nam non resurrexit, si illud est, quod ita dicit : *Nam si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit. Quod* id est, sed, *si Christus non resurrexit*, tunc *fides vestra vana est*, id est falsa, non tantum inutilis. *Adhuc enim.* Quasi dicat : Vere falsa est fides, si Christus non resurrexit, quia *adhuc*, scilicet post baptismum, *estis in peccatis vestris*, quæ remissa fore credebatis. Sunt hæ veræ connexiones ratiocinationis, falsas tamen habentes sententias. (1) Hæc autem et alia ideo inferuntur, ut hic erubescat, cujus errorem hæc sequuntur, quæ etiam ipse damnat. Ne ergo in hoc errore remaneant, *ergo*. Adhuc subdit aliud inconveniens. Quasi dicat : Et quia vos estis in peccatis, *ergo et qui dor-* C *mierunt in Christo*, id est qui mortui sunt in fide Christi, fuerunt in peccatis, et ideo *perierunt.* Per hoc verecundiam illis incutit et terrorem. *Si in hac*, etc. Aliud inconveniens hic ostendit. Quasi dicat : Et si Christus non resurrexit, *nos sumus sperantes in Christo*, **110** id est in fide Christi, *tantum in hac vita*, ut resurrectionem futuram non speremus. Et si hoc est, tunc *miserabiliores sumus omnibus hominibus*, qui vel hoc sæculo fruuntur.

VERS. 20-24.— *Nunc autem Christus resurrexit a mortuis primitiæ dormientium, quoniam quidem per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur. Unusquisque autem in suo ordine, primitiæ Christus ; deinde hi qui sunt* D *Christi, qui in adventum ejus crediderunt ; deinde finis, cum tradiderit regnum Deo et Patri, cum evacuaverit omne principatum et potestatem et virtutem.*

Nunc autem. Quasi dicat : Si Christus non resurrexit, hæc inconvenientia sequuntur, sed pro his inconvenientibus vitandis, nunc apparet quod *Christus resurrexit a mortuis*, qui est, *primitiæ dormientium*, id est mortuorum, qui ideo dicuntur

tate surrexit. *Quoniam*
Christum hominem p
per hominem quidem
et si hoc est, ergo *et pe*
rectio mortuorum. Ec
homo ad vitam, homo
homo, iste Deus et hon
iste, supponit. *Et sic*
venit mors, per quem
omnes moriuntur corp
ejus filii sunt, a quo
traxerunt, *ita et omne*
quia ejus filii sunt spiri
tende quomodo ait omn
vivificari in Christo, qu
tur nisi per illum, nem
Quia sicut per Adam o
sunt filii sæculi, ita et
mortales in gratia fiunt
bigit hoc de morte corp
surrectione corporis ag
Quasi dicat : Hoc omne
licet quod resurgent,
unusquisque resurget i
dignitate, martyr ut ma
sic et cæteri. *Primitiæ*
de re certa, et tempora
futurum sit ut resurgan
mitiæ, id est primus te
Christus est, qui prior
et formam daret creden
hi *qui sunt Christi*, scili
qui minus eo digni s
tempore, et dignitate m
exponit dicens : *Qui cre*
id est ipsum ad remune
in libro talis littera habet
in adventu ejus, scilicet
rit ad judicium; *deinde*
tio, hoc ponit ad comm
qua impleta et finis e
omnium; et hoc erit, *cu*
repræsentaverit *regnum*
operibus rexit, *Deo* cre
homo, *et Patri suo*, in qu
dicitur tradere Patri, ut
sona est Filius quam Pa
tremur Christum tradit
ut adimat sibi, quod qui
Cum enim dicitur tradid
ratur ipse vel Spiritus
Patre unus est Deus F
Quid ergo est, cum tradi

(100) Augustinus ad Hieron.
(1) Id. De doctrina christiana.
(2) Id., super Joan.

(3) Id., ad Dardanum.
(4) Id., ad Optatum.
(5) Id., De Trinitate.

quasi modo non habeat regnum Deus pater ! Sed hoc ita dictum est, cum tradiderit regnum Deo et Patri, id est cum perduxerit credentes ad contemplationem Dei Patris, ubi est finis omnium, et requies sempiterna, et gaudium. Ergo tunc erit finis, cum regnum, (6) id est quos redemit sanguine Filii tradiderit contemplando Deo et Patri, non quod ipse adimat sibi, quia unus Deus est cum Patre. *Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris ejus* (*Matth.* XIII). (7) Regnum fulgebit in regno, cum regno venerit regnum, quod nunc oramus, cum dicimus : *Adveniat regnum tuum* (*Matth.* VI). (8) Tradet ergo regnum Patri, quando regnum quod seminavit, cum venit minor Patre, perducet ad speciem in qua æqualis non recessit a Patre. (9) Fideles quippe ejus quos redemit sanguine suo dicti sunt hic regnum ejus, cujus regnum etiam est omnis creatura. Sed aliter dicitur regnum Christi omnis creatura, aliter Ecclesia. (10) Regnum Christi dicitur omnis creatura secundum potestatem deitatis ; Ecclesia vero secundum proprietatem fidei, quæ de illo est. Et est sensus : Cum tradiderit regnum Deo Patri, id est cum perduxerit illos ad conspectum deitatis, in quibus nunc regnat Deus per fidem, quia tunc revelabitur a Filio Pater. Unde : *Nemo novit* Patrem, nisi Filius, *et cui Filius voluerit revelare* (*Matth.* XI). Ubi et essentia Filii cum Patre et Spiritu sancto videbitur, quod solis mundis cordibus dabitur, quæ est summa beatitudo. (11) Vel ita : Cum tradiderit regnum Deo Patri, id est cum Patrem regnare monstraverit quod modo creditur. Tunc vero per speciem manifestationemque clarescet, et tunc erit *finis, cum evacuaverit omnem principatum et potestatem et virtutem*. Dum durat mundus, angeli angelis præsunt, dæmones dæmonibus, homines hominibus, ad utilitatem viventium vel deceptionem ; sed omnibus collectis, jam omnis prælatio cessabit, quia necessaria non erit. Hanc autem prælationem dicitur Christus evacuare, quia suos omnes in regno exaltabit, qui hic humiles fuerunt, sicut ipse ex humilitate regnat, quam habuit. Distingue : Principatum, dicit majores ; et potestatem, dicit minores ; virtutem, illos qui miracula faciunt, vel fortes homines. [Haimo] Sed tunc cessabit omnis creaturæ prælatio in angelis et hominibus ; cessabit timor, regnabit charitas, non erit inter præsidentes et subditos ulla dissensio. [Augustinus] Vel ita : Cum evacuaverit omnem principatum et potestatem et virtutem, quia tunc notum erit omnibus, nihil horum aliquos terrenos vel cœlestes habuisse ex se, sed ab illo, ex quo sunt omnia.

VERS. 25-28.—*Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus. Novissime autem inimica destruetur mors. Omnia enim subjecit sub pedibus ejus. Cum autem dicat, omnia subjecta sunt ei, sine dubio præter eum qui subjecit ei omnia. Cum autem subjecta fuerint illi omnia, tunc et ipse Filius subjectus erit illi qui subjecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus.*

Oportet autem illum. Quasi dicat : Tunc aperte regnabit, sed interim, *oportet illum regnare* occulte, quia aliter Scripturæ falsæ essent ; et qui modo regnat, poterit suos suscitare. Oportet regnare, dico, *donec ponat* in futuro *omnes inimicos sub pedibus*. (12) Vel ita. Quasi dicat : Tradet regnum, evacuabit potestatem : sed oportet illum regnare, id est regnum ejus interim manifestari, donec ponat omnes inimicos, voluntarios vel coactos, [Haimo] sub pedibus, id est sub plena subjectione, (13) vel sub humanitate sua, ut ipsam revereantur et honorent, et Christum hominem Deum et regem omnium agnoscant. Et est sensus : Interim oportet regnum ejus manifestari, donec eum regnare fateantur omnes inimici ejus, scilicet et illi qui ex injustis justificantur, et ei fide subduntur, et illi qui ad justorum beatitudinem non pertinent, quia et ipsi eum regnare ipsa regni ejus manifestatione confusi fatebuntur. [Augustinus] Attende quod ait donec ponat, etc. Non enim ita dictum est, quasi cum posuerit inimicos sub pedibus, non sit postea regnaturus, sed ad tantam evidentiam regnum perducet, ut inimici non audeant negare quod regnet, quo amplius non erit manifestius, etsi amplius duret. Aliud est non amplius manifestari, aliud non amplius permanere. Non amplius manifestari est, non fieri manifestius ; non amplius permanere, non esse perseverantius. Quando autem manifestius erit regnum Christi quam cum omnibus claruerit inimicis ? Dicendo ergo, *donec*, majorem excludit manifestationem regni, non ampliorem permanentiam. Ita etiam dictum est : *Oculi nostri ad Deum, donec misereatur nostri* (*Psal.* CXXII). Non ut tunc avertantur cum misertus fuerit, sed ut nihil amplius inquirant. Inter alia vero constat quod et potestatem suscitandi habet. Unde subdit : *Novissima autem.* Iterum autem commendatio resurrectionis est hic. Quasi dicat : Modo regnat Christus, et tunc regnabit. Tunc aperte regnabit, sed interim oportet eum regnare. Sed *mors inimica*, cui inimicamur, vel ipsa nobis, *destruetur novissima*, quia non erit quod destruatur, postquam mortale hoc induerit immortalitatem, quia amplius non dissolventur homines, sicut hæretici arbitrantur.

Omnia enim. Quasi dicat : Omnia ponet sub pedibus : quod utique poterit, quia Scriptura dicit quod Deus Pater, subjecit omnia sub pedibus ejus (*Psal.* VIII), id est Christi, ut etiam mortem destruat. (14) Cum vero qui subjecit omnia sine dubio Patrem vult

(6) Augustinus, super Joan.
(7) Id., De Trinitate.
(8) Id., in psalm. XXI.
(9) Id., De Trinitate.
(10) Id., in libro Quæst. LXXXIII.
(11) Id., in eod.
(12) Id., in lib. eod.
(13) Id., in lib. eod.
(14) Id., in lib. eod.

A divinitatem, cum subjecta fuerint illi omnia, id est cum omnes adoraverint Christum ut Deum, tunc et ipse subjectus Filius erit illi qui subjecit sibi omnia, id est tunc Christus se Deum ostendet, sed de Deo, ut unius principii summa et ineffabilis auctoritas maneat. Ita ostendet se Deum de Deo, ut tamen sit nus Deus in omnibus, id est in confessione om- m ex quo omnia sunt. Cum enim discet omnis atura Christum esse suum caput, Christi autem it esse Deum, non tantum erit unus Deus, in ibus, id est in confessione omnium, sed etiam s creatura fatebitur ipsum esse ex quo sunt , quia omnia ex ipso sunt. Si vero dixisset Deus in omnibus, intelligeretur in omnibus esse vel per affectum, vel per communem non tamen omnia ex ipso esse. Sed cum nia in omnibus, significavit quia ex ipso a, et in omnibus ex ipso quia ab ipso . In ipsis autem qui in omnium confes- erit Deus. Vel ita, ut sit. Quasi dicat : subjecta omnia, ita ut ipse Filius sit in omnibus, id est ut nemo eorum qui amet adversus eum suam propriam 7) Ipse est finis quem supra comme- breviter concludens, id est per nsummatio, quam consummationem ibi. Deinde finis, post membra- modo sit consummatio cum ait, num et evacuavit omnem princi- t sit Deus omnia in omnibus, id ntium ei, amet adversus eum ifestum sit quod dicitur. *Quid nisti ?* Tunc enim manifestum habere vel habuisse nisi a n nemo æstimet quod Pater ilio, ut ipsum Filium sibi putet. Inseparabilis enim i.

n quid facient qui bapti- nino mortui non resur- r pro illis ? Ut quid et ora ? Quotidie morior atres, quam habeo in Si secundum hominem uid mihi prodest si cemus et bibamus, duci. Corrumpunt ilate, justi, et no- ei quidam habent.

eniens ostendit, futura, quia si hristus resur- in baptismo licat : Resur- est resurre-

ctio mortuorum futura, illi *qui baptizantur pro mortuis*, id est pro peccatis delendis, vel, pro se mortuis faciendis, ad similitudinem mortis Christi, *quid facient*, cum non sint vitam habituri ? Iterat idem aliis verbis dicens, *si mortui omnino non resurgunt*, ut nec etiam Christus resurrexit, *ut quid* etiam *baptizantur pro illis*, id est pro peccatis, cum ipsa non dimittantur, si Christus non resurrexit ? [Haimo] Vel ita, alioquin : Fuerunt quidam imperiti qui baptizabantur pro his qui de hac vita sine baptismo discesserant, putantes illis prodesse. Timebant enim ne aut illi non resurgerent, aut male resurgerent. [Ambrosius] Ideo si quis istorum propinquus sine baptismo migrasset de mundo, vivus aliquis in nomine illius baptizabatur, putans mortuo prodesse. [Haimo] Quod non sine causa commemorat Apostolus ; [Ambrosius] non enim factum illorum probat, sed fixam fidem in resurrectione ostendit. Et est sensus, alioquin, scilicet si resurrectio mortuorum non est futura, illi qui baptizantur pro mortuis, [Haimo] id est vice eorum qui mortui sunt, quid facient, id est, quid proderunt ipsis mortuis, id est quid proderit illis qui resurrecturi non sunt quod vivi baptizantur pro eis ? nihil utique. Et si omnino mortui non resurgunt, ut quid et baptizantur pro illis ? Quasi dicat : Illi, id est mortui, cum peccata non remittantur nisi causa futuræ resurrectionis ? Quasi dicat : Si stulti adeo certi sunt de futura resurrectione, vos non debetis dubitare. *Ut quid*. Quasi dicat : Si mortui non resurgunt, *ut quid et nos*, qui non stulti sicut prædicti, sed sapientes videmur ? Hos enim discernit a prædictis, dum ait, et nos ut quid, inquam et nos, periclitamur, id est pericula patimur, *omni hora*? et non solum pericula patior, sed etiam *morior quotidie*, [Haimo] id est pericula mortis subeo, o *fratres*, *propter gloriam vestram*, scilicet, ut vos æternam gloriam consequamini, (19) vel per gloriam vestram, juro. Ecce Apostolus juravit, ut sciamus quia verum jurare, non est peccatum. Sed non ideo in dubiis jurandum est. Et tutius est non jurare quam consuetudine jurandi pejerare. Falsum vero jurare gravissimum est peccatum. Non est contra præceptum juratio, quæ non est a malo jurantis, sed increduli vel infirmi, qui non aliter credit. *Quam*, etc. Quasi dicat : Per gloriam vel propter gloriam dico, non quidem humanam, sed æternam, *quam jam habeo spe*, *in Christo Jesu Domino nostro*, id est dum considero quod ipse per passionem est glorificatus. Iterum : Si mortui non resurgunt, *quid mihi prodest, si ego pugnavi*, id est disputavi, *ad bestias Ephesi*, in est contra bestialiter viventes in Epheso ? [Haimo] Pugnavi, dico, agens, *secundum hominem*, id est rationabiliter, quia hominis est credere, non mori hominem ut bestiam. [Ambrosius] Iterum, si mortui non resurgunt, hoc solum restat, *manducemus et bibamus*, *cras enim*, id est in proximo *moriemur*. Hoc de Isaia sumit Apostolus, [Haimo] et est ibi vox Judæorum desperantium in captivitate ; [Ambrosius] quod Apostolus refert ad illos qui de resurrectione dubitabant. (20) Hoc enim dicit propter eos qui quasi nihil futurum sit post mortem, ventri tantum student, ut pecora, qui fidem asserentium resurrectionem irrident dicentes : Quis inde venit ? non audivi vocem cujusque inde venientis ex quo positus est ibi avus meus, ex quo atavus meus, ex quo pater meus, nullius vocem audivi ; quibus respondetur : Stulte, si pater tuus resurgeret, crederes ? Deus omnium surrexit et non credis, qui voluit mori et surgere ut omnes uni crederemus, ne a multis deciperemur : crederes patri iterum morituro, et non credis jam immortali ? Qui etiam se contrectandum discipulis præbuit, quibus videntibus in cœlum ascendit, cujus fidem de cœlo misso spiritu orbis recepit, qui denique testimonium habet in cœlo, testimonium in terra, testimonium ab angelis, testimonium ab inferis. Quid ergo remansit quod non clamet ? Desinant ergo murmura male loquentium, et corrumpentium bonos mores colloquiis malis. *Nolite*. [Augustinus] Quasi dicat : Propter hæc omnia, *nolite seduci*, per pseudo qui de medicina quærunt vulnus, et de Scripturis conantur torquere vinculum, unde laqueum mortis injiciant. *Corrumpunt* enim. Quasi dicat : Non seducamini, nec etiam placeat vobis colloqui illis, quia, colloquia eorum *mala corrumpunt bonos mores*, id est virtutes etiam necant, dum faciunt non sperari resurrectionem. [Ambrosius] Assiduitas enim praviloquii vitiat mentem, et ideo ab his cavendum est. *Evigilate*. Quasi dicat : Hoc nolite, sed potius contra illos, evigilate a torpore, et sic eritis *justi*, et post *nolite peccare*, quod exigit justitia Dei, scilicet ne peccetis, illis consentiendo qui ignorant Deum. [Augustinus] Unde subdit : *Ignorantiam enim Dei quidam habent* illi, scilicet, qui mortuos resurrecturos stultum esse dicebant credere. Et hoc *loquor vobis ad verecundiam*, vel *reverentiam*, id est ut eis acquiescere vereamini, vel verecundemini, id est ut pudeat vos credere ignaris. [Ambrosius] Vel ad verecundiam vobis loquor, id est ad utilitatem vestram.

VERS. 35-46. — *Sed dicit aliquis : Quomodo resurgunt mortui ? Quali autem corpore venient ?* **112** *Insipiens tu, quod seminas non vivificatur, nisi prius moriatur. Et quod seminas, non corpus quod futurum est seminas, sed nudum granum, ut puta tritici, aut alicujus cæterorum. Deus autem dat illi corpus sicut vult, et unicuique seminum proprium corpus. Non omnis caro eadem caro, sed alia hominum, alia pecorum, alia volucrum, alia autem piscium; et corpora cœlestia, et corpora terrestria. Sed alia quidem cœlestium gloria, alia autem terrestrium. Alia claritas solis, alia claritas lunæ, et alia claritas stellarum. Stella enim a*

(19) Augustinus, in serm. de Ep. Jacobi.

(20) Augustinus, De sermone in monte.

stella differt in claritate, sic et resurrectio mor- A *tuorum. Seminatur in corruptione, surget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate, surget in gloria. Seminatur in infirmitate, surget in virtute. Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale. Si est corpus animale, est et corpus spiritale, sicut scriptum est : Factus est primus homo Adam in animam viventem, novissimus Adam in spiritum vivificantem. Sed non prius quod spiritale, est, sed quod animale.*

Sed dicit. [Ambrosius] Hactenus per rationes probavit mortuorum resurrectionem futuram, modo per ipsam rerum naturam idem posse fieri ostendit, et illorum damnatæ sententiæ, quos ignorantiam Dei habere dixit, verba profert. Quasi dicat : Per hæc prædicta probatur resurrectio mortuorum. B Sed tamen *dicit aliquis* ignorantium Deum *: Quomodo resurgent mortui?* id est quomodo potest esse ut mortui, qui jam cinis sunt, resurgant? Ita hoc dicit, quasi per naturam hoc fieri non possit. Si autem resurgent, *quali corpore venient?* Quasi dicat : Non poterit aliud esse quam modo, id est passibile et mortale. Et quia in naturalium cognitione per quam nostram de resurrectione improbat fidem, sibi sapiens iste videtur cum non sit, congrue respondet ei Apostolus subdens : *Insipiens tu,* qui non attendis quod quotidie vides, granum, *quod seminas non vivificatur,* id est vegetatur ; *non prius moriatur,* id est putrefiat, cum animali homine non legis auctoritate agit, sed documenta adhibet, quibus mortuorum in melius reformatio futura credatur, manente naturæ genere. C *Et corpus quod seminas non seminas* tale, *quod,* id est quale, *futurum est.* [Augustinus] Non hoc ideo dicit quin triticum ex tritico futurum sit, sed quia nemo seminat herbam vel stipulam, vel quæ in palea multiplicia sunt tegumenta granorum, cum quibus tamen semina exsurgunt. Ideo addit : *Sed nudum granum ut puta* granum *tritici aut alicujus cæterorum* seminum. *Deus autem dat illi* grano *corpus,* cum palea et arista, *sicut vult.* Sicut ergo nudum granum seminatur, et Dei nutu quodam modo vestitum surgit, multa secum habens integumenta, ita mortuus Dei virtute poterit vivere et meliori corpore resurgere. *Et unicuique seminum* dat *proprium corpus,* quod naturaliter debet habere, non omnibus granis idem corpus dat, sed cuique proprium, secundum genus suum, ut tritico D tritici. Vel, unicuique seminum proprium corpus dat, quia non de alio pullulat granum quod de terra oritur, nisi de eo quod seminatum est : ita nobis reformabuntur in futuro nostra antiqua corpora, sicut Job ait : *Quem visurus sum ego, et non alius* (*Job* XIX).

Non omnis. Hoc pertinet ad differentiam resurgentium, propter diversas glorias fidelium. Quasi dicat : Eadem corpora resurgent, sed erit differentia in gloria et dignitate, quamvis de eadem materia sint, sicut, non omnis caro est eadem caro, id est ejusdem dignitatis, licet sit de eisdem elementis. Et hoc est quod ait : *Non omnis caro est eadem caro,* id est ejusdem dignitatis, *sed alia hominum est, alia pecorum, alia volucrum, alia autem piscium.* In his iste sensus est : (21) Si genera carnis, cum sint cuncta mortalia, differunt tamen inter se, pro diversitate animantium, non mirum est si in resurrectione mortuorum gloria distabit. *Et* sunt *corpora cœlestia,* ut volatilium, velut sol, et luna, et stellæ. et sunt *corpora terrestria,* utpote arborum et aliorum quæ terra gignit. Ideo cum dixisset de carne, subdit de corporibus, quia omnis quidem caro est corpus, sed non e diverso, ut lignum. Vel cœlestia corpora sunt, resurgentia; terrestria vero, antequam moriantur, ut quia Christus cœlestis est, ex eo corpora cœlestia dicantur, et non jam caro dicantur. Ex Adam vero quia terrestris est, terrestria corpora. *Sed alia.* Quasi dicat : Non solum terrestria differunt inter se, sed et a cœlestibus : quod ita dicit, *sed alia quidem cœlestium gloria* est, *alia autem terrestrium,* et etiam ipsa cœlestia inter se differunt. Quia *alia* est *claritas solis, alia claritas lunæ, alia claritas stellarum.* [Ambrosius] Et sicut ista, et si unius naturæ sint, sunt tamen diversæ claritatis, sic et homines cum sint ejusdem generis, dissimilis tamen gloriæ erunt in resurrectione, ut claritati solis illorum dignitas exæquetur, qui centesimum numerum habent ; lunari vero claritati comparetur illorum dignitas, qui sexagesimum numerum habent ; stellis vero qui tricesimum numerum quæsierunt. Tetris autem stellis et omnium novissimis perfidorum resurrectio similis. Infidelitas enim non potest claram resurrectionem habere, quia sicut carbo cinere suo coopertus obcæcatur, ita et hi perfidia et erroris tenebris circumdati luce carebunt.

Stella enim. Quasi dicat : Ab illis, scilicet a sole et luna differunt stellæ, quia etiam inter se differunt. *Stella enim differt a stella in claritate, sic et* differens erit, *resurrectio mortuorum,* id est ita differenti corpore resurgent mortui. [Joan., Dam.] Non solum enim in gehenna suppliciorum, sed et in regno cœlesti præmiorum multæ differentiæ sunt. Unde Dominus ait : *In domo Patris mei multæ mansiones sunt* (*Joan.* XIV). Hæ sunt diversæ meritorum in una vita dignitaitis, et si idem denarius, id est vita æterna sit omnibus. (22) Eumdem enim denarium paterfamilias dedit omnibus qui operati sunt in vinea. Quo denario utique aliquid significatur quod omnes communiter habebunt, sicuti est ipsa vita æterna, ipsum regnum cœlorum, ipsa claritas resurrectionis, et tamen alius alio magis, alius alio minus fulgebit. [Augustinus] Ergo et multæ erunt mansiones et unus denarius, [Fulgentius] quia et una est beatitudo, quam illi percipiunt, et dispar retributionis qualitas, et cum sint imparis claritatis, tamen Deus est omnia in omnibus. Et quia Deus charitas est per charitatem fiet, ut quod habent singuli com-

(21) Augustinus ad Consentium.

(22) Id., De virginitate.

mune sit omnibus. *Seminatur.* Quasi dicat : In differenti gloria resurgent, sed hoc omnes communiter habebunt, quod incorrupti erunt. [Ambrosius] Et hoc est quod ait : *Corpus seminatur,* id est sepelitur, vel mortificatur. *In corruptione*, id est ut corrumpatur. Vel, seminatur in corruptione, id est concipitur corruptibile, *et resurget in incorruptione,* id est immortale et impassibile, id est quamvis homo ex quo concipitur usque ad dissolutionem sit in corruptione, et post vermibus scateat, tamen resurget in incorruptione. Item : *seminatur,* id est moritur et sepelitur corpus, *in ignobilitate*, id est sine omni honore, *et surget in gloria*, id est gloriosum; item, seminatur, id est concipitur, *in infirmitate*, id est tale cui quælibet noceant; *surget in virtute*, id est in potentia cui nihil noceat. [Haimo] Vel, seminatur B id est sepelitur, in infirmitate, quia immobile est et inregibile, quia non valet se movere vel regere; surget in virtute, id est vere vivum et vegetatum. Quid per singula ? *Seminatur corpus animale*, id est tale quod cibis sustentetur ut vivat, et cum nihil habet ab anima, nisi quod sensificatur per eam sicut animalia. *Surget corpus spirituale*, id est tale quod jam cibis non egeat, transiens in naturam spiritus, id est habens quædam spiritualia, et spiritui naturalia, quia agile erit, leve, cibis non egens. (23) Et nota quod ait : Surget corpus spirituale, non dicit spiritus, quasi corpus in spiritum vertatur, ut quidam putant. Sicut enim animale corpus non est anima, sed corpus, ita spirituale corpus non spiritum debemus putare, sed corpus. Unde et Dominus, talem C opinionem discipulorum de suo corpore refellens, dixit : *Palpate et videte, quoniam spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere* (*Luc.* XXIV).

Jam igitur spirituale erat corpus Christi, nec tamen spiritus erat. Unde et hic non dicit spiritus, sed spirituale, quia tunc spiritui plene subdetur corpus, non jam repugnabit. Et quia spiritui simile erit, quia nec aliquam corruptionem patietur, nec alimentis egebit, ut homo ante peccatum non eguit. Nota quod cum dicit corpus transiturum ad incorruptionem, corruptionis facit mentionem, ut ostendatur major dignitas resurrectionis. *Si est corpus.* Quasi dicat : Vere surget corpus spirituale, quia *si* modo *corpus est*, *animale* est, id constat quandoque esse *et spirituale ;* sicut enim animales sumus, quia D Pater noster Adam factus est carnalis in animam viventem, sic erimus in resurrectione spirituales, quia pater noster, scilicet Christus factus est spiritualis in sua resurrectione in spiritum vivificantem. Quod sic exponit : [Augustinus] *Sicut*, vel, sic *enim scriptum est* in Genesi, scilicet nos esse animales ab animali patre procreatos, scriptum est ibi, quod *primus homo Adam factus est in animam viventem.* Hic exponit quid sit animale corpus, cum ait, factus est in animam viventem, potentem vivere, id est vi-

A tam dare corpori, tamen per sustentamenta ciborum vivificantem, sed *novissimus Adam*, id est Christus, hoc non de Genesi sumitur, sed addit Apostolus, *factus est in spiritum vivificantem,* id est qui ita corpus vivificaret, ut ultra non egeret aliqua sustentatione, nec esset solubile. Hic exponit quid sit spirituale.(24) Hoc enim inter animam viventem et spiritum vivificantem interesse voluit, ut illic sit corpus animale, hic spirituale. Anima enim in corpore animali vivit quidem, sed non vivificat usque auferendam corruptionem. **113** In corpore vero spirituali, quia perfecte adhæret Domino, sic vivificat, ut spirituale corpus efficiat. Attende etiam quare Christus dicitur Adam, et novissimus. Adam dicitur, quia de eadem materia est; novissimus, B quia post eum non succedit alius, qui sit caput auctor humani generis, sicut illi duo fuerunt. [August.] Totum enim humanum genus quodammodo sunt illi duo homines, scilicet primus Adam et secundus, quia ex illo sunt nati, ex hoc renati. Et ideo uterque dicitur pater humani generis. Vel, aliis non mutatis, ita potest legi istud : *si est corpus*, ut probet quasi a relativis, corpus esse spirituale : Et dixi bene spirituale quia si est corpus animi, ergo est et spirituale. Cum enim dicitur corpus, frustra additur animale, nisi sit aliud spirituale, ad cujus discrepantiam dicatur animale. Quod autem sit animale probat per auctoritatem Genesis, quia factus est, etc. quæ non mutantur. Vel ita, si est corpus. Quasi dicat : Bene dixi corpus animale et corpus spirituale. Siquidem est C corpus animale, et est corpus spirituale. Et quod animale sit, probat per Genesim, ibi *factus est primus homo*, etc., et quod sit spirituale, ostendit ibi, *quia novissimus Adam.* Horum verborum sensus non mutatur. *Sed non.* Dixit corpora nostra futura spiritualia, sed nequis dubitet an animale possit fieri spirituale, probat per similitudinem Christi. Quasi dicat : Christus factus est in spiritum vivificantem. [August.] *Sed non prius* fuit, in eo, *quod spirituale* est, *sed quod animale* prius fuit in Christo.

VERS. 46-52. — *Deinde quod spirituale. Primus homo de terra, terrenus; secundus homo de cœlo cœlestis. Qualis terrenus, tales et terreni ; et qualis cœlestis, tales et cœlestes. Igitur sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem cœlestis.* D *Hoc autem dico, fratres, quia caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt; neque corruptio incorruptelam possidebit. Ecce mysterium vobis dico : Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. In momento, in ictu oculi, in novissima tuba, canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti, et nos immutabimur.*

Deinde quod spirituale est, sic et de nobis fieri poterit. In Christo ergo hoc expertus unusquisque, hoc sibi exspectet, scilicet ut de animali fiat spiritualis. Deinde unde simus animales et unde futuri

(23) Augustinus ad Consentinum.

(24) Id., ad Consentinum.

simus spirituales, ostendit subdens, *primus homo.* Quasi dicat : Vere primus homo factus est in animam viventem, quia primus homo est *de terra,* quod de pulvere terræ formatus est, et ideo etiam *terrenus,* id est animalis et passibilis ex natura. *Secundus* est *homo* factus in spiritum vivificantem, quia secundus homo est *de cœlo,* quia natura divina fuit humanæ unita, et ideo cœlestis, id est spiritualis in resurrectione. Vel cœlestis dicitur, qui non humano ritu, sed divino nutu conceptus est et natus. *Qualis* autem *terrenus,* pater fuit, id est animalis et mortalis, *tales et terreni,* scilicet animales ex animali, mortales ex mortali. *Et qualis* est *cœlestis* Pater, id est spiritualis et immortalis, *tales,* id est spirituales et immortales erunt, *et cœlestes,* quia tales erunt cœlestes. *Igitur,* ut possimus esse cœlestes *sicut portavimus imaginem terreni,* [Ambrosius] id est sicut exemplo Adæ terrena dileximus, ita et post baptismum.

Portemus imaginem cœlestis, sectando justitiam et veritatem, et obedientiam. *Hoc autem dico,* etc., quasi dicat : Dico ut portemus imaginem cœlestis ; sed si non portaverimus, non erimus cœlestes, et hoc est quod dicit. *Hoc autem dico vobis, o fratres, quoniam caro et sanguis,* id est homines dediti vitiis quæ de carne et sanguine oriuntur, *non possidebunt regnum Dei,* et vere, quia *corruptio* peccati quæ est effectus carnis et sanguinis, id est aliquis serviens corruptioni peccati, *neque possidebit incorruptelam,* id est se immortalem. Vel nomine carnis et sanguinis hic accipit opera carnis. Per carnem enim et sanguinem ventrem et libidinem, id est opera carnis quæ ibi non erunt, significat, nolens eos arbitrari se talia facturos in regno cœlorum, qualia fiunt in hac vita, sicut Judæi putabant. (25) Judæi enim credebant futuram resurrectionem, sed more hujus vitæ ut ibi nuberent et generarent. Unde Sadducæis respondere non poterant quæstionem proponentibus de septemvira muliere (*Matth.* XXII), quia carnaliter de resurrectione cogitabant. Quod Apostolus removet dicens : *Hoc autem.* Quasi dicat : Ex prædictis constat quod resurgemus. Hoc autem *dico, fratres, quia caro et sanguis,* id est opera carnis et sanguinis, *non possidebunt regnum Dei,* id est non erunt in regno Dei. Et vere non, quia *corruptio* carnis, cujus opera sunt illa, *non possidebit incorruptelam,* id est non erit in regno incorruptibili. (26) Vel carnis et sanguinis nomine, ipsa corruptio carnis et sanguinis intelligitur, quæ utique in regno illo non erit, ubi caro incorruptibilis erit. Non ergo sic accipiendum est quod ait Apostolus, quasi carnis substantia in regno Dei non sit futura. Et hoc est : Hoc autem. Quasi dicat : Constat quod resurgemus. Hoc autem dico, fratres, quia caro et sanguis, id est corruptio carnis et sanguinis, non possidebunt regnum Dei. Et ne putares secundum substantiam hoc dici, aperit subdens, neque corruptio, quasi dicat : Ideo dixi quod caro et sanguis non possidebunt regnum Dei, quia corruptio mortalitatis, quæ nomine carnis hic ostenditur, *non possidebit incorruptelam,* id est incorruptibile regnum. Et quia dixit electos resurrecturos in gloria, et post dixit carnem et sanguinem non possidere regnum Dei, quomodo hoc distinguendum sit, aperit. Et quasi quis dicat : Quomodo caro erit, et caro non erit? exponit dicens : *Ecce dico,* id est aperio *vobis mysterium,* id est quiddam quod vobis est occultum. [Ambrosius] Nominando enim mysterium obscuritatem significat. Nam mysterium Græcum est, quod Latine dicitur secretum, vel occultum : quod est illud, hoc scilicet quod *omnes* homines tam boni quam mali *resurgemus.* [Haimo] Hoc generaliter intelligitur, si dixerimus, quia etiam sancti vivi reperti Christo veniente morientur. Sic enim resurgere poterunt. (27) Non enim resurrectio fieri poterit, nisi mors præcesserit. Si ergo sanctos qui reperientur Christo veniente viventes, eique obviam rapientur, crediderimus in eodem raptu de mortalibus corporibus exituros, et ad eadem mox immortalia redituros, generaliter dictum esse hoc accipere possumus, scilicet omnes resurgemus, *sed non omnes immutabimur* in gloriam immortalitatis. [Ambrosius] Vel ita, omnes resurgemus, scilicet qui in adventu Christi mortui inveniemur.

Sed non omnes, vivi reperti immutabimur in gloriam, sed soli sancti Dei. Resurgemus dico, et hoc *in momento,* [Haimo] id est in brevissimo et minimo et angustissimo temporis spatio. Et quia in momento est mora, licet brevis, addit, *in ictu oculi,* id est quam cito oculus icit, id est percutit visa, vel icitur a palpebra, id est in summa celeritate. [Ambrosius] Per ictum enim oculi nimiam brevitatem significat, ut per hoc mirabilior ostendatur esse resurrectio, et Dei potentia ex ejus celeritate commendetur. Fiet ergo resurrectio, in ictu oculi, id est quam cito oculi radius transit ad remota, et transvolat media, etsi sit ibi prius et post, tamen quasi simul totum sit, sic et resurrectio mortuorum fiet. Et hoc fiet, *in tuba novissima,* id est per tubam et per vocem magnam, vel manifestam, postquam non erit alia. Et est sensus : Resurrectio fiet in tuba, id est novissimo signo, quod dabitur, ut ista compleantur. Hæc tuba est clamor de quo dicitur in Evangelio : *Media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit, exite obviam ei* (*Matth.* XXV). (28) Idem in eo. Non enim tunc veniet cum speratur, sed media nocte, id est cum valde obscurum erit, id est occultum, veniet. Et quasi quis quæreret : An erit sonus? Respondet : Utique. Canet enim tuba. Tubæ nomine aliquid evidens et præclarum significare intelligitur, quod vox archangeli, et tuba Dei alibi dicitur, et vox Christi in Evangelio dicitur. Quam audient mortui, qui in

(25) Aug., in serm. De requie mortis.
(26) Id., in lib. Retractat.
(27) Id., De civitate Dei.
(28) Id., De gratia. N. T.

monumentis sunt, et procedent (*Joan.* v). [Ambrosius] Unde etiam hic subdit : A

Et mortui, id est peccatores, vel generaliter omnes mortui *resurgent incorrupti*, id est sine diminutione membrorum; [Aug.] *et nos* boni tantummodo *immutabimur*, in gloria immortalitatis et impassibilitatis. Quomodo autem hoc fiat, vel qualis sit immutatio ista, exponit subdens :

VERS. 53-58. — *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem. Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est : Absorpta est mors in victoria. Ubi est mors victoria tua? Ubi est mors stimulus tuus? Stimulus autem mortis peccatum est; virtus vero peccati, lex. Deo autem gratias qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum. Itaque, fratres mei dilecti, stabiles estote et immobiles; abundantes in opere Domini semper, scientes quod labor vester non est inanis in Domino.* B

Oportet enim [Ambrosius] Vere immutabimur, quia oportet pro eo quod bene servivimus, vel quia nobis promissum est, *hoc corruptibile* corpus *induere*, ut ornamentum, *incorruptionem,* ut ultra non esuriat, vel aliquatenus lædatur. *Et* oportet *mortale hoc,* id est corpus hoc mortale quod ostenditur, *induere immortalitatem,* ut ultra non dissolvatur. (29) Hæc ergo visibilis caro sine dubitatione resurgere credendum est. Videtur enim Apostolus eam tanquam digito ostendere, cum dicit : Oportet corruptibile hoc, (30) dicendo hoc, in eam quasi digitum intendit, ut eadem caro quæ videtur resurrectura monstretur, sed non talis. Secundum hoc dicitur supra, *caro non possidebit*, et est, quia non erit ibi corruptio et mortalitas, id est non secundum has qualitates erit ibi caro, sed eadem carnis substantia erit. *Cum autem*, vel, enim. Quasi dicat : Vere induet immortalitatem, quia *tunc fiet*, id est implebitur *sermo* , et nunquam aliter impleretur. [Haimo] Vel ita continua, induet immortalitatem. *Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet*, id est implebitur *sermo*, et nunquam aliter impleretur, *qui scriptus est* in Isaia vel in Osee, ubi ita legitur : *Ero mors tua, o mors (Ose.* XIII). Sed, juxta LXX sic : *Absorpta est*, id est destructa mors corporis **114**, *in victoria* Christi, id est in resurrectione Christi. Quod autem de morte corporis hoc accipiendum sit, non de morte animæ; ex eo ostenditur quod dixit, tunc fiet, significans esse futurum : non ait, factus est, tanquam de præterito, ne quis putaret esse dictum de morte interiori, quod jam factum est. *Ubi est,* [Ambros.] hæc sunt verba prophetæ vel Apostoli lætantis et morti insultantis in persona resurgentium, ut certior sit resurrectio (31). Ait ergo ex persona resurgentium : *Ubi est,* o *mors*, corporis, scilicet *victoria tua*, id est potentia, qua omnes dissolvebas, qua omnes sic viceras, ut etiam Dei Filius tecum confligeret, teque non vitando, sed suscipiendo superaret; vicisti in morientibus, victa es in resurgentibus; *victoria tua* qua absorbueras corpora morientium, temporalis fuit; victoria qua in corporibus absorpta es resurgentium, æterna constabit.

Ubi est mors, scilicet dissolutio, *stimulus tuus.* Stimulus mortis intelligitur peccatum originale, quo in uno peccavimus omnes, ut moreremur in uno omnes, quo puncti et venenati sumus, de quo mors exiit, ut ipse exponit subdens : *Stimulus autem mortis peccatum est.* Sicut enim peccatum stimulus mortis dicitur, quo scilicet mors facta est, non quem mors fecit; peccato enim morimur, non morte peccamus : sic dictum est lignum vitæ, non quod hominis vita faceret, sed quo vita hominis fieret : sic et lignum scientiæ boni et mali, per quod scientia fieret hominis, non quod per suam scientiam homo fecerit. Vel nomine mortis significatus est diabolus. Et est. *Absorpta est mors in victoria*, id est diabolus jam ex parte absorptus; in futuro penitus absorbebitur, propter hoc quod modum vincendi excessit Christum invadendo, in quo nihil habebat. Deinde ex persona justorum qui nunc sunt, et in resurrectione erunt, insultat eis dicens : Ubi est, o mors, scilicet diabole, victoria tua, qua genus humanum velut gregem post te trahebas? Ubi est, mors, scilicet diabole, stimulus tuus? Stimulus autem mortis peccatum est. Peccatum vero dicitur stimulus diaboli, quem, scilicet mors, id est diabolus fecit, non a quo factus est. C

Vel ita, per mortem arbitror hic significari delectationem peccandi, et carnalem consuetudinem quæ animam mortificat, quæ ex actu peccati sit, quo in Adam peccavimus. Hanc enim mortem peccato meruimus, quod peccatum omnino erat in libero arbitrio, cum in paradiso nullus dolor denegatæ delectationis voluntati bonæ hominis resistebat, ut verbi gratia, (32) si quis existat quem nunquam venatio delectavit, omnino liber est utrum venari velit vel nolit, nec eum cruciat qui hoc prohibet. At si ista libertate male usus, venatus fuerit contra prohibentis imperium, paulatim subrepens delectatio mortificat animam, ut si se abstinere velit, sine molestia et agone non possit. *Caro enim concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem* (*Gal.* v). Nec cessabit contentio donec perfecta sanctitas totum hominem reparaverit; tunc ergo fiet sermo qui scriptus est. (33) Non modo fit, sed tunc fiet. Quid tunc fiet? Absorpta est mors, id est delectatio peccandi? (34) In victoria, id est in hoc quod servi Dei vincent concupiscentiam carnis, tunc vincet pax et finietur bellum, nulla erit a morte contentio ut modo est. Primo concupiscentia carnis sequentes duxit nos, postea renitentes extraxit nos, deinde accepta gratia cœpit nos nec ducere, nec trahere, sed contendere adhuc nobis- D

(29) Aug. De symbolo.
(30) Id. De ser. in monte.
(31) Id., ad Marcellum.

(32) Aug., in lib. Quæst. LXXXIII.
(33) Id., De verbis Apost.
(34) Id., in psalmo LXXXIV.

autem mors peccatum est, quia peccato facta est delectatio. Peccatum enim quasi scorpius est, cujus punctione facta est mors; sed absorbebitur in futuro, cum dabitur sanctis ut peccare non velint, nec possint. *Virtus* vero, id est augmentum *peccati* est *lex*. Hoc ideo addidit, ne quis dicat quemquam a lege juvari; sed a Deo tantum. Data enim lege et carnalis concupiscentia invaluit, et prævaricatio accessit. Lex enim prohibendo auget peccati cupiditatem, nisi diffundat spiritus charitatem. (36) Pro his autem omnibus Apostolus agit gratias Deo dicens: *Deo autem gratias* ago, *qui dedit nobis victoriam* peccati et mortis, *per Dominum nostrum Jesum Christum*, non per legem. Christus enim ait: *Confidite, ego vici mundum* (*Joan*. XVI). (37) Et quia per Christum vicimus, *itaque, fratres mei dilectissimi, stabiles estote*, in fide resurrectionis, *et immobiles*, ut a pseudo moveri non possitis. Semper *in opere Domini abundantes*, spe resurrectionis; *scientes*, id est spem *habentes*, *quod labor vester*, quem habetis, *in Domino*, id est in servitio Domini, *non est inanis*, id est sine remuneratione. *De collectis autem*, post alia, de collectis faciendis in sanctos qui erant Hierosolymis breviter monet. (38) Quod non est contra illud: *Nolite cogitare de crastino* (*Matth*. VI). Non est enim cogitare de crastino, si quis humano more ista procuret, sed si quis propter ista Deo militat, ut in operibus suis non regnum Dei, sed istorum acquisitionem intueatur.

CAPUT XVI.

VERS. 1-14. — *De collectis autem quæ fiunt in sanctos, sicut ordinavi in Ecclesiis Galatiæ, ita et vos facite per unam Sabbati. Unusquisque vestrum apud se reponat recondens quod ei bene placuerit, ut, non cum venero, tunc collectæ fiant. Cum autem præsens fuero, quos probaveritis per Epistolas hos mittam perferre gratiam vestram in Jerusalem. Quod si dignum fuerit ut ego eam, mecum ibunt. Veniam autem ad vos, cum Macedoniam pertransiero: nam Macedoniam pertransibo. Apud vos autem forsitan manebo, vel etiam hiemabo, ut vos me deducatis quocunque iero. Nolo enim vos modo in transitu videre. Spero enim me aliquantulum temporis manere apud vos, si Dominus permiserit. Permanebo autem Ephesi usque ad Pentecosten. Ostium enim mihi apertum est magnum et evidens, et adversarii multi. Si autem venerit Timotheus, videte ut sine timore sit apud vos. Opus enim Domini operatur sicut et ego. Ne quis ergo illum spernat. Deducite autem illum in pace, ut veniat ad me. Exspecto enim illum cum fratribus. De Apollo autem fratre vobis notum facio quoniam multum rogavi eum ut veniret ad vos cum fratri-*

[Haimo., Ambros., Haimo,] *De collectis autem quæ fiunt*, non in quolibet, *sed in sanctos*, id est ad usus sanctorum, et ideo tenendum est, *sicut ordinavi in Ecclesiis Galatiæ, ita et vos facite*, id est colligite *per unam diem Sabbati*, id est septimanæ. Vel, per unam Sabbati, id est dominica die. Quia una Sabbati vel una Sabbatorum, vel prima Sabbati vocabatur apud Judæos dies quem Dominicum appellamus. Colligite, dico; *unusquisque autem vestrum reponat apud se*, ne dicatis non esse fidelem ministrum cui credatis: re-
B ponat, dico, *quod ei beneplacuerit*, non quod gravet eum retendens illud in usum sanctorum, et cavens ne iterum illud sumat. Hic est sensus horum verborum: Præcipit Apostolus omnem plebem Dominico die convenire ad ecclesiam, et illuc deferre quod volebat unusquisque dare ad opus sanctorum, et ne a malis ministris deperiret, si apud Ecclesiam dimitterent, præcepit ut secum referrent, et tuto loco reponerent, quoadusque ipse veniret. Et hoc per singulos dies Dominicos faciebant, quia quod paulatim colligitur, nec grave est, et invenitur multum. Ideo autem hoc præparate, *ut non cum venero, tunc collectæ fiant*, quia gravaret eos si subito totum simul darent. *Cum autem præsens fuero, tunc mittam* illos, vel *hos quos probaveritis*, id est idoneos judicaveritis *per Epistolas*, id est cum Epi-
C stolis meis et vestris laudatoriis et commendatoriis deferentium et mittentium, *perferre gratiam vestram*, id est donum, *in Jerusalem, quod si dignum fuerit ut ego eam*, scilicet si magnæ res fuerint, *mecum ibunt. Veniam autem ad vos cum pertransiero Macedoniam*, [Ambros.] id est per omnia loca transiero usque Macedoniam. *Nam Macedoniam pertransibo*, ubi non est opus morari. *Apud vos autem forsitan manebo, vel etiam hiemabo*, quia multa corrigenda sunt ibi, sicut medicus ibi moram habet, ubi plures ægrotant. Veniam ad vos dico, *ut et vos me deducatis quocunque iero*. Dico manebo apud vos, *nolo enim vos in transitu videre. Spero enim aliquantulum temporis manere apud vos, si Dominus permiserit. Permanebo autem Ephesi*, inde misit Epistolam,
D *usque ad Pentecosten*, ideo permanebo ibi, *enim*, id est quia, *ostium magnum apertum est mihi*, id est multa corda hominum ad audiendum parata sunt. *Et evidens*, quia non contradicunt prædicationi. Et quasi quis diceret: Quid ergo opus est ibi morari? Respondet: Et, id est quia, *adversarii multi* sunt, ibi qui conantur impedire. *Si autem venerit Timotheus ad vos, videte ut sine timore sit apud vos*, forsitan jam ibi timuerat propter commotionem pseudoapostolorum. *Opus enim Domini operatur sicut ego, ne quis ergo illum spernat. Deducite autem illum in pace, ut veniat ad me. Exspecto enim illum cum*

(35) Augustinus, in lib. Quæst. LXXXIII.
(36) Id., De perfectione justitiæ.

(37) Id., super Joannem.
(38) Id., De ser. in mont.

fratribus, qui secum sunt. *De Apollo autem fratre notum vobis facio, quoniam multum rogavi eum ut veniret ad vos cum fratribus.* Hoc ideo dicit, quia Corinthii hunc requisierant **115** quia ab Apostolo ordinatus fuerat episcopus illorum : qui cum non posset eos sedare, venerat ad Apostolum Ephesum. Quibus respondet hic Apostolus dicens, rogavi, etc. *Et utique non fuit voluntas ejus, ut nunc veniret ad vos*, quia timet incorrectos. *Veniet autem cum ei vacuum fuerit*, [Ambrosius] id est opportunum, scilicet cum vos correcti fueritis. Vos autem *vigilate* mentis oculis contra astutias diaboli, *et state in fide*, quia stanti non obrepit somnus, *viriliter agite*. Mulierum enim est inconstantia, *et confortamini in Domino*, ut in vestra virtute sit profectus, *et omnia vestra*, id est correctio, *fiant in charitate*, non causa inanis gloriæ. Obsecro autem. Ordo litteræ hujus respicit, et pendet usque illuc ; *Ut et vos subditi sitis*. Quasi dicat : Prædicta facite ut dixi hos autem imitamini. Et hoc est,

VERS. 15-24.— *Obsecro autem vos, fratres, nostis domum Stephanæ, et Fortunati et Achaici, quoniam sunt primitiæ Achaiæ, et in ministerium sanctorum ordinaverunt seipsos, ut et vos subditi sitis ejusmodi et omni cooperanti et laboranti. Gaudeo autem in præsentia Stephanæ, et Fortunati et Achaici, quoniam id quod vobis deerat ipsi suppleverunt. Refecerunt enim et meum spiritum et vestrum. Cognoscite ergo qui ejusmodi sunt. Salutant vos omnes Ecclesiæ Asiæ. Salutant vos in Domino multum Aquila et Priscilla cum domestica sua Ecclesia, apud quos et hospitor. Salutant vos omnes fratres. Salutate invicem in osculo sancto. Salutatio mea, manu Pauli. Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema, maranatha. Gratia Domini nostri Jesu Christi vobiscum. Charitas mea cum omnibus vobis in Christo Jesu. Amen.*

Obsecro autem vos, o *fratres, qui nostis Stephanæ domum, et Fortunati et Achaici*. Hi cum Apostolo fuerunt in prædicatione Corinthiorum, *ut et vos subditi sitis* his et *hujusmodi, et omni cooperanti et laboranti* in vobis. Ideo subditi sitis, *quoniam ipsi sunt primitiæ Achaiæ*, id est primi crediderunt in Achaia, *et ordinaverunt seipsos in ministerium sanctorum*, in est ut ministrarent sanctis. [Ambrosius] *Gaudeo autem in præsentia Stephanæ, et Fortunati et Achaici*, id est quia præsentes apud vos sunt, ex quibus vobis est profectus. Unde subdit : *Quoniam ipsi suppleverunt*, docendo, *id quod vobis deerat*. Et merito gaudeo, *refecerunt enim et meum spiritum et vestrum :* meum utique lætitia, vestrum charitate. Vel ita, gaudeo autem in præsentia Stephanæ, et Fortunati et Achaici, id est quasi mihi venerunt pro vobis ministrare, quoniam ipsi suppleverunt id quod vobis deerat, quia ministraverunt mihi, quod vos non fecistis. Et merito gaudeo, *refecerunt enim et spiritum meum*, quoniam scilicet me paverunt, *et vestrum*, quibus Apostolum servaverunt. *Cognoscite ergo*, id est honorate illos *qui sunt hujusmodi. Salutant vos Ecclesiæ Asiæ*. Quasi dicat : Quod ego scribo omnes desiderant, *salutant vos in Domino multum Aquila, et Priscilla*, apud quos hospitor, *cum domestica sua Ecclesia*, id est fratrum congregatione, *apud quos et hospitor. Salutant vos omnes fratres. Salutate vos invicem* in signum pacis, et hoc *in osculo sancto*, scilicet vero corde. Et ut sciant ejus esse hanc Epistolam subdit : *Salutatio mea* scripta est *manu Pauli*. Hæc salutatio est ibi : *Gratia Domini*, sed præmittit similiter manu sua scriptum hoc : *Si quis, etc.* Quasi dicat : Fideles saluto, sed *si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema*, [Augustinus] id est separatus a Deo, vel condemnatus, *maranatha*, id est donec veniat Dominus, vel in adventu Domini. [Ambrosius, Augustinus] Maranatha enim interpretatur *Dominus venit*, et est compositum ex Syro et Græco, magisque Syrum est quam Hebræum. Anathema vero Græcum et interpretatur, condemnatus vel separatus. Similis ergo Græco et Syro utitur verbo. [Ambrosius] Deinde sequitur salutatio : *Gratia Domini nostri Jesu Christi sit vobiscum, et charitas mea sit cum omnibus vobis*, id est ea charitate vos invicem vel Deum diligite, qua vos ego vel Deum diligo. Et hoc facite *in Christo*, id est non secundum amorem sæculi. *Amen*. Hic sermo confirmatio est benedictionis.

ORDO RERUM QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

FINIS TOMI CENTESIMI NONAGESIMI PRIMI.

Périgueux, impr. DUPONT et Cᵉ. Ms 80.